BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
34 M
5
M
Cl. V. Tav. 5. N.° 9.

Dato dal P. Cesare Masseo della Chiesa nuova

Anno Dni 1685

Pertinet ad Conv.tum S. Bona.ræ de Urbe.

Digitized by Google

GASPARIS

SANCTII

CENTVMPVTEOLANI,

E SOCIETATE IESV

THEOLOGI,

IN COLLEGIO COMPLVTENSI

Sacrarum literarum Interpretis.

IN ISAIAM PROPHETAM

COMMENTARII

cum paraphraſi.

NVNC PRIMVM EVVLGATI

& Indicibus vtiliſſimis illuſtrati.

Cum priuilegio Regis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

LVGDVNI,
SVMPTIBVS HORATII CARDON
M DC. XVI.

B. IGNATIO DE LOYOLA, SOCIETATIS IESV FVNDATORI, ET PARENTI OPTIMO, GASPAR SANCTIVS FILIORVM MINIMVS PIETATIS, ET OBSERVANTIÆ ERGO D.

INIVSTE de ſua conditione queritur pauperum vulgus, quòd à tenui re, humilique fortuna nihil habeant, quo & illuſtrium virorum inire gratiam, & illam officioſa munerum largitione retinere poſſint. At B. P. longè aliter cogitant, qui diuitias in paupertate & magnas, & ingenuas eſſe didicere; neque minus eſſe facultatis ad largiendum ei, cui exilis eſt, & nuda fortuna, quàm quibus maximarum contigit rerum abundantia. Minùs hæc probant vulgares animi, qui externa tantùm rerum ſpecie capiuntur; probant tamen viri ſapientes, qui in officio, & munere animorum penſanda ſtatuunt, non rerum momenta. Quorum è numero, & olim fuiſti, B. P. cùm in viuis ageres, & nunc in Beatorum cœtu multò magis, vbi diuinos ſenſus & propiùs vides, & hauris abundantiùs; & cuius iudicium maiori iam illuſtratum lumine nihil omnino diſcrepat à diuino. Quare ſicut Deus tantum probat in munere, quantum habet ab animo: immo vnum in exhibendo munere animum intuetur: Sic tu ingens, credo, putabis eſſe munus, exiguum licèt, & ſpecie ſordidum, quando totus cum munere exiguo, ac vili animus impenditur. Si quod eſt in tenui hoc, atque infelici labore momenti conſiderem, B. P. amens omnino ſim, & audax, ſi ad virum tantum, Deo iam plenum, & inter aliarum religionum Principes illuſtri loco cæleſtibus bonis affluentem, offerre mediter, quod vel nihil eſt, vel, vt plurimum illi momenti tribuam, inſtar obtinet nihili. Sed animus planè eſt, qui parua extollit, & vilia commendat, quem tibi, vt tute ſcis, iam pridem conſecraui, qui & tuo nomini ſumma cœpit omnia, & ſi ampliſſima rerum contigiſſet facultas, illam non æquo ſolùm, ſed alacri etiam animo, lubens detuliſſet.

Debet hoc parenti filius, & quali, Deus bone, parenti? nempe, cui plurimum debere ſe putant, idque neque rarò, neque timidè prædicant alieni. Et ſanè totus, quàm latè patet orbis terrarum, (verbo abſit inuidia, quæ à ſanctorum gloria abeſſe in piorum animis quàm longiſſimè debet) tantum tibi debet, quantum admodum paucis. Neque id aut parcè, aut obſcurè ſignificauit, quando grauiſſimo Pontificis decreto, cum ingenti omnium Gentiũ, atque ordinum gratulatione in Bea-

torum numerum relatus es. Quid verò tunc de tuis egregiis in ſe meritis ſenſerit, ſatis luculenter teſtatus eſt, relicto & ſui de te iudicij, ac pietatis, & tuorum in ipſum meritorum illuſtri monumento. Rem dico, neque obſcuram, neque dubiam, quam accepimus non ab incerta fama, aut imperito vulgo, & nimis vagis etiam, atque obſcuris rumoribus credulo, ſed aut ipſi vidimus, aut ab iis accepimus, quorum aut propter numerum, aut propter morum integritatem, dictorúmque conſenſum vocari in dubium fides nullo modo poteſt. Eo enim tempore ſic in tui nominis gloriam exarſerunt omnium ordinum animi, vt nihil eſſet pulchrum, nihil pretioſum, nihil ab arte, aut à natura lautum, & egregium, nihil ab ingenio acutum, aut præclarum, quod non vltro omnes, tam qui iam olim ab Eccleſiæ primordiis, quàm qui recens nunc tuorum filiorũ opera Euangelica luce luſtrati ſunt, ad faſtos ludos, publicámque lætitiam certatim contulerint. Cúmque illorum nemo in referenda gratia, quam tuis meritis debere ſe putabat, inferior eſſe vellet, tamen vinci ſe ab aliis in ea pietatis contentione, non moleſtè ferebat. Quòd ſi alieni (tametſi quem à paterna cura, atque animo in omnium vtilitatem ſupra modum impenſo alienum putem?) in tui memoria, ac ſanctitate colenda tam fuerunt liberales, ac pij, quia in te olim, & in tua familia omnibus propè momentis aliquod agnoſcebant paternæ ſedulitatis officium; qualis ego ſim oportet, qui tuis quotidie legibus ad veræ ſanctitatis formam inſtituor? cuius in eo, quòd filiis religioſæ vitæ inſtitutum tradidiſti, expreſſam, atque ſpirantem imaginem intueor: à quo paratam habeo atque obuiam paternæ humanitatis indulgentiam.

Multa quotidie audimus B. P. de tenera ac molli in filios charitate, de aſſiduis in tuam ſocietatem excubiis; quàm facilè à filiis imploratus accurras; quàm noſtra non minùs ſtudioſè cures à mortali corpore ſolutus, & liber, quàm cùm nobiſcum olim in viuis ageres. Quid alij à tua benignitate habeant, prædicabunt ipſi; quid ego tibi debeam, tacitus mallem, gratúſque rependere, quàm inerti, atque otioſa narratione commemorare. Hoc apud me multorum officiorum inſtar obtinebit, quòd cùm longiſſimè abſim ab eo gradu, quem religioſæ vitæ ratio poſtulat, in tuorum tamen ſocietate patienter tamdiu perfers, atque ſuſtentas. Quo vno beneficio quàm multa, eáque non vulgaria contineantur, norunt optimè, qui in tua tecum familia viuunt. Parentum in liberos charitatem maximè commendat, & prodit conſtans illa, ac diuturna patientia, quam exhaurire, aut frangere nullæ poſſunt filiorum penè continentes moleſtiæ, & propè neceſſarium in infantia & quaſi naturale faſtidium. Cùm autem ego (quod dolens repeto) neque pauciores tibi, neque leuiores attulerim moleſtias, quàm parentibus indociles filij, & parum impenſi beneficij memores præbere ſolent; tu tamen quo es in filios molli, atque indulgenti pectore, adeò non à tua humanitate, complexúque diſſocias, vt potiùs foueas, benignéque admoneas, & inſtituas: Et in ea, quam ſingulari Dei clementia ſub IESV primi, ac maximi Imperatoris ſigno ſocietatem, atque militiam aggreſſus ſum, non modò mihi conſtantiam à Deo, ſed etiam alacritatem obtinueris. Quid ego tot annorum curriculo tibi debeam, non eſt promptum oſtendere, quid tot officiis, ac tantæ humanitati remetiar, nihil habeo. Reddo tamen me totum, & quod adoleſcens iam dudum feci (adeò mihi ipſi de ſuſcepto viuendi conſilio gratulor) iterum ac ſæpius à me ipſo tamquam à peſte ſeu tamquam à ſerpente fugiens, tibi me totum, atque omnino trado. Neque tamen idcirco amiſiſſe videor, aut neglexiſſe, quod vulgo homines pluris interdum faciunt, quàm vitæ dulcem, & honeſtam vſuram: libertatem dico, aut illas, quæ à voluntate propria oriri exiſtimantur, opportunitates, & commoda. Neque enim vnquam magis ſe liberum ſapiens arbitratur, quàm cùm ſeipſum, ſuáque conſilia prudentis viri, ac

boni

boni iudicio ſubdidit, voluntatémque propriam, quæ ſæpe hominem tranſuerſum in exitium abripit, alterius obligauit iudicio, de cuius prudentia, ac fide, aut multorum dierum experientia, aut ſapientum hominum teſtimonio conſtat. Accedit, quòd qui alteri ſe ipſum dat, quacumque ille ſit conditione, ac loco, eumdem ſibi eo mancipij genere demeretur. Magnum aliquid mihi dicere videor; non tamen alienum ab ingenuis animis, quíque ſe officij haberi ſtudent non immemores. Tuum me prorſus eſſe profiteor, B. P. ſed multò magis, opinor, meum eſſe te: ſicut non tam filius patris, quàm pater videtur eſſe filij: de cuius ſalute, atque ornamentis meditatur, atque inuigilat ſedulò, quo tempore filius neque de patris obſeruantia, neque de ſe ipſo quicquam molitur, aut cogitat. Dum ergo me tibi B. P. totum emancipo, id conſequutus omnino videor, vt te mihi totum, & omnino vendicem. Præclarè igitur meam tibi libertatem, aut obligaſſe, aut vendidiſſe cenſeri debeo, quando tantum mihi acceſſit ex ea ſiue venditione, ſiue permutatione compendij.

Cur ergo quiſquam me audaciæ, & temeritatis incuſet, B. P. ſi opus hoc ab ingenio puſillum, & pingue, ab arte non admodum excultum, in tuo nomine apparere voluerim? cùm illud, quidquid eſt officij pij, ab ingenuo, & non ingrato animo tam luculentam vſuram reportet. Et cui plurima, immo cui meipſum, ex voto iam antè concepto, & deinde millies iterato debeam, ſi coner aut exiguam aliquam gratiam rependere, aut quod ille ſuo ſibi iure, atque mancipio vendicat, id ego ipſi debitor exoluam.

Accipies itaque, Pater Sancte, opus hoc informe quidem & exiguum, multis tamen modis, atque nominibus tuum: tum quia à filio, aut ſi mauis ab inutili ſeruo, in quem grauis eſt patris, aut domini poteſtas; tum quia, vt mihi non obſcuris indiciis perſuadeo, tuo ſingulari patrocinio elaboratum, faceret vtinam Deus vt tuo etiam ſpiritu: oleret etenim pietatem, aſpiraret vbique Chriſtum, & diuinum aliquid ad hominum ſenſus vſquequaque diffunderet. Sed eſt in hoc noſtro conatu non nihil, quod credo, B. P. non auerſabere: id nimirum, quod maximè, cùm nobiſcum ageres, commendabas, & ſupra holocauſta, & victimas acceptum eſſe, atque probatum Deo familiari, ac quotidiano ſermone repetebas. Scis enim quemadmodum hoc doctrinæ genus eorum imperio, qui tuo, immo Domini loco præcipere potuerunt, aggreſſus ſum, ſic etiam eodem penè cogente, hoc longum, atque difficile negotium fuiſſe ſuſceptum. Quot verò in eo moleſtias ſubierim, quot vorarim faſtidia, ſcis, credo, B. P. neque puto contra difficultates, quas occurrere opere in longo, atque impedito neceſſe eſt, obniti potuiſſem, ſi mea me voluntas ageret, & non potiùs duceret, & confirmaret diuina. Vt autem ab hac omnia mihi ſecunda ſperare potui, ſic ab illa nil poteram non timere contrarium. Quòd ſi tibi in omnibus nihil antiquius fuit, nihil magis propoſitum, nihil magis in ore, quàm *Dei gloria maior*, ad quam referebas vbique omnia, à qua id habebas, ne maximarum rerum ponderi ſuccumberes; & illa inſtimulante nihil non tentares, quantumcumque operoſum, & arduum; hoc meum ſtudium, niſi me ipſum fallo, eò mihi ſpectare videbatur, vt diuinæ gloriæ, ac voluntati ſeruiret: quo nomine non potuit eſſe tibi non acceptum. Sed heu timeo, neque timeo ſine cauſa, B. P. Scio enim in ea, quæ à religionis ſtudio profecta videri potuerunt, quàm callidè ſe ſe propria obtrudat, atque inſinuet voluntas, quàm blandè longos etiam labores, quibus ſpeciem pietatis obtendimus, non ſolùm tranſuertat, ſed etiam contaminet, atque euertat ambitio.

Ad extremum, ô B. P. ea me ratio inter alias adduxit, vt opus iſtud in tuam

tibi fidem,atque tutelam darem, quia cùm hoc tempote iudicia hominum ſint non æquiſſima, & quantumcumque elaboratum, atque perfectum opus, (vt varia ſunt hominum ingenia, neque iidem in omnibus ſenſus) non omnibus probetur, aut placeat, vbi ſemel aliquid in lucem, publicúmque conſpectum emerſit,in hominum teprehenſionem,& calumniam incurrat neceſſe eſt. Quare ad arduum,multipléxque certamen magnus mihi patronus,ac vindex aduocandus fuit,quem amant omnes,& obſeruanr, quíque operi per ſe tenui perfugio ſit,auctoritatémque conciliet, & pondus : quod ab auctotis obſcuro nomine,& ignobili ingenio habete non potuit. Quòd ſi meos conatus,atque ſtudia piis ad Deum ptecibus (quod facis, ſat ſcio) & tua apud homines auctotitate ptomoueris, eto deinceps meliori animo, minúſque de mearum vitium infirmitate,quàm antea formidabo.

Vale B. P. & gaude cœleſti bono,quo cum fortunatis mentibus in æternum frueris ; méque tuorum minimum indigniſſimúmque, qui in his teligioſæ militiæ caſttis Socius dicar IESV, & tuo auxilio, atque complexu foue, & IESV duci meo, atque anteſignano, ſub cuius nomine, & ſignis vtcumque metco,quo cum tibi familiaris eſt, atque aſſiduus vſus, iterum, ac ſæpius commenda.

Præſatio ad Lectorem.

ROGAVIT *olim per literas recèns in Eccleſia natus Auguſtinus, pie, atque ſtudioſe lector, ab Ambroſio, quem è ſacris monumentis librum ſeligeret, cui aſſiduam, & familiarem operam, ad ſtudium pietatis impenderet: vt ætas illa adhuc infantilis in Chriſto in ſuſceptæ religionis ſtudio magis quotidie confirmaretur, & creſceret. Putabat enim vir ille tantus prudentis eſſe conſilij, ſi ab eo Doctore, atque parente, à quo per Euangelium genitus fuerat, doceretur, quomodo in Chriſtiana vita, atque Euangelico curſu ſe ipſo fieret quotidie melior; & Chriſtus, quem Ambroſij opera in Baptiſmo induerat, qui adhuc in neophyto putabatur infans, opportuno lacte in ſingulos dies magis, atque magis adoleſceret. Cui ex omnibus ſcripturæ ſacræ libris vnum Iſaiam commendauit Ambroſius: tum credo, quia ad arcanos ſcripturæ ſenſus maximè cenſebatur idoneus, tum quia non aliter atque Euangelium, Euangelicus ille propheta, vbique Chriſtum perſonat, vbique Chriſtum, & penè continenter aſpirat. Accepit à ſuo magiſtro, atque parente præceptum Auguſtinus, ſed quominus imperata faceret obſcuritas fecit prophetiæ; quæ illum, vt ipſe de ſe modeſtè loquitur, à legendo deterruit. Ex his duo habes, optime lector, & diuinum prophetæ magni vaticinium (ſic enim vocatur Eccleſ. cap. 48.) ad pietatem excitandam, atque fouendam valere plurimùm, vt cenſebat Ambroſius: & valde implexum eſſe, atque difficile, vt expertum ſe fuiſſe fatetur Auguſtinus. Horum alterum excitare ſtudium tuum, atque animum debet, vt longam ponas, atque aſſiduam operam in euoluendis tam eximij prophetæ vaticiniis, quæ Chriſtiani hominis ſenſus ad pietatis opus inflammant, & inſtituunt; alterum à magnis occultiſque myſteriis Euangelici prophetæ deterrere non debet. Nam licèt Auguſtini peracri ingenio, & ad difficillima quæque perſcrutanda nato, atque his diſciplinis, quæ ad ſcripturæ ſenſus explorandos opportunæ ſunt, diligenter exculto obſcurus viſus fuerit Iſaias; at alia tibi nunc ſubſidia tempus præſtat, & Doctorum induſtria; quibus magnus tunc caruit Auguſtinus. Deterruit fateor olim Auguſtinum Iſaiæ liber, ſed nondum Auguſtinum; id eſt, rudem adhuc in eruditione ſacra, neque dum plenum illa ſapientia, quam in eius animum diuinus inſtillauit ſpiritus; quæque illum in Eccleſia illuſtriſſimum lumen, ſicut in cælo ſolem, collocauit. Neque tunc, credo, Auguſtinus in ipſis Chriſtianæ diſciplinæ incunabulis ab Iſaiæ lectione refugiſſet, ſi prælucentem habuiſſet Hieronymum, aut alios Scripturæ ſacræ Doctores, & Interpretes, qui ſuæ doctrinæ radiis tenebras, quæ offuſæ videbantur Auguſtini oculis, diſpuliſſent. Iam tibi, lector optime, alia ratio eſt, & alia conditio. Expeditos habes, & faciles aditus, qui Auguſtino quondam difficiles occurrebant, & implexi: magnorum iam auctorum opera apertum eſt, ac perpurgatum hoc curriculum. Quibus ego pertenuem, & qualis expectari poterat à mediocri ingenio, exilem hanc opellam adieci. Cumque omnia difficilia ſint tam in hoc propheta magno, quàm in aliis omnibus, nihil tamen in multis æquè difficile eſt meo iudicio, quàm perpetuo filo contexere, quæ ſanè ſine filo, rerumque ἀκολουθίᾳ à prophetis tradita fuiſſe (quod nonnullis placuit) perſuadere mihi nunquam non potui. In eam ego curam ſtudium meum quàm potui diligenter intendi, quæſiuique quod capitis videri poſſet conti-*

Lib 9 Confeſſ. c. 5.

nens

nens filum, & apta conſtánſque rerum, quæ in eo tractantur, conſecutio. An aſſecutus fuerim, alij iudicabunt; ſecutus certè ſum. Cum autem in hoc propheta, qui totus vſquequaque myſteriis abundat, nihil intentatum relinqui debeat: tamen eorum, in quibus nodus apparet magis impeditus, & obſcurior vmbra, nihil à me prætermiſſum eſt non exploratum. Audacter fortaſſe, piè tamen: malui enim inſcitiam meam apertè prodere, quàm immemor videri illorum, quæ aliqua interpretum luce indigere videbantur. In ſtylo id ſpectaui ſedulò, ne quid eſſet obſcurum; quod in ſcriptore, quicumque ille ſit, maximi faciunt eloquentiæ magiſtri, & in eo, qui interpretem agit, videtur omnino neceſſarium. Si quando à communi ſententia diſcedo, quod facio ſanè non libenter (quoniam antiquitas, & magnum in ſe momentum habet, neque leue eſt latentis veritatis argumentum, rationes adduco, quæ me in aliam ſententiam abire non ſolùm ſuadent, ſed etiam cogunt. Quas tu prudens lector expendes; quæ ſi minùs placebunt, pium tamen conatum, & veritatis indagandæ ſtudium, credò, non improbabis. Addidimus ſingulorum capitum explicationibus ſuam quoque paraphraſim, quæ quo ſenſu, ac filo explicanda ſint, ac pertexenda ſingula, tanquam in tabula oculis ſpectanda proponunt. Quorum deinde rationes, & ſi quid eſt occultæ eruditionis, in commentariis latiùs explicantur. Cùm verò in paraphraſi, vt eius fert natura, dici non poſſint omnia, quæ in commentariis probamus, aut amplectimur, nos in eam potiſſimùm ſelegimus, quod magis faceret ad textum, filúmque ſermonis. Pro multis hoc tibi exemplo ſit. In afflicto Iudæorum populo, & apud Babylonios captiuo, communior eſt Doctorum ſententia (vt latè probauimus in præfatione quadam ad cap. 40. Iſaiæ) intelligi aut afflictam in ſuis incunabulis Eccleſiam, aut oppreſſum mundum à diaboli tyrannide ante Euangelij tempus: Sicut etiam in inſtaurata Ieruſalem, reuocatiſque ab exilio captiuis, amplificata, atque inſtructa ſignificetur Eccleſia, & Regiis opibus, & filiorum frequentia: & mundus è Dæmonis liberatus tyrannide. Cùm autem myſticum ſenſum præſertim magnus intueatur propheta, cui ſupponit hiſtoricum, tanquam vmbram, & ſymbolum: nos tamen in Paraphraſi, ne illa debitum ſibi nomen, & modum amitteret, hiſtoricum plerumque ſenſum adhibuimus, intenti maximè in Iſaiæ verba, quæ hiſtoriam ſonant, & vmbram obtendunt. Quia facile putabamus myſticos, atque allegoricos ſenſus vel à mediocri ingenio ad hiſtoricum attemperari poſſe; aut certè à commentariis peti poſſe non difficilè, vbi vtrumque nos ſenſum pluribus explicuimus. Notas præterea addidimus in textu, quæ te facilè ad magis plenam locorum expoſitionem deducent. Et quò hoc quodcumque eſt operis tuis vſibus eſſet non importunum, neque labori ſanè longo; neque valetudini interdum graui, afflictæque pepercimus. Quòd ſi ea humanitate, quæ candidos animos, ac ingenuos decet, noſtrum ſtudium, atque laborem amplexabere; perficies profectò, vt alia, quæ apud nos in tuum vſum elaborata premuntur, in publicam lucem aliquando prodeant. Vale.

Approbatio

Digitized by Google

Approbatio ex auctoritate Regij Senatus.

REGII Senatus decreto hæc in Iſaiam Prophetam commentaria P. Gaſparis Sanctij è religioſiſſima Societate IESV recognoui, & accuratiùs (quantum licuit) expenſa, digna iudico quæ omni ex parte probari, laudaríque debeant; tum quòd nihil omnino Catholicæ veritati noxium, probatíſque moribus aduerſum contineant, tum etiam quòd ſtyli candore, eruditionis varietate, ingenij acumine, triúmque linguarum peritia inſtitutum ſibi proprium de eruendo litterali ſenſu feliciſſimè aſſequantur. Ergo vt in lucem prodeant ad communem Chriſtiani orbis vtilitatem cenſeo, idque manu propria atteſtor. Matriti in Carmelitano cœnobio. 10. Martij, 1614.

FR. FRANCISCVS A IESV DE XOOAR.

Facultas R. P. Prouincialis Societatis IESV, *in Prouincia Lugdunenſi.*

ANTONIVS SVFFREN Prouincialis Societatis IESV, in Prouincia Lugdunenſi, iuxta Priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante, 14. Febr. 1611. conceſſum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiuſdem Societatis hominibus compoſitos, abſque ſuperiorum permiſſione imprimant: permittit HORATIO CARDON Lugdonenſi Bibliopolæ, vt *Gaſparis Sanctij Centumputeolani è Societate* IESV *Commentarios in Iſaiam Prophetam cum paraphraſi*, ad ſex primos annos imprimere, ac liberè diuendere poſſit. Datum Lugduni die 22. Septemb. 1614.

SVFFREN.

APPROBATIO.

IOANNES CLAVDIVS DEVILLE, in Sacra Theologia Magiſter, & diuini verbi Prædicator, in ſancti Pauli huiuſce Ciuitatis Canonicus, atque in hac Lugdunenſi Diœceſi librorum Cenſor deſignatus: fidem facimus, nos *Gaſparis Sanctij Centumputeolani è Societate* IESV *Commentarios in Iſaiam Prophetam cum paraphraſi*, perlegiſſe, omniáque in illis iuxta orthodoxam Catholicæ Apoſtolicæ se Romanæ Eccleſiæ, & Sanctorum Patrum ſanam doctrinam ſumma cum eruditione exponi. Lugduni apud Sanctum Paulum 6. Iunij, 1615.

IOANNES CLAVDIVS DEVILLE.

R. D. D. Thomæ de Meſchatin la Faye, huius libri imprimendi facultas.

THOMAS DE MESCHATIN LA FAYE, Comes, Canonicus & Camerarius Eccleſiæ Lugdunenſis, & Vicarius Generalis in Archiepiſcopatu Lugdunenſi: Opus, quod inſcribitur, *Gaſparis Sanctij Centumputeolani è Societate* IESV *Theologi, & in Collegio Complutenſi ſacrarum literarum interpretis in Iſaiam Prophetam commentarij cum paraphraſi*, vt in lucem edatur, facultatem concedo. Lugduni 8. Maij, 1615.

MESCHATIN LA FAYE.

LIBRVM hunc inſcriptum, *Gaſparis Sanctij Centumputeolani è Societate* IESV *Theologi, & in Collegio Complutenſi ſacrarum literarum interpretis in Iſaiam Commentarij cum paraphraſi*, ab HORATIO CARDON Bibliopola Lugdunenſi in lucem dari permittimus: ſimul, ne quis citra factam ei ab ipſo poteſtatem, denuo excudat, interdicimus. Datum Lugduni die 12. Maij, M. DCXV.

SEVE.

SVMMA PRIVILEGII
à Chriſtianiſsimo Galliarum Rege conceſsi.

LVDOVICI XIII. Galliæ & Nauarræ Regis auctoritate ſancitum eſt, atque patentibus Lireris caurum, ne quis in Regno ſuo, aliíſve locis ditioni ſuæ ſubiectis, intra proximos annos decem, à die impreſsionis primæ inchoandos, ac numerandos, excudat, vendat, excudendum, vendendúmque quouis modo & rarione conetur librum, qui inſcribitur, *Gaſparis Sanctij Centumputeolani, è Societate* IESV *Theologi, & in Collegio Complutenſi Sacrarum literarum interpretis, in Iſaiam Prophetam Commentarij cum paraphraſi*, præter HORATIVM CARDON Bibliopolam Lugdunenſem, aut illos, quibus ipſemet conceſſerir. Prohibirum inſuper eadem auctorirare Regia omnibus ſuis ſubditis, eundem librum exrra Regni ſui limites imprimendum curare, vel quempiam, vbicumque fuerir, ad id agendum impellere, ac inſtigare, ſine conſenſu dicti HORATII CARDON. Idq́; omne ſub confiſcatione librorum, aliíſque pœnis originali Diplomare conrra delinquentes expreſsis. Datum in Fonre-bellaqueo, die vigeſimaquarta Octobris, anno milleſimo ſexcenteſimo decimoquarto.

De mandato Regis,

Signatum

BRVLART.

PHILIPPI III. *Hiſpaniarum Regis Licentiâ, datâ en Aranjuez* 14. *die Aprilis* 1614. *& ſignatâ,* IORGE DE TOVAR, *conceſſum eſt Reuerendo Patri Gaſpari Sanctio Centumputeolano è Societate* IESV, *vt ſuos commentarios in Iſaiam Prophetam cum paraphraſi extraneo Bibliopolæ cui voluerit, tradat manuſcriptos, qui excudantur, atque in lucem emiſſi virtute iſtius Licentiæ in omnibus terris ſuæ poteſtati ſubiectis, liberè diuendantur.*

INDEX LOCORVM SCRIPTVRÆ SACRÆ, QVÆ IN HIS COMMENTARIIS EXPLICANTVR.

Prior numerus caput ; poſterior numerum marginalem deſignat.

EX GENESI.

*Cap.*2. PLANTAVERAT autem Deus paradiſum voluptatis in principio, cap. 60, num. 47.
30. Reſpondebit mihi æquitas iuſtitia mea. 48.46.
31. Per timorem patris ſui. 8.27.
34. Mortuus eſt Moyſes iubente Domino. 49.5.
35. Terror Dei inuaſit omnes. 37.7.
ibid. Et inaures, quæ erant in auribus. 44.20.
38. Addidit vltrà loqui. 6.45.
39. Auferet Pharao caput tuum. 35.19.
49. Beniamin lupus rapax. 4.18.

EX EXODO.

Cap. 4. Tetigitque pedes eius. 6.11.
ibid. Et ex quo loquutus es. 24.46.
19. Eritis mihi in regnum ſacerdotale. 61.47.
20. Altare de terra facietis. 65.6.
32. Dele me de libro tuo. 4.11.
38. Ex ſpeculis mulierum. 3.47.
ibid. Nullus inſidiabitur terræ tuæ aſcēdēte te. 37.8.

EX LEVITICO.

*Cap.*6. Quicquid tetigerit carnes eius ſanctificabitur. 23.49.
23. Septem hebdomadas plenas. 32.24.
26. Gladius non tranſibit terminos tuos. 30.70.
ibid. Fugietis nemine perſequente. 37.7.

EX NVMERIS.

*Cap.*13. Stirpem Enac vidimus. 11.16.
21. Scopuli torrentium inclinati ſunt. 40.21.

EX DEVTERONOMIO.

Cap. 4. A ſummo cœlo vſque ad ſummum eius. 13.11.
13. Non parcat ei oculus tuus. 13.23.
14. Non facietis caluitium. 3.51.
22. Ne ſementis, & quæ naſcuntur ex vinea ſanctificentur. 23.49.
ibid. Signa virginitatis. 64.26.
24. Scribet libellum repudij. 50.2.
29. Furor eius fumet. 42.16.
30. Teſtes inuoco hodie cœlum, & terram. 1.11.
32. In ora flatus eſt dilectus. 5.5. & 44.4.
ibid. Abſcondam faciem meam ab eis. 18.19.

ibid. Generatio enim peruerſa eſt. 53.51.
ibid. Super excelſam terram. 58.91.
33. Quaſi in thalamo tota die morabitur. 4.18.

EX LIBRO IVDICVM.

*Cap.*5. Montes fluxerunt à facie Domini 69.3.
7. Non eſt hoc aliud niſi gladius Gedeonis. 14.29.
8. Dominabitur vobis Deus. 1.65.
9. Conſtituerunt regem Abimelec. 1.65.
15. Mandibula, quæ iacebat. 1.22.
19. Manſit quatuor menſibus. 32.23.

EX LIBRO I. REGVM.

*Cap.*8. Non te abiecerunt ſed me. 1.65.
18. Miſit in peram paſtoralem. 57.63.
24. Pepercit tibi oculus meus. 13.24.
27. Fuit autem numerus dictum. 32.13.

EX LIB. II. REGVM.

*Cap.*1. Quaſi non eſſet vnctus oleo. 21.39.
ibid. Qui veſtiebat vos coccino. 61.33.
3. Numquid caput canis ego ſum. 35.19.
8. Filij autem Dauid ſacerdotes erant. 61.48.
10. Præſcidit veſtes eorum. 3.18.
11. Statímque ſanctificata eſt ab immunditia. 23.49.
19. Quot ſunt dies annorum vitæ meæ. 32.23.
20. Iram erat ſacerdos Dauid. 61.49.

EX LIB. III. REGVM.

*Cap.*14. Sicut mundari ſolet fimus. 14.59.

EX LIB. IV. REGVM.

*Cap.*12. Deus tollet eum à te. 35.19.
21. Extendam ſuper Ieruſalem funiculum Samariæ. 34.22.

EX ESDRÆ LIBRO I.

*Cap.*1. Cuius Dominus ſuſcitauit ſpiritum. 1.66.
2. Audita eſt lætitia. 51.35.

EX TOBIA.

Cap.vlt. Reuertentur omnes timentes Dominum. 1.66.

EX LIBRO IOB.

*Cap.*4. Qui habitant domus luteas. 50.53.
7. Militia eſt vita hominis. 40.12.

Digitized by Google

8. Non reuertetur oculus meus videre. 6.45.
9. Interiora auſtri. 21.7.
ibid. Qui præcipit ſoli & non oritur. 48.35.
12. Balteum regum diſſoluam. 44.6.
13. Qui te laceru carnes meas. 49.81.
ibid. Quaſi veſtimentum quod comeditur à tinea. 50.53.
14. Greſſus meos dinumeraſti. 59.34.
16. Percuſſerunt maxillam meam. 3.21.
20. Splendebat lucerna ſuper caput meum. 35.19.
41. Vna vni coniungitur. 27.37.

EX PSALMIS.

*Pſal.*1. Et erit tanquam lignum. 65.34.
2. Dabo tibi gentes hæreditatem. 49.49.
3. Percuſſiſti aduerſantes mihi ſine cauſa. 3.81.
4. A fructu frumenti, vini, & olei ſui multiplicati ſunt. 9.12.
ibid. Iraſcimini,& nolite peccare. 64.10.
5. Virum ſanguinum. 1.47.
13. Quoniam Dominus in generatione inſta eſt. 66.30.
15. A dextris eſt mihi ne commouear. 41.3.
21. Laudabunt Dominum,qui requirunt eum.3.36.
ibid. Quare me dereliquiſti. 49.45.
25. Pes meus ſtetit in directo. 59.34.
28. Vox Domini præparantis ceruos. 59.47.
29. Circumdediſti me lætitia. 51.35.
36. Quia peccatores peribunt. 66.30.
38. Menſurabiles poſuiſti dies meos. 10.16.
39. Aures autem perfeciſti mihi. 50.39.
40. Beatus qui intelligit ſuper egenum. 52.46.
41. In me tranſierunt iræ tuæ. 30.70.
ibid. In voce cataractarum. 48.41.
43. Quoniam humiliaſti nos. 66.30.
44. Filij Tyri in muneribus. 13.46.
47. Latera Aquilonis ciuitas. 14.24.
50. Cor mundum crea in me Deus. 57.64.
ibid. Libera me de ſanguinibus. 1.47.
ibid. Vincas cùm iudicaris. 1.50.
55. Ab altitudine diei. 65.55.
59. Potaſti nos vino compunctionis. 29.16.
ibid. Dediſti metuentibus te ſignificationem. 30.39.
62. In terra deſerta,inuia,& inaquoſa. 34.4.
64. Clamabunt,etenim hymnum dicent. 9.13.
ibid. Benedices coronæ anni. 22.34.
65. Tranſiuimus per ignem,& aquam. 43.4.
67. Infirmata eſt. 64.10.
ibid. De fontibus Iſrael. 48.8.
ibid. Rex virtutum dilecti,dilecti. 44.4.
ibid. Manda Deus virtuti tuæ. 23.58.
ibid. Terra mota eſt. 64.3.
71. Orietur in diebus eius iuſtitia. 44.38.
ibid. Erit firmamentum in terra. 3.3.
72. Caſtigatio mea in matutinis. 33.5.
73. Conuerſi ſunt & tentauerunt. 5.36.
85. Tu conuerſus viuificabis nos. 5.36.
88. Miſericordias Domini in æternum cantabo. 55.17.
89. Dies annorum noſtrorum ſeptuaginta anni. 83.36.
100. In matutino interficiebam. 35.5.
102. Qui coronat te in miſericordia. 22.34.
103. Qui reſpicit terram, & facit eam tremere. 48.35.
ibid. Emitte ſpiritum,& creabuntur.44.7.& 57.64.
ibid. Mare ſpatioſum manibus. 22.36.
105. Increpuit mare. 30.62.
113. Montes exultauerunt. 64.3.
131. Et filij eorum vſque in ſæculum. 24.46.
136. Obliuioni detur dextera mea. 49.63.
143. Tange montes & fumigabunt. 42.16.

EX PROVERBIIS.

*Cap.*7. Liga ea in digitis tuis & inſcribe in tabulis cordis tui. 44.21.
ibid. Et ceruicem tuam duriſſimam. 48.13.
10. Virga in dorſo eius. 47.7.
11. Tradetur impius pro eo. 43.1.
30. Gallus ſuccinctus lumbos. 44.6.
vlt. Omnes domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus. 40.15.
ibid. Date ſiceram mœrentibus. 51.58.

EX ECCLESIASTE.

*Cap.*2. Cantores,& cantatrices. 3 2.
11. Mitte panem tuum ſuper tranſeuntes aquas. 32.43.

EX CANTICIS.

*Cap.*8. Pone me vt ſignaculum. 44.82.

EX SAPIENTIA.

*Cap.*19. Campus germinans. 63.55.

EX ECCLESIASTICO.

*Cap.*30. Mortuus eſt pater & quaſi non eſt mortuus. 53.31.
36. Super quem inuocatum eſt nomen tuũ. 63.64.
41. De veſtimentis procedit tinea. 50.53.

EX ISAIA.

*Cap.*13. Obtenebratus eſt ſol. 34.5.
19. Spiritus vertiginis. 29.16.
43. Dedi in deſerto aquas. 41.35.
48. Stirps vteri tui,vt lapilli eius. 81.16.
49. Seruus meus es tu Iſrael. 41.44.
53. Sicut radix de terra ſitienti. 11.16.
62. Voluntas mea in ea. 48.82.
66. Terra ſcabellum pedum meorum. 60.59.

EX IEREMIA.

*Cap.*1. Vt diſperdas,& diſſipes. 39.
ibid. Virgam vigilantem. 14.29.
ibid. Ollam ſuccenſam. 33.86.
4. Et cœlos,& non erit lux. 34.5.
ibid. Si reuerteris conuertere. 21.61.
11. Oliua vber,pulchra. 48.22.
16. Ad montes caligionoſos. 35.4.
17. Diem hominis non deſideraui. 65.55.
ibid. In vngue adamantino exaratum ſuper latitudinem cordis. 44.20.
ibid. Duplici contritione contere eos. 40.15.
19. Vallis occiſionis. 5.41.
22. Annulus in manu dextera mea. 49 62.
25. Perdam ex eis vocem ſponſi. 30.68.
30. Seruient Dauid regi ſuo. 42.24.
ibid. Facies in auruginem. 13.15.
31. Vox in Rama audita eſt. 40.2.
48. Extendet alas ſuas ad Moab. 8.28.
ibid. Fertilis fuit Moab. 13.6.
ibid. Qui fugerit à facie pauoris. 84.38.
49. Expandet alas ſuas. 8.11.

EX THRENIS.

*Cap.*1. Miſit ignem in oſſibus meis. 58.69.
ibid. Torcular calcauit. 63.34.
2. Tetendit funiculum ſuum. 34.22.

3. Noui diluculo. 33.5.

EX BARVCH.

Cap. 5. Exurge Hieruſalem & ſta in excelſo. 40.18.

EX EZECHIELE.

Cap. 4. Conteram baculum panis. 3.3.
13. In Scriptura domus Iſrael non ſcribentur. 4.10.
14. Et dixero gladio, tranſi per terram. 30.70.
ibid. Conteram virgam panis. 3.3.
16. Et facta es mihi. 46.5.
ibid. Fornicata es in nomine tuo. 4.3.
17. Frondere feci ligna arida. 4.7.
ibid. Fabricabitur de ea paxillus. 22.48.
21. Vt ſplendeat limatus eſt. 49.12.
26. Radent puluerem eius. 24.59.
ibid. Quieſcere faciam multitudinem canticorum, 25.40.
28. In deliciis paradiſi Dei fuiſti. 51.13.
32. Solem nube tegam. 34.5.
33. Dicat vnus ad alterum. 27.37.
34. Suſcitabo ſuper eum ſeruum meum Dauid. 42.24.
37. Educam vos de ſepulchris. 66.37.
47. Cata mane. 50.22.
48. Et nomen ciuitatis, Dominus ibidem. 48.22. & 66.37.

EX DANIELE.

Cap. 5. Compages renum eius ſoluebantur. 44.6. & 21.20.
8. Non tangens terram. 41.12.
14. Et duæ oues. 57.63.

EX OSEA.

Cap. 2. Adulteria de medio vberum. 44.20.
3. Quærent Dauid Regem ſuum. 42.24.
ibid. Et non eris viro. 46.5.
4. Sanguis ſanguinem tangit. 1.47.
5. Ego quaſi tinea Ephraim. 50.54.
7. Columba ſeducta non habens cor. 46.25.
9. Quaſi prima poma ficulnea. 28.8.
11. Quaſi exaltans iugum ſuper maxillas. 30.37.
ibid. Ex Ægypto vocaui filium meum. 40.2
14. Et erumpet radix eius. 21.16.

EX IOELE.

Cap. 2. Ante faciem eius ignis vorans. 33.26.
ibid. Sol & luna obtenebrati ſunt. 34.5.

EX AMOS.

Cap. 2. Vinum damnatorum. 51.58.
9. Mandabo gladio. 23.28.

EX IONA.

Cap 4. Iraſcor vſque ad mortem. 57.35.

EX MICHÆA.

Cap. 1. Dilata caluitium tuum ſicut aquila. 40.91.
ibid. De mercedibus meretricis. 65.8.
7. Præcoquas ficus deſiderauit. 28.8.
ibid. Iram Domini portabo. 51.68.

EX NAHVM.

Cap 1. Increpans mare. 30.62.
2. Vultus redigantur in ollam. 13.15.

EX ZACHARIA.

Cap. 3. Torris raptus ab incendio. 4.3.
9. Duplicia reddam tibi. 40.15.
12. Superliminare crapulæ. 51.58.

EX MALACHIA.

Cap. 1. Menſa Domini deſpecta eſt. 65.22.
3. Si non aperuero vobis cataractas. 24.41.

EX LIB. I. MACHABÆORVM.

Cap. 2. Contremuerunt renes eius. 21.29.

EX MATTHÆO.

Cap. 3. Appropinquauit iam regnum cælorum. 40.48. & 56.1.
ibid. In quo mihi complacui. 42.4.
ibid. De lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. 51.4.
4. Terra Zabulon, & terra Nephthalim. 9.3.
5. Percuſſerit in vna maxilla. 3.21.
ibid. Populus hic labiis me honorat. 29.18.
ibid. Qui dixerit fratri ſuo Racha. 58.61.
ibid Neque per cœlum quia thronus. 65.1.
6. Sufficit diei malitia ſua. 40.12.
11. Cæci vident, claudi ambulant. 35.9.
ibid. A diebus Ioannis Baptiſtæ regnum cælorum vim patitur. 49.47.
15. Non ſum miſſus niſi ad oues domus Iſrael. 49.13.
18. Ablatus eſt vnus. 53.39.
ibid. Tenens ſuffocabat eum. 58.29.
23. Implete menſuram Patrum. 65.14.
24. Cœlum, & terra tranſibunt. 51.22.
ibid. A ſummis cœlorum vſque ad terminos eorum. 13.11.
26. Et colaphis eum cæciderunt. 58.29.
ibid. Et hymno dicto. 5.36.
27. Dabant ei myrrhatum vinum. 51.58.
ibid. Vt quid dereliquiſti me. 49.45.

EX MARCO.

Cap. 14. Amictus ſindone ſuper nudum. 20.8.

EX LVCA.

Cap. 1. Suſcepit Iſrael puerum ſuum. 42.23.
10. Videbam Satanam tamquam fulgur. 14.14.
11. Si petierit ouum numquid porriget ei ſcorpionem. 59.19.
14. Qui non odit patrem. 60.51.
16. Facilius eſt cœlum & terram præterire. 51.22.
18. Deſcendit iuſtificatus ab illo. 56.13.
23. In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum. 49.45.
ibid. Si in ligno viridi. 4.3.

EX IOANNE.

Cap 4. Plures baptizat, quàm Ioannes. 49.21.
6. Docibiles Dei. 34.42.
7. Flumina de ventre eius fluent. 55.3.
10. Proprias oues vocat nominatim. 43.3.
ibid. Ego pono animam meam. 51.4.
11. Nunc iudicium eſt mundi. 51. 17. & 63. 33. & 42.31.
ibid. Qui odit animam ſuam. 60.52.
ibid. Si exaltatus fuero à terra. 53.47.
ibid. Venit hora vt clarificetur filius hominis. 49. 33.
13. In finem dilexit eos. 57.35.
17. Manifeſtaui nomen tuum. 43.16.
18. Ad hoc veni in mundum vt teſtimonium perhiberem veritati. 43.16.
ibid. Ego palàm loquutus ſum mundo. 45.69.

Index locorum Scripturæ ſacræ.

21. Tunica ſuccinxit ſe, erat enim nudus. 20.8.

EX ACTIS.

Cap. 13. Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei. 49.25.
ibid. Contra legem iubes me percuti. 58.29.

EX EPIST. AD ROMANOS.

Cap. 2. Nomen Dei per vos blaſphematur. 52.20.
3. Et egent gloria Dei. 30.58. & 60.7.
9. Verbum enim abbreuians. 10.18.
ibid. Ecce pono in Sion lapidem. 28.35.
11. Dedit illis Dominus ſpiritum compunctionis. 19.16.
ibid. Quis conſiliarius eius fuit. 40.63.
ibid. Numquid Deus repulit populum ſuum. 49.5.
ibid. Donec plenitudo gentium intraret. 59.83.
12. Carbones ignis congeres ſuper caput eius. 13.19. & 35.20.
14. Omnis lingua confitebitur Deo. 45.79.
15. Dico Ieſum Chriſtum miniſtrum fuiſſe circumciſionis. 49.27.

EX EPIST. I. AD CORINTHIOS.

Cap. 2. Loquimur Dei ſapientiam. 64.13.
3. Colaphis cædimur. 3.21.
8. Quia nihil eſt idolum. 41.43.
10. Bibebant de conſequente eos petra. 41.35. & 43.26.
ibid. Et menſa dæmoniorum. 65.22.
13. Æs ſonans aut cymbalum tinniens. 18.4.
14. Nolite pueri effici ſenſibus. 28.16.
15. Abſorpta eſt mors in victoria. 25.29.

EX EPIST. II. AD CORINTHIOS.

Cap. 2. Quoniam quidem Deus erat in illo. 1.44.
5. Qui ſumus in hoc tabernaculo. 38.57.
6. Exite de medio eorum. 52.39.
11. In faciem vos cædit. 3.22.

EX EPIST. AD GALATAS.

Cap. 4. Et mutare vocem meam, quoniam confundor in vobis. 28.19.
5. Si inuicem mordetis & comeditis. 49.80.

EX EPIST. AD EPHESIOS.

Cap. 2. Iam non eſtis hoſpites, & aduenæ, ſed eſtis ciues. 4.11.
5. Inueſtigabiles diuitias. 53.45.
6. Gladius ſpiritus quod eſt verbum Dei. 49.5.

EX EPIST. AD PHILIPPENSES.

Cap. 2. Propter quod & Deus exaltauit illum. 53.50.

EX EPIST. AD COLOSSENSES.

Cap. 2. Delens quod aduerſus nos erat chirographum. 53.35.

EX EPIST. AD TIMOTHEVM.

Cap. 6. Qui teſtimonium reddidit ſub Pontio Pilato. 43.16.

EX EPIST. AD HEBRÆOS.

Cap. 4 Penetrabilior omni gladio ancipiti. 49.5.
5. Qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonis doctrinæ. 28.16.
ibid. Cum clamore valido, & lachrymis orans exauditus eſt pro ſua reuerentia. 49.44.
ibid. Sermo interpretabilis. 53.45.
6. Et oſtentui habentes. 6.46.
7. Sine patre, ſine matre, ſine genealogia. 49.47.
10. Ingrediens mundum. 50.39.
11. Exiit neſciens quò iret. 41.5.
ibid. Adorauit faſtigium virgæ. 3.3.
12. Propoſito ſibi gaudio. 53.45.
13. Fructum labiorum. 57.67.

EX EPIST. I. PETRI.

Cap. 1. Electis aduenis diſperſionis. 56.20.
2. Ecce pono in Sion lapidem. 28.35.
ibid. Regale ſacerdotium. 61.47.
3. Timorem eorum ne timueritis. 8.7.

EX EPIST. II. PETRI.

Cap. 1. Depoſitio tabernaculi mei. 38.57.

EX EPISTOLA IACOBI.

Cap. 1. Quæ ſunt in diſperſione. 56.20.

EX APOCALYPSI.

Cap. 1. Etiam amen. 25.5.
ibid. De ore eius gladius. 30.64. & 49.5.
ibid. Hæc dicit Amen teſtis fidelis. 43.16.
ibid. Fecit nos regnum & ſacerdotes. 61.47.
3. Hæc dicit Amen. 25.6.
5. Radix Dauid. 11.16.
10. Commanducauerunt linguas ſuas. 49.81.
14. Illiſit in lacum iræ. 63.14.
18. Facta eſt habitatio dæmoniorum. 13.27.

INDEX

INDEX REGVLARVM
SCRIPTVRÆ SACRÆ QVÆ IN HIS COMMENTARIIS TRADVNTVR.

Prior numerus caput ; Poſterior numerum marginalem deſignat.

Reg. 1. DEVS *humanos affectus induit.* cap.1 num. 10. & 59.

2. Sicut, velut, & *ſimilia, non ſemper ſimilitudinem indicant.* 1. 26.

3. *Duris ſcriptura ſacra læta ſubiungit.* 1. 64. & 19. 22.

4. *Mutato ſtatu nomen ſeruatur antiquum.* 1. 54.

5. *Nomen interdum non tam meritis imponitur, quàm obligatione, & debito.* 1. 54 *Vide regulam decimam.*

6. *Sæpe fit tranſitus à typo ad veritatem.* 2. 1.

7. *In genere maſculino, & fœminino coniunctis, vniuerſitas, aut multitudo rerum ſignificatur.* 3. 2. & 38. 52. & 43. 9 & 49. 100.

8. *Quod inutile, ac otioſum fuit, cenſetur ac ſi non omnino fuiſſet.* 3. 5. & 30. 5.

9. *Aliquid factum ab eo dicitur, qui factum vel faciendum denunciat.* 3. 4. & 5. 41. & 6. 36. & 44. 36 & 43. 5 . & 50. 10.

10 *Illa fieri dicuntur, quæ vt fiant rerum natura poſtulat* 3. 11 & 24. 10 & 38. 3. & 48. 22. & 53. 11. *Vide regulam quintam*

11. *Actio ponitur pro obiecto, ſeu materia actionis.* 3. 15 & 21. 56. & 54. 52.

12 *Ante etenim omittitur cum opitaſi.* 3. 56.

13. *Antecedens loco relatiui.* 5. 5.

14. *Scriptores canonici aliquando non tam verba repetunt teſtamenti veteris, quam eorum ſententiam.* 6. 39.

15. *Non integra teſtimonia ſæpe citantur ab auctore canonico.* 6. 39.

16. *Ex variis tranſlationibus ſeu citationibus verus elicitur ſenſus.* 6. 39.

17 *Tertia perſona pro prima ponitur.* 5. 6.

18. Anima alicuius *pro* aliquo. 5. 42. & 42. 4 & 46. 10.

19. *Verba quædam per aduerbia explicanda.* 6. 45. & 64. 19.

20. *Ex nominibus propriis compoſitis interdum prior pars compoſitionis omittitur.* 7. 5. & 15. 2.

21. *Hebræi genus fœmineum ſæpe, & interdum maſculinum neutraliter vſurpant.* 7. 47.

22. *In tranſlationibus genus originalis linguæ aliquando ſeruatur.* 7. 47.

23. *Aliquid factum dicitur, cùm cœptum eſt fieri.* 8. 9. & 25 34.

24. *Parentes ſæpe commune nomen habent, & eorum filij viciſſim inter ſe.* 8 8.

25. *In tempore aliquo, aut loco, fieri dicuntur, quæ proximè fiunt.* 10. 26. & 49. 4.

26. *A numero perfecto nomen ſumit, quod ab illo non longè abeſt.* 10. 27.

27. *Cùm è magno numero pauci relinquuntur, nullus dicitur eſſe reliquus. & cùm ex eo plurimi faciunt omnes dicuntur feciſſe.* 10. 28.

28. Omnis terra *pro ea prouincia ponitur de qua ſermo eſt.* 10. 33.

29. *Nominatiuus abſolutè ponitur.* 11. 16. & 33. 49. & 21. 37. & 40. 17.

30. *Actio pro loco vbi illa exercetur.* 11. 10.

31. *Depulſus aliquis ab ea poſſeſſione dicitur, in qua numquam fuit, ſi iure ac conſuetudine in ea eſſe potuit aut debuit.* 14. 32.

32. *Id facere dicimur, aut dicere quod vt alij faciant, aut dicant, auctores ſumus.* 19 16. & 49. 24.

33. *Quod in aliquo genere excellit ſeorſum ponitur, etiamſi comprehenſum videatur in communi nomine.* 19 25. & 27. 1.

34. *Ab aliqua forma nomen ſumit quæ parum ab ea diſtat.* 20. 7.

35. *Relatiuum aliquando refertur non ad id, quod expreſſum eſt, ſed ad id quod quis tacitè ſecum cogitat.* 21. 6. & 35 6.

36. Iod *apud Hebræos paragogicum, ſicut* i, *apud Latinos, &* ι, *apud Græcos.* 21. 8.

37. *Aliquis de ſe tamquam de tertia perſona loquitur.* 21. 47.

38. *Tranſitus à prima perſona ad tertiam.* 22. 39.

39 *In ſcriptura ſæpe confunduntur metaphoræ.* 22. 45.

40. Non vltrà, non ampliùs, *aliquando ſignificant id, quod minùs frequenter quàm antea fit.* 2 9.

40. Non vltrà, non ampliùs, æternum, *& ſimilia, longũ tempus aliquando ſignificat* 21. 29 & 6 . 29.

41. *Quod turpe eſt, honeſte per conſequentiam declaratur.* 23 49.

42. *Voces, quæ ſanctitatem, aut munditiam ſignificant, interdum in contrariam ſignificationem adhibentur.* 23. 48.

43. *Res vna diuerſorum idiomatum nominibus claritatis gratia explicari ſolet.* 25. 5.

44. *Si vox quæ ad laudem adhibetur aliquid connotat indecorum, id ſcriptura ſacra remouere ſolet.* 25. 24.

45. Facies

45. Facies alicuius pro eo, cuius eſt facies, ponitur ab Hebræis, & in rebus inanimatis. 25.25.
46. Vox geminata multitudinem, aut vniuerſitatem ſignificat. 25.26.
47. In teſtamento nouo aliquando ex textu Hebraico, & non ex LXX. verſione citantur teſtimonia. 25.30. & 41.11.
48. Pronomen affixum tertiæ perſonæ aliquando reciprocum eſt, aliquando ſecus. 25.41. & 59.60.
49. Vnus, & vnus, id eſt, ſinguli, aut, quilibet. 27.37.
50. Multa nomina honeſta turpiter, & multa turpia honeſtè ſonant ratione ſubiecti. 28.30.
51. Actio, quæ ſignum eſt alicuius affectus, pro affectu ponitur. 28.36.
52. Epitaſis eſt in duabus vocibus ſynonymis. 29.12.
53. Heri, & cras, pro quocumque tempore præterito, ſeu futuro, quantumcumque diſtent. 30.28.
54. Ad, & in aliquando ponuntur pro de. 32.16.
55. Dierum nomen annis additum nihil interdum additur. 32.23.
56. Res nomen ſeruant, quod paulò antè amiſerunt. 37.13. & 75.54.
57. Epitaſis, eſt in iterata ſententia cum negatione contrary. 38.4.
58. Vulgatus interdum idioma ſeruat Hebraicum. 38.59.
59. Actio nonnumquam ſumitur pro facultate, aut conſuetudine agendi. 38.59.
60. Prophetæ cùm de teſtamento nouo agunt, vmbram ſumunt de veteri. 40.2.
61. Vox clamantis, & ſimilia, Hebræorum more abſolutè poſita. 40.17.
62. Vox futuri temporis aliquando rem præteritam aut præſentem ſignificat, ſi vox præteriti aut præſentis temporis anteceſſit. 41.6.
63. Nomina parentum patronymicè ſumuntur pro filiis, aut poſteris. 42.24.
64. Sæpe ab vmbra ad veritatem ſermo traducitur. 2.64. & 45.21.
65. Ex hominum conſuetudine, & ad humanum ſenſum accommodatè multa Deo tribuuntur, quæ illi non conueniunt. 44.27.
66. Abſtracta pro concretis. 48.37.
67. Concreta pro abſtractis. 51.26. 2.43.
68. Quæ de Chriſto dicuntur, interdum de ipſo ſolo, interdum de eius membris, interdum de vtriſque dicuntur. 49.38.
69. Si quis locus ab auctore canonico explicatus eſt, illius explicationi reliqua ſunt attemperanda. 49.43.
70. Tunc aliquid fieri dicitur, cùm factum eſſe cognoſcitur, aut demonſtratur. 49.46.
71. Aliquid factum dicitur ab eo, à quo inſtauratum, aut amplificatum eſt. 47.3.
72. Quando duæ litteræ eiuſdem, aut ſimilis figuræ concurrunt, altera nonnumquam excidit. 53.45.
73. Futurum, habitum, ſeu facultatem ſignificat. 57.55.
74. Cùm duæ voces ſæpe coniunguntur, altera interdum omittitur. 57.57.
75. In maſculino genere fœmineum continetur. 59.47.
76. Sibi, & tibi paragogici. 59.61.
77. Teſtimonium vnum ex multis conflatum. 59.90.
78. Verba quædam pro interiectionibus ſumpta. 60.5.
79. Tale aliquid vocatur, quale plerumque contingere, aut exiſtimari ſolet. 60.52.
80. Interpretes ſacri aliquid interdum addunt claritatis gratia 61.24.
81. Aliquid tunc fieri, aut impleri dicitur, quando opus incrementum capit, aut continuatur, aut aliquo modo perficitur. 40.6.
82. Ille facere dicitur, qui fieri permiſit. 63.61.
83. Si, conditionalis aliquando ſuppletur. 64.10. & 48.35.
84. Quia, ſæpe redundat, & aliquando eſt aduerſatiua. 66.30.
85. Vt non ſemper cauſam indicat finalem. 66.33.
86. Ex re commemorata Teſtamenti veteris, ad eius contrarium ex Teſtamento nouo gradus fit. 66.29.
87. Scriptura ſæpe hominum opinioni ſermonem accommodat. 13.11.
88. Vna vox Hebraica duabus interdum Latinis exprimitur. 37.31.
89. Figura rei figuratæ nomen aſſumit. 45.3.
90. Comparatio peculiaris Hebræorum. 62.20.
91. Et, particula expoſitiua, pro id eſt. 57.63.
92. Et, idem quod præcipuè, aut potiùs. 62.21. & 7.27. & 19.15.
93. Vocor, idem, quod ſum, ſicut etiam nomen idem quod res. 62.13.
94. Negatio ſecundo loco repetenda. 63.45. & 53.10.
95. Nomen eius qui ſuperior eſt, ſuper alium inuocatur. 63.64.

IN

IN COMMENTARIOS ISAIÆ PROOEMIVM.

DE EIVS PROPHETIA.

1. *Iſaias propheta magnus.* MAGNVS Propheta vocatur Iſaias, *Eccleſ.* 48.
quod ille nomen magno ſuo merito conſequutus eſt. Magnus ſanè vbique eſt Iſaias, propheta magnus, magnus
Euangeliſta. Magnus quidem propheta, ſiue materiam intueare, ſiue genus orationis,
ſiue rerum, quas vaticinatur, veritatem,
multitudinem, maieſtatem, & ordinem.
Nihil enim fere eſt, quod ad Hebræorum, externarúmque gentium ſtatum pertineat,
quod à Prophetis aliis prædictum ſit, quod
non multo luculentiùs, & grauiùs in Iſaia
deprehendas. De tempore autem Euangelij, quæ ab aliis modicè, atque obſcurè, ſic ab
hoc propheta copioſè, atque dilucidè tractata ſunt, vt in Euangelium, & Chriſtum
accepiſſe, & contuliſſe totum ſpiritum propheticum videri poſſit. De quo tam ſæpe,
tam grauiter, tam apertè loquitur, vt qui
Iſaiam legerit, verſari ſe putet in Euangelio,
quod deinde poſt completam prophetiam
Euangeliſtæ prodiderunt. Hieronymus ſanè ita de Iſaia ſentit, Euangelicam hiſtoriam texuiſſe potiùs, quàm præmiſiſſe de
2. *Iſaias cur Euangeliſta, & Apoſtolus.* Euangelica hiſtoria vaticinium. Quare illum *Euangeliſtam*, & *Apoſtolum* vocat *in proœmio commentariorum in Iſaiam, ad Euſtochium, & in prologo in ſuam tranſlationem eiuſdem Prophetæ ad Paulam, & Euſtochium*; quod etiam
ſæpe facit Auguſtinus. *Euangeliſtam* quidem,
quia res à Chriſto geſtas non tam prædixiſſe futuras, quàm ſcripſiſſe iam reipſa completas videri poteſt; *Apoſtolum* verò, quia
hæc non ſolùm prædixit, ſed nudus, expoſitúſque omnium ſibilis, atque ludibrio, atque adeò propoſito capitis periculo miſſus
eſt à Domino, vt ad populũ neque facilem,
neque obſequentem diuina, eáque interdum aſpera cogitata nunciaret. Quòd ſi
viris olim ad magna, atque excelſa conſilia
vocatis nomina imponebantur afflatu, vt
credibile eſt, cœleſti, atque diuino, myſteriis,
ad quæ deſtinabantur accommodata, ſanè
tanto prophetæ diuino conſilio, non magis
ad propheticum, quàm ad Euangelicum
munus aſſumpto, id eſt, ad agendum de
Seruatore Chriſto, nomen ad tanti operis
dignitatem accommodatum diuinitus eſſe
oportuit. Dicitur quippe Hebraicè ישעיהו *Ieſahhaihu*, quod *Dei ſalutẽ* ſonat, ſeu *Seruatorem* 3. *Dixit de Christo multa & apertè.*
Deum: quaſi totus Iſaias id expectet vnum,
aut maximè, vt Chriſtum Seruatorem mundi aut annuntiet verbis, aut moribus exprimat. Quod ille ita præſtitit accuratè, vt in
deſcribendo noſtræ redemptionis conſilio,
depingendo noſtræ ſalutis auctore, atque
Pontifice Ieſu, nullus neque longiorem, neque illuſtriorem vnquam propheticam operam nauauerit. Adeò vt in Euangelio, totóque Teſtamento nouo ſæpius audiatur
Iſaias, quàm omnino ſimul prophetæ reliqui. Quare ipſius teſtimoniis ſic eſt diſtinctum, & quaſi irradiatũ Euangelium, vt qui
Euangelium interpretari voluerit, idem
Iſaiam: Et qui Iſaiam exponere tentauerit,
idẽ quoq; eamdem operam Euãgelio nauare exiſtimari debeat. Quare verſari mihi videor in Euangelio, cuius expreſſam formam
in Iſaia, imò viuam atque ſpirantem imaginem intueor. Hîc Chriſtum conceptum &
natum, hîc quæſitum, & inuentum à Magis,
infantium cædem, fugam in Ægyptum, Paſſionis acerbitatem, Reſurrectionis gloriam,
Secundum etiam aduentum, vt *in Synopſi*
notauit Athanaſius, hîc ea omnia, quæ ab
Iſaia prædicta, & ab Euangeliſtis in Euangelia tranſlata memorat Auguſtinus *lib.* 18 *de Ciuitate, cap.* 29. eáque quaſi ſummoto propheticæ obſcuritatis velo conſpicio: vt ſi
qua prophetia dignè, hæc omnium optimè
viſio ſuo iure vocari poſſit. Quare antiqui

A Patres ſic olim Iudæos anguſtè premebant ex Iſaia. *Audi prædicta, vide completa.* Deinde per ſingula Iſaiæ teſtimonia diſcurrebant. Iudæi verò cùm ex illis anguſtiis, in quas erant ab hoc nobiliſſimo propheta coniecti, enatare non poſſent, faciebant id, quod non minùs impiè, ac ieiunè nunc faciunt hæretici: negabant enim id eſſe in Hebraico textu. Quid enim agerent, aut quò ſe verterent aliò manifeſtis tanti prophetæ teſtimoniis ingulati? B

Nihilominus quidam hunc Amos prophetam eſſe dicunt, nō quidem illum Thecuanum, qui inter duodecim tertius eſt; ſed regium virum. Quia ſcilicet putant, cùm pater alicuius prophetæ nominatur, illum quoque propheticum habuiſſe ſpiritum, quod ſenſiſſe videtur Hieronymus *in cap.* 37. *Iſaiæ*, & alij plures, qui à nobis adducti ſunt *in proœmio Zachariæ*, vbi quæſtionem iſtam tractauimus, oſtendimúſque latè falſam eſſe Regulam illam.

De Iſaiæ genere.

4. Iſaiæ genus. DE propheta ipſo nunc pauca, & primùm de genere. Sunt qui putent fuiſſe Amos prophetæ, qui numerarut in duodecim, filium: idque putant ex huius prophetiæ titulo apertè colligi, qui diſertis verbis habet: *Verba Iſaiæ filij Amos.* & clariùs 4. *Reg.* 20. *c. & infrà cap.* 38 vbi filius eſſe dicitur Amos prophetæ. & ita putat ibi Hieronymus, & Auguſtinus dubitat *lib.* 18. *de Ciuitate cap.* 27. licèt magis inclinet in oppoſitum. C Sentit apertè Epiphanius *lib. de ortu, & interitu prophetarum in vita Amos.* & Clemens Alex. *lib.* 1 *ſtromatum*, non longè à medio. Et Cedrenus, *in compendio hiſtor.* Sed communis eſt omnium ferme autorum ſententia, alio fuiſſe parente natum Iſaiam; Quis Amos pater Iſaiæ. ídque ſatis probat Hieronymus *hic*: quia Amos propheta עמוס *hhamos* dicitur, omnibus ferme diſcrepantibus notis; pater verò Iſaiæ אמוץ *Amots*, qui tam longè erat, vt in agro Thecuenſi armenta paſceret, & ruſticorum cibos ſycomoros vellicaret, vt potiùs D è regio ſanguine fuiſſe exiſtimetur, & Amaſiæ Regis frater, vt ex ſententia Hebræorum docet Hieronymus, & Iſaias noſter; vt ex Hebræis item Hieronymus docet *in cap* 20. *Iſaiæ*; Socer eſſe creditur Regis Manaſſæ: quod etiam ſenſit Iſidorus *lib. de vita & morte Sanct. c.* 28. Et quidem de genere regio fuiſſe Iſaiam, ſatis oſtendit dicendi ſtylus; in quo apparet is nitor, & vrbanitas, vt facilè quiuis intelligat aulicis inſtitutis excultum, Regiis moribus educatum eſſe. Neque huic ſententiæ quicquam officit, quod *ex* 4. *Reg. c.* 20. *& Iſai.* 38. in aduerſum E adducitur. Nam illud *propheta* non ad parentem Amos, ſed ad filium Iſaiam potiùs referendum eſt. Neque verò iam dubitare licet, cùm in editione Sixtiana apertè conſtet conuenire potiùs cum Iſaia, quàm cum Amos. Legit enim, nō vt olim aliqui codices, *venit ad eum Iſaias filius Amos propheta*; ſed *filius Amos propheta.* vt etiam legerunt LXX. quod ſine dubio ad Iſaiam refertur.

De Iſaiæ morte.

DE Iſaiæ morte varia traduntur, ſed de illa in Scriptura nihil certum. Dicam tamen hoc loco quid patres ex Hebræorum traditione nobis reliquerint. In primis omnes ferme fatentur illum eſſe occidi à Manaſſe Rege: ita Iſidorus *de morte, & vita Sanctorum*; Epiphanius *de vita & obitu prophetarum*, Dorotheus *in ſynopſi*, Hiſtoria ſcholaſtica, Auguſt. *de ciuit lib.* 18. *cap.* 24. & Hieronymus ſæpe. Coniectura ſumitur ex impietate, & crudelitate Manaſſe, de quo 4. *Reg. cap.* 24. dicitur, *Inſuper & ſanguinem innoxium fudit Manaſſes multum nimis, donec impleret ieruſalem vſque ad os.* Qui dicendi modus ſignificat aliquid non ſolùm impleri, ſed redundare, atque effluere, ſumpta metaphora à vaſis, quæ cùm exundant ad os vſque dicuntur impleri. Neque cauſa defuit cur Rex crudelis & impius ad mortem vſque in prophetam ſæuierit. Hi enim quibus ad morum intemperiem, atque licentiam accedit quoque poteſtas ſumma, moleſtè ferunt quemquam aut ſuis conſiliis obloqui, aut conatibus obſiſtere. Quare ſicut priùs Aſſa 2. *Paralip. cap.* 16. Hanani prophetam à quo ſtultitiæ arguebatur, in neruum, id eſt, in durum carcerem coniecit; & Amaſias prophetæ alteri, à quo liberè reprehendebatur, mortem minatus eſt, *ibid. cap* 25. & Ioas ob eādem cauſam Zachariam filium Ioiadæ occidit in templo, *ibid. cap.* 24. quid mirum ſi hoc idem de rege omnium audaciſſimo, atque in omne flagitium proiecto ſentiamus. Cui credo Iſaias exprobrauit & ſæpe, & liberè peccata, quæ tunc erant in omnium oculis defixa. Quod faceret omnino, & quia prophetico ſpiritui debere ſe putabat, & quia ſocer cùm eſſet, iuxta multorum ſententiam, id ſuo ſibi iure licere arbitrabatur. Hæc cauſa exiſtimatur communiter. Sed dicunt Hebræi aliam cauſam ſuæ impietati prætextā à Manaſſe. Nam quemadmodum à Iezabel 3. *Reg.* 21. blaſphemiæ nomen obiectum fuit Naboth, ne videretur 5. Iſaiæ mors.

erepta

erepta vita, aut vinea ſublata à viro innocente, ſic etiam idem blaſphemiæ crimen datum eſt Iſaiæ, ne vir tantus, tã nobilis, tam iuſtus, ſine vllo ſuo merito extinctus in inuidiam, & odium traheret ſceleratum Regem. Hæc ergo cauſa grauis viſa eſt, quia c. 6. dixit viſum à ſe Dominum ſedentem in ſolio, contrà quàm à Deo dictum eſt *Exod.* 33. *Non videbit me homo, & viuet.* Aliæ plurimæ cauſæ obtentæ ſunt Iſaiæ neci ab impio Manaſſe, vt tradunt Hebræi. Quorum verba hîc aſcribere libet, ſumpta ex Petro Galatino, *lib.* 4. *cap.* 23. qui hæc citat *ex libro* יבמות *iebamoth, in cap.* ההולץ *haholets. Manaſſes Iſaiam iudicans iudicauit. Sic autem occidit eum: dixit enim ei. Moſes magiſter tuus ait de Deo Exod.* 33. *cap. Non videbit me homo, & viuet: tu autem dixiſti cap.* 6. *Vidi Dominum. Item Moſes magiſter tuus dixit Deut. cap.* 4. *Quænam eſt gens magna, quæ habet Deos appropinquantes ſibi, ſicut Dominus Deus noſter omnibus inuocantibus? Tu verò dixiſti cap.* 55. *Quærite Dominum dum inueniri poteſt; inuocate eum dum prope eſt. Præterea Moſes magiſter tuus dixit Exod. cap.* 23. *in perſona Dei. Numerum dierum tuorum complebo; tu autem dixiſti* 4. *Reg. cap.* 20. *Et addam ſuper dies tuos quindecim annos. Dixit ergo Iſaias, ſcio ipſum talem eſſe quòd non audiet; ſi quid ei dixero. Quare inuocauit nomen Domini, & à quadam cedro deglutitus eſt. Adduxerunt igitur cedrum, & ſimul cum ea ſecuerunt ipſum. Cùmque ſerra ad os eius perueniſſet, emiſit animam; eò quòd dixerat cap.* 6. *In medio populi polluti ego habito.* Hæc Hebræi ibi. Quorum mihi leuis ſemper eſt, & ſuſpecta fides. Alij verò putant occiſum à Iudæis, quia illos, principes Sodomorum, & Gomorrhæorum vocarit. Quod ne mihi perſuadeam facit, quòd illa verba dixit Iſaias in principio ſuæ prophetiæ, ſub Ozia, à quo ad tempora Manaſſæ interceſſêre anni pluſquam 90. Etſi ergo blaſphemiæ nomine apud malè animatum populum laborabat Iſaias, non eſſet tandiu dilata blaſphemiæ pœna: nam & viſio obiecta fuit ſexageſimo quinto anno ante initium regnum à Manaſſe, & Iudæi multo antè principes Sodomorum vocati ſunt.

5. Occiſum quidem fuiſſe à Manaſſe prophetam magnum non tam probat ratio, aut aliqua grauis coniectura, quàm magnorum virorum autoritas; quæ hoc loco apud me coniecturæ, atque rationis inſtar habet. At Abul. negat *in* 4. *Reg. cap.* 21. *q.* 17. Nam primùm Iſaias non videtur ad regnum vſque Manaſſæ vitam produxiſſe: vt enim ſtatim ex titulo apparet prophetiæ, tempora Ezechiæ Regis non exceſſit. *Viſio*, inquit, *Iſaiæ filij Amos, quam vidit ſuper Iudam, & Ieruſalem in diebus Oziæ, Ioatham, Achaz, & Ezechiæ, Regum Iuda.* Sed non videtur veriſimile illum, qui in tot Regum temporibus prophetarat, ſub Manaſſe, quando maior erat Dei obliuio, maior religionis contemptus, & morum corruptela turpior, prophetare deſiiſſe: quando nimirum prophetici ſpiritus ardor, reipublicæ ad mortem vſque laboranti adhibere debuit medicinam. Quare in titulo, atque aditu prophetiæ diceretur vidiſſe Iſaiam viſionem, etiam in diebus Manaſſæ.

Accedit quòd ad hanc ætatem non videtur Iſaiæ vitam potuiſſe produci: nam ſub quatuor Regibus prophetaſſe traditur, quorum primus Ozias, qui & Azarias, regnauit annis 52. 4. *Reg.* 15. horum anno 17. prophetaſſe dicuntur Iſaias, Amos, Ionas, & Oſeas ab Euſebio: quare ex regno Oziæ ſume annos 36. Poſt hunc regnarunt Ioatham, & Achaz vterque ſedecim annis; his adiice 29. annos regni Ezechiæ, colliges annos 96. At antequam prophetare inciperet, ætate fuiſſe iuuenili veriſimile eſt. Quapropter, vt nihil ætatis ſumpſerit à regno Manaſſæ, oportet illum fuiſſe longè ſupra centenarium, quæ ætas illo ſæculo perquam rara fuit.

Verumtamen dicendum cenſeo occiſum fuiſſe Iſaiam à Manaſſe; quæ communis eſt Patrum ſententia, ad quam accedit, quod magni apud omnes eſſe debet momenti, autoritas martyrologij Romani, in quo pridie nonarum Iulij ſcribitur: *In Iudæa ſancti Iſaiæ prophetæ, qui ſub Manaſſe rege ſectus in duas partes occubuit.* Sed neque deeſt quid reſpondeamus ad obiecta. Primùm, ad reprehendendum Manaſſem, aut illius temporis corruptos mores neceſſarium non eſſe, vt ardore prophetico, aut futurorum prædictione vteretur Iſaias; cùm id ſeuerè admodum, & acerbè præſtare potuerit, & zelo Dei, & ſuorum amore, & melioris ſtatus ſtudio inflammatus. Neque video eo tempore quo regnauit Manaſſes, nempe 55. annis, 4. *Reg. cap.* 21. vllum fuiſſe prophetam, qui ſcriptis ſua vaticinia prodiderit: cùm tamen conſtet fuiſſe tunc prophetas, qui nomine Domini grauia denunciarẽt Regi, populóq; Iudaico. Quare reſponderi poſſet: aut vixiſſe quidem Iſaiam regnante Manaſſe, & prophetas alios, ſiue qui ſub Ezechia parente, ſiue qui ſecundo poſt mortem Manaſſe anno regnante Ioſia prophetarunt; non tamen prophetaſſe; ſed vt illi nihil à Domino prædixerunt Manaſſæ, ſic etiam Iſaiam nihil eidem prædixiſſe; ſed locutum eſſe à ſe potius quàm à Deo, id eſt, nón accepto recenter, quod Dei nomine impio Regi ad ſuam, populique ſalutem obiiceret. 6.

Occiſus à Manaſſe.

Aut certè, quod verius puto, prophetaſſe 7.

etiam ſub Manaſſe: ſed quia homo inſolens, & ſui animi motibus nimiùm indulgens, vtpote 12. annorum (ea enim ætate regnare cœpit, quæ minùs ſeuerè cohibet iuueniles impetus) non facilè ferebat aliquid ſibi duriùs exprobrari: in ipſo regni exordio, moleſtum interpellatorem, aut obtrectatorem tollendum curauit. Quare antequam viſiones, aut prophetiam contra Manaſſem ſcriptis mandaret, extinctus eſt. Idcirco etiamſi ſub Manaſſe prophetaret Iſaias, non tamen in titulo propoſuit Manaſſæ nomen, quia ab odio nimiùm feſtinato ſcelerati Regis, vt id ſcriberet, ſatis otij conſecutus non eſt. Et hoc poſterius eſt mihi probabilius, quia, vt liquet 4. *Reg. cap.* 21. per ſuos prophetas Dominus ea denunciauit Regi impio, ac barbaro, quæ illum grauiter commouere poterãt: talia videlicet, qualia non multò antea pertulit Samaria. Neque eſt dubitandum inter illos prophetas principem fuiſſe Iſaiam, cuius præ cæteris maior erat autoritas, & in dicendo libertas maior. Porrò cùm ſtatim dicatur: *Inſuper & ſanguinem innoxium fudit Manaſſes multum nimis.* non eſt credibile abſtinuiſſe ab eorum cæde, à quibus tam acriter eſſet reprehenſus.

Neque quod de ætate Iſaiæ ſupra centum annorum admodum vrget, tum quia eo ſæculo mirandum non eſt homines vixiſſe centenarios, cùm noſtra etiam ætate aliqui ſupra eam ætatem vitam exegerint. Tum quia ex Scriptura haberi non poteſt anno 17. regni Oziæ Iſaiam cœpiſſe prophetare. Neque fortaſſe id docere voluit Euſebius cùm in illum annum coniecit prophetas illos: ſed tantùm ſignificauit in Oziæ regno prophetas illos floruiſſe. Sanè ex communi omnium ſententia Oſeas ante Iſaiam orſus eſt vaticinium, quod ipſe videtur ſtatim indicare in prophetiæ exordio, cùm dicit: *Principium loquendi Domino in Oſee.*

De genere mortis.

8. Genus mortis.

COMMVNITER omnes ex Hebræorum traditione docent Iſaiam ſerra fuiſſe diſſectum. Sic *multis locis.* Hieronymus, Dorotheus *in Synopſi*, Iſidorus, & Epiphanius *ſuprà*, Tertullianus *lib. de Patient.* Chryſoſtomus *epiſt. ad Cyriac.* Iuſtinus *contra Tryphon.* circa quam multa ſuo more fabulantur Hebræorum magiſtri. Tradunt enim cùm à Manaſſe odio, atque ſæuitia fugeret propheta, aperuiſſe ſe prægrandem cedrum, in ſuúmque ſinum excepiſſe fugientem: perſtitiſſe tamen Regem obſtinato conſilio, & cum cedro ſimul latentem prophetam ſecuiſſe. Addit Hiſtoria ſcholaſtica ſerram fuiſſe ligneam: item Iuſtinus *ſuprà*, quare indicat non fuiſſe diſſectum in ſtipite concluſum: quomodo enim lignea ſerra lignum ſecaret, ſed extractum & ad illud carnificinæ genus diſtentum.

Hiſtoria ſcholaſtica, & Epiphanius admiranda planè narrant de Iſaiæ morte; dicunt enim illum dum ſecaretur, petiiſſe à carnifice pauxillum aquę, quod cùm negaret carnifex, in os eius cæleſtem aquã diuinitus influxiſſe: dictámque putant aquam illam Siloë, quia miſſa eſt. Quod ſi ita eſt, ipſo quoque mortis genere Iſaias Seruatorem expreſſit: cui in cruce diſtento ac morienti, aqua item negata eſt. Vide alia plura apud Epiphanium *ſuprà*, & apud S. Zenonem Veronenſem, qui latè de Iſaiæ nece.

Cùm in hunc locum inciderem, viderémque inter Hebræos inuſitatum eſſe hoc tormenti genus, addubitare cœpi an hæc propriè eſſent accipienda, & non potiùs figuratè. Accedebat quòd alias etiam gentes non ita mites, neque adeò ad humanitatem excultas ab hac immanitate abhorruiſſe comperiebam. Nam, vt docet Gellius *lib.* 20. *cap.* 1. cùm hoc ſupplicium lege 12. tabularum irrogatum eſſet iis, qui cùm multis deberent, neque tamen eſſent omnibus ſoluendo, vt cùm adiudicatus eſſet creditoribus, diuiſus inter plures diſtraheretur, ſicut nunc inter plures debitorum pecunia diſtribuitur, nunquam tamen eius legis acerbitas executioni mandata eſt. Sic enim ibi Sextus Cæcilius apud Gellium *ſuprà. Diſſectum eſſe antiquitus neminem legi, neque audiui.* Primus qui inter Romanos ſerra diuiſit hominem, fuit Caligula, naturæ quoddam immane monſtrum; quæ res non ſtupori ſolùm, ſed etiam pudori fuit Romanis. de quo Suetonius *in Caligula cap.* 27. Quod etiam inter gentes immanitate barbaras aliquando contigiſſe tradit Valerius Maximus *lib.* 9. *cap.* 2. Qui hæc de Numuliſintide Regina Thraciæ ſcribit: cui neque viuos homines medios ſecare, neque parentes liberorum veſci corporibus nefas fuit. Cùm hæc itaque tam aliena à pietate conſuetudinéque Hebręorum animaduerterem, exiſtimabam hac dicendi forma ſignificari, non quidem in duas partes eſſe diuiſum Iſaiam à Manaſſe, ſed ab eo graue aliquod tormenti genus ſubiiſſe. In quam cogitationem adducebar, tum quia nunquam memineram eius ſupplicij vidiſſe me aliquod in Scriptura veſtigium, & cùm in lege pro ſcelerum natura varia pœnarum genera ſtatuantur, de ſerra tamen, & ſectione

9. Secari, aut diuidi prouerbialiter, pro atroci ſupplicio.

A ctione mirum ſilentium. Neque credo Manaſſem, qui ſuæ crudelitati honeſtam aliquam ſpeciem prætexere voluit, ne populi offenſionem incurreret, commiſſurum, vt violato ordine à lege præſcripto de ſontium pœna, legis ipſe contemptor videretur, quod crimen callidè intenderat Iſaiæ. Accedebat, quòd in Scriptura aliqui ſecandi, ac diuidendi eſſe dicuntur, qui tamen abſque dubio diuiſi non ſunt. Senes, qui *Dan.*
Dan. 13. B *cap* 13. priùs pudori, deinde honori Suſannæ inſidiati ſunt, oppreſſi fuere lapidibus: quia vt conſtat *Deut.* 19. illud debuerunt ſubire ſupplicium, vt pote falſi teſtimonij rei, quod impoſito crimini foret à lege conſtitutum: adulterio autem, cuius arguebatur à ſenibus Suſanna indicta erat à lege lapidatio, vt liquet *Ezech. c.* 16. & *Ioann. c.* 8. Hi ergo ſenes cùm lapidandi eſſent, tamen à Daniele *ſuprà* dicuntur eſſe diuidendi, ac ſecandi ſerra. Alteri enim dixit: *Ecce Angelus Dei accepta ſententia ab eo ſcindet te medium.* & alteri, *Manet Angelus Domini gladium habens, vt ſecet te medium* Neque alio ſenſu accipio illud *Mat.*
Mat. 24. C 24. de ſeruo malo, qui ratus dominum ſerò eſſe venturum, voluptati, ac furori ſuo intemperanter indulgebat, de quò Chriſtus: *Veniet dominus ſerui illius in die qua non ſperat, & hora quam ignorat, & diuidet eum, partémque eius ponet cum hypocritis, ibi erit fletus, & ſtridor dentium.* Quòd verò eo loco *diuidere* ſignificet propriè *medium aliquem ſecare*, probat ſatis verbum *διχοτομέω*, cuius ea ſola, aut ſaltem ea præcipua ſignificatio eſt. Quòd autem ſit figurata illa, aut prouerbialis diuiſio, ſtatim oſtenditur, dum fletus, ſtridórque dentium ſubiicitur, quæ gehennalis
D ſupplicij deſcriptio eſt.

10. Serra diſſectus Iſaias. His ego rationibus adducebar vt crederem in Iſaiæ nece ſerræ acerbitatem non interceſſiſſe: neque mihi ipſi videbar longè aberraſſe ab optima coniectura, ſed omnino dicendum exiſtimo ſerra diſſectum prophetam magnum, vt magno ſuo merito vocatur, *Eccleſ. cap.* 48. & egregium ſpiritum vltrò, atque intrepidè, & pietati, & ſibi muneri impendiſſe. Quod eò mihi omnino placet, quia in eam ſententiam con-
E ſpiraſſe video non ſolùm Hebræorum magiſtros, ſed antiquorum Patrum quotquot Iſaiæ mortis meminerunt, Hieronymus, Epiphanius, Iſidorus, Dorotheus, S. Zenon Veronenſis 2. *tom. Bibliotheca.* Origenes *hom.* 1. *in Iſaiam.* Tertullian. *lib. de patientia cap.* 14. *& in Scorpiaco cap.* 8. Cedrenus *in compendio.* & habet apertè Martyrologium Romanum pridie nonas Iulij, cuius autoritas viro catholico multorum autorum, & grauiſſimæ rationis inſtar eſſe debet. Neque deeſt illius

A ſupplicij aliquod in Scriptura veſtigium. Nam, vt eſt communis Patrum ſententia, vbi Paulus *ad Heb. cap.* 11. ſcribit, *Lapidati* Ad Hebr. 11.
ſunt, ſecti ſunt, &c. hoc poſterius de Iſaia accipiunt. Et facit ad hanc ſententiam valde, quod eo loco Paulus adhibuit verbum *πρίζω*, quod licèt alios vſus interdum habeat, propriè tamen *ſectionem illam* ſignificat, *quæ ſerra fit.* Quo loco licet admirari prophetæ conſtantiam, atque animum ad
B quidlibet audendum, & ſubeundum paratum; nam cùm videret imminere ſibi ab impio Rege, & ab his qui Regiæ inſaniæ lenocinabantur, ſerræ cruciatum, audet tamen liberè, quod ſentiret, & quid ſibi eſſet oſtenſum à Domino, confidenter loqui. Id enim, vt putat Origenes, Paulus voluit, cùm *ad Romanos* 10. ſic ſcribit de Iſaia. *Iſaias au-* Ad Rom. 10.
tem audet, & dicit; Inuentus ſum à non quærentibus me, palam apparui his, qui me non interrogabant. ſuper quem locum ſic Origenes. *Quòd dicit Apoſtolus de Iſaia, quia audet, & dicit, hoc indicat quòd mortem contemnens, & perſecutio-*
C *nes quæ inferebantur, quamuis ſciret ſibi imminere periculum; audet tamen, & prædicat verbum Dei. Sicut & ipſe Paulus dicebat, ſcio quia vincula & carceres manent me Hieroſolymis, ſed ego non facio animam meam chariorem mihi. Sic ergo Iſaias ſciebat quidem ſecandum ſe eſſe, & interficiendum ſe eſſe, audet tamen, & dicit, inuentus ſum, &c.* vbi docet auferendum eſſe regnum à Iudæis, & transferendum ad gentes. Ad extremum tradit Cedrenus *in compendio hiſtoriæ*, anno 35. imperij Theodoſij minoris, Iſaiæ reliquias Paneade tranſlatas in tem-
D plo S. Laurentij fuiſſe repoſitas.

De tempore quo vixit Iſaias.

DE tempore quo floruit Iſaias, partim dictum eſt in principio, dum Reges illi commemorantur, quorum temporibus propheraſſe dicitur. Sed in quod prophanum, vt ita loquar, ſæculum incurrerit, id 11. Quo tempore vixit Iſaias.
etiam multarum rerum cauſa, quæ deinde à nobis neceſſariò tradendæ ſunt, expeditum oporter. Et quidem Iſaias, ſiue dome-
E ſticam Iſraelis, ſiue externam aliarum gentium rempublicam intueare, tempora nactus eſt maximè rerum euentibus illuſtria. Nam ſi Romana tempora conſideres, eo ſæculo gentium victrix & dominans Roma condi, & amplificari cœpta eſt, vt tradit Euſebius *in Chronic.* & Auguſt. *lib.* 18. *de ciuitate cap.* 27. Qui putat quatuor Regum tempora, ſub quibus prophetaſſe traditur Iſaias, incidere in illud ſpatium, quod interceſſit inter Regem Latinorum Procam, ſiue

etiam ſuperiorẽ Auentinum, & Romulum. A Quod verò ad Græcos attinet, eo tempore cœperunt Olympiades, vnde temporum ordo per tempora quamplurima ductus eſt. Ita cum Euſebio ſentit Clemens Alexandr. *lib.* 1. *ſtrom.* Hiſtoria ſcholaſtica, Genebrardus, Iulius Africanus, & quotquot de temporum ratione diſputarunt. Ex quo tempore Græcorum hiſtoria fidem habere cœpit, vt docet Clem. *lib.* 1. *ſtrom.* ex Seſibio: quia notatum habuit certum ſpatium, ad quod B rerum geſtarum tempora referret. Et ſanè Varro, vt tradit Cenſorinus *de Die Natali c.* 21. cùm à Cataclyſmo ad primam Olympiadam ſæculum appellaſſet *Mythicum*, id eſt, fabuloſum; à prima tamen Olympiade, id eſt à tempore Iſaiæ, *Hiſtoricum* vocat: & quia tunc res geſtæ proditæ fuere monumentis; & quia ſuis poſtea notata temporibus maiori quàm antea fide ſcribebantur.

Hiſtoria Græcorum ex quo tempore fidem habuit.

12. De his quæ ad Iſraëliticam gentem, ſtatúmque communem illius reipublicæ pertinent, ſi quod tempus varium, illuſtre prodigiis, notatum cladibus & communi penè C totius Hebrææ gentis vaſtatione inſigne, hoc certè fuit. Nam ſi attentiùs Regum Iuda ſub quibus floruit Iſaias, tempora conſideres, & cum extremis Iſraelis temporibus, caſibúſque componas, inuenies facilè Aſſyrias incurſiones, quibus & vaſtati ſunt decem tribuum funiculi; & ipſæ in peregrinum ſolum & in longum exilium abductæ ſunt, incidiſſe in illam ætatem, quæ magnum prophetam vaticinantem audiuit. Nam vt conſtat 1. *Paralip.* 5. tempore Oziæ, & Achaz venit Teglat-Phalaſar Rex Aſſyriorum, & abegit ſecum tribum Ruben & D Gad, & dimidiam tribum Manaſſæ, quæ vltra Iordanem, id eſt, extra terram promiſſionis, paſcuorum opportunitate captæ conſederant. Deinde verò 4. *Regum* 15. rediit ſecundò, vaſtatóque toto tractu maritimo captiuas duxit tribus Nephthalim, & Zabulon, & quæ ad Galilæam pertinebant, (tametſi veriſimile ſit vna tantùm incurſione hæc omnia à Teglat-Phalaſar fuiſſe direpta, & de eodem bello agi 4. *Reg.* 15. *&* 1. *Para.* 5. licèt non omnia vtrobique commemorent) Extremum verò decem tribuum excidium quod illatum eſt à Salmanaſar, contigit E anno 6. Regis Ezechiæ 4. *Reg.* 18. Quare Iſaiæ ſæculum & euentuum varietate, & rerum magnitudine, Regnorúmque mutatione, ſi vllum vſquam aliud, illuſtre fuit.

Ætas Iſaiæ maximè nobilitata rerum euentibus.

De ſtylo, & forma dicendi Iſaiæ.

13. DE toto orationis genere illud vnum dico, videri planè regiis excultum diſciplinis, vt pote è regio ſemine, & iure optimo dignum, qui Regius appelletur ſcriptor, & propheta; in quo nihil ruſticum, nihil improprium, nihil inconditum, nihil eximio oratore, imò eximio propheta occurrat non digniſſimum. Nam, vt probè norunt qui Hebraicè ſciunt, talis eſt dicendi character, tam rerum, quæ tractantur, naturæ, quæ ſanè multiplex eſt, accommodatus, in quo optimi oratoris ars, & præſtantia cognoſcitur, vt qui præſtantem oratorem non tam inueniebat, quàm cogitatione informabat Cicero, talem cogitatione non fingeret, qualem re ipſa præſtitit Iſaias. Hoc tamen non tam audacter mihi videor, quàm verè eſſe dicturus inter Oratores, qui hominum iudicio exiſtimantur ſummi, aut inter eos, qui in ſcribenda hiſtoria, hiſtoricas leges accuratiùs expleuerunt, addo etiam inter poëtas, qui in numeris ſuauiores, in affectibus mouendis, cum voluptate, in vocum eleganti luſu, iuncturáque mirabili eximij ſunt, magnum hunc ſcriptorem, & diuinum vatem non his, aut illis ſeorſum, ſed omnibus ſimul longè eſſe grauiorem, ornatiorem, magis pro rerum varietate varium, pro rerum magnitudine maiorem; talem denique in omni dicendi genere, vt ſi latinè ſcripſiſſet Latinorum, ſi græcè, Græcorum omnium gloriam obſcuraſſet. Nam cùm varij ſint caſus, varij motus in tam longa prophetia, quæ, vt dicit Hieronymus, numero verſuum æqualis eſt, aut etiam longior duodecim prophetarum vaticiniis, in quo neceſſe eſt aut terrere acriter, aut dolenter queri, aut erigere & confirmare leniter, aut gratulari, admirari, aut ſuccenſere vehementer, ſic rebus his ſtylum regium, ac propheticum attemperat, vt nec orator grauiùs, ac vehementiùs, neque poëta venuſtiùs, & ornatiùs datas ſibi partes perſecuti fuerint. Credent facilè, qui in hoc propheta verſati ſunt, qui in multiplici argumento, vt fert rerum natura, ſic aſſurgit interdum ſublimis, ſic ſe nonnunquam ſupplex demittit, ſic ſtylum hilarat effusè, ſic acuit, & contrahit incitatè, ſic blandè ſolatur, ac benignè, ſic renitentem violenter exagitat, ac ſternit, vt vel hoc vno facilè ſibi quiſque perſuadere debeat non humano conſilio, aut arte, ſed diuino afflatu inſtinctum eſſe prophetam, qui tam variè, & grauiter ſua inſtruxit, & detonuit oracula. In quibus concinnandis, confirmandíſque ſic eſt varius, & multiplex, vt quotquot excogitari poſſunt non ſolùm Oratorum, ſed etiam Poëtarum numeros, & lumina perſequutus ſit. Vident hoc ex parte Latini, & facilè credunt, quæ à me dicuntur, ſed vident hoc multò meliùs

Iſaiæ eloquentia.

Hebr. xi,

Hebræi, qui in Hebraici textus concinnitate, & agnominationibus multa notant, atque admirantur, quæ neque expreſſit, neque indicate leuiter Latinus potuit. Vſu autem plerumque euenit, vt quæ in vno idiomate illuſtria ſunt, ad aliud tranſlata humilia ſint & obſcura: Quæ argutè in vna lingua, ieiunè eadem, ac ſtolidè dici videntur in alia. Friget apud Latinos Homerus, ſerpit humi Pindarus; quia neque ipſi locuti ſunt Latinè, neque Latinus potuit aſſequi vim, lumen, & argutias, quaſi ipſi adhibuerunt, dum locuti ſunt Græcè. Quare alius eſt Homerus, dum Græcè, alius dum Latinè loquitur. De principe Græcorum oratorum Demoſthene dixit eius aduerſarius atque inuidus Æſchines. *Quid ſi audiſſetis belluam illam ſua verba reſonantem?* At nunc admirationis nihil affert legentibus Latinè. Quia nimirum Demoſthenes apud Latinos non tam ſua, quàm peregrina reſonat verba. Dixit hoc idem de Iſaia Hieronymus *in prologo ſuper Iſaiam ad Paulam & Euſtochium*; vbi cùm *eius eloquentiam vrbanam eſſe* dixiſſet, *in qua nihil eſſet ruſticitatis admixtum*; tandem addidit *præ ceteris omnibus florem ſermonum eius in tranſlatione non potuiſſe ſeruari.* Ac ſi diceret, obſcurari in tranſlatione Latina quàm plurima lumina, quæ in Hebraico textu tanquam in cœlo ſydera micabant.

Hæc, quæ à me de Iſaiæ eloquentia dicta ſunt, non credo negaret Auguſtinus, qui in libris ſacris, eam agnoſcit, & admiratur elegantiam, quam in profanis auctoribus nunquam inuenit. Quòd autem aliis id minùs appareat, illorum ignorationi tribuit, qui cùm non aſſequantur quid in Scriptura ponderis ſit, aut quid rerum, quæ ſcriptis mandantur, poſtulet natura; in illa aut artem deſiderant, aut facundiam. Expertus in ſe ipſo fuerat Auguſtinus, quod alij de Scripturæ facundia; rerum prorſus ignari ſtatuebant, qui vt ipſe docet *lib. confeſſ. 4. ca. 5.* humilem putabat ſcripturam, indignámque vt comparari cum Tulliana dignitate poſſet. Sed quid de ipſa iudicauerit; cum ad

A Scripturam attulit, non animum curioſum, & inflatum, vt antea, ſed obedientem, & ſimplicem, docet *lib. 4. de doctrina Chriſtiana cap. 6.* cuius verba quia id rem maximè faciunt, libens aſcribam. *Hic aliquis forſan quærit, vtrum auctores noſtri, quorum ſcripta diuinitus inſpirata, canonem nobis ſaluberrima auctoritate fecerunt, ſapientes tantummodo, an eloquentes etiam nuncupandi ſint. Quæ quidem quæſtio apud me ipſum, & apud eos qui mecum, quod dico ſentiunt, faciliimè ſoluitur. Nam vbi eos intelligo, non ſolum nihil eis ſapientius, verumetiam nihil*
B *eloquentius mihi videri poteſt. Et audeo dicere, omnes qui rectè intelligunt, quod illi loquuntur, ſimul intelligere non eos aliter loqui debuiſſe. Sicut eſt enim quædam eloquentia, quæ ætatem iuuenilem decet; eſt quæ ſenilem; nec iam dicenda eſt eloquentia, ſi perſonæ non congruat eloquentis: ita eſt quædam, quæ viros ſumma autoritate digniſſimos, planéque diuinos, decet. Hac illi locuti ſunt, nec ipſos decet alia, nec alios ipſa, ipſis enim congruit: aliis autem quanto videtur humilior, tanto altiùs non ventoſitate, ſed ſoliditate tranſcendit. Vbi verò non eos intelligo, minùs quidem mihi apparet eorum eloquentia; ſed eam non dubito eſſe ta-*
C *lem, qualis eſt vbi intelligo. Ipſa quoque obſcuritas diuinorum, ſalubriúmque dictorum tali eloquentiæ miſcenda fuerat, in qua proficere noſter intellectus, non ſolum inuentione, verumetiam exercitatione deberet. Poſſem quidem (ſi vacaret) omnes virtutes, & ornamenta eloquentiæ, de quibus inflantur iſti, qui linguam ſuam noſtrorum autorum linguæ non magnitudine, ſed tumore præponunt, oſtendere in iſtorum literis ſacris, quos nobis erudiendis, & ab hoc ſæculo prauo in beatum ſæculum transferendis, prouidentia diuina prouidit.* Ad extremum addo optimũ Ambroſij de Iſaia
D præconium, nam vt auctor eſt Auguſtinus, *lib. 9. confeſſ. cap. 5.* Cum ipſe quæreret ab Ambroſio, quemnam librum ſibi imprimis legendum proponeret, Iſaiam præcipuè commendauit. A cuius tamen lectione, vt ipſe fatetur Auguſtinus, propter obſcuritatem deterritus eſt. Plura hîc præmitti poterant de propheta, tótoque genere propheticæ; ſed illa commodiùs ſparſim, ſuis quæque locis, exponentur.

a 4 Argumen

Argumentum primi capitis Iſaiæ.

GRAVISSIMO *orationis genere Deus, & cælorum, terræque obteſtatione ſtuporem, atque ingratitudinem Iudæorum incuſat: reſpuitque ſacrificia, & victimas, quæ ipſi, neque ſanctè, neque legitimè offerunt. Edocet tandem quid fieri ab ipſis debeat, ſi velint, & ſuas preces admitti, & ſua vota compleri. Quibus obſequentibus ſecunda omnia largè promittit; recuſantibus verò dura, atque horribilia minatur. Addit deinde nonnihil in parentheſi de generis humani libertate per Chriſtum. Ruſúſque ad ſtragem Iudaicæ gentis per Babylonios comparatam reuertitur.*

CAPVT I.

1 [a] VISIO *Iſaiæ filij Amos, quam vidit [b] ſuper Iudam, & Ieruſalem [c] in diebus Oziæ, Ioathan, Achaz, & Ezechiæ regum Iuda.*

2 [d] *Audite cæli, & auribus percipe terra, [e] quoniam Dominus locutus eſt. [f] Filios enutriui, & exaltaui: ipſi autem ſpreuerunt me.*

3 [g] *Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui; Iſrael autem me non cognouit, & populus meus non intellexit.*

4 [h] *Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, [i] ſemini nequam, filiis ſceleratis, [l] dereliquerunt Dominum, blaſphemauerunt Sanctum Iſrael, abalienati ſunt retrorſum.*

5 [m] *Super quo percutiam vos vltrà, addentes præuaricationem?*

6 [n] *Omne caput languidum, & omne cor mœrens. A planta pedis vſque ad verticem non eſt in eo ſanitas.*

7 ° *Vul*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 VISIO quam reuelauit Deus Iſaiæ prophetæ filio Amos de Iuda, & Ieruſalē, ſub imperio Oziæ, Ioathan, Achaz, & Ezechiæ, qui in illa regnauerunt prouincia.

2 Audite, ô cœli, tu quoque terra, aures attentas adhibe: Accipe ex ore Domini grauiſſimas has, & iuſtiſſimas querelas in ingratum, & rebellem populum: Enutriui filios, eduxíque, & ad ætatis robur, & ad ſublimem locum, & ordinem; ipſi verò paternæ indulgentiæ, & tot beneficiorum immemores, contempſerunt me.

3 O ſtuporem inauditum, qualem in boue, aut aſino non facilè ſpectes! Bos etenim cognouit Dominum ſuum, à quo fœnum habet: & cùm ferum ſit animal, illius tamen iugo ceruicem ſummittit obſequentem; & aſinus præſepe nouit poſſeſſoris ſui, vnde pabulum petat; Iſrael verò boue longè, atque aſino ſtolidior, me neque cognouit Dominum, cui ceruicem ſubijceret ferream; neque à mea liberalitate alimentum quæſiuit.

4 Væ igitur Genti peccatrici, & ſtolidæ, populo grauibus onerato peccatis, filiis ſceleratis, ſtirpi impiæ, ac flagitioſæ. Dereliquerunt enim Dominum Deum ſuum; dúmque mutis Gentium ſimulacris diuinos exhibent honores, blaſphemam, & ſacrilegam linguam in illum acuetunt; retrorſum acti ab ea fide, quam antè dederant, & ab ea religione, quam, ſi in fide manerent, integram, & ſanctam ſeruare debuiſſent.

5 Deterrere vos à peccando volui inflictis iterum, atque iterum plagis; neque tamen tot attriti vulneribus, à nefario vitæ conſilio deſtiriſtis, tam longè, vt priorem abieceritis impietatem, vt nouum in dies addatis peccatorum cumulum.

6 Quo vos vltrà flagello, qua plaga percutiam? conſumpſiſſe quippe videor tela, quæ vibrare in ſceleratos ſoleo, neque in toto Iſraelis corpore partem vllam video à vulnere, ſeu à dolore vacuam. Si enim Reges, & principes intueor, qui caput ſunt Iſraelitici corporis, vt ipſi languidi, & attriti ſunt ab aſſidua plaga, ſic in ipſis pietas, &, quæ in republicam ſeruari debuit, fides languerunt: Mœrent ſacerdotes, qui populo pro

corde

corde ſunt, quia ab illis vitales accipit ſpiritus, quibus vitam conſeruet: nam & ipſi vulnerati ſunt, & ad deſperationem vſque deiecti. Quòd ſi ad myſticum corpus, id eſt, ad reliquum populum oculos conuerto, ſic omnes partes conciſas eſſe video, vt à planta pedis ad verticem vſque, nihil appareat non contritum, & ſaucium.

7 Nullum eſt infortunij genus, quod non conciderit, contuderítque infelicem illam, & ſceleratam gentem; vulnus à ferro, liuor, & plaga tumens à ſanie, & tabe; Neque tamen tot corporis incommodis admota eſt à quoquam medicina, nullus, aut recens vulnus, aut liuidam, & tumentem plagam obligauit faſcia, aut fouit oleo, aut vllo denique leuauit medicamento.

7 [o] Vulnus, & liuor, & plaga tumens, non eſt circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.

7 En vulnus recens, & plaga ex vetuſtate tumens: terra veſtra deſerta eſt, habitatoribus, atque cultoribus ab hoſte ſublatis: ciuitates veſtræ incendio deletæ: poſſeſſiones veſtræ, & fructus, quos veſter vobis labor parere debuit, externis ſunt prædæ, quæ, vobis ſpectatoribus, auidè, atque ſecurè deuorant. Neque id ſatis eſt: vt enim vos obſtinati perfidia, pergitis ſceleratè viuere, ſic Chaldææ poſthac, atque Romanæ graſſabuntur acies, quæ regionem veſtram hoſtilem in modum funditùs excindant.

7 [p] Terra veſtra deſerta: ciuitates veſtræ ſuccenſæ igni: regionem veſtram coram vobis alieni deuorant: [q] & deſolabitur, ſicut in vaſtitate hoſtili.

8 Relinquetur autem Sion, quæ in loco excelſo ſita, tanquam ſpecula, munimentum erat, atque cuſtodia ciuitatis: ſicut vmbraculum, quod cuſtos excitat in vinea, quod peracta vindemia diſſoluit, & diſſipat: aut ſicut tugurium, quod poſtquam collecti fuerint è cucumerario fructus, ita diſturbatur, atque deſtruitur, vt nullum ſui deinceps relinquat aut vſum, aut veſtigium: & ſicut ciuitas, quam hoſtis populatur, & vaſtat.

8 [r] Et derelinquetur filia Sion vt vmbraculum in vinea, & ſicut tugurium in cucumerario, & ſicut ciuitas, quæ vaſtatur.

9 Ea erit Ieruſalem. Siuoiſque ſtrages, & ciuium clades, vt, niſi pauci forent ex illa tanta, támque luctuoſa cæde ſuperſtites, non eſſet diſſimilis Iudæorum calamitas, & interitus, illi, quem Sodomæi è cœlo percuſſi ſubierunt.

9 [ſ] Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, [t] quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus.

10 Neque id mirum cuiquam videri debet, cùm non minor Iudæorum ſit, quàm Sodomæorum luxus, & improbitas. Audite igitur non iam Ieruſalem, ſed Sodomæ principes, ac præfecti. Audi tu, ô popule, in quo non Solymitani, id eſt, honeſti mores, ſed profunda Gomorrhæorum luxuries dominatur, & viget.

10 [v] Audite verbum Domini principes Sodomorum: percipite auribus legem Dei noſtri populus Gomorrha.

11 Placetis vobis plurimùm, ò Sodomorum principes, in victimarum veſtrarum multitudine. Ex quibus ego nullum aut vſum, aut voluptatem capio; imò potiùs graui mihi nauſeæ, atque faſtidio ſunt. Quare holocauſta arietum, opimum victimarum adipem, agnorum, vitulorum, hircorúmque ſanguinem, neque probo, neque peto.

11 [x] Quò mihi multitudinem victimarum veſtrarum, dicit Dominus? [y] Plenus ſum: [z] holocauſta arietum, & adipem pinguium: & ſanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui.

12 Cùm in conſpectum meum veniretis multo aromate, & victimis onuſti, nunquid talia ego de manibus veſtris exquiſiui, vt cum illis in templum ingreſſi, calcaretis potiùs illud pedibus immundis

12 [aa] Cum veniretis ante cõſpectum meum, quis quæſiuit hæc de manibus veſtris, vt ambularetis in atriis meis?

13 [bb] Ne

13 [b b] *Ne offeratis vltrà ſacrificium fruſtra.* [c c] *Incẽſum abominatio eſt mihi:* [d d] *Neomeniam,& ſabbatum,& feſtiuitates alias non feram:* [f f] *iniqui ſunt cœtus veſtri.*

14 [e e] *Calendas veſtras, & ſolennitates veſtras odiuit anima mea:* [g g] *facta ſunt mihi moleſta: laboraui ſuſtinens.*

15 [h h] *Et cùm extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos à vobis: & cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam.* [i i] *Manus enim veſtra ſanguine plenæ ſunt.*

16 [l l] *Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis, quieſcite agere peruersè.*

17 *Diſcite benefacere: quærite iudicium: ſubuenite oppreſſo: iudicate pupillo: defendite viduam:*

18 [m m] *Et venite, & arguite me, dicit Dominus.* [n n] *Si fuerint peccata veſtra vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur: &, ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana, alba erunt.*

19 Si

immundis, quàm legitimo ornaretis ſacrificio?

13 Ne igitur deinceps ad meam mihi domum ſuffimenta,& victimas adducatis, quæ nulli vobis futura ſunt vſui: Inuiſa quippe mihi ſunt, quæ à vobis in altari cremantur: Neomenias veſtras, & ſabbata, quæ religionis gratia vobis indicta ſunt, qua ratione à vobis peraguntur, auerſor, & abominor: cœtus denique veſtros: qui non tam ad pietatem, quàm ad alia omnia videntur cogi, vt plenos iniquitate, & dolo execror,& reſpuo.

14 Odi vehementer calendas veſtras, reliquáſque ſolennitates, quas vos in meum cultum impendi exiſtimatis ſanctè, atque legitimè. Vſque adeò enim mihi grauia ſunt, & moleſta, vt in eis perferendis non parum mea laboret, laſſétque patientia.

15 Quare cùm ſupplices in oratione extenderitis manus, auertam oculos: & cùm inanes iterum, atque iterum preces aſſumpſeritis, offenſas obturabo aures. Quid enim inflectant miſericordiam, & non potiùs excitent, & inſtimulent iram manus illæ, quæ, cùm ad orandum compoſitæ, atque eleuatæ ſint, ſtillant tamen ſanguine ex aliorum cæde; & peccatis, quæ à carne, ſanguinéque naſcuntur, fœdantur, & putent.

16 Lauamini igitur, & quas traxiſtis à peccato ſordes, deponite; neque deinceps ea cogitetis, aut meditemini, quæ oculi mei puri, & miſericordes auerſentur. Denique iam peccaſſe tam diu, támque liberè pudeat; ſtatuarúrque modus tam longæ peruersè viuendi conſuetudini.

17 Melioribus vos ſtudiis aſſuefacite: rectè viuendi formam diſcite, eámque conſtanter tenete, & colite: æquitatem in iudicando ſeruate; ſubuenite illi, quem potentiorum vis, & iniuria premunt: viduarum ſolitudini, pupillorúmque orbitati ſubſidio eſtote, quorum fortunæ impiorum auaritiæ, atque calumniæ propoſitæ ſunt.

18 Quòd ſi meliorem mentem ſuſcipere, rationémque viuendi, quem modò præſcribo, tenere volueritis: ſi vobis quæ ſtatim commemorabo, non præſtitero, non recuſabo quominus mecum iudicio contendatis, arguatíſque violatæ fidei, & officij proditi deſertorem. Hæc autem ſunt, quæ mutato vitæ ſuperioris inſtituto, à mea benignitate, & fide ſperare vos iubeo. Tollam enim à vobis, id quod & ſacrificia veſtra polluebat, & orationibus veſtris, quominus gratæ ad aures meas,& animum accederent, aditum obſtruebat: Et alia item incommoda, quæ propter peccata veſtra vobis, rebúſque veſtris inferebantur ab hoſte, neque patiar vt ſimilis poſtea vobis ruina contingat. Quòd ad peccata attinet, ſic habetote, ſi fuerint eiuſmodi, vt deleri poſſe non exiſtimentur, quia videlicet altè inſederunt animis, & in quandam quaſi naturam abierunt, (quemadmodum è lana non eluitur ſuccus, quem è cocco imbibit; etiam ſi millies

laues

laues,aut vſu teras) ſi à peccato ruber fuerit animus,ſicut à cocco lana:ita tamen dealbabitur, vt niuis imitetur candorem. Et ſi in vermiculi modum infecta rubeat, reddetur tamen alba tanquam lana munda, quam nunquam imbuit aut cocci puluiculus,aut conchylij ſanguis.

19 Si volueritis, & audieritis me,[o] [o] bona terræ comedetis.

19 Hactenus de ſpiritualibus bonis; nunc de humanis, & temporariis accipite. Si volueritis vitam ſic inſtituere, vt præceptis meis obſequamini,quidquid erit in terra pretioſum, & optabile,id vſui veſtro,commoditatíque ſubiiciam.

20 Quòd ſi nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, [p] [p] gladius deuorabit vos,quia os Domini locutum eſt.

20 Quòd ſi mandata mea vilia vobis,& neglecta fuerint, & meam rurſus iracundiam inſtigare volueritis,iam ego vobis gladium, & vaſtitatem denuncio: quæ vos inuadent ita potenter, vt omnino conficiant. Neque pondus aberit minacibus verbis, quia Dominus locutus eſt: cuius ſermo ſucceſſu non carebit,quem deſignat.

21 [q] [q] Quomodo facta eſt meretrix, [r] [r] ciuitas fidelis,plena iudicij? [ſ] [ſ] Iuſtitia habitauit in ea;nunc autem homicidæ.

21 Neque noua vobis præcepta impono; quæ Patres veſtri non priùs iterum, ac ſæpius audierint. Quibus, dum maiores conſtanter obſequuntur, ciuitas hæc Solymitana plena iudicij fuit, & in qua tanquam in propria ſede æquitas, & iuſtitia conſederunt; ſed nunc proh dolor, quàm deformata eſt antiqua religioſæ ciuitatis ſpecies. Quomodo fidelis quondam ciuitas, facta eſt meretrix, quæ, dum aliorum libidini impudenter proſtituit venalem pudicitiam, turpe ſibi lucrum, & compēdium parat:Quomodo ciuitas illa,quam quondam ornabat, muniebátque iuſtitia, facta eſt latibulum, perfugiúmque illorum, qui fratrum ſuorum vitæ inſidias moliuntur,& necem.

22 [t] [t] Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam:vinum tuum mixtum eſt aqua.

22 Nihil eſt in te ſyncerum, & ſimplex à fraude, & dolo. Argentum ignobili adulteratum metallo, adeò vile eſt, vt non tam argentum, quàm ſcoria cenſeri debeat. Vinum tuum aqua dilutum, nomen potiùs retinet, quàm vini virtutem.

23 Principes tui infideles; ſocij furum: Omnes diligūt munera:ſequuntur retributiones: pupillo non iudicant:& cauſa viduæ non ingreditur ad illos.

23 Qui tibi præſunt,ô Ieruſalem,fidem, & officium prodiderunt, & cum furibus,in quos agere lege debuerant, ſcelerum, prædæque ſocietatem inierunt. Nihil illis munerum largitione gratius, quæ omni ſtudio, atque artificio captant. De pupillorum cauſa nullo modo laborant: Quid viduæ ab iniquorum fraude patiantur, nihil habent penſi; neque aures dant æquas, & beneuolas illorum querelis,& iniuriis.

24 Propter hoc ait Dominus Deus exercituum fortis Iſrael: [v] [v] Heu conſolabor ſuper hoſtibus meis, & vindicabor de inimicis meis.

24 Propter hoc ait Dominus bellator, & potens, qui cùm Dominus exercituum ſit, quod deſtinauit animo, dextera complebit omnipotenti: Heu quis me in hoſtium meorum plaga, in quam iam habeo gladium intentum conſolabitur? A meáne humanitate impetrare,aut extorquere potero, vt furorem iam diu in hoſtes meos inflammatum effundam?

Hi tres verſus, qui ſequuntur priùs de tempore Euangelij.

25 Ha

25 [x] [x] Et

25 [xx] *Et conuertam manum meam ad te, & excoquam ad purum ſcoriam tuam, & auferam omne ſtannum tuum.*

25 Hactenus te hoſtium armis, aliiſque plagis purgare volui, quibus ita tentata es, ô Ieruſalem, vt nulla pars tui ſit à vulnere, atque à dolore vacua, ſed conuertam aliquando manum, & te mitiori quidem, magis tamen expiatoria fornace purificabo: qua excoquam ex argento tuo ſcoriam, & auferam ſtannum, & quidquid vilioris metalli permixtum eſt ex Gentium conuictu, aut longo peccatorum ſitu rubiginis inoleuit.

26 [yy] *Et reſtituam iudices tuos, vt fuerunt priùs, & conſiliarios tuos, ſicut antiquitus.* [zz] *Poſt hæc vocaberis ciuitas iuſti, vrbs fidelis.*

26 Et reſtituam tibi tales iudices, & conſiliarios, quales habuiſti quondam, cùm primùm complexus ſum tanquam dux, & pater, Iſraëlis nomen, Apoſtolos nempe, & viros Apoſtolico nomine non indignos: qui te multò meliùs moderentur, & augeant, quàm antiqui iudices, qui tuam ſtabiliere, conſeruauerẽque rempublicam. Tunc verò meritò vocaberis ciuitas, in qua iuſtitia habitet, & fides colatur.

27 [aaa] *Sion in iudicio redimetur, & reducent eam in iuſtitia.*

27 Tunc autem Sion captiua ſub peccatis, quibus ſe priùs totam, atque omnino tradiderat; in libertatem vendicabitur à Chriſto, qui iudicium ſubiit durum, & iniquum: & reducetur ad illum, vnde ceciderat, ſtatum, non quidem gratis; ſed in iuſtitia: quia iuſtum pro illius redemptione Chriſtus impendet pretium.

Iidem tres verſus iterum de tempore captiuitatis Babylonicæ.

25 [xx] *Et conuertam manum meam ad te, & excoquam ad purum ſcoriam tuam, & auferam omne ſtannum tuum.*

25 Afflixi te hactenus, & cõtriui plagis; ſed adhuc manus eſt armata gladio, & ad vulnus intenta: neque quieſcam, donec accenſo iterum tribulationis camino, ſcoriam exuram, purùmque relinquam argentum, quod ab ſcoria vile, & à ſitu longo rubiginoſum eſt: & colliquefactum ſtannum, quod puro quondam argento permixtum erat, penitus amoueam.

26 [yy] *Et reſtituam iudices tuos vt fuerunt priùs, & conſiliarios tuos, ſicut antiquitus.* [zz] *Poſt hac vocaberis ciuitas iuſti, vrbs fidelis.*

26 Vbi autem inolitas ſordes, ſcoriámque detraxero, reſtituam tibi tales iudices, præfectos, & cõſiliarios, quales primis, id eſt optimis Iſraeliticæ reipublicæ temporibus habuiſti. Poſt hæc verò vocaberis ciuitas, in qua tanquam in propria ſede fides, iuſtitiáque conſideant.

27 [aaa] *Sion in iudicio redimetur, & reducent eam in iuſtitia.*

27 Erit autem ciuitas ideo à ſcoria, ſordibúſque puta, quoniàm non omnes, qui in fornacem Babylonicam, id eſt in exilium proiicientur, in patriam redibunt; ſed adhibito iudicio, atque delectu iuſti: qui digni viſi ſunt, qui ex duro Tyrannorum iugo ſoluti, in patriam reuertantur.

28 [bbb] *Et conteret ſcelestos, & peccatores ſimul:* [ccc] *Confundentur enim ab idolis quibus ſacrificauerunt:*

28 Vt Dominus iuſtos à captiuitate reſtituet, propter quos ciuitas futura dicitur fidelis, & iuſta: ſic ſceleratos, & peccatores delebit: & qui à Domino Deo ſuo ad vana Gentium idola defecere, ſimul omnes ab vltore Deo conſumentur.

29 [ddd] *Et qui dereliquerunt Dominum, conſumentur.* [eee] *Et erubeſcetis ſuper hortis, quos elegeratis.*

29 Illis enim, qui ab idolis, quæ impensè coluerunt, omnia ſibi ſecundiſſima pollicebantur, nil attulit inanis illa, atque impia religio, præter pudorem, & ignominiam. Erubeſcetis valde propter hortos, & lucos, quos à Gentium ritu,

30 [fff] Cùm

ad

ad nefarios vſus, & impia ſacra vobis delegiſtis.

30 Sic enim à vobis antiquus nitor, & pulcritudo defluet, ſicut ab ilice foliorum luxuries, & amœnitas: ſic vobis ſterilitas adueniet, & ſquallor, ſicut horto omni ſuauitati, amœnitatique conſpicuo: vbi aquatum ſitis, & æſtus inclementior, ingruerint

31 Neque contra hoſtiles machinas, furorémque pertinaciter in veſtrum exitium inflammatum, munimento vobis erunt illa præſidia, in quibus tutò locaſſe videbamini ſpem ſalutis, & libertatis veſtræ. Hæc etenim, licèt ab arte egregia, & à natura comparata, erunt ſicut arida ſtipula graſſante igne quæ flammam vltro concipit, vſque adeò non arcet. Accendetur autem & ignis contra munitionem èſtupa conſtratam, & ipſa ſtupea ciuitatis munitio; neque vllus erit qui incendium ex vtroque excitatum poſſit extinguere.

30 [fff] *Cum fueritis velut quercus defluentibus foliis, & velut hortus abſque aqua.*

31 [ggg] *Et erit fortitudo veſtra vt fauilla ſtupæ, & opus veſtrum quaſi ſcintilla:* [hhh] *& ſuccendetur vtrumque ſimul, & non erit qui extinguat.*

IN CAPVT PRIMVM
COMMENTARIVS.

1. Prophetiæ varia nomina.

[a] VISIO *Iſaiæ filij Amos.*] *Propheta* nomen multiplex eſt, ſicut etiam *propheta*, quod idem valet, licèt non eadem notatione modò enim ad *os*, modò ad *aures*, ad *oculos* etiam interdum refertur. Ab ore dicitur prophetia, *oraculum, verbum Domini*: ab auribus *auditum*, ſiue *auditio*; ab oculis *viſio* nominatur. Et eodem omnino modo qui ſpiritum habet propheticum, ab ore *propheta*, id eſt, *prædictor, aut prænunciator*, ſeu *vates*, ab oculis *videns* Quo nomine olim omnis propheta dicebatur. 1. *Reg.* 9. *Qui enim propheta dicitur hodie, olim vocabatur videns.* Et quidem ſicut prophetia *auditum* dicitur, & *auditio*, *in Abdia*, *& Habac.* 3. & in hoc propheta *cap.* 33. ſic etiam propheta non ineptè *auditor* appellari poſſet. Certè vocem non admodum huic diſſimilem ſibi propheta noſter attribuit *cap.* 50. *Erigit manè, manè erigit mihi aurem, vt audiam quaſi magiſtrum. Dominus Deus aperuit mihi aurem; ego autem non contradico, retrorſus non abij.* Quæ, licèt de Chriſto dicta ſint, cui ſine dubio conſequentia conueniunt; tam in figura de propheta ipſo videntur dici, cui Dominus aurem reuelauit. Neque tamen cùm præſentiret quantum ſibi odij conflaret & moleſtiæ ab iis, quos tanta animi, atque orationis libertate pertuliſſet, retrorſum abiit, id eſt, deterritus non eſt, quominus, quæ à Domino

Prophetia viſio.

2. audierat populo annunciaret. Appellatur præterea prophetia, *onus*, tunc maximè, quando aliquid prædicit aduerſum, & durum auditoribus. Ita Hieronymus *in prologo Abacuc.* Et nos ea de re pluribus *alibi*. Vocari etiam poſſet ex Scripturę vſu *ſtillatio*, quia *ſtillare, vaticinari* eſt. *Ezech. cap.* 20. *Fili hominis pone faciem tuam contra viam Auſtri, & ſtilla ad Aphricum, & propheta ad ſaltum agri meridiani.* & *cap.* 21. *Stilla ad ſantinarium, & propheta contra humum Iſrael.* & *Amos* 7. *Non prophetabis ſuper Iſrael, & non ſtillabis ſuper domum idoli.* Hoc verò genus prophetiæ vt ex his conſtat, aliquid portendit aduerſum, & graue, ſicut de onere diximus; licèt *ſtillare* in Scriptura aliquid mollius & benignius interdum ſonet. qua ratione montes dicuntur ſtillare dulcedinem. & ſimiles locutiones non infrequentes.

3. Omnes prophetarũ titulos, & munera implevit Iſaias.

Hæc de prophetiæ, prophetæque titulis, ac differentiis, quæ ſic impleuit propheta magnus, vt nemo cumulatiùs, aut illuſtriùs ex tot prophetarum numero tanto nomini, ac muneri ſatisfecerit. Nam ſi *videntem* vocamus prophetam, prophetiámque *viſionis* nomine notamus, quis meliùs quàm Iſaias *videns*, quæ digniùs, quàm Iſaiæ *viſio* nominetur? Habuit quidem Iſaias ſuas quoque viſiones, ſicut Daniel, Ezechiel, & Zacharias; ſed quæ prædixit, ita propoſuit diſtinctè, atque dilucide, vt qui legerit, quæ de Chriſto fuère longè ante prædicta, cernere ſe potiùs putet præſentia, quàm ſperare futura. De verbis, id eſt, oraculis, à quibus prophetiæ nomen profectum eſt, non eſt cur hic aliquid dicamus, quando & rerum varietate, & oraculorum magnitudine, ac pondere, tum prophetico dicendi charactere, nemo illi non modò ſuperior, ſed neque æqualis omnium ſententia ſit. Si enim magna quærimus, quid maius quàm ea, quæ de Chriſto ad quem omnis ferme prophetia ſpectat, ab Iſaia prædicuntur. Quòd ſi prophetæ alij non tantùm verbis, ſed etiam ſignis, & quaſi Hieroglyphicis notis futuros rerum euentus portenderunt, vt Oſeas nuptiis cum fornicaria, Ieremias catenis, Zacharias in vaſis Paſtoris ſtulti; neque hoc defuit noſtro prophetæ. Nam *cap.* 20. cùm audiſſet à Deo, *Vade, & ſolue ſaccum de lumbis*

Iſaias nudus magnum obedientiæ exemplar.

bus tuis, & calceamenta tua tolle de pedibus tuis, diuinæ obſequutus voci, *fecit ſic vadens nudus, & diſcalceatus*. Quod feciſſe per aliquot dies veriſimile eſt. Origenes tres annos putat, & eſt in Scriptura coniectura non leuis ab illis verbis; *ſicut ambulauit ſeruus meus Iſaias nudus, & diſcalceatus, trium annorum ſignum, & portentum erit ſuper Ægyptum*. Qua de re nos pluribus *cap*. 20. Illod hîc obſeruandum cum Hieronymo, admirabilem omnino eſſe tantum virum: qui cùm ex regio eſſet genere, & qui, vt Hebræi tradunt, Regis Iuda ſocer, & Reginæ parens poſtea fuerit, non captiuus, neque inclinata Iudæorum republica, ſed integra ac florente, ſubierit tamen illam ignominiam quæ hominum opinione cenſebatur maxima. Sed homo qui totus animo atque ſtudio ferebatur in Deum, nihil babuit antiquius, & boneſtius, quàm obſequi illius imperio, etiamſi videret exponi ſe liberis petulantium hominum conuitiis, atque ludibriis. Quare depoſuit tunicam, quam prophetali more cilicinam geſtabat, & nudo corpore tantam, tàmque frequentem ciuitatem iterum luſtrauit ac ſæpius.

4. Illod verò prophetiæ genus, quod *onus* vocatur, quàm ſæpe ſuſceperit, non eſt quòd multis exponam Satis modò ſit illud nomen ſæpius vſurpatum ab vno Iſaia, quàm ab aliis propheris ſimul: nam à cap. 13. ad caput vſque 23. ab onere incipiunt vaticinia, & in onere imponendo populis explicandóque conſumuntur.

5. Prophetia dicitur viſio, etiam ſi nulla obiecta ſpecies.

Vocatur autem hic *viſio*, propheria, non quia Iſaiæ oculis ſeu cogitationi ſpecies aliqua ſemper ſit oblata, quod propriè ſignificat viſio; ſed quia vt in aliis linguis non rarò fit, vt propter vicinitatem à proxima ſignificatione aliquid ad affines ſenſus traducatur: ſic etiam nunc è vicino ſenſu oculorum ad explicanda, quæ accepta ſont auribus, ſermo transfertur. Neque hoc nouum eſt vt videndi ſenſus aliorum ſenſuum actiones explicet. Dicimus enim communiter, *vide quam frigidum, vide quam dulce, quàm odoriferum, quam canorum*: quæ tamen nullo modo capit videndi facultas. Hinc fit vt in aliis quoque prophetis, quorum oculis ſpectra nulla propoſita ſunt, viſionis nomen audiamus, vt in Abdia & aliis. Hanc puto rationem eſſe præcipuam huius vocis. Neque contemnenda eſt illa, quam quidam adducunt, rati ideo quamcomque propheriam propter certitudinem appellari viſionem; quia quæ prædicuntur, adeò ſunt certa, vt quaſi iam adeſſent oculis capi, aut contrectari manu videantur: ſicut propter eamdem rationem, quæ futura ſunt, per tempus præteritum à prophetis explicari ſolent.

6. *Super Iudam, & Ieruſalem.*] Mirum quod quæ prædicta ſunt à propheta, omnia ad hæc duo capita pertinere dicantur, cùm plurima ad alias tribus, plurima ad alias nationes peregrinas, & alienas neceſſariò referenda ſint. Quàm multa enim dicta fuerint de toto Iſrael, quàm multa de Babylone, Damaſco, Tyro, Moab, & Idumæa, Palæſtina & Aſſyria quis non videt? Arias Montanus putat hunc non eſſe titulum totius prophetiæ, ſed tantùm primæ: quia ſi hæc totius operis eſſet inſcriprio, fruſtrà aliæ aliis vaticiniis præfigerentur, vt *onus Damaſci, onus Ægypti*, &c. Neque dixiſſet, *viſio Iſaiæ*, ſed *viſiones*, quia non eſt vna prophetia, ſed multæ. Addo ego quia nimis eſſet curta inſcriptio, ſeu propoſitio totius operis, ſi cùm ad tot prouincias, gentéſque reſpiceret, Iudæ tantùm meminerit, & Ieruſalem. Sed proculdubio inſcriptio hæc

A non vnius prophetiæ, ſed omnium quæ continentur in hoc libro propoſitio eſt. Nam ideo Regum adhibentur nomina, ſub quibus oblata viſio eſt, de qua ſtatim in principio, quorum ætates & regna aut nihil, aut modice, vt in procœmio obſeruauimus, exceſſit Iſaias. Quare in hoc titulo propoſita videntur quæ horum Regum, id eſt, Iſaiæ tempore, ex quo prophetare cœpit, viſa, auditáque continentur.

7. Hiſtorici ſæpe non temporibus, ſed rerum geſtarū ſimilitudine hiſtoriam diſtinguunt.

Sed diceret aliquis, quæ de Iuda, & Ieruſalem notata ſunt, prædicta quidem eſſe longo illo ſpatio, quo vixerunt hi Reges; eſſe tamen ex tot ætatibus collecta, & in primam huius prophetiæ partem coacta. B Quemadmodum ſæpe ſolent Hiſtorici, quæ geſta ſunt, non tam temporibus, quàm rerum geſtarum ordine, ac ſimilitudine diſtinguere. Fateor quidem ita feciſſe aliquando multos, eóſque non ignobiles hiſtoricos, qui ſuis capitibus digerunt, quid quiſque ſapienter, quid pudicè, quid crudeliter fecerit: neque admodum laborant, quo quæque tempore geſta ſint, modò ad earum rerum capita pertineant. Sed minimè hoc conuenit in noſtrum prophetam, qui cùm à cap. 13. ad multa capita egiſſet de Babylone, Tyro, Damaſco, &c. poſtea redit ad Iudam, & Ieruſalem, neque ſemel tantùm, ſed ſæpius ad eaſdem ex interrupto reuertitur. Quare in primam partem, id eſt, priora capita libri collata non ſunt, quæ de Iuda, & Ieruſalem præuidit Iſaias. C Sed neque in aliis materiis, ſunt diſtincta atque notata vaticinia, nam non vno in loco, ſed admodum diuerſis de Babylone agitur, & Damaſco: & de Chriſto à principio ad finem toto hoc libro ſparſim plurima diffuſa ſunt.

8. Neque quicquam impedit quod in ſingulari ſit potius, *viſio*, quàm in plurali *viſiones*; ſatis enim notum per ſynecdochen pluralia ſingulariter ſolere ſignificari. Et in prophetarum titulis ſæpe ſingularis adhibetur numerus, cùm tamen non vna ſit prophetia. Vnde frequens, *verbum quod factum eſt*. Quod verò aliis vaticiniis præpoſitum fuerit, *onus Ægypti, onus Damaſci*, &c. ideo fit, vt quæ confuſè in hac prima inſcriptione continentur, vt mox dicemus, hæc magis explicatè ſignificentur.

9. D Sed eſt ad huc quærendum cùm de Iſrael plurima, de Aſſyriis, Babyloniis, Idumæis, &c. non pauca, eáque neque obiter neque ſtrictim propoſita, cur ſuper Iudam, & Ieruſalem dicatur inſtituta viſio, ſeu prophetia. Hæc quidem facilè ſoluit non ſolum ſacræ, ſed etiam prophanæ hiſtoriæ conſuetudo; quæ in titulo ea ſolet plerumque proponere, quæ præcipua ſunt, quibúſque reliqua magno licèt numero, ac mole ſeruiunt. Ex ſacris Amos dicitur locutus, contra Iſrael, & ſanè plurima dixit in ipſo ſtatim ingreſſu contra Damaſcum, Gazam, Galaad, Tyrum, Edom, Moab. Et in breuiſſimo Abdiæ vaticinio, quod contra Edom futurum dicitur in principio, multa dicuntur de Iudæis. Ex prophanis E Homerus quàm multa, & quàm latè dixit in Odyſſea præter illa, quæ hac inſcriptione breuiſſima propoſuit.

Dic mihi Muſa virum captæ poſt tempora Troiæ,
Qui mores hominum multorum vidit, & vrbes.

Quàm multa hunc imitatus Virgilius, quæ tamen comprehenſa non ſunt in hoc titulo Æneidos.

Arma virúmque cano, Troiæ qui primus ab oris
Italiam fato profugus, Lauináque venit
Littora.

Sed quia reliqua omnia quæ latè à tantis poëtis ſcripta ſunt, ad Vlyſſis, & Æneæ gloriam referebantur,

tur, ideo illorum meminit, hæc omiſit. Quod omnino accidit noſtro prophetæ; qui intento animo in Iudæam & Ieroſalem, ea, quæ ad Iudam aliqua ratione pertinebant; quia ab illis aliquid paſſa, ſeu aliquid honoris conſequuta fuerat, ad prophetiam attexuit *de Iuda, & Ieruſalem.*

10. *In Ieruſalem duæ tribus intelliguntur.*

b *Super Iudam, & Ieruſalem.*] Iudam hîc accipio etiam pro Beniamin, quæ in diſtractione aliarum tribuum adhæſit Roboam: item pro illis, qui magno numero ex aliis tribubus eidem ſe adiunxerunt. Cur verò Beniamin interdum dicatur Iuda, & cum ea in vnam tribum coaluiſſe exiſtimetur, diximus *in commentariis in Zachar. cap. 2. n. 17.* Cur verò de Ieruſalem ſeorſum egerit, duplex ratio eſt: Vel quia Ieruſalem præſertim pertinebat ad Beniamin, vt conſtat ex *Ioſue cap.* 18. Quare in Ieruſalem tribus intelligitur Beniamin, & in Iuda & Ieruſalem duæ tribus, quæ non receſſerunt à Ieroboam, ad quas præſertim ſpectat tota Iſaiæ prophetia. Seu certè quia Ieruſalem caput eſt eorum, qui non abierunt ad Ieroboam, in Ieruſalem omnes intelliguntur, qui ciuitatem illam regiam ſuum ſibi caput agnoſcunt. Accedit quòd ſæpe vſu venit vt ciuitas quæ alicuius prouinciæ caput eſt, etiamſi in prouincia comprehenſa videatur, aliquando tamen honoris gratia ſeorſum nominetur. Quo ſenſu Hiſpani regionem aliquam cum ſuo capite, atque metropoli ſuis diſtincta nominibus coniungunt. apud quod frequens, *Toledo y ſu tierra.* ſic nunc *ſuper Iudaam & Ieruſalem, ſobre Ieruſalem y ſu tierra.* & ideo apud alios ſæpe, & apud Iſaiam ſæpiſſimè reperitur Iudæa coniuncta cum Ieruſalem. Punitur autem Ieruſalem ſeparatim ab aliis, quia in illam ciuitatem intenta præcipuè videbantur illa omnia, quæ toto libro vaticinatur Iſaias. Eſt autem vſitatum in ſcriptura, vt ſi quid eſt in aliquo genere præcipuum, ac ſingulare, illud ſeorſum ab aliis nominetur. Qua ratione *Act.* 1. Maria à reliquis mulieribus, & Petrus à reliquis apoſtolis *Marci cap.* 16. *&* 1. *Corint.* 3. & Saul à reliquis hoſtibus Dauid *in titulo pſal.* 17. ſeparatim ponuntur.

c *In diebus Oziæ, Ioatham, Achaz, & Ezechiæ Regum Iuda.*] Ex horum Regum ætate ſatis conſtat longum tempus Iſaiam vixiſſe. Quoto verò anno aut natus fuerit, aut prophetare cœperit, incertum eſt. Euſebius *in Chronico*, anno 17. Oziæ propheraſſe tradit; quod ſi vitam ad Manaſſæ Regnum vſque produxit, iuxta hæc, non dubium quin ſupra 90. annos prophetauerit. Sed cœpiſſe prophetiam anno 17. Oziæ, neſcio vnde ſumere potuerit Euſebius.

11. d *Audite cæli, auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus eſt.*] Verba hæc ſatis oſtendunt, quam non vulgaria ſint quæ nos audire iubet propheta tam non vulgariter vaticinium exorſus. Conueniunt Hieronymus, Baſilius, & Chryſoſtomus, *tom. 5 hom. 3. de Pœnitentia.* Reſpexiſſe hîc Iſaiam extrema illa verba Moyſis *Exod.* 32. vbi cœlum, & terram teſtes aduocat eorum officiorum, quibus populum ſuum antè complexus eſſet: & quid ipſis immineat ſupplicij, ſi tantæ liberalitati aut non reſpondeant, aut certè contemnant. Dixerat hoc ipſum Dominus Moyſi, *Deut. cap.* 30. *Si autem*, inquit Deus, *auerſum fuerit cor tuum, vt audire nolueris, atque errore deceptus adoraueris Deos alienos, & ſeruieris eis, prædico tibi hodie, quod pereas, & paruo tempore moreris in terra, ad quam tranſmiſſo Iordane ingredieris poſſidendam. Teſtes inuoco hodie cælum, & terrã, quòd propoſuerim vobis vitam, & bonum, benedictionem, & maledictionem.* Adduxerat teſtes & minarum, & promiſſionum cœlum, & terram, benedictionis, ſi in fide manerent, & officio; maledictionis, ſi ab vtroque deficerent. Nunc verò quia defeciſſe conſtabat ingratum, atque infidelem populum, atque ideo ſubiturus eſſet pœnam ſuæ perfidiæ debitam, & à Deo, & Moyſe coram cœlo & terra teſtibus ante denunciatam, eorum nunc implorat teſtimonium, & fidem, vt probet non nunc primùm eſſe propoſita beneficia, & indicta ſupplicia, quæ ipſe Dei nomine longo hoc vaticinio propoſiturus eſt. ac ſi dicat. Sicut olim pacti teſtes fuiſtis, ſic nunc eſtote populi perfidiæ; & quàm iuſta ſint ſupplicia, quæ nunc ipſi parantur, cùm multo ante fuerint denunciata. Quæ verò capite hoc & Moyſis capite *Deut.* 31. anuſtroq; ha ſint, promptum eſt cuilibet expendere.

Sunt qui putant ideo aduocari cœlum, & terram, vt hæc audiant, quia homines ſic contra diuinas voces obſurduêre, vt non putarentur illas audituri. Et fit veriſimile, quia illi ſtatim animalia, & natura tarda, & minimè ad doctrinam idonea præferuntur: bos nimirum, & aſinus.

e *Quoniam Dominus locutus eſt.*] Parat attentionem à dignitate loquentis. Neque enim Iſaias loquitur à ſe, aut ſuo ſenſu; ſed Deus in Iſaia, cuius eſt calamus prophetæ lingua, & guttur tuba diuino inflata, & clangens anhelitu.

12. *Iniuria pro beneficiis Deo reddita.*

f *Filios enutriui, & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me.*] Quomodo Deus Iſraëlem quaſi nutricius tractauerit vide Oſeam *cap.* 11. *Quaſi nutricius Ephraim portabam eos in brachiis meis.* & Iſaias 46. *Qui portamini à meo vtero.* His verbis reſpondet in cantico Moyſi. *Generatio praua, atque peruerſa, haeccine reddis Domino, popule ſtulte, & inſipiens? nunquid non ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit te, & fecit & creauit te.* Et illud, *Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit, &c.* Pro *enutriui*, Heb. eſt גדלתי giddalthi, Quaſi filios inuenerit recèns natos, proiectos in abiectionem animæ ſuæ, quemadmodum olim in Ægypto ſub Pharaone vix dum nati extinguebantur, & inde ſublatos molliter educauerit. Neque ſolùm ad ætatem florentem & virilem prouexerit, quod ſignificat גדל giddel, ſed etiam exaltauerit, id eſt, ad regnum ſuſtulerit, feceritque finitimis populis formidabiles Quod Ezechiel *cap.* 16. exprobrauit eidem populo ſub ſponſæ nomine. Nam cum dixiſſet, *Grandis effecta eſt*, deinde ſubiecit, *& profeciſti in regnum.* Hi verò filij tam indulgenter à Deo ſuſcepti amorem, quem præſtare debuerunt tam amanti, atque benefico parenti, ad alienos deos, & muta ſimulacra tranſtulerunt.

13. *Homo minus gratus quam iumenta.*

g *Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui; Iſrael autem me non cognouit.*] Illuſtris comparatio, qua ſtupor, & væcordia hominum ita ſignificantur, vt nullo modo videantur exprimi poſſe ſignificantiùs: quando neque illud rependunt Deo quod omnium animantium ſtolidiſſimi referre ſolent poſſeſſori ſuo. Quare, vt notauit hîc Baſilius optimè, qui è tanta dignitate exciderunt, aut non cognouerunt, in quo eſſent ordine, autorique tot beneficiorum aut in amore præſtando, aut habendis gratiis non reſponderunt, aſinis comparantur. Pſal. *Homo cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus.* Porrò ſanctorum multi hæc referunt ad Chriſtum reclinatum in præſepio, vt Auguſt. *contra Iudæos cap.* 13. Ambroſ. *lib. 2. in Lucam, cap.* 2. Orig. *ibidem hom.* 13.

ſed ſenſu, vt puto accommodatitio. Nam quod in priorem ſenſum hæc exponi debeant, tenent omnes ferme interpretes, & in his Hieronymus, Baſilius, Cyrillus & S. Thomas, & textus ipſe docet.

14. Hominis væcordia.

Hic obſeruandum, vt notauit Hieronymus, in textu Hebraico non eſſe, *me non cognouit*, ſed *non cognouit*. Addit tamen interpres illud pronomen claritatis gratia. ſed eſt pulcher ſenſus, qui indicari videtur in Hebraico textu, ſi ibi pronomen *me* non adhibeas. [Cognouit bos dominum ſuum, cuius iugum ſubire, & cuius agrum aratro vertere debeat: cognouit aſinus præſepe domini ſui, vnde ſumendum pabulum; ſed Iſrael neque nouit cuius imperio parendum ſit, neque vnde ſalubre pabulum petendum; ſed ſumit, quo eſt ſtupore, pernicioſum & amarum.] Pro qua explicatione facit quod אבוס *ebus*, pro quo noſter *præſepe*, ſignificat locum vberẽ, & aptum ad ſaginã. 3. *Re.* 4. vbi noſter, *viginti boues paſcuales*. Hebr. *viginti boues*. אבוס *ebus*. Sed eſt ſine dubio verior ille ſenſus quem indicat vulgatus, qui comparatione tardæ atque ſtolidæ belluæ docet quàm ſit tardus Iſrael, atque ſtolidus in cognoſcendo beneficio & agendis gratiis, cùm neque faciat, quod faciunt bos, & aſinus.

15. Quanta obedientia Deo præſtãda, atque ſummiſſio.

Foreirus hic שור *ſor*, pro quo Chaldæus תור *thor*, non quemcumque bouem ſignificare putat, ſed *taurum admiſſarium, qui armenta præit velut dux, & ferus eſt, & iugi impatiens*, quaſi deriuetur à שור *ſor*, quod eſt *dominari*. Quod ſi ita eſſet, vt cenſet Foreirus, ſenſus eſſet elegans, & moribus accommodatus valde. Nam taurus in ſua ferocitate agnoſcit dominum, neque illum cornu, aut calce appetit, gregémque ſuæ veluti fidei, atque tutelæ commiſſum in poſſeſſoris ſui caulas reducit; Populus verò meus incraſſatus eſt, & recalcitrauit, & naturæ vires aut fortunæ facultates non ad Dei obſequium, quaſi ad legitimas, ſed in idolorum cultum, quaſi in alienas caulas adducit. Sed credo non tam ferocem taurum quàm *domitum, & obſequentem bouem* ſignificare, quod indicant omnia penè Scripturæ loca vbi reperitur שור *ſor*. Et expreſsè habetur Deut. 20. *Non arabis in boue, & aſino*. & *Exod.* 23. *Requieſcet bos tuus*. & ſanè ita ſignificatio eſt multo grauior. Nam ſi bos domitus ſit, & labori atque ſtimulo deſtinatus, etiamſi ſciat ſibi ferendum eſſe domini iugum, ad illum tamen reuertitur pabuli gratia.

16. Peccati graue pondus.

[h] *Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate.*] Sæpe in Scriptura *gens* & *populus* in eadem ſignificatione coniunguntur. *Pſal.* 2. *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania*. Quare exiſtimo, vtrique parti eandem ſubeſſe ſententiam, ſignificarique gentem illam adeò peccatis eſſe deditam vt grauis ſit iam Deo, ita vt diuina patientia ſuſtinere illam iam ampliùs nolit, ſeu ipſa ſuis peccatis aggrauata ſit; quo ſenſu dixit de ſe Dauid, *pſal.* 37. *Iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me*. quaſi duro iam ſuccubuerit oneri, neque ab eo ſe ſubducere laboret.

Certa menſura peccatorum.

S. Baſilius illud, *populo graui iniquitate*, plenum iniquitate exponit; quaſi iam impleuerit illam menſuram, cui Deus decreuiſſet infligere ſupplicium iam antea per Moyſem denunciatum *Deut.* 30. Et adducit illud *Gen.* 15. de completis iniquitatibus Amorrhæorum, & illud Seruatoris, *Implete menſuram patrum veſtrorum*. De hac menſura vide plura *Zacharia cap.* 5. *num.* 23. vbi nos fuſiùs.

17. [i] *Semini nequam, filiis ſceleratis.*] Vtriuſque partis vna eſt, atque eadem ſententia, id eſt, grauis querimonia; quòd filij a tanto patre non prouidè ſolum, ſed etiam amante nutriti, tamquam ſi à mala ſtirpe nati in peſſimam naturam degenerarint. Tacetur autem hîc ex Hebræorum conſuetudine ſimilitudinis nota, id eſt, *quaſi eſſent à ſemine nequam, & ſceleratorum parentum filij*.

Acerba peccatoris reprehenſio.

18. [k] Pro *ſceleratis* Hebraicè eſt משחיתים *maſchithim*, quæ vox *perditionem* ſignificat, *corruptionem, & vaſtationem*: Et quia vox illa in numero multitudinis eſt, dicuntur ad verbum, *Filij corruptionum, vel perditionum*, id eſt, perditiſſimi, quia variis ſuppliciis obnoxij ſunt, velut rami abſciſſi à generoſa ſtirpe, & qui ſe ignobili atque infructuoſæ inſeruerunt. Hiſpanè, *Gente acabada o rematada*. Et re vera tales ſunt, qui filij dicuntur huius ſæculi, quique ſtatim dicuntur abalienati à Domino. Nam à mundo, eiúſque legibus à quibus tamquam à ſuo ſtipite pendent, alimentum trahunt. Hi corruptionem olent, quia mundo inſerti, qui omnino corrupit viam ſuam.

19. [l] *Dereliquerunt Dominum, blaſphemauerunt ſanctum Iſrael, abalienati ſunt retrorſum.*] Aliqui hæc ad tempus Euangelij referunt, putántque pertinere ad iniurias quas a populo ſuo, non iam ſuo paſſus eſt Chriſtus. Et quod ſtatim ſequitur, putant ſpectare ingentem illam, atque inſanabilem plagam, quam à Romanis poſt Chriſti mortem populus accepit Iudaicus. Sed qui non caſu, & pro commoditate eorum, quæ pro concione tractant, & diſputant; ſed ex inſtituto hæc interpretantur ad præterita peccata, præſentémque Iudæorum obſtinationem referunt. Propter quæ talia minatur Deus ſupplicia, qualia ſtatim deſcribuntur. Ita Hieronymus, licet omnium temporum meminerit, Baſilius, S. Thomas, Foreirus, Lyra, Adamus, & alij. Illa verò quæ ſuprà commemorata ſunt, ante tempora Iſaiæ contigiſſe ſatis liquet. Dereliquerunt enim Dominum, & fide illi data non ſemel prodita, idola coluerunt: Blaſphemarunt Deum, cùm diuinos honores tribuerunt aliis, & eius promiſſis, atque potentiæ diffiderunt: Abalienati ſunt retrorſum, aut quando regredi voluerunt in Ægyptum, aut initum cum Deo pactum abiicere.

20. Regula. Deus interdum humanos induit affectus.

[m] *Super quo percutiam vos vltra, addentes præuaricationem.*] Humanos affectus induit Deus accommodare ad hominum ſenſus, vt ſuum hominibus ſenſum, & conſilium declaret. Quare dubitare, admirari, imò & pœnitentia tangi dicitur, quia his modis homines, quam afficiantur grauiter explicare ſolent. Dum autem hic Deus quaſi dubitans & deliberans inducitur, ſignificat magnum aliquid eſſe quod de populo cogitat. *Hæc vox*, inquit Baſilius, *animi eſt non habentis in promptu quod ſtatuat, & deſperantis correctionem*. Percuſſerat Deus rebellem populum, quò illum ad meliorem mentem reduceret: ille tamen obſtinata perfidia animum ſemper retinebat antiquum; imò alias, atque alias addebat præuaricationes. Deus ergo inſtar ſolliciti medici, quem morbi prolixitas & in dies peior ſtatus grauat, & frangit, dicit: *Super quo percutiam vos vltra?* Qui loquendi modus ſignificat nullum eſſe ſupplicij aut medicamenti genus, quod in corrigendo populo non antè ſit expertus. Afflixit enim fame, peſte, bello, ſeruitute, quare in illius caput totam videbatur hoplothecam exhauſiſſe. Ac ſi dicat, non habeo iam, quo vos percutiam. Quomodo dixit in articulo non diſſimili *Aggæi cap.* 2. *Percuſſi vos vento vrente, &c.: & nec ſic*

Tribulationis ſcopus.

reuerſi

reuerſi eſtis ad me. Aut certè ſignificet nullam eſſe A partem in myſtico Iſraelis corpore, quæ ſit à vulnere, ſeu à dolore vacua: ita vt nouo vulneri locus non ſit. Quod eleganter expreſſit prophanus poëta *lib.* 4 *de Ponto*, extremis verbis.

Quid iuuat extinctos ferrum demittere in artus?
Non habet in nobis iam noua plaga locum.

Deinde inductione quadam probat nullam eſſe partem, quæ ſuo vulnere ſaucia non ſit. Nam ad naturalis corporis ſimilitudinem myſtici partes ægras proſequitur; deinde, quo plagarum genere quæque pars laboret, oſtendit. Ex quo veriſimile eſt, id quod modo exiſtimabam, tam de partibus affectis, quàm de vulnerum genere ſermonem eſſe.

21. Iudæorum ſtatus miſerabilis. ⁿ *Omne caput languidum, & omne cor mœrens; à planta pedis vſque ad verticem non eſt in eo ſanitas.*] B Hic partes exprimuntur affectæ, in quibus omnes hominum ſtatus ac conditiones explicantur. Laborabat autẽ totus ille populus miſerabiliter, ſummi, medij atque infimi, ſacerdos, & popularis, ſummus ordo, & plebs vltima, ſcribæ docti, & imperitum vulgus, fœdati antiquorum vulnerum veſtigiis, & conciſi nouis: præſentibus coopertis flagitiis & ad alia rurſus impudenter intenti. Per *caput*, Cyrillus, & S. Thom. Reges intelligunt, qui ſicut in homine caput, ſic ipſi in republica altiſſimam obtinent ſedem. Reges autem quorum ætate vixit Iſaias, ſcelerati fuerunt, vno excepto Ezechia. Et Oziæ caput, ſi literam nudam ſequare, languidum erat; quia illi eo fortaſſe tempore, quo hæc dicebantur ab Iſaia lepra frontem fœdârat. Per *cor*, C iidem ſacerdotes intelligunt, qui medij ſunt inter Deum, & homines. Cùm verò tale cor mœret, & caput languet, & parum viget, ægrum eſt atque imbecillum totum corpus, quod à Regio, ac ſacerdotali ordine vires capit; ſicut naturale corpus à capite animales, à corde vitales accipit ſpiritus.

22. ᵒ *Vulnus & liuor, & plaga tumens, non eſt circumligata, neque curata medicamine, neque fota oleo.*] Hic videntur deſcribi plagarum genera, quibus omnia Iudaici populi membra, aut vlcerosa, aut cicatricoſa, & deformata, aut conciſa ſunt. In *vulnere*, quod eſt diuiſio continui, & quod quaſi aperto ore hiat, & clamat, peccatum iam publicum intelligi poteſt: Per *liuorem*, qui eſt humor putris intra cutem collectus, peccatum occultum: Per *plagam tumentem*, peccatum diuturnũ, quod iam putet, & fœtet. *Plaga tamens* vulnus eſt aut vlcus, ſeu carcinoma iam putridum, vel propter ipſam plagæ naturam, vel propter vetuſtatem: Hebr. טריה *teruia*. id eſt, ſanioſa, & putris. Hanc eſſe ſignificationem verbi טרה *sara*, tenent Hebræorum magiſtri. Neque negat Hieronymus dum vertit *tamens*, quia tumor ab aliquo humore ſanioſo, ac putri prouenit. Sanè mandibula qua Samſon ſtrauiſſe dicitur

Iud. 15. mille viros, *Iud.* 15. טריה *terua* vocatur, quam vocem vulgatus vertit, *qua iacebat*. quæ ſi ab aſini capite diuulſa iam erat, & ſeparata, aridam fuiſſe oportuit; ſi autem, vt Hebræi volunt, & quidam ex noſtris qui *putreſcentem*, aut *recentem* conuertunt, E in capite erat aſini, vnde à Samſone diuulſa fuit, ſanioſam fuiſſe, ac ſucculentam veriſimile eſt. Hinc puto ſit planum, qualis fuerit illa plaga, quæ tumens hoc loco dicitur.

23. His ergo vocibus ſignificat Deus & olim vulnera populum excepiſſe grauia, quę nunc etiam ſanie puteant, & nunc etiam noua, quæ ſtillant ſanguine ex recenti vulnere. Neque illa antiqua aliqua medicina leuata ſunt, vt oleo, vel malagmate confota,

A neque recentia, circumligata; vel quia Deus leuari dolorem illorum noluit, grauiter populi ſui ſceleribus offenſus, aut quia cum omnes eſſent grauiter ſaucij (neque enim in illo myſtico corpore à planta pedis ad verticem vſque quicquam erat ſanum) non erat aliquis ſic à ſuo dolore liber, vt aliena curaret. Sed credo hîc ſignificari, ita eſſe percuſſam ingratam illam gentem, vt nulla medicina ſanari poſſe videretur. Quare tanquam deſperato, imò & deplorato ægroto nullum iam remedium adhibendum videbatur à medico.

ᵖ *Terra veſtra deſerta eſt, ciuitates veſtræ ſuccenſæ igne, Regionem veſtram coram vobis alieni deuorant.*] Hæc quidam patres ad excidium ſub Veſpaſiano referunt. Neque abnuit Hieronymus & 24.
B Cyrillus. Neque ego nego hæc quoque ad Romana tempora pertinere, ſicut & illa deſolatio, & plaga: neque enim inuſitatum eſt apud prophetas præteritum ſumi pro futuro. Non tamen improbabile puto hæc fuiſſe iam paſſos Iudæos, vt Hieronymus iudicat & Cyrillus, & ex iunioribus aliqui. Nam ab Ægyptiis, Syris, Ammonitis, & Moabitis Palæſtinis, Madianitis, variis ſæpe incommodis affecta eſt res Iudaica. Si verò hæc dicta ſunt ab Iſaia, non primùm ſub Ozia, ſed tempore Achaz, aut Ezechiæ (neque enim ſemper eo ordine res in Scriptura digeruntur, quo geſtæ ſunt) ſatis liquet quomodo eo tempore coram ipſis Iudæorum bona alieni deuorarint. Nam vt conſtat *ex* 4 *lib. Reg. cap.* 14. 15. 16. 17. ab alienis exhauſti ſunt theſauri
C domus Regiæ & templi; & in hanc ſententiam magis inclinarem; niſi illud priùs magis placeret pleriſque Patrum.

ᑫ *Et deſolabitur ſicut in vaſtitate hoſtili.*] Hæc 25.
ego vt verba ipſa præſeferunt, ad tempus futurum Regula.
refero. Neque ſolum ad extremum excidium Ie- *Sicut* non ſe-
ruſalem poſt Chriſti mortem, vt nonnulli volunt, per ſimilitu-
ſed etiam ad illud, quod Iudæa pertulit ab hoſte dinem indi-
Chaldæo. Illud verò *Sicut*, non puto ſignificare ſi- cat.
militudinem, ſed veritatem: re enim vera hoſtis fuit, & non tanquam hoſtis qui ciuitatem obſedit, atque vaſtauit. Siue hæc de Babyloniis, ſiue de Romanis intelligas. nam de vtriſque ſermonem hic eſſe tenent communiter interpretes.

ʳ *Et relinquetur filia Sion, vt vmbraculum in vi-* 26.
D *nea, & ſicut tugurium in cucumerario.*] Explicat qualis Hieroſoly-
futura ſit hoſtilis illa vaſtatio de qua nuper, & eſt mæ quanta
ſatis apta ſimilitudo. Nam quemadmodum per- vaſtitas.
acta vindemia, & collectis iam extremis e cucumerario fructibus vmbraculum, quod imminebat vineæ, & erat cuſtodi munimento, atque vmbræ, & terrori furibus, ſic diſſipatur, vt neque ſpeciem habeat vllam, neque vſum: ſed tantùm ſuperſunt nuda ſtatumina, & non iam tabernaculum, ſed tabernaculi diſturbati mera veſtigia. Sic nobilis illa ciuitas, & illuſtre templum, adeò erunt ab ariete, atque incendio vaſtata, vt præter ruinas, & diſperſos per plateas ſanctuarij lapides, nihil ſuperſit antiquæ gloriæ. Quare verè poſſis illud de Ieruſalem vſurpare, quod de ſua Troia, cùm grauiſſimè locuti
E ſunt, cecinerunt Poëtæ. Virg. 3. *Æneid.*

Littora tunc patriæ lacrymans, portuſque relinquo
Et campos vbi Troia fuit.

Et Ouid. 1 *epiſt. Heroid.*

Iam ſeges eſt, vbi Troia fuit, reſecandáque falce,
Luxuriat Phrygio ſanguine pinguis humus.
Semiſepulta virum curuis feriuntur aratris
Oſſa, ruinoſas occulit herba domos.

Hæc multo veriùs de Ieruſalem, vbi maior ho-

minum cædes;& quæ in maiorem vaſtitatem redacta eſt. de qua eadem propè ;eodem penè tempore dixit Micheas *cap. 3. Sion quaſi ager arabitur, & Ieruſalem in aceruum lapidum erit, & mons domus in excelſa ſyluarum.*

27. *Ieruſalem, & Iſrael dicuntur vinea.*

Hic notandum, ſeruari hoc loco allegoriam familiarem prophetis de Ieruſalem, quæ vineæ comparatur, & vinea dicitur maximè ; ab Iſaia *cap. 5.* quam Deus maceria ſepſit,& turrim impoſuit, &c. cui tamen vineæ arx Sion. quæ vrbi imminebat, vt propugnaculum, erat quod tugurium cucumerario, aut tabernaculum vineæ. Sed vbi hoſtis vberem inde vindemiam collegit, excilis ab radice viribus, arx Sion, & templum ſicut tugurium diſturbata ſunt. Huc quoque ſpectat quòd *vindemia* prouerbiali ſpecie pro *vaſtitate* ſumitur. *Thren. 1. Quia vindemiauit me, vt locutus eſt Dominus in die furoris ſui.* & ſuprà, *Vindemia eos, ſicut vindemiaſti me.*

Vindemiare pro vaſtare.

28. [*Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemẽ, quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha*,&c.] Explicat nunc propheta ſtatum Ieruſalem,& Iuda, qui non videbatur eſſe diſſimilis ſtatui Sodomorum, vſque adeo ſe in omnem turpitudinem proiecerant. Quare principes Ieruſalem, ſtatim principes vocat Sodomorum. Principum autem vitæ conſonare plerumque ſolent populi mores. Vbi obſeruandum tam Hieronymum, quàm LXX. pro שריד *ſarod*, quod *reſiduum* ſonat, ſeu *reliquias*, poſuiſſe, *ſemen*, ſpectantes potius ſenſum, quàm vim nominis. Quam explicationem, ſi deſiiſſent cætera, ſatis confirmat autoritas Pauli *ad Rom. 9.* vbi eodem modo reddit hunc locum Iſaiæ. Quod verò ſit iſtud ſemen, adhuc obſcurum. Baſilius Chriſtum intelligit, qui fuit Abrahæ ſemen, per quem illi ſalui facti ſunt, qui aliter eodem quo Sodomitæ, aut non diſſimili exitio periiſſent : idem putat Hugo. Quæ ſententia maximè pia eſt, & Chriſti beneficia maiorem in modum commendat : nam iuxta eam deleuiſſet Dominus funditus Iudæorum genus, ſicut deleuit Sodomæos, niſi ſupereſſe ſemen ex ea gente decreuiſſet, ex quo naſceretur Chriſtus. Chriſto itaque ex ea gente naſcituro tribuendum eſt, quòd non omnino extinctum fuerit Iudæorum genus. Simili commẽdationis genere vſus eſt profanus poëta, qui vt Fabij Maximi merita extolleret, eius gratia dixit non omnes Fabios fuiſſe peremptos vna die. Hiſtoria nota eſt. Sic ergo Ouid. *lib. 1. de Ponto, Eleg. 2. ad Maximum.*

Christo debetur quod Iudæorũ genus non fuerit funditus deletum.

Qui naſci vt poſſis quamuis cecidere trecenti
Non omnes Fabios abſtulit vna dies.

Ac ſi dicat, cùm decreuit Deus perire totam Fabiorum familiam, in te vnum intuebatur futurum aliquando patriæ columen, & præſidium ; atque ideo ex tot viris lectiſſimis vnum ſuperſtitem eſſe voluit, ex quo naſcereris. quo de Fabio nihil dici potuit illuſtrius.

29. *Apoſtolorũ in mundum beneficium.*

Alij ſemen iſtud relictum Apoſtolos eſſe putant, qui tanquam ſemina ſegetes renouant, quas tempeſtas ſtrauit, aut ſitis arefecit, aut glacies & pruina decoxit. Quod facere agricolæ ſolent, qui ſi pertenuem habuere prouentum ex copioſo ſatu, modicum illud quod ex agro percepere, ſeruant ad propagandas fruges, ne cum ſemine ſpes quoque frugis intereat. Vt *Gen. cap. 47.* Ægyptij à Ioſepho frumenta petierunt, ne terra periret cultoribus vacua. Et de Apoſtolis accipit Hieronymus, Cyrillus, S. Thomas, Haymo, & recentiores ferme omnes tam in hunc locum, quàm *in cap. 9. ad Roman.* vbi hæc citat Paulus : Et hoc poſterius mihi videtur

A eſſe dicendum, tum quia ſic omnes communiter, tum quia aliqua ſunt, quæ non bene Chriſto conueniunt. nam, vt diximus, שריד *ſerod*, propriè *reliquias*, ſiue *reſiduũ* ſignificat, eius quod periit. Deinde quia in textu Hebraico eidem voci adiungitur כמעט *chimhhat*, quæ vox ſignificat *reliquias illas futuras eſſe exiguas*, quod etiam ſatis docet Paulus ſuprà. Hoc ergo ſemen à Deo relictum fecit, ne Ieruſalem eſſet ſicut Sodoma; id eſt, ne funditus periret cœleſti incendio, quando eius turpitudinem imitabatur; in qua ſic erat proiecta intemperanter, vt non alio quàm cœleſti igne purganda videretur. Sic enim de illa Ioſephus *lib. 6. de bello, capite 16. Non equidem recuſabo dicere, quæ dolor iubet. Puto, ſi Romani contra noxios venire tardaſſent, aut hiatu terra* B *deuorandam fuiſſe ciuitatem, aut diluuio perituram, & fulmine ; ac Sodomæ incendia paſſuram: multo enim magis impiam progeniem tulit, quàm illa pertulerat.* Quæ ſanè vera puto, ſi hæc de tempore intelligas Euangelij.

Hæc mihi, ne à tot Patrum ſcriptorúmque ſententia diſcedam, ita videntur eſſe intelligenda. Verùm non videbatur malè expoſiturus, neque minùs ad textum conſentaneè; qui putaret ſermonem hic eſſe non de Apoſtolis, aut exitio Solymitano per Romanos, ſed de vaſtitate vrbi à Chaldæis illata; & de illis Iudæis qui ab eo exitio ſuperſtites fuerunt. Qui hoc loco futuri dicuntur eſſe pauci, vt textus docet Hebraicus, qui fuerunt quaſi ſemina populi Iudaici : ſicut Noe conſeruaſſe dici potuit C in arca Semen mundi. Et quidem quòd *ſemen* hoc loco paucæ illæ reliquiæ futuræ ſint populo Iudaico, indicat Paulus, qui hoc & aliis Iſaiæ teſtimoniis probat paucos ex tanta Iudæorum multitudine fore ſaluandos, vt exponunt omnes fere interpretes. Quàm verò pauci exitio, exilióque ſuperfuerint Babylonico, & ad antiquam ſedem, & gloriam redierint, docuimus in illud *Zachariæ cap. 2. num. 14. O ò fugite de terra Aquilonis.* vbi ex Ezechi. probauimus, ex tertia parte, cui fames, & gladius pepercerunt, tertiam item partem, id eſt, ex omnibus nonam reſtitutum iri. Non dubito ibi Paulum agere de vocatione ad Eccleſiam. Quis enim tam aperta neget? ſed quemadmodum in Zacharia diximus *cap. 2. cap. 9. & cap. 10.* in principio D omnium, & infrà *in præfatione ad cap. 40.* ex multorum ſententia inſtaurationem vrbis & templi figuram eſſe Eccleſiæ, contigiſſéque myſticè in Eccleſia, quæ tamquam in typo in illa inſtauratione præceſſerunt. ſic modò in exiguo numero eorum, qui ex tanta multitudine redierunt, adumbrari exiſtimo, quàm ex Iudæis pauci acceſſuri ſint ad Eccleſiam, atque id voluiſſe Paulum, qui optimè norat omnia in figura contigiſſe Iudæis. Neque video cur hæc ſententia quibuſdam nimiùm criticis aliquid impietatis oleat ; Quæ ſi de Babylonica captiuitate ſolùm, & nudo Iudæorum ſtatu, loque- E retur, ſine vlla ad Eccleſiam, & eos qui in ea ſaluandi ſunt, comparatione, ego quoque damnarem, quia Paulus etiam apertè damnat. Exiſtimo igitur in hoc ſtatu Iudæorum qui ex tanta multitudine ad vrbem antiquam, & religionem patriam remigrarunt, alium ſtatum eſſe propoſitum, eorum nempe, qui ex ſtatu non admodum diſſimili ex eadem gente acceſſere ad Eccleſiam, & ideo eò ſpectaſſe Paulum. De Iudæorum captiuitate ſermonem hîc eſſe cenſent Pagninus & Vatablus ; de captiuitate hiſtoricè, & de Eccleſia typicè, putat Foreirus, niſi quòd de excidio per Romanos, hîc agi putat. Hoc

30.

tenet

tenet Lyra, quæ anteceſſerunt, & conſequuta ſunt pertinere ad captiuitatis tempus putat Adamus, & alij plures. Sed hæc verba Adamus propter autoritatem Pauli ad Eccleſiam collata cenſet ab Iſaia, qui ſuo more ab hiſtoria, & litera tranſit ad ſpiritum: deinde ad interrupta fuiſſe reuerſum.

31. Sed quia locus eſt obſcurus, licebit credo aliter tentare, quod in rebus dubiis alij fecere. Lector prudenter, vt volet, iudicabit, ac ſtatuet. Suprà dixerat propheta Iudæos eſſe ſemen nequam, & filios ſceleratos, quos vt filios ſuos enutrierat, atque exaltauerat. Nunc videtur ſignificare propter paucos, qui fuerunt verum Dei ſemen, atque legitimum, id eſt, propter paucos iuſtos, non fuiſſe regionem illam funditus exciſam: erant autem cùm hæc ab Iſaia dicta ſunt, aliqui iuſti, nempe Oſeas, Amos, Ioel, Ionas, Micheas. Videtur autem alluſum ad incēdium Sodomæ, quæ ſi decem iuſtos habuiſſet, id eſt, ſi ſemen modicum verum, & ſanctum fuiſſet illi relictum, non omnino cœleſti conflagraſſet incendio.

32. t *Quaſi Sodoma fuiſſemus.*] Comparatio hæc Ieruſalem cum Sodoma, non eſt quo ad ſcelerum gradum, & magnitudinem, ſed quo ad ſupplicij modum. Neque enim Iudæi ſub hæc tempora, aut certè quando illis contigit ab Aſſyriis ſtrages, minùs erant impij quàm Sodomæi. Nam de huius populi impietate ſic loquuntur prophetæ, vt à Iudæis Sodomæos longè fuiſſe ſuperatos ſignificent. Ieremias, *Thren. cap. 4. Maior effecta eſt iniquitas populi mei peccato Sodomorum.* iuxta expoſitionem omnium penè interpretum. Sed hic locus vt alij putant, parum fauet huic ſententiæ nam vt ex textu liquet. ibi iniquitas pro ſupplicio ſumitur, quod in Scriptura vſitatum eſt. Sed docet hoc apertè Ezechiel, *cap.* 16. qui cum loqueretur cum Ieruſalem, ſeu Iuda, dicit. *Non fecit Sodoma, & filia eius, ſicut feciſti tu, & filia tua.* Quod iureiurando affirmat Dominus, præmiſit enim, *Viuo ego.* Et paulò pòſt ait vſque adeò in flagitiis ſuperatas fuiſſe Sodomam, & Samariam, vt eius comparatione ſanctæ videri potuerint. *Vieiſti*, inquit, *eas ſceleribus tuis, & iuſtificaſti ſorores tuas in omnibus abominationibus tuis, quas operata es.* Et quidem, ſicut nuper vidimus ex Ioſepho, ante Romanorum aduentum ſic erat Ieruſalem corrupta flagitiis, vt, ſi abeſſet Romanorum obſidio, non putaretur differendum diu cœleſte ſupplicium. Neque verò tempore Achaz, & Manaſſe; aut ſub Aſſyriorum appulſum minùs erat flagitiis onerata ciuitas, quàm tempore Ioſephi, & Romanorum. Non enim Sodomitæ plus auſi ſunt, quàm Iudæi, qui pro effeminatis, ac meretricibus ædiculas in templo poſuerunt. Illa ergo ſcelerum aut multitudine, aut genere non erant inferiores Sodomitæ; fuerunt autem diſſimiles in ſupplicij modo. Ex tota quippe Pentapoli nullus fuit, qui immiſſum cælitus incendium effugeret: nam Loth, & eius familia non erant è Sodomitarum genere, ſed paulò antè rei pecuariæ gratia in eam regionem immigrarat. At ex Iudæis aliqui poſt illud Aſſyriorum excidium, in patriam redierunt.

Ieruſalem non minùs impia, quàm Sodoma.

33. u *Audite verbum Domini principes Sodomorum.*] Hæc quoque ad Chriſti tempora referunt quidam ex Patribus. Qui in his principibus agnoſcunt illos, qui negauerunt, damnauerúntque Chriſtum, propter quod longè in ſcelere fuerunt ſuperiores Sodomitis. Hæc tamen eodem modo accipienda puto, quo ſuperiora: nempe vt de ſuo, aut de Aſſyriorum tempore hiſtoricè loquatur Iſaias; figuratè verò de tempore Euangelij. Nam quòd ad præſentes hic ſermo ſpectet, non obſcurè indicant, quæ mox ſuccedunt. Quod dicendum omnino eſſet, ſi modo vera ſit traditio Hebræorum, qui, vt Hieronymus hic ſcribit, ideo dicunt ſerra fuiſſe diſſectum Iſaiam, quia Iudæos eo Sodomorum nomine ignominioſe compellaſſet. Quod ipſis in omnem modum erat execrabile, ſed de Iſaiæ morte, & de eius cauſa plura à nobis in prooœmio tradita ſunt. Sed eſt fortaſſe alia ratio nominis: nam videtur Ieruſalem appellare Sodomam propter mores non diſſimiles. Et quia hæc verba, vt conſtat, ad ſacerdotes & principes ciuitatis ſpectant, à quibus illa ſacrificia offerebantur, quæ Deus reſpuit; ideo eos principes vocat Sodomorum, quia ſuum quaſi regnum obtinebant in ea republica, quæ Sodomiticis ſordibus veræ atque antiquæ Sodomæ non erat diſſimilis.

x *Quò mihi multitudinem victimarum, &c. plenus ſum, &c.*] Ad hæc verba Dominus attentos eſſe vult Sodomorum principes. De quorum ſenſu variè ſentiunt interpretes. Quidam hæc accipiunt de tempore Euangelij, quod maxima ex parte reſpicit Iſaiæ vaticinium; ita vt tunc abrogetur antiqua lex, & exoletis eius ſacrificiis nouum inducatur ſacrificium, quod in prioribus quaſi in quibuſdam inuolucris & vmbris occultabatur. Ita Cyprianus *lib. 1. contra Iudæos cap.* 16. Cyrillus, Baſilius, Procopius, Dionyſius, & è recentioribus aliqui, & in his Leo Caſtrus, qui in eos qui contrà ſentiunt acerbè, & tragicè inuehitur, & penè Iudaicæ perfidiæ damnat, qui ideo putant cauſam inferiùs reddi cur ſublata ſit antiqua religio: quia à Sodomorum principibus Chriſtus morti traditus fuit, quando dixerunt, *tolle, tolle, crucifige.* & *ſanguis eius ſuper nos.* Quod ſignificari putant illis verbis. *Manus veſtræ ſanguine plenæ ſunt.* Plenæ inquam ſanguine Chriſti ab ipſis crucifixi. Quæ quia tantis viris placet ſententia, nobis quoque non diſpliceat. Sed addam quod mihi non minùs probabile, totíque capitis textui conſentaneum videtur, quódque aliis, vt ſtatim dicemus, cenſetur non improbabile. 34.

Exiſtimo pertinere hæc non tam ad Chriſti tempus, legíſque abrogationem, quàm ad tempus illud, in quo hæc ab Iſaia dicta ſunt, id eſt, in quo immenſa quædam erat in illa ciuitate vitiorum proluuies. Gens autem illa tantum & ſuo templo, & ſacrificiis tribuebat, vt expiatum iri crederet peccata ſua, aut fore impunita, ſi ſacrificia illa ſtatis temporibus, & præſcriptas à lege cæremonias obiret. Quare frequens illis erat in ore, *templum Domini, templum Domini, templum Domini. Ierem. 7.* quaſi eo ſaluo, ipſi quoque futuri eſſent ſalui. Sed non minùs frequens contra illos in ore Domini, nihil illis profuturum templum & ſacrificia, ſi pietas abeſſet, aut honeſtas morum. Vide *Pſal. 49. & 50. Ierem cap. 6. & 7. Zachar. 8. Iſai. 43. 58. 66.* Vbi Deus ingrata ſibi dicit holocauſta, quia nuda videt à morum ſanctitate; neque tamen ibi de legis abrogatione ſermo eſt. 35.

Cur verò & nunc & frequenter alibi Deus reſpuat, quæ tam aliis locis frequenter commendarat, in aliis hæc quoque ratio grauis videri poteſt, quæ neque hic à Spiritu ſancto prætermiſſa eſt. Nam cùm ſacrificiorum & cæremoniarum duplex ſit finis, vt tradit Abul. alter Architectonicus, qua ratione ſciographicè, aut ichnographicè fabricam intuetur: & iuxta hanc omnium ſacrificiorum finis

Sacrificia cur ingrata Deo.

Digitized by Google

eſt Chriſtus, quem antiquæ legis ſacrificia obſcurè delineant, & adumbrant; alter qui ad præſentem ſtatum Iudæorũ inſtituendum pertinet. Quare illa ſacrificia aut alicuius beneficij memoriam renouant, aut aliquem bene conformandæ vitæ modum præſcribunt, ſicut Ægyptiorum notæ Hieroglyphicæ. Et ſanè eo conſilio præcepta quædam tamquam ſymbola data eſſe Hebræis, vt ab ipſis veluti à ſpectabili documento exemplum ſumerent inſtituendæ vitæ, tradunt Clemens Alexan *lib. 5. ſtrom.* Theodoretus *lib. de ſacrificiis paulo ante medium*, & Ariſteas *lib. de 70. interpretibus, qui eſt in 2. tomo Bibliotheca.* Vbi tradit, Eleazarum ſummum ſacerdotem percontantibus Ptolomæi legatis reſpondiſſe, præcepta tradita à Moyſe de non comedendis his vel illis animalibus, eſſe ſymbola Hieroglyphica, qualia Ægyptiorum, quæ optimè vitæ inſtituendæ rationem oſtendunt. Et ita planè indicat Paulus cùm dicit 1. *Corinth. 9. verſ. 9. Nunquid de bobus cura eſt Deo?* Cùm ergo ſacrificia, cæremoniæ, & ſolennitatas eò ſpectarent, vt homines aut colerent Deum beneficiorum memores, aut ſeipſos excolerent iuxta propoſitam ſacrificandi Hieroglyphicam formam; Iudæi externa illa Sacrificiorum ſpecie contenti de his, quæ in illis præſertim ſpectabar Deus, non laborabant. Quare neque pro acceptis beneficiis grati placere Deo ſtudebant, neque quò placere poſſent, ſe ipſos virtutibus ornabant. Quocirca obſequia illa tanti ſumptus tamque frequenter repetita non aliter accipiebantur à Deo, quam accipi poſſent à famelico non cibi, ſed expreſſæ quidem eleganter, vacuæ tamen, ac futiles ciborum imagines; aut ab eo, qui tectum, aut vmbram deſiderat in æſtu aut pluuia, ſi quis non domum, ſed domus ſciographicam effigiem offerat, quod genus iniuriæ, & contumeliæ exiſtimatur, quo otioſi homines ludificare ſolent conuiuas incantos expreſſis ex argilla aut ligno ad viuum arborum fructibus; quod feciſſe traditur vxor Pythei apud Plutarchum, *de claris mulieribus cap. 25.* & Heliogabalus apud Lampridium, & Caligula apud Suet. *cap. 37.* Quem ſenſum indicat Hieronymus ad illud ſtatim. *Quis quæſiuit hæc.* Sic enim ibi. *Hoſtiæ, & immolatio victimarum non principaliter à Deo quæſita ſunt, ſed ne idolis offerrentur, & vt de carnalibus victimis quaſi per typum & imaginem ad ſpirituales hoſtias tranſiremus.* Idem Haymo, & Chryſoſt. *in hunc locum tom. 1.*

Sacrificia, & cæremoniæ Symbola erant, & Hieroglyphicæ notæ.

In ſacrificiis quid ſpectet Deus.

Sacrificia quæ inania.

36. Hæc ego veriſimiliter dici poſſe puto, fauéntque quàm plurima alia Scripturæ teſtimonia, quæ idcirco à Deo reſpui ſignificant antiqua ſacrificia, non quia abroganda poſtea, ſed quia ab iis oblata, qui à ſacrificiorum exemplari nihil accepere, quod ad ſuorum morum inſtitutionem tranſcriberent. Neque poſterior explicatio patronis orbata eſt, in quibus eſt Irenæus *lib. 4. cap. 32.* qui immeritò in contrariam ſententiam citari ſolet. Theodoretus *lib. de ſacrificiis paulo ante medium*, Haymo, Hugo, Adamus, Foreirus, Montanus; idem apertè S. Thom. in illud ſtatim. *Cum veniretis ad me.* Vbi ſic ait. *Ponit reprobationis rationem, ibi cum veniretis*, &c. *Quaſi dicat, Plus offenditis me ambulantes in atriis meis polluentes ea, quàm holocauſtum placeat.* & clariùs infra ad illud. *Incenſum abominatio eſt mihi.* idem docuit Gab. Vazquez. *Tom. 2. in 1 2. S. Tho. diſp. 191. cap. 3.*

Neque video quid hinc incommodi timeri debeat, imò ratio, quæ ſtatim ſubditur, id non obſcurè docet. Ideo enim reprobari dicit ſacrificia, non

A quia antiqua, ſed quia ab iis adducta, quorum erant manus plenæ ſanguine, & ideo iubentur, vt iuſtitiam quærant, &c. & infra eodem modo reſpuenda dicitur oratio, quo hic ſacrificia. *cùm multiplicaueritis orationem non exaudiam*: oratio autem nunquam fuit abrogata. Neque aliam rationem eſſe puto cur illa ſacrificia non admiſſa, quàm cur Iudæi grauiter ante percuſſi: fuerunt autem percuſſi prius quia gens peccatrix, & populus iniquitate grauis erat. Nunc verò repulſi à ſacrificiis, aut illorum ſacrificia repulſa ſunt, quia ſanguine eorum manus plenæ ſunt. Accedit ad hæc quòd hunc locum Iſaiæ ideo Chryſoſt. *oratione 4. contra Iudæos* dicit non eſſe adductum à Paulo ad probandam legis infirmitatem, atque abrogationem, quia B locus hic non admodum vrgeret Iudæos, qui reſpondere poſſent ab iniquitate offerentium habere hæc ſacrificia, quo abominationi ſint non à ſe ipſis.

37. ſ *Plenus ſum.*] Sunt qui putent idcirco Deum nolle ſacrificia illa arietum, &c. quià ipſe diues eſt, & omnium Dominus; quo ſenſu *Pſal. 49.* dicitur. *Non accipiam de domo tua vitulos: neque de gregibus tuis hircos, quoniam mea ſunt omnes feræ ſyluarum.* Sed ſanè nihil non reiiceret Deus, quod oblatum eſſet ab homine, quia nihil eſt, quod à Domino homo non habeat. Sed accepiſſe ſæpe Dominus dicitur ſacrificia; & aſcendiſſe holocauſta in odorem ſuauitatis: & ab eodem ſæpe hominibus impoſita & ab eiſdem ſeuerè poſtulata. Sed C eſt veriſimilius, *Plenus*, hoc loco ſignificare *ſatiatum.* quo ſenſu dicimus, aliquem eſſe ſatiatum cui aliquid faſtidio eſt, & nauſeam mouet, vel quia non gratum, vel quia ſæpe importunè, atque indecorè repetitum. Vt eſt volgare illud de crambe. *Bis crambe mors.* Quod etiam apud Latinos valet *plenus.* dicimus enim, *aures meæ plenæ ſunt his vocibus*, id eſt, oneratæ, & obtuſæ.

ᵗ *Holocauſta arietum, & adipem pinguium, & ſanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui.*] Alij codices aliter diſtinguunt. Quidam ſic legunt, *plenus ſum*, & hîc punctum aſſignant. deinde in alia clauſula dicunt. *Holocauſta arietum*, &c. *nolui.* Alij ad *plenus ſum* ſine vlla diſpunctione adiungunt reliqua, hoc modo. *plenus ſum holocauſta* D *arietum & adipe pinguium.* Sed prior lectio, atque diſtinctio in correctis à Sixto bibliis probatur, & rem exprimit multo ſignificantiùs, ſiue hæc ad Euangelij, ſiue ad Iſaiæ, ſiue ad Aſſyriorum referas tempus.

38. a a *Cum veniretis ante conſpectum meum quis quæſiuit hæc de manibus veſtris, vt ambularetis in atriis meis?*] Id eſt, Nemo coëgit vos, vt in atria mea ingrederemini illotum ſacrificiorum cauſa, quæ à manibus vſque adeo ſordidis offeruntur. Poſtulat ſanè Deus à Iudæis munera *Exod. 23. & 34. Deut. 16.* & dixerat, *non apparebis in conſpectu meo vacuus*, Sed non talia exigebat munera, qualia ipſi reddunt. ab omni ſana cogitatione vacua. Et ideo dixit ſignanter *Hæc*, cum demonſtratione, ac ſi dicat, E Hæc futilia, fœtentia, &c. quæ in manibus veſtris video. Illud poſtremum, *vt ambularetis in atriis meis*; oſtendit ab iis qui talibus ſacrificiis onuſti templum ingrediuntur, calcari potius, & pollui ſacra, quàm ornari, & coli.

39. b b *Ne offeratis vltra ſacrificium fruſtra.*] Hebraicè ad verbum. *Adducere ſacrificia vanum.* Quod verum eſt ſiue hoc ſit poſt abrogatam legem. quia reuera ex eo tempore vacua fuerunt,

quia

quia neque vmbram habuere veritatis ſiue tempore Iſaiæ, quia vana ſunt à merito, quia ab impiis & ſanguinariis oblata. Pro *ſacrificio* Heb. מנחה quod ſi, vt quidam volunt, ſignificat oblationem de terræ frugibus, ſenſus eſt elegans, & grauis; nempe eiuſmodi eſſe; quaſi manipulus frugum, qui ex arida ſtipula conſtat, & ſpicis ſine granis. quod aliter explicuit Oſeas *cap.* 8. cùm dixit. *Germen non faciens farinam.* Vt autem palearum manipulus, aliquid ambitioſum eſt, & vanum, ſic ſacrificia illa quæ ſterili ritu & ambitioſo tantùm apparatu ferebantur in templum. Sacrificium enim cui ſpiritus abeſt, & ſancta cogitatio, quæ eſt eius vita atque ſubſtantia, ſpica eſt, quæ granis nondum fœta, aut ſi quid in ea granorum apparet, illud exuſtum eſt aut euanidum. Fiebant autem oblationes multæ ex frugibus terræ, vt panes azymi, vt manipuli & nouæ fruges in Pentecoſte.

A

ᶜ ᶜ *Incenſum abominatio eſt mihi.*] Heb. קטרת
40. *ketoreth*, id eſt, *ſuffitus*, qui cum gratus accedat ad hominum nares, quia ex pretioſo aromate concinnatus; ex eo tamen quod ex ſordidis impiorum manibus contraxit, graue aliquid, & putidum aſpirat. Porrò *incenſum* aliquid eſt commune, ſicut Hebr. קטרת *ketoreth*, ſumitur tamen communiter pro thure, ſicut Græcè nomen ſumpſit à θύω, quod eſt adoleo. nobiliſſimo enim aromati αἰδοιματικῶς commune nomen attributum eſt.

B

41. Neomeniæ cur inſtitutæ. d d *Neomenia.*] Nouilunium, ſeu principium menſium. Hebr. חדש *chodes*, quod ſeptuaginta vertunt *Neomeniam*, noſter, *Kalendas*, Romano more; licèt non in eumdem diem inciderent Romanorum Kalendæ & Hebraicæ Neomeniæ; quia non idem apud omnes menſium initium. Quia Hebræi à luna menſium ducunt exordium, ideo nouilunium, ſeu Neomenia, nouus menſis dicitur, aut menſis exordium. Quæ verò ſit iſta Neomeniæ ſolennitas, & quorſum inſtituta, ex ſcriptura non conſtat. Dicit tamen S. Thom 12. *quæſt.* 102. *art.* 4. *ad* 10. hac ſolennitate celebrari beneficium diuinæ gubernationis, quæ ideo primo lunæ die recolitur, quia res humanæ præcipuè ad lunæ motum variantur. Accedit quòd cœlum perpetuò teſtatur, & narrat gloriam Dei, *Pſal.* 18. Quia ergo tunc in cœlo fit & in terra plerumque magna mutatio, quæ Dei in rerum gubernatione admirabilem prouidentiam oſtendit, ideo dies ille Deo deſtinatur gubernatori, ſicut dies ſabbati creatori. Cur autem in plenilunio nulla ſit apud Hebræos ſolennitas, cùm dies ille, quo ad rerum mutationes notari ſoleat, addátque cœlo non parum venuſtatis, ea ratio eſt, vt docet S. Thom. ſuprà, vt longè eſſent Hebræi ab eo cultu, qui à Gentibus lunæ eo temporis articulo exhiberi ſolet. Ribera aliam addit cauſam *lib. de feſtis Iudæorum cap.* 2. quia ſicut terræ primitias Deo libamus, ſic etiam temporum, quæ lunæ circumactu renouari, aut inchoari exiſtimantur, Deo conſecrantur. Conuocari autem eo tempore populum tubarum clangore liquet, *Num.* 10. *Si quando habebitis epulum, & feſtos dies, & Kalendas, canetis tubis.* Eſſe verò diem illum maximè religioſum, & celebrem, docet *pſalm.* 80. *Buccinate in Neomenia tuba, in inſigni die ſolennitatis veſtræ.* Quo tempore victimæ quædam offerebantur, *Num.* 28. Quod autem *Leuit.* 23. in catalogo feſtorum dierum, non numeretur Neomenia, in cauſa eſſe putat Abul. *in cap.* 28. *Num. quæſt.* 18. quia tunc offerebantur ſacrificia, non tamen legis præcepto vacandum erat ab opere ſeruili.

C

Beneficiorũ Dei non deponẽda memoria.

D

E

ᵉ ᵉ *Kalendas veſtras & ſolennitates veſtras.*] Nihil hîc addit nouum; ſed tantùm eiuſdem ſententiæ repetitione confirmat, amplificatque, quid de externo illo, atque ambitioſo victimarum apparatu ſentiat, & quanto ſibi faſtidio ſint. 42.

ᶠ ᶠ *Iniqui ſunt cœtus veſtri.*] Septuaginta vertunt, *ieiunium & otium*. Ratio diuerſitatis orta eſt ex ambiguitate Hebraicarum vocum. און *auen*, *iniquitatem* ſignificat, & *afflictionem*, vt notum eſt iis, qui Hebraicè mediocriter ſciunt. Hieronymus priorem partem ſecutus eſt, ſumpſit tamen concretum nomen pro abſtracto, dum vertit, *iniqui ſunt*, non *iniquitatem*. Quod fit in ſcriptura ſæpe, vt diximus *in cap.* 51. *num.* 6. ad exempla quæ ibi adduximus. adde illud 2. *Corinth.* 5. *num.* 19. *quandoquidem Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi.* Vbi fortaſſe *Deus* pro *Deitate* ſumitur, ita vt Chriſtus reconciliaſſe dicatur mundum, quia erat Deus, quomodo videtur explicuiſſe Ambroſ. *lib.* 3. *de fide, ad Gratianum, cap.* 5. *in fine. Deus*, inquit, *erat in Chriſto, hoc eſt, ſempiterna diuinitas.* Hoc genere dicendi vſi ſunt Ambroſ. & Auguſt. in Hymno, *Te Deum laudamus*; *tu ad liberandum ſuſcepturus hominem.* & alij Patres, atque concilia, quorum auctoritate adductus eſt Ludouicus Viues *in lib.* 9. *Ciuit. cap.* 17. vt diceret Deum aſſumpſiſſe hominem; quod Theologorum ſchola auerſatur, & horret. Sed in omnibus locis, quæ ipſe in eam ſententiam adducit, *homo* pro *humanitate* ſumitur, id eſt concretum pro abſtracto, vt hîc facit Hieronymus, & *cap.* 51. *infra* dum *ſaluatorem* adhibet pro *ſalute*, & *iuſtum* pro *iuſtitia*. *Afflictio* verò pro *ieiunio* ſumitur, quare *affligere animas* ex vſu ſcripturæ, *ieiunare* eſt. עצרה *hhatſara*, *cœtum* ſignificat, & *extremum diem tam in azymis, quam in tabernaculorum feriis*; qui dicitur *cœtus*, & *collecta*. De die vltimo tabernaculorum, *Leuit.* 23. de vltimo azymorum, *Deut.* 17. Cùm autem illi dies feſti ſint, & à labore vacui, optimè Septuaginta reddiderunt *otium*; & cùm eiſdem diebus collectæ fiant, aptè Hieronymus reddidit *cœtum*. Sed illud aliqua ratione Hieronymi tranſlationem perturbat, quod non eſt in ea locus coniunctioni ו *vau*, id eſt, *&*. Sed eſt quòd pro Hieronymo reſpondeamus: neque enim, vt optimum interpretem decet, verba numerat, ſed ſententiam expendit. Si verba numeres, ſic reddes. *iniquitas & cœtus.* ſententia eſt. *In veſtris Kalendis, & ſolemnitatibus nihil eſt aliud quàm congregatio, & multitudo in vnum collecta. & in ea iniquitas.* Quod ſanè magis perſpicuè Hieronymus vertit. *iniqui ſunt cœtus veſtri.* 43.

Concretum pro abſtracto.

Afflictio pro ieiunio.

Vltimus dies tabernaculorum, & azymorũ dicitur collecta, & cœtus.

Hieronymus in verſione Septuaginta hanc putat eſſe ſententiam; illud ieiunium non placere Deo, quod otium bonorum operum habet, id eſt, quod ab operibus bonis vacuum eſt. Mihi in ſua tranſlatione voluiſſe videntur Septuaginta ſeu potiùs Deum per ſynecdochen in duabus ſolennitatibus cæteras omnes ſignificare: quia hæ duæ Hebræis antiquiſſimæ fuerunt, ac religioſiſſimæ. Altera fuit ieiunium expiationis à Deo inſtitutum *Leuit.* 23. quod dicitur *animarum afflictio*: Altera collecta, ſeu cœtus, quæ Hebdomadam tabernaculorum & azymorum terminabat; quæ, vt diximus, *otium*, aptè dicuntur, quia tunc ab omni opere ſeruili vacatur. Dum ergo hæc, quæ Hebræis religioſiſſimæ ſunt, faſtidio ſibi eſſe Dominus ſignificat, oſtendit reliqua omnia, quæ magis ſanctè non obeuntur, eodem habenda eſſe numero. niſi malis hanc eſſe ſententiam; vſque adeo in omne peccatorum 44.

Digitized by Google

Immotum opus otioſũ & vacuum.

catorum genus effuſum illum populum , vt ſine
otio ſe dedat,ac voluptati , ſiue ſe labore,atque ie-
iunio maceret,quia iniquitate plenus eſt,nihil age-
re,quod probetur Deo. Siue , ieiunium illud eſſe
otioſum,quia licèt laborioſum , eſt tamen inutile,
quæ autem honeſta vtilitate carent , quantum-
libet operantem fatigatione conficiant , otioſa
ſunt.

45. Impiorum opera Deo moleſta.

g 8 *Facta ſunt mihi moleſta,laboraui ſuſtinẽs.*]Lxx.
*Facti eſtis mihi in ſatietatem : non amplius remittam
peccata veſtra.*Pro *facta ſunt* Heb. ויהו *haiu*,qood cõ-
uenire poteſt tam Iodæis , quam eorum peccatis.
Lxx. Iudæis , Hieronymus eorum peccatis adiun-
xit Sed quia hominũ opera ideo ingrata ſunt Deo,
quia homines ipſi ingrati ſunt,ſenſus idẽ eſt,aut nõ
adeò diuerſus. Noſtra verò tranſlatio ideo melior,
quia accommodatè ad verba Hebraica tertiam per-
ſonam adhibuit. Vbi noſter *moleſta*,Hebr. טרח
latborach,quæ vox *hic* tantùm reperitur, & *Iob cap.*
37. vbi de aqua ſermo eſt adiuncta nubibus , quæ
dici poſſunt aqua plenæ;item grauatæ,ſeu oneratæ,
qua ratione ſtomachus cibi plenus grauatus etiam
dicitur Ab altera metaphora Lxx. dixerunt , *facti
eſtis mihi ad ſatietatem.* & ita optimè ſequitur : *non
amplius remittam* , ac ſi dicat,eadem metaphora ſer-
uata , excutiam ſeu euomam vos , ſicut ſtomachos
noxio cibo plenus vomitione leuatur Ab altera
C Hieronymus dixit illa ſacrificia Domino eſſe non
tam honori quam oneri. Quod ita graue fuit , ac
moleſtum , vt in eo ferendo premi ſe dicat , & hu-
mano more loquens,ſibi virium ad illud ferendum
vix eſſe ſatis : id enim ſonat illud,*laborans ſuſtinens*,
& vt verba ſonant Hebraica , *defatigatus ſum ſuſti-
nere*, id eſt , ſuſtinendo : defatigatio verò vires iam
deficere,atque exhauriti connotat.

Non abutẽdum Dei patientia.

Porrò extremæ partis ſenſum in vtraque trans-
latione non puto eſſe valde diuerſum. Noſter, *labo-
rans ſuſtinens.* LXX. *non amplius remittam peccata
veſtra.* Nam ſi Deus ſoſtinendo defeſſus , id eſt,
portando , vel expectando dum homines peccati
pœniteat, vel certè ſi defeſſus eſt iam toties remit-
tendo (nam hoc etiam poſtremum valet verbum
D נשא *geſa*) quid conſequens eſt , niſi vt Deus iam
ampliùs non remittat ? Locus hic pro moribus,&
pro peccatorum obſtinatione valde notandus , ne
homines Dei patientia , atque in ignoſcendo faci-
litate abutantur , cuius finem ſi experiri conten-
dant,grauiſſimum ſentient.

46. Oratio peccatorum.

h 11 *Cum extenderitis manus veſtras,&c.*] Hinc
fit ſatis probabile in ſuperioribus non agi de ſacri-
ficiorum abrogatione, cùm eodem modo reſpuen-
da dicatur manuum extenſio , & orationum multi-
plicatio. Sed hæc multo tempore fuerunt abro-
gata:ſed cauſa repulſæ vtriuſque redditur,quia ma-
nus plenæ ſunt ſanguine. Porrò his verbis oſtendi-
tur orantis habitus, qui ſupplices in cœlum palmas
E extendit; cuius in Scriptura frequens mentio. Cur
verò iſtorum non audiatur oratio , ea ratio eſt,
quia peccata diuiſerunt Deum ab homine immen-
ſis ſpatiis , *Iſa.* 59. & *Thren.* 3. *poſuiſti nubem ne
tranſiret oratio.* Dicitur autem peccatoris oratio
execrabilis, *Prou* 28 . quia olet fœtentem animam,
à qua formata,atque profuſa eſt.

47. i 15 *Manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt.*]Red-
dit rationem Deus , cur ad ſacrificia precéſque Iu-
dæorum nauſeet; quia manus eorum ſanguine ſtil-
labant. Poteſt autem hic locus duplicem habere
ſenſum, aut enim indicat Iudæos nihil afferre in
Domini conſpectum præter victimas, id eſt, cruenta

A illa atque cruenta dona;non pietatem, non fidem,
aut denique noui illis , quorum imaginem illa ſacri-
ficia proponebant. Neque afferre in manibus , id
eſt in operibus quidquam præter ſanguinem,atquè
adeò in illis nil redolere ſpiritualem, ac purum. Al-
ter ſenſus eſt, Iudæos eſſe ſanguinarios , crudeles,
ad vindictam acres, ad odia,ad vim,ad rapinam,ad
quiduis audendum promptos. Quæ omnia ſan-
guinis nomine ſignificari ſolent. Tum etiam quia Sanguis pro peccatore.
ſanguis id ſonat , quod à natura vitioſa naſcitur,
quod carnis , & ſanguinis appellatione ſignifica-
tur.(Ita Greg. *lib.* 13.*Moral. cap.* 10. vnde peccator
B *pſal.* 5. dicitur *vir ſanguinum, & doloſus.* & *pſal.*50. Pſal. 5.
eodem ſenſu dicitur. *libera me de ſanguinibus.* & in Pſal. 50.
hunc ſenſum Hieronymus & Gregorius *hom.* 11.
in Ezech & ſuprà , item Chaldæus accipiunt illud
Oſea 4. *verſ.* 2. *ſanguis ſanguinem tetigit.*) Quare hic Oſeæ 4.
non ſolùm notatur Iudæorum crudelitas,ſed etiam
alia vitia , quæ à molliori intemperantia proue-
niunt.In quam ſententiam ideo magis propendeo,
quia ſtatim ab his omnibus iubentur mundari.

Manuum porrò munditiam ſic in ſacrificiis,
moribúſque probabat antiqua etiam Gentilium
religio,vt illa execrabilia cenſerentur,quæ pollutæ
manus obtuliſſent. de quibus eſt illud Heſiodi *lib.*
1 *oper.& dier.*

Μηδέ ποτ' ἐξ ἠοῦς Διὶ λείβειν αἴθοπα οἶνον
C Χερσὶν ἀνίπτοισιν, μηδ' ἄλλοις ἀθανάτοισιν·
Οὐ γὰρ τοί γε κλύουσιν, ἀποπτύουσι δέ τ' ἀράς.
*Neque vnquam manè Ioui libato nigrum vinum
Manibus illotis,neque aliis immortalibus.
Neque enim illi exaudiunt ; imò reſpuunt preces.*

Et paulò pòſt.

——κακότητι χεῖρας ἄνιπτος
Τῷ δὲ θεοὶ νεμεσῶσι καὶ ἄλγεα δῶκαν ὀπίσσω.
*Et qui manus affert non lotas à malitia,
Succenſent Dij, & damna dant in poſterum.*

k 16 *Lauamini,mundi eſtote:auferte malum cogita-* 48.
tionum veſtrarum.] Quidã hæc ad Baptiſmum ac-
commodant , quia de Euangelij tempore hic agi
putant. Sed aliud indicat quod additur de mala-
D rum cogitationum ablatione , & quod quies indi-
citur à peruerſis actionibus. Quare videntur hic
expont illa quæ faciunt , quonimus prædicta ſacri-
ficia placeant. Illud verò *lauamini*, ſatis accommo-
datè ſeruata metaphora refertur ad illud , *manus
veſtræ ſanguine plenæ ſunt.* quo enim alio modo ſan-
guis è manibus elui aut ſolet , aut poteſt, quàm
lotione?

Hic obſerua quò euaſerint illæ tam incenſæ at-
que horribiles minæ. Quis putaret non erruptura
fulmina ex tam obſcura & denſa minarum nube?
Sed deſcendit quaſi mollis pluuia in vellus , & ſtil- Deus cùm iraſcitur miſeretur.
lauit miſericordiã. *Lauamini* , ac ſi dicat, & omnia
ſunt tuta. idem infra *cap.* 28. poſt comminationem
addit : *Ponam in Sion lapidem angularem.* Et *Ierem.*
E *cap.* 3. poſt minas & improperia ſubdit. *A modo
voca me,pater meus,&c.*

m 18 *Venite & arguite me dicit Dominus.*]Oſten- 49. Dei fidelis promiſſio.
derat priùs quid ſacrificia illa ingrata redderet , &
moleſta Deo. deinde quid à nobis maximè probet,
& petat Deus : in quibus per ſynecdochem reliqua
peccatorum, & virtutum genera continentur. Iam
Deus largè promittit , quæ optari poterám ab iis,
qui puras manus à ſanguine puras à ſcelere cogita-
tiones attulerint. Quæ vſque adeò certa futura eſſe
dicit, vt ſi in promiſſis fallat , non recuſet incon-
ſtantiæ,ac leuitatis,imò & perfidiæ nomen.Id enim
ſibi velle puto illud, *arguite me*, fidei nempe viola-
tæ.

tæ. Hebr. eſt נוכחה *niuuacha*, in prima perſona plurali. Et ita verterunt LXX. *diſcepemus*, quaſi dicat, arguamus nos viciſſim, ego vos impietatis, & violatæ fidei, ſi in peccatis perſeueretis, vos me perfidiæ, niſi promiſſis ſtetero. Aut certè tenonemus antiquum pactum, quo legis obſeruatoribus bona quamplurima, contemptoribus autem non pauciora mala proponuntur; Sed iuxta noſtram tranſlationem hæc eſt ſumma ſententia. Agite pœnitentiam, à prauis operibus, & niſi ego pœnitentiam egero de malo, quod cogitaui facere vobis, venite, & arguite me. Eadem propè ſententia eſt in illis Ieremiæ verbis, *cap. 18. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, quod locutus ſum aduerſus eam; agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui, vt facerem ei.*

50. *Dei humanitas, & moderatio in homines.* Commendat maximè manſuetudinem, atque modeſtiam Iob, quòd ſeruorum ſuorum iudicium ſubierit, *cap. 31. Si contempſi iudicium ſubire cum ſeruo meo.* Eandem hic manſuetudinẽ, & humanitatem Dei obſeruat Baſilius qui ſæpe in Scriptura eò videtur demittere maieſtatem ſuam, vt ſua opera ab hominibus iudicari velit. Quare nunc ſua opera iudicio ſupponit eorum, quos ſceleris, & perfidiæ arguit & eorum opera adhibita comparatione expendit, & damnat. Sic *Michea cap. 6. Popule meus quid feci tibi, aut quid moleſtus fui tibi? reſponde mihi. Decet* (inquit Baſilius) *Dei iudicium nihil habere affine tyrannidi; ſed iudicium more, qui inter homines familiarem ineunt communicationem.* Idem penè infrà Iſaias, *c. 43. Non me inuocaſti Iacob, nec laboraſti in me Iſrael, non obtuliſti mihi arietem, &c. Verumtamen ſeruire me feciſti in peccatis tuis, præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis. Ego ſum: ego ſum, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor: reduc me in memoriam, & iudicemur ſimul: narra ſi quid habes, vt iuſtificeris.* Quod ante hoc tempus dictum eſſe antiquis (licet quo Scripturæ loco mihi non conſtet) indicat illud *Pſal. 50.* *Pſal. 50. Vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum iudicaris.* Qui locus bellè cum hoc noſtro colludit. Nam a Deo orat Dauid, ſui vt miſereatur, quando iam ipſe dolet quod peccauerit; præſtétque ea, quæ peccatori deteſtato ſcelus, & meliora meditanti promiſit, ſcilicet veniam, vt cùm peccator Deum de promiſſione appellet, iuſtum ſe Deus, & promiſſi memorem oſtendat: vincátque cùm iudicatur, id eſt, cùm in familiari illo iudicio, de quo ſuprà, fides ante data exigitur; neque argui vnquam poterit, quòd non impleuerit. Quod verò in pſalmo dicitur, *amplius laua me*, &c. *& ſuper niuem dealbabor*, hìc autem, *lauamini, mundi eſtote.* & ſtatim, *velut nix dealbabuntur.* planè oſtenditur hæc loca ſibi inuicem colludere.

51. *Si fuerint peccata veſtra, vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur.*] Hæc ſunt quæ proponit homini iudicanda, & de quibus vult familiarem illam diſceptationem iniri. Duo mala ſuprà commemorat in gente illa peccatrice; quædam temporaria, atque humana, nempe afflictum eſſe populum, & vſque adeò percuſſum, vt à planta pedis vſque ad verticem capitis nulla ſit pars à plaga, vel à dolore vacua: & quòd ager ſterilis, quòd fructus terræ hoſtium expoſiti auaritiæ, & prædæ, & quòd ſacrificia, & dona propter animi ſordes, non ingrata ſolùm atque moleſta, ſed etiam inuiſa. Ab his omnibus & vindicaturum ſe, & mundaturum promittit, ſi faciant, quæ paulò antea commemorata ſunt; ſi ſubueniant oppreſſo, cauſam viduæ, & pupilli iudicent, &c. Primùm agit de animæ mundicie, promittítque futurum, vt ſi peccata non aliter rubeant, quàm lana bis, aut millies infecta, & ſaturata cocco, ab illo tamen ſucco, quem antea bibit, habétque penè naturalem, ſic eluetur, vt primum candorẽ, quem perdiderat, ſuperet, reddatque niui quàm ſimillimum. Quàm autem lana ſuccũ è cocco ſitienter bibat, ſeruétque tenaciter, neque vetuſtate lacera, atque conſumpta deſerat, dixit Hieronymus ad Lætam. *Lanarum conchylia quis ad priſtinum candorem reuocet?* ſed ante hunc Horatius *lib. 1. Ode 5.*

Nec amiſſos colores
Lana refert medicata fuco.

Quòd verò ars fullonica in coccinis aut ipſa natura perficere non potuit, facit Deus: qui peccatorum fuco millies infectam & delibutam animam ad candorem vſque niuis reducit. Quod de vermiculo, ac lana poſtea ſubiicitur, eandem habet ſententiam; quæ, quia grauis eſt, alio atque alio modo ex Scripturæ conſuetudine explicatur.

Aptiſſima ſimilitudo eſt, quam Deus adducit, vt ſignificet, hominem à peccatis mundari poſſe, quantumuis illa diu, atque altè infixa ſint, & inoleuerint animo. Lana deponere non poteſt, quantauis hominum induſtria, atque labore, quos bibit ante è vermiculo, aut è conchylio ſuccos: Dicit ergo Deus eluiturum ſe eſſe ſordes ex animis, eúſque ita puros, ac candidos redditurum, ac ſi nullas è peccato ſordes contraxiſſent. Quemadmodum ſi quis lanam infectam vermiculo, aut (quod idem eſt) coccinum ad priſtinum candorem reducat, perinde ac ſi nunquam illo forent delibuta ſucco. Eſt itaque ſenſus, ſicut, ſi coccinum, aut vermiculus, id eſt infecta lana, fiant tanquam lana munda, neque vnquam infecta, ſic, &c. Dixit hoc Chryſoſt. *hom. 80. ad populum*, ſub alia tamen ſimilitudine vulneris, & medicinæ. *Ne mihi dicas, nimiùm peccaui, & quomodo poſſum ſaluari? tu non potes, tuus poteſt Dominus; & ita delet peccata, vt nec eorum remaneat veſtigium. In corporibus quidem hoc non licet, quin etiam ſi millies medicus elaboret, & imponat vulneri remedia, vulnus quidem tollit, cicatrix verò permanet, vulneris circumferens argumentum, aſpectus deformitatem. Et licèt in infinitum medicus contendat, non tamen cicatricem delere poteſt, ipſa namque naturæ repugnat imbecillitas, & artis impotentia, vilitáſque medicamentorum. Deus autem cùm delet peccata, neque cicatricem relinquit, neque permittit remanere veſtigium; ſed cum ſanitate pulchritudinem quoque reſtituit, cum liberatione à pœna, dat & iuſtitiam; & præuaricatum non præuaricato ſimilem reddit.* Vide in eandem ſententiam Chryſoſtomum *hom. 8. in epiſt. 1. Corinth.* vbi adducit hunc Iſaiæ locum.

Tertullianus aliter legit, & multò aliter exponit hunc Iſaiæ locum *lib. 4. contra Marcion. c. 10. Si fuerint delicta veſtra tanquam roſeum, velut niuem exalbabo: & ſi tanquam coccinum, velut lanam exalbabo.* Eodem propè modo *in Scorpiaco, cap. 12.* In vtroque modo *coccinum, & vermiculum*, ſeu, vt ipſe vertit, *roſeum*, non pro peccatis, & maculis aſſumit, quas inuexit peccatum, ſed pro ſanguine qui ſordes eluit, & candidum reddit inſtar niuis animum à ſcelere fœdatum, ſiue ille ſanguis illius Agni ſit, cuius cruor Beatorum ſtolas dealbauit, *Apocal cap. 7.* ſiue Martyrum, qui ſuo rubente ſanguine, ſordes deponunt, quæ poſt Baptiſmum animo inoleuere. Sic enim ille *in Scorpiaco ſuprà. Hi ſunt qui veniunt*

niunt ex illa preſſura magna, & lauerunt veſtimenta ſua, & candidauerunt in ſanguine Agni: Veſtitus enim anima caro. Sordes quidem baptiſmate abluuntur, maculæ verò martyrio candidantur. Quia & Iſaias ex ruſo, & coccino niueum, & laneum repromittit. Et contra Marcionem poſt verba nuper adducta ſubdit: *In roſeo ſanguinem oſtendens prophetarum: in coccino Domini, vt clariorem.* Hanc Tertulliani ſententiam ſic auidè Leo Caſtrus amplectitur, vt aliis longè præferendam exiſtimet, hac inductus ratione. Quia non bellè nitidus coccini, aut vermiculi rubor, cum peccatorum fœditate conuenit: optimè verò cum Chriſti, & Martyrum cruore. Quaſi comparatio eſſet in colore illo grato, atque nitenti, & non potiùs in illius ſucci, atque pigmenti natura, quod ſic inoleſcit lanæ, quam infecit, & imbuit, vt ab illa elui nullo artificio poſſit. Addit idem auctor cum Tertulliano ſentire veteres Patres. Miror ab hoc autore antiquis Patribus hanc aſcribi ſententiam, cùm nulli illorum, quòd ego viderim, vno excepto Tertulliano, venerit in mentem. Sanè quæ ipſe adducit loca ex Auguſtino, Ambroſio, Baſilio, atque Chryſoſtomo, nihil pro ipſius explicatione faciunt, vt lector mediocriter attentus iudicabit; imò autores iidem, quos ipſe citat, aliter omnino ſentiunt. Chryſoſtomus quidem in hunc Iſaiæ locum quid ſentiat, apertiſſimè declarat: Vbi, cùm adduxiſſet hoc Iſaiæ teſtimonium, addit: *Animam adeò peccatorum eluuie ſqualentem, vt excepiſſe videatur tincturam nequitia, non ſolùm ab omni liberat malitia, ſed & ſplendidam reddit, & cumprimis illuſtrem.* Neque minùs clare Baſilius in hunc eundem locum: Rubro, inquit, colori peccata noſtra conferuntur. *Nam quemadmodum in tincturis, quod repetitis vicibus, ac magno cum labore intinctum eſt, tincturam excipit preſſiùs inhæreſcentem, nec ita facilè euaneſcentem: ad eundem ſe habet modum anima ſanie peccatorum ſuppurata, & in habitudine conſtituta malitia.* Ad hunc ferme modum Nazianzenus oratione 39. & communiter alij Patres.

Aliam ego hìc ſimilitudinis rationem inuenio, quam tamen ſuperiori Patrum ſententiæ non antepono. Nam cùm in ſanguine peccata ſignificentur, vt diximus *ſuprà num.* 48. & ſanguini proprius ſit, ac naturalis, ruber color: quo plus rubri coloris habent peccata, plus etiam ſanguinis, id eſt, plus videntur habere malitiæ. Quare rubra eſſe peccata ſicut vermiculus, aut coccinum, nihil eſt aliud quàm valde eſſe grauia, & vehementer fœda. His tamen, qui tanquam vermiculus à peccato rubent, niueum candorem Deus & mundiciem promittit.

52 ◦◦ *Bona terræ comedetis.*] Alterum incõmodum fuit fames, & gladius, quibus attritus ſæpe populus ingratus, non tamen compunctus, atque conuerſus eſt. Nunc verò ſi modò reſipiſcat, bona terræ promittit, vbertatem frugum, & quidquid aut abſtulit locuſta, aut glacies, geluque perdiderant.

Fames & ſiccitas peccati pœna.

PP *Gladius deuorabit vos.*] Si in eadem mente obſtinatiò hæreant, gladium inimicorum intentat, & præſentem mortem. Sed fortaſſe *Gladius* hìc pro ſiccitate poſitus eſt, quia vox Hebraica חרב *chereb*, tam *ſiccitatem*, & *æſtum*, quàm *gladium* ſignificat. & per metalepſim vſitata in Scriptura altera ſignificatio, pro altera cognata ponitur, vt pluribus oſtendimus ad illud *Pſal.* 67. *Etenim non credentes.* Et eſt pulchra antitheſis; nam agrorum fertilitati, ac copiæ optimè reſpondet ſiccitas,

A & macies quæ homines attenuat, & exhaurit, ſicut abundantia impinguat, & nitentes reddit.

qq *Quomodo facta eſt meretrix ciuitas fidelis, plena iudicij.*] Quando magna, aut ſubita facta eſt fortunæ, ſeu ſtatus mutatio, hoc ferè modo per admirationem, & interrogationem incipit oratio. 53.

Quomodo admirationi & dolori ſeruit.

Quomodo, vt in Threnis ſæpe, *cap.* 1. *Quomodo ſedet ſola ciuitas?* & *cap.* 4. *quomodo obſcuratum eſt aurum?* & 2. *Reg.* 1. *quomodo ceciderunt fortes.* & infrà *cap.* 14. *quomodo cecidiſti de cælo Lucifer.* Cùm ergo longè facta ſit à ſe ipſa ciuitas olim fidelis, quæ in meretricium nomen degenerauit, ſatis grauiter, & ſignificanter ingreditur propheta. *Quomodo facta eſt*, &c. Vbi noſter *meretrix*, Hebr. eſt זונה *zona*, à verbo, quod latiori ſignificatione *merere* ſignificat; quare honeſtum aliquid interdum ſonat. *Meretrix* ergo illam etiam fœminam ſignificat, quæ

Meretrix aliquando honeſtum miniſterium ſignificat.

B opificio aliquo ſeu induſtria quæſtum inſtituit, neque impudicum, neque indecorum; qualis eſt textrix, lotrix, purpuraria, &c. Et Raab, quæ exploratores excepit, quæque *Ioſue* 20. dicitur meretrix, ab Hebræis non exiſtimatur fuiſſe ſcortum, ſed hoſpita, ſeu ſtabularia, & ita exponit Chaldæus. Neque contrarium conuincit vox Græca πόρνη, *Porne*, qua vtuntur, dum agunt de Raab, Paulus *ad Heb.* 11. & Iacob *cap.* 2. nam verbum περνάναι, vnde deducitur, etiã ſignificat *vendere*, aut *quæſtuariam artem exercere*, vt latè probat Pradus *in cap.* 16. *Ezechiel.* qua de re nos pluribus infra *in cap.* 23. vbi *cantum meretricis* canticum eſſe diximus fœmi-

C næ euulgantis ſuas merces. Et quidem cum vita, inſtitutóque meretricio non ſatis conuenit cura rei domeſticæ ſedula, aut colus; & linum quod honeſtarum mulierum ſtudium eſt, & earum quæ familiæ prouident alio quàm corporis vulgari quæſtu. Lini verò ac coli curam fuiſſe Raab indicat quod *Ioſue cap.* 2. dicitur in ſtipula lini, quæ in illa domo erat, abſconditos fuiſſe exploratores. De matre Iephtæ, & de duabus fœminis, quæ de filio apud Salomonem diſceptarunt, 3. *Reg.* 3. probabile eſt quod Hebræi dicunt, non fuiſſe ſcorta. & re vera huiuſmodi mulierculis ex vaga libidine, & promiſcuo ſemine filij naſci non ſolent. Addam hic ad extremum quæ legi in expoſitione Chaldaica manu ſcripta, quæ eſt in Complutenſi Bibliotheca.

D quæ *Iudic. cap.* 11. rationem reddit cur mater Iephtæ nominetur meretrix. quæ ſanè ratio in alias etiam conuenire poteſt, quæ in Scriptura vocantur meretrices. *Hic ritus*, inquit, *erat ab initio in Iſrael, quòd non transferebatur poſſeſſio de tribu in tribum; & ideo nemo poterat ducere vxorem, quæ non eſſet de tribu ſua. Et quando mulier diligebat virum, qui non erat de tribu ſua, egrediebatur de domo viri ſui abſque poſſeſſione; & vocabant eam homines hoſpitatricem, eo quòd dilexerat virum qui non erat de tribu ſua, & ſic accidit matri Iephtæ*, &c. Hæc Chaldæus. Iuxta quam ſententiam Raab optimè vocari potuit meretrix: quia

E cùm aliena eſſet, nupſit Iſraelitæ. Et ſimiliter nunc Ieruſalem, quia quaſi aliena ad matrimonium, quod cum Deo contraxit, alienos attulit mores, peregrinum ingenium. Cùm ergo & meretrix honeſtum aliquid interdum ſonet, dubitare aliquis non immeritò poſſet, an Ieruſalem vocetur meretrix, id eſt ſcortum, quod omnium libidini pudorem proſtituit, vel certè cauponaria, ſeu ſtabularia, quæ communi hoſpitio, ac publico diuerſorio omnes omnium ordinum viros, maximos, infimoſque ſine vllo delectu ſuſcepit; neque de eorum ingenio, vita, ac religione laborat, modò inde aliquid

compen

compendij capiat. Nam quòd cauponariæ nomen eo tempore conueniat in Hieroſolymæ mores iam omnino perditos, videtur inde colligi, quia omnium gentium vitia, quaſi proluuies quædam, in illud commune diuerſorium influxerant. Quod ſæpe clamant prophetæ, & indicat tranſlatio Lxx. quæ habet, *Caupones tui miſcent aquam vino* Et quæ ſtatim dicuntur de Iuſtitia quæ habitauit in ea priùs, cuius loco quaſi in diuerſorio habitant homicidæ, quòd vinum venale habeat aqua mixtum, quòd argentum infidele. hæc magis conſentanea ſunt ſtabulario, quàm meretricio inſtituto. Hæc mihi magis probabilia ſunt: ſed credo poſſe hoc loco meretricem id ſignificare, quod vulgò ſonat. Neque hoc nunc tantùm audit de ſe Ieruſalem. trita hæc ſatis, ac familiaris exprobratio eſt. *Ierem. cap.2. Ezechiel.cap.16. & 23.* Et ratio nominis aperta eſt; quia à Deo vero atque legitimo ſponſo prodita coniugali fide in alienum ſe totum & complexum dedit: id eſt, idola coluit; quæ perfidia in ſcriptura paſſim fornicatio dicitur, & adulterium.

54\. Regula. Mutato ſtatu retinetur nomen.

z z *Ciuitas fidelis plena iudicij.*] Talis appellatur, non quia tunc talis, ſed quia talis antè fuerat. quo ſenſu eadem ciuitas *Thren.* 1. dicitur *plena populo*, quia talis erat ante captiuitatem. Eſt enim vſitatum tum in aliis tum maximè in Hebraica lingua, vt res nomen illud retineat, quod paulo antè habuerat; etſi nominis ratio deſit, qua ratione virgo dicitur, quæ paulo antè eſſe virgo deſiit: & claudi dicuntur ambulare, & cæci videre, quia paulo antè cæci fuerant, & claudi. Seu certè fidelis dicitur, & plena iudicij, quia talis eſſe debuit; ſolet

Regula. Nomen aliquando non tam merito alicuius imponitur quam debito.

enim nomen non tam merito alicuius quam debito imponi. Qua ratione olim Christiani dicebantur *ſancti*, quod nomen ſæpe auditur in Actis Apoſtolicis, & candidati *boni*; & principes, quique rei præſunt publicæ *optimates*, quia tales vt ſint, exigit ipſa muneris ratio, licèt ab ea compellatione quàm longiſſimè abſint illorum merita.

55\. a a *Iuſtitia habitauit in ea; nunc autem homicidæ.*] Confert antiquum cum præſenti ſtatu ciuitatis. Vbi enim domicilium erat æquitatis, & legum cuſtodia, perfugiumque eorum, qui ab impiorum vi iniquè patiebantur, ibi neque vlla eſt legis, neque humanitatis ratio. Omnia enim non humana ſolùm, ſed etiam diuina peruertit, ac ſternit auaritia, atque ambitio. neque enim in ſocietate, rebúſque contrahendis fides, neque in iudicando integritas, neque in vlla re priuata, ac publica quicquàm eſt à gratia, inuidia, aut à muneribus integrum. quæ omnia & *vinum aqua mixtum*, & *retributionis* nomen ſignificant.

56\. *Pro iuſtitia habitauit.* Lxx. habent, vt inquit Hieronymus, & habent codices Sixtiani, nam alij aliter habent [illegible], id eſt, *dormiunt*. Heb. ילין *lalin*, id eſt, *hoſpitata eſt* ſeu *morata*; Vtriuſque lectionis duplex poteſt eſſe ſenſus, & ille quem Hieronymus indicat, nempe vbi iuſtitia quieuit molliter, & ſine ſtrepitu, aut interpellatione, tanquam in proprio lecto, ibi nunc quieti dormiunt, ſine vlla perturbatione, ac metu latrones, homicidæ, &c. ſeu certè dormire nunc & torpere iuſtitiam, quæ vigilare deberet nunc, ſi vnquam, maximè. Sed quòd minùs placeat poſterior explicatio facit, quia ſimiliter homicidæ dicuntur dormire, quorum excubias, id eſt, ad occidendum inſidias quis non improbet?

57\. b b *Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam; vinum tuum mixtum eſt aqua.*] Sumitur vt appatet metaphora à mercatore; ſeu caupone, qui per aſtum, & fraudem emptorem decipiunt, & expoliant. nam pecunia vtuntur adulterata, quia nimirum ignobili metallo colorem allinunt, aut cruſtam inducunt auri vel argenti, vt argentum exiſtimetur, ſeu aurum, cùm nihil ſit præter viliſſimam ſcoriam: vinum verò quod meracum eſſe debuit, aqua dilutum eſt. quare nihil eſt ſyncerum, & ſimplex, nihil non fallax, nihil non omni calliditate corruptũ. Lxx. *argentum reprobum* legunt eodem ferme ſenſu. Vino itaque cum admixtione aquæ, merces ſignificantur artificio corruptæ; argento reprobo, ſeu ſcoria cum aureo, ſiue argenteo fuco ſignificantur fraudes omnes, & fallaciæ quas iſti non tam mercatores, quàm impoſtores hominibus intendunt. Nam ſi quid vendunt, homines ſimplices pro bonis mercibus adulteratam pecuniam, ſi quid emunt pro pecunia probata, vitioſas, atque corruptas merces domum reportant.

In argento reprobo communiter ſancti doctrinam adulteratam intelligunt. Illa verò eſt, quæ cùm ſanctitatis opinionem in audientibus excitet, tanquam à diuino ſpiritu profecta, multa tamen habet à proprio ſpiritu, ac peregrino admixta, quæ argenti puri ſpecie ignaros rerum callidè deluſos in fraudem miſerè, atque in exitium trahunt. Eodem penè ſenſu accipiunt vinum aqua mixtum. Nazian. *in apologetico ad concionatores.* Ambroſ. *in pſal.* 118. *ſerm.* 12. In eos enim conuenire putant, qui ex verbo Dei lucrum quærunt, & Euangelium ſuæ cupiditati aut ambitioni ſeruire faciunt: Quod ſuo ſpiritu, & commentatione tanquam aqua frigida ita diluunt, vt robur non habeat. Hi ſanè cauponantur verbum Dei, non euangelizant; quæſtuariam artem habent non Apoſtolicam, In quos meritò illud Ennij apud Tullium aliquis intorqueat commutata ſententia. 58.

Euangeliũ à multis adulteratur.

Cauponantes bellum, non belligerantes.

Cauponantes Euangelium, non euangelizantes. Vide Ambroſ. *ſerm. tom.* 3.

u u *Heu conſolabor ſuper hoſtibus meis; & vindicabor de inimicis meis.*] Forerius interiectionem *heu*, Heb. הוי *hoi*, non eſſe dolentis, ſed inſultantis putat: Quaſi dicat Dominus exultans, ſe conſolationem accepturum de hoſtium interitu, ſicut *Ezech.* 5. dixit. *complebo furorem meum, & requieſcere faciam indignationem meam in eis; & conſolationem accipiam.* & *Deut.* 28. *ſicut ante lætatus eſt Dominus ſuper vos bene vobis faciens, vóſque multiplicans, ſic lætabitur diſperdens vos, atque ſubuertens.* 59.

Deus quomodo impiorum pœna delectetur.

Sed omnes omnino interiectionem dolentis eſſe exiſtimant; neque vox Hebraica הוי *hoi*, quòd ego viderim, vnquam ſic accipitur, vt inſultet. Fateor in Deo aliquando videri ſignificari lætitiam, cùm in peccatores animaduertit, vt ex his quæ diximus apertè conſtat; id tamen ſcriptura ſignificat, quia de Deo cum hominibus humano loquitur more. Quare *Gen.* 5. dolere dicitur Deus, & pœnitere, quòd hominem creaſſet, quia ſubuerſo mundo ea edidit ſigna, quæ homines ſolent, quos aut acrior vrget dolor, aut vrit grauior pœnitentia. Vt ergo quando homines vbi euomuerunt, quod in hoſtes conceperant acerbitatis virus, recreari videntur, & quieſcere; ſic Deus in cuius pectore in diem vindictæ peccator iram theſaurizauit, *Rom.* 2. ab ea ira leuari videtur, quando homines punit, quia vindicta acceptæ contumeliæ vel iniuriæ leuamentum eſt; non aliter atque ab humore noxio, ſiue à hauſto veneno vomitione ſtomachus leuari

Regula. Deo humanos affectus tribuit ſcriptura.

ſoler. Eſt ergo hoc loco conſolari idem quod vlciſci, vt plane indicat quod ſtarim ſubdiiur, quod ex more Scripturæ explicat, & continet quod anteceſſit. *Et vindicabor de inimicis meis.* Vide quæ diximus ex ſententia Cyrilli ad illud *Zachar. cap. 9. Et Damaſci requies eius.*

60. Illud verò *Heu* nou tam oſtendit exaltare Deum, & quaſi triumphare in hominum exitio, quàm dolere quod eò adactus ſit obſtinata hominum intemperie, vt ſupplicium vſque adeò durum ſumpturus ſit de illis, quos tam antea molliter amplexus fuerat. Oſtendit autem vox *Heu* animum ad ignoſcendum, & bene merendum pronum, qui ſi aliquando cogitur in alterum ſæuire, id facit adeò inuitus, vt à ſuo ingenio, atque adeò à ſe ipſo totus abeat. Oſtendit præterea illa dolentis ſignificatio grauem futuram eſſe plagam, quam mitis ille animus tanto dolore inſtimulatus infliget. Sicut bonus medicus, amánſque ægroti gemit, cùm videt ſic extabuiſſe aliquod membrum, vt vri, ac ſecari omnino neceſſarium ſit. Et quod paſſim in foſſore, ac latomo videmus, qui dum grauiores ictus meditantur, illorum imperum & conatum gemitu ſignificant. Quod etiam de viro forti dicit Cicero in Tuſculanis; tunc ingemiſcere, quando ſe intendit ad firmitatem.

Deus quomodo doleat de impiorũ ſupplicio.

61. Dubitari hic poſſet an hæc dicta fuerint à Deo affirmando, vel interrogando, ſeu deliberando, hoc ſenſu. *Heu quia completa ſunt huius populi iniquitates, & ſtatutum eſt iam apud me graue de illo ſupplicium ſumere.* Siue iſto: *A mea ne humanitate impetrare, ſeu extorquere potero, vt furorem iam diu in hoſtes meos inflammatum effundam? aut gladium, quem patientia mea vagina iam pridem continet, diſtinguam?* Priorem ſenſum perſuadet tranſlatio ſeptuaginta *Non ceſſabit meus furor contra aduerſarios*, & ita planè indicant, quæ ſequuntur, quæ omnino profecta videntur ab animo iam ad plagam intento: quam, quia grauis futura eſt, præcedit gemitus.

62. 12 *Et conuertam manum meam ad te: & excoquam ad purum ſcoriam tuam.*] Dixerat nuper argẽtum verſum eſſe in ſcoriam, quia illi peregrinæ, atque exoticæ inoleuerunt ſordes, & de antiquo ſplendore, ac pretio nihil præter externam ſpeciem retinebant. Nunc perſtat in eadem metaphora, quæ ſumpta eſt ab argentario opifice, qui colliquefacto in fornacibus argento, quidquid in eo impurum adhæſit, aut quod ex viliori metallo confuſum eſt, excoquit, & purgat. Sic ergo Deus populum quondam electum, nunc externarum ſordium admixtione corruptum ad purum excoquit igne tribulationis, donec ſtannum auferat, in quo per Synecdochen intelligitur, quidquid in aliis metallis vile, ac ſordidum eſt, ſiue illud metallum, ſeu ſcoria in ſcripturis, ac legibus hæſerit, ſiue in moribus, qui non tam erant argentei, & candidi, quam ferrei, & plumbei, id eſt, obſcuri, & moleſti. Porrò illud *ad purum*, idem eſt, quod *vſque ad purum*, ita vt quæ pura non ſunt, omnino liqueſcant & abeant.

Seruauit eandem metaphoram, idémque loquendi genus Ieremias *cap.* 6. vbi cum præceſſiſſet durum, & expiatorium examen argenti ſordidi, ſubiunxit. *Omnes iſti principes declinantes, ambulantes fraudulenter, æs & ferrum vniuerſi corrupti ſunt; defecit ſufflatorium, in igne conſumptum eſt plumbum, fruſtra conflauit conflator; malitiæ enim eorum non ſunt conſumptæ. Argentũ reprobum vocate eos.*

63. Quo tempore in hunc expiatorium ignem coniectus ſit ille populus, & ad purum excoctus incertum mihi eſt.

11 *Et reſtituam iudices tuos, vt fuerunt priùs*, &c.] Sunt qui hæc referant ad Euangelij tempus, in quo expleta videntur, quæ mox dicuntur. Nam & iudices & conſiliarij reſtituti ſunt prioribus ſimiles, & Ieruſalem vocari tunc potuit ciuitas fidelis. Et ita cenſent plerique interpretum, Hieronymus, Cyrillus, Hugo, Haymo, Dionyſius, Adamus, Fureirus. Nam pro ducibus & iudicibus prioribus, quales fuerunt Moyſes, Ioſue, Gedeon, &c. fuerunt Apoſtoli, qui neque minori ſtudio, neque ſucceſſu minùs fortunato populum moderati ſunt. Tunc verò, ſi vnquam, ciuitas fidelis dici potuit, quæ quam Deo fidẽ coniugali more antè dederat, conſtanter ſeruauit. Longe aliter atque ſynagoga, quæ iterum, atque iterum tanquam adultera ad idolorum cultum defecit.

Hæc mihi valde probabilia ſunt, & tum ita ſtatuant è Patribus plerique, in hunc ſenſum accipienda. Eſt autem valde vſitatum in hoc euangelico propheta, vt quoties ſpecies aliqua occurrit euangelicæ virtutis, aut beneficij; ad Euangelium aſſurgat. Nunc cùm in vaſtitate atque ærumna populi, occurreret quomodo ruina ſpiritualis eſſet à Chriſto reparanda, ad Eccleſiæ tempus, Chriſtíque beneficium transfert vaticinium, ab illis verbis. *Et conuertam*, vſque ad *reducam eam in iuſtitia.* quæ claudenda ſunt parentheſi, in ea tantum ſententia, quæ tres hos verſus ad tempus referunt Euangelicum. Secus eſt, ſi ad tempus Babylonicum pertinere ſtatuas: quod eſt mihi valde veriſimile. Deinde redit ad hiſtoriam, ſuppliciúmque populi, ab illis verbis. *& conteret.* Eodem modo poſtea *cap.* 16. cùm egiſſet de exitio Moabitarum, ſubito attollit ſeſe ad implorandum auxilium per Chriſtum, dum dicit. *Emitte agnum*, &c. & *cap.* 19. poſt vaſtitatem Ægypti ad eius inſtaurationem ſpiritualem per Chriſtum vaticinium traducit. Sed non puto improbabile, aut in quo exiſtimari debeat aliquid eſſe incommodi, ſi hæc ad ciuitatis vaſtationem per Chaldæos, reditumque poſt LXX. annorum exilium è Babylone iſta referamus. Nam obſidione longa non ſolùm ferro purgata ciuitas eſt, ſed peſte, & fame. Redierunt autem iterum ad inſtaurandas Hieroſolymæ ruinas iudices ſuperioribus quàm ſimillimi: quales fuere Zorobabel, Ieſus filius Ioſedech, Eſdras, Nehemias. Et verò cùm multa ex his, quæ ſequuntur, in tempus illud Babylonicum optimè conueniant, ad tempus Eccleſiæ ægrè admodum trahuntur. Certè quæ infrà dicuntur ab illo. *Et qui dereliquerunt Dominum conſumentur*, ad finem capitis, vt ibi oſtendimus, eiuſmodi ſunt. Accedit quòd illud, *& conuertam manum meam ad te, & excoquam*, &c. Heb. eſt אשיב *eſchiv*, id eſt, *redire faciam*, ſeu *reducam.* Quaſi diceret Deus (quod artifices ſolent, quando opus aliquod inchoatum eſt, neque omnino perfectum, quod tamen polite magis, & conſummare volunt) iterum admouebo manum, & reuerſabo opus: quia adhuc materia rudis, & impolita alteram deſiderat manum, quæ deterat, ac elimet id, à quo opus fœdum eſt & vaſtum. Hæc autem manuum reductio proximum aliquid indicat; at proximum non eſt ciuitatis excidium per Romanos; de quo plerique hoc purgatorium incendium accipiunt, aut ſpiritualiter de Euangelio; cùm ante illud tempus multa cõtigerint infortunia, eaque grauiſſima, quibus à ſcoria, & ſtanno argentum illud purgari potuit.

64. (beside "Hæc mihi valde probabilia")

Regula. Sæpe ab vmbra ad veritatẽ ſermo traducitur.

Digitized by Google

potuit. quam ſeotentiam non improbat Hieronymus, quem Haymo & Hugo ſequuntur. Qui dum explicant illud. *Et reſtituam iudices tuos*, &c. dicit. *Reſtituat iudicum ſimilitudinem vel poſt captiuitatem Babylonicam, vt Iudæi volunt, Zorobabel, Eſdram*, &c. *vel certè verius & rectius Apoſtolos.* & tenet apertè Chryſoſtomus in hunc locum. Neque ſanè video quis doloris ſenſus, aut quæ ſupplicij acerbitas tanta ſignificari debuerit, graui illa oratione. *Heu conſolabor ſuper hoſtibus meis.* ſi ſupplicium aut vindicta eſt illa benigna Euangelij purgatio. Et in hanc poſteriorem ſententiam diſcederem libenter niſi me ab hac cogitatione tot Patrum reuocaret autoritas; quæ facit ne complectar omnino, ſed titubanter ac timidè illam non tam probem, quàm cenſeam oon tam improbandam, quàm non nulli volunt.

65. zz *Poſt hæc vocaberis ciuitas iuſti, vrbs fidelis.*] Hebr. eſt צדק *tſedek*, id eſt, *iuſtitia.* Noſter interpres concretum adhibuit; ſed eodem ſenſu, nam ſi iuſtus in ea dominatur, id eſt, Deus, conſequens quoque eſt, vt ea ſit ciuitas iuſtitiæ, id eſt, iuſta. Oſtendit autem meo iudicio Deus, in quo conſiliarij, ac iudices futuri ſint prioribus iudicibus quàm ſimillimi. Nam ſuperiores iudices non tam ipſi regnabant, quàm Deo, & populi principibus iuxta formam à Deo traditam gubernandi ac iudicandi poteſtatem permittebant. Quare non ad ſuum ſiue arbitratum, ſiue libidinem rem adminiſtrabant publicam; ſicut Reges & principes, contra quos Iſaias hic acriter inuehitur; ſed iuxta modum à Domino præſcriptum. Quocirca vt optimè Foreirus, cùm populus more aliarum gentium Regiæ poteſtati ſubeſſe voluit, repulſo Samuele, qui Iudicum poſtremus reipublicæ præfuit Iudaicæ, quaſi Reges ſuo potius arbitratu, quàm diuino conſilio rem eſſent gubernaturi publicam, dixit illi Deus 1. *Reg.* 8. *Non te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos.* & Gedeon non Rex, ſed iudex Iſrael, cùm ipſi eiúſque poſteris iuxta Regum conſuetudinem populus ſummam rerum detuliſſet, reſpondit *Iud.* 8. *Non ego dominabor in vos, neque filius meus, ſed dominabitur in vos Dominus Deus veſter.* Quare cum Abimelec non tam ad Dei voluntatem, atque præſcriptum, quàm ad ſuam, rem non tam regeret quàm peruerteret Iſraeliticam, eodem iudicum tempore vocatus eſt non iudex, ſed rex, *Iud.* 9. Eam ob rem omnes ferme iudices Iſrael ſancti fuerunt, de quibus Paulus *ad Hebr.* 11. magnificè loquitur. & *Eccl.* 46. *Sit memoria eorum in benedictione*, cùm tamen è regibus Iſrael vix vnus aut alter non idololatra. Optimè ergo poſt exilium *ciuitas* appellari potuit *iuſti*, ſeu *iuſtitia*; quia Deus regnauit in illa: cùm duces, ac ſacerdotes ab exilio reuerſi non tam ſuam ſibi commoditatem, & gloriam in gubernando, quàm Dei voluntatem intuerentur. Vide quæ diximus ad illud *Zachar. cap.* 8. *Vocabitur Ieruſalem ciuitas veritatis.*

Adminiſtratio per iudices multo æquior, quã per Reges.

1. Reg. 8.

Iud. 8.

Iud. 9.

66. aaa *Sion in iudicio redimetur, & reducent eam in iuſtitia.*] Septuaginta paulò aliter, *cum iudicio ſaluabitur captiuitas eius.* Diuerſitas tranſlationis orta eſt, ex voce Hebr. שביה quæ aliis atque aliis notata punctis; & parum mutata, verbum poteſt eſſe, & nomen. Sed ſenſus aut idem, aut non adeò diuerſus. Communiter Patres de Eccleſia accipiunt ex Iudæis, Gentibúſque collecta, quam Dominus redemit, iuſtámque reddidit & gratam ſibi. Quod ego quoque cenſeo, ne à tot virorum opinione diſſentiam. Puto tamen, quod in re ſimili nuper quoque dixi, non videri improbabile (à quo non toti abeunt Hieronymus, Haymo, & Hugo, dum putant veriſimile conſiliarios & iudices de quibus modò eſſe Zorobabel, Eſdram, & Nehemiam) ſermonem hic etiam eſſe de his, qui à captiuitate reuerſi ſunt. Nam & illi redempti dici poſſunt, quia non aliter plerumque captiui, quàm pecunia redempti in libertatem aſſeruntur. Illi verò reddere in iuſtitia, & iudicio, id eſt, non temere, & ſine delectu. Neque ſine cauſa puto ab Eſdra tradi *lib.* 1. *cap.* 1. poſt Cyri edictum egreſſos eſſe ſacerdotes, & principes, & omnes, quorũ Dominus ſuſcitauit ſpiritum. Et *Tobiæ cap. vltimo* illi dicuntur redituri, qui Deum timent. Sic enim Tobias moriturus ad filium ſuum. *Domus Dei quæ incenſa eſt, iterum reædificabitur, ibíque reuertentur omnes timentes Deum.* Adde quòd familiare eſt ac penè legitimum Iſaiæ, vt vbi typus aliquis inciderit Euangelici temporis, ad illud ſtatim migret ab hiſtoria. Cùm autem congregatio diſperſarum gentium ab exilio Babylonico in Ieruſalem typus ſit Eccleſiæ, vt in commentariis in Zachariã diximus, *cap.* 2 *cap.* 9. *cap.* 10. & *ſupra* ad illud, *Niſi Dominus exercituum*, ſtatim *cap.* 1. & fuſiùs *in præfatione ad caput* 40. poſt hanc vocationem Iudæorum ab exilio ad Eccleſiam vaticinium ſuo more conuertit, de qua non diſſimilia dicuntur, ac modò de Ieruſalem dicta eſſe videntur. Et ita cenſet Chryſoſtomus in hunc locum.

1. Eſd. 1.

Tob. c. vlt.

bbb *Conteret ſceleſtos, & peccatores ſimul, & qui dereliquerunt Dominum conſumentur.*] Huc vſque de Euangelij tempore, deinceps propheta contexit quæ de Iudæorum ſupplicio dicere aggreſſus fuerat. Hæc itaque coniungenda ſunt cum illo. *Vindicabor de inimicis meis.*

67. ccc *Confundentur enim ab idolis, quibus ſacrificauerunt.*] Rationem reddit cur non omnes redimendi ſint, id eſt, redemptionis fructum accepturi, à peccato liberati tempore Euangelij, vt plerique exiſtimant, aut à Babylonica ſeruitute, vt probabile diximus. Cùm enim addicti fuerint impensè idolorum cultui; id ab illis conſequuti ſunt præmij, vt confundantur, id eſt, ignominiam, aut infortunium ſubeant. quo tempore alij, qui vero Deo ſeruierunt, non ſolùm libertatis lucem aſpiciunt, ſed etiam cum dignitate viuunt. Hic obſeruandum *ab* ſæpe ſignificare idem quod *propter. Ierem. cap.* 22. *verſ.* 22. *Confunderis, & erubeſces ab omni malitia tua. Oſeæ* 7. *verſ.* 16. *Cadent in gladio à furore linguæ ſuæ*, id eſt, propter malitiam, & furorem. Sic nunc *ab idolis*, idem eſſe puto, quod *propter idola.*

Ab idem quod *propter.*

68. ddd *Et qui dereliquerunt Dominum conſumentur.*] Sicut ex tot Hebræorum millibus, qui ex Ægypto emerſere, nõ niſi admodum pauci in promiſſam terram ingreſſi ſunt, cæteris in deſerto proſtratis longo XL. annorum curriculo; ſic poſt ſeptuageſimum annum pauci ex his, qui in Babylonicum exilium abducti ſunt, in patriam redierunt, conſumpti ærumnoſo illo viuendi genere. Hæc iam & quæ ſunt ad finem vſque capitis, de Babylonica captiuitate libentiùs accipio, quàm de Euangelij tempore: nam de his videtur eſſe ſermo, qui cùm Deo prius adhæſiſſent, ab eo defecerunt alienam religionem complexi.

eee *Et erubeſcetis ſuper hortis, quos elegeratis.*] Idem penè ſenſus, qui ſuperior. neque enim eſt aliud *ob idolis confundi*, quam *ſuper hortos erubeſcere.* Nam horti luci ſunt, in quos vt idolis ſacrificarent, & voluptati indulgerent, ſecedebant Hebræi.

bæri. Vt verò horti,& luci luxuriæ, & idololatriæ A diuerticula fuerint, vulgatius eſt in Scriptura quàm vt probari debeat. Illud obſeruandum, à tertia perſona tranſitum eſſe ad ſecundam. cùm enim priùs dixiſſet *confundentur*, ſubiecit, *erubeſcetis*, quod non leui argumento eſt, agi hic non de bis, quæ longè poſt Iſaiæ tempora ſecuta ſunt, ſed de his, quibus proximè imminebat calamitas.

Tranſitus à tertia perſona ad ſecundam.

69. fff *Cùm fueritis velut quercus defluentibus foliis, & velut hortus abſque aqua.*] Elegerant ſibi Iudæi & montes,& lucos, vbi locarent inanium deorum ſimulachra; & hortos vbi intemperantiùs, atque liberiùs ſuis vacarent voluptatibus, eo præſertim tempore, quo hæc ab Iſaia denunciabãtur: vt liquet *ex 4. Reg. cap.* 15. 16. 18. Aptè verò oſtendit qualis B futura ſit illorum ſpecies, qui lucos,& hortos religionis, & voluptatis ergo obibant: talis nempe, qualis futura eſſet illorum hortorum ſeu lucorum, vbi illos aut æſtus aut hoſtilis flamma vaſtauerit. Quid triſtius quercu, ſeu terebyntho, vt vertunt LXX. per quos montes, & excelſa ſignificantur, vbi frigus, æſtus, aut acrior aliqua vis florum pulchritudinem excuſſerit? Quid horto miſerabilius, cuius luxuriæ atque amœnitati ſquallor ſucceſſit & vaſtitas? Tales ergo relinquentur illi, qui impium potiùs ſacrificium in montibus, quàm pium & religioſum in templo meditati ſunt.

70. Hic iterum obſerua, puniendos hîc dici Iudæos propter idololatriam. Ex quo ſequitur, non agi de ſtrage per Romanos comparata, quia tunc idolis C Iudæi nullum honorem deferebant, vt pluribus docuimus infrà, ad illud *cap.* 57. *filij auguratricis*. Sed de Chaldæorum excidio, quorum tempore, vt ſatis liquet 4. *Reg. cap.* 23. ſic omnia idolorum ſordibus erant contaminata, vt in ipſo quoque templo lucus eſſet. Sic enim ibi de Ioſia: *Et efferri fecit lucum de domo Domini foras Ieruſalẽ in conualle Cedron.*

71. ggg *Et erit fortitudo veſtra vt fauilla ſtupæ, & opus veſtrum quaſi ſcintilla.*] Hęc etiam dicendi forma de præſentibus inſtitui ſermonem indicat, potiùs quàm de futuris. Fortitudo hæc, vt putat S. Thom. & Adamus, pro idolis ponitur in quibus

Nullum firmum præſidii vbi peccatum eſt.

ſpem ſuam locarant Iudæi. Pleriquealij putant poni pro ijs præſidijs, & munimentis, quæ quia hoſtilibus machinis expugnari non poſſe ſibi perſuaſerant Iudæi, nihil ſibi ab externa vi timendum eſſe exiſtimabant. Quod mihi magis probatur; & eſt ſenſus magis expeditus, & ſanè grauis. Quia Deum veſtro vobis merito infenſum reddidiſtis: fortitudo veſtra, id eſt, mœnia, turres, & templum, quæ egregiè ſunt à natura, atque ab arte firma, quæque ſi abeſſent peccata, hoſtiles machinas riderent, erunt ſtupæ, & peccata veſtra quaſi ignis. Quare etiamſi hoſtis abeſſet, ſtare diu non poſſet tanta, tàmque ab omni parte munita moles, graſſante nempe intus hoſte. Quia peccata veſtra ſic conſument, in cineréſque ſoluent vrbis propugnacula, ſicut ignis ſolet aridam ſtipulam. Certè Ioſephus *lib.* 6. *de bello*, *cap.* 16. ſcribit etiam ſi non ingrueret Romanorum acies, nihilominus propter populi peccata ciuitatem ſicut Sodomam fuiſſe perituram.

S. Thom. *opus veſtrum* pro Idolis capit; quia Iudæi opus manuum ſuarum tanquam Deum colebant, qui adeò non fuerunt auxilio ſuis amatoribus, vt potiùs tanquam quædam fax eorum munitionibus adhęſerit. Senſus à ſuperiori parum diuerſus, ſed non adeò facilis.

hhh *Et ſuccendetur vtrumque ſimul, & non erit qui extinguat.*] Sæpe Deus cùm agit de vaſtitate Ieruſalem per Chaldæos, ignem adhibet & incendium. *Ierem. cap.* 4. *cap.* 7. *cap.* 17. Quare non temerè ex hoc dicendi genere aliquis coniiceret vaticinium hoc eſſe de Aſſyriorum aduentu. Porrò ignis prouerbiali figura pro omni ſubuerſionis cauſa ponitur; licèt re vera Ieruſalem incendio conflagrarit Chaldæo. Illud *non erit qui extinguat*, ſignificat nullum in iis anguſtiis venturum eſſe ſubſidio ciuitati. Quod Ierem. lugebat *Thren.* 1. *Cùm caderet populus eius in manu hoſtili, & non eſſet auxiliator*. Succendetur autem vtrumque, nempe ignis illatus à Chaldæis, & munitiones ſtupeæ quæ illo igne facilè concepto Iudæorum cogitationes eluſerunt. 72.

Argumentum ſecundi capitis Iſaiæ.

POST deſcriptam præcedenti capite Iudæorum cladem, & ciuitatis exitium, agit iam Propheta de Eccleſiæ, nobilioris vtique, amplioriſque reipublicæ fundatione, ac glorias docétque magnum vndique Gentium ad illam futurum eſſe concurſum. Deinde repudiatam eſſe docet Iudæorum Gentem, eiuſque cauſas plurimas, eaſdémque grauiſſimas fuiſſe aſſerit. Ac tandem edocet quid illis propter ea flagitia malorum immineat ab vltore Deo.

CAPVT II.

1 *VERBVM quod vidit Iſaias filius Amos ſuper Iudam, & Ieruſalem.*

2 a *Et erit in nouiſſimis diebus* b *præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles.*

3 c *Et*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 HÆC eſt viſio qua illuſtratus à Deo fuit Iſaias filius Amos, quæ ſpectat ad Iudam,& Ieruſalem.

2 Hactenus, ô filij Iacob, audiſtis illa, quæ ad veſtræ Ieruſalem terrenæ, ſiue exitium, ſiue fœlicitatem comparata ſunt: Vidiſtis tenuem quandam, atque obſcuram vmbram; nunc ad maiorem lucem, & ad ampliorem, illuſtriorémque Ieruſalem contemplandam, animos,

Digitized by Google

mos,atque oculos excitate. In extremis namque diebus veſtræ ciuitatis præparabit, fundabitque Dominus ciuitatem aliam,quæ ſe attollat longè ſupra verticem montium: ad quam magni vndique omnium Gentium concurſus fient.

3 Aſcendent populi frequentes in illam nouam Ieruſalem, & mutuò ſe ad illius ſinum, atque complexum cohortari dicent: Venite aſcendamus ad montem Domini,& ad domum quam ſibi, nobiſque omnibus excitauit Deus Iſrael. Et ibi per illum nouis inſtituti legibus, in eius ſemitis,quæ rectæ ſunt & ſecuræ,gradiemur.Quoniam de Sion exibit illa,quæ verè dici lex poteſt: & de Ieruſalem,verbum, quod dignum eſt Deo. Hactenus enim legem habuimus,quæ ſuum autorem fallacem eſſe, & nugatorem oſtendebat: & oracula prorſus vana, à quibus nos in fraudem,& mortem deducebamur.

4 Magnus ille legiſlator Deus, gubernabit deinceps, iudicabitque Gentes Idolorum antea fraude, ſuperſtitioneque deluſas, coarguetque erroris,in quo antea vixerunt. Erit autem rerum tanta mutatio, vt qui priùs aſſiduis motibus turbabantur, & arma nunquam deponebant è manibus,illi iam affulgente pace,quam ſtatus adducet Euangelicus, rei ruſticæ vacent potiùs quàm militari. Quare gladios in vomeres, & haſtas commutabunt in falces: neque alter alteri ferrum intentabit: neque ab ipſo ætatis tyrocinio militaribus ſtudiis ducta ſe,atque infelici palæſtra comparabunt ad prælium.

5 Quare ſi in domo Domini pax nobis oboritur,& quies,quid moramur ô domus Iacob? quin ſtatim ad oblatum nobis lumen aduolamus?

6 Hæc Domine, beneficia in Gentes quondam alienas contuliſti; at populum ante tuum, domum nempe atque familiam Iacob repudiaſti: neque verò ſine magno ſuo merito; pleni etenim ſunt erroris,& amentiæ, vt ſui antea maiores; tum etiam pecuniæ per fraudem, & calumniam ablatæ. In pretio apud ipſos fuit aruſpicum diſciplina, quos conſuluerunt, non aliter atque Philiſtini: ac tandem maſcula, atque nefaria libidine, quod extremæ intemperantiæ argumentum eſt,in alienos pueros exarſerunt.

7 Populus hic à mea liberalitate plenus eſt argento; & theſauri eiuſmodi ſunt, vt exhauriri poſſe non videantur; tum etiam ad vim propulſandam equis abundat, & quadrigis; quare ad vitæ vſum, & commoditatem ſatis abundè neceſſaria omnia à me comparata ſunt.

8 Et tamen plenus idolis eſt, à quibus expectat opes,ſalutem,& honorem,& reliqua vitæ ſiue ornamenta, ſiue præſidia; quaſi mihi ad illa præſtanda facultas defuerit, aut voluntas. Et eò progreſſus eſt ſtuporis, & amentiæ, vt adoret, quæ ſuis ipſe manibus dolauit, & finxit.

9 O inauditum facinus; ô amentiam incre-

3 [e] Et fluent ad eum omnes Gentes, [d] & ibunt populi multi, & dicent, [e] Venite, aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob; [f] & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius: [g] quia de Sion exibit Lex, & verbum Domini de Ieruſalem.

4 [h] Et iudicabit gentes, [i] & arguet populos multos: [l] Et conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces. Non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltrà ad prælium.

5 [m] Domus Iacob venite, & ambulemus in lumine Domini.

6 [n] Proieciſti enim populum tuum, domum Iacob: [o] quia repleti ſunt, vt olim, & augures habuerunt,vt Philiſtim,[p] & pueris alienis adhæſerunt.

7 [q] Et repleta eſt terra eius, argento & auro: & non eſt finis theſaurorum eius: & repleta eſt terra eius equis: & innumerabiles quadrigæ eius.

8 [r] Et repleta eſt terra eius idolis. Opus manuum ſuarum adorauerunt, quod fecerunt digiti eorum.

9 [ſ] Et incuruauit ſe homo, & humiliatus eſt

eſt vir. * *Ne ergo dimittas eis.*

dibilem: Homo rationis particeps incuruat ſe ſupplex ante ſaxeam molem; & mutum ſimulacrum: & qui vir cùm ſit, altiora contemplari, & conſectari debet; abiicit tamen animum natura ſua nobilem, & Angelicæ proximum naturæ, ad lignum, & marmor. Ne ergo Domine tam impudenti, atque væſano populo dimittas.

10 * *Ingredere in petram, & abſcondere in foſſa humo à facie timoris Domini, & à gloria maieſtatis eius.*

10 Incuruauit ſe homo ante lignum, & lapidem; aderit tamen tempus, quando ille idem imminente iam extrema pernicie, multò ſe magis abiiciat, & profundiùs demittat, non ſolùm ad terram vſque ſupplex, ſed etiam infra terram, in foſſam humum, aut occultas latebras, aut terræ hiatum propter timorem Domini, & glorioſam illius maieſtatem, quem ſentiet contra ſe manus afferre vltrices, & armatas; cui ſupplicandum potiùs quàm idolis, ſuo magno infortunio tandem intelliget.

11 * *Oculi ſublimes hominis humiliati ſunt, & incuruabitur altitudo virorum. Exaltabitur autem Dominus ſolus in die illa.*

11 Tunc verò qui inſolentes habebant animos, & ſublimes oculos, deprimentur: & qui ſupra reliquos attollere ambitioſos ſpiritus ſtudebant, incuruabunt ſe, calcandúmque faſtum priùs inſolentem aliorum pedibus ſummittent: quoniam tunc vnus erit Deus, cuius exaltetur maieſtas, & gloria.

12 * *Quia dies Domini exercituum ſuper omnem ſuperbum, & excelſum, & ſuper omnem arrogantem, & humiliabitur.*

12 Illo etenim die, in quo Dominus ſuas oſtentabit vires, atque iuſtitiam, ſeuerum diſtringet, durúmque iudicium in homines inflatos potentia, & autoritate ſublimes; quos ab excelſo loco, ſtatúque deiiciet.

13 *Et ſuper omnes cedros Libani ſublimes, & erectas, & ſuper omnes quercus Baſan,*

13 Sternet autem iudicium illud Domini ſublimes, & excelſos, ſicut vehemens tempeſtas concutit, & euertit cedros Libani, & quercus Baſan.

14 *Et ſuper omnes montes excelſos, & ſuper omnes colles eleuatos,*

14 Quin etiam montes ipſos, & colles eleuatos, quorum fundamenta nullo modo videntur poſſe conuelli, inuadet illa quoque tempeſtas.

15 *Et ſuper omnem turrim excelſam, & ſuper omnem murum munitum,*

15 Neque erit vlla turris, quantumcunque ſublimis, aut murus, quantumlibet ab arte, ſeu natura munitus, quem non vis illa diuina ab imo quoque fundamento conuellat.

16 * *Et ſuper omnes naues Tharſis, & ſuper omne, quod viſu pulchrum eſt.*

16 Et ne qua ſcelerato, atque inſipienti populo ſpes fugæ, aut vitæ ſuperſit; naues quoque maris, quibus in eo diſcrimine ſalutem ſuam committere ſe poſſe confidebat, eadem tempeſtas diſſipabit, ac merget. Auferet denique dies illa Domini, quicquid in eo populo pulchrum cenſebatur, & optabile.

17 *Et incuruabitur ſublimitas hominum, & humiliabitur altitudo virorum: Et eleuabitur Dominus ſolus in die illa.*

17 Tunc autem incuruabitur erecta ceruix, & ſuperborum hominum deprimetur ſublimitas. neque vllus erit præter Deum, in eo temporis articulo, glorioſus & excelſus.

18 ** *Et idola penitus conterentur.*

18 Eo item tempore, qui priùs ab idolis omnia ſibi proſpera pollicebãtur; ab ea ſpe, ſtatúque ſuo miſerè, ignominioſéque deiecti; cùm in eis nihil eſſe virtutis, ac fidei re ipſa cognouerint, ſuis ipſi manibus idola penitus, & ignominioſè confringent.

19 *Et* 19 Cùm

19 Cùm Dominus ad euertendam terram Chaldæorum exercitum armauerit, ducémque ſe ipſum præbuerit, tum propter metum, quem à conſpectu, maieſtatéque Domini concipient, ſpeluncas eligent, terræque latebras, & hiatus, quibus ſuam ſalutem meliùs, quàm idolorum patrocinio committant.

20 In illa ergo die, vt nuper dixi, & nunc iterum ad maiorem oraculi firmitatem repeto, execrabitur homo, proiiciétque idola ex auro, argentóque conflata; talparum nempe, atque veſpertilionum; quæ, vt adoraret ſupplex, ſibi quæſierat.

21 Et ingredietur in excisas, aut hiantes rupes, & in caua, & tenebricoſa ſaxorum latibula, propter terrorem, quem Domini facies, & maieſtas incutiet, cùm ad vltionem & cædem, omnipotentem manum eleuauerit.

22 Ergo deſinite iam moleſti eſſe Deo, qui ſpiritum habet, & furorem in naribus, quem in vos, ſi odioſi eſſe pergitis, tandem efflabit. Nam excelſus eſt ille, qui omnia longè infra ſe poſita deſpectat; & talis iam ex admirabilibus eius geſtis, atque ſuppliciis reputatur.

19 *Et introibunt in ſpeluncas petrarum, & in voragines terræ à facie formidinis Domini, & à gloria maieſtatis eius,* [b b] *cùm ſurrexerit percutere terram.*

20 *In die illa proiiciet homo idola argenti ſui, & ſimulacra auri ſui, quæ fecerat ſibi* [c c] *vt adoraret talpas, & veſpertiliones.*

21 *Et ingredietur ſciſſuras petrarum, & in cauernas ſaxorum à facie formidinis Domini & à gloria maieſtatis eius, cùm ſurrexerit percutere terram.*

22 [d d] *Quieſcite ergo ab homine, cuius ſpiritus in naribus eius eſt:* [e e] *quia excelſus reputatus eſt ipſe.*

IN CAPVT SECVNDVM
COMMENTARIVS.

1. *Sæpe fit tranſitus à Typo ad veritatē.*

ANTE quàm explicationem aggredior, obſeruo vſitatum eſſe inter prophetas, vt ex hiſtoria tranſeant ad allegoriam, id eſt, à typo ad veritatem. Et vt omittam Zachariam, apud quem hæc ſæpe, vt in eius commentariis *ad cap.* 13. *num.* 29. oſtendimus, in noſtro hoc propheta frequentiſſimè occurret. Vide quæ diximus ſuprà *cap.* 1. ad illud, *& conuertam manum meam.* Cùm ergo in purgato iam per ciuitatis exitium, & diuturnam captiuitatem populo, rurſúſque congregatu in antiquam ſedem, formam quamdam Eccleſiæ videret Propheta, ad eius pulchritudinem & gloriam deſcribendam aſſurgit.

2. [a] *Et erit in nouiſſimis diebus.*] Quæ ſint *nouiſſima tempora*, explicuimus latè *in cap.* 2. *Actuum*, vbi multis probauimus non dici ſemper de temporibus Meſſiæ, ſed interdum idem valere quod *poſtea.* Quare qui hæc ad rempublicam Hebræorum poſt exilium inſtauratam, auctámque gentibus eò confluentibus referret, neque premeretur huius vocis vſu, neque puto vim magnam adhiberet textui, vt in ſimili diximus *ad cap.* 10. *Zachariæ.* Sed ſunt alia quæ omnino ſuadent priorem capitis partem ad tempus pertinere Euangelij. Quia reuera quæ in principio dicuntur, altiora ſunt quàm vt inueniri poſſint in Iudaica republica quantumlibet aucta quotidianis gētium acceſſionibus. Sunt autem extrema tempora ſeu ciuitatis, quæ à Romanis exciſa fuit: ſeu antiquæ legis, cui noua, id eſt, Euangelium ſucceſſit. Ex his conſtat, quam A leue ſit Iudæorum firmamentū, quo ſibi perſuadent Meſſiam nondum veniſſe, quia nondum aduenit nouiſſimum tempus: cum poſt Chriſti ortum multi tranſierint, & multi prætérea ſuperſint dies. Vide Finum *lib.* 7. *oppoſ.* 5. & Galatinum *lib.* 5. *cap.* 2.

[b] *Preparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur ſuper colles.*] Egit priùs de Sion & ciuitate Ieruſalem, quæ ſita eſt in duobus excelſis montibus Sion, & Moria, qui addita magnæ molis fabrica magis inſignes ſunt, & excelſi; alter arce, & ciuitate Dauid, alter Salomonis templo. 3.
Nunc montem alium Domini futurum eſſe dicit in horum montium vertice, ſeu quia his eſt longè ſuperior, ſeu quia duo illi montes, quia figura huius B montis, illi ſubſunt, qua ratione ædificij ichnographia, ſeu exemplar rei, cuius gratia deſcripta ſunt. Mons verò Domini dicitur accommodatè ad Ieruſalem, quæ mons quidam eſt, & quod adumbratur, nomen ſolet retinere vmbræ: Quomodo Chriſtus Agnus dicitur, Leo, Sponſus, quia ab his Chriſti mores, & officia deſcribūtur: Aut certè quia olim ab Hebræis in montibus immolabatur, non ſolùm diis falſis, ſed etiam vero, antequam conſtructum eſſet à Salomone templum. Vnde frequens in Scripturis nomen excelſorum 1. *Reg.* 9. de Samuele. *Hodie enim venit in ciuitatem, quia ſacrificium eſt hodie populi in excelſo.* Et 1. *Paralip.* 1. *Salomon abiit in excelſum Gabaon vbi erat tabernaculum fœderis.* & 3. *Reg. cap.* 3. *Attamen populus immolabat in excelſis: non enim ædificatum erat templum nomini Domini.* Mons ergo, id eſt, excelſum,

In montibus olim ſacrificiorum locus.

ſeu

ſeu altare Domini, quod eſt Eccleſia, longè ſeſe attollet ſupra aliorum excelſorum cacumina. Illud *præparatus* Hebr. נכון *nachon* idem eſt quod, *fundatus* aut *ſtabilitus*. Quo ſenſu dicitur *prou.* 8. *Quando præparabat cœlos, aderam, quando certa lege, & gyro vallabat abyſſos: quando æthera firmabat ſurſum, & librabat fontes aquarum.* Vbi ſine dubio eadem ſententia iterum explicatur; ſicut de aquis ibidem conſtat, & ideo eodem ſenſu dixit, *& firmatum æthera*, & *præparatos cœlos*. & *Pſal.* 23. per eamdem figuram dictum eſt, *quia ipſe ſuper maria fundauit eam, & ſuper flumina præparauit eam.* Vbi liquet *præparare* idem eſſe quod *fundare*. Ridiculum planè eſt, & dignum Rabbinorum cerebro, quod, vt tradit Galatinus *lib.* 5. *cap.* 3. dixit Rab. Pinhas ex ſententia Rab. Ruben, tempore Meſſiæ adducendos eſſe montes Thabor, & Carmelum ad eum locum, in quo nunc eſt Ieruſalem; & ſupra illos eleuandam eſſe ciuitatem. Quod ex hoc Iſaiæ loco confirmat. Quod quia impletum non vident, Meſſiam nondum adueniſſe putant. Quis non doleat tam cæcam, & deliram mentem!

Præparo idē quod, fundo.

4 [c] *Et fluent ad eum omnes gentes.*] Mira commendatio Eccleſiæ & virtutis Chriſti, qui ad montem illum excelſum, & arduum cuiuſque amplexum, & aridam viam, quæ ducit ad vitam, quæ ſine moleſtia non eſt, eo impetu trahit vndecunque populos, (ad quæ vix ægro atque anhelato ſpiritu, & titubante gradu enititur prona in præceps hominum natura) quo per decliuia, atque prærupta montium incitati ſeſe præcipitant torrentes. Mirum ſanè ſi aqua ſuo ſe nutu referat ad caput fontis, à quo profluxit; maximè aſcenſu arduo (nam alieno motu, ac ſudore in vrna concluſam quotidie reportari videmus.) Quare cùm aliquid fieri non poſſe ſignificamus, priùs aquam retro, aut ſurſum relapſuram dicimus. Ouidius *in epiſtola Oenones.*

Ad Eccleſiã magnus vndecunque concurſus.

Cum Paris Oenone poterit ſpirare relicta,
Ad fontem Xanthi verſa recurret aqua.

Et Propertius.

Fluminaque ad caput incipient reuocare liquores.

Sed nimirum id eſt earum aquarum, quæ vt à terra fluunt, ſic etiam aut abſorbentur à terra, aut in vapores tandem, & ventos abeunt: non verò earum, quæ à ſacris fontibus longè alio fluxu deriuatæ ſunt. de quibus vt ab humana literatura non diſcedam, dici opportunè, licèt alio ſenſu, poteſt illud Euripidis *in Medea.*

Ἄνω ποταμῶν ἱερῶν χωροῦσι παγαί.
Surſum ſacrorum fluuiorum feruntur fontes.

Sane ſurſum ſaliunt aquæ illæ ſacræ, quas Chriſtus *Ioan.* 4. promiſit mulieri Samaritanæ, quia ſaliunt in vitam æternam. Quia ergo iam illi, quos Chriſtus ad ſublimem illum montem vocarat, alij à ſe ipſis fiunt; quia olim ad terrena fluxi, ac proni, pòſt verò ad cæleſtia erecti, feruntur ſurſum non inuiti, ſed faciles; moleſtum antea pondus interno quodam pulſu ſurſum agente. Quod Chriſtus planè ſatis docuit *Ioan.* 12. *Ego ſi exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipſum.* Huc facit quod Zachar. dixit *cap.* 14. *& reuertetur omnis terra vſque ad deſertum*, iuxta explicationem eorum, qui ita vertunt. *Redigetur in planitiem*, id eſt, quidquid erat impedimenti auferetur. Ex hoc loco Iudæi ſibi perſuadent Chriſtum Ieſum non fuiſſe Meſſiam: quia ad illum omnes Gentes non confluxerunt. Sed non vident ſignum vniuerſale *omnes* pro *multis* in Scriptura ſumi, ſicut *nullum* pro *paucis*.

A Exemplis abundamus, vt pluribus oſtendimus *ſuper Acta cap.* 1. *num.* 5. Sane Abſalon 2. *Reg.* 16. ingreſſus eſſe dicitur ad concubinas Patris ſui coram vniuerſo Iſrael: & *cap.* 17. ab omni viro Iſrael probatum eſſe dicitur conſilium Chuſai. Sed quis dubitet abfuiſſe tunc multos ex Iſrael.

[d] *Et ibunt populi multi*] Qui dicti fuerant *gentes omnes*, nunc eodem ſenſu *populi* dicuntur *multi*, iuxta regulam à nobis traditam alibi. Nam vbi ex aliquo numero non multi deſunt, omnes dicuntur adfuiſſe ex vſu Scripturæ. Cæterum illud *&*, expolitiuam particulam eſſe puto, non coniunctiuam. Quod in ſcriptura eſſe frequentiſſimum B oſtendimus *cap* 57. *num.* 63. in hunc ſenſum: *Fluent ad eum omnes Gentes*, id eſt, *populi multi.*

[e] *Venite aſcendamus.*] Verba hæc ſunt populorum mutuò ſe adhortantium. 5 Eſt mimeſis ſimilis *Zachariæ cap* 8. *Eamus & deprecemur faciem Domini.* Solent autem homines vbi ſuauitatem guſtarunt rei alicuius, amicos hortari, atque etiam vrgere vt eumdem ſecum fructum capiant: quod ingenui, atque officioſi animi proprium eſt, qualem in ſuis filiis alit Eccleſia.

[f] *Docebit nos vias ſuas.*] Satis notum eſt *viam* pro *doctrina* ſumi, *vitæque inſtituto*. Sicut è montibus fontes ad decliuiora decurrunt: ſic è ſublimi monte, & ex myſtica Sion ædificata ſuper firmam C petram doctrinæ veræ atque Catholicæ riui deriuantur. Quæ ſanè doctrina infirma eſſe non debet quæ lucis tantum offerat menti, ſed acris, & ignea, quæ à veteri viuendi ratione, id eſt, à ſæculi viis latis quidem, & heu nimiùm tritis ad anguſtas Euangelij, id eſt, vitæ ſemitas deducat. Et ideo ſubdit. *& ambulabimus in ſemitis.* Vtriuſque partis eamdem, aut non admodum diuerſam ſententiam puto. Quia Eccleſiæ doctrina otioſa non eſt, aut ignaua; ſic enim erudit, vt etiam acuat, & inflammet. Quare qui ab Eccleſia docetur viam Domini, ad illam ſe quamprimum accingit.

[g] *Quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem.*] Data olim fuerat lex in Sinai, ſed vni populo Hebræo: in Sion verò omnibus omnino Gentibus. Quare ad id, quod ſuum eſt, vndecum- 6
D que gentes aduolāt. Data verò lex à eſt Chriſto, qui quam à patre acceperat doctrinam impertitus eſt; data à diuino ſpiritu, inuſtaque diſcipulorum animis in Sion in die pentecoſtes eodem die, quo vetus in monte Sinai. Inde per Apoſtolos fons ille viuentium aquarum tanquam per ſuas fiſtulas in totum orbem deriuatus eſt. Quæ doctrina ſic eſt probata gentibus aliis legibus atque alia religione deluſis, vt præ hac lege reliquas aut à philoſophis inſtitutas, aut obtruſas à dæmone, nihil legitimum habere dicant, præter nudum nomen, atque vmbram. Id enim ſonat, *quia de Sion exibit lex*, id eſt, quæ hoc nomine digna ſit: & verbum, quod a Deo profectum videri poſſit. Reliquæ leges ſatis ſuos E produnt auctores. Cæterum vt ſuperior ſententia, ſic etiam hæc bis explicata eſt.

Legis Euangelicæ dignitas.

[h] *Iudicabit Gentes.*] Id eſt, ius dicet, aut moderabitur: iudicare enim etiam regere eſt. Vnde Iudices vocati ſunt, qui olim ante Saul gubernarunt Iſrael.

[i] *Et arguet populos multos.*] Id eſt, oſtendet populos, qui alias leges, & iudicia ſubierant, in errore fuiſſe, cùm cognoſcant leges alias, quæ ab auaritia, ſiue ab ambitione naſcuntur, excitare inter mortales, atque fouere odia, quæ comprimit omnino Euangelica lex. Illi ergo populi, qui homici- 7

dæ

Digitized by Google

dæ priùs diabolo paruerant, bene ſecum actum eſſe exiſtimabunt, cùm repudiata lege, cui ante ſuberant, Euangelicam colent; quia hæc amore conſtringit, illa verò odio diſtrahit ſectatores ſuos.

8. l *Et conſlabunt gladios ſuos in vomeres.*] Hinc ſe iam prodit vis illius iudicij quod gentes à longiſſimis vſque regionibus vocabat. Quid enim ab Euangelio pacis, niſi ſuauiſſimus pacis fructus ſperari potuit? Huius exemplum ſtatim apparuit, vbi primum in Pentecoſte Lex euulgari cœpit. Venerunt etenim tunc plurimi in montem Dei, quia primùm concionante Petro *Actorum* 2. tria animarum millia ad Eccleſiam venere, & inde quotidie fiebat grandis acceſſio. Eorum tamen licèt locis eſſent antea, profeſſioneque diuerſi, ſic erat ad omnia conſpirans animus, vt haberent omnia communia.

9. Pacis deſcriptio. Conflatos eſſe gladios in vomeres, id eſt, arma & odia non exerceri, non tam credo pertinere ad pacem, quæ fuit ſub Auguſto, quando natus eſt Chriſtus, quàm ad illam, quæ conſequuta eſt legem, de qua nunc Iſaias, vt textus ipſe capitis non obſcurè docet. Eſt autem elegans deſcriptio pacis ab euentu. Nam vt belli tempore agri vaſtantur, agricultura ceſſat, & ruſtica inſtrumenta in arma bellica conuertuntur, ſic regnante pace contraria vigent ſtudia, & quæ Martis antea, Cereris poſtea miniſteriis arma ſeruiunt. Vtraque dicendi figura valde familiaris eſt. De ruſticis in bellica conflatis bellè Maro, 1. *Georg.*

——— Non vllus aratro
Dignus honor, ſqualent abductis arua colonis:
Et curuæ rigidum falces conflantur in enſem.

Et *lib.* 7. *Æneid.* cum de bellico agit inſtructu.

Vomeris huc, & falcis honos: huc omnis aratri
Ceſſit amor, recoquunt patrios fornacibus enſes.

Ouid. 1. Faſtorum.

Sarcula ceſſabant, verſique in pila ligones,
Factaque de raſtri pondere caſſis erat.

Hoc idem *Ioel. cap.* 3. *Aſcendant omnes viri bellatores, concidite aratra veſtra in gladios, & ligones veſtros in lanceas: infirmus dicat quia fortis ego ſum.* De militaribus armis in ruſtica tranſlatis Martialis *lib.* 14. *Epig.* 34. cuius titulus: *Falx ex enſe.*

Pax me certa ducis placidos conflauit in vſus,
Agricolæ nunc ſum, militis antè fui.

Sed multò elegantiùs noſter explicuit propheta hanc temporis conuerſionem & viciſſitudinem: à quo fortaſſe ſicut alia pleraque prophani poëtæ hæc acceperunt. Neque ſanè mirum ſi hæc accidant euangelicæ legis tempore, cùm ea omnia ſeditionum, & bellorum ſemina extinguant. Iacob. 4. *Vnde bella & lites in vobis? nonne hinc? ex concupiſcentiis veſtris, quæ militant in membris veſtris. concupiſcitis, & non habetis: occiditis, & celatis; & non poteſtis adipiſci; litigatis, & belligeratis.*

Hic locus perſuaſit Iudæis, vt inquit Galatinus *lib.* 5. *c.* 6. & Finus *lib.* 7. *oppoſ.* 5. Ieſum nõ fuiſſe Meſſiam in lege promiſſum: quia cùm ab Iſaia in illius aduẽtu dicantur non iam amplius futura bella, neque bellorum inſtrumenta, poſt Chriſti tamen aduentum, neque depoſitas eſſe ſeditiones, neque ab armorum vſu, neque bellica ceſſatum videmus. Reſpondent aliqui quo tempore Chriſtus in mundum venit pacem fuiſſe in vniuerſo mundo; quod reuera ita contigit ſub Auguſto, vt profani tradunt ſcriptores, & in Romano martyrologio in die natalitio Domini legitur, *toto orbe in pace compoſito.* Quo tempore clauſæ ſunt Iani, id eſt, belli portæ.

A Vt de Auguſti tempore cecinit Maro *lib.* 1.

Aſpera tunc poſitis miteſcent ſecula bellis.
— Diræ ferro compagibus arctis
Claudentur belli portæ: furor impius intus
Sæua ſedens ſuper arma, & centum vinctus ahenis
Poſt tergum nodis, fremet horridus ore cruento.

Neque ſi hanc explicationem admittas, obſtat valde illud, *nec vltra exercebuntur ad prælium.* quia ex Scripturæ vſu, *non vltra*, *non ampliùs*, & ſimilia, non ſignificant ſemper *aliquid perpetuum*, vt oſtendimus *cap.* 23. *num.* 29. & *cap.* 6. *num.* 79. ſed *longum tempus*; Deinde quia quæ tardò facienda, aut minùs quàm antea frequenter, non vltrà facienda, aut fu- B tura dicuntur, iuxta communem hominum vſum, cui ſæpe Scriptura ſermonem attemperat. Syri 4. *Regum cap.* 6. dicuntur non vltra veniſſe in fines Iſrael, & tamen, vt conſtat, poſt illud tempus aliquando venerunt. & *Geneſ.* 35. dictum eſt Iacob à Deo. *Non vocaberis vltra Iacob, ſed Iſrael erit nomen tuum.* & tamen, vt conſtat, ſæpe poſt hæc vocatus eſt Iacob. Sed verè Syri dicti ſunt non venturi; & Iacob non vltra vocandus antiquo nomine: quia illud minùs ſæpe fiebat, quàm prius. Sic ergo, quia poſt Chriſti tempora minùs ſæpe quàm antea exarſerunt bella, vt latè probat Paulus Oroſius, non vltrà Meſſiæ tempore bella fore traduntur.

Sed ego, vt ſuprà dixi, alium eſſe credo prophe- C tiæ ſenſum; vt etiam alij putant, nempe illam futuram Chriſti Oeconomiam, & illam Euangelij legem, vt homines non ad bellum inflamment, ſed ad pacem adducant. Quod ſanè durum non videtur ei, qui nouerit Scripturæ morem eſſe, vt illa ab aliquo fieri dicantur, ad quæ, vt legitimè faciat, naturam, & facultatem habet. Qua ratione docere dicitur, qui doctor eſt, etiam dum ſilet. Vide quæ diximus *cap.* 3. *num.* 11. & *cap.* 48. *num.* 22. Cùm ergo Euangelica lex, quæ non deficiet vnquam, ad pacem inſtituat, & illius ſanctitas id mereatur, vt bella ex hominum ſocietate depellat, ideo Chriſti, & Euangelij tempore, non vltrà homines dicuntur ad prælium exercendi.

Hunc locum Tertullianus bellè ad Paulum accommodat, qui perſecutionis gladium in vome- D rem, & aratrum conuertit. Et cùm eſſet lupus, agni mores, & ſpiritus induit. Sic ille contra Gnoſticos *cap.* 13. *Paulus Apoſtolus de perſecutore, qui prius Eccleſiæ ſanguinem fudit, poſtea gladium ſtylo mutans, & conuertens machæram in aratrum: lupus rapax Beniamin, deinde afferens ipſe etiam eſcam.* Poſterius hoc agni eſt, qui ſuis alios carnibus paſcit.

m *Domus Iacob, venite ambulemus.*] Hæc verba 10. quidam attribuunt Gentibus, quæ cùm diuinæ legis æquitatem, & ſuauitatem eſſent expertæ, Iudæos hortantur, vt ipſi quoque inuentæ pacis commoditatem capiant. Videtur autem ad hæc vſque verba mimeſis produci: nam quæ ſequuntur, ſi hæc prophetæ demus, non facilè cum ſequentibus coniungi poſſunt. Eſt ergo ſenſus ô do- E mus Iacob, fidelibus prognata parentibus, ad quos facta promiſſio, & ex quorum genere ortum eſt hoc lumen (Numer. 24. *orietur ſtella ex Iacob*) venite ambulemus in lumine Domini. Seu certè, quod probabilius puto, domus Iacob dicuntur fideles, etiam ſi ex gentilium genere, quia hi vocantur *Iſrael Dei*, & veri Iſraelitæ ſunt, de quo Gentilium nomine ſæpe alibi Iſaias.

n *Præceſſit enim populum ſuum.*] Locum hunc 11. Particulæ *enim* vſus. difficilem reddit particula *enim*, quæ cuius rei rationem

tionem reddat obſcurum eſt. Nam cum rationem interdum reddat non eius quod proximè, ſed eius quod remote anteceſſit, quod in hyperbatis contingit ſæpe, maximè apud prophetas, vt notauit bene P. Gabriel Vazquez *in 1. p. S. Thom. diſp. 15. cap. 6.* fieri poteſt vt ad calamitates Iudæorum pertineat, quæ ad extremum vſque capitis ſuperioris perſequutus eſt propheta, quæ longo hyperbato ad hunc locum interruptæ ſunt. Erit autem ſenſus non obſcurus, ſi ita coniungas extrema capitis primi, cum eo loco, quem nunc verſamus. *Et erit fortitudo veſtra ſicut fauilla ſtupa, & opus veſtrum quaſi ſcintilla: & ſuccendetur vtrumque ſimul, & non erit qui extinguat.* deinde redditur eius ratio. *Proiecisti enim populum tuum, domum Iacob.* &c. Quæ explicatio mihi non diſpliceret, niſi viderem quædam eſſe interpoſita, quæ in propheticis hyperbatis eſſe non ſolent. vt illud, *verbum quod vidit Iſaias,* &c. Quare potiùs exiſtimo, cauſam oſtendi potiùs proximæ exhortationis, qua Gentes, Iudæos ad Euangelicam lucem acceſſunt; quod ſanè videtur admirandum, cùm à Iudæis potiùs gentes ad lucem illam inuitari debuiſſent. Cùm enim propheta hîc non gentium ſermone loquatur, ſed ſuo: & cùm de externis populis ad Eccleſiam admiſſis tam claré ac luculenter egiſſet, conuerſus ad Deum per apoſtrophen, quod in graui aliquò affectu fieri ſolet, indicat cur Iudaico populo parciùs lux hæc affulſerit, quæ tam plenè alienarum gentium oculos illuſtrauit. Illud verò *enim*, rationem oſtendit cur gentes adeò amanter Deus, Iudæos verò minùs liberaliter amplexus ſit. Quia cùm eſſet propoſita lex amoris in monte Sion, quæque terrena hæc, & peritura non admiratur, neque curat, ſed vnum Deum intuetur; ipſe tamen populus nihilo melior, quàm antea, Gentium ſtudia ac mores imitatus, non ſecus ac Philiſthim augures conſuluit, vicinarum gentium ſuperſtitionem, & inanitatem complexus.

Iudæis cur Deus minùs liberalis.

Hoc mihi poſterius maximè probatur. Sed fortaſſe non ineptè exponeret, qui vocem *enim* aduerſatiuè ſumeret, vt fecit Vatablus. Et verò eam vim habet, plurimis locis, quæ adducit Emanuel Sa, in indice notationum ſuarum in Scripturam, quem etiam vſum habet vox Hebr. כִּי, pro qua noſter reddidit *enim*. Iuxta hæc talis erit huius loci ſententia. Proieciſti autem populum tuum, ac ſi dicat propheta: Quid præſtat, ô Domine, inuitatos eſſe à me, vel à gentibus, cùm tu ipſe proieceris Iudæos.

° *Quia repleti ſunt, vt olim, & augures habuerunt.*] Non ſine magno ſuo merito repulſi ſunt Iudæi: quia pleni ſunt, ſicut olim parentes, ſtuporis, & amentiæ, iniquitatis, & doli: ita vt augures habuerint, & ariolos, perinde atque ſi Philiſtini eſſent, & non potiùs Dei populus ex ſemine Iacob. Pro *olim*, Hebr. eſt מִקֶּדֶם *micedem*, quod Lyra exponit, *Ab Oriente*. Cuius eam putat eſſe ſententiam, Iudæos deditos fuiſſe arti Magicæ; quæ Orientalis dici poteſt, quia reperta fuit in ea regione primùm, quæ Iudæam ab Oriente reſpicit. Quare Balaam Ariolus habitaſſe dicitur in partibus Orientis, *Numer. cap. 24.* Cui ſententiæ fauet, quia ſtatim ſubdit: *Augures habuerunt.* Quæ Lyræ cogitatio nõ diſplicet; ſed prior videtur magis obuia.

12. ᵖ *Et pueris alienis adhæſerunt.*] Ex vicinarum gentium conſuetudine id conſequuti ſunt Iudæi, vt earum mores, & turpitudinem in ſuam rempublicam inuexerint. *Pſal. 105. Commixti ſunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & ſeruierunt ſculptilibus eorum.* Adhæſerunt enim idolis, & conſultis auguriis de ſuis rebus deliberabant. Et quod mores prodit maiorem in modum profligatos, pueris alienis adhærebant. Quid hoc poſterius ſibi velit, non omnino certum. Septuaginta ſic reddunt: *Filij multi alienigenæ nati ſunt ei.* Qui ſanè exiſtimare videntur, aut Iudæos contra Domini præceptum vxores duxiſſe alienigenas, aut eorum vxores, & filias vagos atque promiſcuos cum gentibus habuiſſe concubitus; ex quibus filij non genere tantùm, ſed etiam religione alieni nati ſunt. Sed Hieronymus eò inclinat, quòd omnino eius indicat tranſlatio, abuſos fuiſſe Iudæos iuuenum pudore in maſculam libidinem non minùs intemperanter proiecti, quàm gentium perditiſſimæ. Fuit autem olim vitium iſtud vſque adeò non faſtiditum, vt grauiſſimi etiam philoſophi, neque minùs ingenij, quàm morum commendatione clari publicos habuerint concubinos. Neque defuit Imperator, qui Ganymedi ſuo diuinos honores habuerit, templóque & publicis ſacrificiis honeſtandum curauerit. Is verò fuit Hadrianus, vt notauit hîc Hieronymus. Fuit autem in hoc genus non ſolùm principum, ſed etiam priuatorum hominum publica intemperantia; nam ſicut meretrices modò, ſic etiam olim meritorij pueri publicè proſtabant. Quod vitium ſic irrepſit in gentem olim diuinis legibus inſtitutam, vt non iam in luſtris, non extra pomœria inolenti grauiter fornice, fœminæ, puerique venalem habuerint corporis nefarium vſum, ſed etiam in templo omnium eo ſeculo ſanctiſſimo, quod lupanaris inſtar fuiſſe ſub Ioſiæ tempus teſtantur effœminatorum ædiculæ, quæ inde à Ioſia ſublatæ ſunt 4. *Reg. cap. 23.* & Ephebiæ, vbi ab impio Pontifice Menelao optimi quique ephæborum in lupanaribus poſiti 2. *Machab. c. 4.* Quòd ſi hæc de Romanorum temporibus accipias, quando gentes dicuntur magno numero ad Eccleſiam vocatæ, veriſimile eſt Iudæos iiſdem ſe flagitiis implicuiſſe, quia in vrbibus Romano Imperatori ſubiectis, familiariùs cum illis quàm antea cum gentibus agebant, & potentiorum hominum vitia eò minùs horrebant ſubiecti populi, quò illa ab imperio rerum Domino, & appellatione glorioſo aliquam honeſtatis ſpeciem accepiſſent. Quam autem illi nefariæ libidini indulſerint Romani, vel ipſi docent Imperatores, quorum nefandam intemperantiam à pathicis iſtis monſtris neque maieſtas tanta, neque curæ publicæ, neque libera populi conuitia cohibuerunt.

Libido nefaria quàm olim frequẽs.

13. ᵍ *Repleta eſt terra argento, & auro, &c. & repleta eſt terra eius equis, &c.*] Connumerare hîc videtur peccata alia, nempe auaritiam, quæ ad aurum, & argentum inhiat: & ad vim ſeu ambitionem, quæ equorum, quadrigarúmque numeroſam multitudinem coëgit: in quam ſententiam interpretum pleríque conueniunt. Sed mihi non diſplicet ſententia Forerii, qui putat amplificari hic Iudæorum perfidiam, qui ſuis flagitiis neque illam excuſationis vmbram poſſunt obtendere, quam gentes aliæ, quas alia, atque alia neceſſitas, alios, atque alios Deos fingere atque adorare fecit. Cùm enim premi ſe viderent ab hoſtibus, vrgeri inopia, laborare morbis, ab ſterili, aut ſitienti agro alimenta non capi, Martem, Æſculapium, Mercurium, Cererem Deos excogitarunt, coluerúntque, ſtultè illi quidem, at neceſſitatis opinione, & errore decepti. Sed quam perfidiæ ſuæ excuſationem prætexent Iudæi, qui cùm argento abundarent, & auro, & in his aliis commodis ad victum neceſſariis: tum etiam

Neceſſitas minuit peccati grauitatem.

etiam equis, & qoadrigis contra vim externam; & cùm ſecum haberent certiſſimum oraculum, quod neque difficilè adiri, neqne falli vllo modo, neque fallere interrogantem poſſet; ipſi tamen aruſpices quærerent, quos iu dubiis conſulèrent, & deos quotidie aſciſcerent recentes, quos rei bellicæ, valetudinariæ, peconiariæ, ac ruſticæ præficerent; quaſi domi non haberent, à quo in dubiis conſilium, in morbis medicinam, in bellis ſubſidium iam ptidem ſæpius eſſent experti. Quæ quidem querimonia de infideli populo frequens eſt in prophetis. Vt illud *Ierem. cap. 2. Me dereliquerunt fontem aqua viua, & foderunt ſibi c ſternas, ciſternas diſſipatas, qua continere non valent aquas.* Hæc explicatio mihi facilis eſt, & expedita. Sed puto hîc eamdem eſſe ſiue querimoniam, ſiue reprehenſionem qua populum eumdem Iudaicum infidelem carpit apud Exechielem, *cap.* 16. & Oſeam, *cap.* 2. quòd de argento atque auro, quod liberali manu receperat à ſponſo, inanium deorum ſimulacra conflauerit, quare aptè ſubiicitur.

14. ſ *Et repleta eſt terra eius idolis.*] Cùm neque oppreſſi eſſent ab hoſtibus Iudæi, neque in rebus anguſtis difficilem eſſent experti Deum; impleuerunt tamen regionem, & ciuitatem ſanctam, quam ſuo ſibi cultui Dominus deſtinarat, idolorum ſordibus; & ex argento atque auro, quod a Dei liberalitate copioſum acceperunt, fecerunt ſibi Theraphin, & imagines maſculinas.

ſ *Et incuruauit ſe homo, & humiliatus eſt vir.*] Fortaſſe eadem eſt ſententia bis vſurpata, quod in graui aliquo caſu, ſeu animorum motu fieri ſolet. Seu certè, quod mibi probatur magis, oſtenditur latiſſimè patere hanc populi labem, diuiníque nominis iniuriam; quando non vulgò tantùm Iudæi, qui hominis nomine ſignificantur, ſed etiam principes, qui in viro intelliguntur, corruiſſe proni ante muta deorum ſimulacra dicuntur.

t *Ne ergo dimittas eis.*] Imprecationis ſpeciem habet hæc oratio; ſed eſt reuera vaticinium, quod per imperatiuum explicari ſolet, vt illud *Zachar.* 13. *Percute paſtorem.* & infrà *cap.* 47. *Tolle molam, nuda crura, tranſi flumina.*

15. u *Ingredere in petra, & abſcondere in foſſa humo à facie timoris Domini.*] Incuruauit ſe homo, & humiliatus eſt vir coram idolis; aderit tamen tempus, quando gens eadem imminente iam ab hoſte Chaldæo extrema pernicie humiliet ſe coram Domino: neque ſolùm gentilitio ritu ad terram vſque ſupplex procumbat, ſed etiam infra terram, ſiue pudoris, ſiue formidinis, ſiue etiam fortaſſe religionis cauſa demiſſus antiquos faſtus deponat. Qui enim benefico, ac liberali Domino parere, ac ſupplicare noluerunt, eidem minaci ac fulminanti obſequi iam tandem ex vſu ſibi futurum iudicabunt. Portò hìc imperatiuus pro futuro ponitur; éſtque non tam imperium, vel admonitio, vt hæc fiant, quàm rei aliquando futuræ vaticinium.

16. Vſitatũ Iudæis in cauernis latere.

An verò in obſidione ſub Chaldæis in petra, aut foſſa humo latuerint Hebræi, nihil habemus ex Scriptura; eſt tamen veriſimile, cùm multi ſe fuga ab impendente cæde ſubduxerint, & Rex Sedechias in ipſo fugiendi conatu comprehenſus ſit, plurimos in notas ſibi ſpeluncas, aut ſepulchra abdidiſſe ſe. Certè in obſidione Romanurum diu latuiſſe Simonem, & alios in foſſa humo; teſtis eſt Ioſephus *lib.* 7. *de bello, cap.* 16. Quod eſſe vſitatum in regione illa, quæ confragoſa eſt, & opportuna latebris probat Dauid, qui in ſpelunca delituit. 1. A *Reg. cap.* 24. & *Ioſue* 10. quinque Reges ex ſpelunca, in qua ſe abdiderant, extracti ſunt, atque ſuſpenſi. Docet autem Ioſephus *lib.* 14. *Ant. cap.* 26. & *lib.* 1. *de bello, cap.* 12. fuiſſe ſpeluncas ad quas Iudæi in extrema fortuna confugerent: quæ expugnari ab hoſte non niſi magna difficultate poſſent: vbi earum formam, ſitúmque deſcribit. Vide infrà ad illud: *Et introibunt in ſpeluncas petrarum.* qui locus hanc ſententiam euincit. Sanè de Sedechia fabuloſè quidem, vt alia plurima, iuxta regionis tamen naturam, commenti ſuut Hebræorum doctores aliquid Rabbinica dignum fide. Dicunt enim, vt refert Abul. *in* 4. *Reg. c.* 25. 46. deſperata iam vrbis defenſione Regem Sedechiam cum aliis viris bellatoribus iogreſſum eſſe ſubterraneam quamdam viam, quæ ab vrbe longè extra vrbem producebatur: vbi alterum erat uſtium, per quod ingreſſi in lucem, & apertum campum egrediebantur. Cùm autem iam Deus Sedechiam regem Chaldæorum ſeruituti, atque ludibrio deuouiſſet, excitaſſe ex mediis illorum caſtris ſylueſtrem capram, quæ fuga ſupra terram eodem ſpatio, quo ſubter Sedechias & alij cum eo plurimi ferebantur; quæ extenta fuga ad alteram vſqoe ſpeluncæ oſtium eodem tempore ad illud peruenit, qno ex latebris emergebat Rex, atque ita captum à venaturibus fuiſſe. Hæc Rab. Salomon, quæ optimè refellit Abulenſis ſuprà, & eodem loco Lyranus.

De Sedechia Rabbinorũ fabula.

C Sed licèt hæc quæ ab Iſaia prædicuntur, in Chaldæorum obſidione non contigerint, non tamen ideo huic prophetiæ ſua deficit fides. Eſt enim, vt in hoc propheta ſæpe obſeruandum eſt, Scripturæ ſacræ valde familiare, vt ea dicantur futura, quæ, vt fiant, rei ipſius natura, aut neceſſitas poſtulat. Significat autem propheta eò redactum iri Iudæorum fortunam, vt homines ſpeluncas ſibi, aut ſepulchra dari cupiant, aut alias latebras, quibus tutiùs ſuam vitam committant, quàm arci, ac mœnibus, quæ hoſtilibus machinis nutare conſpicient.

17. x *Oculi ſublimes hominis humiliati ſunt; & incuruabitur altitudo virorum.*]In eo, quod reliquum eſt capitis, prædicit propheta quemadmodum illa omnia, quæ in Iudaico populo hominum iudicio magni æſtimabantur, aliquando ruitura ſint ante Dominum; Qui poſtquam diu illam Iudæorum inſaniam, atque arrogantiam ſuſtinuit, & inanes, atque mendaces Deos in ſua ciuitate ſacrilegis victimis coli permiſit, deiicier tandem hæc omnia, perficiétque, vt idola in quibus aliquid eſſe præſidij putabatur, nil eſſe omnino deprehendantur: & viri principes, qui in ſuis viribus atque autoritate plurimum ponebant, à ſuo ordine, & loco, atque adeò ab inani de ſe cogitatione deiecti agnoſcant vltorem Deum, & ante illum incuruentur ſupplices. Hæc puto in toto capite contineri, ſpectaréque tempora Babylonica, non Romana, vt putat Cyrillus, neque Hieronymus negat, qui dubius eſt an hæc Romanorum arma deſignentur an Chaldæorum. Sed ſunt aliqua hìc obſcura, quæ oportet ſingulatim expediamus.

18. *Oculi ſublimes hominis humiliati ſunt.*] LXX. aliter legunt: *Nam oculi Domini ſublimes, & homo humilis.* Textus Hebraicus fauet vulgatæ; neque enim in textu, quem nunc habemus, eſt *Domini*, & reliqua magis aptè à vulgato conuerſa, quorum ſenſus obſcurus non eſt.

y *Dies Domini, &c. ſuper omnes cedros Libani, &c. & ſuper omnes quercus Baſan, & ſuper omnes colles,*

les, &c.] Per cedros, & quercus, & montes, *princi-pes* ſignificari docuimus pluribus *in Zachar. cap.* 11. Qui eodem propè vtitur orationis genere, ſicut Ezech. *cap.* 6 & eſt vſitatum in prophetis. Et hi montes pro rebus ſpecioſiſſimis vſurpantur.

19. Quid Tharſis.

* *Et ſuper omnes naues Tharſis.*] Diu à multis ac ſæpe quæſitum eſt, quid ſit Tharſis. Ex noſtris Ribera *in cap.* 1. *Ionæ*. Ioſephus Acoſta *lib.* 1. *cap.* 14. *de nouo orbe*. Et nouiſſimè Pineda in Salomone præuio *lib.* 4. *cap.* 14. Mihi valde probabile eſt Tharſis non eſſe ciuitatem aliquam, vt multi volunt, puta Tharſum Ciliciæ, aut Tharteſſum in Hiſpania, aut Carthaginem; ſed mare ſic appellatum à colore cœruleo, ſicut poëtæ eamdem ob cauſam cœrulum vocant. Virg. 3. *Æneid.*

Adnixi torquent ſpumas, & cærula verrunt.

Certè non aliter vertunt LXX. quod etiam aliquando facit noſter interpres *Iſai. c.* 23. *vlulate naues maris*. & *Ezech. cap.* 1. *viſio maris*. Hebr. *Tharſis*. Neque video cur aliter tam ſæpe in Scriptura ſacra naues Tharſis appellari debeant. Fieri ſanè potuit, vt quia mare Ciliciæ proximum eſt Hebræis, & valde notum, vbi Tharſus erat nobilis ciuitas, quodcumque aliud mare, non ſolùm mediterraneum, ſed etiam Oceanus dicatur Tharſis; id quod in aliis rebus non infrequens. Nam ab eo quod nobis aut primum, aut maximè notum eſt, nomen ſæpe tribuimus iis, quæ eiuſdem ſunt generis. India à nobis communiter vocatur quæcumque regio antea incognita, longéque diſſita: quia ex incognitis, longinquiſque regionibus, ea quam Indus fluuius perluit, primùm explorata eſt. Et ab Hiſpanis Mahometani omnes, vbiuis gentium fuerint, Mauri vocantur, & quia ea pars Africæ propior eſt Hiſpaniæ, & quia à Mauritania profecti qui primùm Hiſpanis Mahometanæ perfidiæ ſectatores cogniti ſunt. Sic etiam videri potuit Tharſus Ciliciæ Hebręis cognita, aliis maritimis ciuitatibus nomen dediſſe. ſed hæc de Tharſo non admodum firma coniectura. Sed in re admodum incerta, dicam paucis quod mihi propiùs videtur ad veriſimilitudinem accedere; neque in aliorum ſententiis, aut commemorandis, aut refellendis operam, & tempus ludam.

Prouincia primùm explorata nomen aliis regionibus [illegible]

Primùm exiſtimo in *Tharſis*, aut mare, aut id quod ad mare pertinet, intelligi (verbi gratia) inſulas, aut portus, aut maritimas vrbes, idque vt credam ſuadet, quia Tharſis cum nauibus ſæpe coniungi video.

20. Conditores, aut exploratores nomen ſuum regionibus impoſuere.

Deinde putu Tharſis non ſignificare, omnes inſulas aut tractus maritimos, ſed eos qui ſunt in aliquo certo maris mediterranei ſpatio. Quod, vt oſtendam, obſeruo, qui primùm aut condiderunt, aut habitauerunt aliquam regionem, illam ſuo notaſſe, & quaſi conſignaſſe nomine. Exemplorum ſatis ſuppeditabit nobis, *Geneſ. caput* 10. Vbi qui à Noe prognati ſunt, in varias regiones diſſeminati illis ſuum indidere nomen. Quare Perſia dicta eſt Ælam; Æthiopia Chus; Ægyptus Miſraim; & decem filij Chanaam totidem prouinciis in regione Chanaanitide à ſuis nominibus nomen impoſuerunt. Idem conſtat *Gen. cap.* 25. de filiis Abrahæ ex Cethura, & filiis Iſmaelis. Et in regionibus nuper trans Oceanum exploratis exempla obuia. Fretum Magallanicum vallis Valdiuiæ, &c. Ad eumdem ergo modum mihi certum eſt, filios Iauan, Eliſa, & Tharſis, Cethim, & Dodanim ſuis conſignaſſe nominibus eas regiones, quas incolendas accepere, à parente Iauan, qui Græciam habitaſſe creditur, conſtans ſententia eſt indiuum eſſe nomen illi prouinciæ, quæ Hebr. יון *iauan*, dicitur, cui Ionia Grecè reſpondere exiſtimatur. Inter hos filios Iauan diſtributæ dicuntur inſulæ gentium. Sic enim *Gen. cap.* 10. *Filij Iauan, Eliſa, & Tharſis, Cethim, & Dodanim, ab his diuiſæ ſunt inſulæ gentium in regionibus ſuis, vnuſquiſque ſecundùm linguam ſuam.* Quæ cuique iſtorum inſulæ contigerint, obſcurum eſt, & coniecturæ dubiæ. Eliſa, & Dodanim, quidam Rhodios eſſe putant, & ſanè ita vertunt LXX. Eliſa. Italiam vocat Chaldæus, & Rab. Dauid in illud *Ezechiel.* 27. *Purpura de inſulis Eliſa.* Hieronymus & Theodoretus inſulas eſſe putant Græciæ, & maris Ionij. & Ioſephus *lib.* 1. *Ant. cap.* 11. Æoliam ſcribit ab Eliſa fuiſſe conditam. De his credo nihil poſſe dici certiùs: de Tharſis, & Cethim, de quibus plus ex Scriptura lucis habemus, aliquid nunc dicendum ampliùs.

21. Quid Cethim.

Cetbim Ioſephus ſupra Cyprum inſulam facit, ídque putat ex eo probabile videri, quia ibi vrbs eſt nobilis, quæ Citium vocatur Zenonis Stoicæ ſectæ principis patria. Idem putat Hieronymus *in cap.* 23. *Iſaiæ*, & *cap.* 5. *Ierem.* & Epiphanius *hæreſi* 30. ex qua dicit habitatores commigraſſe in Macedoniam; & ideo *in lib.* 1. *Machab. cap.* 1. de Cethim egreſſum dici Alexandrum Macedonem. Communiter hæc vox ab Interpretibus Italia redditur. *Num.* 24. *Venient in trieribus de Italia.* Hebr. *Cethim.* & *Ezech.* 27. & *Daniel.* 11. Ex his mihi fit veriſimile inſulas omnes, quæ à Cypro ad Occidentale mare pertinent ad Gades vſque adſcriptas fuiſſe Cethim Iauæ filio, & ab eo nomen accepiſſe, ſiue inſulæ illæ ad Lybicum, ſiue ad Italicum, ſiue etiam ad Græcum littus pertineant; & ab his inſulis regiones illis adiacentes appellari Cethim. Nam filiis Iauæ contigiſſe inſulas, conſtat *ex cap.* 10. *Gen.* niſi velis inſulas ab Hebræis vocari regiones, quæ ſunt vltra mare, etiamſi à continenti non diuiſæ, quia ab illis nonniſi in nauibus ad Palæſtinos fines erat appulſus, quod mihi non eſt improbabile.

De Thaſsis, vt iam tandem ad id quod noſtri negotij eſt, perueniamus, ſic puto dici poſſe non improbabiliter, vt Cethim, Dodanim, & Eliſa, ſortiti ſunt inſulas in aliis, atque aliis mediterranei maris regionibus, ſic Tharſis illas eſſe ſortitum, quæ à Cypro ad orientem Solem; & Aquilonarem plagam ſpectant, maximè quæ vicinæ ſunt Aſiæ littoribus (nam ex Orientalibus Aquilonaribuſque plagis, id eſt, de extremis maris interni tractibus, aliquot inſulas obtinuiſſe, Dodanim, & Eliſa, iam antea diximus.) Et primùm quòd ad Tharſis ſpectet Cilicia, in qua Tharſus nobilis ac littoralis ciuitas ſita eſt, docet Ioſephus *lib.* 1. *Antiq. cap.* 12. Hieronym. *q.* 61. *in Geneſ.* & indicat non obſcurè illud *Iudith cap.* 2. de Holoferne. *Cùm tranſiſſet*, inquit, *fines Aſſyriorum, venit ad montes Ange, qui ſunt à ſiniſtro Ciliciæ, effregit autem ciuitatem opinatiſſimam Melloth, prædauitque omnes filios Tharſis.* cuius loci explicationem habes, 2. *Machab. c.* 4. vbi Tharſus cum Mallothi coniungitur. Sic enim ibi de Antiocho: *Contigit Tharſenſes & Mallathas ſeditionem mouere, eo quòd Antiochi regis concubinæ dono eſſent dati: feſtinanter igitur Rex venit ſedare illos.* Et has vrbes eſſe in Cilicia probat quod ſtatim ſubiungitur; *Regreſſum Regem de Cilicia locis aduerunt Iudæi.* Partem verò illam Aſiæ quæ Syriam continet, & plagam illam, quæ non longè abeſt ab Aſſyriis, pertinere ad Tharſis, ſatis docet ille Holofernis curſus, qui *Iudith cap.* 2. deſcribitur:

vb

vbi nationes quædam, quæ ad Aſiæ littora, aut certè non procul à littoribus ſitæ ſunt, cum filiis Tharſis connumerantur. Accedit quòd Tyrus, quæ Iſaiæ tempore nondum erat adiuncta continenti, filia dicitur Tharſis, *Iſa. cap. 23.* nam vbi noſter, *filia maris*, Hebr. eſt, *filia Tharſis*. Ex quo fit probabile Tharſis non eſſe Carthaginem, vt quidam volunt, quia vt docet Plinius *lib. 5. cap. 19.* Tyrus Carthaginem genuit. quare Tyri Carthago filia; non contrà Tyrus Carthaginis dici debuit. quod etiam Virg. cecinit 1. *Æneid.*

Vrbs antiqua fuit, Tyrij tenuere coloni,
Carthago.

Dicitur autem filia Tharſis, quia Tyrus inſula erat ex earum numero quas olim occupauit, & coluit Tharſis filius Iauan. Neque Tarteſſum in Hiſpania; quia hæc etiam filia Tyri eſt. De Gadibus certè, quæ Tarteſſo vicinæ, docent auctores, neque pauci neque ignobiles. Plinius *ſuprà*, Pomponius Mela *lib. 3. cap. 6.* Solinus *cap. 26.* Et à poëtis Gades dicuntur Tyriæ. cúmque Gadibus proxima ſit Tarteſſus, & illa quæ Medina Sidonia dicitur, credo has quoque Tyri, ac Sidonis fuiſſe colonias.

23. Hanc partem mediterranei maris & littoralem tractum puto propriè vocatum eſſe Tharſis. Nihilominus per Synecdochen exiſtimo regionem illam, vbi inſulæ eſſent, & portus Hebræis magis noti, ſumi pro toto mari; ſicut Indiam pro quacumque regione longinqua, & Mauritaniam pro ea quæ à Mahometanis vbicumque locorum occupatur. Et, vt affini vtamur exemplo, Pontum quodcumque vocant mare, qui Pontico pelago vicini ſunt. Et firmat coniecturam, quia cùm Cilices, & Phœnices, ac Tyrij, quos ad inſulas, aut plagam Tharſis pertinere diximus, latè toto mediterraneo mari dominarentur, mare quod illorum regiones alluit, aut inſulas circumfundit, quod Syriacum, aut Phœnicium dicitur, obiicitúrque regioni Chananitidi, pro quocumque mari ab Hebræis vſurpari potuit. Quàm verò latè ſe olim diffuderit Cilicum dominatus, docet Solinus *c. 41.* *Ciliciam*, inquit, *ſi, vt nunc eſt, loquamur, derogaſſe videbimur fidei vetuſtatis. Si terminos ſequimur, quos habuit olim, abſonus eſt à contemplatione rerum præſentium. Ergo inter vtramque culpam factu optimum eſt amborum temporum ſtatum perſequi. Cilicia antea vſque ad Peluſium Ægypti pertinebat*, &c. Ex his fit vt à Septuaginta ſemper, à noſtro interprete non rarò, *Tharſis* transferatur *mare*, & quodcumque aliud mare vocetur Tharſis, etiam Oceanus: quia aliorum marium nomina minùs Hebræis nota, neque audita, niſi perquam rarò. Quare Oceanus dicitur Tharſis, cum in Tharſis nauigaſſe traditur claſſis Salomonis 3. *Reg.* 10. & claſſis Ioſaphat 2. *Paralip.* 21.

24. His tamen rudiùs, & pro rei magnitudine ſtrictim adductis ad textum reuertor, & explico cur dies Domini magnus futurus eſſe dicatur ſuper omnes naues Tharſis. Minatus fuerat ante Dominus ruinam, & cladem his, quæ Iudaico populo aut ornamento erant, aut præſidio; nempe cedris Libani, quercubus Baſan, excelſis montibus, collibus eleuatis, turribus excelſis, & muris munitis. Eodem filo ac textu ſermonis idem denunciat nauibus Tharſis. Ex quo duo colligo, alterum naues Tharſis ſumi pro magnis benéque conſtratis, atque munitis, quæque mare ſulcant vaſtum, ventíſque frementibus obnoxium. Neque enim aptè

A coniungerentur cum his, quæ ſiue à natura, ſiue ab arte plurimum habent firmitatis & roboris. Dicuntur autem naues Tharſis, vt diſtinguantur à vaſis, id eſt, Phaſelis papyri, quibus abundat Nilus, de quibus poſtea pluribus *cap.* 18. aut à nauigiis piſcatoriis, quorum magna vis in ſtagno Geneſareth; ſicut à nobis naues Indicæ, quibus Luſitani ad Orientem nauigant, pro ingentibus, benéque munitis vſurpantur. Et eo ſenſu *Pſalm.* 47. dicitur: *In ſpiritu vehementi conteres naues Tharſis.* Ac ſi dicat Propheta, naues etiam magnas, quales in mari magno plurimæ, non ſatis habituras firmitatis contra infenſam, atque vltricem Domini manum.
B Alterum eo tempore quo hæc vaticinatus eſt Iſaias, & quo impletum eſt vaticinium, fuiſſe naues Tharſis, id eſt, magnas, quæ, vt olim tempore Salomonis, & Ioſaphat magnam auri vim in regium ærarium comportarunt, ſic etiam Regibus Iuda longis pòſt ſæculis eaſdem opes conuexerint. Vt enim aliæ minæ vrbem intuentur Solymitanam, & quæ ad illius ſplendorem, & præſidium ſpectant; ſic puto naues quoque Tharſis, quibus eædem intenduntur minæ, eòdem pertinere. Et vt illa quæ præceſſere pulchra ſunt, expugnatuque difficilia, ſic etiam naues Tharſis pulchræ ſunt, & quia contra vim tempeſtatum fabrefactæ, non facilè vincuntur.

C aa *Et idola penitus conterentur, & introibunt in ſpeluncas petrarum.*] Cum Iudæi ab idolis, quæ ſuis ipſi manibus finxerant, coluerántque, præſidij nihil habuiſſent in illis rerum anguſtiis, edocti ſuo magno periculo in illis nihil eſſe virtutis, & fidei, confringent illa, ſalutémque potiùs petent à montium cauernis, aut terræ hiatu, quàm ab idolorum patrocinio. Quomodo Iudæi ſpeluncas & latebras ſubierint, vide ſuprà ad illud, *Ingredere in petram.* Septuaginta aliter hunc locum reddidere. *Manufacta omnia abſcondent inferentes in ſpeluncas.* Fortaſſe idem eſt ſenſus, quo ad idola, ſed obſcurior; ita vt non ſint Iudæi religionis, aut obſeruantiæ gratia illa abſconſuri in ſpeluncis, ne prædæ ſint hoſtibus; & rurſus proponantur venerationi, ſed
D omnino vt pereant, ſubtrahantúrque in æternum hominum oculis. Hoc apertè probat, quod ſtatim ſubditur *verſ.* 20. in quo eadem repetitur ſententia, ſicut etiam illico *verſ.* 21. vbi expreſsè traditur à Iudæis idola fuiſſe confracta. Quomodo Iacob *Geneſ.* 35. idola, quæ ſui è Meſopotamia ſecum auexerant, infodit ſubter Terebinthum, non religionis, ſed potiùs ignominiæ, atque anathematis gratia. 25.

bb *Cùm ſurrexerit percutere terram.*] Ad appulſum vſque Chaldæorum diſtulerat Deus ſupplicij pondus, idolorúmque in ſua ciuitate ſubuerſionem. Pòſt verò arripuit virgam, vtique ferream, confregítque populum infidelem, euertítque Babylonico incendio Idolorum aras, atque ipſa idola
E ita compreſſit vt infra mortuos, vt aiunt, in ipſa terræ viſcera penitus abſtruſerit. Virga verò fuit Aſſur, cuius viribus licèt ipſe neſciret, ad mulctandam nefariam Iudæorum impietatem Dominus vtebatur. De quo infrà *cap.* 10. *Aſſur virga furoris mei: & baculus ipſe eſt, in manu eius indignatio mea: ad gentem fallacem mittam eum.*

cc *Vt adoraret talpas, & veſpertiliones.*] Septuaginta paulò aliter. *Adorare vana & veſpertiliones.* 26.
Quorum tranſlatio quæſtionem offert examinandam, an hìc propriè intelligantur talparum & veſpertilionum imagines, quas pro diis antiqui coluerunt,

Diaboli ſymbolum Talpa, & Veſpertilio.

luerunt; an verò metaphoricè idola dicantur talpæ, & veſpertiliones; quia hi fœtidi ſunt, ac ſordidi, atque omnino ad aſpectum graues. Hoc poſterius videbatur non difficile, quia his beſtiolis diaboli natura, ac mores optimè deſcribuntur. Eſt enim talpa tenebrarum amans, vt pote captus oculis, in terræ cauis ſemper habitans. Veſpertilio nihil videtur aliud quàm alatus talpa; qui ſi minus intra terræ viſcera perpetuò viuit, tamen tenebras amat, & cum matutina luce in ſua ſe turſus latibula recondit. Quo quid aptius diaboli ingenium atque inſidias exprimat? qui princeps eſſe dicitur tenebrarum, vbi plerumque latet, vt ſagittet in obſcuro rectos corde. Adde quòd eo ferme modo idola deſcribuntur *Pſalm.* 113. *oculos habent, & non videbunt.* Et indicat tranſlatio LXX. qui cùm non tam verba metaphoricè ſpectent, quàm ſententiam, pro talpis, *vana* reddiderunt, & Symmachus paulò aliter, *infructuoſa.* Neque hæc explicatio diſplicet Hieronymo, & illam ſequitur Foreirus.

27. *Iudæi Talparum, & Veſpertilionum imagines coluerunt.* Sed mihi longè probabilius eſt propriè imagines fuiſſe talparum ac veſpertilionum. Qoia cum Iudæi, & olim ab Ægyptiis deorum acceperint ſimulacra, vt de vitulo conſtat, quem non diu poſt exitum ex auro ab omnibus corrogato conflauerunt; & hoc ipſo Iſaiæ tempore apud Ægyptios oegotiarentur, & ab ipſis in rebus anguſtis auxilium ſoliti eſſent implorare, veriſimile eſt aliorum etiam deorum, qui illis in hoaore fuerant, religionem, & imagines in ſuam ciuitatem tranſtuliſſe. *Ægyptiorum Dij.* Neque vero mirandum eſt ſordidas haſce beſtiolas diuinos honores habuiſſe in illis regionibus, in quibus nihil eſſet penè non diuinum. Nam vt acutè ridet Iuuenalis ſatyra 15. dum de Ægypto loquitur.

——— Crocodilon adorat
Pars hæc, illa pauet ſaturam ſerpentibus Ibin
Effigies ſacri nitet aurea Cercopitheci.

Quæ coluit etiam felem, vt auctor eſt Strabo *lib.* 17. Diodor. Siculus *lib.* 2, *cap.* 4. Plin. *lib.* 6. *cap.* 29. coluit item ſcarabæum illum, qui ſtercorarias pilulas voluit, ac fingit, vt tradit Plin. *lib.* 30. *cap.* 11. Porphyrius *lib. de abſtinentia animalium*, à quo ſumpſit Euſeb. *de præpar. Euang. lib.* 3. *cap.* 2. Et quod magis dæmonis tyrannidem, & illarum gentium tenebras & inſaniam prodit, porros, allia & cepas adorant, & per illa iurant, vt ſcribit Plinius *lib.* 19. *cap.* 6. Quare cum ſcommate Iuuenalis acutè ſuprà fœlices appellat Ægyptios, quibus in hortis tam vber, atque vernaculus eſt deorum prouentus.

Porrum, & cepe nefas violare, & frangere morſu,
O ſanctas animas, quibus hæc naſcuntur in hortis
Numina.

Non ergo mirandum, ſi talpas & veſpertiliones coluerit Ægyptus, quæ tam ſordida monſtra, viliáque legumioa in diis numerauerit, maximè cùm migalem, id eſt, murem araneum, qui oon multum ab vtroque differt, Deum habuerit, vt tradit Herodotus *lib.* 2. Si Hebræi valde ad idololatriam proni hæc etiam coluerint, cùm certum ſit vitulus ad Ægyptiorum imitationem coluiſſe. Quod ſub allegoria adulteræ ſponſæ ſignificauit Ezechiel. *cap.* 16. *Fornicata es cum filiis Ægypti vicinis tuis,* &c. *Et fornicata es in filiis Aſſyriorum.* Fornicari verò in Scriptura idololatriam indicat. Idem Ierem. *cap.* 2. & *cap.* 11. clariùs. *Secundùm numerum ciuitatum tuarum erant dij tui Iuda: & ſecundùm numerum viarum Ieruſalem poſuiſtis aras confuſionis.*

A Quo loquendi genere, & plurimæ, & variæ idolorum formæ ſignificantur, quia viæ Ieruſalem in omnes regiones ſpectabant. Facit huc illud *Pſal.* 105. *Commixti ſunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & ſeruierunt ſculptilibus eorum.*

28. dd *Quieſcite ergo ab homine, cuius ſpiritus in naribus eius eſt: quia excelſus reputatus eſt ipſe.*] In locum incidimus variè ab aliis redditum, & expoſitum. Sunt qui illud *ab homine* ad homines referant, ſed non eodem omnes modo. Montanus hominem illum Adam eſſe dicit, primum nempe hominem in cuius naſum Dominus miſit ſpiraculum vitæ, à quo illius vita pendet, quæ cùm fragilis ſit, non eſt cur excelſus reputetur, aut cum Adamo ſecundo conferatur. B Quare monet propheta vt ab illo Adam primo, luteo nempe figmento ad cæleſtem Adamum nempe Chriſtum ſpem, & animum conuertamos.

Leo Caſtrus qui hæc ad excidium Ieruſalem poſt Chriſti mortem pertinere putat, in homine per naſum aſpirante Cæſarem intelligit, quem Iudæi reiecto Chriſto ſuum ſibi regem appellaoerunt.

Baſilius de homine accipit, qui cùm fragili natura ſit, ſtaréque non poſſit diu, cuius nempe vita à tenui halitu dependeat, monet ab eo inſectando manus, & cogitatio temperent. Differt à Baſilio Montanus, quia ille monet ne affligamus; hic vetat ne ſperemus in homine.

Iudæi ſermooem hunc à Chriſto aoocant, & de C homine exponendum putant, de Rege puta Aſſyriorum, aut Ægypti, quaſi dicat propheta ab his nihil eſſe ſperandum vel timendum, cùm mortales ſint, ſicut cæteri hominum, vitámque aſpirando, atque expirando trahant.

29. Communis ſanctorum expoſitio eſt de Chriſto: neque enim aptè hæc, quæ præceſſerunt, & conſequuntur hærent, ſi de homine puro, ac non de Deo intelligantur, qui tam præcedenti quàm hoc capite inflicturus eſſe dicitur grauiſſima vulnera Iudæis. Neque de homine quicquam dictum eſt quod formidari, vel optari debeat. Quare non dubium qoin de Chriſto hîc Euangelicus loquatur propheta; qui ita de rebus aliis, atque tempo- D ribus loquitur, vt ſemper videatur ad tempus reſpectare Euangelij, neque diu à Chriſto oculos remouere. Videtur autem in his poſtremis verbis duorum capitum epiphonema quoddam aut acclamatio ſumma contineri. Eſt tamen adhuc difficillimus de Chriſto ſenſus.

Hieronymus ſic explicat. *Moneo atque præcipio vt quieſcatis ab eo* (nempe laceſſendo) *qui ſecundùm carnem quidem homo eſt, & habet animam, & ita ſpirat & naribus halitum trahit, vt nos homines ſpiramus, & viuimus; ſed ſecundùm diuinam maieſtatem excelſus eſt, & reputatur & creditur.* Quem ſequuntur alij; ſed nos claritatis gratia aliquid addamus.

30. *In Deo non ſolùm clementia eſt, ſed etiam ira.* Primùm puto veram eſſe Hieronymi explica- E tionem quæ in Chriſto qui miris eſt, & mortalem carnem indutos, maieſtatem oſtendit diuinam, quæ valde hominibus formidanda eſt. Sed credo dici poſſe non improbabiliter ſignificari hoc loco io Deo non ſolùm eſſe patientiam ad ferendum hominum peccata, differendúmque ſupplicium, ſed etiam iram, quam & theſaurizauit in diuino pectore peccatorum duritia, atque impœnités cor, & acuit quotidie noua peccatorum acceſſio. Monet ergo propheta vt ex iis quæ primo capite iam

facta

facta commemorauit, quæque nunc ab hoſtibus imminere prædicit, diſcant indignationem eſſe in Deo, quæ malè peccatores perdat; atque ideo caueant ne diuina abutantur patientia. Hæc verò indignatio optimè deſcribitur in naſo non hoc tantùm loco, ſed pluribus aliis prouerbiali, vt reor, ſpecie, per quam naſus pro furore ſumitur, quia in eo maximè eius ſignum oſtenditur. Quare Heb. eadem vox אף *aph naſum*, & *furorem* valet: & *patiens* in Scriptura latas, aut longas nares habere dicitur. *Pſalm*. 102. vbi vulgatus, *longanimis*, *& multùm miſericors*. Hebr. ארך אפים *erech apham*. Item *Pſalm*. 85. vbi noſter, *patiens*, *& multæ miſericordiæ*. Hebr. *qui nares habet longas, aut latas*. Qui verò feſtinus eſt & præceps ad iram, & vindictam, breuibus, aut contractis naribus eſſe dicitur. *Prou*. 14. vbi noſter, *vir impatiens operabitur ſtultitiam*. Hebr. קצר אפים *ketſar apham*, id eſt, *qui nares anguſtas habet, aut contractas*.

Naſus pro furore prouerbiali figura.

31. Ad hanc formam loquendi, vt reor, prouerbialem plurimæ ſunt alluſiones in Scriptura. *Deut. cap*. 29. *Dominus non ignoſcat ei, ſed tunc quàm maximè furor eius fumet*. Hebr. pro *furore* אף *aph*, id eſt, *naſus fumet*. 2. *Reg*. 22. *Aſcendit fumus de naribus eius*. *Iob*. 4. *Flante Deo periſſe, & ſpiritu iræ eius fuiſſe conſumptos*. Hebr. *& ſpiritu naſi*. & eius generis alia plurima. Quod etiam loquendi genus Latinis eſt in vſu, qui in naſo furoris ſignum obſeruant. Martial.

Rabido nec perditus ore
Fumantem naſum viui tentaueris vrſi.

Sanè in equo præferoci, ac ſtrenuo præcipua no-A ta eſt aut fumus efflatus, aut ignis erumpens ex illius naribus. Virgil. 3. *Georgic*.

Stare loco neſcit, micat auribus, & tremit artus:
Collectumque premens voluit ſub naribus ignem.

De equo *Iob. cap*. 39. *verſ*. 19. non diſſimilia *Gloria narium eius terror*. Huc ſpectat illud Plautinum. *Fames, & mora bilem in naſum conciunt*.

Porrò *ſpiritum* pro *furore* ſumi ſatis in Scriptura obuium, vt oſtendimus ad illud *Zachariæ* 5. *Spiritus in alis*. *Pſal*. 138. *Quo ibo à Spiritu tuo?* & *Iſai*. 30. *Spiritus eius ſicut torrens inundans*. *Iud*. 8. *Et requieuit ſpiritus eorum, quo tumebant contra eum*. 32.

Spiritus pro furore.

Eſt ergo ſenſus meo iudicio non difficilis. deſi-
B nite iam tandem moleſti eſſe Deo, quia ſpiritum habet, id eſt, iram in naribus, quam in vos ſi odioſi eſſe pergitis, tandem efflabit. Eodem omnino ſenſu, quo *Pſal*. 2. dicitur. *Apprehendite diſciplinam*. (Hebr. *oſculamini, aut reueremini filium*) *nequando iraſcatur Dominus*. Hiſpanicè, *noſele ſuba el humo alas narizes*.

c *Quia excelſus reputatus eſt ipſe*.] Hæc verba aut omiſerunt LXX. aut ex eorum exciderunt translatione. Aquila ita reddit *in quo reputatus eſt*
C *ipſe*. Vtrumque admittit vox Hebraica במה *bamà*. quæ ſi compoſita eſt, ſignificat *in quo*; ſi verò ſimplex, *excelſum*, & hoc poſterius ſecutus eſt Hieronymus. Qui obſeruat illud במה *bamà*, ſubſtantiuum eſſe, atque ideo hanc ſubeſſe ſententiam. Illum cuius ſpiritus eſt in naribus, id eſt, qui homo eſt, & inſtar aliorum hominum ſpirat (nam vt vidimus in hunc ſenſum accipit hæc verba) eſſe ipſam celſitudinem.

Argumentum tertij capitis Iſaiæ.

IDEM eſt argumentum, atque eadem prophêtia, quæ in capite ſecundo, quæ Solymitanis ciuibus cladem, ignominiámque denunciat. Primùm ſubmouet illa præſidia, quæ laboranti republicæ magis opportuna fore videbantur: cuius eam affirmat futuram eſſe ſpeciem; vt nemo non ſolùm quæſitus, ſed etiam quodammodo coactus, regni gubernacula ſuſcipere non audeat. Deinde eius cauſam præcipuam, & internam oſtendit, nempe peccata varia: atque etiam externa, quæ eſt à Principum, ac Rectorum ſtupore, ac fraude. Ad extremum nudandas eſſe dicit filias Sion ab ambitioſo nimiùm, & eleganti cultu, atque mundicie, eóque redigendas, vt nihil excogitari poſſe videatur, aut fœdum magis, aut magis miſerabile.

CAPVT III.

1 a ECCE *enim dominator Dominus exercituum auferet à Ieruſalem, & à Iuda* b *validum & fortem:* c *omne robur panis, & omne robur aquæ.*

2 d *Fortem, & virum bellatorem, iudicem, & prophetam,* e *& ariolum, & ſenem.*

PARAHPRASIS in idem caput.

1 NON ſine cauſa dixi cauendum eſſe ab eo, cuius naſus ſpirat, & fumat. Dominus enim exercituum auferet à Ieruſalem quidquid illi, aut munimento eſſe poterat, aut alimento, ita vt ab hoſte pereat à præſidio nuda; aut certè à fame panis, & aquarum inopia.

2 Auferet namque Deus à Ieruſalem fortem virum, & ad pugnandum ſtrenuum: auferet iudicem qui præſit, moderetúrque timidum, & tumultuantem populum: auferet prophetam, à quo in dubiis diuina ſciſcitetur oracula, & ariolum, qui acri perſpicacique iudicio, quod à tempore ſiue ab hoſte timeri poſſit, odoretur, atque con-

iectet: neque relinquet ſenem, qui ſua prudentia, longo rerum vſu, atque experimento compara-ta, quid facto opus ſit, imperitæ rerum iuuentuti præſcribat.

3 Quid multa? auferet ducem, qui poſſit quinquagenarium, aut alium quemcumque ordinem ducere. Neque vllus erit honorabili ſpecie, quem obſeruet obſcurum vulgus, & ignobile; & quem honore aliquo dignetur vaſtator hoſtis: neque conſiliarius, qui confuſam moderari poſſit multitudinem: neque architectus, & faber, qui contra hoſtiles fraudes nouas architectetur machinas: aut qui vim habeat ad perſuadendum, quod facto opus fuerit: aut qui conſulta ſenum prudente oratione referat, atque exponat tumultuanti plebi.

4 Grauia hæc ſunt, atque horribilia; ſed audi aliquid maius. Suberit infelix ille populus puerorum dominatui, à quibus prudentia abſit, & rerum vſus: Suberit illorum non tam imperio quàm libidini, quorum effœminati animi noua quotidie voluptate, ac luxu liqueſiant. Qui cùm ſpiritus habeant infirmos, & omnino muliebres, & hoſtium non modò impetum, ſed neque aſpectum ſuſtinere audeant, ad alium cum bello regni quoque ſummam deferre volent.

5 Cùm Principis puerilis ætas, aut eius infantiles, & effœminati mores ſuſtinere non poſſint, aut moderari rempublicam laborantem, neque vllus audeat procumbentem illam molem ſubire, omnes à ſe pondus illud in aliorum humeros declinare ſtudebunt. Quare puer contra ſenem, & contra nobilem diſceptabit ignobilis, quò ſe ſe eximat ab ea cura gubernandæ reipublicæ, quam ad ſe vltrò deferri videt.

6 Apprehendet itaque fratrem, atque domeſticum ſuum quiuis è populo, dicétque: quandoquidem tibi cultus eſt paulò quàm nobis elegantior, eſto rex noſter. Accipe prouinciam ruinoſam, quam pro regia facultate inſtaures, atque conſtituas.

7 Reſpondebit autem, qui prudenter oblatum à ſe repellet dominatum: quia hæc reſpublica, & vulnere laborat, & fame, magis eget medico, qui vulnus obliget, aut qui horreum habeat pro tanta multitudine luculenter inſtructum, quàm Rege, qui legibus, & imperio moderetur; Atqui ego neque medicus ſum, neque frumento abundo; quare nolite me Regem conſtituere, qui ſubuenire nequeo laboranti populo.

8 Neque mirũ, ſi nemo non recuſet in ſe recipere illud regni põdus, quod iam iam videt grauem minari, & irreparabilem ruinam. Cuius ea fuit non leuis cauſa, quia tam eorum ſtudia, quàm lingua eiuſmodi ſunt, vt id vnum videantur ſpectare, vt oculis propoſita Dei, eius furorem acuans ad vindictam.

9 Receperunt pœnas, quas exigebant peccata,

3 Principem ſuper quinquaginta, [f] & honorabilem vultu, & conſiliarium, [g] & ſapientem de architectis, [h] & prudentem eloquij myſtici.

4 [i] Et dabo pueros: principes eorum, & effœminati dominabuntur eis.

5 [k] Et irruet populus, vir ad virum, & vnuſquiſque ad proximum ſuum: Tumultuabitur puer contra ſenem, & ignobilis contra nobilem.

6 Apprehendet enim vir fratrem ſuum domeſticum patris ſui: [m] veſtimentum tibi eſt, princeps eſto noſter, ruina autem hæc ſub manu tua.

7 [n] Reſpondebit in die illa, dicens: Non ſum medicus, & in domo mea non eſt panis, neque veſtimentum: nolite me conſtituere principem populi.

8 [o] Ruit enim Ieruſalem, & Iudas concidit: quia lingua eorum, & adinuentiones eorum contra Dominum, vt prouocarent oculos maieſtatis eius.

9 [p] Agnitio vultus eorum reſpondit eis: & pecca

peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicauerunt, nec abſconderunt. Væ animæ eorum: quoniam reddita ſunt eis mala.

ta, quæ ipſi apertè procaci vultu, externóque corporis habitu præ ſe ferebant. Neque contenti, ab hominum oculis ſuam intemperantiam remouiſſe, vſque adeò frontem perfricuere, vt ſicut Sodomęi flagitia publica euulgauerint, prædicauerintque, quaſi laudi ſibi eſſe duxerint diutiſſimè, atque grauiſſimè peccaſſe. Væ igitur illis, quia pro peccatorum ſuorum meritis pœnas exoluerunt.

10 [a] *Dicite iuſto quoniam bene, quoniam fructum adinuentionum ſuarũ comedet.*

10 Hunc capient impij fructum ſtudiorum ſuorum; longè aliter accidet iuſtis; cui meo nomine, ô vos meorum conſiliorum præcones, annunciate; quoniam bona comedent, fructum nimirum eorum, quæ operati ſunt; quæ ipſis quædam fuerunt felicitatis, & voluptatis ſemina.

11 *Væ impio in malum: retributio enim manuum eius fiet ei.*

11 Væ impio, cui à ſeuero Dei iudicio paratum eſt malum: expender enim pœnas eorum operum, ad quæ impias, atque ſceleratas manus adiecit.

12 [e] *Populum meum exactores ſui ſpoliauerunt; [f] & mulieres dominatæ ſunt eis. Popule meus, [g] qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſsipant.*

12 Internas accepiſti, ô popule meus, & proprias tuæ vaſtitatis, atque exitij cauſas; nunc externas audi. Principes, & præfecti non tam populi mei cuſtodes, & legum vindices fuerunt, quàm exactores, compilatoréſque bonorum, quæ incredibili auaritia, & multiplici artificio captabant; cùm tamen alioqui animo eſſent, ſtudióque planè muliebri. Qui te, ô popule meus, beatum eſſe prædicant, ſperaréque iubent omnia pro votis, iidem verè te in fraudem, & tranſuerſis, diſſipatiſque viarum tuarum greſſibus in exitium trahunt.

13 [v] *Stat ad iudicandum Dominus, & ſtat ad iudicandos populos.*

13 Accinctus tamen eſt Deus, & paratus, accinctus, inquam, vt aliquando iudicet, vlciſcatúrque populis irrogatas à principibus, ac ſenatoribus iniurias.

14 *Dominus ad iudicium veniet [x] cum ſenibus populi ſui, & principibus eius. [y] Vos enim depaſti eſtis vineam, & rapina pauperis in domo veſtra.*

14 Adueniet aliquando Deus vltor, & iudex, diſceptabítque in hunc modum cum Principibus, ac Senatoribus populi. Vos è vinea mea, quam ego è nobili, atque ſelecto palmite conſeueram, non ſolùm fructum collegiſtis, extremámque vindemiam, quam lex pauperum vſibus reſeruari iubet; ſed etiam hoſtilem, aut ferinum in modum populati eſtis; neque externum aduocari teſtem neceſſe eſt: Ecce enim clamant contra vos pauperum ſpolia, quibus domus veſtræ ornantur, & abundant.

15 *Quare atteritis populum meum, [z] & facies pauperum commolitis, dicit Dominus Deus exercituum?*

15 Quare populum meæ mihi cuſtodiæ creditum tam auarè, atque iniquè fortunis omnibus, & commodis euertitis, dicit Dominus. Quare tam acerbè vexatis, vt eius faciem contundatis pugno: quod ad ignominiam graue eſt, & ad crudelitatem acerbum.

16 *Et dixit Dominus: [aa] Pro eo quòd eleuatæ ſunt filiæ Sion, [bb] & ambulauerunt extento collo, [cc] & nutibus oculorum, ibant, [dd] & plaudebant, ambulabant pedibus ſuis, [ee] & compoſito gradu incedebant.*

16 E pauperum præda, quam viri ſuſtulerant, aut fratres, ambitioſum ſibi faſtum pararant filiæ Sion; propterea aliquid quoque ignominioſum, & graue illis prædicit, ac minatur Deus. Propterea quòd arte, atque ſtudiis procetæ magis videri volunt filiæ Sion, collóque ambulant ad

proceritatem extento,cum libero, atque procaci oculorum nutu, cum plauſu quodam ex calceamentorum luxu altè perſtrepente, & quia earum inceſſus ad leuiculos numeros artificioſè compoſitus.

17 Propterea Deus vicem illis pro ſua leuitate digniſſimam rependet; magno ſtudio, atque arte,vt aliquid ſibi proceritatis adſciſcant, quam negauit natura, erigunt crines, torquéntque variè, eóque artificio comptum relinquunt, atque illuſtre caput. Sed illo crinium eleganti veſtitu turritum verticem, decaluabit Dominus detracto capillo, qui in vacuo cerebro vaniſſimam illam turrim conſtruebat.

17 [ff] *Decaluabit Dominus verticem filiarum Sion,* [gg] *& Dominus crinem earum nudabit.*

18 Eo tempore Dominus ſquammata, atque ſonantia calceorum ornamenta detrahet, & lunulas, quæ à collo ad pectus vſque deſcendunt, tum etiam torques, & monilia, quæ plerumque colli,& armillas quæ brachij, & mitras, quæ capitis ornamenta ſunt.

18 [hh] *In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum,* [ii] *& lunulas,* [ll] *& torques,* [mm] *& monilia,* [nn] *& armillas,* [oo] *& mitras.*

19 Neque iam ampliùs erunt inſtrumenta illa varia, quibus fœminarum leuitas capillos torquet,atque diſcriminat, non mure[illegible]ulæ, non myrothecia, non inaures, non periſcelia, quæ imas tibias ita ligant, vt etiam exornent,non annuli, non gemmæ à fronte ad naſum vſque demiſſæ.

19 [pp] *Et diſcriminalia,* [qq] *& periſcelides,* [rr] *& murenulas,* [ſſ] *& olfactoriola,* [tt] *& inaures,* [vv] *& annulos,* [xx] *& gemmas in fronte pendentes.*

20 Idem de veſte multiplici, mutatoriáque iudicium, id eſt,de palliis,linteaminibus,acubúſque crinalibus. Neque mitiùs agetur, cum ſpeculis, ſudariis, atque ſindonibus, cum vittis, & theriſtris.

20 [yy] *Et mutatoria,* [zz] *& palliola,* [aaa] *& linteamina,* [bbb] *& acus,* [ccc] *& ſpecula,* [ddd] *& ſyndones,* [eee] *& vittas,* [fff] *& theriſtra.*

21 Erit denique ea rerum mutatio, vt pro aromate,aut vnguento ſuauiter fragranti ſuccedat ex illuuie,aut tabe ſquallor,& fœtor:pro zona auro gemmíſque diſtincta, ex materia ſylueſtri, ac impolita aſper, viliſque funiculus; pro crine magna cura, atque artificio criſpato defluentibus, ac detonſis capillis turpe caluitium: pro faſcia, quæ vberum tumorem cohibet, & pectori decorem addit,& dignitatem, adueniet è cilicio turpe quoddam,& durum integumentum.

21 [ggg] *Et erit pro ſuaui odore fœtor, & pro zona funiculus,* [hhh] *& pro criſpanti crine caluitium,* [iii] *& pro faſcia pectorali* [lll] *cilicium.*

22 Vt pulcherrimæ filiæ Sion à pretioſo, atque eleganti cultu ſpoliatæ, ab illuuie erunt,atque ſquallore fœtidæ: Sic quoque iuuenes in eo populo pulcherrimos, & quibus maius erat ad pugnam robur,& audacia, diuturna fames in obſidione,aut hoſtile ferrum in prælio conficiet.

22 [mmm] *Pulcherrimi quoque viri tui gladio cadent,& fortes tui in prælio.*

23 Tunc verò vaſtabuntur, quæ firmiſſima erant vrbis præſidia: & ciuitas tota iam deſerta, & complanata ſolo,quaſi vidua ſilens,& mœrens humi ſedebit.

23 [nnn] *Et mœrebunt,atque lugebunt portæ eius,* [ooo] *& deſolata in terra ſedebit.*

IN CAP.

Digitized by Google

IN CAPVT TERTIVM COMMENTARIVS.

1. DEſcribit iam Propheta minutim, quæ immineant incommoda ingrato ac peruicaci populo, ſiue de Chaldæorum, ſiue de Romanorum temporibus accipias; in quibuscommemorandis effloreſcit, ſi vſpiam, diuini vatis eloquentia.

[a] *Ecce enim dominator Dominus exercituum auferet à Ieruſalem.*] Apparet hanc prophetiam eſſe cum ſuperiori contextam, alioquin otioſum eſſet illud *enim*, quod rationem reddit cur Deus timeri debeat, qui ſpiritu narium ſuarum, id eſt, furore ſuo omne robur, atque ornamentum auferet à Ieruſalem & Iuda.

2. [b] *Validum & fortem.*] Hebr. משען ומשענה *mashhen vmashhenah*, ad verbum, *ſuſtentaculum, & ſuſtentationem* ſeu *ſuſtentatorem*, *& ſuſtentatricem*, aut magis accommodatè ad vulgatum, *validum & validam*. Quare *fortem* generis eſt fœminei. Eſt autem vſitatum in Scriptura vt per vtrumque genus maſculinum & fœmineum, explicetur vniuerſitas eius rei; de qua ſuſceptus ſermo. *Eccl.* 2. *Cantores & cantatrices*, id eſt, omne muſicorum genus. & *Ierem.*7. *Vox ſponſi, & vox ſponſæ*, id eſt, omnis nuptialis plauſus. Vide infrà ad illud *cap.*22. *Quid tu hic, aut quaſi quis hic.* & ad illud *cap.* 38. *Domine ſi ſic viuitur, & in talibus.* Quare iuxta hæc, prædicit propheta omne firmamenti genus ſublatum iri à Hieroſolymis. S. Baſilius ſecutus translationem L x x. qui reddunt *validum & validam*, exponit tales defuturos eſſe duces, quales olim habuit Iſrael; validos, vt Moyſem, Ioſue, Gedeon, Samſon, validas, vt Deboram, Iudith.

Regula. Per genus maſculinum fœmineo adiunctum vniuerſitas ſignificatur. Eccl. 2.

3. [c] *Omne robur panis, & omne robur aquæ.*] Hebr. idem eſt nomen משען *mashhen*, quod priùs. Videtur autem propheta nunc explicare minutiùs quod in *valido & forti*, ſiue *ſuſtentaculo, & ſuſtentatione*, magis generaliter atque confusè continebatur. Suſtentatur autem populus non ſolùm militum lacertis, ſed ciborum alimonia, ducum induſtria, ſeniorum conſilio, quæ omnia ſtatim ſigillatim euoluit. Nunc ergo agit de eo robore, quod à pane & aqua eſt, id eſt, ab eo quod in cibum, aut poculum adhiberi ſolet: panis enim & aquæ nomine omnia eſculenta, ac poculenta contineri ſatis eſt notum. Quòd verò hîc de militari virtute, atque induſtria ſermo non ſit, ſatis ex eo liquet, quia ſtatim agit de viro forti, ac bellatore. Porrò robur panis & aquæ ſignificare poteſt, aut non defuturum panem, & aquam, ſed eiuſmodi futurum vtrumque, vt neque panis, quia euanidus eſt, famem expleat, neque aqua, vt pote à ſua naturali virtute deſtituta, ſitim extinguat. Aut certè quòd omnino neque panis futurus ſit, neque aqua: quia cœli propter hominum peccata ſic obſtruentur, vt nunquam ſtillent. Priorem ſententiam ſequuntur communiter Patres, aut etiam ſupponunt. Poſteriorem indicant, qui hæc de Chriſto accipiunt, aut de pane Euchariſtico. In poſteriorem ego magis inclino; quam mihi ideo perſuadeo, quia video familiare epithetoo in Scriptura eſſe

Firmamentum & baculus epitheto panis.

A *confirmans, firmamentum, baculum & virgam. Pſal.* 104. *Omne firmamentum panis contriuit.* Hebr. מטה *matteh*, id eſt, *virgam* ſeu *baculum*. Loquebatur autem de tempore Ioſeph, vbi omnino panis indigentia fuit. *Ezech.* 14. *Conteram virgã panis eius.* & *cap.*5. *Conteram in vobis baculum panis.* & clariùs *cap.* 4. *Ecce ego conteram baculum panis in Ieruſalem, & comedent panem ſuum in pondere, & in ſolicitudine, & aquam in menſura, & in anguſtia bibent, vt deficientibus pane & aqua corruat vnuſquiſque.* Vbi indigentia oſtenditur, non infirmitas panis. Quod etiam non dubiè ſumitur *ex Leuit. cap.* 26. *Poſtquam confregero baculum panis veſtri.* Qui locus non de pane euanido, ſed deficiente B intelligitur: nam ſtatim ſubditur. *ita vt decem mulieres in vno clibano coquant panes, & reddant eos ad pondus.* Et in hunc ſenſum accipit Chaldæus illud *Pſal.* 71. *Erit firmamentum in terra in ſummis montium.* dum vertit *fulcimentum panis.* quem alij tum ex antiquis, tum ex iunioribus plurimi ſequuntur. Quaſi dicat in ſummis montium verticibus natura ſua aridis futuros eſſe copioſos frumenti prouentus. Ex hac ſignificatione מטה *matteh*, quæ *ſuſtentationem*, ſeu *ſuſtentaculum* quocumque in genere valet, ortum puto, vt à Paulo *ad Hebr. cap.* 11. appelletur *virga*. Sic enim ibi. *Adorauit faſtigium virgæ eius.* Et à Hieronymo *lectulus*, *Geneſ.*47. *verſ.* 31. *Conuerſus ad lectuli caput.* Tam C enim à virga, ſeu baculo, quàm à lectulo infirma ſuſtentantur membra. Et per quandam metalepſim in Scriptura vſitatam *virga* pro *lectulo*, & contra *lectulus* pro *virga* vſurpari poteſt. Hanc itaque his verbis puto ſubeſſe ſententiam. Auferam panem, & aquam confirmantem, ſeu viuificantem, & ſuſtentantem hominem. quæ ideo optimè *baculi* dicuntur, quia vt hi ſenilia membra in terram incurua, atque cadentia ſuſtinent, ne corruant, ſic cibus, & potus deficientem naturam ab interitu reſtituunt. Exiſtimo autem baculum hîc, & alibi ſæpius prouerbialiter ſumi.

Pſal. 104. Ezech. 14. Ezech. 4. Ad Heb 11. Gen. 47.

[d] *Fortem, & virum bellatorem, iudicem & prophetam.*] Ex his, quæ baculo erant, & firmamento Reipublicæ, priùs panem aquámque ſummouerat, D id eſt, vitæ deficientis, ſuſtentaculum & firmamentum; ſummouet nunc viros, quorum conſilio atque virtute res publica adminiſtrari atque defendi poſſet. primùm fortes, & bellatores, deinde iudices, & prophetas. Iudicum autem nomine illi videntur intelligi, ſiue qui cauſas dirimunt, ſeniorúmque conuentum conſtituunt, qui *sanhedrim* vocatur, ſiue qui ad antiquam conſuetudinem rempublicam Iudaicam non tam ſuo arbitratu, quàm diuino conſilio moderabantur. Qualis fuit Gedeon, Iephthe, Samuel, & illi de quibus glorioſè multa in libro Iudicum. nam licèt gubernandi ratio eſſet mutata, nomen tamen ex memoria hominum nondum exciderat. Sed de prioribus hîc ſermonem eſſe puto. Hi humano conſilio de rebus & cauſis deliberabant, alij diuini conſilij interpretes altiori quodam modo; & hi erant prophetæ. Quos etiam à Hieroſolymis ſummouet Deus, quia 4.

Digitized by Google

non vult impio atque ingrato populo, vt antea, ſua conſilia familiatiter impertiri.

5. Duobus modis defeciſſe exiſtimari poſſunt prophetæ, aut quia ipſis fides non eſt habita, vt contigit Ieremiæ ſub captiuitatis tempus, & Iſaiæ, atque Ezechieli: quorum prophetiæ multis vertebantur in carmen muſicum, ſiue quia reuera prophetiæ defecerunt. Et hoc poſtremum non puto conuenire poſſe in Ieruſalem, quo tempore ſiue à Chaldæis ſiue à Romanis vaſtata eſt. Nam dum obſeſſa fuit, atque expugnata ciuitas, prophetæ fuerunt Ieremias, & Baruch: neque ſtatim defecerunt, nam in tranſmigratione fuerunt Daniel, & Ezechiel: & ea ſoluta Æggæus, Zacharias, Malachias, & Eſdras: ab his tandem ceſſauit prophetia vſque ad Euangelij tempus, vt vidimus in prooemio Zachariæ. Quo verò tempore à Romanis capta, atque euerſa ciuitas eſt, non erant ibi prophetæ, qui deficerent, niſi forte prophetam appellemus illum Ieſum, qui vt tradit Ioſephus *lib. 7. de bello. cap.* 12. quotidie, & penè continenter clamabat, *va, va, va*: neque vllo metu aut vi tormentorum cohiberi potuit, quominus ſuum illud *va* identidem ingeminaret. Nam de Apoſtolis, ſi qui tamen erant reliqui, & aliis qui tunc temporis prophetæ erant, non puto hic agi, quia neque iſti ſublati, neque eo tempore in vrbe prophetarunt. Quare exiſtimo non tam hic agi de prophetis, quam de propheriis, quas ſtultus ille populus non erat intellecturus, cùm ſæpius audiret; aut certè non curaturus, quod perinde eſt ac ſi nunquam audiſſet, aut non habuiſſet. Nam ex familiaris ſermonis vſu, à quo Scriptura non abhorret, ſi ægro corpori nihil ſanitatis affert medicina, nullam medicinam fuiſſe dicimus: ſi nullum conſilium vtile fuit, conſiliarium defuiſſe: ſi Rex puer, aut ſtultus, abfuiſſe regem. Sic ergo quia prophetarum vox audita non eſt, prophetæ non fuiſſe cenſendi ſunt. Idem dicendum eſſe cenſeo, ſi prophetæ latiori ſignificatione ſumantur, nempe pro iis, qui Scripturam interpretantur, mouéntque populum vt ſanctè viuant, Deique iudicia reformident. Nam hi licèt Romanorum, Chaldæorúmque temporibus non defuerint; quia tamen pauci fuerūt, ſuiſque conſiliis perfecerunt nihil, abfuiſſe quoque exiſtimandi ſunt. Chaldæus pro *propheta*, *ſcribam* vertit, id eſt, *ſapientem*, qui etiam propheta dici poteſt, quatenus Scripturam ſacram interpretatur.

Regula. Dicitur non fuiſſe, quod vtile non fuit.

6. [c] *Ariolum & ſenem.*] Vbi abeſt qui Dei nobis oracula manifeſtet, ſiue qui de nouo accipiat, ſiue qui olim prodita interpretetur, plurimùm refert ſi adſit ſenex, qui à prudentia variis rerum euentibus acquiſita quid facto opus ſit, doceat: aut Ariolus, id eſt, prudens, & ſagax, qui ex multarum rerum comparatione quid euenturum ſit acutè coniectet, & quaſi diuinet. Neque enim vox *ariolus* ſemper in peiorem partem ſumitur, ſicut neque vox Perſica *magus*, aut Hebraica קוסם *koſem*, quare L x x. verterunt στοχαστὴν, id eſt, *coniectorem*. Certè non in vulgaris laudis loco ponitur diuinatio in labiis Regis. *Prouerb. cap.* 16. *Diuinatio in labiis Regis; in iudicio non errabit os eius.*

7. [f] *Honorabilem vultu.*] Honorabilis vultu is eſt, cui aliquid in ore dignitatis, quod alij ſuſpiciant; aut in quo aliquid ſit eximium propter quod aliis venerationi ſit. Hebr. נשוא פנים *naſua phanim*, id eſt, *eleuatus facie*. L x x. verterunt *admirabilem*. Defuturus verò dicitur, quia aut nullus erit in anguſtiis illis temporibus, cui debeatur honor: A aut etiam quia nullus eiuſmodi viros reuerebitur. Quod accidiſſe quo tempore vrbem oppreſſere Babylonij, indicat Ieremias cùm dicit *Thren. cap.* 5. *Facies ſenum non erubuerunt.* & *cap.* 4. idem omnino de ſacerdotibus dolet.

[g] *Sapientem de architectis.*] Hæc ad tempus obſidionis refero, quod ſic erit nudum ab omni militari præſidio, vt neque dux ſit, qui præſit publicè, aut vir honorabilis, qui priuata auctoritate quicquam poſſit; neque vir fortis qui ab his imperata præſtare audeat. Cùm autem in rem bellicam non tantùm vires, & lacerti valeant, ſed etiam induſtria, atque ſolertia, nam in machinis non exiguus eſt B vſus, ſiue ad oppugnãdum ſiue ad reſiſtendum, hoc quoque aberit a ciuitate præſidium. Quare architectus, aut faber non erit qui excogitatis ex rerum opportunitate machinis hoſtium conſiliis, & machinationibus occurrat. Cùm ergo vires, auctoritas, & ingenium deſit, quid vtile conari poteſt deſertus ille, atque infelix populus? Hæc autem quàm verè de Romanorum obſidione dici poſſint non video, contra quorum machinas, & conſilia nouas ſemper, neque minus vtiles rationes, & machinas moliebantur obſeſſi.

[h] *Et prudentem eloquij myſtici.*] Miro artificio Propheta populi miſerrimum ſtatum deſcribit. 8. Summouerat fortè virum, conſiliarium, & ariolum: nunc addit defuturum quoque prudentem eloquij C myſtici: ac ſi dicat: Etiam ſi futuri eſſent viri magni conſilij, qui rationem aliquam rerum articulis vtilem excogitarent, deeſſet tamen illis oratio, qua cogitationes ſuas aliis explicare, ac perſuadere poſſent. Quàm verò ingenium ſolers, & acutum ad excogitandum parum poſſit, ſi abſit, aut vis ad perſuadendum, aut ad explicandum facultas, quis non videt? Quapropter qui ſummi habiti ſunt imperatores, ſiue in veris ſiue in fabuloſis hiſtoriis, iidem eloquentiſſimi fuiſſe traduntur.

9. [i] *Et dabo pueros principes eorum, & effœminati dominabuntur eis.*] Mos eſt propheticus vt ab vna perſona ſubitò in aliam migratio fiat, & modò prophetæ in ſua, modò in Dei aut aliorum perſona loquantur. Quod hic accidiſſe multi, idque non D immeritò cenſent, ita vt hîc Deus loqui exiſtimetur non propheta. Quod mihi quoque viſum eſt. Veruntamen magis eò inclinat animus vt credam, hæc prophetam in ſua perſona non in diuina loqui. Vt enim à nobis *cap.* 6. dictum ad illud. *excæca cor populi huius*, id à nobis fieri dicitur, quod ab aliis faciendum ſignificamus. cuius rei vnum producam exemplum quod ſit inſtar omnium, *Ierem. cap.* 1. *Dixit Dominus ad me. Ecce dedi verba mea in ore tuo. Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & ſuper regna, vt euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes.* Non enim id iniunctum eſt prophetæ vt ipſe euelleret, atque deſtrueret: ſed vt ea prædiceret futura, vt exponit Hieronymus, Theodoretus, Rabanus, Lyra, Dionyſius & alij. Quod ſanè Deus ſignificat ſe facturum, *Ierem. cap.* E 12. *Ecce ego euellam eos de terra ſua, & domum Iuda euellam de medio eorum*, &c. *& reducam eos, & ædificabuntur in medio populi mei.* & *cap.* 24. *Reducam eos in terram hanc, & ædificabo eos, & non deſtruam; & plantabo, & non euellam*, vbi ſine dubio ad ſuperiorem locum eſt alluſum. Ad hunc ergo modum exiſtimo explicandum Iſaiæ locum quem nunc verſamus. *Dabo pueros principes eorum*, id eſt, *prædico dandos eſſe pueros*, nunc ad textum.

Regula. Id fieri dicitur ab eo, qui factum, aut faciendū aliquid eſſe denunciat. Ierem. c. 1.

Vbi ſublati fuerint Reges, & iudices ſtrenui eo-

rum

rum loco ſuccedent principes, quibus & prudentia abſit,& ideo digni qui vocentur pueri,& virtus, atque conſtantia, vnde effœminati dicti,qui nimirum animos alunt infirmos, & mulicbres ſpiritus. Vſque adeò enim inter bellicos ſtrepitus trepidabunt, vt omnia ſumma deferant ad eos, qui eum bello Regni quoque ſummam capeſſere volent. Et ideo ad hæc accommodatè ſubditur.

10. l *Et irruet populus vir ad virum, & vnuſquiſque ad proximum ſuum. Tumultuabitur puer contra ſenem, & ignobilis contra nobilem.*] Quidam putant eò rem deductum iri Iudaicam vt pueri, & ignobiles regnum ambiant, rebúſque nouis in populo conturbato ſtudeant. B Sed credo tumultum illum non tam excitandum ambitione ac cupiditate, quàm odio atque faſtidio regni.ita vt ſenes,ac pueri,nobiles,atque ignobiles certent,tumultuéturque non de ſumendo,ſed de reſpuendo dominatu, declinandóque in alios imperij pondere. Enumeratis verò tot hominum conditionibus, oſtendit quanta futura ſit rerum turbatio, atque confuſio: cùm cuiuſque fortuna adeò ſit afflicta, réſque publica eò redacta vt homines imperandi cupidi non tam appetant, quàm horreant imperij dignitatem,aut tam futuri ſint inter ſe ſtudiis,animíſque diſſectis,vt in vno principe deligendo non conueniant. Portò id accidiſſe mihi certum eſt, ſiue Chaldæorum ſiue Romanorum temporibus, C tametſi quod ego viderim, neque ex ſacra conſtet, neque ex profana hiſtoria. Neque ideo propheticæ fidei quicquam detrahi exiſtimo,etiam ſi hoc, vt verba ipſa ſonant, impletum non ſit. iuxta regulam à nobis traditam *Act. cap.* 23. *num.* 15. &

11. *Zachar. cap.* 2. *num.* 7. Nam in Scriptura id ſæpe fieri dicitur, quod vt fiat natura ipſa vel conditio rerum poſtulat;præſertim vbi loquendi modus aliquid olet prouerbiale, qualis hic videtur. Extremam autem fortunam vel afflictum vehementer rerum ſtatum multa in Scriptura prouerbialiter explicare videntur. vt *Iſai.* 36. & 4. *Reg.* 18. *Vt comedant ſtercora ſua, & bibant vrinam ſuam. Ierem.* 19. cùm agitur de obſidione Ieruſalem, & *Deut.* 28. cùm agitur de eodem,aut ſimili peccatorum ſtatu, D multa dicuntur quæ prouerbialem figuram ſubolent, vt illud de *cælo æreo*,& de *terra ferrea*. Licèt autem plurima eorum quæ à Ieremia prædicta, & *cap.* 28. *Deut.* propoſita ſunt, impleta iam fuiſſe in hiſtoriis,habeamus,alia tamen litteris prodita non ſunt: quæ tametſi reipſa completa non fuiſſent, quod non reor, ſatis tamen videntur impleri, dum ad eum ſtatum deducta res eſt, in quo hæc veriſimiliter fieri potuerunt. Ad hunc ergo modum exiſtimo horum verborum eſſe ſenſum, ſtatum reipublicæ adeò fore miſerum, & deſperatum, vt quia nemo illi afferre poſſet ſalutem, omnes, ſi ſapiant,imperium detrectare debeant.

Regula. Illa fieri dicuntur, quæ vt fiant rerum natura poſtulat.

m *Veſtimentum tibi eſt, Princeps eſto noſter.*] Hæc dicendi figura aliquid redolet prouerbiale, qua ſi- E gnificari videtur, vſque adeò exhauſtas eſſe hominum fortunas, vt dignus, aut idoneus exiſtimetur regno, cui paulò honeſtius veſtimentum habere contigerit. Hanc eſſe puto ſententiam. Nam quòd quidam cenſent hîc à propheta ſignificari omnia fieri ordine peruerſo, ita vt iuuenis tumultuetur contra ſenem, ignobilis contra nobilem, id eſt, è regno pellantur ſenes & nobiles; iuuenes autem, & ſordidi dominentur, ratióque habeatur non tam virtutis aut prudentiæ quàm externæ ſpeciei, & fucati decoris, hoc, inquam, ſatis confutat quod ſta- A tim ſubditur. *Ruina autem hæc ſub manu tua*, id eſt, tibi committimus ruinoſam prouinciam ac planè deſperatam,cui præſis, quam inſtaures atque conſtituas.

12. n *Reſpondebit in illa die dicens, non ſum medicus, & in domo mea non eſt panis.*] Duo habebat incommoda illa Iudæorum reſpublica, & quòd à planta pedis vſque ad verticem capitis eſſet ſaucia, & quòd famem extremam, aut pateretur, aut timeret. Quare ad illud quidquid erat incommodi leuandum, medicus erat neceſſarius, qui corpori mederetur ægro, & à pecunia ſiue à frumento ſatis inſtructus,qui laborantem, aut potiùs deficientem B populum recrearet. Ab vtroque ſe imparatum eſſe dicit ille qui regni pondus refugit, dum & medendi,& ſuſtentandi negatam ſibi eſſe facultatem profitetur. Pro medico Hebr. eſt חבש *chobes*, à radice, quæ *ligare* ſignificat. & propriè *chirurgus* eſt,quia hic vulnus obligat; ſed propriè etiam hic *medicus* vocatur,quia hoc nomen latiùs patet,quàm vulgo hominum communiter accipitur. Videtur autem alluſum ad illud *cap.* 1. *Plaga tumens non eſt circumligata*; quaſi vulnus tunc ſtillaret ſanguine Dicit ergo is ad quem ab aliis defertur imperium, non tam illam eſſe rempublicam, quam noſodochium, atque adeò indigere magis chirurgo quàm principe,& moderatore. Quidam חבש *chobes*, *regem* C eſſe putant,quia hic legibus ligat populum, & pœnis coercet, facitque in ſuo regno quod medicus in affecto corpore. Sed ſanè hæc de medico meliùs intelliguntur,quàm de principe.

13. o *Ruit enim Ieruſalem, &c. quia lingua eorum, & adinuentiones eorum contra Dominum.*] Oſtendit iam vnde tanta populo calamitas aduenerit; quia factis impudenter, & impiè, & lingua inuerecundè & procaciter Domini furorem laceſſunt. Quæ ſint hæc opera non explicat hoc loco propheta, quia ſuprà eorum meminerat, & ad finem capitis, dum fœminarum delicias, & lenocinia numerat, aliquid dicturus eſt. Quòd vero ad linguam ſpectat, externumque corporis, ac vultus habitum, qui aliis leuitatis ac petulantiæ teſtimonio eſt, breui quidem, ſignificanter tamen ſtatum oſtendit.

14. D p *Agnitio vultus eorum reſpondit eis.*] Exponit Hieronymus, *ſua receperunt peccata*, id eſt, ſuorum peccatorum pœnas; id enim ex vſu Scripturæ valet *reſpondere*, nempe aut paria, aut non indebita virtutum, ac peccatorum meritis retribui. *Oſea* 5. *Reſpondebit arrogantia Iſrael in faciem eius.* & *Iſai.* 59. *Ierem.* 14. *Peccata reſponderunt nobis.* Sed eſt loquendi modus obſcurus. Pro *agnitione* Hebr. eſt הכרת *haccharath*, quod deducitur à radice נכר quod *cognoſcere* valet, aut etiam *alium ſe præferre*, ſeu *ſimulare*; atque eſt; Veluti ſi quis adhibita larua alium ſe eſſe ſimulet. Ab vtraque ſignificatione ſenſus deduci poteſt ſatis accommodatus toti capiti: nam quocumque capias modo, *agnitio* aper- E tio eſt, & denudatio vultus, qui prius artificio aliquo aut naturali, aut à larua quæſito tectus nihil pudoris afferebat illi, qui aliorum oculis inanem illam atque fucatam ſpeciem oſtentabat. Vultus autem iam cognitus, & in eo notata plurimorum ſcelerum non obſcura ſigna, laruatas illas perſonas ad illa ſupplicia vocant, quæ iam ſuprà commemorata ſunt à propheta. Eſt autem veriſimile, quemadmodum Hebrææ fœminæ externa ſpecie vanáque ſuæ leuitatis oſtentatione, dignas ſe planè profitebantur eo ſupplicio, quod ad finem capitis minatur Deus; ſic etiã viros oculis laſciuis, totoque vultu

vultu petulanti, ac mobili, qui omnino profligatum pudorem, & animum in omnem profuſum intemperantiam proderet, quàm eſſent omni ſuppliciorum acerbitate digni; ſignificaſſe. Certè conſtat illos adeò non pœnituiſſe ſuorum ſcelerum, vt etiam eo ſe nomine commendari voluerint; quaſi magnum aliquid ſit peccatorem eſſe. Quare ſicut Sodomæi in omnium oculis non modò ſuam libidinem oſtendere, ſed etiam explere non verecundabantur, imò in eam partem nimiùm ſe effuſos fuiſſe gloriabantur; ſic etiam Hieroſolymitani Iſaiæ tempore, de quibus ſtatim, peccatum ſuum ſicut Sodoma prædicauerunt, nec abſconderunt. Reſpondit ergo agnitio vultus eorum eis, id eſt, res in vultu cognita, nempe impudentia, laſciuia, arrogantia, & alia quæ ſparſim à propheta commemorantur, in quibus væſanus populus ſibi placebat. Tempore quoque Ieremiæ exuiſſe pudorem, & perfricata fronte ex ſuis ſceleribus quæſiiſſe gloriam eumdem populum docet Ieremias cùm dicit *cap. 3. Frons mulieris meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere.*

Septuaginta aliter vertunt, *confuſio vultus eorum reſtitit eis.* Quorum tranſlationi hunc ſubeſſe ſenſum putat Hieronymus, & Cyrillus. Illos vſque adeò non curaſſe quid pudor, & modeſtia poſceret, vt in vultu voluerint defigere nota ſuæ intemperantiæ ſigna, ita vt tacita totius corporis figura prædicet illos magnis ſe implicuiſſe flagitiis. Sed ſuperior explicatio, iuxta noſtram verſionem, quæ de pœna pro tot ſceleribus irrogata exponit, magis eſt ad textum, vt patet.

35. Hic obſeruanda *duo; alterum*, actionem aliquam ſæpe in Scriptura ſumi pro re circa quam verſatur actio, vt timor pro re timenda, laus vel laudatio, pro re laudanda, cuſtodia, pro præcepto, auditio, pro voce, abominatio, pro re abominabili, vt diximus *in cap. 3. Zachar. num.* 18. ſic modò *agnitio vultus* pro peccatis quæ agnoſcuntur in Iudæorum vultu. *Alterum*, optime Lxx. pro agnitione ſiue peccatis cognitis reddidiſſe *confuſionem*, quia ſic appellantur peccata ea præſertim quorum homines pudere debuiſſet. *Ezech. cap. 39. Portabunt confuſionem ſuam, & omnem præuaricationem.* Confuſio verò aptè peccatum dicitur ab effectu, quia pudorem affert in hac vita iis, qui ſe peccaſſe dolent, non in æternum afferent, qui non maturè pœnitentia ſuſtulerint.

Regula. Actio ponitur pro obiecto, ſeu materia actionis.

36. q *Dicite iuſto quoniam bene, quoniam fructum adinuentionum ſuarum comedet.*] Multo aliter vertunt Lxx. *Alligemus iuſtum, quoniam inutilis nobis eſt*, quam verſionem exponunt Græci & ex Latinis Ambroſius *lib. de benedictionibus Patriarcharum cap. 3.* Ad quem locum alluſum videtur *Sap. 2. Circumueniamus iuſtum quoniam inutilis eſt nobis*; ſed reuera à textu Hebraico, quem nunc habemus, nec extorqueri poteſt illa ſententia. Alios fortaſſe codices nacti ſunt Lxx. aut qui ab ipſis ad nos perlati ſunt, non ſunt omnino puri. fortaſſe pro אמרו *imeru*, pro quo noſter, *dicite*, illi legerunt אסרו *iſeru*. id eſt, *ligate*, quia in litterarum forma maxima eſt ſimilitudo. Tunc autem illud, *quoniam bene*, aut *quoniam bonum*, ſignificat bonum eſſe illis, nempe impiis, de quibus nuper, iuſtum eſſe ligatum, aut neci deditum, quia ſolutus illorum conſiliis erat inutilis. Sed eſt omnino vulgati tranſlatio atque ſententia Hebraico textui multo magis conſentanea, & multo etiam ſignificantior. Ex calamitate enim, quæ manet improbos, quorum peccatis talis reſpondet pœna, qualis modo deſcripta eſt, conuertit ſe propheta ad iuſtos, illiſque à Deo omnia bona cumulate denuntiat, quæ fructus erunt ſuorum operum. Sicut improbi ex malo ſuorum flagitiorum ſemine ſpinas tandem & ardorem metent. Quod ſtatim apertiùs denuntiat dum dicit. *Væ impio in malum.* Suprà adinuentionum improborum contra Dominum meminerat, quorum fructus erat confuſio, & dolor; nunc adinuentionum iuſtorum fructum ſuauiſſimum vocat.

Vox Hebraica טוב *tob*, pro qua noſter *bene*, *bonum* ſignificat, & *iocundum*, ſed eumdem ſenſum habet ſiue hoc ſiue illo modo conuertas. Exiſtimo autem hic eſſe zeugma, quod priori orationi, quæ abrupta videbatur; poſterioris verbum adiungit in hunc ſenſum; dicite iuſto quoniam bonum comedet, bonum, inquam, comedet, quia fructum comedet adinuentionum ſuarum; neque alia ſententia eſt ſi legas *bene*, quia iuſtus bene & iocundè comedet, quia bonus eſt, & iocundus fructus operum eius.

[r] *Populum meum exactores ſui ſpoliauerunt.*] Internas, & proprias ſuppliciorum cauſas hactenus adduxerat propheta, peccata nempe, quæ populus admiſerat; iam externas adhibet nempe incuriam in regendo, docendóque ſeniorum, & principum, aut nimis accuratam ſolicitudinem ac induſtriam in rapiendo, trahendóque populum in alieniſſimos à patria religione mores. Exactores ſunt, qui pecunias exigunt autoritate plerumque publica, qui, vt pote vi armati regia, cui reſiſtere impunè non poteſt, quidlibet extorquent à timida atque imbelli plebecula. Eiuſmodi erant principes, qui tunc non tam regebant, quàm populabantur ſubditos: non tam prætores, quàm prædatores; non patres, ſed peſtes patriæ, non vindices cuſtodeſque legum, ſed omnino proditores. Pro *ſpoliauerunt*, Hebr. מעולל *mehholel* in ſingulari numero, Hebræorum more, vbi intelligitur commoda aliqua diſtributio, id eſt, quilibet principum, quos exactores, aut compilatores veriùs appelles, ſpoliabat. In quo loquendi genere non nulla etiam apparet epitaſis: vbi enim ſingularis numerus adiungitur plurali, vnitas aliqua aut conſenſio oſtenditur. Quare hic ſignificari videtur, omnes ad vnum principes eò conſpiraſſe vt populum compilarent, degluberent, perderent. Eſt autem magna vis in Hebraica voce מעולל *mehholel*, quod inter alia ſignificat *racemationem facere*, id eſt, vuas vindemia peracta remanentes colligere, Hiſpanè *rebuſcar.* Hæc verò racematio ad pauperes pertinebat, quorum tenuitati Dominus conſuluit, *Leuit. 16. Neque in vinea tua racemos, & grana decidentia congregabis, ſed pauperibus, & peregrinis carpenda dimittes.* Eò igitur vſque proiecta eſt cupiditas, aut eò ſe abiecerunt auaritiæ ſordes, vt neque à tenuiculo illo pauperum alimento temperatum fuerit. 37.

[s] *Et mulieres dominatæ ſunt eis.*] Qui alibi *principes*, hic vocantur *mulieres*: neque ſanè multùm differunt à muliebri, abiecto, atque anguſto ſpiritu principes illi, qui auaritiæ ſtudent: à quibus ſicut à mulieribus nihil magnum ſpectes. Lxx. pro *mulieribus* repetunt *exactores*; item Aquila: Theodotio *fœneratores*. Legerunt fortaſſe pro נשים *naſim*, quod *mulieres* valet, נגשים *nogeſim*, quod proximè præceſſerat, & *exactores*, ſeu *fœneratores* ſignificat. Iuxta poſteriorem hanc verſionem ſatis apparet quantum in vilem, & ignobilem plebem iuris habeat pecunia. Quando quidem abundant, aliíſque 18.

fœneran

fœnerantur, aliorum libertatem emunt, in illóſque imperium obtinent planè tyrannicum.

19. [t] *Qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſſipant.*] Hebr. pro *beatum dicunt,* מאשרך *meaſrecha,* id eſt, *qui beatificant, benedicúntve dicunt:* aut certè, *qui læta nunciant, aut à metu liberant.* Neque enim aliter ſeductores quemquam beare poſſunt. Eo fuerunt ingenio pſeudoprophetæ, qui dum læta, ac proſpera omnia futura prædicunt, ſecuros homines reddunt, incautóſque trahunt in inopinatum malum. De quibus multa prophetæ veri, qui ſecus ac falſi, ita ſpe erigunt languentes, vt etiam plus ſatis confidentes, & erectos timore concutiant, & frangant. Ierem. *cap.* 6. eamdem propè ſententiam aliter expreſſit: *Omnes auaritia ſtudent à propheta vſque ad ſacerdotem; omnes faciunt dolum, & curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia dicentes, Pax, pax; & non erat pax;* & idem repetit *cap.* 8. Cadentem itaque populum ſolo inani pacis nomine ſuſtentabant. Quod Ezechiel *cap.* 13. dolet cùm dicit, id agere ſolitos pſeudoprophetas, vt hiantem parietem, minantémque ruinam liniant tectotio magis ad ſpeciem, & fraudem, quàm ad firmitatem idoneo. Eam eſſe cauſam dicit Ierem. *Thren.* 2. cur populus in hoſtium poteſtatem datus ſit. *Propheta,* inquit, *tui viderunt tibi falſa, & ſtulta, neque aperiebant iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent.* Hæc itaque pax, quæ multùm erat in prophetarum ore, diſſipauit greſſus filiorum Iſrael: cùm inceſſus ſecurus nun ſit abſque timore Dei, qui ex diuinæ iuſtitiæ cognitione, & peccatorum conſcientia naſcitur. Qui miſericordem tantùm Deum agnoſcit, & non ſcelerum vindicem; neque ſe ſuppliciis æternis obnoxium meditatur, hic planè diſſipat greſſus ſuos. Qui Deum timet, in via ſalutis pedes ponit, *Pſal.* 127. *Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis eius.*

Pſeudoprophetæ quàm pernicioſi.

[u] *Stat ad iudicandum Dominus.*] Vt verus Dei propheta noxiis falſorum prophetarum & impoſtorum fraudibus occurrat, incutit metum populo, & maximè principibus, qui falſa pacis opinione lactati, minùs ſe ſiue ad belli caſus, ſiue ad peccatorum pœnitentiam comparabant.

[x] *Cum ſenibus populi ſui.*] Id eſt, *contra ſenes,* qui ſunt iidem qui *ſenatores.* Quia cùm in annis ſenilibus plerumque ſit prudentia, ex ea ætate plerumque viri ad ſenatorium ordinem, publicáque iudicia accerſuntur. Idcirco *Conciliũ ſeniorum* vocatur. Dicuntur autem ſenes, licèt ab ætate ſenili longè abſint: quia ab his ſenilis maturitas abeſſe non debet; ſicut etiam eamdem ob cauſam *ſacerdotes,* quacumque ſint ætate, dicuntur *preſbyteri,* id eſt, *ſenes.*

20. [y] *Vos enim depaſti eſtis vineam, & rapina pauperis in domo veſtra.*] Indicari hìc videtur, quod ſuprà diximus de racematione, ſiue de vindemiæ reliquiis. Illi enim qui vineæ, id eſt populi Dei cuſtodes eſſe debuerunt, ſic in illam non ſolùm auaro animo, ſed etiã hoſtili bacchati ſunt, vt non ſolùm vindemiam ex ea collegerint, ſed tenuiſſimos quoque racemos, imò & depaſti fuerint, id eſt, non fructum ſolùm ad ſuum ſibi vſum decerpſerint, ſed foliorum quoque ornamentum abſtulerint: quod furioſi venti eſt, grandinis, aut procellæ, aut certè belluarum, quæ exacta vindemia, paſtionis gratia eò ingrediuntur. Verbum enim בער *vabbar,* pro quo noſter, *depaſti eſtis,* hæc omnia, atque grauiora indicat: ſignificat enim, vt verterunt LXX. *comburere, atque in eum modum abſumere, vt in eo incẽdium* *graſſatum eſſe putes.* Ab igne verò extremæ vaſtitatis in omni ferme lingua ſymbolum aſſumitur.

21. [z] *Et faciem pauperum commolitis.*] Hebr. טחן *tachan, molo, contundo,* à quo Hiſpani *tahona,* id eſt, *piſtrinum* LXX. conuerterũt, *confunditis.* & hoc poſterius credo ſignificari hoc loco, figuratè tamen. Nam quemadmodum graui pudore ſuffundit hominem, qui illius faciem, aut palmis, aut pugno cædit, ſic grauis contumelia, atque confuſio colaphi, aut alapæ nomine ſignificatur, quibus facies commolitur & contunditur. Ita putat Procopius in illud *Eſaiæ* 58. *percutitis pugno impiè.* Vſitatum autem eſſe inter Hebræos viliorum hominum maxillam à potentioribus, aut eorum imperio ab ignobilioribus cædi, ſatis conſtat ex cauſa Chriſti, qui à ſeruulo, vt veriſimile eſt, pontificis imperio, aut nutu alapam accepit. Et Paulus *Act. cap.* 23. iuſſu etiam pontificis Ananiæ in ore percuſſus eſt. Et Ieroboam palmam etiam incuteret prophetæ, 3. *Reg.* 13. niſi in ipſo conatu ſacrilega manus aruiſſet. Quod credo Iſaiæ tempore frequenter euenire, vt ab arrogantibus principibus & nihil ſibi non licere putantibus, pauperes eiuſmodi ignominiam ſubirent: quam ſubiit omnino Micheas à pſeudopropheta Sedechia. Nihilominus puto prouerbiali figura dici faciem contundi, aut cædi, pro inſigni aliqua contumelia notari, atque confundi. Quis enim credat colapho maxillam Iob eſſe percuſſam? At hoc ipſe de ſe fatetur *cap.* 16. *Aperuerunt ſuper me ora ſua, & exprobrantes percuſſerunt maxillam meam.* vbi illud *exprobrantes* indicat, qualis fuerit maxillæ percuſſio. Neque aliud ſignificat Paulus cùm dicit *colaphizari ſe à ſpiritu Satanæ,* quàm ea pati propter quæ vir caſtiſſimus erubeſceret. Aut cùm dicit 1. *Cor.* 3. *colaphis cædimur.* Nam cùm enumeraſſet omnes tribulationes, atque incommoda quæ Euangelij cauſa tolerabat, dixiſſetque, *Eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus,* addit *& colaphis cædimur.* Ac ſi diceret, malè audimus, aut conuitiis afficimur. Et eùm Corinthios laudat, cùm ait 2. *Cor.* 11. *illos ferre patienter, ſi quis eos in faciem cæderet,* de quacumque contumelia loquitur. Et in hanc ſententiam aliquid affert coniecturę accuſatiuus ille, *in faciem.* ſi enim propriè plaga eſſet inflicta faciei, *in facie* vtique dixiſſet. Et explicat ſtatim Paulus, cùm ſubiicit, *ſecundùm ignobilitatem dico,* quaſi dicat, tunc illos in faciem cædi, aut colaphizari, cùm illis ignobilitas obiicitur, aut aliquid contumelioſum. Et eò ſpectat Chriſti præceptum, cùm iubet *Matth.* 5. *& Luc.* 6. vt ſi quis in vna maxilla percuſſus fuerit, præbeat alteram percutienti: iubet enim ne ignominiam horreat; ſed potiùs appetat. Sumpſit autem per ſynecdochen ſpeciem pro genere. Et verò Hiſpani his verbis inſignem aliquam contumeliam explicant, quæcumque illa ſit. *dio me vna boſetada.* Et in hunc ſenſum accipio illud *Pſal.* 3. *Percuſſiſti omnes aduerſantes mihi ſine cauſa, dentes peccatorum contriuiſti.* Pro *ſine cauſa,* Hebr. eſt לחי *lechi,* id eſt, *in maxilla.* vt communiter alij explicant cum Hieronymo.

Colaphus, ſeu alapa pro graui contumelia, prouerbialiter.

Iob 16. 1. Cor. 3. 2. Cor. 12. Mat. 5. Pſal. 3.

Accedit quòd in Scriptura ſæpe ſagitta, virga, flagellũ linguæ tribuuntur, quia hæc à facie quam præſertim cædit, & confundit, non aliter ruborem elicit, quàm illa à corpore liuorem & ſanguinem, *Iob cap.* 5. *à flagello linguæ abſconderis.* & *Eccleſ.* 26. & *Pſal.* 56. *gladius acutus* vocatur. *Ierem. c.* 9. *ſagitta.* Et eſt ſatis vſitata hæc loquendi forma, *percutis lingua,* & *verberari, aut vapulare verbis ſeu conuitiis.* Ex his mihi ſit veriſimile ſignificare voluiſſe prophetam,

pauperes

pauperes homines à potentioribus ſemper aliquid durius & contumelioſius audire ſolitos: quorum cauſa tandem vindex adueniat Deus.

22. Viri imbelles, & molles, fœminæ appellari ſoliti.

aa *Pro eo quòd eleuata ſunt filia Sion.*] Sunt qui putent hæc metaphoricè dici de viris, quorum arbitratu, ſeu libidine res adminiſtrabatur Iudaica, qui ſuprà *pueri* dicti ſunt, & effœminati: & magis expreſſo vocabulo *mulieres*. Neque id mihi diſplicet: optimè enim mulierum nomine exprimitur, & nimis fluxa principum mollicies, & muliebris, id eſt, delicatus cultus, cui ipſi immoderatiùs indulgebant. Neque rarum eſt vt molles, & parum ſtrenui viri muliebri appellatione notentur. Sic Homerus *Iliad. lib.* 2. & iterum *lib.* 7. Ignauos & timidos vocat, Ἀχαιΐδες, οὐκ ἔτι Ἀχαιοὶ, id eſt, ô Achiuæ, non iam Achiui. Et hunc imitatus Virg. *lib.* 9. *ô vere Phrygiæ, neque enim Phryges.* Sed communiter alij, quod magis probo, de fœminis accipiunt, quę etiam admiſere, cur non mitiùs, aut honeſtiùs ab hoſte tractarentur, quàm viri. Dum enim lautitiam atque elegantiam amant, & viris nimiùm vxoriis dominantur, & penè pro imperio cogunt in pretioſas illas nugas prolixè impendere, exactores reddunt, compilatoréſque pauperum; quorum ipſæ ſudore, ac ſanguine ad laſciuiam comptæ luxuriantur & ſplendent. Quare fœminis quoque prędicuntur ſupplicia non leuia, ne ſtudium illud immoderatum elegantiæ, impunitum ſe habituras ſperent. Quæ verò ſtatim commemorantur fœminarum, ſiue ornamenta, ſiue lenocinia, aut laſciui motus, propriè accipio. Quem multùm familiarem eſſe arbitror earum, quæ & munditiam amant, & ſibi in pulchritudine placent, aliorúmque oculis ſeruire ſtudent.

23. Leuicularũ mulierum ſigna.

Pro eo quòd eleuata ſunt.] Proceritatem magnam eſſe in fœminis pulchritudinis partem docuimus in illud *Cantic.* 7. *ſtatura tua aſſimilata eſt palmæ.* Sicut etiam in viris *ibidem cap.* 5. ad illud, *electus vt cedrus.* Id ergo primùm curabant Solymitanæ puellæ vt proceræ viderentur. Quare ſubiciebant ſibi cothurnos, ſicut in Tragœdiis hiſtriones, qui heroicam aliquam, vel diuinam perſonam ſuſtinebant.

bb *Et ambulauerunt extento collo.*] Habitus hic inſolentis eſt, & eius qui ſpectari velit ab aliis. Nam modeſta, ac verecunda virgo, quæque magis nomine nota eſſe ſolet, quàm facie, vultum demittit. Impudica verò, & quæ ſupra cæteras videri vult ſubſtrato ſibi Cothurnorum adminiculo, vt nihil de illa celſitudine demittat, quàm poteſt ſuperbiſſimè ceruicem extendit.

cc *Et nutibus oculorum ibant.*] Meretricius planè inceſſus eſt. nam vagæ leuiculæque muliereulæ inter eundum petulantibus oculis nictant, arrident aliis, propinántque amentibus libidinis poculum; neque minùs ipſæ interim perniciosè hauriunt. Tranſlatio Hiſpanica antiqua habet: *falſeantes de ojos*, & alia tranſlatio item antiqua, *Alcoboladas.* ſed credo vertiſſent propriè *guiñando.*

24. Fœminarum in inceſſu plauſus.

dd *Et plaudebant.*] Hebr. vox eſt טפף *taphaph*, quæ hoc tantùm loco reperitur, & ſignificat leuitatem earum fœminarum quę pudoris oblitæ puerilem, aut puellarem in modum plaudebant; ſiue manibus aut pedibus, vt in choris fieri ſolet, vt de Fortunatis cecinit Maro, *Æneid.* 6.

Pars pedibus plaudunt choreas.

ſiue Cothurnorum crepitu, aut ſericarum veſtium colliſione, aut concuſſu, qualis eſſe ſolet ab eo textu ſerico, quem tafetanum vulgò dicimus. Neque abſonat vox Hebraica טפף *taphaph*, à qua propter ſonitum per onomatopœiam deductum videtur *tafetanum.* Hebræi certè Hiſpani in antiqua verſione Hiſpanica ſic expoſuere, *Adufeando*, quia תף *thoph*, *tympanum* ſignificat, pro quo ex Rabinorum ſententia poſitum eſt טף *thoph.*

Hæc mihi probabilia magis, ſed vide an dici poſſet plauſum illum excitatum videri ex laminis, ſeu margaritis, ſic in veſte, calceiſque diſpoſitis, vt ſonitum edant in inceſſu. Nam id fieri ſolitum docet Plin. *lib* 9. *cap.* 35. Vbi cùm ageret de margaritis, quas binas, ternáſque gerunt fœminæ, ita vt ſe collidant, & ſono ex colliſione facto ſignificent ſe eſſe non è plebe mulierum, ſed ex nobilium atque heroïdum numero. *Tunc*, inquit, *crotalia appellant, cen ſono quoque gaudeant, & colliſu ipſo margaritarum. Affectántque iam & pauperes, lictorem fœminæ in publico vnionem eſſe dictitantes.* Dicuntur autem ſonantes illæ margaritæ eſſe fœminis pro lictoribus, quia quemadmodum hi præcedentes conſulem, aut alium magiſtratum ſummouent turbam voce aut alio ſtrepitu, ſignificantes adeſſe conſulem; ſic ille margaritarum ſonus magni nominis fœminam aduentare nunciat, vt ipſi ab omnibus de via decedatur. Quæ ſic incedunt, dici poſſunt incedere plaudentes. Vide infrà ad illud, *ornamenta calceamentorum*, & quæ mox dicentur.

25. Fœminarum compoſitus & numeroſus gradus.

ee *Et pedibus ſuis compoſito gradu incedebant.*] Pompaticè credo dicuntur incedere, & compoſito gradu ſiue ad maieſtatem, ſiue ad elegantiam, & palæſtram: nam commouiſſe ſe ad ſaltatorios numeros non puto. Heb. תעכסנה *shebbachaſnah*, quod verbum à עכס *hhaches* deriuatur, quod *compedes* ſignificat, vel *armillas*, quæ à fœminis geſtari ſolent ad pedũ iuncturas, id eſt, ad talos, quæ Græcè περισφύρια vocantur. Quæ, quia laminis ſeu crotalis inſtrui ſolent, tinnitum edunt. Et ita putat Rab. Dauid dici poſſe ſquammatas compedes. De quo fœminarum ornatu vide quæ pluribus diximus ad illud *Cantic.* 7. *Iunctura fœminum tuorum.* Quæ vocari poſſunt, crotalia, qualia habuiſſe Gabinium dixit Cicero in Piſonem, qui nimis molliter in leuicularum mulierum morem ornabatur, cui etiam cymbala addidit. Ex quo ſuſpicor illud fuiſſe apud Romanos lautiorum fœminarum, & effœminatorum virorum ornamentum. Hiſpanica tranſlatio antiqua vertit, *y con ſus pies eſtruendo facian.* Et alia tranſlatio item Hiſpanica, *con ſus pies caſcabeleaban*, nempe propter illum crepitaculorum tinnitum. Niſi dicamus fœminarum calceos, ſeu cothurnos clauis quibuſdam capitatis ad ſoleas interpunctos eſſe eo ordine, vt terræ cum ſonitu impreſſi ſigna quædam amatoria relinquerent, vt ex Clem. Alexandr. *lib.* 2. *pædag. cap.* 11. docuimus ad illud *Cant.* 7. *Quàm pulchri ſunt greſſus tui.*

26. Capillorum quanta cura fœminis.

ff *Decaluabit Dominus verticem filiarum Sion.*] Notum eſt magnam pulchritudinis partem præſertim in fœminis in capillis eſſe, vſque adeò vt Apuleio teſte ſi cætera adſint ornamenta, capillorum autem abſit ornatus, non poſſet fœmina non deformis videri. Sic enim ille *lib.* 2. *Metamorphoſ. Si cuiuſlibet eximiæ, pulcherrimæque fœminæ caput capillo ſpoliaueris, licèt illa cœlo deiecta, licet omni gratiarum choro ſtipata, & tota cupidinum populo comitata, & balteo ſuo cincta, cinnama fragrans, & balſama rorans, calua proceſſerit, placere non poterit*, &c. Hæc ferme eadem Ambroſ. *lib.* 6. *Hexemer. cap.* 9. Quapropter ea in re tantum ſtudij ponitur à fœminis, vt ſi à natura eo deſtituantur ornamento, ab arte petant, & emant pecunia. Vide plura ad illud *Cantic.*

tic.cap.6.Capilli tui. Quomodo ex capillis in fœminarum capite mithræ, & quædam quaſi turres efformentur, vide *ibid.* ad illud: *Quæ ædificata eſt cum propugnaculis.* Capilli ergo in eam figuram conformati, neſcio quid ſublime, ac regium præ ſe ferunt. Præterea detonſam cæſariem ſeruilis conditionis notam eſſe veriſimile fit *ex cap. 32. Deuter. nudati inimicorum capitis:* Hinc liquet quàm graue futurum ſit fœminis ſuperbis, & elegantiæ ſtudioſis, ſublato natiuo capitis ornamento deformem ſpeciem, & ſeruilem ignominiam ſubire.

27. Tondentur ſeruorum capita. Pro *decaluabit*, שִׂפַּח *ſcaphath.* Quod Lxx. videntur legiſſe cum puncto in ſiniſtro cornu, שִׁפַּח *ſaphath.* Et ita reddiderunt: *humiliabit dominatrices,* ad verbum, *ancillabit,* ſiue *ancillas faciet.* Noſter verò cum puncto in dextro; & tunc eſt *lepra, vel ſcabie percutere*, atque etiam *decaluare.* Ex quo etiam dubitatio naſcitur, quomodo filiabus Sion inducendum ſit caluicium. Nam ex his tranſlationibus colligitur duobus modis poſſe nudari fœminarum caput; vel quia dominatrices illæ quondam fœminæ ſubituræ ſunt longum, & ærumnoſum dominatum. Et hoc mihi certius propter illa, quæ proximè ſuccedunt; aut quia lepra ſæuiente percuſſum caput non modò capillis, ſed etiam carnibus nudari ſolet. Quod ſanè ſupplicium intolerabili illa arrogantia, curáque vaniſſima pulchritudinis quærendæ digniſſimum eſt. Eſt qui putet depilandum eſſe caput, propter pondus quod aſſiduè geſtabant in capite captiuæ fœminæ; ſicut Nabuchodonoſor glabros reddidit humeros, & caput ſeruorum, quos in obſidione Tyri comportandis oneribus exercuit, vt putat Hieron. in illud *Ezech. 29. Nabuchodonoſor ſeruire fecit ſeruitute magna, omne caput decaluatum, & omnis humerus depilatus.* De fœminis hoc veriſimilius, quia onus plerumque geſtant in capite. Hæc omnia mihi probabilia ſunt, neque indebita illarum fœminarum meritis; ſed prima ſententia cum aliis magis conſentanea.

28. gg *Et Dominus crinem earum nudabit.*] Locus hic variè transfertur & exponitur. Alij omnes præter noſtrum vulgatum, non ad capitis nuditatem, ſed ad aliud longè diſſimilius ignominiæ genus traducunt. Et aliquid hîc obſcœnum indicari putant, quod ad ignominiam à ſuperbis, & inhumanis dominis in captiuis, & miſeris nudari ſolet. Quidam putant paſſuras eſſe fœminas ſanguinis profluuium, ita vt futuræ ſint immundæ, ac menſtruatæ, & obſcœna illa ſanguinis eluuie fœdaturæ calceamentorum ornamenta. Alij his verbis ſeruilis conditionis ignominiam explicari exiſtimant. Eſt enim ſeruilis conditionis ſignum veſtes geſtare adeò decurtatas, & breues, vt aliquid nudent, quod puellis non eſſe velatum indecorum eſt.

Grauis ignominia ſeruulorum à nuditate. Quare de Babylone aliquando futura captiua dixit Iſaias *cap. 47. Denuda turpitudinem tuam, reuela humerum,* aliter *coxam,* ſeu *femur.* vide ibi Hieronymum. Et clariùs *cap. 20. Sic minabit Rex Aſſyriorum captiuitatem Ægypti, & transmigrationem Æthiopiæ, iuuenum, & ſenum nudum, & diſcalceatum diſcoopertis natibus ad ignominiã Ægypti.* Quam nuditatem ſæpe minatur Deus *Naum cap 3. Reuelabo gentibus pudenda tua, & ignominiam tuam.* Ad hanc fortaſſe vulgarem ignominiæ notam filij Ammon

2. Reg. 10. 2. *Reg. cap.* 10. ſeruis Dauid barbam; dimidiáſque veſtes vſque ad nates præciderunt. Alij cenſent arrogantes illas, & dominatrices fœminas proſtituendas eſſe barbarorum libidini, quod contigiſſe in Babylonica vaſtatione lamentatur Ierem. *Thren.*

A *cap. 5. Mulieres in Sion humiliauerunt, & virgines in ciuitatibus Iuda.* Harum autem verſionum cauſa fuit vox Hebr. פֹּת *path*, quam quidam à פתח *path* deducunt, & illud obſcœnum ſignificare credunt, de quo nuper. Alij à פאר *peah*, vbi א abſconditur, in qua voce cæſariem agnoſcunt, ita cenſent aliqui Hebræorum in quibus eſt Rab. Dauid, & Abenezra; quamuis ipſi in aliorum ſententiam magis inclinent. Mihi placet quod Hieronymus ſentit, & vult ſibi omnino vulgata tranſlatio, licet alia propter tot autorum ſententias improbabilia non ſint. Tunc autem eadem ſententia, quæ præceſſerat aliter explicatur. Eſt enim idem *decaluare caput, & crinem nudare,* id eſt, *caput ſpoliare à crinibus.* in qua repetitione non vulgaris epitaſis eſt, B quæ magis confirmat dicta, inſignemque contumeliam oſtendit. Eſt autem mihi valde probabile *crinem* hoc loco ſumi pro his capillis, qui ſupra frontem ſunt, & ibi artificioſè criſpantur, vt faciunt noſtra ætate elegantiores fœminæ, aut certè faciem velant, vt honeſtioribus magis in vſu eſt. Quia vero illa capillorum pars magis ad ſpeciem facit, ornatúmque puellarem, ferunt multò ægriùs fœminæ illis ſpoliari.

hh *In die illa auferet Dominus ornamenta calceamentorum.*] Quàm variè excoli ſolita ſint olim calceamenta diximus ad illud *Cant. 7. Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis.* Et conſtat ex *Ezech. cap. 16.* Vbi ſponſa dicitur calceata hyacinthis. Neque ſine cauſa ab ornamento capitis ad C calcem vſque imum deſcendit, quia à vertice ad pedes nihil reliquum erat ſummum nitoris antiqui. Sicut cap. 1. dixerat ſanitatem non eſſe à planta pedis vſque ad verticem capitis. L x x. hunc locum aliter reddunt, *auferet Dominus gloriam veſtimentorum καὶ τοὺς κοσμίους.* Pro *calceamentis* Hebr. 29. Calceamentorum ornamenta.

עכסים *hhachaſim* quæ *compedes* ſunt, aut *quæ pedes quoquo modo ligant, & ornant.* Poſuerunt autem L x x. *veſtimenta*, quia hoc nomen commune eſt omnium partium, imò apud Latinos aliis etiam rebus accommodatur. Vt *veſtes* ſeu *veſtimenta parietum*, pro *aulæis*; *lecti* pro *ſtragulis*; *ſoli*, pro *caſtromatis.* Hieronymus in ſuis codicibus non videtur habuiſſe השׂיסים *haſiſim*, quam nunc habemus in Hebraico textu: quæ vox variè à variis D exponitur. Quidam exponunt *fibulas*, alij *circulos*, quidam *veſtimenta opere Phrygio, aut Babylonico elaborata*, & ita putat Rab. Dauid. Ex verſionibus antiquis Hiſpanicis, vna, *trenas*, altera, *liſtas.* alij *oculata*, id eſt, maculis inſtar retis diſtincta.

30. Coſymbus quid. Septuaginta tranſtulere κοτύμβους, *Coſymbos.* Quid verò ſint iſti coſymbi, valde obſcurum eſt. Quidam vertunt *fimbriatas veſtes*, vt interpres Cyrilli, atque Procopij, & ita eſt in codice Complut. in codice verò nuper à Sixto correcto, eodem propè ſenſu ſic legitur. *& reticulos, & cincinnos.* quæ Hiſpanè vt puto vocantur *randas con borlas ó rapacejos.* nec diſſentit Thargum, qui vertit *ornamenta inſtar retis*, alij aliter. Mihi valde placet E quod dicit Baſilius, κορυμβῶτοι eſſe ea ornamenta quæ aſſuta ſunt extremæ oræ veſtimentorum, aut ex ea pendent, qualia ſunt tintinnabula aut malogranata, quæ ex ſacerdotali tunica pendebant; quæ idcirco dicitur κορυμβωτὴ. Et ex his fortaſſe edebatur tinnitus ille, de quo nos ſuprà. Et hoc modo veſtes illæ vocari poſſunt *fimbriata*; aut etiam *reticula*, vt vocem illam communiter transferunt interpretes. Quod ſi ita eſt, ſanè vox illa non eſt omiſſa à Hieronymo, ſed in compoſito redum

receſſu comprehenſa. Neque enim neceſſe eſt vt interpres verba in conuertendo numeret, ſed ſatis eſt ſi ſententiam expendat, & aſſequatur.

31. Lunulæ quid. ii *Lunulas.*] Hebr. שהרונים *ſabaronim.* Quid verò id ſit, non eſt omnino certum. Videntur autem eſſe ſemicirculi ad ſimilitudinem lunæ quartæ, qui fœminarum capitibus inſeruntur, ſicut nunc diademata in ſacrarum imaginum capitibus radiant ex auro; quæ nunc vulgo fœminarum dicunt *rodetes*, à Græcis appellantur μηνίσκοι, id eſt, *lunula.* Puto autem in hoc nomine non tam ſignificari quod rotundũ eſt, quàm quod corniculatum: nam licèt luna ſuum orbem rotundum habeat, tamen lunatam formam non tam appellant Latini, & Græci rotundam, quàm corniculatam, quare lunatam dicunt vituli frontem, & delphini caudam, & ſimilia. Cuius ea apparet ſatis idonea ratio, quia circularis figura à multis aliis rebus naturâ notiſſimis nomen aſſumere potuit; at ſemicircularis, nonniſi à luna, quæ ſæpius in menſe nobis talis conſpicitur. An verò eam figuram fœminæ ſiue in capite geſtent, ſiue alio in loco in honorem lunæ, quæ ſub id tempus à Iudæis colebatur, vt docet Ierem. *cap.* 7. à quo Regina cœli dicitur, nihil habeo exploratum. Nihilominus non improbo, ſi quis hic circularem figuram agnoſcat, quam apud Hebræos vſitatam video, ſecus quàm apud Latinos, & Græcos. nam crater tornatilis, cui comparatur ſponſæ vmbilicus *Cant.* 7. à rotunditate סהר *ſabar* dicitur, id eſt, *luna*, ſeu *lunatus*, & ab eadem radice סהרנים *ſabaronim*, *bullas* vertit Hieronymus *Iud.* 8. Vnde adducebar vt exiſtimarem lunulas eſſe circulares laminas ex auro, aut argento, aut materia pellucida ex collo pendentes, aut in veſte diſpoſitas, quas fœminæ noſtrates *patenas* vocant.

32. Torques. ll *Et torques.*] Hebr. נטפות *nethiphoth*, à radice נטף *nataph*, quæ *ſtillare* ſignificat Vnde נטפה *nethopha*, pro *gutta* ponitur, ſeu *ſtacte*, quæ quia ex arbore ſtillat, pro balſamo, aut alio aromatico ſucco adhibetur. Ex quo Doctores dubitant an ſint aromata ocellato, aut reticulato auro incluſa, quæ nos Hiſpanicè *pomas* vocamus. Certè antiqua tranſlatio Hiſpanica *almiz̧cleras* vertit: ſeu certè monilia margaritis, aut cryſtallina aliqua materia baccata, quæ optimè *guttæ* dici poſſunt. quaſi dicas *torques guttatos*, id eſt, *guttis interpunctos.* Ne-

Zachar. 6. que diſſimili figura *Zacharias cap.* 6. equi *varij*, & *maculoſi* dicuntur ברדים *verudim*, id eſt, *grandinati*, ſeu *grandine aſperſi.* & *Gen.* 31. agni Iacob *varij.* Eſt autem *grando* nihil aliud quam *gutta conglacians.* qui loquendi modus alienus non eſt ab vſu Latinorum, apud quos, quæ variis notis, ac maculis diſtinguuntur, *guttata* vocantur. Martialis de Gallinis Numidicis. *lib.* 5. *epig.* 104.

Et picta perdix, Numidicaque guttata.

Et hoc mihi multò probatur magis, quia torques margaritis, & gemmis diſtingui ſolent, vnde baccati, & gemmati familiari epitheto dicuntur. Et de alio ſiue ornamento ſiue lenocinio, quod eſt ab aromatico ſucco, poſtea agitur, neque enim aliud eſt *olfactoriolum*, de quo ſtatim. Quemadmodum puncta iſta argentea, ſiue cryſtallinæ guttæ; & vittæ, aut lineæ ex eadem pellucida materia *vnus* dicantur, ſeu *canales*, vide quæ diximus ad illud *Cant.* 7 *vincta canalibus.*

33. mm *Monilia.*] Non video quid in textu Hebraico huic voci reſpondeat. Suſpicor Hieronymum duobus nominibus explicare voluiſſe vocem Hebraicam, quæ ex ſua natura ad multa patet; נטיפה *netiphah* enim id ſignificat, quod gemmis aut aliis punctis ad gemmarum, ſeu guttarum ſimilitudinem inſtructum eſt. Illud verò plurimum eſſe ſolet torquis, aut monile. Cùm autem monile, vt Hieronymus obſeruauit, & Iſidorus, aliquid ſit magis vniuerſale quàm torquis, poſtquam torquem poſuit, adiecit monile, vt nihil excluderet, ad quod pateret vox Hebraica.

nn *Armillas.*] Hebr. שרות *ſeroth*, quod catenas ſignificat. Quare optimè accommodauit Hieronymus armillis, quæ ſunt quædam quaſi brachiorum vincula, in quibus valde ſibi placet fœminarum vanitas. 34.

oo *Mitras.*] Hebr. רעלות *rahbaloth.* Quid ſit hæc vox, nondum exploratum. Videtur autem Hieronymus optimè reddidiſſe *mitras*, quia non eſt veriſimile ornamentum illud prætereundum fuiſſe ab Iſaia: & maximè congruit cum Hebraica dictione, quæ *tremorem* ſignificat. Duo vero tremere dicuntur, aut quæ reuera ſæpius agitantur, vt contingit in arborum frondibus: aut quæ, cùm ſtabilia ſint, & inconcuſſa, quia tamen lucida ſunt, obiectáque aduerſo lumini collucent, & radiant, tremere videntur, imò & dicuntur; Sæpe enim aliquid fieri dicitur, quod videtur, aut vulgò exiſtimatur fieri. quomodo ſtellæ de cœlo dicuntur caſuræ, quia cometæ cadent, qui imperito vulgo aut appareant, aut exiſtimentur ſtellæ. Quæ ergo ſplendent in fœminarum vertice, vibrantque radios, moueri creduntur, quæ in fœminarum mitris plerumque ſpectantur; quæ inſtructæ ſunt bracteolis quibuſdam aureis, quæ etiam ipſæ leuiſſimo motu vibrantur, & tremunt. Ideo Hieronymus à familiari mitrarum inſtructu tremorem illum mitras vocauit, in quibus ſemper aliquid eſt quod ſplendeat, aut tremat. Hiſpani has nugas vocant *Tembladeras*, aut *argenteria.* 35.

Hic tamen ad mores obſerua רעלות *rahbaloth*, etiam *venena* dici, quia iſta capitis redimicula, ſicut venenata tela, aut pocula adoleſcentibus ſunt, ex quibus miſelli venena hauriunt. De quibus ſatis multa & grauia inuenies apud patres. Hieronymus hæc ornamenta fœminarum *venenum* vocat. *Si vir*, inquit, *aut mulier ſe ornauerit, & vultus hominum ad ſe prouocauerit, & ſi nullum inde ſequatur damnum, iudicium tamen patietur æternum, quia venenum attulit, ſi fuiſſet qui biberet.* 36. Fœminarũ ornaméta libidinis faces.

pp *Diſcriminalia.*] Hebr. פארים *peerim.* Quod generale nomen eſt; & ita LXX. conuertunt, *compoſitionem gloriæ.* Sed credo vt in aliis ſæpe fit, commune hoc nomen pro ſpeciali aliquo ornamento ſumi. Neque puto hoc eſſe inſtrumentum aliquod, ſiue ad torquendos, ſiue ad criſpandos, aut diſcernendos crines, quale eſt calamiſtrum, ſiue, vt Lyranus arbitratur, pectines. Sed quidquid capillos in cirros, & plocamos, aut alio quouis modo diſcriminat; vt ſunt vittæ, faſciæ, aut tæniæ. Nam vt variis efformantur modis atque inflectuntur crines; ſic reor eſſe varia vittarum genera, quæ crines in ea varietate ſuſtentent, & illuminent, quæ communi vocabulo *crinalia* dicuntur. Quod genus excolendi cæſariem, Iuuenalis appellat *ædificare caput.* & Nazianzenus πυργοῦν κεφαλὴν, id eſt, *turrificare caput*, ſeu *in turris ſimilitudinem attollere.* Vide quæ diximus ad illud *Cant.* 7. *coma capitis tui ſicut purpura Regis vincta canalibus.* Vbi oſtendimus capillos ſponſæ aureis, ſiue argenteis tæniis fuiſſe ligatos, quas diximus *canales* 37. Diſcriminalia.

appellari

A appellari poſſe. Hæ vittæ & gloriæ compoſitio, & diſcriminalia videntur dici poſſe non immerito.

Periſceli-des. qq *Et periſcelides.*] Periſcelides ſunt armillæ aut circuli, qui partem extremam tibiarum, quæ ad talos eſt & crura cum pedibus cõiungit, cingunt, & ornant. Antiqua verſio Hiſpanica optime *argollas* transfert. De his vide quæ copioſè diximus ad illud *Cant.6. iunctura ſemorum tuorum.*

Murænulæ. rr *Et murenulas.*] De his latè egimus *in Cantic.cap.1.* Hebr. קשרים *kiſurim*, quaſi *colligationes* ſeu *vincula*; torques ſunt; qui murænarum, ſeu ſerpentium in modum in circularem figuram conuoluuntur. Hiſpanè *Gargantillas.* Vide quæ de his torquibus in ſerpentium formam conformatis grauiter, & eleganter ſcribit Clemens Alexand. *lib. 2. Pædag.cap.12.*

38.
Olfactoriola. ss *Olfactoriola.*] Hebr. נחי הנפש *naebe hanephes*, id eſt, *domus animæ.* Quidam exiſtimant ornamentum eſſe, quod eſt inter vbera, ſicut à nobis geſtari ſolent agni cerei Thecæ, dicique putant domum animæ, quia in ea parte pectoris anima eſſe creditur. Mihi optimè videtur vim Hebraicarum vocum expreſſiſſe Hieronymus, qui נפש *nephes*, hoc loco pro habitu poſuit, nam ſicut anima apud Latinos flatum, ſiue anhelitum ſonat, ſic etiam apud Hebræos נפש *nephes*, *Iob.41. Halitus eius prunas ardere facit.* Domus ergo animæ ſeu halitus vaſculum eſt, ſeu pyxis olfactoria, quæ exhalat ex ſe animam, id eſt, halitum gratum, quæ geſtari à lautis fœminis ſolet in deliciis. Qualem fuiſſe puto, qui *Cantic. cap. 1.* vocatur, *Faſciculus myrrhæ.* Quæ iuxta Hebraicæ vocis proprietatem dicitur *colligatio myrrhæ*, non tam ramorum, quam ſtactes, quæ in perforatis, ſeu reticulatis myrotheciis includuntur. Hiſpanè *poma ò inxeta.*

Hæc mihi magis ſunt veriſimilia; ſed fortaſſe olfactoriola, ſiue domus animæ, aut odoris non tam ſunt fœminarum ornamenta quam vaſa, aut myrothecia vbi fœminæ illa ſeruant vnguenta, quibus menſam, lectum, aut veſtimenta aſpergant. Qualia habebat meretrix illa, quæ *Prouerb. cap.7.* dixit *aſperſi cubile meum myrrha & aloe, & cinnamomo.* & meliori conſilio Magdalena, quæ fracto alabaſtro vnguentum effudit ſuper Chriſti caput. & quo veſtimenta ſua aſperſerat ſponſa illa de qua *Pſal. 44.* dicitur. *Myrrha & gutta & caſia à veſtimentis tuis, à domibus eburneis.* Vbi *eburnea domus* pro *vaſculis vnguentariis*, ſiue *aromatariis*, videntur ſumi.

39.
Inaures cõtra incantationes inuentæ. tt *Inaures.*] Nota res eſt. Illud non omittendum. Hebr. pro *inauribus* eſſe לחשים *lachaſim*, à radice, quæ *muſſare* ſignificat, id eſt, obſcura, atque confuſa voce loqui, aut aliquid inſuſurrare magicè, aut incantare. Quare videtur primùm inaures non tam fuiſſe ornamenta, quàm munimenta aut amuleta aurium contra incantationes, & verba imprecatoria: vt etiam obſeruauit Abenezra, qui putat לחשים *lachaſim*, eſſe *ſcripturas*, ſeu *characteres in auro vel argento.* Inde verò quod neceſſitatis, aut potiùs ſuperſtitionis gratia ſuſceptum eſt, adhiberi cœpit ad ornatum: ſicut alia plurima olim contra faſcinum inſtituta in ornamenti quoque, atque elegantiæ honorem adducta ſunt, & quædam colli ornamenta quondam ad tegendam ſtrumarum deformitatem excogitata, iam in deliciis, & munditiis numerantur.

40.
Annulus. uu *Annulos.*] Quemadmodum ab aliis vſibus, iiſque non ſemper honeſtiſſimis plurima ad dignitatem, & venuſtatem traducta ſunt, vt de inauribus modò dicebamus; ſic etiam annuli, qui à Prometheo primùm ignominiæ, vt eſt in fabulis, ab aliis deinde honoris cauſa geſtantur. Vide Higinium in Prometheo.

xx *Gemmas in fronte pendentes.*] Hebr. נזם *nezem*, quod ornamentum eſt tam auribus quàm naſo, toti denique faciei commune. Accommodatur quidem auribus, *Geneſ. 35. Exod. 32.* naſo, *Geneſ.24.* vbi noſter, *Suſpendit inaures ad ornandam faciem eius.* in Hebræo eſt. *Et poſuit inaures ſuper naſum eius.* & *Ezechi. 16.* vbi vulgatus. *Dedi inaurem ſuper os tuum.* Hebraicè & apud Lxx. legitur. *ſuper naſum tuum.* Et vt ibi notat Hieronymus, 41. Naſi ornamentum.
B Theodotio vertit ἐπιρρίνιον, id eſt, ornamentum poſitum ſuper naſum. Sed quodnam ſit illud monile, ſiue annulus, aut gemma naſi, mihi nondum exploratum. In quibuſdam regionibus noſtra memoria ab Hiſpanis apertis, in deliciis atque elegantia eſt ex narium cartilagine media gemmam ad os vſque demittere. Sed non puto hunc barbarum cultum vſitatum fuiſſe Hebræorum genti, neque barbaræ neque ineleganti. In vſu nunc eſſe audio Aphricanis, atque Aſianis fœminis ex Hebræorum gente ſemicirculos, ſeu lunulas aureas geſtare in naſo ea parte & eo etiam modo, quo geſtari ocularia conſpicilla ſolent: & aiunt hæc non parum ad venuſtatem conferre. Fieri ſanè poteſt vt naſi figuram illi genti familiarem minùs
C deformem reddat aureus ille hemicyclus ſuperiori parti narium inſertus; nam aliter futurus videtur non ſolum oneroſus, & grauis, ſed etiam inuenuſtus. Placet quod Hieronymus dicit *in cap. 16. Ezech.* nempe ornamentum hoc eſſe gemmam, circulum, aut inaurem, quæ à capite, & fronte ad naſum vſque pendet, quod ſuo etiam tempore in vſu fuiſſe teſtatur ibid. *Vſque hodie*, inquit Hieronymus, *inter cætera ornamenta mulierum ſolent aurei circuli in os ex fronte pendere, & imminere naribus.* In eamdem ſententiam ibid. Polychronius. *Aliud ornamentum*, inquit, *quod circa caput ponitur pretioſum quidem, ſed habens margaritam ad naſum vſque pertinentem.* De qua gemma fortaſſe intelligitur illud *Cant.7. Naſus tuus ſicut turris Libani*; vbi naſus pro naſi ornamento videtur poſſe ſumi. E duo-
D bus verſionibus antiquis Hiſpanicis altera vocem נזם *nezem*, reddit *Annazmes de lanariz*, altera, *alcordes de las narizes.*

yy *Mutatoria.*] Hebr. מחלצות *machalatſoth*, quæ Lxx. vertunt ἐπιβλήματα κτ̃ τὴν οἰκίαν, id eſt, *veſtimenta*, ſiue *ſtramenta per domum.* Quæ alij *aulæa*, ſiue *periſtromata* interpretantur; quia hæc domi ſunt, neque exportantur foras. Sed meliùs Baſilius, qui noſtrum interpretem cum Lxx. conciliat, veſtimenta per domum dici putat, quia veſtimentorum in domo magna copia eſt; atque ideo cum foras ornatæ prodeunt puellæ, domi quoque alia veſtimenta relinquunt, quæ iterum, & ſæpius mutent; quæ optime mutatoria dixit noſter interpres. Eſt autem hoc copioſæ domus ſignum; ne- 42. Mutatoriũ quid.
E que idem integumenti genus vbique honeſtum. Nam quod intra familiares parietes decorum, id extrà aliquando indecorum eſt. Neque quæ foris placent, eadem domi placere ſolent, vt enim domi apud Romanos decora ſyntheſis, & foris toga; ſic toga domi grata non eſt, ſicut neque ſyntheſis foris. Quare exiſtimo hic nihil ſignificari aliud quàm pro diuerſis locis, temporibus, ac ſtatibus diuerſa eſſe tegumenta, atque ornamenta puellarum.

43. ^{zz} *Palliola.*] Videtur veſtis eſſe, quæ aliis iniicitur integumentis, qualis eſt quæ Hiſpanè *mantellina* dicitur, aut *rabozilho*. Lxx. vertunt διαφανῆ Λακωνικά, id eſt, *laconica pellucida*. Quæ ſunt, vt dicit Baſilius, tenuiſſima quædam integumenta è ſubtili, atque perſpicuo textu, quæ quaſi nudum oſtendebant id quod maximè decebat eſſe velatum; ac fortaſſe vtrinque à fœmore aperta, propter quod Laconicæ virgines communiter φαινομηρίδας vocantur, id eſt, quæ nudum oſtendunt fœmur in incedendo. Vſque adeò verò Iudææ fœminæ erant, vel in luxum profuſæ, vel in omnem inuerecundiam proiectæ, vt Laconico cultu, & more, aliorum oculis nuda, aut nudis quàm ſimilia oſtenderent, quæ pudicæ nullo modo, vel obſcurè prodi patiuntur. Harū leuitati, atque inuerecundię opponuntur iuncturæ fœmorum ſponſæ, *Cantic.* 7. Quia partes quæ fœmora tegebant in tunicis, non erant diſſutæ, vt in Laconicis, ſed conſtrictæ fibulis. *Iunctura fœmorum tuorum monilia.* Vide quæ in illum locum diximus.

44. ^{aaa} *Linteamina.*] Hiſpanica verſio antiqua *Almalafas* transfert. Hebr. מטפחות *mitphachoth*, à radice טפח *tephach*, quæ ſignificat *menſuram quatuor digitorum*. Vnde quidam Tænias eſſe putant, quatuor digitos latas. Hiſpanè *toſtones*, alij *chirothecas*, vertunt. Lxx. *byſſinas*. Sed communiter alij accommodatè ad vulgati tranſlationē, lintea quædam velamina eſſe exiſtimant ad operiendum caput.

45. Acus ^{bbb} *Acus.*] Hæc inſtrumentum quoddam eſt ad criſpandos, concinnandóſque crines, quale eſt calamiſtrum. vt ex Iuuenali *Satyra* 2. liquet.

Ille ſupercilium madida fuligine tinctum
Obliqua producit acu.

Sed eſt etiam ſpeciale quoddam ornamentū, quod crines in ſuo multiplici, atque eleganti flexu continet, & illuſtrat. Ita Hieronymus *hîc*, & Iſidorus *lib.* 19. *Etymol. cap.* 31. iiſdem verbis: *Acus*, inquiunt, *ſunt, quibus in fœminis ornandorum crinium compago retinetur, ne laxiùs fluant, & ſparſos diſſipent capillos.* Et Clem. Alex. *lib.* 2. *pædagogi cap.* 12. acus numerat ex ſententia Ariſtophanis inter ornamenta fœminarum. Id multo clariùs habemus ex humana eruditione. Apuleius *lib.* 8. *Metamorph.* crinalis acus meminit, quaſi ad ſpeciem geſtaretur in capite. Et clariùs Martialis *lib.* 14. *epig.* 24. cuius titulus eſt, *acus aurea.*

Tenuia ne madidos violent bombycina crines,
Figat acus madidas, ſuſtineátque comas.

Ex quibus verbis ſatis conſtat eum vſum habere acus in mundo muliebri, vt diſcriminatos ſuſtineat capillos, ne diffluant, aut confundantur. Neque enim acus aurea tam apta ad criſpandum, quàm ad ornandum caput. Fieri etiam poteſt vt acus ad capitis redimiculum non pertineant, ſed ad aliarum partium venuſtatem, ſeu compoſitionem, qualem vſum præſtant, quæ à Latinis aciculæ, ab Hiſpanis *alfileles* vocantur.

46. Speculum. ^{ccc} *Specula.*] Notum eſt quid ſit *ſpeculum*. Hebr. גליונים *gilionim*, à reuelando. Sunt autem ſpecula pellucidæ, aut terſæ, collucentéſque laminæ ad quas puellæ fingunt, componuntque faciem: ſiue aliæ quæ ad illuminandas, radiandáſque veſtes ex gemmis, aliave ſplendenti materia diſponuntur. Quod vſitatū eſſe inter Hebræos indicat Ioſephus *lib.* 19 *Antiq. c.* 7. vbi agit de Agrippæ ſtellata & radiante veſte. Neque valde diſſimilia tradit *lib.* 8. *Antiq. c.* 7. de ſeruis Salomonis, quorum capilli artificioſo quodam fulgore radiabant. Lxx. vertunt *coccina*, fortaſſe ideo, quia color ille ſplendet, vibrátque aliquid illuſtre, & gratum. Ex huiuſmodi ſpeculis, ſiue quibus quaſi arbitris mulieres fucant, & fingunt formam, ſiue quibus ornant, illumina̍ntque veſtes, quæ Hiſpani *eſpeiuelos* vocant, conflatum eſſe puto labrum illud, quod *Exod.* 38. factum eſſe traditur *ex ſpeculis mulierum excubantium ad oſtium tabernaculi*. Exod. 38. Nam quemadmodum antea impij ad conflandos aureos vitulos inaures aureas libenter obtulerunt; Sic etiam poſtea veriſimile eſt pias mulieres ornamenta illa ſplendentia, quæ priùs habuerant in deliciis, in labri illius fabricam contuliſſe: ex quorum pretio poſtea ex ære conflatum eſt. Neque enim ex ſpeculorum materia, quæ plerumque cryſtallina eſt, aut certè perſpicua, labrum illud magnum fieri potuit.

^{ddd} *Et ſindones.*] Lintea ſunt non tantùm ad 47. ſternendum lectum; ſed etiam ad diurnum vſum Sindon. ornatúmque muliebrem. Hebr. סדין *ſadin*. Fortaſſe ſunt quæ ſudaria dicuntur, quorum ſignificatio latè patet, vt quæ Hiſpanè dicuntur *panicuelos, toallas, paño demanos*, & ſimilia. Rab. Dauid in voce סדין *ſadin*, Hiſpanicè vocat *linzol*. Tranſlatio antiqua Hiſpanica *ſudarios*. Lxx. vertunt, *byſſus cum auro, & hyacintho.* qui videntur ſentire, eſſe tenuiſſimam telam ex auro, aut alia nobili materia virgatam, quæà nobis *telas liſtadas deoro*, aut *almaizales* vocantur.

^{eee} *Vittas.*] Heb. צניפה *tſenephah*, quæ vox com- 48. munis eſt Hiſpanis, & *zenefa* dicitur. Vitta. Sunt faſciæ aut inſtitæ, quibus vinciri caput ſolet, aut veſtis rugari; aut certè limbus, qui extremæ veſtium oræ prætexitur. Exiſtimo autem has vittas, ſeu limbos exemptiles fuiſſe, & ad alias, atque alias veſtes ornandas traduci ſolitas, ſicut a nobis tæniæ baccatæ, aut aliæ faſciæ, quibus modò galeros, modò alia capitis integumenta inſtruimus. Hiſpanè, *cintas o aderezos de Gorra*. Antiqua tranſlatio Hiſpanica *borlas* reddit. Sed meliùs verteret, *flocaduras*, quæ ſunt elegantes veſtimentorum fimbriæ. Sed fortaſſe quo tempore à Iudæis Hiſpanis ſacra Biblia conuerſa ſunt, vox Hiſpanica *fluecos y flocaduras*, in vſu non erat.

^{fff} *Theriſtra.*] Ornamēta capitis eſſe putantur, 49. quibus etiam humeri teguntur; Theriſtra. quæ quia in æſtate propter leuitatem, renuitatémque geſtari ſolent, Theriſtra nominantur. Credo autem hoc habuiſſe nomen, non quia fœminæ eis vtantur, vt cùm ad æſtiuum calorem prodeunt, faciem a ſole, atque à fuſcore liberent; ſed quia ſubtiles ſunt, & leuiſſimæ. Quæ neque villis calfaciunt delicatas fœminas, neque grauant onere; ſicut nunc contra æſtatis incommoda bombycino vtuntur leui. Ita Baſilius putat. Lxx. vertunt θέριστρα κατακλειστά. vt legit Baſilius, qui interpretatur *clauſa*. Alij κατακλιτά, id eſt, *diſcubitoria*; & ita legunt codices à Sixto correcti. Vtrumque oſtendit ſatis eſſe molles, atque effœminatos illius ſæculi mores. Hebr. pro *theriſtro* eſt רדידה *redidah*, quæ Rab. Dauid Hiſpanicè vertit in ea radice, *velo deſeda*. Antiqua verſio Hiſpanica, *Arrades* modicè inflexa Hebraica voce.

^{ggg} *Et erit pro ſuaui odore fœtor.*] Hæc eſt illius 50. ſuperbi, ac potiùs meretricij faſtus digna cataſtrophe, quæ aſcititio ornatu inſolentes fœminas nudat, irridendáſque præbet aliorum oculis. Fœtor ille natus eſt ſiue à carceris ſitu, atque ſquallore: Iudæi fœtentes. ſiue ab illuuie, & ſordibus, quæ à captiuis plerumque abeſſe non ſolent: ſiue quia illi genti maximè

poſt

poſt Chriſti mortem naturalis quidam fœtor ineſt. vt diximus ad illud *Zachar. cap. 14. In æſtate, & hyeme erunt.* Et ideo familiari epitheto vocantur fœtentes Iudæi. Sic ſanè vocat Ammianus Marcellinus *lib. 2.* Vbi ait Iudæos Marco imperatori graui fuiſſe faſtidio. Indicauit hoc ipſum Martialis *lib. 7. epigram. 4.* Vbi grauem Baſſæ odorem, cum Iudæorum fœtore componit. *Oles*, inquit, ô Baſſa, *Quod ieiunia Sabbatariorum.* id eſt Iudæorum quibus maxima eſt Sabbati religio. Cúmque ieiunus ſtomachus grauė habeat anhelitum, iuxta illud Græcorum prouerbium, *κακὸν ὄζει*, de illo cuius anima fœtet: Tamen fœtor ille ſic erat in Iudæo notatus, vt ſpeciem haberet prouerbialem. Illam verò notam quaſi hæreditario iure Iudæorum corporibus inuſtam cum baptiſmo elui, dixit Fortunatus *lib. 5. Car.*

Abluitur Iudæus odor baptiſmate diuo.

51. Caluitium in qua præſertim parte. hhh *Pro criſpante crine caluitiũ.*] Heb. *Pro opere aſpero.* Sed optimè reddit Hieronymus; quia cùm ſubdatur *caluitium*, ſatis conſtat ſermonem eſſe de capite. Opus autem aſperum capitis cincinni ſunt, id eſt, capilli inæqualiter in annulos aut flocculos intorti: Aut certè mitræ, aut aliæ capillorum pinnatæ turres. Habuiſſe autem Iudæos, & multo magis ex ea gente fœminas, capillos, qui ex fronte

Deut. 14. ante oculos penderent, conſtat *Deut. cap. 14.* nam vbi vulgatus habet *non facietis caluitium*, Hebr. eſt, *non facietis caluitium inter oculos veſtros*, id eſt, vt ibi Abul. & Caiet. *non tondebitis eam partem capitis, quæ ſupra frontem eſt.* Ea verò pars criſpari frequentiùs ſolet: & ſi quid à capillis decoris eſt, maximè ab illis, qui ſupra frontem ſunt: quos nunc puto radendos ad ignominiam dici à propheta; aut aliis modis tollendos, de quibus ſuprà, ad illud *decaluabit Dominus.* Et vt redeam ad Hebraicæ vocis proprietatẽ, *aſperare* Latinè ponitur pro *exornare aliquid eminentibus torulis, aut vndularũ rugis.* Claudian.

——*Fluctus exaſperat auro.*

Virg. 3. *Æneid.* de mari tumentibus vndis criſpato.

Et glacialis hyems aquilonibus aſperat vndas.

Et *lib. 5.* de vaſe optimè cælato.

Cymbiáque, argento perfecta atque aſpera ſignis.

In luctu caluitium fieri ſolere conſtat *ex Amos cap. 8.* & *Ioel. cap. 1.* quod in ſuo mœrore fecit Iob *cap. 1.* Et ideo hac loquendi forma luctus videtur indici filiabus Sion.

52. Faſcia pectoralis. lll *Pro faſcia pectorali.*] Pectoralis faſcia eſt illa, quæ puellarum vbera conſtringit, & cohibet, quia vberum tumor, & tunc, & noſtra etiam ætate fœminis indecorus eſſe exiſtimatur. Quòd illam faſciam elegantes fœminæ præter cætera ament ornamenta, argumentum eſt illud *Ierem. 2. Nunquid obliuiſcetur virgo ornamenti ſui, aut ſponſa faſciæ pectoralis ſuæ.* Apud alias gentes eius quoque præcipua cura, & amor. vnde ſtrophij crebra mentio. & apud Martialem variis nominibus exprimitur, *lib. 14. epig. 66. mamillare* dicitur, & *epig. 134 faſcia pectoralis*, cuius vſus eſt ille quem ſuprà diximus. De forma noſtram coniecturam adduximus ad illud *Cantic. 4. Duo vbera tua.*

53. lll *Cilicium.*] Hebr. *cingulum ſacci.* Ex quo colligitur optimè reddidiſſe Hieronymum vocem ſuperiorem *faſciam*, quia illi *cingulum cilicinum* opponitur. Si vocem illam tunicã clauatam è purpura eſſe putes, cũ LXX. cilicium, aut cingulum ſacci, erit veſtis cilicina: ita vt reſpondeat tunicæ clauatæ.

54. Hic Hieronymus omiſit duas voces, quæ nunc ſunt in textu Hebraico כי תחת *chi thachath*, quæ non eſſe de textu, ſed aliorum incuria, aut plus ſa-

A tis curioſa diligentia inſerta ſatis coniecturæ affert, quod neque in Septuaginta tranſlatione reperitur. Illud verò כי תחת יפי *chi thachath iophi*, quod omiſſum diximus communiter ſic conuertitur, *Aduſtio pro pulchritudine.* Qui modus loquendi ſatis exprimit ærumnoſam eius populi fortunam. Ierem. *Thren. cap. 5. Pellis noſtra ſicut clibanus exuſta eſt.* & *cap. 4.* de Nazaræis, *Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum. Iſai. 13. Facies combuſtæ vultus eorum.* tũc autem כי *chi* a כוה *chauah* deducitur, quod *vrere* ſignificat. Alij verò putant כי *chi*, ſignificare *quia*, & eſſe quoddam Epiphonema in hanc ſententiam: *quia illa quæ nuper commemorata ſunt, fœ-*

B *tor, caluitium, cilicium erunt pro pulchritudine illa, quam tot nugis quærebat vaniſſima puellarum ſedulitas.* In codice Hieronymi ſine dubio non fuit illud תחת *thachath*, quod pro כי *chi*, videtur in ſuis codicibus habuiſſe. illud verò כי *chi*, aut coniunctionem fecit, aut non habuit, incepit autem periodum ſequentem à יפי *iophi*, & ideo dixit: *Pulcherrimi quoque viri tui.*

mmm *Pulcherrimi quoque viri tui gladio cadent.*] 55. Caput tondetur in luctu.
Hinc videtur poſſe colligi hanc ornamentorum ſpoliationem non tantùm ab hoſte prædatore prouenturam, ſed etiam ab ipſis fœminis, quæ ſuorum cædes patrio more proſequutæ in eorum luctu, ac parentalibus vltrò tondebunt crines, & ſacco ſe cingent, & cilicio, & ſedebunt in ſquallore. Quæ

C omnia ſatis explicata ſunt in ea cataſtrophe, quæ in fine capitis à propheta ponitur. Tonderi autem in luctu fuiſſe ſolenne Hebræis, docet Ierem. *cap. 16. Non ſepelientur, neque plangentur, non ſe incident, neque caluitium fiet pro eis.* *Quod feciſſe videntur Iudæi, non tam ſuo quàm gentium ritu: à quibus multa impia, atque ſuperſtitioſa didicerant. Nam hoc illis omnino prohibetur *Deut. 14. Non vos incidetis, neque facietis caluitium ſuper mortuos.* Quam conſuetudinem ad ſuam vſque ætatem perſeueraſſe inter Iudæos docet Hieronymus *in Ierem cap. 16.* ſi in hunc ſenſum accipias; ita vt caluitium, & ſquallor non tam ſint ab hoſte, quàm à pietate, & luctu, quæ amicorum, & cognatorum funeri impendi ſolent, quod non videtur improbabile, tunc

D illud *quoque*, non tam ſequentia cum antecedentibus connectit, quàm rationem reddit eorum, quæ dicta ſunt. Vt enim *&* cauſalis eſt, vt alibi oſtendimus, ſic etiam *quoque*, quæ eamdem vim habet. ita vt ſenſus ſit: *Indueris cilicio, & pro criſpanti crino caluitium facies, quia viri cadent*, &c. Sed placet multo magis, vt talia elegantes illæ, atque ſuperbæ fœminæ ab hoſtibus captiuæ patiantur, quia hæc grauior eſt calamitas, & fortuna ærumnoſior.

nnn *Et mœrebunt atque lugebunt portæ eius.*] 56. Regula. Antecedens cum epitaſi omittitur.
Non exprimitur hîc antecedens, ad quod referatur illud *eius*, quod puto ideo factum, quia Solymitana ciuitas adeò erat nobilis, vt communi nomine intelligeretur; maximè à Iudæis qui præ ſua Ieruſalem cætera nullo numero habebant: ſicut Pytha-

E goram tanti fecere diſcipuli, vt communiſſima nota, id eſt, pronomine *ipſe*, illum appellarent. Sic enim cùm quis rationem exigeret eius, quod profitebatur, reſpondebat diſcipulus, *ipſe dixit*, ipſe autem erat Pythagoras. Aut certè quod facere ſolent, qui amant, vt ſi quid aduerſum, aut timent, aut ominantur, aut infortunium ſupprimunt, aut perſonam quam amant. Sic ergo propheta cùm excidium prædiceret patriæ ſibi chariſſimæ, nominare noluit, maximè cùm ex adiunctis facilè alij cognoſcere potuerint. Hæc quidem probabilia, ſed magis

credo ex vſu Scripturæ exponi poſſe, ſi dicamus vocē *eius*, referri ad id, de quo ſecum tacitè cogitabat propheta, cogitabat autem, vt apparet, de Ieruſalem. Quam autem id ſæpe in Scriptura contingat, oſtendimus in illud *Cant. cap. 1. Oſculetur me oſculo oris ſui.* vbi illud *ſui* ad id refertur, quod ſponſa ſecum mente voluebat. Quemadmodum mœror, & luctus deſertum aliquid, & euerſom ſignificet, diximus *cap. 33. num. 17. Portas* pro loco munitiſſimo, atque frequentiſſimo ciuitatis ſumi, ſatis eſt notum. A

Deſolata in terra ſedebis.] Habitus hic lugentis eſt. Vt enim qui lætus eſt, geſtit, exultat, tripudiat, quod facit ſtando, ſic qui ægro eſt animo, quaſi languens, & dolori ſuccumbens ſedet, & iacet. *Thren. 2. Sederunt in terra, conticuerunt ſenes filiæ Sion.* & *cap. 1. Quomodo ſedet ſola ciuitas?* Eſdræ *lib. 2. cap. 1. Sedi, fleui, & luxi.* Et in argenteo nummo Veſpaſiani Iudæa muliebri habitu fingitur ſedens ad palmæ radices cum hac inſcriptione, *Iudæa capta.* 57. Sedere habitus lugentium.

Argumentum quarti capitis Iſaiæ.

DOCET *primùm tantam futuram poſt communem cladem virorum inopiam, vt ſeptem, id eſt, plurimæ mulieres vnius viri nuptias expetant. Deinde poſtquam ſeuerè graſſatus in Iudæos fuerit diuinus furor, in eos qui ex captiuitate remigrarint Babylonica, longo iam purificatos exilio, prolixam liberalitatem, & ſponſi charitatem, & delicias promittit: Quæ futura dicuntur illis ſimillima, quas idem Dominus præſtitit Iudæorum populo, cùm liber ab Ægyptia tyrannide longo curriculo in terram promiſſionis iter inſtituit.*

CAPVT IV.

1 [a] ET *apprehendent ſeptem mulieres virum vnum in die illa, dicentes: Panem noſtrum comedemus, & veſtimentis noſtris operiemur:* [b] *tantummodò inuocetur nomen tuum ſuper nos.* [c] *Aufer opprobrium noſtrum.*

2 [d] *In die illa erit germen Domini in magnificentia, & gloria,* [e] *& fructus terræ ſublimis, & exultatio his, qui ſaluati fuerint de Iſrael.*

3 *Et erit: omnis qui relictus fuerit in Sion, & reſiduus in Ieruſalem,* [f] *Sanctus vocabitur, omnis* [g] *qui ſcriptus eſt in vita in Ieruſalem.*

4 *Si*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 EA erit Iudæorum clades, quos gladius perimet hoſtilis; & fames, tabéſque conſument, vt ſeptem mulieres virum vnum non ſolùm ambiant, ſed etiam apprehenſa lacinia vi penè cogant ad nuptiale fœdus. Et quia durum eſt viro tot vxoribus de veſtitu, ac menſa prouidere, (quod Iudæorum ferebat conſuetudo,) ipſæ hoc onere, ac ſumptu coniugem leuant, dicentes: Nolumus abs te nobis ex more panem, & veſtimentum dari: noſtro veſcemur pane, noſtro nos induemus veſtimento, nullum tibi aut onus, aut ſumptum afferemus. Illud vnum ſatis erit, ſi nos ad legitimam thalami ſocietatem admittas, & relicto domeſtico, atque Gentili, tuo deinceps nomine nuncupemur. Aufer igitur à nobis illud opprobrium, quod inter Hebræos grauiſſimum eſt illis, quibus ſteriles, aut innuptas eſſe contigit.

2 Audiſtis Deum grauem, & infenſum contra eos, qui ex Iudæorum gente ambitiosè, auarè, & luxuriosè vixerunt: Nunc illum audite mitem, atque beneuolum in eos, quos deinde ex Babylonico iugo in libertatem, patriámque reſtituit, (in quibus tanquam in vmbra expreſſam, & viuam Eccleſiæ imaginem intuemini) quos ſponſæ in modum molliter amplectetur. Erit ergo reſtitutus, & quaſi rediuiuus populus, qui ſaluatus fuerit ex Iſrael, tanquam germen pullulans è putri ligno, magnificus, & glorioſus, & tanquam fructus natus ex opimo ſolo, perpetuò virens, & exultans.

3 Tunc omnis qui relictus fuerit in Sion, & ex communi clade reſiduus, in Ieruſalem ſanctus vocabitur: Omnis, inquam, quem Ieruſalem in viuorum cenſu numerauit.

4 Quod

Digitized by Google

4 Quod accidet tunc, poſtquam Dominus tanquam peccatorum vindex, acri, ſeuerόque iudicio ſordes,& ſanguinem deterſerit è Ieruſalem.

5 Neque minùs liberaliter amplectetur Dominus ex Babylonico reuertentes exilio, quàm olim ipſorum parentes ex Ægyptio. Creauit etenim in omni loco, qui ad Sionem ſpectat, in quo Deus legitimè, ac religiosè colitur, nubem per diem, & fumum, ſplendorémque ignis collucentis, & illuminantis in nocte: neque illos tantùm glorioſos reddet, ſed etiam ſuo patrocinio tutos ab omni periculo præſtabit.

6 Erit præterea tabernaculum, id eſt, templum, in quo, dum æſtus magis feruet, & vrit, dulcem captet populus ille ſanctus, atque ſecuram vmbram; ibique abſconditus à pluuia ſe, ac turbine defendat.

4 [h] *Si abluerit Dominus ſordes filiarum Sion, & ſanguinem Ieruſalem lauerit de medio eius* [i] *in ſpiritu iudicij, & ſpiritu ardoris.*

5 [k] *Et creabit Dominus ſuper omnem locum montis Sion, & vbi inuocatus eſt, nubem per diem, & fumum, & ſplendorem ignis flammantis in nocte:* [l] *Super omnem enim gloriam protectio.*

6 [m] *Et tabernaculum erit in vmbraculum diei ab æſtu, & in ſecuritatem, & abſconſionem à turbine, & à pluuia.*

IN CAPVT QVARTVM
COMMENTARIVS.

1. [a] ET *apprehendent ſeptem mulieres virum vnum.*] Totum hoc, quod ad virorum ſolitudinem, opprobriúmque fœminarum ſpectat, quidam *ad cap.* 3. pertinere putant; & meo iudicio non temere: quia adhuc de vaſtatione agitur Solymitana, luctúque & ærumna Iudæorum. Deinde verò temporum fortunæque mutatio non vulgaris oſtenditur. Et ita diſtinguunt communiter Hebræi: neque diſplicet quibuſdam è recentioribus. Sed non eſt cur aliter diſtinguantur hæc capita, quàm à Hieronymo, & LXX. diuiſa ſunt. Nam ſi materiæ diuerſitas, diuerſa quoque capita conſtitueret, neceſſe eſſet omnino aliquando capita conſtituere ſupra modum producta, quod neque ex vſu foret legentibus, & capitis non immeritò nomen amitterent; aut certè forent nimis breuia, quia materia non ſemper iuſtam capitis magnitudinem expleret.

2. Significatur hoc loco virorum paucitas, quam magnam futuram fuiſſe oportet tot viris in acie gladio, tot in obſidione fame, ac tabe conſumptis. Septem ergo fœminæ, id eſt, plurimæ iuxta phraſim, vſumque ſermonis Hebraici, vnum virum circumdabunt, cuius ambibunt nuptias non minori ſtudio, quàm à iuuene amoris impatienti ambiri ſolent fœminarum. Et quia ad viros ſpectat vxoribus de victu, cultúque prouidere, ne labor ille, ac ſumptus viri animum à nuptiis auocet, ipſæ ſuarum ſibi partium illam curam futuram profitentur; Quare virum ea ſollicitudine ſolutum eſſe iubent. Quemadmodum ſponſi nouæ nuptæ in victum, mundúmque muliebrem expendant, diximus pluribus in Cantica. Porrò vt alibi dictum eſt, vt vera ſint, quæ hic à propheta prædicuntur, non eſt neceſſe vt ſeptem aut plurimæ fœminæ vnius viri coniugium expetierint; ſatis eſt enim, ſi eò adducta fuerit res Iudaica, vt id veriſimiliter A fieri potuerit, iuxta regulam à nobis traditam, *cap.* 3. *num.* 11. Qua ſæpe in hoc propheta nobis vtendum eſt.

[b] *Tantummodo inuocetur nomen tuum ſuper nos.*] 3.
Sicut fœminæ cùm viro nubunt in eorum familiam cooptantur, vt in Canticis diximus, ſic etiam relicto nomine quod à parentibus acceperant, à viris nominantur, quia illis poſt nuptias non minùs ſubſunt, quàm antè parentibus. Neque ſolùm vt reor, ea forma verborum nomen accipiunt à maritis qua Hebræi explicant ſua patronymica; *vt filia Sion, filia Moab,* quæ à Latinis dicerentur *Sionides, Moabitides,* & *vxores Lamec,* & *Abraham,* quæ *Lamecides*; & *Abrahamides* à Latinis, ſed B etiam alio modo magis proprio, & vnam animam, aut etiam vnam carnem magis ſignificante, ita vt viri nomen, ab vxoris nomine tantùm maſculina terminatione differat. Qua ratione, vt autor eſt Valerius *lib.* 10. ſeu verius Caius Titus Probus, qui librum illum, qui periiſſe creditur, in epitomen redegit, Caia, Lucia, Publia, Mærca, à viris Caio, Lucio, Publio, Mærco nominatæ ſunt. Et apud Hebræos in Canticis vxor Salomonis, ſi modò Salomon ibi ſponſus inducitur, Sulamitis, id eſt, Salomonia vocatur: & vt ille pacificus, ſic ſponſa pacifica dicitur, id enim ſignificat illud *Cant.* 8. *quaſi pacem reperiens.* Vide quæ ibi nos pluribus. Et id faciunt interdum amici beneuolentiæ gratia, inter quos longè minor eſt animorum, officiorúmque C communitas. Vide quæ diximus *ad cap.* 13. *Actuum,* vbi oſtendimus cur pro *Saulo, Pauli* nomen aſſumpſerit Apoſtolus. Sed quod nunc ad rem ſpectat, longè magis vſitatum eſt inter Hebræos, vt priori modo à parentibus filij, & à viris vxores nominentur, vel potiùs in filiis, & vxoribus parentum, & virorum nomen inuocetur. Vt enim Ioannes, & Iacobus dicuntur *filij Zebedæi,* ſic *Zebedæi vxor,* appellatur Maria illorum mater, & eiuſdem omni-

Vxore, à viris nomen ſumunt.

nis aliæ dicuntur *Maria Iacobi*, & *Maria Cleophæ*. Et quia adultera à fide, officióque coniugali receſſerat, nomen quod à viro ſumpſerat,depoſuiſſe dicitur, & ſuum, quod iam ante depoſuerat, reſumpſiſſe. *Ezech. 16. Fornicata eſt in nomine tuo:* quaſi iam eſſes tui iuris,& nominis.

Ezech. 16.

4. *c Aufer opprobrium noſtrum.*] Ignominiæ erat Iſraelitis infœcundos eſſe, *Deut. 7. Non erit apud te ſterilis vtriuſque ſexus.* Quare fœminæ illæ honeſtum nomen prætexunt ſuis nuptiis, nempe quòd ſuſcepta ex viro ſobole probroſum ſterilitatis nomen effugiant. Et hoc credo optabat ſponſa *Cant. 8.* cùm dixit, *vt deoſculer te, & iam me nemo deſpiciat.* Quia nimirum tali coniuncta ſponſo, ex eius ſatu caſtam, & generoſam prolem conciperet.

Sterilitas opprob ium eſt Iudæis.

Cant. 8.

d Et erit in die illa germen Domini.] Quæ deinceps ſequuntur ad finem vſque capitis, omnium ferme ſententia ad Chriſtum pertinent, & Eccleſiam, cuius pulchritudo demonſtrato ſynagogæ iam exoletæ probro, atque deformitati optimè ſubiicitur. Quod mihi etiam probatur omnino; tum quia cum toto textu bellè conſentit, tum quia neque modeſti neque pudentis animi eſt à tot virorum ſententia diſſidere; Dicam tamen hic experiendi tantùm gratia, vt hæc alij accuratiùs examinent, & iudicent. Quod mihi nunc occurrit, conſentaneè ad ea,quæ in Canticis docui in quodam prolegomeno, & in *Pſal. 67.* ad illud, *ſi dormiatis inter medios cleros.*

5. In eo quod reliquum eſt capitis, oſtenditur mira Dei in ſuos indulgentia, ſignificata eo officio, atque humanitate quam Deus præſtitit, aut cum populum eduxit ex Ægypto, aut quod exhiberi ſponſæ ſolet ab humaniſſimo, atque indulgentiſſimo ſponſo. Neque enim aliter captiuus antè fuerat in Ægypto,quàm in Babylone poſtea: & modo non admodum diſſimili reſtitutus eſt. Ad illius autem curſus, quem ad terram vſque promiſſionis Hebræi tenuerunt, exemplar, nuptiales eorum ritus inſtituti ſunt; vt pluribus oſtendimus in noſtris commentariis ſuper Cantica prolegomeno quodam.

Allegoria à thalamo, & nuptiis.

6. Quàm malè iactatus fuerit Iudæorum populus à Chaldæis longa ſeptuaginta annorum ſeruitute ſatis conſtat ex Ieremiæ Threnis. Quàm verò Deus benignè ac liberaliter poſt tot annos ærumnoſos,plurimos ex eo populo reduxerit, docet Zacharias *cap. 8. 9. & 10.* Illa ergo exilij, & captiuitatis incommoda hactenus expreſſit propheta,dum delicatas filias Ieruſalem ornamentis exuit, atque deliciis; nunc verò ſignificat futurum, vt populus ille extorris, duréque vexatus ad antiquam gloriam, & ſplendorem redeat. Et vtitur loquendi forma ſatis vſitata in Scriptura, ſumpta metaphora à fœmina, quæ ex ſordibus, extremaque fortuna ad ſponſæ dignitatem, id eſt, ad omnem elegantiam, cultúmque Regium prouecta eſt. Qua vſus eſt Dauid *Pſal. 67.* dum ex mediis cleris educit afflictum, & ſquallentem populum, ad argenteum candorem, & aureum reclinatorium. Et Ezechiel *cap. 16.* vbi Deus puellam in materni ſanguinis volutabro ſordidam, & proiectam in abiectionem animæ excitauit, inde abluit, & ornauit, & adſucietatem vſque thalami prouexit. Vide quæ diximus ad illud *Cant. 8. Sub arbore malo ſuſcitaui te.* Eamdem hîc adhibet metaphoram Iſaias, & ſignificat extrahendum eſſe populum ex cæde; atque Babylonica captiuitate reliquum ad gloriam antiquam, & ad ſponſæ delicias, detergendam illuuiem, & ad nuptiale vmbraculum adducendam. Quibus bellè conſonat principium capitis quinti, vbi ſeruata eadem metaphora ſponſus queritur, quod ſponſa illa, quam etiam vineam vocat, tot onerata beneficiis,malè in amore, atque in officio reſpondeat: dum poſt longum laborem ſolerti, atque auido cultori pro vuis mitibus labruſcas produxerit fœtentes, & acerbas. Quòd verò de captiuitate Babylonica hic ſermo ſit, déque eius libertate, ſuaderi mihi videtur poſſe, quia poſt ærumnoſum illum ſtatum deducendus dicitur populus ad antiquam gloriam: & tandem quia tanti immemor beneficij ad ſuum ingenium rediturus eſt,Deóque futurus grauis,oblatis pro tanto ſtudio labruſcis; minatur Deus ſe omnino relicturum vineam illam à maceria apertam, à cultu vaſtam, horrentem vepribus, & à cœleſti pluuia vacuam, & arentem. Quæ quidem omnia ſatis congruunt in tempora Babylonica;in Romana verò quomodo conuenire poſſint non video. Nam ab excidio Babylonico reſtitutus eſt populus in antiquam gloriam; deinde non longè ante Euangelicum tempus in eadem ſcelera relapſus eſt. Quod videtur indicari labruſcarum nomine; propter quod datus eſt in conculcationem tempore Romanorum. Neque ampliùs ad eum, vnde exciderat, locum,& ordinem reſtitutus eſt. Quæ impleta ad vnum cùm Babylonicis temporibus videamus, & nullo modo Romanis, non video tur abſ tdum à textu,& à veritate, ſi oraculum iſtud de Babylonicis incommodis interpretemur. His ergo poſitis, ſingula nunc expediamus.

e In die illa erit germen Domini in magnificentia, & gloria.] Hunc locum plerique de Chriſto accipiunt, quod etiam mihi vehementer, & omnino placet; ſed quia aliam expoſitionem à communi diuerſam nuper indicauimus,ad illam, quæ ſuperſunt aliqua referamus neceſſe eſt. Pro *germine*, Hebr. צמח *tſemach*, quod etiamſi de Chriſto dicatur,vt in Zacharia diximus ad illud *cap. 3. Ecce ego adducam ſeruum meum Orientem*, Nihilominus vox eadem alios habet vſus, & ad alia ſignificanda à propria ſignificatione transfertur. Hoc loco *Germen* ſumi poſſet actiue, hoc ſenſu, *Germinare, ac pullulare faciet Dominus arentem illum populum, & penè putrem in alieno ſolo.* Qui loquendi modus, neque alienus eſt ab Scriptura,& in hanc eamdem materiam ſæpius adhibitus. Cùm aliquid in extremam fortunam & penè deſperatam adducitur, aridum vocatur lignum, à quo ſperari nihil poteſt in poſterum. Quare Iſaias *cap 56.* de Eunuchis dicit: *Non dicat Eunuchus, ecce ego lignum aridum.* De hac Iudæorum captiuitate dicit idem Ezechiel *cap. 17. Frondere feci lignum aridum.* Vbi aliqui reſte Hieronymo de ſtatu captiuitatis intelligunt, & præcipuè de Zorobabel. Neque id diſplicet Prado, licèt myſticè in eo intelligatur Chriſtus. Et Iſaias *cap. 27.* cùm ſermo eſſet de hoc eodem tempore, ait. *Florebit, & germinabit Iſrael.* Statum verò populi in captiuitate iacentis expreſſit Angelus apud Zachariam *cap. 3.* dum Ieſum ſacerdotem populi principem appellat *torrorem raptum ab incendio*, id eſt, lignum vehementer aridum. Quare exiſtimo in Scriptura lignum aridum prouerbialiter ſumi pro infelici, deſperato ac perdito, & eo vſum eſſe Chriſtum cum dixit Lucæ *cap. 23. Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Erit ergo huius loci ſententia. poſt tot ærumnas, quibus

7.

Lignum aridũ, pro deſperato, ac perdito,proverbium.

Ezech. 17.

Iſai. 27.

Zachar. 3.

Lucæ 23.

quibus captiuus populus eò redigatur, quò lignum putre atque aridum ſiue à ſiccitate, ſiue ab incendio, aliquando, quod non videbatur ſperari poſſe, afflante Dei mitiori aura, & eius benignitate rigante germinabit, redibitque ad priorem vbertatem, & gloriam.

8. e *Fructus terræ ſublimis.*] Aut hîc *fructus* pro gente ſumitur, quæ ex arida, atque emortua ſtirpe germinabit; aut certè in ſignificatione magis propria dicitur Ieruſalem terra ſublimis, aut propter ſitum, aut propter dignitatem rurſus habitanda, & colendus ager Solymitanus. Nam captiuitatis tempore ſic erat ciuitas ab habitatoribus, & ager à cultoribus vacuus, vt & illa facta ſit ſylueſtrium belluarum latibulum *Thren.* 5. & ille ſic vaſtus ac deſertus, vt nullus inde aut colligeretur, aut ſperaretur fructus. *Iſai.* 7. *Erit in die illa omnis locus, vbi fuerunt mille vites mille argenteis, in ſpinas, & in vepres erunt: cum ſagittis, & arcu ingredientur illuc: vepres enim & ſpinæ erunt in vniuerſa terra.* Et hoc poſterius mihi probatur magis, quia froctus ex terra, & gloria futura eſſe dicitur iis, qui reſidui futuri ſunt ab exilio.

9. f *Sanctus vocabitur omnis, qui ſcriptus eſt in vita in Ieruſalem.*] Facta iam à Cyro, atque Dario facultate redeundi in Ieruſalem, nihilominus, vt alibi diximus, Iudæorum plurimi remanſerunt in Babylonia; vel quia indigni, qui ciuitatem ſanctam habitarent, vt potè Babylonicis infecti moribus, aut quia capti ſoli fœcunditate, aut amore rerum, quas ibi conquiſierant, mutare ſedes illas noluerunt. Illi verò qui rediere, ſancti dicuntur, quia Deum colent verum, Quomodo, vt in Actis Apoſtolorum ſæpe, fideles nominantur *ſancti* propter vitæ genus, & inſtitutum ſanctum, licèt non omnes ſancti moribus, & vitæ integritate. Et Tobias vt oſtenderet parentes ſuos non eſſe idololatras, *ſanctos* vocauit. *filij quippe ſanctorum ſumus, & non poſſumus ita coniungi ſicut Gentes, quæ ignorant Deum. Tob. cap.* 8. Aut certè ideo vocantur *ſancti*, quia à vitiorum ſcoria in camino tribulationis purgati reuerſi ſunt, vt diximus *cap.* 1. ad illud. *Et conuertam manum meam.* Quare ſtatim ſubditur, *Si abluerit Dominus ſordes filiarum Sion, &c. in ſpiritu iudicij & ardoris.* Pradus, qui hunc locum, ſicut nobis viſum eſt non improbabile, de Ieruſalem interpretatur, populóque captiuo *in cap.* 13. *Ezech. ſanctum*, ratum interpretatur, quíque admirationi futurus ſit, ſi è cæde, exilióque ſuperfuerit. Sed textus ipſe noſtram ſententiam multo magis admittit.

Sanctus dicitur, cuius inſtitutum ſanctum eſt.

10. g *Qui ſcriptus in vita in Ieruſalem.*] Id eſt, ille qui ex exilio redierit in Ieruſalem. Hic obſerua ſolemne fuiſſe apud Hebræos, vt ciuium nomina in cenſum referrentur, ſeu catalogum. Docuit Ezechiel *cap.* 13. vbi cùm ageret de his, qui non eſſent poſtliminio in patriam reuerſuri ex captiuitate, quia populo ruinæ, & cladis cauſa fuerant, dixit. *In concilio populi mei non erunt, & in Scriptura domus Iſrael non ſcribentur.* Hic verò liber ſeu catalogus dicebatur *liber vitæ*, ſeu *viuentium*; quia vita functus ſtatim de illo tollebatur libro. Quare *deleri de libro vitæ* nil aliud eſt quàm mortem ſubire, aut ea pati, propter quæ de numero, cenſúque viuorum eradi quis debeat, puta exulare à patria. Nam *exules* pro *mortuis* cenſentur, quia auulſi ſunt à patria, non aliter atque eradicatæ arbores à terra, aut rami à ſtipite abſciſſi. Quare apud Romanos exules capite damnati dicebantur. tam ergo mortui, quàm qui in exilio Babylonico relicti fuerant, in viuorum cenſum non referebantur. Huc facit, quod vt docet Sixtus Sen. *lib.* 2. *Biblios. cap.* 2. *titulo Thau* Gentiles eos, qui in acie cecidiſſent, in cenſu, aut catalogo vbi militum nomina continebantur, præpoſita Thau litera mortifera notabant. Quod omnino perinde eſt, atque ſi de vita, aut de libro viuentium delerentur.

Ezech. 13.

Ex his conſtat quid ſignificare Moyſes voluerit quando ſollicitus, ac dolens de populi ſtrage, quam minabatur Deus, dixit *Exod.* 32. *Dele me de libro tuo*, id eſt, me quoque cum aliis interfice, vt exponit Auguſt. *quæſt. in Exodum*, & Gregor. *lib.* 10. *Moral. cap.* 7. & eò inclinat modus loquendi aliquorum patrum. Neque enim homo Dei amans, gnarúſque quanta eſſet æternæ mortis acerbitas, petebat æternæ vitæ, ſed potiùs temporariæ diſpendium, quod luiturus videbatur infidelis populus. Scio aliter alios exiſtimare, & putare ſermonem hunc eſſe hyperbolicum; ſed ſanè vtcumque accipias, atque interpretere, mihi credibile non eſt vel ſimulatè vel præ dolore nimio hyperbolicè, maximè ad Deum, dicturum fuiſſe Moyſem, vt de libro Dei, id eſt, de prædeſtinatorum numero deleretur. Cùm autem plurimi, vt veriſimile eſt, Iudæi facerent, ſcriptos ſe eſſe in cenſu ciuium Ieruſalem, quæ ciuitas erat regia & ſancta; & Ieruſalem terrena typus eſſet cœleſtis; exiſtimo ad huius vrbis, librique ſimilitudinem, in quo deſcripta eſſent ciuium nomina, vocatum eſſe librum vitæ, in quo prædeſtinatorum nomina ſcripta eſſe dicuntur, qui verè vitam ducunt vitalem. De quo *Apoc. cap.* 3. *cap.* 13. *&* 17. & ibi Ribera & Pereira & reliqui interpretes. Vide *S. Thom.* 1. *p. quæſt.* 24. Ad hanc autem Solymitanæ ciuitatis prærogatiuam, & gloriam, quæ typus eſt altioris gloriæ, quæ eſt in ſuperna Ieruſalem, alluſum videtur à Paulo *ad Epheſ. cap.* 2. *Iam non eſtis hoſpites, & aduenæ, ſed eſtis ciues ſanctorum.* Græcè συμπολῖται, id eſt, *conciues ſanctorum.* Nam qui hoſpites ſunt, & aduenæ, alienam ſpectant potiùs, quàm ſuam habitant ciuitatem. Ciues verò, aut conciues ſanctorum dicuntur, qui in eumdem cenſum cum ſanctis, id eſt, in eiuſdem ciuitatis habitationem conſcripti ſunt: nempe in veram Ieruſalem, ſiue hæc pro Eccleſia myſticè, ſiue pro cœleſti beatitudine ſumatur.

11.

Exod. 32.

Liber vitæ.

Ad Epheſ. 2.

Ergo, vt ad propoſitum redeamus, qui ab exilio reuerſi ſunt, dicuntur ſcripti in vita in Ieruſalem, id eſt, inter viuos, aut in libro viuentium, qui erant in Ieruſalem. quia non alij ſcribebantur niſi qui viui præſentes eſſent in Ieruſalem. Quòd autem omnes ſuperſtites cenſerentur, liquet *ex Numer. cap.* 2. *&* 3. & *Eſdræ cap.* 8. & *Nehemiæ cap.* 7. Vbi accuratè Hebræorum cenſus factus eſt. Vide plura in hanc ſententiam apud Pradum *in cap.* 13. *Ezechielis*, in illa verba, *Et in Scriptura domus Iſrael*, & nos nonnihil diximus *in cap.* 3. *Actuum, num.* 32.

12. h *Si abluerit Dominus ſordes filiarum Sion, & ſanguinem Ieruſalem lauerit de medio eius.*] Hinc iam oſtendit quemadmodum Deus populum illum abiectum, & ſquallidum abſtergat, adducátque in ſponſæ dignitatem, & pulchritudinem, eodem prorſus modo quo *Ezech. cap.* 16. ſponſus idem Deus ſponſam lauit fœdatam antè ſordibus, & ſanguine puerperij. Porrò illud *ſi*, pro quo Hebr. אם *im*, pro *quando* poſitum eſt, vt alibi non rarò, vt *Pſal.* 40. *Si ingrediebatur vt videret*, id eſt, *quando* *Si poſitum, pro quando.*

ingre

Digitized by Google

ingrediebatur. & *Num.* 36. *fierit Iubileus*, id eſt, *quando fuerit.* tunc autem ablata erit Ieruſalem *in vita*, id eſt, audiet illud *Ezech. cap.* 16. *viue*, cùm eſſet in ſanguine ſuo; nempe immunda, & indigna, quæ eſſet in viuentium cenſu. Vide quæ in hanc ſententiam adduximus in Canticorum quodam prolegomeno. & in illud *Cant.* 8. *Sub arbore malo.* Illud *de medio eius*, idem eſt atque *de ea.* *Medium* enim in Scriptura non ſumitur Geometricè, pro eo, à quo ad extrema æquales ducuntur lineæ; ſed ſæpe quod in aliquo loco eſt, aut inter aliquos. Quo ſenſu Chriſtus ſtetiſſe dicitur *in medio diſcipulorum ſuorum.* & leo *de medio gregis* rapuiſſe oues, 1. *Reg.* 17. *verſ.* 34. id eſt, *inter diſcipulos*, & *de grege.*

13. [i] *In ſpiritu iudicij, & ſpiritu ardoris.*] Spiritus iudicij, ardoris, ſiue combuſtionis ſpiritus eſt vehemens, id eſt, modus aliquis violentus, & acer, quo aliquid purgatur ab eo, quod penitus inſedit: quemadmodum igne à ſcoria purgatur argentum. Qui loquendi modus ſatis apud prophetas vſitatus: *Ierem. cap.* 6. *Defecit ſufflatorium, in igne conſumptum eſt plumbum; fruſtra conflauit conflator, malitiæ enim eorum non ſunt conſumptæ.* Et *Malach. cap.* 3. *Quis poterit cogitare diem aduentus eius, ipſe enim quaſi ignis conflans. Iſai.* 48. *Elegi te in camino paupertatis.* Et *cap.* 1. *Excoquam ad purum ſcoriam tuam; & auferam omne ſtannum tuum.* Dominus ergo quos in libro viuentium eſſe voluit in Ieruſalem, excoxit longa, duráque fornace apud Babylonios, ſpiritu nimirum vehementi, & eo modo illos ſanctos eſſe voluit, id eſt, Dei cultores non vanos ac ſuperſtitioſos, quales ipſorum parentes fuerunt; propter quod ignominioſè, ac durè à patriis ſedibus excluſi ſunt. Hæc multi, & optimè ad Spiritus ſancti aduentum accommodant, qui reſiduum populi, id eſt, fideles purificauit, cenſeríque fecit in libro vitæ. Qui verè iudicij ſpiritus dici poteſt, quia facit, vt noſtra cognoſcamus, iudicemúſque delicta: & ſpiritus ardoris, qui exurit maiori quadam vi quicquid altè noſtris viſceribus ſordium inoleuerat. De quo ſpiritu Ioannes Baptiſta, *Ego baptizo vos in aqua; qui autem poſt me venit, ipſe vos baptizabit in ſpiritu ſancto, & igne.*

Spiritus ardoris quid. Ignis pro perfectiſſima purgatione.

Spiritus ſancti vis.

14. [k] *Et creabit Dominus ſuper omnem locum montis Sion; & vbi inuocatus eſt, nubem per diem, & fumum, & ſplendorem ignis flammantis in nocte.*] Non dubito quin hæc referantur ad illam humanitatem, atque indulgentiam, qua Deus complexus, & proſequutus eſt populum Hebræum in illa longa peregrinatione, quam ab Ægypto ſuſcepit ad terram vſque promiſſionis: quando hîc auditur nubes in die, & ſplendor ignis flammantis in nocte, vbi Hebræorum more ſimilitudinis nota ſubauditur in hunc ſenſum: *In monte Sion ſic Deus amanter amplectetur ſuos, quemadmodum olim, cùm nube per diem, & igne per noctem illorum curſum moderatus eſt.* Omnem locum montis Sion illum eſſe puto, qui ſubiectus eſt Iudæorum ditioni. Nam cùm Sion regia ſedes ſit, Sioni ſubeſſe exiſtimanda ſunt, quæcumque Iudæorum parent imperio: Et omnium penè gentium conſuetudine vrbs, quæ caput eſt, metropoliſque regni, pro regno ipſo ſumitur. Hæc loquendi figura cogitationem quam de populo ab exilio reſtituto, vocatóque ad priſtinam gloriam informabamus, ſatis bellè indicat. Nam vt pluribus oſtendimus in canticorum prolegomenis, nuptiales ritus inducti ſunt in Hebræorum populum ab eo progreſſu, quo in ſponſæ modum molliter, atque amanter in promiſſas ſedes introductus eſt.

A Et ideo ſponſæ nomine compellatur à prophetis ſæpe & adulterij nomine accuſatur, cùm à Deo defecit; quod nomen aptè non cadit niſi in illam, quæ vitam, thalamúmque legitimè cum viro ſociarat. Vt autem in illo quaſi progreſſu, aut traductione nuptiali nubes erat, & columna ignis, quarum illa ab æſtu defendebat iter facientes in illa ardenti ac ſiticuloſa ſolitudine, hæc noctu pellebat tenebras, & viam in regione nondum explorata, & inuia aperiebat: ſic etiam in nuptialibus ſacris, in quibus plurima etiam alia ab eo translata tempore renouabantur, neque columna ignea deerat, neque nubis vmbraculum. Fuerunt enim pro columna præ- B lucentes faces, & lampades, quarum in Euangelio cùm de re nuptiali ſermo eſt, aperta mentio, & *in Canticorum cap.* 3. pluribus oſtendimus. Et ideo, opinor, noctu celebrabantur nuptiæ, & extra vrbem, vt commodiùs repræſentaretur ille curſus à prælucente ignea columna directus. Erat præterea nubes, id eſt, vmbraculum; de quo ſtatim, id eſt, vmbella, ſeu Thalamus, qui quatuor perticis ſupra nouorum coniugum capita ſuſpendebatur, à quo obumbrationis nomen pro coniugio deductum videtur.

15. Ex his videre mihi videor quid ſibi obſcurus iſte locus velit; prædicit enim propheta Deum non aliter ornaturum reliquias populi Iudaici, quàm ornauit olim quando eripuit de Ægyptio domina- C tu, cùm nocte diéque ſic illi adfuit, quemadmodum ſponſæ ſuæ ſolet amantiſſimus ſponſus. Neque de futura illa ſiue ornamenta, ſiue delicias, quæ tempore Iſaiæ etiam in nuptialibus ſacris adhibebantur. Quæ ſtatim magis explicat. Ait ergo Iſaias in monte Sion, id eſt in regione tota ab Hebræis poſt exilium habitanda, creandam eſſe nubem, & ſplendorem ignis, id eſt, nuptialem gloriam; quia cùm tot annis Deus abieciſſe gentem illam Iudaicam, & tanquam adulteram repudiaſſe videretur, ritus illi nuptiales cum ſolenni ſplendore, & generali plauſu interiiſſe videri poterant. Quod multò antè Ieremias prædixerat *cap.* 25. cùm de hac eadem captiuitate loqueretur, *Perdam*, inquit, *ex eis vocem* D *gaudij, & vocem lætitiæ, vocem ſponſi, & vocem ſponſæ, vocem molæ, & lumen lucernæ.* vbi vox *molæ* aliquid indicat nuptiale, vt in Canticis diximus. In his autem verbis optima deſcriptio continetur nuptialis & feſtiui epithalamij. Cùm ergo tot annorum ſilentio talium nuptiarum feſti, atque legitimi ritus interiiſſent, optimè dixit propheta, *creandam nubem*, &c. quia quaſi ex nihilo illa omnia, quorum vix eſſet reliqua vlla memoria, non tam inſtauranda, quàm de nouo creanda cenſeri poſſent, vel certè ſub hac metaphora renouandam dicit illam benignitatem, quam ſponſi in modum olim in ſuum populum oſtenderat. quod enim renouatur, & in meliorem quamdam formam adducitur, *creari* dicitur ex Scripturæ vſu. ſic Dauid *Pſal.* 150. *Cor mundum crea in me Deus.* & *Pſ.* 103. *Emitte ſpiritum* E *tuum, & creabuntur. Iſai.* 65. *Ecce ego creo cœlos nouos.*

Creari dicitur quod renouatur, aut melius fit.

16. [l] *Super omnem gloriam protectio.*] Hebr. חפה *chuphah*, quæ vox alibi à noſtro interprete vertitur *Thalamus. Pſal.* 19. *procedens de thalamo ſuo.* & *Ioel.* 2. *& ſponſa de Thalamo ſuo*; & eodẽ modo vertit hîc Chaldæus, ſed plerumque vox חפה *chuphah*, pro *velo* ſumitur, *quod ſupra nouorum coniugum capita ſuſpenditur, cùm nuptiæ celebrantur*; quod *vmbra* nomine explicatum eſt. *Cant.* 2. *Sub vmbra illius, quem deſideraueram ſedi.* vt ibidem pluribus oſtendimus. Vide Eliam in Tiſbi, in voce חפה *chuphah*, & in

eadem

eadem voce Dauid de Pomis. Et ne abeamus à re nuptiali, ſenſus erit. Vbi Iudæus populus ornatus fuerit à Deo ſponſæ in morem (quæ abluta à ſordibus ornatur ſponſalitio inſtructu; quæ hîc *gloria* dicitur) extendetur ſuper illam gloriam, id eſt, ſuper ſponſam eo modo ornatam, vmbraculum, ſeu protectio: quod in nuptiis ſolenni ritu fieri ſolet. Et in hunc ſenſum accipit Elias ſuper hunc Iſaiæ locum, neque meo iudicio malè.

17\. Aut fortaſſe protectio eodē ferme ſenſu ponitur pro lacinia, aut ala veſtimenti, qua ſponſus in nuptialibus ſacris & nunc, & olim tegere ſolebat ſponſę caput. Vt de Ruth dicit Hieronymus in proœmio Oſeæ: *Booz*, inquit, *Ruth Moabitidem pinna pallij ſui operient.* Idem docet Ezechiel *cap.* 16. apud quem Deus loquitur ad infidelem ſponſam. *Expandi amictum meum ſuper te.* quod Hieronymus indicat ſignum eſſe coniugij. Certè docet non obſcurè Ruth, *cap.* 3. quæ dum coniugem ſibi deberi dicit Booz, his verbis ſignificat; *Expande pallium tuum ſuper famulam tuam quia propinquus es.* Et apertè Chaldæus: *Vocetur nomen tuum ſuper ancillam tuam, ad accipiendum me in vxorem.* Et hinc obumbrare ſponſus dicitur ſponſam, id eſt, habere ſponſam. Neque alio ſenſu *Lucæ* 1. Spiritus ſanctus obumbraturus dicitur virginem, quàm futurus ſponſus, ex quo conciperet filiū ſuum. Hæc ergo veſtimēti expanſio ſuper ſponſam ad nuptias ornatā, dici non ineptè poteſt, *ſuper omnē gloriam protectio.*

Sponſus veſte ſua tegebat ſponſam.

Obumbratio nuptiale nomen.

18\. m *Et tabernaculum erit in vmbraculum diei ab æſtu.*] Poſt thalamum ſeu obumbrationem ſponſa cum facibus in ſponſæ domum deducebatur, vt multis oſtendimus ſuper Cantica. Quare ſeruata eadem metaphora Deus eduxiſſe dicitur populum, quem toties ſponſam vocat, vt eum ad habitaculum ſuum adduceret. *Exod.* 15. *Portaſti eum in fortitudine tua ad habitaculum ſanctum tuum.* Et paulo infrà: *Introduces eos, & plantabis in monte hæreditatis tuæ firmiſſimo habitaculo tuo, quod operatus es Domine, ſanctuarium tuum, Domine, quod firmauerunt manus tuæ.* Vt autem geniali traductione tandem venitur ad ſponſi domum, vbi reliquum vitæ coniuges agant, ſic Deus quos priùs cum nube, & ſplendore ignis, id eſt cum facibus, & vmbraculo legitimo ritu ſibi ſociauerat, ad domum ſuam deduxit, id eſt, ad myſticum thalamum; ad ſuum nempe templum, quod tabernaculum vocatur ſæpe, quia tabernaculi loco ſuffectum eſt. Facit plurimum ad hanc cogitationem, nuptialémque allegoriam, quòd *templum* aliquando *thalamus* appellatur, quæ vox coniugalis eſt: quia ibi Deus quaſi in ſinu ſuo ſponſam amplectitur & fouet: & in eius ſinum quotidie delicias amatorias effundit. Quomodo *templum* dicatur *thalamus*, vide quæ diximus ad illud *cap.* 8. *Zachar. mons ſanctificatus.* In benedictionibus Benjamin, tam quæ à Iacob *Gen. cap.* 49. quàm quæ à Moyſe *Deut.* 33. annunciatæ ſunt: primo loco, ac penè ſolo ponitur templum: à Iacob ſane cùm dicitur *Benjamin lupus rapax, mane comedes prædam, & veſpere diuides ſpolia.* Nam vt Hieronymus docet *in traditionibus Hebraicis in Geneſim*, Hebræi lupum rapacem, templum eſſe putant, quod ædificatum fuit in ſorte Benjamin, *Ioſue cap.* 18. neque in prærogatinis illius tribus prætermittendum videbatur, quod erat præcipuum in terra promiſſionis. Quod etiam docet non obſcurè Chaldæus. Dicitur autem templum lupus vorax manè comedes prædam, quia matutino tempore plurimę mactantur hoſtiæ, quæ deinde veſpere diſtribuuntur. Hoc idem templum, quod à Iacob dicitur *lupus rapax*, à quo laudatur Benjamin; in benedictionibus Moyſis, qui etiam Iacobum imitatus videtur, *thalamus* appellatur. ſic enim ille de Benjamin quaſi de ſponſa loquitur: *Benjamin amantiſſimus Domini habitabit confidenter in eo: quaſi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requieſcet.* Vide quæ diximus in eamdem ſententiam, in illud *Pſal.* 67. *ibi Benjamin adoleſcentulus in mentis exceſſu.*

Templum dicitur Thalamus, & Tabernaculum.

Gen. 49

In illo ergo tabernaculo Deus populum iam iterum ab exilio vocatum obumbrabit; defendet à turbine, à pluuia, & ab aliis cœlis, terræque periculis: ibi ſecum propitius abſcondet, quos à ſe priùs alienatos in varias regiones antè diſperſerat. Quibus ſanè officiis, atque blanditiis nihil magis tenerum, ac molle, gratus animus optare, aut excogitare poterat. Quam autem parcè, imò inuerecundè reſponderit tot officiis immemor, & infidelis populus, ſequens caput docebit: ex quo etiam intelligemus à nuptiis, & Thalamo metaphoram iſtam eſſe petitam.

Argumentum quinti capitis Iſaiæ.

QVERITVR Deus de Iudæorum perfidia ſub vineæ metaphora, quam ſedulus agricola omni ſtudio excoluit, ac ſepſit; cui tamen quia tantæ ſedulitati non reſpondit, extrema omnia minatur. Cauſas deinde reddit, cur tam ſeuerè ſtatuerit de Iudæorum cauſa. Ad extremum fortitudinem illorum, & conſtantiam deſcribit, quos ad impiorum exitium ab vltimis terræ finibus euocabit.

CAPVT V.

1 a CANTABO *dilecto meo canticum patruelis mei vineæ ſuæ:* b *Vinea facta eſt dilecto meo in cornu* c *filio olei.*

2 d *Et*

PARAHPRASIS in idem caput.

1 ORNAVIT Deus Ieruſalem antè nudam, & illuuie fœdam, non aliter, quàm ſponſa à dilecto ſuo coniuge honeſtari ſolet, quæ tamen vęſanis abducta conſiliis, neque in officio, neque in amore reſpondit. Cantabo igitur dilecto meo, quem nimirum tanquam ſponſum conſidero, canticum

canticum, quod dilectus ipſe olim vineæ à ſe diligenter excultæ in hunc modum occinuit. Plantabit dilectus vineam in pingui, atque ſublimi loco, & alendis viribus opportuno.

2 Sepiuit priùs fundum illum, vbi futura pòſt erat vineæ plantario: extraxit lapides, qui tam plantario, quàm agricolæ offenſioni futuri putabantur. Deinde verò vites conſeuit ex electo palmite. in medio autem vineæ, munitam extruxit domum, ibíque turrim, & in ea torcular. Cúmque ex tam diligenti ſtudio, aſſiduóque labore vuas ſpectaret maturas, & dulces, vnde vinum generoſum exprimeret, quod hilararet animum, acerbas inuenit, & fœtentes, quæ fellis inſtar eſſent, & ſtomachum mouerent ad nauſeam.

2 [d] *Et ſepiuit eam, & lapides elegit ex illa, & plantauit* [e] *eam electã,* [f] *& ædificauit turrim in medio eius, & torcular extruxit in ea:* [g] *& expectauit, vt faceret vuas, & fecit labruſcas.*

3 Nunc igitur viri Iuda, & Ieruſalem de me, vineáque mea ſtatuite: veſtro quippe iudicio totam diſcernendæ cauſæ facultatem permitto.

3 [h] *Nunc ergo habitatores Ieruſalem, & viri Iuda, iudicate inter me, & vineam meam.*

4 Quid eſt, quòd ab induſtria mea, ac ſedulitate in colenda, atque munienda vinea quiſquam deſiderare poſſit, quo meo merito hanc gratiam mea mihi vinea rependit? An ideo quia vuas ex meo labore ſitiens quæſiui, vt mihi dolorem faceret, inhiantémque relinqueret, labruſcas reddidit?

4 [i] *Quid eſt, quod debui vltrà facere vineæ meæ, & non feci ei?* [k] *an quòd expectaui, vt faceret vuas, & fecit labruſcas?*

5 Statuite iam ô arbitri ad huius cauſæ iudicium electi, quid ego in vineam tantæ ſedulitatis immemorem, & ingratam moliri debeam. Sed quando vos ſilere video: accipite quid iam meo mihi inſederit animo. Relinquam illam à ſepimento nudam, vt omnium hominum prędæ, ac direptioni pateat. Et ſublata maceria hominum pedibus, & belluarum veſtigiis impunè, ac liberè calcandam permittam.

5 [l] *Et nunc oſtendam vobis, quid ego faciam vineæ meæ.* [m] *Auferam ſepem eius, & erit in direptionem: diruam maceriam eius, & erit in conculcationem.*

6 Deſeram illam deinceps tanquam alienam; neque erit iam, quid à mea benignitate, aut ab antiqua ſedulitate ampliùs expectet. Non à falce, non à ligone, vel vomere beneficium habebit: ſylueſcet denique ſpinis, ac vepribus efferata: neque à cœlo ſtillantem nubem, aut vllam fœcunditatis cauſam me vetante recipiet.

6 *Et ponam eam deſertam:* [n] *non putabitur, & non fodietur: & aſcendent vepres, & ſpinæ:* [o] *& nubibus mandabo, ne pluant ſuper eam imbrem.*

7 Obſcurè nunc egiſſe videor, nunc iam agam apertè. Vinea hæc ingrata, & infructuoſa domus eſt Iſrael: & ſurculus præcipuo quodam ſtúdio electus, germénque, ex quo ego voluptatis aliquid captabam, vir ex familia Iuda Expectabam ego magnum iudicij, & æquitatis prouentum: & ecce, ex eo pullulat iniquitas: expectaui ſanctitatem, & iuſtitiam, & eius loco ſuccreſcunt peccata, quæ quotidie clamant, acuúntque contra ſuum auctorem vindicem iram.

7 [p] *Vinea enim Domini exercituum, domus Iſrael eſt: & viri Iuda, germen eius delectabile:* [q] *& expectaui vt faceret iudicium, & ecce iniquitas: & iuſtitiam, & ecce clamor.*

8 Væ, qui domum domui continenter adiungitis: & agrum agro cum aliorum iniuria copulatis, donec totum occupetur ſpatium, quod veſtræ ambitioni, atque cupiditati definiſtis. Nunquid terra vobis propria eſt, & non communis cum aliis, vt à vobis ſolis habitandam eſſe exiſtimetis?

8 [r] *Væ, qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis vſque ad terminum loci, nunquid habitabitis vos ſoli in medio terræ?*

9 Hæc

9 [t] *In*

9 [s] *In auribus meis ſunt hæc, dicit Dominus exercituum,* [t] *Niſi domus multæ deſertæ fuerint grandes, & pulchræ, abſque habitatore.*

9 Hæc omnia, quæ vos abſcondita eſſe, atque ſilere arbitramini, clamant ad me; neque ego ad illa ſurdas aures accommodo: quare in auribus meis perpetuò peccatorum veſtrorum reſonat clamor, vindictam petens, & furorem exſuſcitans. Quiduis de me vt ſuſpicemini, ſentiatiſque permitto, niſi domos amplas, & pulchras, quas cum aliorum iniuria dilataſtis, & lauto decoraſtis inſtructu, ſpoliatas ab ambitioſa pulchritudine, & deſertas à ſuis habitatoribus fecero.

10 *Decem enim iugera vinearum facient laguncułam vnam, & triginta mody ſementis facient modios tres.*

10 Extrudam enim vos ex ſuperba, atque auguſta ædificiorum mole, vel hoſtili ferro, vel, ſi illud abſit, ingruente fame: quæ ſic erit anguſta, vt ex eo ſpatio, quod decem aratur iugis, tam tenuis ſit futura vindemia, vt vix tantum exprimatur muſti, quantum implere poſſit lagenam vnam: Et ex triginta modiorum ſemente vix tres exarentur frumenti modij, decima videlicet iacti ſeminis portio.

11 [v] *Væ, qui conſurgitis manè ad ebrietatem ſectandam, & potandum vſque ad veſperam, vt vino æſtuetis.*

11 Væ vobis, quibus nihil aliud videtur eſſe in ſtudio, quàm vt in omnem luxum, otio prorſus illiberali, diffluatis. Cùm enim poculis, inſtructiſque menſis ad crapulam vſque antelucanum tempus impendatis, iners illud, atque languidum otium ad veſperam vſque producitis; donec tandem calor à vino intemperanter hauſto ſternat, atque conficiat.

12 *Cithara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vinum in conuiuiis veſtris:* [x] *& opus Domini non reſpicitis, nec opera manuum eius conſideratis.*

12 Perſtrepunt lauta veſtra, temulentáque conuiuia cithara, lyra, tympano, & tibia, quæ vos meliora audire, aut cogitare non ſinunt. Cum potius interim multò vobis foret honeſtius, & vtilius meditari, quid in veſtram commoditatem, & ſalutem Dominus fecerit; quid vos viciſſim facere oporteat; quod denique vobis, veſtræque reipublicæ infortunium impendeat.

13 [y] *Propterea captiuus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam;* [z] *& nobiles eius interierunt fame, & multitudo eius ſiti exaruit.*

13 Hinc illis quarta infortunij labes. Ideo enim populus abductus eſt ad aliena captiuus: quia ab inſcitia, & ſtupore priùs ipſe in illam intemperantiam, & altioris conſilij inconſiderantiam, & obliuionem abductus fuerat; luit itaque ſtuporis ſui non indebitas pœnas. Propter hæc etiam nobiles fame, & cætera vulgi multitudo ſiti extabuerunt, qui poculis antea, & cibis tanto priùs ſtudio, atque auiditate vacauerant.

14 [aa] *Propterea dilatauit infernus animam ſuam, & aperuit os ſuum, abſque vllo termino: & deſcendent fortes eius, & populus eius, & ſublimes, glorioſique eius ad eum.*

14 Propterea Tophet, id eſt, commune ſepulchrum dilatauit ſe ſe, & os ſuum aperuit in vaſtum, atque immenſum hiatum. Neque iam tantùm in illud coniicietur vulgi promiſcua, atque ignobilis turba; ſed etiam nobiles, & glorioſi, quique ad nominis æternam memoriam domeſtica ſibi monumenta conſtruxerant.

15 [bb] *Et incuruabitur homo, & humiliabitur vir, & oculi ſublimium deprimentur:*

15 Tunc autem qui erecto incedebant collo, incuruabunt ſe, & ambitioſos faſtus humiliabunt, & abiicient; ſiue homo fuerit humilis ex plebeio, & ſordido, ſiue vir è nobili, atque illuſtri ordine conſpicuus. Et oculi, qui priùs

altiora ſpectabant, & auerſabantur humilia, atque communia, cogente fortunæ conuerſione ab irato Deo, ad terram, quam deſpexiſſe videbantur, deprimentur.

16 Et exaltabitur eo temporis veſtigio Deus, iuſtúſque prædicabitur depulſis è ſuo loco, atque ordine, viris ambitioſo quodam faſtidio grauibus, cùm eo iudicio iuſtus eſſe apparuerit: quíque digna meritis vnicuique retribuat, qui priùs pauperum, impunitas vulgò reliquiſſe videbatur iniurias, tanquam illarum immemor, aut humana non curans.

16 *Et exaltabitur Dominus exercituum in iudicio, & Deus ſanctus* [cc] *ſanctificabitur in iuſtitia.*

17 Apparebit autem tunc iuſtus Deus, & eius iudicium exaltabitur, quia faciet vt pauperes, & mites, qui tanquam agni à potentiorum vi, atque inclementia premebantur, ſua ſibi paſcua retineant: diuitum autem poſſeſſiones amplas, & vberes alieni populentur, & deuorent.

17 [dd] *Et paſcentur agni* [ee] *iuxta ordinem ſuum, & deſerta in vbertatem verſa aduenæ comedent.*

18 Væ vobis ô diuites, & ambitioſi; qui dum vana, atque fugacia conſectamini, iram Dei in veſtrum caput diſtringitis: & ſicut boues, fortibus alligati loris plauſtrum poſt ſe trahunt, cuius ſe iugo implicuerunt, à quo extricare ſe nullo modo poſſunt, quantumcumque contendant: ſic vos ſupplicium, quod veſtra ſcelera conſequitur, à veſtro depellere capite non poteſtis; quod vos quaſi plauſtrali conſtrictum loro ſemper comitatur, & vrget à tergo.

18 [ff] *Væ, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis: & quaſi vinculum plauſtri peccatum.*

19 Væ vobis, qui prophetarum voces, & opus Dei, id eſt, ſupplicium graue, quod prophetæ denunciant, adeò non horretis, vt etiam contemnatis; quaſi ſatis contra hoſtium vires, & diuinam iram ſitis inſtructi. Dicitis enim: Feſtinet opus illud Dei, & experiamur, quanto nobis terrori eſſe debuerit: Expleatur in nos conſilium Dei Iſrael, & re ipſa potiùs, quàm aliorum denunciatione cognoſcamus, quantum inſit ponderis minacibus verbis.

19 [gg] *Qui dicitis: Feſtinet, & citò veniat opus eius, vt videamus: & appropiet, & veniat conſilium ſancti Iſrael, & ſciemus illud.*

20 Væ vobis, qui pernicioſa rerum, vocúmque peruerſione nihil verè, aut ſyncerè iudicatis; bono etenim mali, & malo contra boni nomen adſcribitis; in tenebris lucem, & in luce tenebras, in amaritie dulcedinem, & in dulcedine amaritiem deprehenditis, atque prædicatis.

20 [hh] *Væ, qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.*

21 Væ vobis, quos vana, atque ſtulta ſapientiæ exiſtimatio deludit, quíque vos ipſos temere prudentiæ opinione decipitis, atque ideo veſtro vos conſilio regitis, potiùs quàm diuino.

21 [ii] *Væ, qui ſapientes eſtis in oculis veſtris, & coram vobiſmetipſis prudentes.*

22 Væ vobis, qui cùm ad cætera molles ſitis, & effœminati; ſtrenuum tamen animum, & indomitum, ad pocula, & ebrietatem præſtatis, & glorioſum vobis eſſe ducitis, ſi in certamine deſiccandis poculis inſtituto, palma vobis ab antagoniſtis concedatur.

22 [kk] *Væ, qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem.*

23 Væ vobis, apud quos non tam fas, & ius, quàm pecuniarum magnitudo pondus habet, qui iudicium habetis venale, corruptíque muneribus ſceleratos liberatis à culpa; innocentes reos,

23 [ll] *Qui iuſtificatis impium pro muneribus, & iuſtitiam iuſti aufertis ab eo.*

24 [mm] *Pro*

reos,& ſupplicijs obnoxios declaratis.

24 mm *Propter hoc ſicut deuorat ſtipulam lingua ignis, & calor flammæ exurit: ſic radix eorum quaſi fauilla erit, & germen eorum vt puluis aſcendet. Abiecerunt enim legem Domini exercituum, & eloquium ſancti Iſrael blaſphemauerunt.*

24 Propter hoc graue iam imminet ſupplicium à diuina manu. Sicut enim aridam ſtipulam ignea flamma, aut etiam eius ardor vorat, atque conſumit: ſic quidquid in illa ingrata, atque ſterili vinea pulchrum eſt, atque ſtabile, in puluerem redigetur, & fauillam à ſummo germine, ad imam vſque radicem. Hæc reſpondebit pœna diuinæ legi tam impudenter conculcatæ, & Dei Iſrael oraculis, quæ à ſacrilega Iudæorum lingua blaſphemus ſermo deriſit, & deſpuit.

25 *Ideo iratus eſt furor Domini in populum ſuum, & extendit manum ſuam ſuper eum, & percuſſit eum: & conturbati ſunt montes, & facta ſunt morticina eorum quaſi ſtercus in medio platearum. In his omnibus nō eſt auerſus furor eius,* nn *ſed adhuc manus eius extenta.*

25 Ideo Dominus in populum ſuum vehementer iratus, armatam dexteram in illius interitum extendit. Quæ montes ipſos tremefecit, turbauítque: ſtragéſque Iudæorum ingentes edidit, adeò vt quaſi olenti grauiter ſtercore plateas cadauerum multitudine compleuerit. neque nunc ab ira, aut ab inferenda plaga ceſſatum eſt: adhuc enim manus, & armata ferro, & ad vulnus intenta.

26 oo *Et eleuabit ſignum in nationibus procul, & ſibilabit ad eum de finibus terræ:* pp *& ecce feſtinus velociter veniet.*

26 Eleuabit itaque Deus militare ſignum, & ad ſua caſtra, ſicut tenui ſibilo gregem ſuum paſtor, ſic ipſe ab vltimis vſque terræ finibus euocabit Gentium copioſum, ſtrenuúmque delectum; quæ ad eius nutum, & imperium, quàm poterunt feſtinatò contendent.

27 qq *Non eſt deficiens, neque laborans in eo: non dormitabit, neque dormiet, neque ſoluetur cingulum renum eius, nec rumpetur corrigia calceamenti eius.*

27 Erunt hoſtes ad Iudæorum exitium aduocati, longè aliter inſtituti, & ad omnes bellorum difficultates, atque diſcrimina comparati, quàm molles, & effœminati Iudæorum principes. Neque enim eſt vllus, qui in ardore, & contentione pugnandi langueat, atque deficiat: non qui ſomno, aut qui labori ſuccumbat; pernoctabit loricatus in acie, neque balteum diſſoluet, aut auferet è militari calceamento corrigiam.

28 *Sagitta eius acuta, & omnes arcus eius extenti. Vngula equorum eius vt ſilex, & rota eius quaſi impetus tempeſtatis.*

28 Neque tantùm animo ſunt ad aggrediendum audaci, & viribus ad perficiendum robuſtis, ſed etiam externis ad aciem munimentis inſtructi: acuunt enim ſagittas, quibus ita ſe ad palum, & ſcopum frequenter exercent, vt nunquam non habeant arcum intentum: & contra regionem ſcopuloſam, & ſilicibus aſperam equos alunt, quibus vngulæ in ſaxorum firmitatem obduruerunt. Quadrigæ autem eorum ita ſunt celeres, & horribiles, vt earum curſum, fremitúmque totarum turbinis implerum eſſe putes.

29 *Rugitus eius vt leonis, rugiet vt catuli leonum, & frendet, & tenebit prædam, & amplexabitur, & non erit qui eruat.*

29 Antequam ad manus, atque congreſſum ventum ſit, timorem incutient non ſolùm apparatu bellico; ſed etiam barbaro, ac truculento ſonitu vocis inſultantis. Vt enim rugit Leo, aut fremit eius catulus, aut cum prædam ceperit, ſic continet ac ſeruat, vt illam nemo ex eius faucibus eripiat; ſic hoſtis in tuam perniciem anhelans ita rugiet, vt ſuo te fremitu concutiat; ita tenebit, lacerabitque, vt nullus te ex illius vnguibus expediat.

30 *Et ſonabit ſuper eum in die illa ſicut ſo-*

30 Veniet contra Ieruſalem hoſtis infenſus

cum ſonitu horribili ex armorum ſtrepitu, buccinatum clangore, & barbaræ vocis horriſono vlulatu; non ſecus atque ſi mare ſæuiens cum ingenti fragore vaſtos deuoluat, atque frementes fluctus in obiectas rupes. Tunc autem nullus erit locus, vnde nobis ſpes vlla ſalutis, aut præſidij appareat. Aſpiciemus enim in terram, ô viri Iuda, & illam vndique tribulationum caligo circunfundet, neque è cœlo quicquam erit, quod ſperare poſſimus præter tenebras. *nitus maris: aſpiciemus in terram, & ecce tenebræ tribulationis, & lux obtenebrata eſt in caligine eius.*

IN CAPVT QVINTVM COMMENTARIVS.

1\. CANTABO *dilecto meo canticum patruelis mei vineæ ſuæ.*] Varia hîc video ab autoribus adduci de hoc dilecto, ac patrueli. Quæ nunc omitto, non quia non probem, ſed quia facilè apud alios videri poſſunt. Communiter patres *dilectum*, Chriſtum eſſe dicunt, de cuius labore in colenda vinea ſatis compertum eſt. & hoc eſt veriſſimum. *Patruelem* aotem quidam Hebræorum auunculum eſſe putant Iſaiæ, nempe Amaſiam regem, qui hæc aliquando cecinerit, cuius canticum putant abiiſſe in prouerbium. Hieronymus Chriſtum, patruelem dicit Iſaiæ, quia ex eadem tribu Iuda, & ex regio ſemine natus. Non dubito ſermonem hîc eſſe de Chriſto, oeqne res adeò clara probatione indiget, qui hoc loco & *dilectus* dicitur & *patruelis*. tantùm dicam vnde videri putem ductam allegoriam; Quod ſi aſſeqoor, cætera erunt nobis minùs impedita.

2\. Sicut in his, quæ in extrema ſuperioris capitis parte dicta ſont, contioeri diximus allegoriam à re nuptiali ſumptam, ſic puto nunc eamdem allegoriam cootinuari. In qua exprimitur ſatis artificioſè, & grauiter id, quod idem ſponſus probro dat infideli ſponſæ, *Oſe. c.* 2. & *Ezec. c.* 16. vbi oſtenditur quemadmodũ adultera ſponſa donis cumulata plurimis à liberali ſponſo pro inſigni liberalitate inſignẽ & illiberalem contumeliã retulerit. Quòd verò hîc à re nuptiali ducta ſit metaphora, probat *dilecti* nomen bis in principio capitis vſurpatũ, quod abſque dubio nomen eſt ſponſi, nam דוד *dod*, & ידיד *iedid*, quorũ loco vulgatus reddidit, *dilectum*, & *patruelem*, nomina ſunt, aut epitheta ſpõſo familiaria.

3\. *Vinea pro occupatione.* 3 Deinde vſitatum eſt, vt *vinea* dicatur occupatio, ſeu negotium, in quo ornando ſeu colendo plurimum operæ atque ſtudij ponitur, vt pluribus oſtendimus ad illud *Cantic.* 1. *Vineam meam non cuſtodiui.* Quare cùm vinea in deliciis ſit, aſſiduámque agricolarum operam deſideret; iure in vineæ amœnitate, & ſumptu ſponſæ conditio, & ſuauitás exprimitur. Oſtendit igitur hoc loco propheta quàm Deus & prolixè laborarit in ornanda ſponſa, id eſt, populo Hebræo ab extrema conditione in illam amplitudinem, & ſplendorem prouecto, & quàm ille perfidioſè tantæ gratiæ atque beneficio reſponderit.

4\. Eſt autem mihi veriſimile adhibitam fuiſſe ab Iſaia hoc loco familiarem, & penè prouerbialem cantilenam, qua ſponſi conqueruntur de infideli ſponſa, quæ ſponſalitiis donis onerata à cooiugali fide defecit. *Prouerbium in ingratos, & infideles.* Niſi mauis hîc communi quadam metaphora, ſiue parœmia ſignificari longam, & ſedulam operam fruſtra eſſe ſuſceptam, qoalis eſt eorum, qui ex vinea diligenter exculta nullum referunt fructum. Quòd autem hîc prouerbiale aliquid ſit, perſuadet & modus loquendi, quo vtitur Iſaias, (neque enim tam ipſe canit, quàm canticum repetit ſæpius audiri ſolitum:) & quod hoc aut certè non admodum diſſimile canticum ſæpius vſurpatur in ſimili querimonia à prophetis. Moyſes, *Deut.* 32. poſtquam numeraoit plurima, & quædam his ſimilia beneficia, addidit quod proprium eſt ingratæ vineæ. *Vua eorum vua fellis, & botrus amariſſimus.* Ieremias, *cap.* 2. *Ego te plantaui vineam electam, omne ſemen verum: Quomodo ergo conuerſa es mihi in prauum vinea electa.* Exiſtimo autem hoc canticum duas habuiſſe partes, alteram, quæ de infideli, atque ingrata vinea querelam inſtituit, de qua hîc: alteram, quæ fidelis vineæ ſtudium, & gratiam commendat, de qua *cap.* 17. *verſ.* 2. Vide, quæ nos ibi pluribus.

Vbi apud vulgatum hoc loco *Patruelis*, Hebr. eſt 5.
דוד *dod*, quod Septuaginta hic verterunt *dilectum*, licèt in Canticis ſæpe *patruelem* tranſtulerint; quam vocem Hieronymus in Canticis ſemper vertit *dilectum*: & hîc probat verſionem Septuaginta; dicit tamen ſe fuiſſe ſecutum Aquilam, qui tranſtulit πατράδελφον, id eſt, *patruelem*; Ex his facilis eſt hoius loci ſententia, quam prius quàm aggredior, obſeruo vſitatum eſſe valde in Scriptura, vt antecedens ponatur loco relatiui. *Regula. Antecedens ponitur loco relatiui.* *Geneſ.* 5. *Creauit Deus hominem, ad ſimilitudinem Dei fecit illum*, id eſt, ad ſimilitudinem *ſuam*. & *Marci* 1. *Vidit Simonem, & Andream fratrem Simonis*, id eſt, *eius*. Plura exempla habes apud Salmeronem, *Prolegomeno* 14. *formula* 13. Cùm ergo idem ſit דוד, & ידיד, vtrumque enim *dilectum* ſignificat, etiam apud vulgatum, vt ex hoc loco conſtat, & ſæpius ex Canticis: idem etiam ſit in re nuptiali *ſponſus, frater, cognatus, patruelis*, ſicut etiam *ſponſa, ſoror*, quia, vt pluribus oſtendimus in Canticis, ad eamdem familiam, & cognationem coniuges pertinebant, ſit veriſimile eumdem eſſe, qui poſteriori loco dicitur *patruelis*, cum eo qui priori vocatus eſt *dilectus*. Eſt ergo ſenſus

ſus; Ego Iſaias, cùm videam quàm malè populus, quem Deus tanquam ſponſus, & dilectus ornauit, & fouit, in officio, fidéque reſponderit, repetam dilecto canticum, quod in euentu non diſſimili ipſe cantare ſolitus eſt. Cantabo, inquam, canticum ipſius dilecti; quod cantarat fortaſſe *Deut.* 32. nam ibi auditur *ſponſi* nomen, id eſt, *dilecti*, & eius mollis & indulgens cura, cùm dicitur: *Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit, incraſſatus, impinguatus, dilatatus.* deinde ex eadem vineæ metaphora auditur, labruſcatum fœtor, & acerbitas: *Vua eorum vua fellis, & botrus amariſſimus.* Seu certè, vt dixi, canticum hoc prouerbialiter à ſponſis cantabatur in ſponſas aut parum gratas, aut infideles. Quale potuit Samſon in ſponſam Thamnathæam, poſtquam alteri vidit adhæſiſſe viro. *Iud.* 14. aut Dauid, cùm Michol, quam centum Philiſtinorum præputiis emerat; Phaltihieli nupſit 2. *Reg.* 3. & tunc ſenſus erit parum à priori diuerſus. Cantabo nunc dilecto, id eſt ſponſo Chriſto canticum, quod ſponſi alij ſponſæ parum officioſæ & gratæ cantare ſolent. Porrò vt ſponſæ vocari ſolent iis nominibus, quæ res magis amabiles, & dulces ſignificat (de prophanis hîc nihil dico, à quibus ad inſaniam vſque & olim, & nunc, prò pudor, excogitantur vocabula) in ſacris vocantur *columba*, vt in Canticis ſæpe, *cerua*, *Prou.* 5. *vitula*, *Iud.* 14. ſic puto ſponſam ſolitam appellari *vineam*, quia in ea colenda aſſidua & diligens opera ponitur: & ipſa eſt variæ cuiuſdam amœnitatis plena: præſertim in agro Solymitano, vbi vineæ non ſolùm vitibus, ſed etiam aliis arboribus conſitæ, vt in Canticis diximus. Facit ad hoc quod ſponſa *Cant. c.* 8. ſuam ſibi vineam ſponſum vocat: *Vinea mea coram me eſt.* Dicitur ergo vinea ſponſa, illa præcipuè, in cuius ornatum, & curam tota videtur intenta ſponſi ſedulitas.

Deut. 32.

6. [b] *Vinea facta eſt dilecto in cornu filio olei.*] Vſitatum eſt in idiomate Hebraico, vt de ſe aliquis in tertia perſona loquatur. Dauid de ſe in *Pſal. Memento Domine Dauid*, id eſt, *mei*. Et *Geneſ.* 4. ſic Lamech ad vxores: *Audite vxores Lamech*, id eſt, *meæ*, Sic modò dilectus, id eſt, Chriſtus de ſe tanquam de tertia aliqua perſona loquitur. In vinea autem ſingulari ſtudio, atque prouidentia plantata, atque inſtructa, mirificum ſtudium exprimit in ornanda ſponſa, id eſt, ſynagoga, aut gente Iſraelitide. Proponit autem illa omnia, quæ & opportuniſſima, & penè ſumma ſpectari ſolent à ſolerti, & ſollicito agricola in plantanda vinea. Primùm ex rei ruſticæ diſciplina, pro vinearum ſatu locus eſt eligendus ſublimis. ita Virgilius *lib.* 2. *Georg.*

Tertia perſona pro prima.

Fluminibus ſalices, craſſiſque paludibus alni,
Naſcuntur ſteriles ſaxoſis montibus orni.
Littora myrtetis lætiſſima. Denique apertos
Bacchus amat colles.

Vineæ opportunus ſublimis locus.

Et ipſa docet experientia, nobiliorẽ eſſe vindemiam ex altis collibus, locíſque patentibus, quàm ex campo ac valle. Hoc ergo primum beneficium habuit à ſedulo, atque benefico agricola hæc vinea: quæ plantata eſt in cornu, id eſt, in ſublimi loco: quod ſatis indicat præpoſitio ב & verſio Septuaginta, *In cornu in loco pingui.* Et Chaldæus, *Dedi hereditatem in loco excelſo, & terra pingui.* Quod etiam docet Dauid *Pſal.* 79. qui dum populum ſub eadem metaphora deſcribit, ait. *Operuit montes vmbra eius.* Eſt autem *cornu* locus excelſus, quia cornu acutum eſt, & altiſſimam inſtruit partem animalis. Cùm autem non omnis collis ſationi vitium opportunus ſit, quia ſterili eſt ingrato, & infelici ſolo, ideo addidit: *filio olei*, id eſt, *pingui.*

Cornu locus excelſus.

7. [c] Sed cur locus ille ſublimis dicatur *filius olei*, non eadem eſt apud omnes ratio. Occurrunt variæ, ex his, quam voles, elige. *Prima*, quia filius olei Rex dicitur, quia apud Hebræos oleo vngebatur Rex, vt diximus ad illud *Zachariæ* 4. *Hi ſunt duo filij olei.* Ille ergo populus inter alios nobilitatus quaſi regium caput ſublaturus erat. Quod eidem populo ſub alia metaphora obiecit idem ſponſus Deus *Ezec.* 16. *Et profeciſti in regnũ. Secunda*, quia oleum, pro pinguedine ſumitur, filius olei idem eſt, qui filius pinguedinis, id eſt, locus pinguis, & ferax. *Tertia*, quia regio filiis Iſrael in ſortem data abundabat oleo, quia oliuis conſita. Solet autem in Scriptura *filius* pro ſubiecto poni in quo aliquid eſt, aut in quo aliquid recipitur. Qua ratione filius mortis, vel perditionis dicitur, cui imminet aut debetur mors, vel perditio, aut quod mortis, ſeu perditionis ſubiectum eſt; Et *Eccleſ. cap.* 12. aures dicuntur *filiæ carminis*, quia in illis recipitur, & auditur carminum ſonus. Filius ergo olei dicitur illud cornu, quia in eo oliuæ ſatæ ſunt. *Quarta*, quia in Hebræo idiomate filij nomen eleganter ponitur, vbi in Latino prorſus eſſet otioſum. Dicuntur enim ab Hebræis *filij taurorum, & arietum*, pro tauris, & arietibus, *filia Tyri, & Babylonis*, pro Babylone, & Tyro. Sic puto hoc loco filium olei poſitum eſſe pro oleo: quaſi cornu illud ſit locus olei, id eſt, olei ferax. Qua ratione *Iſai.* 36. dicitur *Terra frumenti, & vini, panum & vinearum.* Et de hoc eodem cornu, id eſt, de terra promiſſionis dicitur *Deut. cap.* 8. *Dominus Deus tuus introducet te in terram bonam, &c. terram frumenti, hordei, ac vinearum, terram olei, ac mellis.* Et 4. *Reg.* 18. Rabſaces de ſua Aſſyria dixit ad Iudæos. *Transferam vos in terram, quæ ſimilis eſt terra veſtra, in terram fructiferam & fertilem vini, terram panis & vinearum, terram oliuarum & olei.* Iuxta hunc dicendi modum vſitatum Hebræis, videtur ſumi poſſe cornu olei, pro loco olei feracis. neque huic explicationi valde incommodat, quod *cornu filio olei* dicitur, non *cornu filij olei*, quia cùm apud Hebræos non ſit vlla caſuum diſtinctio, tam in genitiuo quàm in datino poteſt eſſe dictio בן *ben*, quæ apud Hebræos *filius* eſt.

Filius olei quid.

Filius, pro ſubiecto alicuius formæ.

8. Sunt quidem iſta probabilia, ſed quominus mihi placeant, facit quia hîc ſermo eſt de vinea, vt apparet, non de oliuetis. Et quamuis vineæ nomen, vt latè probauimus ſuper Cantica, hortis, oliuetíſque conueniat, tamen quæ ſequuntur in vineam illam tantùm conueniunt, quæ vitibus ſatæ ſunt. Quare, licèt quæ dicta ſunt, non omnino diſpliceant; adducam duas alias explicationes, quæ magis mihi videntur ad veritatem propenſæ. *Puto ergo* hoc loco oleum non propriè ſed figuratè ſumi, aut pro vbertate, & pinguedine, aut pro molli, ac liberali cura, quæ rebus quæ nobis in amore ſunt indulgenter impenditur. Satis enim conſtat oleum propter naturalem lenitatem, ac mollitudinem, ſumi pro his blandimentis, quibus fouentur leniter, & titillantur hominum ſenſus; & pro deliciis, quibus, quos amamus, molliter & impensè proſequimur; aut alienorum animos nobis conciliamus: quale erat illud peccatoris oleum, quo ſuum caput impinguari nolebat Dauid *Pſal.* 140. aut illecebræ illæ, & blanda lenocinia, quæ erant in meretricis gutture ſupra oleum nitido, & pellaci. *Prou.* 5. Cùm ergo oleum pro blandimẽtis vſurpetur, quibus noſtrum in alios amorem ſignificamus, aman-

Oleum, pro deliciis, atque indulgentia.

A térque ac mollitet fouemus, credo optimè cornu
illud *filium olei* dici; quia in illud prolixam ſuam
libertatem, & effuſam humanitatem Deus oſten-
dit, omnibúſque officiis non ſolùm ad vſum, ſed
etiam ad oblectamenta atque delicias complexus
eſt. Quo ſenſu *filius dilectionis* dicitur, in qoem to-
tum amoris pondus impenditur; & *filius iræ*, in
quem virus furoris, & acerbitatis euomitur, & pro-
piùs ad noſtrum inſtitutum, *filij deliciarū* vocantur,
qui in deliciis indulgenter, & blandè outriuntur;
id enim valet illud *Michææ cap.* 1. *Decaluare*, *&*
tondere ſuper filios deliciarum tuarum.

9. *Altera* explicatio eſt ſumpta ex proprietate vo-
B cis שמן *Semen*, pro quo vulgatus reddit *oleum*, quod
ſignificat quidquid pingue eſt: & ita aliqui pro
oleo, in hoc loco *pingue* conuertunt. quod etiam
aliquando facit vulgatus. Quare ſicut pingue
pro fertili ponitur, ſic שמן *ſemen* apud Hebræos,
q nod *pingue* valet, pro fertili etiam adhiberi ſolet.
Senſus igitur eſt meo iudicio facilis: plantatam eſſe
vineam in loco ſublimi, cuius gleba eſt felix, &
vber, & ad prouentum copioſum idonea. Et ex
omnibus explicationibus, hæc poſtrema mihi ma-
gis expedita eſt.

10. Obſeruat hoc loco Baſilius antiquiſſima tra-
ditione teneri Iudæam omoium regionum vberri-
mam datam eſſe Adamo, vt excluſus à paradiſo re-
gionem obtineret vberem, neque omnino paradiſo
C diſſimilem, maximè ſecundùm illam partem quæ
deinde cœleſti igne conflagrauit. Nam illa *Gen.* 13.
dicitur fuiſſe ſicut Paradiſus Dei: ídque probabile
facit alia traditio, quæ docet prope Ieruſalem ſe-
pultum fuiſſe Adam. à cuius cranio Caluariæ locus
appellatus eſt ille, in quo Chriſtus crucifixus fuit,
vt ſentiunt è Patribus plerique.

Iudæa omniū regionum vberrima.

11. [d] *Et ſepiuit eam*, *& lapides elegit ex illa*, *&c.*]
Ad hunc locum reſpexit Chriſtus *Mat.* 21. *Marc.*
12. iuxta Lxx. qui ita vertunt hunc locum: *Et ma-*
ceriam circumpoſui, *& vallum feci.* Septuaginta
videntur omiſiſſe illud, *Lapides elegit ex ea.* quod
Hierooymos reddidit ex verbo סקל *ſakal*, quod ſi-
gnificat *opus exercere, in quo interueniant lapides*, ſi-
ue ſit lapides proiicere, ſiue extrahere, ſiue lapida-
D re, ſeu è lapidibus aliquid conſtruere. Et in hanc
vltimam partem videntur accepiſſe Septuaginta
dum vertunt, *& maceriam circumpoſui.*] Nam ma-
ceria non eſt quæcumque ſepes, ſed quæ è ſaxo fit;
ſic enim ſepis meminerunt, vt etiam materiam
eius indicauerint. Neqoe dubito, quin maceria in
tractu Hieroſolymitano fieret ex lapide, quia to-
tus ille lapidoſus eſt, neque magnum ſumptum
affert ſepimentum illud, vbi ad manum eſt eiuſmo-
di materia. Quæ vulgo Hiſpaoorum dicitur *horma*.
Sed ſenſum illum magis probo quem vulgatus in-
dicat, dum dicit electos eſſe lapides, id eſt, extractos
ex eo loco, vbi ſatæ ſunt vites: qui, ſi ibi eſſent ab
agricola relicti, minos eſſet vinea, & ad ſpeciem
pulchra, & ad vſum idonea. Quod feciſſe olim pro-
E uidos, & ſolertes agricolas oſtendit Perſius *Satyra*
vltima, vbi exoſſati agri meminit, id eſt, à lapidi-
bus purgati. Et eſt allegoria ſatis ad rem, Gentém-
que Iudæorum accommodata; nam expulſis Cha-
nanæis, indigeníſque illius regionis habitatoribus,
non ſecus atque è ſaxeto eiiciuntur lapides, eorum
loco inducti ſunt Iſraëlitæ: quemadmodum vbi
fuerant antè lapides inducuntur vites. quod habes
ex Pſal. 79. *Vineam de Ægypto tranſtuliſti, eiecisti*
gentes, & plantaſti eam. Et *Pſal.* 43. *Manus tua Gen-*
tes diſperdidit, *& plantaſti eos.* Neque difficile in

eam quoque ſententiam trahi poſſunt Lxx. qui
dum ex lapide maceriam erectam eſſe dicunt, indi-
cant ex lapidibus qui extracti ſunt ex vinea, quí-
que in aceruos cogi poterant, maceriam illam eſſe
conſtructam. Ex quo prodit ſe ſe aliquid ad mo-
res non parum opportonum. Nam ſicut ſpinæ,
quibus horret & ſylueſcit ager, dum in eo manent,
valde ſunt noxiæ: eædem tamen auulſæ præclarè
atque vtiliter agrum muniunt; & idem eſt de lapi-
dibus ex agro ad maceriæ conſtructionem extra-
ctis; Sic etiam peccata, & quæcumque à peccato-
rum tabe incommoda proueniunt, quæ animam
exiccant, tabefaciunt, & perdunt, illa eadem auulſa,
& mortua, & noſtræ cogitationi tanquam vineæ
prætenta mirificos habent vſus. Faciunt enim ne
animus aliarum rerum ſucceſſu proſpero inſole-
ſcat; timidum reddunt, minúſque de ſua virtute pre-
teritæ vitæ memoria confidentem. neque vnquam
ſine metu eſt, etiam remiſſa culpa, iuxta illud
Eccleſ. 5. *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu.*

Peccatorum præteritorum quomodo memoria prodeſſe poſſit.

12. Illud *vallauit*, quod adhibuerunt Lxx. Baſilius,
& Cyrillus exiſtimant ſignificare adhibitos eſſe
vallos teneris adhuc vitium ſarmentis; Sunt au-
tem valli quædam adminicula, quæ vitem ſuſti-
nent, ne ſua infirmitate curuetur; ſerpátque atque
indecorè ſylueſcat. Qood beneficium ab induſtrio
ac ſedulo vinitore profectum teneris adhuc viti-
bus valde neceſſarium eſt. Sed vt hæc ex tranſlatio-
ne Lxx. ſumi poſſint, non tamen video quomodo
ex Hebraica voce סקל *ſakal*, quæ *lapidem* aut ſi-
gnificat, aut connotat, deduci potuerint: niſi di-
camus, pro palis, & pedamentis adhibitos eſſe la-
pides, qui in ea regione freqoentiſſimi, quibus ad-
nixæ recèns plantatæ vites rectæ conſurgerent.

13. Notat verò hîc optimè Baſilius, non eſſe hyſte-
ron proteron, etiam ſi vineæ plantationem ſepes,
& adminicula præcedant, quæ tunc adhiberi ſo-
lent, quando vinea plantata eſt. Quia ſicut agri-
cola prouidus vbi primùm adornauit omnia, ad
extremum aggreditur plantationem, vt vinea
nunquam ſit non munita, ſic Deus ſcientiſſimus,
ac diligentiſſimus agricola illius curæ, atque pro-
uidentiæ immemor non fuit. Nam poſtquam com-
portauit, quæ ad instructum, munimentumque
vineæ neceſſaria indicauit, ad plantationem vineæ
animum, ſollicitudinémque conuertit. Quod antea
fecit cum homine protoplaſto; quem non priùs
formauit, & quaſi plantauit in terra, quàm omnia
ad eius vſum, & voluptatem comparauit. Statue-
rat Deus populum ſuum, quem nunc appellat vi-
neam, plantare in cornu filio olei, id eſt, in terra
promiſſionis excelſa & vbere, vallos tamen para-
uit priùs, & ſepes, nempe legem & præcepta, quæ
populum munirent, & in officio ac pietate con-
tinerent.

Dei prouidentia.

14. [e] *Vineam electam.*] Hebr. שורק *ſorek.* Certom
eſt hac voce ſignificari genus eximiæ vitis; qui-
dam putant eiuſmodi vitibus eſſe à natura, quod
ab arte, & induſtria agricolarum aliis arboribus ac-
cidit, vt in earum vuis nulli inueniantur acini.
quod ſi verum eſſet, non vulgaris eſſet commen-
datio vitis; in qua nihil eſſet non molle, nihil non
vtile, ac dulce. Et ad mores ſatis accommodatum,
cùm ex vite in qua nihil futurum eſſet durum
& acerbum, nihil Deus poſt tantum ſtudium per-
cipiat, niſi acerbum, & durum. Sed an hoc verum
ſit, Rabbini quorum hæc eſt ſententia viderint.
Mihi certè non placet, niſi fortè dicamus acinos
noo eſſe, quia carnis, vinoſique ſucci plenæ ſunt
vuæ,

Vinea Sorek quid.

vitæ,& adeò exigui acini, vt nulli eſſe videantur. Ex vſu vero Scripturæ ſicut pauci *nulli*, & multi in oumerando, *omnes* eſſe dicuntur, ſic quod exiguum, aut vile eſt, perinde cenſetur ac ſi non eſſet. Sen certè שורק *ſorek*, regio eſt abundans generoſis vitibus, illa fortaſſe, vbi viſa eſt à Samſone, & adamata Dalila. *Iudic.* 16. à qua generoſæ vites *ſorek* appellantur. Sicut ætate noſtra quam plurimæ plantæ nomen, & nobilitatem habent ab ea regione, vnde ad nos tranſportatæ. Hieronymus generatim *vineam electam* tranſtulit *hic*, & *Ierem. cap.* 2.

15. Illud hic non omittendum, שורק *ſorek*, non ſolùm ſignificare *vitem*, ſed etiam *palmitem. Iſai.* 16. vbi vulgatus, *flagella eius.* Hebr. eſt שרוקיה *ſerukeiah*, fortaſſe ab hac voce deductum eſt nomen *ſurculi*. quod ſi ita eſt, grauis eſt querimonia, quam Dominus de infideli hac vinea nunc inſtituit. Ac ſi dicat, ego te plantaui ſurculum, hoc eſt, à principio, antequam vitis appellari poſſes, quare quidquid nunc habes aut incrementi aut fructus, meum eſt; atque adeò quidquid habes meæ voluntati, ac gloriæ ſeruire debet. Tunc verò plus erit acerbitatis in ea reprehenſione, quæ eſt apud Ieremiam, *cap.* 2. vbi cùm iiſdem verbis, quibus nunc apud Iſaiam, Dominus dixiſſet. *Ego plantaui te vineam electam*, id eſt, שורק *ſorek*, ſeu *ſurculum*, ſubiecit, *quomodo ergo conuerſa eſt mihi in prauum vinea aliena*; aliena, inquam, cùm ad latrones fructum retulerit potiùs, quàm ad ſuum vinitorem Deum.

Quidquid in nobis eſt creatori Deo debetur.

16. f *Et ædificauit turrim in medio eius, & torcular extruxit in ea.* Turris coſtodia eſt. Communiter turris hæc templum eſſe creditur, ex quo Deus tanquam ex arce auxilio erat, & perfugio laboranti populo. Torcular in ea extructum eſſe dicitur, ſed quò referatur illud *in ea*, incertum eſt: tam enim ad vineam ſpectare poteſt, quàm ad turrim; neque aliquid habemus lucis ab Hebraico, ſiue à Græco textu; quia vox, quæ turrim, & quæ vineam ſignificat, eiuſdem ſunt generis. Hieronymus & Cyrillus torcular in turri extructum eſſe docent: dum aiunt torcular eſſe altare ædificatum in templo, quod mihi probatur magis, quia ita communiter fert ratio ruſtica; vt in ruſticana villa eodem domus ambitu, & pro cultorum habitatione, & pro condendis, aſſeruandiſque frugibus domicilia contineantur. Porro hac optima allegoria ſatis indicatur quid olim Deus in ſynagogam contulerit. Neque difficile eſt hæc eadem, quia in figuram facta ſunt temporis Euangelici, ad Eccleſiam accommodare, de quibus plurima occurrent apud Patres.

17. g *Expectauit vt faceret vuas, & fecit labruſcas.*] Plurimi codices habent *expectaui*, in prima perſona; & ita legunt L x x. ſed magis emendati, & in his Sixtiani habent *expectauit* in tertia, idque omnino exigente Hebraico textu. Commodiſſimè verò tertia perſona conſonat cum antecedentibus, in quibus de tertia, aut in tertia perſona loquitur Iſaias. Vbi poſtquam commemorauit, quid operæ, atque ſtudij in vineæ cultum impenderit, narrat quid ex eo labore aut gratiæ, aut commoditatis retulerit. De labruſcis alia aliorum ſententia eſt, quidam vitem eſſe putant in quibus Virgilius eſt *ecloga* 5.

Quid labruſca.

Aſpice vt antrum
Syluestris raris ſparſit labruſca racemis.

Plinius *lib.* 23. *cap.* 5. *ampelon agriam*, id eſt, agreſtem vitem appellat; ad quam referri poteſt illa A frondoſa, atque luxurians vitis, de qua idem Plin. *lib.* 16. *cap.* 27. quam *inſanam* vocat, quæ trifero prouentu, eo tamen ad nullum vſum idoneo luxuriat; in qua eodem tempore alia matureſcunt, alia turgent, alia florent, ſed nihil vtile; oſtentant enim fructum potiùs, quàm porrigunt. Quod ſi labruſca hic vitis eſt, ſenſus erit aut idem, aut non valde diſſimilis illi, qui in eadem metaphora, & de eadem gente traditur *Deut.* 32. & *Ierem.* 2. illic enim vinea nobilis in vineam Sodomorum, hic autem vitis Sorec, & electa, in prauum, id eſt, in vineam alienam conuerſa fuiſſe dicitur. Sic modò vinea etiam Sorec, & electa, degenerauit in la- B bruſcas, quæ fœtentes vuas, & acerbas producunt.

Sed communiter & verè interpretes non tam putant de vite, quàm de ipſius fructu hic eſſe ſermonem. Septuaginta pro labruſcis reddiderunt *ſpinas*, Symmachus ἀτελῆ, id eſt, *imperfectas*; illas puto quæ multiplici, ſed ſemper immaturo fœtu laſciuiunt, de quibus nuper. Aquila σαπρίας, id eſt, *vuas peſſimas, & putres.* pro cuius explicatione obſeruo ex Varrone, vt tradit Caſius Dionyſius *lib.* 5. *cap.* 39. quaſdam eſſe vites quarum fructus nunquam non putridus. *Sunt*, inquit, *quædam vites, quæ fructum recens productum putrefaciunt, priuſquàm racemi connutriantur, & matureſcant.* Hieronymus *labruſcas* vertit, & ſine dubio vuas intel- C ligit, non vitis genus. Nam vt facilè legenti appareт, labruſcæ vuis opponuntur, fœtentes nempe aut inſuaues gratis, & dulcibus; cùm illas quæreret ad voluptatem & ſtomachum, has repetit ad moleſtiam, & nauſeam. Neque ſi labruſca planta ſit, non plantæ prouentus, malè vertit Hieronymus: nam vt conſtat, commune nomen eſſe ſolet, & arbori, & eius fructui, vt conſtat in oliua, ficu, palma, nuce, amygdalo. 18.

Pro *labruſcis* Hebr. eſt באשים *beuſim*, id eſt, *fœtentes*, quæ fortaſſe ſunt illæ, quæ *Deut.* 32. vocantur *vuæ fellis*, & *botrus amariſſimus*. Pro re morali nota vineam in cornu, id eſt, in loco ſublimi fuiſſe plantatam, ex electo ac nobili ſarmento, ipſam verò deſcendiſſe in Sodomorum vallem, ibique D adeò degeneraſſe, vt labruſcas, id eſt, fœtentes vuas, aut fel draconis, id eſt, amaros, & peſtilentes protulerit racemos. Et re vera non alius fuit ſynagogæ quondam fructus; neque modò plurimorum, qui in ſublimem locum, atque ordinem promoti ad amaritudinem prouocant Dominum ſuum. Fœtentes vuas parit, qui à fide, & pietate quam Deo præſtare debuit, ad inſanias falſas, & ſtultas cogitationes animum & ſtudium conuertit. Qui ſtultus magno ſuo merito pleno omnium ore vocari poteſt. De quo Eccl. 11. *Sicut eructant præcordia fœtentium, &c. ita cor ſtultorum.* 19.

Religioſi miſerabilis ruina.

Neque parum ad moralem ſenſum facit ſi eum Symmacho legas ἀτελῆ, id eſt, imperfectas vuas, quæ nunquam ad tempeſtiuam maturitionem per- E ueniunt; quales ſunt illæ, quas trifero partu fundit ſylueſtris vitis, de qua ſuprà ex Plinio. quæ bellè adumbrant ingenium, & conſuetudinem aliquorum qui in loco ſublimi, atque vbere plantati, puta in ſacris religioſorum familiis, quadam animi leuitate, atque inconſtantia quotidie alia atque alia ſtudia, aliam atque aliam animi excolendi rationem complexi, nihil perſequuntur; & irrito illo leuiculo conatu, dum omnia tentant, ab omnibus excidunt; neque in illo non tam labore, quam multiplici ludo quicquam habent maturum, quod Dominus capiat. Quæ leuitas in mutando quotidie 20.

Propoſiti inconſtãtia, & leuitas.

vitæ conſilio, maximè ab ſpiritoalis vitæ magiſtris reprehenditur.

21. Dei iudiciũ æquum, & mite.

[h] *Nunc ergo, habitatores Ieruſalem, & viri Iuda, iudicate inter me & vineam meam.*] Solet Deus homines ipſos qui beneficium acceperunt, in ſua cauſa iudices conſtituere; quæ ſic eſt manifeſtè iuſta, vt iniquum iudicium vel ab iniquo iudice timendum non ſit. Quare ſicut *Oſee cap.* 1. ipſis Iudæis in cauſa ſi non omnino eadem, certè quàm ſimillima ſuum de ſe iudicium permiſit, id eſt, de Ieruſalem. *Iudicate*, inquit, *matrem veſtram*: ſic modò de ſe, ſuáque cauſa Iudæis, qui vt ſtatim videbitur, in vinea intelliguntur, arbitrium permittit. Quàm verò hoc Dei humanitatem atque æquitatem deceat, ſuprà oſtendimus ex Baſilio, ad illud *cap.* 1. *Arguite me dicit Dominus.*

22. [i] *Quid eſt, quod debui vltrà facere vineæ meæ, & non feci?*] Summatim optimè vinitoris officium deſcripſerat, à quo in excolenda, atque inſtruenda vinea nihil prætermiſſum eſt: nunc Iudæos, id eſt, vineam ipſam interrogat, an in ſua prouidentia vel induſtria aliquid vnquam deſiderauerint.

Inſignis peccatoris contra Deũ inurbanitas & iniuria.

[k] *An quòd expectaui vt faceret vuas, & fecit labruſcas?*] Hebr. *Quare expectaui vt faceret vuas, fecit autem labruſcas.* Cuius hæc videtur eſſe ſententia. Quare me meo voto, expectationéque fraudauit? cùm enim expectarem vuas, labruſcas attulit. Et idem, vt puto, ſenſus exprimitur à vulgato, ſed multò ſignificantiùs, quaſi dicat: Vt mihi dolorem faceret, inhiantémque ad fructum laboris mei malignè deluderet, vacuúmque relinqueret, ideo non modo negauit vuas, quas meo mihi iure repetebam, ſed etiam fœtidum aliquid, & amarum produxit, quo mihi aliquid afferret moleſtiæ. Fuiſſet quidem moleſta minùs ſi nihil pepeiſſet infidelis & inimica vinea. Quam longè aliter Deus munerat ſpem, quàm homines in ipſius liberalitate ſuſtentant. *Pſal.* 144. *Oculi omnium in te ſperant Domine; & tu das illis eſcam in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* & *Ioan.* 6. miſertus turbæ quæ ipſum ſuſtinuerat, cumulatiſſimè illius famem expleuit.

23. [l] *Et nunc oſtendam vobis, quid ego faciam.*] Vbi cognita cauſa eſt, & explorata merita, iudicium fert Dominus de vinea ſanè quàm æquiſſimum, vt illis munimentis atque inſtructu prioetur, pro quibus cultori nullam retulerat gratiam.

[m] *Auferam ſepem eius, & erit in conculcationem.*] In ſepe Angelorum cuſtodiam ſignificari communis ferme Patrum ſententia eſt, de quibus infrà *cap.* 62. *Super muros tuos Ieruſalem conſtitui cuſtodes; tota die, & tota nocte in perpetuum non tacebunt.* Aut certè præcipuam quamdam cuſtodiam, qua Deus populum illum è multis electum protegebat. de qua *Pſal.* 124. *montes in circuitu eius: & Dominus in circuitu populi ſui.* Quàm vero graue ſit ſepem iſtam auferri, docet apertè vinea, à qua ducta eſt metaphora, cui ſi ſublata maceria aperta eſſe contigerit, omnium iniuriæ atque deprædationi propoſita eſt, facta iam omnibus communis, non Domino propria; ſepimentum enim poſſeſſionem quodammodo vendicat poſſeſſori ſuo. De quo Eccleſiaſt. 36. *Vbi non eſt ſepes, diripietur poſſeſſio.* Quod de hac eadem vinea iam prophetico intuebatur ſpiritu Dauid, cùm dixit *Pſal.* 79. *Vt quid deſtruxiſti maceriam eius, & vindemiant eam, omnes qui prætergrediuntur viam?* Hebr. pro futuro *auferam*, & *diruam*, eſt imperatiuus *aufer*, & *dirue*, idque non ſine epitaſi; vt alibi ſæpe: Quaſi id cum magna feſtinatione, atque ardore præſtandum ſit. Modus enim ille loquendi furentis animi, ſiue alio quouis affectu vehementer incitati ſignificationem præſefert.

Cætera quæ ſequuntur, obſcura non ſunt. Ea vero, quæ in vinea deſerta iam & conculcata adumbrata ſunt, quàm in illo ingrato atque infelici populo completa fuerint, magis apertum eſt, quàm vt multis hîc à nobis aut probari, aut explicari debeat. De quibus non in ſacris ſolùm, ſed in profanis hiſtoriis plura prodita ſunt, quam de vlla altera totius orbis ſiue ciuitate, ſiue republica.

24. Vtile eſt à terrenis ſpoliari.

[n] *Non putabitur, & non fodietur.*] Quid ſperare poteſt abiecta iam & deſerta vitis à cultore ſuo quæ neque à ligone, neque à falce petitur, luxuriis ſarmentis, & ab aggeſta terra ad imum ſtipitem onerata: quam non ablaqueat vinitor, id eſt, non effodit, ſubmouétque terram, quæ ad radices erat, Quam dum videtur ſpoliare, ad fructum, & ad ſpeciem compararet. Hæc autem ablaqueatio, id eſt, ſubductio terræ ad radices admotæ, maximè neceſſaria eſt, vt docent omnes qui de re ruſtica præcepta tradunt, & docet experientia. Hiſpani dicunt *eſcauar las vides.* De quo foſſionis genere ſermonem hîc eſſe indicat Baſilius, & Ambroſius, *lib.* 3. *Hexemer. cap.* 12. vbi cùm hunc Iſaiæ locum explicaret, ait. *Circumfodit eam quando exonerauit terrenarum mole curarum.* Baſilius autem dicit vitem non fodi, *dum docetur omnem ad ſe arripere circumſtantem materiam ad propriam vtilitatem, cuiuſmodi diues non paſtinatus nec defoſſus eſt, qui animam habet graui onere oppreſſam terrenarum opum.* Hæc autem omnia nullo modo conueniunt, niſi in illam quam vocabamus ablaqueationem. Vitis ergo, quæ nec amputatur, nec circumfoditur, id habet, vt nimiùm in omnem partem diffuſa tota ſylueſcat, & inani frondium oſtentatione hiantem potiùs relinquat cultorem ſuum, quam auidum expleat. Quia vis qua viget, atque alitur vitis in alia diſperſa, ad augendum, maturandúmque fructum, quem vnum ſpectat cultor infirmior eſt.

25. Non corripi in peccatis extrema miſeria, & reprobationis ſignum.

Hoc idem infortunium accidit homini, & hæc plaga ab hoſtili manu, cùm ab hoc benigni cultoris officio deſeritur, id eſt, cùm poſt concupiſcentias ſuas abire permittitur, neque illum falx vlla cohibet, quominus in ambitioſum foliorum, & propaginum apparatum diffluat. ita Baſilius hîc. *De quorum*, inquit, *ſalute prorſus deſperat Deus; tales ſinit obire ad explendas voluntates carnis, & cogitationum ſuarum.* Vide reliqua, quæ in hanc ſententiam grauiſſima ſunt. Idem Hieronymus in illud *Ezech. cap.* 7. *Non parcet oculus meus, neque miſerebor*, vbi dicit; *Clementiſſimus medicus incidere cupiens putridas carnes, & carioſa vulnera adurere, cauterio non parcit, vt parcat; non miſeretur, vt magis miſereatur.* Gregor. *hom.* 12. *in Ezech. Peccantes quoſque tunc conſideramus ampliùs miſeros, quando conſpicimus in culpa ſua ſine flagello derelictos. Vnde Prouerb.* 1. *Auerſio paruulorum interficiet eos, & proſperitas ſtultorum perdet illos. Qui enim à Deo auertitur, & proſperatur, tanto perditioni fit proximus, quanto à zelo diſciplinæ inuenitur alienus.* Vide etiam Ambroſium ſuprà, vbi eleganter hunc Iſaiæ locum interpretatur. Quæ colendi ratio optimè cadit in religioſos viros, quos Deus in loco plantauit verè filio olei: in quem quotidie influunt de cœlo rores; à quibus Deus abſtulit inutiles propagines, ne in eas ſine fructu totum ſuccum exhauriat.

Et

Et terram ſubmouit, vacuúmque reliquit circum ſpatium, vt commodiùs exciperet, contineret, & ſugeret cæleſtem humorem.

16. o *Nubibus mandabo ne pluant.*] Cùm imbrium defectus grande vbique iudicetur incommodum, grauiſſimum exiſtimatur in illis regionibus, vbi ſolum irriguum non eſt, ſed à cæleſti concipiunt imbre, fundúntque ab eo vberrimos fructus. Talis erat terra Chanaanitis, quæ, vt ſcribitur *Deut.* 11. *non eſt ſicut terra Ægypti, vbi iacto ſemine in hortorum morem aquæ ducuntur irriguæ; ſed montoſa eſt, & campeſtris de cœlo expectans pluuiam.* ideo votum maximum Iudæorum per pluuiæ deſiderium ſignificabatur. *Pſal.* 142. *Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi. Iob cap.* 29. *Expectabant me quaſi pluuiam, & os ſuum aperiebant, quaſi ad imbrem ſerotinum.* Huc pertinere puto, quòd deſideratus gentibus, & omnium ſæculorum votis expetitus, aut imber dicator, aut cum imbre comparetur, *Iſai.* 45. *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum.* Et, ex quo etiam natum vt ſummum infortunium, grauiſſimæque minæ cenſeantur, quæ terræ ſitim, & ariditatem à cæleſtis imbris inopia denunciant; quæ in Scriptura frequentes ſunt, *Leuit.* 26. *Dabo vobis cœlum deſuper ſicut ferrum.* & *Deut.* 11. *Iratus Dominus claudat cœlum, & pluuia non deſcendant, & terra non det germen ſuum.* Eſt autem in ſpirituali ſenſu pluuia hæc quæ ſylueſcenti negatur vineæ cæleſtis doctrina, quæ imbri vſque adeò ſimilis eſt, vt ab eadem radice apud Hebræos vtrumque deriuetur, nempe à ירה *sarà*, à qua & מורה *morè*, Doctor, & יורה *torè*, pluuia, & תורה *thorà*, lex, ſiue doctrina deducuntur. Et accommodatè ad hanc ſimilitudinem, Apoſtoli, Apoſtolicíque viri appellantur *nubes*, quia per hos Deus cæleſtem imbrem terris impertit. Sic Hieronymus *hic*, & *Iſai.* 60. *Qui ſunt iſti qui vt nubes volant.* Vtrumque coniunxit Ioel *cap.* 2. *Quia dabit vobis doctorem iuſtitiæ, & deſcendere faciet ad vos imbrem matutinum, & ſerotinum.* Vide Bonauenturam de cæleſti Hierarchia P. 4. non longè ante medium, vbi prælatos docet ſimiles futuros eſſe nubibus.

Pluuia in terra promiſſionis valde neceſſaria.

Doctrina ſicut pluuia: doctor vt nubes.

27. p *Vinea enim Domini exercituum domus Iſrael eſt.*] Hæc puto non pertinere ad canticum, quod totum allegoricum eſt; ſed eſſe allegorici cantici explicationem. Vineam eſſe dicit familiam ab Iſraële propagatam; Germen verò delectabile, id eſt, in quo præcipuè ſibi Dominus placuit, fuit domus Iuda, in qua etiam intellige tribum Beniamin, quæ poſt inſaniam, & perfidiam Ieroboam non abierunt. Pro *delectabili* Hebr. vox eſt quæ blandiùs aliquid ſonat, *luſum* videlicet, aut *delicias*, quibus ſe Dominus oblectat.

q *Expectaui vt faceret iudicium, & ecce iniquitas; & iuſtitiam, & ecce clamor.*] Hæc mihi videbantur, neque modò longè ſunt ab ea cogitatione; aut nouum eſſe canticum, aut certè pertinere ad canticum, de quo nuper. ídque mihi perſuadebam ex vocum eleganti numero, coagmentationéque vocum, quæ vulgaris non eſt: tum etiam quia agnominatio homœoteleuta, quæ ſimiles habet in cadendo exitus, aptiſſimè quadrat in Hebræorum numeros, & poëſim. De qua alio fortaſſe loco pluribus: & iam nonnibil diximus ad procemij finem. Ex eo autem myſtico vineto expectabat Deus vuas, id eſt, iudicium, & iuſtitiam, id videlicet, quod pro impenſo ſtudio ac labore tam ſeduli vinitoris referre debuit: collegit verò labruſcas, id eſt, iniquitatem, & clamorem. Reliqua obſcura non ſunt; in *clamore* aliquid obſcuritatis eſt. *Clamore* ſignificari *tumultum*, & *rixam*, quæ plerumque ex auaritia, atque ambitione naſcitur, quæ duo niſi ſeuerè coërceantur, iuſtitiæ, & æquitatis iura perfringuntur, dubium non eſt. Sed credo aliquid aliud ea voce exprimi ſignificantius, neque alienum ab vſu Scripturæ, nempe *peccatum omne*, Quia peccatum etiam peccatore tacente clamat. acuítque contra ſuum auctorem vindicem iram Dei. Sed præcipuè illa peccata, quæ proximorum, & præſertim pauperum iura peruertunt; nam hæc opponuntur hoc loco iuſtitiæ, ſicut iniquitas, iudicio. Hæc verò peccata à Theologis vocantur *peccata in cœlum clamantia.* In his numerantur vis, & cædes allata proximis. *Geneſ.* 3. dictum eſt ad fratricidam Cain, *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* item oppreſſio pauperum, viduarum, pupillorum, aduenarum. De paupere *Deut. cap.* 15. *Caue ne auertas oculos tuos à paupere fratre tuo nolens quod poſtulat commodare mutuum, ne clamet contra te ad Dominum, & fiat tibi in peccatum.* De aduena, pupillo & vidua, *Deut.* 22. dicitur, *Si læſeritis eos, vociferabuntur ad me; & ego audiam clamorem eorum.* de iiſdem idem *Eccl.* 35. item operariorum defraudata merces. *Deut. cap.* 24. & *epiſt. Iacobi cap.* 5. *Ecce merces operariorum, qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt à vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introiuit.* His additur peccatum libidinis nefariæ, quod iam à regione in eam turpitudinem intemperantiſſima, *Sodomiticum* appellatum. *Geneſ.* 19. *Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorum multiplicatus eſt.* Huiuſmodi peccata credo præcipue hic vocari *clamorem*, neque excludi peccata alia, quæcumque ſint. Nam quemadmodum iuſtitia, cui hoc loco clamor opponitur, ex vſu Scripturæ virtutem omnem in ſe cohibet, ſic puto clamorem in ſe quodcumque peccatorum genus concipere. neque clamoris nomen alienum eſt à natura peccati, ad quod excitatur, & euigilat diuina vindicta.

Peccatum dicitur clamor.

Peccata clamantia.

Hæc ferme eadem de eodem populo dixit Ieremias *cap.* 12. *Facta eſt hæreditas mea quaſi Leo in ſylua. dedit contra me vocem* (ecce clamor,) *ideo odiui eam.* Et eodem ſenſu quamuis diſſimili figura dixit Amos, *cap.* 6. *Conuertiſtis in amaritudinem iudicium; & fructum iudicij in abſinthium.*

r *Væ qui coniungitis domum ad domum.*] Hæc quæ in eo, quod reliquum eſt capitis, proponuntur, euoluunt, quod inuolutum eſſe videbatur in duabus dictionibus, *iniquitas*, & *clamor*. Et primùm ambitionem proponit, magnum iniuriæ, atque violentiæ principium. Quæ vt ſupra alios emineat, alios expoliat: ex miſerorum etenim & infirmorum præda potentiorum ac ſuperborum faſtus alitur: qui id aut tentant, aut optant in orbe, quod re ipſa in vrbe fecit Nero, qui totam Romam ſuis aut delicijs, aut ambitioni ſeruire fecit, vt acutè Martialis in Amphitheatro *epigr.* 2. & Horatius. 28.

Anguſta piſces æquora ſentiunt,
Iactis in altum molibus.

Quod multo ante illos dixit hic Iſaias. cùm domos domibus & agros agris copulandos ait vſque ad terminum loci, id eſt, vel vſque ad mundi finem, hyperbolicè, vel donec totum occupetur ſpatium, quod ſuæ cupiditati, aut ambitioni deſinierũt, etiam per ſummam iniuriam. Et hoc indicat ſeptuaginta tranſlatio, quæ ita vertit hunc locum explicatiùs; *vt proximo auferant aliquid.*

29. ſ *In auribus meis ſunt hæc.*] Iam indicat quomodo hæc potentiorum auaritia, ſeu ambitio ſit clamor ille, de quo nuper; dicit enim Deus ad aures ſuas illa perueniſſe: quod clamoris eſt. Quo enim alio organo capitur clamor quàm auditus? ſignificat hic Deus hæc omnia apud ſe eſſe recondita, neque abitura impunita. Quod dixerat *Deut.* 32. *Nonne hæc condita ſunt apud me, & ſignata in theſauris meis? mea eſt vltio, & ego retribuam.*

30. t *Niſi domus multæ deſertæ fuerint grandes, & pulchra abſque habitatore: decem enim iugera vinearum facient laguunculam vnam.*] Domibus latis, ſuperbéque conſtructis, & immenſis agrorum finibus dura minatur; illis excidium, & ſolitudinem, B his ſterilitatem, & maciem. Quæ vſque adeo anguſta futura eſt, vt è decem vinearum iugeribus, id eſt, ex eo ſpatio quod arari decem iugis poteſt, tam tenuis ſit futura vindemia, vt vix tantum exprimatur muſti, quantum implere poſſet lagenam vnam. Et ex copioſa triginta modiorum ſemente, vix tres exarentur frumenti modij, id eſt, pars ſementis decima. Hanc vaſtitatem, & famem exigebat clamor ille, quem pro iuſtitia reddidit Iudæorum populus. Domos fuiſſe euerſas tam à Chaldæis, quàm à Romanis, ſatis è ſacris atque profanis autoribus conſtat: agros vel cœleſtis pluuiæ ſiti, vel duriori temporis inclementia, liquet ex Aggæo *cap.* 2. & Zacharia *cap.* 8. vbi optimè illa agrorum ſterilitas deſcribitur. Porrò ſicut *Si* iuſiurandum importat cum execratione, vt, *ſi dedero ſomnum oculis meis.* ſupple, diſpeream, aut quid ſimile. C Sic etiam *niſi* vehemens indicat loquendi genus, & graues minas iuramento firmatas; quas innuit, &, vt expendantur admonet apoſiopeſis, quæ in vtraque particula ſe ſe prodit.

31. Quota hora Iudæi cibum ſumpſerint. u *Væ qui conſurgitis mane ad ebrietatem ſectandam.*] Iudaica diſciplina maximè videtur fuiſſe ad ſobrietatem, quæ matutino, & antemeridiano tempore tenui cibo contenta famem ad veſperam vſque, id eſt, ad cœnæ tempus ſuſtentabat. Manè autem cibum ſumere quaſi aliquid inuſitatum, & ratum reprehenditur. *Eccleſ.* 10. *Væ tibi terra, cuius Rex puer eſt, cuius principes manè comedunt. Beata terra cuius Rex nobilis eſt, & cuius principes veſcuntur in tempore ſuo.* nempe non matutino, nam id ſuprà D iam damnarat. Quota hora largiorem illum cibum ſumpſerint Iudæi, definitè nihil inuenio. Fuiſſe verò ad ſextam vſque, id eſt, vſque meridiem frugalem, & ſobrium ad ſuſtentandam potiùs, quàm ad explendam famem grauis coniectura eſt *ex Actis, cap.* 2. Vbi ex eo probat Petrus ebrios non eſſe diſcipulos, quia hora erat diei tertia. Et hora ſexta Petrus, *Actorum* 10. cibum guſtare voluit. *Dan. cap.* 13. hora prandij ad meridiem eſſe oſtenditur. Cibum autem ante noctem eſſe minus ſobrium, indicat Paulus 1. *Theſſal.* 5. dum ait: *Qui ebrij ſunt, nocte ebrij ſunt.* Ex quo colligitur cibum alio tempore fuiſſe frugalem. Sanè Ioſephus in vita ſua tradit diebus ſabbati inuſitatum eſſe prandium an- E te ſextam ſumi. Hæc credo in vulgaribus prandiis fieri ſolita. nam de nuptialibus menſis, ſiue conuiuiis alia ratio eſt, quæ ſub noctem iniri conſueuiſſe probant lucernę, quæ geſtantur à ſeruis, & ſeruulorum vigilantia expectantium dominũ ſuum, donec reuertatur à nuptiis, id eſt, à nuptiali conuiuio. Quòd ſi verum eſt, quod Maldonatus docet *in cap.* 8. *Mat.* ideo tenebras exteriores vocari in quas coniectus eſt ille, qui in conuiuium ingreſſus eſt ſine veſte nuptiali; quia ex conuiuio, quod noctu

A cum lapidibus peragebatur, extra, id eſt, ad locum vbi, quia tempus erat nocturnum, futuræ erant neceſſariò tenebræ, extrudebatur, facilè intelligitur quo tempore nuptiale conuiuium ſolitũ eſſet obiri. Cùm ergo frugalis eſſet Hebræorum diſciplina, eo tempore de quo nunc Iſaias, adeò erat ſoluta, & in omnem intemperantiam profuſa, vt principes matutinum, imò & antelucanum tempus ebrietati, atque epulis impenderint. De ebrietate vide Auguſtinum *de ſalut. dogm. cap.* 36. & Ambroſ. *lib. de Elia, & ieiunio, cap.* 15. Chryſoſt. *hom.* 71. *ad populum.*

x *Et opus Domini non reſpicitis.*] Finxit natura 32. Homo ad cœleſtium rerum contemplationem natus.
B animalia muta ventri obedientia: & quia ad paſtum abiecit, vultu finxit ad terram prono. atque ideo hæc illorum prima, & penè ſola cura eſt, vt potu, cibóque ventrem, cui vni ſeruiunt, expleant. Quia verò rationalis, atque altioris naturæ pabulum aliud eſſe voluit longè diſſimile, vt quæ non tam à ſenſu regeretur quàm à ratione, illi rectum dedit vultum, oculóſque in cœlum ſublimes, quod viderunt, notarúntque autores etiam profani. Ouid. 1. *Metamor.*

Pronáque cùm ſpectent animantia cætera terram,
Os homini ſublime dedit, cœlumque videre
Iuſſit, & erectos ad ſydera tollere vultus.

Et Silius Italicus *lib.* 13. *bell. ciuil.*

Nonne vides hominum vt celſos ad ſydera vultus
C *Suſtulerit Deus, & ſublimia finxerit ora?*
Cùm pecudes volucrumq́; genus formáſque ferarum
Segnem, atque obſcœnam paſſim ſtrauiſſet in aluum?

Et omnium optimè Boëtius *lib.* 5. qui ex recta hominum figura coniectat hominem ad cœleſtium rerum contemplationem fuiſſe natum. In hunc ſenſum exiſtimo hic ab Iſaia dici homines, qui erecto vultu nati ſunt, vt opus Domini, nimirum cœlum, & cœleſtia contemplaretur, abieciſſe tamen cogitationem ſuam, & excelſum illum animum ferarum ignobilium more ad paſtum & ebrietatem. Conſurgunt enim manè ad ebrietatem: & opus Domini non reſpiciunt. Quod etiam queritur Claudianus *lib.* 3. *de raptu.*

D *Quid mentem traxiſſe polo, quid profuit altum*
Erexiſſe caput, pecudum ſi more pererrant
Auia? ——————

Et ſicut belluæ à ſummo mane ad paſcua prodeunt, & à paſcuis adueſperaſcente iã die reuertuntur: ſic iſti manè conſurgunt, vt ad veſperam vſque comeſſationibus indulgeant. Quare nullum habent feriatum à compotationibus tempus, quod diuinis rebus contemplandis impendant. Latè hæc, & grauiter Baſilius.

Hæc mihi videtur germana huius loci ſententia. alij ad redemptionis myſterium referunt, quod 33. Quid meditari homo debeat.
antonomaſticè dicitur *opus Domini*, *Abac. cap.* 3. *Conſideraui opus tuum, & expaui.* Videri etiam alicui poſſet opus hic eſſe ſupplicium illud quod à iuſta Dei indignatione Iudæis immin ebat, ſiue à E ſterilitate, de qua nuper, ſiue à Chaldæorum, Romanorúmve caſtris. Cui ſentẽtiæ ſuccinit quod ſtatim additur, *vt vino æſtuetis.* pro quo LXX. *nã vinum ſuccendet eos.* Ac ſi dicas: Vinum quod vos immoderatè hauſiſtis, fax erit, & naphtha eius incendij, quo aliquando conflagrabitis. Neque parum fauet, quod deinde ſubditur ad finem capitis. *Feſtinet opus eius,* id eſt, domini. quod opus, vt ibi explicabimus ſupplicium eſt. & iuxta hæc ſenſus erit: Indulgetis cytharæ, tympano, ac vino in conuiuiis veſtris; neque conſideratis quantum vobis ab irato Do

Digitized by Google

to Domino impendeat exitium. Et ſanè hæc explicatio non videtur contemnenda.

34. *Dei beneficia habenda ſemper in memoria.* Sed credo illam primam eſſe magis ad mentem prophetæ; nempe opera Dei eſſe illa, quæ ſua omnipotentia molitus eſt Deus cœleſtia, atque ſublimia: aut quæ ab ipſo in Hebræorum commoditatem, atque honorem præſtita, aut quæ in Scriptura promiſſa ſunt. vt putat Origenes *lib. 7. contra Celſum*. Quod explicat multo magis, quod ſubditur. *Et opera manuum eius.* Opera autem ea videntur eſſe, quæ Deus priùs mirabiliter in mundi fabrica, & deinde in liberando, ornandóque populo molitus eſt. Quæ Deus beneficia renouari vult cum in menſa diſcumbitur. *Deut. 8. Cùm comederis & ſatiatus fueris, benedicas Domino Deo tuo pro terra optima, quam dedit tibi.* At hi quos modo reprehendit propheta, optimæ terræ frugibus vtentes, & huius immemores præcepti, neque gratias agebant, neque diuina beneficia conſiderabant.

35. *Muſica in Hebræorum conuiuiis.* Ex hoc loco habemus quomodo olim Hebræi ſoliti eſſent lautiora obire conuiuia, eo prorſus modo, quo aliæ ferme gentes. Adhibebatur enim muſicus concẽtus ad exhilarandam menſam; quare in Scriptura ſæpe muſica cum vino, epuliſque coniungitur. *Eccleſ. cap.* 32. cùm ſympoſiarcha ſui officij admonetur, id in primis iubetur, *ne impediat muſicam.* Et *cap.* 47. dulcem appellat memoriam Ioſiæ, *vt muſicam in conuiuio vini.* Et hæc ferme, quæ nunc Iſaias, exprobrat Amos *cap.* 6. Hebræorum genti. *Qui canitis ad vocem pſalterij bibentes vinum in phialis.* Et Iſaias *cap.* 24. hanc conſuetudinem in æternum interdicit. *Cum cantico non bibent vinum.* Quæ conſuetudo ad tempus vſque Chriſti deducta eſt. nam ſumpta parabola ab eo, quod in vſu frequens erat, in conuiuium, quo filij perditi reditus ab optimo parente celebratus eſt, chorum, & ſymphoniam adhibuit, *Lucæ cap.* 15. Imò inter ſanctos, & ſobrios eamdem muſicam adhiberi ſolitam docet non obſcurè Paulus *ad Epheſ.* 5. *Nolite inebriari vino in quo eſt luxuria; ſed implemini ſpiritu, loquentes vobiſmetipſis in hymnis & canticis ſpiritualibus.* Neque abfuiſſe interdum eiuſmodi cantus in Chriſtianorum cœnis tradit Tertullianus *in Apolog. cap.* 39. Et Cyprian. *epiſt. ad Donatum.* Sed cantus ille eò ſpectabat, vt animus diuinis laudibus, diuinorúmque beneficiorum renouata memoria, quæ canticis argumentum præbebant, nonminùs paſceretur lautè, quàm corpus

36. cibo. Hanc credo à Chriſto in extrema cœna, quæ fuit omnium ſplendidiſſima, conſuetudinem fuiſſe ſeruatam. Nam dictum fuiſſe hymnum, id eſt, ἀντίδωρον, canticum in gratiarum actionem liquet *Mat. 26. Chriſtus cũ diſcipulis hymnũ cecinit.* ex *Mat. cap.* 26. *Hymno dicto exiunt.* Quòd verò canendo, non conſueto loquendi modo recitatus ſit hymnus, ſatis indicat vox Græca ὑμνήσαντες ἐξῆλθον, id eſt, *cùm cecinissent*, ſeu *modulati exierunt.* Ex quo loquendi genere perſpicuum fit non ſolùm Chriſtum cecinisse, ſed etiam Apoſtolos. Quod qui negant, non videntur conſuluiſſe textum Græcum, in quibus eſt Beda, & Gloſſa. Quam conſuetudinem antiquiſſimam eſſe, ſeruatámque à viris ſanctis probabile fit ex eo, quod *ex cap. 8. Deuteron.* nuper adduximus. Et eò ſpectant quæ dicuntur *Pſal. 21.* de pauperibus: *Edent pauperes, & ſaturabuntur, & laudabunt Dominum.* de diuitibus: *Manducauerunt, & adorauerunt omnes pingues terræ.* *Pſal. 21.* Exiſtimo ad gratiarum actionem poſt ſumptum cibum certum aliquem hymnum fuiſſe compoſitum; aut ex Dauidicis aliquem vulgari iam & ſolenni

A ritu ſolitum eſſe cantari. nam Euangeliſta, præſertim ſi Latinam tranſlationem ſpectes, quaſi de vſitato hymno videtur locutus cùm dixit, *hymno dicto.* Burgenſis putat fuiſſe 7. pſalmos, à 112. vſque ad 118. id eſt, ab eo qui incipit, *Laudate pueri Dominum*, vſque ad *Beati immaculati in via.*

37. *Scientia quę commendatur homini Chriſtiano.* 7 *Propterea captiuus ductus eſt populus meus, quia non habuit ſcientiam.*] Incipit numerare infortunia, atque incommoda, quæ populum illum ebrium, atque ſtolidum manent. Vtitúrque prophetico more tempore præterito: quia minæ & breui, & certæ futuræ ſunt. Ratio verò redditur eius infortunij; *quia non habuit ſcientiam.* Quæ verò ſit iſta ſcientia, non omnino certum; illam eſſe puto, quam abieciſſe, aut non curaſſe dicitur populus,
B cùm arguitur ſuprà quod ventri, ac voluptati deditus opus Domini non reſpexerit. Quare huc accommodari poſſunt, quæ in eius loci explicationem nuper adduximus. Aut quia pecudum more poculis vacet, & epulis, quod ſtolidi atque inſipientis eſt: aut quia non cognouit ſupplicium, quod à propheta Dei nomine denunciabatur; neque enim ita audiuit vt crederet, aut vt magnopere timendum exiſtimaret. Aut, quod ſuprà magis probabamus, quia non cognouit habere ſe à Dei liberalitate ea, quæ ipſe cùm ad Dei gloriam referre debuiſſet, & pro illis aſſiduè gratias agere, in luxu tamen, & omni intemperantia conſumebat. Seu quia non conſiderabat (id enim eſt *ſcientiam*, vt aiunt, *habere actualem*) non ſe ad craſſum, & petitu-
C tum pabulum, ſed ad æternum, atque nobilius fuiſſe creatum. Septuaginta tranſtulerunt: *Quia non cognouerunt ipſi Dominum.* Sed non puto diuerſam eſſe ſententiam. ſignificat enim in illis tot beneficiis non agnouiſſe Iudæos Deum autorem, largitorémque: aut eius gloriam non ſpectaſſe in ſuarum rerum adminiſtratione; ſed ſuæ libidini, atque abdomini ſeruiiſſe. quod ſanè non facerent, ſi non iam antè ſtatuiſſent tanquam animantia muta, *oculos ſuos declinare in terram.* Certè ſenes illi, qui *Dan.* 13. in Suſannam furenti planè libidine exarſerunt, *declinauerant oculos ſuos, ne viderent cœlum.*

38. 8 *Et nobiles eius interierunt fame.*] Qui priùs immoderatis epulis indulgebant, & poculis, digniſſimo eius intemperantiæ ſupplicio cruciandi, at-
D que adeò perituri dicuntur fame, ac ſiti. Quod poſt haſce minas experti ſæpe fuerunt Iudæi. Vel quia ſiti agri, vineæque emarcuerunt, periítque meſſis, & vindemia; ſeu quia in obſidione tam Romana quàm Babylonica fame, ſitíque ad tabem vſque laborarunt. Et in captiuitate his affinia paſſi ſunt ab hoſte Chaldæo, quæ *Thren. cap.* 5. ſic lamentatur Ieremias. De ſiti quidem, *Aquam noſtram pecunia bibimus.* de fame verò, *Pellis noſtra quaſi clibanus exuſta eſt à facie tempeſtatum famis.*

39. 11 *Propterea dilatauit infernus animam ſuam; & aperuit os ſuum abſque vllo termino.*] *Infernus* hoc
E loco pro morte, aut pro ſepulchro ponitur, cui per proſopopœiam os datur, & ingluuies. Fingitur autem mors aut ſepultura hiante ore prædam expetere atque vorare. Neque hæc proſopopœia nunc tantùm aut primùm auditur, aut apud ſacros tantùm reperitur autores. nam apud prophanos infernus, id eſt mors, animatus fingitur, & appetens cadauerum. Nam Orcus rapax, vorax, auarus, & auidus dicitur, item mors. Et eò ſpectant triſaucis Cerberi ora hiantia. Hiare infernum neque vnquam ſatiari dixit ante Iſaiam Salomon *Prou* 30. *Prou. 30.* dum infernum vocat inſaturabilem. Et eſſe hanc

dicendi

dicendi formam vulgarem, & penè prouerbialem, A indicat idem Salomon *Prou.* 1. *Deglutiamus eum ſicut infernus viuentem; & integrum quaſi deſcendentem in lacum.* vbi inferno, id eſt, ſepulturæ aut morti datur ingluuies, & à re nota, aut ſæpius vſurpata, vt aſſolet, comparatio ſumitur. *Dilatare animam* idem eſſe puto, quod *aperire os*, ita vt per epexegeſim poſterius hemiſtichium prioris explicatio ſit. Dilatatur autem anima, id eſt, ſpiritus, ſiue anhelitus cùm maximè aperitur os. Porrò per eiuſmodi anhelitum, aut hiantem rictum, ſummum ſtudium ſignificatur. vnde inhiare, aut anhelare ad aliquid dicimus, cùm aliquid vehementer expetimus.

Prou. 1.

40. Habac. 2. Ad hunc locum videtur reſpexiſſe Habacuc *cap.* 2. Qui cùm inſatiabilem Nabuchodonoſor oſtendiſſet cupiditatem, ait: *Qui dilatauit quaſi infernus* B *animam ſuam: & ipſe quaſi mors, & non adimpletur.* Quia cùm mors ſeu ſepultura omnia deuorat, ſemper tamen aliquid appetit anhelanti ſimilis. Ex quo optimus ſenſus moribúſque valde accommodatus exprimitur contra potentes ac violentos homines, qui ad omnes aliorum opes & facultates inhiant, quaſi ipſi ſoli terram eſſent habitaturi. Qui ab Ambroſio *pauperum ſepulchra*, id eſt, infernus dicuntur, quia apud eos pauperum vita, id eſt, facultates, quibus hominum vita ſuſtentatur, ſepultæ ſunt. Nam ſi potentes inferni inſtar ſemper aliquid appetunt, neque vnquam explentur, ſic erit infernus alius, qui aperto ſemper ore hiet, ipſóſque auidiſſimè voret, atque contineat.

Auaritiæ ſitis.

41. Commune Iudæorum ſepulchrum. Hæc credo magis certa, magis ſaltem ad com- C munem interpretum opinionem. Sed aliam nunc explicationem adduco, quam non tam commendo, quàm aliis examinandam propono. Commune fuiſſe ſepulchrum, in valle Cedron, in ea parte quæ Gehenna, ſeu Tophet appellatur, liquet *ex* 4. *Reg. cap.* 23. vbi ſic de Ioſia rege. *Et efferri fecit lucum de domo Domini foras Ieruſalem, in conuallem Cedron, & combuſſit eum ibi; & redegit in puluerem, & proiecit ſuper ſepulchra vulgi.* In hunc locum coniecta fuiſſe magno numero non modò ignobilium, ſed etiam principum cadauera argumento eſt illud Ieremiæ *cap.* 19. Vbi cùm ſermo eſſet de illa ſeu cæde, ſeu tabe qua conſumpti fuerunt Iudæi à Nabuchodonoſor, addit, *Non vocabitur ampliùs locus iſte Topheth, & vallis filij Ennon, ſed vallis* D *occiſionis.* Pro quo Septuaginta tranſtulerunt *Polyandrium*, quod valet commune ſepulchrum. Vide quæ diximus ad illud *Actor.* 1. *Acheldema.* Ex his mihi perſuadebam ſignificari à propheta eam futuram Iudæorum ſtragem, vt commune illud ſepulchrum, quod infernum vocari putabamus, eam concipere non poſſit. Quare dilatandam animam eſſe dicit, & os aperiendum multo magis, quàm cùm eſſet tantum vulgi ſepulchrum, quia in illud promiſcuè nobiles & ignobiles inferendi erant. Neque aliud exiſtimo prædixiſſe Ieremiam *cap.* 8. quàm quod hîc vaticinatur Iſaias. nempe infernum eſſe dilatandum, quia multo maior quàm vſquam antea futura eſt cadauerum multitudo.

Ierem. 19.

41. Regula. Anima alicuius, pro aliquo. Quòd ſi hanc expoſitionem admittas, iuuat plu- E rimum Scripturæ ſacræ conſuetudo, in qua vox *anima* eum, cuius eſt anima, Hebraico idiomate circumſcribit; ita vt *anima mea*, idem ſit quod *ego. Oſea cap.* 9. *Panis eorum anima ipſorum*, id eſt, *ſibi*, non mihi *panes offerunt. Eccleſ. cap.* 24. *Sapientia laudabit animam ſuam*, id eſt, *ſe.* Ad Hebr. 10. *Non placebit animæ meæ*, id eſt, mihi. *Qui odit animam ſuam*, id eſt, *ſe.* Exempla ſunt obuia. Sic modò *infernus*, id eſt ſepulchrum, ſeu polyandrium, qui animatus fingitur, *dilatauit animam ſuam*, id eſt, *ſe.* quod ſtatim explicatur magis, dum abſque vllo termino illius os aperiendum eſſe dicitur.

43. Inſipientes ſunt, qui ſæcularibus curis ſtudent. Hęc vbi de Iudęis expoſuit Hieronymus, adhibet tropologicam aliam explicationem, reféttque ad eos qui ſæculi deliciis occupati captiui trahuntur ad peccatum. Qui ſcientiam Dei non habent, neque ſublimia ſpectant, quaſi abdomini ſuo nati eſſent, non Deo. Dicuntur autem peccatores, & verè & ſæpe inſipientes. *Prou.* 29. *Impius ignorat ſcientiam.* Et *Sapient. cap.* 5. dicuntur inſenſati. 1. *Cor.* 3. *Sapientia huius mundi ſtultitia eſt apud Deum.* Hi captiui ſunt peccatorum funibus, & in infernum ad illorum pœnas inhiantem vincti trahuntur. *Prou.* 5. *Iniquitates ſua capiunt impium: & funibus peccatorum ſuorum conſtringentur.* Horum ergo inſipientiam, & vincula rudentes inferni, & os abſque vllo termino apertum expectant.

44. Æquo Dei iudicio impij depreſſi. b b *Et incuruabitur homo, & humiliabitur vir, & oculi ſublimium deprimentur: & exaltabitur Dominus exercituum in iudicio.*] Omnium ordinum homines ſummos, & infimos hîc intelligit Haymo, quos diuinum iudicium incuruabit, & deprimet. In *homine* enim vulgares, & plebeios; in *viro* autem principes agnoſcit. Sed credo hîc ſermonem eſſe de his, quos ſuprà delicatos & molles, & diuinorum beneficiorum immemores appellauerat, quóſque paulò antea ad infernum deſcendiſſe dixerat, fortes nempe, ſublimes, & glorioſos. His ergo depulſis ex eo loco, ac gradu, quem arripuerant potiùs per vim, & iniuriam, quàm à lege, & æquitate, apparebit verum Dei iudicium, quo digna meritis vnicuique retribuit. Atque ita Deus exaltabitur, agnoſcetúrque iuſtus qui priùs ab iis, qui humana cogitant, & ſapiunt, afflictorum & pauperum immemor exiſtimari poterat. Qua de re ſanctorum ſunt querelæ, quæ humano ſenſui in ſpeciem videri poterant non iniuſtæ. *Ierem.* 12. *Quare via impiorum proſperatur, benè eſt omnibus, qui iniuſtè agunt? Abac. cap.* 1. *Quare reſpicis contemptores, & taces conculcante impio iuſtiorem ſe?* Idem *Malachia cap.* 3. & *Iob* 21. Tunc ergo cùm depreſſa fuerit impiorum ſuperbia; & iniquitas tam ſeuerè mulctata, apparebit quàm ſit iuſtus Dominus, & exaltabitur in iudicio.

45. Regula. Aliquid tunc fieri dicitur cùm factum eſſe cognoſcitur, aut declaratur. c c *Sanctificabitur in iuſtitia.*] id eſt, *ſanctus eſſe declarabitur.* Nam ex vſu Scripturæ aliquid tunc fieri dicitur, cùm factum eſſe cognoſcitur, aut declaratur. Quomodo ſtatim peruerſo hominum iudicio mali iuſtificati dicuntur, quia corruptis pecunia iudiciis iuſti declarantur, abſoluuntúrque. Et eodem ſenſu puto dictum fuiſſe *Mat. cap.* 11. *A diebus Ioannis Baptiſtæ vſque nunc, regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Quia nempe ita declaratum eſt à Ioanne dum prædicauit baptiſmum pœnitentiæ; nam ante Ioannem vim etiam patiebatur cœleſte regnum; ſed per præconem illum non tam loquentem, quàm tonantem, clariùs quàm per alios prophetas priùs edixerat, denunciauit Deus per pœnitentiam aperiendam eſſe cœlorum viam. Plura exempla habes apud prophetam infrà *cap.* 24. Vide quæ diximus *cap.* 3. *num.* 9. & plura infrà *cap.* 6. ad illud *excæca cor.*

46. d d *Et paſcentur agni iuxta ordinem ſuum; & deſerta in vbertatem verſa aduenæ comedent.*] Locum hunc verſionum varietas valde turbat, & impedit. LXX. ſic vertunt, *& paſcentur direpti quaſi tauri: & deſerta eorum, qui capti ſunt, agni comedent.*

Iuxta

Iuxta quam tranſlationem talis ſenſus eſt non difficilis, & aptè cum præcedentibus conſentiens. Potentes illi, & communium bonorum præſertim pauperum prædatores, qui *vaccæ pingues* dicuntur *Amos cap.* 4. & *tauri pingues*, *Pſal.* 21. quique diripiendi ſunt ab hoſtibus, quaſi aris, & cædi deſtinati, paſcentur, erúntque tanquam in ſagina, dum ſe alienis opibus quaſi pingui exaturant pabulo: ſicut pecodes deſtinatæ macello, quæ quo magis craſſæ, eo gladio propiores ſunt. Et agni, id eſt, pauperes per vim, & contumeliam ab illis vexati, eorum, immò ſuis poſſeſſionibus vtentur quaſi poſtliminio in illas reſtituti. Non longè hinc abit vulgatus, cuius tranſlatio hanc videtur habere poſſe ſententiam. Recto Dei iudicio omnia ſuis reſtituantur ordinibus: nam agni, id eſt, pauperes paſcentur, qui à ſuis paſcuis antea depulſi macie languebant. Et loca iam à potentioribus vacua aduenæ, id eſt, pauperes, qui ita erant ſpoliati à bonis, vt in ſuis ſedibus, ac poſſeſſionibus peregrini, atque aduenæ videri potuerint, deſerta, atque ſterilia propter potentium iniquitatem, facta, iam poſtquam in pauperum poteſtatem redierint, fœcunda comedent. Sic videntur cum vulgato conciliari poſſe ſeptuaginta. Id verò tunc videtur impletum, quando 4. *Reg. cap.* 25. tranſlatis aliis in Babylonem, relicti ſunt pauperes à Nabuzardan principe militiæ, & *de pauperibus*, inquit, *terra reliquit vinitores, & agricolas.*

Sed ſi vulgati tranſlationem ſine vlla ad Septuaginta comparatione conſideres, hunc puto germanum eſſe ſenſum: paſcendos eſſe agnos, id eſt, manſuetos, & pauperes; & in diuitum poſſeſſiones venturos eſſe aduenas, id eſt, Chaldæos, ſiue Romanos.

47. ee Pro illo *iuxta ordinem ſuum*, Hebr. eſt כדברם *chedoueram*, quæ vox *caulas* etiam ſignificat. & ita exponit Hieronymus ad Micheam, *cap.* 2. *verſ.* 12. quare licebit ſic interpretari. *paſcentur agni iuxta caulas ſuas, vt antè ſoliti.* Alij vertunt. *iuxta morem ſuum.* vt Pagninus, & Vatablus. Foreirus longè aliter vertit totum locum, acutè quidem, ſed longè à vulgari tranſlatione, *Paſcentur agni iuxta ordinem ſuum; & ſiccitates medullata ruminantia comedent.* & in commentariis hanc tranſlationem inducit, & probat. *Et gladij ruminantia medullata deuorabunt.* Quæ duæ tranſlationes ſatis oſtendunt, quàm diſſimilis futurus ſit pauperum, & ſuperborum exitus: & quomodo Deus exaltandus in iudicio. Quarum tranſlationum rationes apud ipſum vide. S. Thom. ſic exponit. *Agni paſcentur, id eſt, comedentur ab hoſtibus veſtris iuxta ordinem ſuum; quia meliores priùs.* Sed huic explicationi minimè fauet vox Hebraica ירעו *rahhu*, quæ paſſionem illam non ſignificat, quam hæc ſententia indicat.

48. *Peccator difficilè texit, & trahit peccatorum funem.*

ff *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis: & quaſi vinculum plauſtri peccatum.*] Hac allegoria ſeu ſimilitudine belliſſimè propheta eorum hominum, qui in peccando animum offirmarunt, grauitatem, & ſupplicium oſtendit. Iniquitatem aliqui propriè pro peccato ſumunt, hoc ſenſu, vt ex vanitate (ſiue illa faſtus ſit, cui, vt ſeruirent viri illi potentes, alienas facultates diripiebant; ſiue mendacium, quod nomen apud Hebræos ſignificat hæc fluxa, & fugacia, quæ accendere ſolent ſui ipſorum cupiditatem potiùs quàm ſedare) longum trahunt ambitioſi, & inanium voluptatum aucupes funem peccatorum; quaſi nihil præter peccatum aut moliantur, aut cogitent. Sicut à ſuis viſceribus aranea, longa ducit fila, & inutilem orditur telam. Sic etiam iidem non minùs, immò ſuprà quàm dici poteſt, noxiam peccatorum ſuorum reſtim trahunt. Quæ quidem non difficilè texit, rumpit verò difficillimè, tanquam vinculum plauſtri, quod fortiſſimum eſt. Trahunt ergo iſti peccatum poſt ſe, quia quantumlibet effugere ſtudeant, aut celare peccatum, quod pœnitentia deletum non eſt, ſequitur tamen non ſecus atque plauſtrum bouem, cuius iugo ceruicem inſeruit. Vide Baſilium, qui optimè hîc docet quomodo funis iſte à peccatore contexatur, qui vt id obtineat, quod ſuæ libidini propoſuit, peccata alia, atque alia aliis atque aliis accumulat peccatis. Et adde ex rebus vaniſſimis, & omnino nihili, à ſtulto peccatore contexi conſuetudinis malæ, aut oneroſi debiti talem funem, quem, quia difficilè rumpi poteſt, in æternum traher.

Sed puto hoc loco iniquitatem, & peccatum non tam propriè, quàm figuratè ſumi pro peccati ſupplicio, quod in Scriptura infrequens non eſt. 49. *Peccati ſupplicium.*
Thren. 5. *Maior effecta eſt iniquitas populi mei peccato Sodomorum*, id eſt, grauiora pertulit populus meus. *Zachar.* 14. *hoc eſt peccatum Ægypti.* vbi nos ea de re pluribus. Et ita accipit Cyrillus, & alij. Et indicat Chaldæus, qui vertit, *retributionem.* Sicut ergo dixit Deus *Geneſ.* 4. ad Cain, pœnam ipſi adfuturam pro foribus, vt illum nunquam deſerat, ſic nunc peccatoribus hiſce dicit propheta, trahete poſt ſe ſuorum ſcelerum debitum ſupplicium, idque fortiſſimo loro, quale eſt, quo boues alligantur plauſtro. Qui licèt toto corpore, ac nixu cõtendant, neque reiicere à ſe poſſunt graue illud, & odioſum pondus, neque vincula rumpere, quia plauſtralia ſunt. Quæ loquendi figura ſatis grauiter exprimit miſerum peccatorum ſtatum, qui onerati ipſi intolerabili peccatorum ſarcina, ſupplicij quoque pondus poſt ſe trahunt; cui penè iam addicti ſunt, & eius funibus implicati. Eodem loquendi genere videtur vſus fuiſſe Ieremias *Thren.* 1. præſertim ex eorum ſententia, qui pro, *vigilauit iugum iniquitatum mearum*, legunt, *ligauit iugum iniquitatum mearum*, in quibus eſt Pagninus, & Vatablus, ad quam lectionem facit valde quod ſequitur. *in manu eius conuoluta ſunt, & impoſita collo meo.* Neque ab hoc loco, aut ſermonis vſu abludit illud Pauli ad *Galat.* 5. *Qui autem conturbat vos, portabit iudicium*, id eſt, pœnam à diuino impoſitam iudicio. Et illud *Michea* 7. *iram Domini portabo, quia peccaui ei.*

Peccatũ auctorem ſuũ comitatur, & onerat.

gg *Qui dicitis, feſtinet, & citò veniat opus eius, vt videamus.*] Hinc colligo verum eſſe quod paulò antè dixeram, *opus* quod non conſiderabant viri illi helluones, & voluptatum amantes, eſſe hoc ſupplicium, quod, ſicut illic, ſic etiam hîc Opus Domini vocantur. Illud verò *opus* iam ſæpe ab aliis prophetis audierant: & ab Iſaia non ſemel ante hoc tempus; tam longè tamen erant vt propheticis minis deterrerentur, vt potiùs ærumnoſum illud tempus viderentur optare; quaſi ſatis contra hoſtium vires atque omnem fortunam eſſent inſtructi. Aut certè quia inſanire putabant prophetas, ſonóſque fundere minaces quidem, ſed ſpiritu vacuos, & ad præſtandam veritatem prorſus inanes. Vertebant igitur oraculorum tonitrua in carmen, vſurpabántque illud tritum, de quo infrà *cap.* 28. *Manda, remanda: expecta, reexpecta.* Atque ideo nimis aut inſolenter, aut ſtupidè dicebant. *Feſtinet, & citò veniat opus eius.* 50. *Vox animi obſtinati.*

51. h h *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem.*] Hoc quoque manifeſtè pertinet ad illud. *Expectauit iudicium,& ecce iniquitas.* Iniqui verò ſunt, qui aut innocentes damnant aut ſontes abſoluunt. Et hi bono mali, & malo boni nomen attribuunt, iniquóque iudicio cuncta peruertunt. Sanè iſti pernicioſi ſunt, qui ſtultam plebeculam, & ab eorum opinione pendentem, peruerſo iudicio in intolerabilem errorem inducunt, qui in tenebras induunt, dum illis lucis nomen obtendunt, & haurire faciunt amariſſimum peccati poculum, dum illi dulcem fucatæ gloriæ ſaporem aſpergunt. Quod omnino facit illorum exemplum, qui cùm autoritate valeant, nobilitate ſeu potentia, dum peccatis indulgent, id efficiunt. vt minùs alij ad eorum ſordes, B & fœtorem nauſeent; & virtus à qua illi alieno ſunt animo, in amore minùs, atque in honore ſit.

Exemplum potentium.

52. Hæc optimè non ad verba, quæ ad alios, ſed quæ ad ſe ipſos Iudæi loquebantur accommodari poſſunt, dum ſe ipſos falſa ſpe lactabant, exiſtimantes omnia ſibi in poſterum fore ſoluta, cùm tamen futura eſſent longè ſecus. Tunc verò quod pernicioſum erat, vtile putabant, & tempus lucis, quod idoneum erat pœnitentiæ, tenebrioſum, & contrà, quod extremum erat, & caliginoſum, clarum ſibi pollicebantur. In quo vrgente hoſte nihil conſilij, ac lucis eſſe ſolet. quia hæc omnia tollit concurſus malorum, & væſanæ mentis æſtus & perturbatio. Et ita re vera contigit, cùm à Babyloniis obſeſſi, & expugnati ſunt, quo tempore quæ C incommoda pertulerint, quanto in errore, quibus in tenebris verſati fuerint, ſatis ex Ieremia conſtat. Quæ optimè conueniunt in eos, qui pœnitentiæ medicinam ad extremum vitæ tempus reſeruant, periréque ſinunt tempus acceptabile, & dies ſalutis; in illud intuentes quod caliginoſum eſt, & cæcæ cuiuſdam perturbationis plenum. Et in quo neque pauciores ſunt hoſtes, neque minùs ad pugnandum expediti, & ſtrenui, quàm ſtatim hoſtes Babylonij deſcribuntur.

Stultorum eſt ad tempus caliginoſum, & mortis articulum opus differre.

53. i i *Væ qui ſapientes eſtis in oculis veſtris.*] In textu Hebraico tertia perſona eſt, *væ qui ſapientes ſunt in oculis ſuis.* & ita verterunt L x x. Sed noſter interpres ſecutus eſt ſententiam potiùs quàm verba. Quæ cùm ad præſentes habeantur, ſenſus D eſt idem. dicuntur autem *ſapientes in ſuis oculis* Hebraica phraſi, qui ſibi ſapientes videntur eſſe; qui ſuo ſe conſilio regunt, non diuino: qui ſibi potiùs credunt quàm prophetis: qui in ſua ſapientia, quæ apud Deum ſtultitia eſt, tenebris lucis, & luci tenebrarum nomen imponunt. Vide Baſilium *interrogat.* 207. vbi Paulum cum Iſaia componit, quorum alter monet ne ſtulti ſimus, alter ne ſapientes.

54. k k *Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum.*] Dolet nunc eorum inſaniam; qui cùm ad cætera molles ſint & infirmi, ad menſarum tamen delicias, atque intemperantiam potentes ſunt. Nam quidquid virium habent & ingenij, id totum ad luxum & voluptatem conferunt, quæ nomine vi- E ni, & ebrietatis explicantur.

l l *Iuſtificatis impium pro muneribus.*] Corrupta nunc queritur iudicia largitionibus. *Iuſtificare impium*, hoc loco eſt, declarare illum eſſe iuſtum, vt nuper diximus ad illud. *Et ſanctificabitur.* Quod eſſe abominationi apud Deum habes *Prouerb.* 17, *Qui iuſtificat impium, & qui condemnat iuſtum, abominabilis eſt vterque apud Deum.*

55. m m *Propter hoc ſicut deuorat ſtipulam lingua* A *ignis.*] Hactenus expoſitum eſt à propheta quem ediderit fructum vinea illa tam diligenter, imò tam indulgenter exculta: nunc altera exponitur ſimilitudinis pars de ſupplicio; Quod quia ab igne eſt, non poteſt non eſſe grauiſſimum. Ait ergo vineam illam luxuriantem frondibus, & inutilium palmitum viriditate ſylueſcentem, futuram ſicut aridam ſtipulam, quam comprehendit flamma, redigitque in fauillam ad radicem vſque. Et re ipſa completum eſt, nam ignis primùm Babylonios, deinde Romanus ſic vaſtarunt regiam illam vrbem, vt neque ex priori, & Dauidica à Babylonio, neque ex poſteriori iam reſtituta, ac renouata à Romano veſtigium aliquod, aut non niſi pertenue relictum ſit. Cætera obſcura non ſunt. Illud ob- B ſeruandum, flammam ignis *linguam* vocari propter ſimilitudinem, vt pluribus docuimus *Actorum* 2. vbi explicuimus quid eſſent *diſpertitæ linguæ tanquam ignis.* Neque fortaſſe apud externos inuſitata eſt iſta metaphora, qui quod linguæ proprium eſt igni tribuunt, dum dicunt flammam aliquid lambere, ſic Virg. *Æneid.* 2.

Ecce leuis ſummo de vertice viſus Iuli
Fundere lumen apex, tactûque innoxia molli
Lambere flamma comas.

n n *Sed adhuc manus eius extenta.*] Non ſatis ſupplicij ſumptum eſt exciſa, & concremata vrbe ſiue à Chaldæo, ſiue à Romano milite. Adhuc enim eſt quod à ſcelerato populo pœnarum exigat Deus: quem in omnes ventos diſſeminauit, C ſeruiréque fecit durißimorum Tyrannorum imperio.

o o *Et eleuabit ſignum in nationibus procul, & ſibilabit ad eum de finibus terræ.*] Oſtendit propheta Deum eſſe ducem eius exercitus, à quo cædes illa comparata eſt. Eſt enim ducis, ſignum eleuare, delectus habere, aciem armis, & bellicis artibus inſtruere. Hæc omnia præſtitit ſummus hic imperator ea ſolertia, vt nulla potuerit excogitari maior; & ea celeritate, vt Iudæi imminere ſibi hoſtem priùs aſpexerint, quàm venturum putarent. Nimirum imperatori Domino ſic omnia parent, vt, ſicut ad paſtores oues è proximo loco, ſic ad tenue ſibilum, id eſt, ad ſuæ voluntatis ſignificationem momento temporis nationes ab vltimis terræ fi- D nibus vocatæ, quamprimum aduolent. Illud *ad eum* pronomen reciprocum eſſe poteſt. ita vt Dominus ad ſe nationes aduocet, quibus adminiſtris vtatur ad excidium Ieruſalem. Et hoc apparebat veriſimile, quia nihil aliud videbatur præceſſiſſe, ad quod referri poſſet. Sed exiſtimo potiùs eſſe referendum ad exercitum, ſeu externum populum, quem ſibilo, id eſt, ſigno ſuæ voluntatis propoſito, ad perdendam Ieruſalem euocauit. nam ille ſtatim feſtinus dicitur eſſe venturus. Neque ex ſuperioribus facilè colligas, quis ſit hic, qui ad Dei ſibilum feſtinus aderit. Exiſtimo autem tam illud ſuperius *ad eum*, quam quod ſtatim *feſtinum* dicitur, pertinere ad גוים *goim* quod præceſſit, pro E quo vulgatus reddidit *in nationibus.* Eſt autem vſitatum vt ſingularis numerus cum plurali quod anteceſſit conueniat. Exempla habes apud Pagninum *lib.* 4. *Regul.* 15. 56.

p p *Ecce feſtinus velociter veniet.*] Optarant ſuprà Iudæi vt iam iam adeſſet tempus illud ab Iſaia prædictum: quia ipſi hoſtium minas, atque arma contemnerent. Atque ita dicebant, *Feſtinet, & citò veniat opus eius.* Futurum iam dicit propheta quod ipſi tanto tempore ſe cupere ſignificarant. 57.

Veniet

Veniet enim feſtinus hoſtis, ſic inſtructus, & ardens, vt omnia Iudæorum præſidia futura ſint, ſicut arida ſtipula ante ardorem ignis.

58. ¶¶ *Non eſt deficiens neque laborans in eo.*] Deſcribit exercitum, quem Dominus contra populum quondam ſuum armauit, & duxit; atque ita deſcribit eleganter vt in eo genere non meminerim me aliquid legiſſe ſignificantius, aut illuſtrius. Apparatus autem ille caſtrenſis accommodatus eſt

A ad ſuperanda, atque euertenda illa, quibus ab omni hoſtili machinamento, & arte tutos ſe futuros exiſtimabant Iudæi. Quia regio petroſa erat, neque ideo apta equeſtri excurſioni, equorum vngulis inſtar ſilicis duritiam, & vim quamdam indomitam attribuit. Cætera elegantiſſimè militum ardorem, ſtudiúmque pugnandi demonſtrant, ita vt à belli moleſtiis nihil temporis aut otio, aut quieti concedant.

Argumentum ſexti capitis Iſaiæ.

ILLVSTRIS ſpecies Dei in ſua maieſtate, & gloria obiicitur oculis prophetæ: quem laudant, cuique aſſiſtunt alati Seraphini. Quos cùm imitari, aut comitari vellet Iſaias, retardabatur tamen à laudando, quia labia polluta, & linguam habebat impeditam, & tardam. Poſtquam verò Seraphinus ab iniuſtis labiis candenti carbone impuritatem deterſit; offert ſe vltrò in quamcumque Deus prouinciam, & miniſterium vocet. Cui ad extremum Deus id dat in mandatis, vt Iudæorum Genti cæcitatem, & obſtinationem denunciet, & exprobret; & quod propterea illi iterum, atque iterum infortunium impendeat.

CAPVT VI.

1 [a] IN *anno, quo mortuus eſt rex Ozias,* [b] *vidi Dominum ſedentem* [c] *ſuper ſolium excelſum, & eleuatum,* [d] *& ea quæ ſub ipſo erant replebant templum.*

[e] *Seraphim* [g] *ſtabant* [f] *ſuper illud:* [h] *ſex alæ vni, & ſex alæ alteri, duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius,* [i] *& duabus volabant.*

2 [k] *Et clamabant alter ad alterum, & dicebant.* [l] *Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus exercituum, plena eſt omnis terra gloria eius.*

3 [m] *Et commota ſunt ſuperliminaria cardinum à voce clamantis, & domus repleta eſt fumo.*

4 [n] *Et dixi: væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego ſum,* [o] *& in medio populi polluta labia habentis ego habito, & regem Dominum exercituum vidi oculis meis.*

5 [p] *Et volauit ad me vnus de Seraphim,* [q] *& in manu eius* [r] *calculus, quem forcipe tulerat de altari.*

6 *Et tetigit os meum, & dixit,* [ſ] *Ecce tetigi*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 EO anno, quo deceſſit Ozias, vidi in templo Dominum ſedere in excelſo, atque eminenti loco; cuius defluentes in Regia maieſtate laciniæ totum replebant templum.

Iuxta ſolium duo aſſiſtebant Seraphini; quiuis ſenas habebat alas, duabus faciem velabant ſuam, duabus eas corporis partes, quæ à cingulo ad pedes vſque pertinent: reliquæ duæ ad volandum erant expeditæ.

2 Et alternis vocibus diuinum illud triſagium iterabant *Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus Sabaoth*, cuius gloria totam impleuit terram.

3 Interim dum Angelicæ voces illo cantu perſtrepunt, templi poſtes, ac limina graui motu concuſſa ſunt, & domus tota circumfuſa eſt fumo.

4 Tunc ego mihi ipſi ſubindignans aio. Væ mihi, quia cum loqui debuiſſem, & Regis impij Oziæ exprobrare ſacrilegam audaciam, tamen conſtricta metu lingua, ſicut & multitudinis reliquæ, quam à libertate ſermonis, aut metus, aut auaritia retardat, in Dei cauſa ſiluit, quem nunc in tanta maieſtate præſens ipſe præſentem intueor. Aut quia ſegniùs in diuinas laudes incubui, quas nunc tanto ſtudio Angeli, & tanta contentione concelebrant. Quibus cùm me ſocium adhibere velim, tardi, atque polluti oris impedimenta retrahunt.

5 Cùm in ea eſſem cogitatione defixus, ecce aduolat ad me vnus ex eo Seraphinorum numero cum candenti carbone, quem de altari forcipe ſuſtulerat.

6 Is ergo cùm labiis ardentem admouiſſet

calculum, vt illo purgatorio igne impedimentum, quod à peccato natum erat, ab ore iam purificato remoueret, Ecce ait, tetigi os tuum, & quod in eo iniquum erat, atque pollutum, confeſtim excedet.

7 Vbi iam purificatis labiis expeditam linguam, & ad loquendum promptam expertus ſum, audiui vocem Domini, qui quærebat quem mitteret, quémque ad magnam nempe aliquam prouinciam, de qua nihil mihi certum erat, habiturus eſſet aut miniſtrum, aut ſocium. Ad quem ego iam audacior aio: En ego præſto ſum, quamcumque in partem, aut negotium velis, feſtinare paratus.

8 Tunc Deus ad me: Vade, & hæc populo infideli, atque impio meo nomine denuncia. Aderit aliquando tempus, cùm iterum, atque iterum audiatis, neque tamen intelligatis audita: cùm obiiciam viſionem oculis veſtris: eius tamen ſenſus, aut pondus longè fugiat intelligentiam veſtram.

9 Dic ergo futuras eſſe cæcas illorum mentes; obſtruendas, atque aggrauandas aures, claudendos oculos, ne oculis ſuis obiecta cernant; ne auribus capiant, vel quæ à me dicentur; vel quæ meo nomine ad ipſos deferentur mandata. Denique ne ad illorum animos, eorum quæ maximè nouiſſe intererat, cognitio perueniat. Ex quo fiet, vt neque vitam mutent, neque ſalutem à mea benignitate conſequantur.

10 Ad quem ego: Vſquequo Domine progreſſurus eſt animi tui furor, quem Iudæorum cæcitas, & durities inſtimulat? & Dominus ad me; Non quieſcet aut ab offenſione, & indignatione animus, aut manus ab inferenda plaga, donec extinctis, aut relegatis ciuibus deſerta regio in ſolitudinem redigatur, & ferarum latibula.

11 Ablegabo longè à patria habitatores ſuos. Qui verò à cæde, atque exilio reliqui fuerint, aut ex eo poſt longum tempus in Iudæam, id eſt, in terræ medium reſtituti, ibíque maiorem in modum multiplicati, antiquum ciuitatis ſtatum, & gloriam inſtaurabunt.

12 Neque verò otiũ illud habebunt proprium, atque perpetuum, licèt enim ſoboleſcere, atque augeri cœperint mirificè: Accendetur tamen animi mei furor, perſequetúrque reliquias, tanquam qui racemos colligit è vindemia; Quod magno ſuo merito accidet væſano, atque infideli populo: reuertetur enim ad ingenium, amplectetúrque rurſus ea, quibus parentes olim non ſolùm impiè, ſed etiam impudenter adhæſerunt: Quare ſic à me ſeuerè mulctabitur, vt aliis Gentibus futurus ſit ludibrio, exemplóque diuinæ offenſionis. Vt enim terebinthus, aut quercus ramorum, ac frondium venuſtate viſendæ; vbi ab ipſis ſpoliatæ fuerint, deformes ſunt, & horridæ:

hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua,
[t] *& peccatum tuum mundabitur.*

7 *Et audiui vocẽ Domini dicentis,* [v] *Quem mittam? & quis ibit nobis?* [x] *& dixi, Ecce ego, mitte me.*

8 *Et dixit, Vade, & dices populo huic,* [y] *Audite audientes, & nolite intelligere: & videte viſionem, & nolite cognoſcere.*

9 [z] *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua: & oculos eius claude: ne* [a] *fortè videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & conuertatur, & ſanem eum.*

10 [aa] *Et dixi, Vſquequo Domine? Et dixit,* [bb] *Donec deſolentur ciuitates abſque habitatore, & domus ſine homine: & terra relinquetur deſerta.*

11 [cc] *Et longè* [dd] *faciet Dominus homines, & multiplicabitur quæ derelicta fuerat in medio terræ.*

12 [ee] *Et adhuc in ea decimatio,* [ff] *& conuertetur, & erit* [gg] *in oſtenſionem,* [hh] *ſicut terebinthus, & ſicut quercus quæ expandit ramos ſuos:* [ii] *ſemen ſanctum erit id quod ſteterit in ea.*

dæ; ſic populus ſuis nudatus ornamentis quid derideant alij, non quid laudent, aut admirentur, habebit. Neque verò funditus arboris illius elidetur, aut conuelletur radix: & quod ex ea pullulauerit, atque in ea ſteterit, ſanctum erit.

IN CAPVT SEXTVM COMMENTARIVS.

1\. *Ozias lepro-ſus.*

[a] IN *anno quo mortuus eſt Rex Ozias.*] Notatur tempus huius prophetiæ celeberrimę: hoc fuit verò cùm regnare deſiit Ozias; ſiue quia propter ſacrilegam audaciam percuſſus lepra regno pulſus eſt, quod putat Chaldæus: vixit enim in domo ſeparata, & eius loco Ioathan filius regiam domum adminiſtrauit, 2. *Paral.* 26. Hæc verò à reliquo populo ſeparatio, & exautoratio ciuilis quædam mors exiſtimatur: ſeu quando verè mortuus fuit. Communiter patres de naturali morte accipiunt, Hieronymus, & Cyrillus *hic*, Origen. *hom.* 1. *in cap.* 2. *Iudic.* Chryſoſtomus *Tom.* 5. *hom. in caput iſtud.* Cauſámque reddunt cur mortuo Ozia prophetare cœperit Iſaias. Nam cùm infenſus eſſet Deus Iudæis, quia non omnino impium atque leproſum Regem exturbaſſent ex vrbe, licèt in domo viueret ſeparata, ſua conſilia intermiſit aperire prophetis, aut certè noluit, vt ea genti ſui regis ſacrilegio contaminatæ manifeſtarent. Quod fecit ſatis cumulatè viſione hac illuſtri, quando è viuis exceſſit is, qui tam promptam Dei benignitatem retardabat. Ex quo licet colligere quàm pernicioſa ſit impiorum, & maximè principum ſocietas, quæ vt graue nocumentum affert populo, ſic etiam maximas aufert vtilitates, vt docuit hîc Ozias, iuxta horum Patrum ſententiam. & 1. *Reg.* 4. Filiorum Heli intemperantia, & patris in reprehendendo mollities, & 2. *Reg.* 24. Peccatum Dauid, quod Deus ingenti totius populi clade mulctauit. Hæc propter tot patrum autoritatem grauia; ſed puto primùm hîc agi quidem de Oziæ naturali morte, ſed non eſſe oblatam viſionem iſtam rege mortuo, ſed eodem anno quo mortuus eſt, vt indicat textus, & patebit magis infrà, cùm agemus de calculo, quo purificata ſunt Iſaiæ labia, & datus illi ſpiritus propheticus.

Principum peccata quã pernicioſa populo.

2\. [b] *Vidi Dominum ſedentem.*] Viſione nempe imaginaria atque intellectuali illuſtratione, quemadmodum alij quoque prophetæ. Nam vt ſcripſit Paulus, 1. *Timoth.* 6. *Lucem habitat inacceſſibilem, quem nullus hominum vidit; ſed nec videre poteſt.* Et *Ioan.* 1. *Deum nemo vidit vnquam.* Quomodo verò olim Deus Patribus apparuerit, & an cùm in Scriptura Deus apparuiſſe dicitur, angelus diuinam perſonam repræſentauerit, longa quæſtio eſt, de qua multis Theologi. Vide S. Thom. 1. *p. q.* 12. Et nos nonnulla diximus *in cap.* 7. *Actuum.*

Deus cur varia ſpecie hominibus appareat.

Vt autem Deo, ſicut notauit Chryſoſtomus *Homil.* 1. *in epiſt.* 2. *ad Corinth.* & Oecumenius *in cap.* 1. *ad Epheſ.* attribui ſolent varia nomina, iuxta id quod exigit materia, cuius gratia diuinum imploratur auxilium: ſic Deus apparere ſolet eo modo, atque habitu, qui præſenti rerum ſtatui, aut rei cuius gratia apparet accommodatus eſt. Et ideo *Act.* 7. agonizanti, id eſt, pugnanti Stephano ſtans videtur, quaſi cum illo ſimul pugnaturus. Amos *cap.* 7. apparet ſuper murum cum trulla cæmentatij, quia de vaſtitate ſermo erat. *Exod.* 3. viſus eſt in ardenti rubo, vt oſtenderet vri ſe, pungíque grauiter his incommodis, quibus apud Ægyptios premebatur populus. Hîc autem regio amictu, & in ſublimi ſolio maieſtatem oſtendit ſuam; vt hinc diſcat propheta in quanto ſcelere ſint illi, qui tantam maieſtatem derideant.

Hæc porrò de Chriſto eſſe intelligenda veriſimile fit *ex Ioan. cap.* 12. vbi cùm de Chriſto loqueretur, cui non crediderunt Iudæi, addidiſſétque, quod ſtatim dicitur in hoc capite: *Excæcauit oculos eorum,* &c. ſubiecit: *Hæc dixit Iſaias quando vidit gloriam eius,* nempe Chriſti. Ita S. Thom. *in prologo ſuper Ioannem.* quod etiam neceſſariò fateri debent qui putant ideo Chriſti pedes, Seraphinorum alis eſſe velatos, quia myſterium humanitatis erat occultum. 3.

Quod autem ad totam viſionem ſpectat, vero videtur mihi valde ſimile, quòd docuit Hieronymus *epiſt.* 143. *ad Damaſum*, & noſter Pradus *in prima viſione Ezechielis, ſectio.* 6. In hac viſione non ſolùm Dei ſpeciem oblatam eſſe prophetæ, ſed etiam templi: ſeu, quod idem eſt, oblatam fuiſſe ſpeciem in templo. Nam & templi, & altaris meminit, & quæ dicuntur omnia non difficilè ad Dei ſolium, quod habuit in templo accommodari poſſunt. Quod perſpicuum fiet ex his quæ mox dicemus.

[c] *Super ſolium excelſum, & eleuatum.*] Solium erat inter alas Cherubim, vt habes *Exod.* 25. Quod excelſum erat, quia Cherubim quoque in loco erant excelſo ſupra propitiatorium; ſed quia ibi inuiſibili forma reſidebat Deus, aſpectabili verò apparuit Iſaiæ, exiſtimo aliquid obiectum eſſe prophetæ excelſius, & auguſtius.

[d] *Et ea quæ ſub ipſo erant replebant templum.*] 4.
Septuaginta paulò aliter: *Et plena domus erat gloria eius.* Vtramque verſionem coniunxit Eccleſia in reſponſorio primo dominicarum Nouembris. *Plena erat omnis terra maieſtate eius; & ea quæ ſub ipſo erant, replebant templum.* Diuerſitas hæc orta videtur ex voce שוליו *ſulau*, quæ propriè fimbriam, ſeu laciniam ſignificat in veſtimentis, quam, quia viri nobiles, ac lauti geſtare ſolent, ideo credo gloriam appellari longas illas lacinias ad terram longo tractu defluentes, iuxta Hebraici ſermonis idioma, quod ſæpe vſurpat Scriptura, in quo ornatus lautior, ac ſplendidior *gloria* vocatur. Vt de

regina, & ſponſa *Pſalm.* 44. *Omnis gloria eius filia Regis ab intus.* Et hinc ſæpius in Scriptura auditur, *Veſtis gloria, indutus gloria, ornamentum gloria.* Explicuit autem vulgatus vim nominis, dum reddit, *Ea, quæ ſub ipſo erant,* (id eſt laciniæ,) *replebant templum*, quæ in ea maieſtate ab ipſo infra pedes deſfluebant. Rab. Dauid exiſtimat lacinias illas non eſſe veſtium, quibus in ea maieſtate Dominus vtebatur, ſed ſtragolorum, quibus regium illud ſternebatur ſolium. Prò *templo* Hebr. היכל *hecal*, quæ pars media erat, inter vlàm, id eſt, porticum, & oraculum, id eſt, ſancta ſanctorum. Hæc ergo pars complebatur, aut regio illo apparatu, quo ſignificabatur Dei maieſtas, & gloria, aut certè ipſius gloria atque ſplendore fulgebat.

5. [e] *Seraphim ſtabant ſuper illud.*] Hoc additum eſt ad gloriam ſanctuarij, quia in illo ſtabili, & quaſi legitimo ſolio, nihil de Seraphinis; hos verò fuiſſe vt minimum quatuor putat Pradus, *in primam viſionem Ezechielis, ſectione* 6. & Pereira, *in caput* 4. *Apocal. diſp.* 17. & putant indicari à Dionyſio *de cæleſti Hieron. cap.* 13. dum tractat, quam nunc nos verſamus, Iſaiæ viſionem. At enim ſubſtantias illas ſub Deo, & poſt Deum, & circa Deum fuiſſe diſpoſitas: quæ infra hunc quaternarium numerum eſſe non poterant. Neque incommodat quod loquendi modus binos fuiſſe demonſtrat, dum dicitur, *Sex alæ vni, & ſex alæ alteri.* & poſtea, *clamabat alter ad alterum.* Nam hac dicendi forma Hebræi diſtributionẽ explicant, hoc ſenſu, ſingulis eorum erant alæ ſenæ, & ſinguli ad ſingulos clamabant. Ad verbum ſic habent Hebræa: *Sex alæ, ſex alæ vni*, id eſt, *cuilibet.* Porrò hac geminatione diſtributionem explicari, ſatis vſitatum, *Geneſ.* 7. vbi noſter, *Septena, & ſeptena.* Hebr. *Septem, & ſeptem.* Illud verò, *alter ad alterum.* Hebr. *Vnus ad vnum*, pro, *ſinguli ad ſingulos*, ſatis eſt in Hebræorum vſu. Vnum accipe exemplum pro multis. *Exo.* 36. *Coniunxitque cortinas quinque alterã alteri, & alias quinque ſibi inuicem copulauit.* Vbi pro *ſibi inuicem*, Hebr. iterum repetitur, *alteram alteri.* Vide quomodo *alter* geminatum de pluribus accipiatur duobus. Huc facit quod Lxx. pro *ſuper illud*, vertunt *in circuitu eius.* Circuitus verò à duobus efformari non poteſt, ſicut neque circulus à duobus punctis, quæ non magis circulum, quàm lineam, aut quamuis aliam figuram deſignant.

Diſtributio quomodo ab Hebræis explicetur.

6. Hæc mihi valde quidem probabilia ſunt. Sed placet magis duos tantùm fuiſſe Seraphinos. Quod docet Baſilius, Adamus, Lyra, Hugo dubius eſt, Hieronymus non definit, ſed quaſi hoc eſſet certum, reprehendit aliquos, qui cauſas aſſignant, cur duo Seraphim viſi fuerint Iſaiæ. Alios quidem, quòd ab illis Patrem, & Spiritum ſanctum repræſentari putant; alios quòd in duobus duo teſtamenta cognoſcant. Itaque de numero non videtur dubitare; ſed de illius ſignificatione. Sed in hanc ſententiam non tam me vocat, quàm omnino cogit autoritas Eccleſiæ, quæ ad hunc Iſaiæ locum reſpiciens, duos angelos eſſe oſtendit. Sic enim in octauo reſponſorio Dominicarum, quæ ſunt à Pentecoſte, canit: *Duo Seraphim clamabant alter ad alterum, ſanctus, ſanctus*, &c. Neque teſtimonium Dionyſij, ſi attentè legatur, nimis vrget: quia non tam videtur agi de Seraphim, qui oblati ſunt Iſaię, quàm de ſpiritualium ſubſtantiarum natura, quæ Deo aſſiſtunt.

7. [f] *Super illud,*] Vox *ſuper* non ſignificat Seraphim ſuperiorem locum obtinuiſſe, ſed eſſe iuxta, aut circa ſolium. Tam enim vox Hebr. על *hhal*, quàm Latina *ſuper*, idem eſt quod *iuxta.* Neque enim *Pſal.* 136. Hebræi ſederunt *ſuper flumina Babylonis*, neque *Exod.* 16. *Sederunt ſuper ollas carnium*, ſed *iuxta.* Vide quæ diximus ad illud *Zachariæ* 4. *Lampas eius ſuper caput ipſius.*

[g] Seraphim à voce שרף *ſaraph*, deducuntur, quæ *ardere*, ſiue *inflammare* ſignificat. Propriè verò ſunt ſerpentes quidam alati, qui non ſolùm ignei ſunt coloris, ſed etiam eos, quos mordent, letali ardore æſtuare faciunt, & herbas afflatu ſuo vrunt; qui *Num.* 21. igniti ſerpentes appellantur: & à Plinio non diſſimili notatione preſteres. Quæ vox ſpiritibus quibuſdam cœleſtibus accommodata eſt. Qui quoniam amore ardent, alatique apparuerunt prophetis, Seraphim vocantur. Aut etiam propter eximium ſplendorem, qualis eſt ab igne, propter quem ab Ezechiele *cap.* 28. lapides dicuntur igniti. De horum ordine, ac munere tractant ſcholaſtici, quare nos tanquam aliena à noſtro munere nunc omittimus.

Seraphim qui.

8. [h] *Sex alæ vni, & ſex alæ alteri. Duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant.*] Obſcurum eſt cuius eſſet facies illa, ſiue pedes quæ Seraphinorum velabantur pennis: nam plerique Angelorũ eſſe cenſent, tribuitúrque communiter Dionyſio *de cæleſti Hierarch. cap.* 13. Qui ſanè ibi valde loquitur obſcurè, & Carthuſianus in contrariam ſententiam interpretatur; idem Procopius, inclinat S. Thom. tenet Foreirus, Vatablus, Adamus & Chryſoſtom. *Tom.* 5. *de incomprehenſibili Dei natura.* Et expreſſum inuenio *in præfatione liturgia Iacobi, & Æthiopum. Tom.* 4. *Bibliot.* Hieronymus *epiſtol.* 142. ad Damaſum, vbi viſionem hanc luculenter tractat, faciem eſſe putat non Angelorum, ſed Dei. Sentit idem Cyrillus, & Hugo, & Petrus Damian. *epiſt.* 6. Sanè verba Hebraica dubia ſunt, neque in alteruttam partem magis prona. Nam illud פנין *panau*, & רגליו *raglau*, id eſt, *pedes eius, & faciem eius*, non magis ad Deum, quàm ad Seraphinos accommodari poteſt. Quod vt magis intelligatur, obſeruo verbum *velabant*, aut *volabant* eſſe in ſingulari numero: Conueniunt enim diſtributè cuilibet Seraphinorum in hanc ſententiam, *Sex alæ erant illorum cuilibet, & quilibet eorum velabat faciem*, &c. Affixum item *vau*, pro quo noſter interpres tranſtulit *eius*, quod numeri ſingularis eſt, Seraphinis etiam in illa diſtributione conuenire poteſt; nam vt compertum eſt his, qui vel mediocriter Hebraicè norunt, *vau* affixum tertiæ perſonæ maſculinæ ſimplex pronomen eſſe poteſt, & reciprocum; ſi reciprocè capias, Angelis, ſi ſimpliciter Deo accommodandum eſt. Quare ex vocibus Hebraicis nihil habemus lucis; & magni autores vtriuſque ſententiæ. Ego nihil hic definio, licèt magis inclinem vt faciem, & pedes Angelorum eſſe putem; ſed tantùm explicabo quid ex vtraque ſententia oblatum, aut ſignificatum videri poſſit Iſaiæ.

9. Et *primùm* obſeruo Hebraicè in voce *velabant*, & *volabant* eſſe tempus futurum יכסה *iecaſeh*, & יעופף *ieopheph*, vel quia futurum ſæpe pro præſenti, aut pro præterito ponitur, ſeu certe quia futurum aptitudinem quamdam indicat, ſeu facultatem, non opus, ſeu actionem: Vt optimè Ribera docuit *in cap.* 20. *Apocal. cap.* 72. quo ſenſu explicuimus ſuprà illud *cap.* 4. *Apprehendent ſeptem mulieres virum vnum*, id eſt, ea erit virorum ſtrages, vt ſeptem mulieres ambire poſſint vnius viri nuptias. &

Amos

Digitized by Google

Amos cap. 8. Inducam ſuper omne dorſum veſtrum ſaccum; & ſuper omne caput caluitium. Secundò, ea erit calamitas, & doloris acerbitas, vt Hebræorum more omnes debeant illa edere mœroris ſigna, quæ à ſacco, atque caluitio ſunt. Et vulgo maximè Hiſpanorum dicitur, *Ille non faciet; non docebit*, &c. id eſt, neque ingenium, neque facultatem habet, vt facere, aut vt docere poſſit. Sic ergo (vt iuxta Hebraicæ Grammaticæ leges vim iſtorum verborum exprimam) quilibet Seraphinorum habebat alas ſenas, quibus velabit, & volabit: aut velaturus, & volaturus erat. Sed credo potiùs futurum hìc ſumi pro præterito; nam niſi actu propheta conſpexiſſet, velari faciem, & pedes, quomodo noſſet ad quem vſum eſſent alæ conceſſæ.

10. Quod ad alarum vſum, & ſignificationem pertinet, multa ab antiquis Patribus, & à recentioribus interpretibus dicuntur ad mores accommodata. Vide Pereram *in cap. 4. Apoc. à diſputatione* 23. Vbi ex Patribus ſelectiora collegit, cùm ageret de ſenis quatuor animalium alis, & *ſuper eundem locum Apoc.* Riberam, ex illis qui in Iſaiam ſcripſerunt, præcipuè Hieronymum, Cyrillum, & Procopium. Nos hìc breuiter pauca. Si dicas cum Hieronymo & Cyrillo faciem Dei, ac pedes velari Seraphinorum alis, magnum aliquid oſtenditur ab hac ſpecie. Cùm enim per *caput, diuinitas*, per *pedes*, ſignificetur *humanitas* Chriſti, neque illa propter celſitudinem, ac ſplendorem, neque hæc propter humilitatem, & opera ab illa humanitate profecta, quæ exiſtimari poterant abiectiſſima, cognoſci poſſent, iure ab Angelorum alis tegebantur. De Chriſti capite ex multorum ſententia dixit idem Iſaias *cap. 56. Generationem eius quis enarrabit?* De pedibus, id eſt, de iis, quæ in Chriſto eiuſmodi fuerunt, vt propter illa dictus fuerit *Pſal. 21. vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.* dixit idem Iſaias, *Domine quis credidit auditui noſtro?* Et de gloria, quæ ex ea tanta humilitate orta fuit, dixit Paulus *ad Epheſios 3. Mihi datum eſt euãgelizare inuestigabiles diuitias Chriſti, & illuminare omnibus quæ ſit diſpenſatio ſacramenti abſconditi à ſæculis in Deo, vt innoteſcat principibus, & poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientia Dei.* Quare illæ eædem poteſtates admirabundæ inducuntur ab Iſaia, *cap. 63. Quis eſt iſte, qui venit de Edom tinctis veſtibus*, &c. Cum ergo altiſſima diuinitatis myſteria, ac plurima humanitatis opera, ſupra quàm credi poſſent humilia, ignorarent Angeli, optimè inducuntur facies, & pedes Chriſti ſuis alis operientes.

Abſcondita diuinitatis, atque humanitatis Chriſti myſteria.

Si verò, quod magis verum exiſtimo, certè quod pluribus ex antiquis, & omnibus penè recentioribus probatur, Seraphini non Domini, ſed faciem ac pedes velabant ſuos, oſtendunt eum eſſe ſplendorem, qui ex diuino oritur vultu, vt nulla creata acies intueri, nulla vis excipere, ac ſuſtinere poſſit. Hanc verò tantam ſplendoris vim, quæ noſtram videndi facultatem perſtringit, ac ſuperat; ſignificare ſolemus prætentis ante oculos manibus: Quemadmodum cùm ſolem aduerſum intuemur, quia tanti vim luminis ſuſtinere non poſſumus, manum opponimus à ſolaribus radiis. Sic *Elias 3. Reg. cap. 19.* adueniente Domino *operuit vultum ſuum pallio, & egreſſus ſtetit in oſtio ſpeluncæ.*

Exuperant facultatem noſtram diuina myſteria.

11. Quòd verò pedes operiant, alia ratio eſt. Aut ſignificant ſe pro ſuo ardenti, ad explendam diuinam voluntatem ſtudio eſſe tardo, atque impedito gradu, tametſi ſenis alis inſtructos, ſicut etiamſi

A perſpicaciſſimis oculis ſint, aduerſus tamen tantum ſplendorem qui à diuino emicat vultu, velata facie, atque oculis ſe cæcos fatentur.

Sed eſt credo alia fortaſſe huius loci ſententia, quam aliis non tam perſuadeo quàm propono, quæ indicat quanta diuinis oculis reuerentia debeatur. Sed antequam meam cogitationem expono, obſeruo, Hebraicam vocem רגל *regel*, cui apud Latinos reſpondet *pes*, non ſignificare tantùm extremam corporis partem, ſed etiam quidquid à coxis deorſum eſt, & ſæpe illud obſcœnum quod pudicis maximè curæ eſt eſſe velatum. Quare in *cap. 7.* honeſto vocabulo dixit Iſaias, B radendos eſſe pilos pedum. In quibus allegoricè intelliguntur, qui ſunt ex infimo ciuium ordine, ſicut in pilis capitis, & barbæ principes, & qui apud alios in honore ſunt. Propriè tamen ſunt illi pili, qui & obſcœna veſtiunt & ætatis maturitatem indicant, vt docent Hebræorum magiſtri, & ex recentioribus Foreirus, Vatablus, Montanus, Emanuel Sa, Pineda *in Iob. cap. 3. verſ. 10.* Et *aqua pedum* dicitur vrina infrà *cap. 36.* vbi pro *bibent vrinam pedum*, Hebr. eſt, *aquam pedum*. Exempla plura omitto, quia diutius in his hærere pudor, & modeſtia non permittit. Sed illud non præteribo, quod ab hac obſeruatione aliquid accipiet lucis, quod etſi variè à multis tentatum ſit, adhuc ta- C men manet obſcurum valde. *Exod. 4.* dicitur. *Tulit illico Sephora acutiſſimam petram, & circumcidit præputium filij ſui, tetigitque pedes eius, & ait. Sponſus ſanguinum tu mihi es.* In pedibus quos in circumciſione filij tetigiſſe dicitur Sephora; illud intelligo membrum filij, à quo per circumciſionem aliquid detrahitur. Quare ſi ſumatur pro membro circumciſo hiſteron proteron eſt: nam priùs membrum illud tetigiſſe apparet, quàm circumcidiſſe. Niſi dicas tetigiſſe Sephoram partem illam circumciſam ſtillantem ſanguine, oſtendiſſeque Moyſi viro ſuo, ac dixiſſe. *Sponſus ſanguinum mihi es*, id eſt, vide quàm mihi cari ſteterit connubium cum Hebræo contractum. Aut denique tetigit pedes, id eſt, carnem per circumciſionem ablatam, D quæ etiam pedum nomine ſignificatur, oſtendénſque viro ſuo dixit, *ſponſus ſanguinum*, &c.

Magna reuerentia debetur Deo.

Quid pes apud Hebræos.

Exod. 4.

12. Nunc ad propoſitum redeo. Cùm Seraphini humanam aſſumerent figuram, in qua illud etiam futurum eſſet, quod honeſte videri, aut nudatum eſſe non poterat, alis duabus partes illas velabant, quas pedum nomine ſignificari diximus. Vt enim nihil indecorum obiici patimur eorum oculis, quorum auctoritatem ſuſpicimus, ſic etiam nihil indecorum obiici vel in ſpeciem debuit ab Angelis maieſtati diuinæ. Huc facit quod *Exod. 28.* cauit Deus, ne ſacerdos abſque fœminalibus, id eſt, ſubligaculis, quæ obſcœna tegerent, aſcenderent ad altare, ne ibi indecorum aliquid appareret. Et clariùs eodem capite ad finem, E *Facies fœminalia linea, vt operiant carnem turpitudinis ſuæ à renibus vſque ad femora: & vtetur eis Aaron, & filij eius, quando ingredientur tabernaculum teſtimonij vel quando appropinquabunt ad altare.* Et Adam *Gen. 3.* dicitur ideo ſe abſcondiſſe à facie Domini, quia nudus erat. Hanc ſententiam de Seraphinorum femoribus velatis indicat Foreirus hic, dum dicit, *Per pedes autem inferiorem totam corporis partem accipe; vt ſæpe in Scripturis accipiendum eſt.* Accipiendum autem pro partibus, quas pudor nominare vetat, docet ipſe infrà *cap. 7.* ad illud; *pilos pedum*, & *cap. 36.* ad illud, *vrinam pedum ſuorum.* Idem

Modeſtiæ commendatio.

ſenſiſſe aliquos docet Dionyſius. Et quidem non vulgare ſumitur argumentum ea viſione Ezechielis, quam nonnulli eamdem eſſe putant cum hac, quam nunc exponimus. Vbi Cherubim coram Dei maieſtate, & gloria duabus alis dicuntur velare corpora. Sic enim *cap.* 1. *Duæ pennæ ſingulorum iungebantur, & duæ tegebant corpora eorum.* In quibus femora præcipuè intelligit ibi Pradus & Pereira *in cap.* 4. *Apoc. diſput.* 24. Et ſi quid eſt in antiqua, atque vulgari figura momenti, eo modo, atque habitu communiter efformantur Seraphini. Ezech. 1.

13. Hac forſan Angelorum ſpecie oſtendere voluit Deus populo Iudæo minùs quàm oporteret ſtudioſo modeſtiæ, & religionis, quàm ſibi gratus ſit caſti animi habitus, quam populus ille iam magna ea parte prodiderat; nam illis diebus inhoneſtè plurima non in vrbe ſolùm, ſed etiam in templo fiebant, vt poſtea videbimus, ſub tempore Achaz.

Ex quo conſtat quàm parum piè Hebræorum magiſtri exiſtimauerint Cherubinos à Moyſe in tabernaculo poſitos vtrumque ſexum habuiſſe; cuius ſententiæ princeps exiſtimatur fuiſſe Rab. Salomon, & miror cogitationem illam verè Rabbinicam placuiſſe Ariæ Montano, qui in apparatu eo libro, quem inſcripſit *Noah, ſiue de arca fabrica, titulo de propitiatorio*, vtrumque ſexum agnoſcit in Cherubinis.

Hæc mihi valdè probabilis ſententia eſt, quæ femoribus alas prætentas eſſe dicit, non his qui propriè dicuntur pedes. Neque enim ad inſtitutum prophetæ ſatis opportuna videbatur illa pedum occultatio. Nam cùm Seraphini eſſent ad opus expediti, & prompti, & ideo ſtare dicuntur ante thronum, & habere alas ad volandum explicatas: non bene hæc alacritas exprimitur tectis, ac penè implicatis pedibus, qui ſunt legationum & functionum præcipui miniſtri. Vt autem duabus alis not volabant, aut ad volandum inſtructi videbantur; ſic puto, vt oſtenderent totas vires expromptas, atque ad diuinum imperium intentas eſſe, pedes habuiſſe expeditos, & iam iam erumpentes ad curſum.

14. Religioſi tempus. Ad rem moralem, religioſæque obedientiæ perfectionem habes hîc, ſi vnquam, præclarum ſymbolum, quam humilem eſſe debere, alacrem, & cæcam, docet ſpiritualium patrum, & omnium penè ordinum religioſorum diſciplina. Ecce hîc habes excuſſas alas & ad volandum expeditas, cum oculis tamen, ſi non cæcis, certè velatis. Habes aut pedes tectos, in quibus affectus ſignificari conſtat, vt diſcas non tam tuis affectibus, atque voluntati ſeruiendum, quàm parendum alienæ; aut certè tecta femora, & ea quæ pudori ſunt, quia etiam obedientia modeſta eſſe debet, atque pudica, demiſsè de ſe atque humiliter ſentiens.

15. [i] *Et duabus volabant.*] Incertum eſt an concuſſis alis Seraphini diuinum ſolium volando circumierint, an eodem ſemper in loco alas excutiant, quaſi ludibundi, & lætitia geſtientes; vt facere ſolent nonnullæ volucres, quæ iactatis molliter pennis immotæ quaſi capturæ impetum ad volandum in aëra ſe librant. Et hoc mihi videtur veriſimilius. Neque enim eſt optimus habitus eorum qui loca aut gradiendo aut volando mutant, ſi oculos viarum duces velatos habeant; & habitus ille eſt eorum qui auidè ſpectant aliorum imperium. Adde quòd iſti Seraphini ſunt, id eſt, iuxta ſui nominis notationem, inflammati, amore vtique; ab eo nimirum amore, quem in Deo infinitum agnoſcunt; Eo igitur alarum motu quaſi flabello quodam videntur incendium illud amoris refrigerare, aut in ſuo aut in diuino pectore, cui aſſiſtunt. Vis ergo amoris ardentiſſimi, atque vt ita dicam, violentiſſimi, eo ſymbolo ſatis accommodatè ſignificatur. Plura de harum alarum ſignificatione traduntur à patribus, quæ videre cuilibet promptum eſt.

[k] *Et clamabant alter ad alterum.*] Hoc canticum ἀλλήλων eſſe, id eſt, alternis vocibus à Seraphinis ingeminatum, ſentiunt communiter Patres. Damaſcenus *in opere de Triſagio* docet ab his Seraphinis didiciſſe Eccleſiam alternis decantare pſalmos in modum Dramatis, ſeu Dialogiſmi. Obſeruat autem Cyrillus non ideo Angelo Angelum in cantando ſuccedere, quia defatigentur, ſed quia ſibi ipſis mutuum honorem tribuunt, omnia enim cœleſtia ordinata ſunt. 16.

[l] *Sanctus, Sanctus, Sanctus.*] Hinc quidam exiſtimant totius Trinitatis imaginem obiectam eſſe prophetæ: quomodo verò hinc ſingulas perſonas agnoſcant, vide Athanaſium *infrà* & Riberam *in cap.* 3. *Malachiæ num.* 6. Hoc tamen Triſagio, id eſt, *Sancti* nomine ter repetito ſignificari ſacroſanctum Trinitatis myſterium, docent *hic* Hieronymus, & Cyrillus, Baſilius *lib.* 3. *de Spiritu ſancto.* Dionyſius *de cœleſti Hierar. cap.* 7. Auguſt. *de fide ad Petrum cap.* 1. Athanaſ. *de incarnatione Verbi* paulò ante medium, & *de communi eſſentia. titulo, declaratio ſanctam Trinitatem ſedere in throno excelſo.* Gregor. *lib.* 29. *Moral. cap.* 16. Epiphanius *in Ancorato.* Damaſcenus *ſuprà.* Et ita omnino dicendum; ter enim repetito *Sanctus* tres perſonæ, & illa voce in ſingulari numero, *Dominus Deus Sabaoth*, Vnitas oſtenditur. Si quis tamen hîc etiamiam aliquam Chriſti laudem explicari putet terna illa acclamatione, non credo in eam cogitationem veniret ſine optima coniectura. Nam primùm ſermonem hîc eſſe de Chriſto habemus ex Ioanne *c.* 12. cum enim de Chriſto ibi loqueretur, vt promptum eſt legenti, addidit. *Hæc dixit Iſaias, quando vidit gloriam eius, & locutus eſt de eo.* Verba autem ſunt illa, quæ mox ſequuntur. *Audite audientes, & nolite intelligere; & videte viſionem, & nolite cognoſcere: excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, &c. & conuertantur, & ſanem eum.* Quæ Ioannes ſecutus magis ſenſum quàm verba, Apoſtolorum more paulò aliter expreſſit. *Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, vt non videant oculis, & non intelligant corde: & conuertantur, & ſanem eos.* Deinde ſatis notum, atque vſitatum eſt, quod in aliquo genere eximium eſt, ternario numero ſignificari. *Apoc.* 8. repetito ter *væ* grauem cladem hominibus denunciat. *væ, væ, væ, habitantibus in terra.* Et *Eſther cap.* 8. eodem numero explicatur imperij amplitudo. Nam vbi vulgatus habet, *centum viginti ſeptem prouinciis:* Textus Hebraicos legit terriò iterata voce. *Prouinciam, Prouinciam, Prouinciam.* Et cùm maximè vrgetur ſponſa *Cant.* 4. vt de Libano veniat, ter audit à ſponſo, *veni.* Apud externos exempla ſunt obuia, qui τρισμέγιστον, id eſt, *termaximum* appellarunt Mercurium; & honores *tergeminos* ampliſſimos vocant; & quod ſæpe & cum magna contentione fit, *ter* fieri dicunt. Ex his videbatur dici poſſe non improbabiliter Chriſtum hîc dici à Seraphinis *ter ſanctum*, id eſt, ſanctiſſimum, aut τρισάγιον, ſicut alius τρισμέγιστος vocatus eſt, de quo nuper. Sed quia prior illa expoſitio de 17. Chriſti laus. Ternarius numerus amplificat.

Trini

Trinitatis myſterio communior eſt, illi adhætendum cenſeo.

18. m *Et commota ſunt ſuperliminaria cardinum à voce clamantis: & domus repleta eſt fumo.*] Hac illuſtri imagine Hieronymus, & Cyrillus, & S. Thomas vaſtitatem Ieruſalem portendi putant. Succedit enim antiquæ gloriæ, atque ſplendori caligo, & fumus à Chaldæorum nimirum, ac Romanorum incendio. Et templum illud, quod ſuo ſibi cultui Dominus elegerat, delendum ſignificari videtur ſuperliminarium commotione. Quod ſi cum L x x. legas, *Eleuatum ſuperliminare*, portendi videtur adytis, ac templo relictis exceſſutum eſſe Deum ad cuius egreſſum latè ſe fores, ac ſuperliminaria laxabant. Hæc quidem probabilia; ſed obſtat quòd poſt cardinum templi concuſſionem, repletámque domum vndanti fumo, in templo adhoc remanſit Deus, & Seraphinus ad prophetam miſſus eſt, qui carbone polluta purificaret labia. Quare placet magis quod Hieronymo viſum eſt *ſuper cap.* 4. ad illud *fumum, & ſplendorem ignis*. Vbi hunc etiam locum exponit, putátque in fumo gloriam ſignificari; qood etiam ſenſit Chryſoſtomus in illod *ad Hebr.* 12. *non enim acceſſiſtis ad tractabilem, & accenſum ignem, & turbinem, & caliginem.* Vbi multis docet Dei olim maieſtatem in fumo, ac nebula apparuiſſe. Exiſtimo ergo hæc non ad templi vaſtitatem, Iudæorúmque interitum pertinere, ſed in eis diuinam maieſtatem, qualis antiquis obiici ſolebat, eſſe demonſtratam. ad quam etiam ſpectant & prolixæ veſtimentorum laciniæ, & illa de ſanctitate tergemina, aut certè tergeminata Seraphinorum acclamatio. Neque deſunt plurima, eáqoe grauiſſima in eam ſententiam Scripturæ teſtimonia, quæ oſtenduut cum Dei ſplendore, ac gloria fumum quoque, ac caliginem interceſſiſſe, quæ vide apud Chryſoſt. *ſuprà*; Nos hîc aliquot adducemus. 3. *Reg. cap.* 8. vbi arca introducta eſt in templum, dicitur, *Factum eſt autem cùm exiſſent ſacerdotes de ſanctuario, nebula impleuit domum Domini. Et non poterant ſacerdotes ſtare, & miniſtrare propter nebulam: impleuerat enim gloria Domini domum Domini. Tunc ait Salomon, Dominus dixit vt habitaret in nebula.* Idem repetitur 2. *Paralip. cap.* 5. *Exod. cap.* 20. *Moyſes autem acceſſit ad caliginem in qua erat Deus. Pſalm.* 17. *Poſuit tenebras latibulum ſuum.* Fumum autem ad ſuam maieſtatem, & gloriam pertinere docuit ipſe Dominus. *Leuit.* 16. de ſacerdote. *Aſſumptóque thuribulo, quod de prunis altaris impleuerit, & hauriens manu compoſitum thymiama in incenſum vltra velum intrabit in ſancta; vt poſitis ſuper ignem aromatibus nebula eorum, & vapor operiat oraculum.* Et in viſione non valde diſſimili, quæ eſt apud Ezechielem *cap.* 10. dicitur, *& eleuata eſt gloria Domini deſuper Cherub ad limen domus, & repleta eſt domus nube, & atrium repletum eſt ſplendore gloriæ Domini.* in quo loco Pradus multa in hanc noſtram ſententiam adducit.

Fumus, caligo, & nebula ad Dei maieſtatem pertinent.

19. n *Et dixi, væ mihi quia tacui.*] L x x. *quia compunctus ſum.* Vtrumque ſignificat vox נדמה *damah*, qoæ ſilētium importat. Nam *ſilentium* in Scriptura pro clade ſumitur, aut graui aliqua afflictione, ſeu conſternatione animi, quæ ſilere cogit. Quare 1. *Machab.* 1. terra ſiluiſſe dicitur in conſpectu Alexandri, id eſt, ita concuſſa metu, vt neque mutire fuerit auſa. Idem dicitur de Moab infrà *cap.* 15. & de Aſcalon *Ierem. cap.* 47. de quibos ſermo eſt, quaſi de re omnino profligata, & perdita. Vide quæ diximus ad illud *Zachariæ* 2. *ſileat omnis caro.* Et hoc ſenſu videri poteſt ſiluiſſe Iſaias, id eſt, grauiter affectus eſſe dolore, ac metu, aut alia vehementi perturbatione. Quemadmodum Ezechi. *cap.* 2. viſo Domino cecidit in faciem ſuam. & Dan. *cap.* 10. de ſe ſcribit, *vidi viſionem grandem hanc, & non remanſit in me fortitudo.* & iterum. *Domine in viſione tua diſſolutæ ſunt compages meæ, & nihil in me remanſit virium.* Neque defuiſſe videtur cauſa, præter Dei maieſtatem, quam intuebatur, quæ robur omne, atque audaciam debilitat, ac ſternit, cùm propter minas, aut propter animi infirmitatem reprehendere noluerit Oziam Regem, qui alienom miniſterium temere, atque arroganter aſſumens, Deum, cuius tunc apparebat tam illuſtris gloria, contempſiſſe videbatur. Nam cùm leproſus Dei præcepto extra ciuitatem expelli debuiſſet, Ozias tamen non extra, ſed intra ciuitatis mœnia, licèt in ſeparata domo reliquum peregerat ætatis. Debuit autem Iſaias, vt pote propheta Dei, magnæ præterea autoritatis inter alios, vt qui ortus eſſet è regia familia, laborare, vt communem leproſorum legem Rex etiam ſubiret. Succubuit tamen communi metui, & quemadmodum reliqui, ſic ipſe pariter obmutuit, permiſitque ne Rex extorrem ageret vitam extra vrbem. Et ideo ad hæc accommodatè ſubdit. *In medio populi polluta labia habentis ego habito*, ac ſi dicat, ego factus ſum quaſi vnus è media turba, quæ in tam graui caſu mutire non eſt auſa; cùm tamen aliis tacentibus mihi omnino ſilendum non fuerit, qui propheta ſum. Et hûc facit quòd propheta meminit viſionem hanc contigiſſe mortuo Ozia, quaſi notauerit ex populi conniuentia, aut ex neglecta religione ad mortem vſque manſiſſe leproſum regem.

Siue ergo hîc ſermo ſit de Ozia, qui hoc ipſo anno mortuus eſt, ſiue de aliis populi peccatis, quæ non ſatis, aut fortiter reprehendit, dolet Iſaias quòd tacuerit, habuerítque labia pollota, id eſt, impedita, ſicut reliqui de populo, quorum linguam conſtrinxit aut metus, aut largitio. Nunc verò ideo præcipuè dolet, quia tantæ maieſtatis, quam in excelſo throno intuebatur, præceptum temeratum videt. Sic puto componi poſſe verſionem L x x. cum verſione vulgati in hanc ſententiam. *Væ mihi quia ſilui*, id eſt, quia conſternatus metu obmutui, & ideo labiis peccatum contraxi. Quæ explicatio non diſplicet Hieronymo, & illam probat Haymo.

Aliter locus iſte exponitur ab aliis, in quibus eſt Hieronymus, Cyrillus, Haymo. Quaſi propheta ſe ipſum reprehendat, quòd Deum non laudauerit, quem à Seraphinis tantopere laudari viderat. Cùm verò maximè cuperet ſocium ſe adiungere cœleſtibus cantoribus, retardabatur quòd labia haberet immunda, perinde ac ſi vnus eſſet à populo, cui polluta ſunt labia: (nam ex vſu Scripturæ nota ſimilitudinis hîc ſubaudienda eſt, hoc ſenſu; ſum veluti vnus ex immundorum numero, vel quaſi is, qui cum immundis habitat) neque ideo ipſi liceret ad illud opus conari, nam immundis, atque prophanis ad ſacrum illud munus accedere religio vetat. *Pſal.* 49. *Peccatori autem dixit Deus, quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis nomen meum per os tuum?* Et, *Non eſt pulchra laudatio in ore peccatoris. Eccl.* 15. Hæc itaque cauſa retardabat prophetam ne cum Angelis ſimul Deum laudaret. Non quòd animus noo eſſet ad illud officium, 20.

Dei reuerentia.

Digitized by Google

officiom,atque conatum promptus; ſicut Petrum, alioqui Chriſti amao tiſſimum ab eius conſpectu atque conſortio reuocabat ſuæ tenuitatis, ac peccatorum conſeientia. Atque ideo cùm maximè coperet adhærere Chriſto, quia ſe prophanum atque immundum putabat, dicebat tameo: *Exi a me Domine, quia homo peccator ſum.*

21. Dei conſpectus elingues facit.

Quia io loco verſamut obſcuro, variéque ab aliis explicato, nemini credo moleſtum erit, ſi aliis etiam modis explicare tentemus: forſitan aliqua ex multis expoſitionibus placebit. Sanè improbabile noneſt Iſaiæ labia ex Dei conſpectu re vera polluta, id eſt, impedita fuiſſe; ſicut ex Dei conſpectu Moyſes impeditioris linguæ fuit *Exod.* 4. Quod indicare videtur Propheta, cùm dicit: *Et regem Dominum exercituum vidi.* vbi illud, *&*, cauſam indicat impedimenti noui, quod ſæpe non tam coniungit extrema quàm rationem reddit, vt docuimus *Act. cap. 7. num.* 21. Exemplum habemus apud hunc Prophetam *cap.* 54. *Ecce tu iratus es, & peccauimus*, id eſt, quia peccauimus. Hoc ſenſu. Quia Dominum vidi, loqui non poſſum; ſicut populi, qui barbari ſunt, & elingues. Sic ergo ſecum dolenter propheta loquitur: Væ mihi, quia tacui, neque laudaui maieſtatem tantam, quam ab Angelis tanto ſtudio nunc laudari video: tacui, inquam, cùm loqui poteram; nunc autem ex quo Deum vidi, non poſſom noo tacere, etiamſi loqui cupiam; quia impedita liogua, erepta mihi eſt omnis loquendi facultas. Sed iore hæc patior, quia quando cùm poſſem loqui, nolui, nunc cùm maximè volo, loqui non poſſum. Facit ad hanc explicationem, quia ſtatim purificata ſunt Iſaiæ labia, & ſublatum illud impedimentum, quod ex diuino conſpectu natum videbatur.

22. Dei cognitio humilitaté in nobis gigait.

Hic pro re morali obſeruandum ex diuino conſpectu id conſequi religioſam animam, vt ſe ipſam cognoſcat, ſubmiſſiúſque de ſe, rebúſque ſuis ſentiat. Si ante hoc tempus vaticinari cœpit Iſaias, quod nonnulli putant; ſatis conſtat ea quinque capitibus præcedentibus, quàm antè fuerit facundus; nuuc in conſpectu Domini, & audita ea ſuauitate, qua à Seraphinis laudatur Deus, mutum ſe putat, & elinguem. Fuerat Moyſes prius eloquentiſſimus, vt dicit Stephanus *Actor. cap.* 7. nam cùm ageret de tempore, quo erat in Pharaonis aula, Regi gratus, & eius filiæ exiſtimatus, aut educatus pro filio, dicit: *Erat potens in verbis*; At cùm agere cœpit cum Deo familiariùs, dixit: *Non ſum eloquens ab heri, & nudius tertius, & ex quo locutus es ad ſeruum tuum.* Ita Origenes *hom.* 3. *in Exod.* Gregorius *hom.* 8. *in Ezech.* Philo *lib.* 1. *de vita Moyſis.* Vide quæ in noſtris Commentariis diximus ad hunc locum.

23. ° *Et in medio populi polluta labia habentis ego habito.*] In medio idem eſt quod *inter*, vt alibi à me dictum eſt. Pollota labia fortaſſe eadem ſunt, quæ prophana ſeu communia; quando, quæ eiuſmodi ſuot, communia dicuntur. quo ſenſu dixit Petrus *Actor.* 10. *Nunquam manducaui, quod commune, aut immundum eſt.* & *Marc.* 7. *communes manus* dicuntur, *quæ immunda ſunt & illota. Cùm vidiſſent* (ſcilicet Phariſæi) *quoſdam ex diſcipulis eius communibus manibus, id eſt, non lotis manducare panes.* Labia ergo ſua, quæ Deo conſecrata eſſe debuerunt, cùm eſſet propheta Domini, vulgaria, atque prophana eſſe dolet, quaſi eſſet vnus è populo in quo labia plerumque polluta ſuot, atque communia.

24. Obſeruant hîc Hieronymus, & Cyrillus quàm ſit hominibus, etiam qui magnos in ſanctitate fe-
A cere progreſſus, pernicioſa improborum ſocietas. A pollutis labiis eorum apud quos agebat, id conſecutus eſt Iſaias vir tantus, vt ipſe quoque labia habuerit polluta. Quid ergo nobis ab illis timendum non erit, quibus neque lingua eſt, neque mores admodum honeſti? Illud *&*, vt nuper oſtendimus, cauſa eſt, rationémque oſtendit cur polluta fuerint Iſaiæ labia: quia nimirum habitabat inter viros polluta habentes labia. Quod etiamſi frequenter contingat, quicumque illi ſint, quibus cum familiariter viuitur; tameo ſi illis accedat ſiue à doctrina, ſiue à nobilitate autoritatis aliquid, vim habent ad polluendam linguam potentiſſimam. Didicere ab Ariſtotele balbutiente balbutire diſcipuli, & ab Alexandro eius familiares vocis aſperitatem
B expreſſere, neque illi in balbutiente, ac hæſitante lingua, neque hi à voce aſperum aliquid, & horridum ſonante, aliquid indecorum eſſe exiſtimabaot: vſque adeò rebus etiam abſurdis, & illiberalibus potentiorum exemplum autoritatem conciliat.

Quàm perniciosa improborum ſocietas.

25. An Seraphini mittantur.

ſ *Et volauit ad me vnus de Seraphim.*] Quærunt hîc aliqui quomodo, cùm è ſupremo Angelorum ordine nemo mittatur, hic miſſus dicatur vnus de Seraphim, qui in illo numerantur ordine. Quæſtio hæc multis à ſcholaſticis tractatur, apud quos non omnioo conſtitutum eſt, an ex ſupremo ordine aliquis mitti ſoleat. Neque verò apparet aliquid abſurdi, ſi in grauioribus negotiis aliquem ex eo choro miſſum eſſe dicamus: vt in legatione ad
C Mariam de Verbi incarnatione, quam obiiſſe ex ſupremo ordine aliquem ſatis eſt veriſimile. Sed neque, ſi illud concedamus, hic ſequitur aliquid, quod in ea ſententia minùs conſequenter aſſeueretur. Nam iſti Seraphini, de quibus Iſaias, non tam dicuntur Seraphini ab eo ordine, quàm ab officio: vt etiam obſeruauit Dionyſius *cap.* 13 *de cœleſti Hierarch.* Nam cùm ab ipſis per ignem purificata fuerint Iſaiæ labia, iure optimo Seraphini, id eſt, inflammantes vocati ſunt. Vide Patrem Gabrielem Vazquez, *in* 1. *p. S. Thom. diſp.* 144. *nu.* 12. Neqoe aliquid diceret meo iudicio abſurdi, qui illis ſpiritibus datum illud nomen ab Iſaia exiſtimaret, qoia ad exequeodam diuinam voluntatem ardentes ſunt, & expediti; vt eoim angeli propter
D celeritatem *venti* dicuntur, ſic etiam propter eandem cauſam *ignis* appellantur. *Pſal.* 103. *Qui facis angelos tuos ſpiritus*, (id eſt, *ventos*) *& miniſtros tuos flammam ignis.* Vt ergo alati finguntur, vt eo modo venti naturam, & velocitatem referant, ſic etiam ardentes, & ignoti dicuntur, vt ignis natura illis ineſſe ſignificetur.

26. q *Et in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari.*] Pro *calculo*, Hebr. רִצְפָּה *riſpa*, id eſt, *pruna*, quia calculo candenti, id eſt, carbunculo, ſeu pyropo ſimilis. Prunam autem fuiſſe conſtat, tum quia forcipe, tum quia de altari nempe thymiama-
E tis, aot holocauſtorum ſumpta eſt, quod etiam perſuadet Eccleſiæ autoritas, quæ in miſſæ ſacris Iſaiæ labia calculo ignito dicit eſſe mundata. Vbi autem primùm tacta ſunt Iſaiæ labia, ſublata eſt iniquitas, & datus linguæ expeditus vſus, aut certè redditus, ſi fortè priùs fuerat ablatus. Iniquitas ex vſu Scripturæ & peccatum ſignificat, & pœnam, quæ peccati merita conſequitur. Vtrique ſignificationi locus hîc eſſe non poteſt. Nam ſi peccatum adhuc, id eſt, ioſirmitas inerat in prophetæ labiis, quia videlicet ad hoc timidus erat, & elinguis, ſicut alius quilibet è media turba; illud peccatum expiatorio calculo
ſubla

ſublatum eſt: & ideo iniuſta ſunt labia, quæ fuerant illius timidæ taciturnitatis inſtrumentum; ad eum ferme modum, quo in extremo agone ſacro oleo illæ fidelium partes inunguntur, quæ fuerunt peccatorum inſtrumenta. Sin autem labiorum, linguæque balbuties peccati pœna fuit, illa pœna aut remiſſa fuit à Deo, aut in dolorem, qui capi ab illa aduſtione potuit, commutata. In vtramque expoſitionem idoneè conuenit quod ſequitur: *Ecce tetigi hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua.* Iniquitas, inquam, tua contracta, vel quia non reprehendiſti populum, vel quia Deo victimas labiorum tuorum, id eſt, laudes tantæ maieſtati debitas non exoluiſti.

27. Hinc interim obſerua aliter Ieremiæ, aliter Iſaiæ ſublatum fuiſſe linguę impedimentum. Nam illi *Ierem cap.* 1. ſoluta lingua fuit, & ad loquendum expedita digito Dei. Sic enim de ſe Ieremias cùm dixiſſet, *A, A, A, Domine Deus ecce neſcio loqui.* ſubdidit. *Et miſit Dominus manum ſuam, & tetigit os meum.* huic verò iniuſtis labiis carbone cadenti. Quidam putant ideo ſeuerius Iſaiæ labia fuiſſe purgata, quia cùm vir eſſet, haberétque ab aliquo peccato polluta, examine indigebat magis ſeuero; At cùm Ieremias eſſet puer, impedimentúmque balbutientis linguæ, à natura, atque ætate potiùs haberet, quàm à culpa, mitiorem medicinam illi adhibitam eſſe oportuit. Hæc fortaſſe vera ratio eſt, & ad morum diſciplinam non inepta. Sed fortaſſe alia neque magis aliena, neque minùs grauis alicui iudicabitur, quæ non à prophetarum meritis ſumitur, ſed à materiæ dignitate. Cùm enim magnus propheta Iſaias Euangelij tempus ſpectaret, & euangelicus propheta Chriſti geſtis linguam conſignaret, & conſecraret ſuam, oportuit vt ea lingua quæ Chriſto atque Euangelio ſeruiebat, igne eſſet purificata, atque ignita; neque igne alio, quàm qui Seraphinorum opera ſumptus eſſet ex altari. Quomodo enim Chriſti geſta inflammata pariter, atque inflammantia tractaret, frigida atque exanimata lingua? Et ſicut Apoſtolis in igneæ linguæ ſimilitudinem Spiritus ſanctus datus eſt, quia igneo ſpiritu inflammari debuit Apoſtolica lingua, ſic viro Apoſtolico lingua dari non debuit niſi ignita. Seu certè quia id videbatur optare Iſaias vt ſocium ſe adiungeret Seraphinis ad diuinæ maieſtatis præconia, expediebat ne ſegni, id eſt, ſine igne, atque emortua lingua opus illud tentaret.

Concionatoris qualis futura lingua.

28. Obſcurum eſt quid calculus ille ſumptus ex altari portendat. Neque illud, quicquid eſt, poteſt eſſe non eximium. Baſilius *hic*, Hieronymus *epiſt.* 142. *ad Damaſum.* Hogo, & Haymo, *verbum Dei* eſſe putant, iuxta illud *Ierem.* 23. *Nonne verba mea quaſi ignis.* & *Pſal.* 118. *Ignitum eloquium tuum vehementer.* Quod ſi ita ſtatuis, altare, vnde ſumptus eſt ille calculus, aut eſt vtrumque teſtamentum, in quo verba Dei ſunt ignita; aut certè vt Haymo, atque Hugo ſentiunt, Chriſtus, cuius ſermonem igneum eſſe experti ſunt duo illi diſcipuli, qui *Lucæ* 24. dixerunt, *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via?* Cyrillus, & Procopius, & Damaſcenus *lib.* 4. *fidei, cap.* 14. carbonem hunc, ſeu calculum candentem, *Verbum* eſſe dicunt *incarnatum.* Quod myſterium optimè explicatur eo ſymbolo. Nam ignis ita diſtinguitur à ferro, vel à ligno, quod candet: vt neque ferrum in ignis, neque item ignis in ferri naturam transformetur: Ita tamen vniuntur arctè, vt nulla pars ferri, aut ligni ſit non ignita. Quod omnino in hoc auguſtiſſimo myſterio accidit. Cúmque hic calculus Chriſtum Dominum nobis adumbret, maximè autem in Euchariſtia: neque enim ſine cauſa ſumptus eſt de altari. Ille ergo candens calculus ſic vrit labia, vt illa imprimat cœleſti nota, conſignétque prophetarum, & virorum Apoſtolicorum linguam Euangelio; ita vt ab ore, cui ille character impreſſus eſt, nihil ſonet niſi purum, niſi euangelicum, niſi diuinum; nihil aſpiret niſi igneum ab illo cœleſti igne, quem Deus venit mittere in terram. Hoc ſanè deberi Euchariſtiæ myſterio ab his, quibus illius copia facta eſt, edicit Chryſoſtomus *homil.* 61. *ad Popul. Tanquam leones,* inquit, *ignem ſpirantes ab illa menſa recedamus facti diabolo terribiles.*

Verbum incarnatum.

Euchariſtiæ vis.

29. Aliqui exiſtimant, & in his Hieronymus ſuprà, *epiſt. ad Dama.* calculum *ſpiritum* eſſe *propheticum,* quo blæſa, ac titubantia labia expediuntur, formantúrque. Quo aliquid nouum prophetæ, & nouo ſpiritu, atque ardore, & concipiant ipſi, & audacter ad populum, & fortiter effundant. Qui ſanè ſpiritus infantes, & elingues, diſertos facit. Hic Ieremiam infantiles tantùm, ac penè informes expromentem ſonos, eloquentem fecit *Ierem. cap.* 1. cui Dominus blæſum, atque infantile aliquid ſonanti dixit: *Ecce dedi verba mea in ore tuo.* verba autem Dei ignis ſunt. *Ierem.* 23. Et verò datum hìc Iſaiæ ſpiritum propheticum, ſatis eſt conſentaneum his, quæ pręceſſerunt. Neque enim credibile eſt Iſaiam, ſi ante hoc tempus ſpiritum habuiſſet propheticum, habiturum fuiſſe polluta labia, ſicut habuerunt reliqui de populo; qui vt moribus fuerunt inquinatiſſimis, ſic etiam linguam, quæ moribus plerumque aſſonat, habuiſſe contaminatam, & ſacrilegam veriſimile eſt. Certè aliquod peccatum aut peccati macula, quæ propheticis inſederat labiis, exuſta fuit. Quam contractam fuiſſe ex quo diuino fuit inſtinctus afflatu non eſt admodum credibile. Facit ad hoc quod quemadmodum Ieremias narrat *cap.* 1. quomodo prophetico fuerit initiatus ſpiritu: ſic modo Iſaias idem videtur oſtendere voluiſſe. Et ſicut, vt obſeruauit Hieroymus, quia Ieremias dixit, ſibi deeſſe verba, quòd puer eſſet, verba illi data ſunt: ſic quia Iſaias dixit ſibi polluta eſſe labia, ipſis purificatis factus eſt prophetiæ miniſter.

Spiritus propheticus.

Veriſimile eſt hic datū eſſe Iſaiæ ſpiritū propheticum.

30. At occurret aliquis, dicétque qood primùm ab hac viſione traditum eſt, eſſe primum Iſaiæ vaticinium, quia ſanè nunquam propheticum edidit oraculum niſi deſignatus propheta. Id verò pugnat cum primis Iſaiæ verbis, quæ teſtantur ipſum prophetaſſe ſub rege Ozia; At hæc viſio contigit Ozia iam mortuo. Quare non apparet quomodo verum ſit ab Iſaia prophetatum eſſe ſub Ozia. Sed non nimis noſtram explicationem premit hæc obiectio: neque enim hoc capite dicitur viſionem hanc illuſtrem obiectam fuiſſe Iſaiæ Ozia mortuo; ſed eo anno quo mortuus eſt; potuerunt tamen eodem anno, non tamen poſt mortem iſta contigiſſe. Quòd verò prophetæ, qui hiſtoriam non texunt, alium in ſcribendo ordinem ſecuti fuerint, quam rerum geſtarum tempus, & ordo poſtulabat, ſatis indicat tota Ieremiæ prophetia; in qua multa narrantur poſteriùs; quæ multo antea contigerunt. Sic puto, quæ hactenus accepimus à propheta ad caput vſque ſextum, poſt illuſtrem hanc viſionem fuiſſe ab Iſaia prædicta. Neque acris illa reprehenſio, quæ Hebræorum optimates appellauit Sodomorum principes, & alia quæ hactenus dicta ſunt, propheticæ libertatis, atque acerbitatis plena, ab aliis, quàm ab inflammatis labiis oriri potuerunt.

Cœpiſſe prophetare videtur Iſaias non mortuo Ozia, ſed eo quo mortuus eſt anno.

Hæc

Hæc mihi videntur dici poſſe ſatis veriſimiliter, quod cum Hieronymo ſentit Dionyſius Carthuſ.

31\. [f] *Ecce tetigi hoc labia tua.*] Quidam codices habent *tetigit*, conſentaneè ad textum Hebraicum. ſed ſenſus idem. Cùm enim Angelus manu geſtaret calculum, ſi calculus tetigit, tetigit vtique Angelus medio calculo. Niſi mauis hic Seraphinum vulgari Scripturæ more de ſe in tertia perſona loquutum fuiſſe. Quod fecit Iſaias infrà *cap.* 22. *Expellam te de ſtatione tua, & de miniſterio tuo deponam te.* Hebr. *deponet.* & *cap.* 42. *Cui peccauimus, & noluerunt in vias eius ambulare.* id eſt, noluimus. Exempla plura occurrent ſæpius in hoc propheta.

[t] *Et peccatum tuum mundabitur.*] Enallage eſt in Scriptura frequens, pro, *mundaberis à peccato.* Sic *Leuit.* 24. *Sacerdos cùm inuenerit lepram eſſe mundatam, præcipiet ei, qui purificatur.* & 3. *Reg.* 14. *Sicut mundari ſolet fimus*, id eſt, domus à fimo. & *Mat.* 8. *Confeſtim mundata eſt lepra eius.* Et ſuprà *c.* 1. *Si fuerint peccata veſtra vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur.*

32\. [u] *Quem mittam, & quis ibit nobis?*] Ex hac coniunctione ſingularis cum plurali numero, nempe *mittam*, & *nobis*, elucet Trinitatis myſterium. ſicut etiã ſuprà in nomine *ſanctus* ter repetito. vbi obſerua etiamſi iam Iſaias eſſet prophetico inſtructus ſpiritu, & lingua ad ſermonem expedita; non tamen cogi, vt eis vtatur, diſcriménque adeat propoſitæ mortis. Sed tantùm inuitari propoſita tantùm Domini voluntate, quæ ingenuo atque fideli ſeruo tanti momenti inſtar eſſe debet, vt pro imperio ſuſcipienda ſit. Voluntas Domini ſatis illis verbis exprimitur: *Quem mittam, & quis ibit nobis?* Quæ deliberatio eſt de aſciſcendo ſuſcepti conſilij idoneo ſocio.

Deus miniſtris ſuis adeſt.

Illud *nobis*, ſi ſumatur pro *nobiſcum*, quod durum non eſt, excitare vehementer debet languentes, ac timidos animos eorum, quos Deus ſuo mittit nomine, ad cauſam ſcilicet Euangelij, reíque Chriſtianæ. Habent enim ſecum tam pij negotij ſocios non tantùm Angelos, cum quibus hîc etiam videtur Dominus locutus, ſed etiam totam Trinitatem. S. Thomas, & Hugo datiuum illum *nobis* acquiſitiuè exponunt in hanc ſententiam. Quis ibit, qui noſtram gloriam quærat, non ſuam? Qui ſanè pauci ſunt: *Omnes enim quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Ieſu Chriſti. ad Philip.* 2. Vbi notandum & grauiter dolendum eſt, iis etiam, qui à Deo ornati ſunt, atque inſtructi multis ad Apoſtolicum miniſterium donis. non tutò committi Euangelij, id eſt, Chriſti cauſam. Quando purificatis igne ranti prophetæ labiis, ipſóque illuſtri illa viſione confirmato, adhuc tamen deliberat Deus, quis mitti poſſit.

33\. [x] *Et dixi, ecce ego, mitte me.*] Iam expertus in ſe propheta fuerat, & ſolutam linguam, & nouam quandam vim additam animo ſuo, qua interius vrgente, vbi de vno quæri videt, cui tantæ legationis prouincia demandetur, vltro impetum præuertit, occurritque alacer, paratus ſubire pro cauſa Domini quodcumque diſcrimen. Neque minori conſtantia imperata præſtitit, quàm ſuſcepit.

Cõparatio inter Moyſem & Iſaiã.

Hieronymus *epiſt.* 142. *ad Damaſum.* refert quæſtionem, quam inſtituerat Hebræus quidam, quem in Hebraicis magiſtrum habuit, qui conferebat Moyſem, qui oblatam prouinciam recuſabat *Exod.* 4. dicebátque poſt iniunctam ſæpe legationem, *Obſecro Domine mitte quem miſſurus es.* cum Iſaia, qui vltro ſe ad illam legationem obtulit, in qua magnum proponebatur periculum, maximè cùm nondum illi compertum eſſet, ad quod miniſterium eſſet mittendus. Vtrumque verò dicit commendandum, alterum ab humilitate, propter quam datum ſibi negotium refugiebat, alterum quia vltro depoſcebat laborem non tam ſuis meritis, ac viribus, quàm diuina miſericordia confiſus, à qua iam purgatus, & expeditus ſentiebat ſe à Deo ad aliquod opus vocari.

Sed illud non omittendum, quod ex eodem Hebræo refert ibidem Hieronymus, & ſuper hunc locum in Commentariis, quódque ipſe non videtur improbare; probat certè Hugo. Qui oſtendunt quàm ægrè quis adducatur, vt aliis aduerſa annunciet, atque moleſta. Cùm enim, inquit, neſciret propheta quid ſibi poſt mundata labia dandum eſſet negotij, vltro illud expetiuit; non facturus cũ tanta alacritate atque ſtudio ſi intelligeret durum ſe nuntium allaturum ſuæ Gentis hominibus. Quare poſtea *cap.* 40. cùm iterum vox diuina dixiſſet, *clama*, cùm ſciret quanti ſibi ſtitiſſet clamor alius; nihil promittit, ſed cautè interrogat *quid clamabo?* Sed certè Hebræus ille honeſtiùs de Iſaia loqui potuiſſet. neque enim piè credendum eſt de tam ſancto propheta, retardatum iri propoſito honoris, vitæque diſcrimine, quominus expleret quicquid accepiſſet negotij ab eo, quem in tanto ſplendore, ac maieſtate viderat: cuíque ſumma omnia deberi cognouerat.

[y] *Audite audientes, & nolite intelligere: & videte viſionem, & nolite cognoſcere.*] Præmiſit hæc tam grauia, atque auguſta ſanctus vates, vt eorum illuſtri narratione excitatus populus, maiori ſtudio, atque attentione, quæ ſequuntur audiat, ſecúmque diu, ac multùm expendat. Porrò notum eſt, & geminatis vocibus, aut eorum coniugatis epitaſim ineſſe: & imperatiuum ſumi pro futuro; quod ſi alibi incertum, hîc tamen ita certum eſt, vt dubitare nemo piè poſſit, per futurum enim hunc locum expoſuit, & Paulus *Act. cap. vltimo, Aure audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non intelligetis.* & Chriſtus ipſe *Mat. cap.* 13. eodem fermè modo. Quare hîc non imperat Deus, & eius nomine Iſaias, vt populus audiens iſta non intelligat, & videns non cognoſcat; ſed prædicit futurum, vt illa de quibus admonendus eſt, propter ſuam duritiam, & obſtinatum animum, neque audita intelligat, neque viſa cognoſcat. 34.

[z] *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua.*] 35.
Locus hic valde impeditus eſt; tum propter difficilem ſenſum, quíque non admodum videtur conuenire; aut in diuinam benignitatatem, aut in prophetæ zelum, & animum ſuæ gentis ſtudioſum & amantem, & tunc primùm ſpiritu afflatum prophetico: tum etiam quia dubium eſt tribuenda ne ſint hęc verba Deo, vel Iſaię. Hieronymus Iſaiæ tribuit, ita vt precetur Deum, quando excæcato Hebræorum populo plenitudo gentium ad fidem, & Eccleſiam ventura eſt, ne tantum illud impediatur incrementum, vt excæcet oculos, obduretque aures Iudæorum, quem ſequitur ſanctus Thomas, Hugo, & Haymo, & vtraque gloſſa, interlinearis, & ordinaria. Alij putant conſentire magis filo, textúque ſermonis, ſi hæc verba Deo tribuamus: quod non reiicit S. Thom. & ſequitur Lyra, & è recentioribus plerique, Foreirus, Adamus, Emanuel Sa, Ianſenius *cap.* 5x. *concordia*, Toletus *in cap.* 12. *Ioannis.* Maldonatus *in cap.* 13. *Matth.* & ſatis videtur ex adiunctis probari poſſe. Nam cùm à

Deo

Deo ſint ſuperiora illa verba, *Audiens audietis*, & inferiora, *& ſanem eos*, videtur maximè conſentaneum, vt illud *excæca cor*, quod medium eſt, Deo quoque tribuatur.

Sed tunc duplex eſſe poteſt huius loci ſententia. Prior eſt, vt propheta ſic cum populo agat obſcurè, vt non modò non illuminet oculos, aures erudiat, ſed potiùs obnubilet, & obſtruat: deturque Dominus prophetæ ſuo librum omnino ſignatum. Quæ ſententia videtur ſatis probabilis ex his, quæ dicuntur; *cap.*29. *Et erit vobis viſio omnium ſicut verba libri ſignati.* Et affirmat valde quod *Matth.* 13. & *Marci* 4. *Lucæ* 10. cùm de hac Iſaiæ prophetia loquatur, vt apertè liquet *Ioan.* 12. Christus ait. *Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neque intelligunt: & adimpletur in eis prophetia Iſaiæ dicens. Auditu audietis, & non intelligetis*, &c.

36. Sed eſt alia expoſitio, & verior, & communior, omnium penè, qui ſecundo loco à nobis citati ſunt, non iuberi prophetam, vt caliginem offundat Iudæorum oculis ſed vt cæcos illos, aut eſſe tunc, aut futuros eſſe declaret. iuxta regulam ſuprà à nobis traditam *cap.* 3. ad illud, *Et dabo pueros principes eorum*, quæ tunc à nobis aliquid fieri dicit, cùm factum, aut futurum à nobis declaratur, aut prædicitur. Tradit hanc regulam Auguſt. *lib.* 83. *quæſt. q.* 69. & S. Thom. 1. *p. q.* 24. *art.* 3. *&* 3. *p. q.* 15. *art.* 2. *ad* 1. C Exempla ſunt obuia, & clara, & nos ſuprà aliquot adduximus. multa adducit Salmeron *Proleg.* 10. quinquagena 2. *Canon.* 6. quem omnino conſule. Præter illa hæc accipe *Leuit.* 13. cum de iudicio lepræ ſermo eſt, dicitur, *contaminabit eum* (leproſum) *ſacerdos*, id eſt, contaminatum declarabit. & *Iob cap.* 9. *abominabuntur me veſtimenta mea:* id eſt, oſtendent me eſſe abominabilem, & Iſaias infrà *cap.* 43. *contaminaui principes*, id eſt, declaraui contaminantes, ac tractaui quaſi eſſent contaminati. Sic ergo excæcaturus dicitur Iſaias cor populi, quia cæcum eſſe futurum prædixit. Et hæc explicatio mihi multò probatur magis in ſecunda ſententia, quæ mihi etiam videtur longè probabilior. Nam quòd à Deo hæc dicta fuerint ad prophetam, ipſe declarat non obſcurè; D oſtendit enim quando Deus ad ſe, & quando ipſe loquatur ad Deum. Res aperta eſt legenti.

Regula. Tunc aliquid ab aliquo faciendi dicitur, cù futurum prædicitur, aut declaratur.

37. a *Ne fortè videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & conuertatur, & ſanem eum.*] Quomodo excæcari oculi, & aggrauari cor dicantur à Deo, diſputant multis Scholaſtici. Poſtrema hæc verba planè docent, hæc ſuperiora à Deo fuiſſe prolata; ab eo nempe qui cæcis, & obduratis afferre ſanitatem poteſt. Ante *& conuertatur, & ſanem eum*, repetenda eſt negatio, quæ aliis fuerat præfixa vocibus. Quod vſitatum eſt, & maximè obſeruandum in Scriptura propter difficiles explicationes, quæ ex huius regulæ ignoratione naſcuntur. E Vt enim per zeugma voces aliæ repetuntur in aliis orationis membris, ſic etiam negatio quæ præceſſit; alioquin multa, quæ omnino negantur, pro cõceſſis, & affirmatis omnino accipientur. *Prou.* 30. *& nõ didici ſapientiã, & ſcientiam ſanctorũ noui*, id eſt, *& non noui. Pſ.* 142. *ne auertas faciem tuam a me: & ſimilis ero deſcendentibus in lacum.* Ante, *& ſimilis*, repetẽda eſt negatio. Qui loquendi modus nõ eſt prophanis inſolẽs. Vnde quidã Poëta.

Negatio ſæpe repetenda.

Neſcia mens hominum fati, ſortiſque futuræ,
Et (repete hic *neſcia*) *ſeruare modum rebus*
ſublata ſecundis.

A Ad hunc ergo modum hîc ſubauditur negatio. *Ne fortè videat*, &c. *& ne conuertatur*, &c. quam expreſſit Christus *Marci cap.* 4. dicit enim, *nequando conuertantur, & dimittantur eis peccata.* Quorum verborum in ſumma hæc eſt ſententia, iuxta poſteriorem explicationem, quam magis probabamus. Dic, ô Iſaia, aut eſſe aut futurum eſſe populum cæcum, & ſurdum, & corde obdurato: ita vt ſe ineptum diuinæ vocationi, & ſalutis incapacem reddat. Ex quo fiet, vt neque vitam mutet, neque ſalutem à mea benignitate conſequatur.

Hunc locum aliter reddidere L x x. Qui quoniam ſæpe in nouo Teſtamento, neque rarò aliter B quàm vulgatus habet, citari ſolent, paululum hîc moræ ponendum eſt. L x x. ita vertunt, *Incraſſatum eſt enim cor populi huius, & auribus ſuis grauiter audierunt, & oculos ſuos clauſerunt; ne fortè videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertant ſe, & ſanem eos.* Subeſſe autem vtrique tranſlationi eamdem ſententiam, aut certè non admodum diuerſam, mox oſtendemus. Quòd verò non eodem modo conuerſus fuerit locus; in cauſa fuit punctorum defectus; nam illæ literæ, quas in Hebraico codice nunc habemus, aliis atque aliis notatæ punctis paſſiuè accipi poſſunt, & actiuè; & per præteritum, & imperatiuum reddi: vt norunt qui Hebraicè mediocriter ſciunt. Priori modo legerunt Septuaginta, poſteriori Hieronymus: vtrique bene. Quare, non moror, ne regulis grammaticis nunc importunè implicer. Illud notandum, (in quo inter ſeptuaginta atque vulgatum maximum videtur eſſe diſcrimen,) noſtrum vertiſſe *excæca*. Septuaginta *incraſſatum eſt*. Si tamen hæc accuratè expendas, inuenies aut nullum, ac non niſi tenue eſſe diſſidium. In Hebræo eſt השמן *haſmen*, quod propriè *impinguare*, aut *incraſſare* ſignificat. cor autem quod craſſum eſt, & pingue, luxui ſcilicet, atque abdomini ſeruiens, parum eſt aptum cæleſtium rerum contemplationi; & ideo non longè abeſt à cæco. Quare communiter ſtolidi homines craſſo, pingui, atque obeſo ingenio eſſe dicuntur; & amentes nihil videre, aut intelligere. Quia ergo *oculus* prudentem deſignat, *cæcus* ſtultum, & D eumdem notat craſſitudo, ac pinguedo, hinc facilè intelligitur, quomodo diuerſa tranſlatione in cæco, craſſo, ac pingui, ſtultus, & inſipiens ſignificetur. In hunc ſenſum fortaſſe accipi poſſet, illud *Pſalm.* 72. *Prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum, tranſierunt in affectum cordis*, id eſt, tanquam à cæcis ex abundantia rerum, & vſu voluptatis; ita vt iam omnino ſuæ ſeruiant libidini. Et hunc ſenſum explicatiùs oſtendit textus Hebraicus, qui ſic habet. *Egreſſi ſunt præ pinguedine oculi eorum.* Vt vertunt communiter recentiores cum Hieronymo.

Craſſus, & cæcus idem qui ſtolidus, & cæcus.

Pſal. 72.

Nunc tranſlationem L x x. quæ ſæpius, vt videbimus ſtatim, in Teſtamento nouo vſurpata eſt, cum vulgata conciliemus. Quia cor incraſſatum E erat, & aures aggrauatæ, hoc Deus iubet, vt oſtendat propheta, cùm dicit *excæca cor*, &c. id eſt, excæcatos oſtende. Cùm autem dixiſſet Deus, in tranſlatione etiam ſeptuaginta, *vade & dic populo huic* per zeugma illud *dic populo huic* in ſingulis membris repetendum eſt. hoc modo. *Dic populo, audietis, & non intelligetis*, &c. *& dic populo, quia incraſſatum eſt cor eorum.* quia re vera incraſſatum eſt.

Hic locus Iſaiæ à L x x. conuerſus ſæpe, & variè citatur in Teſtamento nouo, ex quo etiam variæ poſſint regulæ ſumi, vt intelligamus qualiter 39.

Regula. Scriptores Canonici non tã verba citãt Teſtamẽti veteris, quam ſententiam.

à Chriſto, & ab Apoſtolis, Apoſtolicíſque viris A citari ſoleant Scripturæ teſtimonia. Nam *primùm*, quod à multis obſeruatum eſt, non expectari à Canonicis ſcriptoribus verba ſed ſenſum, hic apparet manifeſtè. Nam Matthæus *cap.* 13. vertit eo modo quo L x x. Marcus *cap.* 4. *Vt videntes videant, & non videant, & audientes audiant, & non intelligant; nequando conuertantur, & dimittantur eis peccata.* Lucas *cap.* 8. *Vt videntes non videant, & audientes non intelligant.* Ioannes *cap.* 12. *Excæcauit oculos eorum, vt non videant oculis, & non intelligant corde, & conuertantur, & ſanem eos.* Vbi oſtendit reperi hic omnino teſtimonium Iſaiæ quod nunc interpretamur. Subdit enim. *Hæc dixit Iſaias quando vidit gloriam Dei.* Paulus *Actorum cap.* 28. eodem B modo, quo Matthæus ſuprà. *Ad Rom.* 11. longè aliter. *Dedit illis Deus ſpiritum compunctionis, oculos vt non videant, & aures, vt non audiant vſque ad præſentem diem.* Ex quibus ſatis apparet non tam verborum quam ſententiarum habitam eſſe rationem. Quod in Teſtamento nouo ſic vſitatum eſt, vt quæ à Chriſto dicta ſunt, illa ab Euangeliſtis ſic ſcripta fuerint, vt ſeruata ſententia; non fuerint omnino plerumque eædem ſeruatæ voces, vt legenti perſpicuum eſt.

Regula. Nõ integra citari ſolent teſtimonia ab ſcriptore Canonico.

Altera regula eſt, non integra ſemper citari teſtimonia, ſed tantùm ex illis, quæ ad rem ſunt neceſſaria. Hoc habemus ex Marco, qui prima adhibuit, atque poſtrema verba; & ex mediis omiſit non pauca.

Regula. Ex variis tranſlationibus, ſeu citationibus verus elicitur ſenſus.

Tertia regula eſt, ex variis citationibus, ſeu C tranſlationibus id haberi, vt vera alicuius loci ſententia conſtet. Sæpe enim quæ figurata ab vno, ab alio propriè; & rurſus quæ ab vno propriè, ab alio figuratè ſiue citata, ſiue conuerſa obſcurum, & impeditum locum extricant. Ex quo iam planè cognoſcimus quid ſit excæcari, aut incraſſari, cùm Ioannes explicauerit, *obdurare*; Paulus *compunctum eſſe*, id eſt, fixum, aut offirmatum in malo. Quomodo verò Deus excæcare aut indurare dicatur hominum corda, diſputant ſcholaſtici.

40. [a] *Et dixit, vſquequo Domine?*] Non eſt auſus propheta opponere ſe pro populo; aut orare, vt indignationem illam Deus, aut ſupplicium temperet. Rogat tamen de duratione aut effectu illius D obdurationis ac cæcitatis. Ex reſponſione Dei, & ex interpretatione Pauli *Actorum cap.* 28. conſtat hoc oraculum non ſolùm ad Iudæos illos pertinere, qui viuebant ſub id tempus, quo hæc ab Iſaia prædicta ſunt, ſed etiam ad illos, qui poſt Chriſti paſſionem fuere. Sic enim ſuprà Paulus cùm ageret cum Iudæis, quorum aures ad Pauli verba prorſus obſurduerant. *Quia bene Spiritus ſanctus locutus eſt per Iſaiam prophetam ad patres noſtros dicens. Vade ad populum iſtum, & dic ad eos, Aure audietis,* &c. & clariùs *ad Rom.* 11. *Dedit illis Deus ſpiritum compunctionis, oculos, vt non videant; & aures, vt non audiant, vſque ad præſentem diem.* Quare hæc verba dicta ſunt populo Iudæorum in omne E tempus, nam, vt hæc verba Pauli indicant, ab Iſaiæ ætate ad tempus vſque Pauli perſeueraſſe videtur Iudæorum durities.

41. [b] *Donec deſolentur ciuitates abſque habitatore.*] Diximus *in commentariis noſtris in Acta* ad illud *cap.* 2. *donec ponam inimicos tuos.* particulam *donec*, non ſemper excludere tempus, quod ſubiungitur; vbi illud multis exemplis confirmauimus. Et iuxta illa, ſi de tempore, quo duratura eſt Iudæorum cæcitas, ſermo eſt, nullus hîc terminus definitur, Quare ſenſus non eſt incraſſatum fore, & excæcatum cor Iudæorum vſque ad deſolatam vrbem, diſperſumque populum: poſtea verò depoſiturum illam duritiem, & illuminandos oculos. Videmus enim non minùs nunc poſt tot ſæcula obduruiſſe Iudæos, quàm dum floreret ciuitas, & templum ſtaret.

Sed credo hîc prophetam non rogare de tempore, ad quod vſque duratura cæcitas, ſed de magnitudine obdurationis, & de modo, acerbitatéque ſupplicij, quo illa craſſitudo, & obſtinatio cordis mulctanda eſt. Quod facilè admittit interrogandi forma. Quaſi dicat propheta. Vſque quò Domine permanſura eſt peruicacis populi durities? ad quem gradum progreſſura cæcitas? aut quem modum habiturus eſt animi tui furor, quem Iudææ Gentis intemperies inflammat? Cui reſpondet Deus. Eò vſque procedet, & populi væſania, & indignatio mea, donec deſolentur ciuitates; & poſtquam deletæ fuerint, perſtabit tamen furor, perſequetúrque reliquias, tamquam qui racemos colligit ex vindemia relictos.

[c] *Et longè faciet Dominus homines.*] Antecedens ſæpe pro relatiuo ſuo ponitur, vt pluribus 42. docuimus in illud *Actorum cap.* 10. *Verbum miſit Dominus.* id eſt, nomen pro pronomine, quod eius loco adhiberi debuit. Sic ergo hoc loco *Dominus* pro *ego* ponitur, dicendum enim eſſet Latina phraſi. *Et longè faciam ego.*

[d] *Et longè faciet Dominus homines: & multiplicabitur, quæ derelicta fuerat in medio terræ: & adhuc in ea decimatio.*] Plerique hæc interpretantur de his qui relicti ſunt à Veſpaſiano, qui futuri dicuntur pars decima eorum, quos gladius aut fames confecere, aut in exilium diſperſi ſunt. Senſúmque putant eſſe non omnes Iudæos ſublatum iri, ſed eorum aliquos futuros eſſe ſuperſtites. Ita indicat Lyra qui decimationem eam eſſe putat, quæ ex terræ frugibus ſoluitur Deo. quaſi hoc ad conſolationem Iudæorum pertineat: ita vt relinquendi ſint aliqui ex communi cæde, iidémque ita multiplicandi vt terram rurſus colant ab habitatoribus deſertam, decimáſque referant Deo iuxta legis præſcriptum. Et facit ad hanc explicationem quod agri feraces, & culti agri dicuntur *primitiarum* 2. *Reg.* 1. *Neque ſint agri primitiarum.* Hieronymus eos, qui reliqui fuerunt, multiplicandos eſſe dicit: ita tamen vt ad decimam partem eorum, qui fame, & gladio perierunt, non perueniant. Illam verò decimam partem iterum eſſe futuram prædæ aliis, qui, quod reliquum fuerat à Veſpaſiano, & iam in medio terræ multiplicatum, id eſt, in Iudæa, quæ medium terræ dicitur ſiue in toto terrarum orbe latè diſperſum, bello perſequentur. Quod fecit Adrianus. Eodem ferme modo accipiunt Cyrillus, S. Thom. Procopius, Haymo, & è recentioribus plerique. Quæ explicatio mihi certa eſt, ſecundùm quam nihil fauſtum, aut optabile Iudæis prædicitur, ſed eò vſque progreſſurum diuinum furorem, vt nihil vnquam in eo populo futurum ſit immune, nihil non propoſitum ruinæ.

[e] *Et adhuc in ea decimatio.*] Decimationem 43. plerique eo accipiunt ſenſu, qui modo à nobis traditus eſt. Qui mihi non diſplicet; ſed quia vox eſt obſcura, & in Scriptura rara, cùm tantum hoc loco reperiatur Hebraica vox עשׂירה *hhaſaruah*, pro qua noſter *decimationem* tranſtulit: Et vox ipſa decimatio, altero tantùm reperiatur loco *Tobiæ cap.* 1. ideo aliquid hîc nouum commentari licebit,

ad

ad explicandam magis communem aliotum interpretum ſententiam. A Decimatio aliquid ſacrum ſonat, Deóque debitum, vt conſtat, *Tobiæ cap.* 1. & decimarum in ſacrorum vſum frequens in Scriptura mentio. Sumpta à decimarum natura metaphora videtur Deus ſignificare voluiſſe, rediturum ſe, vt quod reliquum fecit fames, peſtis, & gladius, ipſe auferat, tanquam gentem ſuo furori debitam non aliter atque victimam altari & cultro. Decimæ enim ſeu decimatio debentur Deo. Cùm verò Iudæos hoſtes, ſiue illi Chaldæi fuerint, ſiue Romani, ſuam quaſi vindemiam, id eſt, nouem Iudæorum partes collegiſſent, ſuam partem, id eſt, decimam ſibi Dominus reliquerat. B Hanc igitur quantumuis iam multiplicatam, & abundantem decimaturum ſe dicit Deus, id eſt, collecturum per ſuos vindemiatores. Quæ metaphora vindemiæ, & collectionis poſt vindemiam relictorum, quæ etiam *racematio* dicitur, frequens eſt in Scriptura qua vſus eſt Iſaias infrà. *cap.* 17. *& cap.* 24. & Ieremias *cap.* 49. Fortaſſe vindemia dicitur quæ facta fuit per Chaldæos, decimatio ſeu racematio dicitur, quæ poſtea per Romanos facta.

44. Alia expoſitio in eamdem ferme ſententiam mihi minùs diſplicet; ſumpta ex vocis Hebraicæ ſignificatione, quæ non ſolum decimam partem ſignificat, ſed ſimpliciter decada, ſeu denarium numerum, vt putat Rab. Dauid. Qui cum aliis Hebræorum magiſtris in עשיריה *bhaſarnah*, id eſt, *decimatione*, ſeu *decade* decem Reges intelligunt, qui ab Ozia ad Sedechiam vſque in Iudæa regnauerunt. quaſi Deus deſolationem poſt decem regum ætatem Hieroſolymis minetur. Ego iuxta hanc vocis ſignificationem alium eſſe puto ſenſum, nempe ſæpe vaſtandam eſſe Iudæam, quia *decimare*, erit decies vaſtare, & *decimatio* decies repetita vaſtitas. Notum eſt autem, denario numero actionem ſæpius iteratam, aut multitudinem ſignificari. neque aliud credo explicare voluiſſe Iacob. *Geneſ.* 31. cùm dixit. *decem vicibus mutauit mercedem meam. & Num.* 14. *tentauerunt me decem vicibus.* & Eſdræ *lib.* 2. *cap.* 4. *dicentibus nobis per decem vices.* In quibus locis ſignificatur D aliquid ſæpius eſſe factum. Et *Leuit.* 26. *Decem mulieres in vno clibano coquant panes*, id eſt, *multæ.* & ſuprà *cap.* 5. eodem ſenſu ſumi puto. *decem iugera.* Significat ergo denarius hic numerus, iterum & ſæpius vaſtandum eſſe cæcum illum; & incraſſatum populum, neque vnquam reſpiraturum à rapina & cæde.

Denarius numerus pro multitudine.

Addo ad extremum, particulam *ſi* conditionalem in Scriptura ſæpius omitti. *Deuter.* 30. *num.* 8. *tu reuerteris, & audies vocē Domini, &c. & abundare te faciet Dominus*, id eſt, ſi reuerteris. & *Pſalm.* 67. *Infirmata eſt, tu verò perfeciſti eam*, id eſt, ſi infirmetur, & *Ioan.* 7. *Quæretis me, & non inuenietis*, id eſt, ſi quæſieritis, ſic ergo hunc locum explicare licebit. *ſi multiplicabitur, adhuc erit decimatio.* E Ex quibus omnibus hanc ad extremum ſententiam colligo. Si populus iſte tot attritus, atque exhauſtus incommodis augeri ac ſoboleſcere cœperit, non patiar illum confirmari, atque incolumem eſſe diu; redibo enim iterum atque iterum, vt deteram quicquid accipere videbatur incrementi. Quod ſanè præſtitum eſt à Deo ſatis cumulatè. Nam quod relictum à prima obſidione Nabuchodonoſor, id alio atque alio eiuſdem reditu ſublatum eſt. Vbi ex remigratione à captiuitate Babylonica non ſolùm inſtaurari, ſed etiam augeri, atque florere cœpit ſtatus Iudæorum, vexatus valde, atque obtritus fuit à Græcorum armis ſub Antiocho. Deinde vbi ex eo caſu, & offenſione conualuiſſe viſus eſt, tentatus eſt iterum, & ſæpius à Romanis, priùs non ita grauiter à Pompeio, deinde ad cædem vſque à Veſpaſiano, & tandem illius funeſtiſſimi belli reliquias perſecutus eſt Adrianus. Satis ergo decimatus eſt, id eſt, ſæpe petitus, & exhauſtus infelix ille populus. Idem ſub alia metaphora dictum eſt à Ioele *cap.* 1. *Reſiduum erucæ comedit locuſta; & reſiduum locuſtæ comedit bruchus, & reſiduum bruchi comedit rubigo.*

Conditionalis ſi, ſæpe omittitur.

ff *Et conuertetur, & erit in oſtenſionem.*] Illud *conuertetur*, vt indicat textus ipſe, de populo dicitur, & omnino noſtram confirmat expoſitionem: nempe cùm multiplicatus fuerit, iterum fore vaſtandum, ne vnquam conſtanter, ac diu caput extollat. Quare obſeruandum, vt bene docuit Ribera *in cap.* 5. *Oſeæ num.* 7. & Foreirus *hic*, quædam eſſe verba quæ commodè explicari non poſſunt niſi per aduerbia; & in his præcipua ſunt, quæ repetitionem, aut iteratam actionem ſignificant. Qualia ſunt *conuerto, reuerto, addo, adiicio*, & ſimilia, quando alterum ſequitur verbum. *Iob. cap.* 7. *non reuertetur oculus meus videre bonum*, id eſt, non iterum videbit bonum. *Pſal.* 85. *tu conuerſus viuificabis nos*, id eſt, iterum viuificabis. *Pſal.* 73. *conuerſi* C *ſunt & tentauerunt Deum*, id eſt, iterum, atque iterum tentauerunt. *Geneſ.* 38. *addidit vltrà loqui.* & huiuſmodi loquutiones plurimæ. Quem loquendi modum ſicut alios multos, ab Hebræis expreſſit Hiſpanus, cui nimis frequens. *Torno a deceor, voluio a leer*, id eſt, iterum dixit, & legit. Ad hunc modum exponendus eſt hic locus. *conuertetur, & erit in oſtenſionem.* 45.

Verba quædam per aduerbium explicanda.

Iob. 7.

Pſal. 85.

gg *In oſtenſionem.*] Fortaſſe in exemplum aliis nationibus, vt inde intelligant quàm ſeuerè Deus peccata puniat, cùm populo ſuo, cui antea tam amanter indulſerat, cùm peccatis ſe tradidit, tam infenſum ſe præbuerit. Quemadmodum Chriſtus, qui peccatum non fecit, quia peccatorum patrocinium, & cauſam ſuſcepit, poſitus fuiſſe dicitur ad D oſtenſionem iuſtitiæ Dei, *ad Rom.* 3. Ad quam explicationem facit, quod *Deut.* 29. dicitur de populo in eum modum vexato, ac perdito. *Et dicent omnes gentes, quare ſic fecit Dominus terræ huic? quæ eſt hæc ira furoris eius immenſa? & reſpondebunt, quia dereliquerunt pactum Domini.* Sed ex voce Hebraica alius ſenſus colligitur, non tamen valde ab hoc diuerſus. Pro *in oſtenſionem* Hebr. לבער *lenabher*, quæ vox *ardere*, ſeu *depaſci*, aut *derideri* valet. Sanè Hieronymus, *oſtenſionem*, deprædationem exponit in commentariis. Senſus ergo erit, iterum populum datum iri in prædam, in combuſtionem, & in deriſum. Et hoc extremum magis probo, quia magis congruit cum vulgata verſione. Deriſum eſſe populum, & exceptum ſibilis ſcribit Iere- E mias *Thren.* 2. *Plauſerunt ſuper te manibus, omnes tranſeuntes viam ſibilauerunt, & mouerunt capita ſua ſuper filiam Ieruſalem.* Deriſionem autem illam optimè noſter interpres explicuit nomine *oſtenſionis.* ſicut ignominia, quam Chriſtus ſubiit, *oſtentus* nomine ſignificatur, *ad Hebr.* 6. *iterum crucifigentes, & oſtentui habentes*, id eſt, ignominioſè traducentes, & exponentes ludibrio. Neque aliud eſſe puto apud Iſaiam *oſtenſionem*, quàm apud Paulum *oſtentum.* Siue ergo hîc ſignificetur ludibrium, & ignominia, ſiue exemplum ad terrorem aliis propoſitum, id nulla alia voce exprimi 46.

ad Hebr. 6.

commodiùs potuit, quàm *oſtenſionis.*

Septuaginta vertunt εἰς προνομὴν, id eſt, *depaſtionem*, ſeu *depradationem.* Aliqui codices Latini habent *deprecationem.* Sed eſt omnino error natus ex vnius literæ mutatione. facile enim fuit pro *depradatione, deprecationem* adhiberi.

47. h h *Sicut terebinthus, & ſicut quercus, quæ expandit ramos ſuos.*] Pro *expandit* Hebr. eſt בשלכת *beſallecheth*, id eſt, *immittendo*, vel *dum mittit.* Quod verbum ſicut Latinum *mitto*, ſignificat etiam *abiicio*, ſeu *depono.* Idque frequentiùs. Quare iuxta ea, quæ diximus, huius loci ſententia eſt: expoliandam eſſe nobilem illam, & illuſtrem vrbem ſuis ornamentis; non ſecus atque terebinthus patulis explicata ramis frondium, florúmque veſtitu pulcherrima, quæ his nudata naturæ muneribus aſpectu horrida eſt, & tota deformis. Pro *terebintho* Hebr. eſt אלה *elâh*, quam alij *vlmum*, alij *caſtaneam*, alij *ilicem* vertunt. Porrò huiuſmodi comparationibus magna rerum mutatio, ac miſerabilis ſpecies explicari ſolet. Suprà *cap. 1. Eritis ſicut quercus deſluentibus foliis. Ierem. cap. 11. Oliuam vberem, & pulchram, fructiferam, & ſpecioſam vocauit Dominus nomen tuum: ad vocem loquelæ grandis exarſit ignis, & combuſta ſunt fruteta eius.*

48. Septuaginta vertunt, *Sicut glans, quæ excidit de theca ſua.* quæ tranſlatio optimè explicat miſerandum illius populi ſtatum; qui non aliter barbaris gentibus præda fuit, quàm excuſſæ glandes eſſe ſolent porcorum pabulum. Quòd ſi pro excuſſa glande, excuſſam caſtaneam legas, quod fecere alij, ſenſus erit ad mores grauis, quíque optimè exprimat, quid amittat is, qui à Dei protectione exciderit. Vt enim caſtanea ſpinoſo tegumento munita, ſecura eſt, vbi verò ab eo nudata fuerit, nil habet quo ſe contra porcorum ſordidam famem, & ingluuiem tueatur, ſic ille qui priùs in Dei protectione, vallatus erat inſtar caſtaneæ ſpinarum valle, aut potiùs inſtar pupillæ oculi, quæ palpebrarum ciliis munita eſt; ab eo præſidio deſtitutus prædæ fit omnibus atque ludibrio.

Dei cuſtodia.

49. i i *Semen ſanctum erit, quod ſteterit in ea.*] Locus hic mihi valde eſt difficilis. Hebraicè זרע קדש מצבתה *zerahh kores matſanthah*, quæ verba variè poſſunt exponi. Iuxta vulgati verſionem, quæ omnium optimè Hebraici textus ſenſum reddidit, vt communiter interpretes, hæc poteſt eſſe ſententia. Etiamſi Reſpublica illa Iudaica, cuius potentiam, & ſpeciem, & poſtea ruinam, & ſtragem, arboris antea florentis, & ſpecioſæ, poſtea verò ſpoliatæ ac horridæ ſimilitudine expreſſit, caſura ſit; non tamen vſque adeò funditus fore vaſtandam, vt non futuri fuerint aliqui reliqui ex ea familia, qui ſancti ſint. Quod etiam ſub eadem metaphora prædixerat *cap. 4.* vide quæ diximus ibi ad illud: *Et erit omnis qui relictus fuerit in Sion, & reſiduus in Ieruſalem, ſanctus vocabitur.* Quaſi dicat, non ita peribit arbor illa, vt non maneant in ipſa nobiles rami. Quod ſanè ita accidit; nam licèt hoſtili incendio combuſta, aut ſecuri exciſa videri potuerit, tamen poſt multiplicem plagam, multiplici etiam germine, eóque ſancto pullulabit. Nam poſt Babylonicam cladem nati ſunt ex ea ſtirpe Zorobabel, Ieſus filius Ioſedech, Eſdras, Aggæus, Zacharias, & alij. Poſt Antiochi ſtragem Machabæi; poſt Romanorum extremam manum Apoſtolici viri non pauci, à quibus ſanctorum genus mirè propagatum eſt.

Hæc mihi maximè omnium probabilia ſunt, adducam tamen ſententiam aliam nunc quidem inſinuatam obſcurè, ſequenti verò capite magis explicatam. Quam ſi, & textui Hebraico, & noſtræ verſioni conſentaneam oſtendero, reliqua, vt ſpero, non improbabuntur. Id ergo iam agamus. זרע *zerahh*, pro quo vulgatus reddidit *ſemen*, licèt figuratè ſobolem, aut filios ſignificet, propriè tamen illud eſt, ex quo germina, aut propagines funduntur, & pullulant. Quales ſunt ſtirpes, aut ſemina, quæ cum fructibus nata, vt in pomo, ac ceraſo, aut quæ ipſa arborum fructus ſunt, vt nuces iuglandes, Græcæ, ac pineæ. Hoc loco זרע *zerahh*, quod *ſemen* vertit interpres, ſtirpē eſſe puto, aut truncum, in quo totius arboris fructus, & vbertas continetur. Quod enim זרע *zerahh*, *ſtipitem*, aut *truncum* ſignificet, aut *id quod in plantatione defoditur*, ex eo videtur probabile, quia ab eadem radice ſeminari dicitur vinea *Deut. 22.* & *Iſai. 17.* & ideo credo Hebr. *brachium* appellari זרוע *zeroahh*, quia è corpore, quod truncus etiam à Latinis dicitur, non aliter pullulat, quàm ramus à ſtipite. 50.

Ex his *duplex* ſeſe mihi *ſenſus* offert, alter *hiſtoricus* de Ieruſalem, alter *allegoricus* de Chriſto, & Eccleſia. *Hiſtoricus* quidem, qui allegorico ſeruit, quia non ita ſæuiet hoſtilis furor in illam plantam, quæ rempublicam Iudæorum adumbrat; vt ſtirpem eius elidat, & perdat: ex qua prodibunt viri ſancti, iuxta ea quæ diximus nuper *ex cap. 4. Iſaiæ.* eodem prope ſenſu, quo ſupra *cap. 1.* dictum eſt. *Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus.* iuxta explicationem quam ibi adduximus. *Allegoricus* alter de Chriſto in hanc ſententiam: etiamſi excuſſæ fuerint frondes, & abſciſſi, ſeu combuſti rami, manebit tamen truncus, aut ſtirps ſancta, ex qua pullulet aut Chriſtus, qui ſalus erit hominum, aut, quod idem eſt, manebit ſtirps, vnde Chriſtus naſcatur, nempe radix Ieſſæ, ex qua naſcatur virga, id eſt, Virgo, & ex ea flos Chriſtus. De quibus ſub eadem metaphora poſtea Iſaias. In quam ſententiam, vt ſuo loco vidimus, expoſuit Baſilius, & Hugo, illud *cap. 1. Niſi Dominus Deus exercituum reliquiſſet nobis ſemen.* vide, quæ ibi diximus.

Quòd verò tam in voce Hebraica מצבתה *matſanthah*, quàm in eo, quod pro illa reddidit vulgatus, *quod ſteterit in ea*, circumſcriptio quædam contineatur ſtirpis, aut trunci, facilè ſibi perſuadebit, qui vim, & notationem nominis diligenter expenderit. Eſt enim *quod ſtat*, à verbo יצב *iatſab*, quaſi dicas, *baſim*, aut *ſtatumen*, quod autem ſtat, & frondes, & ramos ſuſtinet, truncus eſt, aut ſtirps. Et id indicat lectio, quæ communiter eſt apud Septuaginta, in qua vox מצבתה *matſanthah*, redditur στήλωμα αὐτῆς, id eſt, vt eſt in Complutenſi editione, *Columna fundationis.* & in notationibus ad Biblia Sixtiana, *ſtabilimentum ipſius.* Quæ licet, vt notauit hîc Hieronymus, & Baſilius, Septuaginta non ſcripſerint, tamen Origenes illa addidit ex textu Hebraico, & ex tranſlatione Theodotionis. Sic ergo reddo textum Hebraicum, *quod ſtabit eius* (nempe arboris metaphoricæ) *erit ſemen*, id eſt ſtirps, *ſanctum.* in hanc ferme ſententiam accipit hunc locum Foreirus. 51.

ARGV

Argumentum ſeptimi capitis Iſaiæ.

CONIVRARANTI contra Regem Achaz, populúmque Iudaicum aduerſis bellis iam ſæpe debilitatum, & attritum duo Reges potentiſſimi Syriæ, atque Samariæ. Quorum armis cùm Rex reſiſtere ſe poſſe diffideret, auxiliares Aſſyriorum copias conducere meditabatur. Huic à Domino libertatem, & ſalutem promittit Iſaias: inſuper duorum Regum, & duorum etiam regnorum proximum interitum. Addit præterea, ſi credere nolit: & in eo conſilio de aſciſcendo externo auxilio perſeueret, Iudaicum ſtatum aliquando ab Aſſyriis, quorum ſe, rempublicámque totam fidei, atque præſidio crediderat, non diſſimilem ſubiturum eſſe vaſtitatem. Offert deinde, quo magis Regis, ac procerum de genere Dauidico animos confirmat, ſignum quodcumque velit oblatæ ſalutis. Quod Rex veſanus religionis ſpecie recuſauit. Sed, qua eſt Deus bonitate, nihilominus promiſſa præſtitit; & illum inſperatum euentum ſignum eſſe voluit, naſcituri poſtea Emanuelis è virgine. Deinde tempus definit prædicto duorum regnorum excidio, illud videlicet, quod intercedere communiter ſolet ab eo articulo, quo puer primùm in lucem ſuſcipitur, donec diſcernere incipiat inter bonum, & malum, quod triennale plerumque eſt. Ad extremum; quoniam Rex, & domus Dauid diuinæ promiſſioni non crediderunt, ab Aſſyriis, quos mercede conduxerant, vaſtandum eſſe Iudaicum populum denunciat; quod etiam virginei partus ſignum eſt. in quo Iudaici populi exitio deſcribendo mirificus eſt eloquentiſſimus Propheta.

CAPVT VII.

1 [a] *ET factum eſt in diebus Achaz filij Ioathan, filij Oziæ Regis Iuda, aſcendit Raſin rex Syriæ, & Phacea filius Romeliæ rex Iſrael, in Ieruſalem, ad præliandum contra eam: [b] & non potuerunt debellare eam.*

2 *Et nunciauerunt domui Dauid, dicentes: [c] Requieuit Syria ſuper Ephraim, [d] & commotum eſt cor eius, & cor populi eius: ſicut mouentur ligna ſyluarum à facie venti.*

3 *Et dixit Dominus ad Iſaiam, [e] Egredere in occurſum Achaz tu, & qui derelictus eſt Iaſub filius tuus, ad extremum aquæ ductus piſcinæ ſuperioris [f] in via agri fullonis.*

4 *Et dices ad eum, [g] Vide vt ſileas: noli timere, & cor tuum ne formidet à [h] duabus caudis titionum fumigantium iſtorum in ira furoris Raſin regis Syriæ, & filij Romeliæ.*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 QVo tempore regnabat in Ieruſalem Achaz filius Ioathan, filij Oziæ Regis Iuda; conſpirarunt contra illum Raſin Rex Syriæ, & Phaceę filius Romeliæ Rex Iſrael, mouerúntque caſtra contra Ieruſalem, neque tamen illam debellare, aut quicquam inferre mali potuerunt.

2 Perlatus eſt autem rumor ad Regem, alióſque proceres è domo Dauid, qui nunciauit ſubſtitiſſe ad Samariam, quæ erat in tribu Ephraim, Syrium exercitum, vt inde coniunctis cum Regę Samariæ viribus moueret contra Ieruſalem. Qui nuncius ita perculit animos familiæ, generíſque Dauidici, & totius populi, vt non minùs turbarentur à metu; quàm à vento arbores commouentur in ſyluis.

3 In ea trepidatione populi præcepit Dominus Iſaiæ, vt cum filio ſuo Sehar Iaſub ad extremum aquæductus, qui aquam ad piſcinam ſuperiorem deriuat, quæ eſt in agro fullonis, occurrat Achaz, qui eò tunc egreſſus fuerat, vt de aduocando Aſſyriorum auxilio ſecum ipſe ſolus deliberaret.

4 Hæc ergo (dixit Dominus) Regi Achaz nunciabis à me. Fac otioſo ſis, & ſecuro animo, metum longè, atque deſperationem depone. Neque enim eſt quid timeas ab ambuſtis titionibus, Raſin, & filio Romeliæ; qui præter fumum euanidum, id eſt inanes, & emortuas minas, nihil habent amplius, à quibus tanquam à fumo, quem tenuis aura difflat, ac diſſipat, præ-

ter breuem, leuémque moleſtiam, quod metuas nihil eſt.

5 Neque tibi timori, aut curæ ſit, quòd duo illi Reges conſilium, fœdúſque inierint contra te: tantúmque armis fortunæque tribuant, vt liberè, atque confidenter dicant, quaſi res iam foret ex voto confecta. Aſcendamus ad Iudaicum iſtum populum, & nimio ſomno deditū, otióque diſſolutum armorum noſtrorum ſtrepitu, & litui clangore ſuſcitemus. Neque neceſſe erit, vt ad delendam gentem illam totas explicemus bellicas vires: ſat etenim erit ſi circumdatam funibus ciuitatem, à ſuíſque commotam fundamentis, ad nos trahamus. Tunc autem depulſo Rege è Iudæorum ſemine, eius loco ſufficiemus in regno filium Tabeel.

5 Eò quòd conſilium inierit contra te Syria in malum, Ephraim, & filius Romeliæ, dicentes, [i] Aſcendamus ad Iudam, & ſuſcitemus eum, [k] & auellamus eum ad nos, [l] & ponamus Regem in medio eius filium Tabeel.

6 Sic ſecum vaniſſimi illi, & bellorum ſecundo ſucceſſu inflati Reges: contra quos ſic Deus. Longè aliter accidet, quàm ipſi ſecum ratiocinantur: neque enim peribit, aut populus eſſe deſinet Ieruſalem: ſed peribit potiùs, & populus eſſe deſinet Syriæ caput Damaſcus, & cum ea Raſin, qui caput eſt, & princeps Damaſci. Et ſexageſimo quinto anno, ex quo prædicta eſt regni Iſraelitici extrema clades, caput eius Samaria in tribu Ephraim, deſinet quoque eſſe populus; & cum eo ſimul interibit Samariæ caput filius Romeliæ. Quòd ſi vos ô Iudæi non credideritis, licèt ſeriùs, aliquando tamen, non diſſimilem caſum, & fortunam experiemini.

6 Hæc dicit Dominus Deus, [m] Non ſtabit, & non erit iſtud: [n] ſed caput Syriæ Damaſcus, & caput Damaſci Raſin: [o] & adhuc ſexaginta & quinque anni, & deſinet Ephraim eſſe populus: & caput Ephraim Samaria, & caput Samariæ filius Romeliæ. [p] Si non credideritis, non permanebitis.

7 Non ſatis habuit Deus libertatem, & otium promiſiſſe ſcelerato Regi, ſed etiam illuſtre pollicetur ſignum, quod futurum eſſet teſtimonium, & pignus obligatæ fidei. Sic ergo ad Achaz propheta verbis Domini inquit. Optato ô Achaz, tibi enim vt eligas permitto, quodcumque velis ſignum, atque portentum. neque moror ſiue ex excelſo, ſiue ex profundo petas, quin pro tuo voto quamprimùm edam.

7 Et adiecit Dominus loqui ad Achaz, dicens, [q] Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo in profundum inferni, ſiue in excelſum ſuprà.

8 Ad hæc Achaz non minùs ſimulatè, quàm impiè. Abſit à me tam noxia, atque irreligioſa cogitatio. Non enim adducar, vt ſignum à Deo petam vllum, vt diuinam fidem, aut potentiam explorem. Hæc namque Dei tentatio eſt, à qua abeſſe culpa non poteſt.

8 Et dixit Achaz, Non petam, & non tentabo Dominum.

9 Tunc offenſus illiberali hac reſponſione propheta. Audite, inquit, qui è Dauidico ſanguine prognati eſtis, quique Regi nunc eſtis à conſiliis. Nunquid parum eſſe ducitis hominibus fuiſſe moleſtos, & iniurios, quorum verba deſpicitis, & fidem eleuatis? Etiam ne diuina promiſſa ſic accipitis, vt aut de illis dubitetis, aut certè contemnatis oblata?

9 Et dixit, [r] Audite ergo domus Dauid, Nunquid parum vobis eſt, moleſtos eſſe hominibus, quia moleſti eſtis & Deo meo?

10 Propter hanc iniuriam, qua meum furorem inflammatis potiùs, quàm miſericordiam inflectitis: ne veſtris meritis hoc tantum beneficium tribuatis, dabit vobis Deus, quod vltro promiſit: quod beneficium ſignum eſſe vult alte-

10 [s] Propter [t] hoc dabit Dominus [v] ipſe vobis ſignum: [x] Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius [y] Emanuel.

rius longè maioris. Quod nempe virgo illibaro pudore poſtea concipiet, pariétque filium, cuius nomen ipſius naturam, & humaniratem proder. Vocabitur enim Emanuel, quia Deus nobiſcum futurus eſt.

11 [a] *Butyrum, & mel comedet,* [aa] *vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum.*

11 Hic ergo Emanuel, id eſt, Deus nobiſcum, butyro paſcetur, & melle, ad illam vſque ætatem in qua infantes alij plerumque internoſcere ſolent bonum, & malum: illud vr appetanr; hoc vt auerſentur, & reſpuant.

12 [bb] *Quia antequam ſciat puer reprobare malum, & eligere bonum, derelinquetur terra quam tu deteſtaris* [cc] *à facie duorum regum ſuorum.*

12 Hoc ſignum erit ex illibata vitgine naſcituri Emanuelis, quia ante exactum triennale ſpatium, quo tempore puer diſcernere ſolet inter bonum, & malum, illúdque ſiue reptobare, ſiue eligere, eò redigetur terra, quam tu ideo deteſtaris, quia & ab illa ſæpe malè iactatus es, & à qua nunc extremam tibi cladem imminere putas, vt & ipſa deſeratur, neque illam ampliùs Reges illi videant, qui nunc ipſi præſunt.

13 [dd] *Adducet Dominus ſuper te, & ſuper populum tuum, & ſuper domum paris tui dies qui non venerunt à diebus ſeparationis Ephraim à Iuda cum Rege Aſſyriorum.*

13 Er quia verbis meis non eredidiſti, ô domus Dauid, quibus auxilium tibi, & ſalutem promirto, neque tu diu eris in tua fortuna, atque otio ſtabilis (quod etiam Virginei partus ſignum accipe.) Adducet enim Dominus ſupet te, populúmque Iudaicum, & contra patris rui nobilem, & antiquam domum, lugubres, & funeſtos dies, quales expertus es nunquam, ex quo duce Ieroboam Ephraimita decem tribus ab alus duabus diſtractæ ſunt. Quod malum ſimul cum Aſſyriorum Rege veniet, quem tu tam larga, atque impenſa mercede conduxiſti.

14 [ee] *Et erit in die illa: ſibilabit Dominus muſcæ quæ eſt in extremo fluminum Aegypti; & api, quæ eſt in terra Aſſur.*

14 Eo aurem tempore, quo Deus tuam incredulitatem, & proteruiam vlciſci volet, aduocabit, cogétque Ægyptios, qui ſunr in extrema parte Nili, quà ſeſe fluuius in mare mediterraneum exonerat: qui & multitudine, atque moleſtia muſcis ſunr quamſimillimi. Aduocabit etiam Aſſyrios & natura pugnaces, & armis inſtructos, tanquam apes: qui quanto ocyus aderunt, ſicut greges, quos paſtor conſueto ſibilo, ac noto, ad paſcua vocat, ſiue ad caulas reducit.

15 [ff] *Et venient, & requieſcent omnes in torrentibus vallium, & in cauernis petrarum, & in omnibus frutetis, & in vniuerſis foraminibus.*

15 Parebunt tunc diuino ſibilo Ægyptiæ muſcæ, & apes Aſſyriæ, quæ denſo agmine glomeratæ conſidebunt in torrentibus, qui per Iudææ valles ſubterlabuntur, & in latebris, cauerníſque ſaxorum; & ſupet omnes frutices, ita vt nihil ſit quod aur contactu non fœdent, aut morſu non corrodanr, & perdant.

16 [gg] *In die illa radet Dominus in nouacula cōducta in his, qui trans flumen ſunt, in Rege Aſſyriorum,* [hh] *caput, & pilos pedum, & barbam vniuerſam.*

16 Eo tempore Deus ea nouacula, quam contra ſuum caput conduxere Iudæi (id eſt Aſſyriorum armis, qui trans flumen habirant) caput, & batbam, & quicquid toto corpore pilorum eſt, ad cutem vſque radet, quod ingentis doloris, & grauiſſimi luctus ſolenne, atque legitimum ſignum eſt.

17 *Et erit in die illa:* [ii] *nutriet homo vaccam boum, & duas oues, & præ vbertate lactis comedet butyrum.*

17 Populus antè frequens, eò redigerũt paucitatis, & copioſæ quondam familiæ à cæde, & fame ſic erunt orbatæ, vr illas recenti lacte ad ſa-

18 [kk] *Bu*

h 4 tietatem

rieratem alat vna vacca, & oues duæ: & ex eo quod ſupererit ſaturatæ familiæ, butyrum fiat, quod in aliud anni tempus in cibum aſſeruetur.

18 Ea erit populi, qui reliquus erit à communi cæde, trepidatio, vt nemo agros colere, & eorum fructus turò ſpectare audeat. Quare paſcetur aut his, quæ vltrò ager ipſe, aut ſyluæ offerunt, in quibus mel numero Iudææ familiare, aut quæ ſecum quamcumque in partem circumferre poſſit, quales ſunt vaccæ, atque oues. Quare qui reliquus à cæde fuerit, butyrum comedet,& mel.

19 Neque mirum ſi homines butyro paſcantur, & lacte, cùm omnis agrorum, ac vinearum cultura deſeratur. Vineæ enim vſque adeò feraces, & nobiles, vt mille vites domino ſuo quotannis totidem penſitent argenteos, ſic deſerentur ab infelice poſſeſſore, vt in ſyluarum modum horreat ſpinis,ac vepribus efferata.

20 Sic erunt agri, ac vineæ vepribus, atque fruticibus obſiti, vt in illos nemo audeat ingredi niſi arcu, ſagitriſque munitus, propter feras, quæ inter vepres, & dumos ſua ſibi poſuere cubilia.

21 Montes autem oliua,aut vite conſiti, quos ſic amabant, colebántque domini, vt ſarculo potiùs ſubigerent, quàm ligone, ac vomere: vt in hortis ad voluptatem comparatis fieri aſſolet, quique egregiè contra viatores, & pecora ſepibus muniebantut viuis, ſic erunt à timido poſſeſſore neglecti, vt nullæ ſint iam ſpinæ, quæ pecudem,& viatorem arceant. Ex quo fiet, vt ibi paſcantur boues tanquam in ſyluis;& ab omni pecore tanquam apertus, & compaſcuus ager impunè conculcentur.

18 [kk] *Butyrum enim, & mel manducabit omnis qui relictus fuerit in medio terræ.*

19 *Et erit in die illa: omnis locus* [ll] *vbi fuerint mille vites, mille argenteis, in ſpinas, & in vepres erunt.*

20 [mm] *Cum ſagittis, & arcu ingredientur illuc: vepres enim & ſpinæ erunt in vniuerſa terra.*

21 [nn] *Et omnes montes qui in ſarculo ſarrientur, non veniet illuc terror ſpinarum, & veprium, & erit in paſcua bouis, & in conculcationem pecoris.*

IN CAPVT SEPTIMVM
COMMENTARIVS.

5. [a] FACTVM *eſt in diebus Achaz filij Ioatham.*] Hæc prophetia contigit plus ſedecim annis poſt ſuperiorem. nam illa accidit eo anno, quo mortuus eſt Ozias, & regnum iniit filius eius Ioatham, qui regnauit ſedecim annis. Hæc verò tempore Achaz, neque vt apparet, in regni primordiis. Quare inter vtramque prophetiam interceſſit totum regnum Ioatham. Ex quo perſpicuum fit, quod alio loco docuimus, prophetias non eo ordine ſcriptas fuiſſe, quo reuelatæ, atque prædictæ ſunt. Niſi dicas nihil in regno Ioatham vaticinatum fuiſſe Iſaiam; quod non bene conſentit cum primis verbis prophetiæ, vbi prophetaſſe ſcribitur, ſub Ozia, Ioatham, Achaz, & Ezechia. Ad intelligendam illuſtrem hanc prophetiam conſulenda ſunt *caput* 15. *ex lib.* 4. *Reg.* & *cap.* 28. *lib.* 2. *Paralip.* Vbi diſces, quò fuerit progreſſus impietatis Achaz; vt Gen-
A tium ritu filios luſtrauerit, vt peregrinas ſuperſtitiones, & exoticas ſordes in regnum ſuum, atque adeò in templum ſanctum inuexerit. Quoties victus, quam durè mulctatus fuerit primùm à Raſin Rege Syriæ, deinde à Phaceæ filio Romeliæ Rege Iſrael, tandem ab vtriſque in ipſius cædem, vrbiſque direptionem conſpirantibus. Cum autem in ſuo regno Rex impius non ſatis eſſe virium exiſtimaret contra duos Reges, cùm aduerſus eorum quemlibet toties aduerſo marte pugnauiſſet: non tamen in rebus vſque adeò anguſtis confugit ad Deum; ſed egreſſus ex vrbe ad piſcinam ſuperiorem, meditabatur quomodo ad vim illam propulſandam ſocium ſibi adiungeret Teglatphalaſar Regem Aſſyriorum; ad quem compilatis regiæ domus, ac templi theſauris munera ſplendidiſſima mittere cogitabat. Cùm res ergo regia, & publica in eo eſſet ſtatu, miſſus eſt Iſaias ad Achaz, vt

confir

confirmaret eius animum, præſenti auxilio, quod à Deo promittebatur, & ab impia & deſperationis plena cogitatione deduceret. His breuiter ita commemoratis, faciliùs iam credo incumbet commentatio.

2. b *Et non poterunt debellare eam.*] Hæc dicta ſunt per prolepſim vt notauit S. Thom. Neque enim quo tempore hæc dicta ſunt ab Iſaia, duo illi reges aſcenderant contra Ieruſalem, & irrito conatu redierant, ſed multò poſt; quemadmodum hic à propheta Dei nomine promittitur. Solet verò prolepſis adhiberi plerumque, aut quando aliter obſcura futura narratio eſt, aut quando non occurrer poſtea opportunus narrandi locus. Sunt autem hæc ab Iſaia dicta, vt ſatis ex hoc capite liquet, quando grauis rumor ſparſerat imminere iam vrbi Reges duos, Syriæ videlicet & Samariæ ſociatis caſtris, & collectis viribus. Quòd verò duo ſimul bellico apparato egregiè inſtructi, aſſueti victoriis, & ſecundo rerum exitu inſolentes contra populum toties attritum, & exhauſtum iunctis caſtris nihil obtinuerint, cauſa oſtenditur 2. *Paralip. cap.* 28. Nam priùs Deus vſus eſt illorum Regum potentia tanquam inſtrumento, vt Regis Achaz, & populi impietatem puniret. Quare à Deo venerunt vocati diuino potiùs agente conſilio: quam priuato odio inſtimolante. Nunc verò ſuo ſe potiùs agunt conſilio, ac ſtudio, quàm diuinæ obſequuntur voluntati.

Deus dux, & auctor victoriæ.

3. c *Requieuit Syria ſuper Ephraim.*] Hoc rumore perlatum fuerat in Ieruſalem conſpiraſſe Syros cum Iſraelitis, id eſt, cum decem tribubus, quæ Ephraim vocantur, quia ex Ephraim ortus erat Ieroboam, qui decem tribus ab aliis diſtraxit; & quia in Ephraim erat Samaria Regni Iſraelitici caput & ſedes. *Requieſcere* autem, eſt ſocietatem, & fœdus cum aliis inire. Sic 1. *Reg. cap.* 7. *requieuit Iſrael poſt Dominum*, id eſt, conſtituit adhærere Domino. Quod dicendi genus expreſſit Hiſpanus cùm ad ſimilem confœderationem, aut conſpirationem explicandam, dicit *aſſonto*, aut *hizo aſſiento conotro*. Niſi fortè dicas Syros requieuiſſe in Ephraim, id eſt, ibi ſubſtitiſſe, vt inde caſtra mouerent contra Ieruſalem. Cúmque tribus Ephraimitica non longè eſſet à Ieruſalem, id quoque iam rumore nuncio increbuerat, iam prope vrbem eſſe inimicas acies.

4. d *Et commotum eſt cor eius, & cor populi eius ſicut mouentur ligna ſyluarum à facie venti.*] Sicut affectus animi turbati in vultu; & nonnunquam in toto corpore cognoſcitur, ſic quia Rex quaſi totius populi cor eſt, à cuius affectu, atque ſtudio reliqui ducuntur, ac penè informantur, facile alios in eumdem ſenſum, & perturbationem adducit. Vnde optimè Pindarus, Regem eſſe omnium mores & ingenium dixit. Perturbato itaque rege Achaz, & iis qui erant à domo Dauid, id eſt, regni proceribus, nam ad domum Dauid ſupra perlatus dicitur eſſe nuncius; eodem quoque moto tota turbatur, atque concutitur Ieruſalem. Sicut multò poſtea idem eſt paſſa Herode propter magorum aduentum turbato. Similitudo verò, qua vehemens illa perturbatio ſignificatur, elegans eſt, & à prophanis, qui noſtro propheta nihilo elegantiores, aut politiores ſunt, frequenter vſurpata. Ouidius in *Epiſt. Canaces.*

Rex quaſi animus, & forma populi.

Vt mare fit tremulum, tenui cùm ſtringitur aura,
Vt quatitur trepido fraxina virga noto.
Sic mea vibrari pallentia membra videres.

A Et in Epiſt. Hypermneſtræ.

Vtque leui zephyro graciles vibrantur ariſta,
Frigida populeas vt quatit aura comas,
Aut ſic, aut etiam tremui magis.

e *Egredere in occurſum Achaz tu, & qui derelictus eſt Iaſub filius tuus.*] Egreſſus fuerat extra ciuitatem Achaz, vt in ſolo loco ſecum, id eſt, cum amentia, & deſperatione deliberaret de bello, vel inferendo vel deprecando, potiùs quàm in templo cum Deo. Huic ergo licèt indigno neque poſcenti, imò fortaſſe recuſanti per prophetam Dominus ad bene ſperandum, & animum excitat, & ſignum promittit. Iubet autem Deus Iſaiæ ſecum vt ferat B filium, in cuius nomine ſpem populi, inſperatamque victoriam conſignarat. Varius ſucceſſus à Deo poſitos eſſe non in viſione ſolùm, aut in propheticis oraculis, ſed etiam in nominibus, ſatis eſt notum: Certè ſatis probant Oſeæ filij Loruchama, id eſt, *non miſericordiam conſecuta*, & Loami, id eſt, *non populus meus*, qui diuerſis appellationibus diuerſos etiam portendebant rerum euentus. Et *cap. ſequenti*, nomen imponitur puero recens nato, in quo aliquid eſt propheticum, nempe, *accelera, feſtina prædari.* Quem eſſe filium etiam Iſaiæ ſuo loco veriſimile eſſe dicemus. Sic etiam puto Dei iuſſu ab Iſaia parente filium appellatum fuiſſe Iaſub, quæ compellatio ſpem annunciat afflicto, & deſperanti populo. Imò exiſtimo illud *derelictus*, pro quo C Hebr. *Sehar* pertinere quoque ad nomen, & totum nomen eſſe *Sehar Iaſub.* quod valet id quod *derelictus redibit*, ſeu, *reliquiæ conuertentur.* quaſi in nomine filij ſui prædicat Iſaias fore, vt populus qui malè ab hoſtibus vexatus fuerat, quique à Deo videbatur eſſe derelictus, ad priorem ſtatum, & gloriam rediret. Et quod attinet ad nomen *Sehar Iaſub* ex duabus dictionibus compoſitum, tenet Pagninus, & Vatablus, Oſorius, & Foreirus. Neque nouum eſt vt explicatio nominis pro ipſo ſumatur nomine, cuius exempla in Scriptura ſunt obuia. Illud magis inuſitatum, vſitatum tamen ex duabus partibus, quibus nomen aliquod compoſitum eſt, alteram relictam eſſe in Hebraica terminatione, & ſono; alterius adhibitam interpreta- D tionem. Nunc ſatis ſit vnum exemplum ſæpius in Scriptura repetitum. Communis eſt Hebræorum ſententia, vt docet Caietanus *in cap.* 3. *Iudic. filium Iemini*, idem eſſe quod Beniaminitam, id eſt, ex tribu Beniamin. & LXX. ſæpe, vbi noſter vulgatus *Iemini*, reddit *Beniamin.* Et idem facit Chaldæus. Et ſumitur argumentum graue ex libro Eſther. nam Mardochæus *cap.* 2. dicitur *Filius Iair, filij Semei, filij Cis, de ſtirpe Iemini* & ille idem *cap.* 11. dicitur filius Iair, filij Semei, filij Cis de tribu Beniamin, vbi aliarum vocum ſimilitudo, & filum ipſum ſermonis, oſtendunt eumdem poſteriori loco dictum eſſe *Beniamin*, qui priori vocatus fuerat *Iemini.* Scio Abulenſi aliter videri *in lib.* 1. *Reg. cap.* 9. *quæſt.* 4. Sed rationes illius non admo- E dum vrgent in oppoſitum. Vt ergo in filio Iemini, qui & Beniamini, ſeu Beniaminita, altera pars tantum explicatur: ſic in *derelicto Iaſub*, id eſt, *Sehar Iaſub*, priori parte compoſitionis explicata, poſterior inexplicata manet. Facit ad hoc quod in Scriptura ſæpe poſterior pars compoſiti nominis adhibetur, & prior omittitur. Vt *Ieruſalem* vocatur *Salem, Hieroſolyma, Solyma*, & qui Hebraicè *Benammi* dicitur, id eſt, *filius populi mei*, *Geneſ.* 19. Latinè dicitur *Ammon.* & qui 1. *Paralip. cap.* 20. *verſ.* 5. vocatur *Bethlemites*, Hebr. eſt *Lemites.* & Iſaiæ *cap.* 21. *v.* 11.

5.

Prophetica quædam nomina.

Regula. Ex nominibus propriis cõpoſitis interdũ prior pars omittitur.

Duma

Duma pro *Idumæa* ponitur.& huius generis exempla ſunt plurima. Ad horum ſimilitudinem filius Iſaiæ Iaſub nominatur; cùm tamen eius nomen eſſet Sechar Iaſub.

Ridiculè hîc Hebræorum magiſtri ex nomioe huius Iſaiæ filij, qui *derelictum* ſonat, colligunt Rabſacem, qoi iofra *cap.* 36. & 4. *Reg.* 18. populum hortabatur, vt ſeſe dederat Regi Aſſyriorum, eſſe filium Iſaiæ:quia ex duobus filiis hic derelictus fuit apud pattem, alio ad inimicorum caſtra fugiente. Quis noo rideat viros, qui ſibi doctrinæ, atque ingenij arrogant non vulgarem laudem, hac tam leui,ac futili coniectura in eam cogitationem veniſſe? Sed de hoc Rabſace ſuo loco fortaſſe plura; vbi aliæ coniecturæ nihilo grauiores adducentur.

6. [f] *In via agri fullonis.*] Sicut ager alius,in quem figuli attis ſuæ intetrimenta coniiciebant, aut vbi rei fictili operam dabant, appellatus eſt *ager figuli*, vt diximus *in cap.* 1. *Actuum*: ſic quia in extremo aquæductu piſcinæ ſuperioris erant officinæ fulloniæ,appellatus eſt ager ille fullonis. vbi ſingulare pro plurali ſumitur; Neque enim vnus videtur futurus fullo in loco illo celebri, cùm vrbs frequens eſſet,neque admodum aquarum abundans.

7. Silentium quietem ſonat aut conſeruationé.

[g] *Vide vt ſileas:noli timere.*] *Silere* interdum ſignificat aliquem,aut ita metu concuti, aut ita eſſe domitum ab hoſte, vt neque ſe iam ampliùs commouere,neque contra obloqui, aut mutire audeat, de qua ſignificatione pluribus egimus ad illud *Zachar.* 2.*Sileat omnis caro*,& ſuprà *cap.*6. *Væ mihi quia tacui.* Significat etiam omnem de aliquo negotio curam, & cogitatiooem abiicere, & in alium omnino deriuare. Porro *tacere*, aut *ſilere* pro ceſſare, aut quieſcere;& *ſilentium* pro ceſſatione,aut quiete ſumi ſatis vulgare eſt. *Iob cap.* 3. *Nunc dormiens ſilerem*, id eſt, quieſcerem. & 2. *Reg.* 19. *Vſquequo ſiletis, & non reducitis regem.* & 1. *Macha.*7. *Siluit terra Iuda dies paucos.* & in Pſalmis oon ſemel dicitur: *Domine ne ſileas à me. Et ne quando taceas à me. Thren.* 3.*Ne taceat pupilla oculi tui*, id eſt, ne ceſſet à lacbrymis. Quam phraſim expteſſit Hiſpanus, qui ſilere iubet eum, quem volt quieto eſſe animo.

Nunc videndum quid propheta velit à Rege, dum ſilentium indicit. Hieronymus, S. Thomas, Diooyſius, & Hugo, indicant ſilentium hîc in ſua ſignificatione ſumi, dum dicunt prohiberi Regem ne prodat animi ſui trepidationem,aut ne blaſphemiæ verbum vllum loquatur. Eſt enim ſatis veriſimile, Regem Achaz, vtpote parum pium, de Deo neque piè cogitaſſe, neque reuerenter locutum fuiſſe,& cùm ſæpe ab hoſtibus eſſet ſuperatus, agitare ſecum cooſilia plena deſperationis, quaſi iam actum putaret de regno,& de re Iudaica: atque ideo ſtatuiſſe aduocare externum auxilium, quod duorum regum caſtris opponeret. Id verò totum prohibere videtur Iſaias, dum ſilentij meminit. Ne videlicet quidpiam loquatur, quod ab animo impio, & de ſomma rerum deſperanti profectum videri poſſit.neque ad Aſſytios de auxiliaribus copiis legationem mittat.

8. Sed eſt mihi veriſimilios, quod alij ferme omnes ſtatuunt, *ſilentium* hîc pro quiete, atque animi tranquillitate ſumi. ita vt iubeatur Rex bono eſſe animo, & metum abiicere, & omnem cogitationem de fœlici rerum exitu deſperantem deponere. quod innuit, quod ſtatim additur, *& noli timere.* Quæ omnia bellè reſpondent perturbationi, ac metui, quæ proximè anteceſſerant. Nam ſtatim,

A atque dictum eſt *commotum eſt cor eius, ſicut mouentur ligna ſyluarum à facie venti*, ad ſedandam hanc perturbationem dicitur, *vide vt ſileas*; quaſi dicat, depone id, quod te tanto tempore conturbat, & exagitat. hanc explicationem ſequuntur Cyrillus, & Procopius,Adamus,Foreirus, Haymo.

[h] *A duabus caudis titionum fumigantium.*] Hoc prouerbium eſſe puto apud Hebræos, quo ſignificatur infirmus alicuius impetus, & conatus: qui breui frangendus, ac ceſſaturus eſt. Qualis eſt calor ille,qui extincto iam, & conſumpto igne reliquus eſt in ligno fumigante. Ad quod prouerbium expectaſſe videtur Iſaias infrà *cap.* 42. cùm dixit: *Linum fumigans non extinguet.* Hi ergo duo reges, quo tempore hæc ab Iſaia dicebantur, duo titiones 9. Prouerbium Hebræorum.

B erant, in quibus nihil iam erat reliquum præter fumum: qui ſi quid habet ignis, illud eſt pertenue, quódque facilè opprimitur. A fumo verò præter aliquid moleſtiæ, nihil eſt qood metuas. Dicuntur verò *caudæ titionum*, vt dicit Hieronymus: quia breuiter periturum erat vtrumqoe regnum, tam Syriacum quàm Iſraeliticum.de qoorum exitu pluribus agemus ſequenti capite. Quare iſti Reges *caudæ* dicuntur *fumantes*, quia extremi erant in eo ordine futuri. Iam enim illorum regnis imminebat ab Aſſyriorum armis extrema clades.

10. [i] *Aſcendamus ad Iudam, & ſuſcitemus eum.*] *Iuda* hîc aut pro rege ſumitur, quomodo nuper ſumi aliqui putarunt *domum David.* Aut pro toto Iudaico populo; & hoc poſterius probabilius;

C quia caput familiæ, ſeu tribus, ex vſu Scripturæ frequenter pro familia tota, atque tribu ponitur: ſicut Iſrael,Moab,Amoo, pro prouinciis, ſeu familiis, quarum ipſi principes, aut autores fuerunt. Illud *ſuſcitemus eum*, idem valet, atque aggrediamur illum bello, neque ſinamos ampliùs dormire, ſiue otioſo eſſe animo.

11. Prouerbiũ.

[k] *Et auellamus eum ad nos.*] In hoc dicendi geoere apparet arrogantis hominis,nihilque ſibi non pollicentis ſpiritus vaniſſimus. Perinde enim eſt, ac ſi dicerent Reges illi plus ſatis ſuis confiſi viribus, ooo erit opus ad extinguendam Iudæorum gloriam, & opprimendam potentiam, noſtras explicare acies,& bellicis machinis muros verberare. Satis erit nobis ſi funibus circumuolutam, & im-

D plicatam vrbem trahamus. Auellemus enim à fundamentis, procúlque ad noſtros vſqoe fines adducemus. Quod loquendi genus vſitatum eſſe puto glorioſis, & de ſe aliè cogitantibus ducibus: qui ſuæ virtuti, atque induſtriæ nihil non arrogaot. Nam eodem modo locuti ſunt Abſalonis conſiliarij. 2. *Reg.cap.* 17. de David. *Quodſi vrbem aliquam fuerit ingreſſus, circumdabit omnis Iſrael ciuitati illi funes, & trahemus eam in torrentem, vt non reperiatur ne calculus quidem ex ea.*

12. [l] *Et ponamus regem in medio eius filium Tabeel.*] Quaſi depulſo rege, fractiſque Iudæorum viribus vrbe eſſent potiti, de conſtituendo in ea nouo Rege deliberant, qoem eſſe volunt filium Tabeel. de

E quo nihil mihi compertum eſt. Alij aliter putant, ſed nemo quicquam certi definit. Suut qui hæc moraliter accipiunt, & *Tabeel*, quod ſignificat bonum,aut vtilem Deum, *idolum* eſſe dicant; aut quia proprium eſt idoli nomen;aut quia commune idolorum epitheton. Appellari autem *optimos* Gentilium Deos ſatis notum eſt, vel ex facto Dionyſij, qui ex Deorum ſimulachris ornamenta quædam pretioſa ſuſtulit:quia cùm in eorum aris eſſet ſcriptum *Boni Dij*, eorum bonitate vti ſe velle dixit.

Et

Et iuxta hunc ſenſum id moliebantur impij Re-
ges; vt ex Hieroſolymitano templo Deum verum
ſubmouerent, quis ſuis conſilijs parum videbatur
opportunus, (Nam eius colendi gratis plurimi
quotidie ex Iſrael,& Syria ad Iudæorum ſacra tran-
ſibant,) & eius loco Deum aliquem Gentium con-
ſtituerent, qui eſſet Tabeel, id eſt, ſuis cogitationi-
bus vtilis. Quod aliquot annis poſtea fecerunt
Romani. Sed, vt dixi, nihil eſt certum; & hoc po-
ſterius multò minùs, vt ex ſequentibus colligitur.

13. m *Non ſtabit, & non erit iſtud.*] Hinc coniectare
licet hunc filium Tabeel, qui Rex deſignabatur
Ieruſalem, eſſe aut ex familia regum illorum, qui
poſtea futurus eſſet Rex Syriæ, aut Samariæ, & ſi-
mul Ieruſalem; ita vt vrbs hæc nobiliſſima futura
caput eſſet aut Syriæ, aut Samariæ: aut certè præ- B
fectus, qui illorum Regum nomine arcem illam
teneret. Quod non obſcurè docet Deus ipſe, cùm
ait reges illos nunquam futuros eſſe ſui voti, atque
conſilij compotes. Neque enim, inquit, Ieruſalem
erit caput Syriæ, ſed Damaſcus, & caput Ephraim
Samaria, ſicut antea fuerunt iuxta explicationem
Hieronymi.

14. n *Sed caput Syriæ Damaſcus, & caput Damaſci
Raſin. Et adhuc ſexaginta anni, & deſinet Ephraim
eſſe populus.*] Hic locus variè exponitur, communi-
ter eo ſenſu, quem nunc attigimus, nempe nun-
quam eò venturam eſſe Syriam, aut Ephraim, vt
in ſuam ditionem redigant Ieruſalem. Ita Hiero-
nymus & S. Thom. Haymo, & plerique alij, ſed po-
tiùs duo illa regna breui peritura. Interim verò, C
dum excidium moratur, nihilo ampliores, aut no-
biliores futuras Syriæ, Samariæque ditiones. Ne-
que enim quod Reges illi moliebantur, Ieruſalem
futura erat caput Syriæ, vel Samariæ: neque vtrique
aut alterutri præficiendus filius Tabeel. Sed futu-
rum Syriæ caput Damaſcum, vt antea; & in ea re-
gnaturum Raſin, & caput Ephraim Samariam, &
huius caput filium Romeliæ.

Hæc mihi probabiliſſima. Sed placet valde ſen-
tẽtia Cyrilli, qui per zeugma putat repetendũ illud,
deſinet eſſe populus, aut *peribit*. in hãc ſententiã. *Deſinet
aut deficiet Damaſcus caput Syriæ: deficiet princeps, &
caput Damaſci Raſin, deficiet Samaria caput Ephraim,
deficiet Samariæ caput filius Romeliæ.* Quod ſatis ele-
ganter ab elegãtiſſimo propheta ſuperioribus adiũ- D
gitur. Appellarat duos illos vaniſſimos, ac vento-
ſiſſimos Reges, caudas titionum fumigantium, quia
breui futurũ erat vt deficerent, id nunc docet magis
explicatè. Promittebant ſibi quidlibet de ſua vir-
tute, atque fortuna, atque excìſum iri putabant Ie-
ruſalem, & aliud eius ciuitatis futurum eſſe caput.
Nunc propheta quod reges illi de Ieruſalem aut
ſpe deuorarant, aut certè moliebantur, rediturum
prædicit in illorum caput. Nam neque Damaſcus
caput erit regni, neque Raſin caput Damaſci; ne-
que Samaria Ephraim, neque huius Phacee filius
Romeliæ. Huic explicationi aſſonant omnia, quæ E
deinceps dicuntur, & *hic, & cap. ſequenti*.

15. o *Adhuc ſexaginta quinque anni, & deſinet E-
phraim eſſe populus.*] Hæc obſcura ſunt, neque ſi
annorũ ſummam ineas, reperies quomodo abhinc
anno ſexageſimo Samaria deleri potuerit. Nam
vt hæc dicta fuerint ineunte regno Achaz, (quod
ſanè fieri non potuit, vt conſtat, quia iam ſæpe ab
hoſtibus aduerſa multa pertulerat) non potuerunt
ab hac prophetia ad excidium vſque Samariæ plus
viginti quatuor annis intercedere. Nam Achaz
regnauit ſedecim annis 4. *Reg.* 16. anno verò 6.

A Ezechiæ eius filij capta eſt Samaria 4. *Reg. capite*
18. Hunc locum explicant Hebræi (vt tradit hic
Hieronymus, qui illorum ſententiam non videtur
improbare, cùm aliam non adducat; & idem fa-
ciunt Haymo, S. Thom. Procopius, Hugo, & Dio-
nyſius) in Seder Olam *cap.* 19. vbi tradunt hic ſpe-
ctare Iſaiam prophetiam Amos, qua minabatur
Iſraeli captiuitatem, & exitium, & ab ea vſque ad
captam Samariam intercedere annos 65. quos ita
numerant. Ex regno Oziæ ſiue Azariæ qui regnaſ-
ſe traditur annos quinquaginta duos 4. *Reg.* 15. ſu-
munt annos 27. nã putant anno 27. ipſius regni cõ-
tigiſſe terræ motum, ante quem duobus annis pro-
phetare cœpit Amos, vt liquet ex ipſius prophetia
cap. 1. His adde ſedecim annos Ioatham, & toti-
dem Achaz, deinde ſex è regno Ezechiæ, nam eo
anno capta eſt Samaria, & numerantur anni ſexa-
ginta quinque.

Vatablus aliter accipit hanc annorum ſummam,
& deducit à prophetia Amos, ſed putat ibi quoque
contineri Aſſyriorum interitum, niſi forte errore
librariorum pro Syriorum Aſſyriorum poſitum
ſit, & ea computatio placet Foreiro. quæ ducitur
à Regibus Iſrael, qui à tempore terræ motus, id eſt,
ab tempore quo primùm vaticinari cœpit Amos,
Samariæ præfuerunt. *Nam cœpit*, inquit, *prophetare
aduerſus eos anno 17. Ieroboam filij Ioas, qui à prophetia
hac regnauit 24. annos; quibus ſi addas decem Mana-
hem, duos Phaceam, 20. Phacee, & Oſea 9. conſtitues*
65. Sed hæc explicatio nullo fundamento ſumit
24. annos ex Regno Ieroboam; imò contra com-
munem Hebræorum ſententiam, quam noſtri
cum Hieronymo non refutant, ſed videntur ſup-
ponere. Et præter eos quos nuper commemoraui,
refert Cyrillus in illud *Zachariæ* 14. *a facie terræ
motus in diebus Oziæ*. Et latè tradit Ioſephus *lib.* 9.
Antiq. cap. 11. & Lyra *in lib.* 2. *Paralip.* 26. & Hiſtoria
ſcholaſtica in locum 4. *Reg. cap.* 21. qui putant ter-
ræ motum, ante quem prophetare cœpit Amos,
contigiſſe, quo tempore Ozias, qui & Azarias, le-
pra percuſſus eſt: ante quod tempus illa geſſit, quæ
non potuerunt paucis annis obiri, vt liquet 2. *Pa-
ral. cap.* 26. Quod ſi anno 17. Ieroboam, id eſt, de-
cem annis antequam Ozias regnum iniret, (nam vt
conſtat 4. *Reg.* 15. regnare cœpit anno 27. Ieroboam)
D prophetiam orſus eſt Amos, non biennio ante ter-
ræ motum, ſed duodecim aut ampliùs annis ante
illum vaticinium exorſus eſt. Hæc iuxta ſenten-
tiam eorum qui putant terræ motum contigiſſe,
quo tempore lepra percuſſus eſt Ozias: quod quia
minùs certum eſt, & vt ſtatim dicemus, parum pro-
habile, aliter nobis vrgendus eſt Vatablus, nam
conſtat *Zachar.* 14. terræ motum illum contigiſſe
in diebus Oziæ. Vt autem primo anno regni eius
acciderit, non potuerunt à regno Ieroboam ſumi
plus quam ſedecim anni. Cùm enim Ieroboam re-
gnaret 41. annos, & anno ipſius 27. inceperit
E Ozias, tantum ſuperſunt à terræ motu, id eſt, ab an-
no primo Oziæ anni quatuordecim. His adde duos,
nam biennio ante terræ motum prophetare cœpit
Amos, efficies omnino ſedecim annos, qui ad ſum-
mum ex regno Ieroboam deſumi poſſunt, non 24.
vt putabat Vatablus.

Neque plus firmamenti ac probabilitatis habet 16.
ſententia Hebræorum, quam miror tanto tempore
quibuſdam ex noſtris placuiſſe. vt enim Vatablus
atque Foreirus liberè, & ſine vllo fundamento, aut
coniectura ſumunt ex regno Ieroboam 24. annos,
ſic Hebræi ex regno Oziæ 27. quæ ſententia nul-
rò ta

tò faciliùs quàm ſuperior refutari poteſt. Nam vt liquet *Amos cap.* 1. prophetare cœpit Amos ſub Ieroboam filio Ioas Rege Iſrael, & ſub Ozia Rege Iuda. Sub his regibus vaticinatus eſt Amos biennio ante terræ motum; à quo tempore ducunt Hebræi annorum ſummam. Quem dicunt contigiſſe anno 27. Regni Oziæ. Quòd ſi conſtiterit eo anno non accidiſſe, ſed potiùs multis antè annis, cadet potiùs eo fundamento ſublato Hebræorum cogitatio; id ergo ſic puto manifeſtè conſtabit.

Tempus extremum, in quo concurrere potuerunt hi duo Reges, & in quo cœpit vaticinium Amos, fuit annus decimus quartus Regni Oziæ, quia hic vltimus fuit regni Ieroboam, poſt quem nulla ratione terræ motus eſſe potuit, quia ille accidit biennio pòſt quàm prophetare aggreſſus eſt Amos. Quod verò annus decimus quartus fuerit extremus in quo duo illi Reges ſimul regnauere, ex eo fit perſpicuum, quia Ieroboam regnauit in Iſrael annos 41. vt vidimus, anno verò ipſius vigeſimo ſeptimo regnum iniit Ozias; quem numerum ſi ex 41. detraxeris, reliqui ſunt quatuordecim; quibus annis regnauere ſimul in ſuo quique regno Ozias, & Ieroboam; quo tempore neceſſariò terræ motus fuit, & eo prophetare exorſus Amos; quia ſub duobus regibus prophetare cœpit: Ergo etiamſi concedamus anno decimo quarto Oziæ cœpiſſe prophetiam Amos, (nam prophetiam eius primam eſſe dicunt contra Iſrael, à qua anni ſexaginta quinque numerantur:) neceſſe eſt vt ex Oziæ regno ſumantur anni 38. quibus ſi addas 16. annos Ioatham, & totidem Achaz, & ſex Ezechiæ, efficies annos 76. Sed eſt alia ratio, quæ neceſſariò meo iudicio conuellit Iudæorum commentũ, qui putant illum terræ motũ contigiſſe anno 25. regni Oziæ, eiúſque cauſam fuiſſe Regis impiam audaciã, qua ſibi ſacerdotale miniſterium arrogauit; quam Deus ſibi maximè diſplicuiſſe teſtatus eſt, & terra graui motu concuſſa, & rege turpi lepra fœdato. Nam vt conſtat 4. *Reg.* 15. & 2. *Paralip.* 26. vbi Ozias leproſus apparuit, à regni adminiſtratione confeſtim abſtinuit, habitauitque in ſeparata domo ſeorſum ab aliis. tunc autem vt dicitur 2. *Paral.* 26. *Ioatham filius eius rexit domum Regis, & iudicabat populũ terræ.* deinde *ibid. c.* 27. dicitur *viginti quinque annorum erat Ioatham, cùm regnare cœpiſſet; & ſedecim annos regnauit in Ieruſalem.* Quòd ſi 25. annis leproſus vixit Ozias; & eius loco totidem annis Ioatham domum gubernauit regiam, antequam ipſe defuncto patre regnum iniret, ſequitur planè eodem anno, quo natus eſt, pro patre cœpiſſe regnum adminiſtrare; quandoquidem annum nactus vigeſimum quintum, regnum ſuſcepit. Ex quibus fit veriſimile, terræ motum illum contigiſſe longè ante ſacrilegium, & lepram Oziæ, & Oziam tam longum tempus leproſum non fuiſſe, quanto ſuo more fabulantur Hebræi.

17. Sed dicet fortaſſe non nemo, ſedecim illos annos, quos regnauit Ioatham, ſumendos eſſe ant certa bonam illorum partem ex 52. annis, quos regnauit pater eius Ozias, nam etiam viuente patre dicitur tenuiſſe regni gubernacula; & ideo dici, natum annos viginti quinque regnare cœpiſſe; quia ea ætate pro patre leproſo regem egit. Sed non difficilè ex Scriptura ſacra colligitur totos illos 25. annos regnaſſe Ioatham poſt patris ſui mortem. Nam 4. *Reg. cap.* 15. Phacee filius Romeliæ dicitur iniiſſe regnum Iſrael anno 52. regni Azariæ, (hic autem Ozias eſt) ſed anno 2. huius Phaceæ A regnum ſuſcepit Ioatham, & ſedecim regnauit annos: ſic enim ibidem, *Anno 2. Phaceæ filij Romeliæ Regis Iſrael regnauit Ioatham filius Oziæ Regis Iuda, viginti quinque annorum erat cùm regnare cœpiſſet, & ſedecim annis regnauit in Ieruſalem.* Et hæc confirmatur multò magis, quia ſtatim *cap.* 16. dicitur, *Anno 17. Phaceæ filij Romeliæ, regnauit Achaz filius Ioatham.* Ergo inter mortem Oziæ, & inter principium regni Achaz fuerunt (pro varia Hebræorum computandi ratione, qui modò annos imperfectos numerant, modò omittunt) ſedecim aut ſeptendecim anni, quo tempore nullus fuit, qui ſpatium illud annorum impleret, præter Ioatham. Nihil ergo ſedecim annis Ioatham annumerandum eſt, B ex 52. annis Regni paterni, atque adeò cùm pater eſt mortuus, annum agebat vigeſimum quintum.

Cùm ergo hæc Hebræorum computatio impedita ſit, vt conſtat, alia ratione nobis hic nodus ſoluendus eſt. Neque alius occurrit mihi in præſentia magis expeditus, quàm ſi dicamus Iſaiam non tam numeraſſe annos, qui interiecti ſunt inter prophetiam de Samaria, & ipſius excidium quàm eos, qui ab eadem prophetia ad illum vſque articulum, in quo hæc ab Iſaia proponebantur. Quaſi dicat Iſaias, *Cadet Samaria ſicut ſexaginta quinque ab hinc annis prædictum fuerat ab Amos.* Quam prophetiam eſſe puto, quæ eſt *cap.* 4. in qua eadem videntur dici ab Amos de Samaria, quæ nunc C dicuntur ab Iſaia. ſic enim ibi Amos, *Audite verbum hoc vaccæ pingues, quæ eſtis in monte Samariæ,* &c. *Iurauit Dominus Deus in ſancto ſuo, quia ecce dies venient, ſuper vos, & leuabunt vos in contis, & reliquias veſtras in ollis feruentibus.* A qua prophetia 65. anni non difficile colliguntur. nam hæc dicta ſunt viuente Ieroboam, id eſt, non poſt decimum quartum annum Oziæ. Ab annis ergo 52. Oziæ vt minimùm ſumendi ſunt 38. anni, & vt ego exiſtimo quadraginta, & complures: quia non neceſſe eſt vt hæc dicta fuerint vltimo anno Ieroboam, qui fuit decimus quartus Oziæ. his ergo 38. annis adde ſedecim regni Ioatham, colliges 54. De ſedecim quos regnauit Achaz, ſumendi ſunt D aliqui. Epiphanius ſumit nouem, nam ex his quæ geſta commemorantur ab Achaz, quo tempore hæc dicta ſunt ab Iſaia, veriſimile fit aliquos annos præteriiſſe; Sed credo ex regno Oziæ, vt dixi, plures annos eſſe petendos; & vtcumque numerare velis, facilè colliges annorum ſummam, quæ hic ab Iſaia ponitur. Nam à quocumque anno regni Oziæ, non repugnante Scriptura, iniri potuit hæc annorum ſumma. 18.

Sed dicet aliquis, illum loquendi modum, *adhuc 65. anni, & deſinet Ephraim eſſe populus*, indicare potiùs futurum tempus, quàm iam exactum, vt exemplis conſtat. Ionas *cap.* 3. *Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur.* Ierem. *cap.* 27. *Adhuc duo anni dierum, & ego referam.* Ioan. *cap.* 4. *Adhuc quatuor E menſes ſunt, & meſſis venit.* Reſpondeo illud *adhuc* ſignificare ſæpe futurum, Hebr. עוד *hhod*, ſeu בעוד *vehhod*, ſed nonnumquam etiam rem indicare præteritam, & eius eſſe terminum. *Ierem.* 15. *Occidit ei ſol, cùm adhuc eſſet dies.* Hebr. בעוד *vehhod*, 2. *Reg.* 11. *Adhuc puero viuente ieiunaui.* & *Geneſ.* 45. *Adhuc pater meus viuet.* & huiuſmodi alia plurima, quæ eiſdem vocibus עוד *hhod* & בעוד *vehhod*, explicant rem præteritam, quibus etiam ſuperioribus exemplis denotantur futuræ. Quare ſenſus eſt non alienus ab vſu Scripturæ adbuc, id eſt ad hoc vſque 19.

Adhuc tam rem ſignificat præteritam, quàm futuram.

tempus

tempus exacti ſunt 65. anni, ex quo prædicta eſt Samariæ vaſtitas ab Amos. Eundem vſum habet apud Latinos vox *abhinc*, quæ modò ad futurum, modò ad præteritum tempus refertur.

20. r *Si non credideritis, non permanebitis.*] In textu Hebraico luſus eſt elegans in voce *credideritis* & *permanebitis*. Quæ ab eadem radice אמן *aman*, deducuntur. Quæ in coniugatione actiua Hiphil, credere ſignificat, & fiduciam ponere in aliquo, ſeu confidere; in coniugatione verò paſſiua Niphal fidelem eſſe, ſtabilem, & firmum. L x x. tranſtulere, *ſi non credideritis, non intelligetis*. Et iuxta hanc tranſlationem ſæpe locus iſte citatur à ſanctis Patribus, Auguſt. ſæpe variis locis. Chryſoſt. *homil. 51. in cap. 7. Ioan.* Cyprianus *aduerſus Iudæos lib. 1.* Proſper *De vita contemplatiua cap. 19.* Euſebius *de demonſtratione euangelica. lib. 7. cap. 2.* Qui ex his Iſaiæ verbis probant ideo Iudæos Scripturam non intelligere, quia non credunt. Horum aliqui hæc verba referunt ad prophetiam ſequentem de conceptu virginis, & ortu Emanuelis, vt Euſebius ſuprà. Sed hoc extremum mihi difficile eſt; quia ſtatim aliquid diuerſum oſtenditur vel ipſo loquendi genere, dum dicitur. *Et adiecit Dominus loqui ad Achaz.* Quare potiùs hæc ad ſuperiora referenda. Sed quidquid ſit de tranſlatione Lxx. & de illo ſanctorum dogmate, Quod nempe ideo Iudæi Scripturam ſacram non intelligunt, quia non credunt; de quo pluribus ſcholaſtici; dicam nunc quod iuxta tranſlationem noſtram videtur magis promptum. S. Hieronymus, quem ſequitur S. Thomas, Haymo, Hugo, & plures alij ſic exponunt, ſi non fidem adhibetis meis verbis, quibus ſalutem vobis, & libertatem; Samariæ autem, & Syriæ vaſtitatem denuncio, non eritis ſtabiles in regno, ſed in captiuitatem ducemini. Quæ explicatio omnino mihi placet; ſed credo paulò latius patere. Atque ideo obſeruandum quo tempore hæc audierit domus Dauid ab Iſaia, & quo rerum articulo. Grauiter commotus erat Achaz cum toto populo, cùm imminerent iam duo Reges potentiſſimi ciuitati, ſuperioribus bellis debilitatæ; quorum animi ſic iactabantur perturbatione, ac metu, ſicut vento concuti ſolent ſyluarum frondes. Quare Rex domeſticis viribus diffidens, externas aduocare meditabatur. Propheta ab eo conſilio Regem deducit, ſperaréque iubet à Deo omnia ſecunda, docétque nullum alium poſſe in illis rerum anguſtiis laboranti populo ſubuenire. Ait ergo in extrema illa clauſula, niſi Deo credant, in eoque fiduciam locent; nequiequam ab Aſſyriis ſalutem ſperari. Quem ſenſum colligo ex ſtatu, in quo tunc res erat Iudaica, & ex ſermone, qui anteceſſerat; qui omnia ſecunda Regi pollicebantur. Nam ſi quis rerum anguſtiis prematur, credátque promittenti auxilium, & ſalutem, is ſanè, dum credit, ſimul ſperat. Neque infrequens eſt, vt eam ob cauſam *credere* pro *ſperare* ab optimis auctoribus vſurpetur. Vt *credere mari, ventis, agrorum bonitati*, quia ab illis, nauigatio ſecunda, ab his frugum abundantia
Deut. 28. ſperatur. neque id in ſacris inuſitatum. *Deut. 28. timebis die ac nocte, & non credes vitæ tuæ*, id eſt, vt exponit Lyra, Carthuſianus, Vatablus, deſperabis te poſſe viuere. Et ideo ſubditur. *Manè dices, quis mihi det veſperum; & veſperi, quis mihi det mane.* Et
Iob. 24. *Iob cap. 24.* eodem ſenſu. *Et cum ſteterit non credet vitæ ſuæ.* Alibi plura occurrent exempla. Vide Pagnini lexicon in voce אמן *aman*.
21. Tria ergo hîc prædicit Iſaias; & nihil mali tunc A paſſuram Ieruſalem à duobus Regibus; & breui cum Regibus ſuis duo illa aduerſaria regna peritura. Et tandem ipſos quoque, ſi increduli fuerint diuinæ promiſſioni, id eſt, ſi non tam à Deo quàm ab Aſſyriorum auxiliis ſalutem ſperauerint, nó fore in ſuo regno ſtabiles. Quæ tria nobis obſeruanda pro iis, quæ de Virgine, atque Emanuele poſtea à nobis dicentur.

q *Pete tibi ſignum à Domino.*] Elucet hinc ſin- 22.
gularis Dei benignitas in ſceleratum, & peſſimè de religione meritum Regem. Cùm ad promiſſa alia hoc etiam adiecerit, vt ſignum poſtulet, optionémque dat, velit ne ex cœlo vel ex inferno habere venturi ſucceſſus teſtimonium, & daret, credo, B quod ipſe petiiſſet, qua eſt liberalitate, etiam illud ſignum quod accidit tempore Ioſue, vt ſol ſtaret; quandoquidem, vt eſt communis Patrum ſententia, idem datum eſt ſignum ipſius filio Ezechiæ: cùm non eſſet ita grauis vnius Regis ſalus ex mortifero morbo, quàm vnius Regni ſalus & incolumitas, quando nullum apparebat exitij iam imminentis effugium. Recuſauit tamen impius Rex oblatum beneficium; aut quia nugacem putabat prophetam, neque eius promiſſis habendam eſſe fidem; aut quia ſe ſimulauit religionis ſtudioſum, quæ omnino vetat Deum eſſe tentandum. Alij putant noluiſſe Regem ſignum petere, ne cogeretur, illuſtri aliquo ſigno deponere, quam iam antea amplexus fuerat religionem falſam. Mihi non videtur improbabilis ſententia Foreiri; qui C ideo putat Regi Achaz Deum tentandum videri, ſi ſignum à Deo alicunde peteret: nam cùm Iſaias Dei nomine iuberet vt quieſceret, neque timeret titiones illos duos fumigantes, ſed ſperaret Deum ſibi adfuturum ducem, & auſpicem ad debellandos hoſtes, & eius rei teſtimonium aliquod promitteret diuinum, ipſe tentatum iri Deum interpretabatur, ſi cùm ipſe pecuniam haberet ad conducendum externum militem; neque à domeſtico apparatu eſſet omnino nudus, ſi otioſus ipſe rem totam diuinæ liberalitati committeret. Alij ſigni petitionem, tentationem eſſe Dei exiſtimant, & ideo ab ipſa tantopere abhorruiſſe Regem. Sed quæcumque cauſa Regem adduxerit, quominus D oblatum à Deo ſignum poſceret, in illa fuiſſe impietatem conſtat, quandoquidem ob eam à propheta reprehenſus eſt.

s *Audite ergo domus Dauid, nunquid parum vo-* 23.
bis eſt moleſtos eſſe hominibus.] Moleſti erant & iniurii prophetis, Achaz, & qui cum ipſo erant è domo Dauid, id eſt, regni proceres, quibus cum de ſumma rerum Rex deliberabat: dum propheticis oraculis ineſſe fidem aut negabant, aut dubitabant. Sed nunc Deo moleſti ſunt, quoniam aut ſignum ab illo non ſpectant, aut ſigno nihil ineſſe futurum putant firmitatis, ac fidei. Alloquitur autem non ſolùm Achaz, ſed etiam domum Dauid, aut quia, vt dixi, *cum his qui erant ex fami- E lia Dauidica conſilium inierat de aduocando Aſſyriorum auxilio; & illi cum Rege ſtatuerant nullum petendum eſſe ſignum; quare omnes dicuntur eſſe Deo moleſti. Aut certè cùm aliquid maius, atque omni humana cogitatione ſublimius promittat; non ad vnum Achaz, ſed ad domum Dauid, id eſt, ad Iudam cuius caput erat Dauid, oraculum confert. Porrò hæc eſt horum verborum ſententia. Putaſtis ô Achaz, & vos qui eſtis è domo Dauid, parum eſſe quod hominibus fueritis moleſti: Atqui ſcitote vos Deo eſſe moleſtos.

Ac ſi dicat propheta, non me deſpicitis offerentem ſigna libertatis, ſed Deum, cuius nomioe vobis iſta promitto.

24. ſ *Propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum. Ecce virgo concipiet & pariet.*] Hic locus valde difficilis eſt, atque ab omnibus tam piis, quam impiis maximè in vtramque partem verſatus. Quem, quia de Chriſto illuſtriſſimus eſt, nobis eripere conantur Iudæi, cootra quos latè, & optimè, & eodem ferme modo Hieronymus *hic*, & *lib. 1. contra Iouinianum, & traditionibus Hebraicis in Geneſim*, S. Thom. *hic*, Maldonatus *in cap. 2. Matth.* & ferme nullus eſt, qui vel in Matthæum, vel in Iſaiam aliquid commentatus ſit, qui locum iſtum accuratè non tractauerit. Sed tractarunt diligentiſſimè Franciſcus Suarez, & Gabriel Vazquez, vterque de ſocietate Ieſo, ille *tom. 2. in 3. p. S. Thom. diſput. 5. ſectione 2.* hic *tomo etiam 2. in 3. parte S. Thom diſputat. 121. cap. 3. Duo* verò ſunt, quæ inter alia Hebræi nobis obiiciunt: *Alterum* eſt, hic non eſſe בתולה *vethulah*, quæ vox *Virginem* ſonat, ſed עלמה *hhalmah*, quæ *adoleſcentulam*; & quæ non tam ſtatum, aut pudicitiæ florem illibatum, quàm

Almà Virginē ſonat. ætatem ſignificat. Hanc partem ſatis conuellit Hieronymus, dum עלמה *hhalmah*, aliquid addere oſtendit ſuper בתולה *vethulah.* Eſt enim non ſolùm virgo, (vt de Rebecca conſtat, quæ virgo erat, quo tempore vocata fuit עלמה *hhalmah, Geneſ. 24.* & vt fatetur Hieronymus, lingua Punica, quæ ab Hebraica orta eſt, virgo *Alma* dicitur) ſed etiam ea virgo eſt, quæ non ſolùm ſibi cauet à virorum congreſſu, ſed etiam oculis, adeò vt neque viris de facie nota ſit. Quæ ſumma eſt Virginis laus, & virginitatis teſtimooium.

25. Quòd ſi verum eſt quod tradit Nicephorus

Simeon virginis nomē delere conatus. *lib. 1. hiſtor. cap. 12.* & Egeſippus *lib. de ſupplemento euangelica veritatis*, explicans illud *Lucæ 2. Reſponſum acceperat Simeon à Spiritu ſancto.* Nempe Simeonem, cùm in ſcholis exponeret, quem uune tractamus, Iſaiæ locum, neque putaret de virgine quemquam naſci poſſe, aliquid mutaſſe in voce עלמה *hhalmah*, ita vt non tam ſignificaret virginem, quàm puellam iam maturam viro: Sed inueniſſe ſcriptam vocem, quam expunxerat, aut mutarat; quod cùm tertiò feciſſet, tertiò etiam inueniſſe repoſitam. Tunc autem accepiſſe à Spiritu ſancto, non priùs ſibi excedendum è viuis, quàm & virginem, & puerum ex virgine natum videret. At quis credat tantum doctorem ignoraſſe, quam vim haberet Hebraica vox עלמה *hhalmah.* Quòd ſi hæc oon tam hiſtoriam, quàm commentum merum aliquis ſuſpicetur, quod viris doctis viſum eſt, certè non aliter eamdem vocem verterunt Septuaginta, & Chaldæus, quorum auctoritas maior eſt longè; quàm eorum Rabbinorum, qui aliter ſentiunt.

26. Et ne Hebræi, qui in voce עלמה *hhalmah*, ali-

Almà aliquid habet ſupra Betuli. quid deſiderant, tantum tribuunt voci בתולה *vethulah*, qua vna *Virginem* ſignificari putant, non obſcurè meo iudicio ex Scriptura colligitur, eam vocem accommodari poſſe etiam corruptæ. Nam *Geneſ. 24.* cùm Rebecca dicitur verſu 16. בתולה *vethulah*, ſubditur; *& incognita viro*, quaſi dici etiam poſſet בתולה *vethulah*, quam vir cognouerit; cùm tamen eadem *ibidem verſu 43.* vocetur ſine vlla adiectione עלמה *hhalmah.* Ex quo intelligitur non difficilè totum id quod continet *cap. 24. virginem non cognitam viro*, ſignificatum eſſe vna tantum voce עלמה *hhalmah*, & *Ioel. cap. 1.* vbi noſter, *Plange quaſi virgo accincta ſacco, ſuper virum pubertatis tuæ.* Hebr. eſt בתולה *vethulah*, & tamen illo io loco potiùs ſignificatur ablatus, quam illibatus virginitatis flos. & LXX. ibi pro *Betula*, *nuptam* reddidere, cui non aptè accommodes virginis nomen.

Secundò obiiciunt Hebræi illud *Prouerb. 30.* 27.

Tria ſunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro. Prouer. 30. *Viam aquilæ in cœlo: viam colubri ſuper terram: viam nauis in medio maris, & viam viri in adoleſcentia.* Hebr. בעלמה *vehhalmah*, quod Hebræi explicant *in adoleſcentula.* Si demus Hebræis hic adoleſcentulam ſignificari, non adoleſcentiam, tameo ex hoc loco nunquam efficient, niſi vltro ſibi tenebras offundant, vt עלמה *hhalmah*, ſignificet corruptam. Hunc locum alij variè explicant, fortaſſe magis ad rem, ſed vt ego meam inſcitiam fatear, noo aſſequor, quomodo explicationes illæ ſatiſfaciant, aut obiectioni Iudæorum, aut textui, filóque ſermonis. Quare ego aliter hunc locum aggrediar. Et primùm ſuppono; quod videtur non admittere P. Gabriel Vazquez ſuprà *num. 60.* neque Ianſenius in hunc locum; in hoc genere loquendi eſſe epitaſim Hebræis familiarem, qui ex rerum aliarum comparatione aliquid eſſe in ſuo genere eximium oſtendunt. Epitaſis in comparatione. Exempla plurima occurrent apud Amos *cap. 1. & 2.* vbi ex eo videtur poſſe colligi quartum peccatum eſſe grauius illis, quæ ibi non exprimuntur; quia propter quartum dicuntur non eſſe conuertendi illi, qui totum accuſantur rei. Et de aliis locis, in quibus eadem eſt forma verborum, magis conſtat: quia ea cum quibus comparantur, quæ extremo adhibentur loco, leuiora, aut minora videntur. *Prouerb. 6. Sex ſunt quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima eius: oculos ſublimes, linguam mendacem, manus effundentes innoxium ſanguinem, cor machinās cogitationes peſſimas, pedes veloces ad currendum in malum, proferentem mendacia teſtem fallacem, & eum qui ſeminat inter fratres diſcordias.* Quis dubitet hoc poſtremum eſſe magis odioſum? *Et eodem capite 30. Tria ſunt inſaturabilia, & quartum, quod nunquam dicit ſufficit, infernus, & os vuluæ, & terra quæ non ſatiatur aqua, ignis verò nunquam dicit, ſufficit.* Quo loco nemo dubitabit in poſtremo, id eſt, in igne minorem eſſe quàm in aliis tribus ſatietatem. Nam aliorum etiamſi contingat auiditatem non expleri, tamen, qoo magis abundant, non eo ipſo plus appetunt, vt in terra irrigata, & in fœminarum libidine non obſcurum eſt. At ignis quo plus lignorum adieceris, quia adhibitis alimentis magis adoleſcit, ipſo alimentorum incremento creſcit quoque ignis vis, & auiditas. *Eodem cap. Tria ſunt quæ bene gradiuntur, & quartum quod incedit fœliciter: leo fortiſſimus beſtiarum ad nullius pauebit occurſum; gallus ſuccinctus lumbos, & aries, neque eſt Rex, qui reſiſtat ei, & qui ſtultus apparuit poſtquam eleuatus eſt in ſublime.* Quàm inſolens, & ambitioſus faſtus ſit ſtulti, qui cum poteſtate & imperio eſt, quis non videt? Aliæ ſunt comparationes io eodem capite, in quibus minùs apparet exceſſus in eo quod poſtremo ponitur loco, ſed ex analogia credo eundem eſſe ſenſum. Hæc porrò amplificatio, ex huiuſmodi comparatione profanis quoque vſitata, & non inelegans eſt. Theocrit. Idyl. 8. *Arboribus tempeſtas metuendum malum, aquis cœnum, auibus laqueus, feris agreſtibus, retia: viro autem tenera virginis amor.* & Idyl. 9. *dulce vitulus mugit, dulce etiam bos, dulce fiſtula, dulce paſtor, dulce & ego.* In altero

poëta

Digitized by Google

poëta Siculus, magis ſe amore torqueri, & grauiùs affici dicit, quàm arborem à tempeſtate, aquam à ſordibus, &c. in altero magis ſe eſſe vocalem, & dulcem in cantando, quàm fiſtula, &c. Quem in eadem comparatione, atque amplificatione imitatus eſt Virg. *Eclog.* 3. apud quem ſic Dametas.

Triſte lupus ſtabulis, maturis frugibus imbres:
Arboribus venti, nobis Amaryllidis ira.

Et ibidem ſtatim Menalcas.

Dulce ſatis humor, depulſis arbutus hœdis.
Lenta ſalix fœto pecori, mihi ſolus Amynthas.

Quod ſi ita eſt, vt certè eſſe videtur, nihil hinc contra nos auxiliatur Iudæorum perfidiæ, etiam ſi concedamus pro, *in adoleſcentia*, legendum eſſe *in adoleſcentula.* Nam cùm dixiſſet, tria difficilia eſſe cognitu, vbi non negat poſſe cognoſci, addit quartum, quod penitus ignorare ſe dicit, id eſt, nullo modo poſſe cognoſci. Sed ſi via viri eſſet in עלמה *hhalmah*, id eſt, vt ipſi interpretantur, *in adoleſcentula*, quia violata eſſent, aut laxata, aut aliquid paſſa pudicitiæ clauſtra; multò faciliùs illa viri via cognoſceretur in adoleſcentula, quàm via aquilæ in aëre, aut via nauis in aqua: quia violationis conſtantiſſima manent, & facilè notanda veſtigia. quæ vt aliqua ratione tegant fœminæ ab aliis illegitimo congreſſu violatæ nihil non moliuntur. Quare עלמה *hhalmah*, nullo modo temerata intelligitur.

28. Neque ſi in eo loquendi genere epitaſis nulla ſit ex aliorum comparatione (quod Ianſenius putat *in cap. 30. prouerb.* & ibid. Emannel Sa, & Gabriel Vazquez ſuprà) quicquam hinc contra nos habent Hebræi, dicunt enim prædicti auctores in ea verborum forma, ſignificari ſimpliciter quatuor eſſe difficilia, quatuor inſaturabilia, &c quia illud, *& quartum*, pro quo *quatuor* legunt in Hebræo. nihil aliud ſignificare exiſtimant, quam, *imò & quatuor.* hoc ſenſu: *tria imò & quatuor inſaturabilia ſunt.* Quod, etiamſi verum ſit, non tamen ex ea comparatione colligi poteſt עלמה *hhalmah*, aliquid fuiſſe paſſam à viro, quando in ea tale viri veſtigium futurum eſſe dicitur, quale relictum eſt ab aquila in aëre, à naui in medio maris, à ſerpente in petra. Sed vt in aliis verum ſit, quod Ianſenius putat, & Vazquez, vt nulla fiat comparatio, in hoc tamen loco, quem nunc verſamus, non puto. Quia tria priora, difficilia dicuntur cognitu; ad poſtremum quod ad עלמה *hhalmah*, pertinet, omnino dicitur cognoſci non poſſe.

29. Quando ergo habemus in עלמה *hhalmah*, hoc loco nihil eſſe quod oleat violatum pudorem, ſenſum huius loci iuxta Hebræorum lectionem inueſtigemus. Ianſenius exiſtimat eo loco commendari, vt puella poſt amiſſam virginitatem ita ſe gerat quaſi à nullo vim eſſet paſſa; ſollicitè occultans, nequis illatam fuiſſe eiuſmodi iniuriam intelligat. Sed hac explicatione non video quomodo Hebræorum obiectioni ſatisfaciat; cùm in עלמה *hhalmah*, aliqua ſignificetur corruptio. Neque mirum ſi hoc modo ex hac difficultate ſeſe Ianſenius expediat, cùm in concordia *cap. 7.* ad illud Matth. *hoc autem totum factum eſt.* dicat עלמה *hhalmah*, propriè non ſignificare virginem; nunquam tamen in Scriptura dici niſi de ea, quæ virgo ſit. quemadmodum Rebecca ante nuptias appellatur עלמה *hhalmah.* Quod magis miror cum ipſe ibidem fateatur in lingua Punica, quæ ab Hebraico profecta eſt, *Alma* propriè virginem dici.

30. Aliter ergo nodus iſte nobis extricandus. Duæ mihi nunc explicationes occurrunt, quas, quia res grauis eſt, & obſcura, non grauarè, vt reor, lector accipiet. In *altera* maximè commendatur illibati pudoris flos atque integritas. Purus eſt aër atque integer ab Aquilæ volatu, quia ſi quid ab illa trahit odoris, vt pote à volucri rapaci & ſanguinaria, illud ſtatim diſſipat, ac perdit. Quod ſi volatu diuiditur aër, illico tamen eius partes coeunt, delentque volantis aquilæ veſtigium. Sed eſt ibi aliquid, quod licèt breui, atque difficili, aut odoratu capias, aut oculis notes. Similia dici poſſunt de mari à nauibus ſulcato, aut de petra ſupra quem reptauere ſerpentes. Sed in virgine via viri, id eſt, virilis operæ veſtigium nullum eſt, quia illibata eſt; atque adeò penitus ignoratur aliquid, quod à viro ſit, iuxta vulgatum illud, *quod non eſt, non ſcitur.* Sicut etiam in aëre ac mari multo minus cognoſcerentur viæ, ſi non eſſent diuiſæ, ille ab aquila, hoc à naui.

Virginũ ſingularis puritas.

31. *Alter* ſenſus eſt meo iudicio commodior & illuſtrior, vt nuper vidimus ex Hieronymo עלמה *hhalmah*, non ſolùm *virginem* ſignificat, ſed etiam *abſconditam.* Hæc verò, quæ ſe ab hominum oculis ſubducit, quæque non tam de facie, quàm de fama nota eſt, neque amari ſolet, vt pote non cognita, neque, ſi vnquam ab aliquo amari contingat, quod perquam rarum eſt, ab eo tentari illius pudor, aut fama ſolet. Seceſſus enim & clauſtrum, ex quo pedem efferre non ſolet pudica virgo, ſatis ab amatoriis machinis, & inſidiis virginalē pudicitiam tuentur. Contra verò videmus vagas fœminas, quæque liberè videre alios, & ab aliis non minori ſtudio videri volunt; propinántque ſpectantibus amoris poculum, expeti ab omnibus, interpellaríque. Quod frequenti vſu edoctus dixit Propertius.

Virginum ſeceſſus.

Qui videt, is peccat, qui te non viderit ergo,
Non cupiet. ſacti crimina lumen habet.

Quare fœmina hæc garrula, & vaga ſtultos ad ſe adoleſcentes allicit lenocinante & procaci forma, & petulante lingua, & illius ianua multorum teritur pedibus. Quare preſſa videtur via, qualis eſſe ſolet in meretriciam domum, virorum turpium notata veſtigiis. Illa verò, quæ abſcondita eſt, neque obiicit quod appetant petulantes oculi, & procul à ſe abigit honeſtatis opinione impuros amatorum conatus. Quare nulla erit omnino viri via ad עלמה *hhalmah*, id eſt, ad *virginem abſconditam.* Neque incommodat ad hanc explicationem, quod in Hebraico textu eſt בעלמה *vebhalmah*, pro qua noſter *in adoleſcentia*, communiter alij *in adoleſcentula*: nam ב Hebraica præpoſitio, non ſolùm ablatiuo ſeruit, ſed etiam non rarò accuſatiuo, cum motu ad locum, vt pluribus docuimus in illud *Cant.* 8. *quando alloquenda eſt. Leuit.* 16 *mittet hircum* במדבר *bammidbar*, id eſt, *in deſertum.* Gen. 26. *Manus eius contra omnes*, id eſt, *ad omnes.* Hebr. בכל *bochal*, *& manus omnium contra eum.* Hebr. בו *bo*, vbi eadem ratio eſt ſiue, *in eum*, ſiue *contra eum*, interpretare. nam quia præpoſitio *in* motum ſignificat in locum, fit vt etiam ſignificet *contra*, quia motus ille impetus quidam eſt ad aliquid aliud.

32. Eſt ergo ſenſus & pulcher, & ad mores accommodatus: nihil eſſe tam difficile quod non tentetur, nihil tam tutum quod non tangatur, nihil tam purum quod non aliqua ratione turbetur, vt in aëre patet, in aquis, & in petra; At cuſtodia virginis, & ſeceſſus, ſic illas tutas reddit ab ama-

torum inſidiis, vt non ſolùm non expugnati, ſed neque tentari, atque ambiri earum pudicitiam poſſit. Neque ideo via viri nulla apparet ad clauſas abſconditæ virginis, & ignotas fores. Ac ſi dicas, faciliùs inuenies in aëre viam aquilæ, & in mari viam nauis, quàm veſtigia virorum ad ianuam illius, quæ nunquam ſe viris videndam offert.

33. *Alterum* Iudæorum argumentum, quo nobis tam illuſtre teſtimonium eripere conantur, eſt, quia non videntur in Chriſtum, & Virginem, quæ hîc dicuntur ab Iſaia conuenire poſſe. Quia hoc ſignum eo conſilio datum eſt ab Iſaia, vt confirmaret Achaz, ſeu domum Dauid, ne deſponderent animum auxiliúmque peterent ab Aſſyriis, cùm accepiſſent imminere iam vrbi potentiſſimos Reges. ſed quam vim haberet hoc ſignum, quod nunquam Achaz neque vllus ex domo Dauid, qui præſens tunc eſſet, videre poſſet; cùm ſignum illud de Virgine, & Emanuele futurum eſſet ad octingentos annos ab hac prophetia. Quare Iudæorum quidam hæc de Ezechia filio Regis Achaz accipiunt: alij de aliquo filio Iſaiæ; ſed quam vtrumque falſo meditentur Iudæi, facilè conſtabit.

34. Primum quod de Ezechia dicunt, meritò rident, qui ſano ſunt capite. Nam quo tempore iſta ab Iſaia dicebantur, iam natus erat Ezechias; imò iam ætate adulta. Cùm enim mortuo patre regnum ſuſcepit Ezechias annos natus erat 25. 4. *Reg.* 16. At pater Achaz regnauit ſedecim annos, vt traditur ibidem. Quare nono anno ante initum à parente regnum natus eſt Ezechias, adde annos qui à regno fluxerant, quando hæc ab Iſaia audiuit Achaz, & inuenies iam non parum ætate proceſſiſſe.

35. Alij minùs ridiculè, falsò tamen, pertinere hæc putant ad vxorem Iſaiæ, ex qua adoleſcentula natum eſſe dicunt Emanuelem. Sed vnde norunt iſti Iudæi, Iſaiæ vxorem fuiſſe virginem? dices עלמה *hhalmah*, ex illorum ſententia virginem non eſſe; atque adeò hac noſtra interrogatione nihil vrgeri; ſed certè quid reſpondeant non habent, ſi illam fateantur non eſſe virginem, niſi velint oblatum ab Iſaia ſignum eſſe nugatorium. Nam ſi virgo non eſt, quæ Emanuelem peperit; quid habet nouum, aut non commune, & quotidianum illud ſignum? an inuſitatum eſt fœminam ex virili ſatu concipere? aut delibato virginitatis flore fœtum eniti? Adde quod hîc Emanuel *cap. ſequenti* vocatur Dominus terræ Iuda, qualis certè non fuit Iſaiæ filius. Quare cùm hîc Emanuel non eſſet natus, cùm hæc à propheta dicta ſunt; & Ezechias eſſet non ſolùm natus, ſed ætate etiam adulta: & hic Emanuel Rex etiam futurus dicatur, neque hoc Iſaiæ filio vllo modo contigerit, ſequitur non eſſe aut Ezechiam regem, aut Iſaiæ filium. At nullum alium, quod ego viderim aſſignant Iudæi.

36. Dicendum igitur eſt, oraculum hoc eſſe de Meſſia, & eius matre Virgine. neque vlli catholico fas eſt contrà cogitare, cùm id habeamus ita apud Matthæum expreſſum, vt omnem omnino dubitationem ademerit. Sic enim *cap.* 1. cùm dixiſſet, *quod enim in ea natum eſt de Spiritu ſancto eſt.* vbi matris virginitas oſtenditur, ſubiecit, *Hoc autem totum factum eſt, vt adimpleretur, quod dictum eſt à Domino per prophetam dicentem: Ecce Virgo in vtero habebit, & pariet filium: & vocabitur nomen eius Emanuel.*

37. Solutiones difficultatis ab Hebræis propoſitæ variæ ſunt. vide quas S. Thomas adducit in hunc locum. Quidam putant ſignum hoc promiſſum ab Iſaia, quod multa poſt ſæcula futurum eſſet, quia prophetis, futura non minùs certa ſunt, quàm quæ oculis vident, ac manu tenent. Ita Ribera in Nahum *cap.* 3. *num.* 10. & Didacus Aluarez. Sed cùm hoc ſignum non tam ſibi ſumpſerit propheta, quàm ad aliorum animos confirmandos adduxerit, non ſatis eſt ipſi eſſe notum, niſi aliis etiam, quorum edit eauſa, manifeſtetur.

Vatablus putat hæc verba Achaz, quibus dixit, *nolle ſe tentare Deum*, eſſe hominis athei, qui in Deo nullam eſſe virtutem exiſtimaret ad liberandam Ieruſalem, perdendóſque Reges, quos propediem aduenturos audierat: & ideo Deum propoſuiſſe maioris virtutis argumentum, quale eſt naſciturum ex virgine Emanuelem, qui à fortioribus hoſtibus grauiùs oppreſſum populum eriperet: vt eo confirmatus in meliorem cogitationem veniret. Sed ſanè vox illa, *non petam, & non tentabo Dominum*, non eſt eius qui neget, aut non putet potentiam eſſe in Deo, ſed potiùs, qui timeat eius offenſionem, ſi ſignum petat. Præſertim, quia Deus non videtur negare ſignum, quale priùs obtulerat, in profundum inferni, ſiue in excelſum ſuprà, dum dicit, *Propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum.* At iſtud non tam ſignum eiuſmodi eſt, quàm argumentum quoddam, quo diuina ſignificetur potentia.

Leo Caſtrus exiſtimat hoc ſignum non promitti domui Dauid, de liberatione ciuitatis, aut de duorum regum interitu; ſed de extrema vaſtitate, quæ Iudæis accidit à Romanis. & eius fuiſſe certum ſignum natum Emanuelem è virgine: quia eo tempore vaſtata eſt Iudæa, & euerſa funditus reſpublica Iudæorum. Sed hanc ſententiam conuellunt omnia penè, quæ capite hoc atque ſequenti traduntur; de duorum nempe Regum irrito apparatu, atque ſtudio, & de Syriæ imperio delendo. Adde quòd poſt conceptum Emanuelem, ante extremam illam vaſtitatem interceſſere pluſquam ſeptuaginta anni, neque veriſimile eſt tam longè ante præceſſurum fuiſſe illud vaſtitatis ſignum.

S. Thom. hîc tria ſignorum genera conſtituit, 38. Tria ſignorum genera.
Vnum, quod rem ſignificatam præcedit, quale fuit quod datum fuit Gedeoni, & Moyſi: *Alterum*, quod rem comitatur, quódque demonſtratiuum vocari poteſt. vt 2. *Reg.* 5. *Cum audieritis ſonitum gradientis in cacumine pyrorum, tunc inibis prælium.* & *Luca* 2. *Hoc vobis ſignum inuenietis puerum pannis inuolutū.* *Tertium* quod rei iam factæ ſuccedit. *Deut.* 18. *Hoc habebis ſignum, quòd in nomine Domini propheta ille prædixerit, & non euenerit, hoc Dominus non eſt locutus.* & Exod. 3. *Hoc vobis ſignum, quod miſerim vos, cùm eduxeritis populum meum, ſacrificabitis in monte iſto.* & 1. *Reg.* 10. Samuel ad Saul. *Et hoc tibi ſignum quia vnxit te Deus in principem, cùm abieris hodie à me inuenies duos viros iuxta ſepulchrum Rachel.* Hoc ergo tertio modo tradit ſanctus Thom. ſumendum eſſe hoc loco ſignum nati Emanuelis ex Virgine; quia ex eius conceptu intelligent, quomodo à Deo diſtracta ſint duo regna, & duo victi Reges, quorum bellicum pondus Iudæorum vires ſe ſuſtinere poſſe deſperabant. Sed eſt difficilis ſolutio, neque ſatis aptum ſignum ad confirmandum animos Iudæorum. quia neque ipſi viſuri ſignum erant, neque, ſi ſuo tempore futurum eſſet, illud agnoſcerent. Neque exempla adducta omnino accommodata. Non illud *Deuteron.* 18. de ſignis prophetæ falſi, nam illud tantum eſt

conic

Google

coniectura quædam,ſeu argumentum quo prudentes homines coniectare poſſunt, falſum eſſe propheram,cùm rei euentus illius promiſſa non probarit.ſicut illa,quę cum alicuius ſermone non conſentiunt,ſigna ſunt leuitatis & falſitatis. In aliis exemplis longè alia ratio eſt, nam eo tempore contigerunt,quo videri potuêre ab his,quibus oblata ſunt. De Saul conſtat quia eodem die quo prædictum eſt,ſignum occurrit. De Moyſe etiam certum, nam non longè poſt exitum ex Ægypto peruentum eſt ad illum locum,& oblatum ibidem ſacrificium. Præterea illi duces populi oblatis ſignis à Domino ad maiora molienda, ac perferenda cõfirmabantur; Quid enim ponderis ferendum, quid moleſtiarum exorbendum ſit his, qui cum imperio ſunt, quis non videt? Supererant ab eo ſigno 40. anni in quibus Moyſi quamplurima ab externis,& plura à domeſticis toleranda erant: intererat valde, quò ad illa conſtantem, & alacrem animum afferret, intelligere ſecum eſſe Deum. Quod videtur Deus ibi dixiſſe clariùs: nam in ſacro textu verba paulò aliter ſunt,quàm citantur à S. Thoma, & nos ſuprà retulimus. Sic enim in textu: *Ego ero tecum; & hoc habebis ſignum,quod miſerim te,cùm eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Deo ſuper montem iſtum*. In illo, *quod miſerim te*, intelligitur Deum cum Moyſe futurum non ſolùm quo tempore fuit in Ægypto coram Pharaone; ſed etiam cùm populum eduxit; nempe tanquam duce, & moderatore per deſertum, donec induceret in terram promiſſionis. Vtrumque enim timebat Moyſes, & ſubire vultum Pharaonis, & tantò populo præeſſe.Ideo dixit: *Quis ſum ego,vt vadam ad Pharaonem,& educam filios Iſrael de Ægypto*? ad vtrumque fœliciter præſtandum,ſuam operam & præſentiam pollicetur Deus; dum dicit, *Ego ero tecum*. ita ferme Lyra. Sunt qui putent ſacrificium illud in monte non eſſe ſignum, quòd à Deo miſſos fuerit Moyſes; ſed præceptum, vt in gratiarum actione ibi ſacrificium immolet. Ita Ioſephus, *lib.* 2. *Antiq. cap.* 12. neque longè abit Hugo; exiſtimat enim pro ſigno Deum Moyſi dediſſe rerum euentum. Ac ſi dicat,res ipſa contra Ægyptiorum vires, & conatus perfecta perſuadebit tibi, quòd à me miſſus fueris. deinde exiſtimat nouam clauſulam inchoari ab illis verbis: *Cùm eduxeris*. Caietanus putat, idem penè quod nos ſuprà dicebamus; confirmari animum Moyſis, & autoritatem illi apud populum conciliari, ad alia quæ allatura videbantur aliquid moleſtiæ. Quare hæc loca, aut hæc dicendi ratio, non admodum Iudæorum difficultatem expediunt.

Nihilo plus probat ſignum aliud, quod datum eſt Ezechiæ ſecuritatis ab Aſſyrio, quod ab aliis in hanc ſententiam adduci ſolet. de quo Iſaias *cap.* 37. *ver.* 30. *Tibi autem hoc erit ſignum,comede hoc anno,quæ ſponte naſcuntur: & in anno ſecundo pomis veſcere*. Nam hæc ſigna contigerunt, antequam ab Angelo deleretur Aſſyriorum exercitus. Vt enim infrà ſuo loco probauimus, biennium, & eò ampliùs interceſſit ab hac prophetia,ad ſtragem vſque Senacherib. Qui verò hoc Iſaiæ exemplum adducunt, ſequenti nocte eius exercitum deletum eſſe putant.

39. Accedit quòd ſignum magis notum eſſe debet re ſignificata; aut quia illa eſt obſcurior,aut etiam ſi natura ſua eſſet manifeſtior, quia nondum eſt in lucem vocata, ſed adhuc eſt futura. Neutrum conuenire poteſt in ortum Emanuelis ex Virgine. Non priùs, quia natum ex virgine Emanuelem natura ſua erat obſcurum adeò, vt diaboli quoque acutiſſimam intelligentiam latuerit; & adeò Iudæis non perſuaſum, vt neque tempore Iſaiæ, neque deinde ad noſtram vſque ætatem natum è Virgine crediderint, niſi admodum pauci. Imò, qui ex eo genere ſuperſunt, adhuc Meſſiam expectant. Sed neque poſterius, quia futurum erat hoc ſignum poſt multas ætates anno videlicet prope octingenteſimo ab hoc oraculo. Reſpondent aliqui,hęc verba non tam ſpectare illos,qui præſentes aderant,quàm domum Dauid,id eſt,eos, qui ex genere Dauidico, ex Iudæorum nempe gente viſuri poſtea erant natum Emanuelem. atque ideo à Propheta dici: *Audite ergo domus Dauid*. Quæ ratio, quàm ſit infirma,docet nomen ipſum, *domus Dauid*, paulò antè *n*.2. ex Iſaia præpoſitum: Vbi, qui cum Achaz victrices duorum Regum copias pauidi expectabant,domus dicuntur Dauid: *Et nunciauerunt*, inquit, *domus Dauid dicentes: Requieuit Syria ſuper Ephraim, & commotum eſt cor eius*. Neque eſt veriſimile aliter ſecundo loco continenti textu ſumi domum Dauid,quàm ſumptum proximè fuerat. Quare domus Dauid illa dicenda eſt, cuius commotum dicitur eſſe cor, ſicut à vento mouentur ſyluæ à facie duorum Regum: quod in tempus Achaz ſolum conuenire poteſt; in quo pauor iſte, ac perturbatio contigit.

Alij veriſimilius dicunt iſtam prophetiam non eſſe ad Achaz, ſed ad domum Dauid, vt textus ipſe docet. 40. Nam cùm Achaz ſignum non peteret, imò oblatum ab Iſaia recuſaret, humaniſſimus Deus non iam liberationis à duorum regum hoſtili manu, ſed à longè maiori periculo ſignum promittit. Quaſi dicat propheta, vos non vultis, aut non audetis ſignum petere; ſed Dominus ipſe dabit aliud longè illuſtrius, non quo à duorum Regum inflammato odio, & toties iam victricibus copiis:ſed quo ab antiqua, & longè duriori diaboli tyrannide liberemini. Quod ſignum eò etiam ſpectare videtur, vt animos confirmet languentes, & conſternatos metu imminentis belli. Nam ſi à maiori illa vi, atque exitio liberabit aliquando Deus oppreſſum populum, multò ſanè faciliùs à duabus caudis titionum fumigantium. Et ſi ea fuit amoris vis in Deo, vt filium ſuum vnigenitum daret, quomodo negaret alia, quæ infinitis ſunt ſpatiis leuiora?itaque à maiori dono minoris beneficij largitionem confirmat. Iuxta quam explicationem, ſignum idem eſt, quod argumentum, vt patet. Ita penè Maldonatus *in cap.* 1. *Matt.* Emanuel de Sa *in hunc locum*, Gabriel Vazquez 2. *Tom. in* 3. *p. S. Thom. diſp.*121. *cap.*3. *num.*62.

Et facit ad hanc ſententiam, quod (vt in Zacharia diximus ad illud *cap.* 13. *framea ſuſcitare*. & in hoc propheta ſæpius obſeruandum eſt) quoties occurrit in Teſtamento veteri aliqua vmbra eorum,quæ veneramur in nouo, excitari ſolent prophetarum animi ad illorum commemorationem, quaſi attoniti myſterij magnitudine: deinde ſe ad interruptum illa quaſi parentheſi filum ſeſe referunt. Sic videri poſſet contigiſſe noſtro, qui cùm egiſſet priùs de libertate afflicti, & deſperantis populi, in cogitationem venit & durioris oppreſſionis, & dulcioris libertatis. Sed obſtat huic ſententiæ,quæ omnium videtur aptiſſima. quòd conſentanea ad illam libertatem ab Emanuele præſtandam omnia ferme dicuntur, quæ duobus deinde capitibus continentur, quæ non ad tempora Ema-

nuelis ſpectant, ſed ad libertatem Ieruſalem à Regibus Syriæ, atque Samariæ, & duorum Regnorum, ac Regum velocem interitum. Item quia tunc ortus Emanuelis ex virgine non poſſet appellari ſignum; quod tamen omnes penè hîc agnoſcunt.

41. Sanè ſi ante hoc tempus aliqua ratione Regi Achaz & domui Dauid notum, ac perſuaſum eſſet, futurum vt Emanuel, id eſt, nobiſcum Deus natus ex virgine ageret inter nos, noſtræ ſalutis ac libertatis vindex, optimum eſſet ſignum, id eſt, argumentum (nam ſignum pro argumento, atque coniectura ſumi ſatis eſt notum) ſic enim ageret tunc Iſaias. Si Deus homo nobiſcum diu futurus eſt, butyro, melléque, vt alij homines, paſtus; quis dubitet futurum etiam nobiſcum modò, vt hoſtiles vires non modo debilitet, ſed etiam perdat. Sed quia hoc ad hunc vſque articulum auditum non eſt, ſaltem quod ad Virginem, Emanueliſque nomen ſpectat: neque adhuc conſentaneè ad hæc plurima ex ſequentibus explicari poſſunt, ideo aliter nobis locus iſte tentandus eſt. Precor autem ipſum Emanuelem, & Virginem, quæ Emanuelem concepit, & peperit, vt mihi adſint in ſua cauſa laboranti, & in huius loci explicatione ad verum ſenſum ſine errore deducant.

42. Explicationem aggredior nouam, atque ideo, quod neceſſe eſt, titubanter ac timidè, quæ tamen eiuſmodi eſt, vt niſi mea me fallat coniectura, Iudæorum obiecta diſſoluat: & quæ deinde reliqua ſunt, tam in hoc capite, quàm in eo, quod proximè ſuccedit, ſic expediat, vt nunquam offendat lector ad illas ſalebras, quæ in aliis ſententiis paſſim occurrunt. Obtulerat Iſaias Regi Achaz facultatem optandi vndecumque vellet idoneum ſignum, vt intelligeret, & nihil effecturos contra Ieruſalem coniuratos Reges, & duo illa inimica Regna breui fore vaſtanda. Quod deinde latè perſequitur, & explicat. Signum Achaz petere recuſat, vel quia non audet religione deterritus: vel quia Deum ea ſignificatione honorare non vult, aut quia prophetæ verba tanquam ludicra atque inania contemnit. Deus tamen licèt iure poſſet, & magno Regis merito infidelem illum populum, & ſibi moleſtum, vt exprobrat Iſaias, tradere in animas inimicorum ſuorum deuorandum omnino; tam longè tamen fuit, vt cogitationem furoris, vindictæque ſuſciperet, vt & compleuerit quod de populi ſalute, hoſtiúmque interitu promiſerat, & aliud longè maius beneficium inſuper obtulerit, nempe naſciturum è virgine Emanuelem, & iuxta nominis rationem futurum eſſe nobiſcum. Illius autem beneficij omnium maximi ſignum eſſe voluit inſperatam victoriam exanimati, & iam toties mulctati populi de hoſtibus & bellico apparatu copioſè inſtructis, & plurimis antea, & nunc recenti victoria inſolentibus: & cladem duorum Regnorũ per Aſſyrios, idque admodum breui. Vt autem illud de Virgine, & Emanuele oraculum magis teſtatum, notatúmque relinqueret, latè atque minutim ſequentibus capitibus de tempore illo breuiſſimo loquitur, quod allaturum eſt finem duobus Regnis; quod ſignum eſſe vult naſcituri de virgine Emanuelis. Itaque Emanuelis conceptus, & natiuitas de Virgine non eſt ſignum futuræ victoriæ, ſed futura victoria, regnorúmque clades ſigna ſunt naſcituri de virgine Emanuelis.

43. Tria dixerat propheta Regi Achaz, & domui Dauid: *Primùm* nihil effecturos eſſe duos Reges eorum, quæ contra Ieruſalem antea cogitarant: *Deinde* eoſdem ſimul cum ſuis Regnis perituros: *Tandem* neque ipſos Iudæos niſi crederent fore ſtabiles: Hæc tria ſigna proponit Iſaias ad maiorem de Emanuelis admirabili conceptu firmitatem, & fidem, quæ deinde latiſſimè perſequitur. Neque aliter res ſucceſſit, neque diutius morata, quàm ab Iſaia prædicta fuit. Nam intra definitum tempus ab Iſaia, Syria, atque Samaria deletæ ſunt: & quia Iudæi non crediderunt, ipſi quoque ab iis, quos propheta prædixerat, licèt aliquanto ſeriùs, eadem penè, quæ duo ſuperiora regna pertulerunt.

Porrò ſi vſquam hic optimus apparet Emanuelis, & temporis Euangelici typus. *Primùm* quia cùm Rex vſque adeò non mereretur libertatem vltro oblatam à Deo; vt potiùs eſſet propter violatam religionem accitam; & inductas in ciuitatem ſanctam exoticas ſordes, omni ſuppliciorum acerbitate digniſſimus; Deus tamen & libertatem promittit, & duorum Regum inimicorum cladem denunciat; quod optimè olet Emanuelis benignitatem, quæ poſtea maximè enituit in Euangelio. *Deinde* quia liberatio Ieruſalẽ ab inſolentibus, & nihil ſibi non permittentibus Regibus, ſignum erat victoriæ Chriſti de Diabolo; qui non minùs in hominum genus aut graſſabatur hoſtiliter; aut bacchabatur atrociter. *Tandem* quia ſicut hic Deus populum, cui tam impensè fauebat, errare permiſit, & abduci captiuum, quia non credidit, ſic etiam quia tempore Euangelij Iudæi credere noluerunt; neque minora, neque leuiora paſſi ſunt à Romanis. Ideo Propheta videtur hîc figuram, & typum ad veritatem, & figurarum applicuiſſe, quaſi dicat, quod accidit tunc in populo Solymitano figuram eſſe, & ſignum Emanuelis. Et hoc videtur indicaſſe Matth. *cap.* 1. ſeu Angelus, cùm perſuaſit Ioſepho vt Mariam coniugem ſuam de cuius fidelitate dubitabat, acciperet. nam illa verba dicta fuiſſe ab Angelo, volunt Irenæus *lib. 4. aduerſus hæreſes, cap.* 40. *ante medium*, Chryſoſtomus *hom.* 5. *in Matth.* & Theophylactus in hæc verba. Sed verius eſt hæc verba ab Euangeliſta potiùs dicta fuiſſe, quàm ab Angelo. Cùm enim dixiſſet Angelus de Ieſu, id eſt, de Emanuele: Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum, ſubdidit Euangeliſta. hoc autem totum factum eſt, vt adimpleretur quod dictum eſt à Domino per Prophetam dicentem, *Ecce Virgo in vtero habebit, & pariet filium*, &c. quaſi in hoc Iſaiæ teſtimonio etiam agatur de ſalute, quam per Emanuelem populus habiturus eſſet à peccatis ſuis. A qua ſententia non abhorret Adamus cùm in hunc locum ait prophetam è media hiſtoria ſubitò, & præter omnem expectationem lectoris ad rem typo ſignificatam tranſiiſſe; à libertate nempe Ieruſalem, ad libertatem humani generis. Hæc videntur dici poſſe non improbabiliter. nunc ſupereſt, vt textum ad hanc ſententiam aduocemus. 44.

[1] *Propter hoc dabit Dominus ipſe vobis ſignum.*] 45. Dei benignitas nullo noſtro merito ad benefaciẽdum excitatur.

Nunc quando minùs dignus apparet Rex impius & incredulus, vt in illum Deus eſſet beneficus, magis ſeſe effert Diuina miſericordia. Sic enim Deus per prophetam, quando à vobis nihil eſt, quod Dei benignitatem ad veſtram ſalutem inflectat, tempus eſt vt eam Deus nunc oſtendat maximè; vt quicquid beneficij eſt, id non ex veſtris meritis, ſed ex eius tantùm humanitate atque clementia profectum eſſe conſtet. Dabit ergo Deus vobis promiſſæ opis breue complementum; in ſignum alterius maioris beneficij, nempe ſpiritualis ſalutis, quam afferet

afferet aliquando de virgine natus Emanuel. Simili genere liberalitatis, & officij vſus eſt Deus infrà *cap.* 28. oſtendendo magis ſuam humanitatem, quando hominum meritis magis videbatur impediri debuiſſe. *Quia dixiſtis*, inquit, *percuſſimus fœdus cum morte*, &c. *propterea ecce ego ponam in Sion lapidem angularem.* Et clariùs *Ezechiel cap.* 36. *Non propter vos ego faciam, domus Iſrael, ſed propter nomen ſanctum, quod polluiſtis.*

46. [u] Illud *ipſe*, Hebr. eſt הוא *hu*, quod non tam conuenire puto cum *Deo*, quàm cum *ſigno*, hoc ſenſu. Hoc ipſum, nempe irritum inimicorum conatum; & duorum Regum, ac regnorum excidium, & regnũ quoque veſtrum, ſi nõ credideritis, inſtabile, erit ſignum Virginei partus. Quod minùs difficile videbitur ei, qui Hebraici ſermonis conſuetudinem nouerit: cùm enim Hebræi neutro careant genere, pro illo vſurpant interdum fœmineum, idque frequentiùs; quod facit ſæpe noſter interpres. Vt pluribus oſtendimus ad illud *Pſal.* 67. *Dum diſcernit cœleſtis Reges ſuper eam.* & ita pro neutro ponitur fœmineum genus, *Pſal.* 8. *Propter hanc in altum regredere.* Et *Pſal.* 118. *Hac me conſolata eſt*, & paulò pòſt. *Hac facta eſt mihi.* & *Pſal.* 26. *Vnam petij à Domino, & hanc requiram.* Interdum maſculinum. *Gen.* 2. *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum.* Hebr. *bonus.* & vt parcamus aliis, ſufficit nobis vnus Iſaiæ locus *cap.* 5. vbi quaret pro neutro maſculinum genus poſitum eſt. *Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum*, &c. *ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* & ſtatim hoc capite. *Vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum*, Vbi Hebr. genus eſt maſculinum. Eſt præterea valde vſitatum noſtro interpreti, vt in vertendo genus ſeruet illius linguæ, vnde tranſlatio fit. Eaempla ſunt obuia, *Sap.* 1. *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia.* genus adhibuit neutrum, quia reſpexit ad Græcam vocem πνεῦμα *pneuma. Apoc.* 2. *duo candelabra ſtantes*, ad Græcam dictionem λυχνίας lychniæ, quæ fœminea eſt. *Matth.* 10. *Reges gentium dominantur eorum.* Gens, Græcè ἔθνος, neutrius generis. Et in hac ipſa voce הוא *hu*, de qua nobis hîc ſermo hoc ipſum intuemur. *Geneſ.* 3. *Ponam inimicitias inter te, & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius: ipſe conteret caput tuum.* Reſpexit non ad vocem Latinam *ſemen*, quæ generis eſt neutrius, ſed ad Hebraicam זרע *zerahh*, quæ maſculini eſt. Hoc igitur loco ſequutus noſter interpres, quod alibi ſæpe fecerar, genus adhibuit maſculinum, cùm dixit. *Dominus dabit ipſe vobis ſignum.* quia הוא *hu*, maſculini generis eſt. Quòd vox הוא *hu*, quæ generis eſt maſculini, neutraliter ſumatur, etiamſi alia defuiſſent exempla, probat ſatis illud *Exodi cap.* 16. de Manna מן הוא *manhu*, quid hoc? Quod etiam ſentit, & probat Abulenſis in illud *Geneſ.* 20. *Hoc erit tibi ad velamen oculorum.*

Regula. Genus maſculinum, & fœmineum pro neutro.

Regula. Genus in tranſlatione aliquãdo ſeruatur, quod fuit in originali lingua.

47. De genere fortaſſe non multum pugnabis, quia vt vides, in Scriptura frequens eſt alienum genus expreſſum ab originali lingua. Sed exhibet adhuc non parum negotij caſus, qui eſſe debuit accuſatiuus potiùs, quàm nominatiuus. Sanè ſi vertiſſet noſter interpres. *Propter hoc dabit Dominus ipſum vobis ſignum*, quod ſine vlla offenſione textus Hebraici facere potuiſſet, res eſſet expedita; ſed puto id noſtræ ſententiæ parum incommodare. Primùm ſi ita diſtinguas. *Propter hoc dabit Dominus.* nempe quod promiſit de libertate veſtra, & duorum Regum interitu. Deinde ſeparatim

A addas, *ipſe vobis ſignum*, id eſt, quod vobis ſignum erit alnoris beneficij. Quod quidem difficile non eſt: neque in nodo vſque adeò impedito mirandum, ſi ad hanc exoluendi rationem confugiamus, quod in re ſimili ſæpe faciunt doctores.

Sed addo eumdem eſſe facilem, & expeditum ſenſum, quem oſtendi, etiam ſi illud *ipſe* ad *Dominum* referas, non ad *ſignum*. Quod ita credo perſpicuum fiet, ſi quæ ſequuntur, ſeruato eodem ſenſu in aliam formam redigas: ita vt oraculum de Emanuele, per nomina exponas, eáque in ſecundo caſu in hunc modum. Propter hoc ipſe Dominus, cui vos moleſti eſtis, dabit vobis ſignum naſcituri Emanuelis de virgine, paſcendíque butyro & melle, donec ab annis infantilibus eace- B dat. Hoc autem erit ſignum, quia ante duos annos (id enim eſt, *antequam puer ſciat reprobare malum*, vt ſuo loco dicemus) *derelinquetur terra, quam tu deteſtaris, à duobus Regibus*, &c. quæ omnino ſunt quæ antea Regi Achaz, & domui Dauid promiſſa fuerant. Atque ita conſtat tria illa, quæ prædixerat, & nunc etiam magis explicatè perſequitur, ſigna eſſe Virginei partus. & incarnati Dei. Quæ ſi vera ſunt, vt profectò mihi videntur, cætera, quæ in hoc capite, atque ſequenti continentur, ſine offenſione incumbunt, quæ alioqui, obſcura ſunt: & interpretationes aliæ adeò non ſolutæ, vt ſuis etiam auctoribus diſpliceant. 48.

[x] *Ecce virgo concipiet.*] Iam oſtendit propheta quod nam futurum ſit, illud tantum beneficium, 49.
C cuius nunc producit tam illuſtria, ac multiplicia ſigna; nempe ea quæ inſperatò contingent populo in eas anguſtias, ac deſperationem adducto; quia ſcilicet concipiet Virgo. Quæ res vſque adeò à communibus naturæ legibus abhorrebat, vt ad illius oraculi fidem tot ſigna, támque præclara adhiberi debuerint. Illud *ecce* rem demonſtrat eſſe nouam, & certam, quaſi iam præſens eſſet.

[y] *Emanuel.*] Nomina accommodari ſolent 50.
præſenti rerum ſtatui, ac neceſſitati. Expediebat tunc maximè attritis Iudæorum viribus, quæ humano conſilio non videbantur inſtaurari poſſe, auſpicium intercedere Diuinum. Id ergo importat, & ſonat dulciſſimum Emanuelis nomen hoc ſenſu: Deus, qui nobiſcum poſtea futurus eſt nouo D quodam modo, id eſt, natus de Virgine: nunc etiam verſatur inter ſuos, & illorum confirmat animos, atque inimicorum debilitat vires.

[z] *Butyrum, & mel comedet.*] Nihil aliud his 51.
verbis exprimi puto quàm deſcriptiooem hominis in ætate infantili, qui vbi primum ab vberibus depulſus eſt, aut etiam dum adhuc nutricis alitur lacte, dulcibus ſolet paſci cibis. Ex quo colligitur ſermonem hîc non eſſe, de eo, qui tantum homo ſit. Quid enim iouſitatum, aut mirandum, ſi homo butyro paſcatur, & melle? Sed nouum eſt Deum eò ſe demiſiſſe, vt inſtar infantis mellis indigeat, & butyri. Credo hîc alluſum ad vſitatos cibos quibus aluntur infantes in Iudæa, quæ melle, E & lacte ſic abundat, vt dicatur ſæpe manare lacte, & melle.

Ex hoc Iſaiæ loco natum puto vt in Eccleſiæ incunabulis recèns baptizati butyrum, & mel guſtarent, ad Emanuëlis eaemplar, quaſi hic primum geniti infantes. Vt docet Tertullianus *lib. de Corona militis cap.* 3. cum enim ageret de ſacro Eccleſiæ baptiſmate ciúſque ritu addit. *Inde ſuſcepti lactis, & mellis concordiam prægustamus.* Sicut etiam, vt tradit Hieronymus in illud *Iſaiæ cap.* 55. *Abſque*

vlla commutatione vinum, & lac. Renatis In Chriſto, id eſt, recens luſtratis piaculati lauacro in Eccleſiis Orientalibus lac, & vinum porrigebatur. quod veriſimiliter ſumptum eſt ex illo Iſaiæ loco. Idem quod Tertullianus docet etiam Hieronymus in dialogo contra Luciferianos. Æthiopes ſanè iis qui ſacramento confirmationis luſtrantur, lac porrigunt & mel; vt ex eorum rituali libro conſtat, qui eſt *Tom. 4. bibhoth. Veterum Patrum.*

52. a a *Vt ſciat reprobare malum & eligere bonum.*] Hæc videtur eſſe deſcriptio hominis, qui ad labores, & moleſtias tolerandas naſcitur, vt filius Adam, cui poſt peccatum dictum eſt, *ſciens bonum & malum.* Et tunc hæc verba referenda non ſunt, ad butyrum & mel; ſed ad id, quod antè præceſſerat. Vocabitur nomen eius *Emanuel*, id eſt, *nobiſcum Deus*, nempe factus homo, vt quemadmodum nos, aduerſa experiatur, & dura, qui priùs non niſi dulcibus aſſuetus fuerat. & quòd Deus ipſe ironicè quondam dixit de Adam *Gen.* 3. *Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt ſciens bonum, & malum*, id de Emanuele verè dici poſſit.

Alij illud *vt ſciat*, non putant indicare cauſam finalem, quod mihi videtur eſſe certum; ſed quid ſit quærunt. Hieronymus videtur particulam *vt* interpretari aduerſatiuè pro *quamuis*. Quod eſt apud Latinos frequens: hoc ſenſu; quamuis Emanuel, quia perfectam habeat in corpore infantili ſapientiam, excedátque infinitis ſpatiis aliorum infantium capacitatem; illorum tamen inſtar butyro paſcetur, & melle. Eodem modo Haymo, & S. Thomas.

Alij ſic accipiunt, vt illud *vt* ſit idem quod *ita vt.* In hanc ſententiam, comedet butyrum, & mel, ita vt in comedendo ſciat reprobare malum, & eligere bonum, id eſt, conſueto infantium more amara reſpuet, atque faſtidiet; dulcia verò, & quæ ad palatum faciunt appetet. ita Adamus, & Emanuel Sa, & Vatablus.

Alij cauſalem eſſe putant, & ita explicant, *vt ſciat*, id eſt, vt ſe ſcire oſtendat reprobare malum, & eligere bonum; quia per cibos perductus eſt ad eam ætatis quantitatem, in qua homines internoſcere ſolent bonum à malo. & hanc non improbat S. Thomas.

53. Ego in primis hîc nullam puto cauſam notati finalem in particula *vt*, ſed potiùs connexionem quamdam ad certum vſque terminum, id eſt, vſque dum ſciat. Hebr. eſt לדעתו *ledahhtho*, id eſt, ad ſcire ipſius, vel vſque dum ſciat. Septuaginta transferunt. *Antequam ſciat.* Chaldæus *donec.* Eſt ergo ſenſus: Quemadmodum alij pueri antequam ſciant internoſcere bonum à malo, butyro paſcuntur, & melle, illis nimirum alimentis, quæ ætati teneræ, atque infantili idonea ſunt; ſic Emanuel in ætate illa tenera, vſque dum ad id ætatis adoleuerit, in quo pueri alij diſcernere ſolent inter bonum, & malum, ad ignorantium infantium morem infantilibus etiam paſcetur cibis. Et id omnino ſignificat meo iudicio ל *lamed* infinitiuo præpoſitum: Nam lamed *vſque* valet, vt probat illud toties in Scriptura repetitum לעולם *lebholam*, id eſt, *vſque in ſæculum.* & 2. *Reg.* 13. Amnon traditur ſororem ſuam amaſſe להתחלות *lehithchalloth*, *vſque ad ægrotare* Neque ſententia hæc diſpliceret Foreiro ſi haberet exempla, in quibus *lamed* ſignificaret *vſque.* Sed adduximus nos, vt vides, optima. Ex his explicationibus prima mihi, & poſtrema maximè probantur. Secundam admitterem libenter, præ aliis, niſi viderem lamed non poſſe ſignificare id quod *quamuis*, licet poſſet *vt* Latinum, quod pro lamed Hebraico adhibuit interpres.

54. b b *Quia antequam ſciat puer reprobare malum & eligere bonum, derelinquetur terra, quam tu deteſtaris.*] Hactenus actum eſt de Emanuele, nunc redit ad ſigna ſui ortus propoſita, quæ magis explicat, & quo magis notata, diſtinctáque temporibus: eo magis confirmant illuſtrémque faciunt Emanuelis ortum. In ſententia aliorum multa dicuntur, quæ neſcio quomodo mēs ſuorum auctorum ita capiat, vt in eis omnino conquieſcat. Nam qui dicunt antequam Emanuel naſcatur, delendam eſſe Syriam & Samariam, id eſt, ante 800 annos, nihil promittunt magnum, quia magis videretur mirum, ſi tamdiu ſtaret illorum imperium; cùm omnia ferme regna, quæ anteceſſerunt, hoc tempus octingentorum annorum ſpatium non impleuerint; præſertim cùm hîc agatur etiam de duorum regum interitu, cum quo duo illa regna ſimul interierunt. Sed quis dubitaret antequam naſceretur Emanuel, Reges illos fore morituros; aut quid ſolatij afferre poterat afflicto, atque omnia metuenti Regi, ſi ad illud vſque tempus eſſet dilata populi libertas? Hanc explicationem adhibent Dionyſius, Vatablus, Foreirus, & Emanuel Sa.

55. S. Hieronymus quem ſequitur Haymo & Hugo, hæc referunt ad potentiam Emanuelis, qui inuocatus, antequam ſciat reprobare malum, & eligere bonum, franget duorum Regum vires, delebitque Syriam, & Samariam. Hæc quidem pia eſt expoſitio, quæque valde declarat Emanuelis virtutem; ſed non video, quid præcipuum habeat in hac ſententia notatum tempus antequam ſciat puer reprobare malum, & eligere bonum, id eſt, biennij, ac triennij ſpatium, in quo communiter pueri aliquali experientia norunt quid eſſet amarum aut dulce, vt illud auerſarentur, hoc appeterent, cùm etiam dicere potuiſſet, antequam natus, aut etiam antequam conceptus eſſet. At aliquid hoc ſpatio fuiſſe deſignatum, tum alia indicant, tum quia ſequenti capite idem ſpatium notatum eſt, cùm dicitur, *antequam ſciat puer vocare patrem,* &c. item quia eodem omnino orationis filo prædicitur Iudæorum exitium: at illud non intulit Emanuel inuocatus piè, ſed potiùs perfidioſè contemptus.

56. Hîc ego diu hæſi, neque in re iam graui, tam diligenter ab aliis tentata, & adhuc tam vehementer implexa, quid amplecterer, in quo mihi ipſi vel leuiter ſatisfacerem, quicquam inueniebam. Hæc verò expoſitio poſt longam deliberationem, magis ſoluta viſa eſt, quam nunc lectori examinandam propono; vt videat an hæc magis piè de Emanuele ſentiat, & quæ toto hoc capite atque ſequenti impedita ſunt, magis extricet, tollátque ſi quid eſt offenſionis, quominus leniter, & placidè ſacer decurrat textus.

Et primum exiſtimo hunc puerum, cuius biennalis, aut triennalis ætas modum definit duorum regum, & totidem regnorum gloriæ non eſſe Emanuelem; ſed illum de quo poſtea *cap* 8. Quo tempore complenda dicuntur illa quæ ſuprà diximus ſigna eſſe futura Emanuelis de virgine naſcituri. Definit autem tempus, quo euertenda ſunt illa regna vſque adeò infenſa populo Iudaico; quod ſanè tempus eſt antequam puer, de quo ſtatim, ad illam ætatem perueniat, in qua pueri inter bonum, & malum, amarum & dulce diſtinguere ſolent.

ſolent. Quod aliter expreſſit *cap.* 8. cum dixit. *Quia antequam ſciat puer vocare patrem ſuum , & matrem , auferetur fortitudo Damaſce.* Quantum verò futurum ſit illud tempus, certò definiri non poteſt, quia non eodem ſpatio in omnibus locis, neque in eadem prouincia pueri omnes diſcere incipient, quod ſit bonum, & malum; ſicut neque aliis ætatibus aduenire ſolet aliis eodem tempore, aut ſapientiæ, aut diſcretionis ſeu rationis perfectus vſus. Sed credo hic ſpatium illud indicari, quo pueri materno lacte nutriuntur. ita vt hoc perinde ſit, atque ſi quis dicat, antequam puer qui modò naſcetur, lactari deſinat, quod eſſe triennij apud Hebræos indicat mater illa, quæ *Machabæorum lib.* 2. *cap.* 7. ſic ad moriturum filium locuta eſt. *Te in vtero nouem menſibus portaui , & lac triennio dedi.* Locuta eſt credo ex illius regionis conſuetudine, in qua lactatio, ad tertium vſque annum producitur. Sicut etiam nouem menſium meminit, quibus fœtus in materno vtero communiter geſtari ſolent. Hoc verò ſpatium idoneum eſſe lactandis pueris docet Valleſius ex Galeno *cap.* 83. *ſacra philoſophia.* Vltra quod ſi quiſpiam maternis aſſueſcat vberibus, vt docet Auguſt. *in Pſal.* 30. vulgari, vt reor, conuitio mammothrepti vocantur. Eſt autem notum hoc loquendi genere infantilem ſimplicitatem ſignificari. *Deut. cap.* 1. *verſ.* 39. *Filij, qui hodie boni, & mali ignorant diſtantiam.*

Quamdiu lactentur pueri.

57. Porrò vſitatum eſſe vt certa naturæ ſigna, aut hominum conſenſione conſtituta, pro certo, ac definito annorum ſpatio adhibeantur, videre eſt tam in prophanis quàm in ſacris ſcriptoribus: apud quos, cùm pueri certo tempore loqui, dentire, ingredi, pubeſcere, & ſapere communiter incipiant, iſtæ ætatis notæ, pro certo annorum numero vſurpari ſolent. Quare apud illos frequens, *non venit ad pubertatem, ad canos*, id eſt, ad eos annos in quibus caneſcere, aut pubeſcere ſolent, *ante piloſ & barbam mortuus*, qui non aceeſſit ad decimum ſextum ætatis annum. Quo dicendi genere non ſemel vſus eſt Ezechiel *cap.* 16. cùm ſub ſponſæ metaphora loquitur de Ieruſalem; & maturitatem ad nuptias, id eſt, annos nubiles ex vberum tumore, & quadam germinatione probat. Et eſt exemplum accommodatum apud hunc prophetam *cap.* 23. vbi cùm de tempore quo captiui futuri erant Tyrij apud Babylonios, ageret, illud vnius Regis ætate definiuit, id eſt, eo tempore quod viuere ſoleris, qui vitam ſuam immoderato labore non exhaurit. *in obliuione eris , ò Tyre ſeptuaginta annis, ſicut dies Regis vnius.* Ad hunc igitur modum exiſtimo, certam ætatis notam, nempe quando puer incipit inter bonum, malúmque inuenire diſcrimen, aut certè communi Gentium conſuetudine amonetur à lacte, pro certo annorum numero ſupponi; puta pro biennio aut triennio. Hæc conſtabunt magis ex his quæ *cap.* 8. mox dicemus.

58. cc *A facie duorum Regum ſuorum.*] *Facies*, vt dicemus infrà *cap.* 25. ad illud *faciem vinculi colligati*, otioſè ponitur à Larino interprete; ſed apud Hebræos propter ipſorum linguæ proprietatem non ſine venuſtate. Quare *à facie* idem eſt quod *à*, id eſt, *propter*, vt *Pſalm.* 37. *à facie peccatorum meorum*, id eſt, propter peccata mea. Quare hic terra derelinquenda dicitur à facie dominorum ſuorum, id eſt, propter ſuorum dominorum ſcelera; aut certè, quod magis reor, deſerenda dicitur, *à facie dominorum ſuorum*, id eſt, à Dominis ſuis, quia amplius illam viſuri non ſunt, poſt tempus in quo re- A cèns natus, ſiue conceptus puer ſciat reprobare malum, & eligere bonum. Porro vaſtata eſſe duo regna antequam puer natus, ſeu conceptus ſciret reprobare malum, perſpicuum fiet ex his quæ ſtatim *cap.* 8. in principio dicemus.

dd *Adducet Dominus ſuper te , & ſuper populum* 59.
tuum, & ſuper domum patris tui dies , qui non venerunt a diebus ſeparationis Ephraim a Iuda cum Rege Aſſyriorum.] Cùm ſuprà Iſaias promiſiſſet Achaz non ſecuritatem ſolùm à duobus Regibus, ſed illorum cladem: addidiſſétque Iudæos quoque ſi non crederent eamdem aliquando fortunam ſubituros, id enim valet, *ſi non credideritis , non permanebitis*: cúmque illi non crederent, ſed moleſti eſſe pergerent non ſolùm hominibus ſed etiam Deo; &, vt B tranſtulere Septuaginta, bellum contra Deum mouerent, ad ipſos quoque venturum eſſe dicit incendium ab Aſſyriis. Nam licèt ſerò (nempe tempore Ezechiæ priùs à Sennacherib, deinde poſt tempora Ioſiæ à Nabuchodonoſor qui Aſſyriorum imperator dici potuit, quia Babyloniis pariter, & Aſſyriis dominatus eſt.) aliquando tamen ab Aſſyriis non minùs durè, atque hoſtiliter vexati ſunt, quàm priùs Syria, atque Samaria. Dicitur verò cum Rege Aſſyriorum venturum eſſe malum; quia mercede Achaz ab Aſſyriorum Rege auxiliares copias conduxerat: quod ne faceret, ſed à Deo potiùs auxilium, & ſalutem ſperaret, monuerat propheta. Aſſyriorum itaque Rex captus illius regionis amœnitate, & vbertate, ad eam ſæpe retulit victrices C copias, à quibus non multò poſt tentati ſunt ipſi quoque Iudæi ſub Ezechia: deinde ſub Sedechia tandem expugnati, atque deleti funditus. Ait ergo propheta facem illius incendij, quo Iudæa, & Ieruſalem poſtea conflagrarunt, venturam cum Aſſyriorum rege, quia ſubſidium illud mercede conductum, exitio fuit illis, ad quorum ſalutem aduocatum fuerat: paſſurúmque Iudæorum populum qualia paſſus non fuit, ex quo decem tribus à domo Dauid ad Ephraim, id eſt, ad Ieroboam Ephraimitam diffluxerunt. Quàm autem grauia ab eo tempore ſubierit ab hoſtibus incommoda, notat expertus ipſe Achaz, qui in ipſo penè regni ſui initio attritas vidit Iudæorum vires. Nam 2. *Paralip.* 28. à Rege Syriæ percuſſus eſſe traditur plaga grandi. D & Phacee filius Romeliæ, occidit de Iuda centum viginti millia in die vno, omnes viros bellatores. & ſtatim. *Ceperúntque filij Iſrael de fratribus ſuis ducenta millia mulierum , puerorum , & puellarum , & infinitam prædam, pertuleruntque eam in Samariam.*

ee *Et erit in die illa , ſibilabit Dominus muſcæ,* 60.
quæ eſt in extremo fluminis Ægypti.] Agit nunc non tam de Syriæ, atque Samariæ ſtrage, quàm de Iudææ, quia hæc inuecta eſt non ab Aſſyriis tantùm, ſed etiam ab Ægyptiis. De Aſſyriorum aduentu ſatis multa 4. *Reg. cap.* 23. & 2. *Paralip. cap.* 35. & 36. Sibilare eſt vox, vt credo, paſtoritia, qua ad ſuam voluntatem paſtores quàm facillimè copioſiſſimos aduocant greges, adducúntque non repu- E gnantes. Quare prouerbiali figura, ſumi puto pro eo, quod leui negotio fit: quia parata ac prompta ſunt ſtudia eorum, quorum opera vti volumus. Eodem loquendi modo vſus eſt Zacharias *cap.* 10. *Sibilabo eis , & congregabo.* & Iſaias ſuprà *cap.* 5. vbi coniungit ſibilare, & eleuare ſignum, quæ vox à paſtorali miniſterio deducta ad rem militarem, & ad quodcunque adminiſtrationis genus acommodatur; quia etiam Rex in ciuitate, & Imperator in acie tam apud externos quàm apud ſacros

Sibilare quid.

Ægyptiorũ, & Aſſyriorum natura, & mores.

ſacros ſcriptores appellantur paſtores. Vocantur autem Ægyptij ſatis accommodatè, ac ſignificanter *muſcæ*, quia & ipſi muſcarum inſtar fœtidi ſunt, & immundi, & ad miraculum vſque ſoboleſcunt, vt tradit Ariſtoteles *lib. 7. de hiſtor. animal. cap. 4.* Adde quod regio illa, quia calida eſt, & magna ex parte propter fluminis inundationem paluſtris, mirè abundabat muſcis, & eiuſdem generis beſtiolis ex inſectorum genere, quæ imbelles ſunt, & tantùm multitudine moleſtæ. Aſſyrij verò dicuntur *apes*, tum quia ipſi tanquam apes induſtrij ſunt, & gnaui, & in ſuo opere laborioſi, & conſtantes; tum quia armis bellè inſtructi ſunt, ſicut apes ſtimulo, & ingenio ad belli contentionem acri, atque pugnaci. Quæ omnia in apibus quoque admirabilia. vide Virgilium 4. *Georgic. à verſu 67.* vbi quanto ardore apes inter ſe confligant, bellè deſcribit ab illis verbis,

Sin autem ad pugnam exierint, nam ſæpe duobus
Regibus inceſſit magno diſcordia motu, &c.

Quàm verò Aſſyrij ad pugnandum acres, quàm patientes laborum, quàm obſtinatò ad victoriam intenti, elegantiſſimè propheta deſcripſit ſuprà *c. 5.*

ff *Et venient, & requieſcent omnes in torrentibus vallium, & in cauernis petrarum.*] Perſequitur allegoriã muſcarum, & apum, quæ dicuntur obſeſſuræ valles, torrentes, fruteta, ita vt nihil relinquant non fœdatum, aut corroſum, &c. Sic Ægyptij, atque Aſſyrij nihil relinquent in tota Iudæa quod non populentur.

61. gg *In die illa radet Dominus in nouacula conducta in his, qui trans flumen ſunt, in Rege Aſſyriorum*, &c.] Videtur hîc Dominus ſignificare cur populus Iudaicus tot incommodis concidendus ſit ab Aſſyriorum Rege, quia nimirum parere noluit prophetæ vocibus, qui hortabatur ne externis copiis magis fiderent, quàm diuino auxilio. ipſe verò obſtinatè hæſit in ſuo conſilio, & mercede conduxit Aſſyrios. Ait ergo Deus mercede à Iudæis conductum, & acceſſitum eſſe malum, Chaldæorum nempe exercitum; qui inſtar nouaculæ ad cutem vſque radet, quidquid ipſis, aut honori, aut ſaluti fuit; quæ pilorum nomine ſignificantur, quibus detractis nudatus relinquitur, & inornatus homo. Fortaſſe hæc metaphora ſumpta eſt ab Hebræorum conſuetudine, qui in luctu ſibi caluitium faciebant, & radebant barbam, vt indicat Ezechiel *cap. 5. Sume tibi gladium acutum radentem pilos*, (quæ nouaculæ deſcriptio eſt) *& aſſumes eum, & duces per caput tuum, & per barbam tuam.* Et Iſai. infrà *cap. 15. In cunctis capitibus caluitium, & omnis barba radetur.* quaſi Aſſyrij raſuri ſint Hebræorum caput, & barbam, quia lugendi ſatis grauem cauſam adducent. & id aliquis facere dicitur, quod vt fiat in cauſa eſt.

62. hh *Caput, & pilos pedum.*] Hæc metaphora indicat eſſe omnia delenda. neque parcendum capiti, id eſt, principibus, neque mediis, neque infimis, qui diuerſo pilorum ſitu ſignificantur; adeò vt ſcrutanda ſint, nudãdáque ſuo ornamento, naturalique veſtigia, quæ tanto ſtudio verecunda, ac prouida natura celauerat. Quid verò pedum nomine honeſtè apud Hebræos notetur, & qui ſunt pedum pili, docuimus ad illud *cap. 6. Duabus velabant pedes.* In magna autem ignominia totum corpus ſolitum eſſe radi, atque nudari ex hoc loco fit veriſimile.

63. ii *Nutriat homo vaccam boum, & duas oues, & præ vbertate lactis comedet butyrum.*] Quidam de fertilitate quæ tempore Emanuelis continget, hæc accipiunt. quorum cogitationem ſatis euertunt conſequentia, quæ plena ſunt ſolitudinis, & inopiæ. Neque verò hîc tam deſignatur temporum fœlicitas, & rerum abundantia, quàm Regionis ſolitudo ab habitatoribus, & vaſtitas à cultorum paucitate proueniens. Erunt itaque vſque adeò exhauſtæ familiæ, ſi quæ ſupererunt, & ad eam orbitatem redactæ, vt illas recenti lacte ad ſatietatem alat vna vacca, & oues duæ; ex eo quod ſupererit ſaturitas, butyrum fiat, quod in aliud anni tempus in cibum ſeruetur. Niſi mauis (quod etiam ad ſolitudinem, & vaſtitatem ſpectat) vberrima futura paſcua; quia cùm careat terra cultoribus, ſylueſcet ager, qui ad ſatum priùs colebatur. Quare pecudes numero paucæ egregiè paſtæ copioſum tamen reddent lactis, ac butyri prouentum; & ita accipit hîc Hieronymus, & Haymo.

kk *Butyrum enim & mel manducabit*, &c.] Si terra inculta eſt, & ſyluarum in morem denſa fruticibus, conſequens fit, quod prædicit propheta, paſcendos eſſe reliquos à cæde & fuga his, quæ vltro fundet terra, non his, quæ ex terra cultorum induſtria, atque labore ſubacta retulerint. Quæ mox ſequuntur bellè ſyluæ implexæ fruticibus, & aſperæ ſentibus imaginem offerunt.

64. ll *Vbi fuerint mille vites mille argenteis, in ſpinas, & vepres erunt.*] Hieronymus, quem ſequitur Haymo, Hugo, & Vatablus, ſic exponit: Locus vbi mille vites ſunt, mille argenteis vendentur, quo ſignificari putant magnam rerum pretioſarum vilitatem. Mihi non ſatis videntur hæc conuenire cum agrorum ſolitudine, qui iam dicuntur conuerſi in ferarum cubilia; neque admodum videtur deſertus, aut deſpectus ager, cùm pro ſingulis vitibus ſinguli penduntur argentei. Mihi magis probatur expoſitio Cyrilli, & Foreiri, qui dicunt agrum adeò felicem, & vberem, vt ſingulæ vites ſingulis æſtimentur argenteis, in vepres eſſe redigendos. Imò addo mihi videri in agro illo feraci, ac pingui æſtimari ſingulis argenteis non vites, ſed annuos ſingularum vitium prouentus; Nam hîc optimi ſignificantur agri, vt eorum ſolitudine magis exprimatur populi calamitas; ſed quæ tanta agrorum bonitas, cuius ſingulæ vites valere dicuntur ſingulos argenteos. Neque mihi videtur durum, ſi dicamus alluſum eſſe ad illud *Cantic. 8.* vbi optima vinea, qua coëmpta eſt ſponſa, deſcribitur, vbi mille argenteis dicuntur æſtimari prouentus annui. Illa verò vinea ſata fuiſſe dicitur in ea, quæ habet populos, id eſt, in vbere atque fœlici gleba.

65. mm *Cum ſagittis, & arcu ingredientur illuc.*] Si erunt denſæ ſyluæ, vbi prius erant agri, atque horti ad fruges, ſiue ad voluptatem exculti, vt in illos nemo ingredi audeat niſi arcu ſagittiſque munitus propter feras, quæ inter vepres, & dumos ſua ſibi poſuere cubilia. vel ſanè talis erit regio, qualis illa, in quam venationis gratia homines ingredi armati ſolent. Neque verò neceſſe eſt, vt vera ſit prophetia, vt quiſquam armatus in illam ſyluarum denſitatem irrumpat; ſatis eſt enim vt eò res Solymitana ſit deducta, vt iſta veriſimiliter fieri potuerint.

66. nn *Et omnes montes, qui ſarculo ſarrientur, non veniet illuc terra ſpinarum, & veprium.*] Vſitatum eſt inter agricolas, vt fundi, qui pretioſi ſunt, & ad dominorum ſiue voluptatem, ſiue commoditatem idonei, ſeptis concludantur; quæ interdum è ſaxo conſtruuntur, & dicuntur maceriæ, aliquando è conſtipatis vepribus, quæ ſepes appellantur viuæ.

Quæ

Quæ cùm ſpinis horreant, abigunt latrones ab ingreſſu, & feras ne conculcent, & depopulentur ſata. De hoc ſepimenti genere vide Marcum Varronem *lib. 1. de re ruſtica, cap. 14. Primùm*, inquit, *naturale ſepimentum, quod obſeri ſolet virgultis, aut ſpinis, quod habet radicem viua ſepis, ac viatoris prætereuntis laſciuus non metuet facem ardentem.* Huc alluſit Oſeas *cap. 2.* dum ait ſepiendam eſſe viam ſpinis, ne amatores ad ſponſam adulteram accederent: de qua tanquam de vinea vaſtata publicè, atque calcata loquebatur. Dicit ergo Iſaias vineam illam, & montes oliua, aut vite conſitos, qui ſarriebantur potiùs ſarculo, quàm vertebantur vomere, quod hortorum proprium eſt (neque enim hortis ſulcus imprimitur, aut boum labor opportunus eſt) qui diligenter à ſuo domino implexis circum ſpinis, id eſt, viuis ſepibus defendebantur diſturbatis iam cœptis, & ſublatis dumorum ſtimulis, nemini futuros terrori, quominus liberè eò irrumpat. Imò potiùs vt deſerti, & inutiles agri, compaſcui fient armentorum gregibus; & ab illis fœde conculcabũtur.

Hieronymus aliter accipit, & putat in illa vaſtitate electuros homines à cæde reliquos montes

A quos colant, quia hi magis tuti ſunt ab hoſte. Cúmque locus ad ſatum, & cultum exiguus ſit, neque præterea illis hoſtium furor boues ad arandum reliquerit, ſarculo vtentur, id eſt, ſuo potiùs quam boum labore montanã illam regionem exercebunt. Idem penè Cyrillus, qui id fieri ſolere in anguſta hoſtium obſidione probat ex verbis Chriſti: qui docet in eo rerum articulo deſerendam eſſe ciuitatem, & fugiendum ad montes. Bene iſta ſanè, ſed de terrore ſpinarum nihil dicunt. Sed addo in huius ſententiæ confirmationem & gratiam, ſpinarum quoque formidinem; ne quid, quod à textu ſit, in huius ſententiæ explicatione deſideres. Miſeris

B illis hominibus, qui montium aſperitatem ad præſidium, & pabulum, qui non vomere, ſed ſarculo, & manu aſperam illam & ſilueſtrem regionem colent, non futuros eſſe terrori, quominus laborioſo illi & parum vtili operi manus adhibeant, ſpinarum aculeos, quibus neceſſe eſt illorum manus diſtringi, ac vulnerari: & nihilominus illa tanto labore quæſita paſcentur ab armentis, conculcabuntúrque, ſed prior ſententia minus ſpinarum habet in quibus hæreat.

Argumentum octaui capitis Iſaiæ.

DIXERAT *antè Deus duo regna Syriæ, atque Samariæ breui fore delẽda: neque diutius permanſura, quàm recèns natus puer bonum internoſcat à malo, ſeu patrem, & matrem vocare incipiat. Id iam clariùs explicat: & puerum vt ex vxore prophetide ſuſcipiat, mandat Iſaiæ: eiúſque nomen in libro grandi vt exaret iubet: quod futurum ſit Iudæorum genti, in ſignum, & portentum. Deinde cùm docuiſſet ab Aſſyriis grauiter eſſe vexandam Iudæam, illos tamen perituros eſſe denunciat. Hortatur tandem vt bono ſint animo Iudæi, neque ſibi metuendum aliquid putent à duobus Regibus, quorum coniuratio frequens erat in eorum ſermonibus. Ad extremum his, qui à Deo deſecerint, eiúſque præceptis exiſtimauerint parendum non eſſe, ſed potiùs à Pythonibus, & diuinis petendum oraculum, aduerſa omnia minatur; quæ ad finem vſque capitis perſequitur.*

CAPVT VIII.

1 ET *dixit Dominus ad me;* [a] *Sume tibi librum grandem, & ſcribe in eo* [b] *ſtylo hominis,* [c] *Velociter ſpolia detrahe, citò prædare.*

2 *Et adhibui mihi teſtes fideles Vriam ſacerdotem,* [d] *& Zachariam filium Barachiæ.*

3 [e] *Et acceſſi ad propheriſſam, & concepit, & peperit filium. Et dixit Dominus ad me, Voca nomen eius. Accelera ſpolia detrahere, Feſtina prædari.*

4 *Quia*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 DIXERAT antè mihi Dominus futurum breui duorum Regum, ac duorum regnorum exitium: nunc vt magis promiſſa confirmet, & definitum exitio tempus explicatiùs edat: ſic iterum ad me. Sume tibi prægrandem chartam, & in illa eo ſtylo, ac forma, quæ in legitimo iudicio publicam habeat autoritatem, & fidem, ſcribe pauca hæc verba; *Velociter ſpolia detrahe: citò prædare.*

2 Ego verò, vt data mihi mandata complerem, & vt humano more, atque forenſi ſtylo conſignata relinquerem quatuor illa verba, teſtes adhibui, quorum magna tunc erat autoritas, & fides, Vriam ſummum ſacerdotem, & Zachariam Barachiæ filium.

3 Acceſſi igitur ad vxorem prophetidem, quæ ex eo congreſſu concepit, & enixa eſt puerum. Tunc rurſus ad me Deus. Hoc nomen impone recèns nato infanti. *Accelera ſpolia detrahere:*

feſtina

feſtina prædari, quod priùs in grãdi volumine notaſti.

4 Quia antequam puer qui tibi natus ex vxore prophetide, ad illam ætatem venerit, vt parentes agnoſcat, vocéque blæſa, atque informi voce tatam, & mammam; expugnabitur, extinguetúrque Damaſci potentia, & ingens è Samaria diripietur præda ab Aſſyriorum Rege.

4 *Quia antequam ſciat puer vocare patrem ſuum, & matrem ſuam, auferetur fortitudo Damaſci, & ſpolia Samariæ coram rege Aſſyriorum.*

5 Iterum Deus ad me ſic locutus eſt. Pro eo quòd populus hic incredulus aquas Siloe, quæ cum ſilentio decurrunt, id eſt, vites Ieruſalem neglexit, cuius radicem, & ſedem ſubluit exiguus ille fluuius; quaſi longè impares eſſent duorum Regum eximiæ potentiæ: neque ſilere voluit, cauſámque publicam meæ fidei, atque præſidio committere, atque ideo dedere ſe voluit Raſin Regi Damaſci, & filio Romeliæ: Ideo immittet Dominus fluuium, id eſt, Euphratem, qui medius Babyloniam interſecat, non ſilentem, ſed cum ingenti ſonitu; Regem videlicet Aſſyriorum, cum magno, atque glorioſo apparatu, qui rem Iudaicam latè, duréque diripiat.

5 [f] *Et adiecit Dominus loqui ad me adhuc, dicens,* [g] *Pro eo quod abiecit populus iſte aquas Siloe, quæ vadunt cum* [h] *ſilentio, & aſſumpſit magis Raſin, & filium Romeliæ:* [i] *propter hoc ecce Dominus adducet ſuper eos aquas fluminis fortes, & multas, Regem Aſſyriorum, & omnem gloriam eius.*

6 Ingens ille fluuius Babylonicus excedens riuorum ſuorum oppoſitas ripas, & inde violenter effuſus, in omnes Iudææ regiones exundabit: & ad collum vſque perueniet Ieruſalem, dedu cétque ad extremum vſque diſcrimen.

6 [k] *Et aſcendet ſuper omnes riuos eius,* [l] *& fluet ſuper vniuerſas ripas eius, & ibit per Iudam, inundans, & tranſiens* [m] *vſque ad collum veniet.*

7 Sic autem Rex Aſſyriorum Senacherib copioſiſſimi exercitus alas expandet, vt quàm latè patet terra tua, ô Emanuel, illam operiat, & compleat.

7 [n] *Et erit extenſio alarum eius, implens latitudinem terræ tuæ ô Emanuel.*

8 Congregamini ô populi, & contra noſtram ſalutem coniurate; ſiue qui nunc cum Raſin, & filio Romeliæ infenſas acies ad Iudæorum fines appuliſtis, ſiue qui non multò poſtea Aſſyrias vires conflaturi eſtis cum Senacherib: quia ſine dubio fractus concidet, vincetúrque quidquid copiarum in noſtrum exitium comparaſtis. Audite qui extremos terræ fines habitatis, quid per me vobis nunciatum velit Deus. Excitate quantum volueritis, & confirmate languentes animos, non tamen effugere poteritis, quin vincamini; armorum, & machinarum quantum vbique terrarum eſt, in noſtram perniciem comportate: ignominia nihilominus vos, & interitus manet.

8 [o] *Congregamini populi, & vincimini, & audite vniuerſæ procul terræ: confortamini, & vincimini, accingite vos & vincimini.*

9 Deliberate de noſtra pernicie iterum, atque iterum, etiam atque etiam conſilium excogitate veſtris rationibus opportunum, quia illud irritum omnino excidet. Iactate contra nos, quas furor ſuggerit, & inſania minas, quoniam illas ſine vllo ſucceſſu difflabit, & diſſipabit Deus. neque hæc noſtris armis aut induſtriæ tribuimus, ſed quia terra eſt Emanuelis, & quia, quod ſonat Emanuelis nomen, nobiſcum eſt Deus.

9 *Inite conſilium, & diſſipabitur: loquimini verbum, & non fiet:* [p] *quia nobiſcum Deus.*

10 Hæc, de quibus nuper dixit ad me Dominus: qui ſicut manu forti erudiuit me, abduxítque à communi totius penè populi conſenſu, ne ſequerer deditionis conſilium, aut quod Achaz magis

10 *Hæc enim ait Dominus ad me,* [q] *Sicut in manu forti erudiuit me, ne irem in via populi huius, dicens.*

11 [r] *Non*

magis placebat, aduocandum putarem Aſſyriorum auxilium. His autem me verbis Dominus erudiuit.

11 [r] *Non dicatis, coniuratio.* [s] *Omnia enim quæ loquitur populus iſte, coniuratio eſt: & timorem eius ne timeatis, neque paueatis.*

11 Non audiatur iam amplius inter vos coniurationis nomen, quod multum eſt, & penè ſolum in ore pauidi, & perturbati populi; quaſi nihil tutum ſit futurum à duorum Regum coniuratione. Ne timeatis illorum minas, aut inſtructas copias, neque pauor vllus animos veſtros turbet, aut debilitet.

12 [t] *Dominum exercituum ipſum ſanctificate: ipſe pauor veſter, & ipſe terror veſter.* [v] *Et erit vobis in ſanctificationem.*

12 Dominum exercituum ſolum eſſe ſanctum, ſpe in illo locata, & cultu religioſo iam tandem oſtendite: illum pauete non inimicorum minas. Ipſe ſit vobis terrori, cui vos, veſtráque ſubiiciatis: non hoſtes quorum vim, & coniurationem timetis. Nam & ipſe vobis gratiam reddet. Vt enim vos illi, ſic ille vobis viciſſim honorem dabit.

13 [x] *In lapidem autem offenſionis, & in petram ſcandali duabus domibus Iſrael, in laqueum, & in ruinam habitantibus Ieruſalem.*

13 Sicut Dominus ſanctificabit illos: qui ipſum ſanctificabunt, & metuent: ſic contrà illos conteret, ac perdet; qui ſecus fecerint, è duabus domibus Iſrael, ſiue ſecuti fuerint Ieroboam, quod fecere decem tribus, ſiue manſerint cum familia Dauid: niſi quæ denunciata ſunt à Domino: per prophetam præſtare voluerint. Erit enim his Deus inſtar lapidis in media via, in quam omnes incurrunt: & offendunt, & in laqueum, qui incautos homines implicat, & in perniciem trahit.

14 *Et offendent ex eis plurimi, & cadent, & conterentur, & irretientur, & capientur.*

14 Neque pauci erunt, qui in lapidem illum offendant, cadant, & conterantur: & qui in laqueum illum incidentes impediantur, capiantúrque tanquam à venatore illaqueata præda.

15 [y] *Liga teſtimonium, ſigna legem* [z] *in diſcipulis meis.*

15 Hactenus explicatum habui volumen illud grande, in quo iuſſus ſum nomen filij mei ſcribere, & in eo futuros rerum euentus ſignificare hiſtoricè, & typicè portendere. Sed ſtatim iſtud à Domino mandatum accepi, vt & plicarem librum, & ſignarem teſtimonium vulgo imperito, & ſtulto, & ſeruarem diſcipulis, qui libenter audient, & docti intelligent.

16 [aa] *Et expectabo Dominum, qui abſcondit faciem ſuam à Domo Iacob,* [bb] *& præſtolabor eum.*

16 Expectabo igitur ego Dominum, qui verbis in illo volumine notatis typicè promittitur: qui à Domo Iacob faciem ſuam occultare voluit, & teſtimonium eſſe ligatum. Quoniam ex illorum diſcipulorum numero eſſe ſtudeo; quibus teſtimonium, & legem ſeruari voluit: ſpero nihilominus non omnes ex familia Iacob ab hoc beneficio fore excludendos: neque ratio deeſt, quæ me in hanc cogitationem, & fiduciam inducat.

17 [cc] *Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Dominus, in ſignum, & in portentum Iſrael à Domino exercituum, qui habitat in monte Sion.*

17 Nam ego, & duo pueri mei, qui dati ſunt in ſignum, & portentum Iſraeli, non ab alio quàm à Deo, qui habitat in Sion, id ſperare nos iubent. Neque enim quicquam eſt in meo, ac duorum filiorum nominibus, in quibus non aliquid affulgeat ſpei.

18 [dd] *Et cùm dixerint ad vos: Quærite à*

18 Cùm autem qui væſano deluſus conſilio

dixerit, vt in his rerum anguſtiis, quibus vrgeri à duobus Regibus videtur res Iudaica, à Pythonibus, & ariolis (qui non niſi obſcurè, & perplexè loquuntur, cùm ſua reddunt non tam oracula, quàm delirantium ſomnia) rerum futurarum euentus ſciſcitemini: huic vos liberè, atque audacter reſpondete. Nunquid non eſt Deus in Iſrael, à quo populus exquirat reſponſa? nunquid à mortuis in viuorum cauſa, & pro illorum ſalute poſcet oracula? Ad legem potiùs, & teſtimonium in grandi volumine deſcriptum confugiemus.

Pythonibus, & à diuinis qui ſtrident in incantationibus ſuis: Nunquid non populus à Deo ſuo requiret viſionem, pro viuis à mortuis? Ad legem magis, & ad teſtimonium.

19 Quòd ſi Domus Iacob aliter reſponderit, quàm ego nunc præcipio, conſulendóſque putauerit mortuos pro viuis, neque illis orietur matutina lux, neque quicquam habebit non aduerſum.

19 [ee] *Quod ſi non dixerint iuxta verbum hoc: non erit eis matutina lux.*

20 Lux enim matutina tranſibit curſim per Domum Iacob, non verò in illa diu commorabitur; nam ab eo, quod matutina luce ſignificari ſolet, id eſt, ab omni felicitate quanto ocyus excidet. Corruet enim ab hoſte ſuperata, famem experietur extremam, qua inſtimulante ſic bacchabitur demens, vt ſurſum in cœlum oculos iratos, & ſcintillantes attollens, in Deum quaſi malorum cauſam maledicam, atque blaſphemam linguam exacuat.

20 [ff] *Et tranſibit per eam, corruet, & eſuriet: & cùm eſurierit, iraſcetur, & maledicet regi ſuo, & Deo ſuo; & ſuſpiciet ſurſum.*

21 Cùm è cœlo, atque irato Domino nihil ſperet in illa rerum anguſtia præſidij, ad terram ſe ſe conuertet: ſed inde quoque & erumpet calamitas, & offundentur tenebræ: quibus diu, & continenter vrgentibus magnus ſequetur & animi æſtus, & membrorum omnium diſſolutio. Neque vllum ab ea calamitate, atque angore inueniet effugium.

21 *Et ad terram intuebitur, & ecce tribulatio, & tenebræ, diſſolutio, & anguſtia, & caligo perſequens, & non poterit auolare de anguſtia ſua.*

IN CAPVT OCTAVVM

COMMENTARIVS.

1. [a] SVME *tibi librum grandem.*] Quæ inuolutè atque obſcurè dicta ſunt de excidio Damaſci, atque Samariæ, antequam puer recèns natus, ſeu, vt ſtatim patebit magis, conceptus, inter bonum & malum internoſcat, id nunc & explicatiùs oſtendit, & apertiſſimè toti domui Iuda teſtatum eſſe vult. Iubet enim vt in grandi volumine paucula ſcribat verba ſtylo hominis, id eſt, apertè, & clarè, quæque ab omnibus intelligi poſſunt: & quibus publico teſtimonio, ſi vana eſſet promiſſi fides, mendacij poſſet coargui; quibus ſignificet inſtare iam duorum Regnorum præſens exitium. Liber autem, de quo nunc Iſaias, non eſt eius formæ ad quam noſtri concinnati ſunt, neque enim eſt in plures paginas diſſectus; ſed potiùs longior aliqua charta: aut vna ex pluribus adglutinata in longitudinem, quæ deinde conuolui poſſit A circa paxillum; vnde volumen vocatum eſt.

[b] *Stylo hominis.*] Communiter omnes ſtylum iſtum apertum, & vulgo etiam notum intelligunt: 2. Stylus quid. id eſt, non ænigmaticè, & obſcurè per ſymbola, qualiter proponi nonnunquam ſolent prophetarum oracula. Quod mihi non diſplicet, ſed fortaſſe aliquid etiam amplius, & ſignificantius ſonat. *Stylus* non ſolùm eſt inſtrumentum illud ſcriptorium, quod *graphium* vocatur, & quo ceratis olim tabulis, aut plombeis laminis imprimebantur notæ: ſed etiam modus ipſe aut forma ſcribendi. Vnde ſtylus vocatur *certus character*, à quo Oratio humilis, B ſublimis, aut temperata dicitur. Et iam plerumque in re forenſi, ac publica eo nomine vtimur, cùm ſignificare volumus certam aliquam formam, qua res, quæ publico, atque legitimo iudicio tractantur, publicam habent autoritatem, & fidem. Et hoc ſenſu dicitur, Ita fert ſtylus Romanæ curiæ,

aut Regij conſilij, &c. aut Rex ſeu prætor hunc habet ſtylum in decernendis controuerſiis, aut expediendis cauſis. Cùm ergo Dei ſtylus, vt ita dicam, publica iſta, atque vulgari forma non indigeat; ſatis enim eſt, ſi ipſe quid velit, ac ſtatuat per prophetas, aut angelos aut aliquouis modo denunciet; nunc iubet, ne quis datum eſſe de re tanta oraculum iſtud dubitet, vt non diuino ſolùm, ſed etiam humano ſtylo omni memoriæ, ſeu potiùs omni æternitati mandetur. Quod optimè intellexit propheta, qui ſtatim iuxta ſtylum hominum teſtes aduocat, quorum fidei nulla labes, aut leuitas obtendi poterat, de quibus ſtatim.

c *Velociter ſpolia detrahe, citò prædare.*] Magnis litteris oportet hæc ſcripta fuiſſe, quando volumen grande ſumi iubetur. His autem verbis breuiter notatis breuis, & feſtina calamitas optimè deſcribitur.

3. *Quis iſte Zacharias.*

d *Zachariam filium Barachiæ.*] Huoc alium eſſe puto ab eo, qui in duodecim prophetis numeratur; quia ille ad hanc ætatem pertinere non potuit, ſaltem ea ætate, in qua teſtis omni exceptione maior exiſtimari poſſet. Nam ille poſt ſolutam captiuitatem, id eſt, poſt annum 170. ab hoc oraculo prophetare cœpit. Neque admodum referte puto quod filius dicatur Barachiæ; nam hæc oomina valde ſunt inter Hebræos vſitata: neque mirum ſi duo vocati Barachiæ, duos filios habuerint vocatos Zacharias: ſicut duæ Mariæ altera Iacobi, altera Salome duos Iacobos genuerunt. Neque reprehendendus eſt propheta: qui cùm diſtinguere voluerit hunc ab alio, Zachariæ, vt veriſimile eſt, communem notam addiderit: nam quo tempore hæc dicebantur, nondum erat natus alius Zacharias, aut certè propter ætatem non ita ootus, vt ab eo ſeparari debuerit.

4. e *Et acceſſi ad propheriſſam, & concepit, & peperit filium.*] Antè quàm hinc abeam, expediendum mihi neceſſariò eſt, qois ſit iſte puer, qui natus de prophetiſſa dicitur; nam hinc conſtabit totius capitis, & magna ex parte etiam ſuperioris explicatio. De Chriſto communiter accipiunt antiqui Patres, Hieronymus, Cyrillus, Baſilius, Euſebius, Auguſtinus, Procopius, & alij, quorum ego auctoritatem ſuſpicio, & pietatem in hac explicatione laudo, amóque plurimùm. Idque his rationibus videtur euinci poſſe. *Primò*, quia ſi hic filius eſſet Iſaiæ; (nam de alto nihil apparet dici poſſe veriſimiliter) non ſatis cum illo conuenit teſtis Zachariæ ætas, qui multis pòſt ſæculis vixit, vt diximus. *Secundò*, quia antequam puer iſte vocare ſciat patrem, & matrem, auferenda dicuntur ab Aſſyriis fortitudo Damaſci, & ſpolia Samariæ. Sed vt Damaſcus ſpatio illo ſubiugata fuerit ab Aſſyriis, at Samaria non niſi anno nono Oſeæ Regis Iſrael, & anno ſexto Ezechiæ direpta eſt 4. *Reg. cap.* 18. Quare cùm hæc dicta videantur, vt oſtendemus ſtatim, in principio Regni Achaz, id eſt, anno eius tertio, aut quarto, conſequens eſt puerum, qui tunc natus eſt, quando capta eſt Samaria, fuiſſe 18. annorum, id eſt, ſedecim, aut quatuotdecim annis poſtquam cœpit vocare patrem, & matrem. Tertiò, quia non videtur, quænam illa prophetiſſa fuerit, ex qua natus eſt puer, niſi Maria Ieſu mater.

5. Bene quidem iſta, & piè; neque, vt dixi, diſplicet, ſed amo, amplectórque lubens propter tot virorum autoritatem & pondus. Sed quando ſuperiora explicui in aliam ſententiam, quàm communiter Patres, & quæ piis offenſionis aliquid afferre poterant, omnino ceſſant, aliter quoque hunc locum interpretabor, neque minus pie; &, vt cuilibet examinare promptum eſt, magis expeditè. Piè quidem, quia non minùs quàm alij omnes, hic Chriſtum inuenio illuſtri hoc ſigno ac teſtimonio notatum, & de Chriſto aſſero hanc eſſe prophetiam; & quod minùs pium parum piis, & plus ſatis audacibus ingeniis videri poterat, a virgine remoueo.

Exiſtimo igitur hunc eſſe Iſaiæ filium, quod licèt alio ſenſu accipiant, quàm à me ſuprà inſinuatum eſt, ipſo cogente ſermonis filo, cenſent tamen Vatablus, Iſidorus, Clarus, Foreirus, Montanus, Didacus Albarez Dominicanus, ad illud. *Quia antequam ſciat puer.* Vbi principaliùs locum hunc intelligendum dicit de Chriſto, quem Iſaiæ filius deſignabat. Item Emanuel Sa. Sixtus Senenſis *lib.* 2. *Bibliotheca tit. G. tit. Grandis liber*; Ad extremum tenet Chryſoſtomus 1. *Tom. in cap.* 8. *Iſaia*, qui optimè explicat hanc noſtram cogitationem, quam omnino vide. Huius ſententiæ fuiſſe S. Thomam, inquit hìc Lyra, qui ſancti Doctoris rationes adducit, quibus hæc probat; quas diluere conatur: ſed ſanè valde infirmum eſt, quod contra S. Thomam excogitauit Lyra tractatum illum, ſeu poſtillam, ſic enim vocat Lyra, vbi S. Thomas hæc diſputauerit, noo inuenio. dicit tamen *in commentariis ſuper hunc locum.* Docet apertè Gregorius Nyſſenus *in proœmio ſuper Cantica*, vbi Iſaiam cum Oſea compouit, qoi ſobolem ſuſcepit ex fornicaria. *Quid*, ioquit, *ad virtutem emolumenti adfert auditori vates Oſeas, cum ex ſcorto ſobolem procreat? quid Iſaias ad fœminam vatem ingreſſus?* In hanc ego ſententiam primùm adducor, quia nihil in ea video, quod non ſit maximè ex dignitate Chriſti, & Genitricis Mariæ. Quia hæc omnia ſigna ſunt Chriſti ex virgine naſcituri, quæ quò magis illuſtria ſunt, & publica fide conſignata iuxta hominum ſtylum, magis commendatur, atque expectatur, qui futurus eſt humanæ ſalutis vindex. Itaque in hac prophetia, quæ multis capitibus continetur, nihil ſonat magis, quàm Ieſus, & virgo; quemadmodum in ſigno nihil expectatur magis, quàm quod ſignificatum eſt in illo.

Quòd ad ſententiæ huius probabilitatem ſpectat, ſatis prudentibus argumento eſſe debet, quod aliter conſtare non poteſt niſi admodum diſtortè, neque intelligi, vt cuique apertum eſt mediocriter attento, niſi admodum durè, quæ eſſe poſſit præteritorum cum his, quæ conſequuntur apta cooſenſio. Quàm durè qois ab Iſaia remoueat illud *Acceſſi ad prophetiſſam*, cui alia neceſſariò tribuenda ſunt, quæ dicuntur eodem filo, textúque ſermonis. Quàm violenter alia quæ à nobis præcedenti capite dicta ſunt, & deinceps ſuo loco dicentur. Adde quòd hoc eodem capite hoc ipſum tradit locuples teſtis Iſaias, dum dicit. *Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in ſignum, & in portentum Iſrael.* Pueri autem erant in portentum dati, in quibus ſtatus Iſrael eſſet conſignatus Seharlaſub, de quo *cap.* 7. in cuius nomine Deus relicti populi conuerſionem notarat; & hic de quo modo, qui vocatur, *Feſtina prædari*, quia imminere iam ſtragem Syriæ atque Samariæ ſui nominis notatione portendebat. Qui verò alij pueri dati ſint in ſignum Iſraeli, non video. 7.

Neque meo iodicio qoicquam efficiunt, quæ alij contra opponunt, dicunt enim duos illos te- 8.

ſtes fideles Zachariam, & Vriam non potuiſſe in illud tempus incurrere, in quo natus eſt Iſaiæ filius; non quidem Zacharias, quia longè poſt hæc tempora natus eſt: neque Vriam, quia quo tempore vixit Achaz, fidelis non fuit, ſed potiùs infidelis, & idolorum cultor. De Zacharia minùs eſt laborandum, cùm non ſit affectus aliqua nota, quam non admittat tempus Achaz. Neque enim propheta dicitur, ſed tantùm appellatur filius Barachiæ; neque mirum eſt, aut nouum, ſi duo eiuſdem nominis parentes, duos eiuſdem nominis ſuſceperint liberos. Vt de Maria Iacobi, & Maria Salome nuper diximus, quæ duos Iacobos genuerunt. Et in genere Dauid duo fuerunt, quibus commune fuit nomen Salatiel: qui duos ſuſceperunt filios, qui vocati ſunt Zorobabel. Alter ex ſtirpe Nathan *Lucæ cap.* 3. *verſ.* 27. alter ex ſtirpe Salomonis *Matth.* 1. *verſ.* 12. Et 3. *Reg. cap.* 15. nominatur Maacha filia Abaſſalon mater Abiæ, *verſ.* 2. & alia rurſus Maacha, filia Abaſſalon mater Aſſa, qui fuit Abiæ filius. *verſ.* 10. De Vria nihilo magis laborandum, quia tempore Achaz ſacerdos ſummus erat Vrias. 4. *Reg.* 16. Neque quando hæc dicta ſunt ab Iſaia in idolorum cultu quicquam admiſerat. Nam vt ibidem conſtat expugnata iam ab Aſſyriis Damaſco iuſſus eſt ab impio Rege Achaz aram excitare Gentium ritu. Deinde licèt impius tunc eſſet Vrias, tamen ad publicam fidem, qualem ſtylus hominis deſignabat, parum oberat vitæ improbitas, quia magna erat muneris auctoritas, atque perſonæ: fideles autem hoc loco non tam credo vocari homines, vitæ probæ, atque integræ fidei, quàm eos, qui ad fidem publicam confirmandam idonei ſunt; quales illi videntur, quos ius facit omni exceptione maiores; & talis ſine dubio erat hic Vrias, quia ſacerdos magnus.

9\. Regula. Aliquid factũ dicitur, cùm cœptũ eſt fieri.

Nihilo magis vrget ſecunda ratio. Nam quemadmodum docuimus ad illud *Zachariæ cap.* 1. *Iam ſeptuageſimus annus eſt*; aliquid tunc factum dicimus, aut completum, cùm bona ex parte cœptum eſt fieri. Quare *Dan.* 9. anno primo Darij completi eſſe dicuntur ſeptuaginta anni deſolationis Ieruſalem; cùm tamen ſeptuageſimo illinc anno non deſolata fuerit, ſed deſolari cœpta. Et Ieremias *cap.* 27. poſt ſeptuaginta annos, & ſimul atque deletum eſſet Chaldæorum imperium, dixit futurum eſſe Iudæorum reditum in patriam; cùm tamen plurimi in Babylonia relicti fuerint, quia eo anno inchoata remigratio eſt. Quo verò tempore ab Aſſyriis ſubiugata eſt Damaſcus, id eſt, paulò poſt natum puerum, magna pars Regni Iſraelis euerſa fuit ab eiſdem, & eodem victoriæ curſu. Nam vt 4. *Reg. cap.* 15. dicitur, Teglathphalaſar Rex Aſſyriorum expugnauit bonam partem Regni Iſraelitici, dum adhuc viueret Phacee filius Romeliæ, id eſt, in principio Regni Achaz, qui regnare cœpit ſub finem Regni Phaceæ, id eſt, anno illius 17. vt habes 4. *Reg.* 16. qui tantum regnauit annos 20. *ibid. cap.* 15. Quare detrimentum illud magnum quod accepit Iſrael ab Aſſyriis, non potuit contingere poſt tertium annum Regni Achaz, quia eo anno mortuus eſt filius Romeliæ. De illa ergo magna clade, quam accepit Iſrael tempore Phaceæ, id eſt, non longè poſt conceptum puerum, ſic ſcribitur 4. *Reg. cap.* 15. *In diebus Phacea Regis Iſrael venit Teglatphalaſar Rex Aſſur, & cepit Aion, & Abel, domum Maacham, & Ianoe, & Cedes, & Aſor, & Galaad, & Galilæam, & vniuerſam terram Nephthalim, & tranſtulit eos in Aſſyrios.*

Adde quòd propheta non dicit vaſtandam eſſe Samariam; ſed diripienda eſſe ſpolia Samariæ, à rege Aſſyriorum. Eſt autem ſatis notum Samariam ſumi pro toto Regno Iſrael, quia ibi erat Regij nominis ſedes, & domicilia: & ſicut Ephraim ſumitur pro Iſrael, quia ex ea tribu ortus fuit Ieroboam; qui primus omnium Regnũ illud obtinuit; ſic etiam quia Samaria erat in ſorte Ephraimitide, & in ea præcipua; pro tota illa tribu, atque adeò pro toto illo regno vſurpari ſolet. Satis verò opima præda abacta eſt è Samaria, quando ab ea quinque ferme tribus ablatę ſunt: nempe Nephthali, & magna pars tribus Zabulon; & Galaad, vbi erat tribus Ruben, & Gad, & dimidia tribus Manaſſe, vt explicatiùs dicitur, 1. *Paral. cap.* 5. *verſu* 26. 10.

Illud verò de prophetiſſa non video quam habeat vim tantam, vt noſtram ſententiam poſſit conuellere. Neque enim ſi alibi non conſtet, vxorem Iſaiæ fuiſſe prophetidem, ideo efficitur prophetico non fuiſſe afflatam ſpiritu. Satis enim indicat hic locus. neque enim, niſi præſentem locum contorqueas, vímque tibi afferas, intelliges quomodo illud *Acceſſi ad prophetiſſam*, ad alium niſi ad Iſaiam aptari poſſit. Quid ſit autem ad fœminam accedere, ſatis notum: & id quod ſequitur, non obſcurè docet, *Et concepit, & peperit filium*. Sed demus hoc quando ex alio loco deduci non poteſt, dicamúſque vxorem Iſaiæ ſpiritu caruiſſe prophetico, quod non putat Chryſoſtomus *ſuprà*, eo inquam ſpiritu, qui oracula præloquitur, futuróſque euentus multò antè prædicit. Sed fieri poteſt vt multis aliis modis prophetiſſa ſit. vt enim variè *propheta* nomen aſſumitur, ſicut & *prophetare* vt in Actis diximus, *cap.* 2. ſic etiam & *prophetiſſa*. Inter alias ſignificationes illa eſt ſatis vſitata, qua qui Deum laudant prophetæ dicuntur: vnde *Paral.* 25. Aſſaph, & Eman dicuntur propheraſſe in citharis, quod fuiſſe aliquando valde vſitatum conſtat 1. *Cor.* 11. vbi de mulieribus Paulus. *Omnis autem mulier orans, aut prophetans non velato capite deturpat caput ſuum.* Dicitur etiam *Oratio* prophetia, & orantes prophetæ aut prophetare. 3. *Reg.* 18. *Poſtquam autem tranſiit meridies, illis prophetantibus.* Prophetare autem hîc ſignificare, orare, atque inuocare Dominum, ex his quæ paulò antè præceſſerunt, perſpicuum eſt. Quare mihi veriſimile eſt ex eo fœminarum cœtu, quæ diuinis laudibus vacabant in templo, aut etiam erant orationi iugiter intentæ, (de quibus *lib.* 2. *Machab. cap.* 3. & *Exod.* 38. de quarum numero ſuo tempore fuit B. Virgo, quæque iuxta ea, quæ de prophetiæ ſignificatione diximus, prophetides appellari poterant,) accepiſſe vxorem Iſaiam, ſicut ex eodem loco Ioſeph Mariam coniugem accepit, ex eaque ſuſcepiſſe illum filium de quo nunc ſermo. Hoc verò connubium, & filius ex eo natus cum eo nomine, quod virtutem, coniunctam cum feſtinatione ſignificat, optimus eſt typus illius ſacri connubij, & diuini partus, quo inuiſibilium inimicorum potentia fracta, & ſpolia direpta ſunt. 11.

Prophetæ nomẽ multa ſignificat.

Addo ſi hæc abſint, optimè etiam vxorem Iſaiæ dici poſſe prophetidem; quia prophetæ nupſerat. Eſt enim vſitatum in omni ferè natione, vt à viri nomine, aut arte, & frequentiùs ab eius publico, atque honeſto munere, ſeu magiſtratu vxores cognomentum habeant, quare peregrina vxor à Solymitano coniuge Sulamitis, id eſt, Solymitana dicitur, & quæ Caio nupſit Caia; Vide plura exempla apud Valerium, in extrema ferme parte epito- 12.

mes

Digitized by Google

mes per Caiom Titum Probum. Et apud Hiſpanos *Lamuger del corregidor ſellama commun mente la Corregidora, la del Theſorero, Theſorera, Alcayde, Alcaydeſa*, &c. Neque id a ſacris alienum. Vt enim ex Synodo 2. Turonica conſtat ſub Pelagio *Can.* 14. & *Can.* 20. Vxor Epiſcopi Epiſcopa dicitur, & presbyteri presbytera, diaconi diaconiſſa, ſubdiaconi ſubdiaconiſſa; Vxor, inquam, quæ fuit ante virorum ordinationem: nam poſtea cohabitare cum vxoribus oullo modo licebat; vt ex Concilio Antiſiodorenſi ſub Papa Deus Dedit *Can.* 21. liquet. Ad hunc credo modum cùm prophetæ nomen celebre eſſet in Iſaia, & communiter non iam Iſaias vulgò, quàm propheta diceretur, eius etiam vxorem vulgò vocatam eſſe prophetiſſam, eoque nomine vſum hic Iſaiam.

Quia locus iſte grauis eſt, variæque ab aliis rationes adducuntur, quibus adducti Iudaicæ penè perfidiæ damnent eos, qui prophetiſſam illam vxorem eſſe putant Iſaiæ, ideo nihil eſſe omittendum exiſtimaui, quod ipſis contra noſtram cogitationem graue viſum eſt. Quorum ego ita pietatem laudo, vt audaciam admiret: qui non vident quantos viros in ſuſpicionem vocent religionis offenſæ. Quàm verò rationes infirmæ ſint, quibus ſuam ſibi ſententiam, itémqoe aliis perſuadere contendunt, exploremus, atque expendamus oportet. Primùm aiunt, iniuriam inſignem irrogari Iſaiæ homini pudentiſſimo, cùm dicatur curam teſtibus acceſſiſſe ad vxorem, & actum illum iis ſpectantibus exercuiſſe, quem vulgares homines, & profligati pudoris ab aliorum oculis auertunt. Sane qui ita ſentiunt, ſi qui tamen ſunt, turpi errore, atque inuerecundo labuntur. Sed nos ſuprà oſtendimus, teſtes ideo ab Iſaia fuiſſe vocatos, vt dum pueri nomen grandi volumini inſcriberetur, intereſſent, ne ſcripturæ illi, quam eſſe ratam plurimùm intererat, publica deeſſet, atque legitima fides; Quare argumentum hoc, vt infirmum eſt, ſic etiam cogitationem noſtram non infirmat.

Secundò dicunt, nomen illud io grandi exaratum volumine, nullo modo in Iſaiæ filium quadrare poſſe; neqne enim ab illo quicquam ea celeritate factum eſſe proditur, propter quod imponi debuerit nomẽ illud, quod à feſtinata victoria & ſpoliorum prædatione ducitur. Si de Iſaiæ filio illud loqueretur volumen, & ad illum ſpectaret propheticum illud, & hieroglyphicum nomen, vrgeret nos, & omnino conuinceret propoſita ratio: At nomen illud noo tam aliquid prophetat, aut promittit de Iſäiæ filio, quàm eo nomine filius Iſaiæ de breui duorum Regum, atque Regnorum excidio vaticinatur. Sicut alter Iſaiæ filius, de quo nuper *cap.* 7. *Sear Iaſub*, ſeu *relictus Iaſub*, qui & ſuo nomine datus eſt in portentum, quo ſignificabat conuertendas eſſe reliquias Iſrael. Quòd ſi, quia nomen alicuius naturæ, aut moribus non conuenit, ab eo ſeparandum exiſtimemus: Sanè dicamus neceſſe eſt filiis Oſeæ impoſita non eſſe illa nomina, de quibus *c.* 1. nẽpe Iezrael *abſque miſericordia*, & *non populus meus*; neque enim illa, quorum cauſa iuſſus eſt Propheta nomen imponere, in filiorum merita conueniebant: ſed illis potiùs nominibus quid aliis euenturum eſſet ſignificabant: Prophetabat itaque illo nomine Iſaiæ filius non quidem de ſe, ſed de duorum Regum feſtinata cæde; Quemadmodum ipſius pater Iſaias *cap.* 20. diſcalceatus, & nudus de Ægypti, atque Æthiopiæ ſeruitute, nõ de ſua. Eiuſmodi exẽpla occurrunt in Scriptura frequentiſſima.

A Alia ratio ſumitur ex Septuaginta tranſlatione, qui pro eo, quod vulgatus habet, *Auferetur fortitudo Damaſci: & ſpolia Samariæ*, ipſi reddiderunt. *Accipiet fortitudinem Damaſci, & ſpolia Samariæ.* Quare cùm Iſaiæ filius nihil contra Damaſcum, Samariámve molitus ſit, de Meſſia potiùs, quàm de illo hæc accipienda putant. Hæc, quæ autoribus ſuis grauia videntur, vulgaris dicendi vſus tam apud ſacros, quàm apud prophanos ſcriptores facile conuellit; A ſignis enim illa facta dicuntur, quæ ab aliis factum iri ſignificantur. Et ne longiùs abeamus, excæcaturus dicitur Iſaias Iudæorum oculos, & aures aggrauaturus, quia id euenturum eſſe Iudæis prædicturus eſt. Vide quæ eo loco diximus, & *Eccleſ.* 48. Sol dicitur addidiſſe annos Ezechiæ vi- B tæ, quia addendos eſſe oſtendit retrò conuerſus. *In diebus ipſius* (Ezechiæ,) *retrò rediit ſol, & addidit Regi vitam*; qui loquendi modus apud externos obuius. Quomodo dicimus, *Arcus cæleſtis tempus tranquillat, & ſerenat*, quia tempus ſerenum, & tranquillum denunciat, & promittit. Ex hac vulgari phraſi natum eſt illud prouerbiale, *Pallida luna pluit, rubicunda flat, alba ſerenat*, id eſt, pluuiam, ventum, & ſerenitatem prænunciat. Tunc autem præcipuè aliqua à ſignis, vel vaticiniis dicuntur eſſe facta, quando re ipſa ſuccedit effectus. Quare cùm ex eo tempore, quo primùm Iſaiæ filius vocatus eſt, *Accelera*, &c. abſtuliſſe dici poſſit Damaſci fortitudinem; multò tamen potiùs exacto biennio, quando nempe patrem ſuum, & matrem ſuam C vocare potuit. Alia adducunt in ſuæ ſententiæ confirmationem, quæ nos iam, vt credo, ſatis diluimus; & ex dictis infirmari poſſunt non difficilè, à quibus confutandis, atque etiam commemorandis abſtineo; Tantùm addo malè Chryſoſtomum in illam ſententiam adduci, qui vt ſuprà vidimus, in *Prophetiſſa* vxorem agnoſcit Iſaiæ, ſicut etiam Nyſſenus præfatione in Cantica, vbi eodem modo dicit Iſaiam ad Prophetiſſam acceſſiſſe, quo ad fornicariam Oſeas. Nam ſi aliter alibi docuiſſe viſi ſunt, id faciunt obſcurè valdè, & non tam hiſtorico, quàm allegorico ſenſu. Cùm verò hiſtoricè de Iſaiæ vxore hæc interpretantur, ita loquuntur clarè, vt nullum de ſua ſententia relinquant ambigendi locum.

13. Summa ſententiæ autoris.

D Hæc quæ tam hîc, quàm quæ à ſuperiore capite à me dicta ſunt, expedita credo, videbuntur, neque minùs pia, quàm quæ alij hic piè, & religioſè commentantur. quia myſterium incarnati Verbi adeò non tollunt, aut obſcurant, vt potiùs illuſtrius oſtendant, magíſque commendent. Neque tamen ideo, quæ ab aliis in diuerſam ſententiam adducuntur, mihi non probantur. Eorum verò quæ diximus, & in quibus ab aliis diſſentimus, ſumma eſt. Ortum Emanuelis ex Virgine non eſſe ſignum futuræ cladis duorum regnorum per Aſſyrios, & ruinæ populi Iudaici, ſi diuino oraculo fidem non E habeat; ſed contra cladem duorum Regnorum ante tempus, in quo puer reprobare ſciat malum, & eligere bonum; ſeu, quod idem ætatis incrementum deſignat, antequam ſciat vocare patrem, & matrem ſuam; ſignum futurum Virginei partus. Tempus autem illud trium aot quatuor annorum ſpatium complectitur: quia ſtatim à promiſſione acceſſit ad propheriſſam Iſaias. Si computes tempus in quo fœtus fuit in vtero materno, habes nouem menſes, inde ad id ætatis, quo patrem, & matrem vocare potuit, duo ſunt, aut tres anni. Sed eo ſpatio, vt vidimus nuper, ablata eſt à facie domino-

rum ſuorum terra, quam deteſtabatur Achaz, vt dictum eſt *cap.7.* ſeu ablata eſt fortitudo Damaſci, & ſpolia Samariæ, quod habes in hoc capite; & eſt ſuperioris promiſſionis expoſitio. Quo ergo hæc magis eſſent teſtata in volumine grandi, grandibus etiam litteris ſcribi iubetur nomen filij, quem ex vxore prophetide ſuſcepit Iſaias; qui fuit ille de quo *cap.* 7. dictum eſt, *quia antequam ſciat puer reprobare malũ*, &c. Nomen autem illud feſtioationis, ac potentiæ ſymbolũ, portendebat, & citò perituram Syriæ, Samariæque potentiam, quod ſignum eſſe Deus voluit naſcituri Emanuelis ex illibata matre. Et hoc poſtremum præſertim Deus intuebatur, cùm nomen grandibus notatum litteris ſcribi voluit in grandi volumioe, cum publico, atque legitimo teſtimooio: vt puer ille, qui ignotus eſſe non poterat, vt pote tanti prophetæ filius, & eo rerum articulo editus, & qui oomen haberet publico teſtimonio conſignatum, toto vitæ tempore illa noua ac mirabili compellatiooe prædiceret futurum nobiſcum Deom, cuius accelerata duotum regum clades ſignum erat. Qui ſanè modus illuſtris eſt, & aptus, qui rei promiſſæ ſpeciem altè, atque conſtanter hominum animis infigat: quia toties repetitum exiſtimari potuit otaculum, quoties auditum fait pueti typicum illud, & arcanum oomen. Eodem artificio vſus eſt Deus *Oſeæ cap.1.* qui in filiorum prophetæ oouis, atque exquiſitis nominibus obuerſari voluit ante omnium oculos aſſiduè populi ruinam, & abiectionem. Neque aliò conſilio antiqui patres in filiorum nominibus excitare voluerunt aut antiquæ fortunæ, aut diuini beneficij monumentum. Quod fuiſſe vſitatum apud Hebræos argumento eſt, quòd non ſolùm ab Adam, Abraham, Iacob, Moyſe & Ioſeph; ſed etiam à Lia, & Rachel factum eſſe conſtat. Mulieres enim & præſertim ruſticæ non tam nouam inducunt conſuetudinem, quàm accipiunt inductam.

f *Et adiecit Dominus loqui ad me adhuc dicens.*] Hæc omnia videntur ad eamdem prophetiam pertinere, atque eodem tempore fuiſſe prædicta, imò & quæ ſigillatim poſtea aliquot capitibus explicantur.

14. g *Pro eo quòd abiecit populus iſte aquas Siloë, quæ vadunt cum ſilentio.*] Vſitatum eſt maximè inter poëtas; quorum ſtylus petegrious, & obſcurus ſimilis eſt prophetico, vt fluuiotum nomine prouinciæ deſignentur. Sic Nilus pro Ægypto, Ataxes pro Armenia, Oaxes, Iſter, Rhenus pto his regionibus, quas permeant, vſurpantur, & Euphrates, de qoo ſtatim, pro Babylone. Sic modò Siloë, vt puto, pro Iudæa, quia proximus eſt ipſius ıoetropoli Ieruſalem. Eſt verò difficile ſtatuere quis ſit iſte populus, qui contemptis aquis Siloë Raſim expetit, & Romeliæ filium. Hieronymus, & S. Thomas, & alij plures è recentioribus de decem tribubus accipiunt, quod eſt valde probabile; ſed magis videtur ad textum, ſi dicamus cum Cytillo, Procopio, atque Foreiro, ſermonem hîc eſſe de duabus tribubus. Quare ſuppono, quod indicatur in textu, & ex infelici bellorum exitu, acciſis iam viribus Iudæorum, veriſimile fit, Iudæorum plurimos conſilium deditionis iniiſſe, cùm iam omnino tot infortuniis edocti de ſalute deſperarent: & admittere voluiſſe ſuper ſe duos illos Reges, ſeu quod idem eſt, filium Tabeel, de quo ſuprà *cap.7.* Achaz verò Regem non deſpondiſſe omnino animum; verùm ſpem victotiæ non tam in ſuorum viribus, aut diuino auxilio, quod iam iam adeſſe affirmabat Iſaias, quàm in Aſſyriorum armis collocaſſe. Deſpiciebat ergo populus iſte aquas Siloë, quæ tacito labuntur defluxu, id eſt, Solymitanas vires, quæ iam tot pugnis aduerſis debilitatæ magnos habere ſonitus oon poterant; aut auxilium Dei, quod cum ſilentio magna ſolet, atque admirabilia præſtare. Atque ideo deſperante populo, atque diuinæ promiſſioni incredulo ſupplicium illud minatur, de qno ſtatim.

15. h Portò *ſilentium* hîc pto tenuitate, ac ſubiectiooe pooitur, ſicut *ſilere*, quia ſilentium plerumque à metu, ſtupote, & infirmitate naſcitur. Et hoc ſenſu aquæ Siloë dicuntur vadere cum ſilentio, nam re vera propriè cum ſtrepitu, atque impetu labuntut. Sic eoim Hieronymus hîc, *Siloem fontem eſſe ad radicem montis Sion, qui non iugibus aquis, ſed incertis horis, diebúſque ebulliat, id eſt, per terrarum concaua, & antra ſaxi duriſſimi cum magno ſonitu veniat, dubitare non poſſumus nos præſertim, qui in hac habitamus prouincia.* Niſi eo ſenſu dicatut ſilere fons ille Siloë, quia interdum abſconditur, aut quia per obſcuram vallem decurrit, id enim valet *Cedron*. Silentium verò pro abſconſione ſumi docuimus ad illud *Cantic.4. Abſque eo quod intrinſecus latet.* Pro qoo Septuaginta *præter ſilentium.* De huius fontis ſonitu dicitut illud Pſal. 45. *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.* vt cõmuniter interpretes.

16. Alia nunc ſubiit explicatio quæ mihi ad filũ prophetæ valde videtur conſentanea, quam credo non improbabit attẽtus lector. Tria ſigna propoſita ſunt naſcituri Emanuelis: de duobus, id eſt, de duorum Regnorum excidio, explicatè, & definitè agit dum nomen imponitur Iſaiæ filio, quod feſtinationem, & prædam importat, & tempus deſignatur intra quod futura eſt illa Regnorum ſtrages. Hinc iam ad tertium ſignum procedit de Regni Iudæorum vaſtitate, quam futuram dixit, ſi oon crederent. De hac nunc agit propheta apertè, atque dilucidè, vt magis ſint illuſtria ſigna Emanuelis de Virgine naſcituri. Meminiſſe autem oportet cùm propheta bono eſſe animo iuſſit Achaz, & ſpem victoriæ in vno Deo eſſe ponendam, vſum eſſe nomine *ſilentij*, quo, vt ibi diximus, ſignificatur quies, & ſecuritas animi, qui ſua omnia aliorum curæ & fidei commiſit: Sic enim ibi Iſaias, *Vide vt ſileas noli timere.* & deinde, *Si non credideritis non permanebitis.* Impius tamen Rex neque credidit, neque ſperauit: quia contra omnioo fecit, quàm ſibi denuntiatum fuerat à propheta. Nam externas aduocauit copias, & Aſſyrio ſe ſuáque omnia potiùs credidit, quàm Dei promiſſis, & auxilio. Et propterea res Iudaica ſub Ezechia filio à Senacherib, deinde ſub aliis Regibus teotata priùs, & vexata durè, deinde verò funditus euerſa eſt. Id ergo allegoricè, & quaſi prouerbiali figura expreſſum hîc eſſe arbitror. Nam aquæ Siloë, tum quia ipſæ modicæ, tum quia occultæ in ſuo curſu, ſilere dicuntur: neque à ventis metuunt, qui altiſſimis montibus hinc inde concluſæ ſunt. Quare exiſtimo, aquarum illarum ſilentium in prouerbium abiiſſe, qua ſignificatur animi ſecura tranquillitas. Dicit ergo propheta. Quia abiecit populus iſte aquas Siloë, quæ vadunt cum ſilentio, id eſt, quia ſilere ooluiſtis, imitati huius fontis ſilentium, vt vobis Dei nomine antè prædixerant: Ideo immittet Dominus fluuium non ſilentem, ſed cum ingenti ſonitu, qui Regionem veſtram inundet, & perdat.

17. i *Propter hoc ecce Dominus adducet ſuper eos aquas fluminis fortis.*] Iam egerat de excidio Damaſci;

ſci, déque Samariæ ſpoliis diripiendis: nunc aptè ad ea quæ propoſita fuerant capite ſeptimo, nempe non permanſurum populum Iudaicum, niſi crederet, minatur eidem populo diuinæ promiſſioni incredulo calamitatem ab Aſſyriorum Rege, quem ipſe auxiliatorem, & vindicem aduocaret. Perſtat autem in eadem metaphora: nam quieto, ac tenui Siloë riuo, & vt nuper diximus, nonnunquam arcuti, magnum fluuium & incitato curſu præcipitem nempe Euphratem, id eſt, Aſſyriorum vires opponit.

18. [k] *Et aſcendet ſuper omnes riuos eius, & fluet ſuper vniuerſas ripas eius, & ibit per Iudam inundans.*] Hæc mihi facilè perſuadent ſermonem hîc eſſe de duabus tribubus, quia flumen illud fortè inundaturum dicitur Iudæam. Seruata metaphora docet propheta quomodo Aſſyrius egreſſus cum magnis copiis è ſuis finibus, infenſus futurus eſſet toti Iudææ, non aliter ac magnus fluuius excedens ripas proxima quæque rapit, atque diſperdit. Hic autem fluuius, vt dixi, Euphrates eſt, qui per mediam Babylonem influit, & pro Babylonia, atque adeò pro toto Chaldæorum imperio ponitur. Hic ergo exceſſurus dicitur ſuas ripas, & ſuperaturus riuos ſuos, quod idem eſt, & ingenti alluuione totam inundaturus Iudæam, & adducturus ad extremum vſque diſcrimen. Porrò Euphratem habuiſſe plures riuos, id eſt, alueos, in quos magnum aquarum pondus deriuaret, docet Herodotus in Clio. Cùm autem Euphrates Chaldæorum, Aſſyriorumque fines interfluat, non ſolùm videtur hîc à propheta denunciari aduentus Nabuchodonoſor Chaldæi, qui rem Iudaicam attriuit, & deleuit, ſed etiam aduentus Senacherib Aſſyrij, qui non longè pòſt, nempe ſub Ezechia Rege, magnam Iudææ partem depopulatus eſt.

19. [l] Illud *eius*, poſitum eſſe credo pro *ſuis*, quod facit ſæpe noſter interpres, quia affixum tertiæ perſonæ apud Hebræos vſum habet pronominis non ſolùm ſimplicis, ſed etiam reciproci. Eſt ergo hic ſenſus. Aſcendet Euphrates ſuper omnes riuos ſuos, & fluet ſuper omnes ripas ſuas, & inde egreſſus alluuione ſua complebit fœdabitque Iudæam.

20. Alij ripas, & riuos fontis Siloë eſſe putant, quorum ſententiæ fauet, quòd in vulgato eſt non *ſuis*, ſed *eius*; neque quicquam apparet, quid aliud referre poſſit præter Siloë. Huius autem ripæ quas ſuperaturus dicitur magnus alius fluuius, ſunt ciuitas ipſa Hieroſolymitana, & mons oliuarum, qui ex alia parte cohibet fontem Siloë. Nam fons iſte à radice montis Sion ſcatoriens, ſtatim in torrentem Cedron influit; Quare, quæ hinc inde ſunt rupes, optimè ripæ poſſunt appellari. & reuera eò allapſus eſt Aſſyriorum exercitus ſub Senacherib: quia ad ciuitatem vſque peruenit, vbi deletus eſt ab Angelo. Sed quominus hanc ſententiam probem, facit, quod Siloë magis dicitur eſſe fons, quàm fluuius; Quare illi neque riparum nomen, neque riuorum multitudo ſatis apta. Præterea, quia ſi hîc præcipuè ſermo eſt de Senacherib tantùm, vt multi putant, neque ego improbo, non priùs acceſſit ad Siloë, quàm inundauit Iudæam: imò inundata iam Iudæa victoriis iam inſolentem exercitum ad Siloë ripas, & riuos appulit. At hic ſuperatis riuis, ac ripis inundanda poſtea dicitur Iudæa. Quare prior magis placet expoſitio.

21. [m] *Vſque ad collum veniet.*] Collum hîc communiter ſumitur pro Ieruſalem; ſed non eodem omnes modo explicant. Nam quidam ab illa inun-

Prouerbiũ.

A datione vrbem excludunt, ita vt obſeſſa fuerit non capta. Quod accidit ſub Ezechia quando Senacherib vaſtatis plurimis ciuitatibus Iudææ eò vſque peruenit. Siue quando duo Reges Raſin & Phacee, vt *cap.*7. vidimus, obſederunt quidem non tamen debellarunt Ieruſalem. Sed ſine dubio hîc ſermo eſt non de duobus Regibus Syriæ atque Samariæ, ſed de Rege Aſſyriorum, nempe Senacherib. Nam de aliis Chaldæorum regibus ſatis multa poſtea. Tum quia iam de duorum Regum cæde dixerat, tum etiam quia hoc apertè ipſe indicat Propheta, dum fortem illum fluuium, qui ad

B collum vſque excreſcet, gloriam eſſe dicit Aſſyriorum. *Collum* verò dici poſſent ciuitates illæ, quæ propè abſunt ab Ieruſalem, quæ caput eſt Iudææ. Nam collum proximum eſt capiti, & cui caput ipſum impoſitum eſt. Conſtat autem ſtatim *cap.*32. *&* 4. *Reg. cap.* 18. ciuitates vniuerſas munitas captas à Senacherib.

Placet hæc expoſitio, ſed fortaſſe magis ad literam & phraſim Scripturæ ſacræ interpretabere, ſi hîc prouerbialem figuram eſſe ſtatuas qua ſignificatur res eſſe deducta in magnum diſcrimen, & nihil eſſe propius, quàm vt omnino pereat. Vt enim *caput* pro vita ponitur, quo ſenſu dicimus, *agi de capite*, & *caput obiicere diſcriminis*: ſic etiam, ſi quid ad collum quod cum capite proximè com-

C mittitur, perueniat, non longè abeſt quin caput etiam obruat, & vitam auferat. Et in allegoria præſenti de fluuio magno, ac forti aptiſſima eſt locutio. Si quem enim ita gurges demergat, vt nihil ab aquis exter præter caput, ille quamproximè abeſt à mortis periculo. Et Hiſpanè de eo quem ad mortem vſque vrgent incommoda, prouerbialiter dicitur *llegale el aqua a la voca.* Neque hîc loquendi modus ſumptus vt credo ab eadem fluminis profunditate, alienus eſt à Scriptura ſacra. Nam infrà *cap.* 30. dicitur *ſpiritus eius quaſi torrens inundans vſque ad medium colli ad perdendas gentes.* Et *Abac. cap.* 3. *denudaſti fundamentum eius vſque ad collum.* Abac. 3.
Et quidem ita accidit ſub Senacherib, qui eò ad-

D duxit anguſtiæ Regem Ezechiam, vt compilato templo, theſauróque regio, & vrbis vaſtitatem, & ciuium interitum redemerit. Vide 4. *Reg. cap* 18.

[n] *Et erit extenſio alarum eius implens latitudinem terræ tuæ ô Emanuel.*] Commune eſt vt *ala* pro *exercitu* ſumatur non apud Latinos ſolùm ſed etiam apud Hebræos. *Ierem. cap.* 48. *verſ.* 40. *Extendet alas ſuas ad Moab.* Et rurſus *cap* 49. *verſ.* 22. *Ecce quaſi Aquila aſcendet, & auolabit, & expandet alas ſuas ſuper Boſram.* Et *Ezech.* 13. *verſ.* 3. Rex Chaldæorum eodem ſenſu vocatur Aquila magnarum alarum. Senacherib ergo copioſiſſimo exercitu implebit totam latitudinem terræ illius, in qua præcipuè fuit Emanuelis Regnum, qui ortus de tribu Iuda regnauit in domo Dauid. Ex hoc verò loco ſuprà

E probauimus filium Iſaiæ nullo modo fuiſſe Emanuelem, quia ille nullo modo potuit eſſe Rex Iuda. 21.

Ala pro exercitu.

Ierem. 48.

Ierem. 49.

[o] *Congregamini populi & vincimini.*] Hinc iam non ſolùm loquitur de Senacherib, ſed etiam de duobus Regibus Syriæ atque Samariæ; quorum ille tempore Ezechiæ, hic verò ſub Achaz ſubiugare tentarunt Ieruſalem; & prophetico more imperatiuum adhibet pro futuro. Qui loquendi modus ſignificantior: & hîc præterea figuram illam continet, quæ Sarcaſmus dicitur, ſeu irriſio. Cur verò contra Ieruſalem nihil habituri ſint virium tam infenſi, atque potentes hoſtes, ea ratio 23.

eſt, quia futurus eſt cum illis, aut futurus ex illis Emanuel, id eſt, nobiſcum Deus. Propter quod exiſtimo hæc omnia ſigna dari venturi Meſſiæ, id eſt, Emanuelis, quia hæ re ipſa oſtendunt Deum. eum eo eſſe populo, à quo vno in rebus tam anguſtis ſalutem ſperare poterat.

24. p *Quia nobiſcum Deus.*] Explicatio eſt nominis Emanuel, in quo tota victoriæ ſpes & cauſa continetur.

q *Sicut in manu forti erudiuit me, ne irem in viam populi huius.*] Hæc priora nonnihil ſunt impedita. Hebr. כחזקת היד *chechezkatha haiad*, id eſt, *ſicut in forti manu.* Septuaginta verò videntur legiſſe בחזקת *bechezkatha*, id eſt, *in manu forti*; & ita vertunt quidam è recentioribus. Diuerſitatis cauſam fecit primæ litteræ ſimilitudo. Sed non B puto diuerſum eſſe ſenſum: Significat enim Iſaias ſe potenti Dei inſpiratione à communi totius populi ſenſu penè vi eſſe deductum, & quaſi forti manu coactum, ne in viam illius populi ipſe quoque concederet, id eſt, ne ſequeretur conſilium deditionis, aut certè conſilium Achaz de aduocandis Aſſyriorum viribus contra duorum Regum conſpirantes copias. Deinde adhibet verba, quibus à Deo ab ea mente reuocatus eſt; quibus etiam ipſe ab eodem conſilio reliquos abducere contendit. *Erudiuit*, idem eſt quod corripuit, & continuit me, ne ſequerer Populi viam deſperationis plenã. Ante illud *ſicut*, intelligendum eſt relatiuum, quod ſæpe apud Hebræos deſideratur. Exempla habes plurima apud Pagninum *lib. 1. inſtit. cap.* 23. hoc ſenſu. *Hæc enim ait Dominus ad me, qui ſicut manu forti erudiuit me ne irem*, &c.

25. r *Dicens ne dicatis coniuratio,*] Multus erat in perturbato Populo hic ſermo, *coniuratio, coniuratio*, id eſt, conſpirarunt contra nos duo Reges, quibus res Iudaica plurimis bellis aduerſis accisa reſiſtere non poteſt, &c. Iubet ergo Deus Iſaiæ & per Iſaiam reliquis ne à duorum Regum conſpiratione quidquam ſibi aduerſi metuant. Hæc verò ad Emanuelem pertinent, id eſt, Chriſtum, quem prædicti rerum euentus deſignabant, vt non obſcurè docet Paulus *ad Hebr.* 2. qui verba quædam eodem hic filo contexta Chriſto tribuit. Vide infrà ad illud, *Præſtolabor.*

26. s *Omnia enim quæ loquitur Populus iſte, coniuratio eſt,*] id eſt, aut nihil auditur in hoc populo D præter coniurationis nomen quod ſignum eſt animi pauidi; aut certè illa verba magis in populum coniurant, quia contra deſperantes non humanas ſolùm, ſed etiam diuinas manus armant, quia Deo non credunt, qui vnus rebus ita concuſſis ſalutem afferre poterat.

27. t *Dominum exercituum ipſum ſanctificate: ipſe pauor veſter.*] Illud *ipſum* Hebræorum more ponitur, Latinis otioſum eſſet. Monet autem Propheta, vt populus Deum vnum colat (contrà quàm impius fecit Achaz, qui à duobus Regibus liberatus non ſolùm gentium ritu idolis ſupplicauit, ſed etiam gentium ritus, & ſacrificandi modum E peregrinum in templum inuexit) & ſuum illum pauorem ad Deum conuertant, à quo vno ſperatur & promittitur ſalus. Porrò *ſanctificare* hic *colere* eſt, id eſt, ſanctum eſſe religioſo, & externo cultu demonſtrare. Qua ratione ſæpe dicitur ſanctificãdum eſſe Sabbatum, quia ea fieri præcipiuntur in Sabbato, quæ eius diei ſanctitatem, & religionem declarant. Sanctificat autem Deum, qui in ipſum ſperat, neque præter Deum aliquid ti-

Deus ſolus colendus, & timendus.

*Sanctifi*care, idem quod ſanctum declaro.

A mendum putat, qui vnus mortificat, & viuificat, deducit ad inferos, & reducit. Deinde etiam timor ſeu pauor pro religione ſumitur & cultu. Vnde *timens Deum & timoratus* in Scriptura ſacra pro religioſo, & iuſto ſæpius vſurpatur. Imò & *Deus, timor* eſſe dicitur, quia talis timoris, & religioſæ obſeruantiæ obiectum eſt. *Geneſ.* 31. *Niſi Deus patris mei Abraham, & timor Iſaac adfuiſſet*, &c. & infrà, *ibidem Iurauit ergo Iacob per timorem patris ſui Iſaac.* id eſt, per Deum quem colebat Iſaac. Et quidem multi *Deum* à voce Græca δέος deriuari putant, quæ *timorem* ſignificat. Timorem verò pro obſeruantia & religioſo cultu adhiberi pluribus oſtendimus in commentariis noſtris ſuper Acta *capite* 2. *num.* 48. Hoc autem tempore iam Achaz ſecu-B tus fuerat impietatem Regum Iſrael, & idola coluerat, vt liquet 2. *Paralip. cap.* 28. & timorem timuerat falſorum deorum. Quare dum iubet Deus ne timorem illorum timeant, id omnino iubet, ne idola venerentur. Hic porrò de Chriſto loquitur, de illo nimirum Emanuele, de quo priùs, & cuius aduentus aliquando, atque ortus è virgine tot ſignis confirmabatur: cuius virtute ab infenſa tot inimicorum manu defenſum iri dixerat Ieruſalem. Quod ſatis probant, quæ ſtatim ſuccedunt, quæ omnia de Chriſto accipit Petrus *epiſt.* 1. *cap.* 3. Vbi ſine dubio ad hæc, quæ nunc verſamus alluſit. *Timorem autem eorum* (inquit) *ne timueritis: & non conturbemini; Dominum autem Chriſtum ſanctificate.* Et *cap.* 2. ait, quibuſdam futurum eſſe lapidem of-C fenſionis, & petram ſcandali. Hoc autem ipſum de Chriſto dixit Simeon *Lucæ* 2. *Ecce hic poſitus eſt in ruinam & in reſurrectionem multorum*, quæ omnia dicta ſunt hic ab Iſaia, vtique de Emanuele.

u *Et erit vobis in ſanctificationem.*] Reddet vobis gratiam: vt enim vos illi, ſic ille vobis honorem viciſſim dabit. 28.

x *In lapidem autem offenſionis, & in petram ſcandali duabus domibus Iſrael.*] Sicut ſanctificatus Emanuel multis ſalutem afferet, & honorem, ſic idem repulſus, atque contemptus plurimis erit in ruinam. Hic puto ad ſpiritum Iſaias tranſit à litera: licet id quoque hiſtoricè contigiſſe exiſtimem, vt obſeruaui *ſuprà cap.* 1. *num.* 67. Vbi oſtendi non omnes aut captos aut extinctos ſed plerumque im-D pios. Et in exitio per Romanos quidam affirmant, de quibus nos latè in Zachariæ commentariis *cap.* 13. *num.* 36. Quæ verò ſint iſtæ duæ domus, non eſt difficile iudicatu, cùm conſtet duodecim illas familias ab vno Iſraele propagatas ac in vnum coalitas regnum, tempore tandem Roboam in duas quaſi domos & familias fuiſſe diſſectas. In his multi fuerunt pij, qui nunquam à Dei cultu ad inanem deorum vanitatem defluxerunt, multò verò plures in vtraque familia, qui antiquam atque auitam religionem prodidere. His ergo minatur Propheta offenſionem & cladem: illis ſanctificationem, & ſalutem.

y *Liga teſtimonium, ſigna legem in diſcipulis* 29.
E *meis.*] Obſeruauimus ſuprà librum illum grandem in quo iuſſus eſt propheta notare illud *feſtina prædari*, &c. eſſe latam aliquam paginam, quæ plicari ſolet, atque conuolui, quæ ideo *volumen* appellatur. Hactenus videbatur Iſaias volumen habuiſſe explicatum, & apertum, & quæ ibi paucis erant notata literis ad Populum, eadem pluribus explicuiſſe verbis: & interim de Meſſia dixiſſe non pauca: illius nempe virtute profligandos hoſtes, & ſeruandam Ieruſalem ab hoſtili metu; qui repulſus exitio

Timor religioſus cultus.

Deus dicitur timor Gen. 31.

Petri epiſt. 1. cap. 3.

Lex ſignata quid.

exitio quibuſdam; exceptus verò aliis ſaluti, & ſanctificationi futurus erat. Nunc iubet vt teſtimonium liget, id eſt, complicet volumen, ſeruétque legem, id eſt, illud quaſi edictum non ſtulto vulgo, aut imperitæ multitudini, ſed diſcipulis, qui & libenter audient & docti intelligent. Septuaginta longè aliter legunt, qui tamen non tam ad verbum reddidiſſe videntur locum iſtum, quàm commentariis illuſtraſſe. Sic enim illi Græcè, *τότε φανεροὶ ἔσονται οἱ σφραγιζόμενοι τὸν νόμον μὴ μαθεῖν*. quæ ſic reddit editio Complutenſis. *Tunc manifeſti erunt ſigillantes legem, ne diſcant.* Quæ verſio meo iudicio, & obſcura eſt, & parum ad textum, aut mentem Septuaginta; quæ ita commodiùs verti poſſe exiſtimo. *Tunc manifeſti erunt, qui ſunt illi, quibus ſignata ſunt teſtimonium, & lex: ne poſſint intelligere.* Illud ergo *σφραγιζόμενοι*, ſic explico, *qui ſignantur legem*, per Synecdochen, id eſt, qui habent legem ſignatam. Et eo etiam inclinat ea tranſlatio Latina Septuaginta, quam Sixtus probauit, ſic enim habet. *Tunc manifeſti erunt, qui ſignantur, vt non diſcant legem.* Hebraicus itaque textus, & noſter interpres de illis loquuntur, quibus aliquando teſtimonium, & lex erant aperta: Septuaginta verò de aliis, quibus obſignata erunt, & obſcura. Porrò hoc *ſignatum* & *ligatum* pro obſcuro nonnunquam ponitur, quodque intelligi non poteſt. Vnde ſæpe in Scriptura ſacra *liber*, *Prophetia*, & *myſterium*, ſignata dicuntur, & clauſa.

30. Hæc mihi maximè probantur, quia & plurimorum auctoritate firmata, &, vt euentus ipſe docuit, omnino completa. Siquis tamen, quod Adamus putauit, *ligare teſtimonium*, & *ſignare legem* ſignificare ſtatuat hæc futura ſemper eſſe præ oculis; ita vt à memoria nunquam excidant, nihil credo diceret, quod alienum eſſet ab vſu Scripturæ, & non aptè cum textu congrueret. Et facit quòd hoc idem ſæpe commendatum à Deo eſt *Deuteron.* 6. *Prouerb.* 7. Vbi præcipitur, vt lex ſit ſemper ante oculos, alligata collo, deſcripta in digitis, quæ omnia hoc dicendi modo ſignificata videntur ab Iſaia, & legis obſeruatoribus commendata. Vide, quæ latè diximus de ſignis earum rerum, quas amamus, aut de earum phylacteriis, quæ in annulis, & armillis geſtantur, ad illud *Cantic.* 7. *vmbilicus tuus.* Et infrà *cap.* 44. ad illud, *Scribet manu ſua Domino.* Et *cap.* 49. *In manibus meis deſcripſi te.*

Ribera *in cap.* 2. *ad Hebræos* illud *in diſcipulis*, inſtrumentaliter accipit in hanc ſententiam. *claudetur, & obſignabitur lex euangelica in diſcipulis*, id eſt, per diſcipulos meos qui à Iudæis illam ad gentes deferent.

31. z Pro *in diſcipulis meis*, Hebr. eſt בלמדי *belimudai*, Clarius noſter interpres eodem ſenſu vertiſſet *in diſcipulos meos*, aut in docibiles ſiue doctos, id enim etiam ſignificat & præpoſitio ב *be* & nomen לימוד *limmud*, vt in noſtro Propheta non ſemel obſeruandum eſt, quaſi dicat, illud teſtimonium ſignari ad diſcipulos, vt diſcipuli diſcant; aliis verò qui diſcipuli eſſe noluerint, occludi.

32. a a *Et expectabo Dominum, qui abſcondit faciem ſuam à domo Iacob.*] Hæc verba communiter interpretes cum Hieronymo Iſaiæ adſcribunt, qui vbi dixit illud teſtimonium obſignandum ne videant alij, aperiendum verò diſcipulis: cùm ex eo numero ſe fuiſſe cum filiis ſuis agnoſceret, ait: expectare ſe Dominum, id eſt, myſterium illud clauſum, & ligatum teſtimonium. Quod filiis Iſrael & domui Iacob ideo abſconditum fuiſſe dicitur, quia vſque adeò pauci fuerunt è Iudæis qui illud agnoſcerent, vt omnino occultum videri potuerit. De quo Ioannes *cap* 1. *In propria venit*, id eſt, in domum Iacob, *& ſui eum non receperunt.* Et hoc mihi valde videtur probabile: ſed addo neceſſariò dicendum videri, ita hîc locutum Iſaiam quaſi Chriſti ſit typus, & vox. Quod dubitare nemini iam licet, cùm ea quæ ſtatim eodem filo contexta ſunt, Chriſto Paulus attribuat *ad Hebræos* 2. qui ex hoc capite probat Meſſiam eſſe hominem.

33. b b *Et præſtolabor eum.*] Paulò aliter Septuaginta, *Et ero confidens in eum.* Hæc verba adducit Paulus ſuprà, vbi quia Chriſtus ſperat in Patre, ſicut homines alij, illum eſſe hominem oſtendit. Tum verò ſenſus eſt: Licèt Deus prophetiam ligauerit Iudæis, & faciem abſconderit à Iacob; ſpero tamen fore vt multi illorum conuertantur, quos mihi Dominus dabit tanquam filios.

34. c c *Ecce ego & pueri, quos dedit mihi Dominus in ſignum, & in portentum Iſrael.*] Hæc verba communiter interpretes cũ Hieronymo Prophetæ tribuunt; ita tamen vt in pueris Prophetas alios Iſaiæ ſocios intelligant. Quæ ſanè mihi paulò duriora viſa ſunt; quia illud loquendi genus, *pueri quos dedit mihi Dominus*, ex vſu Scripturæ ſacræ filios deſignat. Sic enim Iacob *Geneſ.* 33. *verſ.* 6. *Paruuli ſunt quos donauit mihi Dominus.* Et *cap.* 48. *verſ.* 9. Ioſeph ad Patrem, *filij mei ſunt, quos donauit mihi Deus.* Quare hæc de filiis Iſaiæ potiùs accipio, vt etiam putat Foreirus; & S. Thomas ait idem alios exiſtimaſſe; quorum ipſe videtur probare ſententiam. Sed, vt dixi typicè. Hæc Paulus ſuprà Chriſto tribuit, qui ſignificare videtur cur confidat ex domo Iacob, id eſt, ex indurato Populo, futuros eſſe aliquos, qui non pereant. Quia & ipſe pro eorum ſalute laborauit: neque ceſſabunt pueri, illi nempe, qui priùs vocati ſunt diſcipuli, quique futuri ſunt in ſignum, & portentum Iſraelis. Nam ſignis, & virtutibus Apoſtolorum vt ex eorum conſtat Actibus, plurimi ex Iudæorum gente ad fidem acceſſerunt.

35. Quòd hæc verba ad Chriſtum ſpectent, nemini pio dubium eſſe poteſt; neque enim fas eſt contrà ſentire, quàm ſenſit Paulus Sed neque exiſtimo hoc communi incommodare ſententiæ, quæ eadem adſcribit Iſaiæ ita vt hiſtoricè de ſe loquatur, duobúſque filiis *Sehariaſub*, ſeu *qui relictus eſt ſaſub*, & *feſtina prædari*; myſticè tamen, aut typicè de Chriſto. Iſaias enim typus Chriſti fuit, vt nomen ipſum indicat, quod idem valet atque *ſalus a Deo*, ſiue *ſaluator Deus.* Filij verò ideo Apoſtolorum videntur vmbram præ ſe ferre, quia ipſi quoque ſuo nomine prophetabant. Nam ſicut Deus duobus Iſaiæ filiis nomen impoſuit, ſic Chriſtus diſcipulis ſuis. Nam qui priùs Simon, poſtea à Chriſto Cephas, aut Petrus appellatus fuit: Iacobus autem & Ioannes fratres ab eodem appellati ſunt Boanerges. In quibus eadem ferme ſignificatio eſt, quæ in filiorum Iſaiæ nominibus: nam filij tonitrui, quod ſonat Boanerges, ſeueritatem, vim ac firmitatẽ importat. Quare quæcumque de ſe propheta, ac filiis ſuis hiſtoricè de ſuo tempore, illa eadem de Chriſto, ac tempore euangelico typicè dicuntur. Optimè ergo hæc de Chriſto dicta eſſe ſcribit Paulus; quia hæc typicè Iſaias, imò per Iſaiam Chriſtus de Chriſto loquebatur, & tempore euangelij Quorum euentus in libertate Ieruſalem ab hoſtium obſidione, Regúmque clade, & tandem eiuſdem populi ſtrage, ſtatum Eccleſiæ,

Iſaias Chriſti vmbra, & eius filij Apoſtolorũ.

ſiæ, & antiquæ legis abrogationem adumbrabant.

36. *Filij Iſaiæ quomodo portenta.*

Adde quòd portenta, & ſigna, in quæ dati dicuntur eſſe pueri, non tam Apoſtolis, & diſcipulis conuenire poſſunt, quàm Iſaiæ filiis. Illi enim, licèt ſignorum patratores fuerint, non tamẽ propriè ſigna fuerunt, ſiue portenta: hi verò in ſe, ſuiſque nominibus futurarum rerum ſigna, atque portenta præferebant, loquebantúrque oraculorum inſtar, & quoties eorum perſonabant nomina in Iudæorum auribus, futura prænuntiabant. Signa verò iſta quaſi Hieroglyphica, quibus aut nominibus aut factis futurum aliquid portenditur, Scripturæ ſacræ vſu *portentum* appellatur. *Ezech. cap.* 12. dum vaſa ſumit tranſmigrationis, & egredietur veſperi velata facie captam ciuitatem, & ciuium fugam, atque exilium oſtendit. Quo facto portentũ dicitur Ezechiel. Sic enim Dominus ad prophetam poſtquam hæc imperata ſunt: *Quia portentum dedi te domui Iſrael.* quod idem accidit Iſaiæ *c.* 20. cùm nudus, & diſcalceatus inceſſit. de quo ibi Dominus, *Seruus meus Iſaias nudus & diſcalceatus trium annorum ſignum, & portentum erit ſuper Ægyptum.* Quod etiam de duobus Oſeæ filiis dici potuit; qui ſuis nominibus futuros populi Iſraelitici euentus prædicebant, & quaſi conſignabant. iuxta hæc loci huius ſatis obſcuri hanc puto eſſe ſententiam.

Portentum in factis, & nominibus.

37. *Quid Iſaias, & filij portendant.*

Licèt teſtimonium hoc ligari & obuolui iubeatur domui Iacob, ſpectabo tamen à Domino meliora. Nam ego & duo pueri mei, qui dati ſunt in ſignum, & portentum Iſraeli, id ſperare iubent. neque enim quicquam eſt in me ac duobus filiis, in quibus non aliquid affulgeat ſpei. Si enim in nomine aliquod eſt teſtimonium, vt profectò eſt, quia nomina iſta diuino ſunt impoſita conſilio, nomen meum ſalutem oſtendit oblatam à Deo. nomen prioris filij *Sehar Iaſub*, ſiue *qui relictus eſt Iaſub*, conuertendas eſſe dicit populi reliquias. Neque huius nominis immemor fuit, qui ad confirmandos Iudæorum animos illum mecum adeſſe voluit. nomen verò poſterioris filij recens nunc poſt Achaz incredulitatem impoſitum, nempe *Feſtina prædari*, &c. quo ſignificatur breui liberandam eſſe Iudæam à duobus Regibus, etiam alicuius beneficij non vulgaris portentum eſt.

38. Adde explicationem aliam, quam alicui moleſtam viſum iri non puto, quando rei obſcuritas id non ſolùm fieri patitur, ſed etiam aliquando cogit. Sicut Iſaias typus Chriſti fuit, ſic Iſaiæ filij diſcipulorum Chriſti typus fuerunt, quia quemadmodum filij Iſaiæ alio quodam modo nempe in ſuis nominibus prophetauerunt, quod illorum pater fecit verbis, ſic Chriſti diſcipuli, quod antea magiſter Chriſtus, prædicauere populis. Iubet ergo Deus vt in diſcipulis, id eſt, in filiis diſcipulorum vmbra, & typo, teſtimonium liget Iſaias, id eſt, obſcurè proponat in nominibus illorum impoſitis à Deo, nempe in *Sehar Iaſub*, & *Feſtina prædari*. Et id facit Iſaias dum dicit: *Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Dominus in ſignũ.* Quia in eorum nominibus quaſi in tabulis ſcripta lex erat, & teſtimonium de rerum futurarum euentibus, & ideo opportunè ſequitur.

39. [dd] *Et cùm dixerint ad vos, Quærite à Pythonibus*, &c. vſque ad *teſtimonium.*] Hæc tempora ſub Achaz plena erant, vt diximus, ſuperſtitionis, & impietatis. Quando & idolis Achaz altaria conſtruxit, & Gentilium ritus in Dei templum inuexit. Quia ergo futurum erat, vt in rerum anguſtiis homines impij idola conſulerent, & à pythonibus oracula

A peterent, expreſſa eſſe voluit, & quaſi viua, in viuis certè Iſaiæ filiis, conſignata oracula rerum futurarum. Quare cùm eò venerint inſaniæ, vt de Pythonibus conſulendis cogitauerint, iubet vt mittantur ad legem, & teſtimonium, quæ ſuprà dixerat ligata eſſe, atque ſignata in diſcipulis, id eſt, in nominibus duorum filiorum Iſaiæ. Neque enim quicquam eſt, quod ad illorum temporum hiſtoriam pertineat, ſiue de libertatis ſpe, ſiue de duorum Regum, Regnorúmque exitio, quod non contineatur, licèt obſcurè, in illorum puerorum prophetico nomine. Porrò quid *Pytho* ſit, iam explicuimus in Actibus Apoſtolicis, *cap.* 16. *num.* 10. Stridere verò dicuntur,

Quis ſpiritus Pythonicus.

B quia quaſi pleni Deo, qui ſpiritu agitantur Pythonico, & quaſi totum Deum ſuſtinere, aut excutere non valeant, quaſi impotes tanti numinis, aut potiùs ſui ipſorum, ſpumas agunt in ore, & quid obſcurum, & barbarum ſubmurmurant. Quod expreſſit in Sibylla Cumæa, Virgil. 6. *lib. Æneid.* Aut certè ſtrident Pythones, quia nihil reſpondent certum, quorum omnia ambigua ſunt, & obliqua, quæque in contrarias ſententias trahi poſſunt. Quod ideo callidè faciunt dæmone, ne ab hominibus mendacij poſſint, ſeu ignorationis argui. Vide Theodoretum tractatu de oraculis, vbi plurima affert exempla, quæ planè docent ſtridore quodam oppreſſa, & dubia potiùs, quàm expreſſa, & certa fuiſſe Pythonum reſponſa. De his infrà *c.* 45. ad illud *In loco terræ tenebroſo.* Porrò à mortuis dicuntur

Idolorum oracula ambigua.

C reſponſa petere, qui Pythones conſulunt: quia ab his Manes euocantur, aut mortuorum vmbræ à quibus iuxta magicæ artis diſciplinam ſcrutantur futura. vide 1. *Reg. cap.* 28. vbi à Pythone ſuſcitatus dicitur Samuel.

Septuaginta pro Pythonibus vertunt ἐγγαστριμύθους, id eſt, *ventriloquos*, quaſi à ventre verba promant obſcura, & informia. Quomodo verò dæmon ventum ſubeat, & impleat Pythonem, malo ab Ariſtophanis Scholiaſte in Pluto diſcat curioſus lector, quàm à me.

Hæc fortaſſe vera; ſed illa ſententia mihi probatur magis, quæ illud; *ſi non dixerint*, non tam refert ad Pythones, & diuinos, quàm ad Iudæos, &

D domum Iacob in hunc ſenſum: Qui non reſponderint illis, qui conſulendos eſſe dicunt Pythones, & diuinos, iuxta verbum hoc à me præſcriptum, nempe petendum eſſe oraculum à Deo viuo; non verò pro viuis conſulendos eſſe mortuos, non orietur illis lux clara, & matutina, per quam fœlicitas intelligitur; ſed viuent potiùs in tenebris, vel quia cæcis ſemper errabunt veſtigiis abducti poſt errorem, vel quia nihil illis continget non aduerſum: & hoc potius.

[ee] *Quòd ſi non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis matutina lux.*] Quia dæmones ex adiunctis nonnunquam futuros euentus rectè coniectant, fit vt cùm decipere ſæpiſſimè ſoleant, aliquando tamen caſu non decipiant. Huius verò deceptio- 40.

E nis, atque mendacij in hoc argumento, de quo tunc erat Iudæorum deliberatio, hoc ſignum certum Deus eſſe vult: ſi aliter illa veteratoria oracula reſponderint, quàm ipſe nunc per Iſaiam, & per duo filiorum eius nomina. Aliud falſorum oraculorum ſignum dedit non admodum diuerſum *Deu.* 18. *Hoc habebis ſignum, quod in nomine Domini propheta ille prædixerit, & non euenerit, hoc Dominus non eſt locutus.*

Hîc *matutinam lucem* eſſe puto veritatem, quæ à Deo eſt, quæque lux matutina meritò vocari poteſt.

poteſt. Nam illa clara eſt, & tenebras quæ priùs mundum obſederant, primùm expellit: quæque homines errore labi non permittit. quod ſanè moltò præſtat excellentiùs veritatis lux à Deo per prophetas hominibus propoſita.

41. [f] *Et tranſibit per eam.*] Scilicet matutina lux *tranſibit*, id eſt, *non permanebit diu.* Ita Hieronymus, Haymo, & S. Thom. qui putant matutinam, id eſt, veram lucem de Chriſto, & Euangelicam doctrinam breui à Iudæis ad Gentes fore tranſituram. Portò illud *eam* credo Iudæam eſſe, de qua paulò antè, quæ vocata eſt Domus Iacob: neque enim apparet quid aliud referri poſſet. Illam ergo terram

A

occupauit caligo, vt clariùs liquet ex principio capitis ſequentis: vbi cùm ſermo iam ſit de Meſſia, ſcribitur: *Populus qui habitabat in tenebris, vidit lucem magnam.* Quid autem paſſus fuerit populus dum tenebras magis quàm lucem amauit; id eſt conſiliis potiùs obſequutus eſt alienis, quàm iis, quæ ab Iſaia proponebantur; explicat ſtatim ſatis ſignificanter, cùm dicit *corruet, eſuriet, maledicet.* Quæ omnia paſſus eſt ſub Nabuchodonoſor obſidionis tempore. Reliqua obſcura non ſunt, in quibus elegans deſcriptio eſt eorum, qui animo ſunt angoris, & deſperationis pleno: neque non illorum, quæ obſeſſi pati ab hoſte potentiori aſſolent.

Argumentum noni capitis Iſaiæ.

PRÆDIXERAT *antè propheta vaſtandam eſſe ab Aſſyrio exercitu Syriam, atque Samariam, id eſt, decem tribus Iſrael; nunc docet vaſtitatem illam imminere primùm duabus tribubus Zabulon, & Nephthalim, & Galilæo tractui, qui eſt trans mare Tiberiadis, & proximè reſpicit Gentilium fines. Sed conſolatur Gentem illam, quia ſicut prima omnium ab Aſſyriis malè vexata fuit, ſic Meſſiæ tempore omnium prima Euangelica luſtrabitur luce. Ex qua quid conſecutura ſit boni, quàm ſerio gaudio exultatura, eleganter explicat. Deinde redit ad Syriæ cladem, atque Samariæ, & eius varias cauſas adducit, quibus certum aliquod ſupplicium adſcribit: quarum cuilibet quaſi ſolenni, atque legitima forma addit illud in ſcriptura ſæpius repetitum;* Non eſt auerſus furor eius, ſed adhuc manus eius extenta.

CAPVT IX.

1 [a] PRIMO *tempore alleuiata eſt terra Zabulon, & terra Nephthalim,* [b] *& nouiſſimo aggrauata eſt* [c] *via maris* [d] *trans Iordanẽ Galilææ Gentium.*

2 *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta eſt eis.*

3 [e] *Multiplicaſti gentem, non magnificaſti* [f] *lætitiam.*

4 [g] *Lætabuntur coram te, ſicut qui lætantur in meſſe, ſicut exultant victores capta præda, quando diuidunt ſpolia.*

5 [h] *Iugum*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 AVDISTIS quomodo ab Aſſyriis vexanda ſint, Regio quæ Damaſco, & ea quæ Samariæ ſubiecta eſt. Nunc quo quæque prouincia ordine vaſtanda ſit, accipite. Primo tempore excipiet Aſſyriorum impetum, & primam ab eis cladem terra, quæ eſt in duabus tribubus Zabulon, & Nephthalim; quia per illas ab Aſſyria in Palæſtinam patet ingreſſus. Sed quæ primo tempore ab Aſſyriis plagam accipiet, eadem regio poſtea ab Emanuele ante alias tribus Euangelica illuſtrabitur luce, & beneficiis ornabitur ingentibus. Ea præſertim Galilææ pars, quam à Hieroſolymis diuidit mare Tiberiadis, quæ Gentibus proxima, à quibus nomen accipit.

2 Populo, quem diu craſſæ circumfuderant tenebræ, dies orietur lætus, & candidus; & quem vmbra quædam mortis obſederat, is è cælo hauriet optatam lucem.

3 Sed reſpondit tot beneficiis malè ingratus ille Galilææ tractus, quem cùm tam impensè, ô Deus, ornauiſſes, & magnificaſſes, exiguum tamen fructum inde retuliſti, qui animum exhilararet tuum.

4 Lætabuntur, ô Deus, coram te qui è Zabulon, & Nephthalim luce illuſtrabũtur Euangelica: non ſecus atque hi, qui fructum ex meſſe copioſum referunt; aut qui ſtratis hoſtium copiis opima diuidunt ſpolia.

5 Neque

5 Neque immeritò tam geſtier effusè Galilæus ille tractus, cum ea facilitate, atque ſilentio, quo à Gedeone conciſæ ſunt vires Madian, ex eius ceruice iugum excuſſeris, virgámque confregeris, & ſceptrum, quod humeris impoſuit Diabolus, qui quotidie quaſi durus exactor imponebat, & exigebat iniquiſſima, atque grauiſſima tributa.

6 Tunc prædam, quam ex humano genere Diabolus retulit per fraudem, & vim cum clamore, atque tumultu triumphali, & veſtimentum, quod miſerorum ſanguine infectum eſt, quod ærumnoſam fortunam, & ſtatum lugubrem deſignat, quaſi quoddam Dæmonis trophæum, Dominus ſic abolebit, vt illa inſtar ignis, in cinerem redegiſſe videatur; ne vllum maneat antiquæ ſeruitutis pignus, atque veſtigium.

7 Hoc autem beneficium tribuendum eſt Emanueli, qui in noſtram ſalutem, & libertatem natus, & ad ipſum à Patre nobis datus eſt. Qui non alienis humeris, vt tyranni ſolent; ſed ſuis ipſius imponet regni pondus. Cui nomen erit admirabilis, conſiliarius, Deus, fortis, futuri ſæculi magiſter, & pater, autor, & conciliator pacis.

8 Imperium eius latè propagabitur, neque vnquam pacis, quam inducet, conciliabítque, finis erit. Sedebit in Regio Dauidis ſolio, illúdque confirmabit, ac iuſtè, atque legitimè moderabitur. Quod non certo aliquo temporis ſpatio definiet; ſed in omnem æternitatem vſque conſtituet. Hoc autem totum Emanuelis amori, & noſtræ ſalutis ſtudio tribuendum eſt.

9 Hactenus de Meſſiæ regno, eiúſque in populum ſuum liberalitate, & officiis. Nunc ad interruptum ſermonem, de Iſraelis, & Syriæ clade reuertor. Et primùm affirmo, quæ dicta ſunt contra Iſrael, & quaſi ab arcu vibrata, in eius exitium eſſe ventura, non aliter atque ſcopum percutir peritus ſagittarius, ad quem telum ex arcu deſtinarat.

10 Experientur hoc verbum Ephraimitæ, qui Samariam incolunt; qui vt ſunt animo inſolenti & vano, cùm aliquid ſimile ab aliis proponitur, cum ſibilo excipiunt, ſéque contra omnem hominum, & fortunæ impetum ſatis paratos eſſe putant. Et ſi quid ex ſua ſiue gloria, ſiue imperio ceciderit, poſſe non ſolùm inſtaurari, ſed etiam longè fieri meliora. Sic enim minacibus prophetarum verbis occinunt. Si ceciderint domus è latere crudo, vilique, & fragili ſycomoro conſtructæ, pro illis aliæ è quadrato lapide, cedrináque materia excitabuntur: quare ex ipſa ruina maius fortunæ noſtræ præſidium accedet.

11 Excitabit Dominus Aſſyrios, qui contra Raſin Damaſci Regem arma ceperunt, in illam Iſraelis partem, quæ Regi Samariæ paret. Quibus contra Iſraelem communem hoſtem iam priùs ſubiugari operam nauabunt bellicam ab Orien

5 [h] *Iugum enim oneris eius,* [i] *& virgam humeri eius, & ſceptrum exactoris eius ſuperaſti,* [k] *ſicut in die Madian.*

6 [l] *Quia omnis violenta prædatio cum tumultu, & veſtimentum mixtum ſanguine, erit in combuſtionem, & cibus ignis.*

7 [m] *Paruulus enim natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis;* [n] *& factus eſt principatus ſuper humerum eius:* [o] *& vocabitur nomen eius admirabilis, conſiliarius, Deus, fortis,* [p] *pater futuri ſæculi, princeps pacis.*

8 [q] *Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis. Super ſolium Dauid, & ſuper regnum eius ſedebit: vt confirmet illud, & corroboret in iudicio, & iuſtitia, amodo & vſque in ſempiternū.* [r] *Zelus Domini exercituum faciet hoc.*

9 [ſ] *Verbum miſit Dominus in Iacob, & cecidit in Iſrael.*

10 [t] *Et ſciet omnis populus Ephraim, & habitantes Samariam in ſuperbia, & magnitudine cordis, dicentes:* [v] *Lateres ceciderunt, ſed quadris lapidibus ædificabimus: ſycomoros ſucciderunt, ſed cedros immutabimus.*

11 [x] *Et eleuabit Dominus hoſtes Raſin ſuper eum, & inimicos eius in tumultum vertet; Syriam ab Oriente, & Philiſtiim ab Occidente,* [y] *& deuorabunt Iſrael toto ore.*

12 [z] *In*

Orientali plaga Syri, ab Occidentali Philiſtini: Qui omnes in Iſraelitas coniurati, auidiſſimè adorientur,& crudeliſſimè conficient.

12 [x] *In omnibus his non eſt auerſus furor eius,ſed adhuc manus eius extenta, & populus non eſt reuerſus ad percutientem ſe, & Dominum exercituum non exquiſierunt.*

12 Neque tamen hæc ſtrages, quantacumque eſt, diuino ſatisfecit furori. Plura meditatur Deus in Iſraelis caput: adhuc ad nouam plagam manus intenta. Populus autem his attritus incommodis,non eſt reuerſus ad Deum,à quo percuſſus eſt; neque ab eo auxilium implorauit, aut medicinam quæſiuit, quæ vna ſanare ingentem illam plagam potuiſſet.

13 [a a] *Et diſperdet Dominus ab Iſrael caput, & caudam* [b b] *incuruantem, & deprauantem die vna. Longæuus,& honorabilis,ipſe eſt caput: & propheta docens mendacium, ipſe eſt cauda. Et erunt qui beatificant populum iſtum ſeducentes, & qui beatificantur præcipitati.*

13 Extenta adhuc eſt diuina manus, omnia vt ſternat, ac diſſipet, ſumma, atque infima, tam eos, qui ætate ſunt prouecta, & conſilio, atque auctoritate graues; qui præcipuo ſunt loco, & in honore habiti, quíque iure vocari poſſent populi caput: quàm illos, qui ſe prophetas ſimulant mendaci nomine, & qui falſa ſecuritate lactant incautos, cæleſtiúmque minarum terrorem infringunt;quos ſuo magno merito caudam appelles. Quia callidè ſe in hominum beneuolentiam inſinuant, dum diuina oracula ad noxios ſenſus emolliunt, atque peruertunt:quemadmodum ſerpens caudam inſinuans multiplici ſe flexu incuruat,atque conuoluit.

14 [c c] *Propter hoc ſuper adoleſcentulis eius non lætabitur Dominus: & pupillorum eius,& viduarum non miſerebitur. Quia omnis hypocrita eſt, & nequam: & vniuerſum os locutum eſt ſtultitiam. In omnibus his non eſt auerſus furor eius, ſed adhuc manus eius extenta.*

14 Propter hoc Deus, qui tanquam pater illius populi, iuuenes hilares, & lautos cum voluptate aſpiciebat, & viduarum ſolitudini, ac pupillorum orbitati ſolatium erat, atque perfugium: iam quaſi populum alienum deputet, ait, neque adoleſcentes ſplendidos, & elegantes, futuros ſibi eſſe voluptati; neque dolori miſerorum, atque lugentium ſolitudinem, & calumniam. Quia nihil in populo videt ſyncerum; nihil quod non mendaci ſimulatione rectum ſit: nullum os, quod non ſit doli, atque ſtultitiæ plenum. Neque tamen his acquieſcet diuinus furor; ſed durius aliquid, & grandius anhelat.

15 [d d] *Succenſa eſt enim quaſi ignis impietas,vepres,& ſpinam vorabit, & ſuccendetur in denſitate ſaltus,& conuoluetur in ſuperbia fumi.*

15 Supplicium enim, quod Deus meditatur, quaſi ignis ſuccenſus latè graſſabitur in Iſraëliticos fines. Primùm infirma quæque inuadet, ac perdet,puta ſpinam,& vepres; & aridam ſtipulam. Deinde verò concepto maiori impetu ad ſaltum etiam ingredietur, & altas quoque, atque proceras arbores ſternet, & comburet; omnia interim obuoluente fumo, & ad cælum vſque ſurſum vndante.

16 *In ira Domini exercituum conturbata eſt terra, & erit populus quaſi eſca ignis.* [e e] *Vir fratri ſuo non parcet.*

16 Furor hic Domini vniuerſam concutiet, atque turbabit terram; populus autem miſer erit tanquam arida ſtupa, aut ignis eſca, quæ vt facilè concipit flammam; ita etiam à flamma facilè ſoluitur in fauillam. Eò denique redigetur ſæuiente Domino ærumnoſa gens illa, vt neque frater à fraterno ſanguine manus contineat inimicas.

17 *Et declinabit ad dexteram, & eſuriet,& comedet ad ſiniſtram, & non ſaturabitur.*

17 Vrgente fame in omnem ſe partem, atque conſilium vertet: neque tamen inueniet,

quo famem depellat; & ſi quod inuenerit famis leuamentum, illud erit vſque adeò vel tenue vel euanidum, vt adhuc nihilominus eſuriat. Vnuſquiſque fratrem ſuum ad prædam, atque ad cædem hoſtiliter expetet, neque naturæ, ſanguiníſque communio à ſcelerato conſilio reuocabit. Manaſſes vorabit Ephraim, & Ephraim idem molietur in Manaſſem. Et vterque ſimul iniqua coniuratione contra Iudam hoſtiles afferent manus.

18 Cùm ad hæc à diuino furore, nulla fieri poſſe videatur calamitatis acceſſio; aliquid tamen habet Deus, quod adhuc in miſerorum caput contorqueat; neque manus eſt à cædendo contracta.

Vnuſquiſque carnem brachij ſui vorabit: Manaſſes Ephraim, & Ephraim Manaſſem, ſimul ipſi contra Iudam.

18 *In omnibus his non eſt auerſus furor eius, ſed adhuc manus eius extenta.*

IN CAPVT NONVM

COMMENTARIVS.

1. Duæ tribus Zabulon, & Nephthalim primùm Euangelicá lucem acceperunt.

PRIMO *tempore alleuiata eſt terra Zabulon.*] Septuaginta longè aliter vertunt. *Hoc primum bibe, velociter fac, Regio Zabulon.* Quid ſibi velint, dum ita transferunt, obſcurum eſt. Fortaſſe non tam ecphraſticè quàm paraphraſticè locum expoſuere. Quia hæc regio primùm illuſtrata eſt Chriſti miraculis. Nam ibi in nuptiis Chanaa Galilææ, quæ pertinet ad tribum Zabulon, aqua in vinum conuerſa eſt. Quod miraculum imperatiuo *bibe* deſignari videtur. Vt ſit ſenſus, ô Regio Zabulon, primùm bibes, & velociter facies. Nam imperatiuum pro futuro ſumi nimis eſt notum. Ita penè Hieronymus. Aut certè loquitur propheta cum eo, qui grauiter ſitire inducitur, expetereque id quod vehementem illam, & diuturnam ſitim explere poſſit. Sitiebat autem Populus ille Meſſiam Saluatorem, orabátque, vt inſtar imbris in terram è cœlo flueret infrà *c.45. Rorate cœli deſuper,* &c. vt arida, ſterilíſque terra germinaret. Hoc primum conceſſum eſt Zabulon, & Nephthalim: quia ibi Euangelicæ doctrinæ imber primùm influxit. Quare accommodatè ad ſitim, & primam Euangelij pluuiam inquit propheta. *Hoc primum bibe,* &c. id eſt, tu primus libabis Euangelij hauſtus.

2. Cyrillus hæc ad Apoſtolos refert, qui ex ea regione ſumpti, velocitérque diuinæ vocationi obſequuti ſunt. Id ergo prædici putat ab Iſaia, qui ſuo more imperatiuum adhibuit pro futuro: hoc ſenſu. *O Zabulon tu prima per Apoſtolos bibes e cœleſti pluuia doctrinam Euangelicam; neque inobſequendo cunctabere.*

Sed tu vide an magis conſentaneè ad textum ſic exponi poſſit. O Zabulon bibe velociter, nempe calicem iræ Dei, quia, illa regio, vt pote vicinior Damaſco, & Syriæ, primum excepit vulnus ab Aſſyriis. Quomodo eodem ſenſu dixit Deus *Ieremiæ cap. 25. Sume calicem vini furoris huius de manu mea: & propinabis de illo cunctis gentibus, ad quas ego mittam te, & bibent, & turbabuntur.*

3. Sed vt ad vulgatam veniamus, quidã putant hic A ſignificari duos aduentus Aſſyriorum in terram Iſrael: quorum altero à Teglatphalaſar euerſæ ſunt, & ſuis motæ ſedibus regiones iſtæ, de quibus hîc Iſaias. Et hæc alleuatio, dici poteſt, quia leuis plaga fuit, ſi cum ſecunda conferas. Altera quidquid erat reliquum in Iſraël, à Salmanaſar euerſum eſt, extinctúmque prorſus Iſraëlis imperium. Quare rectè dici potuit nouiſſimè aggrauatam eſſe viam maris trans Iordanem, quia, quæ ante Iordanis tranſitum erant, tribus, nempe Rubeo, & Gad, & dimidia tribus Manaſſe, ab Aſſyriis priùs expugnatæ ſunt: deinde multò maiori plaga, quod reliquum erat ab ea clade deletum fuit; Et ita putat S. Thom. Hugo, Adamus, & communiter Hebræorum magiſtri. Sed vt hæc vera ſint, vt profectò ſunt, alium tamen ſenſum longè diuerſum indicat B Matthæus *cap.4.* qui impletam eſſe dicit hanc prophetiam, quo tempore Chriſtus poſt tentationem in has partes ſeceſſit, eáſque primùm illuſtrauit ſuæ doctrinæ luce, quare hunc locum ſic accipio.

Sicut Bethleem ignobilem antè ciuitatem, & exiguam ortu ſuo Deus illuſtriſſimam reddidit, iuxta illud Micheæ *cap. 5. Et tu Bethleem terra Iuda,* &c. & ſicut templum à Zorobabele conſtructum, quod longè ſumptu ac mole ignobilius erat Salomonio, Deus tamen ingreſſu ſuo multò fecit illuſtrius, *Aggæi cap. 2.* ſic Regiones iſtæ quondam ignobiles, minùs certè nobiles quàm aliæ, à Domino alio quodammodo illuſtrabuntur. Ignobiles verò dicuntur (ſic enim interpretor illud. *Alleuiata,* Hebr. קלל *kalal,* quod valet *leue eſſe* aut *vile*) tum, quia longè à Ieruſalem aberat in ora videlicet maritima. Tum quia regio illa à Rege Tyri, cui 3. *Reg.* 11. viginti oppida dedit Salomon in terra Galilææ, appellata fuit Chabul, quod aliquid ignobile prouerbiali, vt reor, ſpecie ſignificat. Sed præcipuè alleuiatam eſſe puto, quia hæc C regio primùm euerſa eſt ab Aſſyriorum Rege Theglatphalaſar, vt habes 4. *Reg. cap. 15. verſ. 29.* Et hoc cenſeo voluiſſe primùm ſignificare Iſaiam, vt oſtenderet quomodo implendum eſſet quod antè

4. Zabulon & Nephthalim quondã ignobiles.

antè prædixerat, breui duo illa regna Syriæ atque Samariæ fore deleoda. Deinde quia de Emanuele iam agere cœperat, in cuius memoriam, & geſta toto ferebatur animo, hoc primum Regionis huius infortunium admoouit prophetam, vt de eiuſdem poſtea prima gloria, atque illuſtratione ageret. Quod ſæpe Prophetæ faciunt, qui, vbi emicat aliqua noui teſtamenti lux, ex vmbra veteris ſtatim in illam oooo ardore concepto proſilionr: vt docuimus in illud *Zacha.13. Quid ſunt plagæ iſtæ?*

5. Cur terra Zabulō glorioſa.

b *Et nouiſſimo aggrauata eſt via maris trans Iordanem Galilææ gentium.*] Quid ſit tempus nouiſſimum docuimus *in caput 2. Actuum.* Hîc ſine dubio eſt tempus Euangelij, vt docet apertè Matthæus *cap. 4.* vbi totum hoc Iſaiæ teſtimonium adducit. Verbum autem *aggrauari*, opponitur verbo *alleuiari*, vt autem קלל *kalal*, leue aliquid, & vile importat, ſic כבד *chauad*, eius contrarium graue, atque glorioſum. Glorioſam autem, aut primo loco habitam illam regionem ab Emanuele conſtat, quia ibi conceptus eſt in Nazareth, quæ pertinebat ad terram Zabulon, & quia maximam vitæ partem ibi commoratus in Capharnaum, quia eò ſtatim poſt tentationem rediit, & inde diſcipulos euocauit; qui ideo *Pſal. 67.* dicũtur *principes Zabulon, & Nephthalim.* Quod omnino ſignificauit Matthæus ſuprà. *Habitauit*, inquit, *in Capharnaum maritima in finibus Zabulon, & Nephthalim, vt adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam prophetam, Terra Zabulon,* &c.

Mare autem Hieronymus oon putat eſſe mediterraneum, ſed mare Tiberiadis: quia huic vicinæ ſunt duæ illæ tribus, illi verò non adcò. Præſertim cùm aliæ ſint loogè magis vicinæ mediterraneo, quæ maiori iure *via maris* appellari poſſent. Et hoc mibi videtor omnioo eſſe dicendum. Maximè quia Nephtbalim, vtcumque ſit de Zabulon, non poteſt appellari maris mediterranei, ſeu magni via, cùm longè ab eo abſit. Neque credo Zabulon, quia licèt terminus eius ad illud porrigatur mare, eſt tamen pars illa maritima exigua, cùm pars alia, quæ mare Tiberiadis verſus aſcendit, magna ſit. ab hac autem parte ſumendum videtur potiùs nomen quàm ab illa.

6. c *Via maris.*] Lyra partem illam duarum tribuum viam maris mediterranei vocat, quia illac ad mediterraneum mare iter ſit, fortè ad Tyrum, ſeu Sidonem exportandarum mercium cauſa: quia ibi celeberrimum erat Gentium emporium. Ego aliter exiſtimo exponendum eſſe locum, & viam maris ſumi pro hora maritima maris Tiberiadis, in qua plurimi morabantur piſcatores, ex quorum numero vocati ſuot Apoſtoli. Quæ primùm Regio illuſtrata eſt euangelica luce, & miraculorum gloria nobilitata. Vt enim Ieſus in terra Zabulon & Nephthalim aſſiduus fuerit, non tameo in omnibos earum regionum partibus æqualiter. Obibat autem ſæpius, morabatúrque diutiùs in illis oppidis, quæ propiùs attingebant Tiberiadis lacum: vt ſuot Betſaida, Corozaio, Capharnaum, &c. Ponitur aotem *via maris* per Synecdochem pro tribubus Zabulon, & Nephthalim: quia earum magna pars in maritimam regionem incurrit. Hæc verò pars *Galilæa Gentium* ſeu *Galilæa ſuperior* appellatur, quæ attingit Tyriorum & Sidoniorum fines. Dicitur verò *Gentium*, quia Gentibus proxima, & quia bona ex parte à Gentibus habitabatur. Vt enim conſtat 3. *Regum 9.* Salomoo viginti oppida in ea prouincia tradidit Hiram. Vnde non eſt improbabile, Prouinciam illam, Galilæam Gentium appellari cœptam.

Via maris.] Quia bic locus difficilis eſt, licebit illum aliter, atque aliter tentare, ſi quomodo attento, atqoe curioſo lectori ſatisfieri poſſit. Quare aliam ego cogitationem adducam, de qua lector vbi illá expenderit, ſtatuet, vt volet. *Via maris* fortaſſe hoc loco ſumitur non pro ſpatio viatorum trito veſtigiis, quod ad mare deducit, aut quod mari proximum eſt, ſed pro inſtituto, modóque viuendi. Nam *via*, vt cooſtat, rationem denotat, & vitæ genus, quo ſenſu dicimus *viam adoleſcentis*, id eſt, ſtudium, & Chriſtiaoorum vita, ſiue doctrina, aut inſtitutom *via* vocatur. *Actor. cap. 9.* de Paolo, *Vt ſi quos inueniſſet huius viæ viros*, &c. Illud verò *maris* locum denotat, aut naturam operis, quod ibi exercebatur: Sicut Hiſpani dicunt *hombre de mar*, pro nauita, ſeu piſcatore. *hombre de el campo*, pro agricola, paſtore, aut ruſtico. Sic etiam opus, ſeu occupatio maris, aot ruris, pro ruſtico, aut piſcatorio muoere ſine dobio ponitur. *Via* itaque *maris* hoc loco ſumitur pro inſtituto piſcatorio, quod duæ illæ tribus Zabulon, & Nephthalim plurimum obibant, cùm in ſuis fioibus haberent mare Tiberiadis piſcoſum, & nobile. Imò ex eo munere quæſtuoſo, & frequenti exiſtimo Zabolonitas, & Nephthalimitas *piſcatores* appellari ſolitos. Quomodo nationes aliæ ab eo, quod in ipſis familiarius, atque præcipuum eſt, nomen accipiunt. Sic Phœnices, & Rhodij nautæ, Tyrij mercatores, Phryges polymitarij, Chananæi negotiatores, Cantabri latomi. Ex bis videtur hic ſenſus non alienus, neque à veritate, neque à natura regioois. Primo tempore, neque paulò poſt hoc vaticinium vexabatur Zabulon, & Nephthalim ab Aſſyriis. Deiode nouiſſimo, id eſt, Euangelij tempore, eædem tribus, id eſt, genus illud hominum, quibos familiaris eſt via maris, id eſt munus piſcatorium, glorioſæ erunt.

d *Trans Iordanem.*] Cur pars illa trans Iordanem dicatur, non eſt admodum explicatu facile, cùm cooſtet partem illam maritimam non vltra Iordanem, ſed cis Iordanem eſſe. Hebr. עֵבֶר *eber*, plura ſignificat, *aduerſum, è regione, trans*, & quod ad latus, ſeu proximum eſt. Vtraque Galilæa erat ad Iordanem: Altera ſuperior, quæ vergit ad ſeptentrionem, & Tyrios attingit: Altera inferior, quæ Hieroſolymis propior eſt. In Galilæa ſuperiori ſunt ciuitates illæ, quas Chriſtus ſæpius & greſſu, & doctrina luſtrauit, nempe Bethſaida, Capharnaum, &c. Dicitur verò ſuperior, quia propior eſt fontibus, ſeu capiti Iordanis; nã vt ſuperiora ſunt, quæ propiora ſunt capiti, ſic etiam ſuperior Galilæa dici potuit, quia ad caput, id eſt, ſupremam fluminis partem ſpectat. Certè Hiſpani, vt de aliis nationibus ſileam, ſuperiorem Regionem vocant, quæ fluminum principio, & capiti vicinior eſt; inferiorem verò, quæ longiùs à capite receſſit. Sic enim dicunt *yr a baſo*, quando ſecundùm curſum fluminum iter faciunt: quia tunc à fluminis origine deſcendunt. *yr a riba*, quando contra fluminis impetum ingrediontur; quia tunc aſcendunt, propioréſque fiunt naſcenti flumini. Exemplum eſt huic valde affine in Germania; quæ ſuperior vocatur, & inferior, prout à Rheni fontibus propiùs, aut longiùs abeſt. 7. Galilæa duplex.

Vocatur autem *trans Iordanem*, quia licèt citra ſit, eſt tamen trans, id eſt, vltra partem illam nobiliſſimam Iordanis, quam mare Tiberiadis vocamus; 8.

camus: quod medium eſt inter Ieruſalem, & Gali-
læam Gentium, ſiue ſuperiorem. Nam Regiones
omnes, vt Hieronymus docet ad illud *Zachar. cap.*
2. *De terra Aquilonis*. pro vt ſitu, atque ordine Hie-
roſolymam reſpiciunt, ſic etiam variam aſſumunt
compellationem. Quare Ægyptus, & mare medi-
terraneum ad Auſtrum pertinere dicuntur; & Ba-
bylonij atque Aſſyrij ad Aquilonem, quia Ægy-
ptus ab Auſtro, & Babylon ab Aquilone Hieroſo-
lymam ſpectant. Sic etiam *Regio trans Iordanem*
vocatur, quæ medium habet mare Tiberiadis,
comparatione vrbis Solymitanæ. Alij credunt
trans Iordanem vocari comparatione Aſſyriorum,
qui traiecto Iordane Regionem illam populati
ſunt. Ita S. Thom. alij aliarum regionum reſpe-
ctu. Sed hæc nimis incerta ſunt, neque videtur cur
hæc potiùs Regio *trans Iordanem* vocari, quàm
aliæ debeant.

9. Maldonatus *in cap. 4. Matth.* aliam rationem
adducit: putat enim *trans Iordanem* dici, quia ſæpe
à filiis Iſrael, ita vocabatur, antequam tranſmiſſo
Iordane in terram promiſſionis ingrederentur. Et
ideo cùm ab ingreſſis iam Regio illa *cis Iordana*
potiùs, quàm *trans Iordana* appellare debuiſſet, re-
tinuiſſe tamen antiquum, & ſæpe antea repertum
nomen. Quemadmodum nunc Gallia trans Alpina
vocatur ab Hiſpanis & Gallis, quæ eorum reſpectu
cis Alpina vocari poterat, quia à Romanis illud
nomen olim illi Galliarum regioni datum eſt. Sed
ſanè hoc quominus probem, facit, quia quo tem-
pore hæc ab Iſaia dicta ſunt, multa iam ſæcula præ-
terierant, à tranſitu Iordanis, neque vlla erat ratio
cur illa prouincia magis, quàm alij omnes *trans
Iordanem* appellarentur, cum tota promiſſionis
terra trans Iordanem eſſet. Et aliæ etiam Regio-
nes eo à Moyſe vocantur nomine: vt Regio Amor-
rhæorum prope mare mortuum. *Deut. 3*. Et eodem
capite bis Terra tota promiſſionis, dicitur eſſe
trans Iordanem. Quare placet magis quod diceba-
mus, trans Iordanem reſpectu Hieroſolymæ voca-
ri partem illam, quæ eſt poſt mare Tiberiadis.

10. [e] *Multiplicaſti gentē, non magnificaſti lætitiam.*] Qui-
dam hæc referũt ad Senacherib, qui cùm innumeris
copiis Palæſtinam inuaſiſſet, ſperarétque fore, vt læ-
tus & oneratus ſpoliis in patriam rediret, ſicut pau-
lò ante Pater eius Salmanaſar, cæſo tamen exerci-
tu miſerrima clade inglorius, ac triſtis reuerſus eſt.
Ita S. Thomas, Hugo, Adamus, & Lyra *in lib. dif-
ferentiarum*.

Hieronymus, Haymo, & Gloſſa hæc longè ali-
ter interpretantur: aiunt enim multiplicatam eſſe
gentem; quia è gentilibus multi complexi ſunt
Euangelij doctrinam; non tamen magnificatam
eſſe lætitiam; quia ex Iudæis plurimi euangeli-
cam lucem adeò non receperunt, vt illam omni
ſtudio extinguere, ac perdere conati fuerint. Quam
Iudæorum intemperiem, obſtinatámque perfidiam
ægerrimè tulit Chriſtus, qui dixit ſe miſſum non
eſſe, niſi ad oues, quæ perierunt de Iſrael. Quem-
admodum Paulus *Rom. 10.* cùm ex agro gentilico
copioſam retuliſſet meſſem, tamen mœrorem ſibi
eſſe dicebat pro fratribus ſuis, quos aiebat eſſe
Iſraelitas.

11. Ego hanc Hieronymi ſententiam ita probo,
complectórque, vt tamen aliam etiam indicare au-
deam. atque ideo obſeruo pro *multiplicaſti* Hebr.
eſſe הרבית *harbitha*, quod etiam *magnificare*, & *au-
gere* ſignificat, non ſolùm numero, ſed etiam di-
gnitate atque honore; vt bene hic Forerius. Quo

A ſenſu dicitur *Pſal. 4. A fructu frumenti, vini, & olei* Pſal. 4.
ſui multiplicati ſunt, id eſt, ditati, ornati, magnificati.
Cùm videret ergo propheta magnificatam eſſe
gentem illam, & ornatam Euangelij prædicatione,
& quotidianis penè miraculis, neque tamen obor-
ta tanta luce ex illis tenebris emerſiſſe plurimos,
at in illis gentibus & primam, & plurimam ope-
ram eſſe poſitam, exiguum tamen inde relatum
eſſe fructum. Quod dolebat & lamentabatur Chri-
ſtus, cùm de hac eadem Galilæa gentium dixit *Mat.*
11. *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethſaida; quia ſi in Ty-
ro, & Sidone* (locis nempe vicinis) *factæ eſſent vir-
tutes*, &c. Et ſtatim, *Et tu Capharnaum nunquid
vſque in cœlum exaltaberis*, id eſt, magnificaberis
& ornaberis diuinis beneficiis.

B [f] *Lætitia* hîc pro *fructu* ſumitur, quia hic exhila-
rare ſolet laborantem: niſi malis *lætitiam* accipere
pro *pietate*, ſeu *Euangelio*; nam Euangelij numen
lætitiam importat. Quod loquendi genus in Scri-
ptura ſacra frequens eſt. 1. Petri cap. 1. *Exultaſtis
lætitia inenarrabili, & glorificata.* 2. *Cor.* 1. *Adiutores
ſumus gaudij veſtri.* Hoc ſenſu illi magnificati ſunt
miraculorum magnitudine, atque frequentia; ſed
non multi ſuſceperunt Euangelium.

[g] *Lætabuntur coram te, ſicut qui lætantur in meſſe.*] 12.
Alibi iam à nobis oſtenſum eſt, in Scriptura ſacra Meſſis læ-
ſæpe id factum dici, licèt factum non ſit, quod vt titiæ tem-
fieret conſentaneum erat, & ipſa rerum, atque cau- pus, ſicut &
ſarum natura poſtulabat. Qua de re nos pluribus vindemia.
ad illud *cap. 7. Apprehendent ſeptem mulieres virum
C *vnum*. Erit ergo ſenſus, his beneficiis cumulati,
qui ex tribu fuerint Zabulon, & Nephthalim, lætati
poterunt, ac debebunt, non ſecus atque hi, qui fru-
ctum ex meſſe copioſum referunt, aut qui ſtratis
hoſtium copiis opima diuidunt ſpolia. Porrò *Meſ-
ſis*, ſymbolum eſt gaudij. qua peracta mirè exultant
meſſores, vt probat apud Hiſpanos illa, quæ vulgo
dicitur *Maſiega*. & indicat illud *Pſ. 64. Valles abun-* Pſal. 64.
dabunt frumento: clamabunt; etenim hymnum dicent.
Quod etiam apud prophanos vſitatum eſſe, &
quaſi ſolenne, docet Oppianus *lib. 1. Cyneget.* vbi ſic
exultare dicit venatores, cùm prædam cœpere, ſicut
lætantur agricolæ, cùm plauſtrum onuſtum frugi-
bus in horreum adducunt. Iuxta ſententiam S.
Thomæ, Hugonis, & Adami, qui hæc de Ieruſoly-
D ma, hoſtéque Aſſyrio, aut Syro interpretantur, ſen-
ſus huius loci erit, ſublatis hoſtibus Iſraeliticis, &
Syriis ſub Achaz; vel ſub Ezechia fugato Senache-
rib, eiúſque exercitu extincto, atque direpto exul-
tandum eſſe Iudæis, non ſecus atque meſſores
exultant peracta meſſe, aut victores dum diripien-
dis hoſtium caſtris intenti ſunt. Quod de meſſe
nunc, idem de vindemia dicendum: vt docuimus
ad illud *cap. 24. Luxit vindemia*, & indicat apertè
Iſaias *cap. 16.* dum dicit de Moab, *Auferetur lætitia,
& exultatio de Carmelo*, &c. *Vocem calcantium ab-
ſtuli.* Idem clariùs Ieremias *cap. 48. verſ. 33.*

[h] *Iugum enim oneris eius*] Hæc etiã de Senacherib 13.
accipiunt S. Thom. & Hugo, cuius iugum confra-
E ctum eſt, & excuſſum à Iudæorum ceruice: Sed
nos, vt cœpimus, ad tempus Euangelij accommo-
dabimus, quod faciunt alij communiter. Reddit
ergo rationem propheta, cur populus ille, ſi ſaperet,
exultare debuerit, quando iugum oneris, id eſt,
oneroſum, quod à Diabolo iam antè impoſitum
ſuſtinebat, confractum eſt. Circa illud *eius*, quod
hîc ſine antecedente poſitum eſt, obſerua antece-
dens omitti ſolere apud Hebræos, quando notum
eſt, aut quando prætermiſſum maiorem vim addit
ora

Digitized by Google

orationi; ciuſque loco adhiberi relatiuom, quod hic fecit propheta, & nos multis docuimus adid *Cantic.* 1. *Oſculo oris ſui.* Pronomen autem ſeu relatiuum *eius* pertinere arbitror ad Galilæam gentium, non ad Diabolum, ſeu vt alij volunt ad Senacherib. Quaſi dicat propheta, ô Emanoel, iugum ex humero eius gentis ſuperaſti; quam multiplicaſti, neque tamen ex ea magnificaſti lætitiam.

14. i *Et virgam humeri eius, & ſceptrum exactoris eius.*] Hic quoque *eius* ad gentem ſpectat, quæ humeris ſuis virgam portabat, quam ſtatim appellat ſceptrum exactoris, id eſt, dæmonis, qui quotidie quaſi durus exactor & imponebat, & exigebat iniquiſſima, atque grauiſſima tributa. Quod ex eo mihi perſuadeo, quia Rex Emanuel de quo ſtatim, longè ſecus atque tyrannos iſte ſuis ipſius non alienis humeris impoſiturus dicitur imperij ſui virgam. *Et factus eſt principatus ſuper humeros eius,* &c.

15. k *Sicut in die Madian.*] Hæc item S. Thom. & Hugo de Senacherib iotelligunt, cuius exercitus ea facilitate ab Angelo deletus fuit, qua caſtra Madian *Iudic. cap.* 7. Sed alij communiter & verè, hæc de Chriſti victoria ioterpretantur. Notum eſt *diem* metonymicè ſumi pro his, quæ io die fiunt, id eſt, pro rebus geſtis. Vnde ſæpe in Scriptura ſacra *verba dierum*, id eſt, geſtorum appellantur. *Pſal.* 136. *in die Ieruſalem*, id eſt, in obſidione aut clade. *Oſea* 9. *ſicut in die Gabaa. Dies* ergo hic ponitur pro ſucceſſu Madian, quando ab exiguo exercitu fractis fictilibus lagenis innumerabiles hoſtium copiæ deletæ ſunt. Vide *Iudic. cap.* 7. & 8. Comparatio verò Gedeonis, qui tunc victori exercitui præerat, & Emanuelis, in eo præſertim ſpectatur, quia ſicut exiguo nomero, & ſine militari ſtrepitu emicante è fictilibus vaſculis luce miraculosè tot hoſtium millia ceciderunt, ſic ab Emanuele humili, & in luteo vaſe humanitatis noſtræ, ſternendæ ſunt infernales acies, & ſpolia ab illis antè ſublata diripienda. Eſt autem lagena fictilis, quæ intus ſplendorem cohibet ardentis lucernæ, optimum Emanuelis ſymbolum; qui cùm tectam diuinitatem abſconderet in carne mortali, vbi ea per paſſionem colliſa, atque confracta eſt, diuinitas emicuit in reſurrectione, atque etiam ipſa morte obſcurato ſole, concuſſu terræ, & petrarum crepitu fractæ ſunt vires Madian, id eſt, Dæmonis, qui diu, durè que populum Dei tyrannide premebat.

Dies pro his quæ in die fiunt.

Victoria Gedeonis ſymbolum victoriæ Chriſti.

16. l *Quia omnis violenta prædatio cum tumultu, & veſtimentum mixtum ſanguine erit in combuſtionem.*] Septuaginta longè aliter reddiderunt. *Quia omnem ſtolam congregatam fraude, & veſtimentum commutationis reſtituent, & cupient ipſi igni eſſe combuſti.* Cuius ſenſus iuxta Cyrillum, & Euſebium *de Demonſtratione lib.* 7. *cap.* 4. eſt contra Iudæos. Nam vt ait Cyrillus, Iudæorum principes per vim, & tumultum veſtem congregarãt, quam libenter cum quæſtu, & cõmutatione, ſeu retaliatione reſtituent. Imò verò vellent igni comburi vltro, cùm viderint natũ eſſe paruulũ. Euſebius item de Iudæis, ſed veſtimẽta eſſe putat Chriſti, quæ mixta sãguine cũ tumultu milites diuiſerunt. Ait ergo Euſebius illa veſtimenta futura eſſe facem illius incẽdij, quo poſtea Iudæi conflagrarunt. Sed id, quod ſequitur de *paruulo*, cuius ortus cõbuſtionis cauſa futura eſſe dicitur, non ſatis cohæret cum hac explicatione. Cõmodiùs meo iudicio, & explicationi indicatæ à Matthæo magis conſentaneum eſſet, ſi iſta è Dæmonis poteſtate eripienda dicantur; quia paruulus naſcetur, qui illa auferat, atque in fauillas redigat: quod magnæ potentiæ, atque virtutis argumentum eſt. Id verò ita ægrè ferent dæmones, vt minùs horreant gehennale incendium, quàm ſibi prædam illam extorqueri, & ita putat Hieronymus.

17. Sed redeamus ad vulgati interpretationem. hæc de Aſſyriorum caſtris ſub Senacherib accipiunt S. Thom. & Hugo; qui cùm veſtimentum Iudæorum ſanguine priùs imbuiſſent, cœleſti igne poſtea conſumpti ſunt. Sed, vt conſequenter ad noſtram ſententiam hæc expediamus, reddidit Propheta rationem, cur Chriſti victoriam cum Gedeonis comparet tropæo. Et quidem, vt omittam alia, quæ valde obſcura ſunt, exiſtimo in eo maximè expectari ſimilitudinem, quia ſine tumultu, & ſanguine Gedeon caritiſſimam illam victoriam de Madian conſequutus eſt *Iudic.* 7. non tam ferro quàm igne. Produxit enim de fractis lagenis micantes flammas, & tubarum clangore turbati Madianitæ agente Domino in mutuam cædem compulſi ſunt. Dicit ergo propheta in his bellis, quæ ab oppreſſorum cullis iugum excutient, non futura illa quæ plerumque accidere ſolent iis, qui in bello ſuperiores ſunt: nempe vt vim adhibeant, & armorum ſtrepitum, & tumultum armatorum, atque clamorem, nec vt cæſorum ſanguine chlamydes inficiant, aut intingant pedes, quod de ſe Deus in hoſtium victoria facturum ſe eſſe prædicat infrà *cap.* 63. *Calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea, & aſperſus eſt ſanguis eorum ſuper veſtimenta mea, & omnia indumenta mea inquinaui.* Sed illa omnia peraget ignis, quem nimirum Deus attulit in terram, quando natus eſt nobis. Quam explicationem indicat Hieronymus dum ait *abſque exercitu, atque effuſione ſanguinis rem hanc ab Emanuele peractum iri*; Et facit ad hoc, quod Iſaias infrà *cap.* 42. de Emanuele dicit: *Non clamabit, neque accipiet perſonam, nec audietur vox eius foris,* &c. *non erit triſtis neque turbulentus.*

Victoria Chriſti ſine tumultu.

18. Hæc mihi explicatio non inepta videtur, neque aliena à textu. Sed eſt ſine dubio alia magis obuia, quæ putat prædam è Dæmonis extorquendam eſſe manibus, quæ placet Hieronymo. Rapuerat enim Diabolus à decepto mundo prædam per vim, & fraudem: habebat apud ſe miſerorum hominum veſtimenta ipſorum notata, atque inſcripta ſanguine, quo ſeipſos victos, & Dæmonum ſeruituti addictos fatebantur. has ergo exuuias, & hæc ſeruitutis pignora eripuit Deus, atque ita aboleuit, vt inſtar ignis redegerit in cineres. Cæterùm notum eſt illud, quod omnino periit, combuſtum appellari. Aut certè dici poteſt, ex quo paruulus natus eſt nobis Emanuel, iam ampliùs futuram non eſſe prædationem, aut cædem ſiue pugnam; quia tanta benignitas, aut manſuetudo omnem contentionis, aut violentiæ facultatem hominibus interdixit: quamobrem *Princeps* appellatur *pacis*.

Chriſti exemplum quid poſſit.

19. m *Paruulus enim natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis.*] Eadem ſententia duobus modis explicatur, quod fieri ſolet in Scriptura ſacra, quando aliquid ibi grande eſt, quod attentiùs conſiderari debeat. His verò verbis tantæ fœlicitatis autor Meſſias eſſe prædicitur.

20. n *Factus eſt principatus ſuper humerum eius.*] Tyranni, de quibus ſuprà, ſubditorum humeris ſceptrum imponebant, id eſt, onus imperij: quod non poterat eſſe non grauiſſimum. Sed nouus Rex Emanuel recèns natus, ſuis ſuſtinebit humeris, non alienis imponet Regni pondus. Neque enim

Regnum Chriſti, ſicut etiam neque Regnum Dauid, cuius ſedem obtinuit *Lucæ cap.* 1. ad voluptatem, & delicias fuit, aut inertia otium, ſed ad curam, laborem, & onus. Regnum hoc aliqui Crucem eſſe cenſent, iuxta illud *Pſal.* 95. *Dicite in gentibus quia Dominus regnauit à ligno.* Sic enim multi è Patribus legunt, vt etiam Eccleſia canit in quodam Hymno de cruce: *Regnauit à ligno Deus.* Iſaias infrà *cap.* 22. hoc idem gubernandi genus moleſtum & graue alia explicuit metaphora. *Dabo*, inquit, *clauem domus Dauid ſuper humerum eius*, id eſt, poteſtatem, nam clauis accommodatum poteſtatis ſymbolum eſt. Qui enim clauem habet, liberè poteſt ingredi, aut egredi. Satis verò compertum eſt his vocibus *ingredi*, aut *egredi*, liberam ſignificari facultatem à qua prohibetur nemo. Quare dum Petro traduntur claues Regni cœlorum, ſine dubio poteſtas illi datur Regiæ proxima, aut certè Regiæ non diſſimilis. Illa verò clauis, quæ ſuper humerum eſt, ita claudit vt nemo aperiat; ita aperit vt nemo claudat, id eſt, nemo prohibere poteſt illum ſiue vetet, ſiue annuat. Nemo etenim claudet, quod ille aperuerit, & quod ipſe clauſerit, nullus aperiet.

Clauis regni ſymbolum.

21. ° *Et vocabitur nomen eius admirabilis, conſiliarius.*] Notat hîc Hieronymus, non eſſe binas coniungendas voces, vt nonnulli volunt, ita vt tantùm hîc ponantur tria Emanuelis nomina, hoc modo, admirabilis conſiliarius, Deus fortis, &c. Sed ſeparatim ſingula atque diſtincta, hac ratione, admirabilis, conſiliarius, &c. Ita vt hoc loco ſex Emanuelis tituli illius virtuti, atque operibus debiti declarentur.

Cur Emanuel dicatur *Conſiliarius*, non eſt coniectatu difficile: quia ab eo omne rectum conſilium dimanat, & quia legem tulit Euangelicam, quæ fraudes detexit, quas Diabolus veterator, & callidus inuexerat. Diuina autem lex ſæpe in Scriptura ſacra vocatur *conſilia*. *Pſal.* 118. *Conſilium meum iuſtificationes tuæ.* Illud verò difficilius, quod vbi vulgatus habet *admirabilis, conſiliarius*, Septuaginta tranſtulere *magni conſilij Angelus*, qua tranſlatione vtitur Eccleſia in tertia Miſſa natiuitatis Domini. Eſt qui putet vocem פלא *pele*, quæ eſt in textu Hebraico, pro qua noſter reddidit *Admirabilis*, proprium eſſe nomen Angeli illius, qui Samſonis parentibus apparuit *Iudic.* 13. qui de nomine ſuo rogatus reſpondit. *Quod quæris nomen meum, quod eſt mirabile* Hebr. פלא *pele*, quæ vox, cùm hoc etiam loco reperiatur, ſignificare exiſtimatur Angelum. An verò Pele nomen ſit proprium Angeli, *Iud. cap.* 13. non diſputo; puto tamen non eſſe, quod optimè probat Serarius *ibid.* *q.* 17. ſed apud Iſaiam nullo modo proprium nomen eſt Angeli, ſed commune, quod *admirabile* valet. Quod indicant tranſlationes omnes antiquæ, præter Septuaginta ſeniores, quæ cum vulgato *admirabilem* vertunt, Aquila, Symmachus, Theodotio. Imò eſt valde veriſimile eodem etiam modo reddidiſſe LXX. Nam antiqui Patres, qui illorum tranſlationem ſecuti ſunt, aut qui de illa loquuntur, hic legunt *admirabilem*. Irenæus *lib.* 4. *cap.* 66. Ignatius *epiſt. ad Antioch.* Euſebius *de demonſt. lib.* 7. *cap.* 3. qui poſt *Angelum* addunt *θαυμαστόν*, & ita habent plurimi codices Græci. Quare non videntur Septuaginta pro פלא *pele*, reddidiſſe *Angelum*, ſed *admirabilem*, quæ vox ex eorũ tranſlatione videtur excidiſſe cum aliis dictionibus. Nam locus iſte, vt notauit Hieronymus, in textu Græco maximè variat, quod ſignum eſt locum eſſe vitiatum, & mancum. Certè Baſilius, Cyrillus, & Procopius multa hîc omittunt, quæ apud alios reperiuntur. Quod ſi ita eſt, non eſt alia ſententia in Septuaginta, quàm in vulgati tranſlatione. Nam Angelus conſilij magni, nihil eſt aliud quàm nuncius conſilij magni, id eſt, magnus conſiliarius, qui diuina conſilia, atque mandata, ad homines pertulit: quique à Deo doctrinam accepit, & verba, quibus homines ad nouam, & cœleſtem vitam inſtitueret.

ᵖ *Pater futuri ſeculi.*] *Pater* non ſolùm dicitur, qui genuit, ſed etiam qui inſtituit, aut moderatur alium, qua ratione 1. *Reg.* 24. *verſ.* 12. Saulem, Dauid ſuum appellat patrem, & à ſuis Naaman Pater etiam vocatur, & *Geneſ.* 4. Iubal Pater dicitur canentium in cithara, id eſt inſtitutor & magiſter; & Iabel Pater habitantium in tentoriis, atque paſtorum. Sic ergo *Chriſtus* quia futurum ſæculum, id eſt, nouæ vitæ, atque Euangelicæ ſectatores inſtituit ad ſanctitatem, *futuri ſeculi* dicitur *Pater*. 22.

Pater qui inſtituit, aut moderatur.

ᑫ *Multiplicabitur eius imperium.*] De imperio Chriſti vide *Pſal.* 71. *Dominabitur à mari vſque ad mare.* & *Pſal.* 2. *Dabo tibi gentes hereditatem tuam.* Hîc valde obſeruandum quod ab omnibus non ſine cauſa valde notatum eſt, *mem* finale ſiue clauſum ם in hoc loco tantùm in medio dictionis reperiri. Vbi enim vulgatus habet *multiplicabitur*, Hebr. eſt לםרבה *leſarbeh*. An id errore factum fuerit olim, deinde per manus conſeruatum à poſteris, vt nonnulli putant, ſiue ita ſcriptum ab Iſaia, vt ſignificaret illa litera ab omni parte clauſa nihil non contineri in Chriſti imperio, incertum eſt. Hoc verò poſterius mihi videtur omnino eſſe dicendum. Neque enim puto veriſimile, niſi ibi lateret aliquid arcanum, tandiu duraturum tam rarum, támque notatum ab omnibus ſcribendi modum. De quo vide Sixtum Senenſem, & Petrum Galatinum *lib.* 7. *cap.* 14. Apud quem Hebræorum Magiſtri de litera hac clauſa aliquid ſuo more nugantur. Hic nonnulli putant occultè deſignari tempus, in quo ex Virgine naſciturus eſt Meſſias, & B. Virg. integritatem fore perpetuam. Integritatem ex literæ forma coniectant, quæ clauſa eſt, cùm eſſe deberet iuxta Grammaticæ leges aperta. De integritate nihil hîc dico; Cur verò hæc litera tempus aduentus Meſſiæ portendat ſic coniectant. Quia *mem* clauſa in Hebræorum notis valet *ſexcen centum*, totidem autem anni interceſſere ab hac prophetia ad Virginis partum, ita Rab. Hammay *in libro ſanhedrim*, & Fiuus contra Hebræos *lib.* 2. *c.* 7. Galatinus, & Martinus Raimundus, qui diligenti computatione tot annos deprehendit. Sed ſanè alij Chronologi aliter numerant annos, & plures inueniunt. Euſebius ſeptingentos, & quinquaginta, quem ſequuntur Genebrardus, & Hadrichomius & plures alij.

Mem cur clauſum in medio.

ʳ *Zelus Domini exercituum faciet hoc.*] Quid ſit *zelus*, diximus *Cant.* 8. ad illud, *Dura ſicut infernus æmulatio.* Amor ergo Emanuelis, & dolor propter dilecti grauia, & quotidiana incommoda ex eo amore conceptus, qui etiam compaſſio dici poteſt, *faciat hoc*, nempe vt extorqueat prædam acceptam cum tumultu, comburátque veſtimenta ſanguine fœdata, & ſumat ſceptrum ſuper humeros ſuos. Aut certè quod idem eſt, aut non valde diuerſum, vt aſſumat tot nomina, id eſt, munera, de quibus nuper: quibus populi ſaluti conſulat, eúmque ab omni vi hoſtili, atque inſidiis tueatur. 23.

ˢ *Verbum miſit Dominus in Iacob, & cecidit in Iſrael.*] 24.

Reditur ad Syriam, & Samariam.

Iſrael.]Hinc Hieronymus orditur librum quartum, neque ſine cauſa, cùm hinc fiat magna prophetiæ mutatio. Ab illis verbis,quæ ſunt in huius capitis principio, *in nouiſſimo aggrauata eſt*, cœpit, vt diximus,Iſaias agère de Meſſia, Qui primùm illuſtrauit, & docuit partem illam maritimam, quam etiam primùm Aſſyriorum exercitus populatus eſt. Et dulciſſima hæc atque diuina interpoſuit verba de Emanuele; quæ iam explicuimus. Hinc iam prophetiæ filum refert ad interruptam cladem Syriæ, atque Samariæ, de quibus priùs agere inſtituerat; & dicit verbum illud omnino eſſe complendum: id enim valet illud, *& cecidit in Iſrael.* Eſt autem hic ſermo præcipuè de Samaria. Quaſi dicat. Hæc Deus præmiſit in Iacob, & compleuit in Iſraël, id eſt, in eodem Iacob, contra quem intentarat vaticinij minas. Sumitur hic loquendi modus figuratè à ſagittariis, qui ſi eius artis periti fuerint, illum configũt ſcopum,in quem deſtinatnt talum. Sic Deus minas quaſi ſagittas intendit in Iacob, & comprehenderunt Iſraël, illum ſcilicet in quem intentæ fuerant.Septuaginta pro *verbum miſit*, legunt *peſtem miſit.* Varietatis ratio illa eſt, quia vox eadem דבר *dabar* aliter, atque aliter notata, & *verbum* ſignificat, & *peſtem*. *Verbum* quidem, ſi cum gemino carnets ita notes דבר *dabar*, *peſtem* autem ſi cum gemino ſegol דבר *deber*. Sed in re non eſt magna diſſimilitudo; nam verbum illud, quod Dominus miſit in Iacob, exitium, & peſtem minabatur.

25. [t] *Et ſciet populus omnis Ephraim, & habitatores Samariæ in ſuperbia, & magnitudine cordis dicentes.*] Experientur hoc verbum,& has minas Ephraimitæ,qui, vt ſunt animo inſolenti, & vano, cùm aliquid ſimile ab aliis obtenditur, cum ſibilo excipiunt verba minacia, ſeque contra omnia aduerſa ſatis paratos eſſe putant. Eſt autem mihi certum, hoc idem ante hæc tempora ſæpe Ephraimitas audiiſſe,& verbis, quæ ſtatim commemorantur, has propheticas minas exibilaſſe. Nam multò ante hæc tempora, id eſt, duobus annis ante terræ motum, hæc eadem ab Amos à capite maximè tertio denunciata ſunt. Portò hinc ad finem vſque capitis,imò vt probabile mihi eſt, ad clauſulam primam capitis decimi,cauſas aperit infortunij tanti, diuerſa nempe ſcelera,quibus fœdè ſe populus ille contaminarat. Deinde ſua ſingulis accommodat ſupplicia; tandem adhibet familiarem clauſulam, & quaſi conceptam formulam, *non eſt auerſus furor*,&c. Nunc de ſuperbia agit; ſecundò de hypocriſi, & de prophetarum fraude: tertiò de mutuo, atque domeſtico odio: quartò de iniuria prædationéque viduarum,& pupillorum,in quibus continentur hi, quibus fortuna eſt tenuis atque contempta.

26. Prouerbiũ. [u] *Lateres ceciderunt, ſed quadris lapidibus ædificabimus,ſycomoros ſucciderunt*, &c.] Hæc videntur dici prouerbiali figura ab eo, qui tam ſibi in ſua, vel induſtria, vel potentia placet, vt leuia incommoda non admodum curet: imò ſi grauia ſint, præ ſua facultate ac viribus leuiſſima reputet. Quæ confidentia, in hoc ſaltem rerum veſtigio, aliquid etiam habet obſtinationis admixtum. Dicunt ergo iſti homines cõfidentiſſimi,ac perditiſſimi. Si lateritium opus è latere fortaſſe crudo conſtructum, aut hoſtilis catapulta,aut aquarum inundatio,aut alia quæcumque hominum, temporúmve iniuria diſcutiat, pro latere crudo ſectis, quadratiſque lapidibus diruta inſtaurabimus. Si ſycomori ſuccidantur,quarum in ſolo Palæſtino magna vis eſt, arbores neque admodum ad ſpeciem, neque ad fructum idoneæ, earum loco ſuccedent cedri ad aſpectum pulchræ, ad odorem gratæ, ad diuturnitatem firmæ; denique ex ipſa ruina,ac leui detrimento maius fortunæ noſtræ præſidium accedet. Sed fortaſſe hîc agit de ſycomoris non in horto virentibus, ſed de domibus earum materia exædificatis hoc ſenſu. Si ceciderint domus è latere crudo, vilique, & fragili ſycomoro conſtructæ, pro illis aliæ è quadrato lapide, cedrináque materia excitabuntur, in quas neque vis, neque tempus quicquam habeant iuris.

[x] *Et eleuabit Dominus hoſtes Raſin.*] Id eſt, qui Raſin & eius Regnum expugnabit Rex Aſſyriorum, idem victrices copias in vos quoque conuertet: & eodem victoriæ curſu veſtram quoque Regionem populabitur. Id verò quod ſubdit,cum Rege Aſſyriorum venturos quoque Syros & Palæſtinos, facilè intelligitur fieri potuiſſe, cùm tamen ea de re nihil habeamus in Regum hiſtoria, vbi de hac conſpiratione actum oportuit: quia ibi paucis de earum ciuitatum interitu actum eſt. Neque quæ minima ſunt, & quodammodo aliena, qualia hæc videri poterant, à ſacris hiſtoricis ſemper commemorari ſolent. Sed eſt hoc valde credibile, etiamſi hîc prophetica non intercederet fides,quæ nos nullo modo dubitare permittet.Cùm enim iam olim Syrij ac Palæſtini in Iſraëlitas eſſent peſſimè animati, facile credim eſt, eoſdem iam à Rege Aſſyriorum ſubiugatos, eidem contra Iſraëlitas libenter bellicam operam fuiſſe nauaturos. 27.

[y] *Deuorabunt Iſrael toto ore.*] Id eſt, auidiſſimè adorientur, & crudeliſſimè conficient: illi nempe, quorum ipſi fœdere, & copiis animati iam ſpe atque animo futuram de Iudæa victoriam deuorarant. Cur hoſtes deuorari dicantur, vide quæ diximus *in cap. 15. Act.* cùm ageremus de ſuffocato, & ſanguine. Cæterum hic loquendi modus magnum aliquid indicat. Vnde *toto ore*, aut *ore pleno aliquem laudare* dicimus,cùm in eius laudibus amplificandis nihil aut artis, aut ingenij noſtri reliquum facimus. 28.

[z] *In omnibus his non eſt auerſus furor eius, ſed adhuc manus eius extenta.*] De Rege Aſſyriorum loqui videtur Iſaias, qui non ſatis habuit extremos illos fines terræ promiſſionis ſecum abegiſſe, ſed animum quoque adiecit ad id,quod erat reliquum ex decem tribubus Iſraël. Vel potiùs ſermo eſt de Deo,qui manum ſuam,id eſt, Regem Aſſyriorum, in cuius manu Dei erat indignatio,& virga, extentam habet, vt populi reliquias perſequatur, cùm magna parte ſui multatus eſſet Iſraël, acciſis tribubus vltra Iordanem cum Zabulon,& Nephthalim; non tamen ad grauem illam plagam reſipuit, atque condoluit.Quare non eſt reuerſus ad Deum, à quó per Aſſyrios tam durè vexabatur; neque placato Deo à ſimili vulnere maturè ſibi cauendum putauit. 29.

[aa] *Et diſperdet Dominus ab Iſrael caput, & caudam.*] Prouerbialis eſt figura, quaſi dicat omnia eſſe delenda,ſumma atque infima. Quid ſit *caput*, ſtatim explicat, eos nempe, qui præſunt, quorum conſilio atque auctoritate omnia adminiſtrantur. *Longæuus*, inquit, *& honorabilis.* *Cauda* verò propheta dicitur,nempe falſus, qui mendaci ſecuritate lactat populum, & cæleſtium minarum vim, & terrorem,infringit. Dicitur autem *cauda*, propter 30. Prouerbiũ.

Digitized by Google

adnlationem, & hypocriſim, ſumpta metaphora, vel à canibus, qui fallaci caudæ blandimento deceptos homines inſidioſè appetunt, laceránteque: vel à ſerpenti, qui eodem aſtu blanditus cauda ſenſim illabitur.& venenum euomit.

31. Prouerbiũ. b b *Incuruantem & deprauantem.*] Falſi illi prophetæ magno ſuo merito *incuruantes* vocari poſſunt, & *deprauantes*, quia & legem, & antiqua parentum oracula malignè interpretantur, & ad noxios ſenſus deflectunt,atque peruertunt. Hæc verò optimè in ſerpentem conueniunt, vnde dicebamus metaphoram illam caudæ aptiſſimè trahi potuiſſe. Nam ille non rectâ ſerpit, ſed ſinuoſo lapſu multiplici ſe flexu cōuoluens.Et hoc videtur ſibi velle illud *incuruantem*, quod ad corporis habitum pertinet. Nam vt velle Maro, *ſinuat immenſa volumine terga*: & illud *deprauantem*, quod ad viam,quam non carpit rectam, ſed anfractibus, ſinibúſque flexuoſam. Alij codices, & in his Sixtiani,habent pro *deprauante,refranantem*, tum verò puto incuruantem referri ad *caput*,i.ad longæuum, & honorabilem vultu; quia ille curuus incedit; *refranantem* vero ad caudam, id eſt, ad prophetam falſum; eodem credo ſenſu, quem nuper in deprauante produximus, licet metaphora non eadem. Nam ſicut qui flexus amat,& anfractus, tardè ipſe incedit, & eorum quos ſecum agit, curſus moratur: ſic qui alios infrænat, ne in incedendo properent,retardat, & cohibet. Niſi mauis *incuruantem* ad ſenem referre ætate grauem, & viribus infirmum; *refranantem* verò ad adoleſcentem, qui audax eſt,& robuſtus, quique fræno indiget,ne præceps feratur. Quo ſenſu hæc penè verba explicuimus *cap.19.num.*19. quæ omnino vide.

32. Prouerbiũ. Hebræi aliter communiter vertunt, *Ramum & iuncum*.Quare ita verterint,nihil hic moror;ſed eſt ſatis ad textum. nam per *ramum* aliquid durum, & forte:per *iuncum*, qui & ipſe tenuis eſt, & paluſtris,adde etiam inanis,quæ debilia ſunt, & exigua ſignificantur. Vtraque verò metaphora omnium ordinum, & conditionum hominibus vaſtitas indicitur,& ſolitudo.Vide. quæ diximus *cap.* 19. vbi eadem prope verba reperuntur, quæ ſine dubio indicant vulgarem,& prouerbialem dicendi figuram.

33. c c *Propter hoc ſuper adoleſcentulis eius non lætabitur Dominus,& pupillorum eius, & viduarum non miſerebitur.*] Qui familiæ alicui præeſt, illámque vt pater amat, ſi quid rectè agatur, aut feſtiuè, lætitiam illam domeſticam amat, & cum lætis exultat: ſi quid verò accidat incommodum, aut triſte. ipſe quoque triſtatur,ac miſeretur. Quæ læta ſunt, & feſtiua, ab adoleſcentulis induci ſolent, & exercert, *Thren.*5. *Senes defecerunt de portis, & iuuenes de choro pſallentium.* Sed triſtia familiaria penè ſunt viduis,& pupillis, quorum illæ maritis, hi parentibus orbati, cùm præſidium nullum habeant domeſticum, ad quod confugiant, aliena indigent miſericordia. Dominus ergo, quaſi iam populum iſtum repulerit,alienúmque putauerit, dicit neque ſibi voluptati futuros feſtos iuuenum luſus, neque dolori miſerorum, atque lugentium ſolitudinem, & calumniam.

34. d d *Succenſa eſt enim,quaſi ignis impietas, vepres, & ſpinam vorabit, & ſuccendetur in denſitate ſaltus, & conuoluetur in ſuperbia fumi.*] Similitudine planè mirabili explicat propheta, quàm latè impietas Iſraeliticos peruaſerit fines, & quàm miſerabiliter cuncta proſtrauerit. Cùm magnam cladem, aut infortunium accidiſſe ſignificare volumus,ab igne atque incendio nomina mutuamur. Quia ab aliis ſæpe plurima, ab incendio non niſi pauca, eáque perrarò tuta ſunt. Vt autem ignis vbi vibratus è cœlo, ſiue paſtorum incuria, aut etiam ſtudio in ſyluam incidit,primùm quidem humilem,aridámque materiam corripit,quales ſunt vepres, & ſpinæ:deinde verò maiore quodam impetu ex incendio concepto ſyluam totam comburit: interim omnia obuoluente, & obnubilante fumo, atque ad cœlum vſque ſurſum vndante: id enim puto dici ſuperbiam fumi. Sic impietas latè graſſata eſt in populo Iſraëlitico, quaſi ignis in ſaltu, quæ primo ſtipulas,& fœnum, id eſt,ignobilia, deinde arbores,puta ſycomoros,& cedros,id eſt,maiora, atque nobiliora, quæ ex Hebræorum ſententia, vt nuper diximus, *rami* & *iunci* nomine ſignificantur, populata eſt.

Hæc mihi magis certa, ſed non puto durum aut alienum ab vſu Scripturæ, ſi quiſpiam *impietatem* hoc loco,pro ſupplicio ſumat impietati debito; vt pluribus docuimus *cap.*60. Quia vt peccatum omnes Iſraëlitatum ordines, & gradus infecit, ſic etiam peccati pœna omne illorum genus, & ordinem corripuit.

e e *Vir fratri ſuo non parcet, & declinabit ad dexteram, & eſuriet; & comedet ad ſiniſtram, & non ſaturabitur.*] Eò adduceretur miſer ille populus propter impietatem, quæ omnia hoſtilem in modum populatur, & perdit, vt neque à fraterno ſanguine manus contineat: & vrgente fame, quæ à bellis præſertim inopinatis abeſſe non ſolet; in omnem ſe partem, atque conſilium vertat. Id enim per *dextram*, & *ſiniſtram* explicatur. Poſt varia tamen conſilia, & nonnulla plena impietatis, atque perfidiæ, tamen eſuriet populus. Puto hæc non tam contigiſſe quo tempore Iſraël ab Aſſyrio premebatur exercitu; quàm ante illius aduentum. Nam hìc cauſæ proponuntur ruinæ, & cur Deus tantopere Iudaico populo ſuccenſuerit. Eſt autem optima deſcriptio immortalis odij carnes alterius comedere,aut ſanguinem ſitire. Vide quæ diximus in commentariis noſtris ſuper Acta *cap.* 15. cùm ageremus de ſuffucato & ſangnine. 35.

f f *Vnuſquiſque carnem brachij ſui vorabit, Manaſſes Ephraim,*&c.] Credo inter decem illas tribus exorta fuiſſe diſſidia, & ex iis nonnullos contra fratres ſuos auxilio fuiſſe Aſſyriorum Regi. Quod veriſimile valde eſt, tum quia non admodum bene inter ipſos conueniebat, præſertim ex quo à vero Dei cultu ad aureos vitulos deſciuerunt: tum quia ea ratione iniri ſibi ab Aſſyrio gratiam exiſtimabant, ſi illi conſilio eſſent, vel auxilio contra fratres, cuius potentiæ tot iam victoriis exploratæ reſiſtere ſe poſſe diffidebant. De hoc auxilio nihil habemus, quod ego viderim, in locis, vbi hæc hiſtoricè tradita ſunt; quia de his quàm breuiſſimè egerunt ſcriptores ſacri: ſed non eſt dubium ex præſenti hoc oraculo ita contigiſſe. Dicitur autem *frater*, *caro brachij* alicuius, quia frater etiam alicuius brachium vocari poteſt. Vt enim rami, ex vno naſcuntur ſtipite, & aliquo modo à ſe viciſſim abeunt;ſic brachia,quæ ab vno funduntur corpore. Et ſicut rami fratres vocari poſſunt, metaphora non admodum inuita, ſic etiam brachia. Sanè brachia vocantur à Virgilio *Æneid.*12. Vbi de ſuo ſceptro Rex Latinus iam à ſuo ſtipite reciſo,& ab artifice dolato ait. 36.

Nunquam fronde leui fundet virgulta, nec vmbras,

Cum

Cum ſemel in ſyluis imo de ſtirpe reciſum.
Matre caret, poſuitque comas, & brachia ferro,
Olim arbos.

Ergo dum vnuſquiſque voraturus dicitur carnem brachij ſui, per brachium, fratrem ſuum intelligi, ſatis eſt veriſimile.

37. g g *Simul ipſi contra Iudam.*] Id eſt, populi qui priùs odiis inter ſe, atque armis diſſidentes in mu-

A tuam cædem rapiebantur, iidem poſtea iniqua coniuratione conſpirabunt contra Iudam: quod ſæpe vſu euenire ſolet. Nam impij, qui ſe mutuò crudeliter compungunt & lacerant, vbi iuſtus, & innocens opprimendus eſt, animos contra illum, & arma coniungunt. Sicut in Chriſtum fecere Pilatus, & Herodes qui ad illud vſque temporis veſtigium inimici fuerant.

Argumentum decimi capitis Iſaiæ.

*A*LIAM *adducit cauſam, cur Deus tam durè Iudæorum populum iactari voluerit. Quia nempe qui inter ipſos ſunt conſilio, atque auctoritate principes, pupillos deprædantur, & viduas; & ſuis furtis, atque calumniis legum obtendunt ſanctitatem. Deinde vaticinium traducit ad Aſſyriorum Regem Senacherib, qui elatus ſecundo rerum ſucceſſu, ſuæ virtuti, atque ſapientiæ gratulabatur de victoriis; quem ſtuporis incuſat, & amentiæ, & graue propterea ſupplicium denunciat. Tertiò ex ſubita Aſſyriorum clade confirmatos iri affirmat illorum Iudæorum animos, qui communem ſtragem & calamitatem effugient: quorum è numero paucos ſignificat Euangelij tempore fore ſaluandos. Ad extremum ſe iterum refert ad Aſſyrios, & eorum ſpiritus minaces, & inflatos repentino exitio frangendos eſſe prædicit.*

CAPVT X.

1 a *VÆ, qui condunt leges iniquas, & ſcribentes iniuſtitiam ſcripſerunt: vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent cauſæ humilium populi mei: vt eſſent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent.*

2 *Quid facietis in die viſitationis, & calamitatis* b *de longè venientis? Ad cuius confugietis auxilium? & vbi derelinquetis gloriam veſtram, ne incuruemini ſub vinculo, & cum interfectis cadatis? Super omnibus his non eſt auerſus furor eius, ſed adhuc manus eius extenta.*

3 c *Væ Aſſur, virga furoris mei, & baculus ipſe, in manu eorum indignatio mea.*

4 *Ad Gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo illi, vt*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 AVDISTIS nonnullas cauſas, cur Iſraël tam durè vexari debuerit. Nunc aliam accipite, iniuſtitiam nempe, & crudelitatem in pauperes, pupillos, & viduas: quos vt commodiùs imò cum aliqua honeſtatis ſpecie deglubant, leges condunt in quas, aut certè conſuetudines inducunt, quæ ſic inueterarunt, vt legis auctoritatem obtineant.

2 Quid vobis conſilij capietis, cùm dies ille funeſtus aduènerit, in quo Dominus in hanc veſtram crudelitatem, & calumniam acutum diſtringat iudicij ſui gladium? cùm ea, quam minimè timebatis, vt potè à longè venientem, peſtis ingruerit? Cuius tunc implorabitis auxilium? quam in illo æſtu vmbram? quod in eo conflictu præſidium aduocabitis? in cuius fide veſtram locabitis gloriam? Quis tandem efficiet ne erectam ante ceruicem incuruetis, ſubiiciatiſque loro, iugóque aduerſariorum, aut quò minùs illorum gladio corruatis? Neque tamen his diuinus exſaturabitur furor; adhuc enim aliæ imminent plagæ; maius aliquid ampliùs molitur Deus.

3 Hactenus de Iſraelis clade; nunc iam de Iuda, quam affliget, delebitque omnino tentabit Aſſyriorum princeps Senacherib. Væ tamen illi, quo ego tanquam virga vſus ſum in furore meo. In cuius manu offenſionem, & indignationem meam conſtitui, qua vterer pro mea.

4 Mittam igitur illum, vt Gentem fallacem, & quæ, vera religione prodita, ad idola Gentium

ſe ſe

ſe ſe conuertit ; & contra populum,in quem ego grauiter indignabar, vt illum ornamentis ſuis nudet,& ſpoliet ; & ex eo prædas agat opimas, eò denique redigat, vt conculcetur ab omnibus non ſecus, atque lutum in plateis, locíſque publicis conculcari ſolet.

5 Ipſe autem non tam meo conſilio, quàm ſuæ ſibi libidini obſecutus, plus ſibi iuris in illum aſſumet, dum ſtatuet illum non ſolùm ſpoliare, atque deprimere, ſed etiam copioſum illum populum ad internecionem vſque delere. Idque non tam indignationi meæ, aut potentiæ tribuet,quàm viribus ſuis,atque prudentiæ.

6 Quaſi enim non mea voluntate, ac numine, tot illas victorias conſecutus fuerit : inflatus illo rerum ſucceſſu ſic ſecum vaniſſimè, atque ſtultiſſimè ratiocinabitur. Nunquid principes qui ſub ſignis meis, & in caſtris agunt, Reges non ſunt ? atque ideo non ego magno meo merito Rex Regum appellari poſſum ? nunquid non Calano, ſicut Charcamis, Emath ſicut Arpad,& ſicut Damaſcus,ſic etiam Samaria debellata eſt.

7 Sicut regna quæ in ſuorum Deorum tutela, atque patrocinio erant,expugnaui;neque eorum tutelares Dij contra Aſſyrias vires quicquam habuere potentiæ. Quare non regna ſolùm, ſed etiam eorum ſimulacra,& numina viciſſe, atque expugnaſſe videor. Quid ergo vetat quominus eodem loco futura ſint Samariæ ſimulacra,atque Ieruſalem ? In quam ſpem eò magis adducor; quia iam à me Samariæ ſimulacra expugnata ſunt. Cùm autem ab illis diuerſa non ſint,in quorum præſidio eſt Ieruſalem; non dubito quin eodem modo Dij quoque, atque ſimulacra Solymitana ſubiuganda ſint.

8 Poſui in Aſſyrij manibus virgam, atque furorem meum,non ad omnia,quæ ipſe vellet, ſed ad illa tantùm quę ego animo deſtinauerã. Nempe vt in Iudæa ciuitates ſubiugaret alias, & theſauris ſuis exueret Ieruſalem. Hoc ego opus ſolum impleri volueram ab Aſſyrio in Sion, & Ieruſalem. Cùm autem plura tentauerit, ſeuerè puniam ſuperbos eius ſpiritus ; & altitudinem oculorum,quibus omnes, quaſi longè ſibi impares contemnit,atque deſpectat.

9 Sic enim de ſe ſuperbè cogitat, vt non minùs inſolenter, qoàm ſtolidè ſecum ipſe deblateret. Perfeci magna manuum mearum virtute, quod ſingulari mea prudentia, atque ſolertia priùs & præcepi animo, & ex bellica diſciplina diſpoſui : Ego erepros ampliſſimos populorum terminos imperio meo adiunxi, à quorum principibus ſpolia detraxi opima ; & cùm ſublimi ſederent in ſolio, inde eos ad puluerem vſque deieci.

10 Nihilo operoſiùs, aut difficiliùs populorum fortunas ingentes deprædatus ſum, eorúmque

vt auferat ſpolia, & diripiat prædam, & ponat illum in conculcationem quaſi lutum platearum.

5 *Ipſe autem non ſic arbitrabitur, & cor eius non ita exiſtimabit : ſed ad conterendum erit cor eius, & ad internecionem gentium non paucarum.*

6 [d] *Dicet enim, Nunquid non principes mei ſimul Reges ſunt ? Nunquid non vt Charcamis, ſic Calano : & vt Arphad, ſic Emath ? Nunquid non vt Damaſcus, ſic Samaria?*

7 [e] *Quomodo inuenit manus mea regna Idoli, ſic & ſimulacra eorum de Ieruſalem, & de Samaria. Nunquid non ſicut feci Samariæ, & idolis eius : ſic faciam Ieruſalem, & ſimulacris eius?*

8 [f] *Et erit: cùm impleuerit Dominus cuncta opera ſua in monte Sion, & in Ieruſalem, viſitabo ſuper fructum magnifici cordis Regis Aſſur, & ſuper gloriam altitudinis oculorum eius.*

9 [g] *Dixit enim, In fortitudine manus mea feci, & in ſapientia mea intellexi : & abſtuli terminos populorum, & principes eorum deprædatus ſum, & detraxi quaſi potens in ſublimi reſidentes.*

10 [h] *Et inuenit quaſi nidum manus mea fortitudinem populorum: & ſicut colliguntur*

tur oua, quæ derelicta ſunt: ſic vniuerſam terram ego congregaui; & non fuit qui moueret pennam, & aperiret os, & ganniret.

que ſtraui armatas acies, quàm à ruſtico implumes capiuntur pulli à matre relicti, aut oua colliguntur è nido. Vt enim tunc nullus eſt, qui contrà aut pennam moueat, aut vtiliter clamet, ſic etiam in populis latè mea virtute ſubactis nemo fuit, qui contra victrices copias hiſcere auderet.

11 [i] *Nunquid gloriabitur ſecuris contra eum qui ſecat in ea? aut exaltabitur ſerra contra eum, à quo trahitur? Quomodo ſi eleuetur virga contra eleuantem ſe, & exaltetur baculus qui vtique lignum eſt.*

11 Quo ſermone quid magis ſtolidum, ac pingue dici potuit? Nunquid ſecuris, quæ alterius mouetur, atque verſatur manu, eos aſſumet ſpiritus, vt deiectæ arboris ſibi gloriam aſcribat, nihilque deberi contendat illi, à quo rude illud pondus agitatur? Nunquid ſerra in contentionem veniet de gloria diſſecti, ſiue dolati trunci cum artifice, qui ad pulchrum aliquod opus, illam ex arte moderatur? Sic effert ſeſe Aſſyrius contra Deum, dum iactat ſua virtute illum ſubactum iri, & è Hieroſolymis eſſe pellendum, à quo ipſe virtutem accepit, quo populos domaret, & regna: quomodo ſi virga, aut baculus eleuetur contra eum, à quo ipſe cùm ſit graue, atque aridum lignum, ad aliquod inſigne, atque admirandum opus eleuatur.

12 [k] *Propter hoc mittet dominator Dominus exercituum in pinguibus eius tenuitatem: [l] & ſubtus gloriam eius ſuccenſa ardebit, quaſi combuſtio ignis.*

12 Propter hoc ille qui ob ſuam fortitudinē, atque potentiam Deus vocatur exercituum, maciem, tenuitatémque inferet in eos, qui in Aſſyriis caſtris pingues videbantur, & robuſti; & gloriæ, & ſplendori; in quibus tam ſibi placebat Senacherib, faces ſupponēt, quæ vanos illius faſtus in cinerem ſoluant.

13 [m] *Et erit lumen Iſrael in igne, & ſanctus eius in flamma. Et ſuccendetur, & deuorabitur ſpina eius, & vepres in die vna.*

13 Tunc ignis ille, qui Iſraeli erit ſplendor, & lumen, non quod comburat, ſed quod illuminet, illuſtret, & exhilaret, Aſſyriis erit ardor, & flamma, qui Iudam tanquam ſpinæ & vepres, compungebant, neque hoc longo ſpatio, ſed vna die, neque operoſo, ſed facili, immò nullo negotio.

14 [n] *Et gloria ſaltus eius, & Carmeli eius [o] ab anima vſque ad carnem conſumetur, & erit terrore profugus.*

14 Ex ſpinis, & tenui, atque arida materia ad arbores proceras, atque robuſtas erumpet incendium. Et ex Carmeli, id eſt, ex maxima Aſſyriorum gloria nihil omnino erit ab incendio reliquum. Neque impetum illum ſuſtinere, aut expectare poterit inflatus paulò antè animus Senacherib; ſed terrore percuſſus non tam in armis, quàm in fuga præſidium ſtatuet ſalutis & vitæ.

15 [p] *Et reliquiæ ligni ſaltus eius præ paucitate numerabuntur, & puer ſcribet eos.*

15 Ex eo verò ſaltu, ſeu exercitu Aſſyrio quicquid erit à cæde reliquum, ſic erit exiguum, & numerabile, vt puer illud aſſequi numerando poſſit.

16 *Et erit in die illa: [q] non adiiciet reſiduum Iſrael, & hi qui fugerint de domo Iacob, inniti ſuper eo qui percutit eos: ſed innitetur ſuper Dominum ſanctum Iſrael. In veritate reliquiæ conuertentur: reliquiæ inquam Iacob ad Dominum fortem.*

16 Ex eo iam tempore, qui reſidui fuerint ab Aſſyriorum gladio de Iſrael: & qui de domo Iacob vim illam Aſſyriam, & vitæ periculum euaſerint, non vlterius in opibus principum ſperare pergent, qui contra fidem datam Iudæorum regnum delere tentarunt, quóſque vident tam facilè à Domino potuiſſe deleri. Sed verè: atque ex animo in Dei Iſrael præſidio ſpem collocabunt ſuam, in eóque nitentur, cuius fidem

in delendis Aſſyriorum caſtris experti ſunt. Conuertentur itaque Iſraelis reliquiæ, reliquiæ, inquam, Iacob ad Deum, quem ſolum eſſe fortem non dubio experimento didicerunt.

17 Hinc iam admonitus ab ea paucitate, quæ ex tanto Iſraelis numero communis cædis infortunium euaſit, ad meliora, id eſt, ad Euangelij tempora vaticinium transfero. Si enim populus tuus, ô Iſrael, ad eam magnitudinem excreuerit, vt arenam maris æquet, & ſuperet, pauciſſimi tamen erunt ex ea multitudine, qui ad Deum, id eſt, ab impia, & mortua, ad viuam, & Euangelicam religionem conuertantur. Illa verò paucitas ſic abbreuiata, vt conſummatio, id eſt, totalis interitus dici poſſit, oſtendet ſatis, quanta fuerit diuina iuſtitia, qui propter iterata toties peccata tantam abiecit multitudinem, & tam paucos aſſumpſit.

18 Conſummationem hanc, atque abbreuiationem faciet Dominus in terra à Iudæis habitata, ex qua nonniſi pauci ad Euangelium, & Eccleſiam admiſſi æternam ſalutem conſequentur.

19 Iam ab Eccleſia ad interruptam Senacherib hiſtoriam vaticinium conuerto. Noli timere, ô popule, qui habitas Sion, Aſſyrij minas, atque potentiam. Leuabit quidem contra te baculum, & percutiet virga: ſed percutiet eo ſucceſſu, quo percuſſit Rex Ægypti Pharao. Vt enim iſte quando maiori furoris æſtu ferebatur in Hebræos, leuata à Moyſe virga demerſus eſt in mari, ſic Aſſyrius cùm minaces ſpiritus magis in Iudæos inflammat, diuina percuſſus virga repentè concidet.

20 Non diu, ô Sion, furor meus in te deſæuiet; aderit non longè ab hinc tempus, quo tandem quieſcat indignatio mea, qua Aſſyriorum armis ſcelera tua punire, atque expiare volui.

21 Conuertet enim Dominus in Aſſyrium flagellum, quo te diu, ſeuerèque conciderat, quo illum ſic inopinatò, atque miraculosè conficiet, vt quondam ſub Gedeone in petra Oreb confecit Madian; neque alio modo atque exitu leuabit virgam contra Aſſur, quàm olim leuauit contra mare, quod Regem Pharaonem demerſit, & eius opes atque potentiam exſorbuit.

22 Eo autem tempore ex humeris tuis onus excuties: & ex iugo collum eximes tuum; iugum enim illud quod ex parte ferebas, & ex parte ceruicibus tuis impendebat, diſſoluetur, atque putreſcet, quia Dominus auxilium negabit hoſtibus, quo ſub iugum Aſſyrium Iudæorum ceruices agere poterunt.

23 Veniet ille quidē Rex inflatus victoriis, & quaſi debellatis, ac deditis hoſtibus exultans primùm in Aiath: Deinde celeri curſu tranſibit in Magron: & quaſi iam neceſſarius non eſſet bellicus apparatus, ſarcinas, & reliqua vaſa militaria relinquet in Machmas.

24 Tranſi-

17 [s] *Si enim fuerit populus tuus Iſrael quaſi arena maris, reliquiæ conuertentur ex eo:* [t] *Conſummatio* [u] *abbreuiata inundabit iuſtitiam.*

18 [y] *Conſummationem enim, & abbreuiationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ.*

19 [x] *Propter hoc, hæc dicit Dominus Deus exercituum. Noli timere populus meus habitator Sion ab Aſſur.* [y] *In virga enim percutiet te: & baculum ſuum leuabit ſuper te in via Aegypti.*

20 *Adhuc enim paululum, modicúmque, & conſummabitur indignatio, & furor meus ſuper ſcelus eorum.*

21 *Et ſuſcitabit ſuper eum Dominus exercituum flagellum,* [z] *iuxta plagam Madian in petra Oreb, & virgam ſuam ſuper mare, & eleuabit eam in via Aegypti.*

22 *Et erit in die illa, auferetur onus eius de humero tuo, & iugum eius de collo tuo,* [aa] *& computreſcet iugum* [bb] *à facie olei.*

23 [cc] *Veniet in Aiath, tranſibit in Magron: apud Machmas commendabit vaſa ſua.*

24 *Tranſie*

24 *Tranſierunt curſim Gaba ſedes noſtra. Obſtupuit Rama. Gabaath Saulis fugit. Hinni voce tua filia Gallim, attende Laiſa paupercula Anathoth. Migrauit Medemena:* [d] *habitatores Gabim confortamini.*

24 Tranſierunt velociter, quaſi res eſſet ex voto peracta, dixeruntque canentes ante victoriam triumphum. En Gabaa ſedes noſtra eſt. Rama ad noſtrum obſtupuit aduentum, neque hiſcere audet. Gabaath Regia ciuitas, vt pote Saulis natale ſolum, à fuga potiùs, quàm ab armis ſalutem quæſiuit. Plora vicinam ſtragem, quam propediem experieris ô filia Gallim; & tu Laiſa attende quid ciuitates aliæ paſſæ fuerint, & tibi ipſi conſule alienis periculis edocta. Tu quoque paupercula, atque miſella Anathoth, idem vt facias moneo. Ecce mutauit ſolum, & è ſuis ſedibus exceſſit Medemena. Quare habitatores Gabim, id eſt, Solymitani, qui ciuitatem incolitis in excelſis collibus extructam, animos excitate, & armate manus: Vobis enim res eſt futura cum gente dura, atque pugnaci, cui nulla gens vnquam impunè reſtitit.

25 [e] *Adhuc dies eſt vt in Nobe ſtetur. Agitabit manum ſuam ſuper montem filiæ Sion, collem Hieruſalem.*

25 Poſt diem vnum perueniet ad Nobe, inde leuabit manum cum irriſione, & minacibus verbis contra montem, & collem, vbi ſitæ ſunt Sion, & Ieruſalem, id eſt, contra habitatores Gabim.

26 *Ecce dominator Dominus exercituum* [f] *confringet laguncùlam in terrore, & excelſi ſtatura ſuccindetur, & ſublimes humiliabuntur.*

26 Sic Aſſyrius inſolenter, & barbarè. Sed contra qui verè bellator eſt, & dominator Deus exercituum, illum terrore concutiet, conterétque ea facilitate qua vas fictile confringi ſolet. Aut quomodo fractis laguncùlis à Gedeone ſubito cum terrore conciſus fuit exercitus Madian: & qui erant excelſi, & procera ſtatura ſternentur, & qui erecto erant collo, abiicientur in terram.

27 [g] *Et ſubuertentur condenſa ſaltus eius ferro: & Libanus cum excelſis cadet.*

27 Et caſtra illa ſpecioſa, & omnibus ornamentis inſtructa, tanquam ſylua condenſa, & omni lignorum varietate conſpicua ſuccidentur; ſicut ſaltus ſuccidi ſolet à ſecuri. Et qui nuper ſublimis putabatur vt Libanus, cum ſua celſitudine, atque faſtigio corruet.

IN CAPVT DECIMVM
COMMENTARIVS.

1. [a] VÆ *qui condunt leges iniquas.*] In pluribus exemplaribus, vt refert Lyra, principium huius capitis cum præcedenti coniungitur. Et ſanè ita videtur fieri poſſe commodiſſimè. Nam toto capite nono ſæpe proponuntur vaſtitatis cauſæ, atque ſupplicia. Deinde clauduntur minæ hac familiari, & penè ſolenni clauſula. *Et non eſt auerſus furor eius, ſed adhuc manus eius extenta.* Quod omnino in hac quoque clauſula ſeruatur. In extrema parte capitis noni cauſam cœpit oſtendere Propheta, cur Iſraël tam durè, atque inclementer vexari debuerit, quia ſcilicet mutuis inter ſe bacchantur odiis, & cùm ſanguinem cognatum ſi-

A tiant, & multùm hauſerint, nunquam tamen ſitim illam ardentem explere poſſunt. Nunc aliam oſtendit cauſam, nempe iniuſtitiam, & crudelitatem in pauperes, & viduas, & pupillos, quos vt tutiùs, & cum minori aliorum offenſione deglubant, leges condunt iniquas, ac conſuetudines inducunt, quæ ſic inueterarunt, vt legis inſtar obtineant. Deinde eius inclementiæ ſupplicium oſtendit, dum ait, *Quid facietis in die viſitationis?* Concludit denique orationem vſitata formula, *non eſt auerſus*, &c.

[b] *De longè venientis.*] Id eſt, ab Aſſyrio, ſeu quam non timebatis, longè nimirum à cogitatione veſtra. Nam, quæ timemus, aliqua ratione proxima nobis ſunt, quæ ſi aduenerint, non exiſti- 2.

mantur aduenisſe procul. Secus verò ſi quid inſperatum eſt, aut eiuſmodi vt contra illud ſatis nos eſſe munitos arbitremur: tunc quia longè nos à periculo credimus, longè à nobis periculum aduenisſe exiſtimamus.

3\. Deus impios etiam aſſumit ſui furoris inſtrumenta.

ᶜ *Væ Aſſur virga furoris mei.*] Hinc iam propheta ſermonem traducit à decem tribubus ad Iudam, & Ieruſalem: quam irrito conatu opprimere tentauit Senacherib, poſtquam bonam Iudææ partem ſubiugarat Ezechiæ tempore. Et in primis oſtendit Deus vſum ſe fuiſſe Aſſyriorum potentia, tanquam virga ad punienda Iudæorum peccata: vt auferret ſpolia, deiiceretque nimiùm inſolentes, & inflatos illorum animos, quos appellat fallaces: quia prodita fide, quam Deo ſæpe dederant, ad idola gentium ſuperſtitioſo, atque væſano ritu proſternebantur. Væ tamen Aſſur dicit Dominus, quia cùm ad prædam miſſus ſit, & conculcandos atque humiliandos Iudæorum ſpiritus, ipſe tamen plus ſibi iuris in illos aſſumpſit, dum ſtatuit eos non ſolùm ſpoliare, atque deprimere, ſed etiam ad internecionem vſque delere. Eamdem ob cauſam minatur Deus Regi Babylonis, qui in eumdem populum, dum captiuus eſſet, duriùs ſæuiit, quàm ipſi à Domino fuerat conceſſum. Sic enim de illo apud Zachariam *cap.* 1. *Ira magna ego iraſcor ſuper gentes opulentas, quia ego iratus ſum parum; ipſi verò adiuuerunt in malo.* Vbi nos ea de re latiùs. Vbi nota quàm humaniter temperatæ ſint iſtæ minæ; nam cùm de afflictione Iudæorum dicendum aliquid ſit per Aſſyrios, ne ſtatim graue, aut diuturnum malum horrerent, priùs agit de Aſſyriorum Regis ſupplicio: priùs incipit à *væ* in Aſſyrios, quàm à *væ* in Iudæos.

Quomodo ſæpe errent Dei inſtrumenta dum ſuo potius obſequuntur, quàm artificis conſilio.

Deus in minis etiã clemens.

4\. ᵈ *Dicit enim, Nunquid non principes mei ſimul Reges ſunt?*] Quæ hic dicuntur, ſatis ſunt aperta. Indicant enim inſignem Regis inſolentiam, qui ſuæ virtuti attribuit debellatas eſſe ciuitates plurimas, & in his Damaſcum, & Samariam. Quare hinc meditatur nihil futurum eſſe, quod ſuæ potentiæ non ſuccumbat. Vide infrà *à cap.* 35. *ad* 37.

5\. ᵉ *Quemodo inueniet manus mea Regna idoli, ſic & ſimulacra eorum de Ieruſalem.*] Hæc verba dicit Senacherib, aut alia non valde diſsimilia. 4. *Reg.* 18. & *Iſai.* 36. & clariùs 2. *Paralip. cap.* 32. Vbi ſuperiorem ſe fuiſſe gloriatur diis aliquarum Regionum, quas expugnauit: & quorum ſimulacra comminuit tanquam Deorum victor. De quo Iſaias *cap.* 37. *Et dederunt deos eorum igni.* Neque minorem futurum ſe putat Deo Iudæorum. Regna idoli vocat ea, quæ ſunt Deorum ſuperſtitioni dedita, & quibus dij præeſſe putabantur tutelares. Et eumdem euentum ſuæ promittebat fortunæ de Ieruſalem, quam etiam abundare exiſtimabat ſimulacris, ſeu quia nondum nouerat ſublata fuiſſe à religioſo Rege Ezechia illa ſimulacra, quæ in templum Solymitanum impius pater inuexerat: aut quia ex impietate Samariæ quæ idola colebat, coniectabat in Ieruſalem etiam eſſe idolorum cultum. Nam decem tribus cum aliis duabus eiuſdem eſſe Religionis credebant, vt pote ab iiſdem prognatas parentibus.

6\. ᶠ *Et erit cum impleuerit Dominus cuncta opera ſua in monte Sion, & in Ieruſalem, viſitabo ſuper fructum magnifici cordis Regis Aſſur, & ſuper gloriam altitudinis oculorum eius.*] Hinc conſtat quid Dominus ab Aſſyriorum Rege, quo tanquam virga ad puniendum Iudæorum populum vſus eſt, fieri voluerit: nempe vt ciuitates ſubiugaret alias, opi-

Quid Deus Aſſyrio negotij dederit cõtra Ieruſalem.

A ma referret ſpolia de Ieruſalem, illámque omnibus ornamentis, atque opibus exueret, quæ obtulit Ezechias 4. *Reg. cap.* 18. vt illum à ciuitate ſancta ſubmoueret, ſuorúmque ſalutem, & libertatem redimeret. Huc ſpectabat Dei conſilium non vt illam euerteret; quod ſuæ cupiditati, atque ambitioni propoſuerat Aſſur. Cùm autem alia tentaret quæ ſibi à Deo permiſſa non fuerant, & ſe ad expugnandam Ieruſalem diuino imperio veniſſe mentiretur, multis ſuorum millibus ab Angelo deletis ipſe inglorius, & nudus in patriam eſt reuerſus. Hinc collige quantum homo Dei inſtrumentum poſſit in iis, ad quæ à Domino deſtinatur. Quod ſi alia tentat, promouebit parum: quia ad ea, qui- B bus alias ob cauſas ſtudet, dum ſuis ſe rationibus, atque conſiliis agit, Deum non habet neque autorem neque auſpicem. Imò in vlteriori conatu cadet infœliciter, ſicut Aſſur: qui poſt perpetuum victoriarum curſum ab Angelo percuſſus, & priorem gloriam obſcurauit, & fœdè ac miſerabiliter interiit.

Quanta fiducia futura ſit homini in his, ad quæ deſtinatur à Deo.

7\. Vbi vulgatus *ſuper fructum magnifici cordis*, Septuaginta reddidere, *ſenſum, aut mentem magnam cordis*, ſed eſt ſenſus idem. Nam ſenſus, & cogitatio fructus eſt cordis, & eius opus, ſicut arborum fructus opus eſt radicis. Senſus ergo, aut cogitatio vana, ac futilis, fructus ſunt magnifici cordis, id eſt, inſolentis, quod præ ſe cætera contemnit omnia: C Gloria altitudinis oculorum, ſignum eſt animi ſupra modum elati: quia in oculis, qui cordis nuntij, & teſtes ſunt; maximè expectantur interni motus, & affectiones animi. Oculi verò elati, ſeu oculorum altitudo, ſuperbi animi comes eſt. Quare quod ſuperbiam, aut deſpicientiam ſonet, ſæpe Scriptura ſacra cum oculis coniungit. vt *oculi ſublimes, Iſai.* 2. *Prouer.* 6. *oculi ſuperbi. Pſal.* 103. *oculi elati.* quod Latinus vocat *elatum ſupercilium.* Fortaſſe altitudo oculorum, diuitiæ ſunt, quæ *Ioan. Epiſt.* 1. *cap.* 2. dicuntur concupiſcentia oculorum.

Oculi animorum indices.

8\. ᵍ *Dixit enim, in fortitudine manus mea feci.*] Hic eſt fructus ſeu ſenſus magnifici cordis, in hunc fœtorem, & ſaniem erupit inflati animi intolerabilis tumor; omnia ſuæ virtuti atque potentiæ arrogat, neque victoriarum vllum aut auctorem aut D conſortem admittit.

9\. ʰ *Et inuenit quaſi nidum manus mea.*] Hæc verba Tertullianus Deo attribuit, cùm de eius immenſitate agit, atque potentia, contra Marcionem *lib.* 2. *cap.* 25. & aduerſus Praxeam *cap.* 18. *Qui totum, inquit, orbem manu apprehendit, velut nidum,* ſed ſermo ſine dubio eſt de Senacherib. Fortaſſe commune prouerbium Deo accommodauit. Pulcra ſimilitudine explicat, quanta facilitate regna plurima luſtrauerit, non tam paſſibus quàm victoriis: vt regna deleuerit non operoſiùs, aut longiori mora, quàm oua ſeu pullos in nido relictos ruſticus colligit. Et quemadmodum cùm implumes, ac derelicti pulli capiuntur, non eſt qui ſtrepat, aut E pennam moueat, ita ciuitatibus vltro Aſſyriæ potentiæ deditis, aut metu ab habitatore deſertis, non fuit qui contra victrices copias hiſcere auderet. Hanc puto prouerbialem eſſe ſpeciem, qua tem, quæ ſine vllo negotio ac mora fieri, aut ſuperari poteſt ſignificamus, quales aliæ ſunt in Scriptura non diſſimiles. Vt paleæ, ſeu puluis ante faciem venti, & ſtupa, aut ſtipula ante faciem ignis.

Prouerbiũ.

10\. ⁱ *Nunquid gloriabitur ſecuris contra eum, qui ſecat in ea?*] Grauis hæc eſt reprehenſio ſuperbiæ, atque væſaniæ Senacherib, qui ſibi adſcribebat id

Superbi vaniſſima gloria.

id quod diuinæ virtuti, ac beneficio acceptum A
referre debuiſſet. Deus enim & deſperationem,& languorem iniecit populis, qui ſe Aſſyriæ potentiæ tradiderant: neque ipſe tam victoriæ auctor, quàm Dei vincentis inſtrumentum erat: Neque Dei omnipotens viribus copioſis egebat Aſſyriorum caſtris ad cladem tot populorum, ac gentium, cùm hoc ipſum per imbelles puerorum, ac puellarum manus, atque adeò per graciles crabronum aculeos præſtare potuiſſet. Vt ergo ſecuris, ac ſerra gloriari non poſſet de inſigni aliquo, atque admirabili artificio, quia illud opus non tam eſt inſtrumenti, quàm artificis; ſic neque Senacherib, qui virga erat in manu Domini, de populis bello B
ſuperatis: cùm hoc ipſum perficere Dominus potuerit per aſini mandibulam, aut per culicum ſtimulos. Quantò meliùs atque modeſtiùs Ioſue qui verè vocatus eſt ſeruus Dei, quem adeò non inflarunt tot victoriæ, tot Regna ſubiugata, vt non tam ſibi quàm crabronibus victoriam aſcripſerit, per quos Deus è Chananitide regione veteres habitatores extruſit. *Ioſue cap.*14.*verſ.*12.

11. k *Propter hoc mittet Dominator Dominus exercituum in pinguibus eius tenuitatem.*] Omnia ſua illuſtria, ac pinguia, id eſt, fortia, atque robuſta prædicarat ſuperbus Aſſur; ſed Deus illuſtribus metaphoris ſignificat, & prædicit omnia illa momento temporis eſſe perdenda. Quod tunc impletum eſt quando ab Angelo centum octoginta C
quinque hominum millia interfecta ſunt. Tunc pinguibus tenuitatem dedit, & maciem, quia fortes eſſe deſierunt contra cæleſtem virtutem: & gloriam atque ſplendorem exercitus in ſpeciem pulcherrimi, diuinæ indignationis flamma conſumpſit.

12. l *Subtus gloria eius ſuccenſa ardebit quaſi combuſtio ignis.*] Ita exercitus ille Aſſyriorum glorioſus ardebit; & conſumetur, veluti ſi aridæ materiæ, ac ſalmi, cui ſtatim comparatur, ignem ſubiicias. *Combuſtio ignis* pro flamma ponitur, id eſt, *flamma comburens.* Tradunt autem Hebræi vt notat hic Hieronymus & S. Thomas, qui illorum cogitationes videntur non improbare, occulto igne ſic

Dei ſingularis prouidẽtia in ſuos.

fuiſſe cremata Aſſyriorum corpora, vt veſtes ac ornamenta alia intacta fuerint, atque ab incendio D
pura. Quod ſi ita eſt, mirè hic ſeſe oſtendit Dei in populum ſuum liberalitas, & amor; quando illum non ſolùm ab hoſte inſolente, & extrema omnia minante liberauit, ſed etiam opimis ornauit ſpoliis, quibus, in illius gratiam, ignis pepercit.

13. m *Et erit lumen Iſrael in igne & Sanctus eius in flamma.*] Vt *Sanctus Iſrael* Deus eſt, vt ſæpe legimus apud hunc prophetam: Sic etiam idem *lumen* hic vocatur *Iſrael*; qui & alio loco dicitur *ignis conſumens.* Hic ergo qui populi ſui protector eſt, & vindex, in Aſſyriorum caſtris ita vehementer graſſabitur, vt ad vnum penè omnes, ſummos infimóſque conficiat; quo ſpinarum, atque arborum nomine deſignat. E

14. n *Et gloria ſaltus eius, & Carmeli eius.*] Comparatur reſpublica, quæcumque illa ſit, ſiue togata,

Salui exercitus comparatur.

& vrbana, ſiue chlamydata, & caſtrenſis, ſyluæ copioſæ, & vberi, vbi ſpinæ ſunt, & vepres deformes, & humiles, & arbores ad ſpeciem pulchræ atque vberes. Sed ſanè exercitus optimè inſtructus perſimilis eſt amœnæ, ac luxurianti ſyluæ, quæ horroris aliquid habet in ſpinoſo frutice, & venuſtatis in arbore procera, & patula. Quid enim pulchrius quàm ſpectare ſcintillantes galeas, vibrantes verſicolores criſtas, diſtinctas vario opere, & Aſſyria acu militum chlamydes, & pretioſis intexta velis Principum tabernacula, ſed horret in ſuo quoque ſplendore ad vulnus intenta mucronum ſeges. Vide quid de Iſraëlis caſtris, déque eorum ſpecie cecinerit Balaam, *Num.*24. Pro eleganti verò ſaltu ſumpſit per Synecdochem *Carmelum*, quaſi dicat, ſpecioſam ſyluam. Carmelus autem vt omnium montium pulcherrimus eſt, ſic quoque quidquid in quolibet genere illuſtre eſt, atque viſendum, prouerbiali ſpecie ſuo conſignat nomine. Quomodo apud Latinos aut Theſſala tempe, aut Heſperidum horti, qui in rerum amœniſſimarum amplificationem adducuntur, imò & ſuum illis nomen impertiunt.

o *Ab anima vſque ad carnem conſumetur.*] Prouerbialis hæc figura hyperbolicè ſignificat nihil futurum eſſe reliquum ab illa ſtrage. Quod vulgò Hiſpanorum dicitur, *ni pelo, ni hueſo, ni roſo ni velloſo.* Sunt autem apud Hebræos prouerbiales quædam dicendi formæ quibus extrema ſignificatur clades, quæ nihil non ſternat, vt *ramus & iuncus, caput & cauda, clauſus & nouiſſimus, arbor & ſpina.* Quibus ab infimis ad ſumma graſſatura dicitur peſtis, aut calamitas. Ad hanc prouerbialem formam ſpectaſſe videtur illud Pauli *ad Hebr.* 4. *verſ.* 12. Vbi diuini ſermonis vim domantis, atque expugnantis omnia declarat. *Viuus eſt*, inquit, *ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens vſque ad diuiſionem animæ, ac ſpiritus, compagum quoque, ac medullarum.* Vbi vides animam cum carne coniungi, ſicut in hoc Iſaiæ loco: & in vtrumque vim habere potentiſſimam & apud Paulum ſermonem Dei, & apud Iſaiam incendium de cœlo in Aſſyriorum caſtra. 15.

Prouerbiũ.

p *Et reliquiæ ligni ſaltus eius præ paucitate numerabuntur: & puer ſcribet eos.*] Hinc apparet vocari 16.
ſaltum exercitum Aſſyrium, ex quo perquam pauci ex communi cæde in patriam profugere. Tradunt autem Hebræi teſte Hieronymo decem tantùm ex ea multitudine fuiſſe reliquos. Porrò ſicut *innumerabilis* & *immenſus* copiam ſignificat maximam, & ingentem rerum multitudinem. Sic *numerabilis*, aut *menſurabilis* pro paucitate adhiberi ſolet. *Pſal.* 38. *verſ.* 8. *Ecce menſurabiles poſuiſti dies meos*, id eſt, paucos. Quod enim numeramus, exiguum eſt. iuxta illud *Ouid.* 15. *Metamorphoſ.* Pſal. 38.

Pauperis eſt numerare pecus.

Illud verò, *& puer ſcribet eos*: amplificatio paucitatis eſt; Puer enim non magnam ſummam numerando aſſequitur, illam nempe quam manuum digitis notare poteſt. Et hinc credo coniectarunt Hebræi decem è toto exercitu fuiſſe reſiduos, quia ad hanc vſque ſummam pueri numerando progrediuntur.

q *Non adiiciet reſiduum Iſrael, & hi qui fugerint de domo Iacob inniti ſuper eo, qui percutit eos. Sed innitetur ſuper Dominum ſanctum Iſrael in veritate.*] 17.
Cogitabat Achaz Regem Aſſyriorum contra duos Reges Syriæ atque Samariæ in auxilium vocare. Ait nunc Iſaias, eos, qui effugerint Aſſyriorum arma, qui non poſſunt eſſe non pauciſſimi (ideo enim dicuntur *reſiduum Iſrael*) poſt hanc plagam, quam non ab alio quàm à Deo accepit Senacherib, ſpem ſuam in Deo locaturos potiùs, quàm in illo, quem tam facilè vident poſſe deleri. Illud *in veritate*, ad reſiduum Iſrael, ſiue ad reliquias refero, de quibus ſtatim: nam illæ verè Deum colent, non ſicut alij ex eadem gente, qui dubio gradu vacillantes

modò ad veri Dei, modò ad inanium Deorum cultum ferebantur. Aperitur autem aditus ad ea, quæ de Eccleſiæ filiis mox dicentur.

18. [*Si enim fuerit populus tuus Iſrael quaſi arena maris, reliquiæ conuertentur ex eo.*] Quæ ſequuntur, ad verſum vſque 24. ad Eccleſiam ſpectant, ſúmtque includenda parentheſi; quia inde rurſus propheta ad interrupta rediens pertexit hiſtoriam Senacherib. Hunc locum Paulus *ad Roman.* 9. interpretatur de conuerſione Iudæorum ad Euangelicam fidem, qui pro tanto numero ſanè erunt paucissimi. Et hoc ſine dubio hiſtorico, ac literali ſenſu vult Iſaias, admonitus à reſiduo, ſeu reliquiis Iſrael, id eſt, pauciſſimis, qui cùm viderent quàm parum eſſet fidendum in Aſſyria potentia, quæ tunc omnium maxima putabatur, ad diuinum perfugium ſe ſuáque omnia contulerunt. Alluſum eſt autẽ ad illud *Gen.* 22. in quo Deus pollicetur Abrahamo, ſemen ſicut arenam maris. Ait ergo Iſaias, ſi ad eam multitudinem venerint Abrahami filij, tamen ex ea reliquias, id eſt, pauciſſimos, qui Deum habeant ſalutis ſuæ patronum, & vindicem, eius fidem, & Euangelium amplexuros. Quàm verò pauci ex illa tanta multitudine filiorum Iſrael liberi fuerint ab Aſſyriorum ſeu aliorum hoſtium cæde, aut præda, hinc conſtat, quia decem tribus omnino abductæ ſunt è datis ſibi à Domino ſortibus, & in ignobilem ſeruitutem datæ. E duabus tribubus quamplurimi aut capti, aut extincti fuerunt. Nam, vt omittam alios, quos varij bellorum euentus ſuſtulere; certè tempore Achaz regnum Iuda ab Idumæis, & Philiſtæis humiliatum eſt, & ab eo magnæ, atque frequentes reportatæ prædæ, 2. *Paralip.* 28. Vbi etiam habes vno die à Rege Iſrael è Iudæis occiſa fuiſſe centum & viginti pugnatorum millia; & iterum ducenta millia ab eodem fuiſſe in captiuitatem abacta. Neque exiguam plagam accepit à Theglatphalaſar, de quo eodem loco Paralip. *Adduxitque* (Deus) *contra eum Teglatphalaſar Regem Aſſyriorum, qui & afflixit eum* (Achaz) *& nullo reſiſtente vaſtauit.* Neque paucos occidit, & cepit Senacherib, qui debellata tota penè Iudæa victrices copias appulit prope Ieruſalem. Ergo qui poſt accepta tot incommoda ad Deum ſunt reuerſi, non potuerunt eſſe non pauci, & ideo non tam *populus* à propheta, quàm populi *reliquiæ* vocantur.

Ad Rom. 9.

Iſraelitæ grauiter afflicti tempore Achaz.

19. Cur verò *reliquiæ* pro paucis ſumantur, ea ratio eſt, quia quod ex aliqua ſumma, aut quantitate reliquum eſt, exiguum eſſe ſolet comparatione eorum, quæ conſumpta ſunt. Quo ſenſu Virgil. 2. *Æneid.* dixit, *Troas, reliquias Danaum.* Ab hiſtoria igitur Senacherib, & reliquiis ad Dominum poſt illum bellorum motum conuerſis, maiora proſpectans Iſaias, & altiùs in Euangelij tempus inuectus, de exiguo illorum numero, qui ex Iudæorum gente ſalui fient, ſermonem inducit. Vt enim ex illa familia Abrahæ, quæ inſtar arenæ maris multiplicata eſt, pauci ab hoſtibus liberati Deo adhæſerunt in veritate: ſic Euangelij tempore ex eadem familia paucos prædicit fore ſaluandos. Ex quo loco id ipſum probat Paulus *ad Roman.* 9. *verſ.* 27. *Iſaias autem*, inquit, *clamat pro Iſrael: Si fuerit numerus filiorum Iſrael tanquam arena maris, reliquiæ ſaluæ fient.* cui teſtimonio in eamdem ſententiam adiungit aliud eiuſdem prophetæ *cap.* 1. *verſ.* 9. *Niſi Dominus Sabaoth reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma facti eſſemus.* Vide quæ nos ibi adduximus.

Iſraelitarum pauci Euangelium receperunt.

20. [*Conſummatio abbreuiata inundabit iuſtitiam.*]

A Locus hic difficillimus eſt, variéque ab autoribus redditus, verſatus, & expoſitus, & in hunc Iſaiæ locum, & in Pauli *ad Roman.* 9. vbi productus eſt à Paulo. Cuius cùm plurimæ ſint expoſitiones, vix aliquam inuenies, quæ omnino cum altera conſentiat. S. Thom. & Lyra in Iſaiam hæc accipiunt de tempore Senacherib, qui, quia à Deo breui conſumptus eſt, inducta fuit in terram æquitas, & iuſtitia. & ſic explicant illud *Inundabit iuſtitia*, id eſt, faciet abũdare iuſtitiam in terra. Toletus, Adamus, & Gabriel Vazquez in Paulum, allegoricè hîc putant agi de paucitate eorum, qui ex Iudaiſmo ſalutem conſequentur; hiſtoricè verò de decem tribubus, quæ exiguo numero ab exilio redierunt. Sed ſi quid hic hiſtoricum eſt, magis eſt textui conſentaneum, ſi de illorum paucitate ſermonem eſſe dicamus, qui ſub Achaz & Ezechia Aſſyriorum armis oppreſſi non ſunt, nam proximè actum erat de Senacherib, ad quem ſtatim redit vaticinium, de decem verò tribubus nullus proximus ſermo.

De ſenſu horum verborum mira inter autores varietas, quorum nullus eſt, vt bene Toletus in fine annotationis 37. *in cap.* 9. *ad Roman.* qui omnino cum aliis in tota explicatione conſentiat, aut totum exponat locum, aut verba ita connectat, vt omnia conſonent inter ſe. Nam licèt omnes, aut eorum plerique in eam ſententiam conſpirent, quæ de Iudæorum reliquiis, id eſt, de paucis ad ſalutem venturis ſermonem eſſe ſtatuit, quia vident omnino id ſentire Paulum, à quo recedere ingenij eſſet audacis, & impij; tamen in ea explicanda vehementer variant: præſertim in exponendo, quid ſit *conſummatio abbreuiata*, ſeu, quod idem eſt, & Paulus expoſuit, *verbum conſummans, & abbreuians.* 21.

Anacletus *Epiſt.* 2. hæc de Filio Dei videtur interpretari, qui verbum fuit in incarnatione abbreuiatum. Idem Hieronymus *epiſt. ad Algaſiam q.* 10. & Cyprianus *lib.* 2. *contra Iudæos, num.* 3. Alij Euangelium putant, ſed variè explicant. Dicunt enim abbreuiatum eſſe, quia Deus ex multis, quæ in antiqua lege proponebantur, compendium quoddam fecit in Euangelio. Aut quia ex antiqua lege multa ſuſtulit, atque illam quodammodo decurtauit, ſublatis longis, faſtidioſiſque laciniis, vt verbis vtar Tertulliani, atque Hieronymi, qui ita loquuntur; alter *hic*, alter *lib.* 4. *in Marcion. c.* 1. Idem ſentit Euſ. *lib.* 2. *demonſtr. Euangel. cap.* 4. Anſelmus, & S. Thomas *in Paulum*, & ex recentioribus multi, vt Toletus, Gagneius, & alij. 22.

Non longè ab iſtorum ſententia abeunt Chryſoſtomus & Theodoretus *in Paulum*, & Auguſt. *lib.* 1. *ad Simplicianum*, q. 2. addunt tamen ideo Euangelium vocari conſummatum in iuſtitia, quia iuſtitiam ſuis impertitur ſectatoribus, quod lex antiqua nullo modo potuit. Photius apud Oecumenium docet ideo Euangelium verbum dici conſummatum, quia Euangelio non ſuccedet lex alia, ſicut antiquæ legi ſucceſſit Euangelium. Longum eſſet aliorum, aut ſententias, aut explicationes afferre, quas nunc omitto; vt quod mihi veriſimilius eſt, tandem exponam. 23.

Inprimis veneror, amplectórque illorum Patrum ſententiam, qui hic aut Dei filium abbreuiatum in carne, aut Euangelium intelligunt, in quo reſectæ ſunt longiſſimæ veteris Teſtamenti laciniæ. Sed ne totus abeam in illam ſententiam facit, quod, vt ex Paulo liquet, & ex omnium antiquorum communi conſenſu, hîc propheta docet pauciſſimos 24.

ciſſimos fore ex Iudæorum gente, qui ſalutem obtineant; cuius ratio aut explicatio reddi videtur ab Iſaia, dum ait: *Conſummatio abbreuiata inundabit iuſtitiam.* Sed verbum Dei abbreuiatum in carne, aut leuiſſimum, ac ſuauiſſimum Euangelij iugum, potiùs promittebant copioſum, quàm indicabant exiguum ſaluandorum numerum; nam iſta potiùs alliciunt cunctantes animos, quàm deterrent. Et quidem propheta noſter ſæpe ex hac legis ſuauitate, & verbi incarnati myſterio ſub varijs metaphoris magnos ad Eccleſiam futuros eſſe dicit hominum conuentus. Neque præterea apparet, quomodo aptè cum ſuperioribus cohærere poſſit incarnati Verbi, ſeu Euangelij, aut nouæ legis introductus ſermo.

25. Quare mihi valde veriſimile eſt aliter quàm de Euangelio, ſeu de incarnato, aut abbreuiato Patris Verbo locum eſſe exponendum. Videtur autem duobus modis apto, & continenti filo explicari poſſe: altero exiguum illum numerum quem adiunget Eccleſiæ Iudæorum natio, fore ſanctiſſimum: & re vera ita impletum fuiſſe in Eccleſiæ principio ex Apoſtolicis Actibus planum fit. Nam primi illi naſcentis Eccleſiæ filij vſque adeò ſtudiosè vitæ ſanctitatem coluerunt, vt communi iam ac legitimo nomine vocarentur *Sancti.* Tunc verò ſic locum expono, atque ordino. *Iuſtitia*, id eſt, ſanctitate *inundabit*, id eſt, abundabit, & ornabitur illa conſummatio abbreuiata, id eſt, exiguus ille numerus, quem ex Iudæa collegit Eccleſia. Quæ ſententia quid habeat contortum, ac difficile, non video, aut quid alienum à re propoſita contineat. Quòd ſi hypallagem eſſe ſtatuas in verſione vulgata, qualis in Scriptura ſacra occurrit non rarò, quam aperuit Forerius, dum transfert, *Conſumptionem abbreuiatam inundabit iuſtitia*, minus habet difficultatis hæc expoſitio. Porrò *inundare* ſignificare copiam nemo non videt; ſiue illi verbo accuſatiuum addas, ſiue ablatiuum. Inundat enim aliquis iuſtitia, quia illa abundat, inundat iuſtitiam, quia illam ſtillat, & exuberanter diffundit. Pro conſummatione Hebr. eſt כִּלָּיוֹן *chilaion*, à verbo כָּלָה quod tam *conſumere* quàm *conſummare*, ſeu *perficere* valet. Quare iuxta explicationem, quam inſtituimus, ſenſus erit, Paucitas illa perfecta abundabit ſanctitate & iuſtitia.

26. Altero modo exponi poteſt, ita vt conſummatio non tam perfectionem ſignificet, quàm finem, aut id quod à fine proximè diſtat. Eſt autem Scripturæ ſacræ familiare, vt quod ab aliquo termino non longè receſſit, termini ipſius nomen obtineat; quod in loco, tempore, ac numero frequentiſſimum eſt. Dicimus enim aliquid factum in aliquo loco, quod factum eſt in loco vicino, quomodo Ioannes *cap.*1. de altero Ioanne ſcribit: *Hæc in Bethania facta ſunt trans Iordanem, vbi erat Ioannes baptizans.* Neque tamen in vrbe baptizabat, ſed prope illam. Et Chriſtus natus in Bethlehem dicitur, & occiſus in Ieruſalem, cùm tamen extra vtramque ciuitatem natus ſit, & occiſus. De tempore non minùs certum, aut vſitatum, in quo egreſſu filiorum Iſrael ex Ægypto plurima ſunt exempla. Nam quæ poſt illum temporis articulum facta ſunt, eodem facta eſſe traduntur, vt ſiccatum mare *Ioſue* 2. occurriſſe Moab Iſraelitis *Deut.*23. *verſ.*4. & 25.*verſ.*18. datum manna *Exod.* 16. acceptam legem in monte Sinai *Deut.*4. *Leuit.*26.4. *Reg.*8. quia hæc omnia contigere non longè poſt illum egreſſum.

Regula. In tempore aliquo, aut loco facta dicũtur, quę proximè facta ſunt.

De numero res eſt vſitata magis; nam quod parum abeſt, ab integro, atque perfecto, ſeu magis noto numero, quales ſunt decades, chyliades, myriades, anni, ſæcula, &c. ſiue illum excedat, ſiue ab illo deficiat, nomen illius ſibi vindicat. Quare Dauid qui ſeptem annos, & ſex menſes regnauit in Hebron 2. *Reg.*2. *verſ.*11. regnaſſe dicitur ſeptem annos 3. *Reg.* 2. *verſ.*11. Et Noë cùm genuit Sem, Cham, & Iapheth, traditur fuiſſe 500. annorum, cùm tamen natus tunc eſſet annos 480. vt notauit August. *lib.* 25. *de ciuitate cap.* 14. Plura exempla vide apud Salmeronem *Prolegom.*11. *quinquag.*3. *can.* 50. Ex hac Hebræorum conſuetudine natum eſt, vt cùm in aliquo numero pauci ſunt, qui aliquid non fecerint, ſubierintve, omnes feciſſe dicantur, aut ſubiiſſe. *Gen.* 35. duodecim, id eſt, omnes filij Iacob nati dicuntur in Meſopotamia, cùm tamen ibi natus non fuerit Beniamin, ſed in Ephrata. Eodem modo ſi è magno numero pauci aliquid fecerint, nullus exiſtimatur, & dicitur aliquid feciſſe. Quomodo *Pſal.* 11. defeciſſe dicitur ſanctus, quia pauci tunc erant ſancti, & *Pſal.* 13. propter eamdem cauſam nullus eſſe dicitur qui faciat bonum. 27.

Regula. A numero perfecto nomen ſumit quod ab illo non longè abeſt

Ex his conabor obſcuro huic loco, ſi quomodo aſſequi potero, aliquid afferre lucis. Fuere filij Iſrael, quo tempore hæc ab Iſaia dicebantur, ſicut arena maris, deinde abductis decem tribubus, & duabus reliquis euentu vario ſæpe, duréque conciſis, pauci ex ea multitudine ſuperſtites fuerunt, qui non aut mortem, aut captiuitatem ſubirent. Fuere item ſicut arena maris ſub Euangelij tempus, neque plures Euangelium amplexi ſunt, & ſalutem conſequuti ſpiritualem, quàm fuere priùs, qui Aſſyriorum arma, & ſeruitutis, aut mortis ignominiam effugerunt. Cùm ergo illi vtroque tempore ex ingenti numero pauciſſimi fuerint, optimè, cùm iuxta regulam traditam *nulli* dici potuerint, *conſummatio*, quæ idem eſt quod finis, aut nullus, vocati ſunt. Conſummatum enim appellamus, quod parum abeſt à fine, ſiue vt conſummetur. Et in hoc ipſo verbo exemplum eſt *Ioan.* 16. Cùm enim nondum conſummata eſſet aut Chriſti vita, aut noſtræ redemptionis opus, quia tamen iam parum ſupererat vitæ, dixit Chriſtus iam vicinus morti, *Conſummatum eſt.* 28.

Regula. Cùm è magno numero pauci relinquuntur, nullus dicitur fuiſſe reliquus.

Neque parum fauet huic explicationi *reliquiarum* nomen, quod datum eſt iis, qui ex Iſraelitarum genere ſeruati ſunt. Sunt enim reliquiæ in menſa id quod poſt abſumptos cibos reſiduum eſt: reliquiæ item dicuntur remanentes racemi iam peracta vindemia, quæ tamen non faciunt, quominus conſumpti dicantur cibi, & confecta cœna; & collecti de vite fructus, & abſoluta vindemia. Quare, qui reſidui ſunt racemi, *conſumptio*, ſeu *conſummatio* dici poſſunt; ſicut, quæ in aliquo genere poſtrema ſunt, *finis* vocantur: vt poſtrema ciuitas in aliqua prouincia, *finis prouinciæ* dicitur, & Hiſpanus quæ eiuſmodi ſunt appellat *alacabo*, quod eſt idem atque Latinè *conſummatio.* Et quidem Deus cùm paucitatem ſignificat eorum, qui ſalutem ſpiritualem meditabantur, quod hîc etiam facit, eos comparat cum racemis ex vindemia relictis. *Michæa cap.*7. *verſ.* 1. *Factus ſum ſicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ.* Quia verò, quæ illa ratione colliguntur, pro nihilo exiſtimantur, ſubdit ſtatim, *non eſt botrus ad comedendum.* Non quia nullus eſſet, ſed quia cum eorum numero comparati, qui collecti antea fuerant, vix vlli dici poſſent. 29.

Illud verò *abbreuiata*, reliquias illas, quæ *con-* 30.

ſummatio vocantur, exiguo numero futuras eſſe deſignat. in quo Foreirus Epitaſim agnoſcit: nam in *conſummatione* obſcurè intelligitur abbreuiatio: quæ deinde explicatur apertiùs. Quòd autem ſtatim additur: *Inundabit iuſtitiam*; commodam habet huic expoſitioni ſententiā: Aut ſi ita exponas, ſicut in priori explicatione, nempe illam conſummationem, & illud quaſi nihil abundaturum eſſe iuſtitia, & ſanctitate: Aut certè illam paucitatem in tanta reproborum multitudine oſtenſuram eſſe, quanta fuerit Dei iuſtitia; qui propter iterata toties peccata tantam abiecit multitudinem, & tam paucos aſſumpſit. quaſi dicat iuſtiſſimè, reprobatis aliis, pauci ſaluabuntur.

31\. Hanc explicationem aut tenent, aut indicant ex recentioribus aliqui, dum docent in conſummatione abbreuiata, illorum intelligi paucitatem, quos Dominus elegit reprobatis plurimis ex Iudæorum genere. ita Foreirus, & Salmeron in Paulum *ad Roman.* 9. vbi explicat hunc Iſaiæ locum. idem Gabr. Vazquez *ibid.* Et inter vſque adeò obſcura, & varia hoc mihi videtur impeditum minùs, & magis ad textum tam Iſaiæ quàm Pauli.

Quod ſi quis putet Iſaiam hoc loco idem agere quod Paulus *ad Roman.* 9. nempe de reprobatione Iudæorum, electionéque gentilium (quod mihi difficile eſt, ſentiunt tamen plurimi) ita vt hîc duo ſint vaticinia, alterum de Iudæis, de gentilibus alterum; tum optimè in *conſummatione abbreuiata*, aut *abbreuiato verbo*, intelligi poteſt aut incarnatum Verbum, aut Euangelium, quod antiquam legem multò excellentiùs, & multò præterea plura compendio continet: in hanc ſententiam. Euangelium abbreuiatum Deus per vniuerſam terram diffundet; cuius cùm iugum ſuaue ſit, quia non habet antiquæ legis oneroſa faſtidia, inundabit iuſtitiam, id eſt, iuſtos faciet ex gentilitate quamplurimos.

32\. Aut etiamſi in *conſummatione abbreuiata* pauculos accipias, qui ſe ad Chriſtum primùm adiunxere, quales fuerunt Apoſtoli, illi inundabunt iuſtitiam, quia nubium, aut fluminum more, quæ terram complent, & fœcundant; in vaſtam Gentium ſolitudinem cum Euangelio, iuſtitiam quoque, & ſanctitatem inducent: Sed, vt ego exiſtimo, Iſaias hîc de Gentibus non agit, neque item Paulus; dum verba citat Iſaiæ. Quia cùm proximè de Gentibus egiſſet, probaſſétque illarum electionem aliorum prophetarum teſtimoniis, hoc ſtatim teſtimonium de paucitate, & reprobatione Iudæorum induxit.

33\. ᵘ *Conſummationem enim, & abbreuiationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terra.*] Sententia eadem iteratur, quod fieri ſolet cùm magnum aliquid proponitur, & eſt quaſi prophetica quædam forma attentionis captandæ. Dicitur autem Deus conſummationem facturus, quia reprobata maxima Iudæorum parte, electorum ex eo genere ſic erit numerus exiguus vt penè totum genus videatur eſſe conſumptum, aut, quod abbreuiationis nomen importat, ad paucos redactum. Illud *in medio omnis terra*, idem eſt atque in tota promiſſionis terra, & vbique agerent Iudæi iuxta regulam, quam tradit Hieronymus *in cap.* 13. *Iſaia* ad illud. *vt diſperdat omnem terram. Idioma eſt*, inquit, *Scriptura ſacra, vt omnem terram illam ſignificet prouinciam, de qua ſermo eſt.* Quam regulam nos multis exemplis confirmauimus ad illud *Actor.* 2. *Ex omni regione qua ſub cœlo eſt.*

Regula. Omnis terra pro ea prouincia ponitur de qua ſermo eſt.

34\. Neque huic explicationi incommodat quiequam, quòd illa conſummatio abbreuiata futura dicitur in medio omnis terræ. quaſi futura exiſtimetur in Ieroſalem, quæ terræ promiſſionis quaſi vmbilicus exiſtimatur. Nam vt mediocriter in Scriptura ſacra verſatis conſtat, *medium* in Hebraico idiomate aut nihil addit præpoſitioni, cui adiungitur, aut certè aliquid aliud valet, quàm quod propriè dicitur medium, id eſt, quod ab extremis æqualiter diſtat. Iuxta priorem vſum intelligitur illud 4. *Reg.* 4. *ver.* 13. *In medio populi mei ego habito*, id eſt, in populo meo. & 1. *Reg.* 17. *verſ.* 34. *Tollebat arietem de medio gregis*, id eſt, de grege; Iuxta poſteriorem dicitur ſæpe aliquis eſſe in medio aliorum, id eſt, inter alios. Quod ſatis hîc indicauit Paulus, qui quod Iſaias dixit, *In medio omnis terra*, ipſe legit, *ſuper terram*, quod idem eſt atque in terra; neque de medio meminit. Quare abbreuiationem fieri in medio omnis terræ, nihil eſt aliud quàm in terra à Iudæis habitata paucos fore ſaluandos.

In medio idē eſt quod inter aut in.

35\. ˣ *Propter hoc ſic dicit Dominus Deus exercituum, Noli timere.*] Huc vſque de Eccleſiæ tempore, Iudæorúmque conuerſione. Iam ſe propheta refert ad hiſtoriam Senacherib, quam paucis interciderat; & cōmemorata illius ſtrage, ait non eſſe cur populus timeat, ſi Dei ſe tutelæ ac patrocinio credat.

Reuertitur ad Hiſtoriā Senacherib.

36\. ʸ *In virga percutiet te; & baculum ſuum leuabit ſuper te in via Ægypti. Adhuc enim pauxillum, modicúmque, & conſummabitur indignatio, & furor meus ſuper ſcelus eorum.*] Cætera obſcura non ſunt. *In via* idem eſt atque inſtar, ſeu ad morem & ſimilitudinem alicuius: quia via, modus eſt aut ratio viuendi ſeu operandi. Vnde frequens in Scriptura ſacra, *ambulauit in via*, ſeu *iuxta viam alicuius*, id eſt, imitatus eſt, & ſimilia paſſim. Quod ergo dicitur de Senacherib, *Baculum leuabit ſuper te in via Ægypti.* ſic interpretor: Ita ſæuiet in te, ô habitator Sion, Senacherib, ſicut olim Pharao Rex Ægypti, qui in populum oppreſſum, & propter grauioris mali metum non repugnantem, quidquid collíberet, licere ſibi arbitrabatur. Sed poſt modicum tempus furoris mei in illum ſtimulos exacuam. Et quemadmodum ipſe in via Ægypti, id eſt, Pharaonis more percuſſit te virga Tyrannica, & dura; ſic ipſe quoque à me in virga Ægypti percutietur. Nam quemadmodum Pharao graſſatus priùs pro ſua libidine in filios Iſrael, cùm maximè illorū ſanguinem ſitiret, leuata à Moyſe virga contra mare demerſus eſt; ſic Senacherib in maximo ſui furoris æſtu repentè diuina virga percuſſus concidet. id enim ſignificat quod ſtatim ſubditur, *Suſcitabit Dominus virgā ſuam ſuper mare, & leuabit eam in via Ægypti*: vbi nota ſimilitudinis ſupplenda eſt, hoc modo ſicut Dominus olim virgam ſuam leuauit ſuper mare rubrum contra Pharaonem, &c.

37\. ᶻ *Iuxta plagam Madian in petra Horeb.*] Non aliter Senacherib & inopinatò, & miraculosè deletus eſt, quàm olim ſub Gedeone Madian, *Iudic. cap.* 7. de quo plura *cap. præcedenti.*

38\. ᵃᵃ *Computreſcet iugum à facie olei.*] *Oleum* propter varias proprietates varia ſignificat: quia lenit, & mollit, quæ dura ſunt, admotúmque vulneri dolorem alleuat, medetúrque, pro *miſericordia* ſumitur. Et iuxta proprietatem iſtam hunc locum exponit Hieronymus cum aliis plurimis, qui putat ex copioſa Dei miſericordia id conſequuturus eſſe Iudæos, vt iugum quod partim iam impoſuerat Iudæorum multis, partim intentabat reliquorum ceruicibus Aſſyrius, putreſceret, id eſt, pondus amitteret, & omnino periret. *Alia proprietas* eſt, vt ſine

Olei proprietates, & trāſlationes.

ſtrepitu

ſtrepitu diffundatur,ac fluat,ſecus atque alij quidā liquores, qui cum ſonitu funduntur, & cum murmure defluunt, vnde hominem lenem, placidum, quíque nulli obſtrepit, aut moleſtus eſt, oleo tranquilliorem prouerbiali figura vocamus. Iuxta hæc alij hunc locum ſic accipiunt, ſine murmure, atque armorum fragrore frangendas eſſe, atque delendas Aſſyriorum vires: ita vt deletos ſe priùs quàm deleri ſe videant. Erit itaque victoria non cum tumultu, & ſtrepitu, ſed tacita atque tranquilla. ita putat Adamus.

39. *Alia proprietas olei* eſt, quia corpora non ſolùm recreat expeditáque reddit, & ad motum, curſúmque ſoluta, ac leuia, ſed etiam nitida, pinguia; hic autem nitor atque pinguedo, vt roboris & fortitudinis argumentum ſunt, ſic etiam pro robore, ac fortitudine vſurpantur. Quare Dauid *Pſ.*108.*v.*24. cauſam reddit cur macro ſit, & exhauſto corpore. *Caro mea immutata eſt propter oleum*, id eſt, propter olei defectum: quia nō vngitur. Aut certè immutata eſt, emarcuit, & aruit, quia ab adipe, & pinguedine deſtituta eſt. Ex quo fit vt *pingues* ſumantur pro vegetis, & robuſtis: quo nomine vocantur tauri præferoces, & fortes. *Pſal.*21. 13. *Tauri pingues obſederunt me* Et paulò ſuprà, qui robuſti erant in Aſſyriorum caſtris, pingues vocantur. *Mittet dominator Dominus exercituum in pinguibus eius tenuitatem.* Erit ergo iuxta hanc olei proprietatem ſenſus. Sicut Aſſyriorum pinguibus Dominus tenuitatem miſit, id eſt, infirmos reddidit, debilitauit, ac perdidit, ſic tenuibus atque debilibus Iudæorum pinguedinem, & fortitudinem dabit: ita vt qui antea quaſi macri, atque ſubacti boues neque audebant, neque, ſi auderent, poſſent iugum detrectare, pinguefacti tamen iam, & corroborati illud à ceruicibus excutiant.

40. b b Illud *à facie* ex vſu Scripturæ ſacræ idem eſt quod *propter*. Vt enim de *medio* nuper diximus, nihil interdum addere præpoſitioni, cui adiungitur. Sic etiam de *facie* multo certiùs affirmare poſſumus: quia multò in Scriptura ſacra notius, atque frequentius, vt *ante faciem gladij*, ſeu *frigoris*, id eſt, ante gladium, & frigus. Sic *à facie olei*, id eſt, ab oleo, ſeu propter oleum. Sicut etiam *Pſal.* 37. dicitur *à facie inſipientiæ meæ*, id eſt, propter inſipientiam meam. Siue ergo *oleum* hic miſericordiam Dei, ſiue robur, atque animum non abiectum, & languidum, ſed alacrem, & conſtantem ſignificat; propter illud, quidquid eſt, confractum, ac diſſolutum iri prædicit Aſſyriorum iugum.

41. Hæc omnia quæ adduximus in explicationem obſcuri loci, ſatis probabilia ſunt; ſed neſcio quomodo in illis minùs conquieſcit animus, qui aliquid amplius odoratur, & requirit. Nam cùm allegoricè *iugum* pro imperio ſumatur, quod excutiendum dicitur de Iudæorum collo, & à facie olei putrefactum iri, aliquid videtur eſſe quærendum in quo iugum cum oleo coniungatur: quia oleum etiam allegoricè ſumitur pro eo, quod iugo aut pondus adimit, aut materiam diſſoluit. Nam ſenſum eiuſmodi ſumi ex iis, quæ in aliquem ordinem, aut naturam non conueniunt, aut arte iunguntur, allegoriæ leges, & natura non ſinunt. Et ita putat Foreirus, qui ideo iugum ab oleo diſſolui dicit, quia iugi nodos, ſeu lora indurata adhibito oleo, ſeu pinguedine mitigare ac ſoluere conſueuerunt agricolæ. ita vt oleum loris, ac nodis ſit, quod nodo cuneus, vt eſt in prouerbio; Neque minùs habet prouerbialem ſpeciem, eodem ſenſu,

A *computreſcet iugum ab oleo.* Sed licèt mihi probetur maximè, aliquid habere oleum quod iugo vim adimat, aut illi aliquo modo contrarium ſit: non tamen puto ſatisfacere, quod ſuſpicatur Foreirus de nodis iugi ab oleo laxatis. Tum quia id agricolæ non faciunt, vt ſatis eſt omnibus compertum; tum quia poſtquam boum ceruicibus impoſitum eſt iugum, & vinctum nodis, ad tempus vſque quo perfuncti iam diurna opera à iugo exſoluuntur boues, non ita dureſcunt nodi, vt oleum ad molliendum, & laxandum adhiberi debeat.

42. Mihi, vt verum fatear, ad huius loci, allegoriæque præſentis explicationem, nihil occurrit, quod aut textum impleat, aut omnino ſatisfaciat. Tentabo tamen aliquid nouum, quod in rebus vſque B adeò dubiis, neque nouum videtur, neque cuiquam moleſtum eſſe debet. Et primùm exiſtimo de Aſſyrio iugo, quaſi ferreum eſſet, inductam eſſe allegoriam. Durum enim imperium, quale nonnullis impoſuerat, & aliis minabatur Aſſyrius, non ſemel ferrei iugi nomine ſignificatur. Imo ferreum Dominus minatur iugum rebelli, & peruicaci populo *Deut.* 28. *verſ.* 48. *Seruies inimico tuo, quem immittet tibi Dominus in fame, & ſiti, & nuditate, & omni penuria: & ponet iugum ferreum ſuper ceruicem tuam, donec te conterat.* Et *Ierem. cap.* 28. *verſ.* 14. & *Eccl. cap.* 28. *verſ.* 24. inuenitur quoque ferreum iugum, quo imperium oſtenditur durum, C & crudele. Siue ergo ex materia ferrea vſitatum eſſet iugum inter Hebræos, vicinóſque populos, ſeu certè accommodatum eſſet ligneo iugo ferri nomen, ad ſignificandum eius pondus, atque duritiam; ſicut dicitur ferrea virga, & ferrea fornax; ad ferri tamen nomen, & naturam accommodatè ſtatim adhibetur oleum; cuius ea vis eſt, vt dura quæque penetret, & emolliat, efficiátque vt illa facilè frangantur, & pereant. Et quidem, quod ad ferrum attinet, res eſt familiari ac quotidiano experimento comperta. Nam ſi quid inſtrumentis ferreis rubiginis inoleuit, id ab oleo exteritur, atque conſumitur; atque eò purgatur quod ſcabrum eſt, & immundum. Cuius vis ſic eſt comperta ac formidata iis, qui aut arma cudunt, aut ab aliis fabri- D cata, vt ſplendida ſint, & intaminata enitant, vt alio tingant oleo quàm oleagino, quia ab hoc arma corrumpi vſu didicere. Quin etiam audio ſi quidpiam luet in inſtrumento ferreo, puta malleo, incude, rimámque ſubeat oleum oliuarum, ſolere illud ſic affici, vt fraceſcat, & inutile ſit. Sanè Pierius *lib.*54. *tit. de pace*, cùm docuiſſet *oleum* pacis eſſe ſymbolum, ad extremum addit. *Cùm ferrum, ferrique vſus bello in primis inſeruiat, & ſymbolicè pro bello ponatur, tanta ineſt oleo vis, vt id emolliat, & ad feriendi vſum ineptum, & inutile reddat. Siquidem fabri, qui ferrum lenteſcere, atque emolliri volunt, candefactum id oleo intingere conſueuere.* Hanc vim olei duriſſima quæque penetrantis explicuit Dauid *Pſal.* 108. *Intrauit ſicut aqua in in-* E *teriora eius, & ſicut oleum in oſſibus eius.* Ex his hunc ego locum ſic interpretor. Imponet vobis Aſſur, ô viri Iuda, iugum, quod propter pondus, & duritiem videri poſſit ferreum: ſed ego contra parabo oleum, quo illud tanquam futile vas ſoluatur, & putreſcat.

Iugum ferreum.

43. Explicatio hæc alicui fortaſſe videbitur paulò durior: quia gratis videtur confingere iugum eſſe ferreum. Neque illud de oleo quo ferrum fraceſcere, atque corrumpi dicitur, aut ita certum eſt, vt omnes probent, aut ita notum, vt ab eo videa-

tur trahi poſſe prouerbium. Quare alio modo, A minus fortaſſe duro, coniungi poteſt oleum cum iugo: ita vt referatur ad lora, quibus iugum alligatur, aptatúrque ad boum ceruices. Non eo ſenſu, quem adduxit Foreirus, nempe vt oleum adhibendum ſit, vt lorum ſoluatur, quod diurno labore ſiccatum induruit. Id enim mihi omnino non probatur. Tum quia id non fert aut vſus, aut diſciplina ruſtica. Tum quia illud non facit, vt lora putreſcant, aut inutilia fiant: quod videtur propheta velle ſignificare. Aut certè, quia lora oleo madefacta, qualia ad iugum & plauſtra adhibent ruſtici, potiùs calore & vſu lenteſcunt, quàm indurantur. Quare ego aliter hæc duo coniungo, vt oſtendam vſum, vnde petita ſit metaphora, quam, B antequam expediam, obſeruo.

44. Primùm lora, quæ ad iugum ruſtici, aut ad plauſtra rhedarij adhibent, quæ è corio crudo plerumque fiunt, vt lenta ſint, & tractabilia, conſtringique poſſint, aut diſſolui facilè, oleo macerari, ſubigique, quod ſi abſit, facilè areſcunt, atque rumpuntur. Quod non alia ratione probo, quàm ruſticorum vſu perpetuo, à quibus hæc accepi. In oleo autem adipē, & quodcumque pingue intelligo, quo etiam coria molleſcunt, & ſubiguntur, nam hoc etiam ſignificat vox Hebr. שמן *ſemen*.

45. Præpoſitio מ aliquando negat. Deinde præpoſitionem מן *min*, pro qua noſter interpres reddidit, *A*, cum dicit *à facie olei*, quod idem eſt, atque ab oleo: ſignificare negationem, C ita vt *à facie olei*, idem ſit quod *à non oleo*, id eſt, quia deficiet oleum: quomodo *Pſal.* 108. dicitur: *Caro mea immutata eſt propter oleum*. Hebr. משמן *miſemen*, id eſt, *ab oleo*, ſeu quia oleum defuit: aut in cibis, quos non non delicatè condiui, aut quia in me pinguedo non eſt. Symmachus vertit ὑπὸ ἀναλειφίας, id eſt, *præ non vnctione*, ſeu quia non vnxi me, aut cibos, Apollinaris exponit χωρὶς ἐλαίου, id eſt, *ſine oleo*. quia nimirum cibus tenuis eſt, aſper, & inſulſus; ita vt, *propter oleum*, ſit idem quod *à ieiunio*, & eius explicatio. In eadem ſignificatione ponitur מ negatiua præpoſitio cum infinitiuis 1. *Reg.* 15. *verſ.* 26. מהיות *mehioth*, ab eſſendo, id eſt, ne eſſet. 1. *Reg.* 23. *verſ.* 28. מרדף *merdoph*, à ſequendo, id eſt, ne ſequeretur. *Iob.* 33. *verſ.* 28. מעבור D *meabor*, à tranſeundo. id eſt, ne tranſiret.

48. Ex his ego ſic hunc locum expono, computreſcet iugum, id eſt, iugi lora, & erunt prorſus inutilia, quia deficiet oleum quo delibuta, atque ſubacta vſui eſſe poterant alligando iugo. Et quidem ſenſus eſt idem, quem alij probant, nempe nihil perfecturum Senacherib, dum iugum contendit imponere, illigaréque Iudæorum ceruicibus. Nam Deus illi, cùm caſtra admouerit contra Ieruſalem, non ſuppeditabit oleum, quo lora lenta reddat, & ad conſtringendum idonea. In oleo verò diuinum auxilium intelligitur, quod Deus largè præſtitit Aſſyriis, donec ventum eſt ad Ieruſalem. Tunc enim oleo ſubtracto repentè computruit, E & diffractum eſt Aſſyrium iugum. Vide quæ hoc eodem capite diximus ad illud. *Et erit cùm impleuerit Dominus*. cuius loci ex hac allegoria ſumenda eſt interpretatio. Explicationem moralem huius loci, & quomodo iugum ab oleo diuino putreſcat, & leue fiat, vide Greg. *lib.* 19. *Moral. cap.* 12. *& 15.*

c c *Veniet in Aiath, &c.*] Elegantiſſima hypotypoſis eſt vaniſſimi ac ſuperbiſſimi Imperatoris, nihil ſibi non arrogantis, & quaſi iam debellatis, aut deditis hoſtibus exultantis. Inducitur hìc à propheta Senacherib elatus ſecūdo bellorum cuētu. Qui quaſi neceſſarius non eſſet iam copioſus apparatus bellicus, aut quo expeditior alias Iudæorum ciuitates non tam paſſibus obiret ocyùs quàm luſtraret victoris, ſarcinas, & militaria vaſa reliquit in Machmas, atque inde citato curſu ad alia tranſiuit. Neque dum ad Gabaa victorem exercitum appulerat, cùm clamauit, *Gabaa noſtra eſt*, & *Hinni filia Gallim*: clama & ciula ô ciuitas, quia iam adeſt tibi inopinata vaſtitas, &c. *Attende Laiſa*, id eſt, ex alicuo incommodo diſce, quid tibi impendeat mali. 47.

d d *Habitatores Gabim confortamini.*] *Gabim* deductum eſt à radice גב *gab*, quæ *aliquid excelſum* ſonat, ex quo mihi veriſimile fit habitatores Gabim dici Hieroſolymitanos ciues: quia hi loca incolunt excelſa. Nam Ieruſalem ſita erat in edito loco: & intra mœnia aliquos habebat colles, vt Sion & Moriam: de quibus nos ad illud Zachariæ *cap.* 14. *Ad vallem montium eorum*. Quare ciues Solymitani dici poterant *habitatores Gabim*, id eſt, collium, vel excelſorum. Illud verò *confortamini*, non ideo dicit Rex Aſſyrius, vt ad bene ſperandum excitet languentes animos, ſed vt oſtendat obſidionem adeò fore auguſtam, tam copioſas atque alacres obſidentium vires, vt ad reſiſtendum omne robur, ac ſtudium aduocare debeant, in quo ſpecies quædam irriſionis apparet. 48.

e e *Adhuc dies eſt, vt in Nobe ſtetur, Agitabit manum ſuam ſuper montem filiæ Sion, collem Ieruſalem.*] Id eſt, breui, nempe poſt diem vnum perueniemus ad Nobe, quæ ita Hieroſolymæ vicina eſt, vt inde ſpectari poſſit. Ibi ſtabimus, & figemus tentoria, vnde commodè, atque per otium non moleſtum, ciuitatem illam regiam expugnabimus. Dum autem leuandam eſſe manum dicit contra montem Sion, & collem Ieruſalem, videtur explicare, qui ſint habitatores Gabim, id eſt, locorum excelſorum. Videntur enim eſſe Iudæi qui degunt ſuper montem Sion, & ſuper collem Ieruſalem. 49.

f f *Confringet laguunculam.*] Prouerbium eſſe puto, quo ſignificatur facilis & totalis rei alicuius contritio: nam laguncula, ſeu quodcumque vas fictile facilè conteritur, neque vlli opportunum eſt vſui ſemel contritum. Eſt autem in Scriptura ſacra frequens ab eiuſmodi confracto vaſe ſimilitudo. *Pſal.* 2. *Sicut vas figuli confringes eos.* & infrà *cap.* 30. *Comminuetur, ſicut conteritur lagena figuli.* Hìc verò nota ſimilitudinis omittitur, id eſt, *ſicut* lagunculam. Aut certè alluſio eſt ad Hiſtoriam Gedeonis, de qua nuper. Vbi ad frangendas vires Madian lagunculæ fractæ ſunt. Lagunculæ verò illæ ſatis aptè, atque ſignificanter ſumi poſſunt pro victoria illuſtri, celeri, ſine ſanguine, atque armorum ſtrepitu. 50. Prouerbiū.

g g *Et ſubuertentur condenſa ſaltus.*] Id eſt, caſtra Senacherib, quæ vt vidimus nuper, cum ſylua denſa, varia, atque ſpecioſa collata ſunt. 51.

Argumen

Argumentum vndecimi capitis Iſaiæ.

POSTQVAM de inſolenti, ac vano ſpiritu Senacherib egit capite proximo, nunc de regno agit Emanuelis longè diſſimili, admonitus ab Aſſyriorum ſubita, atque infelici clade. Incipit autem ab Emanuelis ortu; & eius fortunatum, atque ſempiternum deſcribit imperium, in quo inter ſummos, atque infimos mirifica erit animorum, ſtudiorúmque conſenſio. Ad extremum, iterum liberandum populum prædicit ab exilio, quod apud Babylonios durum exiget, ac diuturnum, non aliter quàm olim ab Ægyptio iugo liberatus eſt. Tunc verò latè prædabitur nationes illas, quæ varijs temporibus Iudæorum nomen hoſtilem in modum auidiſſimè vexarunt.

CAPVT XI.

1 [a] *ET egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet:*

2 [b] *Et requieſcet ſuper eum* [c] *Spiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij, & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ, & pietatis.*

3 *Et replebit eum ſpiritus timoris Domini. Non* [d] *ſecundum viſionem oculorum iudicabit, neque ſecundum auditum aurium arguet.*

4 *Sed iudicabit in iuſtitia pauperes, & arguet in æquitate pro manſuetis terræ.* [e] *Et percutiet terram virga oris ſui: & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium.*

5 [f] *Et erit iuſtitia cingulum lumborum eius: & fides cinctorium renum eius.*

6 [g] *Habi*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 AVDISTIS quomodo Aſſyriorum princeps Senacherib eo caſu conciderit, quo procera arbor è ſaltu Libani, è cuius ſtirpe nullum videtur erumpere poſſe germen. Non ſic accidet tibi, ô Sion, nam licèt longo apud Babylonios exilio eliſa prorſus, & mortua videatur ſtirps Regia Dauidis filij Ieſſe; ex ea tamen pullulabit virga, quæ florem fundet odoris eximij.

2 Fortitudinem ſibi, conſilium, & prudentiam fallaci blandimento deluſus ſibi tribuebat Senacherib; quicquid verò habuit, id in illo qualecumque fuit, momento temporis extabuit. Non ſic in Emanuele, qui ex virga Ieſſæa inſtar floris erupit. Requieſcet etenim in illo ſtabili omnino, & ſempiterna poſſeſſione ſpiritus ſapientiæ, intellectus, conſilij, fortitudinis, ſcientiæ, & pietatis. Quare nihil erit, quod ad optimi gubernatoris, & ducis officium quiſquam deſideret.

3 Sic abundabit ſpiritu timoris, vt eius halitum vſquequaque diffundat. Non illum externa rerum facies decipiet, qua humani ſæpe capiuntur oculi. Neque iuxta hominum ſermones iudicabit; qui ſæpe fallunt; ſpiritu quippe ſapientiæ in ſermone fallaci, aut inſipienti, & in lingua duplici dolum, atque verſutiam deprehendet.

4 Sed æquum ſe præbebit in pauperes, quorum ſpecies humilis eſt, & abiecta; & quos mendaci ſermone vulgus compungit, & arguit. Immò cauſam ſuſcipiet abiectorum, & pauperum: & potentium fraudem, & fucatam iuſtitiam ſceleris coarguet, atque calumniæ. Impios denique omnes, quocumque ſint loco, atque ordine, ſermonis libertate percutiet, atque proſternet.

5 Quia Emanuel iudex futurus eſſe dicitur, ideo illas colet virtutes, quæ valde ſunt ad illud iudicandi munus neceſſariæ: fidelitatem videlicet, & iuſtitiam, quæ illi quaſi balteus erunt, atque cinctorium, quæ & chara ſunt, & nunquam deponuntur.

6 Hæc

6 Hæc fides atque iuſtitia Emanuelis efficiet, vt omnia ad eam æqualitatem adducantur, vt ſummi, atque infimi, potentes, & infirmi; qui ſpiritu erant præferoci, & alto, & qui animum habuerunt manſuetum, & humilem, idem amplectantur, & ſeruent viuendi genus, & inſtitutum: quod ſanè admirandæ virtutis eſt. Perinde atque ſi quis efficiat vt lupus cum agno, & pardus cum hœdo, cum leone vitulus, eiſdem ſtabulentur cubilibus: aut feras natura ſua truces, & indomitas cum agnis ſimul, atque hœdis ad paſtum agat, & ad caulas reducat tenellus puer.

7 Vitulus, atque vrſus eadem obibunt paſcua; & eorum catuli, quaſi non eſſent, aut natura, aut ingenio diſſimili, ſimul morabuntur, & ludent: & leo natura carniuorus ſic ad bouis ſimilitudinem ingenium, & palatum attemperabit; vt commune cum boue habeat palearum præſepe.

8 Puer paruulus, & primùm ab vbere depulſus, cui omnia etiam leuiſſima terrori ſunt, adeò non pauebit aſpidé, & baſiliſcum, vt ludo ſibi habeat, & ioco cum illis verſari, atque agere familiariter, & in eorum latebras, & foramen tutò, ac ſine metu manum intromittat.

9 Non nocebunt in ſanctis Eccleſiæ meæ montibus hæ venenatæ belluæ, quæcumque illæ fuerint: neque venenum afflabunt, aut euoment ita mortiferum, vt cuiquam exitio ſint: quia ſic Dei ſcientia terram operiet, ſicut proximum littus marini fluctus opplere, atque operire aſſolent.

10 Eo tempore Gentes adorabunt ſupplices, deprecabuntúrque virgam de radice Ieſſe, nempe Chriſtum; qui populis proponetur tanquam ſcopus, & ſignum ad ſagittam. Sed poſt ignominiam, acerbitatémque paſſionis, ſequetur ſepulcri honor, & glorioſa requies.

11 Huc vſque de Emanuelis Regno: nunc ad populum redeo à variis hoſtibus variè vexatum. Vt Aſſyrium exercitũ extinxit Dominus qui graui plaga affecerat Iudæos, maiorémque illis è proximo loco minabatur: ſeruauírque ſuos, quando nullum apparebat aut duræ mortis, aut fœdæ captiuitatis effugium: ſic eos iterum, qui ex eodem genere reliqui fuerint poſt tempora Babylonica, ex captiuitate patriæ, & quaſi ex ſepulcro ſibi, vitæque reſtituet: Euocabit namque vndecumque locorum, in quæ illos, aut belli metus, aut varia fortuna diſſeminauit, ex Aſſyria nẽpe, Ægypto, Phethros, Æthiopia, Ælam, Sennaar, Æmath, ab inſulis denique maris, & illos ſicut filios iterum amplexabitur.

12 Tunc verò tanquam imperator eleuato militari ſigno quod in omnes mundi plagas latè pateat, profugos, atque exules Iſrael vndique congregabit: & qui diſperſi ſunt è Iuda, è quatuór terræ partibus adducet.

6 [g] *Habitabit lupus cum agno: & pardus cum hœdo accubabit. Vitulus, & leo, & ouis ſimul morabuntur,* [h] *& puer paruulus minabit eos.*

7 *Vitulus, & vrſus paſcentur: ſimul requieſcent catuli eorum. Et leo quaſi bos comedet paleas.*

8 [i] *Et delectabitur infans ab vbere ſuper foramine aſpidis: & in cauernam reguli, qui ablactatus fuerit, manũ ſuam mittet.*

9 [k] *Non nocebunt, & non occident in vniuerſo monte ſancto meo: quia repleta eſt terra ſcientia Domini, ſicut aqua maris operientis.*

10 [l] *In die illa radix Ieſſe,* [m] *qui ſtat in ſignum populorum: ipſum gentes deprecabuntur,* [n] *& erit ſepulcrum eius glorioſum.*

11 [o] *Et erit in die illa: adiiciet Dominus ſecundò manum ſuam ad poſſidendum reſiduum populi ſui,* [p] *quod relinquetur ab Aſſyriis, & ab Aegypto, & à Phethros, & ab Aethiopia, & ab Aelam, & à Sennaar, & ab Aemath, & ab inſulis maris.*

12 [q] *Et leuabit ſignum in nationes, & congregauit profugos Iſrael, & diſperſos Iuda colliget à quatuor plagis terra.*

13 [t] *Et auferetur zelus Ephraim, & hoſtes Iuda peribunt.* [t] *Ephraim non æmulabitur Iudam, & Iudas non pugnabit contra Ephraim.*

13 Tunc autem qui ex Ephraim, aliíſque tribubus ab exilio redibunt permixti Iudæis, mutato conſilio non iam ampliùs contra Iudæos ſpiritus alent hoſtiles; quin potiùs in vnam rempublicam; atque adeò in vnum corpus coaleſcent. Et quotquot aduerſus Iudam, aut intulerunt, aut meditantur bella, interibunt. Neque deinceps Iudas contra Ephraim; neque Ephraim contra Iudam aliquid molientur hoſtile.

14 [v] *Et volabunt in humeros Philiſtiim* [v] *per mare,* [x] *ſimul prædabuntur filios orientis.* [y] *Idumæa, & Moab præceptum manus eorum, & filij Ammon obedientes erunt.*

14 Tam longè erit vt cognatæ hæ tribus inter ſe diſſideant, vt potiùs magna animorum conſpiratione in communes hoſtes bella moueant. Quare aggreſſi Palæſtinam, quæ à mari magno reſpicit Iudæam, Philiſtinorum potentiam ita frangent, vt illorum humeros iumentorum ſarcinis ſeruire faciant, aut alio quouis modo illorum ceruices durè premant. Deinde contra Orientalem plagam arma conuertent, eámque non minori ſucceſſu prædabuntur. Idumæam dico, & Moabitidem, atque Ammonitidem regionem, quæ Iudæorum armis ſubiugatæ ſupplices, & obedientes manus illorum præceptis vltro ſubmittant.

15 [a] *Et deſolabit Dominus linguam maris Aegypti,* [aa] *& leuabit manum ſuam ſuper flumen in fortitudine ſpiritus ſui: & percutiet eum in ſeptem riuis:* [bb] *ita vt tranſeant per eum calceati.*

15 Sicut Dominus olim aperta, & quaſi deſolata lingua Ægyptij maris, id eſt, maris rubri, populum traduxit ſicco veſtigio, quod eleuata virga in Moyſis manu ad vlteriorem vſque ripam aperuit; ſic idem Dominus in manu Cyri Euphratem fluuium, qui remigraturis ab exilio impedimento fore videbatur, in ſeptem flumina, ſeu alueos ita deriuabit: vt tranſire illum poſſint etiam calceati.

16 [cc] *Et erit via reſiduo populo meo, qui relinquetur ab Aſſyriis: ſicut fuit Iſrael in die illa, qua aſcendit de terra Aegypti.*

16 Non aliter reducetur populus in patriam, à qua depulſus fuerat, ex Babylonico exilio, quàm olim in illam primùm inductus fuit. Eodem illum, & complector ſtudio, & afficiam beneficio, quo iam antea dudum, eo die, quo ex Ægyptia tyrannide liberaui.

IN CAPVT VNDECIMVM COMMENTARIVS.

1. [a] ET *egredietur virga de radice Ieſſe: & flos de radice eius aſcendet.*] Non poteſt diu Euangelicus propheta obliuiſci ſui Emanuelis. Et cum in eo, qui amat, cauſa quæri non ſoleat, cur hoc vel illo tempore de re amata loquatur; quia nullum eſt tempus importunum amanti; hic tamen non ſine occaſione ad ortum, & regnum Emanuelis deſcendit Iſaias. Nam proximè funditus delendum eſſe dixerat Senacherib, cum exercitu, quē denſo, atque ſpecioſo ſaltui proximis verbis compararat. *Et ſubuertentur,* inquit, *condenſa ſaltus ferro, & Libanus cum excelſis cadet.*] Neque ſeruata allegoria, vllum videbatur germen A erupturum ex eliſa illa, atque conuulſa ſtirpe, quod eſſet ſtabile. Quia paulò pòſt Aſſyriorum vires, & imperium à Nabuchodonoſor ſtirpitus exciſa ſunt. Commemorato itaque Aſſyriæ fortunæ infelici caſu, inquit propheta, longè aliter futurum eſſe de genere Iudæorum, ſtirpéque regia. Nam cùm genus illud ſic eſſet affligendum poſtea longo apud Babylonios exilio, vt nulla ſpes videretur reliqua libertatis; tamen ex radice Ieſſe, id eſt, ex ſemine Dauid filij Ieſſe, ſeu Iſai, pullulatura virga dicitur, (quæ ſine dubio Maria eſt communi Patrum conſenſu) & ex ea flos egreſſurus, qui non marceſcet vnquam, ſicut Aſſyrius ſplendor, atque viriditas; neque regnum, quod debetur illi in æternum deficiet.

Neque

Neque cauſa deeſt cur nôn meminerit Dauidis, cùm tamen illius ſemini æterni regni promiſſa eſſet hæreditas, ſed Ieſſe, cuius filius ignominiæ cauſa ſæpe à Saul, & nonnunquam à populo dictus eſt Dauid: Indicare enim voluit propheta nihil Emanueli acceſſurum eſſe gloriæ ex ſplendore regio, ſed potiùs Regem ipſum Dauid, & totum Iudæorum genus ab ipſo futurum eſſe glorioſum: Ideo ex radice humili Ieſſe, non ea florenti, ac nobili ſtirpe Dauid oriturum eſſe germen prædicit. Eodem vt credo, ſenſu Chriſtus in Euangelio ſe filium hominis appellat, cùm tamen ab aliis interdum ſalutetur filius Dauid.

2. b *Et requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ*, &c.] Illud *requieſcet* aliquid ſignificat ſtabile, & quaſi proprium alicuius. Et, licèt nō ſemper (B) perpetuum ſignificet, ſignificat tamen firmum, ac diuturnum: quomodo ſpiritus Eliæ requieuiſſe dicitur ſuper Heliſæum. Videtur autem propheta Regem Emanuelem opponere velle Regi Senacherib. Nam hic fortem ſe, atque ſapientem iactabat, de quo *cap.* 10. *Dixit enim in fortitudine manus meæ feci, & in ſapientia mea intellexi.* Hæc tamen breui euanuerunt, & quæ videbantur ſapientia, ſtultitia reputata eſt. Sed in Emanuele hæc fuere propria, quæque ab eo ſpiritu, à quo conceptus eſt, cumulatiſſimè accepit: & à quibus dictus eſt admirabilis, conſiliarius, fortis, princeps pacis. *cap.* 9. ad quod veriſimile eſt prophetam reſpexiſſe.

3. *Spiritus quid in ſcriptura.* c Huius vocis *ſpiritus* in Scriptura ſacra creber eſt vſus, & varia ſignificatio; ſed quod ad præſens (C) inſtitutum pertinet, eſt quidam internus motus, ſeu vis, aut afflatus, qui nos ad aliquid conandum agit, & inſtimulat: qui à Latinis *ardor* vocari ſolet hominibus iniectus. Quo ſenſu apud Virgil. *lib.* 9. *Æneid.* Niſus ad amicum inquit,

Dij ne hunc ardorem mentibus addunt,
Euriale, an ſua cuique Deus fit dira cupido?
Aut pugnam, aut aliquid iam dudum inuadere magnum,
Mens agitat mihi; nec placida contenta quiete eſt.

Qui ſpiritus aut ardor ſi ad turpia immoderatè rapiat, *furor* appellatur: aut *dira*, ſeu *veſana cupido*. Quorū exemplis apud profanos abundamus. Sed & *Iudic.* 20. *v.* 5. ardens libido *furor* appellatur. Sic enim de habitatoribus Gabaa Leuites: *Vxorem* (D) *meam incredibili libidinis furore vexantes.* Hic itaque impulſus, ſeu inſtinctus acer quamcumque in partem *ſpiritus* vocatur. vt *ſpiritus furoris, zelotypiæ, fornicationis, compunctionis, obſtinationis.* Quo ſenſu intelligitur illud *Prou.* 29. *Totum ſpiritum ſuum profert ſtultus: ſapiens differt, & reſeruat in poſterum.* id eſt neſcit ſtultus cohibere acriores animi motus, ſeu temperare, ſed ſtatim totam vim effundit. Porrò ſpiritus iſte aut motus duplex eſt, alter *citò tranſiens*, aut per modum actus ad aliquod opus ſingulare, qualis fuit ille qui ſæpe irruit in Samſon, & qui Mathatiam, & Phinees ad cædem fornicarij atque ſacrilegi inſtimulauit. Alter *permanens*, & quaſi proprius, quique in aliquo dicitur requieſcen- (E) te, qualis fuit ſpiritus propheticus, qui datus eſt Iſaiæ, & ſapientiæ ſpiritus, quem habuit Salomon. Porrò vterque ſpiritus, ſeu qui diu atque permanenter hæret in homine, aut qui ad rem aliquam ſingularem inſtigat, aut *in intellectu* eſt, aut *in voluntate*; *In intellectu*, vt illuminatio, quæ hominum rationes, & conſilia moderatur, ne errent. Vt ſapientia, qualem in gubernando Salomon habuit, qui de ſe ait *Sap. cap.* 7. *verſ.* 7. *Et venit in me ſpiritus*

Spiritus duplex, tranſiēs aut permanens.

(A) *ſapientiæ.* Et in cudendo ære, ac marmore Beſeleel *Exod.* 31. *verſ.* 3. quæ etiam ad rem ſingularem dirigit, vt ſæpe accidit Moyſi, Ioſue, Dauid. *In voluntate*, vt ſpiritus pietatis, timoris, fortitudinis.

Hi verò ſpiritus permanentes aut requieſcentes in animo *dona* vocari poſſunt, qualiter ab Eccleſia, & Patribus nominantur. nam qui hic dicuntur *ſpiritus timoris, conſilij*, &c. ab Eccleſia *dona* vocantur *Spiritus ſancti.* Hi ergo ſpiritus dati ſunt Emanueli, non ad aliquod definitum tempus, ſed perpetui, & proprij: à quibus ſemper veriſſimè dici potuit, *ſapiens, fortis*, &c. Quæ verò ſint iſta dona, quâue ratione viciſſim inter ſe diſtincta, diſputant Theologi *3. d. 34. q. 1. & d. 35. q. 2.* S. Thom. *1. 2. q. 68. & q. 2. 2. q. 38.* De timore res eſt obſcurior, magiſque à (B) Theologis diſceptata, quomodo eſſe potuerit in Chriſto. Vide S. Thom. *3. p. q. 7. art. 6.* & ibi Scholaſticos. *Spiritus timoris.*

Ego hîc à communi Theologorum, & Patrum ſententia non diſcedo, qui ex hoc Iſaiæ teſtimonio ſeptem numerant Spiritus ſancti dona. Sed aduerto Hebr. eamdem eſſe vocem, quæ priùs *pietas*, & ſtatim redditur *timor*, & ita vtroque loco timorem reddi à Pagnino, Vatablo, Foreiro, Iſidoro, Clario. Quare exiſtimari ab aliquo poſſet eamdem iterari vocem, & donum, quod vſu euenire in Scriptura ſacra, quando res maiori ſtudio notandæ ſunt, ſæpius obſeruauimus. Et iuxta hanc explicationem ex hoc loco non plura quàm ſex Spiritus ſancti dona colliguntur. Sed ſanè nullo modo recedendum (C) eſt modò à communi Eccleſiæ, Patrúmque ſenſu. Neque admodum pugnat idem nomen poſteriori loco repetitum. Nam nomen יראה *irah*, ſicut alia plæraque apud Hebræos πολύσημον eſt, & multa ſignificat, id eſt, *timorem*, & *obſeruantiam.* Sicut etiam apud Latinos verbum *revereor*, & nomen *reverentia*, ita ſignificat obſeruantiam, vt etiam ſignificent timorem: In voce Hebraica, modóque loquendi maior quædam apparet vis, vbi enim noſter reddit *Et replebit eum ſpiritus timoris Domini.* Hebr. eſt, והריחו ביראה יהוה *veharicho beirah adonai*, quæ pro varia punctorum notatione variè ab interpretibus redduntur. Alij: *Olfacere ipſius* (Emanuelis) *cum timore Domini.* Ita vt quod minimum eſt, quod odorandi actione ſignificatur, ſiue etiam (D) reſpirandi; quia ſine ſpiratione plerumque odoratio non fit ſine Dei timore non fiat; ſeu clariùs, nihil olfaciet, ſpirabitve niſi Dei timorem. Ita Foreirus. Vatablus in odoratu acre iudicium intelligit Chriſti, in quo ſemper intuebitur Deum; & ideo ſubditur, *Non ſecundùm viſionem oculorum iudicabit*: quod etiam non diſplicet Foreiro. Mihi veriſimilius eſt illud nomen והריחו, eſſe in præteritoconiugationis Hiphil, & propter *Vau* conuerſiuum, explicandum eſſe per futurum. Tunc verò verbum ad Spiritum ſanctum refero tanquam ad ſuppoſitum, in hanc ſententiam: *Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini*, &c. *& ſpiritus idem odore faciet Chriſtum timorem Domini*, id eſt, quocumque aut (E) opere aut loco odorem emittet ex ſe timoris Domini.

4. *Chriſti regnum, & inſtitutio.* Ad extremum exiſtimo hîc à propheta opponi Emanuelem his regibus, atque principibus, qui ſe ſuóſque inani conſilio, & iniquis rationibus perdidere, ſiue externi ſint, ſicut Reges Aſſyriæ, atque Samariæ, de quibus antea: ſiue domeſtici, & de media regione Iuda, vt fuit Achaz, & principes, ac duces alij, de quorum iniquitate, ac leuitate ſæpe egerat à principio ferme prophetiæ. Vt enim illi

ſtultiſſi

ſtultiſſimè inire conſilium, & vitam mollem, languidam, & inertem, fœminarum in morem inſtituerunt, condiderúntque leges iniquiſſimas, quibus oppreſſis viduis, atque pupillis ſuas ipſi res augerent, & ornarent: Sic contra Rex, & Iudex Emanuel longè aliter & ſuam inſtituet, moderabitúrque rempublicam, & ſeipſum in ſubditum ſibi populum præbebit. Et ſicut impius Achaz olere fecit ciuitatem ſanctam impietatem, inducta Gentilium religione; ſic Emanuel in Regionibus iam antea dudum impiæ religioni conſecratis, ſublata impietate olere faciet pietatem, & religionem veram.

5. Deus ſcrutator cordis.

[d] *Non ſecundum viſionem oculorum iudicabit.*] Iam hîc ſe produnt aliorum ſpirituum, aut Spiritus ſancti donorum opera. & primi eorum quæ ad intellectum pertinent. Neque enim illum externa rerum ſpecies decipiet, qua humani ſæpe capiuntur, & falluntur oculi. Sed interiora introſpicit, & quæ hominum ſolertiam plerumque fugiunt; quibos interdum alienus fucus ſpeciem honeſtatis obtendit, cùm tamen ipſa procul ab omni honeſtate receſſerint. Sed neque ſecundum auditum aurium arguat; quia ſæpe omnino fallit, venditátque laude, atque mercede dignum, quod eſt omni ſuppliciorum acerbitate digniſſimum; Spiritus enim ſapientiæ, qui requieſcet in Chriſto, in obuelata malitia, & fucata ſanctitate iniquitatem, & fraudem, & in fallaci ſermone, & lingua duplici, dolum, & verſutam cogitationem deprehendet. Hæc mihi vera videtur explicatio huius loci; neque tamen diſplicet, ſi quis putet vſque adeò in iudicando iuſtum atque integrum fore Emanuelem, vt nihil hominum oculis, aut auribus indulgeat, quod veritati aut iuſtitiæ negetur. Quia hæc Spiritus ſancti dona non tam intuentur, quæ humana ſunt humano ſenſu, qui ſæpe falluntur, aut affectu: qui ſæpe aliquo blandimento, ac cupiditate peruertitur, quàm diuino, & ſupra naturam eleuato. His itaque donis plenus Emanuel neque curabit aut admiratur ea quæ hominibus in amore ſunt, aut veneratione: neque reſpiciet perſonam potentium, neque (quod fieri vetuit *Ioan.* 7. *verſ.* 24.) ſecundum faciem iudicabit: ſed pauperum, ac manſuetorum, quod vexat, atque opprimit potentiorum vis, & auaritia, cauſam ſuſcipiet. De quo eſt illud *Pſal.* 71. *Tibi derelictus eſt pauper; orphano tu eris adiutor.*

6. Sermo Chriſti verus, & acer.

[e] *Et percutiet terram virga oris ſui; & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium.*] Apparet iam in Chriſto ſpiritus fortitudinis, quo impios, quocumque ſint loco, atque ordine, ſermonis libertate percutiet, atque proſternet. Ex ſuperioribus conſtat *virgam* pro correctione, ſiue ſupplicio ſumi, quam Deus in manu Aſſur ad corripiendum populum conſtituit: nunc verò *virga oris Chriſti* percutiendam eſſe terram denuntiat propheta; quia terrenorum hominum vitiis non parcet illa vox, quam diuinus halitus animat, & format. Neque enim Emanuelis os erit adulatorium, aut fallaci blandimento fouens peccatorum audaciam; ſed iuſtum, acre, quod propoſito metu coërcere, & ſeuera obiurgatione verberare poſſit ſceleratos, & improbos. Neque alius eſt *ſpiritus labiorum*, quàm *oris virga.* nam *ſpiritum* pro *furore* ſumi ſatis eſt notum, & nos pluribus oſtendimus ad illud *Zachar. cap.* 5. *verſ.* 9. *Et ſpiritus in alis.* Et qui vocatur hic *labiorum ſpiritus*, aut *oris virga*, *Apocal. cap.* 1. *verſ.* 16. vocatur *gladius. Ex ore eius gladius vtraque parte acutus exibat.* Hac virga, ſeu ſpiritus labiorum Chriſtus Antichriſtum occidet. 2. *Theſſalon.* 2. *verſ.* 8. *Quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui.* Hoc ſpiritu labiorum & luxus & inanes faſtus, & ſtultas ſuperborum hominum cogitationes depreſſit: ab illo ſpiritu, & ab illa virga fuere voces illæ vehementes, & graues, quas contra Phariſæos, & de ſynagoga principes viros Chriſtus intonuit *Matth.* 23. Vbi de ſuis moribus audiuerunt viri ſuperbiſſimi, quæ à nemine ſibi obiici poſſe arbitrabantur. In quo capite quoties reperitur *væ*, reperitur autem octies, toties contra illos & grauiſſimæ ſonant obiurgationes, & horribiles minæ: imò horribilia intorquentur fulmina. Neque leuiùs aut mitiùs egit contra diuites, & eos qui voluptatibus intemperantiùs indulgent, *Luca cap.* 6. quibus æternam famem, & gemitum denuntiat, *væ vobis qui ſaturati eſtis, quia eſurietis; væ vobis, qui ridetis,* &c.

Si hanc virgam in ore, aut hunc ſpiritum in labiis haberent, qui Apoſtolici muneris miniſtros ſe eſſe profitentur, qualem ſine dubio illis Euangelium porrigit, nam *virga* Euangelica doctrina eſt, vt exponit Hieronymus: & *gladius* verbum Dei eſt, vt docet Paulus *ad Epheſ. cap.* 6. & *ad Hebr.* 4. Neque tam ſibi placeret in ſuo robore, aut opibus potentes: neque tam illorum iniuriis opprimerentur pauperes. Sed prò dolor prurientibus potentium auribus blandiuntur potiùs, quàm obſequuntur Euangelio: & ſuo potiùs aguntur ſpiritu, dum ſuis ſtudent rationibus, quàm diuino. Cuius eſt donum fortitudo, & pietas, quam in huiuſmodi viris, qui ſibi Apoſtolici muneris nomen arrogant, deſideramus potiùs, quàm videmus. 7. Qualis viri Apoſtolici ſermo.

[f] *Et erit iuſtitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius.*] Eumdem ſenſum eſſe puto vtriuſque partis. Nam hîc *fides* pro *veritate*, ſeu *fidelitate* ponitur, quæ eſt pars iuſtitiæ. Quia Emanuel Rex futurus eſt, & iudex, ideo præcipuè eius muneris partes deſignantur. Quare illum ad æquitatem, & iuſtitiam accinctum, & expeditum oſtendit propheta. Vbi videtur eſſe quædam ſpecies Enallages: ac ſi dicas, *erit accinctus ad iuſtitiam, & veritatem tuendam ſuper terram.* Quidam hîc in cingulo, ſeu cinctorio gladium intelligunt, qui ducis & Imperatoris inſigne eſt, imò & Iudicis, iuxta illud *ad Rom.* 13. *Non enim ſine cauſa gladium portat.* Et fauet huic ſententiæ quod de eodem Emanuele dicitur *Pſal.* 44. *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum,* &c. *propter veritatem, manſuetudinem & iuſtitiam. Veritatem* autem idem eſſe quòd *fides* proximè diximus. Chaldæus in iuſtitia iuſtos agnoſcit, quibus dicit induendum, id eſt, circumdandum eſſe Meſſiam. Neque diſſimili vſus eſt Iſaias *cap.* 49. *His omnibus* (id eſt iuſtis) *velut ornamento veſtieris*, vbi tamen de Eccleſia ſermo eſt. 8.

Senſus tamen mihi videtur neque parum elegans, neque minùs ad textum, & munus Emanuelis, ſi dicas iuſtitiam, & fidem neque minùs gratam, neque minùs aſſiduam futuram Emanueli, quàm cingulum, aut cinctorium Regi. Porrò Regi ac duci inſigne eſſe balteum, & quaſi ſymbolum indicat Iob *cap.* 12. *Balteum Regum diſſoluet.* Certè geſtari aſſiduè diſcimus ex 1. *Reg. cap.* 18. *ver.* 4. *Spoliauit ſe Ionathas tunica, qua erat indutus, & dedit eam Dauid, & reliqua veſtimenta vſque ad gladium, & arcum ſuum, & vſque ad balteum*, vbi balteus extremo poſitus loco oſtendit maximè charum, ac pretioſum eſſe ex omni inſtructu militari. Vt enim 9. Iuſtitia, ac fidelitas Chriſti.

puellis nihil eſt amabilius faſcia pectorali, *Ierem.* 2. *Nunquid obliuiſcetur virgo, &c. aut ſponſa faſcia pectoralis ſuæ*, ſic viro principi, ac duci Balteus. *Pſal.* 108. *Sicut Zona, qua ſemper præcingitur.* Quid de antiquiſſimis, id eſt, de Iſaiæ temporibus apud Hebræos vſitatum eſſet, nihil mihi compertum eſt, quod attinet ad iudicum, & aliorum magiſtratuum balteum; tametſi geſtari ſolitum à poteſtate ſuperiori, colligi ex Paulo poteſt *ad Rom.* 13. vbi poſtquam dixerat timendam eſſe poteſtatem, ſubdit. *Non enim ſine cauſa gladium portat.* At gladius ex balteo plerumque pendet. Sed poſterioribus temporibus balteum eſſe magiſtratuum ſymbolum, & inſigne, aut etiam honorifici muneris, liquet *l. C. de Metatis & Epidemeticis lib.* 12. *& l.* 3. *Cod. de domo & protect. eodem lib.* Quare ſpoliari cingulo dicebantur qui ex magiſtratu, aut alio honeſto munere cadebant. Iuxta hæc ſenſus erit. Erit Emanueli Regi ac iudici iuſtitia, & fides, id eſt, fidelitas, ac veritas, quaſi balteus, qui & charus eſt, & nunquam deponitur.

10. g *Habitabit lupus cum agno.*] Hinc iam apparet quid præſtitura ſit Emanuelis poteſtas, atque iuſtitia, qua pugnabit pro pauperibus, & manſuetis terræ contra potentes, ac violentos. Ad eam enim æquitatem rediget ea, quæ toto antea erant cœlo diuerſa, vt infimi iam, & ſummi, robuſti atque infirmi moribus, atque natura diſſidentes communem iam vitæ conſuetudinem amplexi eodem vtantur viuendi genere: neque alij ab aliis quicquam ſibi metuant, aut cauendum putent. Quod ſanè nobiſcum commoratus Emanuel, aut re ipſa præſtitit aut illa egit, ac docuit, quæ ſi quid eſſet in homine mentis, ac pudoris, præſtare debuiſſent; iuxta Scripturæ ſacræ Regulam, per quam illa dicuntur eſſe facta, quæ ab idonea facultate ſufficienter adhibita fieri debuerunt. Porrò *leonem, lupum, aſpidem*, pro hominibus fortibus, rapacibus, & noxiis; *agnum, bouem*, pro infirmis, manſuetis, & laborioſis ſumi, ſatis notum atque vſurpatum eſt.

11. Cæterum hic locus adeò illuſtris eſt, vt profani etiam ſcriptores ad ſuorum Regum tempora accommodent, cùm in illorum gratiam aliquid dicunt adulatorium. Quod ſumpſerunt ex Iſaia, quod illis difficile non fuit, poſtquam Biblia ſacra in Græcam linguam ab interpretibus conuerſa Gentibus cœperunt eſſe communia. Aut certè à Sibylla Erythræa, vt putat Lactantius *lib.* 7. *cap.* 24. quæ hæc tradit de Chriſti tempore.

Nec lupi cum agnis in montibus dimicabunt.
Herbamque lynces pariter cum hœdis paſcentur,
Vrſi cum vitulis ſimul, omnibúſque animalibus
Carniuorus leo comedet paleas ad præſepia.

Siue ergo ab Iſaia, ſiue à Sibylla Cumæa, aut Erythræa mutuati poëtæ illuſtrem hanc amplificationem, & ſplendidum dicendi genus, quæ hic ab Iſaia, & *cap.* 65. de regno Chriſti veriſſimè dicta ſunt, illi impiè atque mendaciter in ſuum adulatorium carmen inſeruerunt. Virg. *Eclog.* 4. De nato Salonino in Pollionis gratiam ſcripſit.

Te duce, ſi qua manent ſceleris veſtigia noſtri,
Irrita perpetua ſoluent formidine terras.

Es ſtatim magis ad Iſaiæ locum.

— Nec magnos metuent armenta leones,
Occidet & ſerpens, & fallax herba veneni.

Et *Ecloga* 5. dum blanditur Auguſto, aut de Iulio Cæſare ſub Daphnidis perſona.

Nec lupus inſidias pecori, nec retia ceruis
Vlla dolos meditantur.

A Quæ hic futura regnante Emanuele prædicuntur, eadem in rerum impoſſibilium comparationem adducuntur à profanis. Ex quo etiam intelligitur quanta futura ſit rerum conuerſio ſub Emanuele. Et quod impoſſibile putabat Maro *Eclog.* 8. id neſcius prædicebat cum Iſaia.

Iungentur iam Gryphes equis, æuóque ſequenti
Cum canibus timidæ venient ad pocula damæ.

h *Et puer paruulus minabit eos.*] Vſque adeò potens erit Emanuelis exemplum, & doctrina, vt feros homines, qui lupi, leonis, & aſpidis nominibus deſignantur; quóſque nulla humanarum legum ſeueritas domuit, vinctos tradat, atque adeò obſequentes Euangelicæ doctrinæ, vt puer paruulus illos ſuo moderetur arbitratu non repugnantes. 12.

B Tales verò pueri Apoſtoli fuerunt manſueti, humiles, quorum manus neque armabat ferrum, neque humanus ſplendor, atque potentia commendabat. Quibus tamen datum eſt vt ſerpentes tollant, ambuléntque ſuper aſpidem & baſiliſcum, & conculcent leonem, & draconem. Seu certè puer hic eſt Chriſtus, qui adhuc infans ſerpentes eliſit multò veriùs atque potentiùs, quam de ſuo Hercule adhuc in cunis mendosè fabulatur Gentilitas.

13. Chriſti exemplum potentiſſimum.

Si illud *&*, vt alibi in Scriptura ſacra ſæpius, coniunctio non ſit, ſed cauſalis particula, hoc ſenſu, *quia puer paruulus minabit eos:* Senſus eſt & C grauis, & maximè ad Emanuelis dignitatem. Quia ad tantam humilitatem, & manſuetudinem, quæ non deprimetur ſuperbia? quæ non crudelitas manſueſcet? quæ denique ſaxea durities non patietur fingi ſe ad quamcumque naturam velit tam dulcis paſtor, & tam humanus Rex? Quòd ſi Deus antea ſæuiſſimus erat Leo, ad cuius rugitum nemo non timebat; ſi olim eo furore ardens, quo vrſa raptis à venatore catulis; nunc manſuetus fit agnus, & cum agnis ſuauiſſimè moratur, & paſcitur. Quid homines ferocitate leones, rapacitate lupi, veneno atque verſutia ſerpentes non iam naturam meditentur agnorum, & cum ipſis libẽter, atque iucundè viuant? Sanè ſi puer antequam ſciat vocare patrem, & matrem, auferet fortitudinem Damaſci D (ſic enim multi explicant de Chriſto *Iſai. cap.* 8.) cur non idem dura hominum ingenia frangat, & à belluina feritate ad humanitatem, & manſuetudinem traducat?

14. Tempore Euãgelij ardua, & horribilia terrori nõ ſunt.

i *Et delectabitur infans ab vbere ſuper foramine aſpidis.*] Mira ſecuritatis amplificatio, quam natus Emanuel in terram inducet, cùm puer paruulus ab vbere primùm depulſus, id eſt, triennis (nam tres annos apud Hebræos lactantur infantes, vt diximus ſuprà *cap.* 7.) cui omnia etiam leuiſſima terrori ſunt, adeò non pauebunt aſpidem, & baſiliſcum, vt cum ipſis luſitent, & in illorum foramen, & cauernam ſine metu, & tutò manum intromittant. Quòd quam perfectè Euangelij tempore completum fuerit, docent & Actus Apoſtolorum, E & Eccleſiaſtici annales; Apud quos reperies quemadmodum qui innocentia, ac manſuetudine infantes erant, inermes & nudi non ſolùm non expauerint ad aſpidum, id eſt, Tyrannorum, fraudes, & venenum, ſed & vltro appetierint, & quaſi ludum exiſtimauerint cum regulis congredi; quorum ante illud tempus non ſolùm venenum, & vim, ſed etiam vmbram ipſam, & nomen horrebant. Neque id tantùm impletum in his, qui metaphoricè dicuntur infantes, quia ſimplices & manſueti, ſed etiam in his qui propriè erant in ætate tenera,

quorum

quorum exemplis abundant Hiſtoriæ ſacræ. Variè hic locus exponitur à Patribus, ſed fermè huc ſpectant omnes illorum explicationes.

15. k *Non nocebunt & non occident in vniuerſo monte ſancto meo: quia repleta eſt terra ſcientia Domini, ſicut aquæ maris operiẽtes.*] Tutò dixerat, & audacter, infãtes non tantùm congreſſuros cum aſpide, ac regulo, ſed etiam quaſi per iocum, & ludum illis inſultaturos, quia nimirum & Dei in ſe virtutem, & in illis præter fallaciam, & inſidias nihil eſſe metuendum agnoſcent. Quod verum eſt, ſi in ſerpente, & regulo diabolum, ſeu diaboli miniſtros, id eſt, Euangelij hoſtes, & Chriſtiani nominis inimicos intelligas. Adde etiam, ſi naturæ ſentientis, ac viuentis motus immoderatè ſæuientes, aut B exultantes conſideres: Hi enim, ſi plena ſit mens noſtra ſcientiæ Dei, non occident. Hinc patet quemadmodum Dei cognitio omnes tam externos, quàm domeſticos hoſtes frangat, ac debilitet. Dei, inquam, cognitio, niſi illa infirma ſit, & quaſi ſpecies quædam ſomnianti obiecta potiùs, (qualis prô dolor in multis eſt, qui ſcientiam Dei tenere ſe putant) quàm veritas vigilanti, atque attento propoſita. Quis enim nouerit Chriſtum manſuetum, & humilem, qui non ſtatim faſtus, furorémque deponat. quis meditetur pauperem, & pro nobis egenum, qui non ſua deſpiciat, adeò non prædetur aliena? Porrò in *monte ſancto* Eccleſiam intelligo, quam adumbrat terrena Ieruſalem, quæ mons dicitur ſanctus, quia Deo præcipua religione C deuota, & quia in edito loco ſita eſt, quam Euangelica doctrina inſtar maris operit, & inundat. Quæ manus à cæde cohibet, & rapinis; fraudes eximit à fallaci pectore; & quidquid à veneno timeri poteſt, ex animo ea doctrina inſtructo prorſus euellit. Neque ſi adhuc in Eccleſia ſpectantur lupi rapaces, & leones fraterni ſanguinis ſitientes, ideo hæc de Euangelij pace prophetia vera non eſt: quia doctrina illa, & potens eſt, & digna quæ talem effectum conſequatur. Quod iuxta regulam ſæpius à nobis traditam, ſatis eſt, vt Dei ſcientia dicatur id præſtitura, quod propheta promittit: congruum eſt enim & debitum vt ita fiat. Hîc ad extremum obſerua ſtolidam Hebræorum co- D gitationem, qui ex eo probant nondum veniſſe Chriſtum, quia nihil horum accidiſſe videtur, quæ hîc vaticinatur Iſaias, vt ex eorum libris tradit Petrus Galatinus *lib. 5. cap. 8.* & Finus *lib. 7. oppoſ. 7.* Adhuc enim leo lacerat, lupus vorat, neque cum his agnus, & bos in eodem præſepio fœno paſcuntur. Neque cum aſpide, ac regulo pueri luſitare audent. Sed hi nimis attenti ſunt ad occidentem literam. Neque conſiderant locutiones haſce metaphoricas frequenter occurrere in ſacra Scriptura: Vbi potentiores homines, & immanes, leones appellantur, lupi, vrſi, pardi, atque ſerpentes, qui tunc tales eſſe deſinunt, quando meliora, atque mitiora meditantur. *Ierem. 5. verſ. 6.* cum ageret de E Nabuchodonoſor, ait. *Idcirco percuſſit eos leo de ſylua, lupus ad veſperam vaſtauit eos, pardus vigilans ſuper ciuitates eorum.* Et *Prouerb. 28. verſ. 15.* *Leo rugiens, & vrſus eſuriens Princeps impius ſuper populum pauperem.* Quare cùm hæc poſt Chriſti aduentum myſticè videamus in Eccleſia, in qua tanta eſt animorum, ſtudiorúmque conſenſio inter eos, qui tantopere ſtudiis, atque animis diſſidebant, quos Euangelij admiranda vis ſic edomuit, vt qui crudelitate leones, voracitate lupi, veneno reguli antè fuerant, cum illis iam non tutò ſolùm, ſed

Dei cognitio, & meditatio potentiſſima.

A etiam iocundè agni, boues, infantes, id eſt, tenui fortuna homines, & antè deſpicabiles conuerſentur, & ludant; non eſt cur de illa belluarum cicuratione, mutatóque alimenti genere, ſtatúque naturæ laboremus.

16. l *In die illa radix Ieſſe, qui ſtat in ſignum populorum, ipſum gentes deprecabuntur.*] Mirum eſt, quòd Chriſtus, de quo hîc ſine dubio ſermo eſt, *radix* dicatur *Dauid*, cùm potiùs illius germen, aut virga, ſicut in principio capitis, dici debuerit: quia de Dauidis radice, id eſt, genere natus eſt. Appellatur eſt ſimiliter *radix Dauidis Apocal. cap. 5. & 22.* vbi Ioannes videtur ad hunc Iſaiæ locum reſpexiſſe. Quo loco multi Chriſtum radicem eſſe dicunt B Dauid propter diuinitatem, quæ portat Dauidem, & ab eo non portatur: quod radicis eſt proprium, vt dixit Paulus *ad Roman. cap. 11. verſ. 18.* *Non tu radicem portas, ſed radix te:* Virgam tamen propter humanitatem, quia ex Dauidis radice pullulauit. Quæ ſanè omnia vera ſunt: ſed non eſt neceſſe ad illam diſtinctionem confugere: tametſi illa ſatis dubitationi faciat, cùm vis, & vſus nominis ipſius nodum ſatis exoluat. Pro qua re obſeruo, *radicem*, & quod idem eſt, *ſtirpem* in Scriptura ſacra tam actiuè ſumi, vt Logici dicunt, quàm paſſiuè: id eſt, eſſe id, quod tam virgam, aut ſurculum producit, quàm id, quod ex radice, aut ſtirpe ſuccreſcit, nempe germen, aut virgam: Fortaſſe quia per metonymiam cauſa pro effectu, aut id, quod conti- C net, aut ſuſtentat, pro eo quod continetur, vſurpatur. Qua ratione materia paluſtris *palus* dicitur, quia in palude naſcitur. Martialis *lib. 14. diſticho 38.* cuius titulus *Faſcis calamorum.*

Radix interdum eſt, quod è radice naſcitur; ſicut etiam *ſtirps.*

Dat chartis habiles calamos Memphitica tellus:
Texantur reliqua tecta palude tibi.

Et helleborum Anticyra vocatur, quia ibi magno numero creſcit. Perſius.

Anticyras melior ſorbere meracas.

Et ſimilia inuenies tum in ſacra, tum in profana literatura. De radice exempla habes aperta: primùm apud hunc prophetam *cap. 53.* *Aſcendet ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti.* Iſai. 53. Vbi *virgultum aſcendens*, quod anteceſſit, ſatis per epexegeſim oſtendit, quo ſenſu *radix*, quæ ſtatim D ſequitur, accipi debeat. *Oſee cap. 14.* *Germinabit ſicut lilium, & erumpet radix eius* Et *Apocal. cap. 5. & cap. 22.* habemus non tam ſimile, quàm idem teſtimonium, vbi Chriſtus *radix* appellatur *Dauid.* Oſeæ 14. Apoc. 5. Apoc. 22. Vtroque autẽ loco quo ſenſu *radix*, accipi debeat, ex adiunctis cognoſcitur. Capite enim 5. vbi Chriſtus vocatur *radix Dauid*, vocatur etiam *Leo de tribu Iuda.* & *cap. 22.* radix dicitur, & genus Dauid. Tam autẽ illud *de tribu Iuda*, quàm *generis* nomen, filium eſſe demonſtrat: & id, quod ex radice pullulat. De *ſtirpe* exempla ſunt neque pauciora, neque minus aperta: vbi ſine dubio *ſtirps* pro filiis ſumitur, aut ramis, qui ex ſtirpe funduntur. Apud hunc prophetam *cap. 48. verſ. 19.* *Fuiſſet quaſi arena* Iſai. 48. E *ſemen tuum; & ſtirps vteri tui vt lapilli eius.* *Num 13. verſ. 19.* *Stirpem Enac vidimus ibi*, id eſt, filios Enac. Num. 13. *Paralip. lib. 2. cap. 22. verſ. 10.* *Surrexit* (Athalia) *& interfecit omnem ſtirpem Regiam domus Ioram.* Quare cùm *radix* tam in Scriptura ſacra fundamentum ſignificet, vnde virgæ, ac ſurculi ſuccreſcunt, quàm virgam ipſam, & ſurculum, ſatis apparet huius loci ſententia: quæ omnino eadem eſt, quæ in principio capitis: vbi de radice, id eſt, de ſemine Ieſſe, qui fuit pater Dauid, naſciturus dicitur Chriſtus. Hæc quidem de re: quod ad ſyn-

Regula. Nominatiuus abſolutè ponitur.

taxin ſpectat, puto ex vſu linguæ Hebraicæ nominatiuum *Radix* abſolutè poni: quod obſeruandum diligenter eſt, nam huius rei ignoratio valde impedire ſolet plurima Scripturæ ſacræ loca. Vide quæ diximus ad illud *Zachar.7. Ieiunium ieiunaſtis mihi.* Vbi plurima adduximus exempla, quibus adde *Pſal.10. verſ.4. Dominus in cœlo ſedes eius,* id eſt, Domini ſedes in cœlo. & ſtatim *verſ.14. Idumea, & Moab præceptum manus eorum.* Quam loquendi figuram imitatus eſt Paulus, cùm Græcè ſcriberet, *ad Epheſ.cap.3. verſ.1.* nam cùm dixiſſet, *Ego Paulus vinctus Chriſti Ieſu*, poſt aliquot verba, quæ ad orationis illius ſyntaxin non ſpectant, addidit, *notum mihi factum eſt.* Quod plerumque contingit, quando pronomen ſequitur, quod ad nominatiuum, qui abſolutè ponitur, referendum eſt. Ad hunc ergo modum *Radix Ieſſe* abſolutè ponitur, & oratio perinde explicanda eſt, atque ſi Radix, eſſet in caſu pronominis, & eodem modo affecta atque notata, atque pronomen *ipſum*, quod ſuccedit in hunc modum, *Gentes deprecabuntur radicem Ieſſe, quæ ſtat*, &c. Adhibuit autem noſter interpres relatiuum maſculinum fœmineo nomini *radici*, dum ait, *qui ſtat, & ipſum Gentes deprecabuntur*; vel quia ad ſignificationem reſpexit, id eſt, ad Chriſtum, qui in radice deſignatur. Quod alibi ſæpe facit (ſicut etiam profani, vt Terentius, *ſcelus, qui me perdidit.* vbi ſceleratus intelligitur) aut certè, quod ipſi inuſitatum non eſt, genus retinuit, quod *radix* habuit in idiomate Hebraico. eſt autem שרש *ſores*, Hebr. maſculini generis.

17.
Chriſtus imperator.

m *Qui ſtat in ſignum populorum.*] Hebt. pro *ſigno* נס *nes*, quod vexillum ſonat, aut ſignum in alto defixum loco, qualis eſt malus nauis, qui nauigantes admonet periculi. Quo loquendi genere ſignificatur Emanuel futurus magni exercitus Imperator, qui non ad vnum ſeu alterum populum, ſed ad populos vniuerſim eleuaturus ſignum dicitur. Nam vbi ipſe ſignum extulerit crucis, imò & ipſe quaſi ſignum in crucem ſublatus ſit, vt delectus habeat è toto mundo ad ſeriam, ſanctámque militiam, magnos ad ſe vndecumque gentium conuentus coget. de quo eſt illud *Ioan.12. verſ.31. Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia trahã ad meipſum.* De quo ſigno Simeon cecinit: *Ecce hic poſitus eſt in ruinam, & in ſignum cui contradicetur.* Quòd autem hæc præcipuè ſpectent paſſionis tempora; quibus Chriſtus expoſitus fuit omnium telis, atque conuitijs, & factus quaſi ſignum ad ſagittam, probat quod ſtatim de eius ſepultura ſermo inducitur. Vbi verò præceſſerit huius ſigni exaltatio, contradictio, atque etiam cognitio, ſequetur ſtatim, vt ipſum Gentes deprecentur, id eſt, conueniant omnium nationum homines, & ſupplices venerentur: illi nempe qui crucem ſuam complexi Chriſtum ſequentur crucifixum. Quid ſit autem deprecari aliquem, vel vultum, aut faciem alicuius, diximus ad illud *Zachar.7. Ad deprecandum faciem Domini.* Eſt autem nihil aliud quàm venerari ſeu orare.

18.
Chriſti ſepulcrũ glorioſum.

n *Et erit ſepulcrum eius glorioſum.*] Hinc colligo in *ſigno*, de quo proximè, deſignari crucem, & mortem Chriſti. Videtur autem hoc loco id agere Iſaias, vt gloriæ conſulat, & dignitati Chriſti. Nam ſi omnium telis quaſi quidam ſcopus propoſitus eſt, quod in ſummi doloris, ac miſeriæ explicationem adduci ſolet, iuxta illud *Thren. cap.3. verſ.12. Poſuit me quaſi ſignum ad ſagittam*; ſanè ærumnoſa, & omnium telis, atque ludibriis propoſita videba-

A tur tanti Imperatoris vita. Ne quis ergo aliquid in Chriſto ſuſpicaretur ignobile, conſecuturam eius gloriam oſtendit, quod facere cœpit proximè, cùm dixit ipſum deprecaturas eſſe gentes, nempe ad eius fidem, & imperium venturas; Nunc verò dum prædicit poſt duros cruciatus, ignominioſámque traductionem futuram eſſe glorioſam eius ſepulturam. Pro *ſepulcro eius* Hebr. eſt, מנוחתו *mannuchathò*, quam vocem Hieronymus fatetur ita ſe reddidiſſe, vt ſenſum potiùs, quàm vocem ſpectauerit. Vox enim illa quietem, dormitionem, ſeu ceſſationem ſignificat. Quare ſenſus videbatur multò patere latiùs, quàm ſignificat ſepulcri vox. Neque mi-

B hi videtur durum, ſi pro eo ſumas, quod Chriſti mortem conſequutum eſt; quod optimè illius ceſſationem, aut quietem à labore interpretari licet. Certè quod Chriſti morti, vel agoni ſucceſſit, glorioſum fuit, quocumque accipias modo; quia glorioſa mors fuit, quam terræ concuſſus, lapidum crepitus, & cœli luctus honeſtarunt. Adde quòd ſucceſſit reſurrectio ſplendoris, & lætitiæ plena, antequam in ſepulcro corruptionem videret; vt prædictum antè fuerat *Pſal.15.* Denique nominis antea malè vexati, atque deſpecti mirabilis exaltatio. iuxta illud *ad Philip. 2. verſ.8. Factus obediens vſque ad mortem*, &c. *propter quod Deus exaltauit illum.* & *ad Heb.2. verſ.9. Videmus Ieſum propter paſſionem mortis gloria, & honore coronatum.* Quare ſen-

C ſus hic videbatur non alienus. *requies à labore, & morte, & id quod certamini ludibrio, atque paſſioni ſucceſſit, vt ſepulcrum, triumphus, & nominis ſuper omne nomen exaltatio glorioſa fuerunt.* Quem ſenſum indicat Septuaginta tranſlatio: *Et erit requies eius honor.* quam ſequuti plurimi ex antiquis Patribus. Idem penè ſentiunt Cyrillus, Procopius hîc, Chryſoſtomus *in demonſtratione, quòd Chriſtus ſit Deus, Tom.5. ad medium*, vbi eleganter explicat gloriam crucis, & quàm ſit diuerſum Chriſti regnum à regnis illorum, qui in terris dominati ſunt.

Sed non omittendum coronam, & gloriam Chriſti à nonnullis exiſtimari crucem, & eam, quam vulgus hominum cenſet ignominiam. Ita indicat Chryſoſtomus *ſuprà, & homil.37. in cap.11.* 19.
Crux Chriſto gloriæ fuit.

D *Matth.* & facit huc quod quidam, neque ignobiles autores locum citatum nuper *ex cap.2. ad Hebræos*, gloriam, & honorem mortis eſſe putant, qua Chriſtus coronatus eſt. Ita Oecumenius, *Gloriam*, inquit, *& honorem vocat crucem: neque tantum Deo dignum erat, támque glorioſum feciſſe cœlum, & terram, ac hominem, ſupernáſque virtutes, ſicut quod propter nos dignatus fuerit crucifigi.* Et conſonat mirificè illud *Ioan. 7. verſ.39. Nondum erat ſpiritus datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus.* Quam glorificationem Chryſoſtomus *Homil.50.* mortem eſſe putat. Et innuit Hieronymus *ad Hedib. q.9.* vbi tandem glorificationem eſſe dicit patibulum triumphantis. Tenent Theophylactus, & Euthymius *in Ioan.* Salmeron, & Gagneius *in Paulum ſuprà*,

E Rupertus in vocabulo *Glorificatio Ieſu*, tametſi communiter alij tam locum Ioan. *cap.7.* quàm Pauli *ad Heb.2.* aliter accipiant: de Chriſti nempe gloria poſt mortem, & nos ſuprà expoſuimus.

Nunc ad extremum videndum cur Hieronymus pro requie aut ceſſatione *ſepulcrum* reddiderit, & 20.
Regula. Actio pro loco vbi exercetur.

quàm ad ſenſum idoneè, cui, vt ipſe fatetur, ſeruiebat interpretatio, potiùs quàm vocabulo. Vſitatum eſt apud probatos autores, vt actio pro eo ſumatur loco, vbi exerceri cõmuniter ſolet, quomodo *cœnationem* appellamus locũ cœnationi, & *ambulationem*

ſpatium

ſpatium deambulationi deſtinatum, & *oratio* pro templo. Idem de *commoratione, habitatione, manſione* dicendum, quæ ex Scripturæ ſacræ vſu loca ſignificant, vbi homines manent, habitant, morantur. Et hoc ipſum nomen, de quo nobis quæſtio eſt, exemplo eſſe poteſt. nam *quies* ſiue requies, quod nomen illud ſignificat, pro quo Hieronymus tranſtulit *ſepulcrum*, pro loco etiam ponitur, vbi quieſcitur, aut à labore, aut à moleſtia ceſſatur. De requie, *Virgil. Æneid. lib.* 8. qui Italiam requiem futuram eſſe dicit peregrinantibus & naufragis.

Hic locus vrbis erit, requies ea certa laborum.

Du quieta ante Virgilium Lucretius qui, *quietes* appellat ferarum cubilia, de quibus ſic *lib.* 1.

Namque canes, vt montiuaga perſæpe feræi
Naribus inueniunt intectas fronde quietes.

Quia ergo ſepulchrum locus eſt quietis, (quia ibi mortui dormire, & requieſcere dicuntur non ſolùm profano, ſed etiam Eccleſiaſtico idiomate, in quo frequens eſt illud de mortuis, *requieſcat in pace.*) Et deſtinatus ſepeliendis mortuis locus, qui ſepulcretum ab aliis dicitur, ab aliis cœmeterium, id eſt, dormientium, aut quieſcentium locus appellatur; ideo Iſaias *quietem* pro ſepulcro poſuit: & ad eius mentem conſentaneè vulgatus pro *quiete* reddidit *ſepulcrum*. Quomodo ſepulcrum Chriſti glorioſum fuerit, & planctus ſuper eum quaſi ſuper vnigenitum, diximus in noſtris commentariis ſuper Zachar. ad illud *cap.* 12. *Et plangent eum.*

21. * *Et erit in die illa, adiiciet Dominus ſecūdo manum ſuam, ad poſſidendum reſiduum populi ſui.*] Hic locus difficilis eſt, quia non facilè explicatu eſt de quo tempore ſit accipiendus. Neque hic moror, quid ſibi ex hoc loco promittant Iudæi de Meſſia, quem venturum eſſe ſomniant, à quo non aliter ſe reſtitutum iri putant ex his regionibus, in quibus à patria procul diſperſi ſunt, & vagi, quàm fuere olim ab Ægyptia ſeruitute liberati & à Moyſe, atque Ioſue in promiſſam ſibi poſſeſſionē introducti; vt ergo primò à Moyſe, ſic à Meſſia, ſecundò libertatem & omnium rerum commoditatem expectant. Catholici in explicatione varij ſunt. Quidam de ſecundo aduentu Chriſti interpretantur, quia tunc Iudæi conuertendi dicuntur, vt diximus *cap.* 59. ad illud, *& veniet Sion Redemptor.* Sed meritò Hieronymus hanc explicationem non admittit. Alij hic agnoſcunt prædicationem Apoſtolorum poſt Aſcenſionem, quæ reuera ſecunda Chriſti prædicatio fuit, dum per ſuorum ora loquebatur. Ita S. Thomas, Haymo, Dionyſius, Lyranus. Hieronymus hanc putat eſſe ſententiam, priori loco vocandos eſſe Gentiles ad Eccleſiam, poſteriori Iudæos; & ideo dici mittendam eſſe ſecundo manum Domini, ad reſiduum Iſrael, id eſt, ad reliquias, ſeu ad conſummationem abbreuiatam, de quibus nuper *cap.* 10. Alij in quibus eſt Adamus, ſecundam hic vocationem intelligunt, qua liberandi ſunt filij Iſrael à ſeruitute Diaboli, ſicut priùs ab Ægyptia ſeruitute liberati ſunt.

22. Hæc quidam aptè ad textum & piè, & quia auctores habent neque paucos, neque ignobiles, non poſſunt mihi non probari; Sed addam ego his quod non ineptè dici poſſe mihi videbatur, neque admodum alienum à poſtrema hac ſententia. quod credo non improbabit qui meminerit in reditu captiuorum à Babylonia, inſtauratáque ciuitate, ac templo Eccleſiam adumbrari, quod *cap.* 40. abundè probabimus. Egerat propheta in fine *cap.*

A 10. de tempore quo expugnato Senacherib celeri, atque incruenta victoria reſpirare cœpit populus Iudaicus. Et hinc excitatus propheta beneficia alia commemorauit, quæ tempore Euangelij in pauperum, atque afflictorum gratiam præſtitit Emanuel. Nunc verò poſt longam, dulcémque parenthesim, quam ad hunc vſque locum produxit, redit propheta ad tempora Aſſyriorum: & dicit non tantùm nunc eripiendum eſſe populum Iudaicum à duobus Regibus Syriæ, atque Samariæ, & à Rege Aſſyriorum Senacherib, ſed & ſecundò eadem liberalitate eripiendum eſſe rurſus ab Aſſyriorum, & Ægyptiorum ſeruitute. Quod contigiſſe poſt erutam ciuitatem, & templum exuſtum à Nabuchodonoſor Cyri, atque Darij temporibus, ſatis

B conſtat ex Aggæo, Zacharia, & Eſdra. Neque video quid cum hac expoſitione pugnet, niſi quorumdam Patrum auctoritas, quos ego, vt debeo, plurimùm ſuſpicio, imò video omnia perquam aptè conſentire. Nam in primis reſiduum populi eſt, quidquid aut fames, aut ferrum, aut longa 70. annorum ærumna non conſumpſit. Quomodo verò tunc plurimi ex omnibus tribubus Iſrael ex variis locis in patriam remigrarint, docuimus *in cap.* 8. *Zachar.* ad illud *Domus Iuda, & domus Iſrael.* Hæc mihi non aliena viſa ſunt à textu, neque credo à ſententia multorum è patribus, ſi, vt dixi, in his typum expectemus Eccleſiæ, in quo hæc multò cumulatiùs impleta ſunt, quàm in reſtitutis captiuis, & vrbe renouata.

C 23. *Quod relinquetur ab Aſſyriis, & ab Ægypto.*] Enumerantur variæ regiones, per quas filios Iſrael varij diſſeminarunt caſus. Nam abductos eſſe multos in Ægyptum cum Rege Ioachaz à Pharaone Necha 4. *Reg.* 23. veriſimile eſt: plurimos autē vltrò eò abiiſſe conſtat 4. *Reg.* 25. Quæ ſint prouinciæ aliæ, quæ hic nominantur, non omnino certum. Phethros fortaſſe ſingulare eſt illius vocis, quę *Gen.* 10. *verſ.* 14. in plurali dicitur Phethruſim. quod ſi ita eſt, locus videtur eſſe non longè ab Ægypto, quia ibi Phethruſim geniti dicuntur à Mitraim, qui Ægypto nomen dedit. Quòd ſi Phethros, idem eſt quod Phathures, quod mihi certum eſt, quia vox Hebraica omnino eadem, dubium non eſt Phethros ad Ægyptum pertinere, cùm de Phe-

D thures apertè doceat Ieremias *cap.* 44. *verſ.* 1. *&* *verſ.* 15. Imò & ex hoc nomine colligo ſermonem hic eſſe de his, qui reſidui fuerunt poſt Hieroſolymam à Chaldæis exciſam, quia, qui poſt illā cladem ad Ægyptum confugerunt, habitaſſe dicuntur in Phatures. *Ierem. ſuprà verſ.* 15. *Multitudo grandis, & omnis populus habitantium in terra Ægypti in Phatures.* Ælam Perſæ ſunt, vt *in cap.* 2. *Act.* oſtendimus. Sennaar ad Babylonios pertinet, vt liquet *ex Gen. cap.* 11. Emath ad Libanum ſpectat non longè à Damaſco, à qua ad riuum, ſeu torrentem Ægypti longitudo terræ promiſſionis definitur.

Iudæi exciſa vrbe variè diſperſi.

E q *Et leuabit ſignum in nationes.*] More imperatoris excitato ſigno diſperſos milites & quaſi ab acie palantes, & profugos recolligit vndecumque Regionum.

24. r *Auferetur zelus Ephraim, & hoſtes Iuda peribunt.*] *Zelus* hic pro ſupplicij ſtudio ponitur, ſeu vindictæ; ſiue hic ſit ab hoſtibus ad illud vſque tempus infenſis, ſiue à Deo, qui ſeptuagenario exilio populi peccata mulctauit. Porrò iam à nobis probatum eſt ſuper Zachar. *cap.* 8. cum duabus tribubus plurimos ex decem tribubus rediiſſe: & ad argumenta & coniecturas alias, quæ ibi adduximus.

Cũ duabus tribubus plurimi ex aliis decem redierunt ab exilio.

mus. Addo *Eſdræ lib.1.cap.2.* captiuorum numerum, qui ad patriam ſunt reuerſi eſſe 42000. & tamen minutiis ſubducto numero ex duabus tribubus tantùm numerantur 32000. Quare, vt bene noſtri cum Hebræis putant, decem illa millia quæ à priori computatione detracta ſunt, fuere ex aliis tribubus à Iuda & Beniamin. Meminit autem propheta præſertim Ephraim; quia Ephraim pro decem tribubus adhibetur; quia Ieroboam qui illas à duabus diſtraxit, Ephraimita erat, & ſedes regia in ea tribu, id eſt, in Samaria collocata fuit.

25. ſ *Ephraim non æmulabitur Iudam.*] Populi iſti iam olim non ſolùm animis, ſed etiam caſtris inter ſe diſſidentes à communi clade reuocati, ita inter ſe non pugnabunt, vt antea, vt in vnum potiùs populum coaleſcant. Quare ab exilio iam omnes quotquot ad eumdem locum, atque eadem ſacra ſemigrarunt, quacumque illi ex tribu orti communi vocabulo Iudæi appellati ſunt; Quod Ezechiel meo iudicio prædixit non obſcurè *cap. 37. verſ.16.* vbi poſt ſimilitudinem duorum lignorum, quæ in vnum coagmentantur, coniunctionem duorum Regnorum in vnum ſignificat. Sic enim concludit: *Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego aſſumam lignum Ioſeph, quod eſt in manu Ephraim, & tribus Iſrael quæ ſunt ei adiunctæ, & dabo eas pariter cum ligno Iuda, & faciam eos in lignum vnum, & erit vnum in manu eius.*

26. t *Et volabunt in humeros Philiſtiim per mare.*] Hæc exiſtimo ſpectare Machabæorum tempora, qui vlti antiquas iniurias, quas à gente Philiſtina accepit Iudæorum natio, Regionem illam maritimam olim à Philiſtæis habitatam in Iudæorum ditionem redegerunt. Hæc autem metaphora ſumpta videtur ex leone, aut panthera, quæ in taurorum, aut aliarum belluarum ſcapulas inſilire ſolent, vt ipſas diſcerpant, quod faciunt temporis momento. Aut certè inuolare in humeros, victoriam indicat de hoſtibus partam, hoſtéſque ipſos aliorum ſeruituti ignominioſè ſubiectos. Nam victores hoſtium ceruices calcare ſolitos, docet Ioſue exemplum *cap.10. verſ.24.* qui victorum Regum colla ſuorum pedibus calcari iuſſit, ſed maximè vim verbi explicuit Iacob *Gen.49.* in Iudæ benedictione. *Manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum.* Quod ſi inuolare in oculos alicuius dicimur, cùm ita ſumus infenſi, vt oculos eruere velimus; inuolare in capillos cùm illos laceramus: ſic etiam *inuolare in ceruices*, erit alicuius ceruicẽs premere, & ſpiritum elidere obſtructis faucibus. Quæ hoſtes ab infenſo & potente victore patiuntur. Id autem eſt manus ponere in hoſtium ceruicibus. Ni mauis, quod mihi diſplicet minùs, Philiſtinos ſic eſſe ab Iſraelitis ſubiugandos, vt illis ad vilia, & operoſa miniſteria, ad ferenda nimirum onera tanquam iumentis vtantur. Id enim proprium humerorum, atque ceruicum opus eſt, vt conſtat, quod de ſuorum infelici conditione querebatur Ierem. *Thren.5. Ceruicibus noſtris minabamur.* & *Pſal.65. verſ.10. Poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro, impoſuiſti homines ſuper capita noſtra.* Et *Pſal.17.* eodem ſenſu dicitur: *Et inimicos meos dediſti mihi dorſum. Volare* ergo *in humeros Philiſtiim*, nihil eſt aliud, quàm eos habere ad ſarcinarum pondera, & ad omnia munera ſeruorum obeunda ſubiectos.

27. u *Per mare.*] Hebr. ימה *iamah*, id eſt, *in mare*: nam illud ה *he*, paragogicum motum deſignat in locum. Quare ſic reor hunc locum explicandum, Iudæos ab exilio reduces debellatis breui Philiſtæis maritimam oram, quam occuparant ipſi, ad ſuam prouinciam, & gentem eſſe reuocaturos.

28. x *Simul prædabuntur filios Orientis.*] Hi ſunt Idumæi, Ammonitæ, & Moabitæ, de quibus ſtatim; nam quæ ſequuntur, explicatio ſunt eorum, quæ anteceſſere. Hi verò Orientis filij ſuperati ſunt à Machabæis, quo tempore, qui reliqui fuerunt è decem tribubus, in vnum corpus cum duabus aliis coaluerunt. De Idumæis conſtat *lib.1. Machab.5. verſ.3. Debellabat Iudas filios Eſau, in Idumæa.* De Ammonitis *ibid. verſ.6. Et tranſiuit ad filios Ammon, &c. & commiſit cum eis prælia multa, & contriti ſunt.* De Moabitis, licèt nihil habeamus expreſſum in Machabæorum libris, tamen dubitandum non eſt ex hoc loco, & quia plerumque Moabitæ cum Ammonitis coniunguntur, ſiue in conſiliis & caſtris, ſiue in aduerſo rerum euentu.

Varij populi à Machabæis ſubiugati.

29. y *Idumæa, & Moab præceptum manus eorum: & filij Ammon obedientes erunt.*] Mihi certum eſt idem prædici de Moab, cùm dicitur, *præceptum manus eorum*; & de filiis Ammon, cùm dicuntur obedientes futuri, id eſt, manus Moabitarum & Idumæorum exequentur Iudæorum mandata. Videtur autem hîc eſſe quædam Hypallage, ita vt *manus præceptum*, poſitum ſit pro *manus præcepto*, id eſt, manus præcepto obediens. Aut manus, quæ non tam imponit aliis, quàm ab aliis ſibi impoſitum præceptum ſubit. Hebræus textus non alium ſenſum continet, quàm qui expreſſus eſt à vulgato, aliquid tamen habet obſeruatione dignum. Quem ſic ad verbum reddo, *Idumæa, & Moab inſectio, vel immiſſio manus eorum: & filij Ammon obedientia eorum.* In immiſſione manus conſuetudinem mihi videre videor illorum, qui, vt ſe victos fateantur, ſupplices manus ad victorem extendunt: Sic *Pſalmo 67. Æthiopia præueniet manus eius Deo.* Quod apud prophanos frequens eſt. Et manuum illam ſupplicem extenſionem ſignum vſitatum, & quaſi legitimum eſſe victi hominis, & extrema omnia ab hoſte metuentis, docet Turnus apud Virgil. *lib.12.* de quo priùs.

Manus extẽſa ſupplicis, & victi ſignum.

Ille humilis ſupplexque oculos dextrámque precantẽ
Protendens.

Deinde ſignificat nemini dubium eſſe poſſe ſuperatum ſe eſſe, quia manus eſſet à proſtrato porrecta.

——Viciſti, & victum tendere palmas
Auſonij videre.

Cæterum Idumæa, & Moab abſolutè ponuntur in nominatiuo, & iuxta ea quæ diximus ad illud, *In illa die radix Ieſſe.* à nobis ponenda in genitiuo, in quo caſu eſt pronomen, quod ſtatim ſuccedit, hoc modo, *Idumeæ & Moabi manus erunt in præceptum.*

30. z *Et deſolabit Dominus linguam maris Ægypti.*] *Linguam* multis accommodatur rebus, nempe igni, ſuprà *cap. 5.* vide quæ ibi diximus: & quidquid è terra in altum eminet; quales ſunt ſcopuli, & promontoria, id eſt, ſaxa quæ è terra in mare procurrunt. Et rurſus maris oſtia aut ſinus, qui ex alto terram ſubeunt. De ſcopulis, promontoriíſque conſtat ex Plinio *lib.37.* & Cæſare *lib.3. de bello Gallico.* Et ſanè vocem לשון *laſon*, pro qua noſter *linguam* reddidit, alij *ſcopulum* vertunt, vt Pagninus hic. Quod etiam fecit Chaldæus *Ioſue 15. verſ.2.* & LXX. qui verterunt λοφιάν. Quidam in *lingua maris* oram intelligunt maritimam, quaſi Deus euerſurus ſit Ægyptum, quæ magna ex parte ad oram

Quæ metaphoræ à lingua.

medi

mediterranei maris ſita eſt. Et quidem Hiſpanus extremam maris, ſeu fluuij oram vocat *lalengua del agua*, & accommodatè ad hanc metaphoram, extremæ illi aquæ id tribuitur, quod linguæ proprium eſt, vt *lingere*, ſeu *lambere oram*. Ego hîc in *lingua maris* Rubrum mare intelligo, qui ſinus quidam eſt, quo Oceanus ſe in terras latè ad Ægyptios vſque fines inſinuat. Nam vt promontorium *lingua* dicitur, quia ad linguæ ſimilitudinem in longitudinem extenditur, ſic etiam *ſinus*, propter eamdem linguæ ſimilitudinem quid obſtat quominus dicatur *lingua*. Ita putat Forerius, & Vatablus, quod etiam placet Andreæ Maſio & Serario *in cap.* 15. *Ioſue verſ.* 2. Vbi de mari rubro hunc Iſaiæ locum interpretantur. Vbi etiam docent *linguam maris* vocari ſinum, aut quod vulgò
B brachium dicitur maris, quod in Ioſue ſuprà cenſent Abulenſis, & Montanus. His poſitis obſeruandum eſt, quod multis oſtendimus in commentariis noſtris in Zachariam ad illud *cap.*10. *Et tranſiet in maris freto.* Sicut *mare rubrum* prouerbiali figura ponitur pro maximo periculo, ſic etiam *mare idem apertum* prouerbiali etiam ſpecie pro maximo adhiberi beneficio. Quare ſicut in prouerbiis, quæ ſunt plerumque allegoricæ locutiones, nota ſimilitudinis omittitur, ſic hoc loco nobis ſubaudienda eſt: in hanc ſententiam. Sicut Dominus olim aperta, & quaſi deſolata lingua Ægyptij maris, id eſt, mari rubro, hoc eſt ſublato impedimento maximo, quod nullo videbatur modo tolli poſſe, populum antea captiuum in ter-
C ram promiſſionis induxit: ſic etiam ſubmoto maximo quodam impedimento, quod in Euphrate flumine Babylonis ſignificatur, eumdem populum ab eo in quod inductus fuerat, exilio depulſum, in eam poſtliminio reuocabit. Quam expoſitionem planè probat quod ſtatim ſequitur.

31. a a *Et leuabit manum ſuam ſuper flumen in fortitudine ſpiritus ſui, & percutiet eum in riuis ſeptem.*] Hoc flumen Euphrates eſt, qui duobus

Quomodo capta Babylon.

modis diuiſus exiſtimari poteſt, aut metaphoricè, quaſi ſublatum ſit impedimentum reditui populi, aut propriè, quia reuera diuiſus eſt, & in plures riuos ita deriuatus, vt commodè ab hoſte tranſiri potuerit. Et hoc poſterius mihi probatur magis: Tum quia magis congruit cum mari rubro, de
D quo ſtatim, quod in Hebræorum gratiam diuiſum eſt: Tum etiam quia in ſeptem foſſas deriuatum eſſe Euphratem à Cyro, in gratiam, puta, Iudæorum, qui cum illorum Imperio libertatem primùm aſpexerunt, vt tradit Herodotus in Clio, & Xenophon *lib.*7. Paulus Oroſius *lib.*2.*cap.* 6. Nam quo loco Euphrates in vrbem influit, altas, & latas foſſas plurimas fecit ignorantibus Babyloniis,

A quonam illius ſpectaret conſilium. Quo verò tempore ipſi ludis & poculis intenti nihil minùs quàm de cæde, aut oppugnatione cogitabant, deriuato in illas foſſas flumine, antiquum fluminis alueum ſic exinaniuit, vt per illum exercitus in vrbem irrumpere, & ciues opprimere potuerit incautos. Quo conſilio ter fuiſſe captam Babylonem tradit Frontinus *lib.*3.*ca.*7. primò à Semiramide, ſecundò à Cyro, tertiò ab Alexandro. De foſſarum numero nihil inuenio apud Hiſtoricos; ſeptem fuiſſe ex hoc loco mihi veriſimilius eſt, licèt ſeptem ex Scripturæ ſacræ vſu certum numerum non definiant, ſed infinitam multitudinem ſignificent.

b b *Ita vt tranſeant per eum calceati.*] Sicut op- 32.
B poſitus Babylonius fluuius pro impedimento ſumitur, quod Iudæorum reditum morari poterat: Sic fluuius ille diuiſus, & apertus, ſublatum deſignat impedimentum omne. Remigratio verò ita facilis, ac ſoluta fore dicitur, vt occurrat nihil in via illa longa, atque difficili, quod reduces retardet: quemadmodum in flumine alto, atque præcipiti nihil inuenit offenſionis, qui calceatus illum tranſire poteſt.

c c *Et erit via reſiduo populo meo, qui relinquetur 33.
ab Aſſyriis, ſicut fuit Iſrael in die illa, qua aſcendit de terra Ægypti.*] Non aliter reducendus dicitur populus ex ortis, in patriam, atque olim in illam ab Ægyptia ſeruitute liber inductus fuit. Nam ſicut ibi apertum eſt mare rubrum, ſic hîc, licèt
C alio modo, aperietur Euphrates. Et ſicut priùs in humeris portatus dicitur, ſic etiam, poſtea populum illum equi atque carrucæ ſedatè, ac molliter, *Iſa.* 65. imò & populorum humeri indulgenter in patriam reuocabunt. *Iſa. cap.*49.*verſ.*22.

Hæc ego ſic accipio de populi libertate, ciuita- 34.
tiſque Solymitanæ, ac templi inſtauratione, vt tamen in typo aliquid maius, & illuſtrius intuear, nempe fundationem, ſplendorem, & incrementum Eccleſiæ, quod à me ſæpius iteratum eſt. In qua conſtituenda Deus non minora ſuſtulit offendicula, quàm olim aut aperto mari, aut, quo ſenſu obſeruauimus ſuprà, Euphrate diuiſo. Notum eſt enim quàm celeri atque fœlici curſu totum mundum obierit Euangelij prædicatio, quanto in ho-
D nore habita ab his qui priùs tanquam durum horrebant, aut tanquam humile faſtidiebant Euangelium. Quare nolim cùm hæc in Iſaia legis, audiſque ſæpe Sionis, & Babylonis nomen, oculos ab Euangelio, Eccleſiáque detorqueas. Quomodo hic Iudæorum reditus è Babylone, & inſtaurata Ieruſalem typus Eccleſiæ fuerit, ex multorum ſententia latè probauimus in præfatione ad caput 40. illam omnino vide.

Argumentum duodecimi capitis Iſaiæ.

QVIA *proximè dixerat Babylonicam libertatem Ægyptiæ fore non diſſimilem, nunc oſtendit Babylonicos captiuos carmen cantaturos relicto Euphrate, quale Ægyptij quondam mari Rubro traiecto. Continetur igitur in hoc capite carmen gratulatorium, quod diuina prædicat beneficia, typicè quidem Iudæorum, verè autem Eccleſiæ, quam multò magis ſpectat hoc vaticinium.*

CAPVT XII.

1 [a] ET dices in die illa. [a] *Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi: conuerſus eſt furor tuus, & conſolatus es me.*

2 [b] *Ecce Deus Saluator meus, fiducialiter agam, & non timebo.* [c] *Quia fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem.*

3 [d] *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.*

4 [e] *Et dicetis in die illa, Confitemini Domino, & inuocate nomen eius: notas facite in populis adinuentiones eius: mementote quoniam excelſum eſt nomen eius, cantate Domino quoniam magnificè fecit: annunciate hoc in vniuerſa terra.*

5 *Exulta, & lauda habitatio Sion:* [f] *quia magnus in medio tui ſanctus Iſrael.*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 VT patres tui olim excuſſo Ægyptio iugo, & mari tranſmiſſo, Canticum concinuere gratulatorium. Sic tu quoque, ô popule Iuda, traiecto Euphrate, & è Babylonica ſeruitute liber modulabere. Laudabo te, Domine, quoniam iratus mihi inolitas à peccato ſordes expiaſti. Et quia mitiori iam animo ſolitudinem meam, & angorem conſolatus es.

2 En Deus eſt, cui ſalutem hanc tantam adſcribere debeo. Nihil iam erit, quod non hoc adiutore, atque auſpice non audeam. Nihil quod horream illo patrono, ac vindice. Quia non tam à mea virtute, aut induſtria, quàm à Dei fortitudine ſecundos rerum euentus mihi polliceor. Quare illius in æternum laudes cantabo, qui auctor mihi fuit inſperatæ ſalutis.

3 Vt Iudæi olim de petra, id eſt, de fonte Saluatoris ad ſatietatem vſque biberunt, ſic vos cum gaudio poſt diuturnam ſitim de Saluatoris fontibus aquas haurietis iugiter manantes.

4 Tunc autem cùm oblato à Saluatore fonte ſitientem expleueritis animum, alios etiam ad diuina celebranda beneficia ſocios aduocabitis. Dicetis enim vniuersè ad omnes. Laudate Dominum; illius inuocate nomen; Deum veſtrum agnoſcite, & eius auxilium implorate, contendite vt cogitationes eius, & opera admirabilia omnes Gentes intelligant. Et illum eſſe excelſum, atque omni creata virtute ſuperiorem prædicate.

5 Et tu qui Sionis arcem, & Solymitanam ciuitatem habitas, exulta ſeriò, atque triumpha, quia Emanuel, iuxta ſui nominis notationem tecum habitat, ſub cuius vmbra, quod timeas, nihil eſt.

IN CAPVT DVODECIMVM COMMENTARIVS.

1. IN fine capitis vndecimi, id eſt, verbis quæ proximè anteceſſere, prædixit Iſaias non aliter populum à vindice Deo reuerſurum ab exilio Babylonico, quàm ſolutus à ſeruitute Ægyptia inductus antè fuerat in terram promiſſionis. Quare canticum iſtud ſummam eorum continet, quæ à Dei liberalitate atque clementia populus ille à Domino recepit excuſſo priùs Ægyptiorum iugo, & eorum quibus poſtea à Babylonica ſeruitute liber cumulatus eſt. Vtraque verò mirè adumbrant, atque commendant officia illa ſingularia, ac plurima quæ Deus pleniori A multò ac benigniori manu Eccleſiæ ſuæ largiùs impendit. Eſt autem canticum iſtud, vt apparet, ad illius ſimilitudinem compoſitum quod cecinere filij Iſraël ſiccato iam, atque tranſmiſſo Rubri maris alueo. Totum verò canticum obſcurum non eſt, neque in eo quicquam apparet quod explicationis admodum indigeat. In quo propheta docet quid veriſimiliter dicturus fuerit populus poſt tot incommoda tam inſperatò, ac facili in patriam reuerſus. Eò verò ſpectant omnia, vt gratiæ agantur Deo, quo vno auctore ac vindice res peracta eſt.

[a] *Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi: conuer*

conuerſus eſt furor tuus, & conſolatus es me.] Non A à minori Dei beneuolentia profectum, excoctam fuiſſe vitiorum ſcoriam, quæ Iudæorum moribus adhæſerat, in Babylonica fornace, quàm eoſdem purgatos iam examine duro ab inolitis ſordibus in antiquam ſedem, & auitam gloriam fuiſſe reſtitutos. Atque ideo gratias agit propheta, aut prophetæ ore populus non iam captiuus, & quòd incommoda ſubierit, & quòd iis exolutos pacatiùs iam, & abundantiùs agat. Quàm id verè populus ab exilio, atque mœrore recreatus dicere potuerit, ſatis exploratum eſt: quàm veriùs prædicare poſſit Eccleſia, præcipuè quæ è Gentibus collecta fuit, quam arctarunt crudeliùs ſæuioris Tyranni vincula, non eſt difficile exiſtimare.

3. [b] *Ecce Deus ſaluator meus fiducialiter agam, & non timebo.*] Huic affine eſt quod Moyſes in ſuo B cantico dixit. *Iſte Deus meus, & glorificabo eum.* Quaſi admiratus populus ſubitam, & inſperatam ſalutem, oppreſſa à Deo Chaldæorum potentia, quæ nulla alia vi ſuperari poſſe videbatur, clamat. Ecce Saluator meus, cui ſalutem hanc tantam adſcribere, cui tantum beneficium acceptum referre in æternum debeo. Denique nihil erit hoc adiutore atque auſpice, quod non audeam; nihil quod illo patrono, ac vindice horream. Quàm id iuſtius fideles in Eccleſiæ complexu cantare poſſint, quis non videat?

4. [c] *Quia fortitudo mea & laus mea Dominus: & factus eſt mihi in ſalutem.*] Si audeam omnia, ſi nihil metuam, nihil videor audacter, ac ſuperbè cogitare: neque temerarij id conſilij eſt, aut co- C gitationis ſtultæ: quia non tam à mea virtute, atque induſtria, quàm à Dei fortitudine ſecundos rerum euentus mihi polliceor. Sententia hæc ſanctis, atque antiquis patribus familiaris erat: qui à Domino confirmati nihil ſibi non ſuperabile putabant. Quòd verò ſtatim ſubditur: *& laus mea Dominus.* alterum è duobus ſenſum habet, aut à Domino habeo quod ab hominibus lauder, & in pretio ſim, ſeu certè Dominum laudo, quia factus eſt mihi in ſalutem. Particula enim *&*, ſicut alibi ſæpe, cauſalis videtur, & rationem reddere, cur in ore populi aſſidua eſſe debeat diuina laus. Eſt autem in Scriptura frequens, vt *actio* pro materia, ſeu, vt Logici vocant, pro ſubiecto actionis vſurpetur. Vt *auditio*, pro verbis, *viſio* pro re D oculis propoſita. & ita Deus *timor* appellatur, & *laus*, quia ab omnibus timeri, atque laudari debet.

Regula. *Actio* pro actionis materia.

5. [d] *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.*] Alluſio eſt ad petram Moyſis virga percuſſam, ex qua copioſus erupit fons aquæ dulciſſimæ, quam populus vrente ſiti anhelaus cum gaudio bibit. Licèt autem filij Iſraël, dum è Babylonico exilio remigrarent, nullum eiuſmodi beneficium accepiſſe tradantur; tamen alia recepiſſe grandia verisimile eſt, ex his quæ in fine diximus ſuperioris capitis. Sumitur autem, vt reor, prouerbiali ſpecie petra illa vberes fundens aquas, pro beneficio, quo aliquis & à magna liberatur moleſtia, & ingenti perfunditur gaudio. Quaſi dicat propheta: Singularibus ô captiui, beneficiis à Deo afficiemini in remigrando.

De Eccleſia hæc tanto intelliguntur excellentiùs, quanto veritas Typum, & lux ſplendidiſſima obſcuram vmbram antecedit. Nam petra illa percuſſa, tanta exuberans aquarum affluentia in ſolitudine ſitienti, imago quædam erat Chriſti, qui paſſionis virga percuſſus, arentia, ac mœſta pectora recreauit, ac fœcunda reddidit. Ad hunc credo Iſaiæ locum reſpexit Paulus. 1. *Cor.* 10. *verſ.* 4. cùm in allegorico ſenſu Chriſtum eſſe dixit petram, ex qua in deſerto potauerunt Hebræi. *Omnes*, inquit, *eumdem potum ſpiritualem biberunt: bibebant autem de ſpiritali conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus.* Imò & Chriſtus ipſe cùm de ſe ait *Ioan. cap.* 7. *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat.* Quia verò Chriſtus Eccleſiæ nunquam deerit, ex quo aquam iugiter ſalutis hauriat; ideo Paulus ait populum in longo illo curſu à petra non deſeri, quæ ſemper incedentem per deſertum comitata eſt. 6.

7. [e] *Et dicetis in die illa, Confitemini Domino, & inuocate nomen eius.*] Magnum eſt geſtientis animi, & profecta ab altero beneficia cognoſcentis teſtimonium, cùm non tantùm ipſe, qui accepit, gratias agit, ſed alios etiam ad agendas ſecum gratias inuitat. Eo nunc ſtudio propheta recipienda eſſe C beneficia prædicit, vel quibus Iudæi excuſſo Chaldæorum iugo ſub Cyro, & Dario, vel potiùs à duriori ſeruitute liberum hominum genus à Chriſto afficietur; vt quia lingua vna par eſſe non poterat agendis gratiis, inuitentur aliæ, non humanæ ſolùm ſed angelicæ, imò & mutarum animantium, & earum rerum quæ voce ac ſenſu carent. Quod facit Dauid ſæpe, & fecere tres pueri *Dan. cap.* 3. quibus Babylonica fornax nihil attulit, aut afflauit moleſtiæ. *Inuocare nomen*, ſeu alicuius nomen ſuper alterum inuocare, vt *cap.* 4. docuimus, eſt illud cuius inuocatur, aut imploratur nomen, ſuperiorem, & Dominum agnoſcere. Eſt autem beneficiorum apud animos non illiberales proprium, vt eos quaſi ſuæ emancipatos vo- D luntati, eorum quos beneficos habuere, voluntati aſtringant. Cæterùm *nomen Domini*, pro Domino ſumi ſatis notum eſt, & in compoſitione præſertim metrica non infrequens. Sicut & verſu proximo accipiendum. *Quoniam excelſum eſt nomen eius.*

8. [f] *Quia magnus in medio tui ſanctus Iſraël.*] Exponitur hîc vis nominis *Emanuel*, qui idem eſt atque *nobiſcum Deus.* Nam *in medio tui*, idem eſt, ac *tecum*, aut *inter nos eſt ſanctus Iſraël.*

Argumen

Argumentum decimi tertij capitis Iſaiæ.

HÆC prophetia dura eſt, & vehemens contra Babylonem, cuius excidium miſerabile elegantiſſima quadam hypotypoſi deſcribitur. Primùm propheta Medorum, & Perſarum prædicit aduentum, quos Dominus ex ſuis finibus euocauit, eiſque ſe ducem ad tantum opus, atque autorem præbuit. Deinde quantus futurus ſit æſtus, quanta perturbatio Gentis Babylonicæ, in eo inſperato, atque nocturno conflictu. Ad extremum quanto odio, atque ardore oppugnationem illam aggredientur Perſæ; qui ita graſſabuntur infenſi, vt neque à tenera infantium cæde funeſtas manus, neque à fœminarum pudore libidinem cohibeant. Tandem eò redactum iri opulentam illam ciuitatem, vt nulli deinceps futura ſit vſui, niſi dæmonum latebris, & ferarum cubilibus.

CAPVT XIII.

1 [a] ONVS *Babylonis, quod vidit Iſaias filius Amos.*

2 [b] *Super montem caliginoſum leuate ſignum, exaltate vocem, leuate manum, & ingrediantur portas duces.*

3 [c] *Ego mandaui ſanctificatis meis,* [d] *& vocaui fortes meos in ira mea, exultantes in gloria mea.*

4 [e] *Vox multitudinis in montibus, quaſi populorum frequentium, vox ſonitus Regum, & Gentium congregatarum.*

5 [f] *Dominus exercituum præcepit militiæ belli venientibus* [g] *de terra procul, à ſummitate cæli:* [h] *Dominus, & vaſa furoris eius, vt diſperdat omnem terram.*

6 *Vlulate, quia prope eſt dies Domini:* [i] *quaſi vaſtitas à Domino veniet.*

7 [k] *Pro*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 HÆC eſt propheria minax, & acerba, quam Iſaias filius Amos contra Babylonem intonuit.

2 Ad vos ô Medi, ac Perſæ loquor, quos ad euertendam Babylonem; aſſerendóſque in liberratem Iudæos à patriis finibus euocaui. Leuate ſignum contra ciuitatem quam nebulæ perpetuò, & tenebræ circumfundunt. Clamores edite, & ſtrepitus militares; ſicut illi aſſolent, qui ex bellica diſciplina vrbem diripiendam inuadunt: leuate manum contra vrbem veſtro gladio, atque triumpho deuotam: ingrediantur duces ciuitatem; cuius ego impedimenta ſubmoui, & vectes effregi.

3 Ego ad delendum Chaldæorum imperium immiſi eos, quos ad illud opus deſtinaui. Et euocaui illos, qui futuri eſſent in bellando fortes, & ſtrenui, dum iræ meæ ſeruiunt, & conſiliorum meorum adminiſtri ſunt, quíque in gloria mea exultant, quia ad ea, quæ ego glorioſè feci, delendo Chaldæorum imperio, & frangenda illorum arrogantia, ipſi obſequẽtes, & pugnaces manus admouerunt.

4 Videre iam videor properantes copias, quæ ex montibus irrumpere parant in Chaldæorum fines; & audire ingentes multitudinis ſonitus, quibus latè loca circumſonant. Sonitus, inquam, & clamores Regum, & Gentium, quæ aduerſus Dominum in Babylonis exitium coniurarunt.

5 Dominus exercituum immiſit militiam, atque è Gentibus conflatas acies, quæ ex vltimis terræ finibus, & ab illis regionibus quas definire videtur pars illa cœli, quam extremam videmus; in Chaldæorum fines erumperent. Et armis inſtruxit, quibus & diuino furori ſeruirent, & terram Chaldæorum ſubiectam imperio latè vaſtarent.

6 Vlulate igitur ô Babylonij, quia iam vobis ſupremus imminet dies. Quia vaſtitas vobis aduenit horribilis à Domino, qualis ab eius furore, atque potentia infligi, atque timeri poteſt.

7 Quia

7 Quia duce, atqne vltore Deo Perſicus exercitus in vrbem irrumpet, ideo omnes militum manus, non ſolùm armis antea, ſed etiam victoriis aſſuetæ langueſcent metu, & deſperatione diſſoluentur. Neque in hominum animis aliquid erit conſilij, quod opponant Perſicæ irruptioni, aut aliquid virium, ſeu audaciæ, quibus victricibus inimicorum ſignis occurrant.

8 Cortipiet eo rerum veſtigio talis cruciatus, atque angor, Babylonis filios, qualem experitur mulier dum laborat dubio, atque difficili puerpetio. Aſpicient ſe mutuo cum ſtupore mentis, atque conſilij inopes: quorum facies præ timore luridæ, & exangues, aut præ pudore ardentes, atque combuſtæ, animorum ægritudinem, atque æſtum non obſcutè ſignificabunt.

9 Ecce dies Domini aduenit, indignationem, & furorem Dei, quibus plenus eſt, in Babylonicam inuehens potentiam. Vt vrbem à fundamentis euertat, eóque redigat ſolitudinis, vt ſyluam potiùs, quàm frequentem ciuitatem arbitrere. Ac tandem ex ea, atque cum ea deleat: quos peccati fœditas, & turpitudo ferro, atque incendio deuouit.

10 Nihil erit tunc Babylonis non tetrum, non obſcurum: nihil quod non angorem, & ægritudinem non afferat. Stellæ cœli ſuum occultabunt lumen; Sol illis orietur offundens potiùs caliginem craſſam, & horribilem, quàm matutinam apportans lucem. Neque Luna etiamſi totum orbem ſuum luce compleuerit in ſuprema nocte, quę Perſarũ inſidias occultabit, ſplendorem afferet, aut viã cæcis, & tumultuantibus oſtendet.

11 Vlciſcar impiæ ciuitatis, quæ ciuium frequentia, & opum magnitudine totius mundi inſtar quoddam obtinet: Efficiámque ne infidelium hominum ſuperbia ſeſe ampliùs attollat, aut duret diutius.

12 Is autem erit Perſarum ardor in euertenda vrbe, id in ciues Babylonios odium, vt nemo poſſit oblato auro ab hoſtili ferro vitam redimere. Erit enim vir longè auro pretioſior, quare in illum multò inflammabitur magis vindictæ ſtudium, quàm in oblatum aurum auaritia.

13 In eam euram, & rerum euentum turbabo cœlum offuſa caligine, & terram mouebo aduocatis ab extremo terræ copiis ingentibus, & Babylonis accolis in alia, atque alia loca fuga diſperſis, propter grauem animi mei offenſionem, & iram, cuius explendæ tempus iam aduenit.

14 Erunt autem qui ex illa ciuitatis clade fugerint, ſicut damulæ, aut oues quæ inermes ſunt, neque quicquam habent ad repugnandum virium, & audaciæ; neque præter fugam quicquam aliud meditabuntur. Non erit dux, aut imperator, qui palantes congreget; aut in ordinem cogat, ſed quilibet quà ſe commodior ad ſalutem aperuerit via, fugam intendet.

15 Qui

7 [k] *Propter hoc omnes manus diſſoluentur, & omne cor hominis contabeſcet, & conteretur.*

8 *Torſiones, & dolores tenebunt, quaſi parturiens dolebunt:* [l] *vnuſquiſque ad proximum ſuum ſtupebit, facies combuſtæ vultus eorum.*

9 [m] *Ecce dies Domini veniet, crudelis, & indignationis plenus, & iræ furoriſque,* [n] *ad ponendam terram in ſolitudinem, & peccatores eius conterendos de ea.*

10 *Quoniam ſtellæ cæli, & ſplendor earum non expandent lumen ſuum: obtenebratus eſt ſol in ortu ſuo, & luna non ſplendebit in lumine ſuo.*

11 [o] *Et viſitabo ſuper orbis mala, & contra impios iniquitatem eorum, & quieſcere faciam ſuperbiam infidelium, & arrogantiam fortium humiliabo.*

12 [p] *Pretioſior erit vir auro, & homo mundo obrizo.*

13 [q] *Super hoc, cælum turbabo, & mouebitur terra de loco ſuo, propter indignationem Domini exercituum, & propter diem iræ furoris eius.*

14 [r] *Et erit quaſi damula fugiens, & quaſi ouis: & non erit qui congreget: vnuſquiſque ad populum ſuum conuertetur, & ſinguli ad terram ſuam fugient.*

15 *Omnis*

15 *Omnis qui inuentus fuerit, occidetur: & omnis qui ſuperuenerit, cadet in gladio.*

15 Quicumque aut in vrbe, aut in fuga deprehenſus fuerit, interibit; & qui auxilij gratia ſuperuenerit, fèrro etiam occumbet.

16 [f] *Infantes eorum allidentur in oculis eorum: diripientur domus eorum, & vxores eorum violabuntur.*

16 Infantes etiam, qui propter ætatem nihil commeruere, vrgentibus parentum peccatis ad petram allidentur: Neque tantùm Babyloniorum domus ad prædam Perſatum auaritiæ, ſed etiam vxores ad meretricios, atque nefarios vſus illorum libidini patebunt.

17 *Ecce ego ſuſcitabo ſuper eos Medos, qui argentum non quærant, nec aurum velint: ſed ſagittis paruulos interficient, & lactentibus vteri non miſerebuntur, & [t] ſuper filios non parcet oculus eorum.*

17 Ecce ego ſuſcitabo, armabóque in Babylonis exitium Medorum acies, quorum non tanta erit cupiditas, quæ argentum appetat, ſeu aurum ſectetur, quanta crudelitas, quæ ad cædem inhiet aut ſanguinem ſitiat. Qui ſagittis paruulos confingant; neque illos infantium miſereſcat quos ex matrum ſinu, atque adeò ex vberibus abſtractos neci dabunt: cum tamẽ intereà horribili hac, & miſeranda ſpecie neque lachrymentur, neque vllo dolore, aut miſeratione tangantur.

18 *Et erit Babylon illa glorioſa in regnis, inclyta in ſuperbia Chaldæorum, [v] ſicut ſubuertit Dominus Sodomam, & Gomorrham.*

18 Et erit illud orbis miraculum, illa ampliſſima, atque florentiſſima imperij ſedes, in eam ſpeciem, & ſolitudinem redacta: in quam olim Sodoma, & Gomorrha; quas ignis è cœlo ita ſubuertit; vt antiquæ amœnitatis, & gloriæ nec tenue quidem veſtigium reliquum ſit.

19 [x] *Non habitabitur vſque in finem, & non fundabitur vſque ad generationem, & generationem: [y] nec ponet ibi tentoria Arabs, nec paſtores requieſcent ibi.*

19 Neque ad breue tempus durabit illa tantæ molis ruina; ſed erit vſque adeò diuturna: vt, ad finem vſque non excitetur, neque ad multa ſæcula è rediuiuo lapide reſurgat. Adde quòd non ſolùm hominum habitationi idonea non erit, ſed neque propter ferarum latebras paſcendis gregibus opportuna. Non enim Arabes, qui Nomades ſunt, ſua ibi ſtatuent tabernacula; neque paſtores ibi ſuas ſibi ſedes, & quietem locabunt.

20 *Sed requieſcent ibi beſtiæ, & replebuntur domus eorum draconibus: & habitabunt ibi ſtruthiones, [z] & piloſi ſaltabunt ibi.*

20 Habitabunt namque in illis ciuitatis ruinis (in quibus neceſſe eſt ſpeluncas eſſe profundas, & immanes hiatus) immites feræ, & infeſti lemures, qui ibi vt in opportuno loco requieſcent ſecuri, & feſtiuos ludos, otioſi agent.

21 *Et reſpondebunt ibi vlulæ in ædibus eius, & Sirenes in delubris voluptatis.*

21 Ad draconum ſibilũ, & ſtruthionum ſtrepitum, piloſorum, ac lemurum vlulatus, quibus vaſtè atque horribiliter perſtrepet Babylonica ſolitudo, reſpondebit vlularum, ac Sirenum ſtridor; qui reſonabit ex magnificis quondam ædificiis, quæ fuerunt domicilia, & quaſi delubra quędam voluptatis.

IN CAPVT DECIMVM TERTIVM COMMENTARIVS.

1. ONVS *Babylonis.*] Auertit hinc Iſaias *ad cap. 25.* propheticum filum à Iuda, & Iſrael; & minaces prophetias intentas prouinciis aliis Iſraelitico nomini ſemper infenſis, A vt qui iam accepiſſent Iudaicum populum in ſeruitutem datum iri, duréque vexandum à variis gentibus, quarum iam antea odia, & vires eſſent experti, hac promiſſione de hoſtium ruina, exilium ſuum,

Digitized by Google

ſuum, & ærumnoſum ſtatum ſolarentur. Tractauit, quæ Iſaias *hoc capite*, Ieremias *cap.* 51. qui huic loco plurimum affert lucis. De Babylonis admiranda magnitudine & gloria, plurima apud externos inuenies, quæ ego nunc quia minùs neceſſaria prudens omitto. Quia verò Babylon totius imperij Chaldaici ſedes erat, & caput, pro toto Chaldæorum dominatu ſumitur.

2. ᵇ *Super montem caliginoſum leuate ſignum.*] Imperatiuus pro futuro ponitur prophetico ſtylo; neque hoc ſine Emphaſi. Pro *ſuper* Hebr. eſt עַל *hhal*, quod hîc *contrà* ſignificat, vt alibi ſæpe, ſicut & vox Latina *ſuper*. Loquitur autem cum Medis, & Perſis, qui inſolenti illi populo, & plus ſatis de ſua fortitudine confidenti Perſicum iugum impoſuerunt, vt *ex hoc capite* apertè liquet, & *ex Ierem. cap.* 51. qui totum hoc caput videtur ſi non expreſſiſſe, at certè ſpectaſſe. Pro *caliginoſo*; Hebr. eſt נִשְׁפֶּה *niſpeh*, quod *tempus nebuloſum, & obſcurum*, ſignificat. Vt autem figuratè illa ciuitas quæ in planitie ſita eſt, propter magnitudinem, & ſuperbiam *mons* appellatur *hic*, & *Ierem. cap.* 51. ſic puto *caliginoſam* etiam vocari poſſe figuratè. quo tamen ſenſu, non eſt explicare promptum. An quia alluſum eſt ad nomen Babel, quod quia confuſionem ſonat, obſcuritatem etiam ſignificat: vel quia gens illa erat erroribus plena, qui verè caligo, ac tenebræ nominari poſſunt? aut certè quia triſte eſt hoc de Babylone vaticinium: tenebræ autem vulgari ſacræ Scripturæ more calamitatem ſonant.

Babylon cur mons caliginoſus.

Hæc fortaſſe vera, ſed ſi hîc *caligo* figuratè ponitur, magis mihi videtur ad textum, & hiſtoriæ fidem, ſi mons dicatur caliginoſus, propter temporis articulum, in quo euerſa eſt moles illa toti orbi habita pro miraculo. Capta enim fuit nocturno tempore, vt liquet *ex Dan. cap.* 5. quare in caligine erat ciuitas illa, & à caliginoſo tempore caliginoſa vocari potuit. Qui loquendi modus inuſitatus non eſt, & apud profanos, qui quod temporis proprium eſt, hiſ quæ fiunt, aut ſunt in tempore accommodant. Quomodo fur dicitur *nocturnus*, & qui vigilat *matutinus*, & propius ad noſtrum inſtitutum qui noctu gradiebantur *obſcuri* dicuntur à Virgilio. *lib.* 6. *Æneid.*

Ibant obſcuri ſola ſub nocte.

Adde quòd capta etiam Babylon fuit, quo tempore malè ſecuri ciues nihil minùs quàm de cæde cogitabant. Quare vacabant menſis, & poculis, & patiebantur illas tenebras, quas incaleſcentibus mero ebrietas inducit. Neque enim tunc mens eſt, aut conſiliũ, neque aliter in deliberando errant dominante crapula temulenti, quàm qui obſcura nocte per impeditam, & cæcam viam ingrediuntur. Quòd ſi aduerſi, & ærumnoſi caſus *tenebræ* dicuntur, profectò cauſæ ſunt plurimæ, cur eo tempore quo capta eſt, atque expugnata Babylon, *mons* appellari debuerit *caliginoſus*. Quocirca ſi figuratus hic ſermo ſit, exiſtimo caliginoſum montem dici propter illius temporis articulum, quo extinctum eſt capta Babylone florentiſſimum Chaldæorum imperium, cùm neque minor ciuitati à nocte, quàm ciuium animis à perturbatione, & crapula fuerit offuſa caligo.

3. Sed credo non tam figuratè, quàm propriè Babylonem, caliginoſam vocari, imò & hoc eſſe illi familiare nomen, ſiue ab Hebræis, aut vicinis populis ignominiosè datum, ſicut ciuitates aliæ vulgò ab aliquo vitio aut loci, aut miniſterij ignominioſo nomine notantur. Seu, quod magis reor, à pro-

A prietate aliqua ſic omnibus nota, vt pro antiquo nomine communiter vſurpetur. Sicut Iericho, *ciuitas palmarum*, 2. *Paral.* 18. *verſ.* 15. & ciuitas Dabir, *Iud.* 1. vocata fuit *ciuitas litterarum*. Erat autem caliginoſa ciuitas, vt ex natura loci coniectare licet, non vno aut altero die, ſeu etiam menſe, ſed maiori anni parte: quia cùm in planicie ſita eſſet, mediámque ciuitatem Euphrates influeret, veriſimile eſt contigiſſe illi, quod vſu ciuitatibus aliis euenire ſolet, quas flumina obeunt, aut quæ prope loca humida, atque paluſtria ſitæ ſunt. Hæ enim plerumque cùm nebulis, craſſiſque vaporibus pinguem habeant, atque concretum aërem,
B cœlum habent obſcurum, & caliginoſum.

4. Addo ad extremum rationem aliam non prorſus alienam, ſumptam ex profana hiſtoria, cur Babylon mons dici potuerit caliginoſus, ſeu nebuloſus. Nemo credo neſcit quàm celebres fuerint horti penſiles, quos tanto ſumptu atque labore conſeuere, aluerèque ad longum tempus Reges Babylonij, quos pro miraculo habuit, celebrauítque antiquitas. Horti iſti ea amplitudine, ac mole erant erecti, vt Babylon procul ſpectantibus non tam ciuitas videretur, quàm mons. Cùm autem ex vicino fluuio denſæ, ac pingues nebulæ excitatæ, & præſertim fumus ex tam frequenti vrbe aſſiduè exundans montem illum arte, manúque factum
C obſideret, obſcuraretque, optimè ciuitas illa mons caliginoſus vulgo maximè peregrinorum, qui in vrbem aduentarent vocari potuit; quia talis apparebat. Hæc verò non obſcurè indicant externi ſcriptores. Ioſephus *lib.* 10. *Ant. cap.* 13. ita de his hortis ſeu potiùs de hoc monte, cùm loqueretur de Nabuchodonoſor. *Moles ſaxeas forpicibus ſuſpendit, montium ſpeciem referentes. Supernè conſitas variis arborum generibus. Atque ita celebratos illos penſiles hortos abſoluit, eò quòd vxor educata in Media concupiſſet quamdam patriæ ſuæ ſimilitudinem. Horum hortorum etiam Megaſthenes in quarto rerum Indicarum volumine meminit.* Hæc Ioſephus. Cùm verò ciuitas multa eſſet paſſa ad tempus vſque Alexandri Magni: tamen mons ille, aut illud humanæ potentiæ miraculum nihil amiſit, aut ſpeciei,
D aut amplitudinis. De quo eadem, aut multò etiam ampliora refert Quintus Curtius *lib.* 5. *de rebus geſtis Alexandri. Super arce*, inquit, *vulgatum Græcorum fabulis miraculum penſiles horti ſunt, ſummam murorum altitudinem æquantes, multarúmque arborum vmbra, & proceritate amœni. Super pila lapide quadrato ſolum ſtratum eſt patiens terræ, quam altam iniiciunt; & humores, quo rigant terras. Adeóque validas arbores ſuſtinent moles, vt ſtipites earum octo cubitorum ſpatium craſſitudine æquent, in quinquaginta pedum altitudinem emineant, & frugiferæ ſint, vt ſi terra ſua alerentur. Et, cùm vetuſtas non opera ſolùm manufacta ſed etiam ipſam naturam paulatim exedendo perimat, hæc moles, quæ tot arborum*
E *radicibus premitur, tantique nemoris pondere onerata eſt, inuiolata durat. Quippe viginti lati parietes ſuſtinent undecim pedum interuallo diſtantes, vt procul viſentibus ſyluæ montibus ſuis imminere videantur.* Quòd ſi tempore Nabuchodonoſor talem ſpeciem haberet mons iſte humano artificio factus, qualem ſub Alexandro nobis deſcribit Quintus Curtius, minùs de hac explicatione dubitarem; Sed licèt à Nabuchodonoſor plantati dicantur horti illi, & mons excitatus: tamen quo tempore Perſæ Babylonem inuaſerunt, id eſt, ſeptuageſimo anno à Nabuchodonoſoris imperio, iam ſpeciem montis

Horti penſiles.

atque ſyluarum habere potuit illa prodigioſa moles. Ad extremum addo videri mihi veriſimile Ieremiam *cap.* 13. *verſ.* 16. Babylonem quoque appellaſſe montem caliginoſum. Nam de tempore Chaldæorum agebat eo loco, & de exilio, quod in Babylone Iudæi, id eſt, in monte caliginoſo ſubierunt. *Date*, inquit, *Domino Deo veſtro gloriam, antequam obtenebreſcat, & antequam offendant pedes veſtri ad montes caliginoſos.*

Ierem. 16.

5\. [c] *Ego mandaui ſanctificatis meis.*] *Mando* verbum eſt militare, & valet idem quod *mitto*. Sicut etiam *præcipio*, ſtatim *num.* 10. vt docebimus infrà *cap.* 23. *num* 28. *Sanctificati* dicuntur milites, quorum opera Deus vtitur in debellandis hoſtibus Iudaici nominis, & euertenda Babylone. Vocantur autem *ſanctificati*, quia auſpice, atque auctore Deo bella ſuſcipiunt. Qua ratione *ſanctificaſſe* dicuntur *manus ſuas*, qui à vera religione transfugas, & vituli adoratores interfecerunt, *Exod.* 32. ad quos ita Moyſes. *Conſecraſtis manus veſtras hodie Domino vnuſquiſque in filio, & in patre ſuo.* Neque nouum eſt, aut ſacræ Scripturæ proprium, vt bellum pro religione, Deique causa comparatum *ſacrum* appelletur, nam & ſacra à profanis dicuntur bella, quæ illatas religioni iniurias vleiſcuntur. quale fuit quod contra Phocenses comparatunt Thebani propter compilatum templum Apollinis Delphici. De quo Diodorus & Pauſanias. Et bella pro recuperandis Hieroſolymis à fidelibus ſuſcepta contra Turcas, ſacra item dicuntur. Aut certè *ſanctificati* dicuntur milites, quia ſacramento militari quaſi initiati bello deſignabantur. De profanis ſatis multa apud Godeſcalcum *in lib.* 2. *Vegetij cap.* 5. Apud ſacros ſanctificari etiam dicitur bellum *Ierem.* 6. *& Ioel.* 3. quia ritu ſolemni, ac publico indicebatur bellum; & militares habebantur delectus. Sed ego exiſtimo aliquid etiam maius, & occultius his verbis ſibi prophetam voluiſſe. Nam cùm certis legibus ſacra eſſet, ſeu legitima Hebræorum militia, quam Moyſes tradit *Deuter.* *cap.* 20. atque adeò milites ſanctificati dici potuerint, ait Dominus externas acies, quas in Babylonis vaſtitatem coëgit, & armauit, non aliter ſanctificatum iri, quàm Iſraeliticas, quibus olim Deus ad expellendos è regione Chananitide antiquos habitatores vſus eſt. Et facit ad hæc quòd nomen, quod Regum Iuda proprium erat, qui quoniam vngebantur, & quaſi ſanctificabantur, nominabantur *Chriſti*, id eſt, *vncti*, id quoque nomen datum eſt Perſarum imperatori Cyro; quaſi apud Deum eodem eſſet loco, quo Reges Iſraël. Sic autem de illo Iſaias *cap.* 45. *Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro.* Iuxta hæc ſubaudienda eſt ſimilitudinis nota, quod ſæpe faciunt Hebræi. hoc ſenſu. Mandaui illis, qui ad puniendam Babyloniæ tyrannidem ita ſanctificati videntur, ſicut Iudæi olim ad expellendos Amorrhæos.

Bellum ſacrū, ſeu ſanctificatum.

A B C D

6\. Hæc ſanè probabilia. Sed non improbarem ſi quis diceret ibi in ſanctificatis non connotari aliquam ſanctitatem quæ militibus conueniat, ſed deſtinationem ad aliquod munus, id eſt, ad puniendi Chaldæorum peccata. Verbum enim קדש *kadas*, non ſolùm ſanctitatem ſonat, ſed etiam ſeparationem, aut deſignationem ad miniſterium, ſeu opus. Quo ſenſu multi, & verè putant accipiendum illud *Ierem.* 1. *Antequam exires de vulua ſanctificaui te*, id eſt, ad propheticum munus deſtinaui vel ſegregaui mihi. Exempla occurrent plurima in eamdem ſententiam, quæ nunc omitto, quæ

Sanctifico, idem quod deſtino.

E

A valde mihi perſuadent veram eſſe poſteriorem hanc explicationem.

[d] *Vocaui fortes meos in ira mea, & exultantes in gloria mea.*] Notandus hic locus attentiſſimè, pro his qui bella Domini obeunt, quíque dici poſſunt ſanctificati milites. Quales eſſe debent Chriſtiani omnes, & hi præcipue, qui in militaribus religionibus vitam ſuam ſacræ militiæ conſecrarunt. Hi enim fortes ſunt ita Dei, quia Dei zelus illos armat potiùs, quàm ambitio, aut vindictæ ſtudium. Fortes ſunt quamdiu iræ Dei ſeruiunt, non ſuæ. Deus verò non tam perſonam odit, quàm peccatum: neque iram ſuam ad extinguendum hominem armat, ſed peccatum, quod in homine hæret. B Quod etiam ſpectare debet ſanctificatus miles. Et quia Dei agitur gloria, dum Dei hoſtes inflati ſuperbia, & exultantes vaniſſima quadam gloria deprimuntur, ideo hi milites exultare dicuntur in gloria Dei, quia de hoſtium arrogantia compreſſa exultant, in qua gloria quoque diuina cernitur. Quod Perſis, ac Medis accidit negotio non difficili, quia non tam ſua pugnabant, quàm diuina manu. 7.

Miles quid in bellando ſpectare debeat.

Neque refert quòd miles conſilium Dei ignoret, vt eo ſenſu, quem indicauimus, ſanctificatus miles dici poſſit; ſicut de Cyro conſtat, de quo nunc propheta; & de Aſſur paulò antè vidimus; in cuius manu erat virga furoris Dei, & ipſe neſciuit. C Et de Cyro hoc ipſum dicit Iſaias, *cap.* 45. *Accinxi te, & non cognouiſti me.* Adde quod de Senacherib diximus *cap* 10. *verſ.* 12. Quare qui hoc tempore Chriſtianos premunt quotidianis incommodis, quique noſtris exuuiis aſſiduè ornantur, & exultant, licèt Aſſyriis, ac Perſis ſint longè peiores; exultant tamen in gloria Dei, id eſt, victores ſunt noſtri, quia per illos gloria Dei noſtra caſtigat peccata. Idque ſucceſſu vſque adeò ignominioſo, ac triſti, vt viris prudentibus, qui hæc attentè cogitant, & expendunt, dolori pariter, ac pudori ſit. 8.

Sæpe hoſtis ignarus cōſilia exequitur Dei.

[e] *Vox multitudinis in montibus, quaſi populorum frequentium: vox ſonitus Regum & Gentium congregatarum.*] Certitudinem propheticæ fidei explicare ſolet Iſaias, dum poſt rei futuræ vaticinium, D aut denuntiationem videre ſe dicit iam iam adeſſe, quæ longo pòſt tempore futura prædicuntur. Exempla ſunt non pauca; ſed vnum adducam quod mirè cum hoc noſtro colludit. *Cap.* 40. cùm prædixiſſet futuros afflicti populi conſolatores, quíque exules facili atque expedita via in patrium ſolum reuocarent, ait videri ſibi videre iam clamantem præconem, qui edicat viam eſſe parandam ad reditum. *Vox*, inquit, *clamantis in deſerto, parate viam*, &c. Sic modò cùm dicat Propheta deſtinatos, & quaſi conſcriptos eſſe milites, qui Babylonicos deprimant faſtus, & potentiam extinguant, ſubdit ſtatim, videri ſibi iam properantes copias, quæ ex montibus irrumpere parát in Chaldæorum fines: & audire ſe multitudinis clamo- E rem, & Regum ſonitus, qui quas antè coëgerant copias, moderantur. Et vt ibi *vox clamantis*, abſolutè in nominatiuo ponitur, quod ſæpe faciunt Hebræi, ſic nunc vox *multitudinis* & vox *Regum*. 9.

[f] *Dominus exercituum præcepit militiæ belli.*] Septuaginta eodem ſenſu. *Dominus præcepit genti bellicoſiſſimæ, vt veniat.* Hebr. מפקד *mepakud*, à radice, quæ etiam *viſitare*, ac *recenſere*, ſeu *numerare* ſignificat. Iuxta poſteriorem ſignificationem non videbatur mihi alienus ſenſus, aut valde ab eo, quem indicat vulgata tranſlatio, diuerſa ſententia, 10.

tentis, ſi dicamus Deum iam recenſere, ac numerare illos Perſarum, ac Medorum delectus, quos ad illud ſacrum bellum conſcripſerat. Quod Latini dicunt *luſtrare exercitum*, id eſt, videre quot milites ſub ſignis habeat Imperator. Hiſpani *hazer reſeña, o alarde.* Quaſi Deus ſit tanti belli dux, recognoſcátque pugnatorum numerum. Et facit huc quod in ſequentibus Deus imperatorio munere fungi videtur: & quòd totam illam militiam, ciuitatum direptionem, & ſtragem ita deſcribit propheta, vt non tam auribus futuram, quàm oculis iam præſentem ſpectandam ſubiiciat. Illa verò agminis collecti recognitio, ac numeratio non leuis eſt pars huius illuſtris hypotypoſis. Hinc iam in tota hac expeditione bellica Deus imperatoris agit partes, ne quis miretur tam breui, & facili **B** rem eſſe confectam. Sed vt pluribus oſtendimus ſuprà *cap. 13. num. 28. Præcipio*, ſicut & *mando* verbum eſt militare, & valet idem quod *mitto*. Quare ſenſus erit, &, vt puto, germanus, à Domino miſſam eſſe militiam è Gentibus conflatam, quæ ab vltimis terræ finibus eruperunt.

11. Regula. Scriptura ſacra ſæpe hominũ opinionem ſermonem accommodat.

g *De terra procul à ſummitate cæli.*] Scriptura ſacra ſæpe non tam ad veritatem ipſam, quàm ad hominum opinionem ſermonem accommodat, vt pluribus docuimus ſuper Zachariam *lib. 9. num. 46.* quomodo Ioſeph *pater* dicitur *Chriſti*, quia ſic vulgò exiſtimabatur: at ſtellæ dicuntur de cœlo cadere, quia imperitum vulgus putat ſtellas eſſe cometas, qui diſcurrunt in aëre, & deorſum aliquando feruntur. **C** Cùm ergo vulgò homines iudicium oculorum ſecuti exiſtiment ſphæricum non eſſe cœlum, ſed hemiſphæricum, & in extremis terræ finibus deficere, quibus inniti videtur cœlorum extremitas, & ſummitas, à cœli ſummitate venturi dicuntur hoſtes, id eſt, ab extrema terra. Quod indicat tranſlatio Septuaginta qui vertunt. *In ſummitate fundamenti cæli*, id eſt, ab ea parte vbi cœlum videtur fundari. Hiſpani dicunt *de el cabo del mundo* Quòd hominum commune fuerit illud de cœli ſemicirculari forma iudicium, probabile facit, quòd ita exiſtimarunt maxima etiam ingenia. Chryſoſtomus *homil. 14. ad Hebr.* coarguit eos qui cœlum ſphæricum eſſe putant, cùm Scriptura cœlum appellet tabernaculum. & **D** Auguſt. *lib. 2. de Geneſ. ad lit. cap. 2.* dubitandum [illegible], inquit, an terra vndique circumfuſo cœlo contineatur. Lactantius *lib. 3. cap. 24.* Duriùs accipit eos, qui cœlum ſphæricum eſſe putant, cuius etiam ſententiæ fuere & alij, neque pauci, neque indocti, quos refert Ioſephus de Acoſta, de natura noui orbis *lib. 1. cap. 1.* Hic autem dicendi modus videtur eſſe prouerbialis, quo ſignificamus locum, qui à nobis quàm longiſſimè diſtat. *Eſdra lib. 2. cap. 1. Etiam ſi abducti fueritis ad extrema cæli, inde congregabo vos.* Eodem ſenſu, & eodem argumento dicitur *Deut. 30. num. 4. Si ad cardines cæli fueris diſſipatus, inde te retrahet Dominus Deus tuus: &* **E** *aſſumet, atque introducet in terram quam poſſederunt Patres tui.* Idem *Deut. cap. 4. num. 32. Interroga de diebus antiquis, &c. à ſummo cælo, vſque ad ſummum eius.* In hunc ego ſenſum accipio illud *Matth. 24. Congregabunt electos à quatuor ventis, à ſummis cælorum vſque ad terminos eorum*, id eſt, ab vltimis vſque terræ finibus. Nam Chriſtus ſæpe ſe ad vulgi ſermonem accommodat.

12. Prouerbiũ.

h *Dominus & vaſa furoris eius, vt diſperdat omnem terram.*] Inducitur Dominus quaſi dux, & imperator illius ſacri belli, inſtructus omni militari **A** apparatu, qui ex vſu idiomatis Hebraici *vaſa* appellatur. *Vas* enim inſtrumentum eſt in quocumque opere, vt *vaſa bellica*, *muſica vaſa templi*. Hoc autem loco *vaſa* non ſolùm dicuntur tela, quadrigæ, & arma cuiuſcumque generis, ſed etiam milites, quibus Dominus ad Babylonici imperij exitium vſus eſt. Nam quemadmodum Aſſur *virga* dicitur *furoris Domini*, *Iſai. 10.* id eſt, inſtrumentum ad vindictam de Iſraele ſumendam: ſic Perſicæ vires *vaſa* dicuntur *furoris Domini* ad perdendum Chaldæos. Hic *omnis terra* ſumitur pro ea, quæ Babylonicæ ditioni paret, nam de hac eſt præſens vaticinium vt conſtat. Porrò hic ſupplendum, *venit*, aut aliquid ſimile. Hoc ſenſu, Dominus venit, & cum eo furoris ipſius inſtrumenta.

Vas, omne inſtrumentum.

13. Quaſi aliquando non ſignificat ſimilitudinẽ.

i *Quaſi vaſtitas à Domino veniet.*] Illud *quaſi* non ſimilitudinem dicit, quaſi alia ſit futura vaſtitas ſimilis vaſtitati, quam infert Deus; ſed proprietatem, hoc ſenſu: Veniet vaſtitas à Domino, qualis ipſius potentiam & furorem decet, nempe horribilis eo modo, quo *quaſi* ſumitur *Ioan. cap. 1. Gloria quaſi vnigeniti à Patre.* vbi non eſt alia gloria, quàm vnigeniti, ſed talis ſignificatur, qualis vnigeniti maieſtatem decebat. Sicut *ad Epheſ. 5.* particula *vt* ſimilitudinem non importat. *Vt filij lucis ambulate*, id eſt, vt fas eſt ambulare eos, qui lucis filij ſunt. cui explicationi maximè congruunt, quæ ſequuntur.

14. Animus cadit iis, cõtra quos Dominus pugnat.

k *Propter hoc omnes manus diſſoluentur, & omne cor hominis contabeſcet, & conteretur.*] Optima **C** hypotypoſis hominum, quorum animus graui dolore, metúque concutitur, in quo neque conſilium eſt vllum, neque ſpes effugij; ſed æſtus, atque angor; ex quo naſcitur manuum diſſolutio, quæ nihil audent, vel moliuntur; & mentis caligo, quæ nihil videt, aut cogitat opportunum: ac tandem deſperatio, qua robuſtorum etiam animus ſoluitur & tabeſcit. Hæc verò ideo futura prædicit Iſaias, quia illa tanta vaſtitas erit à Domino, id eſt, non qualis ab hominibus, ſed qualis à Domino euenire ſolet. Neque enim homines tantam támque inopinatò conſternationem, & ſtuporem inducunt, neque manus ita diſſoluunt, præſertim aſſuetas bellis, atque victoriis, & iam pridem ad patriæ defenſionem armatas. Eſt autem Deo Domino **D** exercituum vſitatum eis, quorum potentiam frangere, ac delere vult, ſtuporem, aut metum incutere, ne quid audeant promoueántve in re militari, vt multis exemplis probauimus *ad illud cap. 40. Ecce ego dabo ei ſpiritum.* Ex quo efficitur verum eſſe quod de *quaſi* nuper dicebamus. quia facturus Dominus dicitur, quod aliàs ſæpe fecit, & quod eius offenſionem toties irritatam, & potentiam decet. Decet autem non quod homines, aut ſolent aut poſſunt: ſed quod diuinæ potentiæ magnitudinem prædicet. Porrò hæc accidiſſe à Domino victore, & duce, oſtendit tantæ molis tam **E** repentina vaſtitas, ex qua Cyrus ipſe alioqui gloriæ ſtudioſiſſimus non tam ſuæ fortitudini atque induſtriæ, quàm Dei conſilio, atque potentiæ victoriam adſcripſit. De hac manuum diſſolutione, & cordis tabe, doloréque repentino, ac graui in ea nocte, quæ Babylonico imperio extrema fuit, aliquid indicauit Daniel *cap. 5.* vbi cùm dixiſſet apparuiſſe quaſi digitos hominis, qui obſcuras notas ſcriberent in pariete: (quas non Balthaſar ſolus, ſed alij etiam Principes aſpexerunt) de Rege dicit. *Tunc facies regis commutata eſt: & cogitationes eius conturbabant eum: & compages renum eius ſoluebantur,*

uebantur, & genua eius ad ſe inuicem collidebantur. Hæc verò omnia non valde abſonant ab his, quæ nunc Babyloniis denuntiat Iſaias. Eodem etiam modo, quo Baltaſar, affectos fuiſſe principes alios, atque conuiuas Regios, non obſcurè indicat ipſe quoque Daniel dum mox addit, *verſ.9. Sed & optimates eius turbabantur.* Quòd autem in conuiuio accidit Regi, id aliis omnibus, vbi intra mœnia irrupit Perſicus exercitus, accidiſſe quis dubitet?

15. [l] *Vnuſquiſque ad proximum ſuum ſtupebit: facies combuſta vultus eorum.*] Ex repentino caſu nata perturbatio, non ſolùm conſilium, & mentem eripit ſed etiam adimit loquendi facultatem. Quare cùm aliquid eiuſmodi contingit, ſolent ſe homines ſpectare mutuò ſtupentes, neque interim de communi ſalute, aut de propria libertate deliberant. *Facies*, Scripturæ ſacræ more, *combuſta* vocantur pallentes, luridæ & exangues, aut etiam æſtiuo ſole coloratæ. *Thren.4. Denigrata ſuper carbones facies eorum.* & cap.5. *Pellis noſtra ſicut clibanus exuſta eſt.* Color autem ille teter, & ſquallidus in combuſta facie ſignum eſt magnæ perturbationis, angoris ac metus. Ioel *cap.2.* de Ieruſalem in anguſtias à Chaldæis adducta ait: *Omnes vultus redigentur in ollam.* Naum *cap.2.* de Niniue eadem penè, quæ hîc de Chaldæis Iſaias, *Et cor tabeſcens, & diſſolutio geniculorum, & defectio in cunctis renibus, & facies omnium eorum ſicut nigredo ollæ.* Et cùm de Chaldæorum vaſtitate ageret Ieremias *cap. 30. verſ.7.* eodem propè modo explicat populi turbationem, & metum. *Vidi*, inquit, *omnis viri manum ſuper lumbum ſuum, quaſi parturientis: & conuerſa ſunt vniuerſæ facies in auriginem.* Exiſtimo autem combuſtas hoc loco dici Chaldæorum facies non ſolùm propter dolorem & metum, quæ, quia triſtia ſunt, nigroris nomine ſignificari ſolent; ſed etiam quia pudore propter inopinatam ignominiam ſuffundantur, vt indicat textus Hebraicus, qui ad verbum ſic habet, *Facies flammarum facies eorum.* neque abnuit Septuaginta tranſlatio, *Faciem ſuam ſicut flammam mutabunt. Inflammari* autem, aut *ardere* dicitur *facies*, quam pudor afficit: in eis præſertim, qui ſubitò in aliquo ſcelere deprehenduntur. Pro exemplo ſufficiat nunc illud Virgil. *Æneid. lib.12.* qui ſic de Lauinia.

Flagrantes perfuſa genas, cui plurimus ignem
Subiecit rubor, & calefacta per ora cucurrit.

Et in hunc ſenſum videtur exponi poſſe illud Pauli *ad Roman.12. verſ.20. Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potum da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput eius*, id eſt, faciem eius ardere facies eo ſanguine, quem pudor ad maxillas euocat; non ſecus atque ſi ſupra caput carbones congeſſiſſes, qui faciem inflammarent. Quomodo enim ille non pudefiat, qui videt tam liberalem, atque ingenuum animum à ſe fuiſſe offenſum, à quo pro iniuria tale recipit beneficium. Sed nos aliam huius loci explicationem adduximus infrà ad illud *cap. 35. Lætitia ſempiterna ſuper caput eorum.*

Faciēs combuſta, pallēs, & mœſta.

Naum 1.

Ierem 30.

Facies pudore rubeſcit.

Ad Rom.12.

16. [m] *Ecce dies Domini veniet crudelis, & indignationis plenus, & iræ furoriſque ad ponendam terram in ſolitudinem.*] Quidam teſte Hieronymo hæc referunt ad extremi iudicij tempus, cùm ſermo ad plura ſpectare videatur, quàm ad vnius Babylonis exitium: & talia ab Iſaia proponantur ſigna, qualia in fine ſæculorum futura dicuntur in Euangelio. Neque verò id eſſet contra prophetarum ſtylum, qui cùm in vmbram incurrunt Euangelij, aut alicuius rei longè pòſt futuræ, ad illam transferunt propheticum ſermonem; deinde ſe ad interrupta referunt. Vt Chriſtus ipſe docuit, qui *Matth.24. & Lucæ 21.* cùm ageret de Hieroſolyma per Romanos vaſtanda, cùm in eius horribili fortuna appareret imago quædam totius mundi vaſtationis, de illa ſermonem inchoatum pertexuit. Hîc ergo apparebat ſpecies quædam perituri mundi, ſi vlla alia illuſtris & viua. Erat ciuitas illa, quo tempore à Perſis ſubiugata fuit, opulentiſſima totius orbis, atque pulcherrima: de qua mira ac penè incredibilia autores profani. Erat mons quidam caliginoſus, ſiue propter errorum tenebras, quæ ciuitatem illam occupabant; ſiue propter nocturnum tempus, in quo capta à Perſis, & oppreſſa fuit. Accedit quòd cùm ſecura eſſet, & armis depoſitis ludis, conuiuiiſque vacaret, extrema illi aduenit calamitas, quæ vſque adeò grauis accidit Babyloniis, vt conſilij inopes, & elingues metu, facies areſcentes, atque combuſtas alter ad alterum conuerterent. Hæc penè omnia Chriſto ipſo docente contingent in communi totius orbis vaſtitate; qui ad hunc locum videtur ſpectaſſe, cùm de cœlorum motu, de ſtellarum obſcuritate, de luctu hominum, pauore atque incerta fuga non aliter loquitur, quàm hîc Iſaias.

Babylonis excidiū typus quidam iudicij extremi.

17. Veruntamen communis eſt & vera omnium ſententia, qui hæc omnino de excidio interpretantur Babylonis. Neque nimis vrgent ſigna illa cœleſtia, obſcurata, & reliqua, quæ non videntur contigiſſe in luctuoſo tempore Babylonicæ cladis. Nam cùm aliquid horribile, atque funeſtum deſcribitur, figuratè eiuſmodi ſigna hyperbolicè produci ſolent; vt pluribus probabimus *cap 34.* vbi hæc ferme eadem in quarundam Regionum interitu futura traduntur, vt *Ioel. cap.2.* de excidio Hieroſolymæ per Chaldæos, *A facie eius contremuit terra, moti ſunt cœli, ſol, & luna obtenebrati ſunt, & ſtellæ retraxerunt ſplendorem ſuum.* Vide infrà *cap.34.* vnde loci huius ſententia magis conſtabit.

18. [n] *Ad ponendam terram in ſolitudinem.*] Non hîc ſermo eſt de vniuerſa terra, ſed de terra Babylonis. Nam Scriptura ſacra vniuerſale ſignum ad illa coarctare ſolet, de quibus agitur, vt ſæpe ex Hieronymo obſeruauimus. Quomodo verò Babylon ad ſolitudinem redacta dici poſſit, cùm tamen à Cyro non tam ſit euerſa, quàm occupata, dicemus ſtatim *num. 24.*

19. [o] *Et viſitabo ſuper orbis mala.*] Neque nomen *orbis* Hieronymo perſuadet hæc eſſe capienda de totius orbis interitu. Quia οἰκουμένη, quam vocem communiter interpretes *orbem* reddunt, etiam *habitatam* ſignificat. *Habitata* verò antonomaſticè vocari Babylon potuit propter infinitam eiuium multitudinem. Cui commodè opponitur *ſolitudo*, & *vaſtitas.* Sed nihil Hieronymus affert ad vim Hebraici nominis חבל *tebel*, quod non tam *habitatam terram*, quàm *orbem totum* ſignificat. Sed non deeſt quid ad hæc quoque reſpondeamus. Nam Hyperbolicè *mundus* pro magna multitudine, ſeu conuentu hominum vſurpatur, quo ſenſu dicitur *Ioan.12. Ecce mundus totus poſt ipſum vadit.* Quæ vox in illum vſum frequentiſſima eſt apud Hiſpanos. Seu certè vox חבל *tebel*, alludit ad vocem Babylonis, quæ Hebraicè dicitur בבל *babel*, & ab eadem radice deduci exiſtimatur. Significat autem חבל *tebel*, cum gemino ſegol *confuſionem*, quæ notio eſt nominis בבל *babel*, id eſt, Babylonis.

20. [p] *Pretioſior erit vir auro, & homo, &c.*] Modus hic loquen

loquendi mirè amplificat & Dei furorem, & Chaldæorum cædem, quem duobus modis exponere licebit. Altero, quia rari erunt homines ex ea ſtrage ſuperſtites, quæ verò raro inueniũtur, in magno ſunt pretio. Quomodo 1. *Reg.cap.*1. ſermo Domini *pretioſus* dicitur, quia rarus. Et *Prou.cap.*25. *verſ.* 17. vbi Vulgatus, *Subtrahe pedem tuum de domo proximi tui, ne quando ſatiatus oderit te.* in Hebr. eſt, *Pretioſum fac pedem tuum.* Id eſt rarò, proximi tui domum ingredere; ne illi faſtidio ſis, quemadmodum Septuaginta conuertunt. In hunc ſenſum accipit Hieronymus. Altero, quia tanta erit Dei indignatio in populum illum, vt nullus auro, aut quolibet pretio vitam redimat, quia Dei furor homines petit, non aurum, quo interdum hominum furor leniri ſolet. Eſt ergo ſenſus nihil omnino futurum, quod homines ab irato Deo ſubtrahat. Et hoc poſterius mihi placet magis, quia ſtatim dicitur *num.* 17. Medos eſſe venturos, qui non quærant argentum, neque aurum velint, ſed allidant infantes, &c. Explicatur autem hoc dicendi modo, aut vehemens odium, aut grauis offenſio. Quod & faciunt profani non rarò. Vnum accipe exemplum quod ſit multorum inſtar. Virgil. *Æneid.lib.*10. oblatum ab hoſte moriturο theſaurum ingentem ita reſpuit;

Argenti, atque auri memoras quæ multa talenta,
Gnatis parce tuis.

q *Super hoc cœlum turbabo, & mouebitur terra de loco ſuo.*] Vtrumque contigit in Babylonis exitio, ſaltem figuratè, quod ad cœlum attinet. Nam, vt nuper vidimus, obtenebratum eſt cœlum, & ſublato, & lunæ, ac ſolis ſplendore turbatum: Quomodo verò terra *commota* ſit, ſtatim explicat: quia Babylonij ex ſuis expulſis ſedibus aliò, atque aliò diffugient. Seu certè terra ideo *commota* dicitur, quia Perſæ, ac Medi relicto patrio ſolo in Babylonios fines caſtra mouerunt. Sed mihi veriſimile eſt hanc dicendi figuram eſſe prouerbialem, qua ſignificamus aut magnos rerum motus eſſe futuros, aut in aliquod opus nihil non eſſe tentandum. Qua vſus eſt Aggæus *cap.*2. *Adhuc vnum modicum eſt, & ego commouebo cœlum, & terram.* Sanè prouerbium eſt, non longè diuerſum apud Latinos. *Cœlo terram miſcere; aut mari cœlum.* Quod in non diſſimiles vſus autores vſurpant.

21. r *Et erit quaſi damula fugiens.*] Iuxta illorum mentem qui ſuperiora de extremo interpretantur iudicio, huc vſque digreſſus videri potuit propheta ad allegoricum ſenſum. Hinc iam redit ad Babylonis direptionem, & excidium. In quo docet nihil futurum eſſe tutum à Perſarum armis: & nequicquam à fuga ſperandam eſſe ſalutem. Quodcumque enim in conſilium, aut quamcumque in partem ſe dederint, occurrent inexplicabiles nodi, & promptæ ad interitum viæ. Reliqua nihil habent, præter elegantem hypotypoſim vrbis ab hoſtibus occupatæ. Fuga autem illorum comparatur fugæ damulæ, & ouis: quia vtraque innoxia eſt, & inermis; quia Babylonijs contra Medos, neque arma aderunt, neque vires, aut animi, neque aliquid in eo conflictu præter fugam meditabuntur.

22. ſ *Infantes eorum allidentur.*] Hæc multò antea de Babylone prædixerat Dauid *Pſal.*136. *Filia Babylonis miſera*, &c. *Beatus qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram.* Infantium verò cædes, qui nihil propter ætatem commeruerunt: ſatis indicat offenſionem animi; & inflammatum furorem inimici. Nam in communi bello offenſioneque ita ad cædem expetuntur ætate grandi homines; vt parcatur infantili ætate, & imbelli fœminarum ſexui (quod præcepit Dominus *Deuter.*20. *Cúmque tradiderit Dominus Deus tuus illã* (ciuitatem) *in manu tua, percuties omne, quod in ea eſt generis maſculini, in ore gladij, abſque mulieribus, & infantibus.*) At in caſu Babylonico parentum flagitia innocentes filios in eamdem ſecum calamitatem trahent.

[Marginal note: Odij magni ſignũ, & extrema crudelitas.]

t *Et ſuper filios non parcet oculus eorum.*] In magna clade, atque horribili rerum pulcherrimarum 23.
incendio commoueri etiam ſolent inimicorum animi, & ſuis quodammodo parentare lachrymis euerſæ ciuitati, & interfectis hoſtibus. Ex hac conſuetudine ortum eſt prouerbium, *Vel hoſti miſerandus.* ad quod ſpectauit Virgil. 2. *Æneid.*

——Quis talia fando
Myrmidonum, Dolopúmve, aut duri miles Vlyſſis,
Temperet à lachrymis?

Et *lib.*12.

Vel Priamo miſeranda manus.

Sed cùm tale futurum ſit Babylonis excidium, quale à propheta deſcribitur; ſic tamen erit Perſarum odium in Babylonicum nomen inflammatum; vt neque ciuitatis omnium opulentiſſimæ vaſtatio, neque fœminarum, quæ omnium vim, & turpitudinem ſubire cogentur, lachrymæ, neque alliſi ad petrã, aut ex materno ſinu ad cædem abrepti infantes illorum viſcera commoueant. Id enim eſſe puto, *non parcet oculus.* Qui loquendi modus figuratus eſt, in quo ex ſigno res intelligitur ſignificata, id eſt, ex oculis collachrymantibus, miſericordia, quæ ex illis lachrymas extorquet. Porrò notum eſt, vt docuimus ad illud *cap.*6. *Excæca cor populi*, opus aliquod aſcribi illi, qui opus, aut factum oſtendit, aut futurum prænuntiat. Quomodo reuerſus ſol decem lineas, addidiſſe dicitur vitam Ezechiæ *Eccleſ.*48. *verſ.*26. quia ſignum fuit vitæ producendæ. Ad hunc ergo modum, quia oculi animorum ſunt indices, dum indicant quid in animo ſit, ſibi etiam vendicant quod animorum proprium eſt, nempe miſereri, ac parcere, dolere. Quare ſicut oculi dicuntur *dolentes, hilares*, quia animorum dolorem, aut hilaritatem produnt, ſic etiam dicuntur *parcere*, quia miſeratione commotum, & pronum ad veniam animum oſtendunt. Eſt autem hic dicendi modus in Scriptura ſacra frequentiſſimus: In Ezechiele ſæpe *cap.*5. *verſ.*11. *cap.*7. *verſ.*4. & ſæpe alibi. *Deuter.*13. *verſ.*8. *Non parcat ei oculus tuus vt miſerearis, & occultes eum.* Illud verò 1. *Reg.* 24. *verſ.* 11. *Cogitaui vt occiderem te: ſed pepercit tibi oculus meus.* eodem ſpectat; ſignificat enim Dauid doluiſſe ſe de morte Saul, cuius ceruicem ſuo gladio ſuppoſitam viderat, atque etiam collachrymaſſe, vt reor, neque id mirum, cùm audita illius morte & lachrymas fuderit, & veſtes diſciderit.

[Marginal note: Oculus parcit, id eſt, ſignum edit miſericordiæ.]

[Marginal note: Deuter.13. 1.Reg.24.]

24. u *Sicut ſubuertit Dominus Sodomam, & Gomorrham.*] Non ſolùm hic Iſaias, ſed etiam Ieremias *cap.*51. *num.*29. & 45. dicunt ſic exciſum iri Babylonem, vt non ſit deinceps ab hominibus habitanda. Sed non videmus eò ſolitudinis redactam à Cyro, vt ab habitatoribus fuerit deſerta. Quin ab externis hiſtoricis proditum eſt ad tẽpus vſque Alexãdri fuiſſe opibus eximiam, ciuibus frequẽtem, ædificiis ad miraculum vſque conſpicuam. Quidam, vt hinc ſe expediant, hiſtoria relicta ad allegoricos ſenſus confugiunt. Quos hoc loco meritò reprehendit Hieronymus, & docet à ſpirituali, & allegorico ſenſu ſpectari debere ordinem hiſtoricum. *Audiuimus*, inquit, *Medos, audiuimus*

[Marginal note: Quomodo, & quãdo vaſtata Babylõ.]

Babylonem, & inclytam in ſuperbia Chaldæorum. Volumus intelligere, quod fuit, & quærimus audire quod non fuit. Et hoc dicimus, non quòd tropologicam intelligentiam condemnemus, ſed quia ſpiritualis interpretatio ſequi debeat ordinem hiſtoriæ: quod plerique ignorantes lymphatico in ſcripturis vagantur errore. Putat ergo hic Hieronymus expletum eſſe hoc Iſaiæ vaticinium, non tamen quo tempore capta eſt Babylon à Cyro, atque Dario; ſed alio atque alio diuerſis temporibus accepto vulnere. Quare accepiſſe ſe dicit à fratre quodam Elamita, qui ab illis egreſſus finibus ſecum Hieroſolymis vitam agebat monaſticam, ita deſertam eſſe Babylonem, vt neque paſtores ibi commoda habere potuerint paſcua; ſed tantùm ibi eſſe Regias venationes, putà leones, vrſos, apros, qui inter veterum ruinarum anguſtias ſua ſibi parant diuerticula. Et Pauſanias multò antiquior Hieronymo, qui ſub Adriani tempus floruit, Babylonem commemorat, inter illas ciuitates, quæ cùm priùs eſſent florentiſſimæ, ſua tamen ætate vix habuere antiquæ gloriæ nuda veſtigia. Cùm enim egiſſet de Mycenarũ in Græcia, de Thebarum in Bœotia, & Thebarum itẽ in Ægypto, & aliarum ciuitatum obliterata gloria, & penè extincto nomine, quas, vt eius vtar verbis, *ad nihilum redegit fortuna*, de Babylone ait: *Babylon omnium, quas ſol aſpexit vrbiũ maxima, iam nihil præter muros reliqui habet.*

Allegoricus ſenſus Hiſtorico nititur.

25. Babylõ à varijs euerſa.

Quomodo verò, quóve curſu funditus Babylon perierit, hæc carptim ab autoribus accipe. In primis à Daniele *cap.* 6. habemus, à Dario Medo, & Cyro ablatum eſſe ſub Baltaſare Chaldæorum imperium, & ad Perſas tranſlatum. Deinde ab Herodoto *lib.* 3. domitos eſſe rurſus rebellantes Chaldæos, & dirutos magna ex parte Babylonicos muros. Præterea vt tradit *hic* Hieronymus, & Plinius *lib.* 6. *cap.* 26. & Iuſtinus *lib.* 1. cùm extructa eſſet à Nicanore ſeu Nicatore Seleocia, & à Parthis non longè à Babylone Cteſiphonte, & tandem à Vologeſo Rege Vologeſocerta, illuc habitatoribus commigrantibus penè exhauſta eſt à ciuibus Babylonia. Denique Adriani tempore, vt refert ſuprà Pauſanias, nihil erat reliqui præter muros. Neque alio modo impleta Chriſti prophetia de Ieruſalem à Romanis euertenda, non enim à Tito ſic euerſa eſt, vt non maneret lapis ſuper lapidem; ſed aliquid relictum, quod poſtea exſcinderet Adrianus. Imò poſt Adriani vaſtitatem relicta ſunt multa, quæ adhuc extant ex antiqua fabrica. Ex quo conſtat omnium conceſſu in Scriptura ſacra eſſe locutiones hyperbolicas; qualis eſt hæc Chriſti prophetia de Ieruſalem, & hæc Iſaiæ de Babylonia quæ miſerabilem vrbium ruinam prædicunt, non tamen ita (quod verba materialiter ſonant) vt lapis ſupra lapidem relictus non ſit; eſt enim hæc prouerbialis hyperbole, in qua non neceſſe eſt omnia ſic impleri, vt præ ſe ferunt verba. Sicut & alia, quæ de eadem Babylonis ruina affert Iſaias ſtatim *cap.* 14. *Scopabo eam in ſcopa terens*, id eſt, nihil ex ea pulueris relinquam, ſicut ſcopæ puluerem euerrunt. Quare licèt muri reliqui fuerint, & raræ atque ruinoſæ domus, non ideo Babylon in ſolitudinem redacta non eſt. Accedit quòd ex Scripturæ ſacræ vſu nihil relictum eſſe dicitur, quando ex magna aliqua multitudine parum relictum eſt. Quapropter cùm ex tam frequenti, atque opulenta ciuitate reliquiæ tantùm exiguæ ſuperfuerint, iure in ſolitudinem redacta dicitur Babylonia.

In ſcriptura hyperbolicæ locutiones.

² *Non habitabitur vſque in finem.*] Quemadmodum *in finem, in æternum, in ſæculum, non vltra, non ampliùs*, & ſimilia ſignificent aliquando non quod nunquam fiet, aut quod fine carebit; ſed quod erit diuturnum, diximus *cap.* 28. *num.* 29. *& cap.* 60. *num.* 79.

³ *Non ponet ibi tentoria Arabs; neque Paſtores, &c.*] Eò adducetur felix quondam, & copioſa ciuitas, vt efferata à ſordidis, & inanibus belluis, neque paſcuis manſueti pecoris idonea ſit. Nam cùm tantæ ciuitatis ruinæ, vt neceſſe eſt, plenæ ſint profundis ſpecubus, quæ opportunas præbent latebras leonibus, atque draconibus, non audent paſtores eò cogere infirmum, & innoxium pecus, quod futurum eſſet omnino prædæ belluarum immitium. 26.

² *Et piloſi ſaltabunt illic.*] Quæ ſint hæc ferarum monſtra, quæ habitatura dicuntur in Babylonicis ruinis, adeò obſcurum eſt vt neque inter autores noſtros, neque inter Hebræos magiſtros de illorum ſignificatione conueniat. Pro *piloſi*, Hebraicè eſt שעירים *ſebhiarim*, quidam exponunt *Satyros*, alij *hircos*, quia hi piloſi ſunt, & hirſuti; Septuaginta cum Chaldæo vertunt *Dæmonia*: Neque id improbat Hieronymus, quod mihi placet præter cætera, Tum quia Dæmones antiqua Gentilitas Satyrorum, Faunorúmque ſpecie venerabatur; qui Dij putabantur nemorum: & Babylon non iam vrbs, ſed ſylua, commodum videbatur domicilium ſylueſtrium Deorum. Et huc facit quod שעירים *ſebhiarim*, alijs in locis ſacræ Scripturæ pro Dæmonibus vſurpatur: *Leuit.* 17. *Nequaquam vltra immolabunt hoſtias ſuas Dæmonibus.* & 2. *Paralip.* 11. *Qui conſtituit ſibi ſacerdotes excelſorum, & Dæmoniorum.* Sed probat maximè Ioannes *Apoc. cap.* 18. Qui reſpiciens ad hoc, & ad 12. Iſaiæ caput, ſic inquit de Babylonia: *Cecidit, cecidit Babylon illa magna, & facta eſt habitatio Dæmoniorum, & cuſtodia omnis ſpiritus immundi, & cuſtodia omnis volucris immundæ & odibilis.* 27.

Dæmones piloſi.

Apoc. 18.

Syrenes Hebr. תנים *tanim*. Hæc etiam vox variè ab interpretibus redditur. Septuaginta vertunt *Ericius*, alij *dracones*, Hieronymus hic *Syrenes*. *Thren. cap.* 4. *Lamias*, & idem *Ezech. cap.* 29. *verſ.* 3. & *Ierem.* 14. *verſ.* 6. *dracones*. Sunt autem תנים *tenim*, licèt incerta, monſtra tamen quædam belluarum, quarum figuram ſæpe, ſicut Faunorum ac Satyrorum aſſumebant Dæmones. Vt autem nuper diximus in locis, vbi ſpeluncæ ſunt, & cauæ profunditates habitare leones, ſerpentes, & feras alias tetras, & horribiles, & ideo illa loca inepta eſſe paſcendo pecori; ſic etiam experientia ipſa docet in locis olim frequentibus, nunc verò deſertis inter domorum ruinas apparere frequenter infeſtos lemures, & ſpectra horribili forma metuenda; quibus propheta nunc dicit ſeruari opulentam illam ciuitatem: Porrò ſicut Babylonia pro fœda vitiorum omnium colluuie ponitur prouerbiali forma; ſic eius ruinæ miſerandam ſpeciem pro rei pulcherrimæ, atque delicioſiſſimæ lapſu vſurpari puto. Quo ſenſu exiſtimo à Ioanne *Apocal.* 18. poſitum eſſe Babylonis caſum, pro magnarum ciuitatum exitio. 28.

ARGV

Argumentum decimiquarti capitis Iſaiæ.

QVONIAM *breui futura promittitur Iudæorum libertas; & quia antecedere debet Babylonis excidium, illud etiam breui futurum eſſe prædicitur. Tunc eam propheta fore prænunciat fortunæ conuerſionem, vt Babylonij illis tributa pendant, à quibus antè auarè, atque inclementer exigebant. Deinde parabola quædam amari cuiuſdam conuitij plena proponitur, qua tam Iudæi, quàm alij populi, immò, & defuncti Reges in miſeram Baltaſaris Regis cædem, atque ignominiam inſultant. Tandem in æternum Babylonis nomen eſſe delendum, neque impij Regis ſobolem vllam futuram eſſe reliquam, aut vllum monumentum, quod Regis memoriam poſteritati commendet. Tandem quia numero 26. dixerat, quod à ſe cogitatum, ac definitum erat, fore complendum, idque iureiurando firmaret; illud verò fuit daturas eſſe pœnas nationes omnes, quæ Iudæorum nomen inſectatæ ſunt; illarum nunc ad caput vſque 35. minaces prophetias proponit. Et incipit à Palæſtina, quæ vt proxima Iudææ fuit, ita ſæpius, ac duriùs illam vexauit. Cui, ineunte iam regnum Ezechia, hæc à Domino denunciat propheta. Primùm non eſſe cur exultet, quòd fracta ſit virga, quæ toties percuſſa fuit; quia durior impendet Palæſtinæ plaga, quàm vlla alia vnquam. Deinde redituros eſſe Iudæos ad poſſeſſiones, ex quibus vi deiecti fuerant. Palæſtinos autem ſic fore vaſtandos à Iudæis, imò potiùs à Deo per Iudæos: vt neque reliquiæ à cæde futuræ ſint vllæ.*

CAPVT XIV.

1 PROPE *eſt vt veniat tempus eius, & dies eius non elongabuntur.*

2 [a] *Miſerebitur enim Dominus Iacob, & eliget adhuc de Iſraël, & requieſcere eos faciet ſuper humum ſuam: adiungetur aduena ad eos, & adhærebit domui Iacob.*

3 *Et tenebunt eos populi, & adducent eos in locum ſuum: & poſſidebit eos domus Iſrael ſuper terram Domini in ſeruos, & ancillas: & erunt capientes eos qui ſe ceperant, & ſubiicient exactores ſuos.*

4 *Et erit in die illa: cùm requiem dederit tibi Deus à labore tuo, & à concuſſione tua, & à ſeruitute dura qua antè ſeruiſti,* [b] *ſumes parabolam iſtam contra regem Babylonis, & dices:*

5 [c] *Quomodo ceſſauit exactor, quieuit tributum.*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 PROPE aderit tempus Babylonicæ cladis, neque diu producetur, quod minax iſtud vaticinium prædicit.

2 Quoniam Dominus longi iam exilij, atque ærumnoſi Iudæorum miſertus eos iterum in filios, & populum aſſumet; efficiétque vt iterum in terra Iſraelitide requieſcant. Quod ſanè facturus non eſt, niſi priùs extincto Chaldæorum imperio. Et quia propè eſt, vt in patriam illos poſſeſſionem reſtituat, propè eſt etiam, vt Chaldæorum gloriam, & potentiam euertat. Tunc verò ex alienigenis multos aſciſcet, quos domui Iacob in eamdem fidem, & religionem aſcribet.

3 Externi autem populi remigrantes Iudæos humaniter, atque officioſè reducent. Quos viatico, auxilióque proſequentur eo ſtudio, ac rerum abundantia, vt non ſolùm commodè, ſed etiam molliter, iter illud conficiant. Alienigenas autem nationes in ſuam ditionem & ſeruitutem rediget domus Iacob; & capiet, atque ſubiiciet eos, quibus antè ſeruierat; & ab his exiget impoſita vectigalia, quibus olim ea penſitare conſueuerat.

4 Cùm autem agente Domino, ô domus Iacob, à labore graui, atque diuturno, à ſeruitute dura, à tyrannico iugo ceſſationem nacta fueris, & quietem, hoc canticum Baltaſari Regi Babylonis ſic inſultabis.

5 Vbi tua potentia, ô Rex ſuperbe? vbi vis illa effera, qua Dei populum tyrannicè vexabas?

vbi tributum quod latè ſubditis tibi populis imperabas? Vbi exactor, & quæſtor qui illud tuo imperio, ac nomine cogebat?

6 Perfregit Dominus impiorum potentiam, & eorum ſceptrum omnino contriuit. Virgam comminuit ferream, quam rerum Domini, & Babylonicæ republicæ principes in miſerorum capita quatiebant. Quæ populos inſanabili afficiebat plaga, quæ Gentes immiti, atque furioſo ſummittebat imperio, eóſque omni ſuppliciorum acerbitate vexabat.

7 Iam otio, & pace fruitur illa regio, quam tu ſuperbo tuo dominatu premebas, & nouis ſemper rationibus turbabas. Iam ex tuo caſu voluptatem cepit incredibilem; ac de te proſtrato verè, ac ex animo triumphat, & geſtit.

8 Neque ſolùm tenuia ſyluarum arbuſta, atque ignobiles frutices, id eſt, pauperes, & debiles homines, quos tu impotenter, & auarè ſpoliabas, ſed etiam abietes proceræ, & cedri Libani ſublimes, id eſt, principes, & potentes, te cadente prælætitia feſtiuo exultauere tripudio, dicentes. Ex quo, ô Rex impie, atque ſuperbe diem obiiſti ſupremum, ſecurùm agimus, & pacatum otium; neque enim iam eſt, qui dura, atque tyrannica ſecuri ſuccidat nos.

9 Infernus ad ingreſſum tuum turbatus obſtupuit, & miſit Gigantes, qui aduenienti occurrerent. Omnes quoque principes terræ, quibus tu aut regnum antè detraxeris; aut aliqua alia ratione iniurius fueras, ac moleſtus, per ludibrium tibi obuiam procedent, téque tanquam Regem Regum in optimum illius loci ſolium ſeſſum admittent.

10 Omnes iſti inſultabunt, & dicent tibi. Tu quoque magnus Regum Rex vulneratus es, & occiſus, ſicut nos. Et qui te ſuperiorem longè arbitrabare, eamdem nobiſcum fortunam ſubiiſti.

11 Ecce ad inferos vſque gloria tua, atque ſuperbia deiecta eſt: cadauer tuum, cui tu ſepulcrum magno ſumptu, atque arte paraueras, concidet in aliorum cadauerum aceruum, vbi cum illis eodem omnino modo, fœdè, atque ignominiosè putreſcet. Erit itaque pro ſtrato tibi, & culcitra tinea, atque putredo; pro operimento vermis, & tabes.

12 Quomodo Rex Babylonico apparato ſplendide, & illuſtris tam ignominiosè, ac turpiter cecidiſti: qui illam præ te lucem, atque ſplendorem ferebas, quam matutinus Lucifer, cùm mundo ſe primum videndum præbet. Qui Gentibus aliis terrori, atque exitio ſuetas; tu quoque exanimis cum Gentibus corruiſti.

13 Qui tecum ſic apud animum tuum meditabare, dicebáſque. In cœlum vſque conſurgam: ſuper aſtra meum mihi ſolium ſtabile locabo. Sedebo in templo, ſeu tabernaculo fœderis,

6 *Contriuit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium, cædentem populos in indignatione, plaga inſanabili, ſubiicientem in furore Gentes, perſequentem crudeliter.*

7 [d] *Conquieuit, & ſiluit omnis terra, gauiſa eſt & exultauit.*

8 [e] *Abietes quoque lætatæ ſunt ſuper te, & cedri Libani, ex quo dormiſti, non aſcendit, qui ſuccidat nos.*

9 [f] *Infernus ſubter conturbatus eſt in occurſum aduentus tui, ſuſcitauit tibi gigantes. Omnes principes terræ ſurrexerunt de ſoliis ſuis, omnes principes nationum.*

10 *Vniuerſi reſpondebunt, & dicent tibi. Et tu vulneratus es ſicut & nos, noſtri ſimilis effectus es.*

11 [g] *Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua, concidit cadauer tuum:* [h] *ſubter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.*

12 [i] *Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris? corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes.*

13 *Qui dicebas in corde tuo.* [k] *In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum,* [l] *ſedebo in monte teſtamenti,* [m] *in lateribus Aquilonis.*

14 [n] *Aſcen*

deris, ſeu potiùs templo illo ſubuerſo, in monte teſtamenti, in ciuitate Ieruſalem quæ ſita eſt in eo montis latere, quod in Aquilonarem partem ſpectat.

14 [n] *Aſcendam ſuper altitudinem nubium,* [o] *ſimilis ero altiſſimo.*

14 Attollam illuſtre, ac diuinum caput ſupra reliqnos Reges, atque adeò ſupra nubes. Similis ero Deo non cuicumque ex numero vulgarium Deorum, ſed illi, qui ab Iſraele frequenti compellatione, ac propriè altiſſimus vocatur.

15 [p] *Veruntamen ad infernum detraheris in profundum laci.*

15 Sed longè te fallet ſtulta illa, & vana cogitatio. Neque enim ſupra nubes aſcendes, & ſupra ſummum cœlorum; ſed in infernum, atque in eius infimum, & abiectiſſimum locum maior te deprimet potentia.

16 *Qui te viderint, ad te inclinabuntur, téque proſpicient. Nunquid iſte eſt vir qui conturbauit terram, qui concuſſit regna: Qui poſuit orbem deſertum, & vrbes eius deſtruxit, vinctis eius non aperuit carcerem?*

16 Qui te in eo loco, atque in ea fortunæ conuerſione viderint deiectis, atque inclinatis oculis in illum infimum locum, quò tua te ſuperbia depreſſit, ſic ſecum dicent admirabundi. Hiccine vir eſt, qui terræ ſui nominis terrorem obiecit, & illam ſæpe armorum ſtrepitu conturbauit? qui regna bellorum motu concuſſa in otio, ac pace viuere non permiſit? qui ſic orbem afflixit, vt in ſolitudinem redegerit? ciúſque ciuitates demolitus ſit? qui quos ſemel in vincula, & tenebras contrudi iuſſit, lucem ac libertatem intueri noluit?

17 [q] *Omnes reges Gentium vniuerſi dormierunt in gloria; vir in domo ſua.*

17 Omnes Reges alij honeſtam, & Regiam ſepulturam nacti in domo ſua, id eſt, parentum ſuorum monumentis, requieſcunt glorioſi, non confuſi, aut permixti cum ignobili turba, aut inhumati, atque proiecti turpiter.

18 [r] *Tu autem proiectus es de ſepulcro tuo* [s] *quaſi ſtirps inutilis,* [t] *pollutus, & obuolutus cum his qui interfecti ſunt gladio, & deſcenderunt ad fundamenta laci, quaſi cadauer putridum.*

18 Sed tu nullum habes neque honeſtum, neque certum locum, vbi quieſcas: proiectus longè ab eo ſepulcro, quod tibi proprium fore putaſti; eradicatus quaſi inutilis planta; confuſus cum his, qui gladio ceciderunt, quique in foſſam cateruatim coniecti ſunt, in eiúſque profundum altè demiſſi. Erit itaque in eorum aceruo cadauer tuum reſolutum in ſaniem, non patrio more conditum aromate, quod à tabe vendicet, & putredine.

19 *Non habebis conſortium, neque cum eis in ſepultura: tu enim terram tuam diſperdidiſti, tu populum tuum occidiſti: non vocabitur in æternum ſemen peſſimorum.*

19 Non cum aliis Regibus, atque principibus aut Regium funus, aut ſepulturæ honorem conſequeris, neque id ſine magno tuo merito, cùm ciuitates tuas excideris, & populum tuum mille modis antea vexatum ferro ſuſtuleris. Quare nullum poſt mortem erit tui nominis ſtabile monumentum; non ſepulcrum vt audiſti; non filij, qui multò meliùs quàm muti lapides parentis memoriam poſteritati commendant. Neque enim diu ſtabit peſſimorum hominum ſuſcepta ſoboles, neque illius nomen erit diuturnum.

20 [v] *Præparate filios eius occiſioni in iniquitate patrum ſuorum: non conſurgent, nec hæreditabunt terram,* [x] *neque implebunt faciem orbis ciuitatum.*

20 Vos ergo Perſæ, quos meorum conſiliorum adminiſtros habeo, propter paternum ſcelus filios quoque neci quamprimum date. Non conſurgent ad Regios titulos, neque paterno regno hæredes ſuccedent; neque, quod impius pater futurum ſibi pollicebatur, ſub impe-

21 Et

rio

rio ſuo totius orbis ciuitates habebunt.

21 In filios quoque peſſimi patris infenſas manus & ſigna conuertam, & cum impij Regis poſteritate Babylonis etiam in ſempiternam obliuionem delebo. Neque eius patiar quicquam eſſe reliquum, non germen, non propaginem, non denique, quod aliquid redoleat Babylonicū.

22 Eò autem redigam ſceleratam vrbem, vt eam habitandam relinquam erinaceo, vtpote hominum habitationi parū opportunam; quam nimirum cœnum opplebit, & humor paluſtris. Et quò antiquæ molis, & ſuperioris gloriæ nullum ſuperſit veſtigium, quaſi qui ſcopis domum euerrit, ne quid remaneat ſordium, ſic ego ſcopis eam accuratè purgabo.

23 Ne verò quiſquam de Babylonis excidio, aut Aſſyriorum repentina plaga, & duorum Regum Syriæ, atque Samariæ interitu dubitet, hoc ipſum Deus iureiurando confirmat; neque ſibi in aliis fidem haberi vult; ſi non eodem prorſus modo prædicta compleuerit, quo ab ipſo cogitata, ac definita ſunt.

24 Eſt autem à me definitum, dicit Dominus, vt in terra, ac poſſeſſione mea, nempe in regione Iſraelitide, & in montibus meis, in regione Iuda vtique montoſa, conteram Aſſyrium exercitum ſub Senacherib: & auferam iugum, & onus quod ciuium, quos ſibi ſubiugarat, ceruicibus impoſuit.

25 Hoc eſt conſilium, quod mente deſignaui contra omnes etiam regiones illas, quę populum meum aut ciderūt, aut vexauerunt armis, aut aliqua ratione aliquid in illū meditatæ ſunt. De quibus poſtea ſigillatim multa. Et hoc eſt opus, quod manus mea in illarum vltionem, & perniciem aſſumet.

26 Hæc eſt diuinæ mentis cogitatio, quis eius poterit prohibere conſilium? manus eius ad illud opus armata, atque intenta eſt, quis vim omnipotentis dexteræ infringet, aut ab eo, quod deſtinauit vuluere retardabit?

Prophetia contra Palæſtinam.

27 Iam oſtendit Dominus quid à ſe contra nationes, quæ in Iſraeliticum nomen coniurarunt, aut infenſæ fuerunt, definitum ſit. Et primum hoc durum vaticinium denunciari iuſſit Palęſtinæ eo anno, quo regno, vitáque defunctus eſt Achaz.

28 Ne te vſque adeò Palæſtina, lętitia efferas, quaſi iam Deus omnino virgam illam confregerit, qua te per Iudices, ac Reges Iſrael variè percuſſerat. Succedet namque illis contra caput tuum princeps Ezechias, qui multò quàm alij vehementiùs, & duriùs vires tuas affligat, & potentiam infirmet: quemadmodum ſi de ſemine colubri naſcatur regulus, multò nocentior, qui volucres noxio halitu etiam volantes abſorbeat.

29 Illi

21 *Et conſurgam ſuper eos, dicit Dominus exercituum: & perdam Babylonis nomen, & reliquias, & germen, & progeniem, dicit Dominus.*

22 *Et ponam eam in poſſeſſionem ericy,* [y] *& in paludes aquarum,* [z] *& ſcopabo eam in ſcopa terens, dicit Dominus exercituum.*

23 [aa] *Iurauit Dominus exercituum, dicens, Si non vt putaui, ita erit: & quo modo mente tractaui, ſic eueniet.*

24 [bb] *Vt conteram Aſſyrium in terra mea, & in montibus meis conculcem eum, & auferetur ab eis iugum eius, & onus illius ab humero eorum tolletur.*

25 *Hoc conſilium quod cogitaui* [cc] *ſuper omnem terram, & hæc eſt manus extenta ſuper vniuerſas Gentes.*

26 *Dominus enim exercituum decreuit: & quis poterit infirmare? & manus eius extenta: & quis auertet eam?*

27 [dd] *In anno quo mortuus eſt Rex Achaz, factum eſt onus iſtud.*

28 [ee] *Ne læteris Philiſtæa omnis tu, quoniam comminuta eſt virga percuſſoris tui:* [ff] *de radice enim colubri egredietur regulus,* [gg] *& ſemen eius abſorbens volucrem.*

29 [hh] *Et*

29 [hh] *Et paſcentur primogeniti pauperum, & pauperes fiducialiter requieſcent : & interire faciam in fame radicem tuam, & reliquias tuas interficiam.*

29 Illi qui inter afflictos, & pauperes primo apud me loco ſunt, dieique iure poſſunt eorum primogeniti, in ſuum ordinem, & poſſeſſiones, reſtituti, ibi quieti, atque ſecuri paſeentur. Te verò interim, progeniémque tuam inopia, famé-que confieiam; quod denique è Philiſtino genere reliquum fuerit, gladio cadet.

30 [ii] *Vlula porta, clama ciuitas : proſtrata eſt Philiſtaa omnis :* [kk] *ab Aquilone enim fumus veniet, & non eſt qui effugiet agmen eius.*

30 Vlula, & tibi ipſi extremo, & quaſi funebri luctu exequias para, ô porta, vbi præcipua nobilitas, & firmamentum ciuitatis. Vlula tu quoque promiſeuũ vulgus, quia iam actum eſt de tota Philiſtæa. Ab Aquilone enim exereitus veniet qui incendium tibi, & vaſtitatem inuehat; à qua, qui ſe tutò fugiendo ſubducat, nemo eſt.

31 [ll] *Et quid reſpondebitur nunciis gentis? Quia Dominus fundauit Sion,* [mm] *& in ipſo ſperabunt pauperes populi eius.*

31 Cùm alij populi iuxta communem Gentium conſuetudinem gratulatum venerint Ezechiæ de parta victoria, attritíſque iam tandem Palæſtinæ viribus: ſi quis quærat quid legatorum gratulationi reſpondendum ſit, dicemus gratias nos agere immortali Deo; cuius benignitati beneficium iſtud acceptum aſcribimus. Qui ſtatuit ſtabilire, & confirmare Sion: In quo vno deinceps, qui pauperes, & afflicti fuerint in eius populo, ſpem certam locabunt. Hæc erit reſponſi ſumma, quam à nobis ad ſuos referẽt legati.

IN CAPVT DECIMVM QVARTVM COMMENTARIVS.

1. [a] MISEREBITVR *enim Dominus Iacob*, &c. vſque ad *ante ſeruiſti.*] Hinc iam propheta populo Iudaico non ſolùm reditum à captiuitate, ſed antiquam etiam gloriam, & ornamenta pollicetur: futurúmque dieit, vt illi iidem, quorum antea tyrannidi ſeruierant, mutata fortuna ipſorum iugo ceruicem ſupponant. Hæc aperta ſunt: & de hac rerum viciſſitudine pluribus nos egimus in Zachariam *ad cap. 9. & 10.* Item quomodo ex Gentibus plurimi Iudaici populi rediuiuam gloriam admirati geſtirent adiungere ſe non modò ſedibus, ſed etiam religioni Iudæorum. Neque apparet creditu difficile, ſi Babylonios dicamus Iudæorum imperium ſubiiſſe. Cùm enim victi eſſent à Perſis, & iure belli non ſolùm autoritate, atque opibus, B ſed etiam libertate ſpoliari potuerint, quid mirum ſi à Cyro bene in Iudaicum genus animato, captiui in ſeruos dati fuerint Hebræis, aut etiã vt in ſeruos emerentur, ab eodem permiſſum. Et de Dario Hiſtaſpi minùs incertum eſt, qui grauiùs erat in Babylonios affectus, propterea quòd contra ipſum ſecundò rebellaſſent. Quos duriùs mulctauit diruta magna murorum parte, vt Herodotus docet *lib. 3.*

2. *Quomodo familiaris vox in luctu.* [b] *Sumes parabolam iſtam contra Regem Babylonis. Quomodo ceſſauit?*] In eo quod reliquum eſt carminis, nihil ferme continetur aliud, quàm lugubre quoddam carmen, ſiue epicedium, quo Regis Babylonis ſubitum, & planè miſerabile lugeA tur exitium. Eſt autem vſitatum inter Hebræos vt familiari hac, & penè legitima forma incipiant lamentationes & epicedia. Sic Dauid in lugubri cantu pro Saul *2. Reg. 1. Quomodo ceciderunt fortes.* Sic Ieremias *in Threnis* ſæpe. *Quomodo ſedet ſola ciuitas?* & iterum, *quomodo obſcuratum eſt aurum?* Quare hoc lugubre canticum bis ab eadem particula orditur Iſaias. Cæterùm *Parabola* non ſolùm eſt ſimilitudo aliqua ſeu comparatio, ſed etiam grauis aliqua, atque illuſtris ſententia, quæ plerumque dicendi figura, aut genere ipſo ſermonis obſcura eſt. Qualia eſſe ſolent, quæ à Græcis dicuntur ἀποφθέγματα. Hebr. משל *maſal*, quo nomine Salomon ſua inſcripſit prouerbia. Quia ergo hæc, quæ de Rege Babylonis dicuntur, grauia ſunt, & noua quadam, ſubobſcura, & figurata dicendi forma propoſita, *parabola* dicuntur; Neque deeſt hîc aliqua comparatio, quæ parabolæ plerumque nomen dat: quæ latet in allegorico ſermone, quo antiquus ſplendor Regis; & deinde horribilis, atque improuiſa calamitas deſcribitur. Similiter illud encomium Iſrael planè eximium, quod figurato ſtylo, & pulchris ſimilitudinibus admixtis cecinit Balaam *Num. cap. 23. & 24. Quàm pulchra tabernacula tua Iacob*, &c. *Parabola* vocatur. *Parabola quid.*

[c] *Quomodo ceſſauit exactor, quieuit tributum.*] 3. Hæc eſt parabola, & lamentatio funebris, quam ſuper Regem Babylonis aſſumere iubetur Iſaias. Quæ omnino ſignificat quàm auarus Rex ille fuerit in imponendis ſubiecto populo tributis, quàm ſeue-

rus

rus & durus in exigendis. Quàm præterea crudelis dum nationes alias debellat, & ſuo ſibi ſubiugat imperio; & quàm inhumanus, atque inſolens in ſubiectarum ſibi nationum moderatione. Cætera obſcura non ſunt. quæ mirè amplificant, & oculis penè ſubiiciunt tyrannicum imperium, ſub quo gemere ſolent oppreſſi populi.

4. *Silentiũ modò triſte aliquid, modò lætum ſignificat.*

d *Conquieuit & ſiluit, omnis terra gauiſa eſt.*] *Silere*, vt *cap.* 1. diximus ad illud *vide vt ſileas*, non ſolùm ſignificat animi conſternationem, ac metum, qui non ſinit quemquam hiſcere, ac mutire, ſed etiam otium, ac quietem. In quo ſenſu videtur explicandus hic locus, ita vt idem ſit *ſiluit*, quod *quieuit*. cùm ſilentium *quietem*, & ſilere, *quieſcere* ſignificet, facilè ex adiunctis coniectare licebit, an proſperum aliquid, vel aduerſum importet. Si de caotu feſtiuo ſermo fuit, aut de materia lætiori aliquid anteceſſit, non dubium quin *ſilentium* aliquid indicet aduerſum, & lugubre; ſin aliquid funeſtum, & triſte, *ſilentium* proculdubio feſtiuum indicat aliquid, & ſuperiori fortunæ contrarium. Cùm autem præceſſiſſet dura ſeruitus eorum, qui Babylonico ſuberant imperio, dum quies prædicitur, & ſilentium, ſatis oſtenditur illius ærumnoſæ fortunæ, & nouæ vitæ, & optatæ libertatis initium. Et hoc confirmat quod ſtatim adiungitur, *Gauiſa eſt & exultauit*, nempe omnis illa terra, quæ conquieuit, & ſiluit.

5. *Montes, atque arbores Regum, & regnorũ ſymbola.*

e *Abietes quoque lætatæ ſunt ſuper te, & cedri Libani: ex quo dormiſti, non aſcendet, qui ſuccidat nos.*] Noo ſemel apud noſtrum prophetam excelſi montes, quales ſunt Libanus, Carmelus, & Baſan, pro Regibus, Regnorúmque viribus vſurpantur; item proceræ, atque robuſtæ arbores, vt hic abietes, & cedri. Comparat ergo hic Principes & regna cum lignis ſyluarum; Regem verò Babylonis cum lignatore, aut ſecuri, qui ligna cædit, & ſyluam ſuo populatur ornamento. Cùm autem non ſubditi tantùm proceres, aut vicini Reges, ſed etiam longè diſſiti à Babylonica potentia multa paterentur quotidie, & maiora formidarent: vbi cecidiſſe vident inſolentem Regem, ſeu lignatorem durum, & ſibi nil iam amplius ab ea ſecuri metuendum, inſultant victo Regi, ſibíque gaudent quòd iam ſecuro eſſe poſſint atque otioſo animo.

6. f *Infernus ſubter conturbatus eſt in occurſum aduentus tui: ſuſcitauit tibi Gigantes.*] Pulchra eſt idolopœia, quæ mortuis ſenſum, & ſermonem attribuit. Non tantùm principes viui, quos ſublimiori modo arborum nominibus expreſſerat propheta, inſultant extincto Regi Babylonis, ſed etiam mortui, illi nempe, vt inquit Hieronymus, quos aut è regno depulerat, aut vita ſpoliarat. Mortui itaque Principes, ad inferos deſcendenti Babylonio aſſurgere finguntur, illúmque excipere libero, proeaciſque conuitio, non aliter atque cùm princeps aliquis vir in conuentum frequentem hominum ingreditur, tumultuantur omnes, turbantúrque, ac certant illum in honeſtiſſimum locum ſeſſum admittere. Sic *infernus* tragicè *conturbari* dicitur, dum maximè infernum homines, id eſt, iam omnium infimum in deterrimum locum ſeſſum inuitat. *Gigantes*, qui hoc loco dicuntur excitandi, potentes homines ſunt, qui cùm grauiter torqueantur, Regi tamen Babylonis in tormentis primum concedent locum.

7. *Infernum* hîc multi pro æterno damnatorum carcere accipiunt, & qui aſſurgere finguntur, occurreréque aduenienti Regi eſſe eos, qui Gehennæ flammis ſunt in æternum addicti: Ita S. Hieron. S. Thom. Hugo, Dionyſius: iuxta quorum ſententiam ſuperiora explicuimus. Alij ferme omnes nihil ſtatuunt, ſed quaſi aliis liberum relinquunt vt *infernum*, aut pro *ſepulchro* capiant, aut pro *gehenna*. Vatablus, & Montanus *ſepulchrum* eſſe putant, quod mihi videtur magis ad totum textum, qui de cadauere, atque his, quæ cadaueri infeſta ſunt, & propriè loquitur, vt conſtat, neque vllum verbum eſt quod gehennale ſupplicium oleat. Et cùm multò ſit grauius, atque horribilius quod impiorum animæ in gehenna, quàm quod illorum corpora in ſepulchro patiuntur, tamen vulgò homines, ad quorum ſenſus ſermonem accómodant nonnunquam prophetæ, illis magis mouentur, quæ oculis cernunt, quàm quæ animo meditantur. Quare priori gloriæ, deliciiſque mundis & elegantibus, ſqoallorem obiicit ſepulturæ, & tabem cadaueris, & vermium ſcatebras. Hæc verò multò probabunt magis quæ ſequuntur. Hic mortuorum dialogiſmus cum mortuo Rege, cuius antiquum ſplendorem contemnunt, & præſenti calamitati atque ignominiæ inſultant; ſimilis eſt dialogis illis, in quibus magni principes à mortuis irridentur. vt apud Lucianum Alexander, Mauſolus.

8. *Sepulturæ ignobilis Regis Babylonis.*

g *Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua, concidit cadauer tuum.*] Poſtea dicemus *num.* 31. quomodo Rex Babylonis inſepultus extabuerit. Quare dicitur concidiſſe eius cadauer, non aliter atque ſi canis eſſet aut aſini, qui in ſtercore fœdè atque ignominioſè putreſcunt: ſicut de Ioacim dixit Ieremias *cap.* 22. *verſ.* 19. *Sepultura aſini ſepelietur putrefactus, & proiectus extra portas.* L XX. pro *cadauere* reddidere *lætitiam*. Ratio varietatis fuit in diuerſa notatione vocis Hebraicę נבל, cui, ſi geminum Segol ſubſcribas, *nablum* ſignificat, id eſt, inſtrumentum muſicum, quod ſignum eſt lætitiæ; Si geminum Camez, *cadauer*. Et ita ſine dubio legit noſter interpres.

h *Subter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.*] Quaſi dicat, Aſſyrij Reges, & Babylonij cadauera & pretioſis condiunt vnguentis, ne grauiter oleant, & multo aromate curant, duráotque, ne tabe ſoluantur, ac putreſcant. (Vide quanto hæc ſtudio curent Aſſyrij apud Strabonem *lib.* 16. & de Babylonijs apud Herodotum *lib.* 1.) Sed accidet longè aliter Regi Babylonio, qui vulgari ſepultura, ſeu potiùs, vt dicemus ſtatim, nulla ſepultura condetur. Quare neque pretioſi tapetes ex aureo textu ſubſternentur regio cadaueri, neque ſtragulis operietur Babylonica arte elaboratis, id eſt, verſicolori filo elegáter intertexto diſtinctis; ſed pro illo ſepulturæ honore vermibus vndequaque, ac ſanie operietur. Quia vt ſtatim conſtabit magis, cum turba illorum, qui in bello ceciderunt, ignobilis iacebit. Quare ſupra ſe habebit, & infra ſe cadauera, quorum vermibus operietur, & ſanie. 9.

10. i *Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris.*] Hoc loco mirè variant antiqui Patres, dum quærunt, quiſnam ſit iſte Lucifer antea ſplendidus, ac pulcher, poſtea verò tam teter, & obſcurus. Leo Caſtrus putat ex ſententia Euſebij illud ſuperius, *Infernus ſubter te conturbatus*, ad Chriſtum crucifixum, & mortuum pertinere, cui principes, & poteſtates tenebrarum, quæ verſantur in hoc aëre; & qui torquentur in tartaro, occurrerunt Chriſto iam mortuo, ac inſultantes obiecerunt, quòd ipſe quoque ſicut cæteri alij mortis neceſſi

ceſſi

ceſſitatem non effugerit: Cùm autem ille idem ſit, qui à mortuis irridetur, & qui modò *Lucifer* appellatur, planè iuxta explicationem illam Chriſtus eſt Lucifer, de quo nunc Iſaias. Sed omnino Euſebius loco à Leone Caſtro citato, nihil minùs cogitauit. Cùm enim dixiſſet oraſſe Chriſtum à Patre, vt ſibi adeſſet morienti. *Ne recedas*, inquit, *à me, quoniam afflictio propè adeſt, quoniam non eſt qui adiuuet.* addit ſtatim. *Credibile autem eſt vidiſſe infernas quoque, ac tartareas belluas, agreſtes atque formidabiles, de quibus Iſaias ad eum qui de cœlo ceciderat Luciferum ſermonem intendens ita loquebatur. Infernus ſubter te conturbatus eſt, in occurſum aduentus tui ſuſcitati ſunt tibi omnes gentes.* Hæc Euſebius. Quæ quis non videt diſtare quàm lõgiſſimè ab eo quod Leo Caſtrus putat. Neque maiori fide citat hic autor multa antiquorum patrũ teſtimonia.

11. Communiter Patres in *Lucifero* intelligunt Satanam, quem de cœlo præcipitem ſuperbia in tartarum deiecit. Neque neceſſe eſt auctores huius ſententiæ commemorare, cùm omnes ferme antiqui ſint. Origenes *lib. 1. periarchon. cap. 5. & lib. 4. cap. 2.* Euſebius *ſuprà.* Athanaſ. *de paſſione & cruce Domini.* Tertul. *lib. 5.* aduerſus Marcionem *cap. 11. & cap. 17.* Ambroſ. *in Pſal. 118. ſerm. 3.* Cyprianus *epiſt. 55. ad Cornelium* de Antichriſto accipit.

Communiter interpretes hæc de Rege Babylonis accipiunt hiſtorico ſenſu: allegorico tamen de diabolo, quod credo etiam dicerent auctores ſuperioris ſententiæ, ſi de ea re plura, aut non caſu in illum locum incurrentes pauca dixiſſent. Vnum excipio Origenem, qui id omnino negat. Ita Hieronymus, Cyrillus, S. Thom. Haymo, Dionyſius, & cum his etiam Auguſtinus *lib. 3. de doctrina Chriſtiana cap. 37.* & Gabriel Vazquez *in 1. part. S. Tho. diſput. 231. cap. 4.* Et quidem quòd de Rege Babylonis ſermo fiat, expreſſè eſt in textu; & ſuadet totius capitis continens filum. Sed eſt adhuc obſcurum, quis ſit iſte Rex Babylonis, cui tam durum propheta vaticinium denuntiat. Communiter omnes cum Hieronymo cenſent eſſe Nabuchodonoſor, de cuius ſuperbia, ſtultáque cogitatione, qua ſibi erecta aurea ſtatua diuinos honores à ſuis depoſcebat, agit Daniel *cap. 3.* Quare quæ ſtatim dicuntur de affectata diuinitate, optimè quadrant in Nabuchodonoſor.

12. Ieremias *cap. 50.* vbi de hac Babylonici imperij ruina, Regiſque interitu loquitur, eodem penè modo, quo Iſaias, (à quo videtur expreſſiſſe, quæ in eo tradit capite) Regem illum appellat Merodach. Sic enim de illo *verſ. 2. Capta eſt Babylon, confuſus eſt Bel, victus eſt Merodach.* Vbi licèt aliqui putent Merodach nomen eſſe idoli, in quibus ſunt quidam Hebræorum magiſtri, cum quibus etiam ſentiunt Dionyſius, Vatablus, & Maldonatus, ſed eſt longè veriſimilius, eſſe non idolum, ſed Regem Babylonis, vt putat Theodoretus, Hugo, & inclinant Dionyſius & Lyra; qui etiam addunt hunc eſſe eſſe Balthaſarem, ſeu, quod idem eſt, extremum Chaldæorum Regem.

13. Balthaſaris [illegible] Mihi omnino videtur hunc Regẽ eſſe Balthaſarem, quia quæ toto dicuntur capite, aut nullo modo, aut non niſi admodum contortè ad Nabuchodonoſor accommodari poſſunt, vt quòd ſine prole diſceſſerit, quæ pro illo regnet; quòd honore ac religione ſepulturæ careat: & quod caput eſt, quia de illo Iſaias loquitur, qui à Perſia, & Medis ſubiugandus eſt. Neque nomen *Merodach* huic explicationi quicquam incommodat. Nam ſicut *Pharao* nomen erat olim commune Ægypti Regibus, deinde poſt Alexandrum *Ptolomeus*, & *Cæſar* Romanis imperatoribus: ſic etiam *Merodach* commune videtur nomen Regibus Babylonis. Quod nomen ſicut Regnis aliis ille primus dedit, qui primus etiam in illis regium nomen obtinuit. At Merodach primum in Babylone regnaſſe tradit Theodoretus *in cap. 50. Ieremiæ.* Quare alij quoque Reges ſic appellati ſunt, vt qui legatos hoc ipſo tempore, quo hæc ſcribuntur, miſit ad Ezechiam, gratulatum de recuperata valetudine *4. Reg. 20. & Iſai. 39.* quem Hebræi, vt dicit Hieronymus *cap. 39. Iſaiæ* patrem eſſe putant Nabuchodonoſor, ſed falsò, vt nos ibi probamus. Et rurſus *4. Reg. cap. 25. verſ. 27.* legitur *Rex Babylonis Euilmerodach.* quod omnino idem nomen eſt quod ſuperior: quaſi *Euil* nomen ſit proprium hominis, *Merodach* commune Regum, ſicut dicitur *Tiberius Cæſar, Darius Hiſtaſpis, Ptolomeus Philadelphus*, &c. Quare exiſtimo *Merodach* appellari Balthaſarem communi omnium Regum nomine. Merodach cõmune nomẽ Regum Babylonis.

Nunc videndum quo ſenſu, aut figura orationis dicatur Lucifer iſte, ſeu Rex Babylonis cecidiſſe de cœlo. Mihi certum eſt ſupplendam hîc eſſe ſimilitudinis notam, hoc modo. Quomodo cecidiſti de cœlo, ô Rex Babylonis, qui, quaſi Lucifer matutinus ſplendidus oritur, tu quoque oriebaris. Sed eſt dubium an cum Angelo, qui de cœlo cecidit, qui ex hoc Iſaiæ loco communiter appellatur *Lucifer*, comparetur: an cum ſtella matutina, quæ lucidiſſima eſt, & à Latinis *Lucifer*, à Græcis *Phoſphorus* dicitur. Videtur ſanè cum Angelo comparari poſſe non incongruè, ita vt ſit argumentum ab exemplo: Nam cùm Rex iſte Babylonis ſuperbiſſimus eſſet, ſibique putaret nihil non deberi: adducit exemplum ſuperbiſſimi ſpiritus, qui cùm ſibi nimiùm de ſua pulchritudine placeret, & honores appeteret ſibi non debitus, in barathrum demerſus æternam ſuſtinet ignominiam; vt qui illius imitabatur arrogantiam, eiuſdem caſum & exitum perhorreſceret. Quomodo Chriſtus ad diſcipulos *Lucæ cap. 10.* Qui cùm de fugatis à ſe dæmonibus gloriari, aut certè plus ſatis exultare viderentur, illos Satanæ exemplo ab illa inani, atque ſuperba cogitatione, compeſcuit. *Videbam*, inquit, *Satanam tanquam fulgur de cœlo cadentem.* quaſi diceret. In vobis nunc intueri videor caſum illum horribilem, cùm Angelus ſpecioſus antea, & naturæ nobilitate, eximiiſque dotibus illuſtris, quia ſibi aut plus tribuit, quàm habebat, aut plus appetiit quàm ipſi deberetur, in ſtatum miſerrimum, carcerémque æternum contruſus eſt: quem locum in eum ſenſum exponit Hieronymus *in hunc locum*, Cyprianus *tractatu de tentationibus, & ieiunio Chriſti.* & Gregor. *lib. 23. Moral. cap. 4.* 14. Lucifer quis. Luc. 10.

Sed placet mihi magis ſententia illorum qui cum ſole aut ſtella matutina conferri putant Babylonij Regis gloriam. Ita Cyrillus, S. Thom. Haymo, Adamus, Pintus, Emanuel Sa, & Chaldæus. Et eſt pulchra, & ab omnibus ferme ſcriptoribus in eam ſententiam vſitata comparatio: qui à Solis, aut Luciferi ſplendore, ac radiis lucem aſſumunt ad explicandam, & ornandam rei longè pulcherrimæ dignitatem. Longum eſſet cuncta percenſere, nunc pauca accipe. Virgil. *lib. 8. de Pallante.* 15.

——Ipſe agmine Pallas
In medio chlamyde, & pictis conſpectus in armis:
Qualis vbi Oceani perfuſus Lucifer vnda

Extulit os ſacrum cœlo.
Quæ ſumpſit ex Homero *lib. 5. Iliad.* vbi hæc eadem de Diomede. ſimiliter Theocritus *Idyl.* 18. *de Helena.*

Nam ſicut vbi nox alma receſſit
Os croceum cœlo profert aurora renaſcens.

Sed hoc non minùs vſitatum in Scriptura ſacra. Nam *Cant.* 6. (vnde ſine dubio ſuperiora ſumpſit Theocritus: vt nos in noſtris commentariis ſuper Cantica diximus) ſponſæ pulcbritudo auroræ naſcenti comparatur, aſtriſque micantibus. *Quæ eſt iſta quæ quaſi aurora progreditur, pulchra vt luna,*&c. & Eccleſiaſticus *cap.* 50. de Simone Oniæ filio. *Quaſi ſtella matutina in medio nebulæ.*

16. Pro *Lucifero* Hebr. eſt. הילל בן שחר *helel ben ſachar Lucifer, filius auroræ.* Cur *filius* dicatur *auroræ* non eſt difficile coniectare, iuxta Hebraicum idioma, quo *filius* vocatur, quicquid in alicuius ſinu, atque complexu eſt, aut eſſe ab hominibus exiſtimatur. Quare *filia maris* dicuntur inſulæ, *filia pharetræ* ſagittæ. Cùm igitur matutina illa ſtella cum aurora naſcatur, & penè in ipſius ſinu, *filius auroræ* dicitur. Pro הילל *helel*, quod noſter reddidit *Lucifer*, quidam tranſtulerunt *vlula*, Vt Aquila, quod Hieronymus non improbat. Neque ſenſus eſt diuerſus, cùm ſtatim addatur id, quod neceſſariò Lucifero tribuendum ſit, vt, quod filius ſit auroræ, aut quod oriatur manè. Hic ergo auroræ filius vlulare iubetur.

17. Cùm comparatio hæc ſatis exprimat Regiam & excellentem dignitatem; tamen hæc multo magis quadrat in Reges Babylonis, nam vt pluribus docuimus ad illud *cap.* 7. *Aſtrum, Sydus Dei vri Rempham.* Perſæ, Aſſyrij, atque Chaldæi, qui ſummum Deorum ignem arbitrabantur, quæ ignis propria ſunt, aut affinia, ſibi arrogantiſſimè vendicabant. Quare *Solis* nomine ſalutabantur; & Aſiæ Solis nomen ſibi tribuebant. Et eo conſilio primi omnium coronam capiti ſuo impoſuerunt radiis diſtinctam, vt ſpeciem ferrent præ ſe radiantis Solis. Et in acie, aut cùm foras egrediendum eſſet, lux præferebatur, vt quaſi Lucifer matutinus ſolem præcederet ſubſequentem. Quod fecit Holophernes dux Aſſyrij exercitus; quem, vt habet Septuaginta tranſlatio, *Iudith cap.* 10. cùm egreſſus fuit è tabernaculo, vt Iudith aduenientem exciperet, lampades præcedebant. Quod non eſſe ad exigendas tenebras, ſed ad Aſſyrium faſtum ex patria conſuetudine, hinc fit planum: quia quo tempore egreſſus eſſe dicitur Holophernes, non erant vllæ tenebræ. Quia Iudith ad ortum diei exiit è Bethulia, priùs autem quàm ad Imperatoris tabernaculum euaderet, non parum moræ interpoſitum fuiſſe oportet. Tunc autem egreſſus eſſe dicitur Holophernes prælucente lampade. Accommodatè ad hanc conſuetudinem explico illud *Ierem. cap.* 1. vbi ſermo eſt de exercitu Chaldæorum. *Ollam ſuccenſam ego video.* Antecedebat enim Regem radiata corona ad ſolis ſimilitudinem ſplendentem, collucens ignis, quemadmodum Lucifer Solem antegreditur.

Aſſyrios, Chaldæóſque Reges ignis præcedebat.

18. Ad extremum non omittendum quod docet hìc Cyrillus, comparari hìc Regẽ Babylonis cum Lucifero, quia vt hic reliqua aſtra ſplendore ſuperat; ſic ille cæteros Reges potentia & dignitate. Qui vt oſtenderent in ſua eſſe poteſtate plurima Regna, quibus latè dominabantur, & quaſi imperio, aut iugo premerent Tyrãnnico, iubebant ex ſingulis prouinciis terræ aſportari glebam, & aquam in vaſculo: veluti ex parte quærentes totum, terram inquam & mare: quaſi domini eſſent rerum omnium. Et quidem, quod ad aquam pertinet, idem de Perſis docet Plutarchus in vita Alexandri, vbi tradit obſeruari ab ipſis in ærario ex omnibus fluminibus aquas, vt oſtenderẽt obtinere ſe omnium prouinciarum imperium. Quam credo conſuetudinem acceperunt à Babyloniis tranſlato iam imperio: nam ante illud tempus non ita latè dominabantur Perſæ, vt ſpiritus illos ingentes habere potuerint.

Perſæ omnium fluminum aquas, & prouinciarum glebas ſecum habent.

k *In cœlum aſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum.*] Imbuerat ſtolidos hominum animos ea cogitatio, vt crederent Principes, atque Heroës, vbi è vita exceſſiſſent, inter aſtra referri, aut inter cæleſtes Deos numerari, vt hic notat S. Thom. quomodo Heroës, & Hercules, Caſtor, & Pollux infixi cœlo, atque ibi ſplendere atque humana conſpicere exiſtimantur. Hoc itaque cogitabat, aut etiam ſperabat fore vaniſſimus atque etiam ſtultiſſimus Babylonis Rex, cùm dicit *In cœlum aſcendam.* Quæ cogitatio de diuinitatis opinione, fortaſſe nata eſt ex hominum adulatione, qui cùm illuſtri compellatione, atque interdum diuina vaniſſimos iſtos, & ventoſiſſimos homines ſalutant, ipſis nimiùm credulis, & ſupra modum ambitioſis facilè perſuadent, in ipſis aliquid eſſe diuinum, aut diuino ſimile. Sicut *Actorum cap.* 12. *verſ.* 22. de Herode traditur, qui cùm Regia indutus veſte ad populum verba faceret, acclamauit multitudo, *Dei voces & non hominis.* Ille verò quia Deo non dedit gloriam, illam ſcilicet, quam ab aliis ſibi tribui videbat, id eſt, quia ſe Deum eſſe credidit, aut voluit, percuſſus ab Angelo à vermibus conſumptus eſt. 19.

Hæc omnia mihi probabilia ſunt, ſed exiſtimare aliquis poſſet in hac dicendi formula aliquid eſſe prouerbiale ſicut apud Latinos, cùm fortunam ſuam aliquis admiratur, & prædicat ſuam ſiue fœlicitatem, ſiue ſuperbiam, hoc explicat modo, *Digito cœlum attingo*; *in cœlo ſum*; *Deus ſum.* & Hiſpanus forma non diſſimili, cùm ſummam alicuius fœlicitatem, aut faſtum ambitioſum declarare vult, dicit. *Eſta en el cuerno de la luna.* 20. Prouerbiũ.

Sed eſt longè veriſimilius, Regem iſtum ad diuinos honores aſpiraſſe, quia verba ipſa in propria ſignificatione id præ ſe ferunt. Neque incredibile eſt, cùm alij Reges ſæpe id quoque tentauerint, & recèns in auo ſuo Nabuchodonoſor haberet exemplum: qui in aurea ſtatua honores ſibi diuinos deferri voluit. Et ad hunc ſenſum facilè poſſunt accommodari reliqua. Si tamen priùs obſeruemus ſpectaſſe Balthaſarem in ambitione ſua non alios ignobiles Gentilium Deos, qui ſuis etiam cultoribus interdum contemptui erant; ſed Deum, quem colebat Iſraël, de quo ſæpe à captiuis multa acceperat, atque admiranda prodigia; vt quòd ſedem haberet in cœlo, & templum omnium religioſiſſimum, & ornatiſſimum olim excitaſſet in terra, nempe in Hieruſalem, id eſt, in lateribus Aquilonis, & quæ deinde ſequuntur, quæ illius templi ſanctitatem, atque amplitudinem declarant. In tota hac ambitioſa oratione notam ſimilitudinis ſubaudio. Quaſi dicat ſuperbiſſimus hic Rex, Colar ab hominibus, ſicut Deus in cœlo colitur, aut etiam magis, & in terra ea religione, atque honore, quo in Ieruſalem, antequam euerſum eſſet templum, colebatur. Ex his reliqua obſcura non ſunt. 21.

In

22. *In cœlum aſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum.*] Hæc ſatis perſpicuè indicant ſermonem non eſſe de Angelo, qui de cœlo, & ſolio ſupra ſydera eleuato cecidit. Neque enim dicere potuiſſet in ſua illa væſania. *In cœlum aſcendam,* &c. quando iam cœleſtem illam ſedem, & ſolium ſupra ſydera eleuatum obtinebat. Niſi fortè ſpiritum illum inſolentem creatum in hoc aëre, & rebus terreſtribus præpoſitum eſſe dicas; Quod Damaſcenus videtur exiſtimaſſe *lib.2. de fide cap.* 4. Sed hoc omnino pugnat cum communi Theologorum, Patrúmque ſententia, qui aut ſupremum eſſe ſtatuunt, aut è ſupremis vnum Angelum deſertorem.

23. l *Sedebo in monte teſtamenti.*] Hic ſubaudi particulam *Sicut*, id eſt, ſedebo ſicut Iſraelis Deus ſedere dicitur in monte teſtamenti. *Mons teſtamenti* communi Patrum ſententia *templum* eſt. Dicitur verò *mons*, tum quia in monte Moria conſtructum, tum ob ingentem molem, propter quam, etiamſi in plano ſitum eſſet loco, mons tamen iure videri poterat. Dicitur *teſtamenti*, quia in eo erat arca Dei cum tabulis legis. Quo nomine appellatur ſæpe in Scriptura ſacra tabernaculum, cui templum ſucceſſit à Salomone conſtructum; vocatur enim tabernaculum fœderis, & teſtimonij, quæ idem omnino ſunt, quod teſtamentum.

24. m *In lateribus Aquilonis.*] Hîc etiam ſubaudi, *ſicut*, id eſt, colar in terra, putà in Babylone, aut alia quauis orbis prouincia, non aliter atque Deus in lateribus Aquilonis ab Iſraële colebatur. Neque enim quo tempore hæc dicebantur à Balthaſare, templum erat, aut vrbs Solymitana, quam ſciebat à Nabuchodonoſor funditus eſſe deletam. Neque illam, vt eſt veriſimile, inſtaurare cogitabat, vt ibi Iudæorum ritu coleretur pro Deo. Vocatur autem Ieruſalem *latera Aquilonis*, quia in eo latere montium Sion, & Moriæ ſita eſt, quæ ad Regionem Aquilonarem ſpectat. Quo nomine vocatur *Pſal.* 47. *Latera Aquilonis ciuitas Regis magni.* Pſal.47.

25. n *Aſcendam ſuper altitudinem nubium.*] Audierat credo Balthaſar à captiuis Deum ſæpe apparuiſſe in nubibus, atque in eis hominibus ſuam oſtendiſſe maieſtatem: vt probat curſus ille longus ab Ægypto ad terram vſque promiſſionis, vbi ſæpius Deus in nube viſus eſt. Vide *Exod. cap.* 16. 19.24.33.34.40. Quare Dauid de Deo *Pſal.* 103. canit. *Qui ponis nubem aſcenſum tuum.* Quare Chryſoſt. *homil.* 2. *in Acta.* nubem, Dei vehiculum appellat; quod Deus in Aſcenſione ad Chriſtum miſit, vt eo ſymbolo diuinæ maieſtatis illum eſſe Deum oſtenderet. Quare ne quid ſuæ deeſſet maieſtati, Rex ille non ſolùm impius, ſed etiam amens, dicebat aſcenſurum ſe quoque ſupra nubes, & inde non minora, aut pauciora editurum eſſe ſigna, quàm edidiſſet olim Deus Iſraël.

26. Hæc mihi certiſſima ſunt, alij fortaſſe exiſtimabunt hîc tantùm ſignificari ſtudium Regis, quo longè ſupra mortales alios efferri voluit; ita vt non ſolùm ſupra montes ſedeat, quod alij faciunt, ſed etiam ſupra nubes quæ montibus ſuperiores ſunt, caput attollat, quod nemo fecit hominum. Quod tentaſſe videtur Nabochodonoſor, qui cùm ſtatura eſſet neque maiori, neque anguſtiori humana, ſtatuam ſibi erigi iuſſit magnitudine Coloſſæa, altam nimirum 40. cubitis, id eſt, ea proceritate, vt cum nubium altitudine certare videretur: non ex vili materia, quæ ſitu putreſceret, aut æruginem traheret, ſed ex auro: quam ab hominibus adorari voluit. Sed ſanè quominus hæc expoſitio placeat facit, quòd alia explicatio facilior eſt, tótumque textum & aperit magis, & meliùs implet: tum præterea quia, cum priùs aſcenſurum ſe in cœlum diceret Rex ille, quod longè montibus, ac nubibus ſublimius eſt, infinito propè ſpatio decreſceret oratio, quod in tanto oratore, & loco vſque adeo illuſtri dicendum non eſt.

27. o *Similis ero altiſſimo.*] Deus Iſraël altiſſimus dicebatur, & implorabatur à captiuis; quia hoc proprium erat & familiare illius Epitheton. Vt paſſim in Scriptura ſacra vides. Quare cùm illud nomen iterari ab exulibus Balthaſar audiiſſet, accepiſſétque nomen eſſe Dei, addit ad extremum ſimilem ſe omnino futurum illi Deo, quem populus captiuus toties altiſſimum implorat; Ac ſi dicat, Quid multis moror, dum ſingula commemoro, quæ mihi deberi puto? Quid cœli, quid nubium, quid montis teſtamenti, quid laterum Aquilonis memoria, aut poſſeſſione delector? Quidquid Hebræorum Deus, qui propter excellentem gloriam, & eximiam maieſtatem *Altiſſimus* vocatur, ab hominum religione, aut à ſua excellenti natura habet, id totum mihi à mea natura præſtanti, & ab hominum obſeruantia comparabo. Denique vt vno verbo meum ſtudium ac cogitationem aperiam, ſimilis ero Altiſſimo.

28. p *Veruntamen ad infernum detraheris in profundum laci.*] Qui pro ſui nominis amplitudine non ſatis ſibi eſſe putabat montium faſtigia, nubium altitudines, ſed etiam ſuper aſtra in cœlo deberi ſibi locum arbitrabatur, eò deprimetur ignominiæ, vt quod in lacu infimum eſt, atque deterrimum, proprium ſibi, & æternum domicilium habeat. Eſt autem hîc, vt reor, elegans luſus in ambiguitate Hebraici nominis ירך *ierech*, quod non ſolum *femur, & latera* ſignificat, ſed etiam *pedem*, & quod in quacumque re poſtremum, atque infimum eſt. Dixerat nuper ſuperbus Rex, Aſcendam בירכתו *berechatho*, id eſt, *in latera Aquilonis*; huic propheta dicit, detraheris quidem in בירכתו *berechatho*, ſed non in ea ſignificatione, quam tu mente complectebare; ſed in alia, quam minimè cogitabas, id eſt, *in profundum laci*, id eſt, in locũ omnino oppoſitum ſummo cœlorum, ad quod arrogantiſſimus tuus ſpiritus inhiabat. Quomodo verò non ſolùm ירכה *ierecheth*, *femur*, & *latera*, ſed etiam *pedem*, aut *infimum* ſignificet, docuimus ad illud *Cant.* 7. *Iunctura femorum tuorum.* Porrò *lacus* pro quo Hebr. שאול *ſeol*, non ſignificat *ſepulchrum*, ſed *infernum*, id eſt, æternam damnatorum cuſtodiam; tum quia periret elegans antitheſis ſummi loci, quem appetebat, & infimi, in quem demerſus eſt Rex Babylonis: tum etiam quia, vt mox dicemus, Rex iſte ſepultus non eſt.

29. Hic verò luſus, qui ex vocis amphibolia, ſiue paranomaſia naſcitur, non ſolùm apud profanos familiaris eſt, de quo Cicerō *lib.* 2. *de oratore*, ſed etiam apud ſacros. In quo genere ſunt illa Danielis *cap.* 13. Rogarat Daniel alterum è ſenibus ſub qua arbore vidiſſet Suſannam cum adoleſcentulo colloquentem; cúmque ille reſpondiſſet *ſub ſchino*, ſubiecit. *Ecce Angelus ſcindet te medium*, alluſit ad verbum σχίζω quod *ſcindere* ſignificat, à quo deriuatum videtur σχῖνος. Rurſus rogatus alter de arbore, *ſub prino* reſpondit, cui ſectionem minatus eſt Daniel accommodatè ad nomen prini, quod deriuatur à verbo πρίζω, quod *ſerrare* valet, aut *ſecare*. Eodem modo *Ierem. cap.* 1. cum dixiſſet Ierem. 1.

Luſus in amphibolia vocis apud Hebræos.

viſam à ſe fuiſſe *virgam vigilantem*, & vt alij ver-
tunt, *amygdalinam*, Reſpondit Deus, *Bene vidiſti,*
quia ego vigilabo. Alluſit ad vocem Hebraicam שקד
ſakad, quæ *amygdalum*, & *vigilare* valet. Hinc ego
Iud. 7. inoeniſſe mibi videor cur *Iud. cap. 7. verſ.* 13. ex
ſubcinericio pane, quem per quietem viderat Ma-
dianita, coniectauerit, venturum eſſe in caſtra Ma-
dian, Gedeonis gladium. Nam, ſi rerum naturas
ſpectes, nil video commune eſſe *pane* cum *gladio*;
imò potiùs omnia videntur eſſe contraria. Con-
iectauit autem optimè ex ambigua nominis ſigni-
ficatione. Nam לחם *lechem*, ſignificat *panem*, &
bellum, ex ea coniunctione non naturæ, ſed ſigni-
ficationis coniectauit in *pane* ſignificari, aut gla-
dium aut bellum, quod à Gedeone Madianitarum
caſtria imminebat.

30. q *Omnes Reges Gentium vniuerſi dormierunt*
in gloria, vir in domo ſua.] Nunc inferiorem oſten-
dit hunc Regem alijs omnibus honore ſepulturæ.
Reges enim alij, vtcumque malè ab hoc Babylo-
nio iactati, dormiunt tamen in gloria: id eſt, nacti
ſunt honeſtam, & regiam ſepulturam in domo ſua,
nempe in parentum ſuorum ſepulchro, aut in eo
quod digito poſſis oſtendere; non permixti, atque
confuſi cum ignobili turba; aut inhumati, atque
proiecti turpiter. Sed tu nullum habes, neque ho-
neſtum, neque certum locum, vbi oſſa dormiant
infelicia, quia diſperſa ſunt ſicut aſinorum oſſa
quæ à canibus tracta, atque diſiecta multa con-
ſternunt, atque contaminant loca.

31. r *Tu autem proiectus es de ſepulchro tuo.*] Hîc He-
Hebræorum fabula de Nabuchodonoſor. bræorum magiſtri ſuo modo multa confingunt,
qui putant hîc ſermonem eſſe de Nabuchodono-
ſor. Dicunt enim, vt refert Hieronymus, eius filium
Euilmerodach regnaſſe ſeptem illos annos, quibus
mutatus in belluam pater inter homines eſſe de-
ſiit. Cùm verò menti iam reſtitutus, regno quoque
reſtitueretur Nabochodonoſor, ad mortem vſque
illius in vinculis egiſſe Euilmerodach ſimul cum
Rege Ioachim. Cùm verò rurſus mortuo patre vo-
caretur in regnum, neque tamen admitteretur ab
omnibus, quia nonnulli extinctum eſſe negabant
Nabuchodonoſor, vt fidem faceret oculis mor-
tuum eſſe patrem, cuius vitæ ſuſpicio ſuis rationi-
bus vehementer obſtabat, patrem effodiſſe ſepul-
cro, vncóque, & funibus publicè raptaſſe. Hęc paulò D
aliter Haymo & Hugo, qui cadauer Regium dicunt
in trecentas partes fuiſſe diuiſum, traditúmque tan-
dem auibus, quæ in diuerſas mundi plagas diſſemi-
narent; idque conſilio Ioachim. Sed quis non videat
hanc fabulam eſſe, aut aliquid affine fabulæ; nam
inprimis, vt paulò antè diximus, vaticinium hoc
non eſt de Nabuchodonoſor; ſed de eius nepote
Balthaſare, quia multa quæ deinceps dicuntur in
illum conuenire non poſſunt. Vt quòd filij eius,
de quo hîc ſermo, occidendi ſint, neque parenti in
Regno ſucceſſuri: At non ſolùm Nabuchodonoſo-
ris filius, ſed etiam nepos poſt ipſum regnauerunt.
Balthaſaris verò filij mortuo patre regno potiti
non ſunt, ſed ſimul cum patre, & imperio Babylo- E
nico communi cæde ſublati, de quibus dictum eſt,
Præparate filios eius occiſioni. Deinde ille, contra
quem hæ prophetiæ minæ, talia paſſurus dicitur
à Perſis, & Medis, vt liquet ex Iſaia *cap.* 13. & ex
Ieremia *cap.* 50. & 51. At longè poſt extinctum
Nabuchodonoſorem Perſæ, ac Medi ducibus Cy-
ro, atque Dario in Babylonicos fines irruperunt.
Deinde veriſimile non eſt filium quantumcumque
impium, eo præſertim tempore, quo populum ſibi

A placare volebat, commiſſurum, vt paternum cadauer
ex Regio extractum monumento, per ludibrium
raptaret ſpectantibus alijs, quos non malè in de-
functum Regem animatos eſſe coniectare po-
terat, quia opinione vitæ paternæ è regno ſe pelli
videbat; vt Hebræi tradunt. Hæc multò meliùs
conueniunt in Balthaſarem poſtremum Regem
Babylonis ex familia & genere Merodach, qui à
Perſis, & Medis ſuperatus, & occiſus fuiſſe traditur
Dan. cap. 6.

At durum eſſe dices Regem hunc Babylonis 32.
illatum non eſſe ſepulturæ; cum effoſſus exiſtimari
poſſit de ſepulchro. Id enim ſibi videtur velle il-
lud, *Proiectus es de ſepulchro tuo*; quod Hebræo-
rum Doctores adducit, vt fabulam illam ſomnia-
B rent, quam modò retulimus. Sed huic obiectio-
ni occurrit ſatis communis in omni ferme lingua
loquendi conſuetudo. Nam cùm aliquid aut pro- Regula. Depulſus aliquis ab eo dicitur, in quo nunquã fuit, ſi ipſe, aut conſuetudine in eo eſſe debuit, aut potuit.
ximum eſt, vt fiat; aut in eo ſtatu, vt haberi pro fa-
cto poſſit, & de eius ſucceſſu nemo dubitat, aut
deſperat, etiam ſi quis illud non obtinuerit, ab eo
tamen excidiſſe dicitur, aut pulſus eſſe. Qua ratio-
ne Imperator dicitur amiſiſſe victoriam, quam ſpe
iam, & cogitatione deuorarat: Et quiſpiam è poſ-
ſeſſione depulſus, quam ſibi deberi exiſtimabat, &
iure ſibi vendicabat, etiamſi nunquam pedem in
illa poſuiſſet: & eiectus domo, quam ſibi ad habi-
tandum conſtruxerat, etiamſi in illam nunquam
eſſet ingreſſus. Hîc igitur de ſepulchro ſuo proie-
ctus eſſe dicitur Balthaſar, in quod nunquam condi-
C tus fuerat, quia in illum vſum ſibi pararat nouum,
aut antiquum, & toti communi familiæ à patribus
acceperat; neque futurum exiſtimabat, vt eius ho-
nore priuaretur.

ſ *Quaſi ſtirps inutilis.*] Ex diſciplina ruſtica 33.
ſtirpes illæ, aut trunci terræ infodiuntur, quæ vti-
les futuræ cenſentur, & cuius ſobolem conſeruari
volumus; ſi quis tamen ramus, aut truncus inutilis
eſt, aut quia ignobilis, de quo nihil ſuaue, aut ge-
neroſum expectes: aut ſterilis, quales ſunt in plan-
tis, quos ſtolones, aut nepotes vocamus: aut certè
ſi quid aridum eſt, & quod nihil agricolæ promit-
tat: illud terra non tegitur ad propagationem, ſed
igni potiùs, aut obliuioni relinquitur, vt pereat:
ſic Rex iſte, quaſi truncus inutilis, terræ, id eſt, ſe-
D pulchro mandatus non eſt, ſed inter alia vulgi
cadauera; quaſi in lignorum inutilium aceruum
coniectus.

t *Pollutus, & obuolutus cum iis, qui interfecti* 34.
ſunt gladio.] Qui in acie cadunt ſiue in magna mul-
titudinis ſtrage intereunt, aut inhumati relinquun-
tur, vt vultures paſcant, & canes, aut certè catervа-
tim in foſſam coniiciuntur, vbi fœdè putreſcunt,
& vermibus ſcatent. Et hoc poſterius huic Regi
contigiſſe ſatis inſinuat illud, *Subter te ſternetur*
tinea, & vermis erit operimentum tuum. Quod com-
muni ſepulturæ conuenit, & vulgari, in quam cùm
pauperes, & magno numero, & nullo ordine con-
iiciantur, ſupra ſe habent, & infra ſe cadauera,
E quorum ſanie, ac vermibus vndique circumfun-
duntur, atque obuoluuntur. Quare Rex iſte pro
pretioſa veſte magno ſtudio, atque arte elaborata,
quæ regium tegit, & ſuſtentat cadauer; vermes ha-
bebit, qui operiant, & tineam, quæ ſubſtrata ſuf-
fulciat abiectum corpus: quæ abundè ſuppedita-
bunt mortuorum acerui, qui eamdem cum illo ſe-
dem occupabunt. Hæc nullo modo in Nabucho-
donoſor conuenire poſſunt, qui in pace obiit, & ſic
patrio more conditus eſt aromate, neque ſolutus
eſt

eſt in ſaniem, neque extabuit in vermes: ſecus eſſet, ſi caderet cadente patria inter armatos hoſtes.

35. u *Preparate filios eius occiſioni*, &c. *non conſurgent, neque hareditabunt terram.*] Cum Rege ſemen quoque regium extinctum eſt: neque vllus iam ampliùs ex ea familia dominatus eſt. Quàm id alienum ſit à Nabuchodonoſor, quis non videt?

36. x *Neque implebunt faciem orbis ciuitatum.*] Hæc tranſlatio obſcura eſt, & ex ſententia Hieronymi alia non improbanda. Pro *ciuitatũ*, Hebr. עָרִים *bhaerim*, quæ vox, teſte Hieronymo *aduerſarios* valet, & *ciuitates*. Si *ciuitates* legas, vt eſt in Vulgato, ſenſus erit: Filij Regum Babylonis non implebunt faciem orbis, id eſt, totum orbem ciuitatibus ſuis, id eſt, non habebunt ſub ditione ſua totius orbis ciuitates. Eſt autem hoc Hebraicum idioma, vt *facies alicuius*, idem ſit quod *aliquis*, quomodo dicimus, *faciem venti*, *faciem gladij*, pro *vento*, & *gladio*, *faciem terra*, pro *terra*. Sic nunc *facies orbis*, *orbis* eſt. Id verò hyperbolicè dicitur, ſeu certè verè, quia Reges illi vaniſſimi ſæpiùs prædicabant totius ſe orbis habituros eſſe dominatum. Vt de hoc regum poſtremo nuper vidimus, qui etiam iactabat patere ſuæ potentiæ aditum in cœlum. cuius imaginem aliquam videmus *Dan. cap. 4.* vbi talis viſio oblata Regi Babylonis, qualis ipſius erat frequens cogitatio. *Magna arbor, & fortis, & proceritas eius contingens cœlum: aſpectus illius erat vſque ad terminos vniuerſa terra.* Sed ſtatim ſubditur, quid de illa arbore Dominus cogitauerit: idem fere quod hîc ab Iſaia dicitur: *Succidite arborem, & præcidite ramos eius.* Si verò cum Septuaginta atque Chaldæo pro *ciuitatibus* legas *aduerſarios*, aut *bella*, vt etiam Pagninus vertit, ſenſus erit, Non implebunt Baltaſaris filij orbem infenſis caſtris, ſicut fecerunt parentes, qui bellicis motibus omnia turbarunt. Ita Cyrillus. Aut non erunt è ſemine Babylonio, ac Regio, qui ſe contra eos, à quibus ſunt è ſolio deiecti, commouere audeant, aut de repetendo Regno cogitare.

Facies orbis, pro orbe.

37. y *Et in paludes aquarum.*] Accommodatè hæc ad naturam, ſitúmque Regionis; nam Babylon in planicie ſita eſt, & à fluuio magno, eiúſque foſſis, ac riuis, aliò atque aliò deriuatis circumfuſa. Quare facile intellectu eſt, quomodo à cœno, atque paluſtri humore tetri futura ſit odoris, & hominum habitationi parum opportuna.

38. z *Et ſcopabo eam in ſcopa terens.*] Prouerbialis hyperbole qua ſignificamus ex aliqua re nihil omnino futurum eſſe reliqui. Nam inſtrumenta alia, aut ferramenta cœmentariorum, ſic diſcutiunt lateres, aut ſaxa, vt tamen ex antiqua mole pulueris aliquid relinquant. Sed ſcopæ totum euertunt, emundántque ſolum ab omni ſorde: & illa coniugatorum coniunctio, *ſcopabo in ſcopa*, accuratum ſtudium verrentis oſtendit; qui minutiſſimum quoque puluiſculum ſcrutatur, & abolet. Illud verò *ſcopa terens* accuratum aliquod ſtudium indicat: quaſi verrendum ſit pauimentum, non molli brachio, aut ſuſpenſa ſcopa, &, vt aiunt, per pectinem, ſed apprehenſa, & manu ſedula ac forti. Eodem orationis genere vtitur Ezechiel *cap. 26.* cùm idem minatur exitium Tyro, quod Iſaias Babyloni: *Et diſſipabunt muros Tyri, & deſtruent turres eius, & radent puluerem eius de ea: & dabo eam in limpidiſſimam petram.* Et 3. *Reg. cap. 14. Mundabo reliquias domus Ieroboam, ſicut mundari ſolet fimus vſque ad purum.* Quæ dicendi formula profanis etiam vſitata eſt. Plautus *in Rudente. Conuerret hic iam*

Prouerbiũ.

Ezech. 26.

3. Reg. 14.

A *me totum cum puluiſculo.*

39. a a *Iurauit Dominus exercituum dicens, ſi non, vt putaui, ita erit.*] Huc vſque prophetia de Babylone. Nunc iam iuramento confirmat Deus illa omnia, quæ dixerat à capite, vt reor, ſeptimo, de hoſtibus Iudæorum, nempe de Regibus Samariæ, & Syriæ, quæ argumento eſſe voluit domui Dauid naſcituri de virgine Emanuelis, vt ſuo loco diximus. Sed hæret præſertim in Senacherib, quia illius iam penè impendebat exercitus ciuitati. Hæc verò repetitio confirmationem & certitudinem continet eorum, quæ dicta ſunt. Illud *ſi* ita formulam indicat iuramenti, vt etiam per apoſiopeſim Hebræis familiarẽ execrationem importet, perinde atque ſi dicat Deus. Si non ita contigerit, ne ſim Deus; aut B haberi mihi fidem in aliis non poſtulo, aut quid ſimile.

40. b b *Vt conteram Aſſyrium in terra mea, & in montibus meis conculcem eum.*] Hîc iam apertè loquitur de Senacherib: nam alij Aſſyriorum Reges contriti non ſunt in terra Domini, id eſt, in terra promiſſionis. Iugum autem, & onus Senacherib depellendum dicit, quia vt *ex Iſaia cap. 36. & 4. Reg. 18.* conſtat, plurimas ciuitates ceperat, ſibique, vt rei natura fert, reddiderat vectigales. Depellendum autem dicit à montibus, quia terra promiſſionis, quam ſuam Dominus appellat, montoſa eſt; & ciuitates in ea plurimæ in montibus ſitæ.

41. c c *Super omnem terram*, &c. *& ſuper vniuerſas gentes.*] Hîc paucis complectitur propheta quicquid C pluribus dixerat de Aſſyriorum excidio, de Syriæ, atque Samariæ vaſtitate; omnem verò terram illam intelligit, quæ bella mouerat contra Iudæos. Aſſyriam præſertim, & quæcumque Aſſyrio Regi ſubiecta eſt. Iuxta regulam à nobis ſæpius ex Hieronymo repetitam, quæ vniuerſale ſignum, ad Regionem de qua ſermo eſt, accommodat, & coarctat. Vniuerſas Gentes illas intelligit iuxta eamdem regulam, quæ aut fœdus inierunt, & ſocietatem cum Aſſyriis, & Syris contra Iudæos, aut illis infenſæ fuerunt, vt Palæſtinæ, Idumeæ, Moabitides, Ægyptiæ, de quibus ſeorſum deinceps multa prædicit Iſaias. Quare non bene hinc aliqui colligunt vaticinium hoc eſſe de extrema totius mundi D vaſtitate.

42. d d *In anno quo mortuus eſt Rex Achaz, factum eſt onus iſtud.*] Transfert iam propheticas minas Iſaias ad Regiones magis vicinas, quæ variis motibus, aſſiduíſque bellis Iudaicæ Gentis pacem, rationéſque turbarant; & perducit ad caput vſque vigeſimum quintum. Quot verò annis hæc vaticinatus fuerit Iſaias, poſt illam prophetiam, de qua nuper, incertum eſt, quia quoto anno Regni Achaz illam acceperit prophetiam, obſcurum. Contigit tamen primo anno Regni Ezechiæ, cuius occaſione hæc dicta ſunt contra Palæſtinos. Qua confirmare voluit Deus Iudæorum animos, & excitare ad bene ſperandum de noui Regis auſpicatiſſimo E Regno.

43. e e *Ne læteris Philiſtaa omnis tu, quoniam comminuta eſt virga percuſſoris tui.*] Conuenit inter omnes hoc vaticinium eſſe de Ezechia, qui Philiſtæos ita durè percuſſit, qualiter nullus aliorum Regum Iuda. De quo *lib. 4. Reg. cap. 18. Ipſe percuſſit Philiſtaos vſque ad Gazam: & omnes terminos eorum à turre cuſtodum vſque ad ciuitatem munitam.* Et ita ſanè videbatur expedire, vt eleuato in ſolium Rege vſque adeò dilecto Domino, hæc dicerentur à propheta Dei nuncio, quaſi ſecunda initæ dignitatis

auſpicia. Sed eſt difficile explicatu, quis ſit ille per-
cuſſor, cuius comminutam eſſe virgam Palæſtini
lætantur. Hieronymus putat eſſe Regem Achaz,
cuius morte exultaſſe Philiſtæos credibile eſt: quia
commune eſt hoſtibus maximè vicinis lætari, ſi
quid aduerſum, aut quod tale exiſtimatur commu-
niter hoſtibus acciderit. Alij Oziam eſſe credunt
proauum Ezechiæ, qui vt traditur 2. *lib. Paralip. cap.*
26. *Pugnauit contra Philiſtim, & deſtruxit murum*
Geth, & murum Iamniæ, murúmque Azoti. Ædifi-
cauit quoque oppida in Azoto, & in Philiſtim; & ad-
44. *iuuit eum Dominus contra Philiſtim.* Mihi valdè ve-
riſimile eſt hîc non eſſe ſermonem de Achaz,
cuius virga Palæſtini percuſſi non ſunt; neque de
vno tantùm Ozia, quia inter hunc, & pronepotem B
Ezechiam duo alij fuerunt interiecti Reges; ſed
de omnibus Regibus, aut ducibus Iſrael, quorum
armis Deus contuderat potentiam, & ſpiritus Phi-
liſtim. Qualis fuit Samſon, Dauid, Ozias, & alij.
Cùm enim multi exacti eſſent anni, ex quo à Regi-
bus Iuda nullã acceperant plagã; imò ipſi ſub Achaz
non leuem plagam Iudæis inflixiſſent, de qua
2. *Paralip.* 28. *verſ.* 18. lætabantur, quaſi Deus iam in
perpetuum furoris ſui virgam confregiſſet. Contra
hos ergo propheta dicit non confractam eſſe vir-
gam, quam olim Deus per manus Samſon, Dauidis
& Oziæ vibrauit in caput Philiſtim; ſed vigere
adhuc, & traditam eſſe manibus Ezechiæ, à quo
non mitiùs tractandi eſſent, quàm ab illis quos
omnibus ſæculis nimiùm duros experti ſunt, in C
quam ſententiam inclinat Lyra.

45. Prouerbiũ. *ff De radice enim colubri egredietur regulus.*]
Prouerbium hoc proculdubio eſt Hebræorum, quo,
vt reor, tunc vtuntur, quando alicui graui infortu-
nio ſuccedit aliud longè grauius; aut potenti, atque
infeſto hoſti alius ſuccedit potentior, & infeſtior.
Quod aliter ſignificauit Roboam cum eodem
ſenſu, & prouerbiali etiam ſpecie dixit: *Pater meus*
cecidit vos loris, ego cædam vos ſcorpionibus. Fuit qui-
dem Ozias, cuius ex his, qui rem Philiſtinam affli-
xerunt, memoria recentior, & ad quem præcipuè
reſpexiſſe videtur Iſaias, tanquam coluber, qui pe-
ſtilenti halitu afflauit Philiſtinorum fines, conta-
minauítque, atque vſſit miſerabiliter, dum noxio D
tractu huc atque illuc ſe variè conuoluit. Sed ex
ea radice, quæ iam videbatur exciſa, id eſt, ex
eius genere, natus eſt regulus, qui non ſolùm mor-
ſu, ac tactu lacerat, atque vrit quicquid habet ob-
uium, ſed etiam viſu ſi quid habet fidei antiquo-
rum hiſtoria. Quare multò nocet grauiùs, neque
vlla induſtria vis illa nocentiſſima vitari poteſt.
Aut fortaſſe alluſum eſt ad hiſtoriam Samſon, cu-
ius omnia conſilia, atque conatus in Philiſtinorum
cladem exarſerunt. Hic natus eſt ex ſemine Dan,
cui à parente Iacob dictum eſt *Geneſ.* 49. propter
Samſon, vt eſt communis interpretum ſententia,
Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita. Quare
ſenſus videtur non alienus. Nondum periit colu-
ber ille, qui in veſtrum genus, ô Philiſtim, deſæ- E
uiens venenum euomuit nocentiſſimum: ex illo
enim naſcetur, id eſt, illi ſuccedet, non iam coluber,
aut ceraſtes, ſed Baſiliſcus, qui maiori vos, ac minùs
euitabili damno conficiet.

46. *gg Et ſemen eius abſorbens volucrem.*] De Ba-
ſiliſco, ſeu regulo multa ab Hiſtoricis traduntur,
ſed illud præcipuè quòd non ſolùm halitu, ſed etiam
viſu diſtantes perimat. Quare longè nocentior eſt,
quàm coluber in via, aut ceraſtes in ſemita: ij enim
aut morſu appetunt, aut veneno enecant illa, quæ

A proxima habent, & terram calcant, at Regulus id
etiam, quod volat, & procul eſt. Septuaginta aliter
legunt, *Et ſemen eius ſerpens pennatus.* quam tranſla-
tionem non improbat Hieronymus, & aliis com-
muniter placet. Pro *ſerpente* Hebr. eſt שרף *ſaraph*,
quod *igneum*, ſiue *ardentem* valet. Quare veriſi-
mile mihi eſt talem ſerpentẽ hîc à propheta ſigni-
ficari, quales illi fuerũt, qui *Nu.* 21. peremiſſe dicun- Dracones alati.
tur plurimos de filiis Iſrael. Qui an pennati fuerint
non conſtat; ſed conſtat pennatos eſſe dracones,
qui non minùs celeri volatu ferantur, quàm aues;
quales ſunt Arabici, de quibus Solinus *cap.* 35. con-
tra quos pugnant ibides aues ſerpentibus infenſiſ-
ſimæ, quo nomine ab Ægyptiis numinis loco ha-
B bentur. Iuxta hanc lectionem Septuaginta exiſti-
mo vnum eſſe, atque idem, & Regulum priori lo-
co, & alatum ſerpentem poſteriori poſitum per
epexegeſim Hebræis familiarem. Et quidem
Iſai. cap. 30. *verſ.* 6. Regulus alatus dicitur, ſeu
volans.

hh Et paſcentur primogeniti pauperum.] *Primoge-* 47. Primogeniti qui in aliquo ordine præcipui.
niti non ſolùm ſunt, qui primi inter fratres nati,
ſed figuratè qui in quolibet ordine primi ſunt, &
maximè ab illis quorum vocantur primogeniti,
dilecti; quia hæc iis qui primo loco naſcuntur, aut
debentur, aut certè indulgentur plerumque. Quo
ſenſu à Polycarpo, vt refert Hieronymus de ſcri-
ptoribus Eccleſiaſticis, Marcion primogenitus
Diaboli vocatus eſt; quia à Diabolo, & primo loco
C habitus, & quia illi ſimillimus, maximè dilectus eſt.
Et *Iob cap.* 18. *verſ.* 13. mors *primogenita* dicitur; id
eſt, acerbiſſima, atque in eo moriendi genere præ-
cipua. Sic Chriſtus à Paulo *ad Coloſ.* 1. *verſ.* 15.
primogenitus vocatur omnis creaturæ. Et in hac ipſa
materia *Exod.* 4. 22. Iſrael dicitur *primogenitus Dei.*
Sic igitur hoc loco Iudæi *pauperum primogeniti*
dicuntur; *primogeniti* quidem, quia inter eos, qui
pauperum more grauia, atque indigna à potentio-
ribus patiuntur, maximè curantur, & amantur à
Domino; *Pauperes* verò, quia grauiſſimè, variis tem-
poribus, & à variis gentibus vexati ſunt. Maximè
tempore Achaz non multò antè hoc vaticinium,
vt conſtat 2. *Paralip. cap.* 28. Hi ergo vſque adeò
pauperes paſcentur abundanter, in terra; & interim
D fame conficietur Philiſtæa.

ii Vlula porta, clama ciuitas.] Summis infimíſ- 48.
que prædicit vaſtitatem, & famem. *Porta* pro prin-
cipibus ſumitur, quia hi ſedere ſolent in porta, vbi
publica exercentur iudicia; *Ciuitas* pro reliqua
multitudine, quia in ea confuſum eſt, & promi-
ſcuum vulgus. Vtrumque per Metonymiam, in
quo continens pro contento ponitur.

kk Ab Aquilone enim fumus veniet.] Hierony- 49.
mus quem alij quoque ſequuntur, hanc cladem ab
Aſſyriis infligendam putat, quia ab Aquilone pro-
fectura dicitur: Addo ego quia *fumi* meminit:
notum eſt autem *fumum*, ſeu *ignem* antegredi ſo-
lere Aſſyriorum caſtra, vt paulò antè diximus ad
E illud, *Quomodo cecidiſti Lucifer.* Sed eſt mihi lon-
gè veriſimilius hîc potiùs prædici vaſtitatem Palæ-
ſtinis per Ezechiam comparatam: nam de hoc agi
in prioribus ſatis conſtat. Ex poſterioribus etiam
aliqua non bene conueniunt in Aſſyrios. Hæc enim
ratio redditur cur Deus illa perfecturus ſit, quæ
connumerata ſunt. *Quia Dominus fundauit Sion,*
& in ipſo ſperabunt. Sed hæc ratio non tam fauet
Aſſyriis, vt eorum armia atque virtute talia com-
pleta videantur, quàm filiis Sion. Adde quòd, ſi
quando iſta ab Iſaia dicebantur, id eſt, mortuo
Achaz,

Achaz, iam aliqua ex parte afflicti fuerant Palæſtini ab Aſſyriis, ſub Teglathphalaſar, de illa clade vaticinium iſtud eſſe non poteſt; vt conſtat; ſed neque de illa, quæ poſt hæc tempora attuliſſe videtur Senacherib (nam de hoc putat Hieronymus hîc agi) quia multò pòſt quàm ab Ezechia Palæſtini conciſi ſunt, ingreſſus eſt in illorum fines anno nempe decimo quarto Ezechiæ, vt conſtat 4. *Reg. cap.* 18. Neque eſt veriſimile omiſſa priori clade ab Ezechia illata, actum eſſe de poſteriori, quam attulit Senacherib; quæ neque tam grauis fuit, ſi vlla fuit, neque, quod ego ſciam, ex Scriptura ſacra conſtat à Senacherib quidquam paſſos eſſe Palæſtinos.

50\. Neque rationes nos cogunt in contrariam ſententiam: quia ſi à Ieruſalem Palæſtinæ malum ingruit, planè ab Aquilone venit. Cùm enim Palæſtina ſit ad oram mediterranei maris, quod ad meridiem ſpectat, & Ieruſalem in medio terræ promiſſionis ſit, planè efficitur comparatione Palæſtinæ Aquilonarem eſſe Ieruſalem. Illud verò de *fumo*, non magis viget; nam ſicut *incendium* pro magna ſtrage, aut excidio ponitur, ſic etiam per metonymiam *fumus*, qui incendij ſignum, & effectus eſt. Niſi malis *fumum* hic accipi pro eo puluere, qui ab incitata, atque conſerta militum acie inſtar nubis excitari ſolet. Hoc enim modo profani ſcriptores feſtinatum agminis curſum explicare ſolent. Virgil. 9. *Æneid.*

Hic ſubitam nigro glomerari puluere nubem
Proſpiciunt Troes, ac tenebras inſurgere campis.
Primus ab aduerſa conclamat mole Caicus.
Quis globus, ò ciues, caligine voluitur atra.
Hoſtis adeſt.

Et *lib.* 11.

Quadrupedúmque putrem curſu quatit vngula campum.
Voluitur ad muros caligine turbidus atra
Puluis.

Et paulò pòſt:

Ac ſimul Æneas fumantes puluere campos
Proſpexit.

Signum hoc aduentantis hoſtis *mutum* vocat Vegetius, *lib. 3. cap. 5. Mutum*, inquit, *& commune ſignũ eſt quoties proficiſcente turba exaltatus puluis ad ſi*militudinem nubis ſurgit, hoſtiúmque prodit aduentum.

[11] *Quid reſpondebitur nuntiis gentium? quia Dominus fundauit Sion.*] Vſitatum fuit in omni ferme natione, vt vicini Principes, ſi quid alicui, aut ſecundum, aut aduerſum acciderit, legatione ſignificent ſibi illud, aut dolori fuiſſe, aut voluptati. Ex Hebræis fecit Dauid 2. *Reg. cap.* 10. qui legatos miſit ad Hanon Regem Ammonitarum, vt illum de patris morte ſolarentur. Et *eodem lib. cap.* 8. Thou Rex Emath filium ſuum legauit ad Dauid, qui gratularetur illi de victoria, quam tulerat de Adarezer. Rex item Babylonis Merodach nuntios miſit ad Ezechiam, qui de reſtituta valetudine gratularentur. *Iſai.* 39. Dicit igitur Iſaias Gentium legatis, qui gratulatum venerint ad Ezechiam ob victoriam de Philiſtæis comparatam, Reſpondendum eſſe victoriam illam acceptam eſſe referendam Dei benignitati, atque potentiæ, non hominum viribus. Digna ſanè tanto propheta cogitatio, quæ Deum rerum magnarum auctorem agnoſcit. Quod etiam fecerunt viri etiam à religione vera alieni, in quibus aliquid erat ſanæ mentis. Quibus ſiquid accidebat ſupra ſpem, aut vires, id diuinæ adſcribebant virtuti, non ſuis viribus, aut induſtriæ. Quod confeſſus eſt Cyrus *lib. 1. Eſdra cap.* 1. *Omnia regna terra dedit mihi Dominus Deus cœli.* & Titus vt tradit Ioſephus *lib. 7. de bel. cap.* 16. admiratus tantam vrbem, támque munitam fuiſſe ſuperatam dixit. *Planè Deo adiuuante pugnauimus.* Et, vt refert Philoſtratus *lib. 6. de vita Apollonij*, propter victoriam de Iudæa partam coronari noluit, quia diuina virtute opus illud perfectum eſſe videbat, non ſua. Sic autem Philoſtratus. *Finitima Gentes ob victoriam coronare ipſum voluerunt; ille verò tali honore indignum ſe eſſe reſpondit: non enim ſe talium operum auctorem, ſed Deo iracundiam contra Iudæos demonſtranti manus ſuas præbuiſſe.*

51\. Gratulationis officium vſitatum in omni natione.

Deo victoriæ referendæ.

[m] *Et in ipſo ſperabunt pauperes populi eius*] Reſpondebit populos non ſolùm liberatus ab hoſtibus, ſed etiam eorum exuuiis luculenter ornatus: admonitus tanto, támque inſperato Dei beneficio, deinde in vno Deo ſpem eſſe ponendam, qui vnicum pauperibus ſolatium, atque perfugium eſt. Pauperes verò dicuntur, qui durè aliorum armis aut iniuriis vexantur, vt nuper diximus, ad illud, *primogeniti pauperum.* 52.

Argumentum decimiquinti capitis Iſaiæ.

Hoc vaticinium durum eſt contra Moabitas, quibus vaſtitatem extremam, & exilium minatur, & primùm ciuitatibus, quæ toti Moab, ornamentum erant, & præſidium. Deinde à Segor vſque ad Oronaim, id eſt, ab Orientali ad Occidentalem vſque plagam, ait nihil futurum eſſe liberum ſiue ab hoſtili gladio, ſiue ab eiulatu, & fletu. Tandem aliquid ſingulare, ac proprium paſſuram eſſe dicit Dibon, quæ in regione Moabitide mirificos vſus, & delicias præbebat Moabitis.

CAPVT XV.

1 [a] ONVS [b] *Moab.* [c] *quia nocte vaſtata eſt Ar Moab, conticuit:* [d] *quia nocte vaſtatus eſt murus Moab, conticuit.*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 VATICINIVM durum, & graue contra Moab; qui & ipſi populo Dei durus, & grauis fuit. Quia Areopolis Moabitidis prouinciæ

Babylonem, & inclytam in ſuperbia Chaldæorum. Volumus intelligere, quod fuit, & quærimus audire quod non fuit. Et hoc dicimus, non quòd tropologicam intelligentiam condemnemus, ſed quia ſpiritualis interpretatio ſequi debeat ordinem hiſtoriæ: quod plerique ignorantes lymphatico in ſcripturis vagantur errore. Putat ergo hic Hieronymus expletum eſſe hoc Iſaiæ vaticinium, non tamen quo tempore capta eſt Babylon à Cyro, atque Dario; ſed alio atque alio diuerſis temporibus accepto vulnere. Quare accepiſſe ſe dicit à fratre quodam Elamita, qui ab illis egreſſus finibus ſecum Hieroſolymis vitam agebat monaſticam, ita deſertam eſſe Babylonem, vt neque paſtores ibi commoda habere potuerint paſcua; ſed tantùm ibi eſſe Regias venationes, putà leones, vrſos, apros, qui inter veterum ruinarum anguſtias ſua ſibi pararunt diuerticula. Et Pauſanias multò antiquior Hieronymo, qui ſub Adriani tempus floruit, Babylonem commemorat, inter illas ciuitates, quæ cùm priùs eſſent florentiſſimæ, ſua tamen ætate vix habuere antiquæ gloriæ nuda veſtigia. Cùm enim egiſſet de Mycenarũ in Græcia, de Thebarum in Bœotia, & Thebarum itẽ in Ægypto, & aliarum ciuitatum obliterata gloria, & penè extincto nomine, quas, vt eius vtar verbis, *ad nihilum redegit fortuna*, de Babylone ait: *Babylon omnium, quas ſol aſpexit vrbiũ maxima, iam nihil præter muros reliqui habet.*

Allegoricus ſenſus Hiſtorico nititur.

25\. Quomodo verò, quóve curſu funditus Babylon perierit, hæc carptim ab autoribus accipe. Inprimis à Daniele *cap.* 6. habemus, à Dario Medo, & Cyro ablatum eſſe ſub Baltaſare Chaldæorum imperium, & ad Perſas tranſlatum. Deinde ab Herodoto *lib.* 3. domitos eſſe rurſus rebellantes Chaldæos, & dirutos magna ex parte Babylonicos muros. Præterea vt tradit *hic* Hieronymus, & Plinius *lib.* 6. *cap.* 26. & Iuſtinus *lib.* 1. cùm extructa eſſet à Nicanore ſeu Nicatore Seleucia, & à Parthis non longè à Babylone Cteſiphonte, & tandem à Vologeſo Rege Vologeſocerta, illuc habitatoribus commigrantibus penè exhauſta eſt à ciuibus Babylonia. Denique Adriani tempore, vt refert ſuprà Pauſanias, nihil erat reliqui præter muros. Neque alio modo impleta Chriſti prophetia de Ieruſalem à Romanis euertenda, non enim à Tito ſic euerſa eſt; vt non maneret lapis ſuper lapidem; ſed aliquid relictum, quod poſtea excinderet Adrianus. Imò poſt Adriani vaſtitatem relicta ſunt multa, quæ adhuc extant ex antiqua fabrica. Ex quo conſtat omnium conceſſu in Scriptura ſacra eſſe locutiones hyperbolicas; qualis eſt hæc Chriſti prophetia de Ieruſalem, & hæc Iſaiæ de Babylonia quæ miſerabilem vrbium ruinam prædicunt, non tamen ita (quod verba materialiter ſonant) vt lapis ſupra lapidem relictus non ſit; eſt enim hæc prouerbialis hyperbole, in qua non neceſſe eſt omnia ſic impleri, vt præ ſe ferunt verba. Sicut & alia, quæ de eadem Babylonis ruina affert Iſaias ſtatim *cap.* 14. *Scopabo eam in ſcopa terens*, id eſt, nihil ex ea pulueris relinquam, ſicut ſcopæ puluerem euerrunt. [illegible]re licèt muri reliqui fuerint, & raræ atque ruinoſæ domus, non ideo Babylon in ſolitudinem redacta non eſt. Accedit quòd ex Scripturæ ſacræ vſu nihil relictum eſſe dicitur, quando ex magna aliqua multitudine parum relictum eſt. Quapropter cùm ex tam frequenti, atque opulenta ciuitate reliquiæ tantùm exiguæ ſuperfuerint, iure in ſolitudinem redacta dicitur Babylonia.

Babylõ à varijs euerſa.

In ſcriptura hyperbolicæ locutiones.

¹ *Non habitabitur vſque in finem.*] Quemadmodum *in finem, in æternum, in ſæculum, non vltra, non ampliùs*, & ſimilia ſignificent aliquando non quod nunquam fiet, aut quod fine carebit; ſed quod erit diuturnum, diximus *cap.* 28. *num.* 29. *& cap.* 60. *num.* 79.

¹ *Non ponet ibi tentoria Arabs; neque Paſtores, &c.*] Eò adducetur felix quondam, & copioſa ciuitas, vt efferata à ſordidis, & inanibus belluis, neque paſcuis manſueti pecoris idonea ſit. Nam cùm tantæ ciuitatis ruinæ, vt neceſſe eſt, plenæ ſint profundis ſpecubus, quæ opportunas præbent latebras leonibus, atque draconibus, non audent paſtores eò cogere infirmum, & innoxium pecus, quod futurum eſſet omnino prædæ belluarum immitium. 26.

² *Et piloſi ſaltabunt illic.*] Quæ ſint hæc ferarum monſtra, quæ habitatura dicuntur in Babylonicis ruinis, adeò obſcurum eſt vt neque inter autores noſtros, neque inter Hebræos magiſtros de illorum ſignificatione conueniat. Pro *piloſi*, Hebraicè eſt שעירים *ſehhuarim*, quidam exponunt *Satyros*, alij *hircos*, quia hi piloſi ſunt, & hirſuti; Septuaginta cum Chaldæo vertunt *Dæmonia*: Neque id improbat Hieronymus, quod mihi placet præter cætera, Tum quia Dæmones antiqua Gentilitas Satyrorum, Faunorúmque ſpecie venerabatur; qui Dij putabantur nemorum: & Babylon non iam vrbs, ſed ſylua, commodum videbatur domicilium ſylueſtrium Deorum. Et huc facit quod שעירים *ſehhuarim*, alijs in locis ſacræ Scripturæ pro Dæmonibus vſurpatur: *Leuit.* 17. *Nequaquam vltra immolabunt hoſtias ſuas Dæmonibus.* & 2. *Paralip.* 11. *Qui conſtituit ſibi ſacerdotes excelſorum, & Dæmoniorum.* Sed probat maximè Ioannes *Apoc. cap.* 18. Qui reſpiciens ad hoc, & ad 12. Iſaiæ caput, ſic inquit de Babylonia: *Cecidit, cecidit Babylon illa magna, & facta eſt habitatio Dæmoniorum, & cuſtodia omnis ſpiritus immundi, & cuſtodia omnis volucris immundæ & odibilis.* 27.

Dæmones piloſi.

Apoc. 18.

Syrenes Hebr. תנים *tanim*. Hæc etiam vox variè ab interpretibus redditur. Septuaginta vertunt *Ericius*, alij *dracones*, Hieronymus hîc *Syrenes*. *Thren. cap.* 4. *Lamias*, & idem *Ezech. cap.* 29. *verſ.* 3. & *Ierem.* 14. *verſ.* 6. *dracones*. Sunt autem תנים *tanim*, licèt incerta, monſtra tamen quædam belluarum, quarum figuram ſæpe, ſicut Faunorum ac Satyrorum aſſumebant Dæmones. Vt autem nuper diximus in locis, vbi ſpeluncæ ſunt, & cauæ profunditates habitare leones, ſerpentes, & feras alias teetras, & horribiles, & ideo illa loca inepta eſſe paſcendo pecori; ſic etiam experientia ipſa docet in locis olim frequentibus, nunc verò deſertis inter domorum ruinas apparere frequenter infeſtos lemures, & ſpectra horribili forma metuenda; quibus propheta nunc dicit ſeruari opulentam illam ciuitatem: Porrò ſicut Babylonia pro fœda vitiorum omnium colluuie ponitur prouerbiali forma; ſic eius ruinæ miſerandam ſpeciem pro rei pulcherrimæ, atque delicioſiſſimæ lapſu vſurpari puto. Quo ſenſu exiſtimo à Ioanne *Apocal.* 18. poſitum eſſe Babylonis caſum, pro magnatum ciuitatum exitio. 28.

ARGV

Argumentum decimiquarti capitis Iſaiæ.

*Q*VONIAM *breui futura promittitur Iudæorum libertas ; & quia antecedere debet Babylonis excidium, illud etiam breui futurum eſſe prædicitur. Tunc eam propheta fore prænunciat fortunæ conuerſionem, vt Babylonij illis tributa pendant, à quibus antè auarè, atque inclementer exigebant. Deinde parabola quædam amari cuiuſdam conuitij plena proponitur, qua tam Iudæi, quàm alij populi, immò, & defuncti Reges in miſeram Baltaſaris Regis cædem, atque ignominiam inſultant. Tandem in æternum Babylonis nomen eſſe delendum, neque impij Regis ſobolem vllam futuram eſſe reliquam, aut vllum monumentum, quod Regis memoriam poſteritati commendet. Tandem quia numero 26. dixerat, quod à ſe cogitatum, ac definitum erat, fore complendum, idque iureiurando firmaret; illud verò fuit daturas eſſe pœnas nationes omnes, quæ Iudæorum nomen inſectatæ ſunt; illarum nunc ad caput vſque 35. minaces prophetias proponit. Et incipit à Palæſtina, quæ vt proxima Iudææ fuit, ita ſæpius, ac duriùs illam vexauit. Cui, ineunte iam regnum Ezechia, hæc à Domino denunciat propheta. Primùm non eſſe cur exultet, quòd fracta ſit virga, qua toties percuſſa fuit; quia durior impendet Palæſtinæ plaga, quàm vlla alia vnquam. Deinde redituros eſſe Iudæos ad poſſeſſiones, ex quibus vi deiecti fuerant. Palæſtinos autem ſic fore vaſtandos à Iudæis, imò potiùs à Deo per Iudæos: vt neque reliquiæ à cæde futuræ ſint vllæ.*

CAPVT XIV.

1 *PROPE eſt vt veniat tempus eius, & dies eius non elongabuntur.*

2 [a] *Miſerebitur enim Dominus Iacob, & eliget adhuc de Iſraël, & requieſcere eos faciet ſuper humum ſuam: adiungetur aduena ad eos, & adhærebit domui Iacob.*

3 *Et tenebunt eos populi, & adducent eos in locum ſuum: & poſſidebit eos domus Iſrael ſuper terram Domini in ſeruos, & ancillas: & erunt capientes eos qui ſe ceperant, & ſubiicient exactores ſuos.*

4 *Et erit in die illa: cùm requiem dederit tibi Deus à labore tuo, & à concuſſione tua, & à ſeruitute dura qua antè ſeruiſti,* [b] *ſumes parabolam iſtam contra regem Babylonis, & dices:*

5 [c] *Quomodo ceſſauit exactor, quieuit tributum.*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 PROPE aderit tempus Babylonicæ cladis, neque diu producetur, quod minax iſtud vaticinium prædicit.

2 Quoniam Dominus longi iam exilij, atque ærumnoſi Iudæorum miſertus eos iterum in filios, & populum aſſumet; efficiétque vt iterum in terra Iſraelitide requieſcant. Quod ſanè facturus non eſt, niſi priùs extincto Chaldæorum imperio. Et quia propè eſt, vt in patriam illos poſſeſſionem reſtituat, propè eſt etiam, vt Chaldæorum gloriam, & potentiam euertat. Tunc verò ex alienigenis multos aſciſcet, quos domui Iacob in eamdem fidem, & religionem aſcribet.

3 Externi autem populi remigrantes Iudæos humaniter, atque officioſè reducent. Quos viatico, auxilióque proſequentur eo ſtudio, ac rerum abundantia, vt non ſolùm commodè, ſed etiam molliter, iter illud conficiant. Alienigenas autem nationes in ſuam ditionem & ſeruitutem rediget domus Iacob; & capiet, atque ſubiiciet eos, quibus antè ſeruierat; & ab his exiget impoſita vectigalia, quibus olim ea penſitare conſueuerat.

4 Cùm autem agente Domino, ô domus Iacob, à labore graui, atque diuturno, à ſeruitute dura, à tyrannico iugo ceſſationem nacta fueris, & quietem, hoc canticum Baltaſari Regi Babylonis ſic inſultabis.

5 Vbi tua potentia, ô Rex ſuperbe? vbi vis illa effera, qua Dei populum tyrannicè vexabas?

vbi tributum quod latè ſubditis tibi populis imperabas? Vbi exactor, & quæſtor qui illud tuo imperio, ac nomine cogebat?

6 Perfregit Dominus impiorum potentiam, & eorum ſceptrum omnino contriuit. Virgam comminuit ferream, quam rerum Domini, & Babylonicæ reipublicæ principes in miſerorum capita quatiebant. Quæ populos inſanabili afficiebat plaga, quæ Gentes immiti, atque furioſo ſummittebat imperio, eóſque omni ſuppliciorum acerbitate vexabat.

7 Iam otio, & pace fruitur illa regio, quam tu ſuperbo tuo dominatu premebas, & nouis ſemper rationibus turbabas. Iam ex tuo caſu voluptatem cepit incredibilem; ac de te proſtrato verè, ac ex animo triumphat, & geſtit.

8 Neque ſolùm tenuia ſyluarum arbuſta, atque ignobiles frutices, id eſt, pauperes, & debiles homines, quos tu impotenter, & auarè ſpoliabas, ſed etiam abietes proceræ, & cedri Libani ſublimes, id eſt, principes, & potentes, te cadente præ lætitia feſtiuo exultauere tripudio, dicentes. Ex quo, ô Rex impie, atque ſuperbe diem obiiſti ſupremum, ſecurùm agimus, & pacatum otium; neque enim iam eſt, qui dura, atque tyrannica ſecuri ſuccidat nos.

9 Infernus ad ingreſſum tuum turbatus obſtupuit, & miſit Gigantes, qui aduenienti occurrerent. Omnes quoque principes terræ, quibus tu aut regnum antè detraxeris; aut aliqua alia ratione iniurius fueras, ac moleſtus, per ludibriom tibi obuiam procedent, téque tanquam Regem Regum in optimum illius loci ſolium ſeſſum admittent.

10 Omnes iſti inſultabunt, & dicent tibi. Tu quoque magnus Regum Rex vulneratus es, & occiſus, ſicut nos. Et qui te ſuperiorem longè arbitrabare, eamdem nobiſcum fortunam ſubiiſti.

11 Ecce ad inferos vſque gloria tua, atque ſuperbia deiecta eſt: cadauer tuum, cui tu ſepulcrum magno ſumptu, atque arte paraueras, concidet in aliorum cadauerum aceruum, vbi cum illis eodem omnino modo, fœdè, atque ignominioſè putreſcet. Erit itaque pro ſtrato tibi, & culcitra tinea, atque putredo; pro operimento vermis, & tabes.

12 Quomodo Rex Babylonico apparatu ſplendide, & illuſtris tam ignominioſè, ac turpiter cecidiſti: qui illam præ te lucem, atque ſplendorem ferebas, quam matutinus Lucifer, cùm mundo ſe primum videndum præbet. Qui Gentibus aliis terrori, atque exitio fueras; tu quoque exanimis cum Gentibus corruiſti.

13 Qui tecum ſic apud animum tuum meditabare, dicebáſque. In cœlum vſque conſurgam: ſuper aſtra meum mihi ſolium ſtabile locabo. Sedebo in templo, ſeu tabernaculo fœderis,

6 *Contriuit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium, cædentem populos in indignatione, plaga inſanabili, ſubiicientem in furore Gentes, perſequentem crudeliter.*

7 [d] *Conquieuit, & ſiluit omnis terra, gauiſa eſt & exultauit.*

8 [e] *Abietes quoque lætatæ ſunt ſuper te, & cedri Libani, ex quo dormiſti, non aſcendit, qui ſuccidat nos.*

9 [f] *Infernus ſubter conturbatus eſt in occurſum aduentus tui, ſuſcitauit tibi gigantes. Omnes principes terræ ſurrexerunt de ſoliis ſuis, omnes principes nationum.*

10 *Vniuerſi reſpondebunt, & dicent tibi, Et tu vulneratus es ſicut & nos, noſtri ſimilis effectus es.*

11 [g] *Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua, concidit cadauer tuum:* [h] *ſubter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.*

12 [i] *Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer, qui manè oriebaris? corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes.*

13 *Qui dicebas in corde tuo.* [k] *In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum,* [l] *ſedebo in monte teſtamenti,* [m] *in lateribus Aquilonis.*

14 [n] *Aſcen*

deris, ſeu potiùs templo illo ſubuetſo, in monte teſtamenti, in ciuitate Ieruſalem quæ ſita eſt in eo montis latere, quod in Aquilonatem pattem ſpectat.

14 [n] *Aſcendam ſuper altitudinem nubium,* [o] *ſimilis ero altiſsimo.*

14 Attollam illuſtre, ac diuinum caput ſupta reliquos Reges, atque adcò ſupra nubes. Similis ero Deo non cuicumque ex numero vulgarium Deotum, ſed illi, qui ab Iſraele frequenti compellatione, ac ptoptiè altiſſimus vocatur.

15 [p] *Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci.*

15 Sed longè te fallet ſtulta illa, & vana cogitatio. Neque enim ſupra nubes aſcendes, & ſupta ſummum cœlorum; ſed in infetnum, atque in eius infimum, & abiectiſſimum locum maior te deprimet potentia.

16 *Qui te viderint, ad te inclinabuntur, téque proſpicient. Nunquid iſte eſt vir qui conturbauit terram, qui concuſsit regna: Qui poſuit orbem deſertum, & vrbes eius deſtruxit, vinctis eius non aperuit carcerem?*

16 Qui te in eo loco, atque in ea fortunæ conuerſione viderint deiectis, atque inclinatis oculis in illum infimum locum, quò tua te ſuperbia depreſſit, ſic ſecum dicent admirabundi. Hiccine vir eſt, qui terræ ſui nominis terrorem obiecit, & illam ſæpe armorum ſtrepitu conturbauit? qui regna bellorum motu concuſſa in otio, ac pace viuere non permiſit? qui ſic orbem afflixit, vt in ſolitudinem redegetit? eiúſque ciuitates demolitus ſit? qui quos ſemel in vincula, & tenebras contrudi iuſſit, lucem ac libertatem intueti noluit?

17 [q] *Omnes reges Gentium vniuerſi dormierunt in gloria; vir in domo ſua.*

17 Omnes Reges alij honeſtam, & Regiam ſepulturam nacti in domo ſua, id eſt, patentum ſuotum monumentis, requieſcunt glorioſi, non confuſi, aut permixti cum ignobili tutba, aut inhumati, atque proiecti turpiter.

18 [r] *Tu autem proiectus es de ſepulcro tuo* [s] *quaſi ſtirps inutilis,* [t] *pollutus, & obuolutus cum his qui interfecti ſunt gladio, & deſcenderunt ad fundamenta laci, quaſi cadauer putridum.*

18 Sed tu nullum habes neque honeſtum, neque certum locum, vbi quieſcas: proiectus longè ab eo ſepulcro, quod tibi proprium fore putaſti; eradicatus quaſi inutilis planta; confuſus cum his, qui gladio ceciderunt, quíque in foſſam cateruatim coniecti ſunt, in eiúſque profundum altè demiſſi. Erit itaque in eotum aceruo cadauer tuum teſolutum in ſaniem, non patrio more conditum aromate, quod à tabe vendicet, & putredine.

19 *Non habebis conſortium, neque cum eis in ſepultura: tu enim terram tuam diſperdidiſti, tu populum tuum occidiſti: non vocabitur in æternum ſemen peſſimorum.*

19 Non cum aliis Regibus, atque ptincipibus aut Regium funus, aut ſepulturæ honorem conſequeris, neque id ſine magno tuo merito, cùm ciuitates tuas excideris, & populum tuum mille modis antea vexatum fetto ſuſtuletis. Quare nullum poſt mortem erit tui nominis ſtabile monumentum; non ſepulcrum vt audiſti; non filij, qui multò meliùs quàm muti lapides patentis memotiam poſteritati commendant. Neque enim diu ſtabit peſſimorum hominum ſuſcepta ſoboles, neque illius nomen erit diututnum.

20 [v] *Præparate filios eius occiſioni in iniquitate patrum ſuorum: non conſurgent, nec hæreditabunt terram,* [x] *neque implebunt faciem orbis ciuitatum.*

20 Vos ergo Perſæ, quos meotum conſiliorum adminiſtros habeo, propter paternum ſcelus filios quoque neci quamptimum date. Non conſurgent ad Regios titulos, neque paterno tegno hæredes ſuccedent; neque, quod impius pater fututum ſibi pollicebatur, ſub impe-

21 Et

rio

tio ſuo totius orbis ciuitates habebunt.

21 In filios quoque peſſimi patris infenſas manus & ſigna conuertam, & cum impij Regis poſteritate Babylonis etiam in ſempiternam obliuionem delebo. Neque eius patiat quicquam eſſe reliquum, non germen, non propaginem, non denique, quod aliquid redoleat Babylonicũ.

21 Et conſurgam ſuper eos, dicit Dominus exercituum: & perdam Babylonis nomen, & reliquias, & germen, & progeniem, dicit Dominus.

22 Eò autem redigam ſceleratam vrbem, vt eam habitandam relinquam erinaceo, vtpote hominum habitationi parũ opportunam; quam nimirum cœnum opplebit, & humor paluſtris. Et quò antiquæ molis, & ſuperioris gloriæ nullum ſuperſit veſtigium, quaſi qui ſcopis domum euerrit, ne quid remaneat ſordium, ſic ego ſcopis eam accuratè purgabo.

22 Et ponam eam in poſſeſſionem ericy, [y] & in paludes aquarum, [z] & ſcopabo eam in ſcopa terens, dicit Dominus exercituum.

23 Ne verò quiſquam de Babylonis excidio, aut Aſſyriorum repentina plaga, & duorum Regum Syriæ, atque Samariæ interitu dubitet, hoc ipſum Deus iureiurando confirmat; neque ſibi in aliis fidem haberi vult; ſi non eodem prorſus modo prædicta compleuerit, quo ab ipſo cogitata, ac definita ſunt.

23 [aa] Iurauit Dominus exercituum, dicens, Si non vt putaui, ita erit: & quo modo mente tractaui, ſic eueniet.

24 Eſt autem à me definitum, dicit Dominus, vt in terra, ac poſſeſſione mea, nempe in regione Iſraelitide, & in montibus meis, in regione Iuda vtique montoſa, conteram Aſſyrium exercitum ſub Senacherib: & auferam iugum, & onus quod ciuium, quos ſibi ſubiugarat, ceruicibus impoſuit.

24 [bb] Vt conteram Aſſyrium in terra mea, & in montibus meis conculcem eum, & auferetur ab eis iugum eius, & onus illius ab humero eorum tolletur.

25 Hoc eſt conſilium, quod mente deſignaui contra omnes etiam regiones illas, quę populum meum aut conciderũt, aut vexauerunt armis, aut aliqua ratione aliquid in illũ meditatæ ſunt. De quibus poſtea ſigillatim multa. Et hoc eſt opus, quod manus mea in illarum vltionem, & perniciem aſſumet.

25 Hoc conſilium quod cogitaui [cc] ſuper omnem terram, & hæc eſt manus extenta ſuper vniuerſas Gentes.

26 Hæc eſt diuinæ mentis cogitatio, quis eius poterit prohibere conſilium? manus eius ad illud opus armata, atque intenta eſt, quis vim omnipotentis dexteræ infringet, aut ab eo, quod deſtinauit vulnere retardabit?

26 Dominus enim exercituum decreuit: & quis poterit infirmare? & manus eius extenta: & quis auertet eam?

Prophetia contra Palæſtinam.

27 Iam oſtendit Dominus quid à ſe contra nationes, quæ in Iſraeliticum nomen conіurarunt, aut infenſæ fuerunt, definitum ſit. Et primum hoc durum vaticinium denunciari iuſſit Palęſtinæ eo anno, quo regno, vitáque defunctus eſt Achaz.

27 [dd] In anno quo mortuus eſt Rex Achaz, factum eſt onus iſtud.

28 Ne te vſque adeò Palæſtina, lętitia efferas, quaſi iam Deus omnino virgam illam confregerit, qua te per Iudices, ac Reges Iſrael variè percuſſerat. Succedet namque illis contra caput tuum princeps Ezechias, qui multò quàm alij vehementiùs, & duriùs vires tuas affligat, & potentiam infirmet: quemadmodum ſi de ſemine colubri naſcatur regulus, multò nocentior, qui volucres noxio halitu etiam volantes abſorbeat.

28 [ee] Ne læteris Philiſtæa omnis tu, quoniam comminuta eſt virga percuſſoris tui: [ff] de radice enim colubri egredietur regulus, [gg] & ſemen eius abſorbens volucrem.

29 [b b] *Et paſcentur primogeniti pauperum, & pauperes fiducialiter requieſcent : & interire faciam in fame radicem tuam, & reliquias tuas interficiam.*

29 Illi qui inter afflictos, & pauperes primo apud me loco ſunt, dieique iure poſſunt eorum primogeniti, in ſuum ordinem, & poſſeſſiones, reſtituti, ibi quieti, atque ſecuri paſcentur. Te verò interim, progeniémque tuam inopia, faméque conficiam; quod denique è Philiſtino genere reliquum fuerit, gladio cadet.

30 [i i] *Vlula porta, clama ciuitas: proſtrata eſt Philiſtæa omnis :* [k k] *ab Aquilone enim fumus veniet, & non eſt qui effugiet agmen eius.*

30 Vlula, & tibi ipſi extremo, & quaſi funebri luctu exequias para, ô porta, vbi præcipua nobilitas, & firmamentum ciuitatis. Vlula tu quoque promiſcuũ vulgus, quia iam actum eſt de tota Philiſtæa. Ab Aquilone enim exercitus veniet qui incendium tibi, & vaſtitatem inuehat; à qua, qui ſe tutò fugiendo ſubducat, nemo eſt.

31 [l l] *Et quid reſpondebitur nunciis gentis? Quia Dominus fundauit Sion,* [m m] *& in ipſo ſperabunt pauperes populi eius.*

31 Cùm alij populi iuxta communem Gentium conſuetudinem gratulatum venerint Ezechiæ de parta victoria, attritíſque iam tandem Palæſtinæ viribus: ſi quis quærat quid legatorum gratulationi reſpondendum ſit, dicemus gratias nos agere immortali Deo; cuius benignitati beneficium iſtud acceptum aſcribimus. Qui ſtatuit ſtabilire, & confirmare Sion: In quo vno deinceps, qui pauperes, & afflicti fuerint in eius populo, ſpem certam locabunt. Hæc erit reſponſi ſumma, quam à nobis ad ſuos referẽt legati.

IN CAPVT DECIMVM QVARTVM COMMENTARIVS.

1. [a] MISERERITVR *enim Dominus Iacob*, &c. vſque ad *ante ſeruiſti.*] Hinc iam propheta populo Iudaico non ſolùm reditum à captiuitate, ſed antiquam etiam gloriam, & ornamenta pollicetur: futurúmque dicit, vt illi iidem, quorum antea tyrannidi ſeruiebant, mutata fortuna ipſorum iugo ceruicem ſupponant. Hæc aperta ſunt: & de hac rerum viciſſitudine pluribus nos egimus in Zachariam *ad cap.* 9. *&* 10. Item quomodo ex Gentibus plurimi Iudaici populi rediuiuam gloriam admirati geſtirent adiungere ſe non modò ſedibus, ſed etiam religioni Iudæorum. Neque apparet creditu difficile, ſi Babylonios dicamus Iudæorum imperium ſubiiſſe. Cùm enim victi eſſent à Perſis, & iure belli non ſolùm autoritate, atque opibus, B ſed etiam libertate ſpoliari potuerint, quid mirum ſi à Cyro bene in Iudaicum genus animato, captiui in ſeruos dati fuerint Hebræis, aut etiã vt in ſeruos emerentur, ab eodem permiſſum. Et de Dario Hiſtaſpi minùs incertum eſt, qui grauiùs erat in Babylonios affectus, propterea quòd contra ipſum ſecundò rebellaſſent. Quos dum is mulctauit diruta magna murorum parte, vt Herodotus docet *lib.* 3.

2. [b] *Sumes parabolam iſtam contra Regem Babylonis. Quomodo ceſſauit?*] In eo quod reliquum eſt carminis, nihil ferme continetur aliud, quàm lugubre quoddam carmen, ſiue epicedium, quo Regis Babylonis ſubitum, & planè miſerabile lugeA rent exitium. Eſt autem vſitatum inter Hebræos vt familiari hac, & penè legitima forma incipiant lamentationes & epicedia. Sic Dauid in lugubri cantu pro Saul 2. *Reg.* 1. *Quomodo ceciderunt fortes.* Sic Ieremias *in Threnis* ſæpe. *Quomodo ſedet ſola ciuitas?* & iterum, *quomodo obſcuratum eſt aurum?* Quare hoc lugubre canticum bis ab eadem particula orditur Iſaias. Cæterùm *Parabola* non ſolùm eſt ſimilitudo aliqua ſeu comparatio, ſed etiam grauis aliqua, atque illuſtris ſententia, quæ plerumque dicendi figura, aut genere ipſo ſermonis obſcura eſt. Qualia eſſe ſolent, quæ à Græcis dicuntur ἀποφθέγματα. Hebr. משל *maſal*, quo nomine Salomon ſua inſcripſit prouerbia. Quia ergo hæc, quæ de Rege Babylonis dicuntur, grauia ſunt, & B noua quadam, ſubobſcura, & figurata dicendi forma propoſita, *parabola* dicuntur; Neque deeſt hîc aliqua comparatio, quæ parabolæ plerumque nomen dat: quæ latet in allegorico ſermone, quo antiquus ſplendor Regis; & deinde horribilis, atque improuiſa calamitas deſcribitur. Similiter illud encomium Iſrael planè eximium, quod figurato ſtylo, & pulchris ſimilitudinibus admixtis cecinit Balaam *Num. cap.* 23. *&* 24. *Quàm pulchra tabernacula tua Iacob*, &c. *Parabola* vocatur.

Quomodo familiaris vox in luctu.

Parabola quid.

[c] *Quomodo ceſſauit exactor, quieuit tributum.*] 3.
Hæc eſt parabola, & lamentatio funebris, quam ſuper Regem Babylonis aſſumere iubetur Iſaias. Quæ omnino ſignificat quàm auarus Rex ille fuerit in imponendis ſubiecto populo tributis, quàm ſeue-

rus

rus & durus in exigendis. Quàm præterea crudelis dum nationes alias debellat, & suo ſibi ſubiugat imperio; & quàm inhumanus, atque inſolens in ſubiectarum ſibi nationum moderatione. Cætera obſcura non ſunt, quæ mirè amplificant, & oculis penè ſubiiciunt tyrannicum imperium, ſub quo gemere ſolent oppreſſi populi.

4\. *Silentiũ modò triſte aliquid, modò lætum ſignificat.*

d *Conquieuit & ſiluit, omnis terra gauiſa eſt.*] *Silere*, vt *cap.* 1. diximus ad illud *vide vt ſileas*, non ſolùm ſignificat animi conſternationem, ac metum, qui non ſinit quemquam hiſcere, ac mutire, ſed etiam otium, ac quietem. In quo ſenſu videtur explicandus hic locus, ita vt idem ſit *ſiluit*, quod *quieuit*. cùm ſilentium *quietem*, & ſilere, *quieſcere* ſignificet, facilè ex adiunctis coniectare licebit, an proſperum aliquid, vel aduerſum importet. Si de cantu feſtiuo ſermo fuit, aut de materia lætiori aliquid anteceſſit, non dubium quin *ſilentium* aliquid indicet aduerſum, & lugubre; ſin aliquid funeſtum, & triſte, *ſilentium* procuIdubio feſtiuum indicat aliquid, & ſuperiori fortunæ contrarium. Cùm autem præceſſiſſet dura ſeruitus eorum, qui Babylonico ſuberant imperio, dum quies prædicitur, & ſilentium, finis oſtenditur illius ærumnoſæ fortunæ, & nouæ vitæ, & optatæ libertatis initium. Et hoc confirmat quod ſtatim adiungitur, *Gauiſa eſt & exultauit*, nempe omnis illa terra, quæ conquieuit, & ſiluit.

5\. *Montes, atque arbores Regum, & regnorũ ſymbola.*

e *Abietes quoque lætatæ ſunt ſuper te, & cedri Libani: ex quo dormiſti, non aſcendet, qui ſuccidat nos.*] Non ſemel apud noſtrum prophetam excelſi montes, quales ſunt Libanus, Carmelus, & Baſan, pro Regibus, Regnorúmque viribus vſurpantur; item proceræ, atque robuſtæ arbores, vt hîc abietes, & cedri. Comparat ergo hic Principes & regna cum lignis ſyluarum; Regem verò Babylonis cum lignatore, aut ſecuri, qui ligna cædit, & ſyluam ſuo populatur ornamento. Cùm autem non ſubditi tantùm proceres, aut vicini Reges, ſed etiam longè diſſiti à Babylonica potentia multa paterentur quotidie, & maiora formidarent: vbi cecidiſſe vident inſolentem Regem, ſeu lignatorem durum, & ſibi nil iam amplius ab ea ſecuri metuendum, inſultant victo Regi, ſibique gaudent quòd iam ſecuro eſſe poſſint atque otioſo animo.

6\. f *Infernus ſubter conturbatus eſt in occurſum aduentus tui: ſuſcitauit tibi Gigantes.*] Pulchra eſt idolopœia, quæ mortuis ſenſum, & ſermonem attribuit. Non tantùm principes viui, quos ſublimium modo arborum nominibus expreſſerat propheta, inſultant extincto Regi Babylonis, ſed etiam mortui, illi nempe, vt inquit Hieronymus, quos aut è regno depulerat, aut vita ſpoliarat. Mortui itaque Principes, ad inferos deſcendenti Babylonio aſſurgere finguntur, illúmque excipere libero, procacíque conuitio, non aliter atque cùm princeps aliquis vir in conuentum frequentem hominum ingreditur, tumultuantur omnes, turbantúrque, ac certant illum in honeſtiſſimum locum ſeſſum admittere. Sic *infernus* tragicè *conturbari* dicitur, dum maximè infernum homines, id eſt, iam omnium infimum in deterrimum locum ſeſſum inuitat. *Gigantes*, qui hoc loco dicuntur excitandi, potentes homines ſunt, qui cùm grauiter torqueantur, Regi tamen Babylonis in tormentis primum concedent locum.

7\. *Infernum* hîc multi pro æterno damnatorum carcere accipiunt, & qui aſſurgere finguntur, occurreréque aduenienti Regi eſſe eos, qui Gehennæ flammis ſunt in æternum addicti: Ita S. Hieron. S. Thom. Hugo, Dionyſius: iuxta quorum ſententiam ſuperiora explicuimus. Alij ferme omnes nihil ſtatuunt, ſed quaſi aliis liberum relinquunt vt *infernum*, aut pro *ſepulchro* capiant, aut pro *gehenna*. Vatablus, & Montanus *ſepulchrum* eſſe putant, quod mihi videtur magis ad totum textum, qui de cadauere, atque his, quæ cadaueri infeſta ſunt, & propriè loquitur, vt conſtat, neque vllum verbum eſt quod gehennale ſupplicium oleat. Et cùm multò ſit grauius, atque horribilius quod impiorum animæ in gehenna, quàm quod illorum corpora in ſepulchro patiuntur, tamen vulgò homines, ad quorum ſenſus ſermonem accõmodant nonnunquam prophetæ, illis magis mouentur, quæ oculis cernunt, quàm quæ animo meditantur. Quare priori gloriæ, deliciiſque mundis & elegantibus, ſquallorem obiicit ſepulturæ, & tabem cadaueris, & vermium ſcatebras. Hæc verò multò probabunt magis quæ ſequuntur. Hic mortuorum dialogiſmus cum mortuo Rege, cuius antiquum ſplendorem contemnunt, & præſenti calamitati atque ignominiæ inſultant; ſimilis eſt dialogis illis, in quibus magni principes à mortuis irridentur. vt apud Lucianum Alexander, Mauſolus.

8\. g *Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua, concidit cadauer tuum.*] Poſtea dicemus *num.* 31. quomodo Rex Babylonis inſepultus extabuerit. Quare dicitur concidiſſe eius cadauer, non aliter atque ſi canis eſſet aut aſini, qui in ſtercore fœdè atque ignominioſè putreſcunt: ſicut de Ioacim dixit Ieremias *cap.* 22. *verſ.* 19. *Sepultura aſini ſepelietur putrefactus, & proiectus extra portas.* LXX. pro *cadauere* reddidere *lætitiam*. Ratio varietatis fuit in diuerſa notatione vocis Hebraicę נבל, cui, ſi geminum Segol ſubſcribas, *nablum* ſignificat, id eſt, inſtrumentum muſicum, quod ſignum eſt lætitiæ; Si geminum Camez, *cadauer*. Et ita ſine dubio legit noſter interpres.

Sepultura ignobilis Regis Babylonis.

9\. h *Subter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.*] Quaſi dicat, Aſſyrij Reges, & Babylonij cadauera & pretioſis condiunt vnguentis, ne grauiter oleant, & multo aromate curant, durántque, ne tabe ſoluantur, ac putreſcant. (Vide quanto hæc ſtudio curent Aſſyrij apud Strabonem *lib.* 16. & de Babyloniis apud Herodotum *lib.* 1.) Sed accidet longè aliter Regi Babylonio, qui vulgari ſepultura, ſeu potiùs, vt dicemus ſtatim, nulla ſepultura condetur. Quare neque pretioſi tapetes ex aureo texto ſubſternentur regio cadaueri, neque ſtragulis operietur Babylonica arte elaboratis, id eſt, verſicolori filo elegãter intertexto diſtinctis; ſed pro illo ſepulturæ honore vermibus vndequaque, ac ſanie operietur. Quia vt ſtatim conſtabit magis, cum turba illorum, qui in bello ceciderunt, ignobilis iacebit. Quare ſupra ſe habebit, & infra ſe cadauera, quorum vermibus operietur, & ſanie.

10\. i *Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris.*] Hoc loco mirè variant antiqui Patres, dum quærunt, quiſnam ſit iſte Lucifer antea ſplendidus, ac pulcher, poſtea verò tam teter, & obſcurus. Leo Caſtrus putat ex ſententia Euſebij illud ſuperius, *Infernus ſubter te conturbatus*, ad Chriſtum crucifixum, & mortuum pertinere, cui principes, & poteſtates tenebrarum, quæ verſantur in hoc aëre; & qui torquentur in tartaro, occurrerunt Chriſto iam mortuo, ac inſultantes obiecerunt, quòd ipſe quoque ſicut cæteri alij mortis ne-

ceſſi

ceſſitatem non effugerit: Cùm autem ille idem ſit, qui à mortuis irridetur, & qui modò *Lucifer* appellatur, planè iuxta explicationem illam Chriſtus eſt Lucifer, de quo nunc Iſaias. Sed omnino Euſebius loco à Leone Caſtro citato, nihil minùs cogitauit. Cùm enim dixiſſet oraſſe Chriſtum à Patre, vt ſibi adeſſet morienti. *Ne recedas*, inquit, *à me, quoniam afflictio propè adeſt, quoniam non eſt qui adiuuet.* addit ſtatim. *Credibile autem eſt vidiſſe infernas quoque, ac tartareas belluas, agreſtes atque formidabiles, de quibus Iſaias ad eum qui de cœlo ceciderat Luciferum ſermonem intendens ita loquebatur. Infernus ſubter te conturbatus eſt, in occurſum aduentus tui ſuſcitati ſunt tibi omnes gentes.* Hæc Euſebius. Quæ quis non videt diſtare quàm lõgiſſimè ab eo quod Leo Caſtrus putat. Neque maiori fide citat hic autor multa antiquorum patrũ teſtimonia.

11. Communiter Patres in *Lucifero* intelligunt Satanam, quem de cœlo præcipitem ſuperbia in tartarum deiecit. Neque neceſſe eſt auctores huius ſententiæ commemorare, cùm omnes fermè antiqui ſint. Origenes *lib. 1. periarchon. cap. 5. & lib. 4. cap. 2.* Euſebius *ſuprà.* Athanaſ. *de paſſione & cruce Domini.* Tertul. *lib. 5.* aduerſus Marcionem *cap. 11. & cap. 17.* Ambroſ. *in Pſal. 118. ſerm. 3.* Cyprianus *epiſt. 55. ad Cornelium* de Antichriſto accipit.

Communiter interpretes hæc de Rege Babylonis accipiunt hiſtorico ſenſu: allegorico tamen de diabolo, quod credo etiam dicerent auctores ſuperioris ſententiæ, ſi de ea re plura, aut non caſu in illum locum incurrentes pauca dixiſſent. Vnum excipio Origenem, qui id omnino negat. Ita Hieronymus, Cyrillus, S. Thom. Haymo, Dionyſius, & cum his etiam Auguſtinus *lib. 3. de doctrina Chriſtiana cap. 37.* & Gabriel Vazquez *in 1. part. S. Tho. diſput. 231. cap. 4.* Et quidem quòd de Rege Babylonis ſermo fiat, expreſſè eſt in textu; & ſuadet totius capitis contiocos filum. Sed eſt adhuc obſcurum, quis ſit iſte Rex Babylonis, cui tam durum propheta vaticinium denuntiat. Communiter omnes cum Hieronymo cenſent eſſe Nabuchodonoſor, de cuius ſuperbia, ſtultáque cogitatione, qua ſibi erecta aurea ſtatua diuinos honores à ſuis depoſcebat, agit Daniel *cap. 3.* Quare quæ ſtatim dicuntur de affectata diuinitate, optimè quadrant in Nabuchodonoſor.

12. Ieremias *cap. 50.* vbi de hac Babylonici imperij ruina, Regiſque interitu loquitur, eodem penè modo, quo Iſaias, (à quo videtur expreſſiſſe, quæ in eo tradit capite) Regem illum appellat Merodach. Sic enim de illo *verſ. 2.* *Capta eſt Babylon, confuſus eſt Bel, victus eſt Merodach.* Vbi licèt aliqui putent Merodach nomen eſſe idoli, in quibus ſunt quidam Hebræorum magiſtri, cum quibus etiam ſentiunt Dionyſius, Vatablus, & Maldonatus, ſed eſt longè veriſimilius, eſſe non idolum, ſed Regem Babylonis, vt putat Theodoretus, Hugo, & inclinant Dionyſius & Lyra; qui etiam addunt hunc eſſe eſſe Balthaſarem, ſeu, quod idem eſt, extremum Chaldæorum Regem.

13. *Balthaſaris prædicitur ruina.*

Mihi omnino videtur hunc Regẽ eſſe Balthaſarem, quia quæ toto dicuntur capite, aut nullo modo, aut non niſi admodum contortè ad Nabuchodonoſor accommodari poſſunt, vt quòd ſine prole diſceſſerit, quæ pro illo regnet; quòd honore ac religione ſepulturæ careat: & quod caput eſt, quia de illo Iſaias loquitur, qui à Perſis, & Medis ſubiugandus eſt. Neque nomen *Merodach* huic explicationi quicquam incommodat. Nam ſicut *Pharao* nomen erat olim commune Ægypti Regibus, deinde poſt Alexandrum *Ptolomeus*; & *Caſar* Romanis imperatoribus: ſic etiam *Merodach* commune videtur nomen Regibus Babylonis. Quod nomen ſicut Regnis aliis ille primus dedit, qui primus etiam in illis regium nomen obtinuit. At Merodach primum in Babylone regnaſſe tradit Theodoretus *in cap. 50. Ieremiæ.* Quare alij quoque Reges ſic appellati ſunt, vt qui legatos hoc ipſo tempore, quo hæc ſcribuntur, miſit ad Ezechiam, gratulatum de recuperata valetudine *4. Reg. 20. & Iſai. 39.* quem Hebræi, vt dicit Hieronymus *cap. 39. Iſaiæ* patrem eſſe putant Nabuchodonoſor, ſed falsò, vt nos ibi probamus. Et rurſus *4. Reg. cap. 25. verſ. 27.* legitur *Rex Babylonis Euilmerodach.* quod omnino idem nomen eſt quod ſuperior: quaſi *Euil* nomen ſit proprium hominis, *Merodach* commune Regum, ſicut dicitur *Tiberius Cæſar, Darius Hiſtaſpis, Ptolomeus Philadelphus*, &c. Quare exiſtimo *Merodach* appellari Balthaſarem communi omnium Regum nomine.

Merodach cõmune nomẽ Regum Babylonis.

14. Nunc videndum quo ſenſu, aut figura orationis dicatur Lucifer iſte, ſeu Rex Babylonis cecidiſſe de cœlo. Mihi certum eſt ſupplendam hîc eſſe ſimilitudinis notam, hoc modo. Quomodo cecidiſti de cœlo, ô Rex Babylonis, qui, quaſi Lucifer matutinus ſplendidus oritur, tu quoque oriebaris. Sed eſt dubium an eum Angelu, qui de cœlo cecidit, qui ex hoc Iſaiæ loco communiter appellatur *Lucifer*, comparetur: an cum ſtella matutina, quæ lucidiſſima eſt, & à Latinis *Lucifer*, à Græcis *Phoſphorus* dicitur. Videtur ſanè cum Angelo comparari poſſe non incongruè, ita vt ſit argumentum ab exemplo: Nam cùm Rex iſte Babylonis ſuperbiſſimus eſſet, ſibique putaret nihil non deberi: adducit exemplum ſuperbiſſimi ſpiritus, qui cùm ſibi nimiùm de ſua pulchritudine placeret, & honores appeteret ſibi non debitos, in barathrum demerſus æternam ſuſtinet ignominiam: vt qui illius imitabatur arrogantiam, eiuſdem caſum & exitum perhorreſceret. Quomodo Chriſtus ad diſcipulos *Lucæ cap. 10.* Qui cùm de fugatis à ſe dæmonibus gloriari, aut certè plus ſatis exultare viderentur, illos Satanæ exemplo ab illa inani, atque ſuperba cogitatione, compeſcuit. *Videbam*, inquit, *Satanam tanquam fulgur de cœlo cadentem.* quaſi diceret. In vobis nunc intueri videor caſum illum horribilem, cùm Angelus ſpecioſus aurea, & naturæ nobilitate, eximiiſque dotibus illuſtris, quia ſibi aut plus tribuit, quàm habebat, aut plus appetiit quàm ipſi deberetur, in ſtatum miſerrimum, carcerémque æternum contruſus eſt: quem locum in eum ſenſum exponit Hieronymus *in hunc locum*, Cyprianus *tractatu de tentationibus, & ieiunio Chriſti.* & Gregor. *lib. 23. Moral. cap. 4.*

14. Lucifer quis.

Luc. 10.

15. Sed placet mihi magis ſententia illorum qui eum ſole aut ſtella matutina conferri putant Babylonij Regis gloriam. Ita Cyrillus, S. Thom Haymo, Adamus, Pintus, Emanuel Sa, & Chaldæus. Et eſt pulchra, & ab omnibus ferme ſcriptoribus in eam ſententiam vſitata comparatio: qui à Solis, aut Luciferi ſplendore, ac radiis lucem aſſumunt ad explicandam, & ornandam rei longè pulcherrimæ dignitatem. Longum eſſet cuncta percenſere, nunc pauca accipe. Virgil. *lib. 8. de Pallante.*

——Ipſo agmine Pallas
In medio chlamyde, & pictis conſpectus in armis:
Qualis vbi Oceani perfuſus Lucifer vnda

Extulit os ſacrum cœlo.

Quæ ſumpſit ex Homero *lib.5. Iliad.* vbi hæc eadem de Diomede. ſimiliter Theocritus *Idyl.* 18. *de Helena.*

Nam ſicut vbi nox alma receſſit
Os croceum cœlo profert aurora renaſcens.

Sed hoc non minùs vſitatum in Scriptura ſacra. Nam *Cant.* 6. (vnde ſine dubio ſuperiora ſumpſit Theocritus: vt nos in noſtris commentariis ſuper Cantica diximus) ſponſæ pulchritudo auroræ naſcenti comparatur, aſtríſque micantibus. *Quæ eſt iſta quæ quaſi aurora progreditur, pulchra vt luna*, &c. & Eccleſiaſticus *cap.* 50. de Simone Oniæ filio. *Quaſi ſtella matutina in medio nebulæ.*

16. Pro *Lucifero* Hebr. eſt. הילל בן שחר *helel ben ſachar Lucifer, filius auroræ.* Cur *filius* dicatur *auroræ* non eſt difficile coniectare, iuxta Hebraicum idioma, quo *filius* vocatur, quicquid in alicuius ſinu, atque complexu eſt, aut eſſe ab hominibus exiſtimatur. Quare *filiæ maris* dicuntur inſulæ, *filiæ pharetræ* ſagittæ. Cùm igitur matutina illa ſtella cum aurora naſcatur, & penè in ipſius ſinu, *filius auroræ* dicitur. Pro הילל *helel*, quod noſter reddidit *Lucifer*, quidam tranſtulerunt *vlula*, Vt Aquila, quod Hieronymus non improbat. Neque ſenſus eſt diuerſus, cùm ſtatim addatur id, quod neceſſariò Lucifero tribuendum ſit, vt, quod filius ſit auroræ, aut quod oriatur manè. Hic ergo auroræ filius vlulare iubetur.

17. Cùm comparatio hæc ſatis exprimat Regiam & excellentem dignitatem; tamen hæc multo magis quadrat in Reges Babylonis, nam vt pluribus docuimus ad illud *cap.* 7. *Aſtrum, Sydus Dei vri Rempham.* Perſæ, Aſſyrij, atque Chaldæi, qui ſummum Deorum ignem arbitrabantur, quæ ignia propria ſunt, aut affinia, ſibi arrogantiſſimè vendicabant. Quare *Solis* nomine ſalutabantur; & Aſiæ Solis nomen ſibi tribuebant. Et eo conſilio primi omnium coronam capiti ſuo impoſuerunt radiis diſtinctam, vt ſpeciem ferrent præ ſe radiantis Solis. Et in acie, aut cùm foras egrediendum eſſet, lux præferebatur, vt quaſi Lucifer matutinus ſolem præcederet ſubſequentem. Quod fecit Holophernes dux Aſſyrij exercitus; quem, vt habet Septuaginta tranſlatio, *Iudith cap.* 10. cùm egreſſus fuit è tabernaculo, vt Iudith aduenientem exciperet, lampades præcedebant. Quod non eſſe ad exigendas tenebras, ſed ad Aſſyrium faſtum ex patria conſuetudine, hinc fit planum: quia quo tempore egreſſus eſſe dicitur Holophernes, non erant vllæ tenebræ. Quia Iudith ad ortum diei exiit è Bethulia, priùs autem quàm ad Imperatoris tabernaculum euaderet, non parum moræ interpoſitum fuiſſe oportet. Tunc autem egreſſus eſſe dicitur Holophernes prælucente lampade. Accommodatè ad hanc conſuetudinem explico illud *Ierem. cap.* 1. vbi ſermo eſt de exercitu Chaldæorum. *Ollam ſuccenſam ego video.* Antecedebat enim Regem radiata corona ad ſolis ſimilitudinem ſplendentem, collucens ignis, quemadmodum Lucifer Solem antegreditur.

Aſſyrios, Chaldæóſque Reges ignis præcedebat.

18. Ad extremum non omittendum quod docet hîc Cyrillus, comparari hîc Regẽ Babylonis cum Lucifero, quia vt hic reliqua aſtra ſplendore ſuperat; ſic ille cæteros Reges potentia & dignitate. Qui vt oſtenderent in ſua eſſe poteſtate plurima Regna, quibus latè dominabantur, & quaſi imperio, aut iugo premerent Tyrãnnico, iubebant ex ſingulis prouinciis terræ aſportari glebam, & aquam in vaſculo: veluti ex parte quærentes totum, terram inquam & mare: quaſi domini eſſent rerum omnium. Et quidem, quod ad aquam pertinet, idem de Perſis docet Plutarchus in vita Alexandri, vbi tradit obſeruari ab ipſis in ærario ex omnibus fluminibus aquas, vt oſtenderẽt obtinere ſe omnium prouinciarum imperium. Quam credo conſuetudinem acceperunt à Babyloniis tranſlato iam imperio: nam ante illud tempus non ita latè dominabantur Perſæ, vt ſpiritus illos ingentes habere potuerint.

Perſæ omnium fluminum aquas, & prouinciarum glebas ſecum habent.

k *In cœlum aſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum.*] Imbuerat ſtolidos hominum animos ea cogitatio, vt crederent Principes, atque Heroës, vbi è vita exceſſiſſent, inter aſtra referri, aut inter cæleſtes Deos numerari, vt hic notat S. Thom. quomodo Heroës, & Hercules, Caſtor, & Pollux infixi cœlo, atque ibi ſplendere atque humana conſpicere exiſtimantur. Huc itaque cogitabat, aut etiam ſperabat fore vaniſſimus atque etiam ſtultiſſimus Babylonis Rex, cùm dicit *In cœlum aſcendam.* Quæ cogitatio de diuinitatis opinione, fortaſſe nata eſt ex hominum adulatione, qui cùm illuſtri compellatione, atque interdum diuina vaniſſimos iſtos, & ventoſiſſimos homines ſalutant, ipſis nimiùm credulis, & ſupra modum ambitioſis facilè perſuadent, in ipſis aliquid eſſe diuinum, aut diuino ſimile. Sicut *Actorum cap.* 12. *verſ.* 22. de Herode traditur, qui cùm Regia indutus veſte ad populum verba faceret, acclamauit multitudo, *Dei voces & non hominis.* Ille verò quia Deo non dedit gloriam, illam ſcilicet, quam ab aliis ſibi tribui videbat, id eſt, quia ſe Deum eſſe credidit, aut voluit, percuſſus ab Angelo à vermibus conſumptus eſt. 19.

20. Hæc omnia mihi probabilia ſunt, ſed exiſtimare aliquis poſſet in hac dicendi formula aliquid eſſe prouerbiale ſicut apud Latinos, cùm fortunam ſuam aliquis admiratur, & prædicat ſuam ſiue fœlicitatem, ſiue ſuperbiam, hoc explicat modo. *Digito cœlum attingo; in cœlo ſum; Deus ſum.* & Hiſpanus forma non diſſimili, cùm ſummam alicuius fœlicitatem, aut faſtum ambitioſum declarare vult, dicit. *Eſta en el cuerno de la luna.*

Prouerbiũ.

21. Sed eſt longè veriſimilius, Regem iſtum ad diuinos honores aſpiraſſe, quia verba ipſa in propria ſignificatione id præ ſe ferunt. Neque incredibile eſt, cùm alij Reges ſæpe id quoque tentauerint, & recèns in auo ſuo Nabuchodonoſor haberet exemplum: qui in aurea ſtatua honores ſibi diuinos deferri voluit. Et ad hunc ſenſum facilè poſſunt accommodari reliqua. Si tamen priùs obſeruemus ſpectaſſe Balthaſarem in ambitione ſua non alios ignobiles Gentilium Deos, qui ſuis etiam cultoribus interdum contemptui erant; ſed Deum, quem colebat Iſraël, de quo ſæpe à captiuis multa acceperat, atque admiranda prodigia; vt quòd ſedem haberet in cœlo, & templum omnium religioſiſſimum, & ornatiſſimum olim excitaſſet in terra, tempe in Hieruſalem, id eſt, in lateribus Aquilonis, & quæ deinde ſequuntur, quæ illius templi ſanctitatem, atque amplitudinem declarant. In tota hac ambitioſa oratione notam ſimilitudinis ſubaudio. Quaſi dicat ſuperbiſſimus hic Rex, Colar ab hominibus, ſicut Deus in cœlo colitur, aut etiam magis, & in terra ea religione, atque honore, quo in Ieruſalem, antequam euerſum eſſet templum, colebatur. Ex his reliqua obſcura non ſunt.

In

22. *In cœlum aſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum.*] Hæc ſatis perſpicuè indicant ſermonem non eſſe de Angelo, qui de cœlo, & ſolio ſupra ſydera eleuato cecidit. Neque enim dicere potuiſſet in ſua illa væſania. *In cœlum aſcendam*, &c. quando iam cœleſtem illam ſedem, & ſolium ſupra ſydera eleuatum obtinebat. Niſi fortè ſpiritum illum inſolentem creatum in hoc aëre, & rebus terreſtribus præpoſitum eſſe dicas; Quod Damaſcenus videtur exiſtimaſſe *lib.2. de fide cap. 4.* Sed hoc omnino pugnat cum communi Theologorum, Patrúmque ſententia, qui aut ſupremum eſſe ſtatuunt, aut è ſupremis vnum Angelum deſertorem.

23. [l] *Sedebo in monte teſtamenti.*] Hic ſubaudi particulam *Sicut*, id eſt, ſedebo ſicut Iſraelis Deus ſedere dicitur in monte teſtamenti. B *Mons teſtamenti* communi Patrum ſententia *templum* eſt. Dicitur verò *mons*, tum quia in monte Moria conſtructum, tum ob ingentem molem, propter quam, etiamſi in plano ſuum eſſet loco, mons tamen iure videri poterat. Dicitur *teſtamenti*, quia in eo erat arca Dei cum tabulis legis. Quo nomine appellatur ſæpe in Scriptura ſacra tabernaculum, cui templum ſucceſſit à Salomone conſtructum; vocatur enim tabernaculum fœderis, & teſtimonij, quæ idem omnino ſunt, quod teſtamentum.

24. [m] *In lateribus Aquilonis.*] Hîc etiam ſubaudi, *ſicut*, id eſt, colar in terra, putà in Babylone, aut alia quauis orbis prouincia, non aliter atque Deus in lateribus Aquilonis ab Iſraële colebatur. C Neque enim quo tempore hæc dicebantur à Balthaſare, templum erat, aut vrbs Solymitana, quam ſciebat à Nabuchodonoſor funditus eſſe deletam. Neque illam, vt eſt veriſimile, inſtaurare cogitabat, vt ibi Iudæorum ritu coleretur pro Deo. Vocatur autem Ieruſalem *latera Aquilonis*, quia in eo latere montium Sion, & Moriæ ſita eſt, quæ ad Regionem

Pſal.47. Aquilonarem ſpectat. Quo nomine vocatur *Pſal. 47. Latera Aquilonis ciuitas Regis magni.*

25. [n] *Aſcendam ſuper altitudinem nubium.*] Audierat credo Balthaſar à captiuis Deum ſæpe apparuiſſe in nubibus, atque in eis hominibus ſuam oſtendiſſe maieſtatem: vt probat curſus ille longus ab Ægypto ad terram vſque promiſſionis, vbi ſæpius Deus in nube viſus eſt. Vide *Exod. cap. 16.* D 19.24.33.34.40. Quare Dauid de Deo *Pſal. 103.* canit. *Qui ponis nubem aſcenſum tuum.* Quare Chryſoſt. *homil. 2. in Acta.* nubem, Dei vehiculum appellat; quod Deus in Aſcenſione ad Chriſtum miſit, vt eo ſymbolo diuinæ maieſtatis illum eſſe Deum oſtenderet. Quare no quid ſuæ deeſſet maieſtati, Rex ille non ſolùm impius, ſed etiam amens, dicebat aſcenſurum ſe quoque ſupra nubes, & inde non minora, aut pauciora editurum eſſe ſigna, quàm ediddiſſet olim Deus Iſraël.

26. Hæc mihi certiſſima ſunt, alij fortaſſe exiſtimabunt hic tantùm ſignificari ſtudium Regis, quo longè ſupra mortales alios efferri voluit; ita vt non ſolùm ſupra montes ſedeat, quod alij faciunt, E ſed etiam ſupra nubes quæ montibus ſuperiores ſunt, caput attollat, quod nemo fecit hominum. Quod tentaſſe videtur Nabuchodonoſor, qui cùm ſtatura eſſet neque maiori, neque anguſtiori humana, ſtatuam ſibi erigi iuſſit magnitudine Coloſſæa, altam nimirum 40. cubitis, id eſt, ea proceritate, vt cum nubium altitudine certare videretur: non ex vili materia, quæ ſitu putreſceret, aut æruginem traheret, ſed ex auro: quam ab hominibus

A adorari voluit. Sed ſanè quominus hæc expoſitio placeat facit, quòd alia explicatio facilior eſt, tótúmque textum & aperit magis, & meliùs implet: tum præterea quia, cum priùs aſcenſurum ſe in cœlum diceret Rex ille, quod longè montibus, ac nubibus ſublimius eſt, infinito propè ſpatio decreſceret oratio, quod in tanto oratore, & loco vſque adeo illuſtri dicendum non eſt.

[o] *Similis ero altiſſimo.*] Deus Iſraël altiſſimus 27.
dicebatur, & implorabatur à captiuis; quia hoc proprium erat & familiare illius Epitheton. Vt paſſim in Scriptura ſacra vides. Quare cùm illud nomen iterari ab exulibus Balthaſar audiiſſet, accepiſſétque nomen eſſe Dei, addit ad extremum ſimilem ſe omnino futurum illi Deo, quem populus captiuus toties altiſſimum implorat; Ac ſi dicat, Quid multis moror, dum ſingula commemoro, quæ mihi deberi puto? Quid cœli, quid nubium, quid montis teſtamenti, quid laterum Aquilonis memoria, aut poſſeſſione delector? Quidquid Hebræorum Deus, qui propter excellentem gloriam, & eximiam maieſtatem *Altiſſimus* vocatur, ab hominum religione, aut à ſua excellenti natura habet, id totum mihi à mea natura præſtari, & ab hominum obſeruantia comparabo. Denique vt vno verbo meum ſtudium ac cogitationem aperiam, ſimilis ero Altiſſimo.

[p] *Veruntamen ad infernum detraheris in profun-* 28.
dum laci.] Qui pro ſui nominis amplitudine non ſatis ſibi eſſe putabat montium faſtigia, nubium altitudines, ſed etiam ſuper aſtra in cœlo deberi ſibi locum arbitrabatur, eò deprimetur ignominiæ, vt quod in lacu infimum eſt, atque deterrimum, proprium ſibi, & æternum domicilium habeat. Eſt autem hic, vt reor, elegans luſus in ambiguitate Hebraici nominis ירך *ierech*, quod non ſolum *femur, & latera* ſignificat, ſed etiam *pedem*, & quod in quacumque re poſtremum, atque infimum eſt. Dixerat nuper ſuperbus Rex, Aſcendam בירכתי *berechathe*, id eſt, *in latera Aquilonis*; huic propheta dicit, detraheris quidem in בירכתי *berechathe*, ſed non in ea ſignificatione, quam tu mente complectebare; ſed in alia, quam minimè cogitabas, id eſt, *in profundum laci*, id eſt, in locũ omnino oppoſitum ſummo cœlorum, ad quod arrogantiſſimus tuus ſpiritus inhiabat. Quomodo verò non ſolùm ירכת *ierecheth*, *femur*, & *latera*, ſed etiam *pedem*, aut *infimum* ſignificet, docuimus ad illud *Cant. 7. Iunctura femorum tuorum.* Porrò *lacus* pro quo Hebr. שאול *ſeol*, non ſignificat *ſepulchrum*, ſed *infernum*, id eſt, æternam damnatorum cuſtodiam; tum quia periret elegans antitheſis ſummi loci, quem appetebat, & infimi, in quem demerſus eſt Rex Babylonis: tum etiam quia, vt mox dicemus, Rex iſte ſepultus non eſt.

Hic verò luſus, qui ex vocis amphibolia, ſiue 29.
paranomaſia naſcitur, non ſolùm apud profanos *Luſus* in amphibolia vocis apud Hebræos.
familiaris eſt, de quo Cicerò *lib. 2. de oratore*, ſed etiam apud ſacros. In quo genere ſunt illa Danielis *cap. 13.* Rogarat Daniel alterum è ſenibus ſub qua arbore vidiſſet Suſannam cum adoleſcentulo colloquentem; cúmque ille reſpondiſſet *ſub ſchino*, ſubiecit. *Ecce Angelus ſcindet te medium*, alluſit ad verbum σχίζω quod *ſcindere* ſignificat, à quo deriuatum videtur σχῖνος. Rurſus rogans alter de arbore, *ſub prino* reſpondit, cui ſectionem minatus eſt Daniel accommodatè ad nomen prini, quod deriuatur à verbo πρίζω, quod *ſerrare* valet, aut *ſecare*. Eodem modo *Ierem. cap. 1.* cum dixiſſet Ierem. 1.

viſam à ſe fuiſſe *virgam vigilantem*, & vt alij vertunt, *amygdalinam*, Reſpondit Deus, *Bene vidiſti, quia ego vigilabo.* Alluſit ad vocem Hebraicam שקד *ſakad*, quæ *amygdalum*, & *vigilare* valet. Hinc ego inueniſſe mihi videor cur *Iud. cap. 7. verſ.* 13. ex ſubcinericio pane, quem per quietem viderat Madianita, coniectauerit, venturum eſſe in caſtra Madian, Gedeonis gladium. Nam, ſi rerum naturas ſpectes, nil video commune eſſe *pani* cum *gladio*; imò potiùs omnia videntur eſſe contraria. Coniectauit autem optimè ex ambigua nominis ſignificatione. Nam לחם *lechem*, ſignificat *panem*, & *bellum*, ex ea coniunctione non naturæ, ſed ſignificationis coniectauit in *pane* ſignificari, aut gladium aut bellum, quod à Gedeone Madianitarum caſtris imminebat.

Iud. 7.

30. ¶ *Omnes Reges Gentium vniuerſi dormierunt in gloria, vir in domo ſua.*] Nunc inferiorem oſtendit hunc Regem aliis omnibus honore ſepulturæ. Reges enim alij, vtcumque malè ab hoc Babylonio iactati, dormiunt tamen in gloria: id eſt, nacti ſunt honeſtam, & regiam ſepulturam in domo ſua, nempe in parentum ſuorum ſepulchro, aut in eo quod digito poſſis oſtendere; non permixti, atque confuſi cum ignobili turba; aut inhumati, atque proiecti turpiter. Sed tu nullum habes, neque honeſtum, neque certum locum, vbi oſſa dormiant infelicia, quia diſperſa ſunt ſicut aſinorum oſſa quæ à canibus tracta, atque diſiecta multa conſteruunt, atque contaminant loca.

31. *Hebræorum fabula de Nabuchodonoſor.* ¶ *Tu autem proiectus es de ſepulchro tuo.*] Hîc Hebræorum magiſtri ſuo modo multa confingunt, qui putant hîc ſermonem eſſe de Nabuchodonoſor. Dicunt enim, vt refert Hieronymus, eius filium Euilmerodach regnaſſe ſeptem illos annos, quibus mutatus in belluam pater inter homines eſſe deſiit. Cùm verò menti iam reſtitutus, regno quoque reſtitueretur Nabuchodonoſor, ad mortem vſque illius in vinculis egiſſe Euilmerodach ſimul cum Rege Ioachim. Cùm verò rurſus mortuo parte vocaretur in regnum, neque tamen admitteretur ab omnibus, quia nonnulli extinctum eſſe negabant Nabuchodonoſor, vt fidem faceret oculis mortuum eſſe patrem, cuius vitæ ſuſpicio ſuis rationibus vehementer obſtabat, patrem effodiſſe ſepulcro, vncóque, & funibus publicè raptaſſe. Hęc paulò aliter Haymo & Hugo, qui cadauer Regium dicunt in trecentas partes fuiſſe diuiſum, traditúmque tandem auibus, quæ in diuerſas mundi plagas diſſeminarent; idque conſilio Ioachim. Sed quis non videat hanc fabulam eſſe, aut aliquid affine fabulæ; nam inprimis, vt paulò antè diximus, vaticinium hoc non eſt de Nabuchodonoſor; ſed de eius nepote Balthaſare, quia multa quæ deinceps dicuntur in illum conuenire non poſſunt. Vt quòd filij eius, de quo hîc ſermo, occidendi ſint, neque parenti in Regno ſucceſſuri: At non ſolùm Nabuchodonoſoris filius, ſed etiam nepos poſt ipſum regnauerunt. Balthaſaris verò filij mortuo patre regno potiri non ſunt, ſed ſimul cum patre, & imperio Babylonico communi cæde ſublati, de quibus dictum eſt, *Præparate filios eius occiſioni.* Deinde ille, contra quem hæ propheticæ minæ, talia paſſurus dicitur à Perſis, & Medis, vt liquet ex Iſaia *cap.* 13. & ex Ieremia *cap.* 50. & 51. At longè poſt extinctum Nabuchodonoſorem Perſæ, ac Medi ducibus Cyro, atque Dario in Babylonicos fines irruperunt. Deinde veriſimile non eſt filium quantumcumque impium, eo præſertim tempore, quo populum ſibi

A placare voluit, commiſſurum, vt paternum cadauer ex Regio extractum monumento, per ludibrium raptaret ſpectantibus aliis, quos non malè in defunctum Regem animatos eſſe coniectare poterat, quia opinione vitæ parentis è regno ſe pelli videbat; vt Hebræi tradunt. Hæc multò meliùs conueniunt in Balthaſarem poſtremum Regem Babylonis ex familia & genere Merodach, qui à Perſis, & Medis ſuperatus, & occiſus fuiſſe traditur *Dan. cap.* 6.

32. At durum eſſe dices Regem hunc Babylonis illatum non eſſe ſepulturæ; cùm effuſus exiſtimari poſſit de ſepulchro. Id enim ſibi videtur velle illud, *Proiectus es de ſepulchro tuo*; quod Hebræorum Doctores adduxit, vt fabulam illam ſomniarent, B quam modò retulimus. Sed huic obiectioni occurrit ſatis communis in omni ferme lingua loquendi conſuetudo. Nam cùm aliquid aut proximum eſt, vt fiat; aut in eo ſtatu, vt haberi pro facto poſſit, & de cuius ſucceſſu nemo dubitat, aut deſperat, etiam ſi quis illud non obtinuerit, ab eo tamen excidiſſe dicitur, aut pulſus eſſe. Qua ratione Imperator dicitur amiſiſſe victoriam, quam ſpe iam, & cogitatione deuorarat: Et quiſpiam è poſſeſſione depulſus, quam ſibi deberi exiſtimabat, & iure ſibi vendicabat, etiamſi nunquam pedem in illa poſuiſſet: & eiectus domo, quam ſibi ad habitandum conſtruxerat, etiamſi in illam nunquam eſſet ingreſſus. Hîc igitur de ſepulchro ſuo proiectus eſſe dicitur Balthaſar, in quod nunquam conditus C fuerat, quia in illum vſum ſibi parârat nouum, aut antiquum, & toti communi familiæ à patribus acceperat; neque futurum exiſtimabat, vt eius honore priuaretur.

Regula. Depulſus aliquis ab eo dicitur, in quo nunquã fuit, ſi iure, aut conſuetudine in eo eſſe debuit, aut potuit.

33. ¶ *Quaſi ſtirps inutilis.*] Ex diſciplina ruſtica ſtirpes illæ, aut trunci terræ infodiuntur, quæ vtiles futuræ cenſentur, & cuius ſubolem conſeruari volumus; ſi quis tamen ramus, aut truncus inutilis eſt, aut quia ignobilis, de quo nihil ſuaue, aut generoſum expectes: aut ſterilis, quales ſunt in plantis, quos ſtolones, aut nepotes vocamus: aut certè ſi quid aridum eſt, & quod nihil agricolæ promittat: illud terra non tegitur ad propagationem, ſed igni potiùs, aut obliuioni relinquitur, vt pereat: ſic Rex iſte, quaſi truncus inutilis, terræ, id eſt, ſe- D pulchro mandatus non eſt, ſed inter alia vulgi cadauera, quaſi in lignorum inutilium aceruum coniectus.

34. ¶ *Pollutus, & obuolutus cum iis, qui interfecti ſunt gladio.*] Qui in acie cadunt ſine in magna multitudinis ſtrage intereunt, aut inhumati relinquuntur, vt vultures paſcant, & canes, aut certè cateruatim in foſſam coniiciuntur, vbi fœdè putreſcunt, & vermibus ſcatent. Et hoc poſterius huic Regi contigiſſe ſatis inſinuat illud, *Subter te ſternetur tinea, & vermis erit operimentum tuum.* Quod communi ſepulturæ conuenit, & vulgari, in quam cùm pauperes, & magno numero, & nullo ordine coniiciuntur, ſupra ſe habent, & infra ſe cadauera, E quorum ſanie, ac vermibus vndique circumfunduntur, atque obuoluuntur. Quare Rex iſte pro pretioſa veſte magno ſtudio, atque arte elaborata, quæ regium tegit, & ſuſtentat cadauer; vermes habebit, qui operiant, & tineam, quæ ſubſtrata ſuffulciat abiectum corpus: quæ abundè ſuppeditabunt mortuorum acerui, qui eandem cum illo ſedem occupabunt. Hæc nullo modo in Nabuchodonoſor conuenire poſſunt, qui in pace obiit, & ſic patrio more conditus eſt aromate, neque ſolutus

eſt

eſt in ſaniem, neque extabuit in vermes: ſecus eſſet, ſi caderet cadente patria inter armatos hoſtes.

35. [u] *Preparate filios eius occiſioni*, &c. *non conſurgent, neque hereditabunt terram.*] Cum Rege ſemen quoque regium extinctum eſt: neque vllus iam ampliùs ex ea familia dominatus eſt. Quàm id alienum ſit à Nabuchodonoſor, quis non videt?

36. [x] *Neque implebunt faciem orbis ciuitatum.*] Hæc tranſlatio obſcura eſt, & ex ſententia Hieronymi alia non improbanda. Pro *ciuitatũ*, Hebr. עָרִים *hharim*, quæ vox, teſte Hieronymo *aduerſarios* valet, & *ciuitates*. Si *ciuitates* legas, vt eſt in Vulgato, ſenſus erit: Filij Regum Babylonis non implebunt faciem orbis, id eſt, totum orbem ciuitatibus ſuis, id eſt, non habebunt ſub ditione ſua totius orbis ciuitates. Eſt autem hoc Hebraicum idioma, vt *facies alicuius*, idem ſit quod *aliquis*, quomodo dicimus, *faciem venti, faciem gladij*, pro *vento*, & *gladio*, *faciem terræ*, pro *terra*. Sic nunc *facies orbis*, *orbis* eſt. Id verò hyperbolicè dicitur, ſeu certè verè, quia Reges illi vaniſſimi ſæpiùs prædicabant totius ſe orbis habituros eſſe dominatum. Vt de hoc regum poſtremo nuper vidimus, qui etiam iactabat patere ſuæ potentiæ aditum in cœlum. cuius imaginem aliquam videmus *Dan. cap. 4.* vbi talis viſio oblata Regi Babylonis, qualis ipſius erat frequens cogitatio. *Magna arbor, & fortis, & proceritas eius contingens cœlum: aſpectus illius erat vſque ad terminos vniuerſæ terræ.* Sed ſtatim ſubditur, quid de illa arbore Dominus cogitauerit: idem fere quod hîc ab Iſaia dicitur: *Succidite arborem, & præcidite ramos eius.* Si verò cum Septuaginta atque Chaldæo pro *ciuitatibus* legas *aduerſarios*, aut *bella*, vt etiam Pagninus vertit, ſenſus erit, Non implebunt Baltaſaris filij orbem infenſis caſtris, ſicut fecerunt parentes, qui bellicis motibus omnia turbarunt. Ita Cyrillus. Aut non erunt è ſemine Babylonio, ac Regio, qui ſe contra eos, à quibus ſunt è ſolio deiecti, commouere audeant, aut de repetendo Regno cogitare.

Facies orbis, pro orbe.

37. [y] *Et in paludes aquarum.*] Accommodatè hæc ad naturam, ſitúmque Regionis; nam Babylon in planicie ſita eſt, & à fluuio magno, eiúſque foſſis, ac riuis, aliò atque aliò deriuatis circumfuſa. Quare facile intellectu eſt, quomodo à cœno, atque paluſtri humore teterri futura ſit odoris, & hominum habitationi parum opportuna.

38. [z] *Et ſcopabo eam in ſcopa terens.*] Prouerbialis hyperbole qua ſignificamus ex aliqua re nihil omnino futurum eſſe reliqui. Nam inſtrumenta alia, aut ferramenta cœmentariorum, ſic diſcutiunt lateres, aut ſaxa, vt tamen ex antiqua mole pulueris aliquid relinquant. Sed ſcopæ totum euertunt, emundántque ſolum ab omni ſorde: & illa coniugatorum coniunctio, *ſcopabo in ſcopa*, accuratum ſtudium verrentis oſtendit; qui minutiſſimum quoque puluiſculum ſcrutatur, & abolet. Illud verò *ſcopa terens* accuratum aliquod ſtudium indicat: quaſi verrendum ſit pauimentum, non molli brachio, aut ſuſpenſa ſcopa, &, vt aiunt, per pectinem, ſed apprehenſa, & manu ſedula ac forti. Eodem orationis genere vtitur Ezechiel *cap. 26.* cùm idem minatur exitium Tyro, quod Iſaias Babyloni: *Et diſſipabunt muros Tyri, & destruent turres eius, & radent puluerem eius de ea: & dabo eam in limpidiſſimam petram.* Et 3. *Reg. cap. 14. Mundabo reliquias domus Ieroboam, ſicut mundari ſolet fimus vſque ad purum.* Quæ dicendi formula profanis etiam vſitata eſt. Plautus *in Rudente. Conuerrer hic iam me totum cum puluiſculo.*

Prouerbiũ.

Ezech. 26.

3. Reg. 14.

[aa] *Iurauit Dominus exercituum dicens, ſi non, vt putaui, ita erit.*] Huc vſque prophetia de Babylone. Nunc iam iuramento confirmat Deus illa omnia, quæ dixerat à capite, vt reor, ſeptimo, de hoſtibus Iudæorum, nempe de Regibus Samariæ, & Syriæ, quæ argumento eſſe voluit domui Dauid naſcituri de virgine Emanuelis, vt ſuo loco diximus. Sed hæret præſertim in Senacherib, quia illius iam penè impendebat exercitus ciuitati. Hæc verò repetitio confirmationem & certitudinem continet eorum, quæ dicta ſunt. Illud *ſi* ita formulam indicat iuramenti, vt etiam per apoſiopeſim Hebræis familiarē execrationem importet, perinde atque ſi dicat Deus. Si non ita contigerit, ne ſim Deus; aut haberi mihi fidem in aliis non poſtulo, aut quid ſimile. 39.

[bb] *Vt conteram Aſſyrium in terra mea, & in montibus meis conculcem eum.*] Hîc iam apertè loquitur de Senacherib: nam alij Aſſyriorum Reges contriti non ſunt in terra Domini, id eſt, in terra promiſſionis. Iugum autem, & onus Senacherib depellendum dicit, quia vt *ex Iſaia cap. 36. & 4. Reg. 18.* conſtat, plurimas ciuitates ceperat, ſibique, vt rei natura fert, reddiderat vectigales. Depellendum autem dicit à montibus, quia terra promiſſionis, quam ſuam Dominus appellat, montoſa eſt; & ciuitates in ea plurimæ in montibus ſitæ. 40.

[cc] *Super omnem terram*, &c. *& ſuper vniuerſas gentes.*] Hîc paucis complectitur propheta quicquid pluribus dixerat de Aſſyriorum excidio, de Syriæ, atque Samariæ vaſtitate; omnem verò terram illam intelligit, quæ bella mouerat contra Iudæos, Aſſyriam præſertim, & quæcumque Aſſyrio Regi ſubiecta eſt. Iuxta regulam à nobis ſæpius ex Hieronymo repetitam, quæ vniuerſale ſignum, ad Regionem de qua ſermo eſt, accommodat, & coarctat. Vniuerſas Gentes illas intelligit iuxta eamdem regulam, quæ aut fœdus inierunt, & ſocietatem cum Aſſyriis, & Syris contra Iudæos, aut illis infenſæ fuerunt, vt Palæſtinæ, Idumeæ, Moabitides, Ægyptiæ, de quibus ſeorſum deinceps multa prædicit Iſaias. Quare non bene hinc aliqui colligunt vaticinium hoc eſſe de extrema totius mundi vaſtitate. 41.

[dd] *In anno quo mortuus eſt Rex Achaz factum eſt onus iſtud.*] Transfert iam propheticas minas Iſaias ad Regiones magis vicinas, quæ variis motibus, aſſiduíſque bellis Iudaicæ Gentis pacem, rationéſque turbarant; & producit ad caput vſque vigeſimum quintum. Quot verò annis hæc vaticinatus fuerit Iſaias, poſt illam prophetiam, de qua nuper, incertum eſt, quia quoto anno Regni Achaz illam acceperit prophetiam, obſcurum. Contigit tamen primo anno Regni Ezechiæ, cuius occaſione hæc dicta ſunt contra Palæſtinos. Qua confirmare voluit Deus Iudæorum animos, & excitare ad bene ſperandum de noui Regis auſpicatiſſimo Regno. 42.

[ee] *Ne læteris Philiſtæa omnis tu, quoniam comminuta eſt virga percuſſoris tui.*] Conuenit inter omnes hoc vaticinium eſſe de Ezechia, qui Philiſtæos ita durè percuſſit, qualiter nullus aliorum Regum Iuda. De quo *lib. 4. Reg. cap. 18. Ipſe percuſſit Philiſthæos vſque ad Gazam: & omnes terminos eorum à turre cuſtodum vſque ad ciuitatem munitam.* Et ita ſanè videbatur expedire, vt eleuato in ſolium Rege vſque adeò dilecto Domino, hæc dicerentur à propheta Dei nuncio, quaſi ſecunda initæ dignitatis 43.

 P 3 auſpicia.

auſpicia. Sed eſt difficile explicatu, quis ſit ille percuſſor, cuius comminutam eſſe virgam Palæſtini lætantur. Hieronymus putat eſſe Regem Achaz, cuius morte exultaſſe Philiſtæos credibile eſt: quia commune eſt hoſtibus maximè vicinis lætari, ſi quid aduerſum, aut quod tale exiſtimatur communiter hoſtibus acciderit. Alij Oziam eſſe credunt proauum Ezechiæ, qui vt traditur 2. *lib. Paralip. cap.* 26. *Pugnauit contra Philiſtim, & deſtruxit murum Geth, & murum Iamniæ, murúmque Azoti. Ædificauit quoque oppida in Azoto, & in Philiſtim; & adiuuit eum Dominus contra Philiſtim.* Mihi valdè ve-
44. riſimile eſt hîc non eſſe ſermonem de Achaz, cuius virga Palæſtini percuſſi non ſunt; neque de vno tantùm Ozia, quia inter hunc, & pronepotem B Ezechiam duo alij fuerunt interiecti Reges; ſed de omnibus Regibus, aut ducibus Iſrael, quorum armis Deus contuderat potentiam, & ſpiritus Philiſtim. Qualis fuit Samſon, Dauid, Ozias, & alij. Cùm enim multi exacti eſſẽt anni, ex quo à Regibus Iuda nullã acceperant plagã; imò ipſi ſub Achaz non leuem plagam Iudæis inflixiſſent, de qua 2. *Paralip.* 28. *verſ.* 18. lætabantur, quaſi Deus iam in perpetuum furoris ſui virgam confregiſſet. Contra hos ergo propheta dicit non confractam eſſe virgam, quam olim Deus per manus Samſon, Dauidis & Oziæ vibrauit in caput Philiſtim; ſed vigere adhue, & traditam eſſe manibus Ezechiæ, à quo non mitiùs tractandi eſſent, quàm ab illis quos omnibus ſæculis nimiùm durus experti ſunt, in C quam ſententiam inclinat Lyra.

45. ff *De radice enim colubri egredietur regulus.*] Prouerbiũ. Prouerbium hoc proculdubio eſt Hebræorum, quo, vt reor, tunc vtuntur, quando alicui graui infortunio ſuccedit aliud longè grauius, aut potenti, atque infeſto hoſti alius ſuccedit potentior, & infeſtior. Quod aliter ſignificauit Roboam cum eodem ſenſu, & prouerbiali etiam ſpecie dixit: *Pater meus cecidit vos loris, ego cædam vos ſcorpionibus.* Fuit quidem Ozias, cuius ex his, qui rem Philiſtinam afflixerunt, memoria recentior, & ad quem præcipuè reſpexiſſe videtur Iſaias, tanquam coluber, qui peſtilenti halitu afflauit Philiſtinorum fines, contaminauítque, atque vſſit miſerabiliter, dum noxio tractu huc atque illuc ſe variè conuoluit. Sed ex D ea radice, quæ iam videbatur exciſa, id eſt, ex eius genere, natus eſt regulus, qui non ſolùm morſu, ac tactu lacerat, atque vrit quicquid habet obuium, ſed etiam viſu ſi quid habet fidei antiquorum hiſtoria. Quare multò nocet grauiùs, neque vlla induſtria vis illa nocentiſſima vitari poteſt. Aut fortaſſe alluſum eſt ad hiſtoriam Samſon, cuius omnia conſilia, atque conatus in Philiſtinorum cladem exarſerunt. Hic natus eſt ex ſemine Dan, cui à parente Iacob dictum eſt *Geneſ.* 49. propter Samſon, vt eſt communis interpretum ſententia, *Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita.* Quare ſenſus videtur non alienus. Nondum periit coluber ille, qui in veſtrum genus, ô Philiſtim, deſæ- E uiens venenum euomuit nocentiſſimum: ex illo enim naſcetur, id eſt, illi ſuccedet, non iam coluber, aut ceraſtes, ſed Baſiliſcus, qui maiori vos, ac minùs euitabili damno conficiet.

46. gg *Et ſemen eius abſorbens volucrem.*] De Baſiliſco, ſeu regulo multa ab Hiſtoricis traduntur, ſed illud præcipuè quòd non ſolùm halitu, ſed etiam viſu diſtantes perimat. Quare longè nocentior eſt, quàm coluber in via, aut ceraſtes in ſemita; ij enim aut morſu appetunt, aut veneno enecant illa, quæ A proxima habent, & terram calcant, at Regulus id etiam, quod volat, & procul eſt. Septuaginta aliter legunt, *Et ſemen eius ſerpens pennatus*, quam tranſlationem non improbat Hieronymus, & aliis communiter placet. Pro *ſerpente* Hebr. eſt שרף *ſaraph*, quod *igneum*, ſiue *ardentem* valet. Quare veriſimile mihi eſt talem ſerpentẽ hîc à propheta ſignificari, quales illi fuerũt, qui *Nu.* 21. peremiſſe dicuntur plurimos de filiis Iſrael. Qui an pennati fuerint non conſtat; ſed conſtat pennatos eſſe dracones, qui non minùs celeri volatu ferantur, quàm aues; quales ſunt Arabici, de quibus Solinus *cap.* 35. contra quos pugnant ibidem aues ſerpentibus infenſiſſimæ, quo nomine ab Ægyptiis numinis loco ha- B bentur. Iuxta hanc lectionem Septuaginta exiſtimo vnum eſſe, atque idem, & Regulum priori loco, & alatum ſerpentem poſteriori poſitum per epexegeſim Hebræis familiarem. Et quidem *Iſai. cap.* 30. *verſ.* 6. Regulus alatus dicitur, ſeu volans.

Dracones alati.

hh *Et paſcentur primogeniti pauperum.*] *Primogeniti* non ſolùm ſunt, qui primi inter fratres nati, ſed figuratè qui in quolibet ordine primi ſunt, & maximè ab illis quorum vocantur primogeniti, dilecti; quia hæc iis qui primo loco naſcuntur, aut debentur, aut certè indulgentur plerumque. Quo ſenſu à Polycarpo, vt refert Hieronymus de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, Marcion primogenitus Diaboli vocatus eſt; quia à Diabolo, & primo loco C habitus, & quia illi ſimillimus, maximè dilectus eſt. Et *Iob cap.* 18. *verſ.* 13. mors *primogenita* dicitur; id eſt, acerbiſſima, atque in eo moriendi genere præcipua. Sic Chriſtus à Paulo *ad Coloſ.* 1. *verſ.* 15. *primogenitus vocatur omnis creaturæ.* Et in hac ipſa materia *Exod.* 4. 22. Iſrael dicitur *primogenitus Dei.* Sic igitur hoc loco Iudæi *pauperum primogeniti* dicuntur; *primogeniti* quidem, quia inter eos, qui pauperum more grauia, atque indigna à potentioribus patiuntur, maximè curantur, & amantur à Domino; *Pauperes* verò, quia grauiſſimè, variis temporibus, & à variis gentibus vexati ſunt. Maximè tempore Achaz non multò antè hoc vaticinium, vt conſtat 2. *Paralip. cap.* 28. Hi ergo vſque adeò pauperes paſcentur abundanter, in terra; & interim D fame conficietur Philiſtæa. 47.

Primogenitus qui in aliquo ordine præcipuus.

ii *Vlula porta, clama ciuitas.*] Summis infimiſque prædicit vaſtitatem, & famem. *Porta* pro principibus ſumitur, quia hi ſedere ſolent in portis, vbi publica exercentur iudicia; *Ciuitas* pro reliqua multitudine, quia in ea confuſum eſt, & promiſcuum vulgus. Vtrumque per Metonymiam, in quo continens pro contento ponitur. 48.

kk *Ab Aquilone enim fumus veniet.*] Hieronymus quem alij quoque ſequuntur, hanc cladem ab Aſſyriis infligendam putat, quia ab Aquilone profectura dicitur: Addo ego quia *fumi* meminit: notum eſt autem *fumum*, ſeu *ignem* antegredi ſolere Aſſyriorum caſtra, vt paulò antè diximus ad E illud, *Quomodo cecidiſti Lucifer.* Sed eſt mihi longè veriſimilius hîc potiùs prædici vaſtitatem Palæſtinis per Ezechiam comparatam: nam de hoc agi in prioribus ſatis conſtat. Ex poſterioribus etiam aliqua non bene conueniunt in Aſſyrios. Hæc enim ratio redditur cur Deus illa perfecturus ſit, quæ connumerata ſunt. *Quia Dominus fundauit Sion, & in ipſo ſperabunt.* Sed hæc ratio non tam fauet Aſſyriis, vt eorum armis atque virtute talia completa videantur, quàm filiis Sion. Adde quòd, ſi quando iſta ab Iſaia dicebantur, id eſt, mortuo 49.

Achaz,

Achaz, iam aliqua ex parte afflicti fuerant Palæſtini ab Aſſyriis, ſub Teglathphalaſar, de illa clade vaticinium iſtod eſſe non poteſt; vt conſtat; ſed neque de illa, quæ poſt hæc tempora attuliſſe videtur Senacherib (nam de hoc putat Hieronymus hîc agi) quia multò pòſt quàm ab Ezechia Palæſtini conciſi ſunt, ingreſſus eſt in illorum fines anno nempe decimo quarto Ezechiæ, vt conſtat 4. *Reg. cap.* 18. Neque eſt veriſimile omiſſa priori clade ab Ezechia illata, actum eſſe de poſteriori, quam attulit Senacherib; quæ neque tam grauis fuit, ſi vlla fuit, neque, quod ego ſciam, ex Scriptura ſacra conſtat à Senacherib quidquam paſſos eſſe Palæſtinos.

50. Neque rationes nos cogunt in contrariam ſententiam: quia ſi à Ieruſalem Palæſtinæ malum ingruit, planè ab Aquilone venit. Cùm enim Palæſtina ſit ad oram mediterranei maris, quod ad meridiem ſpectat, & Ieruſalem in medio terræ promiſſionis ſit, planè efficitur comparatione Palæſtinæ Aquilonarem eſſe Ieruſalem. Illud verò de *fumo*, non magis vrget; nam ſicut *incendium* pro magna ſtrage, aut excidio ponitur, ſic etiam per metonymiam *fumus*, qui incendij ſignum, & effectus eſt. Niſi mauis *fumum* hic accipi pro eo puluere, qui ab incitata, atque conferta militum acie inſtar nubis excitari ſolet. Hoc enim modo profani ſcriptores feſtinatum agminis curſum explicare ſolent. Virgil. 9. *Æneid.*

Hic ſubitam nigro glomerari puluere nubem
Proſpiciunt Troes, ac tenebras inſurgere campis.
Primus ab aduerſa conclamat mole Caicus.
Quis globus, ò ciues, caligine voluitur atra.
Hoſtis adeſt.

Et *lib.* 11.

Quadrupedúmque putrem curſu quatit vngula campum.
Voluitur ad muros caligine turbidus atra
Puluis.

Et paulò pòſt:

Ac ſimul Æneas fumantes puluere campos
Proſpexit.

Signum hoc aduentantis hoſtis *mutum* vocat Vegetius, *lib.* 3. *cap.* 5. *Mutum*, inquit, *& commune ſignũ eſt quoties proficiſcente turba exaltatus puluis ad ſimilitudinem nubis ſurgit, hoſtiúmque prodit aduentum.*

[l] *Quid reſpondebitur nuntiis gentium? quia Dominus fundauit Sion.*] Vſitatum fuit in omni ferme natione, vt vicini Principes, ſi quid alicui, aut ſecundum, aut aduerſum acciderit, legatione ſignificent ſibi illud, aut dolori fuiſſe, aut voluptati. Ex Hebræis fecit Dauid 2. *Reg. cap.* 10. qui legatos miſit ad Hanon Regem Ammonitarum, vt illum de patris morte ſolarentur. Et *eodem lib. cap.* 8. Thou Rex Emath filium ſuum legauit ad Dauid, qui gratularetur illi de victoria, quam tulerat de Adarezer. Rex item Babylonis Merodach nuntios miſit ad Ezechiam, qui de reſtituta valetudine gratularentur. *Iſai.* 39. Dicit igitur Iſaias Gentium legatis, qui gratulatum venerint ad Ezechiam ob victoriam de Philiſtæis comparatam, Reſpondendum eſſe victoriam illam acceptam eſſe referendam Dei benignitati, atque potentiæ, non hominum viribus. Digna ſanè tanto propheta cogitatio, quæ Deum rerum magnarum auctorem agnoſcit. Quod etiam fecerunt viri etiam à religione vera alieni, in quibus aliquid erat ſanæ mentis. Quibus ſiquid accidebat ſupra ſpem, aut vires, id diuinæ adſcribebant virtuti, non ſuis viribus, aut induſtriæ. Quod confeſſus eſt Cyrus *lib.* 1. *Eſdræ cap.* 1. *Omnia regna terra dedit mihi Dominus Deus cœli.* & Titus vt tradit Ioſephus *lib.* 7. *de bel. cap.* 16. admiratus tantam vrbem, támque munitam fuiſſe ſuperatam dixit. *Planè Deo adiuuante pugnauimus.* Et, vt refert Philoſtratus *lib.* 6. *de vita Apollonij*, propter victoriam de Iudæa partam coronari noluit, quia diuina virtute opus illud perfectum eſſe videbat, non ſua. Sic autem Philoſtratus. *Finitimæ Gentes ob victoriam coronare ipſum voluerunt; ille verò tali honore indignum ſe eſſe reſpondit: non enim ſe talium operum auctorem, ſed Deo iracundiam contra Iudæos demonſtranti manus ſuas præbuiſſe.* 51.

Gratulationis officium vſitatum in omni natione.

Deo victoriæ referendæ.

[m] *Et in ipſo ſperabunt pauperes populi eius*] Reſpondebit populus non ſolùm liberatus ab hoſtibus, ſed etiam eorum exuuiis luculenter ornatus: admonitus tanto, támque inſperato Dei beneficio, deinde in vno Deo ſpem eſſe ponendam, qui vnicum pauperibus ſolatium, atque perfugium eſt. Pauperes verò dicuntur, qui durè aliorum armis aut iniuriis vexantur, vt nuper diximus, ad illud, *primogeniti pauperum.* 52.

Argumentum decimiquinti capitis Iſaiæ.

HOC vaticinium durum eſt contra Moabitas, quibus vaſtitatem extremam, & exilium minatur, & primùm ciuitatibus, quæ toti Moab, ornamentum erant, & præſidium. Deinde à Segor vſque ad Oronaim, id eſt, ab Orientali ad Occidentalem vſque plagam, ait nihil futurum eſſe liberum ſiue ab hoſtili gladio, ſiue ab eiulatu, & fletu. Tandem aliquid ſingulare, ac proprium paſſuram eſſe dicit Dibon, quæ in regione Moabitide mirificos vſus, & delicias præbebat Moabitis.

CAPVT XV.

1 [a] ONVS [b] *Moab.* [c] *quia nocte vaſtata eſt Ar Moab, conticuit:* [d] *quia nocte vaſtatus eſt murus Moab, conticuit.*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 VATICINIVM durum, & graue contra Moab; qui & ipſi populo Dei durus, & grauis fuit. Quia Areopolis Moabitidis prouinciæ

Babylonem, & inclytam in ſuperbia Chaldæorum. A *Volumus intelligere, quod fuit, & quærimus audi-re quod non fuit. Et hoc dicimus, non quòd tro-pologicam intelligentiam condemnemus, ſed quia ſpiritualis interpretatio ſequi debeat ordinem hiſtoriæ: quod plerique ignorantes lymphatico in ſcripturis va-gantur errore.* Putat ergo hic Hieronymus explétum eſſe hoc Iſaiæ vaticinium, non tamen quo tempore capta eſt Babylon à Cyro, atque Dario; ſed alio atque alio diuerſis temporibus accepto vulnere. Quare accepiſſe ſe dicit à fratre quodam Elamita, qui ab illis egreſſus finibus ſecum Hieroſolymis vitam agebat monaſticam, ita deſertam eſſe Babylonem, vt neque paſtores ibi commoda habere potuerint paſcua; ſed tantùm ibi eſſe Regias venationes, putà leones, vrſos, apros, qui inter B veterum ruinarum anguſtias ſua ſibi pararunt diuerticula. Et Pauſanias multò antiquior Hieronymo, qui ſub Adriani tempus floruit, Babylonem commemorat, inter illas ciuitates, quæ cùm priùs eſſent florentiſſimæ, ſua tamen ætate vix habuere antiquæ gloriæ nuda veſtigia. Cùm enim egiſſet de Mycenarũ in Græcia, de Thebarum in Bœotia, & Thebarum itẽ in Ægypto, & aliarum ciuitatum obliterata gloria, & penè extincto nomine, quas, vt eius vtar verbis, *ad nihilum redegit fortuna*, de Babylone ait: *Babylon omnium, quas ſol aſpexit vrbiũ maxima, iam nihil præter muros reliqui habet.*

Allegoricus ſenſus Hiſtorico nititur.

25. Quomodo verò, quóve curſu funditus Babylon perierit, hæc carptim ab autoribus accipe. Inprimis à Daniele *cap.6.* habemus, à Dario Medo, & Cyro C ablatum eſſe ſub Baltaſare Chaldæorum imperium, & ad Perſas tranſlatum. Deinde ab Herodoto *lib.3.* domitos eſſe rurſus rebellantes Chaldæos, & dirutos magna ex parte Babylonicos muros. Præterea vt tradit *hic* Hieronymus, & Plinius *lib.6. cap.26.* & Iuſtinus *lib.1.* cùm extructa eſſet à Nicanore ſeu Nicatore Seleucia, & à Parthis non longè à Babylone Cteſiphonte, & tandem à Vologeſo Rege Vologeſocerta, illuc habitatoribus commigrantibus penè exhauſta eſt à ciuibus Babylonia. Denique Adriani tempore, vt refert ſuprà Pauſanias, nihil erat reliqui præter muros. Neque alio modo impleta Chriſti prophetia de Ieruſalem à Romanis euertenda, non enim à Tito ſic euerſa eſt; vt non maneret lapis ſuper lapidem; ſed aliquid D relictum, quod poſtea exeinderet Adrianus. Imò poſt Adriani vaſtitatem relicta ſunt multa, quæ adhuc extant ex antiqua fabrica. Ex quo conſtat omnium conceſſu in Scriptura ſacra eſſe locutiones hyperbolicas; qualis eſt hæc Chriſti prophetia de Ieruſalem, & hæc Iſaiæ de Babylonia quæ miſerabilem vrbium ruinam prædicunt, non tamen ita (quod verba materialiter ſonant) vt lapis ſupra lapidem relictus non ſit; eſt enim hæc prouerbialis hyperbole, in qua non neceſſe eſt omnia ſic impleri, vt præ ſe ferunt verba. Sicut & alia, quæ de eadem Babylonis ruina affert Iſaias ſtatim *cap.14. Scopabo eam in ſcopa terens*, id eſt, nihil ex ea pulueris relinquam, ſicut ſcopæ puluerem euerrunt. ...ate licèt muri reliqui fuerint, & raræ atque E ruinoſæ domos, non ideo Babylon in ſolitudinem redacta non eſt. Accedit quòd ex Scripturæ ſacræ vſu nihil relictum eſſe dicitur, quando ex magna aliqua multitudine parum relictum eſt. Quapropter cùm ex tam frequenti, atque opulenta ciuitate reliquiæ tantùm exiguæ ſuperfuerint, iure in ſolitudinem redacta dicitur Babylonia.

Babylõ à varijs euerſa.

In ſcriptura hyperbolicæ locutiones.

[x] *Non habitabitur vſque in finem.*] Quemadmodum *in finem, in æternum, in ſæculum, non vltra, non amplius*, & ſimilia ſignificent aliquando non quod nunquam fiet, aut quod fine carebit; ſed quod erit diuturnum, diximus *cap.28. num.29. & cap.60. num.79.*

[y] *Non ponet ibi tentoria Arabs; neque Paſtores, &c.*] Eò adducetur felix quondam, & copioſa ciuitas, vt efferata à ſordidis, & inanibus belluis, neque paſcuis manſueti pecoris idonea ſit. Nam cùm tantæ ciuitatis ruinæ, vt neceſſe eſt, plenæ ſint profundis ſpecubus, quæ opportunas præbent latebras B leonibus, atque draconibus, non audent paſtores eò cogere infirmum, & innoxium pecus, quod futurum eſſet omnino prædæ belluarum immitium. 26.

[z] *Et piloſi ſaltabunt illic.*] Quæ ſint hæc ferarum monſtra, quæ habitatura dicuntur in Babylonicis ruinis, adeò obſcurum eſt vt neque inter autores noſtros, neque inter Hebræos magiſtros de illorum ſignificatione conueniat. Pro *piloſi*, Hebraicè eſt שעירים *ſebbirim*, quidam exponunt *Satyros*, alij *hircos*, quia hi piloſi ſunt, & hirſuti; Septuaginta cum Chaldæo vertunt *Dæmonia*: Neque id improbat Hieronymus, quod mihi placet præter cæteris, Tum quia Dæmones antiqua Gentilitas Satyrorum, Faunorúmque ſpecie venerabatur; qui Dij putabantur nemorum: & Babylon non iam C vrbs, ſed ſylua, commodum videbatur domicilium ſyluestrium Deorum. Et huc facit quod שעירים *ſebbirim*, alijs in locis ſacræ Scripturæ pro Dæmonibus vſurpatur: *Leuit.17. Nequaquam vltra immolabunt hoſtias ſuas Dæmonibus.* & *2. Paralip.11. Qui conſtituit ſibi ſacerdotes excelſorum, & Dæmonorum.* Sed probat maximè Ioannes *Apoc.cap.18.* Qui reſpiciens ad hoc, & ad 12. Iſaiæ caput, ſic inquit de Babylonia: *Cecidit, cecidit Babylon illa magna, & facta eſt habitatio Dæmoniorum, & cuſtodia omnis ſpiritus immundi, & cuſtodia omnis volucris immundæ & odibilis.* 27.

Dæmones piloſi.

Apoc. 18.

Syrenes Hebr. תנים *tanim*. Hæc etiam vox variè ab interpretibus redditur. Septuaginta vertunt *Ericios*, alij *dracones*, Hieronymus hic *Syrenes*. D *Thren. cap.4. Lamias*, & idem *Ezech.cap.29.verſ.3. & Ierem.14. verſ.6. dracones.* Sunt autem תנים *tenim*, licèt incerta, monſtra tamen quædam belluarum, quarum figuram ſæpe, ſicut Faunorum ac Satyrorum aſſumebant Dæmones. Vt autem nuper diximus in locis, vbi ſpeluncæ ſunt, & cauæ profunditates habitare leones, ſerpentes, & feras alias terras, & horribiles, & ideo illa loca inepta eſſe paſcendo pecori; ſic etiam experientia ipſa docet in locis olim frequentibus, nunc verò deſertis inter domorum ruinas apparere frequenter infeſtos lemures, & ſpectra horribili forma metuenda; quibus propheta nunc dicit ſeruari opulentam illam ciuitatem: Porrò ſicut Babylonia pro fœda vitiorum E omnium colluuie ponitur prouerbiali forma; ſic eius ruinæ miſerandam ſpeciem pro rei pulcherrimæ, atque delicioſiſſimæ lapſu vſurpari puto. Quo ſenſu exiſtimo à Ioanne *Apocal.18.* poſitum eſſe Babylonis caſum, pro magnarum ciuitatum exitio. 28.

Argumentum decimiquarti capitis Iſaiæ.

QVONIAM breui futura promittitur Iudæorum libertas; & quia antecedere debet Babylonis excidium, illud etiam breui futurum eſſe prædicitur. Tunc eam propheta fore prænunciat fortunæ conuerſionem, vt Babylonij illis tributa pendant, à quibus antè auarè, atque inclementer exigebant. Deinde parabola quadam amari cuiuſdam conuitij plena proponitur, qua tam Iudæi, quàm alij populi, immò, & defuncti Reges in miſeram Baltaſaris Regis cædem, atque ignominiam inſultant. Tandem in æternum Babylonis nomen eſſe delendum, neque impij Regis ſobolem vllam futuram eſſe reliquam, aut vllum monumentum, quod Regis memoriam poſteritati commendet. Tandem quia numero 26. dixerat, quod à ſe cogitatum, ac definitum erat, fore complendum, idque iureiurando firmaret; illud verò fuit daturas eſſe pœnas nationes omnes, quæ Iudæorum nomen inſectatæ ſunt; illarum nunc ad caput vſque 35. minaces prophetias proponit. Et incipit à Palæſtina, quæ vt proxima Iudææ fuit, ita ſæpius, ac duriùs illam vexauit. Cui, ineunte iam regnum Ezechia, hæc à Domino denunciat propheta. Primùm non eſſe cur exultet, quòd fracta ſit virga, qua toties percuſſa fuit; quia durior impendet Palæſtinæ plaga, quàm vlla alia vnquam. Deinde redituros eſſe Iudæos ad poſſeſſiones, ex quibus vi deiecti fuerant. Palæſtinos autem ſic fore vaſtandos à Iudæis, imò potiùs à Deo per Iudæos: vt neque reliquiæ à cæde futuræ ſint vllæ.

CAPVT XIV.

1 *PROPE eſt vt veniat tempus eius, & dies eius non elongabuntur.*

2 *[a] Miſerebitur enim Dominus Iacob, & eliget adhuc de Iſraël, & requieſcere eos faciet ſuper humum ſuam: adiungetur aduena ad eos, & adhærebit domui Iacob.*

3 *Et tenebunt eos populi, & adducent eos in locum ſuum: & poſſidebit eos domus Iſrael ſuper terram Domini in ſeruos, & ancillas: & erunt capientes eos qui ſe ceperant, & ſubiicient exactores ſuos.*

4 *Et erit in die illa: cùm requiem dederit tibi Deus à labore tuo, & à concuſſione tua, & à ſeruitute dura qua antè ſeruiſti, [b] ſumes parabolam iſtam contra regem Babylonis, & dices:*

5 *[c] Quomodo ceſſauit exactor, quieuit tributum.*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 PROPE aderit tempus Babylonicæ cladis, neque diu producetur, quod minax iſtud vaticinium prædicit.

2 Quoniam Dominus longi iam exilij, atque ærumnoſi Iudæorum miſertus eos iterum in filios, & populum aſſumet; efficiétque vt iterum in terra Iſraelitide requieſcant. Quod ſanè facturus non eſt, niſi priùs extincto Chaldæorum imperio. Et quia propè eſt, vt in patriam illos poſſeſſionem reſtituat, propè eſt etiam, vt Chaldæorum gloriam, & potentiam euertat. Tunc verò ex alienigenis multos aſciſcet, quos domui Iacob in eamdem fidem, & religionem aſcribet.

3 Externi autem populi remigrantes Iudæos humaniter, atque officioſè reducent. Quos viatico, auxilióque proſequentur eo ſtudio, ac rerum abundantia, vt non ſolùm commodè, ſed etiam molliter, iter illud conficiant. Alienigenas autem nationes in ſuam ditionem & ſeruitutem rediget domus Iacob; & capiet, atque ſubiiciet eos, quibus antè ſeruierat; & ab his exiget impoſita vectigalia, quibus olim ea penſitare conſueuerat.

4 Cùm autem agente Domino, ô domus Iacob, à labore graui, atque diuturno, à ſeruitute dura, à tyrannico iugo ceſſationem nacta fueris, & quietem, hoc canticum Baltaſari Regi Babylonis ſic inſultabis.

5 Vbi tua potentia, ô Rex ſuperbe? vbi vis illa effera, qua Dei populum tyrannicè vexabas?

vbi tributum quod latè ſubditis tibi populis imperabas? Vbi exactor, & quæſtor qui illud tuo imperio, ac nomine cogebat?

6 Perfregit Dominus impiorum potentiam, & eorum ſceptrum omnino contriuit. Virgam comminuit ferream, quam rerum Domini, & Babylonicæ republicæ principes in miſerorum capita quatiebant. Quæ populos inſanabili afficiebat plaga, quæ Gentes immiti, atque furioſo ſummittebat imperio, eóſque omni ſuppliciorum acerbitate vexabat.

7 Iam otio, & pace fruitur illa regio, quam tu ſuperbo tuo dominatu premebas, & nouis ſemper rationibus turbabas. Iam ex tuo caſu voluptatem cepit incredibilem; ac de te proſtrato verè, ac ex animo triumphat, & geſtit.

8 Neque ſolùm tenuia ſyluarum arbuſta, atque ignobiles frutices, id eſt, pauperes, & debiles homines, quos tu impotenter, & auarè ſpoliabas, ſed etiam abietes proceræ, & cedri Libani ſublimes, id eſt, principes, & potentes, te cadente præ lætitia feſtiuo exultauere tripudio, dicentes. Ex quo, ô Rex impie, atque ſuperbe diem obiiſti ſupremum, ſecurum agimus, & pacatum otium; neque enim iam eſt, qui dura, atque tyrannica ſecuri ſuccidat nos.

9 Infernus ad ingreſſum tuum turbatus obſtupuit, & miſit Gigantes, qui aduenienti occurrerent. Omnes quoque principes terræ, quibus tu aut regnum antè detraxeris; aut aliqua alia ratione inuiſus fueras, ac moleſtus, per ludibrium tibi obuiam procedent, téque tanquam Regem Regum in optimum illius loci ſolium ſeſſum admittent.

10 Omnes iſti inſultabunt, & dicent tibi. Tu quoque magnus Regum Rex vulneratus es, & occiſus, ſicut nos. Et qui te ſuperiorem longè arbitrabare, eamdem nobiſcum fortunam ſubiiſti.

11 Ecce ad inferos vſque gloria tua, atque ſuperbia deiecta eſt: cadauer tuum, cui tu ſepulcrum magno ſumptu, atque arte paraueras, concidet in aliorum cadauerum aceruum, vbi cum illis eodem omnino modo, fœdè, atque ignominiosè putreſcet. Erit itaque pro ſtrato tibi, & culcitra tinea, atque putredo; pro operimento vermis, & tabes.

12 Quomodo Rex Babylonico apparatu ſplendide, & illuſtris tam ignominiosè, ac turpiter cecidiſti: qui illam præ te lucem, atque ſplendorem ferebas, quam matutinus Lucifer, cùm mundo ſe primum videndum præbet. Qui Gentibus aliis terrori, atque exitio fueras; tu quoque exanimis cum Gentibus corruiſti.

13 Qui tecum ſic apud animum tuum meditabare, dicebáſque. In cœlum vſque conſurgam: ſuper aſtra meum mihi ſolium ſtabile locabo. Sedebo in templo, ſeu tabernaculo fœderis,

6 Contriuit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium, cadentem populos in indignatione, plaga inſanabili, ſubiicientem in furore Gentes, perſequentem crudeliter.

7 [d] Conquieuit, & ſiluit omnis terra, gauiſa eſt & exultauit.

8 [e] Abietes quoque lætatæ ſunt ſuper te, & cedri Libani, ex quo dormiſti, non aſcendit, qui ſuccidat nos. e

9 [f] Infernus ſubter conturbatus eſt in occurſum aduentus tui, ſuſcitauit tibi gigantes. Omnes principes terræ ſurrexerunt de ſoliis ſuis, omnes principes nationum.

10 Vniuerſi reſpondebunt, & dicent tibi, Et tu vulneratus es ſicut & nos, noſtri ſimilis effectus es.

11 [g] Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua, concidit cadauer tuum: [h] ſubter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.

12 [i] Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris? corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes.

13 Qui dicebas in corde tuo. [k] In cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, [l] ſedebo in monte teſtamenti, [m] in lateribus Aquilonis.

14 [n] *Aſcen*

deris, ſeu potiùs templo illo ſubuerſo, in monte teſtamenti, in ciuitate Ieruſalem quæ ſita eſt in eo montis latere, quod in Aquilonarem partem ſpectat.

14 [n] *Aſcendam ſuper altitudinem nubium,* [o] *ſimilis ero altiſſimo.*

14 Attollam illuſtre, ac diuinum caput ſupra reliquos Reges, atque adeò ſupra nubes. Similis ero Deo non cuicumque ex numero vulgarium Deorum, ſed illi, qui ab Iſraele frequenti compellatione, ac propriè altiſſimus vocatur.

15 [p] *Veruntamen ad infernum detraheris in profundum laci.*

15 Sed longè te fallet ſtulta illa, & vana cogitatio. Neque enim ſupra nubes aſcendes, & ſupra ſummum cœlorum; ſed in infernum, atque in eius infimum, & abiectiſſimum locum maior te deprimet potentia.

16 *Qui te viderint, ad te inclinabuntur, téque proſpicient. Nunquid iſte eſt vir qui conturbauit terram, qui concußit regna: Qui poſuit orbem deſertum, & vrbes eius deſtruxit, vinctis eius non aperuit carcerem?*

16 Qui te in eo loco, atque in ea fortunæ conuerſione viderint deiectis, atque inclinatis oculis in illum infimum locum, quò tua te ſuperbia depreſſit, ſic ſecum dicent admirabundi. Hiccine vir eſt, qui terræ ſui nominis terrorem obiecit, & illam ſæpe armorum ſtrepitu conturbauit? qui regna bellorum motu concuſſa in otio, ac pace viuere non permiſit? qui ſic orbem afflixit, vt in ſolitudinem redegerit? eiúſque ciuitates demolitus ſit? qui quos ſemel in vincula, & tenebras contrudi iuſſit, lucem ac libertatem intueri noluit?

17 [q] *Omnes reges Gentium vniuerſi dormierunt in gloria; vir in domo ſua.*

17 Omnes Reges alij honeſtam, & Regiam ſepulturam nacti in domo ſua, id eſt, parentum ſuorum monumentis, requieſcunt glorioſi, non confuſi, aut permixti cum ignobili turba, aut inhumati, atque proiecti turpiter.

18 [r] *Tu autem proiectus es de ſepulcro tuo* [s] *quaſi ſtirps inutilis,* [t] *pollutus, & obuolutus cum his qui interfecti ſunt gladio, & deſcenderunt ad fundamenta laci, quaſi cadauer putridum.*

18 Sed tu nullum habes neque honeſtum, neque certum locum, vbi quieſcas: proiectus longè ab eo ſepulcro, quod tibi proprium fore putaſti; eradicatus quaſi inutilis planta; confuſus cum his, qui gladio ceciderunt, quíque in foſſam cateruatim coniecti ſunt, in eiúſque profundum altè demiſſi. Erit itaque in eorum aceruo cadauer tuum reſolutum in ſaniem, non patrio more conditum aromate, quod à tabe vendicet, & putredine.

19 *Non habebis conſortium, neque cum eis in ſepultura: tu enim terram tuam diſperdidiſti, tu populum tuum occidiſti: non vocabitur in æternum ſemen peßimorum.*

19 Non cum aliis Regibus, atque principibus aut Regium funus, aut ſepulturæ honorem conſequeris, neque id ſine magno tuo merito, cùm ciuitates tuas excideris, & populum tuum mille modis antea vexatum ferro ſuſtuleris. Quare nullum poſt mortem erit tui nominis ſtabile monumentum; non ſepulcrum vt audiſti; non filij, qui multò meliùs quàm muti lapides parentis memoriam poſteritati commendant. Neque enim diu ſtabit peſſimorum hominum ſuſcepta ſoboles, neque illius nomen erit diuturnum.

20 [v] *Præparate filios eius occiſioni in iniquitate patrum ſuorum: non conſurgent, nec hæreditabunt terram,* [x] *neque implebunt faciem orbis ciuitatum.*

20 Vos ergo Perſæ, quos meorum conſiliorum adminiſtros habeo, propter paternum ſcelus filios quoque neci quamprimum date. Non conſurgent ad Regios titulos, neque paterno regno hæredes ſuccedent; neque, quod impius pater futurum ſibi pollicebatur, ſub impe-

21 Et

rio

by Google

tio ſuo totius orbis ciuitates habebunt.

21 In filios quoque peſſimi patris infenſas manus & ſigna conuertam, & cum impij Regis poſteritate Babylonis etiam in ſempiternam obliuionem delebo. Neque eius patiar quicquam eſſe reliquum, non germen, non propaginem, non denique, quod aliquid redoleat Babylonicũ.

22 Eò autem redigam ſceleratam vrbem, vt eam habitandam relinquam erinaceo, vtpote hominum habitationi parũ opportunam; quam nimirum cœnum opplebit, & humor paluſtris. Et quò antiquæ molis, & ſuperioris gloriæ nullum ſuperſit veſtigium, quaſi qui ſcopis domum euerrit, ne quid remaneat ſordium, ſic ego ſcopis eam accuratè purgabo.

23 Ne verò quiſquam de Babylonis excidio, aut Aſſyriorum repentina plaga, & duorum Regum Syriæ, atque Samariæ interitu dubitet, hoc ipſum Deus iureiurando confirmat; neque ſibi in aliis fidem haberi vult; ſi non eodem prorſus modo prædicta compleuerit, quo ab ipſo cogitata, ac definita ſunt.

24 Eſt autem à me definitum, dicit Dominus, vt in terra, ac poſſeſſione mea, nempe in regione Iſraelitide, & in montibus meis, in regione Iuda vtrique montoſa, conteram Aſſyrium exercitum ſub Senacherib: & auferam iugum, & onus quod ciuium, quos ſibi ſubiugarat, ceruicibus impoſuit.

25 Hoc eſt conſilium, quod mente deſignaui contra omnes etiam regiones illas, quę populum meum aut conciderũt, aut vexauerunt armis, aut aliqua ratione aliquid in illũ meditatæ ſunt. De quibus poſtea ſigillatim multa. Et hoc eſt opus, quod manus mea in illarum vltionem, & perniciem aſſumet.

26 Hæc eſt diuinæ mentis cogitatio, quis eius poterit prohibere conſiliũ? manus eius ad illud opus armata, atque intenta eſt, quis vim omnipotentis dexteræ infringet, aut ab eo, quod deſtinauit vulnere retardabit?

Prophetia contra Paleſtinam.

27 Iam oſtendit Dominus quid à ſe contra nationes, quæ in Iſraeliticum nomen coniurarunt, aut infenſæ fuerunt, definitum ſit. Et primum hoc durum vaticinium denunciari iuſſit Palęſtinæ eo anno, quo regno, vitáque defunctus eſt Achaz.

28 Ne te vſque adeò Palæſtina, lętitia efferas, quaſi iam Deus omnino virgam illam confregerit, qua te per Iudices, ac Reges Iſrael variè percuſſerat. Succedet namque illis contra caput tuum princeps Ezechias, qui multò quàm alij vehementiùs, & duriùs vires tuas affligat, & potentiam infirmet: quemadmodum ſi de ſemine colubri naſcatur regulus, multò nocentior, qui volucres noxio halitu etiam volantes abſorbeat.

29 Illi.

21 *Et conſurgam ſuper eos, dicit Dominus exercituum: & perdam Babylonis nomen, & reliquias, & germen, & progeniem, dicit Dominus.*

22 *Et ponam eam in poſſeſſionem ericij,* [y] *& in paludes aquarum,* [z] *& ſcopabo eam in ſcopa terens, dicit Dominus exercituum.*

23 [aa] *Iurauit Dominus exercituum, dicens, Si non vt putaui, ita erit: & quo modo mente tractaui, ſic eueniet.*

24 [bb] *Vt conteram Aſſyrium in terra mea, & in montibus meis conculcem eum, & auferetur ab eis iugum eius, & onus illius ab humero eorum tolletur.*

25 *Hoc conſilium quod cogitaui* [cc] *ſuper omnem terram, & hæc eſt manus extenta ſuper vniuerſas Gentes.*

26 *Dominus enim exercituum decreuit: & quis poterit infirmare? & manus eius extenta: & quis auertet eam?*

27 [dd] *In anno quo mortuus eſt Rex Achaz, factum eſt onus iſtud.*

28 [ee] *Ne læteris Philiſtæa omnis tu, quoniam comminuta eſt virga percuſſoris tui:* [ff] *de radice enim colubri egredietur regulus,* [gg] *& ſemen eius abſorbens volucrem.*

29 [hh] Et

29 [h h] *Et paſcentur primogeniti pauperum, & pauperes fiducialiter requieſcent: & interire faciam in fame radicem tuam, & reliquias tuas interficiam.*

29 Illi qui inter afflictos, & pauperes primo apud me loco ſunt, dicique iure poſſunt eorum primogeniti, in ſuum ordinem, & poſſeſſiones, reſtituti, ibi quieti, atque ſecuri paſcentur. Te verò interim, progeniémque tuam inopia, faméque conficiam; quod denique è Philiſtino genere reliquum fuerit, gladio cadet.

30 [i i] *Vlula porta, clama ciuitas: proſtrata eſt Philiſthæa omnis: [k k] ab Aquilone enim fumus veniet, & non eſt qui effugiet agmen eius.*

30 Vlula, & tibi ipſi extremo, & quaſi funebri luctu exequias para, ô porta, vbi præcipua nobilitas, & firmamentum ciuitatis. Vlula tu quoque promiſcuũ vulgus, quia iam actum eſt de tota Philiſthæa. Ab Aquilone enim exercitus veniet qui incendium tibi, & vaſtitatem inuehat; à qua, qui ſe tutò fugiendo ſubducat, nemo eſt.

31 [l l] *Et quid reſpondebitur nunciis gentis? Quia Dominus fundauit Sion, [m m] & in ipſo ſperabunt pauperes populi eius.*

31 Cùm alij populi iuxta communem Gentium conſuetudinem gratulatum venerint Ezechiæ de parta victoria, attritíſque iam tandem Palæſtinæ viribus: ſi quis quærat quid legatorum gratulationi reſpondendum ſit, dicemus gratias nos agere immortali Deo; cuius benignitati beneficium iſtud acceptum aſcribimus. Qui ſtatuit ſtabilire, & confirmare Sion: In quo vno deinceps, qui pauperes, & afflicti fuerint in eius populo, ſpem certam locabunt. Hæc erit reſponſi ſumma, quam à nobis ad ſuos referent legati.

IN CAPVT DECIMVM QVARTVM COMMENTARIVS.

1. [a] MISERETVR *enim Dominus Iacob*, &c. vſque ad *ante ſeruiſti.*] Hinc iam propheta populo Iudaico non ſolùm reditum à captiuitate, ſed antiquam etiam gloriam, & ornamenta pollicetur: futurúmque dicit, vt illi ijdem, quorum antea tyrannidi ſeruierant, mutata fortuna ipſorum iugo ceruicem ſupponant. Hæc aperta ſunt: & de hac rerum viciſſitudine pluribus nos egimus in Zachariam *ad cap.* 9. & 10. Item quomodo ex Gentibus plurimi Iudaici populi rediuiuam gloriam admirati geſtirent adiungere ſe non modò ſedibus, ſed etiam religioni Iudæorum. Neque apparet creditu difficile, ſi Babylonios dicamus Iudæorum imperium ſubiiſſe. Cùm enim victi eſſent à Perſis, & iure belli non ſolùm autoritate, atque opibus, ſed etiam libertate ſpoliari potuerint, quid mirum ſi à Cyro bene in Iudaicum genus animato, captiui in ſeruos dati fuerint Hebræis, aut etiã vt in ſeruos emerentur, ab eodem permiſſum. Et de Dario Hiſtaſpi minùs incertum eſt, qui grauiùs erat in Babylonios affectus, propterea quòd contra ipſum ſecundò rebellaſſent. Quos duriùs mulctauit diruta magna murorum parte, vt Herodotus docet *lib.* 3.

2. *Quomodo familiaris vox in luctu.* [b] *Sumes parabolam iſtam contra Regem Babylonis. Quomodo ceſſauit?*] In eo quod reliquum eſt carminis, nihil ferme continetur aliud, quàm lugubre quoddam carmen, ſiue epicedium, quo Regis Babylonis ſubitum, & planè miſerabile logetur exitium. Eſt autem vſitatum inter Hebræos vt familiari hac, & penè legitima forma incipiant lamentationes & epicedia. Sic Dauid in lugubri cantu pro Saul 2. *Reg.* 1. *Quomodo ceciderunt fortes.* Sic Ieremias *in Threnis* ſæpe. *Quomodo ſedet ſola ciuitas?* & iterum, *quomodo obſcuratum eſt aurum?* Quare hoc lugubre canticum bis ab eadem particula orditur Iſaias. Cæterùm *Parabola* non ſolùm eſt ſimilitudo aliqua ſeu comparatio, ſed etiam grauis aliqua, atque illuſtris ſententia, quæ plerumque dicendi figura, aut genere ipſo ſermonis obſcura eſt. Qualia eſſe ſolent, quæ à Græcis dicuntur ἀποφθέγματα. Hebr. משל *maſal*, quo nomine Salomon ſua inſcripſit prouerbia. Quia ergo hæc, quæ de Rege Babylonis dicuntur, grauia ſunt, & noua quadam, ſubobſcura, & figurata dicendi forma propoſita, *parabola* dicuntur. Neque deeſt hic aliqua comparatio, quæ parabolæ plerumque nomen dat: quæ latet in allegorico ſermone, quo antiquus ſplendor Regis; & deinde horribilis, atque improuiſa calamitas deſcribitur. Similiter illud encomium Iſrael planè eximium, quod figurato ſtylo, & pulchris ſimilitudinibus admixtis cecinit Balaam *Num. cap.* 23. & 24. *Quàm pulchra tabernacula tua Iacob*, &c. *Parabola* vocatur. *Parabola quid.*

3. [c] *Quomodo ceſſauit exactor, quieuit tributum.*] Hæc eſt parabola, & lamentatio funebris, quam ſuper Regem Babylonis aſſumere iubetur Iſaias. Quæ omnino ſignificat quàm auarus Rex ille fuerit in imponendis ſubiecto populo tributis, quàm ſeuerus

rus & durus in exigendis. Quàm præterea crudelis dum nationes alias debellat, & ſuo ſibi ſubiugat imperio; & quàm inhumanus, atque inſolens in ſubiectarum ſibi nationum moderatione. Cætera obſcura non ſunt, quæ mirè amplificant, & oculis penè ſubiiciunt tyrannicum imperium, ſub quo gemere ſolent oppreſſi populi.

4. [d] *Conquieuit & ſiluit, omnis terra gauiſa eſt.*] *Silere*, vt *cap.* 1. diximus ad illud *vide vt ſileas*, non ſolùm ſignificat animi conſternationem, ac metum, qui non ſinit quemquam hiſcere, ac mutire, ſed etiam otium, ac quietem. In quo ſenſu videtur explicandus hic locus, ita vt idem ſit *ſiluit*, quod *quieuit*. cùm ſilentium *quietem*, & ſilere, *quieſcere* ſignificet, facilè ex adiunctis coniectare licebit, an proſperum aliquid, vel aduerſum importet. Si de cantu feſtiuo ſermo fuit, aut de materia lætiori aliquid anteceſſit, non dubium quin *ſilentium* aliquid indicet aduerſum, & lugubre; ſin aliquid funeſtum, & triſte, *ſilentium* proculdubio feſtiuum indicat aliquid, & ſuperiori fortunæ contrarium. Cùm autem præceſſiſſet dura ſeruitus eorum, qui Babylonico ſuberant imperio, dum quies prædicitur, & ſilentium, finis oſtenditur illius ærumnoſæ fortunæ, & nouæ vitæ, & optatæ libertatis initium. Et hoc confirmat quod ſtatim adiungitur, *Gauiſa eſt & exultauit*, nempe omnis illa terra, quæ conquieuit, & ſiluit.

Silentium modò triſte aliquid, modò lætum ſignificat.

5. [e] *Abietes quoque lætatæ ſunt ſuper te, & cedri Libani: ex quo dormiſti, non aſcendet, qui ſuccidat nos.*] Non ſemel apud noſtrum prophetam excelſi montes, quales ſunt Libanus, Carmelus, & Baſan, pro Regibus, Regnorúmque viribus vſurpantur; item proceræ, atque robuſtæ arbores, vt hic abietes, & cedri. Comparat ergo hic Principes & regna cum lignis ſyluarum; Regem verò Babylonis cum lignatore, aut ſecuri, qui ligna cædit, & ſyluam ſuo populatur ornamento. Cùm autem non ſubditi tantùm proceres, aut vicini Reges, ſed etiam longè diſſiti à Babylonica potentia multa paterentur quotidie, & maiora formidarent: vbi cecidiſſe vident inſolentem Regem, ſeu lignatorem durum, & ſibi nil iam amplius ab ea ſecuri metuendum, inſultant victo Regi, ſibíque gaudent quòd iam ſecuro eſſe poſſint atque otioſo animo.

Montes, atque arbores Regum, & regnorũ ſymbola.

6. [f] *Infernus ſubter conturbatus eſt in occurſum aduentus tui: ſuſcitauit tibi Gigantes.*] Pulchra eſt idolopœia, quæ mortuis ſenſum, & ſermonem attribuit. Non tantùm principes viui, quos ſublimium modo arborum nominibus expreſſerat propheta, inſultant extincto Regi Babylonis, ſed etiam mortui, illi nempe, vt inquit Hieronymus, quos aut è regno depulerat, aut vita ſpoliarat. Mortui itaque Principes, ad inferos deſcendenti Babylonio aſſurgere finguntur, illúmque excipere libero, procacíque conuitio, non aliter atque cùm princeps aliquis vir in conuentum frequentem hominum ingreditur, tumultuantur omnes, turbantúrque, ac certant illum in honeſtiſſimum locum ſeſſum admittere. Sic *infernus* tragicè *conturbari* dicitur, dum maximè infernum homines, id eſt, iam omnium infimum in deterrimum locum ſeſſum inuitat. *Gigantes*, qui hoc loco dicuntur excitandi, potentes homines ſunt, qui cùm grauiter torqueantur, Regi tamen Babylonis in tormentis primum concedent locum.

7. *Infernum* hic multi pro æterno damnatorum carcere accipiunt, & qui aſſurgere finguntur, occurreréque aduenienti Regi eſſe eos, qui Gehennæ flammis ſunt in æternum addicti: Ita S. Hieron. S. Thom. Hugo, Dionyſius: iuxta quorum ſententiam ſuperiora explicuimus. Alij ferme omnes nihil ſtatuunt, ſed quaſi aliis liberum relinquunt vt *infernum*, aut pro *ſepulchro* capiant, aut pro *gehenna*. Vatablus, & Montanus *ſepulchrum* eſſe putant, quod mihi videtur magis ad totum textum, qui de cadauere, atque his, quæ cadaueri infeſta ſunt, & propriè loquitur, vt conſtat, neque vllum verbum eſt quod gehennale ſupplicium oleat. Et cùm multò ſit grauius, atque horribilius quod impiorum animæ in gehenna, quàm quod illorum corpora in ſepulchro patiuntur, tamen vulgò homines, ad quorum ſenſus ſermonem accómodant nonnunquam prophetæ, illis magis mouentur, quæ oculis cernunt, quàm quæ animo meditantur. Quare priori gloriæ, deliciiſque mundis & elegantibus, ſqualorem obiicit ſepulturæ, & tabem cadaueris, & vermium ſcatebras. Hæc verò multò probabunt magis quæ ſequuntur. Hic mortuorum dialogiſmus cum mortuo Rege, cuius antiquum ſplendorem contemnunt, & præſenti calamitati atque ignominiæ inſultant; ſimilis eſt dialogis illis, in quibus magni principes à mortuis irridentur. vt apud Lucianum Alexander, Mauſolus.

8. [g] *Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua, concidit cadauer tuum.*] Poſtea dicemus *num.* 31. quomodo Rex Babylonis inſepultus extabuerit. Quare dicitur concidiſſe eius cadauer, non aliter atque ſi canis eſſet aut aſini, qui in ſtercore fœdè atque ignominiosè putreſcunt: ſicut de Ioacim dixit Ieremias *cap.* 22. *verſ.* 19. *Sepultura aſini ſepelietur putrefactus, & proiectus extra portas.* LXX. pro *cadauere* reddidere *lætitiam*. Ratio varietatis fuit in diuerſa notatione vocis Hebraicę נֶבֶל, cui, ſi geminum Segol ſubſcribas, *nablum* ſignificat, id eſt, inſtrumentum muſicum, quod ſignum eſt lætitiæ; Si geminum Camez, *cadauer*. Et ita ſine dubio legit noſter interpres.

Sepultura ignobilis Regis Babylonij.

9. [h] *Subter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.*] Quaſi dicat, Aſſyrij Reges, & Babylonij cadauera & pretioſis condiunt vnguentis, ne grauiter oleant, & multo aromate curant, duréntque, ne tabe ſoluantur, ac putreſcant. (Vide quanto hæc ſtudio curent Aſſyrij apud Strabonem *lib.* 16. & de Babylonijs apud Herodotum *lib.* 1.) Sed accidet longè aliter Regi Babylonio, qui vulgari ſepultura, ſeu potiùs, vt dicemus ſtatim, nulla ſepultura condetur. Quare neque pretioſi tapetes ex aureo textu ſubſternentur regio cadaueri, neque ſtragulis operietur Babylonica arte elaboratis, id eſt, verſicolori filo elegáter intertexto diſtinctis; ſed pro illo ſepulturæ honore vermibus vndequaque, ac ſanie operietur. Quia vt ſtatim conſtabit magis, cum turba illorum, qui in bello ceciderunt, ignobilis iacebit. Quare ſupra ſe habebit, & infra ſe cadauera, quorum vermibus operietur, & ſanie.

E [i] *Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer, qui manè oriebaris.*] Hoc loco mirè variant antiqui Patres, dum quærunt, quiſnam ſit iſte Lucifer antea ſplendidus, ac pulcher, poſtea verò tam teter, & obſcurus. Leo Caſtrus putat ex ſententia Euſebij illud ſuperius, *Infernus ſubter te conturbatus*, ad Chriſtum crucifixum, & mortuum pertinere, cui principes, & poteſtates tenebrarum, quæ verſantur in hoc aëre; & qui torquentur in tartaro, occurrerunt Chriſto iam mortuo, ac inſultantes obiecerunt, quòd ipſe quoque ſicut cæteri alij mortis ne- 10.

ceſſi

A ceſſitatem non effugerit: Cùm autem ille idem ſit, qui à mortuis irriderit, & qui modò *Lucifer* appellatur, planè iuxta explicationem illam Chriſtus eſt Lucifer, de quo nunc Iſaias. Sed omnino Euſebius loco à Leone Caſtro citato, nihil minùs cogitauit. Cùm enim dixiſſet oraſſe Chriſtum à Patre, vt ſibi adeſſet morienti. *Ne recedas*, inquit, *à me, quoniam afflictio propè adeſt, quoniam non eſt qui adiuuet.* addit ſtatim. *Credibile autem eſt vidiſſe infernas quoque, ac tartareas belluas, agreſtes atque formidabiles, de quibus Iſaias ad eum qui de cœlo ceciderat Luciferum ſermonem intendens ita loquebatur. Infernus ſubter te conturbatus eſt, in occurſum aduentus tui ſuſcitati ſunt tibi omnes gentes.* Hæc Euſebius. Quæ quis non videt diſtare quàm lógiſſimè B ab eo quod Leo Caſtrus putat. Neque maiori fide citat hic autor multa antiquorum patrũ teſtimonia.

11\. Communiter Patres in *Lucifero* intelligunt Satanam, quem de cœlo præcipitem ſuperbia in tartarum deiecit. Neque neceſſe eſt auctores huius ſententiæ commemorare, cùm omnes ferme antiqui ſint. Origenes *lib.* 1. *periarchon. cap.* 5. *& lib.* 4. *cap.* 2. Euſebius *ſuprà.* Athanaſ. *de paſſione & cruce Domini.* Tertul. *lib.* 5. aduerſus Marcionem *cap.* 11. *& cap.* 17. Ambroſ. *in Pſal.* 118. *ſerm.* 3. Cyprianus *epiſt.* 55. *ad Cornelium* de Antichriſto accipit.

Communiter interpretes hæc de Rege Babylonis accipiunt hiſtorico ſenſu: allegorico tamen de diabolo, quod credo etiam dicerent auctores C ſuperioris ſententiæ, ſi de ea re plura, aut non caſu in illum locum incurrentes pauca dixiſſent. Vnum excipio Origenem, qui id omnino negat. Ita Hieronymus, Cyrillus, S. Thom. Haymo, Dionyſius, & cum his etiam Auguſtinus *lib.* 3. *de doctrina Chriſtiana cap.* 37. & Gabriel Vazquez *in* 1. *part. S. Tho. diſput.* 231. *cap.* 4. Et quidem quòd de Rege Babylonis ſermo fiat, expreſſè eſt in textu; & ſuadet totius capitis continens filum. Sed eſt adhuc obſcurum, quis ſit iſte Rex Babylonis, cui tam durum propheta vaticinium denuntiat. Communiter omnes cum Hieronymo cenſent eſſe Nabuchodonoſor, de cuius ſuperbia, ſtultáque cogitatione, qua ſibi erecta aurea ſtatua diuinos honores à D ſuis depoſcebat, agit Daniel *cap.* 3. Quare quæ paſſim dicuntur de affectata diuinitate, optimè quadrant in Nabuchodonoſor.

12\. Ieremias *cap.* 50. vbi de hac Babylonici imperij ruina, Regíſque interitu loquitur, eodem penè modo, quo Iſaias, (à quo videtur expreſſiſſe, quæ in eo tradit capite) Regem illum appellat Merodach. Sic enim de illo *verſ.* 2. *Capta eſt Babylon, confuſus eſt Bel, victus eſt Merodach.* Vbi licèt aliqui putent Merodach nomen eſſe idoli, in quibus ſunt quidam Hebræorum magiſtri, cum quibus etiam ſentiunt Dionyſius, Vatablus, & Maldonatus, ſed eſt longè veriſimilius, eſſe non idolum, ſed Regem Babylonis, vt putat Theodoretus, Hugo, & inclinant Dionyſius & Lyra; qui etiam addunt hunc eſſe E eſſe Balthaſarem, ſeu, quod idem eſt, extremum Chaldæorum Regem.

13\. Balthaſaris prædicitur ruina. Mihi omnino videtur hunc Regẽ eſſe Balthaſarem, quia quæ toto dicuntur capite, aut nullo modo, aut non niſi admodum contortè ad Nabuchodonoſor accommodari poſſunt, vt quòd ſine prole diſceſſerit, quæ pro illo regnet; quòd honore ac religione ſepulturæ careat: & quod caput eſt, quia de illo Iſaias loquitur, qui à Perſis, & Medis ſubiugandus eſt. Neque nomen *Merodach* huic explicationi quicquam incommodat. Nam ſicut A *Pharao* nomen erat olim commune Ægypti Regibus, deinde poſt Alexandrum *Ptolomeus*, & *Cæſar* Romanis imperatoribus: ſic etiam *Merodach* commune videtur nomen Regibus Babylonis. Quod nomen ſicut Regnis aliis ille primus dedit, qui primus etiam in illis regium nomen obtinuit. At Merodach primum in Babylone regnaſſe tradit Theodoretus *in cap.* 50. *Ieremiæ.* Quare alij quoque Reges ſic appellati ſunt, vt qui legatos hoc ipſo tempore, quo hæc ſcribuntur, miſit ad Ezechiam, gratulatum de recuperata valetudine 4. *Reg.* 20. *& Iſai.* 39. quem Hebræi, vt dicit Hieronymus *cap.* 39. *Iſaiæ* patrem eſſe putant Nabuchodonoſor, ſed falsò, vt nos ibi probamus. Et B rurſus 4. *Reg. cap.* 25. *verſ.* 27. legitur *Rex Babylonis Euilmerodach.* quod omnino idem nomen eſt quod ſuperior: quaſi *Euil* nomen ſit proprium hominis, *Merodach* commune Regum, ſicut dicitur *Tiberius Cæſar*, *Darius Hiſtaſpis*, *Ptolomeus Philadelphus*, &c. Quare exiſtimo *Merodach* appellari Balthaſarem communi omnium Regum nomine. *Merodach cõmune nomẽ Regum Babylonis.*

Nunc videndum quo ſenſu, aut figura orationis dicatur Lucifer iſte, ſeu Rex Babylonis cecidiſſe de cœlo. Mihi certum eſt ſupplendam hìc eſſe ſimilitudinis notam, hoc modo. Quomodo cecidiſti de cœlo, ô Rex Babylonis, qui, quaſi Lucifer matutinus ſplendidus oritur, tu quoque oriebaris. Sed eſt dubium an cum Angelo, qui de cœlo C cecidit, qui ex hoc Iſaiæ loco communiter appellatur *Lucifer*, comparetur: an cum ſtella matutina, quæ lucidiſſima eſt, & à Latinis *Lucifer*, à Græcis *Phoſphorus* dicitur. Videtur ſanè cum Angelo comparari poſſe non incongruè, ita vt ſit argumentum ab exemplo: Nam cùm Rex iſte Babylonis ſuperbiſſimus eſſet, ſibique putaret nihil non deberi: adducit exemplum ſuperbiſſimi ſpiritus, qui cùm ſibi nimiùm de ſua pulchritudine placeret, & honores appeteret ſibi non debitos, in barathrum demerſus æternam ſuſtinet ignominiam: vt qui illius imitabatur arrogantiam, eiuſdem caſum & exitum perhorreſceret. Quomodo Chriſtus ad diſcipulos *Lucæ cap.* 10. Qui cùm de fugatis à ſe dæmonibus gloriari, aut certè plus ſatis exul- D tare viderentur, illos Satanæ exemplo ab illa inani, atque ſuperba cogitatione, compeſcuit. *Videbam*, inquit, *Satanam tanquam fulgur de cœlo cadentem.* quaſi diceret. In vobis nunc intueri videor caſum illum horribilem, cùm Angelus ſpecioſus antea, & naturæ nobilitate, eximiíſque dotibus illuſtris, quia ſibi aut plus tribuit, quàm habebat, aut plus appetiit quàm ipſi deberetur, in ſtatum miſerrimum, carcerémque æternum contruſus eſt: quem locum in eum ſenſum exponit Hieronymus *in hunc locum*, Cyprianus *tractatu de tentationibus, & ieiunio Chriſti.* & Gregor. *lib.* 23. *Moral. cap.* 4. 14. *Lucifer quis.* *Luc.* 10.

Sed placet mihi magis ſententia illorum qui cum ſole aut ſtella matutina conferri putant Ba- 15.
E bylonij Regis gloriam. Ita Cyrillus, S. Thom. Haymo, Adamus, Pintus, Emanuel Sa, & Chaldæus. Et eſt pulchra, & ab omnibus ferme ſcriptoribus in eam ſententiam vſitata comparatio: qui à Solis, aut Luciferi ſplendore, ac radiis lucem aſſumunt ad explicandam, & ornandam rei longè pulcherrimæ dignitatem. Longum eſſet cuncta percenſere, nunc pauca accipe. Virgil. *lib.* 8. *de Pallante.*

——Ipſo agmine Pallas
In medio chlamyde, & pictis conſpectus in armis:
Qualis vbi Oceani perfuſus Lucifer vnda

Extulit os ſacrum cælo.
Quæ ſumpſit ex Homero *lib. 5. Iliad.* vbi hæc eadem de Diomede. ſimiliter Theocritus *Idyl. 18. de Helena.*

Nam ſicut vbi nox alma receſſit
Os croceum cælo profert aurora renaſcens.

Sed hoc non minùs vſitatum in Scriptura ſacra. Nam *Cant. 6.* (vnde ſine dubio ſuperiora ſumpſit Theocritus: vt nos in noſtris commentariis ſuper Cantica diximus) ſpouſæ pulcbritudo auroræ naſcenti comparatur, aſtriſque micantibus. *Quæ eſt iſta quæ quaſi aurora progreditur, pulchra vt luna,* &c. & Eccleſiaſticus *cap. 50.* de Simone Oniæ filio. *Quaſi ſtella matutina in medio nebulæ.*

56. Pro *Lucifero* Hebr. eſt. הילל בן שחר *helel ben ſachar Lucifer, filius auroræ.* Cur *filius* dicatur *auroræ* non eſt difficile coniectare, iuxta Hebraicum idioma, quo *filius* vocatur, quicquid in alicuius ſinu, atque complexu eſt, aut eſſe ab hominibus exiſtimatur. Quare *filiæ maris* dicuntur inſulæ, *filiæ pharetræ* ſagittæ. Cùm igitur matutina illa ſtella cum aurora naſcatur, & penè in ipſius ſinu, *filius auroræ* dicitur. Pro הילל *helel*, quod noſter reddidit *Lucifer*, quidam tranſtulerunt *vlula*, Vt Aquila, quod Hieronymus non improbat. Neque ſenſus eſt diuerſus, cùm ſtatim addatur id. quod neceſſariò Lucifero tribuendum ſit, vt, quod filius ſit auroræ, aut quod oriatur manè. Hic ergo auroræ filius vlulare iubetur.

57. *Aſſyrios, Chaldæóſque Reges ignis præcedebat.* Cùm comparatio hæc ſatis exprimat Regiam & excellentem dignitatem; tamen hæc multo magis quadrat in Reges Babylonis, nam vt pluribus docuimus ad illud *cap. 7. Aſtuum, Sydus Dei vri Rempham.* Perſæ, Aſſyrij, atque Chaldæi, qui ſummum Deorum ignem arbitrabantur, quæ ignis propria ſunt, aut affinia, ſibi arrogantiſſimè vendicabant. Quare *Solis* nomine ſalutabantur; & Aſiæ Solis nomen ſibi tribuebant. Et eo conſilio primi omnium coronam capiti ſuo impoſuerunt radiis diſtinctam, vt ſpeciem ferrent præ ſe radiantis Solis. Et in acie, aut cùm foras egrediendum eſſet, lux præferebatur, vt quaſi Lucifer matutinus ſolem præcederet ſubſequentem. Quod fecit Holophernes dux Aſſyrij exercitus; quem, vt habet Septuaginta tranſlatio, *Iudith cap.* 10. cùm egreſſus fuit è tabernaculo, vt Iudith aduenientem exciperet, lampades præcedebant. Quod non eſſe ad exigendas tenebras, ſed ad Aſſyrium faſtum ex patria conſuetudine, hinc fit planum: quia quo tempore egreſſus eſſe dicitur Holophernes, non erant vllæ tenebræ. Quia Iudith ad ortum diei exiit è Betbulia, priùs autem quàm ad Imperatoris tabernaculum euaderet, non parum moræ interpoſitum fuiſſe oportet. Tunc autem egreſſus eſſe dicitur Holophernes prælucente lampade. Accommodatè ad hanc conſuetudinem explico illud *Ierem. cap. 1.* vbi ſermo eſt de exercitu Chaldæorum. *Ollam ſuccenſam ego video.* Antecedebat enim Regem radiata corona ad ſolis ſimilitudinem ſplendentem, collucens ignis, quemadmodum Lucifer Solem antegreditur.

58. *Perſæ omnium fluminum aquas, & prouinciarum glebas ſecum habent.* Ad extremum non omittendum quod docet hîc Cyrillus, comparari hic Regẽ Babylonis cum Lucifero, quia vt hic reliqua aſtra ſplendore ſuperat; ſic ille cæteros Reges potentia & dignitate. Qui vt oſtenderent in ſua eſſe poteſtate plurima Regna, quibus latè dominabantur, & quaſi imperio, aut iugo premerent Tyrãnnico, iubebant ex ſingulis prouinciis terræ aſportari glebam, & aquam in vaſculo: veluti ex parte quærentes totum, terram inquam & mare: quaſi domini eſſent rerum omnium. Et quidem, quod ad aquam pertinet, idem de Perſis docet Plutarchus in vita Alexandri, vbi tradit obſeruari ab ipſis in ærario ex omnibus fluminibus aquas, vt oſtenderẽt obtinere ſe omnium prouinciarum imperium. Quam credo conſuetudinem acceperunt à Babyloniis tranſlato iam imperio: nam ante illud tempus non ita latè dominabantur Perſæ, vt ſpiritus illos ingentes habere potuerint.

k *In cœlum aſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum.*] Imbuerat ſtolidos hominum animos ea cogitatio, vt crederent Principes, atque Heroës, vbi è vita exceſſiſſent, inter aſtra referri, aut inter cæleſtes Deos numerari, vt hic notat S. Thom. quomodo Heroës, & Hercules, Caſtor, & Pollux infixi cœlo, atque ibi ſplendere atque humana conſpicere exiſtimantur. Hoc itaque cogitabat, aut etiam ſperabat fore vaniſſimus atque etiam ſtultiſſimus Babylonis Rex, cùm dicit *In cælum aſcendam.* Quæ cogitatio de diuinitatis opinione, fortaſſe nata eſt ex hominum adulatione, qui cùm illuſtri compellatione, atque interdum diuina vaniſſimos iſtos, & ventoſiſſimos homines ſalutant, ipſis nimiùm credulis, & ſupra modum ambitioſis facilè perſuadent, in ipſis aliquid eſſe diuinum, aut diuino ſimile. Sicut *Actorum cap. 12. verſ. 22.* de Herode traditur, qui cùm Regia indutus veſte ad populum verba faceret, acclamauit multitudo, *Dei voces & non hominis.* Ille verò quia Deo non dedit gloriam, illam ſcilicet, quam ab aliis ſibi tribui videbat, id eſt, quia ſe Deum eſſe credidit, aut voluit, percuſſus ab Angelo à vermibus conſumptus eſt. 19.

Hæc omnia mihi probabilia ſunt, ſed exiſtimare aliquis poſſet in hac dicendi formula aliquid eſſe prouerbiale ſicut apud Latinos, cùm fortunam ſuam aliquis admiratur, & prædicat ſuam ſiue fœlicitatem, ſiue ſuperbiam, hoc explicat modo. *Digito cœlum attingo, in cælo ſum; Deus ſum.* & Hiſpanos forma non diſſimili, cùm ſummam alicuius ſœlicitatem, aut faſtum ambitioſum declarare vult, dicit. *Eſta en el cuerno de la luna.* 20. *Prouerbiũ.*

Sed eſt longè veriſimilius, Regem iſtum ad diuinos honores aſpiraſſe, quia verba ipſa in propria ſignificatione id præ ſe ferunt. Neque incredibile eſt, cùm alij Reges ſæpe id quoque tentauerint, & recẽns in ano ſuo Nabuchodonoſor haberet exemplum: qui in aurea ſtatua honores ſibi diuinos deferri voluit. Et ad hunc ſenſum facilè poſſunt accommodari reliqua. Si tamen priùs obſeruemus ſpectaſſe Balthaſarem in ambitione ſua non alios ignobiles Gentilium Deos, qui ſuis etiam cultoribus interdum contemptui erant; ſed Deum, quem colebat Iſraël, de quo ſæpe à captiuis multa acceperat, atque admiranda prodigia; vt quòd ſedem haberet in cœlo, & templum omnium religioſiſſimum, & ornatiſſimum olim excitaſſet in terra, nempe in Hieruſalem, id eſt, in lateribus Aquilonis, & quæ deinde ſequuntur, quæ illius templi ſanctitatem, atque amplitudinem declarant. In tota hac ambitioſa oratione notam ſimilitudinis ſubaudio. Quaſi dicat ſuperbiſſimus hic Rex, Colar ab hominibus, ſicut Deus in cœlo colitur, aut etiam magis, & in terra ea religione, atque honore, quo in Ieruſalem, antequam euerſum eſſet templum, colebatur. Ex his reliqua obſcura non ſunt. 21.

In

22. *In cœlum aſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum.*] Hæ ſatis perſpicuè indicant ſermonem non eſſe de Angelo, qui de cœlo, & ſolio ſupra ſydera eleuato cecidit. Neque enim dicere potuiſſet in ſua illa væſania. *In cœlum aſcendam,* &c. quando iam cœleſtem illam ſedem, & ſolium ſupra ſydera eleuatum obtinebat. Niſi fortè ſpiritum illum inſolentem creatum in hoc aëre, & rebus terreſtribus præpoſitum eſſe dicas; Quod Damaſcenus videtur exiſtimaſſe *lib.2. de fide cap.* 4. Sed hoc omnino pugnat cum communi Theologorum, Patrúmque ſententia, qui aut ſupremum eſſe ſtatuunt, aut è ſupremis vnum Angelum deſertorem.

23. l *Sedebo in monte teſtamenti.*] Hic ſubaudi particulam *Sicut*, id eſt, ſedebo ſicut Iſraelis Deus ſedere dicitur in monte teſtamenti. *Mons teſtamenti* communi Patrum ſententia *templum* eſt. Dicitur verò *mons*, tum quia in monte Moria conſtructum, tum ob ingentem molem, propter quam, etiamſi in plano ſitum eſſet loco, mons tamen iure videri poterat. Dicitur *teſtamenti*, quia in eo erat arca Dei cum tabulis legis. Quo nomine appellatur ſæpe in Scriptura ſacra tabernaculum, cui templum ſucceſſit à Salomone conſtructum; vocatur enim tabernaculum fœderis, & teſtimonij, quæ idem omnino ſunt, quod teſtamentum.

24. m *In lateribus Aquilonis.*] Hîc etiam ſubaudi, *ſicut*, id eſt, colat in terra, putà in Babylone, aut alia quauis orbis prouincia, non aliter atque Deus in lateribus Aquilonis ab Iſraële colebatur. Neque enim quo tempore hæc dicebantur à Balthaſare, templum erat, aut vrbs Solymitana, quam ſciebat à Nabuchodonoſor funditus eſſe deletam. Neque illam, vt eſt veriſimile, inſtaurare cogitabat, vt ibi Iudæorum ritu coleretur pro Deo. Vocatur autem Ieruſalem *latera Aquilonis*, quia in eo latere montium Sion, & Moriæ ſita eſt, quæ ad Regionem Aquilonarem ſpectat. Quo nomine vocatur *Pſal.* 47. *Latera Aquilonis ciuitas Regis magni.*

Pſal. 47.

25. n *Aſcendam ſuper altitudinem nubium.*] Audierat credo Balthaſar à captiuis Deum ſæpe apparuiſſe in nubibus, atque in eis hominibus ſuam oſtendiſſe maieſtatem: vt probat curſus ille longus ab Ægypto ad terram vſque promiſſionis, vbi ſæpius Deus in nube viſus eſt. Vide *Exod. cap.* 16. 19.24.33. 34.40. Quare Dauid de Deo *Pſal.* 103. canit. *Qui ponis nubem aſcenſum tuum.* Quare Chryſoſt. *homil.* 2. *in Acta.* nubem, Dei vehiculum appellat; quod Deus in Aſcenſione ad Chriſtum miſit, vt eo ſymbolo diuinæ maieſtatis illum eſſe Deum oſtenderet. Quare ne quid ſuæ deeſſet maieſtati, Rex ille non ſolùm impius, ſed etiam amens, dicebat aſcenſurum ſe quoque ſupra nubes, & inde non minora, aut pauciora editurum eſſe ſigna, quàm edidiſſet olim Deus Iſraël.

26. Hæc mihi certiſſima ſunt, alij fortaſſe exiſtimabunt hîc tantùm ſignificari ſtudium Regis, quo longè ſupra mortales alios efferri voluit; ita vt non ſolùm ſupra montes ſedeat, quod alij faciunt, ſed etiam ſupra nubes quæ montibus ſuperiores ſunt, caput attollat, quod nemo fecit hominum. Quod tentaſſe videtur Nabuchodonoſor, qui cùm ſtatura eſſet neque maiori, neque auguſtiori humana, ſtatuam ſibi erigi iuſſit magnitudine Coloſſæa, altam nimirum 40. cubitis, id eſt, ea proceritate, vt cum nubium altitudine certare videretur: non ex vili materia, quæ ſitu putreſceret, aut æruginem traheret, ſed ex auto: quam ab hominibus adorari voluit. Sed ſanè quominus hæc expoſitio placeat facit, quòd alia explicatio facilior eſt, tótúmque textum & aperit magis, & meliùs implet: tum præterea quia, cum priùs aſcenſurum ſe in cœlum diceret Rex ille, quod longè montibus, ac nubibus ſublimius eſt, infinito propè ſpatio decreſceret oratio, quod in tanto oratore, & loco vſque adeo illuſtri dicendum non eſt.

27. o *Similis ero altiſſimo.*] Deus Iſraël altiſſimus dicebatur, & implorabatur à captiuis; quia hoc proprium erat & familiare illius Epitheton. Vt paſſim in Scriptura ſacra vides. Quare cùm illud nomen iterari ab exulibus Balthaſar audiiſſet, accepiſſétque nomen eſſe Dei, addit ad extremum ſimilem ſe omnino futurum illi Deo, quem populus captiuus toties altiſſimum implorat; Ac ſi dicat, Quid multis moror, dum ſingula commemoro, quæ mihi deberi puto? Quid cœli, quid nubium, quid montis teſtamenti, quid laterum Aquilonis memoria, aut poſſeſſione delector? Quidquid Hebræorum Deus, qui propter excellentem gloriam, & eximiam maieſtatem *Altiſſimus* vocatur, ab hominum religione, aut à ſua excellenti natura habet, id totum mihi à mea natura præſtami, & ab hominum obſeruantia comparabo. Denique vt vno verbo meum ſtudium ac cogitationem aperiam, ſimilis ero Altiſſimo.

28. p *Veruntamen ad infernum detraberis in profundum laci.*] Qui pro ſui nominis amplitudine non ſatis ſibi eſſe putabat montium faſtigia, nubium altitudines, ſed etiam ſuper aſtra in cœlo deberi ſibi locum arbitrabatur, eò deprimetur ignominiæ, vt quod in lacu infimum eſt, atque deterrimum, proprium ſibi, & æternum domicilium habeat. Eſt autem hîc, vt reor, elegans luſus in ambiguitate Hebraici nominis יֶרֶךְ *ierech*, quod non ſolum *femur*, & *latera* ſignificat, ſed etiam *pedem*, & quod in quacumque re poſtremum, atque infimum eſt. Dixerat nuper ſuperbus Rex, Aſcendam בירכתו *berechatho*, id eſt, *in latera Aquilonis*; huic propheta dicit, detraheris quidem in בירכתו *berechatho*, ſed non in ea ſignificatione, quam tu mente complectebare; ſed in alia, quam minimè cogitabas, id eſt, *in profundum laci*, id eſt, in locū omnino oppoſitum ſummo cœlorum, ad quod arrogantiſſimus tuus ſpiritus inhiabat. Quomodo verò non ſolùm ירכת *ierecheth*, *femur*, & *latera*, ſed etiam *pedem*, aut *infimum* ſignificet, docuimus ad illud *Cant.* 7. *Iunctura femorum tuorum.* Porrò *lacus* pro quo Hebr. שאול *ſeol*, non ſignificat *ſepulchrum*, ſed *infernum*, id eſt, æternam damnatorum cuſtodiam; tum quia periret elegans antitheſis ſummi loci, quem appetebat, & infimi, in quem demerſus eſt Rex Babylonis: tum etiam quia, vt mox dicemus, Rex iſte ſepultus non eſt.

29. Hic verò luſus, qui ex vocis amphibolia, ſiue paranomaſia naſcitur, non ſolùm apud profanos familiaris eſt, de quo Cicerō *lib.* 2. *de oratore*, ſed etiam apud ſacros. In quo genere ſunt illa Danielis *cap.* 13. Rogarat Daniel alterum è ſenibus ſub qua arbore vidiſſet Soſannam cum adoleſcentulo colloquentem; cúmque ille reſpondiſſet *ſub ſchino*, ſubiecit. *Ecce Angelus ſcindet te medium*, alluſit ad verbum σχίζω quod *ſcindere* ſignificat, à quo deriuatum videtur σχῖνος. Rurſus rogatus alter de arbore, *ſub prino* reſpondit, cui ſectionem minatus eſt Daniel accommodatè ad nomen prini, quod deriuatur à verbo πρίζω, quod *ſerrare* valet, aut *ſecare*. Eodem modo *Ierem. cap.* 1. cum dixiſſet

Luſus in amphibolia vocis apud Hebræos.

Ierem. 1.

viſam à ſe fuiſſe *virgam vigilantem*, & vt alij vertunt, *amygdalinam*, Reſpondit Deus, *Bene vidiſti, quia ego vigilabo*. Alluſit ad vocem Hebraicam שקד *ſakad*, quæ *amygdalum*, & *vigilare* valet. Hinc ego
Iud. 7. inueniſſe mihi videor cur *Iud. cap. 7. verſ.* 13. ex ſubcinericio pane, quem per quietem viderat Madianita, coniectauerit, venturum eſſe in caſtra Madian, Gedeonis gladium. Nam, ſi rerum naturas ſpectes, nil video commune eſſe *panis* cum *gladio*; imò potiùs omnia videntur eſſe contraria. Coniectauit autem optimè ex ambigua nominis ſignificatione. Nam לחם *lechem*, ſignificat *panem*, & *bellum*, ex ea coniunctione non naturæ, ſed ſignificationis coniectauit in *pane* ſignificari, aut gladium aut bellum, quod à Gedeone Madianitarum caſtris imminebat.

30. ᵍ *Omnes Reges Gentium vniuerſi dormierunt in gloria, vir in domo ſua.*] Nunc inferiorem oſtendit hunc Regem aliis omnibus honore ſepulturæ. Reges enim alij, vtcumque malè ab hoc Babylonio iactati, dormiunt tamen in gloria: id eſt, nacti ſunt honeſtam, & regiam ſepulturam in domo ſua, nempe in parentum ſuorum ſepulchro, aut in eo quod digno poſſis oſtendere; non permixti, atque confuſi cum ignobili turba; aut inhumati, atque proiecti turpiter. Sed tu nullum habes, neque honeſtum, neque certum locum, vbi oſſa dormiant infelicia, quia diſperſa ſunt ſicut aſinorum oſſa quæ à canibus tracta, atque diſiecta multa conſternunt, atque contaminant loca.

31. Hebræorum fabula de Nabuchodonoſor. ʳ *Tu autem proiectus es de ſepulchro tuo.*] Hic Hebræorum magiſtri ſuo modo multa confingunt, qui putant hîc ſermonem eſſe de Nabuchodonoſor. Dicunt enim, vt refert Hieronymus, eius filium Euilmerodach regnaſſe ſeptem illos annos, quibus mutatus in belluam pater inter homines eſſe deſiit. Cùm verò menti iam reſtitutus, regno quoque reſtitueretur Nabuchodonoſor, ad mortem vſque illius in vinculis egiſſe Euilmerodach ſimul cum Rege Ioachim. Cùm verò rurſus mortuo patre vocaretur in regnum, neque tamen admitteretur ab omnibus, quia nonnulli extinctum eſſe negabant Nabuchodonoſor, vt fidem faceret oculis mortuum eſſe patrem, cuius vitæ ſuſpicio ſuis rationibus vehementer obſtabat, patrem effodiſſe ſepulcro, vncóque, & funibus publicè raptaſſe. Hęc paulò aliter Haymo & Hugo, qui cadauer Regium dicunt in trecentas partes fuiſſe diuiſum, traditúmque tandem auibus, quæ in diuerſas mundi plagas diſſeminarent; idque conſilio Ioachim. Sed quia non videat hanc fabulam eſſe, aut aliquid affine fabulæ; nam inprimis, vt paulò antè diximus, vaticinium hoc non eſt de Nabuchodonoſor; ſed de eius nepote Balthaſare, quia multa quæ deinceps dicuntur in illum conuenire non poſſunt. Vt quòd filij eius, de quo hîc ſermo, occidendi ſint, neque parenti in Regno ſucceſſuri: At non ſolùm Nabuchodonoſoris filius, ſed etiam nepos poſt ipſum regnauerunt. Balthaſaris verò filij mortuo patre regno potiti non ſunt, ſed ſimul cum patre, & imperio Babylonico communi cæde ſublati, de quibus dictum eſt, *Præparate filios eius occiſioni.* Deinde ille, contra quem hæ propheticæ minæ, talia paſſurus dicitur à Perſis, & Medis, vt liquet ex Iſaia *cap.* 13. & ex Ieremia *cap.* 50. & 51. At longè poſt extinctum Nabuchodonoſorem Perſæ, ac Medi ducibus Cyro, atque Dario in Babylonicos fines irruperunt. Deinde veriſimile non eſt filium quantumcumque impium, eo præſertim tempore, quo populum ſibi placare voluit, commiſſurum, vt paternum cadauer ex Regio extractum monumento, per ludibrium raptaret ſpectantibus aliis, quos non malè in defunctum Regem animatos eſſe coniectare poterat, quia opinione vitæ paternis è regno ſe pelli videbat; vt Hebræi tradunt. Hæc multò meliùs conueniunt in Balthaſarem poſtremum Regem Babylonis ex familia & gente Merodach, qui à Perſis, & Medis ſuperatus, & occiſus fuiſſe traditur *Dan. cap.* 6.

32. At durum eſſe dices Regem hunc Babylonis illatum non eſſe ſepulturæ; cùm effoſſus exiſtimari poſſit de ſepulchro. Id enim ſibi videtur velle illud, *Proiectus es de ſepulchro tuo*; quod Hebræorum Doctores adduxit, vt fabulam illam ſomniarent, quam modò retulimus. Sed huic obiectioni occurrit ſatis communis in omni ferme lingua loquendi conſuetudo. Nam cùm aliquid aut proximum eſt, vt fiat, aut in eo ſtatu, vt haberi pro facto poſſit, & de cuius ſucceſſo nemo dubitat, aut deſperat, etiam ſi quis illud non obtinuerit, ab eo tamen excidiſſe dicitur, aut pulſus eſſe. Qua ratione imperator dicitur amiſiſſe victoriam, quam ſpe iam, & cogitatione deuorarat: Et quiſpiam è poſſeſſione depulſus, quam ſibi deberi exiſtimabat, & iure ſibi vendicabat, etiamſi nunquam pedem in illa poſuiſſet: & eiectus domo, quam ſibi ad habitandum conſtruxerat, etiamſi in illam nunquam eſſet ingreſſus. Hîc igitur de ſepulchro ſuo proiectus eſſe dicitur Balthaſar, in quod nunquam conditus fuerat, quia in illum vſum ſibi pararat nouum, aut antiquum, & toti communi familiæ à patribus acceperat; neque futurum exiſtimabat, vt eius honore priuaretur.

Regula. Depulſus aliquis ab eo dicitur, in quo nunquã fuit, ſi ipſe, aut conſuetudine in eo eſſe debuit, aut potuit.

33. ſ *Quaſi ſtirps inutilis.*] Ex diſciplina ruſtica ſtirpes illæ, aut trunci terræ infodiuntur, quæ vtiles futuræ cenſentur, & cuius ſobolem conſeruari volumus; ſi quis tamen ramus, aut truncus inutilis eſt, aut quia ignobilis, de quo nihil ſuaue, aut generoſum expectes: aut ſterilis, quales ſunt in plantis, quos ſtolones, aut nepotes vocamus: aut certè ſi quid aridum eſt, & quod nihil agricolæ promittat: illud terra non tegitur ad propagationem, ſed igni potiùs, aut obliuioni relinquitur, vt pereat: ſic Rex iſte, quaſi truncus inutilis, terræ, id eſt, ſepulchro mandatus non eſt, ſed inter alia vulgi cadauera; quaſi in lignorum inutilium aceruum coniectus.

34. ᵗ *Pollutus, & obuolutus cum iis, qui interfecti ſunt gladio.*] Qui in acie cadunt ſiue in magna multitudinis ſtrage intereunt, aut inhumati relinquuntur, vt vultures paſcant, & canes, aut certè cateruatim in foſſam coniiciuntur, vbi fœdè putreſcunt, & vermibus ſcatent. Et hoc poſterius huic Regi contigiſſe ſatis inſinuat illud, *Subter te ſternetur tinea, & vermis erit operimentum tuum.* Quod communi ſepulturæ conuenit, & vulgari, in quam cùm pauperes, & magno numero, & nullo ordine coniiciantur, ſupra ſe habent, & infra ſe cadauera, quorum ſanie, ac vermibus vndique circumfunduntur, atque obuoluuntur. Quare Rex iſte pro pretioſa veſte magno ſtudio, atque arte elaborata, quæ regium regit, & ſuſtentat cadauer; vermes habebit, qui operiant, & tineam, quæ ſubſtrata ſuffulciat abiectum corpus: quæ abundè ſuppeditabunt mortuorum acerui, qui eamdem cum illo ſedem occupabunt. Hæc nullo modo in Nabuchodonoſor conuenire poſſunt, qui in pace obiit, & ſic patrio more conditus eſt aromate, neque ſolutus

eſt

eſt in ſaniem, neque extabuit in vermes: ſecus eſſet, ſi caderet cadente patria inter armatos hoſtes.

35. u *Preparate filios eius occiſioni,* &c. *non conſurgent, neque hereditabunt terram.*] Cum Rege ſemen quoque regium extinctum eſt: neque vllus iam ampliùs ex ea familia dominatus eſt. Quàm id alienum ſit à Nabuchodonoſor, quis non videt?

36. x *Neque implebunt faciem orbis ciuitatum.*] Hæc tranſlatio obſcura eſt, & ex ſententia Hieronymi alia non improbanda. Pro *ciuitatū*, Hebr. ערים *hharim*, quæ vox, teſte Hieronymo *aduerſarios* valet, & *ciuitates*. Si *ciuitates* legas, vt eſt in Vulgato, ſenſus erit: Filij Regum Babylonis non implebunt faciem orbis, id eſt, totum orbem ciuitatibus ſuis, id eſt, non habebunt ſub ditione ſua totius orbis ciuitates. Eſt autem hoc Hebraicum idioma, vt *facies alicuius*, idem ſit quod *aliquis*, quomodo dicimus, *faciem venti*, *faciem gladij*, pro *vento*, & *gladio*, *faciem terræ*, pro *terra*. Sic nunc *facies orbis*, *orbis* eſt. Id verò hyperbolicè dicitur, ſeu certè verè, quia Reges illi vaniſſimi ſæpiùs prædicabant totius ſe orbis habitoros eſſe dominatum. Vt de hoc regum poſtremo nuper vidimus, qui etiam iactabat patere ſuæ potentiæ aditum in cœlum, cuius imaginem aliquam videmus *Dan. cap. 4.* vbi talis viſio oblata Regi Babylonis, qualis ipſius erat frequens cogitatio. *Magna arbor, & fortis, & proceritas eius contingens cœlum: aſpectus illius erat vſque ad terminos vniuerſæ terræ.* Sed ſtatim ſubditur, quid de illa arbore Dominus cogitauerit: idem fere quod hîc ab Iſaia dicitur: *Succidite arborem, & præcidite ramos eius.* Si verò cum Septuaginta atque Chaldæo pro *ciuitatibus* legas *aduerſarios*, aut *bella*, vt etiam Pagninus vertit, ſenſus erit, Non implebunt Baltaſaris filij orbem infenſis caſtris, ſicut fecerunt parentes, qui bellicis motibus omnia turbarunt. Ita Cyrillus. Aut non erunt è ſemine Babylonio, ac Regio, qui ſe contra eos, à quibus ſunt è ſolio deiecti, commouere audeant, aut de repetendo Regno cogitare.

Facies orbis, pro orbe.

37. y *Et in paludes aquarum.*] Accommodatè hæc ad naturam, ſitúmque Regionis; nam Babylon in planicie ſita eſt, & à fluuio magno, eiúſque foſſis, ac riuis, aliò atque aliò deriuatis circumfuſa. Quare facile intellectu eſt, quomodo à cœno, atque paluſtri humore tetri futura ſit odoris, & hominum habitationi parum opportuna.

38. z *Et ſcopabo eam in ſcopa terens.*] Prouerbialis hyperbole qua ſignificamus ex aliqua re nihil omnino futurum eſſe reliqui. Nam inſtrumenta alia, aut ferramenta cœmentariorum, ſic diſcutiunt lateres, aut ſaxa, vt tamen ex antiqua mole pulueris aliquid relinquant. Sed ſcopæ totum euertunt, emundántque ſolum ab omni ſorde: & illa coniugatorum coniunctio, *ſcopabo in ſcopa*, accuratum ſtudium verrentis oſtendit; qui minutiſſimum quoque puluiſculum ſcrutatur, & abolet. Illud verò *ſcopa terens* accuratum aliquod ſtudium indicat: quaſi verrendum ſit pauimentum, non molli brachio, aut ſuſpenſa ſcopa, &, vt aiunt, per pectinem, ſed apprehenſa, & manu ſedula ac forti. Eodem orationis genere vtitur Ezechiel *cap. 26.* cùm idem minatur exitium Tyro, quod Iſaias Babyloni: *Et diſſipabunt muros Tyri, & deſtruent turres eius, & radent puluerem eius de eo: & dabo eam in limpidiſſimam petram.* Et 3. *Reg. cap. 14.* *Mundabo reliquias domus Ieroboam, ſicut mundari ſolet fimus vſque ad purum.* Quæ dicendi formula profanis etiam vſitata eſt. Plautus *in Rudente*. *Conuerret hic iam*

Prouerbiū.

Ezech. 26.

3. Reg. 14.

me totum cum puluiſculo.

39. a a *Iurauit Dominus exercituum dicens, ſi non, vt putaui, ita erit.*] Huc vſque prophetia de Babylone. Nunc iam iuramento confirmat Deus illa omnia, quæ dixerat à capite, vt reor, ſeptimo, de hoſtibus Iudæorum, nempe de Regibus Samariæ, & Syriæ, quæ argumento eſſe voluit domui Dauid naſciturì de virgine Emanuelis, vt ſuo loco diximus. Sed hæret præſertim in Senacherib, quia illius iam penè impendebat exercitus ciuitati. Hæc verò repetitio confirmationem & certitudinem continet eorum, quæ dicta ſunt. Illud *ſi* ita formulam indicat iuramenti, vt etiam per apoſiopeſim Hebræis familiarē execrationem importet, perinde atque ſi dicat Deus. Si non ita contigerit, ne ſim Deus; aut haberi mihi fidem in aliis non poſtulo, aut quid ſimile.

40. b b *Vt conteram Aſſyrium in terra mea, & in montibus meis conculcem eum.*] Hîc iam apertè loquitur de Senacherib: nam alij Aſſyriorum Reges contriti non ſunt in terra Domini, id eſt, in terra promiſſionis. Iugum autem, & onus Senacherib depellendum dicit, quia vt *ex Iſaia cap. 36. & 4. Reg. 18.* conſtat, plurimas ciuitates ceperat, ſibíque, vt rei natura fert, reddiderat vectigales. Depellendum autem dicit à montibus, quia terra promiſſionis, quam ſuam Dominus appellat, montoſa eſt; & ciuitates in ea plurimæ in montibus ſitæ.

41. c c *Super omnem terram,* &c. *& ſuper vniuerſas gentes.*] Hîc paucis complectitur propheta quicquid pluribus dixerat de Aſſyriorum excidio, de Syriæ, atque Samariæ vaſtitate; omnem verò terram illam intelligit, quæ bella mouerat contra Iudæos, Aſſyriam præſertim, & quæcumque Aſſyrio Regi ſubiecta eſt. Iuxta regulam à nobis ſæpius ex Hieronymo repetitam, quæ vniuerſale ſignum, ad Regionem de qua ſermo eſt, accommodat, & coarctat. Vniuerſas Gentes illas intelligit iuxta eamdem regulam, quæ aut fœdus inierunt, & ſocietatem cum Aſſyriis, & Syris contra Iudæos, aut illis infenſæ fuerunt, vt Palæſtinæ, Idumeæ, Moabitides, Ægyptiæ, de quibus ſeorſum deinceps multa prædicit Iſaias. Quare non bene hinc aliqui colligunt vaticinium hoc eſſe de extrema totius mundi vaſtitate.

42. d d *In anno quo mortuus eſt Rex Achaz, factum eſt onus iſtud.*] Transfert iam propheticas minas Iſaias ad Regiones magis vicinas, quæ variis motibus, aſſiduíſque bellis Iudaicæ Gentis pacem, rationéſque turbarant; & producit ad caput vſque vigeſimum quintum. Quot verò annis hæc vaticinatus fuerit Iſaias, poſt illam prophetiam, de qua nuper, incertum eſt, quia quoto anno Regni Achaz illam acceperit prophetiam, obſcurum. Contigit tamen primo anno Regni Ezechiæ, cuius occaſione hæc dicta ſunt contra Palæſtinos. Quo confirmare voluit Deus Iudæorum animos, & excitare ad bene ſperandum de noui Regis auſpicatiſſimo Regno.

43. e e *Ne læteris Philiſthæa omnis tu, quoniam comminuta eſt virga percuſſoris tui.*] Conuenit inter omnes hoc vaticinium eſſe de Ezechia, qui Philiſtæos ita durè percuſſit, qualiter nullus aliorum Regum Iuda. De quo *lib. 4. Reg. cap. 18.* *Ipſe percuſſit Philiſthæos vſque ad Gazam: & omnes terminos eorum à turre cuſtodum vſque ad ciuitatem munitam.* Et ita ſanè videbatur expedire, vt eleuato in ſolium Rege vſque adeò dilecto Domino, hæc dicerentur à propheta Dei nuncio, quaſi ſecunda initæ dignitatis

auſpicia. Sed eſt difficile explicatu, quis ſit ille percuſſor, cuius comminutam eſſe virgam Palæſtini lætantur. Hieronymus putat eſſe Regem Achaz, cuius morte exultaſſe Philiſtæos credibile eſt: quia commune eſt hoſtibus maximè vicinis lætari, ſi quid aduerſum, aut quod tale exiſtimatur communiter hoſtibus acciderit. Alij Oziam eſſe credunt proauum Ezechiæ, qui vt traditur 2. *lib. Paralip. cap.* 26. *Pugnauit contra Philiſtim, & deſtruxit murum Geth, & murum Iamniæ, murúmque Azoti. Ædificauit quoque oppida in Azoto, & in Philiſtim; & adiuuit eum Dominus contra Philiſtim.* Mihi valdè ve-
44. riſimile eſt hîc non eſſe ſermonem de Achaz, cuius virga Palæſtini percuſſi non ſunt; neque de vno tantùm Ozia, quia inter hunc, & pronepotem Ezechiam duo alij fuerunt interiecti Reges; ſed de omnibus Regibus, aut ducibus Iſrael, quorum armis Deus contuderat potentiam, & ſpiritus Philiſtim. Qualis fuit Samſon, Dauid, Ozias, & alij. Cùm enim multi exacti eſſent anni, ex quo à Regibus Iuda nullã acceperant plagã; imò ipſi ſub Achaz non leuem plagam Iudæis inflixiſſent, de qua 2. *Paralip.* 28. *verſ.* 18. lætabantur, quaſi Deus iam in perpetuum furoris ſui virgam confregiſſet. Contra hos ergo propheta dicit non confractam eſſe virgam, quam olim Deus per manus Samſon, Dauidis & Oziæ vibrauit in caput Philiſtim; ſed vigere adhuc, & traditam eſſe manibus Ezechiæ, à quo non mitiùs tractandi eſſent, quàm ab illis quos omnibus ſæculis nimiùm duros experti ſunt, in quam ſententiam inclinat Lyra.

45. ff *De radice enim colubri egredietur regulus.*]
Prouerbiũ. Prouerbium hoc proculdubio eſt Hebræorum, quo, vt reor, tunc vtuntur, quando alicui graui infortunio ſuccedit aliud longè grauius; aut potenti, atque infeſto hoſti alius ſuccedit potentior, & infeſtior. Quod aliter ſignificauit Roboam eum eodem ſenſu, & prouerbiali etiam ſpecie dixit: *Pater meus cecidit vos loris, ego cædam vos ſcorpionibus.* Fuit quidem Ozias, cuius ex his, qui rem Philiſtinam afflixerunt, memoria recentior, & ad quem præcipuè reſpexiſſe videtur Iſaias, tanquam coluber, qui peſtilenti halitu afflauit Philiſtinorum fines, contaminauítque, atque vſſit miſerabiliter, dum noxio tractu huc atque illuc ſe variè conuoluit. Sed ex ea radice, quæ iam videbatur exciſa, id eſt, ex eius genere, natus eſt regulus, qui non ſolùm morſu, ac tactu lacerat, atque vrit quicquid habet obuium, ſed etiam viſu ſi quid habet fidei antiquorum hiſtoria. Quare multò nocet grauiùs, neque vlla induſtria vis illa nocentiſſima vitari poteſt. Aut fortaſſe alluſum eſt ad hiſtoriam Samſon, cuius omnia conſilia, atque conatus in Philiſtinorum cladem exarſerunt. Hic natus eſt ex ſemine Dan, cui à parente Iacob dictum eſt *Geneſ.* 49. propter Samſon, vt eſt communis interpretum ſententia, *Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita.* Quare ſenſus videtur non alienus. Nondum periit coluber ille, qui in veſtrum genus, ô Philiſtim, deſæuiens venenum euomuit nocentiſſimum: ex illo enim naſcetur, id eſt, illi ſuccedet, non iam coluber, aut ceraſtes, ſed Baſiliſcus, qui maiori vos, ac minùs euitabili damno conficiet.

46. gg *Et ſemen eius abſorbens volucrem.*] De Baſiliſco, ſeu regulo multa ab Hiſtoricis traduntur, ſed illud præcipuè quòd non ſolùm halitu, ſed etiam viſu diſtantes perimat. Quare longè nocentior eſt, quàm coluber in via, aut ceraſtes in ſemita; ij enim aut morſu appetunt, aut veneno enecant illa, quæ proxima habent, & terram calcant, at Regulus id etiam, quod volat, & procul eſt. Septuaginta aliter legunt, *Et ſemen eius ſerpens pennatus.* quam tranſlationem non improbat Hieronymus, & aliis communiter placet. Pro *ſerpente* Hebr. eſt שרף *ſaraph*, quod *igneum*, ſiue *ardentem* valet. Quare veriſimile mihi eſt talem ſerpentẽ hîc à propheta ſignificari, quales illi fuerũt, qui *Nu.* 21. peremiſſe dicuntur plurimos de filiis Iſrael. Qui an pennati fuerint non conſtat; ſed conſtat pennatos eſſe dracones, qui non minùs celeri volatu ferantur, quàm aues, quales ſunt Arabici, de quibus Solinus *cap.* 35. contra quos pugnant ibides aues ſerpentibus infenſiſſimæ, quo nomine ab Ægyptiis numinis loco habentur. Iuxta hanc lectionem Septuaginta exiſtimo vnum eſſe, atque idem, & Regulum priori loco, & alatum ſerpentem poſteriori poſitum per epexegeſim Hebræis familiarem. Et quidem *Iſai. cap.* 30. *verſ.* 6. Regulus alatus dicitur, ſeu volans. — Dracones alati.

47. hh *Et paſcentur primogeniti pauperum.*] *Primogeniti* non ſolùm ſunt, qui primi inter fratres nati, ſed figuratè qui in quolibet ordine primi ſunt, & maximè ab illis quorum vocantur primogeniti, dilecti; quia hæc iis qui primo loco naſcuntur, aut debentur, aut certè indulgentur plerumque. Quo ſenſu à Polycarpo, vt refert Hieronymus de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, Marcion primogenitus Diaboli vocatus eſt; quia à Diabolo, & primo loco habitus, & quia illi ſimillimus, maximè dilectus eſt. Et *Iob cap.* 18. *verſ.* 13. mors *primogenita* dicitur; id eſt, acerbiſſima, atque in eo moriendi genere præcipua. Sic Chriſtus à Paulo *ad Coloſ.* 1. *verſ.* 15. *primogenitus vocatur omnis creaturæ.* Et in hac ipſa materia *Exod.* 4. 22. Iſrael dicitur *primogenitus Dei.* Sic igitur hoc loco Iudæi *pauperum primogeniti* dicuntur; *primogeniti* quidem, quia inter eos, qui pauperum more grauia, atque indigna à potentioribus patiuntur, maximè curantur, & amantur à Domino; *Pauperes* verò, quia grauiſſimè, variis temporibus, & à variis gentibus vexati ſunt. Maximè tempore Achaz non multò antè hoc vaticinium, vt conſtat 2. *Paralip. cap.* 28. Hi ergo vſque adeò pauperes paſcentur abundanter, in terra; & interim fame conficietur Philiſtæa. — *Primogeniti* qui in aliquo ordine præcipuus.

48. ii *Vlula porta, clama ciuitas.*] Summis infimiſque prædicit vaſtitatem, & famem. *Porta* pro principibus ſumitur, quia hi ſedere ſolent in portis, vbi publica exercentur iudicia; *Ciuitas* pro reliqua multitudine, quia in ea confuſum eſt, & promiſcuum vulgus. Vtrumque per Metonymiam, in quo continens pro contento ponitur.

49. kk *Ab Aquilone enim fumus venit.*] Hieronymus quem alij quoque ſequuntur, hanc cladem ab Aſſyriis infligendam putat, quia ab Aquilone profectura dicitur: Addo ego quia *fumi* meminit: notum eſt autem *fumum*, ſeu *ignem* antegredi ſolere Aſſyriorum caſtra, vt paulò antè diximus ad illud, *Quomodo cecidiſti Lucifer.* Sed eſt mihi longè veriſimilius hîc potiùs prædici vaſtitatem Palæſtinis per Ezechiam comparatam: nam de hoc agi in prioribus ſatis conſtat. Ex poſterioribus etiam aliqua non bene conueniunt in Aſſyrios. Hæc enim ratio redditur cur Deus illa perfecturus ſit, quæ connumerata ſunt. *Quia Dominus fundauit Sion, & in ipſo ſperabunt.* Sed hæc ratio non tam fauet Aſſyriis, vt eorum armis atque virtute talia completa videantur, quàm filiis Sion. Adde quòd, ſi quando iſta ab Iſaia dicebantur, id eſt, mortuo

Achaz,

Achaz, iam aliqua ex parte afflicti fuerant Palæſtini ab Aſſyriis, ſub Teglathphalaſar, de illa clade vaticinium iſtud eſſe non poteſt; vt conſtat; ſed neque de illa, quæ poſt hæc tempora attuliſſe videtur Senacherib (nam de hoc putat Hieronymus hîc agi) quia multò pòſt quàm ab Ezechia Palæſtini conciſi ſunt, ingreſſus eſt in illorum fines anno nempe decimo quarto Ezechiæ, vt conſtat 4. *Reg. cap.* 18. Neque eſt veriſimile omiſſa priori clade ab Ezechia illata, actum eſſe de poſteriori, quam attulit Senacherib; quæ neque tam grauis fuit, ſi vlla fuit, neque, quod ego ſciam, ex Scriptura ſacra conſtat à Senacherib quidquam paſſos eſſe Palæſtinos.

50. Neque rationes nos cogunt in contrariam ſententiam: quia ſi à Ieruſalem Palæſtinæ malum ingruit, planè ab Aquilone venit. Cùm enim Palæſtina ſit ad oram mediterranei maris, quod ad meridiem ſpectat, & Ieruſalem in medio terræ promiſſionis ſit, planè efficitur comparatione Palæſtinæ Aquilonarem eſſe Ieruſalem. Illud verò de *fumo*, non magis vrget; nam ſicut *incendium* pro magna ſtrage, aut excidio ponitur, ſic etiam per metonymiam *fumus*, qui incendij ſignum, & effectus eſt. Niſi malis *fumum* hic accipi pro eo puluere, qui ab incitata, atque conſerta militum acie inſtar nubis excitari ſolet. Hoc enim modo profani ſcriptores feſtinatum agminis curſum explicare ſolent. Virgil. 9. *Æneid.*

Hic ſubitam nigro glomerari puluere nubem
Proſpiciunt Troes, ac tenebras inſurgere campis.
Primus ab aduerſa conclamat mole Caicus.
Quis globus, ò ciues, caligine voluitur atra.
Hoſtis adeſt.

Et *lib.* 11.

Quadrupedúmque putrem curſu quatit vngula campum.
Voluitur ad muros caligine turbidus atra
Puluis.

Et paulò pòſt:

Ac ſimul Æneas fumantes puluere campos
Proſpexit.

Signum hoc aduentantis hoſtis *mutum* vocat Vegetius, *lib.* 3. *cap.* 5. *Mutum*, inquit, *& commune ſignū eſt quoties proficiſcente turba exaltatus puluis ad ſimilitudinem nubis ſurgit, hoſtémque prodit aduentum.*

[ll] *Quid reſpondebitur nuntiis gentium? quia Dominus fundauit Sion.*] Vſitatum fuit in omni ferme natione, vt vicini Principes, ſi quid alicui, aut ſecundum, aut aduerſum acciderit, legatione ſignificent ſibi illud, aut dolori fuiſſe, aut voluptati. Ex Hebræis fecit Dauid 2. *Reg. cap.* 10. qui legatos miſit ad Hanon Regem Ammonitarum, vt illum de patris morte ſolarentur. Et *eodem lib. cap.* 8. Thou Rex Emath filium ſuum legauit ad Dauid, qui gratularetur illi de victoria, quam tulerat de Adarezer. Rex item Babylonis Merodach nuntios miſit ad Ezechiam, qui de reſtituta valetudine gratularentur. *Iſai.* 39. Dicit igitur Iſaias Gentium legatis, qui gratulatum venerint ad Ezechiam ob victoriam de Philiſtæis comparatam, Reſpondendum eſſe victoriam illam acceptam eſſe referendam Dei benignitati, atque potentiæ, non hominum viribus. Digna ſanè tanto propheta cogitatio, quæ Deum rerum magnarum auctorem agnoſcit. Quod etiam fecerunt viri etiam à religione vera alieni, in quibus aliquid erat ſanæ mentis. Quibus ſiquid accidebat ſupra ſpem, aut vires, id diuinæ adſcribebant virtuti, non ſuis viribus, aut induſtriæ. Quod confeſſus eſt Cyrus *lib.* 1. *Eſdræ cap.* 1. *Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli.* & Titus vt tradit Ioſephus *lib.* 7. *de bel. cap.* 16. admiratus tantam vrbem, támque munitam fuiſſe ſuperatam dixit. *Planè Deo adiuuante pugnauimus.* Et, vt refert Philoſtratus *lib.* 6. *de vita Apollonij*, propter victoriam de Iudæa partam coronari noluit, quia diuina virtute opus illud perfectum eſſe videbat, non ſua. Sic autem Philoſtratus. *Finitimæ Gentes ob victoriam coronare ipſum voluerunt; ille verò tali honore indignum ſe eſſe reſpondit: non enim ſe talium operum auctorem, ſed Deo iracundiam contra Iudæos demonſtranti manus ſuas præbuiſſe.* 51. Gratulationis officium vſitatum in omni natione. Deo victoriæ referendæ.

[mm] *Et in ipſo ſperabunt pauperes populi eius*] Reſpondebit populus non ſolùm liberatus ab hoſtibus, ſed etiam eorum exuuiis luculenter ornatus: admonitus tanto, támque inſperato Dei beneficio, deinde in vno Deo ſpem eſſe ponendam, qui vnicum pauperibus ſolatium, atque perfugium eſt. Pauperes verò dicuntur, qui durè aliorum armis aut iniuriis vexantur, vt nuper diximus, ad illud, *primogeniti pauperum.* 52.

Argumentum decimiquinti capitis Iſaiæ.

HOC vaticinium durum eſt contra Moabitas, quibus vaſtitatem extremam, & exilium minatur, & primùm ciuitatibus, quæ toti Moab, ornamentum erant, & præſidium. Deinde à Segor vſque ad Oronaim, id eſt, ab Orientali ad Occidentalem vſque plagam, ait nihil futurum eſſe liberum ſiue ab hoſtili gladio, ſiue ab eiulatu, & fletu. Tandem aliquid ſingulare, ac proprium paſſuram eſſe dicit Dibon, quæ in regione Moabitide mirificos vſus, & delicias præbebat Moabitis.

CAPVT XV.

1 [a] ONVS [b] *Moab.* [c] *quia nocte vaſtata eſt Ar Moab, conticuit:* [d] *quia nocte vaſtatus eſt murus Moab, conticuit.*

2 [e] *Aſ*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 VATICINIVM durum, & graue contra Moab; qui & ipſi populo Dei durus, & grauis fuit. Quia Areopolis Moabitidis prouinciæ

caput

caput, vaſtata eſt nocturna boſtium impreſſione, tota Moabitica prouincia cohorruit, & ſiluit; Moab inquam obſtupuit, atque conticuit vaſtata Areopoli, quæ murus erat, & propugnaculum totius Moabiticæ regionis.

2 Cùm ciuitas quæ *Beth*, id eſt, *domus* appellatur, videret à Chaldæis anguſtè vrgeri, atque vaſtari vicinas ciuitates Nabo, & Medaba, ad excelſa, & magis tuta loca conſcendit, vt ibi ſuas, & communes calamitates commodiùs deploraret: & tota denique Moab lugubrem edidit vlulatum, ita vt nullum ſit caput, quod non turpe fœdet caluitium, aut barba quam non funus, & lamentatio corraſerit.

3 In triuiis, & compitis, accincti ſacco errabunt Moabitæ; & tá in priuatis tectis, & in ſumma domo, quàm in publicis plateis locíſque frequentibus tota ciuitas flebili perſonabit vlulatu.

4 Clamabit Heſſebon, & Eleale contento vſque adeò plangore, atque eiulatu, vt ad Iaſſa, quæ in finibus Moabiticæ prouinciæ ſita eſt, audiatur flebile lamentum. Neque fletus iſte eorum tantùm erit, qui muliebri ſunt aut ſexu, aut animo; ſed robuſtorum etiam, quíque aliorum præſidium, & columen futuri videbantur; ídque non ſimulatè, vt qui in funere gemitus vendunt, & lacrymas; ſed ſeriò & verè, ita vt non lingua ſolùm, ſed anima etiam lamentetur, & plangat.

5 Quamuis Moab ſæpe Iudæorum prouinciam bello tentauerit, affecerit non leuibus incommodis, propter quod illi non immeritò ſuccenſere debeam, ea tamen erit plagæ magnitudo, ea regionis ſpecies poſt hoſtilem aduentum, vt ego quoque flere, ac lachrymari compellar, tota namque regio ab vltimis finibus, (id eſt, à Segor, quæ ſic exultat, atque laſciuit in vbere, atque amœno loco, ſicut vitula triennis, neque dum iugi patiens in opimo, atque vbere prato luxuriat) durè ab hoſte vexabitur. Aſcendet itaque Moab captiuus à Segor vſque ad Oronaim, quæ Babylonios reſpicit fines, & extrema eſt in Aquilonari plaga, per Luith, quæ media eſt, & aſcenſu arduo; ibique flebili eiulatu, & ſeruitutem ſuam, & patriæ vaſtitatem lamentabitur.

6 Aquæ Nimrim, quæ ſubiectos exhilarabant, & fœcundabant agros; erunt iam deſertæ, quia cultores aberunt, qui illas in hortos, aut in amœna loca deriuent. Atque ideo in agris quondam omni varietate conſpicuis areſcet herba, deficiet germen, & omnis plantarum viriditas interibit.

7 Pro menſura operum ſic erit, & plagarum magnitudo. Vt enim Moabitæ in omnem voluptatem ſoluti in agro à torrentibus aquis Nimrim amœno, atque vbere deliciabantur, ſic ad torrentes ſalicum, id eſt, ad flumina Babylonis, ex quorum ſalicibus filij Iſrael ſua ſuſpenderunt organa; captiui ipſi quoque ducentur, à torrentibus

2 [e] *Aſcendit Domus, & Dibon ad excelſa in planctum: ſuper Nabo, & ſuper Medaba, Moab vlulabit:* [f] *in cunctis capitibus eius caluitium, & omnis barba radetur.*

3 *In triuiis eius, accincti ſunt ſacco:* [g] *ſuper tecta eius, & in plateis eius omnis vlulatus, deſcendit in fletum.*

4 *Clamabit Heſebon & Eleale,* [h] *vſque Iaſa audita eſt vox eorum, ſuper hoc expediti Moab vlulabunt,* [i] *anima eius vlulabit ſibi.*

5 [k] *Cor meum ad Moab clamabit:* [l] *vectes eius vſque ad Segor* [m] *vitulam conternantem.* [n] *Per aſcenſum enim Luith flens aſcendet, & in via Oronaim clamorem contritionis leuabunt.*

6 *Aquæ enim Nemrim deſertæ erunt, quia aruit herba, defecit germen, viror omnis interiit.*

7 [o] *Secundùm magnitudinem operis, & viſitatio eorum: ad torrentem ſalicum ducent eos.*

8 Quo

tibus nempe voluptatis ad torrentes anguſtiæ, atque doloris abducti.

8 *Quoniam circuibit clamor terminum Moab: vſque ad Gallim vlulatus eius, & vſque ad Puteum Elim clamor eius.*

8 Neque vlla pars erit in toto Moab, quæ non luctu, atque clamore perſonet; ſicut nulla pars fuit, quæ non priùs feſtiuo plauſu, ac geniali cantico perſonaret. Perueniet planctus vſque ad Gallim, & ad Puteum Elim lugubris miſerorum clamor audietur.

9 *Quia aquæ Dibon repletæ ſunt ſanguine: ponam enim ſuper Dibon additamenta: his qui fugerint de Moab leonem, & reliquiis terræ.*

9 Aquas Dibon, quæ mille Moab vſus, ac delicias pepererunt, hoſtile ferrum ſic contaminabit, vt riui occiſorum ſanguine augeantur copioſè, & fœdè rubeant. Et ad communem calamitatem aliquid adhuc addam Dibon, quod ipſam magis atterat, & excruciet. Quòd ſi qui hoſtile ferrum effugerint, aut reliqui fuerint è communi cæde, non tamen illi mortem declinabunt. Immittam enim leones, qui fuga elapſis occurrant in via, neque vſpiam locorum vltrix aberit diuina manus.

IN CAPVT DECIMVM QVINTVM COMMENTARIVS.

1. ONvs *Moab.*] Quia de Moab ſæpius agendum eſt in Iſaia, de quo tam caput hoc, quàm decimum ſextum inſtitutum eſt, non erit abs re, aut ſine magno operæ pretio, antequam capitis explicationem ingredimur, explicare quàm breuiſſimè, quid ad huius gentis genus, regionem, moréſque pertineat. De genere paucis. Duo filij nati fuere Loth ex maiori, magíſque periculoſo incendio filiarum, quàm quod recèns à tergo reliquerat in ardente Sodoma. Alter ætate maior

Moab quis, & cur ita vocatus. vocatus eſt Moab ab inceſta filia: quia de patre conceptus. Moab enim idem eſt quod, de patre. Quod nomen ſupplicij quoddam genus videtur fuiſſe, vt in filij nomine quaſi conſignatum extaret execrabile quoddam monumentum, quo poſteritas omnis nefarij concubitus flagitium agnoſceret. Quod, vt Hieronymus ſtatim indicat ad illud *quia de nocte vaſtata eſt*; nationes aliæ Ammonitis, & Moabitis in conuitiis obiiciebant. Alter

Ammon cur ita dictus. fuit Ammon natus ex inceſtuoſo concubitu filiæ minoris, quod nomen mater impoſuit, quia non ab externis, id eſt, Sodomæis, in quorum regiones peregrinus pater non multò priùs immigrarat, ſed à patre genitus; Ammon enim idem eſt ac, filius populi mei, ac ſi diceret filia, *filius hic totus eſt ex meo populo, & gente, natus nimirum ex parentis ſatu, filiaque conceptus.* Hîc obiter notandum Hebr. non vocari *Ammon* ſed *Benammi*, & id confirmat expoſitio nominis, nempe *filius populi mei*, quam addidit interpres de ſuo, vt aliàs ſæpe; neque enim eſt in Hebraico textu, id verò nullo modo ſignificat *Ammon*.

2. *Regula. Ex nominibus compoſitis aliquando Hebræi alteram partem tollunt.* Quare obſeruandum maximè eſt apud Hebræos ex nominibus propriis, quæ compoſita ſunt, quorum magnus eſt numerus, adimi interdum priorem compoſitionis partem, quomodo Hieruſalem

A ſæpe *Salem*, & Hieroſolyma *Solyma* vocatur. Et qui *lib. 1. Paralip. 2. verſ. 5.* apud vulgatum *Bethlemites* dicitur, Hebraicè dicitur *Lemites*, & vt notauit Hieronymus de tradition. Hebraic. *in cap. 4. Paralip.* Vbi vulgatus dicit Noëmi, & Ruth reuerſas fuiſſe in *Bethlehem, Ruth cap. 1.* Hebr. eſt *Lehem*. Et *Abraham* qui priùs *Abram* vocari etiam *Ram*, priori parte ſublata, docuit Haymo in illud *Lucæ cap. 2. Vocatum eſt nomen eius Ieſus*; & plures alij cum Chaldæo in illud *Iob cap. 32.* vbi Eliu fuiſſe traditur de cognatione Ram. Qui Ram Abraham fuiſſe exiſtimatur. Iuxta hanc conſuetudinem mihi certum eſt *Iemini* idem eſſe quod *Beniaminita*, id eſt, hominē ex tribu Beniamin, vt vertunt ſemper Septuaginta, & Caietanus *in cap. 3. Iudic.* dicit hoc indubitatum eſſe inter Hebræos; quare *vir Iemini*, aut *filius Iemini* idem eſt quod *filius Beniamin*. *Filius Iemini, idem qui Beniaminita.*

B Iuxta hunc morem *Duma* pro *Idumæa* ponitur infrà *cap. 21. verſ. 11.* Ad hunc ergo modum qui *Benammi* vocatus eſt, & filium ſonat populi mei, ſublata priori parte compoſitionis, *Ammon* appellatur, & qui *Benammita*, ſeu *Benammonita* dici poterant, *Ammonitæ* dicuntur.

De horum regionibus iam aliquid dicamus. Hi duo filij Loth extinctis illis, qui in Pentapoli morabantur, incendio cœleſti, facilè in eorum poſſeſſiones venire potuerunt. Occuparunt igitur regiones vberrimi, atque fœliciſſimi ſoli, quæ erant ad Aquilonarem partem maris mortui, fuerúntque duorum populorum duces, ac parentes; à quibus 3. *Quæ regio à Moabitis, & Ammonitis habitata.*

C Ammonitæ & Moabitæ dicti, & propagati ſunt. Cúmque vterque populus ad ripas conſtitiſſet maris mortui, ſuis tamen terminis à ſe viciſſim diſcernebantur. Eſt autem mare mortuum, vt Ioſephus docet *lib. 5. de bel. cap. 5.* eius magnitudinis, vt longitudine impleat quingenta & octuaginta ſtadia, latitudine verò centum & quinquaginta. *Maris mortui magnitudo.*

In

In ea verò regione Moabitæ terminos ſuos locis maximè illuſtribus definitos habent; nam ab occaſu mari mortuo, ab ortu Euphrate, à Septentrione torrente Arnon, à meridie deſerto Cades barne atque Idumææ circumſcribitur. In optima parte regionis Moabitidis ciuitas eſt in montis cuiuſdam faſtigio, quæ Hebr. *Sela* dicitur communiter, iam à Græcis *Petra deſerti*: à qua exiſtimatur regio illa, quæ pòſt Arabiæ nomen obtinet, dicta eſſe *Petræa*. de qua in principio capitis 16. pluribus.

4. Hæc igitur prouincia, quia idolorum monſtris deditiſſima, his præſertim, quæ pudori maximè inſidiantur, & ferreos etiam animos emolliunt, vt pote quæ regionem habitaret, iis affluentem deliciis, quæ libidinem aduocant, fouentque: Et quia Iſraeli ſæpe contraria fuit, & aliquando ſub iugo illum oppreſſum habuit, à Deo multis modis, atque temporibus mulctata fuit. Ab Iſrael ſæpe, &, vt multi volunt, à Senacherib, deinde grauius à Nabucbodonoſor, de quo Ieremias *cap*. 48. Nunc de illius clade miſerabili elegantiſſimè, vt ſolet, Iſaias præſens inſtituit vaticinium.

5. [b] *Onus Moab.*]Breue hoc caput ideo difficile eſt, quia nihil habemus, aut certè parum à ſacra hiſtoria quod lucis aliquid afferat huic vaticinio. De interitu Moab; De tempore quo impletæ ſunt propbericæ minæ nihil eſt certum. Hieronymus *hic* ad tempora Aſſyriorum, & Chaldæorũ videtur referre: quia bis dicit vaſtatam eſſe regionem Moabitidem; ab Aſſyriis ſub Senacherib, & à Chaldæis ſub Nabuchodonoſor: quem ſequuntur plerique ex interpretibus, Cyrillus, S. Thom. Haymo, Dionyſ. Hugo. Sed apertè *cap*. 16. *in fine*, hæc pertinere præcipuè putat ad tempus Senacherib. Quod videtur ſuaderi poſſe, quia, vt *cap*. 16. *in fine* conſtat poſt tres annos futura dicitur captiuitas Moab, aut certè tres annos duratura, quod de Babylonica captiuitate nullo modo poteſt intelligi: quæ durauit annos Septuaginta, vt putat Theodoretus, Lyra, & Dionyſius in illa verba *Ierem*. 48. ad finem, *Et conuertam captiuitatem Moab.* Et *cap*. 25. *verſ*. 11. apertè docet gentes à Nabuchodonoſor expugnatas ſeptuaginta annos ſeruituras, è quarum numero fuerunt Moabitæ.

6. Mihi primum certũ eſt ſpectari hîc à propheta cladẽ, quam à Nabuchodonoſor acceperunt Moabitæ, de qua ſæpe Ieremias *cap*. 48. Quod communiter cenſent interpretes; neque in hoc aliquid eſſe video, quod cum textu, ac veritate non bene conſentiat. De tempore Senacberib mihi maximè dubium, & niſi tot patrum autoritas intercederet, contrà ſentirem. Nam primùm omnes ferme fatentur idem argumentum tractari *hîc* ab Iſaia, & Ieremia *cap*. 48. quia vt conſtat plurima, eaque eiſdem verbis Ieremias in ſuam tranſtulit prophetiam de Moab; ſed Senacherib longè anteceſſit Ieremiæ tempora, qui ſanè hiſtoricum non agit, qui præterita narret; ſed prophetam, qui futura prænuntiet. Deinde quia hîc de captiuitate agitur gentis Moabiticæ, & ante Ieremiæ tempora non videtur Moab abiiſſe captiuus, vt apertè Ieremias *cap*. 48. *verſ*. 11. *Fertilis fuit Moab ab adoleſcentia ſua, & requieuit in fæcibus ſuis: nec transfuſus eſt de vaſe in vas, & in transmigrationem non abiit.* Vbi priùs ſub vini metaphora oſtendit Moab non mutaſſe locum; deinde id ipſum ſine metaphora clariùs oſtendit. Tandem quia neque conſtat, quod ego viderim, Moabitas à Senacherib aliquid fuiſſe paſſos; neque apparet quo tempore ab illo vexari potuerint, vt dicemus ſtatim *cap*. 16. ad illud, *In conſilium*, neque valde vrget triennale ſpatium, vt ſuo loco dicemus.

Moabitæ nõ videntur aliquid paſſi à Senacherib.

Ierem. 48.

[c] *Quia nocte vaſtatu eſt Ar, Moab conticuit.*] 7.
Ar caput erat, & Metropolis Moab, vt inquit Hieronymus, quam nunc dicit appellari Areopolim ex Græco, atque Hebraico nomine compoſitam: quæ vbi in hoſtium poteſtatem venit, conticuit tota prouincia, id eſt expauit, ac deſpondit animum. Nocte verò dicitur vaſtata, quia nocturno fortaſſe tempore capta eſt, quod eſt maximè opportunum inſidiis: aut quia inopinato hoſtium aduentu oppreſſi ſunt Areopolitæ. Quæ enim turbatis hominibus, aut nullo conſilio fiunt, in tenebris, aut dormientibus hominibus fieri dicuntur. Obſeruauit Hieronymus principium iſtud opportunum eſſe conuitiu, vt vaſtatus dicatur in tenebris Moab, qui de inceſto concubitu conceptus eſt. Fortaſſe conuitium iſtud ſolitum erat iactari à finitimis Gentibus in Moabitas, & Ammonitas, qui ex nocturno, id eſt, ignobili, atque obſcuro conceptu, quique celari debuit nocturnis tenebris, propagati ſunt.

Moabitis ſolitum obiici conuitium.

8. [d] *Quia nocte vaſtatus eſt murus.*] Pro *muro* Hebraicè eſt קיר *kir*, quod quidam nomen eſſe putant proprium ciuitatis, quâ ab hoſtibus expugnata ſilentium indictum eſt toti Moab. Neque inuſitatum eſt interpreti Vulgato, vt pro nomine, nominis explicationem adhibeat. Sed meliùs ac ſignificantiùs noſter interpres conuertit *murum*. Eſt autem *murus* idem, qui in ſuperiori clauſula vocatur *Ar*. Ita tamen vt *murus* ſit illius ciuitatis appoſitum hoc ſenſu. Conticuit Moab quia vaſtata eſt Ar, Moab, inquam, conticuit exciſa Ar, quæ murus erat, & præſidium totius regionis. Cui expoſitioni aſſonat, quod tam *Ar*, quàm, qui poſtea dicitur *murus*, nocte dicuntur fuiſſe vaſtata, eodem nempe caſu. Cyrillus hîc citat diligentium ſcriptorum fidem, qui dicunt ad appulſum Chaldæorum terræ motu corruiſſe muros illius ciuitatis, ídque noctu adeò, vt ante impreſſionem hoſtilem, omnis ſpes ſalutis eſſet ſublata.

[e] *Aſcendit Domus, & Dibon ad excelſa in planctum, ſuper Nabo, & ſuper Medaba Moab vlulabit.*] 9.
Cæcis in toto hoc capite ingredimur veſtigiis, quia nihil habemus à ſacra hiſtoria, quod nobis in hoc curſu præluceat. Hieronymus in *domus* ſubaudit *Regia*, ita vt domus regia dicatur aſcendiſſe montes, vt ibi lugeat; quem communiter ſequuntur alij. *Domus* autem *regia* vocatur, aut ciuitas metropolis, quæ regia ſedes eſt, aut familia regia, id eſt, prima Moabitarum nobilitas. Pagninus pro *domo* templum vertit, ita vt Moab ad templum aſcenderit, ſicut Dibon ad excelſa, lugendi nempe, aut orandi gratia. Idem putat Vatablus, mihi veriſimile eſt quod Tigurina putat dum Hebraicam vocem retinet בית *beth*, *Domum*, nomen eſſe proprium ciuitatis, noſtrum autem interpretem, quod alibi ſæpe facit, nominis ſignificationem pro nomine ipſo adhibuiſſe, aut certè eſſe earum ciuitatum aliquam, quæ præfixum habent illud nomen *Beth*, quarum non exiguus numerus videtur eſſe in regione Moabitide, vt hoc eodem argumento conſtat apud Ieremiam *cap*. 48. vbi inter ciuitates Moab numerantur *Bethgamul. Bethmaon*, & *Oronaim*, id eſt, duæ ciuitates quæ etiam vocantur *Bethoron*. Et quemadmodum duæ ciuitates ſunt eiuſdem nominis, quæ dicuntur *Oron*, vt docet forma dualis nominis *Oronaim*; ſicut etiam totidem ciuitates reperiuntur, quæ vocantur *Bethoron*, nempe Bethoron ſuperior,

Ex hac voce בית *Beth*, multa componũtur ciuitatum nomina.

ſuperior, & Bethoron inferior, quarum in Scriptura ſacra frequens mentio. Eodem modo puto, quæ ibidem dicitur, *domus Beblathaim*, appellari *Beth Beblathaim*, ita vt altera pars compoſitionis reddita ſit Latinè, quod fieri apud interpretem noſtrum ſolere *c.7. num.5.* obſeruauimus. Cùm ergo *Domus* ad excelſa dicitur aſcendiſſe, intelligi non ineptè poteſt aliqua ex illis ciuitatibus, quarum in nomine prior pars eſt *Beth*, quæ *domum* ſignificat, niſi mauis *domum* coniungere cum Dibon, ita vt *domus Dibon* nihil aliud ſit, quàm *Dibon*: ſicut apud Ieremiam ſuprà, *domus Deblathaim* nihil eſt aliud quàm *Deblathaim*, & *habitatio Sion* nihil eſt aliud quàm *Sion*. Et Ieremias ſuprà *verſ.19. habitationem Aroer* poſuit pro *Aroer*, & *verſ.18. habitationem Dibon* pro *Dibon*, quomodo hoc loco videtur poſuiſſe Iſaias. Sed quò minùs poſterior iſta cogitatio placeat, facit, quia coniunctio *&*, inter domum, & Dibon interpoſita non ſinit duas illas voces in vnam dictionem coaleſcere. Quare hunc locum ſic interpretor: Cùm *domus* nempe ciuitas vocata *Beth*, aut aliqua illarum, quæ vocem illam habeat initio præfixam, puta *Bethgamul, Bethmaon*, &c. & *Dibon* aut captas viderent, aut vrgeri vehementer *Nabon*, & *Medaban*, aſcenderunt ad excelſa, ſiue vt à Diis ſuis, qui in excelſis colebantur, ſalutem impetrarent vicinis ciuitatibus, quæ tam laborabant anguſtè, vt putat Cyrillus; ſiue quod videtur vero eſſe ſimilius, aſcenderunt ad tuta loca; vt ibi ſuas communéſque calamitates lugerent, coniectantes ex aliarum ciuitatum ruina ſibi nullum futurum eſſe effugium è Chaldæorum manibus. Quod documentum vſque adeò flebile vlulatum indicit vniuerſo Moab.

10. f *In cunctis capitibus eius caluitium: omnis barba radetur.*] Suprà *cap 7.* ad illud *in nouacula conducta*, docuimus raſo capite & barba luctum ſignificari maximum apud Hebræos: quare *caluitij* nomen in ſcriptura frequens. Iiſdem verbis vſus eſt Ieremias *cap.48. verſ.37.* cùm ageret de hac eadem Moabitarum clade: *Omne*, inquit, *caput caluitium, & omnis barba raſa erit: in cunctis manibus colligatio, & ſuper omne dorſum cilicium.*

11. g *Super tecta eius, & in plateis.*] Hic locus etiam expreſſus eſt à Ieremia ſuprà *verſ.38.* Quæ ſint tecta in illa regione Moabitide, totáque Palæſtina, alibi à nobis pluribus oſtenſum eſt. Sunt autem plana non faſtigiata, ſuperuè aperta, vt Hieronymus docet ad Sumniam & Fretellam de correctione Pſalmorum, quæ *Domata*, ſiue *Menniana*, aut etiam *Solaria* vocat, Hiſpani *terrados* appellant. In tectis igitur, quæ priuata ſunt, & in plateis, quæ publicis conuentibus ſeruiunt, oſtendit propheta nullum futurum eſſe locum priuatum aut publicum, qui non perſonet triſti Moabitarum vlulatu.

Tecta plana in Palæſtina.

12. h *Vſque Iaſa audita eſt vox eorum.*] *Iaſa* vltima ciuitas eſt Moabitarum imminens mari mortuo, vt dicit hîc Hieronymus. Eadem verba hinc expreſſa ſunt à Ieremia *verſ. 34.*

13. *Super hoc expediti Moab vlulabunt.*] *Expediti* robuſti ſunt & ad pugnãdum prompti. Alij vocem Hebr. חלצי *chalutſe*, nomen ciuitatis eſſe putant, quæ *Heluſa* dicitur, quod non diſplicet Hieronymo. Quod ſi cum Aquila interpreteris *homines accinctis humeris*: optimè hinc indicatur hos homines pectora ad plangendum nudaſſe, quod fortaſſe ferebat Moabitarum conſuetudo in graui aliquo caſu.

14. i *Anima eius vlulabit ſibi.*] Quæ hîc dicatur *anima Moab*, incertum eſt; aut enim dicuntur, qui *expediti & robuſti* proximè vocati fuerant, nam ſicut totum corpus anima viget, & mouetur, ſic ciuitas, aut prouincia virorũ fortitudine. Et tunc huius loci ſententia eadem erit, quæ ſuperioris clauſulæ. Aut certè *anima* hîc hominé circumſcribit, vt in ſcriptura frequens, ita vt *anima eius* idem ſit quod *ille*, nempe Moab; quomodo dicitur *anima mea deſiderauit*, id eſt, *ego deſideraui*. & *qui amat animam ſuam*, id eſt *ſe*, &, *peribit anima illius*, id eſt *ille*, neque hoc diſplicet. Aut ſanè ad extremum *anima Moab* vlulatura dicitur, quia Moabitæ non plorabant vt ſolitum antè, ſimulatè, & dicis gratia, vt faciunt in funeribus præficæ, quæ lacrymas vendunt non tam cadentes ſponte, quam expreſſas arte: & gemitus mendaces, (vt in quibuſdam feſtis, velut Adonidis quem in templo lugubri eiulatu mulierculæ deflebant *Ezech.cap.8.*) non, inquam, ſimulatè flebunt Moabitæ, ſed ex animo, quia non erit adumbrata, ſed vera clades, atque ideo non ſimulatus, & mendax, ſed verus gemitus & dolor. Sanè vt apud Hebræos certæ erant lamentationis formulæ, in quibus proculdubio multa erant ſimulata, orta nimirum non tam ex intimo animorum ſenſu, quàm ex conſuetudine, vt illæ quæ traduntur à Ieremia *cap.22. verſ.18. Væ frater, & væ ſoror: væ Domine, & væ inclyte*, qui erant domeſticorum, & externorum planctus: ſic etiam veriſimile eſt conceptam aliquam, & certam lugendi formam fuiſſe apud Moabitas, quam etiam domeſtici in ſuorum funere hilari interdum animo ingeminabant. Illud verò *ſibi* paragogicum eſt, neque quidquam addit ad ſenſum ex Hebræorum idiomate; Quare idem eſt, *Vlulabit ſibi*, atque ſimpliciter, *vlulabit*.

Certa lugẽdi formula apud Hebr.

15. k *Cor meum ad Moab clamabit.*] Verba hæc ſunt prophetæ non tam credo inſultantis regioni Moabitidi, quàm de illius interitu dolentis. Aptè verò hæc coniunguntur cum poſtrema explicatione ſuperioris clauſulæ. Vt enim dolet ſibi, aut vlulat anima Moab propter grauiſſimum illud infortunium, ſic etiam *clamare ſibi animam, ſeu cor* dicit propheta, dum tam acerbo caſu tam nobilem prouinciam collapſam videt. Eſt autem piorum hominum, inimicorum incommodis commoueri. Eodem propè modo Ieremias ſuprà *verſ.36.* dicit, *propterea cor meum ad Moab.* Vide quæ ſtatim *cap. ſequenti* ad illud, *ſuper hoc venter meus.*

16. l *Vectes eius vſque ad Segor.*] *Vectes* hîc idem ſunt quod termini, quibus tota clauditur regio Moabitica. Conſtituit autem vltimos illius prouinciæ fines, & nullam partem dicit futuram à dolore vacuam. Primùm meminit *Eſſebon*, quæ ad Orientem ſeptentrionalem ſita eſt: Deinde *Eleale*, quæ ad Occidentem item ſeptentrionalem, & Iaſſa, quæ ad mare mortuum ſpectat, id eſt, ad Occidentem meridionalem. Nunc verò extremos adhibet terminos nempe *Segor*, quæ prope mare mortuum eſt: & *Oronaim*, quorum illa Moab ab Occidente, hæc verò ab Oriente continet. Tempore verò Ioſephi *Segor* dicebatur Syriaco vocabulo *Soara*, quam etiam conſtituit terminum longitudinis Moab *lib.5. de bello, cap.5.* Hæc Palæſtinam regionem cum Moabitide coniungit, aut potiùs ſecernit, vt dicit hîc Hieronymus. Hæc omnino Ier. *cap.48. verſ.34. De clamore Heſſebon vſque Eleale, & Iaſa, dederunt vocem ſuam à Segor vſque ad Oronaim.*

Moabitis regionis termini.

17. m *Vitulam conternantem.*] Vocatur Segor *Vitula conternans* etiam à Ieremia ſuprà *verſ.34.* Quidam

Segor multinominis.

dam tam hic, quàm apud Ieremiam *Vitulam conternantem* nomen ciuitatis eſſe putant. quibus fauet tranſlatio Septuaginta, qui reddunt apud Ieremiam ἀγγελίαν σαλισίαν. Et apud Iſaiam ita diſtinguunt, vt ad aliud quàm ad Segor pertinere videatur. Sic enim vertunt *Cor Moabitidis clamat in ſe vſque Segor, Vitula enim triennis eſt*. Sed mihi certum eſt *conternantem vitulam* appoſitum eſſe ciuitatis Segor. Quod nunc minùs difficile eſt, poſt emendatos à Sixto codices, in quibus apud Ieremiam ita legitur: *A Segor vſque ad Oronaim Vitula conternante*, Nam cùm antea legeretur: *Vitulam conternantem*, plurimi exiſtimarunt ad *Oronaim* ſpectare non ad *Segor*. Hæc credo difficilia non ſunt, ratio nominis obſcura. Quidam exiſtimant talem habuiſſe compellationem, quia ciuitas illa tertiò abſorpta eſt, aut terræ concuſſu deleta; quaſi tertia ſit ciuitas, aut tertiò inſtaurata. Neque parum fauet huic cogitationi vox Hebraica שלישה *Seliſah*, quæ ternarium aliquid ſonat: & nomen *Bale* quod habuit quondam, quando deſtructam, aut abſorptam fuiſſe demonſtrat. *Geneſ.* 14. *Et Rex Bala hæc eſt Segor*. Super quæ verba Hieronymus in traditionibus Hebraicis *ſuper cap.* 14. *Geneſ.* & hoc loco docet ex traditione Hebræorum, quam ipſe non reprobat, tertiò proſtratam fuiſſe terræ motu. Et in tradit. Heb. *in cap.* 19. *Geneſ.* rationem reddit, cur cùm tanto ſtudio petierit, impetraritque Loth à Domino, ſibi vt liceret diuertere ad Segor, maluerit contempta Segor ad montem vſque progredi, & reſpondet, *Veram eſſe illam Hebræorum coniecturam de Segor, quod frequenter terræ motu ſubruta Bale primùm, & poſtea Saliſſa appellata ſit, timueritque Loth dicens, ſi, cùm cætera adhuc vrbes ſtarent, ipſa ſæpe ſubuerſa eſt, quanto magis nunc communi ruina non poterit liberari*. Similia his Theodoretus *q.* 69. *in Geneſ.* In eo tamen deceptus eſt quod *Segor* dixit ſignificare *terra hiatũ*, cùm nomen illud priori nomini *Bala* conueniat: Segor enim *paruam* ſignificat, quod nomen habuit ex quo illam Loth *paruam* appellauit. *Geneſ.* 19. *Idcirco vocatum eſt nomen vrbis illius Segor.*

18. Alij *conternantem vitulam* dici putant, quia vitula trima, ſiue triennalis robuſta eſt, & pulchra, & ſi vnquam, eo maximè tempore laſciuiens: atque ita accepit hîc Hieronymus, Cyrillus, & Baſilius, & communiter recentiores, quod mihi omnino placet. Appellatur autem Segor *Vitula triennis* præter cæteras vrbes Moab, quia illa pulcherrima erat, non valde diſſimilis aliis ciuitatibus, quæ vltricibus flammis conſumptæ ſunt: quemadmodum loca alia proxima Sodomis amœna ſunt, & vbere ſolo; vt probant horti Engadditani, qui non longè abſunt. Ex quorum ſpecie, atque vbertate colligunt aliqui, quanta fuerit quinque ciuitatum, quæ incendio conflagrarunt, amœnitas. *Vitula* verò apud Hebræos prouerbiali figura dicuntur, qui laſciui ſunt maximè in trimatũ, quando multum eſt roboris, neque dum ceruix à iugo compreſſa, quod ita docet optimè Cyrillus: *Tertius annus animantibus ratione carentibus ad ætatis florem, & ad maturitatem vires efficiendo ſufficit. itaque eo tempore domari debent. Quandiu ergo vitula eſt iugi inexperta, laſciuiens, & iuuencula exultat*, &c. Quod etiam docet Columella *lib.* 6. *cap.* 2. & de equis idem *cap.* 29. & Varro *cap.* 7. *lib.* 2. Virgil. 3. *Georgic.* Quare à *Vitula* natura quæ ea ætate laſciua eſt, neque iugum ſubiit, *Vituli* nomen aſſumpſere laſciuientes & immoderatè exultantes, vt *hic & Ierem.*

Prouerbiũ.

48. Moabitę, & *Ierem.* 46. Ægyptij, *Vitula elegans atque formoſa Ægyptus, ſtimulator ab Aquilone veniet ei.* Cúmque id nomẽ toti regioni Moabitidi optimè conueniat, quia florenti, & pingui, præcipuè tamen accommodatur *Segor*. Et fortaſſe ita communiter appellabatur vulgò, quia & ipſa præter cæteras ciuitates deliciis affluebat, & earum Ciuitatum, quarum tantùm ſupererant nefariæ libidinis monumenta, luxum, & mollem intemperantiam imitabatur.

Hæc mihi maximè videntur probabilia; ſed alicui fortaſſe non alienum exiſtimabitur, ſi ideo *conternantem*, id eſt, *triennem* dicamus eſſe *Segor*, & in ea reliquas Moabitarum vrbes, quia tribus annis vel tertio abhinc anno graue parietur infortunium, quod nunc Moabitis Iſaias denuntiat. Id enim videtur indicare non obſcurè, cùm dicit *cap.* 16. *in fine. In tribus annis, quaſi anni mercenarij auferetur gloria Moab.* De quorum ſenſu agemus ſtatim ſuo loco. 19.

ⁿ *Per aſcenſum enim Luith flens aſcendet; & in via Oronaim clamorem contritionis leuabunt.*] Coniecturis ducimur ſatis obſcuris, quia neque de ſitu harum ciuitatum quicquam habemus certum, neque de modo, atque ordine, quo oppugnata fuit hęc prouincia. Illud habemus, *Oronaim* terminũ eſſe Moabitici regni, aut certè non longè ab eius termino ab Oriẽte ſeptentrionali, id eſt, ab ea parte, quæ Babylonios reſpicit, & Aſſyrios, vt paulò antè diximus, quæque *Segor* opponitur, vt indicat Ieremias *cap.* 48. *verſ.* 38. *Dederunt vocem ſuam à Segor vſque ad Oronaim.* Ponuntur enim duæ iſtæ ciuitates tanquam extremi termini Moab. Cùm verò Segor Vitula conternans maximè diſtet à Babyloniis, ſeu Aſſyriis, neceſſe eſt, vt capta per alias ciuitates Moabitidas tranſeat, quæ mediæ ſunt, vſque ad Oronaim, per quas Chaldæis victoribus in patriam redeundum eſt, & abigenda Moabitica præda. Inter quas numeratur Luith, quia in ea plus moleſtiæ videbatur eſſe ſubeundum captiuis: propterea quòd arduum haberet aſcenſum, vt textus indicat, & pedibus eſſet cliuus ille ſuperandus. Ait ergo nunc Iſaias, & eiſdem penè verbis Ieremias aſcenſurum eſſe captiuum populum per Luith, & Oronaim, id eſt, ingreſſurum eſſe viam, quæ ducit ad Aſſyrios, ſeu Babylonios. Hæc veriſimiliter dici poſſe videntur, neque video quid afferri commodiùs, aut quid obiici poſſit, quod magnopere premat in contrarium. 20.

Quod ad *Oronaim* ſpectat, obſeruandum eſt formam habere dualis numeri, quare videntur eſſe duæ ciuitates eiuſdem nominis quæ nimirum vocarentur *Oron*, quæ coniunctæ ſunt ita, vt pro vna ciuitate cenſeri debeant, & vno termino regionis Moabiticæ. Sicut apud Hiſpanos oppida ſunt vicina, quibus cõmune nomen eſt, & penè pro vno tantùm oppido numerantur, vt *los Caramancheles*, *los Velez*, *los Algarbes*. Et in terra promiſſionis *Bethoron ſuperior*, & *Bethoron inferior*, *Ioſue cap.* 16. & *cap.* 18. & alia quæ paſſim occurrent attento lectori. Eſt autem *Bethoron*, idem quod *Oron*, & duæ *Bethoron ſuperior*, & *inferior*, *Oronaim*, vt ſuprà diximus *num.* 9. 21.

ᵒ *Aquæ enim Nimrim deſerta erunt.*] *Nimrim* vicina eſt Segor, vt inquit Hieronymus, ex cuius fortaſſe aquis regio illa vberiùs irrigata fructus fundebat copioſos. Dicit ergo nunc propheta, deſertum iri agrum illum propter amœnitatem, & vſum priùs hominum cultu, atque frequentia 22.

conſpi

conſpicuum. Ieremias paulò aliter. *cap. 48. Aquæ verò Nimrim peſſimæ erunt.* Sed ſi bene expendas, non alio ſenſu quàm Iſaias, cuius loci hæc communiter exiſtimatur eſſe ſententia Ager ille quondam irriguus aquis Nimrim, erit deſertus, & ſterilis: quia aquæ illæ peribunt, cùm nullus ſit futurus habitator, qui fœcundas illas & copioſas aquas in hortos, & in ſata deriuet. Quare optimè ſubditur. *quia aruit herba, defecit germen, viror omnis interiit.* quia nimirum ager ille rigari deſiit.

23. Hæc quidem ad aliorũ ſenſum, quem meliorem iudico. Sed tu vide an hæc quoque accommodatè dici poſſint & ad nomen oppidi Nimrim, ſi fortè tale ſit oppidum, & ad naturam regionis. Veriſimile namque eſt aquas, quæ ſunt prope mare mortuum, eſſe ſalſas: Argumento eſt quia Iericho, quæ prope eſt, fontem habuit ſalſi liquoris 4. *Reg. cap.* 2. quem ſanauit Eliſeus: & *mare mortuum* vocatur, quoquo mare ſalſiſſimum. Quod ſanè contingere potuit vel ab aquis ſalſis, quæ eò influunt, vel à natura ſoli, quod ſalſuginoſum eſt. Vnde veriſimile eſt aquas illas dictas eſſe *Nimrim*, id eſt, amaros, à radice מרה *marah*, ita vt Nimrim nomen ſit adiectiuum aquarum, dicantúrque aquæ Nimrim, id eſt, amaræ. Neque contra hæc valde pugnat quod מי *me*, id eſt, aquæ ſint in ſtatu regiminis: nam ſtatus ille nonnumquam adhibetur, ſi nomen ſequatur adiectiuum, aut etiam ſi nullum ſit regimen, vt docet Pagninus *lib.* 2. *cap.* 4. Vel certè, ſi id minùs placet, ab aquis amaris, & ſalſis locus ille vocatus eſt Nimrim, id eſt, aquæ amaræ. Qua ratione ab aquis quibus abundant aliqua loca nomen acceperunt, vt *aqua calida, aqua frigida, aqua ſicca, aquæ Regiæ*, quæ oppidorum quorundam nomina ſunt, ſicut *aqua Flauia, aqua Auguſta, aqua Sextia.* Neque id alienum eſt ab Hebræorum conſuetudine, apud quos fontes aquæ, ac putei nomen ciuitatibus nonnullis indiderunt. vt *aqua contradictionis, Beerſabee, puteus iuramenti.* Et in hoc capite ad finem *puteus Elim. Engaddi fons ſeu oculus hœdi, Engans fons ſatorum, Enada fons laſciuiæ.* & eius generis alia quàm plurima. His ita cõſtitutis, non malè expoſiturus videretur hunc locum, qui ſic acciperet, aquas illas, quæ fertilem, & amœnam reddiderunt Segor, *Vitulam conternantem*, id eſt, in ea locauerunt turpioris intemperantiæ domicilium; verè illi attuliſſe vaſtitatem, & amaritudinem iuxta nominis ſui Etymologiam; quia *Nimrim*, id eſt, amaræ ſunt. Neque enim illi qui ſedes illas inhabitabant, tam eſſent durè ab hoſtibus iactati, niſi voluptatibus, quas fouet rerum affluentia, intemperanter indulſiſſent. In quam ſententiã conuenit Ieremias ſuprà, dum dicit. *Aquæ verò Nimrim peſſimæ erunt.* neque parum ad hanc explicationem facit, quod ſtatim ſubditur. *Secundum magnitudinem operis viſitatio eorum.*

Nomina oppidis ab aquis, & fontibus impoſita.

24. o *Secundum magnitudinem operis, & viſitatio eorum ad torrentem ſalicum ducent eos.*] *Viſitatio* hic pro plaga ſumitur, & ſupplicio ex idiomate Hebraico, vt *Pſal.* 88. *Viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum.* Pro *ſalicibus* Hebr. eſt ערבים *hharabim*, quod ſeptuaginta verterunt *Arabes*, in hunc modum. *inducam ſuper vallem Arabes*, neque Hieronymo tranſlatio diſplicet. Eſt autem veriſimile Arabas, qui ſunt vicini Moabitis, contra illos auxilium tuliſſe Babyloniis. Sed meliùs, ac ſignificantiùs tranſtulit interpres vulgatus. *Ad torrentes ſalicum.* Eſt enim vero pluſquam ſimile ſpectaſſe prophetam, cum hæc diceret, ad illud *Pſal.* 133. *Super flumina Babylonis, &c. in ſalicibus in medio eius ſuſpendimus organa noſtra.* quaſi indicet obductum iri captiuos in Babylonem Moabitas. Pſal. 133.

25. p *Quia aquæ Dibon repletæ ſunt ſanguine.*] Dibon ciuitas fuiſſe videtur aquis irrigua, vt Ieremias indicat *cap. 48. verſ.* 18. *Sede in ſiti habitatio filia Dibon.* quaſi dicat, areſces, ô ciuitas, licèt aquâ iugi luculenter affluens: quia non erit poſtea, qui ad agros, & hortos illam deriuet. Iſaias verò aliter explicat grauem, & miſerabilem Moabitarum cladem. Ait enim ita graſſaturum hoſtile ferrum in Dibon, vt riui occiſorum ſanguine augeantur copioſo, & fœdè rubeant.

26. q *Ponam enim ſuper Dibon additamenta.*] Quodnam ſit hoc additamentum, obſcurum eſt, Hieronymus, Adamus, & alij putant illius ciuitatis habitatoribus occluſum iri omnes ad ſalutem aditus; Chaldæus congregationem & exercitum Babylonicum; Haymo, Dionyſius plagam ſuper plagam. Hugo exiſtimat hoc additamentum non pertinere ad vnam Dibon, ſed ad totam regionem Moabitidem. Putat enim Moabitas ad Dibon, tanquam ad tutiſſimum illius gentis propugnaculum in extrema fortuna confugiſſe, ibíque extremam accepiſſe plagam, quæ dici potuit aliarum plagarum additamentum. Probarem ſanè hanc Hugonis ſententiam, modò conſtaret in Dibon Moabitas vltimò fuiſſe conciſos, ſed quia id non conſtat, libentius amplector, quod cenſet Haymo, his verbis magnam cladem, atque infortunium ſignificari, ita vt Dibon aliam, atque aliam plagam ſubierit. Quæ verò ſit illa, omnino incertum eſt. Certè ex Scriptura nullum habemus, quòd ego inuenire potuerim, vel tenue veſtigium. Nam, quòd Hieronymus putat, quod nullum Dibonitis reliquum ſit mortis effugium, quia quocumque euolare ſtudeant, noua occurrunt pericula, & mortis occaſio, non illud eſt Dibonitarum proprium, ſed commune cum omnibus Moabitis, vt indicant verba, quæ ſequuntur, vt ſtatim exponemus, & docet apertè Ieremias loco ſtatim citando. Quare hoc non poteſt dici Dibonis additamentum.

27. r *His qui fugerint de Moab leonem, & reliquiis terræ.*] Hæc ad totum Moabitarum genus pertinere ipſa verba neque obſcurè declarant, quorum ſenſus eſt, nullum ex ea gente liberum futurum ſiue à cæde, ſiue ab exilio. Nam his, qui in terra relinquentur, aut qui ſe ab hoſtili ferro fuga ſubducent, occurrent leones, id eſt, pericula, quæ declinare non poterunt. Quæ clariùs explicuit Ieremias *cap. 48. verſ.* 44. *Qui fugerit à facie pauoris, cadet in foueam, & qui conſcenderit è fouea, capietur laqueo.* Loquebatur autem tunc Ieremias de omnibus Moabitis. Porrò ante leonem per zeugma repetendum eſt *ponam.* quaſi dicat. Opponam leonem, qui fugientibus Moabitis occurrat. An verò *leo* propriè hic accipiendus ſit pro feroci bellua quæ fugientes excipiat, laceretque, aut pro hoſte crudeli metaphoricè, non definit Hieronymus. Hoc poſterius videtur dici poſſe magis probabile.

Argumentum decimiſexti capitis Iſaiæ.

ADMONITVS *propheta ab ea Moabitarum ſtrage, de qua paulò antè, Chriſti Seruatoris, qui de Genere Moabitico ex Ruth nimirum Moabitide ſuum ducebat genus; orat Deum, vt illum iam tandem mittat. Quæ oratio claudenda eſt parentheſi. Deinde pertexit interruptum vaticinium de Moab; cauſámque reddit cur grauem illam plagam ſubiturus ſit; hortatúrque vt profugos Iudæos, & ſupplices opportuno recipiat hoſpitio, neque quicquam eſſe timendum à Iudæorum hoſte Senacherib; cùm breui illius potentia à Deo, tanquam puluis à vento, diſſipanda ſit. Hinc iterum vaticinium ad Meſſiam attollit, cuius regnum longè aliud eſſe dicit à regno Senacherib. Quod reliquum eſt capitis, in deſcribendo Moabitarum exitio, ac ſolitudine conſumitur; quod elegantiſſimè, ſicut alia omnia, facit magnus propheta.*

CAPVT XVI.

1 [a] EMITTE *agnum Domine, dominatorem terræ, de [b] Petra deſerti ad montem filiæ Sion.*

2 [c] *Et erit ſicut auis fugiens, & pulli de nido auolantes, ſic erunt filiæ Moab in tranſcenſu Arnon.*

3 [d] *Ini conſilium, coge concilium:* [e] *pone quaſi noctem vmbram tuam in meridie: abſconde fugientes, & vagos ne prodas.*

4 *Habitabunt apud te profugi mei: Moab eſto latibulum eorum à facie vaſtatoris.*

5 [f] *Finitus eſt enim puluis, conſummatus eſt miſer, defecit qui conculcabat terram.*

6 [g] *Et*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 QVAMVIS infelix exiſtimetur Moabiticum genus, ad internecionem vſque deletum, in eo tamen felix cenſeri poteſt, quòd ex eo naſciturus eſt Meſſias terræ dominator, & ex Petra deſerti, ex ciuitate nempe nobiliſſima, venturus ad montem vbi ſita eſt Ieruſalem. Prædicta ergo Moab clades admonuit me, vt orem, ô Domine; vt ex ea regione iam tandem illum mittas agnum in Sion, qui ſuæ ſibi ditioni terram ſubmittat.

2 Ex ſuauiſſima agni cogitatione, redeo iam ad interruptum vaticinium de interitu Moab. Venient ad Arnon ad vltimos videlicet prouinciæ fines filiæ Moab non minori celeritate, quàm auis fugiens ab accipitris vnguibus, aut auiculæ à ſuis nidulis abſtractæ longa tranſmittunt ſpatia.

3 Nunc audi Moab quid cauſa fuerit, & quaſi caput tantæ cladis: quam ſi declinare ſtudes, meis conſiliis audiens eſto. Coge concilium, & rationem quære, vt profugum Iudæorum genus, & omni ſubſidio ſalutis, & vitæ nudum clementer excipias. Para laxum, & commodum vmbraculum æſtuantibus meridiano calore non aliter, atque nos vmbra in omnes partes effuſa æſtiuo calore defatigatos opacat, & refrigerat. Abſconde profugos fideli, ac liberali tecto, neque illos inſequenti hoſti infideliter prode.

4 Confugient ſub vmbram tuam, tecúmque habitabunt, quos hoſtile ferrum profugos aget è patriis ſedibus. Fac ergo vt tutò apud te lateant interim dum vaſtator hoſtis ferox inſequitur.

5 Neque eſt, ô Moab, cur te ab hoc humanitatis officio retardare debeat Aſſyria potentia, quam exercitus inſtruit ita copioſus; vt cum terræ puluere conferri queat: neque enim ab eo puluere aliquid tibi periculi, quod timeri debeat, impendet. Nam exercitus ille ſic diſſipabitur, ſicut puluis à perflante vento ſolet, & mi-

ſer

ſet ille Aſſytius, qui Iudæorum prouinciam infeſtis conculcabat pedibus, repentino ſternetur interitu.

6 Nunc ad agnum redeo dominatorem terræ, cuius ſolium non erit inſtabile, ac momentaneum, ſicut Aſſyrium, aut Babylonicum, quæ vna tantùm nocte inſperatò perierunt; neque mirum, cùm illud iniuria, vis, atque inclementia fundauerint. At Meſſiæ contrà in ſempiternum durabit, vt pote in miſericordia fundatum. Sedebit igitur in ſolio Dauid, in æquitate, & veritate iudicans; neque diu morabitur, quin cuique quod iuſtum eſt, peccatiſque debitum rependat.

7 Redeo ab Moab; cuius peccata dominator terræ Chriſtus recto mulctabit, debitóque iudicio. Satis eſt notum, & à nobis communi ſermone ſæpius auditum, quantum ſuis viribus, atque potentiæ arroget Moab. Sanè de ſe magnificè, atque ſuperbè cogitat; cùm tamen eius fortitudo longè ſit inferior, quàm rumor, & audacia.

8 Eapropret ſe ipſum acerba quadam reprehenſione excrucians, aut tacitus ſecum Moab; aut ad proximum lugubri clamore mœſtus vlulabit. Loquimini ergo his, qui in cocto latere, quo munita eſt ciuitas, ſpem omnem vitæ poſuêre; & has illis imminere iam plagas libero, atque audaci ſermone denunciare.

9 Denunciate, inquam, quoniam ſuburbana prædia Heſſebon ab hoſte vaſtata, atque in ſyluæ horrorem, & ſolitudinem redacta ſunt. Et vineas Sabamæas Principum Gentium infeſta ſuccidit ſecuris. Illius ſarmenta, id eſt, ex ſtirpe Moabinca propagines, quæ ſe latè ad Iazer vſque diffuderant, ex ſuis ſtirpibus auulſæ diſſipatæ ſunt per deſertum, & ad Babylonem vſque, quæ propter ciuium frequentiam, & Euphratem fluuium, quæ in illam influit, mare dici poteſt, abductæ ſunt.

10 Idcirco eo proſequar lamentationis genere vineam Sabama: quo ſuam antea calamitatem deflebat euerſa Iazer. Et lacrymis meis irrigabo vos Heſſebon, & Eleale, quoniam cum feſtiuo vlulatu, in veſtram meſſem, atque vindemiam irrumpent, calcatores, atque meſſores alieni, qui labores veſtros populentur, & perdant.

11 Non iam ampliùs in Moabitide regione, quæ inſtar Carmeli vitibus abundat, audietur cantus ille feſtiuus, & ruſticus plauſus, qui edi ab agricolis communiter in vindemia ſolet. Neque enim, qui in patria ſua ſolitus erat calcare torcular, iam amplius calcabit traductus in alienam. Omnino iam obliuioni dabitur in Moab vſitatum in percipiendo vinearum fructu vinitorum eelauma.

12 Propter hæc viſcera mea ægrè commota

6 *Et præparabitur in miſericordia ſolium, & ſedebit ſuper illud in veritate, in tabernaculo Dauid iudicans, & quærens iudicium, & velociter reddens, quod iuſtum eſt.*

7 *Audiuimus ſuperbiam Moab, ſuperbus eſt valde: ſuperbia eius, & arrogantia eius, & indignatio eius plus quàm fortitudo eius.*

8 *Idcirco vlulabit Moab ad Moab, vni ſus vlulabit: his qui lætatur ſuper muros cocti lateris, loquimini plagas ſuas.*

9 *Quoniam ſuburbana Heſebon deſerta ſunt, & vineam Sabama Domini Gentium exciderunt: flagella eius vſque ad Iazer peruenerunt, errauerunt in deſerto, propagines eius relictæ ſunt, tranſierunt mare.*

10 *Super hoc plorabo in fletu Iazer vineam Sabama: inebriabo te lacryma mea Heſebon, & Eleale: quoniam ſuper vindemiam tuam, & ſuper meſſem tuam vox calcantium irruit.*

11 *Et auferetur lætitia & exultatio de Carmelo, & in vineis non exultabit, neque iubilabit. Vinum in torculari non calcabit qui calcare conſueuerat: vocem calcantium abſtuli.*

12 *Super hoc venter meus ad Moab quaſi*

cithara ſonabit, & viſcera mea ad murum cocti lateris.

in funere Moab planctum edent lugubrem, ad feralis citharę, inſtrumenti videlicet funerei, ſimilitudinem, quæ flebiles modulatur numeros in mortuorum exequiis. Viſcera, inquam, mea non aliter planget, cùm ruere videat ciuitatem illam, quæ à lateritio muro nomen habet.

13 [f] *Et erit: cùm apparuerit quod laborauit Moab ſuper excelſis ſuis, ingredietur ad ſancta ſua vt obſecret, & non valebit.*

13 Quando tempus illud ærumnoſum aduenerit, laborabit Moab, &c, quantum poterit, contendet vt ad ſacra, Deóſque ſuos aſcendat, quos in excelſis montium faſtigiis ſupplex colebat. Sed fruſtrà implorabit in ea neceſſitate ſubſidium. Neque enim nugaces illi dij liberare poterunt ſupplices ſuos ab vrgente hoſte, imò neque audire ſupplicantes, quantumcumque voce contenta clament.

14 [f] *Hoc verbum quod locutus eſt Dominus ad Moab extunc. Et nunc locutus eſt Dominus, dicens.*

14 Hæc quæ nunc à me dicuntur de interitu Moab, iam antea prædicta fuerant à Domino per prophetas alios: nunc verò per me aliquid additur noui, quod iam dico.

15 [e] *In tribus annis quaſi anni mercenarij auferetur gloria Moab* [f] *ſuper omni populo multo, & relinquetur paruus, & modicus, nequaquam multus.*

15 Tribus annis vexabitur Moab, quos ita laborioſos aget hoſte pertinaciter premente, ſicut ærumnoſum agit diem mercenarius, qui ſuam alteri locauit operam, aſſiſtente ſemper, & vrgente hero. Et ex populo multo nequaquam multi; ſed admodum pauci erunt ex comuni calamitate ſuperſtites.

IN CAPVT DECIMVM

SEXTVM COMMENTARIVS.

1\. EMITTE *agnum Domine Dominatorem terræ, de petra deſerti.*] Locus hic variè vertitur, & variè etiam exponitur à diuerſis. Septuaginta, vt codices habēt Complutenſes, ita legunt, *Mittam agnum dominantem ſuper terram: nunquid petra deſerta eſt mons filiæ Sion?* At codices à Sixto correcti, *mittam quaſi reptilia ſuper terram*, &c. Sed neque verſionis Septuaginta eadem eſt apud omnes partitio; nam Baſilius, & Cyrillus extremam partē capitis 15. huic capiti attexunt, legúntque, *Et reſiduum Adama mittam quaſi reptilia ſuper terram*; Quæ ſic exponi poſſunt: *In illud, quod reliquum eſt terræ, nempe Moabitidis, mittam ſerpentes.* Eo ſenſu quo de Babylone dicitur *cap. 13. Futuram eſſe paſcua belluarum, habitationem draconum*, & idem de Idumæis *cap. 34.* quod eſſe etiam apud profanos magnæ vaſtitatis notam, ibi docuimus. Quod verò Septuaginta vertunt, *Nunquid petra deſerta eſt filia Sion?* ſic explicat Procopius: Dum inſtarent hoſtes Aſſyrij, magnámque Iſraeliticæ terræ partem eſſent populati, inſultaſſe Moabitas Sioni, illámque per ludibrium appellaſſe petram deſerti, quia ſterilis futura, quæque cinibus neque præſidio eſſe poſſet, neque alimentum præbere. Hæc quod attinet ad tranſlationem Septuaginta, ex qua prinſquam emergo, reddenda mihi ratio eſt, cur tam differant in transferendo LXX. à Vulgato. Nam pro כר מושל ארץ *car moſel erets*, vt notauit, & diſtinxit Vulgatus, dum vertit *agnum dominatorem terræ*, ipſi diſtinxere כ רמש לארץ, ita vt כ *caph*, eſſet nota ſimilitudinis ר *res* autem coniunctum cum מש *mes*. Hoc modo רמש *remes*, *reptile* ſignificat. Si verò ל *lamed*, quod erat poſtremum in מושל cum ארץ *erets*, coniungas, ſenſus erit quem expreſſere Septuaginta, *ſicut reptile terra*, aut *ſuper terram.*

2\. Iam tandem ad tranſlationem vulgatæ veniamus, in qua non minùs variant interpretes. Hebræi totum hoc vaticinium à Chriſto ſummouent, applicántque ad tributum illud, quod Reges Moabitarum pendebant quotannis Regibus Iſrael, *centum millium agnorum, & centum millium arietum cum velleribus ſuis. 4. Reg. cap. 3.* putántque hîc eſſe irriſionem quandam, quaſi diceret Iſaias, Vos qui ſoluti videbamini ab antiquo vectigali pendendo, nunc aliud ſolueris multò durius potentiori Domino; cui ſententiæ fauet, quia in textu Hebraico pro *emitte*, in plurali eſt *emittite*, neque ibi eſt *Domine*, ſicut neque in multis codicibus Latinis.

3\. Porrò quia vox Hebraica מושל *moſel*, caſum certum non habet, exponi poſſet *dominatorem* in quarto caſu, vt vertit Hieronymus, aut *dominatori* in tertio, & tunc ſententia erit quā Adamus, Hugo, & Iſidorus probant, O Moabitæ, agnos mittite, vt quondam regibus Iſrael, ſic nunc terræ dominatori Ezechiæ: ipſe enim vos aliquando vectigales habebit. An verò id contigerit aliquo tempore

incer

incertum eſt. Videtur autem accidere potuiſſe quando Ezechias *lib.4.Reg.cap.18.* percuſſit Philiſthiim, & omnes terminos eorum: quia Moabitæ eo loco, vbi ſita eſt Segor, Philiſthinorum terminos attingunt. Seu certè per irriſionem, inquit Iſaias, illos nunc luere perfidiæ pœnas: Cùm enim ex pacto quotannis agnorum, atque arietum numerum certum penſitare debuiſſent, prodiderunt tamen & fidem & debitum; quaſi dicat propheta: At vos miſiſſetis vectigal, & non hoc tempore ſeruitutem, ignominiam, atque adeò vitæ iacturam ſubiretis. Qua figura contra fœdifragum Metium dixit Virgil. *lib.8. Æneid.*

——Citæ Metium in diuerſa quadrigæ
Diſtulerant; at tu dictis Albane maneres.

4\. Hebræi aliter exponunt, quaſi dona, quæ Dei placandi gratia Moabitæ miſſuri videbantur in Ieruſalem, vſque adeò futura eſſent vilia, ingratáque Deo, vt nullam ideo plagam euitarent; in hanc ſententiam. Mittite dominatori agnorum in ſacrificium quantumcumque libuerit, nihilo tamen minùs vobis parendum eſt. Sicut *Ierem. cap.2. verſ.22. Si laueris te nitro, & multiplicaueris tibi herbam Borith, maculata es in iniquitate tua coram me.*

5\. Sunt qui vocem כר *char*, pro qua noſter adhibuit *agnum*, *arietem* interpretentur; id eſt, machinam militarem, quæ verberat, & deiicit muros. Et ſanè conſtat id quoque ſibi velle כר *char*, qua voce vſus eſt Ezechiel, *cap.4. verſ.2. Pones arietes in gyro*, neque multum diſtat, ſi pro ducibus, & militibus ſumas, aut pro omni apparatu militari; quo ſenſu ponitur *4.Reg.cap.11. verſ.4. & verſ.18.* Iuxta hanc ſignificationem putant Hebræi, neque Foreirus improbat, per irriſionem ironicam admoneri Moabitas, vt arietes comparent, & bellicas machinas, & delectus vndecumque habeant ad oppugnandam Ieruſalem, daturi poſtea operæ fruſtra nauatæ acerbiſſimas pœnas.

6\. Sed iſtæ explicationes verè ſunt illorum, qui Chriſti nomen, & dignitatem horrent; & ideo, quæ de Chriſto planè loquuntur, in alieniſſimos ſenſus interdum contorquent. Quare contra hæc figmenta nonnihil neceſſariò dicendum. Et primùm quod hîc Moabitæ admoneantur à propheta, vt agnos ex pacto deferant ad Ezechiam terræ dominatorem, hoc habet incommodi, quòd, vt conſtat *4.Reg cap.3. verſ.4.* tributum illud non ſoluebatur Regibus Iuda, ſed Regibus Iſrael: quare agni mittendi eſſent potiùs ad montem Samariæ, vbi regiam ſedem locauerant Reges Iſrael, quàm ad montem filiæ Sion. Deinde quia Septuaginta non vertunt *dominatorem terræ*, ſed *dominatorem* iuxta editionem Complutenſem, ſicut etiam Vulgatus. Neque illud שלחו *ſilchu*, id eſt, *mittite*, admodum vrget, aut enim pluralis numerus honoris gratia Deo tribuitur, quod ſæpe fit, vt exemplis probat Pagninus *lib.2. cap.4. Hebr. inſtitutionum*, aut certè in *mittite* intelliguntur cœli, aut nubes, quomodo *cap.45. verſ.8.* dicitur, *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum.* & facit ad hanc expoſitionem, quod in Hebraico textu non eſt *Domine*, cum quo conueniat *emitte*. Neque tamen ideo infidelis in vertendo fuit noſter interpres, quia ſi cœli emittunt, aut rorant iuſtum, ſeu agnum, ideo eſt quia Dominus mittit, qui in cœlis eſt; vbi per metonymiam continens pro re contenta ſumitur. Quæ omnia dicta ſunt, modò textus Hebraicus non ſit corruptus.

7\. Quod verò alij putant de nouo vectigali, quod Moabitis imponet Ezechias, non video quod in ſcriptura habere poſſit fundamentum: quæ cùm multa de Ezechia referat, nihil tamen dicit aut de bello illato, aut de tributo Moabitis impoſito.

Quod alij in voce כר *char*, non *agnum* ſed *arietem* agnoſcunt, id eſt, bellicam machinam, non conuincit à noſtro interprete malè poſitum *agnum*: *agnum* enim in ſcriptura frequentiùs ſignificat; & ita iuxta codices Complutenſes reddidere Septuaginta; *agnus* verò nihil ſonat militare. Neque præterea conſtat aliquando Moabitas contra montem filiæ Sion admouiſſe machinas. 8.

Omiſſis ergo Hebræorum nugis veram expoſitionem adhibeamus. Conueniunt omnes ferè Catholici, qui vulgati tranſlationem ſequuntur, ſermonem hîc eſſe de Chriſto, qui in agno intelligitur, qui de Petra deſerti mittendus eſſe dicitur. Sed licèt patres omnes in eam explicationem conueniant, non tamen eodem omnes modo interpretantur. Hieronymus, quem ſequitur Haymo, in petra deſerti *Ruth Moabitidem* intelligit, quam ideo deſertam petram eſſe putat, quia viduata viro, & in alienam regionem profecta, & à ſuis deſerta, arida petra iure vocari potuit. Alij communiter *petram deſerti* eſſe putant regiam ciuitatem in regione Moab, in qua nata fuit Ruth. Ita Abulenſ. *in lib. Ruth.* Lyra, Vatablus, Pintus, & quidam alij. Fauet horum ſententiæ, quia multæ ſunt ciuitates aliæ, quæ à montium faſtigiis, vbi ſitæ ſunt, *Petra* nomine notantur. *Petra* Macedoniæ vrbis meminit Cæſar, & Lucanus; alterius eiuſdem nominis in Sicilia meminit Ptolomeus; alterius in agro Piceno Procopius *lib.2. de bello Gothico*; aliæ ſunt quamplurimæ, quas omitto, ne longus ſim, Vide apud Abrahamum Ortelium. Sed neque hi qui ciuitatem eſſe putant, in explicatione conſentiunt. 9.

Sed antequam ad explicationem accedo, refutanda mihi aut irridenda potiùs eſt Rabbinorum ſententia (quam etiam tenet Paraphraſis Chaldæa quæ manu ſcripta ſeruatur in bibliotheca Complutenſi) qui ſuo more, dum extricare locum aliquem impeditum non poſſunt, aut illum vident ſuis erroribus, aut rationibus aduerſari, aliquid fingunt, quod ſanæ mentis homines irrideant. Cùm enim ex hoc loco, & tota hiſtoria Ruth apertè viderent Dauidico, id eſt, regio generi aliquid admiſtum ſordidum, ac barbarum, cùm genus Moabiticum, & humile Ruth irrepſiſſe viderent in Iſraeliticam gloriam, quando Moabiticum genus negare non poſſunt, ſordidum negant; Fingunt enim Ruth filiam fuiſſe regis Moabitarum, neque nomen ſilent, vt tradit Abulenſis, Lyra, & Chaldaica Paraphraſis manu ſcripta Complut. de qua nuper. Dicunt autem fuiſſe Eglon, qui ab Aod iudice Iſrael interfectus eſt. Neque vident miſeri, in ætatem Ruth illud regnum Eglon incidere non potuiſſe: nam, vt benigniſſimè annorum ſummam ad illorum cogitationem attemperes, nunquam efficies, vt minus ducentis, ac triginta annis inter vtriuſque ætatem intercedat, vt bene computant Abulenſis, & Lyra. Deinde quis non videt in illa hiſtoria commemorari quamplurima, quæ minùs bellè conuenirent in Regiæ puellæ dignitatem? Rexne Moab filiam ſuam, eámque (vt ex ſacra hiſtoria veriſimile eſt) neque malè moratam, neque inelegantem, deſponderet homini pauperi, peregrino, & quem inopia, & fames è patriis ſedibus exegiſſet? Neque illam cum ſocru Noëmi in alienam regionem abire molientem reuocaſſet,

10\. Hebræorũ fabulæ de genere Ruth Moabitidis.

& nudam, & egentem cum tanta Regij nominis ignominia dimitteret? Quare faceſſant iſtæ Rabbinorum nugæ, qui dum ſui Regis ſplendori impensè ſtudent, Scripturæ ſacræ multa affingunt eius ſimplicitate, ac veritate longè indigniſſima. Quaſi ignominiæ ac pudori futurum eſſet Regibus, è tenui familia ad magnum nominis ordinem eſſe ſublatos. Certè ipſi negare non poſſunt, regem Dauid, de cuius amplitudine tantopere laborant, paruiſſe greges, & de poſtfœtantes aſſumptum eſſe ad regiam dignitatem: & genus etiam traxiſſe de Thamar, quam etiamſi liberent à meretricio quæſtu, non tamen à ſordido miniſterio, in quo ſtabulo, cauponæque ſeruiebat, quod ſanè non longè differt à tenuitate Ruth.

11. Omiſſis ergo Iudæorum nugis, quibus cum è Catholicis nonnulli ſentiunt, qui de Chriſto iſta ſumi aut negant, aut in aliam ſententiam magis propendent, in quibus ſunt Hugo, Adamus, Foreirus, & Iſidorus Clarius: de Chriſto cum omnibus ferme Catholicis interpretemur. Et primùm obſeruo id, quod in alijs prophetis ſæpe, in hoc verò propheta ſæpiſſimè occurrit, cùm aliqua vmbra ſeſe oſtendit Meſſiæ, aut aliquid quod ipſius memoriam excitare poſſit, excitari prophetam, & attolli patheticè, myſteriúmque oblatum nouo dicendi genere, ac figura proponere. Deinde quaſi de ſtupore atque extaſi ſeipſum recipiat, ad inſtitutam narrationem ſolita dicendi figura ſeſe referre. Exemplis ſuperſedeo, Vide quæ diximus in commentarijs noſtris in Zachariam *cap.* 12. *num.* 31. & *cap.* 45. ad illud, *Rorate cæli deſuper*. Cùm videret igitur propheta direptum iri regionem Moab ex qua Chriſtus ducturus eſſet genus, conſolatur Moabitas, quorum vicem dolet; vt capite ſequenti dicemus, quia regio Moabitica, quæ nunc tam grauia patitur ab hoſtibus, poſtea ex ſuo genere habitura eſſet totius terræ domitorem, ac dominatorem Chriſtum. Et ita putat Hieron. Aut ſignificat non ita Deum infenſum fore Moabitidi prouinciæ, vt non inde velit illum oriri, qui non ſolùm monti filiæ Sion, ſed etiam orbi toti futurus ſit ornamento atque præſidio. Aut demum orat, vt miſereatur eius populi, ex quo genus ducturus eſt, & cui regnum in æternum paratum eſt in Sion. Tota verò clauſula de Chriſto, quæ breuis eſt, ſed ſuauitatis eximiæ parentheſi concluditur, pòſt verò hiſtoria pertexitur Moabiticæ cladis.

12. Placet quibuſdam maximè expoſitio, quam primus, vt credo, excogitauit Vatablus, qui ſic locum exponit, *O Domine ne perdas Moabitas, vt tandem naſcatur Meſſias.* Ita vt hæc ſit oratio Iſaiæ, qui cùm longè antè præuideret, quanta impenderet ſtrages regioni Moabitidi, ſciretque ex ea naſciturum eſſe Meſſiam, quem omnia ſæcula à mundi primordio Seruatorem expectabant, orat Dominum, vt vltrices manus à cæde cohibeat, ne funditus elidat ſtirpem, ex qua germen ſalutis naſciturum ſperatur. Ac ſi dicat, quando decretum apud te, ô Domine, & mihi abs te aut nunc primùm, aut antè reuelatum de Petra deſerti Regia vrbe in regione Moab, venturum eſſe agnum terræ Dominum ad montem filiæ Sion; age Domine, ne ſpes iſta nos fallat, cohibe manum, neque ſpem adime tam expectatæ prolis. In quem ſenſum explicuit Baſilius, & Hugo locum non valde diſſimilem ſuprà *cap.* 1. *Niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus*, id eſt, deleuiſſet funditus Dominus Iudæorum genus, ſicut deleuit Sodomæos, niſi ſupereſſe ſemen ex eo genere decreuiſſet, ex quo naſceretur Chriſtus. Sed hæc explicatio non obſeruauit tempus, in quo nata eſt illa, quæ futura erat quaſi ſtirps deſiderati germinis, id eſt, agni dominatoris terræ. Nam cùm hæc ab Iſaia dicuntur, multis antè ſæculis nata fuerat Ruth: Quare licèt ad vnum omnes delerentur Moabitæ, non tamen ideo non mitteretur agnus de petra deſerti ad montem filiæ Sion. Hæc igitur explicatio omnino reijcienda eſt.

[b] *De Petra deſerti*] Hæc communiter exiſtimatur eſſe ciuitas eius nominis, ex qua egreſſa Ruth Iſraeliticæ familiæ ſe inſeruit: à qua regio Moabitis vocata creditur Arabia Petræa. Alij in *petra deſerti* totam regionem explicari putant; priorem explicationem ſuprà magis probauimus. In ſenſu myſtico quidam hîc beatam virginem intelligunt quæ *Petra deſerti* iure poteſt vocari, quia præſidium eſt his, qui ab omni præſidio deſerti ſunt, quique in deſerto eſſe, & montibus pardorum, & cubilibus leonum exiſtimari poſſunt. Ita Hugo, & Guerricus ſermone ſecundo de Annuntiatione: Vigilius indicat *lib.* 3. *contra Eutychem Tomo* 5. *bibliotheca*. Ciuitatis huius naturam, & ſitum deſcribit Strabo *lib.* 16 *Nabathæorũ*, inquit, *metropolis eſt ea, quæ Petra nominatur. In loco alioqui æquo, & plano iacet, in circuitu verò rupibus, & præcipitijs murato; intro ſui fontes ad hortos, & aquationem vberrimos habente. Extra circuitum regio magna ex parte deſerta eſt, præſertim Iudæam verſus.* Hæc Strabo. 13.

Cæterùm quamuis in Nazareth conceptus fuerit Chriſtus, & natus in Bethlehem, id eſt, extra regionem Moabitidem, tamen ex ea miſſus dicitur ad montem filiæ Sion. Eſt enim egreſſus de Moab in parente Ruth, Sicut multi ingreſſi dicuntur in terram Ægypti antequam nati quia in parentibus virtute continebantur. Sicut nepotes Iudæ, & Beniamin *Gen. cap.* 46. & Leui decimas dicitur ſoluiſſe in Abraham *ad Heb.* 7. Vide quæ in hanc ſententiam fusè diſputauimus *in cap.* 7. *Actuum num.* 36. 14.

[c] *Et erit ſicut auis fugiens, & pulli deinde auolantes, ſic erunt filiæ Moab in tranſcenſu Arnon.*] Hîc iam ſe propheta refert ad hiſtoriam de Moabitica clade poſt interpoſitam parentheſim de agno dominatore, id eſt, de Chriſto. Prædicit autem propheta ad durum hoſtium imperium cui ſit omnino eundo abituros in captiuitatem ipſos etiam pagos, & villas Moab, ea vi, atque inclementia, qua à nido abſtrahuntur auiculæ: neque minori celeritate quàm aues volant celeri ſpatia tranſmittunt. Eo ergo curſu & citato & violento venient ad Arnon, id eſt, ad extremos fines ſuæ regionis, qua parte Amorrhæos attingit. Quibus verbis vertendum eſſe patrium ſolum oſtenditur, & duræ captiuitatis incómodum. Ad hunc locum facit vt opinor quod de exitio Moab dicitur *Ierem. cap.* 48. *Date florem Moab, quia florens egredietur.* Quem locum ſic exponunt duo Hebræorum magiſtri Rabbi Salomon, & Rabbi Dauid, *date alas Moab quia volando exibit.* Quo etiam modo vertit Tigurina, Pagninus, Iſidorus Clarius. 15.

[d] *Ini conſilium, coge concilium, pone quaſi noctem vmbram tuam in meridie.*] Hieronymus putat id conſilij dari Moabitis à propheta, ſi velint impendens hoc infortunium effugere, vt profugos ex Iudæis, quos Senacherib ex ſuis ſedibus excedere compulerat, humaniter excipiant. Quod cùm ipſi poſt longam deliberationem facere non auderent vel quia male in Iudæos animati, aut quia Aſſy- 16.

rium

ſiam offendere nolebant, cuius potentiam formidabant, talia paſſi ſunt, qualia profugi illi, quos ipſi neque ad hoſpitium, neque ad congreſſum tutò recipi poſſe exiſtimabant. Sed habet hæc expoſitio aliquid, quod neſcio quàm facilè expediri poſſit. Neque enim apparet quo tempore Moabitæ à Senacherib oppugnari potuerint, & illa pati quæ nunc ab Iſaia prædicuntur. Nam cùm adhuc eſſet intentus Senacherib expugnandis ciuitatibus Iuda, caſtráque, & machinas admoueret contra Ieruſalem, vna nocte illius exercitus deletus eſt ab Angelo; & ſimul atque in patriam fuga ſe recepit, à filio eſt obtruncatus. Quare non apparet, quo tempore poſt captas vrbes Iuda, pulſóſque Iudæos ex patriis ſedibus, arma conuertere potuerit aduerſus Moab; & quo ipſi quoque Moabitæ extorres à patria pœnas dederint inhumanitatis, & officij proditi, quod miſeris & profugis impendere debuerunt: quòd tempore Senacherib Iudæi, qui vim Aſſyriam effugerunt, egreſſi ex ciuitatibus, quas cepiſſe traditur 4. *Reg. cap.* 18. *verſ.* 13. à Moabitis repulſi fuerint hoſpitio, & inclementer accepti, propter quod hoc nunc audiunt ab Iſaia durum vaticinium, mihi ſatis veriſimile eſt: ſicut propter conſilium non diſſimile à Saule deleri iuſſi ſunt Amalecitæ. 1. *Reg.* 15. Verùm ideo fuiſſe à Senacherib tam acerbè mulctatos mihi non eſt admodum probabile. Nam ſi expugnati fuiſſent ab Aſſyriis Moabitæ, antequam illorum caſtra appropinquarent ad Ieruſalem, & nuntij ad Ezechiam mitterentur, non illud tacuiſſent nuntij, qui tam ſuperbè Aſſyriorum victorias prædicabant: nam inter alias gentes quæ dicuntur reſiſtere non potuiſſe Aſſyriorum potentiæ, non connumerantur Moabitæ *Iſai. cap.* 36. *verſ.* 19. & 4. *Reg. cap.* 18. *verſ.* 34. Sed neque poſt illud tempus, quia ſtatim arma conuertit contra Ægyptios, & Æthiopes: & vbi primùm victor aciem retulit ad Ieruſalem, ibi eſt oppreſſus. Quare nullum tempus vacuum inuenio, quod conferre potuerit in Moabiticam cladem. Niſi quis dicat in tranſcurſu cùm ad Æthiopes caſtra moueret, aut in reditu, cum victor repeteret Hieroſolymam, Moabitis intuliſſe bellum, & illam inflixiſſe plagam, quam Iſaias hoc loco deſcribit, quod ſanè nullam veriſimilitudinē habet. Quia cùm Moab Orientalis ſit Hieroſolymis, ſicut & mare mortuum, Ægyptus verò ad meridiem ſpectet, qui fieri poteſt vt in curſu Aſſyrius regionem luſtrarit Moabitidem. Aut ſi demus in medio fuiſſe traiectu, tam facilè regionem tantam, támque munitam expugnari potuiſſe? Quare exiſtimo quod *cap.* 15. diximus *num.* 5. hoc vaticinium pertinere non ad Aſſyriorum, ſed ad Chaldæorum tempora, in quibus hæc paſſi ſunt Moabitæ, quia & priùs ſub Senacherib, & poſtea ſub Nabuchodonoſor fugientes Iudæos, & omnium indigentes neque receperunt hoſpitio, neque auxilio vllo, aut etiam conſilio iuuerunt.

Quando Iudæi a Moabitis repulſi hoſpitio.

17. [e] *Pone quaſi noctem vmbram tuam in meridie.*] *Meridies* in Scriptura pro maxima tribulatione ſumitur, quia tunc æſtus grauior eſt, & vrit vehementiùs. Vnde *Pſal.* 90. Dæmonium meridianum vocatur quod anguſtiùs vrget: & *æſtus* ſæpe pro angore aut afflictione ponitur. Sicut etiam *vmbra*, aut *vmbraculum* pro refrigerio, ſiue ſubſidio. Exempla ſunt obuia, Sufficiēt duo ex hoc propheta. Alterum eſt *cap.* 4. *verſ.* 6. *Vmbraculum diei ab æſtu.* Alterum *cap.* 25. *verſ.* 4. *Vmbraculum ab æſtu.* Quare ſententia huius loci difficilis non eſt, quam communiter cum Hieronymo ſequuntur interpretes. Monet enim propheta Moabitas, vt in meridie, id eſt, in æſtu graui vmbram pareut Iudæis ab hoſte omnibus ad vitam ſubſidiis exutis, & à patria profugis, vmbram inquam non vtcumque, vt in vmbraculis eſſe ſolet raptim conſtructis; ſed qualis eſſe ſolet nox, quæ totius terræ vmbra eſt, tam capax, & potens, vt neminem excludat: tam denſa, atque opaca, vt nullum ſolis radium admittat. In qua Metaphora æſtus, atque vmbræ, nihil dici potuit ſignificantius. Vt enim nox occultat fugientes, & miſeros, & latè ab æſtiui ſolis ardore defendit, ſic pietas, & humanitas neminem non amplectitur, & quidquid eſt incommodi, ab aliis ereptum, in ſe totum deriuat.

[f] *Finitus eſt enim puluis, conſummatus eſt miſer.*] 18.
Occurrit tacitæ cogitationi Moabitarum, qui ideo recuſaturi videbantur, quo minus hoſpitio reciperent peregrinos, & profugos, ne ideo offenderent apud Aſſyrios, & eorum in ſe odium, atque arma conuerterent. Quo metu liberat eos propheta, dum ait puluerem illum Aſſyrium breui conſumptum iri, peritur úmque Regem miſerum, neque perfecturum, quæ ſuæ ambitioni, atque fortunæ propoſuerat. Notum eſt autem apud prophetas præteritum ſumi pro futuro, & quandò prope eſt, vt aliquid fiat, etiam apud alios. Cur vocetur *puluis*, Aſſyriorum, ſeu Chaldæorum exercitus, non omnino certum. Fortaſſè quia copioſus futurus erat, quæ enim in magno ſunt numero, aut terræ pulueri, aut arenæ maris comparantur, idque in Scriptura frequenter; aut certè quia exercitus ille tantus, támque luculenter inſtructus, breui ac facilè diſſoluendus, atque ſternendus erat: Pulueri enim in Scriptura comparari ſolent, quæ leuia ſunt, & fugacia, quæque facilè diſſipari ſolent: quia is ante faciem venti non conſiſtit, & motu quàm leuiſſimo diſpergitur. Quare Puluis in Scriptura in eam quam dixi ſententiam prouerbialiter ſumitur. Aut ſanè referri poteſt ad aliam metaphoram, ſeu prouerbium, de quo diximus *cap.* 14. *verſ.* 23. ad illud *& ſcopabo.* Quo ſignificatur aliquid funditus eſſe delendum: nam ſcopæ nihil ſolent pulueris relinquere in domo, quæ purgatur. Quæcumque harum explicationum idonea eſt, quæque cum texto, & Hiſtoriæ ſacræ fide conſentiat. Sed in omnibus obſeruandum, hic ſubaudiri notam ſimilitudinis. Ac ſi dicas, erit exercitus ſicut puluis copioſus, aut diſſipabitur ſicut diſſipatur puluis.

[g] *Et præparabitur in miſericordia ſolium & ſedebit.*] Hebræi quibus ſubſcribunt aliqui è iunioribus, locum iſtum de Ezechia interpretantur: 19.
cuius regnum ſtabiliendum dici putant, quod iam tam videbatur proximum eſſe ruinæ. Alij communiter de Chriſto accipiunt, ſed non omnes eodem modo. Quidam enim vt dicit Hieron. ad tempora Antichriſti conferunt, quo tanquam puluere diſſipato Chriſtus in æternum regnabit. Quam ſententiā videtur meritò reſpuere Hieronymus, & eò inclinare, vt de primo Chriſti aduentu, & de Eccleſiæ regno locum intelligendum putet; & id mihi omnino videtur eſſe dicendum. Nam quæ hic de ſolio dicuntur, maiora ſunt, quàm vt Ezechiæ ſolio accommodari debeant. Meſſiæ verò regno belliſſimè conueniunt. Neque ſemel de illo ab Spiritu ſancto ſimilia prædicta Iſaias *cap.* 4. cum de regno Chriſti loqueretur ait *ſuper ſolium Dauid, & ſuper regnum eius ſedebit, vt confirmet illud, &*

corroboret in iudicio, & iuſtitia, &c. Idem *Pſal.* 88. & A *Luca cap.* 1.

20. Hæc quæ à nobis proximè expoſita vſque ad *quod iuſtum eſt.* in quibus optimi iudicis forma proponitur, quæ omnino de Chriſto ſunt, claudenda ſunt parentheſi, quia abſciſſum eſt hiſtoriæ Moabiticæ filum interpoſita prophetia de Chriſto, ad quem oblata occaſione ſuo more abripitur Iſaias. Nam cùm meminiſſet impij regis, atque crudelis, cuius potentia momento temporis euanuit (ſiue ille ſit Senacherib, ſiue Chaldæorum Rex, ſiue certè vterque, nam vtriuſque imperium vna penè nocte deletum eſt, alterum ab Angelo, alterum à Cyro, atque Dario ſub Balthaſare) conuertit ſe ad Chriſtum, quem futurum eſſe dicit longè diſſimilem, quem prius Agnum dominato- B rem terræ vocauerat. Nam quoad ſolij poſſeſſionem, illorum Regum ſolium breuiſſimum fuit, & vna tantùm nocte collapſum; Chriſti verò firmiſſimum & nunquam non duraturum: id enim ſignificat *præparare*, vt *cap.* 2. diximus ad illud *præparatus mons.* Aſſyriis, atque Chaldæis iniuſtitia, & crudelitas imperium extinxere; Chriſti regnum præparatum eſt, id eſt, ſtabilitum, in miſericordia, iuſtitia, & iudicio. Cuius documentum in promptu eſt: nam dum miſerorum cauſæ ſubuenit, quos ab impiis regibus, aut duro premi iugo, aut armis tentari, atque vrgeri videt, velociter reddidit, quod iuſtum erat: nempe vt ſuperbi, atque alienorum cupidi, & ſolio caderent, & amitterent ſua. Porrò hîc non meminit nominis Chriſti regis, C quia paulò antè meminerat Agni terræ dominatoris.

21. [h] *Audiuimus ſuperbiam Moab.*] Recipit ſe propheta à ſuaui cogitatione de Chriſto ad interruptam hiſtoriam de Moab, & aliam rationem adducit cur cladem illam tantam ſubierit, quia nimirum plurimum ſuis viribus arrogabat, muriſque cocti lateris, in quibus contra belli machinas ſatis eſſe firmitatis, atque præſidij ſtatuebat. Hanc eamdem cauſam attolit Ieremias *cap.* 48. *verſ.* 29. Vbi eadem penè repetit verba.

22. [i] *Idcirco vlulabit Moab ad Moab.*] Id eſt, alter ad alterum, ſeu iuxta idioma Hebraicum *vir ad proximum ſuum*, niſi magis quod mihi probatur magis, vt Moab ſecundo loco ponatur pro relatiuo, D quaſi dicas. *Vlulabit Moab ad ſe ipſum*, vel *ſecum*. vt mœrentes, & deſperantes ſolent. Sumi autem antecedens pro relatiuo, ſatis in Scriptura eſt frequens, vt docuimus ſupra Zachariam *cap.* 7. *numero* 20.

23. [k] *Super muros cocti lateris.*] Non mihi exploratum eſt: qui nàm ſint hoc loco *muri lateris cocti*, An muri è lateritio opere conſtructi, vel certè ciuitas, quæ eo appellaretur nomine. Illud prius videtur dici poſſe probabiliter: quia id ſuadet nomen ipſum, & quia cùm Moab eſſet ad mare mortuum, vbi maxima eſſet Aſphalti copia, id eſt, bituminis, quo ad firmam operis conſtructionem lateres optimè ligantur, non eſt improbabile eo v- E ſos fuiſſe Moabitas, vt intra mœnia ita conſtructa tutiùs habitarent. Sed mihi longè eſt veriſimilius, nomen eſſe proprium ciuitatis munitiſſimæ in regione illa, in qua præcipuum ſibi præſidium conſtituerint Moabitæ. Tum quia rarum erat in illis regionibus, quæ petroſæ ſunt, opus lateritium: quare illud nomen vix in tota Scriptura reperietis, niſi cùm ſermo eſt de Ægypto aut de Babylone, quia regiones illæ montoſæ non ſunt,

Opus lateritium rarum in terra promiſſionis.

neque ſaxis abundant, ſed potiùs planæ, atque paluſtres: atque ideo è cocto latere ædificium conſtruunt, quod illis penè neceſſarium eſt. Neque huic cogitationi incommodat, quod *Ieremiæ cap.* 19. *verſ.* 2. porta quædam Ieruſalem appellatur *fictilis*, nam, vt communiter interpretes, alias ob cauſas vocata eſt eo nomine, non quòd opere lateritio conſtructa fuerit. Hebræi putant vocatam eſſe *fictilem*, quia per eam fragmenta vaſorum fictilium exportabantur. Vbi mons erat teſtaceus, ſicut nunc viſitur Romæ. Ita Rab. Salomon, vt refert Lyra in Ieremiam ſuprà. Et eam credo ob cauſam Chaldæus *portam ſterquilinij* vertit. vel certè quia propè erant officinæ figulorum, Vnde *in cap.* 1. *Actuum* probabile dicebamus vallem Ennon, vbi commune ſepulchrum fuerat, vocatam eſſe *agrum figuli*; & ita cenſent Lyra, Hugo, Dionyſius. Alij nomen ipſum Hebraicum retinent, Aquila, Symmachus, Theodotio, & cum ipſis Septuaginta, qui proprium nomen eſſe putant. Quare locus iſte non admodum contra noſtram ſententiam pugnat. Eſt autem veriſimile ciuitatem iſtam eſſe munitiſſimam omnium, & extremum Moabitarum perfugium; quod non obſcurè indicat quod *cap.* 3. *lib.* 4. *Regum* legimus de excidio Moab. Vbi cùm dicerentur omnes ciuitates Moabitarum exciſæ, additum eſt. *Ita vt muri tantum fictiles remanerent, & circumdata eſt ciuitas à fundibulariis* Quæ verba omnino ſignificant ciuitatem eſſe, eámque munitam egregiè, ad quam in extremo periculo Rex Moab confugit. Quare LXX. nomen ipſum Hebraicum reliquerunt *Chirhares*, oſtendentes proculdubio nomen eſſe proprium. Neque noſtro interpreti infrequens eſt, vt pro nomine proprio eius interpretationem adhibeat.

[l] *Et vineam Sabama.*] Sub vineæ metaphora elegantiſſimè propheta Moabitidis regionis naturam, & vaſtitatem deſcribit: quod etiam facit Ieremias *cap.* 48. *verſ.* 32. Ex quo ſuſpicor vulgò 24.
vineæ nomen, aut *torcularis* in Moabitas iactari ſolitum: aut in conuitio, quia Moab illius gentis pater inceſto concubitu, ab ebrio parente genitus eſt; Aut certè quod potiùs reor, in laude, quia *vinea, torcular, & cella vinaria* pro loco deliciis apto vſurpari ſolet; vt pluribus oſtendimus ad illud *Cant.* 1. *Introduxit me rex in cellam vinariam.* Regio verò illa vberrima erat, vt diximus, & ad illam vbertatem crebræ alluſiones, maximè apud Ieremiam, *cap.* 48. *Fertilis fuit Moab ab adoleſcentia ſua, & requieuit in fæcibus ſuis, non eſt transfuſus de vaſe in vas.* Et iterum. *Date florem Moab.* Dicit ergo propheta in vindemiam illius metaphoricæ vineæ alienos calcatores eſſe venturos, atque alia imminere incommoda, quæ iam explicabimus.

[m] *Flagella eius vſque ad Iazer peruenerunt, errauerunt in deſerto: propagines eius relictæ ſunt, tranſierunt mare.*] Eadem penè Ieremias ſuprà *verſ.* 32. 25.
Proſequitur allegoriam de vinea; Propagines, & flagella *ciues* ſunt, vt inquit Hieronymus, quia vt filij propagines & palmites dicuntur è parentum ſtirpe, quia ſic ab illa prodeunt, ſicut propagines è vite, ſic etiam ciues vrbis, comparatione cuius in Scriptura vocantur *filij*, ſicut etiam ciuitas *mater* appellatur. Hæ igitur propagines, quæ ad Iazer vſque diffuſæ fuerant, id eſt, ad extremam ciuitatem regionis Moabitidis, quæ eſt prope Iordanem, abſciſſæ ab hoſtibus, id eſt, a ſua ſede antiqua, & quaſi à propria ſtirpe abire, compulſæ deſerta loca, puta Idumeæ, & Pharan, miſeranda atque ignobili

fuga

fuga complexerunt. Aut etiam per deſertum & ſolitudinem ad Babylonem abductæ ſunt captiuæ. Illud *tranſierunt mare*, Maldonatus in Ieremiam ſuprà ſic exponit. *Propagines eius quæ adeò longè erant vt mare tranſire viderentur, abſciſſæ ſunt aut conculcatæ.* Sed Hieronymus & cum eo plures alij in *mari* Babylonem intelligunt, ad quam per exilium propagines illæ tranſplantatæ ſunt. Vocatur autem Babylon *mare*, aut propter gentium multitudinem, aut quia mediam ciuitatem influit fluuius magnus Euphrates; aut propter alia, quæ dicemus *cap.* 21. vbi Babylon vocatur *mare*. Aut certè, quia quod trãs mare eſt longè abeſſe creditur, dum propagines tranſituræ mare dicuntur, longum exilium futurum eſſe ſignificatur.

26. ¶ *Super hoc plorabo in fletu Iazer.*] Apparet hanc vrbem priùs expugnatam eſſe quàm Heſſebon & Sabama, quando talis à propheta indicatur fletus duabus ciuitatibus, qualem audierunt in Iazer vicina ciuitate.

27. *Carmelus pro loco vbere, & amœno.*

¶ *Et auferetur lætitia & exultatio de Carmelo.*] Duplex eſt Carmelus, alter in Galilæa ad Auſtralem plagam in quo erat Nabal 1. *Regum* 25. Alter in tribu Aſſer *Ioſue* 19. Sed in Moab nullus eſt mons qui Carmelus appelletur. Quare vt docet hic Hieronymus, *Carmelus* prouerbiali figura pro loco vbere, ac ſpatioſo ponitur, & hic ſine dubio ponitur pro *Moab*, cui ob aliam etiam cauſam nomen debetur Carmeli. Quia vt hic vitibus abundat, vt nomen ipſum præſefert: ſic etiam Moab: & ſatis oſtendit vineæ metaphora de qua nuper. Significat ergo ceſſaturum in Moab gaudium illud, quod in vindemia ſolet à ruſticis capi, ſicut in alia quacumque meſſe, id eſt, collectione fructuum, quos ſpectabat longa, ac dura agricolarum induſtria. Notum eſt enim quam feſtiuè homines ſoleant, quo plauſu ac geſtu ſignificare gaudium, quod ex ſuo labore, atque aſſiduitate capiunt. Teſtes nobis ſunt nautæ, cum poſt longam nauſeam, ac iactationem ad portum appulêre; teſtes, qui in caſtris agunt, quando ab hoſte victo, & triumphum agunt, & prædam diripiunt: & qui poſt moleſtias in agrorum cultu, ſatúque exanthlatas ad meſſem perueniunt. Vtrumque coniunxit Iſaias *cap.* 9. *verſ.* 3. *Lætabuntur coram te, ſicut qui lætantur in meſſe, ſicut exultant victores capta præda.* Quod idem vſitatum in ouium tonſione cum fructus capitur maximus ex re pecuaria, Docuit Nabal 1. *Regum cap.* 25. *verſ.* 36. qui eo tempore conuiuium inſtruxit, ſicut conuiuium Regis. Et 2. *Reg. cap.* 13. *verſ.* 27. Abſalon qui, dum regem Dauid & fratres ad tempus quo tondeantur greges, inuitat, planè docet dies illos eſſe maximè geniales. Hoc idem in vindemia ac torculari fieri ſolitum, probat apertè hic locus Iſaiæ, & ſuadet Ieremias, qui *cap.* 48. *verſ.* 33. hæc eadem penè verba repetit.

Magna lætitia dum fructus capitur laboris.

28. *Celeuſma quid.*

¶ *Vocem calcantium abſtuli.*] Pro *voce calcantium* Ieremias habet *celeuſma*, & Hebr. eadem vox eſt apud Iſaiam הידד *hedad*. Licèt enim tam Græcum *celeuſma* quàm Hebraicum הידד *hedad*, vocem illam ſignificet, qua ſe mutuò ad laborem, & conatum homines cohortantur; verbi gratia remiges ad impellendas triremes, aut, qui ingens aliquod pondus promouere ſtudent, tamen aliquando vox eſt exultationis, quæ rem indicat ſucceſſiſſe pro votis, & propter quam ſibi ipſis deſiderij compotes viciſſim gratulantur. Quare in *celeuſmate* exiſtimo tritum illud *euge* contineri, quæ vox eſt gratulantis, aut approbantis, & laudantis factum. Vt autem dixerat propheta proximè *verſ.* 10. Venturos alienos, qui ſupèr meſſem, atque vindemiam Moabitarum celeuſma cantarent (illud enim valet *ſuper vindemiam tuam, & ſuper meſſem tuam vox calcantium irruit*) ſic etiam nunc, quod conſequens eſt affirmat Moabitas, quod in vindemia vberi priùs facere conſueuiſſent, non ampliùs calcantium voces eſſe cantaturos.

¶ *Super hoc venter meus ad Moab quaſi cithara ſonabit.*] Hinc conſtat quod ſuprà dicebamus, hæc non irriſoriè dici de Moab, ſed dolenter; hæc eadem verba repetit Ieremias ſuprà *verſ.* 36. *Venter* ſine dubio pro viſceribus ſumitur quæ commoueri grauiter ſolent in dolore, idque in Scriptura ſatis frequens. *Ieremia* 4. *Ventrem meum doleo. Thren.* 1. *Conturbatus eſt venter meus.* Sonabunt ergo Iſaiæ viſcera fletu, atque ſingultu, quem edent tacta dolore ex Moabitarum calamitate concepto, ſicut ſuos ſonos edit cithara à plectro pulſata. Notum eſt in funeribus inſtrumenta quædam muſica adhiberi ſolita in omni penè natione, quæ nimirum lugubre aliquid, ac funeſtum ſonarent, idoneáque eſſent & mouendis animis, & lacrymis ciendis, quare inter cætera Libythinæ vaſa atque inſtrumenta, tuba numeratur à Perſio, *Satyra* 3. 29.

In funeribus adhibitæ tubæ & varia inſtrumenta muſica.

Hinc tuba, candelæ, tandémque beatulus alto
Compoſitus lecto.

Virgilius *lib.* 11. *Æneid.* In pompa funebri Pallantis tubas etiam adhibet.

It cœlo clamórque virûm, clangórque tubarum.

Vbi Seruius addit mortuos ad tubam efferri ſolitos, quod intelligo de his, quibus virilis ætatis acceſſiſſet robur: nam qui teneræ eſſent ætatis cum tibiis producebantur ad rogum ſeu ad tumulum vt idem Seruius docet ad id Virgil. *lib.* 5. *Laudúmque immenſa cupido.* Vbi tradit pueros ad tibias efferri, viros autem ad tubas. Ab his inquit Ambroſ. *lib.* 8. in Lucam hanc conſuetudinem ad Hebræos permanaſſe, vt mortuos ſuos adhibitis tibicinibus ſepelirent. Cuius rei documentum habemus *Matthæi cap.* 9. *verſ.* 23. vbi, cum ſermo eſſet de puella iam ornata ad tumulum dicitur, *Et cum veniſſet Ieſus in domum principis, & vidiſſet tibicines.* Ait ergo propheta ſonare ſibi viſcera aliquid funeſtum, & lugubre inſtar tubæ aut citharæ funereæ, ita vt exequias iam exoluere videatur tumulatæ regionis. Quod explicat Ieremias magis apertè, dum ait. *Propterea cor meum ad Moab quaſi tibia reſonabit, & cor meum ad viros muri fictilis dabit ſonitum tibiarum.*

Cùm in hũc locum inciderem, addubitare cœpi an inſtrumentum hoc muſicum aliquid ſonaret flebile, ac triſte, quod humanum ſingultum referret, aut exprompta ex imo pectore ſuſpiria; qualia ætate noſtra inuenta ſunt plurima, quæ voces imitantur varias, & ad diuerſos animorum ſenſus ac motus accommodantur. Certè accidiſſe hoc in muſicis numeris, qui vario concentu variè afficerent animos, docet Ariſtoteles *lib.* 8. *phyſicorum cap.* 5. Vbi meminit diuerſorum concentuum, ſiue harmoniarum, quæ variè tangunt animos, qualia ſunt celeberrima illa genera nemini non nota, Phrygium, Lydium, Ionium, Doricum. Vt ergo concentus varij ſunt, ex variis hominum ſenſibus attemperati, ſic etiam varia credo inſtrumenta fuiſſe, quæ eiſdem quoque ſenſibus variè ſeruirent. Et huc facit quod ex multorum ſententia quidam pſalmi ad certum inſtrumentum cantari iubentur in eorum titulis. Vt *Pſal. quartus* ad 30.

Muſica inſtrumenta varia pro variis animorum affectibus.

Negui

Google

Neguinoth. & *Pſal. quintum ad Hanchiloth.* & *Pſal. octauus Githith.* & Pſalmi inſcribuntur, *pro octaua*, id eſt, vt multi volunt, pro inſtrumento, quod octo conſtaret chordis. Cùm autem in Pſalmis varij ſint affectus, quis dubitet inſtrumenta muſica ad varios etiam affectus eſſe attemperata; putà ad luctum, lætitiam, &c. Et ita mihi fit veriſimile ſingultum ex animo Iſaiæ profectum eſſe, ſicut citharæ aut tibiæ cantum, quæ lugubre ſonant; & cadauera ad ſepulcrum comitantur. Et verò proprium eſſe aliquod ſiticinum inſtrumentum, id eſt, eorum, qui ad ſitos, id eſt, mortuos canunt, docet Gellius *lib. 20. Noct. Attic. cap. 1.* Cuius formam tradit Galenus *lib. 3. de Symptom. cauſis*: vbi quædam adducit, quæ valde faciunt ad hanc cogitationem. Ait enim viſcerum rugitum, cùm vacua ſunt, ſimilem eſſe tubæ, quæ mortuos in funere comitatur. *Porrò*, inquit, *ſunt alij* (nempe viſcerum rugitus) *bomboſi, bombis lateſſimarum tibiarũ non abſimiles: quales habere ſolent hi qui tymbaula, id eſt, ſiticines nominantur.* Ecce quomodo viſcera ſonare poſſint funereum aliquid, & lugubre.

31. [t] *Et erit cùm apparuerit quod laborauit Moab, ſuper excelſis ſuis ingredietur ad ſancta.*] Ordo literæ nonnihil obſcurus, quem ſic ordino. *Quando tempus illud ærumnoſum aduenerit, laborabit Moab, id eſt, contendet quantum poterit, idque ægrè admodum prohibente, atque vrgente hoſte, vt ingrediatur ad excelſa præſidij gratia, quia tuta. Aut omni humano deficiente ſubſidio ad ſacra Deóſque ſuos quos in excelſis colebat, ſed fruſtra: neque enim liberare miſeros potuerunt, imò neque audire ſupplicantes.*

32. [f] *Hoc verbum quod locutus eſt Dominus ad Moab ex tunc.*] Id eſt, hæc ſumma eorum, quæ in tota prophetia de Moab continentur. Eodem penè modo Ieremias ſuam item de Moab prophetiam concluſit in extrema parte *cap. 48. Huc vſque*, inquit, *iudicia de Moab.* Quare videtur Ieremias cum de Moabitarum clade vaticinaretur, reſpexiſſe ad hæc duo capita Iſaiæ, in quibus idem, & eodem ferme modo tractatur argumentum. Quid ſit illud *ex tunc*, ſatis eſt obſcurum: Videtur idem eſſe atque *ex quo cœpit.* Sed quodnam ſit illud tempus, adhuc incertũm. Fortaſſe à principio huius prophetiæ, quæ cœpit *cap. 15.* ſiue, vt putat Hieronymus, ab æterno, ſeu vt idem cenſet, ex quo dictum eſt *Deuteron. 23. Moabita & Ammonita non intrabunt in Eccleſiam Dei.* Illud verò *ex tunc* ex vſu ſcripturæ longum tempus deſignat, quod iam anteceſſit. Hæc autem alio tempore fuiſſe prædicta argumento eſt, quia verbis ſequentibus aliquid videtur indicari omnino nouum, cùm dicitur, *Et tunc locutus eſt Dominus dicens*, quaſi dicat, ea quæ ſtatim ſuccedunt, nunc primùm dici; alia ex tunc, id eſt, alio tempore fuiſſe prædicta. Credo alluſum eſſe hìc ad prophetiam Amos *cap. 2.* qui ſub Ozia hæc de Moab aliquot annis ante prædixit. *Mittam ignem in Moab, & deuorabit ædes Carioth: & morietur in ſonitu Moab in clangore tubæ: & diſperdam iudicẽ de medio eius, & omnes principes eius interficiam cũ eo, dicit Dominus.*

33. [s] *In tribus annis quaſi anni mercenarij auferetur gloria Moab.*] Hoc nunc primùm audiunt Moabitæ de tempore ſuæ definitu calamitati; nam alia omnia licèt minùs expreſsè ab Amos audierat, vt modò dicebamus: Complenda verò hæc omnia dicuntur, vt communiter interpretes, tribus præcisè annis, quales numerare ſolent mercenarij, qui ſuam operam aliens locauerunt. Sic enim metiuntur tempora, vtique ex ſpatio conſtituto aliquid detrahant, neque eo confecto, quicquam addant. Quo ſenſu, vt nonnulli volunt, etiam in ſacris literis ſumitur militia, quia hæc certis ætatis terminis inchoatur & finitur. Et ita exponunt illud Iob *cap. 7. Militia eſt vita hominis ſuper terram.* Ita Vatablus, & Salmeron *prolegom. 14. formula 29. ad finem*, vbi in hanc ſententiam explicat hunc Iſaiæ locum. Et aliqua ex parte perſuadet quod ſtatim ſubditur, *& ſicut mercenarij dies eius.* Ita vt ſenſus ſit, Definiti ſunt homini vitæ dies, ſicut dies militãdi, qui in ſacra militia *Nu. c. 8.* ab anno 25. vſque ad quinquageſimum producitur. *A viginti quinque*, inquit, *annis & ſupra ingredientur vt miniſtrent in tabernaculo fœderis, cúmque quinquageſimum annum ætatis impleuerint, ſeruire ceſſabunt.* In profana verò eadem penè ratio eſt. *Romani*, vt inquit Seneca, *lib. 2. de beneficiis neminem poſt annum quinquageſimum ad militiam cogebant.* Perſæ à vigeſimo anno vſque ad quinquageſimum militare curriculum definiebant, vt tradit Xenophon, *lib. 1. Cyropedia.* & Strabo *li. 15. ſub finem.* Apud alios alia ratio eſt. Vide Alexandrum *lib. 1. Genial. cap. 17.* de Hebræis nihil eſt mihi exploratum. Videtur autem colligi poſſe, licèt coniectura aliquantum obſcura, Hebræos à vigeſimo anno inire militiam. ex *Num. cap. 14. verſ. 19. Omnes qui numerati eſtis à viginti annis, & ſupra, & murmuraſtis contra me non intrabitis terrã*, &c. Quo verò ætatis anno militari onere leuarẽtur, non inueni vllum in Scriptura veſtigium.

A certo ætatis anno militiæ profeſſio, & ab ea vacatio.

34. Sed quidquid ſit de militia, neque enim mihi omnino placet iſta ſententia, & de mercenario capio, licèt non eo ſenſu, quem nonnulli probant; ſæpe ex tribus annis nihil decedet, aut tribus annis nulla fiet acceſſio. Porò ergo annos mercenarij, ſumi pro annis laborioſis, & moleſtis: neque enim mercenarius aliquam diei partem habet à labore vacuam. Quare Iob vitam hominis ſimilem eſſe dixit vitæ mercenarij, *qui ita deſiderat finem operis ſui* (vtique moleſti) *ſicut ſeruus deſiderat vmbram*, id eſt noctem, vt exponit Chryſoſtomus & Polychronius, in qua diurno perfunctus penſo à labore reſpiret. Eodem omnino ſenſu, quo mercenarius expectat finem operis ſui. Eſt ergo ſenſus meo iudicio non extortus, ſed oblatus à textu, habitaturos eſſe Moabitas tres annos non otioſos, aut vacuos à perturbatione, aut vaſtatione hoſtili, non quòd poſt tres annos talia paſſuri ſint à Senacherib, qualia hoc loco ab Iſaia prædicuntur; neque enim vt paulò antè probauimus, hæc Moabitæ à Senacherib ſubire potuerunt; ſed quod tribus annis duratura ſit illa vexatio, aut oppugnatio; quæ regionem illam in ſtatum illum miſerabilem, ac ærumnoſum adduxit. Ita Hieronymus, dum oſtendit quomodo triennale hoc ſpatium in Chaldæorum tempora conuenire potuerit. *Poteſt*, inquit, *& de Babylonica captiuitate prædici, quod poſt captam Ieruſalem tranſitu annorum trium circulus Moab à Chaldæis vaſtata ſit, ſiue quod trium annorum ſpatio nulla ei data ſit requies.* Vide quæ dicemus infrà *cap. 21. verſ. 16.*

35. [u] *Super omni populo multo, & relinquetur paruus.*] Id eſt, de tanta multitudine Moabiticæ gentis relinquentur pauciſſimi. In aliquibus codicibus legitur, *Relinquetur ſicut racemus paruus*; ſed neque in textu Hebraico reperitur, neque in codicibus magis correctis. Explicat tamen optimè racemi nomen ſeruata metaphora vineæ, de qua ſuprà, ſtragem illatam ab hoſtili manu, quæ latè regionem totam populata eſt.

ARGV

Argumentum decimi ſeptimi capitis Iſaiæ.

PRÆDICIT *primùm propheta Damaſci ruinam, quæ ſic erit grauis, vt Damaſcenum ſolum, non tam ſit hominibus futurum domicilium, quàm pecoris ſtabulatio, aut ferarum latibulum. Deinde eadem, aut non longè diſsimilia in Iſraelitidis ſortis exitium prænuntiat; quam latè, atque eleganter ſuo prophetico penicillo depingit. Quæ vexatio intellectum datura dicitur inſipienti populo, eóque adductura vt creatorem agnoſcat, & reuereatur ſuum, & in eo potiùs quàm in nugacibus Gentium ſimulacris ſpem vitæ conſtituat. Ad extremum cauſas adducit cur exitus ille tam durus, & flebilis populos illos maneat, qui in Iudaici nominis exitium conſpirarunt.*

CAPVT XVII.

1 [a] ONVS *Damaſci. Ecce Damaſcus deſinet eſſe ciuitas, & erit ſicut aceruus lapidum in ruina.*

2 *Derelictæ ciuitates Aroër gregibus erunt, & requieſcent ibi, & non erit qui exterreat.*

3 [b] *Et ceſſabit adiutorium ab Ephraim, & regnum à Damaſco:* [c] *& reliquiæ Syriæ, ſicut gloria filiorum Iſrael erunt, dicit Dominus exercituum.*

4 [d] *Et erit in die illa: attenuabitur gloria Iacob, & pinguedo carnis eius emarceſcet.*

5 [e] *Et erit ſicut congregans in meſſe, quod reſtiterit, & brachium eius ſpicas leget. Et erit ſicut quærens ſpicas in valle Raphaim.*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 DVRVM vaticinium contra Damaſcum. Ecce non iam ampliùs titulum, atque ſplendorem ciuitatis obtinebit; neque quicquam ex antiqua gloria ſupererit, præter aceruum lapidum, & miſerabilis ruinæ triſte veſtigium.

2 Ciuitates Aroër ciuibus quondam, domibúſque frequentes, iam iam deſertæ ſyluescente ſolo alendo pecori patebunt; qood eo loco ſecurum per otium, & ab omni metu ſolutum vagabitur. Neque ex tanta multitudine vllus erit reliquus, qui illud ex ruinis iam omnino compaſcuis arceat, aut exterreat.

3 Tunc Damaſci regnum, quod contra Iudam auxilium præbebat Samariæ, quæ caput erat Ephraim; fœda clade proſtratum; regnum eſſe deſinet. Et eos, qui Aſſyriorum gladium, & potentiam effugerint, nihilo mitior fortuna manet ea, quam Iſraelitis imminere paulò antè prædixi. Vt enim hi captiui abigentur, neque illorum aut nomen, aut regnum vltrà conſurget; ſic etiam neque Syri ab Aſſyrio conciſi, in regiam dignitatem, & ſplendorem redibunt. ſic à Deo immutabili decreto definitum eſt.

4 Hoc quoque durum vaticinium contra Samariam, & contra decem tribus Iſrael, quarum ipſa caput eſt, & regia ſedes. Quo tempore exciſa fuerit ab Aſſyrio Damaſcus; magna etiam ex parte attenuabitur, & langueſcet Iſraelis potentia. Et quod in ea magis erat pingue, id eſt, magis ad fortitudinem, & vim, aut propulſandam, aut inferendam, id debilitabit, ac ſternet Aſſyriorum exercitus.

5 Erit eorum numerus, quem ex tanta multitudine reliquum faciet inimicorum furor, non diſſimilis ſpicis, quæ ex copioſa meſſe manus effugerint meſſorum. Neque tamen reliquiis illis quantumcumque exiguis, parcet Aſſyrius, qui rurſus ad eadem arua victorem; atque inſolentem referens exercitum ſpicilegium faciet; non aliter, atque illi, qui in Raphaim, id eſt, loco pingui, ſpicas legunt, quas meſſor relinquit.

6 Poſt exaturatos Aſſyriotum animos Iſraelis præda, collectis etiam ex meſſe, ſeu vindemia reliquiis, qui ſupererunt ſimiles erunt racemis, qui peracta vindemia ab attento, atque auaro vinitore relinquuntur. Qui ſane non erunt plures quàm paucule oleæ, quæ in duarum, aut trium oliuarum cacumine relinquuntur, aut ſummùm quatuor, aut quinque, quas ideo non colligit agricola, quia aut oculos fugiũt, aut quia illas ramorum celſitudo tuetur. Hoc quoque decretum eſt Dei Iſrael.

6 Et relinquetur in eo ſicut racemus, & ſicut excuſſio oleæ duarum vel trium oliuarum in ſummitate rami, ſiue quatuor aut quinque in cacuminibus eius fructus eius, dicit Dominus Deus Iſrael.

7 Eo verò tempore experientia ipſa edocti, & vexatione, quæ inſipientibus intellectum dat, conuertent ſe ex Iſrael non pauci ad factorem ſuum; & in illum in eo rerum conflictu intuebuntur, à quo vno auxilium vtiliter implorari poſſe cognoſcent. Neque iam ad nugacium Deorum impias aras, quas ſuis ipſi manibus excitarunt; neque ad lucos, atque delubra, quæ nefario, ac ſtulto conſilio ſacrauerunt, confugiendum exiſtimabunt; cùm re ipſa, & magno ſuo malo didicerint, ab illis nihil ſperari poſſe pręter ignominiam, & pudorem.

7 [f] In die illa inclinabitur homo ad factorem ſuum, & oculi eius ad ſanctum Iſrael reſpicient: & non inclinabitur ad altaria, quæ fecerunt manus eius, & quæ operati ſunt digiti eius: non reſpiciet lucos, & delubra.

8 Tunc ciuitates munitæ, & ad arcendum hoſtem iam antè comparatæ ingruente Aſſyrio, eo metu, atque celeritate deſerentur ab Iſraele, quo olim ad appulſum Iſraelis in terram promiſſionis, in agris, locíſque deſertis relicta ſegete, & aratro, atque omni ruſtico inſtrumento, in ſuas ſe Amorrhæi munitiones receperunt. Atque ita ô Samaria, Iſraëliticæ potentiæ caput, ſola, atque deſerta relinqueris.

8 [g] In die illa erunt ciuitates fortitudinis eius derelictæ ſicut aratra, & ſegetes quæ derelictæ ſunt à facie filiorum Iſrael, [h] & eris deſerta.

9 Hic autem metus, & turpis fuga tibi continget, ô gens Iſraelitica, quia Dei tui, qui te non ſemel ab hoſte ſeruauit fidem, & religionem abieciſti. Neque recordatus es illius, qui tibi in aduerſis, dubiíſque temporibus præſidio fuit. Atque ideo in agros tua manu plantatos, & egregiè cultos graſſabuntur alieni. Et licèt fidelis planta ſit, quæq́ue nunquam ſpem, aut curam fallit agricolæ, nihilominus tibi infidelis erit: quia non tam tu fructum ex ea colliges, quam alienus.

9 Quia oblita es Dei Saluatoris tui, & fortis adiutoris tui non es recordata: [i] propterea plantabis plantationem fidelem, & germen alienum ſeminabis.

10 Quo tempore vitem tibi, aut plantam felicem, atque vberem ſerere videbare, reuera amari plantam fructus, & labruſcam plantaſti: quia ſanè durum eſt fructus natura ſua dulces, & ſuo labore partos aliorum prædæ, aut vaſtationi proponi. Videbis manè florem, & in eo ſpem fructus vberrimi, ſed fructum non videbis, quia cùm maturuerit, alius decerpet. Quare plantatio illa ex nobili, atque fœcundo ſurculo nihil afferet tibi præter doloris ſtimulos.

10 [l] In die plantationis tuæ labruſca, & manè ſemen tuum florebit. Ablata eſt meſſis in die hæreditatis, & dolebit grauiter.

11 Væ Syriæ, atque Samariæ, quæ eo fremitu quo mare terras inundat, aut quo, ad ſcopulos marini alliduntur fluctus, & eo tumultu, ac ſtrepitu, quo turbæ frequentes, atque copioſæ, vt aquæ ex imbre ſubito torrentes contra Hieroſolymam coniuratas acies inuexerunt.

11 [m] Væ multitudini populorum multorum, vt multitudo maris ſonantis, & tumultus turbarum, ſicut ſonitus aquarum multarum.

12 Irruent

12 Sona

12 *Sonabunt populi ſicut ſonitus aquarum inundantium, [a] & increpabit eum, & fugiet procul. Et rapietur ſicut puluis montium à facie venti, & ſicut turbo coram tempeſtate.*

12 Ittuent quidem duo illi coniurati populi cum militari vlulatu, & quaſi iam actum eſſet de Hieroſolyma cum plauſu, atque clamote triumphali, ſicut inundantes aquæ; ſed occurret infenſus Dominus, & vim illam, atque furorem infringet. Quare fugiet exercitus, & deficiet; ſicut puluis à vento, aut tutbo à vehementi procella diſſipatur.

13 [o] *In tempore veſpera, & ecce turbatio: in matutino, & non ſubſiſtet.* [p] *Hac eſt pars eorum, qui vaſtauerunt nos, & ſors diripientium nos.*

13 Veſpete quidem tutbabit, & graui metu concutiet Ietuſalem, ſed manè ſonitus ille concitatæ, atque frementis tutbæ increpante Domino repentè conquieſcet. Hic exitus manet illorum audaces, atque inſolentes ſpiritus, qui nos vexare, noſtráque diripete toties conati, toties aggreſſi ſunt.

IN CAPVT DECIMVM SEPTIMVM COMMENTARIVS.

1\. [a] ONvs *Damaſci.*] Certum eſt his, qui vel mediocriter in ſacris literis verſati ſunt, non eondem in gerendis, atque enarrandis rebus ordinem aliquando ſeruari, vt docnimus *in cap. 1. Actuum, num. 46.* Quod maximè in prophetis obſeruandum eſt, in quibus tempora non hiſtorico modo digeſta, neque priora vaticinia priori loco ſcripta produntur. Argumento nobis eſt Ieremias, in cuius ſcriptis, vt accutatè probat Chriſtophorus Caſtrus, neque ratio temporum, neque prophetiarum antiquitas ſeruata eſt. Idem nobis omnioo accidit io onere Damaſci. Nam cùm Damaſcus ante mortem Achaz vaſtata fuerit, vt liquet 4. *Reg. cap.* 16. vbi euocatus ab Achaz *aſcendit Rex Aſſyriorum in Damaſcum, & vaſtauit eam, & tranſtulit habitatores eius Syrenem, Raſim autem interfecit.* B Nihilomioos boc onus Damaſci quod haud dubiè præceſſit eius exitiom, ſcriptum eſt poſt mortem Achaz, & poſt onus Philiſtææ; quod prædictum fuit anno quo mortuus eſt Achaz, vt conſtat *cap.* 14. *verſ.* 29. id eſt, aliquot annos poſt Damaſci cladem, & poſt ooos Moab, quod completum eſt poſt centum annos, & eò ampliùs, poſtquam periit Damaſcus.

2\. [b] *Et ceſſabit adiutorium ab Ephraim.*] Hine planè conſtat agi de ſtrage Damaſci, quæ contingit regnante Achaz: nam tune adhue vigebat Ephraim, in quo decem tribos intelliguntur, cui Damaſcus, & Rex eius Raſin auxilium præbuêre contra Iodam. Neque enim diu poſt initom regnum ab Ezechia durauit regnom Iſraël: nam ſexto illius anno deletum eſt, 4. *Regum* 19. Debellata ergo Damaſco langueſcent vires Iacob, neque iam amplius cootra Ieruſalem ad oppugnandum, neque contra Aſſyrios ad repugnandum quicquam auxilij poſtulabit.

3\. [c] *Et reliquia Syria ſunt gloria filiorum Iſraël.*] Ironicè hîc *gloria* ſumi videtur pro ignominia. Docet autem idem eſſe paſſuros Damaſcenos, quod imminere antea dixerat Iſraëli. Vt enim plutimi captiui ducti ſunt è Samaria, & pauci relicti, ſic A erit in Sytia, & quantum Samaritani, tantom Syri apud Aſſyrios erunt ignobiles & abiecti. Septuaginta eodem explicant ſenſo citra figuram: ſic enim vertunt. *Non tu melior eris filius Iſrael, & gloria eorum.*

[d] *Et erit in die illo attenuabitur gloria Iacob.*] 4.
Hinc qood reliquum eſt capitis, pertinet ad Iſraël, cuius gloria attenuata, atque imminota dicitur; qoia quo tempore capta eſt Damaſcus ab Aſſyriis, duæ quoqoe tribus, & dimidia eodem impetu captæ ſunt, & in captiuitatem abductæ vt habes *è Paralip.* 5. *verſ.* 26. Quare magnopere immioota eſt Iſraëlis potentia: & quia pars, quæ trans Iordanem conſederat, nempe tribus Ruben, Gad, & dimidia tribus Manaſſe, tranſlatæ ſunt ad Aſſyrios, tum B etiam, quia quod reliquum erat ex Iſraël exciſa Damaſco, quam priùs in auxilium aduocarat, minùs habebat roboris ad belli pondus.

Cum Damaſco quædam tribus Iſraël captæ ſunt ab Aſſyrio.

[e] *Et erit ſicut congregans in meſſe quod reſtiterit: & brachium eius ſpicas leget.*] 5.
Triplici ſimilitudioe, eáque vt reor, prouerbiali oſtendit propheta, quàm pauci ex tam copioſo numero futuri ſint reliqui, qoos non cooſumat ferrum, aut abducat exilium. Neque enim plures eruot quàm ſpicæ, quæ ex magna meſſe effugeriot meſſorum manus: aut oliuæ, quæ in arborum cacumine, aut racemi, qui peracta vindemia ab attento atque auaro vinitore relinquuntor. Similia repetit *cap.* 24. *verſ.* 13. Vbi oos de hoc genere ſermonis plura.

Prouerbiũ. Quam male vexatus Iſraël ab Aſſyrio.

[f] *In die illa inclinabitur homo ad factorem ſuum.*] 6.
C Quod poſt ſtragem decem tribuum quam plurimi ex his, qoi remanſerant, ad Deum Iſraël conuerſi fuerint, cuius religionem ante prodiderant, & vana Deorum ſimulacra confregerint, ſatis liquet ex 2. *Paralip. cap.* 30. *& cap.* 31. Et de his Iſraëlitis intelligi putant hunc locum com Hieronymo & Cyrillo ex recentioribus multi. Quod mihi videtur ſatis veriſimile. Nam in parentibus, qui capti iam apud Aſſyrios dura ſeruitute premebantur, experti fuerant, quàm parum eſſet fidei ac roboris in diis, quibus excitarant altaria, & ſupplices vota, precéſque detulerant. Et hac præſertim ratione perſuadere

ſuadere tentauit per literas, & nuntios ſanctus Rex A Ezechias eos, qui ex toto Iſraël in ſua ſede remanſerant, vt ad auitam religionem redirent 2. *Paralip.cap.* 30. Neque ſanè irrito conatu. Alij hæc referri putant ad eos, qui cum Damaſcenis ſimul euerſi ſunt, nempe qui trans Iordanem conſiſtebant, quod mihi improbabile non eſt. Solet enim vexatio paulò durior, qualis accidit illis Iſraelitis ſub Aſſyrio iugo, ad ſanitatem adducere inſipientes, vt meliora cogitent.

7. Neque aliquid à textu alienum dicturus mihi videor, ſi ab hac mentis, religioniſque mutatione Syros non excludam: Nam de illis quoque videtur intelligenda hæc vaticinij pars. Et tam ipſi ea ipſa didicerant, quàm parum eſſet fidendum dijs, quos antè vana religione colucrant; & de Iudæorum B Deo, & audierant admiranda, & ipſi nonnulla fuerant, & in parentibus quondam, & nunc recèns in ſe ipſis experti. Quare rerum iam potito Aſſyrio hoſte ſæuiſſimo, nemo erat, ad quem illius cladis reliquiæ tutiùs confugerent, quàm Ezechias. Et in vno Deo Iſraël ſatis præſidij ad ſalutem ſibi futuram eſſe perſuaſerant.

Ex Syris aliqui poſt euerſam Damaſcum videntur ad Iudæorũ religionem conuerſi.

8. g *In die illa erunt ciuitates fortitudinis eius derelictæ ficut aratra, & ſegetes, quæ derelictæ ſunt à facie filiorum Iſrael.*] Longum eſſet rationes oſtendere cur variè à varijs hic locus conuertatur: neque enim ex interpretibus vllus ferme eſt qui cum alio omnino conſentiat; quare ab hoc labore, & moleſto, & longo abſtinens ad vulgatæ tranſlationis expoſitionem accedo. Lyra ſic præſentem locum C exponit. Sicut filij Iſraël non potuerunt illa defendere, quæ erant in agris, quia nullo murorum præſidio muniebantur: quare imminente Aſſyrio, derelicto omni inſtrumento ruſtico ad vrbes confugiebant: ſic etiam quia in vrbibus munitis, ac fortibus nihil ſtatuent ſibi eſſe firmamento, illis relictis in fuga potiùs ſpem ſalutis, & libertatis collocabunt. Quibus verbis ſignificat non magis tutos fore Iſraëlitas in ciuitatibus, quas muniunt præalti muri, excelſæ turres, & comparata ad arcendum hoſtem propugnacula, quàm deſertus ager, qui totus patet inimicorum prædæ. Quæ ſententia mihi non improbatur; immò valde videtur expedita, & facilis. Sed communiter alij cum Hieronymo ſic interpretantur. Sicut Amorrhæi, & D nationes aliæ, cùm viderent impares ſe eſſe Iſraëlitarum viribus, quibus fauere Deum non obſcurè intuebantur, deſertis agris, & eorum fructibus, ac ruſtico inſtrumento hoſti relictis, in munitiones ſuas trepida, ac veloci fuga ſe recipiebant: ſic Iſraëlitæ, quorũ caput Samaria; cum nihilo tutiores à facie Aſſyriorum exiſtimarent ciuitates munitas, quàm Amorrhæi olim agros, & aperta loca à facie Iſraël, eodem modo relinquebant munitas, & ad repugnandum opportunas ciuitates, quo alij ſegetes & aratra. Et verò non apparet, quo alio modo, tam breui, ac facilè Aſſyrij tot ciuitates capere, atque expugnare potuerint, quot erant vltra Iordanem, quæ eodem tempore quo Damaſcus, & eo- E dem penè impetu captæ ſunt. Quo ex loco hæc Amorrhæorum fuga conſtare poſſet, non video; ſed eſt veriſimile ex timore, quem Chananææ gentes conceperunt, ita contigiſſe; & ad hiſtoriæ certiſſimam fidem ſatis eſt ab Iſaia ita fuiſſe propoſitum. Quantum verò expauerint Chananææ Gentes ad Iſraëlis ingreſſum conſtat, ex *Ioſue cap.* 2. *verſ.*9. & 11. & *cap.*5. *verſ.*1.

Magnus Chananæorum pauor ad ingreſſum Iſrael.

9. h *Et erit deſerta, quia oblita es Dei Saluatoris tui.*] Cauſa redditur tam horribilis cladis, & ſubitæ ruinæ, quia Dei à ſe præſidium abiecit, quo tempore illius memoria depoſita alienæ religionis ſacris adhæſit. Loquitur autem cum decem tribubus vt conſtat, & ſubauditur, *ô plebs*, quæ deſerta dicitur & oblita.

i *Propterea plantabis plantationem fidelem, & germen alienum ſeminabis.*] *Plantatio fidelis* dici 10.
poteſt generoſa, & nobilis, quæ & certum quotannis fructum fundit, & illum egregium: qualis erat plantatio *Sorec*, aut germen, quod *electum* vocatur *Iſaia cap.*5. Quaſi dicat propheta, plantabis in agro ſtirpes ita fideles, vt nunquam fallant agricolæ ſpem, ac laborem; ſed fructus ex illis alieni decerpent. Sed alij putant *fidelem* hic ironicè pro *infideli* B ſumi. Et quidem Septuaginta, qui locuti ſunt non figuratè ſed propriè, *infidelem* tranſtulerunt. Sicut ergo *ager fidelis* dicitur, qui reddit domino quod accepit cum vſura; ſic *infidelis* vocari poteſt; aut quia producit nihil, aut ſiquid eſt, illud non domino producit ſed alieno. Quod ſatis explicat id quod proximè ſequitur, quod prioris partis epexegeſis eſt. Et ita re vera contigit: nam quod in agro Iſraëlitico plantatum eſt, Aſſyriorum vſui ſeruiuit, non Iſraëlitarum. Hæc, aut alia his non diſſimilia minatur Dominus illis qui à lege defecerint, *Deut.cap.*28. quibus denuntiat ea longo agrorum cultu nullum eſſe referendum fructum. Simili figura ſatis ad ῥῆτον opportuna vſus eſt Virgil. *Eclog.*1.

C *Impius hæc tam culta noualia miles habebit?*
Barbarus has ſegetes? en quo diſcordia ciues
Perduxit miſeros, en queis conſeuimus agros?
Inſere nunc Melibœe pyros, pone ordine vites.

l *In die plantationis tuæ labruſca, & manè ſemen* 11.
tuum florebit.] Hæc eſt ſuperiorum explicatio. Quaſi dicas, plantatio illa licet nobilis, & ad vbertatem, & guſtum egregia, afferet tibi labruſcas, id eſt amaritiem, nam ſanè amarum eſt ſpectare tua, quæ pulchra ſunt, & in quibus abs te diu laboratum, ab aliis diripi. Quare tibi germen illud nobile nihil afferret præter dolendi cauſam. Videbis manè, id eſt, proximo tempore poſt ſementem factam herbeſcentes ac lætas ſegetes, ſed vbi maturuerint, & ad ſpicam peruenerint, erunt non tuæ. D Neque aliud ſignificat, quod mox additur *in die hereditatis*, nam *hereditare*, poſſidere eſt, aut manu tenere: quo ſenſu dicuntur vermes hæreditare corpus, ac ſi dicas, quando fructus colligendi ſunt.

m *Væ multitudini populorum multorum, vt mul-* 12.
titudo maris ſonantis.] Hæc aliqui ad Aſſyrios referunt, qui quaſi rapidiſſimi fluuij è ſuæ regionis finibus exundantes Damaſcenos; atque Iſraëlitas latè populati ſunt. Sed ſanè multò meliùs iſta Damaſcenis conueniunt, & Iſraëlitis, qui coniunctis viribus contra Hieroſolymam coniuratas acies innexerunt. Quia de illorum exitio paulò antè dixerat, nunc quaſi per epiphonema eadem paucis comprehendit. Sic extollens illorum vires, & E incitatos ad pugnandum animos, vt illis cum aliqua doloris ſignificatione interitum minetur.

n *Et increpabit eum.*] Sicut Dominus *Lucæ* 13.
*cap.*8. *increpauit ventum, & tempeſtatem aquæ, & ceſſauit & facta eſt tranquillitas.* & *Pſal.* 105. *increpauit mare rubrum, & exſiccatum eſt*: ſic etiam nunc Dominus tempeſtatem illam ab hoſtibus excitatam increpuit, & temporis momento fecit euaneſcere.

o *In tempore veſperæ, & ecce turbatio: in matu-* 14.
tino,

Prouerbiũ.

tino, & non ſubſiſtet.] Prouerbiali forma, *veſpere*, & *mane* pro breuiſſimo tẽpore vſurpantur, quando aliqua notatur rerum viciſſitudo. *Pſal.* 29. *Ad veſperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.* Et *Pſal.* 89. *Manè floreat, & tranſeat, veſpere decidat, induret & areſcat.* Vide infrà ad illud *cap.* 38. *De mane vſque ad veſperam finies me.* Ait igitur propheta ſonitum illum concitatæ, atqoe fermentis procellæ increpante Domino repeotè ceſſaturũ.

15. [p] *Hac eſt pars eorum qui vaſtauerunt nos & ſors*, &c.] Hæc mihi perſuadent ſermonem huoe nullo modo eſſe de Aſſyriorum, aut Chaldæorum aduentu ſeu ruina, quandoquidem ante Damaſci ſtragem quando hæc dicebantur à propheta, nondum Aſſyrij, nedum Chaldæi in Iudæorum fines irruperant. At Syri, & Iſraël ſæpe. Hanc ergo A cladem imminere dicit Iſaias illis, à quibus Iudæi ante hunc rerum articulum vaſtati dicuntur, & direpti. Neque tamen improbo illorum ſententiam, qui hunc etiam de aliis Iudaici nominis hoſtibus, & de Aſſyriis præcipuè hæc interpretantur; quorum potentia momento temporis extincta eſt. Quia videtur hîc ſumma quædam eorum proponi, quæ ad hunc vſque locum de Iudæorum hoſtibus tradita ſunt. Porrò *pars & ſors* prouerbiali ſpecie ſumi videntur pro hæreditate, ſiue pro eo, quod alicui proprium, ſeu debitum eſt. Quare in Scriptura hæc duo ſæpe coniungũtur. *Sap.* 2. *verſ.* 5. *Hac eſt pars noſtra, & hac eſt ſors noſtra.* Et *Ierem.* 13. *verſ.* 25. *Hac eſt ſors tua, párſque menſura tua.* Plura hac de re diximus ad illud *Act. cap.* 8. *Non eſt tibi pars, neque ſors in ſermone iſto.*

Argumentum decimioctaui capitis Iſaiæ.

*V*ATICINIVM *hoc vt in fine commentariorum probamus, contra Æthiopes eſt, qui poſt Ægyptum habitant, quorum vires inanes eſſe dicit, licèt ab ipſis ſæpe ſuperbè decantatas. Contra quos aduocat Dominus Aſſyrios, atque Chaldæos: quorum armis regionem illam latè populatus eſt, & ingente cadauerum multitudine compleuit. Ad extremum docet Ægyptios, ſeu Æthiopes, poſt acceptam grandem illam plagam, conſilia ſaniora complexos ad montem Sion allaturos eſſe Domino religioſum munus.*

CAPVT XVIII.

1 [a] *VÆ terræ cymbalo alarum,* [b] *quæ eſt trans flumina Aethiopiæ,* [c] *qui mittit in mare legatos,* [d] *& in vaſis papyri ſuper aquas.*

2 [e] *Ite Angeli veloces ad gentem conuulſam, & dilaceratam: ad populum terribilem, poſt quem non eſt alius: ad gentem expectantem, & conculcatam, cuius diripuerunt flumina terram eius.*

3 [f] *Omnes habitatores orbis, qui moramini in terra, cùm eleuatum fuerit ſignum in montibus, videbitis, & clangorem tubæ audietis.*

4 *Quia hæc dicit Dominus ad me,* [g] *quieſcam, & conſiderabo in loco meo,* [h] *ſicut*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 DVRVM vaticinium contra Æthiopiam, quæ eſt trans Ægyptum. Væ terræ quæ opes ſuas, atque ſubſidia ſuperbè, atque ambitioſè prædicat, cùm tamen in eo nihil ſit præter inanem ſonitum; aut æreì cymbali futilem tinnitum. Quæ mittit legatos in mare, legatos, inquam, qui mare nauigent in nauibus è papyro; ſeu ſcirpo contextis.

2 Contra populum tam ſuum ſibi auxilium ambitioſè prædicantem dicit ad Aſſyrios, atque Chaldæos vltor Dominus. Ite ô legati mei, non lenti, aut tardi, vt Æthiopum legati in cymbis è paluſtri materia, ſed veloces ad Gentem, quæ à vobis ex ſuis conuellentur ſedibus, & variè diſſipabuntur. Ad Gentem, inquam, ſua, atque aliorum etiam opinione terribilem, quæque tantum ſibi in ſuis opibus, atque potentia placet, vt præ ſe cæteros contemnet omnes. Ad Gentem, quæ ſuis peccatis altè, atque aſſiduè clamantibus hanc plagam, atque ruinam expectat, cuius agros turbat quotannis, & oblimat Nilus.

3 Omnes habitatores orbis, omnes inquam, qui terram incolitis, cùm militare ſignum in montibus ſtatuero, & litui clangore Aſſyrios euocauero, videbitis, qualis infligenda ſit plaga inſolenti populo.

4 Hæc ad me Dominus, vt ſuo nomine denunciem. Quo tempore ambitioſa Gens illa

durè vexabitur, ego non exeedam è loco meo, vt illi auxilio ſim: imò potiùs dũ in tenebris erit: neque expeditũ aliquid habeat, quò ſe recipiat, ego ero in luce pluſquã meridiana: & quando ęſtu flagrabit tribulationis premente ad internecionem hoſte, ego tunc ero quaſi in roris matutini refrigerio, aut qui tempore meſſis perfunditur à nube rotante.

5 Cur meſſis tempore populus ille grauiter diuexandus ſit, neque ex ſuis copiis, aut decantatis viribus aliquid perceptutus vtilitatis, in cauſa eſt, quia priùs intempeſtiua luxurie, totus effloruit; & ante ſuum tempus germen protulit immaturum. Quare infelix illa, atque ſtolida planta, à vinitore Deo per Babylonios, & Aſſyrios ita tractabitur durè, vt falce præcidantur rami, & quæ ramuſculis ſiue abſciſſis, ſiue auulſis reliqua fuerint, ſuccendentur tandem, & abducentur longè.

6 Nunc audi quid in vindemiæ meſſiſque metaphora obſcuriùs accepiſti. Nullus erit locus ſiue confragoſus, & ſublimis, ſiue demiſſus, & planus, quem non cadauerum multitudo conſternat, quæ in montibus volucres, & in campis belluas carniuoras paſcent. Idque non ad exigui moram temporis, ſed ita diu, vt æſtatem, hiemémque perpetuam agant in cadauerum pabulo.

7 Tunc verè populus ille ſua opinione terribilis, & qui vltimus eſt omnium, aut qui longè poſt ſe reliquos deputat: quíque nunc expectat debitum ſuæ arrogantiæ ſupplicium, cuius agros conculcant flumina, atque diripiunt, munus deferent Domino, ad montem Sion, vbi diuinum nomen præcipua religione colitur.

meridiana lux clara eſt, & ſicut nubes roris in die meſſis.

5 [l] *Ante meſſem enim totus effloruit, & immatura perfectio germinabit, & præcidentur ramuſculi eius falcibus,* [l] *& quæ derelicta fuerint, abſcindentur, & excutientur.*

6 [m] *Et relinquentur ſimul auibus montium, & beſtiis terræ:* [n] *& æſtate perpetua erunt ſuper eum volucres, & omnes beſtiæ terræ ſuper illum hyemabunt.*

7 [o] *In tempore illo deferetur munus Domino exercituum à populo diuulſo, & dilacerato: à populo terribili, poſt quem non fuit alius: à gente expectante, expectante & conculcata; cuius diripuerunt flumina terram eius, ad locum nominis Domini exercituum montem Sion.*

IN CAPVT DECIMVM
OCTAVVM COMMENTARIVS.

1. [a] VÆ *terra cymbalo alarum.*] Locus hic non vno modo ab omnibus redditur, & explicatur. Lxx. reddiderunt *nauium alis.* Symmachus *ſonitus alatus.* Theodotion *aues.* Aquila *vmbram vmbram.* Tigurina *naſſa alata.* Explicationes etiam variæ pro verſionum varietate. Quia verò illa omnia, quæ in huius loci tranſlationem, atque explicationem adducuntur, commemorare faſtidio eſſet legentibus, extricabo me breui ex implexa tot ſententiarum ſylua [b], ſi tamen illud priùs obſeruauero, mira videri, quæ multi ex Hiſpanis ſcriptoribus dicunt, non tam credo, quod ita ſentiant, quàm quòd elati patriæ ſtudio eius laudi intemperantiùs indulgeant, quàm ſacræ hiſtoriæ fides perſuadeat. Hi ergo tam locum iſtum quàm extremam partem Abdiæ vaticinij ad expeditionem in nouum orbem, eiúſque conuerſionem per Hiſpanorum prædicationem, & arma

Hæc prophetia nõ eſt de nouo orbe.

A conferunt. In his eſt Lodouicus Legionenſis, & Montanus in Abdiam, in quam ſententiam citatur à Legionenſi Burgenſis, in hunc Iſaiæ locum: ſed non video vnde hoc colligi poſſit ex Burgenſi. Docet Rebellus *lib.* 18. *q.* 23. quæ ſententia omnibus ferme aliis non ſolùm noua, id enim ferendum eſſet, ſed etiam alieniſſima à toto textu viſa eſt. Nam quæcumque per plura capita dicuntur à propheta, minæ ſunt, vt præfixus titulus ſtatim præ ſe fert. Et ideo ſic incipit, *Onus Moab*, *onus Ægypti*, &c. aut *væ terræ, væ Ariel.* Quare nihil ex titulo habemus iucundum, ac gratum, ſicut profectò eſſet Hiſpanis, diſſitas illas nationes, ſubiugare armis ſui regis imperio, & intra Eccleſiæ ſepta cogere per Euangelium; aut Gentibus ita ſubiugatis, Idololatria cognita, atque contempta ad veritatis agnitionem venire. Sed qui ita ſtatuunt illud *væ* pro quo Hebr. eſt הוי *hoi*, non putant eſſe particulam dolen

dolentis,ſeu comminantis, ſed potiùs exhortantis: quaſi Deus hortetur Hiſpanos cymbalo alarũ,id eſt, claſſibus inſtructos,vt Gẽtes illas adeant cõuulſas, & expectantes. Sed profectò, vt vox illa הוי *hoi*, id etiã ſibi velit,tameo particula illa ſæpiùs in multorum capitum initiis iterata, & proximè capite præcedenti *verſ.* 12. ſatis oſtendit quo ſenſu in hoc capite ſit accipienda. Mitto alia, quæ omnino diſtortè renitente toto capite in illam ſententiam trahuntur,quæ pudet commemorare: neque vacat in opere adeò longo, in rebus non adeò neceſſariis operam ludere. Ad illa venio quæ magis inſtituti noſtri ſunt.

2. Satis veriſimile eſt, vt omnes communiter cum Hieronymo ſentiunt, vaticinium iſtud eſſe contra Ægyptios, licèt, vt ad finem capitis addemus, non ſit improbabile,ſed multò fortaſſe probabilius eſſe contra Æthiopes:Sed in pręſentia de Ægyptiis capio ſecutus communem explicationem, neque difficile erit poſtea, hæc eadem ad Æthiopes tranſcribere, quibus caſus non diſſimilis & eædem regionum proprietates. Cur verò Ægyptus dicatur *cymbalum alarum*, ſeu *terra cymbali*. nam Hebraica forma hanc etiam tráſlationem admittit, quaſi dicas *Cymbalata in alis,aut alas habens cymbalo ſonantes*, difficile dictu eſt, & in quo multi iidémque magni nominis interpretes laborant. Quidam putant ſic appellari propter Nilum, qui ad Catadupa cum ſtrepitu præceps ruit inſtar auium. Eſt qui *Cymbalum* pro Cymba ſumat, quæ remis, ac velis agitur, quæ nauibus id officij præſtant, quod volucri pennæ. Quidam veriſimilius cenſent *Cymbalum alarum* vocari, quia hæc regio cùm littoralis ſit, vtatúrque mari ſibi vicino, ad varia cum vicinis gentibus commercia nauigiis abundat; quarum vela aptiſſima tranſlatione *alæ* vocantur. Et quidem ſatis eſt veriſimile his verbis vſque ad *ſuper aquas*, nihil contineri aliud, quàm periphraſim quandam terræ Ægypti, cui Deus per Aſſyrios vaſtitatem minatur. Eſt autem deſcriptio non parum apta, *Regio trans flumina Æthiopiæ,quæ in vaſis papyri legatos mittit ſupra mare.* Videntur autem Ægyptiæ naues, *Cymbali* ſiue *Cymbalatæ* dici poſſe, quia inter nauigandum (quæ eſt illius gentis mollicies) lituis, ac ſyſtris concrepare ſolent. Vide quæ Plutarchus tradit de Cleopatra in vita Antonij, vbi nauem deſcribit in qua remi ad fiſtulæ, tibiæque modos agitabantur.

3. Sed mihi multò placet magis Hieronymi ſententia quam ſequitur Cyrillus, & Haymo, interlinearis gloſſa, neque diſplicet S. Thomæ, qui putant Ægyptiis Iudaici nominis fautoribus minas proponi non aliter, quàm præcedenti capite Damaſco, quæ Iſraeli contra Iudam non ſemel auxilio fuit. Quàm verò ſæpe Ægyptus populo Iudaico ſuam operam, aut promiſerit, aut attulerit, ſatis conſtat. Et ne longiùs abeam, ſub hæc tempora Rex Ægypti auxilium promiſerat Ezechiæ contra Senacherib, vt liquet 4. *Regum cap.* 18. *& Iſaiæ cap.* 37. vbi Aſſyrius monet Ezechiam, ne confidat in baculo arundineo Ægypti: cuius gratia Senacherib bellum Ægyptus intulit. Quod etiam eandem ob cauſam fecit Nabuchodonoſor, cùm ad extremum euerſa fuit Ieruſalem. Quia ergo inſolentes erant Ægyptij reges, ſuáque ope ſperabant fore, vt à quantacumque vi hoſtium liberarentur, qui Ægyptiæ ſe fidei, ac tutelæ crederent: Deinde verò aut prodita fide nullum, aut certè exiguum, & futile auxilium afferebant, ideo tale auxilium cantatum ſæpe, & tandem nullum, ſeu inutile cymbalum alarum appellat, id eſt, ſtrepitum inanem, & ſonitum vacuum & nugacem. Quo ſenſu eiuſmodi Ægyptiorum auxilium, prouerbiali, vt arbitror, ſpecie, *baculus* dicitur *arundineus. Baculus* firmitatem ſonat, *arundo* inanitatem; quare auxilij futilis & vacui præclarum ſymbolum eſt. Accedit quòd arundo quaſſata, quo minùs firmitatis habet, & roboris ad ſuſtentandum, eò plus habet ſonitus, &, vt ita dicam, plus habet cymbali, ſeu magis cymbalata eſt. Quare Deus, vt ab hac ſpe deterreat ſuos, qui in dubiis ſæpe ac periculoſis rebus ad Ægyptios confugiebant, & tale auxilium infirmum appellat, & talia minatur illi populo, qualia ſuperiori capite Damaſco, & Syriæ; in quibus olim confidebat Iſrael.

4. *Væ terra cymbalo alarum.*] Pro *cymbalo* Hebr. צלצל *tſiltſal*, quæ vox *vmbram* etiam ſignificat, vt vertit Aquila, quæ ſi cum aliis coniungatur, optimè explicat auxilij naturam. Quare hæc duo ſæpe in ſcriptura coniunguntur. *Pſalm.* 16. *Sub vmbra alarum tuarum protege me.* & *Pſalm.* 56. *In vmbra alarum tuarum ſperabo.* Sed & alæ ſolæ protectionẽ ſignificant ſumpta ab auibus metaphora, quæ teneros puellos ſub alis fouẽt. Si ergo vmbram hic ab aliis ſecernas, & cum vulgata vocem צלצל *tſiltſal*, *Cymbalum*; non cum aliis *vmbram* interpretere, non video quo alio modo auxilium futile, magnóque ſonitu, atque ambitione prædicatum magis ſignificanter explicari poſſit. Perinde enim eſt ac ſi dicas, *auxilia valde ſonantia*, ſeu *ſuperbè, atque immoderatè cantata.* Terræ ergo eiuſmodi, quæ opes ſuas, atque vires venditat, & commendat, ea minatur Deus, quæ mox dicentur. In hunc ſenſum valde inclinat Hieronymus. Sic enim ille dum adducit explicationem Aquilæ, quæ pro *Cymbalo, vmbram* reddit. *Væ terra quæ in vmbra alarum ſuarum pollicetur auxilium, & cum ſcriptura doceat, qui habitat in adiutorio altiſſimi in protectione Dei cœli commorabitur. Pro quo in Hebr. eſt, vmbra omnipotentis commorabitur, ipſam Dei ſimilitudinem habere ſe iactans aliis reſpiratis repromittit.* Hæc Hieronymus. Videtur autem Cymbali ſonitus, aut tinnitus prouerbialiter ſumi pro rebus oſtentatione magnis, re tamen ipſa ſine vlla vtilitate, ac momento. (Prouerbiũ.) Quemadmodum Latini ſumunt aut *Cepphi partum*; aut partum montium, ex quibus poſt ingentes clamores, nixúſque ridiculus tandem natus eſt mus. Ad quod alluſum videtur à Paulo 1. *Corinth.* 13. 1. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum; charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens.* (1. Cor. 13.) Sanè à Latinis, eo, quem nos produximus, ſenſu, *Cymbalum* vſurpatur prouerbiali ſpecie. Vide Eraſmum, qui exemplum adducit ex Plinio in præfatione hiſtoriæ ad Veſpaſianum Appionis Grammatici, qui dicebat immortalitate donari eos, quos ipſe ſuis ſcriptis commendarat. Hunc autem Tiberius Cæſar, vt inquit ibi Plinius, *Cymbalum* appellabat *mundi.* Ex hac credo metaphora Hiſpanus cùm ſignificare vult alicuius ventoſum ingenium, & verba inflata quidem, & ſonantia, à mente tamen, & à ſenſu vacua: ſuo idiomate dicit *dar badajadas*: quæ vox ſonitus valet, quos cymbalum edit à piſtillo percuſſum.

5. [b] *Quæ eſt trans flumina Æthiopiæ.*] Nilus ex communi conſenſu *flumen* dicitur *Æthiopiæ*, ſeu *flumina*, propter ſeptem oſtia, quæ iuſti fluminis inſtar habent, per quæ ſe in mare mediterraneum exonerat. Sanè Ezechiel *cap.* 29. *flumina* appellat.

Ecce ego ad te Pharao, Rex Ægypti, Draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum. Dicuntur verò *flumina Æthiopiæ*, quia inde Nilus in Ægyptum influit, ſicut *Alpini*, aut *Taurici fluuij* vocari poſſunt, qui ex Alpibus, aut Tauro in ſubiecta loca deriuantur. Dicitur autem Ægyptus eſſe trans flumina Æthiopiæ, quia bona pars Ægypti comparatione Ieroſolymæ vltra fluuium eſt.

6. [c] *Qui mittit in mare legatos.*] Hieronymus legatos miſſos eſſe ab Ægyptiis putat, quo tempore Iudæi anguſtiùs ab Aſſyrio premebantur, quod quidem ita accidiſſe multa in ſcriptura argumento ſunt: neque ego dubito. Quod tamen, licèt verum ſit, alius tamen fortaſſe ſenſus eſt huius loci, quem ego non tam ab aliis probari, quàm expendi volo. Plurimùm in ſe virium ſtatuebant Ægyptij, non ſolùm, vt ſua tuerentur, ſed etiam, vt aliis poſſent eſſe præſidio, quod & faciebant plurimi, & glorioſè prædicabant. Quod Deus leuiſſimum eſſe dicit, & illud præcipuè magis extenuat, in quo ſibi maximè placebant Ægyptij, nempe nauale, quod regioni maritimæ, & copioſum, & egregiè inſtructum eſſe oportebat. Exile verò tale præſidium eſſe docet à materia, ex qua nauigia compacta ſunt, de qua ſtatim.

7. [d] *Et in vaſis papyri ſuper aquas.*] Suſpicor hæc explicationem eſſe priorum verborum, hoc ſenſu. Mittit legatos in mare, legatos, inquam, qui mare nauigant in nauibus è papyro, ſeu ſcirpo contextis. Oſtendit quibus nauibus miſſi fuerint legati illi, cum auxiliaribus copiis: nempe compactis ex materia paluſtri, quam alit Nilus domeſticus fluuius. Satis verò compertum eſt, quid ſit papyrus, nempe genus quoddam iunci, ex quo ſicut caniſtra ab aliis, & calathi, ſic ab Ægyptiis cymbæ, ac maiora etiã nauigia texuntur; quę addito bitumine, ac pice facilè fluctus repellunt. Horum quædam ſimilitudo fuit in fiſcella, quæ in fluminis carecto Moyſem concluſit, & ſeruauit, quæ ab eadem materia *papyrio* dicta eſt. De quo *Exod. cap. 2. Cùmque iam celare non poſſet* (Amram pater Moyſis) *ſumpſit fiſcellam ſcirpeam, & liniuit eam bitumine, & pice: poſuitque intus infantulum.* De his nauibus papyraceis, ac ſcirpeis agit Strabo *lib.* 17. Herodotus *lib.* 2. Plinius *lib.* 13. *cap.* 11. *& lib.* 7. *cap.* 56. Vbi hoc ipſum aliis etiam nationibus attribuit. *Et nunc*, inquit, *in Britannico Oceano vitiles* (naues) *corio circumſutæ fiunt in Nilo ex papyro, ſcirpo, & arundine.* Eodem modo Lucanus *lib.* 4.

Papyrus quid.

Naues ex materia vitili, ac paluſtri.

> *Sic cùm tenet omnia Nilus,*
> *Conſeritur bibula Memphitis cymba papyro.*

8. Hinc conſtat quàm parum firmitatis habituræ fuerint Ægyptiæ naues ex materia adeò futili: & cur Deus dicat vmbram, id eſt, auxilium Ægypti eſſe leuiſſimum, quod ambitioſius prædicatum plurimum habeat cymbali, id eſt, inanis ſonitus. Et ad huiuſmodi auxilia, quæ iam videntur in prouerbium abiiſſe, alluſiſſe arbitror Senacherib, infrà *cap.* 36. qui baculum, id eſt, opem Ægyptiorum, *baculum* appellat *arundineum*, quia ex papyro, & arundine, vt modo dicebamus ex Plinio, Ægyptiæ contexebantur naues.

9. Siue ergo ex hac tantùm materia Ægyptij, ſiue ex alia etiam firmiori naues compegerint, extenuat Deus hoc Ægyptiorum auxilium ab eo, quod ipſis familiare eſt, atque vernaculum, indicans apud eos arundinea eſſe omnia, atque papyracea, quibus tutò ſpes, ac vita committi non poſſet; cum cymbalo tamen, id eſt, cum ſtrepitu. adde etiam cum pulchritudine non vulgari. A Nam ſcirpeis illis, & futilibus cymbis externum conciliabant ornamentum: Fuiſſe enim propter colores varios, & alia fucatoriæ artis lenocinia ad ſpeciem pulchras colligitur perſpicuè ex illo Virgil. 4. *Georgic.*

> *Nam qua Pellæi gens fortunata Canopi*
> *Accolit effuſo ſtagnantem flumine Nilum,*
> *Et circum pictis vehitur ſua rura phaſelis.*

Huiuſmodi etiam plurimæ naues apud Sinas viſuntur ad delicias potius Principum, & otioſorum hominum, quàm ad nauigationes, incommoda, aut bellorum difficultates comparatæ. Quarum ornatum, & fucatam ſpeciem rident fluctus & bel- B lici congreſſus, cùm in ea tam elaborata pulchritudine nihil ſit ad reſiſtendum firmamenti.

Septuaginta aliter hæc conuertunt, *cum epiſtolis biblinis*, id eſt, papyraceis. Ex qua lectione admiranda capiunt noſtri concionatores, & qui putant hæc ad Euangelicos viros pertinere, qui literis Pontificiis, aut à ſuperioribus traditis ad barbarorum conuerſionem per mare proficiſcuntur. Sed re vera, ſi attentè legas, nihil hîc dicunt Septuaginta quod à vulgati tranſlatione admodum diſſentiat; Nam ſi in *epiſtolis* literas intelligas, in quibus mandato perferuntur, explicatur legatorum munus, de quibus proximè dictum fuerat. Hi namque à ſua republica, aut principe mandata perferunt publica C fide, atque autoritate contignata. Sed fortaſſè alius eſt ſenſus, qui neque alienus videbitur iis, qui Grecè norunt, neque valde diſſentit a ſenſu, tranſlationéque vulgati. Nam ſicut ἀπόστολοι pro *claſſe* aliquando ponitur. Sic reor ſummi ad eodem themate ἐπιστολὴν, quæ *aliquid miſſum*, *& extruſum* importat. Quare *epiſtola biblina* idem erunt, quæ claſſes, aut naues papyraceæ, id eſt, vaſa papyri, vt tranſtulit vulgatus. Quod ſi hoc durum eſt, vt profectò videtur, non tamen apparet eſſe durum, ſi *epiſtolas biblinas* appelles illa nauigia, quæ mandata perferunt, aut de aduentu claſſis admonent, & aliquid futurum eſſe prænuntiant. Quæ naues à Latinis *tabellariæ* vocantur. Ita Seneca *lib.* 11. *cap.* 78. *Subitò*, inquit, *nobis hodie Alexandrinæ naues apparuerunt, quæ præmitti ſolent, & nuntiare ſecuturæ claſ-* D *ſis aduentum, tabellarias vocant.* Hæ itaque tabellariæ naues, quæque *epiſtola* vocari poſſent, quia epiſtolarum munus obeunt, aptæ ſunt legatis, qui publico nomine, ac fide aliquid promittunt, aut denuntiant: quales videri poſſunt qui ab Ægypto profecti ſuam opem Iudæis imminenti Aſſyriorum, ſeu Chaldæorum exercitu pollicentur. Hoc modo mihi viſum eſt Septuaginta cum vulgato poſſe conciliari: neque præterea apparet, quo alio modo aptius nomen *maris* quod ſtatim ſubiicitur, cum epiſtolis biblinis coniungi poſſit. 10.

Naues Tabellariæ. 11.

Burgenſis hic explicationem adhibuit ex Rabbinorum fortaſſe commentationibus, ne dicam ſomniis expreſſam, licèt ipſe non nominet. Quod E ſi ipſe primùm excogitauit, aut ab aliis acceptam nobis probare ſtudet, non poſſum non vehementer mirari, aut tanto viro illam placere, ſi ab aliis priùs excogitatam, aut ſi ille omnium primus inuenit, eam in eius mentem venire potuiſſe. Ait enim inter Hebræos, qui tranſlati fuerant ad Aſſyrios, & inter illos, qui in Iudæa remanſerant, per ſubterraneos meatus, occultóſque omnes familiare fuiſſe commercium. in ſcirpeis enim fiſcellis, id eſt, è papyro, aut ex alia paluſtri materia contextis literas includebant, quibus viciſſim ſua conſilia, & communium rerum ſtatum ſignificabant. 12.

bant. Res planè ridicula. Plura qui volet, legat
apud ipſum; mihi non libet in ea explicanda
ſententia operam, & tempus ludere. Multò
minùs eſt improbabile, licèt non adeò probabi-
le ſit, quod Hieronymo teſte in hunc locum,
putat Euſebius, & placet Oecumenio *in prologo*
*epiſt. ad Roman. & in cap.*28. *Actuum*, hunc lo-
cum accipiendum eſſe de legatis, quos in omnem
regionem, vltra Æthiopicos etiam fines miſerunt
cum epiſtolis Iudæi, qui erant Hieroſolymis, vt
Iudæos vbicumque locorum eſſent, admone-
rent, ſibi vt cauerent à Chriſti doctrina.

13. [e] *Ite Angeli veloces ad gentem conuulſam, & di-*
laceratam, ad populum terribilem, poſt quem non eſt
alius: ad gentem expectantem.] Non mihi facile eſt
ſtatuere cui ſint hæc verba tribuenda: Commu-
niter cum Hieronymo interpretes exiſtimant hæc
eſſe Ægyptiorum mandata, qui ſuos legatos ad
Iudæam gentem cum auxiliaribus copiis expe-
diunt: quæ conuulſa fuit, & diſſipata ab Aſſyriis
primùm, deinde à Chaldæorum exercitu. Quæ vo-
catur *terribilis*, quia quo tempore Deum habuit
fauentem, & propitium, omnibus populis terrori
fuit adeò, vt poſt ipſam gens alia non ſit, quæ cum
illa aut robore, aut rerum gerendarum facilitate
comparari potuerit. Quæ tamen expectat iam in
extremam difficultatem adducta extremum auxi-
lium ab Ægyptiis, propterea quod flumina, id eſt,
nationes, quæ priùs fluminibus tanquam ex alueo
egreſſis comparatæ, regionem illam oppleuerunt,
atque vaſtauerunt. Cui ego interpretationi lu-
bens adhæreo, tum quia textui ſatis eſt cōſentanea,
ingenióque Ægyptiorum, qui ſuæ ambitionis
cymbalo, id eſt, inani oſtentatione nihil ſibi non
arrogabant, tum quia etiam placet viris à quorum
ſententia diſcedere inuitus ſoleo. Nihilominus pro-
ponam quid mihi etiam hic veriſimilius videtur
dici poſſe: neque enim ipſe aliquid hic certum de-
finio.

14. Miſerant, aut potiùs miſſuri erant Ægyptij le-
gatos per mare cum ſcirpea claſſe, qui nihil om-
nino erant opis allaturi populo Iudaico: nunc ve-
rò Deus mittit legatos, ſic enim appellantur An-
geli, nempe Aſſyrios ſeu Babylonios, ab vtriſque
enim Ægyptij malè mulctati ſunt, non cum tardo,
atque irrito ſcirpeæ claſſis molimine, ſed omnino
veloces contra Ægyptios, quos conuulſos appel-
lat, & diſſipatos more Scripturæ maximè apud pro-
phetas, quæ id factum eſſe dicit, quod facilè, aut
certiſſimè fiet, aut certè proximum eſt, vt fiat. Vo-
catur autem populus ille terribilis, & poſt quem
non eſt alius, id eſt, præ quo nullus eſt potentior,
id enim valet מן הוא *min hu*, id eſt, *præ quo*: vel
magis ad tranſlationem vulgati, qui vltimus eſt
omnium, quos Iudæa cognouit. Quod ſi ita eſt,
non tā de Ægypto, quam de Æthiopia trans Ægy-
ptum vaticiniū iſtud inſtitutū eſt, vt magis eſſe ve-
riſimile ad finē cōmentariorum dicemus. Quod ſi
præ quo legas; hæc quæ præceſſerunt dicta viden-
tur per ſarcaſmum à Deo, qui ſe accommodat,
ironicè tamen, cogitationi Ægyptiorum, atque
etiam frequenti illorum ſermoni, quo ſe formida-
biles omnibus, & præter ſe nullum eſſe formidan-
dum, & ſibi ipſis perſuaſerant, & crebris vſurpa-
bant ſermonibus. Quæ verò ſequuntur, perquam
bellè deſcribunt naturam regionis, quæ a ſuo Nilo
ita conculcatur, & oblimatur, & quodammodo
diripitur, vt agri priùs aratro, atque ligone ſubacti,
poſtea affuſo Nilo latè ſtagnantes nauigia ſuſti-

A neant. De quo quidam eleganter. *Ægyptiis Nilus*
eſt omnia, nempe terra, fluuius, mare, palus. De quo eſt
illud Virgil. *Georg.*4.

Et circumpictis vehitur ſua rura phaſelis.

Idem Herodotus *lib.* 2. *de exundatione Nili. Hoc*
dum contingit, non iam per alueum fluminis, ſed per
medium campum nauigatur.

Ex his etiam fit, vt gentem hanc Deus appellet 15.
expectantem: quia expectat exundationem Nili, vt
terram oppleat, conſerat, & fœcundet, alioquin fa-
me peritura: aut certè vt intra alueum ſe recipiat,
quaſi ab illo obſeſſa teneatur: aut expectantem
ſupplicium, quod tam inſolentes Ægyptiorum ſpi-
ritus exigebant. Qui loquendi modus vſitatiſſi-
mus eſt in Scriptura, in qua aliquis dicitur id fa-
B cere, aut velle, quod vt fiat, eius mores, & opera
merentur. Qua ratione peccata Sodomorum di-
cuntur clamare, & quaſi expectare vindictam, &
illa ſimiliter, quæ dicuntur *peccata in cælum cla-*
mantia, quia illis à Deo ex cœlis imminet vindi-
cta. Ad hunc modum Latini dicunt, *hic vult eſſe*
miſer, quia illa audet, propter quæ miſeriam effu-
gere non poteſt, *ille vult ſpoliari, qui aurum portat*
in manu. & ſimilia. Sic etiam gens Ægyptia vin-
dictam expectat, quia illius digniſſima eſt.

Sed credo hanc vocem *expectantem* aliquid ſibi 16.
velle magis proprium naturæ, ac ſoli regionis il-
lius. Et ideo obſeruandum eſt pro *expectantem* in
Hebr. eſſe קו קו *can can*, quod Pagninus vertit
lineatam, Foreirus *linea linea.* & eodem propè modo
C Vatablus. Iuxta hanc explicationem oſtenditur id,
quod anniuerſaria inundatione fluminis quotan-
nis facere ſolent Ægyptij. Cùm enim exundans flu-
uius inducto limo obruat, & tegat notos antea,
atque deſignatos agrorum vniuſcuiuſque termi-
nos, neceſſe fuit aliquam artem adhiberi, quæ ob-
cæcatos agrorum limites aperiret, & antiquas
poſſeſſiones ad priorem menſuram definitas do-
minis reſtitueret. Quocirca vſi ſunt regula, linea,
Gnomone, quibus antiqua ſpatia ſine errore meta- Ex inūdatione Nili nata Geometria.
rentur. Hinc nata eſt Geometria non tam ſciendi
ſtudio, quàm neceſſitate tuendæ pacis. Quam pri-
mùm dictam ob cauſam inuenerunt Ægyptij, vt
tradit Herodotus *lib.* 2. & Diodorus Siculus *lib.*
item 2. & Strabo *lib.* 7. Iuxta hæc ſic reor locum
D illum exponi poſſe; mittendos eſſe Angelos velo-
ces, id eſt, legatos, nempe Aſſyrios, atque Chal-
dæos, qui ſicut in aliis, ſic etiam in vaſtandis Ægy-
ptiis Dei miniſtri, atque flagellum fuere: qui diſ-
perderent gentem illam inſolentem, quam obruit
quotannis, & oblimat fluuius, quæque lineis, atque
aliis Geometricis inſtrumentis deſignat fines, quos
egreſſus ex alueo Nilus obcæcauerat. Porro ſicut
in vaſis papyraceis atque arundineis infirmitatem
illius Regionis oſtenderat, ſic nunc in limo, &
cœno patrij fluminis, & in linea agrorum meta-
trice eiuſdem regionis ſordes, & fortunam incer-
E tam, atque inſtabilem demonſtrat.

[f] *Omnes habitatores orbis, qui moramini in terra,* 17.
cùm eleuatum fuerit ſignum in montibus videbitis, &
clangorem tubæ audietis.] Videntur hæc verba Æ-
gyptiis accommodari poſſe, ſicut illis aſcripta ſunt
priora, quaſi ſuum imperium, atque potentiam ia-
ctent, & dicant, tunc omnibus exploratum iri
quantum viribus poſſint, cum ſignum eleuatum
fuerit militare, & lituus increpuerit. Tunc verò
(vt illis frequens in ore) ipſa ſedebit Ægyptus
quieta, & ab omni periculo & metu vacua, atque
otioſa, dum hoſtes opprimuntur, & amici ab ex-

tremo periculo ipſorom auxilio liberantur. Et ſplendeſcet Ægyptus ſicut meridiana lux, & erit iucunda, quaſi, qui æſtiua meſſe, dum alij ardentibus ſolis radiis inflammantur, frigido rore perfunditur. Seu certè quia qui anguſtè ab aliis premuntur, hi videntur in tenebris eſſe, & æſtu torqueri, ſuum præſidium eiuſmodi futurum iactabit Ægyptus, qualis eſt lux pomeridiana bis qui in tenebris agont, & nubes opaca,& rorida his, quos æſtus affligit, idque ſine magna contentione, atque ſtudio. Id enim valet *quieſcam in loco meo.* Neque profectò ſenſus iſte videtur durus, ſi verba ſuperiora Ægyptiorum eſſe concedamos.

18. Sed ſanè vt indicauimus ſuprà, hæc verba videntur eſſe Dei; neque obſcurè iodicant quæ mox ſequuntur. *Quia hæc dicit Dominus*, quæ quomodo iuxta priorem explicationem accommodatè explicari poſſint non video. Quare hæc verba cum aliis Domino tribuo, neque ex hoc leuis mihi coniectura eſt, vt exiſtimem ſuperiora verba noo tam ad Ægyptios, quam ad Dominum referri oportere. Quod ſi Domino hæc tribuas, non eſt difficilis explicatio: Aduocat enim teſtes omnes habitatores orbis, edicítque vaſtitatem populi ambirioſi, atque inſolentis tunc euenturam, qoando eleuato ſigno militari more, & inflato claſſico angeli veloces, id eſt, Aſſyrij aut Babylonij, cum vltrici manu eò ab Imperatore ſummo mittantur.

19. g *Quieſcam, & conſiderabo in loco meo.*] Quemadmodum homines in ſuorum inimicorum morte exultare, & non ſolùm ſiccis, ſed etiam lætis oculis quaſi ex theatro illorum exitium expectare ſolent: ſic Deus, qui ſe hominum cogitationi, ac ſenſibus accommodat, ait ſe in loco ſuo conſideraturum eſſe, quid Ægyptos patiatur, neque exceſſurum ex eo, vt illi auxilio ſit: Simili verborum forma vſus eſt Deus *Deut.* 32. *Abſcondam faciem meam ab eis, & conſiderabo nouiſſima eorum*, id eſt, non auxiliabor illis, ſed animo non ſolùm quieto ſed etiam hilari expectabo quid illis accidat aduerſi.

Deut. 32.

20. h *Sicut meridiana lux clara eſt, & ſicut nubes roris in die meſſis.*] Quàm longè futurus ſit Deus, vt Ægyptiorum calamitate moueatur, explicat accommodata valde ſimilitudine ſumpta, vt reor, ex Ægyptiæ regionis natura; quia ardens eſt, quia in Aphrica ſita, & Zonæ torridæ propior; & quia in locis paluſtribus, & craſſom aliquid habentibus obſcuro cœlo eſt, & nebuloſo, vt obſeruauit Plinius *lib.* 21. *cap.* 7. & Theophraſtus *lib.* 7. *cau.* 6. Hæc verò duo, *tenebræ*, & *æſtus*, afflictionem ſignificant, & anguſtias. Dicit ergo Deus in Ægyptiorum tenebris ſe futurum in luce clariſſima, qualis eſt meridiana, imo futurum ipſam locem; & in vehementi illorum æſtu qualis eſſe ſolet in meſſe, futurum ſe non ſolum in refrigerio opacæ oobis, ſed etiam nubem ſtillantem matutino, atque perfrigido rore. Exiſtimo autem vulgò prouerbialiter dici ſolitum quando aliquis iucundo eſt atque exultanti animo, aut quando illum nullus dolor, aut cura in graui aliqua, ac communi calamitate tangit, *eſſe ſicut lucem meridianam*, aut *ſicut nubem rorantem*, quia hæc procul abſunt à tenebris, & æſtu, quibus ærumnoſus ſtatus in Scriptura ſignificari ſolet. Porrò Deus, qui humano ſæpe more loquitur, certè accommodatè ad hominum ſenſus, gaudere ſe dicit aliquorum incommodia, vt *Prouerb.* 1. 16. *Ego quoque in interitu veſtro ridebo. Ezechiel.* 5. *verſ.* 13. *Complebo furorem meum, &c. & conſolabor. Deu-*

Prouerbiũ.

A *ter.* 28. *verſ.* 63. *Lætabitur Dominus diſperdens eos.* Vide quæ diximus *cap.* 1. ad illud *Heu conſolabor ſuper hoſtibus meis.*

i *Ante meſſem enim totus effloruit, & immatura perfectio germinabit.*] Perſequitur metaphoram de meſſe, rationemque reddit, cur futurus in meſſe ſit tam grauis æſtus, id eſt, doloris acerbitas. Quia videlicet priùs intempeſtiua luxoria ſupra modum effluruit, & ante ſuum tempos immaturus prouentus germinauit. quaſi dicat; ſpeciem potiùs habuit vberis, atque maturi prouentus, quàm verum, ac tempeſtiuum fructum, quia erupit ante tempus, & germinauit non maturus. Exiſtimabat Ægyptius populus, ſua potiùs opinione quam re ipſa potens, ſe poſſe omnia, eóque nomine ſibi vehementer placebat: ſed properabat nimium, & adhuc in herba erat illius ſeges. Neque enim quicquam promouit contra Aſſyriorum, & Chaldæorum vires in cauſa Iudæorum: & ipſe dum ſe florere putat rerum abundantiâ, ſecurus à periculi ſuſpicione, & metu in omnium ſe vitiorum turpitudinem laxabat; ſed illius herbeſcentis luxuriæ venit acerba, nec opinata meſſis, id eſt, dignus ſua væſanis fructus. Collegit enim lacrymas, dolores, & extremam cladem. 21.

Pro re morali obſerua quàm afferat amarum, & acerbum fructum voluptas ante ſuum tempus percepta, id eſt, in hac vita mortali, neque enim niſi in cœlo voluptas maturitatem habet. Sicut contrà, qui lacrymas ſeminat, cum exultatione poſtea manipulos metit. Hoc idem ſub alia metaphora de Ægypto vaticinatus eſt Ieremias *cap.* 46. *verſ.* 20. *Vitula elegans, atque formoſa Ægyptus, ſtimulator ab Aquilone veniet.* 22.

Voluptas non niſi in cœlo, maturitatẽ habet.

Et præcidentur ramuſculi eius falcibus.] *Meſſis* non tantùm eſt frugum collectio, vt in Canticis diximus ad illud *cap.* 5. *Meſſui myrrham meam*, ſed etiam aliorum, quod in aliis quoque linguis vſitatum eſt. De vindemia dixit Virgil. 2. *Georg.* 23.

Meſſis, omnibus fructibus communis vox.

Sarmenta, & vallos primus ſub tecta referto,
Poſtremus metito.

Et *lib.* 4. *Georg.* de mellificio.

Bis grauidos cogunt fœtus, duo tempora meſſis.

Sic verbum Græcum ἀμάομαι, quod *metere* ſignificat ad omnium arborum, foliorum, fructuúmque collectionem refertur: quorum exemplis commemorandis ſuperſedeo. Sic puto accipiendam eſſe nunc *meſſem*, quæ ſumitur non ſolùm de triticea, aut hordeacea, ſed de omnium fructuum collectione, aut potiùs direptione, cum præcidendi dicantur eſſe rami.

l *Et quæ derelicta fuerint abſcindentur.*] Magna ſignificatur vaſtitas quando ea quæ in meſſe, aut vindemia relinqui ſolent, colligenda dicuntur, aut diſperdenda adeò vt ex tanta rerum abundantia nullæ ſint futuræ reliquiæ. Sed puto hæc non tam referri ad racemos, qui ſuperſunt peractâ vindemia, qui *reliquiæ*, aut *derelicta* dicuntur, ſeu ad ſpicas, quæ ex metentium manibus exciderunt, quàm ad vitium, aut arborum truncos ſeu radices; quibus, poſt abſciſſos ramos, non parcet inimicorum ſecuris. 24.

m *Et relinquentur ſimul auibus montium.*] Explicat hîc propheta qood erat obſcurum in metaphora; & clariùs oſtendit quorum eſſet illa meſſis futura, nempe hominum, non ſegetum, aut arborum: quando dicit exciſos ramos relinquendos eſſe montium auibus, & beſtiis terræ. Quæ verba magis ſunt apta cadaueribus, quæ volucres paſcũt, 25.

& cat

& carniuoras belluas, quàm his, quæ propria vis verborum ſiguificat.

26. m *Et æſtate perpetua erunt ſuper eum volucres, & omnes beſtiæ terræ ſuper illum hyemabunt.*] Videtur hîc deſignari tempus, qoo duratnra eſt clades Ægyptia, quandoquidem non æſtiua tantùm, ſed etiam hiberua tempora poſituræ ſint ibi belluæ, & carniuoræ volucres paſcendis cadaueribus intentæ: quaſi tota æſtas continentet ad hyemem vſque conſumenda ſit in ſternendis Ægyptiis. Vel potiùs indicat tantam futuram cadauerum ſtragem, vt paſcendis belluis, volucribúſque eò confluentibus æſtate, atque hyeme ſufficiat. Eſt autem notum, vt *cap.* 14. *Zachariæ* diximus ad illud, *In æſtate & hyeme erunt*, omnium temporum diuerſitatem ſignificari. Quare, vt reor, hoc loquendi modo ſignificat propheta diu præ nimia multitudine cadauerum non defuturum pabulum, niſi ita illa tempore extabuiſſent, vt nullo vſui eſſe poſſint voracibus feris.

27. o *In tempore illo deferetur munus Domino exercituum à populo diuulſo, & dilacerato, à populo terribili, & poſt quem non eſt alius.*] Eodem hæc ordine atque eiſdem ferme verbis propoſita fuerant in principio capitis. Quæ aliquo modo fauere videntur illorum ſententiæ, qui ſuperiora verba Ægyptiorum eſſe cenſent: qui legatos mittunt ad Iudæos, populum nempe dilaceratum, & diuulſum. Nam hi edocti Ægyptiorum clade ſtatuent in vno Domino ſpem totam collocari oportere, & victori atque auxiliatori Deo ad montem Sion, id eſt, ad eius templum gratulatorium offerent, ſiue pacificum munus. Sed credo hæc noſtræ cogitationi aut nihil, aut parum incommodare. Nam hæc eadem, quæ obtuliſſe videntur Iudæi ab Aſſyrio exercitu liberati ſub Ezechia; illa etiam eadem obtulerunt Ægyptij iam ſaniora de ſe, ac meliora de religione cogitantes: vt habemus capite ſequenti, vbi planè de Ægyptiis ſermo eſt. ſic enim *verſ.* 21. *Cognoſcent Ægyptij Dominum, & colent illum in hoſtiis, & in muneribus, & vota vouebunt Domino, & ſoluent.*

Hactenus caput explicatum eſt de Ægypto, nunc iam explicatur iterum de Æthiopia.

28. In principio capitis dixi mihi maximè videri probabile hanc prophetiam non ad Ægyptios pertinere, ſed ad Æthiopes, ad illos nempe, qui Ægypto ſunt vicini: nam alij ſunt populi, quibus commune eſt nomen illud. Quia verò ab omnium penè ſententia recedere durum viſum eſt, ideo cum aliis de Ægypto totum caput expoſui. Nunc ſeorſum meam de Æthiopia cogitationem aperiam, & quæ me coniecturæ in illam adduxerint. Quæ meo iudicio ita graues ſunt, vt in aliam ſententiam de Ægypto non tam ſponte diſcedam, quam inuitus cogar.

29. Prima coniectura eſt, quia cùm aduerſus omnes ferme nationes, atque prouincias, quibus aliquid commune fuit cum populo Iſraëlitico, aut quæ contra illum aliquid hoſtile meditatæ ſunt, atque molitæ, extent ab Iſaia prophetiæ minaces, vt contra Aſſyrios, Babylonios, Idumæos, Moabitas, Tyrios, Palæſtinos, Damaſcenos, aut Syros, Arabes, & Ægyptios, non eſt veriſimile Æthiopes omiſſos fuiſſe, qui contra Iſraëliticam gentem non ſemel animos, ac dextras armarunt (nam quod de Æthiopibus ſtatim agatur *cap.* 20. ab hac ſententia potius eſt.) Æthiopes 2. *Paralip. cap.* 12. *verſ.* 3. cum Seſac Rege Ægypti coniuraſſe dicuntur, & grauiter rem Iudaicam concidiſſe. Et rurſus *cap.* 14. *verſ.* 9. Zara Æthiops cum copioſiſſimo exercitu veniſſe traditur contra Aſa regem Iuda. Et eo nomine Sophonias *cap.* 2. dum contra populi Iudaici hoſtes multa prædicit, his annumerat Æthiopes & ad illos clamat, *Et vos Æthiopes interfecti gladio meo eritis.* de quibus etiam multa Ieremias *cap.* 30. grauiter, & minaciter.

Æthiopes aliquãdo Iudæis infenſi.

Secunda coniectura quia *cap.* 20. quod proximè 30.
ſuccedit vaticinio de Ægypto, Æthiopes cum Ægyptiis coniunguntur, quibus, quia eiuſdem conſilij participes fuerunt, ſupplicij quoque ratio communis fuit. Vt autem *caput* 19. ad quod reſpicit hæc Ægyptiorum plaga, de Ægyptiis inſtitutum eſt, ſic etiam *caput* 18. ad quod videtur idem caput atque ſupplicium ſpectare, de Æthiopibus inſtitutum oportuit. Ideo enim duo iſti populi quaſi per recapitulationem hic videntur coniungi, quia ſupra illorum merita, atque memoria præceſſerant.

Tertia, quia nihil dictum eſt *cap.* 18. quod deinde 31.
cap. 19. quod ſine dubio de Ægyptiis agit, aut apertè dictum, aut obſcurè ſignificatum non ſit. Quocirca ſi *caput* 18. de Ægypto intelligamus, multa ſine vllo, vt apparet, vſu *in cap.* 19. de Ægypto repetuntur. Et licet hanc iterationem aliquando apud prophetas fieri contingat, non tamen ſine aliqua epitaſi; at in hac iteratione quænam epitaſis, aut quid eſſe momenti poſſit non video.

Quarta, quia nihil *in hoc capite* dictum eſt, quod 32.
in Æthiopiæ aut mores, aut naturam non conueniat, & quædam multò quàm in Ægyptum congruentiùs. Nam legatos miſſos eſſe ad Iudæos non magis de Ægyptiis, quàm de Æthiopibus conſtat. Certè veriſimile eſt auxilium eſſe promiſſum ab Æthiopibus, quandoquidem Senacherib obſidionem ſoluit, quando res Iudaica vrgebatur anguſtiùs, quia, vt habes *Iſaiæ cap.* 37. *verſ.* 9. audierat à Tharaca Rege Æthiopiæ ſibi bellum indici. Quod quidem non videtur factum, niſi in Iudæorum gratiam, quibus auxilium antea fuiſſet promiſſum. Quod verò de vaſis papyri dicitur, in quibus legati miſſi dicuntur, multo magis in Æthiopes, quàm in Ægyptios conuenit. Nam vt regionem Ægyptiam Nilus inundat, atque paluſtrem reddit, ſic etiam Æthiopicam: atque ideo non minor nauium è paluſtri materia vſus Æthiopibus, quàm Ægyptiis. Sanè naues eſſe huiuſmodi apud Æthiopas tradit Plinius *lib.* 5. *cap.* 9. vbi naues Æthiopicas *plicatiles* vocat, quæque humeris tranſportari poſſunt, vt dicemus *capite ſequenti* de Ægypto: quæ niſi eſſent ex materia vitili, atque paluſtri, fieri non poſſent. Porrò ſcirpum, & papyrum naſci in Æthiopia in locis, quæ ſtagnantur à Nilo, qui eo loco Nigris, aut Aſtapus vocatur, refert Plinius *lib.* 5. *cap.* 8.

Naues plicatiles apud Æthiopes.

Ex his colligo quæ dicuntur de vaſis papyri 33.
magis in Æthiopes quadrare, quàm in Ægyptios, nam aliqua certa nota ab Iſaia proponitur, propriáque eius prouinciæ, cui durum illud edicit vaticinium; Sed non video nationem aliam, quæ à papyraceis nauibus notari poſſit, melius Æthiopica; quandoquidem eiuſdem modi naues dicuntur *Æthiopica.* Neque Æthiopes videntur alias habuiſſe, cùm in vno tantum nauigent Nilo, cuius ferendis fluctibus idoneæ ſunt lintres è ſcirpo, papyróque contextæ. Quia licèt Ægyptij eiuſmodi quoque cymbas habeant pro Nilo nauigando, id eſt, ad piſcationem, & laxationem animi; ſed habent etiam proximum mediterraneum mare, ad

cuius

cuius vim,& molem materia paluſtris non ſatis firma. Et ipſi claſſe potentes erant, & rei naualis non ignari, vt docet Actiaca pugna: de qua Plutarchus *in Antonio*.

34. Adde quod non videtur quomodo Ægyptij legati in vaſis papyri, aut etiam in aliquo alio nauium genere ad Iudæos mitti potuerint, niſi incommodè admodum, & magni itineris diſpendio, cùm via ab Ægypto in Ieruſalem terreſtris ſit, & longè breuior ac tutior. Quod ſi maritimum mallent curſum, quàm terreſtrem viam, certè vaſa papyri non eligerent, quibus ad vaſtos tanti maris fluctus ſuperandos ſalutem ſuam, & vitam crederent. De Æthiopibus alia ratio eſt, quia ſecundo flumine in papyraceis vaſis ad Ægyptum vſque deſcendere, quod ipſis frequens, & penè quotidianum eſt; & deinde quod reliquum eſſet ſpatij terreſtri itinere conficere potuerunt.

35. Iam verò quis non videat illud *trans flumina Æthiopiæ*, meliùs cadere in Æthiopiam quàm in Ægyptum. Neque enim hæc poſt flumina Æthiopiæ eſt,

A ſed ipſis Æthiopiæ fluminibus, id eſt, ſeptem riuis in quos diuiditur, circumfunditur. Quare Pharao Rex Ægypti *Ezech. cap. 29 cubare* dicitur *in medio fluminum*, non poſt flumina. Sed Æthiopia, aut tota aut magna pars eſt poſt illa ſeptem, quæ dicuntur, flumina, id eſt, poſt ſeptem Nili diuiſiones. Quod Æthiopia Deo munus obtulerit, de quo *verſ. 7.* ſatis conſtat *ex Pſalm. 67. Æthiopia præueniet manus eius Deo.* & *Pſalm. 77. Coram illo procident Æthiopes.* Vide quæ diximus *in Pſalm. 76.* ad locum citatum. Neque Æthiopibus defuit inſolentia illa, atque iactantia, quam ſignificari diximus in alarum cymbalo; quam apertè prodit Ieremias *c. 30. v. 9. In die illa egredientur nuntij à facie mea ad conterendā Æthiopiæ confidentiam.* Hęc mihi grauiſſima viſa

B ſunt vt credam hæc dicta fuiſſe de Æthiopia. Quod etiam Oſorius putat, & indicat Ribera *in cap. 2. & 3. Sophoniæ.* Et Didacus Aluarez *in argumento capitis* 19. licèt *cap.* 18. caput iſtud de Ægypto accipiendum tradiderit. Et Pineda *in Salomone præuio lib. 4. cap. 14. verſ. 3.*

Argumentum decimi noni capitis Iſaiæ.

HOC vaticinium durum eſt contra Ægyptum; ad cuius ruinam, & ſtragem adducet Dominus tanquam autor, & dux, Aſſyriorum, & Chaldæorum vires. Oſtendit primùm inteſtinis odiis ſic inter ſe graſſaturos Ægyptios, vt mutuo ſe ferro conficiant. Quibus ſub metaphora ſiccati Nili deſutura dicit omnia, quæ vſui priùs aut voluptati fuerunt. Deinde ſtulta fuiſſe affirmat principum, & ſapientium conſilia, quorum in deliberando ſententiam Rex ſequebatur; à quibus ipſe in pernicioſum errorem abductus eſt. Tandem ab Ægyptia clade Deique gram in illum populum offenſione admonitus propheta, ad ſtatum alium traducit vaticinium; in quo Deus iam mitior Gentem illam Euangelico illuſtrabit lumine. Quo tempore conſenſionem maximam fore prædicit, atque commercium Aſſyriis, & Ægyptiis inter ſe, & cum Iudæis, in quos olim grauiter fuerant animati.

CAPVT XIX.

1 [a] ONVS *Aegypti.* [b] *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem, & ingredietur Aegyptum,* [c] *& commouebuntur ſimulacra Aegypti à facie eius,* [d] *& cor Aegypti tabeſcet in medio eius.*

2 *Et concurrere faciam Aegyptios aduerſus Aegyptios: & pugnabit vir contra fratrem ſuum, & vir contra amicum ſuum, ciuitas aduerſus ciuitatem, regnum aduerſus regnum.*

3 *Et dirumpentur ſpiritus Aegypti in viſceribus*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 VATICINIVM durum, & minax contra Ægyptum. Ecce Dominus, quaſi velocibus inequitaret nubibus, feſtinus veniet cum Aſſyriis illorum agminis autor, & dux. Ad cuius ingreſſum Ægyptiorum Idola ex ſuis ædibus commota cadent, confringentúrque. Et ciuium animos ea inceſſet perturbatio, atque æſtus, vt neque in ipſis ratio ſit, aut conſilium, imò potiùs ira diſſoluetur, ac liqueſiet illorum cor, vt à ſe ipſis non ſolùm odiis, ſed armis quoque diffideant.

2 Is autem erit animorum furor, atque væſania, vt non iam inimicorum armis, ſed ſuo ſe viciſſim ferro conficiant: inteſtinis inter ſe odiis Ægyptij contra Ægyptios bella mouebunt: nulla erit ſanguinis, atque amicitiæ ratio, frater ad cædem expetet fratrem, amicus in amicum gladium diſtringet, ciuitas ciuitati, & regnum regno bellum indicet, illúdque cruento, atque obſtinato perſequetur odio.

3 Tabeſcent Ægyptiorum animus, ac vires, & diſ

& diſtractus ad varia ſpiritus nihil habebit certum, in quo acquieſcat; Ego enim illis omne conſilium, ac mentem eripiam. Tunc verò ipſi mentis, atque conſilij inopes ad ſua ſimulacra, pythones, & ariolos, conſilij rogandi gratia confugient.

4 Conſulent quidem ſimulacra, ſed fruſtra. Ego enim, dicit Dominus, Ægyptios crudelium dominorum voluntati ſubiiciam; & Rex fortis, è cuius ſe dominatu eximere non poterunt, ſub duro illos continebit imperio.

5 Tunc autẽ non erit quod è ſuo Nilo ſolitas, atque vernaculas commoditates expectent. Siccabitur enim fluuius ille qui inſtar maris eſt, neque Ægyptios agros ſua inundatione fœcundos irrigabit; & deficiente flumine, riui quoque aggeribus concluſi, qui fluminis aquas ad varios vſus deriuabant, deficient. Non erunt iuncus, & arundo, quæ multiplices præſtabant vſus; neque fons, aut caput Nili aquis, vt antea fluminis alueum implebit: & ſementis varia, quæ à fluminis inundatione vitam, & incrementum expectabat, arente Nilo, ipſa quoque areſcet, & peribit.

6 Eo verò tempore dolore afficientur graui, tabeſcẽtque inopia attenuati, & marcidi illi, quorum artes, & vitam Nili commoditas ſuſtentabat. Mœrebunt, quibus ars piſcatoria quæſtum afferebat non exiguum; illi nempe, qui aut hamo demiſſo, aut expanſo reti ex flumine vim maximam piſcium extrahebant.

7 Neque minùs aut confundentur, aut mœrebunt, qui è ſubtili textu compendium ſibi comparabant, deficiente lino, quod arti textrici materiam præbebat: quia ager priùs irriguus, vbi lini copioſus prouentus, ſitiente alueo ſitiet, & areſcet. Mœrebunt item, qui ad capiendos piſces, aut ex arundine piſcatorios labyrinthos, aut lacunas, & foueas, quæ pro viuariis eſſent ad capiendos, ſeruandóſque piſces moliebantur.

8. Qui in Tani Regia ſede, & in qua primum erat ſummúmque totius regni conſilium, Principes, & conſiliarij credito ſibi munere functi ſunt inſipienter. Eò enim adduxerunt inſipientem Regem oratione adulatoria, & blanda, vt vana, & ſtulta cogitatione inflatus diceret. Hæreditaria mihi ſapientia eſt, & Regia dignitas naturalis, quare non mea mihi illudet ſententia, neque vis vlla mihi regnum eripiet.

9 Vbi ſunt ô Pharao, ſapientes illi tui conſiliarij, qui in eam te cogitationem abduxerunt. Vide an prodeſſe tibi, atque annunciare poſſint, quodnam ſit Dei de regno tuo, atque de tuo capite conſilium.

10 Planè conſtat in Principibus Taneos, ac Mempheos nullum ſanæ mentis fuiſſe conſilium; qui in pernicioſam fraudem Ægyptum induxerunt, quæ populorum omnium quos ſibi

ſubiu

ſceribus eius, & conſilium eius præcipitabo:
& interrogabunt ſimulacra ſua, & diuinos ſuos, & pythones, & ariolos.

4 [e] *Et tradam Aegyptum in manu dominorum crudelium, & rex fortis dominabitur eorum, ait Dominus Deus exercituum.*

5 [f] *Et areſcet aqua de mari, & fluuius deſolabitur, atque ſiccabitur, & deficient flumina. Et attenuabuntur, & ſiccabuntur riui aggerum.* [g] *Calamus & iuncus marceſcet, nudabitur alueus riui à fonte ſuo. Et omnis ſementis irrigua ſiccabitur, areſcet, & non erit.*

6 *Et mœrebunt piſcatores, & lugebunt omnes mittentes in flumen hamum, & expandentes rete ſuper faciem aquarum emarceſcent.*

7 [h] *Confundentur qui operabantur linum, plectentes, & texentes ſubtilia; & erunt irrigua eius flaccentia:* [i] *omnes qui faciebant lacunas ad capiendos piſces.*

8 [l] *Stulti principes Taneos, ſapientes conſiliarij Pharaonis dederunt conſilium inſipiens.* [m] *Quomodo dicitis Pharaoni, Filius ſapientum ego, filius Regum antiquorum?*

9 *Vbi nunc ſunt ſapientes tui? Annuncient tibi, & indicent quid cogitauerit Dominus exercituum ſuper Aegyptum.*

10 *Stulti facti ſunt principes Taneos, emarcuerunt principes Mempheos,* [n] *deceperunt Aegyptum, angulum populorum eius.*

11 *Domi*

ſubiugarat, aut fœdere, & ſocietate deuinxerat, angulus erat, præſidium, & firmamentum.

11 *Dominus miſcuit in medio eius* ° *ſpiritum vertiginis: & errare fecerunt Aegyptum in omni opere ſuo, ſicut errat ebrius & vomens.*

11 Propinauit Dominus Ægypto poculum, quo non aliter amens inópſque conſilij circumagatur, erretque ab omni ſanæ mentis arbitrio, quàm qui vertigine laborat; aut is cui vinum, & ebrietas, cui comes eſt vomitus, mentem turbauit, atque commouit.

12 ᵖ *Et non erit Aegypto opus quod faciat, caput & caudam incuruantem, & refrænantem.*

12 Quare in ea agitatione, ac turbatione mentis nullum erit ab incuruato ſene vtile conſilium, nullum à robuſto, & laſciuiente iuuene, qui infrænare debeat immoderatos animi motus, opus ex vſu rei Ægyptiæ. Non denique res erit vlla ex multis, quæ ſenibus, pueriſve conueniat.

13 *In die illa erit Aegyptus quaſi mulieres: & ſtupebunt, & timebunt à facie commotionis manus Domini exercituum, quam ipſe mouebit ſuper eam.*

13 In die illa languidus erit Ægyptiis ſpiritus, & planè muliebris. Neque quidquam tunc erit roboris, ad pugnandum, ſed potiùs ſtupor, & metus, cùm Dominus in Ægyptios vltricem exeruerit dextram.

14 ᑫ *Et erit terra Iuda Aegypto in pauorem. Omnis qui illius fuerit recordatus, pauebit à facie conſilij Domini exercituum, quod ipſe cogitauit ſuper eam.*

14 Hæc eadem regio, quæ grauibus à Domino afficietur incommodis, poſtea ab eodem ſub Euangelij tempus eximiis ornabitur beneficiis. Quare terra Iuda vnde primùm lux orietur Euangelica, erit Ægypto in pauorem, & reuerentiam, & qui memor fuerit diſciplinæ, quam ab illa recepit, reuerebitur, amabitque conſilium Dei, quod de Ægyptiorum ſpirituali ſalute multò quàm antè mitior excogitauit.

15 ʳ *In die illa erunt quinque ciuitates in terra Aegypti, loquentes lingua Chanaan, & iurantes per Dominum exercituum.* ſ *Ciuitas Solis vocabitur vna.*

15 Eo verò felici, ac religioſo ſæculo quinque ciuitates totius Ægypti prima capita, ad quorum iuriſdictionem reliquæ conſcribuntur, lingua loquentur non ſua, ſed ea quam Iudæi habitatores terræ Chanaan familiarem habent. Quia illorum etiam religionem amplectentur: iurabúntque non per Oſyridem, & Iſim patrios Deos, ſed per Deum verum, quem colit Iſrael. Quarum è numero erit Heliopolis, à qua, quia penitus erat Deorum inanium religioni dedita, id ſperari non poſſe videbatur.

16 *In die illa erit altare Domini in medio terræ Aegypti,* ᵗ *& titulus Domini iuxta terminum eius: & erit in ſignum & in teſtimonium Domino exercituum in terra Aegypti.*

16 Erit tunc in regione iam ſacrata Deo, excitatum altare; & erecti tituli, & certa, atque legitima ſigna in Ægyptiis finibus, quæ regionis illius dominum, & poſſeſſorem eſſe Deum apertè prædicent, & publico quaſi teſtimonio profiteantur.

17 ᵘ *Clamabunt enim ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis Saluatorem & propugnatorem qui liberet eos.*

17 Longè tunc alia erit Ægyptiorum conditio: nam qui priùs in anguſtia clamabant ad ſurda ſimulacra, à quibus nullo ſiue conſilio, ſiue præſidio leuabantur, iidem poſtea cum hoſtis, aut periculum ingruat, ad verum Deum, miſerorúmque fidele perfugium clamabunt, & ſaluatorem mittet, qui pugnet pro ipſis, & ab omni periculo præſtet incolumes.

18 *Et cognoſcetur Dominus ab Aegypto, & cognoſcent Aegyptij Dominum in die illa, & colent eum in hoſtiis, & in muneribus: & vota vouebũt Domino, & ſoluent.*

19 ˣ *Et*

18 Cognoſcet tunc Ægyptus Deum, illiúſque maieſtatem, & numen venerabitur; ad cuius aram ſupplices hoſtias offerent, & munera; quæque Deo vota nuncupauerint, illa pio animo

mo, atque libenti perſoluent.

19 Percutiet quidem Dominus Ægyptum plaga, de qua nuper, ſed non perpetuò contra illum indignabitur. Aderit enim tempus quando iam mitior Deus ſalutem afferat. afferet inquam ſalutem, quando meliori iam mente ad Dominum reuertetur Ægyptus.

19 [x] *Et percutiet Dominus Aegyptum plaga, & ſanabit eam, & reuertentur ad Dominum, & placabitur eis, & ſanabit eos.*

20 Quia eo etiam tempore Euangelium amplectentur Aſſyrij, fiet, vt animis, ſtudiiſque conſentiant Aſſur, & Ægyptius, qui priùs ſtudiis, armiſque diſſidebant. Atque alij in aliorum fines ſecuri, atque frequenter commeent; quia Ægyptius cum Aſſyrio eidem ſeruiet Domino, & idem venerabitur numen.

20 [y] *In die illa erit via de Aegypto in Aſſyrios, & intrabit Aſſyrius in Aegyptum, & Aegyptius in Aſſyrios, [z] & ſeruient Aegypty Aſſur.*

21 Iudæus etiam, cui vterque populus infenſus fuit, tertius ad illorum ſocietatem accedet. Benedictio erit primùm in medio terræ, nempe in Iudæa, quæ primùm excipiet bonum Euangelij nuncium. Inde Dominus ad populos alios ſuam deriuabit benedictionem, dicens. Benedictus ſit populus meus Ægyptius; & libertas, atque redemptio, quæ mearum manuum opus eſt, ad Aſſyrios quoque diffundetur. Quid erga Iſraëlem facturus ſim, quis dubitet, cùm mea ſit hæreditas, & antiqua poſſeſſio.

21 [aa] *In die illa erit Iſrael tertius Aegyptio, & Aſſyrio: [bb] Benedictio in medio terræ, cui benedixit Dominus exercituum, dicens, Benedictus populus meus Aegypti, & opus manuum mearum Aſſyrius, hæreditas autem mea Iſrael.*

IN CAPVT DECIMVM NONVM COMMENTARIVS.

1. [a] ONVS *Ægypti.*] Hieronymus qui caput proximum de Chriſto inſtitutum eſſe cenſet, cauſam reddit, cur hoc etiam caput de eadem prouincia propheta ſubiunxerit *Moris eſt*, inquit, *ſcripturarum obſcuris manifeſta ſubnectere, & quod priùs ſub ænigmatibus dixerant, aperta voce proferre.* Quare ex ſententia Hieronymi, qui priùs obſcurè locutus fuerat de Ægypto, nunc de eadem minùs obſcurè vaticinatur. Sed ſi de Æthiopia in præcedenti capite vaticinium eſt, non erit neceſſarium ad hunc Scripturæ morem confugere, qui ſi vſquam eſt, certè perrarum eſt, & in tam longa materia fortaſſe hoc exemplum ſingolare. Egerunt de Ægypti clade Ieremias *cap.* 46. & Ezechiel *cap.* 29. qui omnino videndi.

2. [b] *Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem leuem, & ingredietur Ægyptum.*] Hoc loco maximè variant interpretes: Quidam enim hæc referunt ad Chriſti tempora, qui ingreſſus in nube leui, id eſt, in ſua humanitate, Ægypti ſimulacra concuſſit. Ita Hieronymus & Cyrillus *hic*, Chryſoſtomus in illud *Matthæi* 2. *Tolle puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum.* Euſeb. *de demonſtr. lib.* 1. *cap.* 4. Bernard. *ſerm.* 1. *de aduentu.* Iſychius in illud *cap.* 5. *Leuit. Quo tegitur arca,* ait appellari *nubem* Chriſti humanitatem, in qua venit ad nos, aut certè verbum euangelicum; quia illo defertur Dominus in varias regiones. Quocirca præcones Euangelij vocari poſſunt *nubes volantes*, quia Deum tanquam cœleſtem

A imbrem in omnem locum circumferunt. Alij de excidio illius prouinciæ per Aſſyrios, Babylonios, aut etiam Romanos. Ita S. Thom. Haymo, Hugo, Lyra, Adamus, neque negat Hieronymus, qui modò hæc de Chriſto, modò de Aſſyriis interpretatur, quod idem facit Gloſſa interlinearis. Mihi poſterior hæc ſententia magis probatur, quæ de Aſſyriis, ac Babyloniis hæc accipit: tum quia vaticinium iſtud *onus* dicitur, at quis onus eſſe putet, id eſt, aliquid acerbum, & triſte, ſublata idololatria affulſiſſe Ægypto Euangelicam lucem. An non eſſet beneficium hoc potiùs communibus omnium votis expetendum? Deinde quia nihil eſt, quod nos vehementer vrgeat, vt cladem iſtam aut mutationem Ægyptiam ſpiritualiter magis, & figuratè, quàm propriè, & materialiter, intelligamus. Et B quidem de priori parte capitis minùs videtur dubitandum: nam de poſteriori alia fortaſſe ratio eſt.

Nubes leuis in ſenſu myſtico, vt nuper diximus, Chriſti humanitas eſt, quæ diuinitatis copioſum, & fœcundum imbrem, id eſt, illius inexhauſtas opes in orbem inuexit. Alij beatam virginem fuiſſe credunt, quæ Angeli admonitu filium ad Ægyptios tranſtulit. Ita Ambroſius *in Pſal.* 118. *ſermone* 5. *& in exhortatione ad Virgines*; Vbi ſic de Virgine. *Nubem Mariam dixit, quia carnem gerebat leuem; quia virgo erat nullis oneribus grauata coniugij.* Neque ſententiam iſtam improbat Hieronymus. 3.

Sed nos qui hæc hiſtoricè nunc accipimus, & 4.

de materiali Ægypti clade interpretantur, in *nube* intelligimus celeritatem, quam adhibuit Dominus in euertendis Ægyptiis: qui loquendi modus non eſt in Scriptura infrequens. Nam cùm hæc hominum ſe aut cogitationibus, aut loquendi modis interdum accommodet, appareátque nonnunquam nubes velociſſimè ferri, quod *velociſſimum eſſe* ſignificare vult, id cum nubibus aut comparat, aut *in nubibus ferri*, aut *equitare* dicit. *Iſai. cap.* 60. *Qui ſunt hi, qui vt nubes volant?* Quare Deus *ſedere*, aut *equitare* dicitur *ſuper nubes*. *Pſal.* 103. *Qui ponis nubem aſcenſum tuum.* Dum verò hic Dominus dicitur aſcenſurus ſuper nubem leuem, ſubaudienda eſt, opinor, nota ſimilitudinis, in hunc ſenſum. Deus ita velox aderit, vt Ægyptiorum ſternat potentiam, quaſi ſi per nubem equitaret leuem. *Nubem* autem optimè huius ſententiæ ſectatores Aſſyrios intelligunt, ſeu Babylonios, in quibus Dominus venit quaſi auriga in curru, aut gubernator in naui, quia agente Deo nationes illæ contra Ægyptum ſuam armauere, atque inuexere potentiam, quorum ipſe dux fuit; imò ipſis tanquam virga ſua, vt de Aſſur expreſſè dixit Iſaias *cap.* 10. Ægyptias vires, & ſpiritus contudit. Quod expreſſit Ezechiel *cap.* 30. *verſ.* 24. Vbi cum de Ægypti ſtrage ſermo eſſet, ait. *Et confortabo brachia Regis Babylonis, dabóque gladium meum in manu eius*; Vt antè Dominus de nube nimbum, grandinem, & fulmina iaculatur, ſic ex Aſſyriorum exercitu in Ægyptios telorum procellam, & tonitrua, tubarum, & ſagittarum fulmina vibrabat. Quare cùm ageret de hac eadem Ægyptiorum vaſtitate per Babylonios Ezechiel *cap.* 30. nubis etiam meminit. *Cum contriuero*, inquit, *ſceptra Ægypti, & defecerit in ea ſuperbia potentia eius, ipſam nubes operiet.* Quomodo Deus dicatur de nube pugnare, diximus *in cap.* 9. *Zachariæ*, ad illud, *& Dominus Deus ſuper eum videbitur, & exibit vt fulgur iaculum eius.*

5. [c] *Et commouebuntur ſimulacra Ægypti.*] Hæc eadem prædicta ſunt ab Ezechiele *cap.* 30. & Ieremia *cap.* 46. Vbi de vaſtitate loquuntur à Chaldæis inducta. Ait itaque ruitura cum Ægyptiis ipſorum quoque ſimulacra, vſque adeò non futura auxilio ruenti populo, & ad illa in extremo periculo confugienti. Neque tamen ideo hoc vaticinium totus eſſe deſinit, quia ſublatis ſimulacris, ipſi tamen quo tempore hæc accident, in eodem errore permanebunt: nam poſt illa tempora, vt eſt in fine capitis, ad Eccleſiam accedent. Credo autem hoc dicendi genere ſignificari à propheta vincendos eſſe cum Ægyptiis illorum quoque Deos, & eamdem cum illis tranſmigrationem, & captiuitatem ſubituros. Quomodo de Melchon Deo Ammonitarum dixit Ieremias *cap.* 49. *verſ.* 3. *Quoniam Melchon in captiuitatem ducetur.* & de Chamos idolo Moabitarum idem *cap.* 48. *verſ.* 7. *Ibit Chamos in tranſmigrationem, Sacerdotes eius, & principes eius ſimul.* Et de Ægyptiorum ſimulacris *cap.* 43. *verſ.* 12. *Et ſuccendet ignem in delubris deorum Ægypti, & comburet ea, & captiuos ducet illos.* & ſtatim iterum. *Et conteret ſtatuas domus ſolis, quæ ſunt in terra Ægypti, & delubra deorum Ægypti comburet igni.* Loquebatur autem eo loco Ieremias, vt hic Iſaias de Chaldæorum exercitu.

6. [d] *Et cor Ægypti tabeſcet in medio eius.*] Communiter alij exponunt in ea inimicorum irruptione conſternatis Ægyptiis defuturum animum, & vires, quod mihi non diſplicet, & fauet, quod Ieremias *cap.* 46. *verſ.* 15. cùm de eodem argumento

A ſermo eſſet, videtur hanc Iſaiæ metaphoram explicuiſſe. Vt enim tabem Ægypti cordi Iſaias dedit, ſic Ieremias viris fortibus, qui ciuitati pro corde ſunt, tabem, & putredinem attribuit. *Quare*, inquit, *computruit fortis tuus?* Sed fortaſſe hoc loco non tam de animo, & robore, quam de conſilio ſermo eſt: quod in re vſque adeò graui omnino defuit: Et hoc non obſcurè indicant ea, quæ ſequuntur. Eò enim ſpectant quòd omnia perturbatè fiunt; quòd neque inter conſilij principes conuenit de ſumma rerum; imò hinc indicatur ortum eſſe diſſidium, quod primò opinionum, atque rationum, deinde verò animorum, & ad extremum armorum fuit. & ideo poſt hæc videtur eſſe ſubiectum, *Et conſilium eius præcipitabo.* In quam etiam
B ſententiam facit, quod in eo rerum motu conſulendi dicuntur diuini, atque Pythones, quaſi in ipſis nil eſſet conſilij ad deliberandum. Quemadmodum autem cor extabuiſſe, aut animam eſſe liquefactam, ſignificet excidiſſe alicui mentem, atque conſilium, oſtendimus ad illud *Cant.* 5. *Anima mea liquefacta eſt.*

Niſi mauis hoc loquendi genere ſignificari ſeditionem excitandam in medio Ægypti, ita vt ſit idem, quod ſtatim ſubditur, *& dirumpetur ſpiritus Ægypti in viſceribus eius*, quod ſatis apertè atque eleganter propheta docet, dum oſtendit futura eſſe inteſtina bella inter Ægyptios, ita vt mutua inter ſe cæde bacchentur, neque leuiora à domeſticis, quàm ab hoſtili exercitu detrimenta capiant. 7.
C Quod ab irato Deo profectum eſſe ſupplicium perſuadere poteſt, quod ſimili conſilio ſæpe maximas inimicorum copias concidit. Sic Madianitæ ſub Gedeon *Iud.* 7. *verſ.* 12. mutuo ſe ferro peremerunt: ſic Philiſtim 1. *Reg. cap.* 14. *verſ.* 20. ſic denique accidit in extrema vaſtitate Ieruſalem, quam non tam externa Romanorum, quàm ciuium inteſtina bella perdiderũt. Et hanc poſteriorẽ ſententiam magis probo, quia magis eſt ad totum textum, & modus ipſe loquendi ſatis indicat aptè ac ſignificanter. Quid enim aliud melius exprimeret diuiſas Ægypti atque ſolutas vires, quàm cor ipſius in medio eius extabuiſſe, aut, quod idem eſt, eſſe diſſolutum. Huc igitur magis inclinat animus.

Deus hoſtes ſuis ipſorũ armis, & manu ſternit.

[e] *Et tradam Ægyptum in manum dominorum* 8.
D *crudelium.*] Hinc fit maximè probabile, ſermonem non tam eſſe de Ægypti conuerſione Euangelij tempore, quàm de clade per Aſſyrios, atque Chaldæos comparata. Nam Euangelij prædicatio non tradidit Ægyptios in manum dominorum crudelium, ſed à dominorum crudelium tyrannide vindicatos manſuetiſſimi Domini benignitati commendauit. Hæc puto non tam ad Aſſyrios, quàm ad Babylonios pertinere, quia licèt ab Aſſyriis ſub Senacherib malè vexati fuerint Ægyptij, tamen non conſtat, quod ego videam, abductos eſſe captiuos ab Aſſyriis. Fuiſſe autem captiuos à Babylo-
E niis, atque ibi duram ſubiiſſe ſeruitutem docet Ieremias *cap.* 46. *verſ.* 19. & *cap.* 43. *verſ.* 11. & Ezechiel *cap.* 30. *verſ.* 17. & 23.

[f] *Et areſcet aqua de mari, & fluuius deſolabitur* 9.
atque ſiccabitur.] Ex adiunctis explicat propheta Ægypti ſtragem, dum defutura dicit, quæ regnum illud ornant, & illuſtrant. Sunt autem quæ à Nili natura proueniunt Ægyptiis & ad vſum & opes opportuna, & ad ſpeciem præclara; quæ ſtatim ſingulatim enumerantur. Dicitur verò Nilus *mare*, qui tamen ſtatim appellatur *fluuius*, iuxta Hebraici ſermonis idioma, quod aquarum congregationi maris

maris nomen attribuit. Sicut etiam ab hoc propheta Euphrates multò Nilo inferior *mare* vocatur. Quod verò aliquando ſiccatus fuerit Nilus, téſque frumentaria ideo Ægyptiis anguſtior, docuimus ad illud *cap. 24. Zacharia. Quod etſi familia Ægypti.* Siccatum verò dicimus non quòd nil aut etiam parum afferat aquæ, ſed quòd non ita auctus fuerit imbrium incrementis, vt excedens alueum, agros, qui ab illo concipiunt, pariuntque fructus compleat, atque fœcundet. Quemadmodum *nudum* appellamus, qui malè veſtitus eſt, & parum à veſte tectus contra hyemis aſperitatem: aut etiam parum pro dignitate ornatus. Quod verò eo ſenſu ſiccatus ſæpe fuerit Nilus, docet illa Ægyptiorum obſeruatio de qua Plinius *lib. 5. cap. 9.* quæ ſanè colligi non potuit, niſi iterato ſæpius rerum euentu. Docet enim niſi ſupra duodecim cubitos excreſcat aquarum altitudo, famem impendere Ægypto, quod accidiſſe dicitur quo tempore Pharſalicâ pugnâ Pompeius interiit, quaſi Nilus indignam illam tanti ducis cædem auerſaretur. Quod etiam accidiſſe Traiani tempore refert alter Plinius, *in oratione panegyrica*, cuius verba ſatis ſunt ad rem præſentem accommodata. *Ægyptus*, inquit, *alendis augendíſque ſeminibus ita glorioſa eſt, vt nihil imbribus, cælóque deberet; ſiquidem proprio ſemper amne perfuſa neque alio genere aquarum ſolita pingueſcere, quam quas ipſe deuexerat, tantis ſegetibus induebatur vt cum feraciſſimis terris, quaſi nunquam ceſſura certaret, hæc inopinata ſiccitate vſque ad iniuriam ſterilitatis exaruit.* Et ſtatim, *Fruſtra tunc Ægyptus nubila optauit, cælúmque reſpexit.* Sed licèt hanc fluminis ſiccitatem contigiſſe veriſimile ſit, quo tempore hæc accidit Ægypto calamitas, vt etiam dixit Ezechiel *cap. 30. verſ. 12. Et faciam alueos fluminum aridos.* Sed quia hæc allegoricè videntur dici, quibus vaſtitas, & clades ſignificatur Ægyptia, non neceſſe eſt, vt hæc ita contigiſſe fateamur.

Nilus ſæpe ſpem Ægypti eluſit.

10. g *Calamus & iuncus marceſcent.*] E iunco & calamo, quibus ad ſpeciem, atque delicias veſtiebantur ripæ, & loca Nilo proxima, plurimos etiam vſus capiebant Ægyptij. De iunco, atque papyro nonnulla nos ſuprà *cap. 18.* ex quibus conteai cymbas diximus. Sed & alios mirificos vſus præbet, de quibus Herodotus *lib. 2.* Plin. *lib. 13. cap. 11.* Addam Plinij verba cui ſubſcribunt alij. *Et ipſa quidem papyro nauigia texunt, & à libro vela, tegeteſque, nec non & veſtem etiam ſtragulam, ac funes: mandunt quoque crudum, decoctumque ſuccum tantùm deuorantes.* De alio vſu illius *eodem cap.* ſuprà multa dixerat. Nempe quòd ad ſcribendum chartarum commoditatem afferat, vnde & charta quæcumque *papyrus* vocatur, & liber *Bibliō*, quod etiam illis iunci nomen eſt.

Papyri vſus varij.

11. Neque deeſt ſua quoque gloria, & commendatio calamis Ægyptiis, ex quibus etiam naues fiebant, vt vidimus, quique vt de papyro modò dicebamus, magnum ad chartas vſum affert de quibus Plinius *lib. 16. cap. 36. Chartis*, inquit, *ſeruiunt calami Ægyptij, maxima cognatione quadam papyri.* Neque tantùm pro chartis ſunt arundines Ægyptiæ, ſed etiam pro ſcriptorio calamo, in quem vſum à reliquis ciuitatibus expetebantur. De quibus Martialis *lib. 14. diſticho 38.* cuius titulus eſt, *Faſciculus calamorum.*

Dat chartis habiles calamos Memphitica tellus;
Texantur reliqua tecta palude tibi.

Vide quæ diximus ad illud *Pſal. 67. Increpa feras arundinis.*

12. h *Confundentur qui operabantur linum, plectentes, & texentes ſubtilia.*] Cùm Nilus aruerit peribit neceſſe eſt quæſtus ille, quem reti & hamo capiebant piſcatores Ægyptij; Quare non erit cur è lino ſubtili piſcatorium ſibi rete conficiant. Seu certè, cùm arente flumine defectura ſint, quæ irriguo ſolo creſcunt, vt de calamo nuper, & iunco diximus, deficiet quoque herba ex qua linum, id eſt, filum ducitur, vnde opus conficitur textile. Quocirca qui ſubtilia texunt ex lino, eóque artificio ſibi lucrum parant, mœrebunt, quia ſublata materia & frigente arte ipſi otioſi ſedebunt. Ita Cyrillus, cuius ſententia mihi probatur magis, quia linum maximè probatur, & ingenti lucro Ægyptiis eſſe dicitur à Plinio *lib. 19. cap. 1.* cuius ea tenuitas eſt vt ibidem Plinius prodat filum vnum 365. filis conſtare, cuius ait ſeruari documentum apud Rhodios in thorace, qui fuiſſe traditur Regis Amaſis. Et ideo artifices iſti dicuntur operari ſubtilia, veſtes fortaſſe ſua tenuitate pellucidas, quales dicuntur fuiſſe Coæ. LXX. *biſum* conuertunt. Alij pro *ſubtilibus*, *naſſas* exponunt, aut *ſagenas*.

13. i *Qui faciebant lacunas ad capiendos piſces.*] Credo eſſe vſitatum Ægyptiis piſcatoribus in flumine ſpatia quædam calamo, aut vallis ex alia materia circumſepire, quos *labyrinthos* licebit appellare; quò eſcâ propoſitâ facilè alliciuntur concluduntúrque piſces, exire tamen inde anguſto reditu, ſtimuliſque introrſus horrenti non facilè poſſunt; quæ à Latinis *ſepta* aut *caueæ*, vulgò Hiſpanorum *encañizadas* appellantur; Aut certè excauati ſtagna in proximo littore in quæ deriuantur fluuiales aquæ: & cum his quoque piſces innatent, capiantúrque, quæ *piſcinæ* vocantur: aut etiam magis communi vocabulo *viuaria*. Sed eſt mihi vero longè ſimilius magis ad lacunarum nomen, ſi dicamus in his ſpatiis, quæ Nilus peruaſerat, relinqui lacunas, id eſt, depreſſa, atque excauata loca ſtagnantia, in quibus, cum ſe in alueum receperit fluuius, neceſſe eſt tanquam in piſcinis hærere piſces, teneríque concluſos. Hi verò non difficilè à piſcatoribus capiuntur effugio ſublato. Quæ lacunæ cùm manu, atque arte fieri poſſint, & vt hic locus indicat, aliquando fiant, tamen ſine vllo labore piſcatorum in campis, quibus prius Nilus innatarat, relinqui refluente in alueum flumine docet Achilles Alexandrinus *lib. 4. de Clitoph. & Leucip. Cùm Ægyptum*, inquit, *omnem Nilus inundauerit, paludes efficit, quæ deinceps illo etiam abeunte remanent, minus quidem aqua continentes: ſed limo multo referta: per quas cùm pedibus feruntur, tum etiam nauiculis non ſanè maioribus quàm vt ſingulos vectare poſſint. Quòd ſi quando aqua deeſſe contingat, ſublatam humeris nauiculam exportant, quo vſque aquam inueniant.*

Lacunæ, ſeu viuaria in Ægypto.

14. l *Stulti principes Taneos.*] Tanis metropolis erat Ægypti, vbi à Moyſe edita fuere tot prodigia: principes vero & conſiliarij eius ciuitatis, in qua erat primum, ſummúmque totius regni conſilium, decepti ſunt; & erroris cauſa ſtatim ſubiicitur; quòd nempe aut conſiliarij ipſi, aut illorum Rex aliè de ſe, & ſuperbè ſentirent. Superbus etenim animus dignus eſt, qui cum aliorum riſu, atque ludibrio in omnem errorem fœdè labatur.

Superbus animus dignus, qui decipiatur, & erret.

15. m *Quomodo dicitis Pharaoni, filius ſapientium ego, filius Regum antiquorum.*] Incertum eſt ad quod referri debeat illud *filius ſapientum ego.* Quidam hæc conſiliariis aſcribunt Pharaonis, qui ambitioſe de ſe prædicant, quòd non ſolùm ipſi

ſapientes ſint, ſed ſapientium filij, & ex antiquorum Regum genere prognati: quaſi habeant ſibi hæreditariam & quaſi vernaculam ſapientiam. Nam, vt notauit Hieronymus, Ægyptij ſui generis conditores Heroas, & Deos eſſe putant, nempe Oron, Iſin, Oſyridem, Tiphonem, & ob id ſe non iam ex Regio, ſed ex diuino ſemine profectos iactant. Quare videtur Hieronymus hæc conſiliariis tribuere, cui ſubſcribunt Hugo, S. Thom. Dionyſius, Cyrillus. Et fauet L x x. tranſlatio quæ ſic habet. *Quomodo dicetis Regi filij ſapientium nos, filij Regum ab initio.* Quam ego ſententiam ita probo, vt non putem improbabiliter dici poſſe verba illa Regis eſſe non conſiliatiorum, quod Haymo cenſet, & cum eo Foreirus. Ita vt ſtulti illi conſiliarij regem nimiùm credulum vana aſſentatione in eam mentem adduxerint, vt diceret. *Filius ſapientium ego, filius Regum antiquorum.* quaſi propter cognatam ſapientiam, & continenti ſucceſſione acceptam à parentibus errare non poſſit in deliberando, neque quia regium nomen in ſua inueterauit familia, ab eo vlla hoſtium potentia, atque conſilio deturbari. Quaſi dicat Rex hac ſtulta inflatus opinione; hæreditaria mihi ſapientia eſt, & regia dignitas naturalis, quare neque mea mihi illudet ſententia, neque vis vlla mihi eripiet, quod non tam à fortuna momentaneum, quam à natura mihi perpetuum eſt. Quibus non diſſimilia dixiſſe traditur Ezechiel *cap.29. verſ.3. Meus eſt fluuius, & ego feci memetipſum.*

Parcatis ſapientia, atque felicitas filios inflare, aut ſecutos reddere non debent.

16\. Neque illud *dicetis* multum exhibet huic explicationi negotij. Eſt enim ſatis in ſcriptura vſitatum, vt aliquis id feciſſe, aut dixiſſe tradatur, quod, vt alius faceret, aut diceret, autor eſt. Quomodo *ad Roman.8.* Spiritus ſanctus dicitur pro nobis poſtulare gemitibus inenarrabilibus, quia facit, vt nos gemendo poſtulemus. Et *ad Galat.4. Miſit Dominus ſpiritum filij ſui in corda veſtra clamantem, Abba pater*, id eſt, clamare facientem. Et quod Adam dixit *Gen.2. Quamobrem relinquet homo patrem ſuum*, id *Matth.19. verſ.5.* Deo tribuitur, quia illa verba afflatus à Deo locutus eſt Adam. Ad hunc ergo modum ſapientes illi Ægyptij Regi dixiſſe traduntur: *Filius ſapientium ego*, quia fecerunt oratione blanda, atque adulatoria, vt talia de ſe cogitaret, ac prædicaret Pharao. Quòd ſi verba illa ſapientium eſſent, quomodo aptè, & conſentaneè ſtatim diceretur, *Vbi nunc ſunt ſapientes tui.* Loquitur autem, vt apparet cum aliquo à ſapientibus diuerſo, & qui ſapientium verbis deceptus, & inflatus in verba illa arroganter erupit; neque alius eſſe poteſt, quàm rex Ægypti. Accedit quod non eſt facilis, aut admodum vſitata hæc tranſlatio à numero plurali ad ſingularem, *dicetis filius ſapientium ego.* Multò diceret aptiùs. *filij ſapientium nos, & filij Regum.* Hæc mihi valde probabilem faciunt poſteriorem cogitationem, neque tamen, vt dixi, priorem non probo.

Id facere dicimur, aut dicere, quod vt fiat, aut dicatur, autores ſumus.

17\. [n] *Deceperant Ægyptum angulum populorum eius.*] Per *angulum* in ſcriptura firmamentum, nobilitas, & aliquid præcipuum ſignificatur: quia angulus in ædificiis, & diuerſos coniungit parietes, & in eo firmiores, & accuratiùs politi lapides collocantur. Qua de re nos pluribus ad illud Zachariæ 10. *cap. Ex ipſo angulus.* Sumitur præterea *angulus* pro principibus, quia in ædificiis angulus princeps locus eſt, & illuſtris, quo nomine ſignificantur *Iud.20. & 1.Reg.14.* Putat Foreirus *angulum* hîc pro principibus ſumi, ſed in nominatiuo ſtatuit in hanc ſententiam. Deceperunt Ægyptum angulus familiam ſuam, vel populum, id eſt, quilibet princeps autoritate, vel ſapientia, vel quocumque alio nomine ac titulo princeps populo ſuo fraudi fuit. Neque aliter videntur accepiſſe Septuaginta, qui ita vertunt, *Decipient Ægyptum per tribus.* Et quidem non grauatè hanc explicationem admittit textus Hebraicus; ſed neque malè vertit vulgatus, neque ſenſus qui ex ea tranſlatione ſumitur, difficilis eſt. Vocatur enim Ægyptus, quæ à conſiliariis decepta eſt, & præcipitata, *angulus populorum*, quia ſubſidio, & firmamento erat vicinis aliis prouinciis; quæ ab ea ex fœdere auxilium expetebant, & accipiebant nonnunquam. Qualis erat Æthiopia, Samaria, Iudæa. Aut certè accommodat ſe ſcriptura hîc, quod alibi ſæpe facit, ad opinionem hominum: nam illud ſibi nomen arrogabat Ægyptus, quòd *angulus* eſſet, id eſt, *firmamentũ*, & *princeps populorum.* Quaſi eo nomine incuſentur conſiliarij Pharaonis, quod oratione mendaci, ac blanda regnum opinione ſua omnium florentiſſimum perdiderint.

Angulus, pro principe.

[o] *Spiritum vertiginis.*] Quid ſit *ſpiritus*, diximus *cap.11. num.3.* inde diſces, quomodo æſtus, aut perturbatio animi vocari poſſit *ſpiritus vertiginis.* 18.
Illis qui vertigine laborant, omnia videntur circumrotari, neque quicquam eſſe ſtabile, ac firmum. Simili ſpiritu aguntur illi, qui ancipiti cogitatione huc, & illuc trahuntur, neque quicquã habent certum, quod ſequantur. Quod ſtatim alia ſimilitudine magis explicat ducta à vomente, atque ebrio. Et quia ebrietas idem afferre ſolet πάθος atque vertigo, ideo dixit *miſcere ſpiritum vertiginis. Miſcere* autem eſt vinũ alicui propinare, à quo venit ebrietas. Quid autem ſit *vertigo*, vel *ebrietas*, ſtatim declarat dum addit, *Et errare fecerunt Ægyptum in omni opere ſuo.* Qua metaphora in eandem ſententiam vſus eſt Ieremias *c.25. verſ.15. Sume calicem furoris huius de manu mea; ac propinabis de illo cunctis gentibus, ad quas ego mittam te; & bibent, & turbabuntur, & inſanient à facie gladij, quem ego mittam inter eos.*

[p] *Et non erit Ægypto opus quod faciat caput, & caudam, incuruantem, & refrænantem.*] Hæc ferme eadem habes ſuprà *cap.9. verſ.14.* Vbi à nobis explicata ſunt: neque ea ipſa non vulgati, & nunc iterata forma dicendi cuiquam dubium eſſe debet prouerbialem hunc eſſe ſermonem. Explicationem vide *cap.9.* Quod verò ad hunc locum attinet communiter interpretes *caput* pro principe, *caudam* pro plebeio atque ignobili: *incuruantem* pro ſene à corporis habitu, *refrænantem* pro adoleſcente ſumunt, quia in ea ætate eſt, in qua iuueniles, & laſciuientes motus cohibere atque infrænare debeat. Sed credo aptè explicari poſſe ſicut ſuprà *cap.9.* Si *caput, & cauda* in recto eſſent, quod non reſpuit textus Hebraicus, & vertunt Pagninus, & Tigurina, ſenſus eſſet non difficilis. Nihil præſtabunt in illa rerum perturbatione, *caput, & cauda*, id eſt, *iuuenis, & ſenex.* Sed noſter interpres in quarto caſu poſuit, neque alius eſt ſenſus, licèt paulò aliter explicandus in hunc modum. Tam omnia ſine ſucceſſu, atque conſilio fient, vt nullum ſit opus ſic adminiſtratum, vt appareat in eo fuiſſe *caput, & caudam*; *ſenem* videlicet, in quo caput eſt, & prudentia, *& iuuenem*, in quo vires ſunt, & lacerti ad illa præſtanda, quæ à ſenibus deliberata ſunt. Aut, quod idem eſt, fuiſſe *incuruantem*, qui ipſa affecti corporis inclinatione oſtendit in ſenili

19\. Prouerbiũ.

ætate

ætate conſilium fuiſſe, & *infrænantem*, in quo vigor eſt, & impetus qui fræuari debeat, cùm nihil appareat in illo rerum motu quod prudenter ſuſceptum, nihil, quod audacter, aut ſtrenuè perfectum eſſe videatur. In quem ſenſum videntur accepiſſe Septuaginta, dum transferunt, *quod faciat caput, & caudam, principium, & finem.* & ita exponit Cyrillus. Neque aliter accepit Hieronymus, qui ſic exponit, *Nullum habebit Ægyptus opus ſiue conſilium, quod aut caput habeat, aut finem, aut ſenibus conueniat aut pueris.* Hiſpanus forma etiam prouerbiali ſic res turbatas, atque confuſas explicat, *no tiene pies ni cabeça.*

20. ¶ *Et erit terra Iuda Ægypto in pauorem.*] Hieronymus tranſtulit *in ſolemnitatem*, vt apparet ex eius Commentariis. Quod etiam ſignificat vox Hebr. חגה *chagâh*, ſed communiter Latini codices, & in his Sixtiani *pauorem* habent, ſicut etiam tranſlatio Septuaginta. Aquila reddidit *γύρωσιν*, quod non improbat Hieronymus, & ſignificare putat pauorem, quo aliquis circumfert oculos, & hoſtem, quem imminere putat à tergo, circumſpectat. Huius loci, atque tranſlationis duplex poteſt eſſe ſententia, iuxta duas ſignificationes nominis *pauoris*. Altera eſt, cùm terra Iuda cladem illam attulerit Ægyptiis, quòd Iudæis contra Aſſyrios, & Babylonios auxilio eſſe voluerint; aut quia infeſti aliquando fuere Iudæis, verbi gratia, ſub Ioſia: cuius ſe pœnas dediſſe Deo ſuorum vindici non obſcura coniectura cognoſcent, gnari ex harum cauſarum aliqua, aut ex vtraque ſimul illatam eſſe primam incendij facem, nomen Iuda, etiamſi nulla alia vis ingruat, illis erit terrori. Ita putat Hieronymus, Haymo, Adamus, & plures alij.

21. *Ægyptus ventura ad Eccleſiam.* Sed quia nomen *pauoris* reuerentiam ſignificat, religionem, obſeruantiam, & admirationem, vt latè oſtendimus *cap.2. Actuum, num.48. & cap.8. num.27. ſupra.* alia poteſt eſſe ſententia, quam indicat *feſtiuitatis* nomen, quod adhibuit Hieronymus, & habent Latini codices non pauci; Nempè venturum eſſe aliquando tempus quando regio illa miſerabiliter ab hoſte iactata, ad fidem conuerſa, melioremque mentem abiecto inani ſimulacrorum cultu Iſraelitica, imò veriùs Chriſtiana ſacra ſuſcipiat. Tunc verò terra Iuda erit Ægypto *in feſtiuitatem*, quia eandem colet feſtiuitatem, & eadem obibit ſacra quæ obſeruant Iudæi; Quod Zacharias *cap.14. verſ.16.* apertè docuit, *Et omnes qui reliqui fuerint de vniuerſis Gentibus, quæ venerunt contra Ieruſalem, aſcendent ab anno in annum, vt adorent Regem Dominum exercituum, & celebrent feſtiuitatem tabernaculorum. Et erit qui non aſcenderit de familiis terræ ad Ieruſalem, vt adorent regem Dominum exercituum, non erit ſuper eos imber: quod etſi familia Ægypti non aſcenderit,* &c. Et hæc ſententia mihi probatur omnium maximè; tum quia vtramque tranſlationem conciliat, quia in *pauore* religionem agnoſcit, & obſeruantiam, vt etiam profanis placet: Tum etiam quia aptè hæc cum poſterioribus coniungit, in quibus de meliori Ægyptiorum ſtatu, atque conditione vaticinium eſt.

22. *Regula. Duris ſcriptura læta ſubiungit.* Hîc autem obſerua quod à nobis notatum eſt *cap.1.* ad illud, *Et conuertam manum meam. num.65.* ſolere prophetam noſtrum, poſtquam aliquid durum nuntiatum eſt alicui prouinciæ, aliquid poſtea iucundum ſubtexere, quod pertineat plerumque ad Euangelij tempus, vt *cap.16.* de Moab, de quo

A poſt narratam cladem ſubiecit, *Emitte agnum Dominus*, &c. Quare poſt Ægypti tam acerbam plagam, vaticinium traducit ad fœlicitatem illam, quam habitura eſt ſub Euangelij tempus, cui feſtiuitatem, & religionem communem fore dicit cum gente Iudæa, ſeu Iudæam gentem illi futuram non ingratam. Ac ſi dicat, ille idem Iudaicus populus, qui nunc Ægyptiis dolori fuit, quia illius cauſa malè mulctati ſunt, erit aliquando in feſtiuitatem, quia illos à miſera Dæmonis ſeruitute in veram, & Euangelicam libertatem vindicabit.

[t] *In die illa erunt quinque ciuitates in terra Ægypti loquentes lingua Chanaan.*] Hinc iam propheta 23.
clariùs de meliori Ægyptiorum ſtatu, id eſt, de illorum conuerſione loquitur. Exiſtimo hîc numerum
B finitum, & certum pro indefinito ſumi, quod perinde eſt, atque multas ciuitates locuturas non lingua Ægyptia, ſed ea, quæ familiaris erat & vernacula in terra Chanaan, id eſt, in terra promiſſionis, lingua nimirum ſancta; ſic enim vocatur lingua Hebraica. Sunt qui hæc completa eſſe putent ſub hoc tempus in quo prædicta ſunt, qui exiſtimant eum Senacherib veniſſe plurimos ex his, qui ab ipſo ſubiugati fuerant in Ægypto contra Ezechiam, eóſque, vbi cognouerunt Aſſyriorum exercitum vna nocte à Domino fuiſſe deletum, cœpiſſe venerari Deum Iſrael, dimiſſóſque benignè ab Ezechia coluiſſe in patria ſua Deum, & excitaſſe aras, & alia obiiſſe ſacra, quæ à Iudæis ſolita in diuinum cultum, præcipuè
C verò in quinque ciuitatibus, quarum hoc loco propheta meminit. Sed quod diximus de ſpirituali ſenſu & Euangelij gratia, puto longè veriſimilius, quia quod hîc de Ægypto dicitur, idem ad finem capitis dicitur de Aſſyriis, qui certè ſub hæc tempora conuerſi non ſunt; maximè quia ante Euangelium nullomodò licebat aras excitare extra Ieruſalem. Quare, vt habes in libro Ioſue *cap.22.* ægrè tulerunt Iſraelitæ quòd filij Ruben, & Gad, & dimidia tribus Manaſſe aras erexiſſent vltra Iordanem; ſed ſtatim ab his altare dicitur in medio Ægypti ædificatum.

[t] *Ciuitas Solis vocabitur vna.*] Cur huius ciuitatis ſpeciatim meminerit, obſcura ratio eſt; Ea nunc 24. *Heliopolis copioſa ciuitas & impietati deditiſſima.*
D occurrit, quam indicat Foreirus, quia hæc ciuitas maximè erat ſuperſtitioni dedita, vt nomen ipſum præ ſe fert, quia *Heliopolis* vrbem Soli conſecratam ſignificat. Et quidem Strabo *lib.17.* ciuitatem illam ſacerdotalem eſſe indicat, aut certè ſacerdotibus olim frequentem. *Heliopoli*, ait, *domos amplas vidimus, in quibus ſacerdotes habitabant. Imò dicunt hanc olim ſacerdotum habitationem fuiſſe.* Eſt autem ſatis omnibus exploratum, idolorum cultores, vel patriæ religionis ſtudio, aut certè quia, ea frigente, frigebat ipſis quoque honor, & quæſtus, vehementer Euangelicæ religioni repugnaſſe. Adde quòd hæc erat in primis ciuitatibus Ægypti copioſa, & lauta, vt ex Ezechiele *cap.30.* conſtat. Quare multa erant in Heliopoli ab Euangelio ſuperanda,
E quod impiæ religioni, & carnis blandimentis bellum indicit implacabile. Ponit ergo propheta ſeparatim ab aliis Heliopolim, ac ſi dicat; Cùm ciuitas hæc nobilis, & copioſa, & adhæc, in omnem ſuperſtitionem effuſa, mutato religionis inſtituto lingua loquatur Chananitide, quid de aliis minùs ad repugnandum Euangelio munitis ſentiendum eſt?

Huc ſpectat quod *Act. cap.1.* obſeruauimus ad 25.
illud, *& Maria mater Ieſu.* aliquid ſeorſum ab aliis

Regula. Quod in aliquo genere excellit, ſeorſum ponitur ab alijs, quibus communis ratio.

numerari, licèt iam priùs eſſet aliquo ſigno, aut numero comprehenſum, cùm in eo aliquid præter cætera eximium eſt. Quomodo in titulo pſalmi 17. Saul ſeorſum numeratur ab aliis hoſtibus, *De manu*, inquit, *omnium inimicorum eius, & de manu Saul.* & 1. *Corinth.* 13. *Sicut & cæteri Apoſtoli, & Cephas.* quia tam *Saul*, quàm *Cephas* in ſuo quiſque ordine præcipui erant, niſi mauis ad aliam regulam hunc locum expendere, quam latiùs explicuimus ſuprà *cap.* 7. *num.* 27. vbi diximus coniunctionem *&*, poſtremo nomini adiunctam epitaſim habere, & ſignificare excellentiam in eo, quod nouiſſimo ſtatuitur loco. Secundùm quam regulam explicanda exiſtimabam, quæ ſæpe occurrunt. *Amos cap.* 1. *&* 2. *Prouer.* 6. *&* 30. *Tria ſunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro.* id eſt, ſed præcipuè quartum, & ſimilia. Quocirca ſic videtur præſens locus exponi poſſe. Quinque ciuitates loquentur lingua Chanaan, ſed præcipuè ciuitas Solis. Licèt autem non ſit ante *ciuitas Solis* coniunctio *&*, intelligitur tamen; quod ſatis eſt ad ſenſum, quem oſtendimus. Cur verò Heliopolis dicatur religionem noſtram complexura, aut ſeorſum ab aliis ciuitatibus nominetur: ea quoque ratio videtur non incongrua. Quia in ea maximè Chriſtiana floruit religio, quam poſtea multa Monachorum millia inſigni pietate præſtantium incoluerunt. Hæc enim pars Ægypti fuit quæ poſtea *Thebais* vocata fuit, Antonij, & aliorum patrum nobilitata monumentis.

Et, interdũ aliquid præcipuum indicat.

26. In quinque ciuitatibus totam Ægyptum ſignificari exiſtimo, quia iſtæ fortaſſe capita erant, & quaſi metropoles totius prouinciæ. Quæ verò ſint, non explicat propheta, ſed eſt veriſimile illas eſſe quas numerat Ezechiel *cap.* 30. nempe *Memphim, Tanim, Alexandriam, Bubaſtum, Heliopolim*, quarum hæc poſtrema magis erat à Dæmone contra ſanctitatem, & veram religionem munita.

27. ᵗ *Et titulus Domini iuxta terminos eius.*] Quomodo in terra promiſſionis ſigna, & tituli diſpoſita fuerint, quibus cognoſceretur eſſe ſubiecta, & quaſi conſecrata Deo, diximus ad illud *Act.* 1. *Sabbathi habens iter.* & ad illud *Zachar.* 9. *Quia lapides ſancti eleuabuntur ſuper terram eius.* An verò talia ſigna more Iſraelitarum poſita fuerint ab Ægyptiis, quod ego viderim, non conſtat. Neque tamen prophetia illa completa non eſſet, ſi titulus ille defuiſſet; quia tantùm ſignificare propheta voluit regionem illam ſubiectum iri Deo: poſuit verò per metonymiam ſignum pro re ſignificata.

28. ᵘ *Clamabunt enim ad Dominum à facie tribulantis.*] Clamabant Ægyptij olim ad Deos alienos, qui, vt nuper diximus, vſque adeò non poterant afflictis opem, & ſalutem afferre, vt ipſi quoque commoti ſint, & in captiuitatem abducti. Sed fœliciſſimo illo tempore, cùm ſe Euangelica doctrina coli ſinent, confugient ad verum Deum, & Seruatorem, à quo, quam antea non poterant, ſalutem, & libertatem obtinebunt.

29. ᵃ *Et percutiet Dominus Ægyptum plaga, & ſanabit eam.*] Percutiet quidem Dominus Ægyptum per Aſſyrios, & Babylonios plaga de qua nuper, ſed non perpetuò contra illos indignabitur. Aderit enim tempus, de quo nunc agimus, quando iam mitior ſalutem afferat, illam, inquam, ſalutem, quæ & ſola vera ſalus eſt, & ab vno Seruatore Ieſu ſperari poteſt. Licèt hæc de ſpirituali ſalute intelligenda putẽ ſub Euangelij tempus, tamen ab hac quoque plaga Ægyptus ſanata fuit, quadrageſimo

A poſtquam illã accepiſſet anno, vt apertè Ezechiel *cap.* 29. *verſ.* 13. *Poſt finem quadraginta annorum congregabo Ægyptum de populis in quibus diſperſi fuerant, & reducam captiuitatem Ægypti, & collocabo eos in terra Phathures in terra natiuitatis ſuæ.*

ʸ *In die illa erit via de Ægypto ad Aſſyrios, & intrabit Aſſyrius in Ægyptum, & Ægyptus in Aſſyrios.*] Quia Euangelij tempore Chriſtianam fidem etiam complectentur Aſſyrij, conſentient animis atque ſtudiis populi, qui ſicut locorum ſpatiis, ſic etiam animis, atque armis diſſidebant, adeò vt viciſſim tutò, ac frequenter alij in aliorum fines commeent. Eſt autem Euangelij hoc proprium, vt diuerſa coniungat, quæque à natura id habent, vt minimè conueniant, illa in vnam conſpirare B mentem, & in vnum quaſi corpus coaleſcere faciat. Hoc facit vt cum boue leo paleas comedat, & pardus cum agno in eiſdem ſimul paſcuis moretur, & puer paruulus in foramen aſpidis manum mittat, & cum illa innoxios inſtituat ludos. 30.

ᶻ *Et ſeruient Ægyptij Aſſur.*] Hæc minùs aptè videntur cum ſuperioribus conſentire. nam ſi commercium erit, vſuſque familiaris Ægyptiis cum Aſſyriis (in quibus etiam Babylonios intelligo, qui propter imperium ab Aſſyriis ad ſe tranſlatum *Aſſyrij* aliquando dicuntur) quomodo hic dicuntur Ægyptij Aſſyriis ſeruituri. Quidam exiſtimant verbum עבדו *abedu*, pro quo Vulgatus *ſeruient*, ſignificare obſequium, nõ quod alij aliis inuiti præſtant, vt mancipia, aut mercede conducti, ſed C quod ex beneuolentia naſcitur, quale præſtari ſolet ab amicis, ſeu ab hoſpitibus officij, atque humanitatis ergo. Et quidem ſi propria eſſet, & ſola hæc verbi ſignificatio, ſatis erat difficultati factum. Sed interdum huius verbi vſus accommodatur inuitis. Mihi alia occurrit ſolutio meo iudicio aliquantò facilior, quam credo probabit qui textum Hebraicum accuratiùs expenderit, qui ſic habet עבדו את אשור *abedu eth aſſur*, in quo illud את *eth*, non facio notam accuſatiui patientis, ſed præpoſitionem *cum*: quod etiam Tigurina cenſet dum vertit, *& colent Dominum Ægyptij cum Aſſyriis.* Et probat Montanus. Quod verò præpoſitio את, non tantùm pronominibus affixis, ſed etiam nominibus adiungatur, docent quamplurima exempla, quæ D facilè ſupperent ex lexicis, aut Hebraicis conſtitutionibus. Sed ſuppeditet nunc nobis vnum, aut alterũ idem Iſaias *c.* 7. *v.* 17. vbi Vulgatus habet *cum Rege Aſſyriorum*, Hebraicus textus habet eadem prope verba, quæ nos hic את מלך אשור *eth melec Aſſur.* Et *cap.* 23. *verſ.* 17. vbi noſter, *fornicabitur cum vniuerſis regnis*, Hebr. את כל ממלכות *eth col mamlacoth.* & *cap.* 28. *verſ.* 15. vbi nos *percuſſimus fœdus cum morte*, Hebr. eſt את מות *eth maueth.* Ad hunc ergo modum hoc loco Ægyptij dicuntur ſerituri את אשור *eth aſſur*, id eſt, ſimul cum Aſſur communi Domino. 31.

Neque hæc explicatio pugnat cum verſione vulgata quæ ita legit, *& ſeruient Ægyptij Aſſur.* E Nam, vt demus Aſſur eſſe in tertio caſu, tamen datiuus aliquando non tam acquiſitionem ſignificat quàm ſocietatem, aut ſimilitudinem cum aliquo ad aliquod opus. Quale eſt illud Horatij in arte poetica. 32.

Inuitum qui ſeruat idem facit occidenti,

id eſt, qui volentem mori à laqueo, vel à gladio ſeruat, ſimilis eſt illi, aut æquè peccat atque ille, qui viuere volentem interficit. quod optime ſic explicabis, *idem facit cum occidente.* Quæ ſententia videtur

videtur olim fuiſſe commonis, & prouerbialis, quam habet vterque Seneca, alter in Thebaide *Actu primo.*

——Qui cogit mori
Nolentem, in aequo eſt, quique properantem impedit.
Occidere eſt vitare cupientem mori.

Alter *lib.8. declam.4. Non magis crudeles ſunt qui volentes viuere occidunt, quàm qui mori volentes non ſinunt.* Huiuſmodi ſunt exempla alia apud antiquos, in quibus datiuus ſimilitudinem importat, & pro ablatiuo ponitur cum præpoſitione *cum.* Lucretius *lib.2. de primis corporibus.*

Qui poterunt igitur rerum primordia dici,
Et lethi vitare vias animalia cùm ſint,
Atque animalibus ſint mortalibus vna eadémque.

id eſt, idem ſint cum animalibus. Et *lib.13.*

——Quorum vnus Homerus
Sceptra potitus eadem alijs ſopitus quiete eſt.

id eſt, eadem cum aliis quiete ſopitus eſt. Quæ loquendi formula Græcis eſt valde familiaris, dicunt enim ſuppreſſa præpoſitione *σὺν*, quæ idem eſt atque *cum*, *αὐταῖς ὄχεσφι ſimul cum alis*, *αὐτοῖς ὅπλοις ſimul cum armis*, & ſimilia. Ad hunc modum hîc ſeruient Ægyptij Aſſur, ſiue Aſſyrio, id eſt, ſimul cum Aſſyrio, quam ſententiam omnino confirmat id, quod ſtatim ſequitur.

33. aa *In die illa erit Iſrael tertius Ægyptio, & Aſſy-*
A *rio.*]Ex his ſatis perſpicuus eſt ſenſus à nobis modò traditus, nam eodem ordine ſtatuuntur tres iſti populi, Ægyptius, Aſſyrius, & Iſraeliticus, & quod de Aſſyrio dicitur, id etiam de Ægyptio dicendum eſt. Quare non magis Ægyptius Aſſyrio, quàm Aſſyrius ſeruiet Ægyptio. Adiunget ſe his populis tertius Iſrael, quia nempe futurum eſt, vt tres iſtæ nationes, quæ aut modò inter ſe diſſident, aut ſanè olim vehementer diſſederant, animis in vnam religionem conſpirantibus vnum Deum colant.

bb *Benedictio in medio terræ.*] Iſraël medius 34.
erat inter Ægyptios, & Aſſyrios; ex eo populo Dei benedictio, quæ ſecum affert omnia commoda, effuſa eſt ad alios etiam populos: *quia de Sion*
B *exiuit Lex, & Deus operatus eſt ſalutem in medio terræ.* Quocirca poſtquam Aſſyriis, & Ægyptiis benedixit, ſubdit. *Hæreditas autem mea Iſrael.* Ac ſi dicat, ex domo, & poſſeſſione mea largam aliis gentibus impertior, ſeu deriuo benedictionem. Sicut Pontifex ex Romana ſede in totum orbem, aut ex ſuo ſibi ſolio princeps immunitatem aliquam, aut priuilegium concedet aliquibus ciuitatibus longè inde ſubmotis. Poſtrema hæc verba, quæ æquales faciunt Ægyptios Aſſyriis, ſuperiorem noſtram cogitationem magis confirmant, quæ ſeruitutem ab Ægyptiis remouet erga Aſſyrios.

Argumentum vigeſimi capitis Iſaiæ.

PRÆDIXERAT *duobus præcedentibus capitibus propheta Æthiopum, & Ægyptiorum interitum: nunc quandiu duraturum ſit bellum, quo duæ illæ prouinciæ vaſtabuntur, & quàm ſit futura ignominioſa, & turpis illarum tranſmigratio, nouo quodam ſigno, atque portento declarat. Iubet enim Deus Iſaiam nudo corpore, & diſcalceatis pedibus incedere, quem habitum captiuos Æthiopes & Ægyptios habituros eſſe denunciat. Ad extremum oſtendit Iudæos edoctos aliorum ruina iam tandem cognituros ſpem eſſe futilem, quam hominum promiſſa, atque ſubſidia excitant, atque ſuſtentant.*

CAPVT XX.

1 a IN anno, quo ingreſſus eſt Thartan in Azôtum, cùm miſiſſet eum Sargon Rex Aſſyriorum, & pugnaſſet contra Azôtum, & cepiſſet eam: in tempore illo locutus eſt Dominus in manu Iſaiæ filij Amos, dicens.

2 b *Vade, & ſolue ſaccum de lumbis tuis, & calceamenta tua tolle de pedibus tuis. Et fecit ſic vadens nudus, & diſcalceatus.*

3 *Et dixit Dominus: Sicut ambulauit ſeruus meus Iſaias nudus, & diſcalceatus,* c *triũ annorum ſignum & portentum erit ſuper Aegyptum, & ſuper Aethiopiam.*

4 *Sic minabit Rex Aſſyriorum captiuitatem Aegypti, & tranſmigrationem Aethiopiæ, iuuenum, & ſenum, nudam, & diſcalceatam,* d *diſcoopertis natibus ad ignominiam Aegypti.*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 EO anno, quo Thartan ab Aſſyriorum Rege Sargon cum exercitu miſſus eſt, vt Azotum nobilem Palæſtinæ ciuitatẽ oppugnaret, quam Aſſyrij Regis imperio ſubiugauit, locutus eſt Dominus ad Iſaiam filium Amos in hæc verba.

2 Agedum depone cilicinum ſaccum, quo indutus es, & de pedibus tuis calceamenta detrahe. Nec diu moratus Iſaias ſtatim diuinæ obſecutus voci nudus, & diſcalceatus ambulauit.

3 Et addidit Dominus, quòd ſeruus meus Iſaias nudo corpore, & nudatis à calceo pedibus ambulauit, ſignum, atque portentum eſt illius ſupplicij, quod triennali ſpatio Ægyptios, & Æthiopes durè atque ignominioſè vexabit.

4 Abducet enim Aſſyrius Ægyptios, & Æthiopes in captiuitatem, neque à iuuenibus; neque à ſenibus abſtinebit, quorum multitudinem tranſmigrantem abiget, nudam, & diſcalceatam: quod ad dolorem acerbum eſt, & quod eſt ad

ignominiam longè grauiſſimum, reuelatis illis corporis partibus, quas omni ratione eſſe velatas ſtudent honeſti.

5 Tunc horror inuadet Iudæorum animos, cùm captos, atque ignominioſè traductos viderint illos, à quibus in dubiis rebus auxilium expectabant; qui etiam, non ſine pudore ab ſpe illa cadent, quam in Æthiopia locarant, & ab illa gloria, quam ab Ægypti præſidio ſibi promittebant.

5 [e] *Et timebunt, & confundentur ab Aethiopia ſpe ſua, & ab Aegypto gloria ſua.*

6 Tunc habitator Ieruſalem, qui à vicinis hoſtibus non minùs aſſiduè, atque violenter quatitur, quàm à marinis fluctibus alluitur, aut verberatur inſula, edoctus illa duorum regnorum interitu, dicet: En qualis erat ſpes noſtra? en quos auxiliarores euocabamus, vt nos ab Aſſyriorum armis eriperent? Si illi tam facilè, & fœdè ceciderunt coram Aſſyrio, quo nos animo eſſe debebimus? Quod futurum à victore exercitu ſperamus effugium?

6 [f] *Et dicet habitator inſulæ huius in die illa: Ecce hæc erat ſpes noſtra, ad quos cõfugimus in auxilium, vt liberarent nos à facie Regis Aſſyriorum; & quomodo effugere poterimus nos?*

IN CAPVT VIGESIMVM
COMMENTARIVS.

1. [a] IN *anno quo ingreſſus eſt Thartan in Azotum, cùm miſiſſet eum Sargon Rex Aſſyriorum*, &c. *in tempore illo locutus eſt Dominus.*] Hoc caput appendix quædam videtur duorum præcedentium, quæ de Ægypto atque Æthiopia inſtituta ſunt: & vtrique prouinciæ calamitatis, & ignominiæ tempus definit. Totum hoc caput difficile non eſt, modò conſtet de tempore quo hæc vaticinatus eſt Iſaias. Ex hoc loco nihil habemus certum præter anni deſignationem, quo obſeſſa eſt Azotus ab eo duce, qui miſſus eſt à Sargon Aſſyriorum Rege; non tamen certum eſt, quis fuerit, quóve regnauerit tempore iſte Sargon. Omnes communiter ſentiunt *Sargon* eſſe Senacherib, qui, vt tradit hic Hieronymus, ſeptinominis fuit. Neque deeſt aliqua coniectura: nam *Thartan*, qui hic dicitur *dux Sargon*, 4. *Reg.* 18. *verſ.* 17. vocatur *dux Senacherib.*

2. Quid de iſto Aſſyriorum Rege affirmem nihil mihi exploratum eſt. Illud certum, ſi ſeptinominem faciamus Senacherib, quod mihi durum eſt, illum tamen non fuiſſe vocatum Salmanaſſar, & Theglathphalaſſar, vt ex ſententia Hieronymi refert Hugo & S. Thom. Quia, vt conſtat 4. *Regum* 16. Theglathphalaſſar, aut idem fuit, qui Salmanaſſar, aut quod verius puto, illo antiquior; ſed Salmanaſſar pater fuit Senacherib, vt expreſsè traditur *Tobiæ cap.* 1. *verſ.* 18. ſic enim ibi. *Poſt multum verò temporis mortuo Salmanaſſar Rege, cum regnaret Senacherib filius eius pro eo*, &c. Deinde non mihi valde veriſimile eſt hunc Sargon fuiſſe Senacherib; quia non apparet quo tempore Azotum oppugnare potuerit. Quia poſt Ægyptum, & Æthiopiam debellatas, non potuit: quia ab Angelo percuſſo exercitu ſtatim in patriam retulit belli reliquias. Neque poſt deletam Ægyptum, & Æthiopiam, hæc dicta videri poſſunt ab Iſaia, quia minæ ſunt de clade ab Senacherib inferenda, potiùs quàm hiſtorica narratio de clade iam illata; Sed neque ante obſeſſam Ieruſalem, & expugnatam Ægyptum videtur Senacherib obſediſſe, atque expugnaſſe Azotum, tantùm enim dicitur veniſſe contra Iudam, & in eam hoſtiliter fuiſſe bacchatus; Sed in tranſcurſu oppugnare non potuit Azotum, quia via ab Aſſyria in Ieruſalem longè abeſt à Palæſtinæ finibus; hæc enim ad mediterranei maris littora ſita eſt, Aſſyria verò ad Aquilonem ſpectat. Mihi vero ſimilius eſt Azotum ab his Aſſyriorum Regibus captam eſſe, qui decem tribus Iſrael ſubiugarunt, egerúntque captiuas. Nam illis proximæ erant ciuitates Philiſtinorum, contra quos Aſſyrij, ſicut contra alios Iudaici nominis inimicos mercede conducti fuerant. Neque quod de Thartan duce Senacherib obiiciebatur, quicquam vrget. Nam qui dux fuerat priùs Salmanaſſaris, idem poſtea dux etiam eſſe potuit eius filij Senacherib. Quod videmus quotidie, & in Scriptura exempla ſunt aperta. Abner etenim, qui dux fuerat Saulis, dux etiam fuit ipſius filij Isboſeth. Et Banaias qui ſub Dauide fuit dux Cerethi & Phelethi, ſub Salomone filio militum præfectus fuit; quare huc magis inclinat animus.

Senacherib alius à Salmanaſſar.

Licèt Ægyptus, & priùs ſub Senacherib ab Aſſyriis, deinde longè pòſt a Chaldæis vaſtata ſit: tamen vaticinium iſtud non tam ſpectare videtur ſtragem à Chaldæis poſtea, quàm proximè ab Aſſyriis inferendam, quod trium annorum ſpatium, de quo ſtatim, non obſcurè conuincit. Quòd bellum Senacherib contra Ægyptios ſuſceperit, docent ſcriptores externi, de quibus ſtatim: Neque deſunt in Scriptura coniecturæ, quæ id perſuadeant: 3.

deant; conſtat enim 4. *Reg. cap.* 19. caſtra mouiſſe Senacherib contra Æthiopes, qui eo conſilio bellum contra Aſſyrios mouebant, vt auxilio eſſent Iudæis, quos ab illis anguſtiùs vrgeri videbant. Quòd vero idem, quod Æthiopes, Ægyptij tentauerint, non eſt creditu difficile. Quid enim Aſſyriorum legati Iudæos ab ſpe deiicerent, quam in Ægypto locarant, cuius auxilium baculum appellant arundineum, niſi inter Ægyptios, & Iudæos aliquid eſſe ſociale conſtaret? Quod ſi Iudæorum cauſa non laborabant Ægyptij, certè deeſſe non poterant Æthiopibus vicinis, qui ipſis in ſimili rerum articulo auxilio venire ſoliti eſſent, vt liquet *ex Ezech. cap.* 30. *verſ.* 5. neque ex vſu rei Ægyptiæ fore exiſtimabant vicinum habere, & Æthiopiæ dominum hoſtem vſque adeò potentem. Certè veniſſe contra Ægyptios Senacherib tradit Ioſephus *lib.* 10. *Antiquit. cap.* 1. quod etiam docet Herodotus *lib.* 2. vbi ex eo quod audierat ex ſacra hiſtoria miſſo cælitus auxilio deleta fuiſſe caſtra Senacherib poſt orationem Ezechiæ Regis, & Iſaiæ prophetæ, ipſe confingit aliud auxilij genus, item diuinum, quod vires Aſſyrias inutiles reddidit. Idem etiam prodit Beroſus à Ioſepho citatus ſuprà *cap.* 2. Sed in eo videntur decepti hi poſteriores, quia tradunt Senacherib ab Ægyptiis, atque Æthiopibus fuiſſe ſuperatum. Quod credo nullo modo patitur hiſtoriæ ſacræ fides; quia hoc loco non obſcurè prædicit Iſaias à Senacherib vtrumque populum eſſe debellandum. Neque, quæ ſtatim dicuntur, in aliam illius gentis calamitatem conuenire poſſunt. Deinde quia ſi victus eſſet Senacherib, non ſanè rediiſſet in Ieruſalem, neque retuliſſet exercitum vſque adeò copioſum, vt ex eo ab Angelo ſtrata fuerint 185. hominum millia. Neque victores Æthiopes, & Ægyptij paſſuri fuiſſent amicos, & fœderatos obſideri ab eo, quem ipſi tam fœdè, atque ignominioſè profligauiſſent.

4. Cùm ergo Thartan miſſus à Sargon, ſiue hic fuerit Senacherib, ſiue alius Aſſyriorum Rex, Azotum obſideret, & Rex Iudæ ſiue is Ezechias eſſet, ſiue alius, (ego Ezechiam puto, quia anno 6. illius regni expugnata fuit Samaria à Salmanaſſar, & tribus Iſrael, quæ vicinæ erant Azoto, in exilium abductæ) cladem videret cognatæ ſibi, atque vicinæ gentis; neque dubitaret Aſſyrios ſtudio captos, tam opimæ prædæ impreſſionem facturos in alias Iudææ ciuitates, ac tandem in ciuitatem ſanctam, ad Ægyptios, & Æthiopes auxilij, ac renouandæ amicitiæ gratia legatos mitit, nam & illi iam pridem à Salomonis tempore propiùs, atque ſtudioſiùs Hebræorum cauſam intuebantur. Quod nequaquam è re Iudaica fore dicit propheta, vt à Domino ſuorum ſeruatore ac vindice ad hominum impiorum vires ſpem ſuam deriuent. Quare Ægyptiorum, & Æthiopum, quos tutelares ſibi parauerant, infirmitatem, & caſum non ſolùm verbis, ſed etiam corporis habitu peregino, atque indecoro portendit.

5. ᵇ *Vade & ſolue ſaccum de lumbis tuis.*] Mirum ſanè artificium, quo Deus deterrere vult deſperantem illum populum ab inani ſpe. Ex quo licet colligere, quàm parum placeat Domino confidere in Principibus, aut in filiis hominum, in quibus non eſt ſalus. In baculo nimirum arundineo, qui lacerat, non qui ſuſtentat incumbentis manum. Porrò vſitatum eſt in rebus præſertim grauioribus non tantùm verbis prædicere, ſed etiam ſignis, & rebus futura portendere. Quod fecit Oſeas, dum

Signis aliquando loquūtur prophetæ.

ſuſcipit ex fornicatione filios, quibus nomina imponit futuris euentibus accommodata. Et Zacharias dum paſcit priùs occiſionis pecus, & deinde ſumit vaſa ſtulti paſtoris. Et Ieremias onuſtus catenis, & Iſaias, dum natum puerum appellat *feſtina prædari.* Quia quæ oculis ſubiecta ſunt tenaciùs hærent memoriæ, & altiùs animis infiguntur, quàm quæ aurium ſenſus ad animum tranſmittit. Iuxta illud Flacci in Arte.

Segnius irritant animos demiſſa per aurem,
Quàm quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus.

6. *Saccus* eſt qui alibi ſæpe vocatur *cilicium*, veſtis nempe aſpera, & ex caprarum, camelorumque capillis plerumque contexta. *Saccum* verò proprium eſſe prophetarum tegumentum, atque inſigne, liquet apertè ex Zacharia *cap.* 13. Vbi pſeudoprophetæ, vt verorum prophetarum opinionem apud vulgus credulum conciliarent, ſaccum aſſumebant cilicinum. De quibus iam depoſita prophetica larua dicit Zacharias *Nec operientur pallio ſacceno, vt mentiantur.* Tale geſtabat pallium Elias, de quo 4. *Reg. cap.* 1. *verſ.* 8. *Vir piloſus, & zona pellicea accinctus renibus.* Et Ioannes Baptiſta qui ad Eliæ ſimilitudinem veſtem habuit textam è camelorum pilis. Obſeruat autem meritò Hieronymus, idque conſiderandum proponit, quàm prompto animo Iſaias exceperit, impleueritque mandatum vſque adeò graue, vt nudum ſeſe oſtenderet omnium oculis, cùm vir eſſet tantus, tam notus, ex regio ſemine, & regno digniſſimus. Quis ex vulgo ignobili non horreret, omníque ſtudio, atque arte contenderet, ne inſignem illam ignominiam ſubiret. Sed nihil arduum humilibus eſt, nihil fœdum, ac turpe his, qui in explenda diuina voluntate ſummum ſibi honorem, & commendationem conſtituerunt.

Saccus prophetarū inſigne.

Obedientiæ exemplum illuſtre.

7. Hîc nobis non importuna occurrit diſputatio, an hoc loco iuſſus ſit Iſaias omnia protſus indumenta deponere, ita vt omnino nudus ambulauerit. Affirmant Hieronymus, Haymo, Dionyſius, & Adamus; Pintus & Montanus Iſaiæ ſaltem ſubligacula relinquunt. Hugo non depoſitum putat ab Iſaia ſaccum, ſed ita laxatum, vt cilicium appareret, eo fortaſſe modo, quo Rex Iſraël 4. *Regum* 6. *verſ.* 30. cilicium oſtendit. *Scidit* (Rex) *veſtimenta ſua, & tranſibat per murum, viditque omnis populus cilicium, quo veſtiens erat ad carnem intrinſecus.* Mihi videtur non omnino fuiſſe nudus Iſaias, quod putarunt Forerius, & Hugo; ſed tantùm depoſuiſſe extimam veſtem, quæ cilicina erat, & prophetalis, & ſine qua non poterat incedere non indecorè, id eſt, extra dignitatem, noméque propheticum, ac ſi vnus eſſet ex ignobili vulgo. Quomodo *nudus ambulare* dicitur, qui præter morem patrium, ſine toga, ac pallio foras egreditur. Quod ideo mihi perſuadeo, quia in Scriptura talis aliquis dicitur, cum parum abeſt à forma, à qua propriè, & verè talis vocari poſſet. Quomodo capite præcedenti *ſiccum* vocabamus *Nilum*, quando minus haberet aquæ quàm antea ſolitus, aut quàm exigeret agri Ægyptij neceſſitas: Et *ieiunus* dicitur, qui parum comedit; ſicut ſocij Pauli *Act.* 27. in nauigatione *ieiuni* fuiſſe dicuntur 14. dies; quia nimirum toto illo tempore pertenui cibo famem ſuſtentarunt.

Regula. Ab aliqua forma nomen ſumit qui parum abeſt ab illa.

8. Et ne pluribus commemorandis longè vager, in hac eadem voce aperta ſunt exempla. Saul, 1. *Reg. cap.* 19. *nudus* cecidiſſe dicitur tota die, ac nocte, cum prophetis, (ad modum nimirum aliorum prophetarum, qui ſanè nudi non erant,) depoſito amictu

Nudus qui malè, aut indecorè veſtitus.

amictu regio. Et *Geneſ.9.* Noë *nudatus* fuiſſe traditur, quia ab ea parte nudus erat, qua ſe aliis irridendum præbuit. Deinde quis credat Dauid *nudum* ſaltaſſe ante arcam, vt illi obiiciebat Michol, maximè cum dicatur eo tempore indutus Ephod lineo? 2.*Reg.*6. Petrus certè *nudus* non erat omnino cum de eo *Ioannis* 21. ſcribitur: *Simon Petrus cum audiſſet, quia Dominus eſt, tunica ſuccinxit ſe, erat enim nudus.* Quod autem tunc veſtes haberet interiores, docet vox Græca ἐπενδύτην, quæ non quamcumque ſignificat veſtem, ſed illam, quæ ſuper alias inducitur, quale pallium eſt, aut toga. Ita putat Theophylactus, Toletus, & Maldonatus; & Euthymius nudum fuiſſe omnino negat. Erat autem Petrus nudus, ab eo nimirum indumento, ſine quo indecorè occurreret Chriſti oculis: quare accepit ἐπενδύτην, id eſt, *pallium*, quod breuiori veſti, & ad piſcatorium ſtudium expeditæ iniiceret. Obſeruat autem in illum locum Ioannis Theophylactus ἐπενδύτην, linteum eſſe quo Phœnicea, Siriique piſcatores amiciebantur, ſeu nudi eſſent, ſiue veſtiti. Ex quo aliqua lux affulget loco maximè obſcuro, apud Marcum *cap.*14. Vbi dum Chriſtus in horto comprehenderetur, adoleſcens fuiſſe traditur *amictus ſindone ſuper nudum.* Quæ videtur eſſe piſcatoris deſcriptio, qualis erat Petrus, cùm ad Chriſtum properauit, à nauicula; & quali vtebantur habitu aliqui ex diſcipulis, quorum è numero multi piſcatores erant. Neque incredibile eſt, cùm Chriſtum ſequerētur, familiare, ac notum ſuæ artis indumentum non abieciſſe. Dum ergo adoleſcens fugiſſe dicitur *cum ſindone ſuper nudum*, id eſt, ſuper breuiorem, & interiorem tunicam, indicatur meo iudicio fugiſſe aliquis è duobus diſcipulis Ioannes, ſeu Iacobus, quia hi duo cum Petro à reliquis aſſumpti à Chriſto fuerant, & artem exercebant piſcatoriam.

Ioan.21.

Piſcatoribus linteū amiculum familiare.

Marc.14.

9. Accedit quod ea eſt loquendi conſuetudo etiam apud externos: ab exemplis abſtineo, Vnus ſufficiet Seneca, qui id verbis tradit, & docet expreſſis. *lib.5. de beneficiis, cap.13. Quædam*, inquit, *etiamſi vera non ſint, propter ſimilitudinem* (adde tu & propter vicinitatem) *eodem vocabulo comprehenſa ſunt. Sic illiteratum non ex toto rudem, ſed ad literas altiores non perductum, ſic qui male veſtitum, & pannoſum vidit, nudum ſe vidiſſe dicit.* Quid clarius, magiſque ad noſtram ſententiam? Accedit, quod ſi Deus prioribus verbis omnino prophetam futurum eſſe nudum ſignificaſſet, fruſtra addidiſſet, *& diſcalceatus*; quia omnino nudus, pedum quoque caret integumento. Deinde habitus, quem aſſumere iubetur propheta, deſignabat captiuorum habitum, quem habituri erant Æthiopes, & Ægyptij apud externos dominos; At captiui non tam nudi erant, quàm male veſtiti, aut certè induti breui, atque aſtricta tunica, & ad ſeruiendum idonea, qualem credo geſtatam ab Iſaia.

10. Fuit ergo Iſaias nudus, ita tamen vt in eo nihil eſſet non tectum; quod pudor, aut modeſtia apertum eſſe prohiberet. Nudus quidem à ſacco, & prophetali amictu, qui ſeruilibus miniſteriis parum idoneus, non tamē à breuiori tunica, quæ inſigne eſt, & tegumentum ſeruulorum. Neque tamen illa res facilis fuit, aut obedientia non grauis: quia non leue eſt præclari muneris, quale propheticum eſt, indumentum deponere: quemadmodum ſi iuſſus eſſet monachus depoſita veſte ſuæ profeſſionis inſigni, cum interiori tantum tunica in publicum prodire: maximè cùm ad hæc quoque accederet

A nuditas pedum, quæ in regione illa petricoſa, & aſpera non poterat eſſe ſine graui moleſtia.

Quantum temporis ea ratione nudus Iſaias inceſſerit, non conſtat. Quidam tres annos totus cenſent, in quibus Foreirus eſt. Alij ferme omnes cum Hieronymo putant tres tantùm fuiſſe dies, quo ſuæ nuditatis triduo propheta triennij ærumnas, & ignominiam Ægypto, atque Æthiopiæ portendebat; ita vt dies computaretur pro anno. Sicut Ezechiel *cap.4. verſ.6.* quadraginta dierum ſomno ſupra dextrum latus ſignificauit, ab eo tempore ſupereſſe quadraginta annos captiuitatis Babylonicæ. *Dormies*, inquit, *ſuper latus tuum dextrum ſecundò, & aſſumes iniquitatem domus Iuda quadraginta diebus, diem pro anno, diem inquam pro* B *anno dedi tibi.* Sicut etiam propter quadraginta dies, quibus exploratores terram Chananitidem luſtrauerunt, totidem annos errauerunt in deſerto increduli, & nimiùm peruicaces Iudæi. 11.

^c *Trium annorum ſignum atque portentum erit ſuper Ægyptum & ſuper Æthiopiam.*] *Portentū* non tam eſt euentus futuri ſignificatio, quæ verbis fit, quàm quæ prodigiis, & ſignis. Hoc autem ſigno, aut portento in Iſaia nudo ſtatus ſignificabatur captiuæ gentis, & in ſeruile miniſterium compactæ. Eſt autem mihi veriſimile, apud truces illos, neque admodum ad humanitatem excultos populos, captiuos homines, aut empta mancipia nudis corporibus aut non ſatis velatis ſolere traduci ignominiæ cauſa. Quomodo Romani à Samnitibus C ſub iugum acti ſunt. Liuius *lib.9.* & Equi à Tuſculanis apud eundem *lib.3.* Aut certè dum captiui alieno premuntur imperio, tali ornantur amictu, qualem ſeminudus geſtabat nunc Iſaias. Nam, vt *cap.3.* vidimus, lautis, & ambitioſis fœminis dum captiuitas intentatur, & ſeruitus, ſimilis ignominia proponitur. vbi enim Vulgatus modeſtè tranſtulit *crinem earum nudabit*, omnes penè interpretantur, *inhoneſta, & turpia.* Et *cap.47.* de Babylone captiua dicitur, *denuda turpitudinem tuam, reuela crura, diſcooperi humerum.* Et idem dixit Nahum *cap.3. verſ.5.* quod per hyperbolem dictum exiſtimo quaſi ſignificetur, populos quondam lautos alijs futuros eſſe ludibrio. Quis enim credat gentem non inelegantem, neque à ciuili diſciplina alienam D permiſſuram, vt publicè ancillæ, aut ſerui cum tanto dolore, atque dedecore nobilium oculos ſpecie vſque adeò fœdè atque indignè pudefacerent? 12.

Captiuorū ignominioſa nuditas.

Quod attinet ad triennale ſpatium, quidam putant Ægyptios tres annos ſubituros illam ſeruitutem, deinde ad priſtinam dignitatem, & gloriam eſſe redituros. Alij poſt tres annos ab hoc vaticinio ſeu portento aduenturam eſſe calamitatem, quam illa prophetæ nuditas portendebat. Et hoc mihi videtur non improbabile, quia nihil video, quod huic cogitationi contradicat. Sed quia neque ab hiſtoria ſacra, neque à prophana aliquid habemus, quod ſententiam hanc aut aſtruat, aut confirmet, præter hunc Iſaiæ locum, qui nonniſi obſcurè admodum illam ſignificat, ideo cum Hieronymo dicendum puto, non poſt tres annos graſſatura eſſe E Aſſyriorū arma per Ægyptiam, atque Æthiopicam prouinciam, ſed trium annorum ſpatio duraturum bellum, quod prouincias illas exhauriet, & vaſtabit, & in illam calamitatem, & ludibrium adducet, de quo hic propheta. Quòd autem triennale ſpatium apud Ægyptios, & Æthiopas moratus ſit Aſſyrius, oſtendit apertè Iſaias *cap.37. verſ.30.* Et 4.*Reg.19. verſ.29.* dum poſt tertium annum dixit, 13.

Tres annos poſuit Senacherib in debellādis Ægypto, & Æthiopia.

ſoluen

ſoluendam eſſe metu Ieruſalem, qui ſanè numerandi ſunt ab eo tempore, quo Tharaca Rex Æthiopiæ Aſſyrios ſummouit ab obſidione Ieruſalem: quo tempore iſta locutus eſt Iſaias, *Comede* (inquit ad Ezechiam) *hoc anno quæ repereris: in ſecundo autem anno, quæ ſponte naſcuntur: porrò in tertio anno ſeminate, & metite.* Nempe quia iam eo tempore pacata erunt omnia, & ſoluta à metu. Quod ſane ita accidit: nam ſtatim, atque ab expugnanda Ægypto rediit Aſſyrius deleto ab Angelo eius exercitu, tutò agri Solymitani ſeminari potuerunt. Ad hæc accedit quoque Ioſephi autoritas qui diu Aſſyrium commoratum eſſe tradit in ſubiuganda Ægypto, *lib. 1. Antiquit. cap. 1.*

d *Diſcoopertis natibus ad ignominiam Ægypti.*] Qualis futura ſit hæc ignominia, & quam olim vſitata diximus *cap. 3. num. 28. & cap. 47. num. 6.* Illa conſule.

14\. e *Et timebunt, & confundentur ab Æthiopia.*] Iudæi qui ſibi ab Ægypto, & Æthiopia nihil non promittebant contra vites Aſſyrias, vbi viderint vſque adeò ignominioſè atque latè concidiſſe, ſpem, & animos abiicient; & ſi quid eſt mentis pudefient quod in baculo arundineo, eóque confracto ſpem ſalutis antè locauiſſent.

15\. f *Et dicet habitator inſulæ huius.*] *Inſula* vocatur Ieruſalem, non quia cincta ſit mari, vt nonnulli putabant, propter tria maria, quæ vicina habuit: mare videlicet mediterraneum, mare mortuum, & mare

A te Tiberiadis. Communiter alij metaphoricè *inſulam* vocari putant: quemadmodum inimicorum vires, & exercitus dicuntur *inundantes fluuij*, vt in hoc propheta ſæpe: & Babylon ſtatim capite proximo vocatur *deſertum mare*, & Perſicus exercitus *mare* item dicitur: *Ierem. cap. 15. verſ. 42.* Vt ergo inſula vndique feritur vndarum appulſu, quas habet vicinas; ſic Ieruſalem ab hoſte vicino, continenti penè appetitione laceſſitur, & non diu poſt hoc tempus ab Aſſyrio, cuius exercitus *aquæ fortes, & torrentes* dicuntur, *Iſaiæ 8. verſ. 7. Dominus adducet ſuper eos aquas fluminis fortes, & multas, Regē Aſſyriorum, & omnem gloriam eius.* Seu certè, quia in vaſto pelago inſula tantùm extat è mari, quia cætera obruuntur fluctibus, ſic cùm fluctus Aſſyrij ſub Se-

B nacherib, de quo actum eſt in hoc capite, finitimas Iudææ ciuitates obruiſſet, vna ex omnibus Ieruſalem ab ea tempeſtate incolumis fuit. De qua Ieruſalem à Senacherib obſidenda, & inſtar inſulæ cingenda bellorum fluctibus, ſub alia metaphora, non longe diſſimili locutus eſt Iſaias, ſuprà *verſ. 8. Ibit per Iudam inundans, & tranſiens vſque ad collum veniet.* Vt enim terræ operiuntur marinis fluctibus vſque ad caput, & collum, nempe vſque ad inſulas, quæ in mari colli, ac capitis inſtar obtinent; Sic Ieruſalem obrutis ciuitatibus aliis ab inundatione, ipſa tanquam omnium caput, aqua ad collum vſque intumeſcente, licèt appetita vehementer, demerſa tamen non fuit.

Argumentum vigeſimi primi capitis Iſaiæ.

*R*EFERT *iterum propheta vaticinium ad Babylonem, de cuius interitu ſuprà cap. 13. affirmátque breui tantam illam molem à Perſis, & Medis exciſum iri. Cuius ſic erit lamentabilis caſus, vt hoſtium quoque inſenſos animos ad dolorem, & lacrymas commouere poſſit. Quare ait ſibi propheta graui dolore fuiſſe Babylonicam cladem; quam eleganti, & oratorio planè artificio deſcribit; proponit enim ſpeculatorem ex edito loco proſpectantem, clamantémque & hoſtium acceleratum, & præcipitem curſum, & apparatum bellicum: ex eóque coniectantem ruituram extemplò ciuitatem; imò iam grandi collabentem ruina. Ex hoc gradum facit ad Idumæos quibus vaſtitatem prædicit, oſtenditque, quo ſe modo contra hoſtiles acies communire debeant. Ad extremum denique caput, Arabibus, ac Cedarenis interitum minatur, quia Iſraelitas, qui extorres à patria, & omnium rerum indigentes ad ipſos ſupplices acceſſere, nullo vitæ, ſalutiſque ſubſidio releuarunt.*

CAPVT XXI.

1 a ONVS *deſerti maris.*

b *Sicut turbines ab Aphrico veniunt,* c *de deſerto venit, de terra horribili.*

3 d *Viſio*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 DVRVM vaticinium contra Babylonem, quæ cùm priùs, ſicut mare rebus omnibus abundaret, tamen ſic erat ab hoſte vaſtanda, vt nihil iam videretur amplius, quàm ſolitudo, atque deſertum.

2 Sicut ab Auſtrali plaga, id eſt, à deſerto cōcitati, atque violēti turbines feruntur, qui obuium quodque turbant, & inuoluunt, ſic vaſtitas in onere ſignificata, de terra horribili, de Perſide nimirum, & Media, in fines Babylonicos irrumpet.

3 Species

3 Species dura, ac flebilis oblata eſt mihi, & vaticinium hoc minax. Vt Babylonius incredulus eſt,& infidelıter agıt,ſic Medus, aut Perſa depopulator eſt,& Babyloniam vaſtat.

4 Aſcende contra Babylonem, ô Perſa, obſidione cinge Babylonem, ô Mede, eò redigam Babylonicam gloriam inſperata ruina, vt & ſtupor auferat plorandi facultatem, & nullus ſit, qui cadentium funeri lachrymas impendere,aut exequias poſſit.

5 Ea erit Babylonis ſtrages,vt illam ſine graui dolore ſpectare, aut etiam cogitare nequeam, vtcumque illa de populo meo merita ſit. Quare ſic mihi lumbos diſſoluit, atque excruciat mœror:ſic dolor vehementer vrit,& exagitat, vt videar mihi talia ſuſtinere, qualia mulier in duro, atque difficili puerperio. Deiecit me de ſtatu meo horribilis illa vox,quę mihi Babylonis nunciauit interitum; conturbauit grauiter animum ſpecies illa, quæ de Babylonis repentino caſu oculis meis oblata eſt.

6 Cor meum horror quidam ingens liquefecit, obortæ ſunt oculis meis ex ſubita, atque inſperata ruina Babylonis craſſæ,& obſcuræ tenebræ, & inde iniectus animo ſtupor. O Babylon multis antè nominibus deſiderabilis propter ingentes opes,& ornamenta varia, quomodo non minorem admirationem attuliſti de tuo ſtatu repentè collapſa, quàm priùs apud homines de tua gloria,atque ſplendore concitaueras.

7 Sternes tibi menſam ô Balthaſar, ſed inter pocula ſpeculaberis in pariete deſcripta verba, verba,quę tuæ vitæ modum,& Babylonici imperij finem denuncient: interim autem dum tu feralibus epulis nocturnam dabis operam, ſurgent Medorum, atque Perſarum Principes, qui arrepto clypeo,& omni militari apparatu, repentinum tibi, tuæque ciuitati afferent interitum.

8 Neque hoc tibi ô Balthaſar temerè,aut ſine fundamento prædico:hoc enim à Domino mandatum eſt mihi his verbis:Vade ô Iſaia, & intuere quid ego abs te indicari velim: quaſi ſi quis intueatur ſpeculatorem, vt quodcumque ſignificari à ſpeculatore conſpexerit, id aliis annunciet.

9 Et vidit ſpeculator, à quo idipſum ego didici, currus duorum equitum: currum aſini, in quo alter eques Cyrus Perſa, & currum cameli, in quo Darius Medus vehebatur.

10 Et clamauit ſpeculator ille, qui impendere videbat ciuitatis ruinam, quemadmodum ſi leo fremat, ſuóque rugitu concutiat mortalium animos:Ego vobis ſum,ô Babylonij,quaſi ſpeculator,quem Dominus in loco ſublimi excubare, ac rerum euentus proſpectare iuſſit. Cui ego curæ ſic conſtanter inuigilo, vt diu, noctúque perpetuas agam, & attentas excubias.

11 Audi nunc,ô Babylon, hunc leonis fre-
mitum

3 [d] *Viſio dura nuntiata eſt mihi.* [e] *Qui incredulus eſt, infideliter agit; & qui depopulator eſt, vaſtat.*

4 [f] *Aſcende Aelam,obſide Mede;* [g] *omnem gemitum eius ceſſare feci.*

5 [h] *Propterea repleti ſunt lumbi mei dolore, anguſtia poſſedit me ſicut anguſtia parturientis:* [i] *Corrui, cùm audirem; conturbatus ſum, cùm viderem.*

6 *Emarcuit cor meum; tenebræ ſtupefecerunt me.* [k] *Babylon dilecta mea poſita eſt mihi in miraculum.*

7 [l] *Pone menſam,* [m] *contemplare in ſpecula,* [n] *comedentes, & bibentes: ſurgite principes,* [o] *arripite clypeum.*

8 *Hæc enim dixit mihi Dominus:* [p] *Vade, & pone ſpeculatorem; & quodcunque viderit, annuntiet.*

9 [q] *Et vidit currum duorum equitum aſcẽſorem aſini, & aſcenſorem cameli:* [r] *& contemplatus eſt diligenter multo intuitu.*

10 [ſ] *Et clamauit leo,* [t] *Super ſpeculam Domini ego ſum, ſtans iugiter per diem; & ſuper cuſtodiam meam ego ſum, ſtans totis noctibus.*

11 [v] *Ecce iſte venit aſcenſor vir biga equitum,*

tum, [x] *& reſpondit, & dixit:* [y] *Cecidit cecidit Babylon,* [z] *& omnia ſculptilia Deorum eius contrita ſunt in terram.*

mitum ex ſpecula rugientis. Ecce iam aduentare video, atque in vrbem irrumpere bigarum aſcenſores. Qui etiam addit id quod Babylonicam ſocordiam, & importunas epulas, & Perſarum ſtrenuam operam conſequitur. Cecidiſſe video ſubita ruina Babylonicam molem, & eius impura, atque nefaria ſimulacra cum ipſa pariter in terram abiecta.

12 [aa] *Tritura mea, & filij areæ meæ, quæ audiui à Domino exercituum Deo Iſrael, annuntiaui vobis.*

12 Nunc ad vos redeo, viri Iuda, qui tribulationibus excocti, & quaſi frumentum in area purgati poſt varia rerum diſcrimina ad redintegram gloriam reducemini, longè aliter ac Babylonij; qui ex illo tam graui caſu nunquam reſurgent. Quæ audiui à Domino, hæc vobis annuntio, quæ nimirum fidem ſunt habitura certam, & ratam.

13 [bb] *Onus Duma* [cc] *ad me clamat ex Seir:* [dd] *Cuſtos, quid de nocte? cuſtos, quid de nocte?*

13 Prophetia dura contra Idumæos. Videre iam videor clamantes Idumæos ad me, quem Dominus ſpeculatorem conſtituit, quaſi de inimicorum aduentu dura, neque ſine magno ſuo merito metuentes. Sic itaque ad me de Seir. Quid, ô ſpeculator, nobis de noſtro ſtatu in hac nocte ſignificas? Ecquid de hoſtibus exploratum habes? viuimúſne, an funditus periimus?

14 *Dixit cuſtos:* [ee] *Venit mane, & nox:* [ff] *Si quæritis, quærite: conuertimini, & venite.*

14 Quibus cuſtos ſic cum obiurgatione reſpondit; Venit mane, & quæritis de hoſtibus; venit nox, & hoc ipſum repetitis; neque tamen interea ad declinandum malum aliquid opportuni præſidij comparatis. Quare ſi effugium quæritis ab impendente malo, quærite illa ab ſpeculatore, quæ vos noſſe maximè intereſt, & illa quærite ſeriò, ac verè, quæ vobis munimento eſſe poſſunt contra hoſtiles acies, & tunc demum venite potentibus inſtructi armis, non molli, atque muliebri eiulatu.

15 [gg] *Onus in Arabia.* [hh] *In ſaltu ad veſperam dormietis;* [ii] *in ſemitis Dedanim.*

15 Prophetia minax contra Arabes. Aderit tempus, ô viri Iſraël, in quo à patriis ſedibus extorres, in alieno ſolo, in regione videlicet Dedanim, quæ eſt in Arabia, ſub cœlo inaperto, ac ſylueſtri loco dormietis.

16 [ll] *Occurrentes ſitienti ferte aquam, qui habitatis terram Auſtri, cum panibus occurrite fugienti.*

16 Vos ergo qui regionem incolitis Auſtralem, ad quam Arabia pertinet, aquam porrigite ſitienti populo in arida, atque æſtuoſa viâ; proferte panem illis, quos hoſtilis furor in fugam dedit, quibúſque ſibi de victu propter mortis metum prouidere non licuit.

17 [mm] *A facie enim gladiorum fugerunt, à facie gladij imminentis, à facie arcus extenti, à facie grauis prælij.*

17 Non aduenerunt, ô Arabes, ad vos, aut prædandi ſtudio, aut leuibus de cauſis; ſed vt imminentis fati periculum declinarent; Inſtabat enim à tergo diſtrictum ferrum, intentus arcus, & graue vndecumque certamen.

18 *Quoniam hæc dicit Dominus ad me:* [nn] *Adhuc in vno anno quaſi in anno mercenarij;* [oo] *& auferetur omnis gloria Cedar.*

18 Quæ quia in profugos, & ſupplices non præſtitiſtis, hæc per me vobis, ô Arabes, Dominus denuntiat. Ab hac Iſraelis fuga, vbi vnus exactus annus fuerit, qui vos ſic iactabit, & afficiet crudeliter ſicut mercenarius annuo labore, à ſeuero, atque auaro Domino exerceri ſolet, eandem ſubibitis fortunã, qua ab hoſte crudeli

19 [pp] *Et*

perfuncti ſunt Iſraelitæ; ac tandem omnium Cedarenorum gloria deficiet.

19 Et pauci illi, qui ex Cedareno ſemine ex cæde ſupererunt, qui ſanè facilè præ paucitate numerati poterunt, licèt robuſti, & artis ſagittandi periti, in eáque diu, ac multùm exercitati, minuentur tamen à potentiori manu, neque his verbis pondus, aut fides deerit; Dominus enim, hæc per me verba locutus eſt.

19 [pp] *Et reliquiæ numeri ſagittariorum fortium de filiis Cedar imminuentur: Dominus enim Deus Iſrael locutus eſt.*

IN CAPVT VIGESIMVM

PRIMVM COMMENTARIVS.

1. EGERAT propheta *cap.* 13. *& cap.* 14. de excidio Babylonico, refert iterum ſe ad idem argumentum, & miris affectibus tanti imperij ruinam deſcribit & deplorat. Idque eo conſilio, vt putat Cyrillus, vt contribules ſuos, qui à Babylonica potentia in rebus anguſtis præſidium ſperabant, ab ea ſpe, cogitationéque deduceret propoſita fœda, atque inopinata tanti imperij mutatione. Fuiſſe autem eo tempore, & ante Nabuchodonoſoris dominatum Babyloniæ Reges non infenſos, ſed potiùs beneuolos Iudaico nomini, docuit Rex Merodach, qui *Iſai. cap.* 39. legatos ad Ezechiam miſit ex Babylone, qui illi de recuperata valetudine gratularentur; aut certè, quia cùm nollent iam Iudæi edocti ab Iſaia diuturnum ſibi exilium apud dominos duros in Babylonia, iterat propheta illa, quæ priùs, vt eorum exitio, & dolorem ſolarentur ſuum, & ſpem de reditu maiorem conciperent. Quare cùm de aliis nationibus minùs ſæpe, de Babyloniis identidem ſermo propheticus recurrit.

2. [a] *Onus deſerti maris.*] Multa ſunt in hoc capite, quæ prophetiam hanc apertè indicant eſſe de Babylone, & ita communiter cenſent interpretes; Sed non eſt adeò facile ſtatuere cur Babylon dici poſſit *mare*. Quidam eò inclinant, ideo nomen *maris* impoſitum eſſe Babyloni, quia ſicut in mare fluuij vndecumque terrarum influunt, & licèt eos latis, atque hiantibus faucibus perpetuò exorbeat, aliquid tamen amplius ſemper videtur expetere: Sic potentiſſima illa ciuitas, cùm opes exhauriat quotidie infinitarum propè nationum, quas habet vectigales, aliquid tamen ſemper appetit, & ad dilatandos ſinus nouas quotidie comparat copias. Alij ideo *mare* vocant, non iam figuratè, ſed magis propriè iuxta ſermonis Hebraici proprietatem: quia ibi aquarum abundantia, & congregatio eſt: Hebræi autem eiuſmodi congregationem *mare* vocant. Quo modo Iordanis aquæ ſtagnantes in Pentapoli *mare mortuum*, & quæ ad Tiberiadem in ſinus ſe latè porrigunt, & diffundunt, *mare Tiberiadis* appellant. Immo & balneum ingens, quod ad ſacerdotum vſum erat in templo, ex eadem proprietate *mare* dicebatur *æneum*. Cùm autem magnus fluuius Euphrates ciuitatem interfluat, & ad varios vſus in agros Babylonicos deriuetur, non incommodè Babylon *mare* vocari

Mare omnis aquarũ congregatio.

A potuit. Neque parum huic ſententiæ fauet Ieremias *cap.* 51. qui cùm idem quod Iſaias tractaret argumentum, ſic de Babylone *verſ.* 13. *Quæ habitas ſuper aquas multas, locuples in theſauris.* Quo loco non tam appellatur *mare* Babylon, quàm *ciuitas in mari*, id eſt, in aquarum ſtagnis ædificata. Porrò ſicut hîc Iſaias, ſic Ieremias ſuprà *verſ.* 36. Babylonem vocat *mare deſertum. Deſertum*, inquit, *faciam mare eius.*

Licèt hæc vera putem, reique naturæ ſermoniſque conſuetudini accommodata, credo tamen, quod cum Hieronymo, ac Cyrillo plures alij cenſent, metaphoricè Babylonem dici *mare* propter B multitudinem ciuium, loci amplitudinem, ædificiorum inſaniam, quæ non ſolùm in prouerbium, ſed etiam in miraculum abierunt. Et quidem quæ magna ſunt prouerbiali ſpecie in omni ferme lingua, aut *mare* dicuntur, aut cum *mari* comparantur. Vnde ſicut ad explicandam malorum abundantiam adhibetur prouerbiali modo *Ilias*, aut *Lerna malorũ*: ſic etiã *pelagus* aut *mare malorum*. 3.

Porrò hoc loco ſecus quàm Ieremiæ *cap.* 51. *verſ.* 36. *deſertum* non eſt participium, aut adiectiuum nomen, ſed ſubſtantiuum, id eſt, *ſolitudo*, aut *eremus*. Hebr. מדבר *midbar*. Sed eſt idem ſenſus, atque ſi adiectiuum eſſet, immò ſignificantior. C Hîc enim videtur agere propheta cum Babylone, ac ſi iam omnino eſſet ſolitudo, & vaſtitas, nimirum ſpoliata ab his ornamentis, propter quæ *mare* dici potuit; Ac ſi diceret, onus, ſeu minax prophetia contra illum populum, qui cum priùs ſicut mare rebus omnibus abundaret, tamen ſic erat ab hoſte vaſtandus, vt nihil iam videretur amplius, quàm ſolitudo, & vaſtitas. 4.

[b] *Sicut turbines ab Aphrico veniunt.*] Exprimitur ſatis ſignificanter, & grauiter celeritas illorum, qui Babyloni afferent præſens exitium; Cùm autem in Scriptura *ventus* pro magna celeritate ſumatur, quo ſenſu *Pſal.* 103. de Deo dicitur. *Qui ambulas ſuper pennas ventorum.* Et Nahum *cap.* 1. *Dominus in tempeſtate, & turbine via eius.* Zacharias *cap.* 9. *Et vadet in turbine Auſtri*, ſed in *turbine* ſignificatur maxima, qui ſanè ventus concitatiſſimus, ac violentiſſimus eſt, qui in gyrum actus præceps voluitur, & quidquid habet obuium proruit, ac ſternit. Hic autem abruptus inchoandi vaticinij modus maximam indicat celeritatem, qua tanti imperij moles collapſa eſt. 5.

[a] *De*

6. ᵃ *De deſerto venit, de terra horribili.*] Hæc refero ad *onus*, de quo priùs, quod pro vaſtitate, aut graui aliquo infortunio ſumitur; hoc ſenſu: Non aliter malum in *onere* denunciatum properat, quàm turbines veniunt. Cætera obſcura non ſunt: Illud *de deſerto*, non faciles habet explicatus; Neque enim quò referendum eſt, aut quomodo diſpungendum conſtat. Si ita diſpungas, vt communiter in Latinis codicibus, ita vt clauſula incipiat *De deſerto*, indicatur à deſerto ingruere exitium Babyloni, quod quomodo verum eſſe poſſit, non video, quia licèt, vt quidam exiſtimant, inter Babylonem, & Perſidem, à qua profecta ſunt caſtra, quæ Babyloniam exciderunt, vaſtæ intercedant ſolitudines, tamen *deſertum* in Scriptura ſacra certam deſignat ſolitudinem Hebræorum nobilitatam peregrinatione: à qua longè aberant Medi, & Perſæ. Præſertim quia pro *deſerto* Hebr. eſt נגב *negeb*, quæ *meridiem* ſignificat: ex qua plaga Perſis ad Babylonios iter non eſt. Quare mihi aliter videbatur diſpungenda clauſula. *Onus deſerti maris ſicut turbines veniunt de deſerto, ſic venit de terra horribili.* In hanc ſententiam, non aliter vaſtitas in hoc minaci vaticinio prædicta venit contra Babyloniam, quàm à deſerto, aut plaga meridionali venire ſolent rapidiſſimi turbines.

7. Prouerbiũ. Pro qua ſententia notandum eſt, terram, quæ ab Auſtro reſpicit Palæſtinam, deſertum eſſe magna ex parte, & infrugiferam: quæ à meridie terminat terram promiſſionis, in qua excitari turbines ſolent, qui in regione arenoſa, atque arida maximè conſpicui ſunt. Vnde credo turbines ex ea regione commotos propter impetum, aut quia maximè incitatum atque præcipitem, aut quia excitato, & circumacto puluere maximè aſpectabilem, abiiſſe in prouerbium, quo ſumma indicatur celeritas. Sanè ab Auſtrali regione tempeſtates prouenire docet Iob *cap* 9. vbi cum Arcturo, Orione, atque Hyadibus nimboſis ſignis coniungit *interiora Auſtri*, ſiue vt L x x. vertunt *promptuaria*, vnde nimirum tempeſtates erumpant, ſicut ab inſula Æolia nugantur Poëtæ. Sic enim ibi, *Qui facit Arcturum, & Oriona, & Hyadas & interiora Auſtri.* Cui ſi adiungas, quod idem tradit *cap.* 37. non difficilem hanc ſententiam efficies *ab interioribus* (nempe Auſtri) *egredietur tempeſtas.* Pagninus vertit *à meridie veniet turbo.* Neque fortaſſe alius eſt ſenſus *Pſal.* 125. cum dicitur. *Conuerte, Domine, captiuitatem noſtram ſicut torrens in Auſtro.* Nam Hebr. pro *torrente* eſt אפיק *aphik*, quæ vox aliquid ſignificat, cui impetus ineſt, aut violentia, quare aut *procellam* ſignificat, aut *nimbum vehementem*, aut *aquam incitato curſu de monte præcipitem.* Sed quocumque accipias modo, hac voce celeritas indicatur maxima. Erit ergo ſenſus, vt ego exiſtimo, illius pſalmi. Redeamus tua benignitate, Deus, ab exilio ea celeritate, qua procella ſeu turbo irruunt, quæ erumpunt ab Auſtrali plaga. Quòd vero *Auſter* pro *deſerto* ſumatur Iudæorum memoria notiſſimo, in quo longam traxerunt, atque moleſtam moram, quod etiam *Pharam* dicitur, conſtat meo iudicio ſatis ex Abacuc *cap.* 3. Vbi per epexegeſim, qui priùs dicebatur *Auſter*, ſtatim appellatur *Pharam. Dominus ab Auſtro veniet, & ſanctus de monte Pharam.* Qui locus ſatis eadem prouerbiali ſimilitudine oſtendit, quo impetu, ac celeritate Dominus venturus ſit, eo nimirum, quo nimbus aut turbo à deſerto vibratur

Ab Auſtro tempeſtates. Iob cap.9.

Pſal.125.

8. Vt ergo ad propoſitum Iſaiæ locum redeamus, ex his talem mihi videor poſſe colligere ſententiam, eodem impetu venturum eſſe *onus*, id eſt, durum vaticinium, ſeu quod idem eſt Perſas, & Medos contra Babylonios, quo turbo *à deſerto*, ſeu Auſtrali plaga rotari ſolet. In quam explicationem cum Hieronymo alij quoque conſentiunt.

9. Neque fortaſſè alius erit ſenſus, licèt paulò obſcurior, ſi communem retineas diſtinctionem dummodo per zeugma repetas illud *de deſerto* hoc modo, *Sicut turbines veniunt de deſerto, de deſerto veniet onus illud, & de terra horribili.* (vocatur autem deſertum *terra horribilis*, ſeu quod idem eſt *terra horroris. Deut.cap.*32.) quo loco deſertum, & horribilem terram pro *Perſide*, & *Media* ſumi puto: vnde hoſtes contra Babylonios arma mouerunt, quia Babyloniis, Perſæ, & Medi fuerunt, quod Hebræis turbo aut procella, quæ à deſerto ingruit. Vbi ſubaudienda eſt ſimilitudinis nota, quæ ſæpe omittitur ab Hebræis. Cui ſententiæ meo iudicio non parũ fauet Ieremias *c.*51.*verſ.*37. qui Babyloniæ à Perſis Mediſque vaſtatæ id tribuit, quod in arenoſis, aridiſque regionibus contingere ſolet à turbine, ſiue ab incitato vento: nempe vt in mari aquarum, ſic in arido ſolo voluantur arenarum cumuli: Sic enim ibi Ieremias, vt in ſuis commentariis in hunc locum exponit Hieronymus. *Et deſertum faciam mare eius, & ſiccabo terram illius, & erit Babylon in tumulos arenarum.*

10. ᵈ *Viſio dura nunciata eſt mihi.*] Quidam hæc verba Babyloni aſcribunt, quæ edocta de impendente ſibi ruina dolet; Neque id diſplicet Hieronymo; ſed mihi magis expeditum videtur, quod aliis ferme omnibus placet, ſi hæc verba prophetæ eſſe dicamus, cui onus reuelatum eſt non tam ipſi, quam Babyloni dutum. Neque video quid in toto capite cum hac explicatione non conſentiat.

11. ᵉ *Qui incredulus eſt infideliter agit: & qui depopulator eſt vaſtat.*] Hieronymus hunc locum ſic etiam commodè conuerti putat *qui cadis cade, qui vaſtas vaſta.* L x x. *præuaricans præuaricatur: iniquus inique agit*; Alij aliter vertunt; ſed puto ſenſum, aut eumdem eſſe, aut non admodum diuerſum. Quem priuſquam propono, obſeruo à pleriſque vtramque partem huius clauſulæ ad Perſas, & Medos accommodari, ita vt illi dicantur *præuaricatores, infideles, populatores*, &c. vt qui bellum intulerint regi Babylonis, cui parere potiùs debuiſſent, aut cum quo ſocietatem & fœdus iniiſſent aliquando. Neque ad hanc cogitationem coniecturæ deſunt in Scriptura. Nam capite ſequenti *verſ.*6. Perſæ dicuntur cum Chaldæis veniſſe contra Ieruſalem, qui ab Hebræis *Elamitæ* dicuntur. *Et Elam ſumpſit pharetram.* Accedit quod Nabuchodonoſor primo anno regni ſui oppugnauit Arphaxad Regem Medorum *Iudith cap.* 1. quare veriſimile eſt eos habuiſſe, aut ſubditos, aut fœderatos. Sed vt fœderati fuerint, & ſociali ſacramento obligati Babylonio Regi (quod non puto, quia mihi probabile eſt bellum illud contra Arphaxad contigiſſe poſt ſolutam captiuitatem, vt latè probat Ribera *in cap.* 2. *Nahum num.* 31.) fieri tamen potuit, vt longo illo tempore quod interceſſit ad Cyrum vſque, ſolutúmque populum, ſoluta fuerit, ſi qua fuit inter Babylonios, Medóſque ſocietas, immò, vt tradit Herodotus *in Clio*, Crœſus contra Cyrum auxilium à Babyloniis ſibi fœderatis petere ſtatuerat. Quidam putant à Babylonio Rege Balthaſare compoſita iam pace Cyrum & Darium ad conuiuium fuiſſe vocatos, à quibus per inſidias

cùm nihil timendum eſſe putaret extinctus eſt. Quod falſum eſſe ſtatim dicemus ad illud *comedentes & bibentes.*

12. Mihi non apparet vlla ratio, cur verbum illud contumelioſum, & illiberale in præclaros duces conferatur, neque ex autoribus, qui res Babylonicas, & Perſicas ſcripſis prodiderunt, quemquam inuenio, qui fœderis meminerit inter nationes illas aliquando percuſſi, ita vt accuſati violati fœderis, aut *præuaricatores*, & *infideles* dici tanti Principes debeant.

13. Si de præuaricatore, ac perfido hic eſſet ſermo, potiùs crederem agi hoc loco de Gadata, & Gobria, quàm de Cyro, & Dario. Nam hi Babylonij erant, & ad Cyrum transfugerant, qui vt vrbis, viarúmque periti omnium primi in vrbem, & in Regiam domum irrepſere, oppreſſeréque Regem incautum, vt tradit Xenophon *lib. 7. Cyropæd.* Ad quam cogitationem nonnihil facit alluſio non inelegans in verbo שדה *Sadah*, quod *vaſtare* ſignificat, ad nomen Chaldæorum, quia ab ea radice vocantur כשדים *caſdim*, quaſi *vaſtatores*, perinde ac ſi dicat propheta de Gadata, & Gabria Chaldæis, *præuaricabitur Chaldæus in Regem ſuum, & iuxta nomen ſuum vaſtabit vrbem.* Et hæc expoſitio mihi non eſt difficilis, ſed aliam multò magis probo quam iam propono.

14. Ego clauſulam ita diuido, vt priorem partem ad Babylonios, posteriorem ad Perſas, & Medos pertinere putem, in hanc ſententiam: *Vt Babylonius incredulus eſt, & infideliter agit, ſic Perſa, aut Medus depopulator eſt, & vaſtat.* id eſt, Contra iniquitatem, & perfidiam Babylonicam parauit Dominus Perſicum gladium. Eſt autem hæc ſententia in ſcriptura ſæpius iterata, vt pro menſura iniquitatis ſit plagarum modus, vt de hac ipſa Babylone dictum eſt *Apocal. cap. 18. Quantum glorificauit ſe, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Quæ verba fortaſſe hùc reſpexere, ſicut totum illud caput ad hoc quod nunc verſamus. Eam ergo nunc ſententiam proponi puto ab Iſaia, quę neſcio quid prouerbiale redolet. Et quidem ſi ad verbum reddas, magna eſt epitaſis, & venuſtas in vocum geminatione. Sic autem ad verbum conuerto. *Præuaricator, præuaricator,* ſeu *præuaricator præuaricans, & vaſtator, vaſtator,* ſeu *vaſtator vaſtans*, Id eſt, vt ille obſtinatò præuaricatur, nempe Babylonius, ſic alius contra obſtinatò vaſtat, nempe Medus, & Perſa, quomodo diceret Hiſpanus. *Porfia el peccador en peccar, y dios en caſtigarle.*

Prouerbiū.

15. f *Aſcende Elam, obſide Mede.*] En depopulator, qui vaſtat Elam prouincia Perſica eſt, vnde Perſæ dicuntur *Elamitæ*, vt docuimus ad illud *Actor. cap. 2. Parthi & Elamitæ.* Portò valde vſitatum eſt in hoc propheta, vt imperatiuus ſumatur pro futuro.

16. g *Omnem gemitum eius ceſſare feci.*] Obſcurum eſt quò illud *eius* referendum ſit. Quidam ad *Perſam* ſeu *Medum* referunt, in hanc ſententiam. Ego ſolabor gemitum, & laborem Perſarum, quem longa, ac difficili obſidione pertulerant. Alij ad *filios Iſrael* captiuos in Babylone, quibus expugnata Babylone, & oborta libertatis ſpe, eripietur antiqua lugendi cauſa. Sed non video præceſſiſſe *Gentē Iudæam*, ad quam illud *eius* reuocari poſſit. Si hæc verba Dei ſunt, non ad Elam & Medum, ſed ad *Iſaiam* referūtur, vt mihi videtur non improbabile; Sanè non eſſet difficile de captiuo Iudæorum populo hæc intelligere; quia in ſcriptura non ſine epitaſi relatiuum ſpectato ſolet, non quod expreſſum eſt, ſed quod tacitus ſecum aliquis voluit, vt pluribus oſtendimus ad illud *Cantic. 1. Oſculetur me oſculo oris ſui.* Vbi illud *ſui* refert ſponſum, qui priùs non tam ore ſponſæ expreſſus, quàm in illius animo altè infixus fuerat. Tale eſt illud *Pſal. 86. Fundamenta eius in montibus ſanctis.* Vbi *eius* refert *Ieruſalem*, quā licèt non expreſſiſſet antè propheta, voluebat tamen in animo. & *Pſalm. 103. Facta eſt Iudæa ſanctificatio eius*, nempe *Dei* cuius opera ſecum admirabatur Dauid. Et *Thren. 3. Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis eius*, id eſt *Dei*, cuius horrebat indignationem. Hùc etiam ſpectat illud Magdalenæ *Ioan 20. Domine ſi tu ſuſtuliſti eum*, nempe *Chriſtum*, in quo erat tota, & de quo credebat omnes cogitare. Ad quem modum puto non improbabile reſpondiſſe Deum non tam ad verba, quàm ad cogitationem, & animum Iſaiæ. Nam quis dubitat in animo prophetæ hærere dolorem de ſuo populo tam diu, ac tam ærumnoſè in alia regione captiuo? Et quidem, ſi de Iudæis hæc accipias, non video quo alio modo hæc explicari poſſint. Neque hoc de Iudæis omnino diſplicet, nam ſi quis erat in Babylone gemitus, qui Perſarum aduentu ceſſaturus eſſet; ille Iudæorum videbatur potiùs, quàm Babyloniorum; Illi enim ſuam vicem plorabant, neque ſibi lætandum eſſe dicebant, niſi in patriam, & libertatem reſtitutis. *Pſal. 136. Si non propoſuero Ieruſalem in principio lætitiæ meæ;* At Babylonij tunc, cùm eſt capta ciuitas, lætabantur potius, conuiuabantur, & nocturnum illud, & extremum tempus in delicijs ponebant. Quocirca Deus videtur indicturus eſſe ſilentium planctui, qui ad illum vſque articulum à captiuis multis erat in vrbe.

Regula. Relatiuum aliquando refertur non ad id quod expreſſum eſt, ſed ad id quod quis ſecum tacitè cogitat.

17. Nihilominus mihi magis eſt probabile illud *eius* ad *Babylonem*, potiùs quàm ad aliam quamcumque gentem pertinere. Hæc enim tantùm in hoc vaticinio præceſſerat, ad quam commodè referri poſſit. Nam licèt anteceſſiſſet *Medus & Elam*, anteceſſere tamen in ſecunda perſona: quare non tam dicendum fuiſſet *gemitum eius*, quàm *gemitum tuum.* Deinde ceſſatio illa gemitus Babylonici in eo rerum, ac temporis veſtigio, non eſt parum cum rerum natura conueniens. Fieri enim ſolet vt ſtupore ſubito, etiam in ſummo dolore, gemitus comprimantur, & lachrymæ; quæ erumpere non ſolent, niſi quando à ſubito dolore, atque ſtupore animus ad ſe redit. Quare neque ſubitus, atque inſperatus Perſarum ingreſſus, neque ſtupor ex repentino malo flere permittet; neque mors ſubita facultatem dabit, vt à ſtupore conſternatioéque recepti lachrymari incipiant. Quòd verò ſtupor lachrymas impediat, docet experientia, quod quia notum omnibus, dixit Ouidius *lib. 1. de Ponto.*

Lachrymas prohibet, aut ſtupor, aut vehemēs dolor.

Fine careat lachryma, niſi cùm ſtupor obſtitit illis.

Aut certè ceſſaturus dicitur Chaldæorum gemitus, quia priùs illos opprimet mors, quàm aut ciuitati adueniſſe extremum exitium, aut ſibi impendere poſtremum diem planè cognoſcant. Quare mors neque præuiſa, neque cogitata facultatem dabit, aut aliquod tempus ad lugendum aut commune exitium, aut priuatum interitum.

18. Alter alicui fortaſſe non inepta videbitur gemitus Babylonici ceſſatio, ſi dicamus Babylonios vſque adeò vbertim, diúque ploraturos communes caſus, vt & ſpiritus ad ſuſpiria, & humor ad lachrymas defuturus ſit. Quod contigiſſe videtur viris Siceleg. qui eò vſque direptam ciuitatem planxerunt, *donec deficerent in eis lachrymæ. 1. Reg. 3.* ſeu, vt

Lachrymarū ſæpe fontes ſiccantur.

vt textus habet Hebraicus, *non erant vires ad plorandum.* Ad quem ſtatum perueniſſe videbatur Ieremias cùm *cap.9. verſ.1.* licèt alij aliter ſentiant; dixit: *quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo*, &c. quibus verbis ſignificare videtur exhauſtos ſibi eſſe præ nimio fletu lachrymarum fontes. Quod etiam, etſi, vt opinor, falſum, ex rei tamen natura dixit Cicero *oratione 2. in Antonium. Hei mihi conſumptis enim lachrymis infixus tamen pectori hæret dolor.* Sic ergo videtur exponi poſſe locus iſte, eam futuram eſſe cladem, illum gemitum, vt exhauſtis lachrymis, & ad plorandum feſſis & arentibus faucibus, & lateribus ad gemitus contentionem infirmis, lachrymari iam & gemere non poſſint Babylonij; quod in extremis malis aliquid ſolet eſſe ſolatij.

19. Hæc ego puto non improbabilia, ſed longè mihi videtur probabilius, ſi gemitus non ſit clamor, aut fletus, quem exprimit dolor, cuius plerumque comites ſunt lachrymæ; ſed honor ille, quo amicorum, aut principum funera proſequimur. Ita vt propheta prædicarin communi illa, ac repentina clade carituros eſſe honore ſepulturæ, & familiaribus lachrymis non ſolùm homines è vulgo, ſed etiam è prima nobilitate, atque ordine principes: atque adeò Regem ipſum Babylonium. Quod ſanè ita contigiſſe eleganter expreſſit Iſaias ſuprà *c.14.v.18.* vbi Rex Baltaſar dicitur ſine plãctu ſepultus, & computruiſſe inter ignobilis vulgi vilia cadauera. Vide omnino quæ ibi diximus. Quod

Luctus pro *funere.*

verò *planctus, gemitus*, aut *luctus* ſumantur pro pompa, aut omni apparatu funebri, quo mortuorum memoriæ parentamus, præſertim apud Hebræos, ſi cætera deeſſent documenta ſufficeret nobis vnus Hieronymus, qui ad Paulam de obitu Bleſillæ id optimè docet. Cuius verba accipe. *De Moyſe verò, & Aaron, quod eis ex veteri more ſit planctus exhibitus, non mirandum eſt, cùm & in Actis Apoſtolorum, iam Euangelio coruſcante, Stephano fecerint Hieroſolymæ fratres planctum magnum: & vtique planctus magnus non in plangentium exanimatione, vt tu putas; ſed in pompa funeris, & exequiarum frequentia intelligendus ſit. Denique de Iacob Scriptura ſic loquitur, Et aſcendit Ioſeph ſepelire patrem ſuum; & aſcenderunt cum eo omnes pueri Pharaonis, & ſeniores domus eius, & ſeniores omnes terræ Ægypti, & omnis domus Ioſeph, & fratres eius. Et poſt pauluſum; & aſcenderunt cum eo quadrigæ, & equites, & factæ ſunt caſtra grandia nimis. Ac deinde. Et planxerunt eum planctu magno, & forti nimis. Planctus iſte ſolemnis, non longas Ægyptus imperat lachrymas, ſed funeris monſtrat ornatus. Iuxta quem modum Aaron quoque, & Moyſem fletos eſſe manifeſtum eſt.* Hæc Hieronymus.

20. *Lumborum dolor quis.*

h *Propterea impleti ſunt lumbi mei dolore.*] Elegans deſcriptio dolentis animi, atque obſtupeſcentis ad oblatæ cladis acerbitatem. Sunt qui putent hæc verba à propheta dici in perſona Balthaſaris, quo tempore digitos vidit ſcribentes in pariete, quid de ſe, regnóque ſuo conſtitutum eſſet à Deo. Ita Cyril. & Adamus. Neque ſanè valde diſſimilia ſunt, quæ de eo ſcribuntur *Dan.cap.5.* & iuxta Septuaginta tranſlationem hæc multò meliùs accommodantur Balthaſari ſeu Babyloni, quàm Iſaiæ, qui, quod proximè ſequitur, ita conuertunt: *Iniuſte egi, ne audirem, operam dedi, ne viderem.* Veruntamen hæc verba multò commodiùs ab aliis tribuuntur prophetæ, qui ſicut alibi ſic etiam modò deflet populi inimici ſtragem. Nequè verò Balthaſar ſimilia paſſus, aut locutus dicitur, niſi poſt ſceleratas epulas, & temerata vaſa templi, poſt quæ ſtatim interemptus eſt. At poſt hæc ſternenda menſa dicitur, cætera obſcura non ſunt. Cùm *doloris* meminit *lumborum*, ſpectauit credo ſimilitudinem parturientis, quam ſtatim adducit: quia pars illa in puerperio maximè concuti, atque vexari ſolet in fœminis. Eſt autem vſitatum tam apud Hebræos, quàm apud Græcos, vt parturientis dolor aut ſumatur pro dolore maximo, aut in doloris maximi comparationem adducatur. Simili phraſi in argumento ferè ſimili vſus eſt Ezechiel *c.21. v.6. Et tu fili hominis ingemiſce in contritione lumborum.* In hunc ſenſum accipio illud *Daniel.5.* de Balthaſare, *Compages renum eius ſoluebantur.* quaſi vehementiſſimus eſſet lumborum dolor, qui rumpi videntur in parturientium nixu. Item *Machab.1.cap.2.* de Mathathia, cùm Iudæus obſecutus Antiochi mandato ſacrificaſſet Idolis. *Vidit Mathathias, & doluit; & contremuerunt renes eius.*

21. i *Corrui cùm audirem, conturbatus ſum cùm viderem.*] Hinc fit veriſimile in hoc onere de Babylone non ſolùm audiſſe prophetam verba minacia, ſed etiam ſpectaſſe oblatam ſpeciem Babylonicæ cladis.

22. k *Babylon dilecta mea poſita eſt mihi in miraculum.*] In Hebraico textu non eſt *Babylon*, ſed נשף *neſeph* quæ ſignificat *obſcuritatem, caliginem*, ſeu *crepuſculum*. Hieron. verò *Babylonem* reddidit ſequutus magis ſententiam, quàm verba; nam in *caligine* putat *Babylonem* deſignari, qua ratione *cap.13.* dicitur *mons caliginoſus.* Rationem nominis eo loco diximus, inde pete. Hic aliam adducit Hierony. qui ideo vocari putat *caliginem*, quia ad cœlum vſque ſuperbiæ verticē attollit: quæ autem eo loco ſunt, vt illa aſſequi non poſſit oculorum acies, aut certè obſcurè tantum, & quaſi per nebulas, illa *in caligine & tenebris*, eſſe dicuntur. Septuaginta videntur legiſſe נפש *nephes*, qui ita vertunt *anima mea.*

23. Alij præter Vulgatum pro Babylone *noctem* vertunt aut *crepuſculum.* Eſt autem crepuſculum duplex, matutinum, & veſpertinum; illud nimirum ſpatium, in quo dubia lux eſt, aut à demerſo iam, aut ab emergente Sole, dum adhuc in altero hemiſphærio nobis occultus eſt. Et quia vbi noſter *miraculum* vertit, Hebr. eſt חרדה *charada*, quod *pauorem* ſignificat, qui magis in propria quàm in figurata locutione נשף *neſeph*, accipiunt, variè exponunt hunc locum. Adamus, qui Balthaſari hæc aſcribit verba, in hunc modum. Nox, quæ aliis ad quietem, & otium data curarum, & doloris leuamentum eſſe ſolet, mihi ad terrorem, & angorem animi videtur eſſe data. Foreirus, & Montanus, qui Iſaiam loqui putant non in Balthaſaris perſona, ſed in ſua, putant perturbari, atque terreri Iſaiam oblata viſione horribili, quo tempore alij à labore recreari, & à curis ſolui dormiendo ſolent, & vti ea oratione, qua in ſuo dolore vſus eſt Iob *cap.14. Si dixero, conſolabitur me lectulus meus, &c. terrebis me per ſomnia.*

24. *Crepuſculum quid.*

Sed, ſi quid mihi licet ludere in hac vocabuli proprietate, addam ego meam quoque cogitationem. Pro *Babylon dilecta mea*, Hebr. eſt, *crepuſculum deſiderij mei*, aut, vt alij transferunt, *pauoris mei.* Eſt autem crepuſculum matutinum diei nuntius, & quaſi procemium. Porrò ſicut nox, & tenebræ pro carcere, & ærumnis: ſic lux, & dies pro libertate, & meliori fortuna capiuntur. Quare cùm in

mœrore,& luctu eſſent Iudæi,iam gladio deſtinati inſidiis Aman, vbi conuerſa fortuna ſublato ad dignitatem Regiæ proximam Mardochæu reſpirare cœperunt, dicitur *Heſter cap.* 8. *Noua lux oriri viſa eſt.* nempe Iudæis. Hîc ergo cùm Babylonis excidium eſſet quoddam initium libertatis Iudaicæ, quia idem tempus conſignatum erat illius exitio,& horum ſaluti,inter illud exitium, *crepuſculum* appellari potuit eius lucis, quæ regnante Cyro Iudæis orta eſt. *Deſiderium* verò dicitur iam diu deſiderata libertas. Si verò,pro *deſiderio, pauorem* vertas,eadem eſt ſententia, Si tamen *crepuſculum* veſpertinum intelligas,non matutinum,quaſi expugnata Babylone iam Iudæorum pauor ceſſaturus ſit, obſcurato Perſarum armis Aſſyriorum imperio,ſicut obrepente nocte obſcuratur dies; quæ nox oborta imperio Babylonico crepuſculum fuit Iudaici pauoris.

25. Quocumque modo accipias,ſic amplificat Iſaias Babylonicam ſtragem, vt nullo modo videatur meliùs explicari potuiſſe: In hanc ſententiam: Licèt Chaldæorum interitus nuntius ſit Iudaicæ libertatis,quam ego maximè cupio, & crepuſculum ſine aurora eiusdiei, quem omnibus votis expeto, tamen ea erit ruinæ magnitudo, vt mihi imaginem eius ſpectanti dolorem ingentem, & terrorem attulerit. Quo dicendi genere prouerbiali ſignificari ſolet ſumma calamitas, quando hoſtibus, quorum maximè intererat illam accidiſſe, dolori eſt. Sic Virgil. 2. *Æneid.*

Hoſtiũ etiã ruinæ flebiles.

——Quis talia fando
Myrmidonum, Dolopúmve, aut duri miles Vlyſſis
Temperet à lachrymis?

Et *lib.* 12.

Vel Priamo miſeranda manus.

26. Solent autem magnarũ vrbium ruinæ ipſis quoque victoribus, votóque ſuo iam potitis eſſe miſerabiles,vt de Benjamin penè deleta, in cuius exitium ardentibus animis cæteri Iſraelitæ conſpirarant,habes *Iud.cap.*21. Nam illi iidem qui meritiſſimæ cædis autores fuerant,ídque cum magna ſuorum iactura, *ſedentes vſque ad veſperam leuauerunt vocem,& magno vlulatu cœperunt flere.* Quod etiam accidit tribus Regibus, qui bellum intulerant Regi Moab, quibus Regis ſtatus in extremam fortunam adductus, pectus effodit, & lachrymas ad victoriam anhelantibus extorſit.Nam ex compaſſione,vt communiter interpretes, ab obſidione exercitus abduxerunt. 4.*Reg.*3. & Titus, vt tradit Ioſephus *lib.*7.*de bello, cap.*24. cùm vidit Ieruſalem tam pulchram ciuitatem eſſe in ſolitudinem redactam, eius calamitatem miſeratus ingemuit. Idem ſuprà diximus de Moab *cap.*16.interitum cuius pio etiam dolore proſecutus eſt.

27. Hoc loco obiter notandũ nimis audacter locutum eſſe Adamum,[1] qui ita ſuam explicationem probat, vt verum ſenſum exprimi neget à Vulgato, ſic enim ille, *Hieronymus fatetur ſe non verba, ſed ſenſum reddidiſſe; verùm dum verba non retinet, ſenſum amiſiſſe videtur.*

28. *Dilecta mea.*] Si verba hæc Balthaſaris eſſe exiſtimemus, ſenſus non eſt difficilis. Sed quando iam ſtat eſſe prophetæ verba, nonnihil hîc nobis laborandum eſt. Quidam putant ideo Babylonem ſibi ab Iſaia *dilectam* vocari, quia illam amabat, vt decebat virum ſanctum, qui hoſtes quoque amat, & amplectitur, & eorum interdum cauſa laborat. Aut certè cùm perturbatio, ac dolor propter aliena incommoda ex amore naſcatur, ex ſuo dolore ſatis infert propheta dilectam ſibi eſſe Babylonem.

Mihi aliter videtur expediri poſſe nodus iſte, ſi dicamus illud *mea*, poſitum eſſe paragogicè Hebræorum more, qui *Iod*, ita nominibus aſſigunt,vt tamen nomen poſſeſſiuum non ſit,ſed particula quædam paragogica, quæ ornatus gratia ſæpius adhibetur. Quomodo apud Latinos litera *i*, in *ſicuti* & *veluti*, aut ἐμφατικῶς vt apud Græcos, οὑτοσί, ἐκεινοσί, & ſimilia. Exempla apud Hebræos occurrunt plurima, quorum aliqua inuenies apud Pagninum *lib.* 4. *inſtitutionum Hebraicarum regula* 22. & *lib.*3.*cap.*8.*num.*58. Sic puto *iod*, quod adhibitum eſt ad finem dictionis Hebraicæ חשק *cheſek*, quæ *amorem*, ſeu *deſiderium* ſignificat,non eſſe affixum pronomen, ſed ornatus gratia paragogicè poſitum. Ita vt חשקי *chiſki*, idem ſit quod חשק *cheſek*, id eſt, *deſiderium*. In hunc ſenſum, O Babylon dilecta, ſeu deſiderabilis, propter opes, ſpeciem, & delicias, quomodo iam ſubitò corruiſti, cum omnium gentium admiratione? Et cùm orbis eſſet ingens miraculum, (nam ex ſeptem orbis miraculis vnum erat Babylon) propter molis inſaniam, nunc repentè à tanta gloria collapſa, facta es longè maius miraculum. Vt enim omnes murorum turrium amplitudinem, ac firmitatem, & penſilium hortorum aſſiduum laborem admirabantur; ſic etiam nunc multò magis illius amplitudinis, & maieſtatis non iam illuſtre monumentum, ſed miſerabile buſtum admirantur.

Regula. *Iod* apud Hebræos paragogicũ,ſicut *i*, apud Latinos,& Græcos.

Sed huic explicationi obſtat quòd noſter interpres addidit *mea*. Reſpondeo interpreti noſtro non eſſe inuſitatum in conuertendo retinere aliquos hebraiſmos, atque ideo vt Hebræus *iod* paragogicum addidit, ſic etiam vulgatus *mea* addidit etiam paragogicè.quomodo *Cantic.*1. explicuimus illud *Equitatui meo.* Vbi diximus illud *meo* eſſe paragogicum, ſicut *iod* in voce hebraica סוסתי *ſuſathi*. Hæc poſtrema explicatio viſa mihi eſt non difficilis. Neque credo diceret aliquid quod alienum videri poſſit à textu,qui *dilecta mea*, dictum exiſtimaret per ironiam, quaſi non eſſet dilecta ciuitas, ſed odioſa; Tunc verò propheta, non tam ſuo, quàm totius populi nomine loqueretur, qui Babylonis nomen horrebat,& auerſabatur. 29.

[1] *Pone menſam, contemplare in ſpecula.*] Vſitatum in ſcriptura præſertim apud prophetas, vt illa dicantur fieri, quæ aut ipſi fieri ab aliis vident, aut futura prædicunt. Vt docuimus ad illud *cap.*6. *Excæca cor populi huius.* Quo ſenſu de Ierem. dicit Dominus *c.*1. *Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes,& ſuper regna,vt euellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, ædifices,& plantes.* id eſt, vt denunties euellendam eſſe Ieruſalem, & deinde inſtaurandam: neque enim ea præſtitit vnquam Ieremias, ſed futura vaticinatus eſt. Quare ſi hæc ad prophetam referas, quod ſanè improbabile non eſt, iubet Iſaiæ Deus, vt prænuntiet ponendam eſſe menſam à Balthaſare, de qua *Dan* 5. & in mediis epulis turbatum iri omnia, ac tandem expugnatum iri ciuitatem. Alij hæc ad Perſas, & Medos ſpectare putant, quibus edicitur,vt cibum ſumant, ſéque ad futuram vrbis expugnationem comparent. Ita Haymo; & probant Dionyſius, & Hugo; neque Hieronymo diſplicet. Alij hæc verba Balthaſari tribuunt, qui ea nocte; qua capta eſt Babylon, iubet miniſtris vt menſas inſternant,& lautum adornent conuiuium; aliis verò, vt è ſpecula contemplentur, ne quid nouum 30.

nouum Darius, & Cyrus, qui vrbem obſidebant, moliantur. Ita Adamus.

31. Mihi veriſimilius eſt hæc ad Balthaſatem eſſe referenda, ita vt illi denuntietur futurum, vt cùm menſam strauerit, extremus obrepat vitæ dies. Quæ ſententia non multùm à prima differt: neque ab hac longè abit Hieronymus, qui admoneri dicit Babylonem, vt regi ſuo conuiuium inſtruat. Eſt autem vſitatum apud prophetas vt imperatiuus pro futuro ſumatur. Quare ſenſus eſt. *Pones menſam ò Balthaſar, & ſpeculaberis.*

32. m *Contemplare in ſpecula.*] Hoc non incommodè aſcribi viderur poſſe prophetæ, cui iubet Dominus, vt dum menſam ponit, id eſt, poni videt ab infœlici Balthaſare, ſpeculetur quid interea moliantur hoſtes, qui repentinum afferent interitum, his, qui inter epulas ſecuri canunt, *Pax & ſecuritas.* Sed eſt mihi veriſimilius hæc ad Balthaſatem referenda, ſicut ſuperiora. Tunc verò aut *ſpecula* ſumitur pro pariete, in quo tribus verbis *Mane, Techel, Phares*, obſcurè propoſita, & diuini iudicij ſeueritas, & ciuitatis feſtinata clades, vt putant S. Thom. & Hugo. Quare ſenſus erit. *Inter epulas ò Balthaſar, ſpeculaberis*, id nimirum quod tibi oblatum eſt in pariete. Et facit quòd textus Heb. habet *ſpeculare ſpeculationem*, vel, *vide viſionem*, nempe in pariete obſcurè ſignificatam. Aut certè, quod alij cenſent, monetur Balthaſar à propheta, vt ſpeculatorem mittat, ne dum ipſe cum ſcortis poculis indulget, hoſtes qui obſidionem vrgebant, aliquid per nocturnas inſidias moliantur. Quod fuiſſe factum à Rege Babylonis ea nocte, qua ciuitas in hoſtium poteſtatem venit, tradit Xenophon *lib. 7. Cyropediæ.* Vtramque explicationem, & veram puto, & textui conſentaneam, magis tamen inclino in illam, quæ in pariete ſpeculam, ſeu ſpeculationem ſtatuit.

33. n *Comedentes, & bibentes ſurgite principes.*] Quidam, vt paulò antè diximus, ad illud *qui incredulus eſt*, exiſtimant Cyrum & Darium vocatos fuiſſe ad conuiuium, quod extremum, & funeſtum Balthaſar inſtruxit, & regio ſanguine temeraſſe nocturnas epulas, à qua ſententia non abhorret Hieronymus, & ſequuntur Haymo, Hugo, S. Thom. interlinearis. Iuxta quam expoſitionem hæc eſt ſententia: O principes, nempe Medorum & Perſarum, dum epulis vacatis, & poculis, ſurgite ſtatim, atque Regem vini, atque ſtupri plenum interficite. Sed hanc ſententiam meritò refellit Lyra, quia *Dan. 5.* inuitati dicuntur à Balthaſare principes, & optimates, & eorum numerus adhibetur. Neque veriſimile eſt prætereundos fuiſſe ſilentio Darium, & Cyrum, ſi ipſi quoque epulis interfuiſſent: Hæc Lyra. Sed ſanè ratio alia longè grauior apparet ex ipſa narratione, & nocturni conuiuij, & captæ ciuitatis, aut regis extincti; Quia poſt conuiuium plurimum temporis interceſſiſſe conſtat antequam principes Medorum, atque Perſarum Balthaſarem opprimerent; nam peracto conuiuio, aut certè ſub eius finem poſt allata templi vaſa, & Regē ebrium, apparuerunt digiti ſcribentes in pariete; præceſſit Regis turbatio, ſapientium euocatio, atque aduentus; tentata Scripturæ expoſitio, neque tandem inuenta. Denique explicatio Danielis, & illius muneratio, quæ ſanè breui tempore fieri non potuerunt. Quare veriſimile non eſt principes illos è menſa ſurrexiſſe, vt Regem opprimerent incautum, cùm neque conuiuiū iam eſſet, neque incautus eſſet Rex à Daniele admonitus de rerū euentu.

Alij hæc verba putant pertinere ad Babylonios principes, qui à Balthaſare fuerant ad epulas vocati: hi verò mille fuerunt, *Dan. 5. verſ. 1.* Qui à mediis epulis exilire iubentur, ſiue nunc à propheta, ſiue ſuo deinceps tempore à ſpeculatore, & armatis hoſtibus, iamque intra mœnia liberè graſſantibus occurrant. Et hoc mihi videtur veriſimilius; quia ibi principes ſedebant, & optimates, & vt ex Theodotionis tranſlatione conſtat, præfecti militiæ Babylonicæ. Ille enim *optimatibus* addidit *chiliarchos*, id eſt, qui mille præſunt, quæ vox omnino militaris eſt; Hi ergo relinquere iubentur epulas, & opem ferre occumbenti patriæ. Quod ita fuiſſe factum à Rege, cæteriſque conuiuis indicat Xenophon, *lib. 7. Cyropediæ.* Vbi tradit illos qui in Regiam irruperant; inueniſſe Regem cum acinace diſtricto, atque ibi illum intereniſſe. 34.

35. Hoc poſterius mihi viſum eſt, vt dixi, ſatis veriſimile; ſed neque diſplicent, qui putant pertinere hæc ad Medos, & Perſas: non quòd ipſi ſurgere iubeantur è menſa, cùm aſſideant cum temulento Rege; ſed vt irrumpere è caſtris, aut iubeantur, aut videantur à propheta intra mœnia, dum Babylonij deliciis ſe intemperantiùs dedunt. Ita vt dicat propheta. Interim dum video Babylonios comedentes, & bibentes, aſpicio ex alia parte Medos, & Perſas clypeo, gladióque munitos, in mediam ciuitatem irrumpere ſepultam vino, ſomnóque. Hæc ſatis congruūt cum externis hiſtoriis, quæ tradunt vrbem eſſe captam, quo tempore Babylonij quaſi iam metu, periculóque liberi, vino, atque epulis, hiſque voluptatibus quæ huic intemperantiæ affines ſunt, operam nocturnam darent.

36. Sed contra hanc ſententiam valde facit, quia illi iidem, qui dicuntur comedentes, & bibentes, (niſi imperfectam orationem eſſe fateamur) videntur omnino cum imperatiuis *ſurgite*, & *arripite* eſſe coniungendi: atque ideo malè hi ſeorſum *clypeum arripere*, & illi *comedere*, *& bibere* dicuntur.

Fateor hîc eſſe aliquid difficultatis, non quidem in textu Hebraico, in quo, vt planè vident, qui codices conſulunt Hebraicos, in imperatiuo, ſunt quatuor illa, *Pone, contemplare, comede, bibe.* Quæ ſi in imperatiuo ſtatuas, vt in prioribus fecit vulgatus, ſatis conſtat non poſſe ad principes pertinere, qui in numero plurali ſunt. Si verò infinitiuos eſſe ſtatuas, cum Vatablo, aut gerundium cum Pagnino, & Foreiro (nam Hebraica terminatio illis temporibus communis eſt) eadem omnino eſt diſtributio, quia ad illos pertinet *comedere, & bibere*, ad quos pertinet *menſam ſternere.* Tunc verò ſenſus eſt: O Babylon dilecta ponendo menſam & contemplando in ſpecula, comedendo, & bibendo facta es mihi in miraculum, ſeu pauorem; quia nimirum id audes, quod in ſumma pace, ac ſecuritate tamen probandum non eſſet: cum alia ex parte videam impendere tibi ſummum diem, & ineluctabile exitium.

37. Neque à tranſlatione vulgata multum eſt incommodi huic expoſitioni; nam vt *cap. 11.* diximus ad illud, *& erit radix Ieſſe*, apud Hebræos ſæpe nominatiuus abſolutè ponitur, quod idioma ſæpe etiam ſeruatur à vulgato. Exempla plurima inuenies ſuprà *cap. 11.* & in noſtris commentariis in Zachariam *cap. 7. num. 17.* Eſt ergo ſententia iuxta vulgati tranſlationem: Comedentibus & bibentibus nempe Babyloniis, ſurgite principes Perſarum & Medorum & arma capite.

Regula. Nominatiuus abſolutè poſitus.

38. o *Arripite clypeum.*] Hebr. משחו *miſchu*, id A eſt, *vngite*, in quo aliquid latere exiſtimo arcanæ, & occultæ eruditionis; neque enim ſine cauſa *vnctio* cum *clypeo* hoc loco coniungitur. Foreirus ait vngi olim ſolere clypeos, cùm eundum eſſet ad prælium. Idem ſentire videtur Montanus, qui ſumpſiſſe videntur ex Rab. Salomone de cuius ſententia ſtatim. Ego primum exiſtimaui pro משחו *miſchu*, priùs ſcriptum eſſe משו *mishu*, quod characteribus non multùm à ſuperiori differt. In quam cogitationem adducebar, quia aliter non putabam priùs L x x. *parate*, neque poſtea Hieronymum *Arripite* fuiſſe tranſlaturos. neque nunc longè ſum ab ea cogitatione; immò magis mihi quotidie placet. Quod ſi ita eſt, non eſt cur de cætero admodum laboremus; Sed quando codices B omnes Hebraici conſtanter משחו *miſchu*, id eſt, *vngite* habent, ad illam lectionem, nos quoque aliquid commentemur; & ſi quid ibi latet arcanæ eruditionis, eruere tentemus.

39. *Vngere* aliquid mollius ſonat.

Primùm notum eſt *vngere* ſignificare in omni ferme lingua aliquid delicatum, & molle: præſertim in conuiniis. Non ſolùm quia in illis viri lauti, atque ſplendidi odoratis liquoribus vngebantur, vt ſatis omnibus exploratum, & docet Chriſtus qui hoc officium à Phariſæo prætermiſſum oſtendit *Lucæ cap. 7. Oleo caput meum non vnxiſti*, quo ſignificauit illud ad munditiem, & ſplendorem menſæ adhiberi ſolitum; ſed etiam, quia in ipſis quoque cibis *vnctio* aliquid accuratè conditum, & ad palatum, & gulam attemperatum ſignificat. C Vnde apud Plautum pulmentum dicitur *vnctiuſculum*, id eſt, delicatè conditum: Et *caules vncti ac pultes*, & ſimilia. Ex hoc vſu hæc apparet ſententia non aliena. Quidquid operæ, ô principes Babylonij (nam de his iuxta Hebraicum textum videtur accipiendus locus) impenditis vngendo capiti, aut cibis molliùs condiendis, impendite clypeis, & armis, id eſt, omiſſis cibis arma capite.

Clypeus vngi ſolitus.

Pagninus in radice משח *miſch*, putat ideo vngendum eſſe clypeum, quia mortuo Balthaſare alius Rex aduocandus, & vngendus erat. Dicitur autem Rex *clypeus*, quia regni cuſtos, & protector eſt. Alij teſte Rab. Dauid, *vnctum clypeum* volunt, quia ſic magis eſt aptus ad excutienda tela, propter lubricam olei naturam. Et ita accipiunt illud D 2. *Reg.* 1. *Quia ibi abiectus eſt clypeus fortium: clypeus Saul, quaſi non eſſet vnctus oleo.* Et in his eſt Rab. Salomon, & Vatablus, qui illud *vnctus* ad clypeum referunt, non ad Saul. Quorum ſententiam optimè refellit Abulenſis, quia aliquid præcipuum dicitur eſſe in Saul, dum *vnctus oleo* canitur. Sed ſi ad rei bellicæ commoditatem aliquem haberet vſum, oleum clypeis aſperſum, aliorum etiam clypei ea commoditate non caruiſſent. Quare Abulenſis duas alias explicationes adducit. Et primùm ſtatuit ſermonem ibi eſſe non de oleo, quo Saul vnctus eſt à Samuele, ſed de illo, quo Saulis clypeus delibutus eſt. *Clypeus*, inquit, *Saul, quaſi non eſſet vnctus oleo, abiectus eſt: quia cùm prius ex more* E *vnctus eſſet oleo, ſanguine tamen multorum, quos Saul interfecerat, ſic erat reſperſus, vt nullum vnctionis antiquæ veſtigium appareret.* Sed idem poſtea non iam putat locum accipiendum de fortitudine Saul, qua clypeum imbuit Philiſthæo ſanguine, quàm de regia dignitate, quæ non ſolùm vncto capite, ſed etiam clypeo ſignificabatur. Quare lugebat Dauid quòd Saul ſic eſſet in acie peremptus, quaſi vnus è plebe, & cuius clypeus vnctus non eſſet, quod

1 Reg. 1.

A vni Regi tantùm eſſet conceſſum. De clypeo Saul nihil hic ſtatuo, quia exiſtimo illud *vnctus* ad Saul potius eſſe referendum, quàm ad eius clypeum. Sed hinc tantùm colligo, quo modo principum bellatorum clypei *vncti* dici potuerint.

Neqoe laborandum puto an ſicut apud Hebræos veriſimile eſt vngi ſolere in Regum inaugaratione clypeos, ſic etiam apud alias gentes, eadem in Regum auſpiciis conſuetudo ſit. Nam cùm ſignum pro re ſignificata ſumatur, illud ſignum ſuſcepti regni propoſuit propheta, quod maximè notum erat Iudæis: & in Cyro, de quo à pleriſque vaticinium exponitur, ſpecialis aliqua ratio eſt. Quia & huic non minori curæ fuit Iudæorum ſalus, quàm multis Regibus è Iudæorum ſanguine: & eo- 40.
B dem nomine vocatur ab Iſaia *cap.* 45. quo Reges, qui apud Hebræos legitima cæremonia initiari ſolent. Vocatur enim *Chriſtus*, quod nomen non niſi Hebræorum regibus datum eſt. Aut certè, quia, vt docet Cyrillus in illud Iſaiæ *cap.* 45. *Hæc dicit Dominus chriſto meo Cyro*, Reges qui à Deo vocabantur, oleo inungi ſolebant, ſed vnde id collegerit Cyrillus non video.

41. Iuxta hanc lectionem verba illa *ſurgite principes* non tam videntur commodè ad Perſas, & Medos, quàm ad eos, qui cum Balthaſare epulis accumbebant, referri poſſe. His ergo edici videtur à propheta, vt quando à funeſtis dapibus occidendus eſt Balthaſar, ipſi quoque Cyri clypeum vngant eodem articulo, id eſt, loco Regis mortui ad regnum C Babylonicum accerſant, illiuſque iugo ceruicem ſupponant. Sed quando res eſt obſcura, licebit credo mihi à curioſo lectore variis illam modis explorare. Atque ideo aliam addam cauſam cur vngendus clypeus. Non leuis curæ, atque negotij erat iis qui militiam amarent, aut ad gloriam aſpirarent bellicam, vt arma ferrent non ſolùm ad feriendum acuta, aut ad reſiſtendum firma, ſed etiam nitida, & ad ſpeciem elegantia, & pulchra, vt ex omni eruditione, tam ſacra, quàm profana liquet. De profana ſatis ſit nobis Miles glorioſus apud Plautum, qui ex militari vſu, & diſciplina locutus videtur.

Curate vt ſplendor meo ſit clypeo clarior,
Quàm ſolis radij eſſe olim cum ſudum eſt ſolent.

D Et quidem id datum eſſe negotij Centurionibus vt curarent, quo arma eſſent ſplendentia, & nitida, docet Vegetius *lib.* 2. *cap.* 14. Quod etiam ibi de decurionibus tradit. De centurione ait illi inuigilandum eſſe, *vt arma omnium detergantur, & ſplendeant.* De decurione, *vt cogat milites loricas, vel cataphractas, contos, & caſſides frequenter tergere, plurimùs enim terroris hoſtibus armorum ſplendor importat.* Ex ſacris vnus nobis ſufficiat Ezechiel *cap.* 21. *verſ.* 9. *Gladius gladius exacutus eſt, & limatus: vt cadat victimas, exacutus eſt, vt ſplendeat limatus eſt.* Et *verſ.* 28. *Mucro, mucro, euagina te ad occidendum, lima te, vt interficias, & fulgeas.* Et in hunc ſenſum accipit Chaldæus, qui ſic reddit hunc locum: *Tergite, & lucida facite arma.* Vide quæ diximus infra *cap.* E 49. *num.* 12. Splendorem autem artifices plerumque addunt allito oleo, aut pingui ſucco armis, ex quibus rubiginem exterere volunt. Docuit hoc ex vſu, vt apparet, eorum, qui ſe ad bella parant, viderique ſtudent non tantùm audaces, & fortes, ſed etiam elegantes. Virgilius 7. *Æneid.*

Pars leues clypeos, & ſpicula lucida tergent
Aruina pingui.

Vt ergo ibi poeta, dum ſtudium ardentis ad arma

pupuli

populi deſcribit, inter alia opera id etiam addit deterſos eſſe clypeos, & ad ſplendorem concinnatos: ſic etiam propheta Babylonios excitat, ſe vt ad arma comparent. Quod ſi opponat aliquis inſtante, atque vrgente hoſte non ſatis opportunè quemquam admoneri, vt armorum ſtudeat nitori, atque elegantiæ. Huic ego reſpondeo, hanc videri familiarem formam, & quaſi prouerbialem, qua homines excitantur ad arma capienda. Hæc iuxta lectionem textus Hebraici, quam ego vehementer ſuſpicor eſſe corruptam.

42. *Vade pone ſpeculatorem.*] Iubet Dominus prophetæ vt attento ſit animo, audiatque quid ipſi quaſi ſpeculatori oſtendatur, vt illud poſtea Babyloniis denunciet. Deinde facit ſpeculatorem clamantem, annunciantémque & hoſtium appulſum, & vrbis ruinam. Porro hic ſubaudiri puto Hebraico more notam ſimilitudinis, hoc ſenſu. *Vade & intuere quaſi ſi quis ſpeculatorem intueatur, & vide, quid dicatur tibi.* Porrò Deus ſe ipſum, aut Angelum ſpeculatorem facit, qui ea, quæ longè pòſt futura ſunt, prophetæ declarat: cuius verba produci videntur ad illud vſque, *tritura mea.* Quæ propheta non tam à ſe, quàm à ſpeculatore inclamata refert. Neque puto hoc durum exiſtimabit, qui textum paulò expenderit accuratiùs. Veruntamen ſpeculator iſte communiter Iſaias eſſe creditur.

43. Ita Hieronymus, & Cyrillus, Haymo, & plures alij; ſed ad loci ſententiam nihil refert hoc ne, an illo modo accipias. Quod ſi prophetam ſpeculatorē faciamus, de ſe ipſo quaſi de tertia loquitur perſona: Quod vſitatum eſt inter Hebræos. Porrò Speculatoris nomen non hîc ſolùm datum eſt prophetis. Nàm Abacuc *cap.* 2. de ſe dicit, *Super cuſtodiam meam ſtabo, & figam gradum ſuper munitionem, vt videam, quid dicatur mihi.* Et *Ezechi. cap.* 3. *Fili hominis, ſpeculatorem dedi te domui Iſrael.*

Propheta ſpeculator.

44. q *Et vidi currum duorum equitum.*] Deſcribitur iam exercitus qui extremam cladem attulit Babyloniis. Conſtat inter omnes penè doctores duos hos equites eſſe Darium, & Cyrum: qui licèt diuerſi locis atque inſtituto, quia alter Medus erat, alter Perſa, fœderis tamen ac ſanguinis vinculo conſtricti in Babylonis exitium conſpirarunt. Quare vno inuecti ſunt curru, qui ab aſino, & camelo trahebatur. In *aſino* quidem Perſa, in *camelo* Medus ſignificati. Quia ille ignobilis, & patiens oneris, & laboris; hic verò robuſtior erat, & illuſtrior ad illud vſque tempus, id eſt, ad Cyri dominatum. Hic ſenſus videtur ſtatim obuius, & qui nonnullis placet, ſed ſanè, ſi hæc altiùs intueare, aliquid amplius latere deprehendes, tum in Hebraico, tum in Latino textu. Ergo illud quidquid ſit inueſtigemus.

45. Vocem Hebraicam רכב *recheb*, quæ ſæpiùs occurrit in hoc capite, vulgatus modò *currum* vt hîc, modò *aſcenſorem*, modò *bigam* interpretatur. Et mihi videtur valde probabile, neque contra vulgati tranſlationem, eandem eſſe in tota hac prophetia eiuſdem vocis ſignificationem, quam nimirum noſter interpres primo adhibuit loco. Quare enim ſtatim ibi vulgatus vertit *aſcenſorem aſini, & aſcenſorem cameli.* cùm pro *aſcenſore* ſit רכב *recheb*, pro quo priùs tranſtulerunt *currum*, veriſimile eſt hîc quoque *currum* ſignificare. Neque id credo vulgatus negat, qui figuratè *aſcenſorem* tranſtulit, quia rem contentam pro continenti poſuit. Sicut *Deut.* 8. *verſ.* 4. *pes* pro *calceo* ponitur & à Virgil. *Vcalegon* pro *Vcalegontis domo.* Quare hîc duo notantur currus, ſeu bigæ, in quibus duo item equites inſidebant; Alter, qui ab aſino, alter qui à camelo trahebatur. Quod etiam indicatur non obſcurè ſtatim *verſ.* 8. *Aſcendit vir bigæ equitum*: nam *vir* ex vſu Scripturæ diſtributionem ſignificat, quem locum ſic accipio, *ſinguli ſuas conſcendunt bigas,* ſuo quo ſuo ſtatim loco. Neque eſt quòd quis hîc hæreat, quòd *currus* in numero ſingulari ſit, quia frequens eſt, & in re militari frequentiſſimum, vt ſingularis numerus pro plurali adhibeatur. Quod & hîc eſſe factum pluralis numerus *equitantium* inſinuat. Non enim duo duces, quales fuerunt Cyrus, & Darius, eo præſertim tempore quo inſtructi erant, & intenti ad bellum, eodem curru videbantur ingreſſuri. Sic igitur hæc ordine, *vidit currus duorum equitum, currum aſini, in quo alter eques Cyrus genere Perſa, & currum cameli, in quo Darius Medus vehebantur.* Quam ſententiam vulgati tranſlatio vehementer inſinuat; nam cùm prius *currum duorum equitum* conſtituiſſet, deinde ſubdit *aſcenſorem aſini & aſcenſorem cameli.* Explicans nimirum ſigillatim, quinam ſint illi currus duorum equitum: neque enim ita loquitur, vt vterque aſino, aut vterque camelo inſidere videatur, ſed ſeorſum alter aſino, alter camelo. Et fauet tranſlatio Pagnini & Foreiri, qui pro *aſcenſoribus* ipſi *currus* conuertunt. & Vatablus, qui ita vertit *vidi par equitum quorum alter aſino, alter verò camelo vehebatur.* & L x x. à quibus non diſcrepat Chaldæus, qui ſic locum iſtum reddiderunt. *Et vidi aſcenſores equites duos, aſcenſorem aſini, & aſcenſorem cameli.* Symmachus, vt docet Procopius, pro *aſcenſoribus, bigas* tranſtulit, & iuxta L x x. tranſlationem nobiſcum ſentiunt Cyrillus, & Procopius.

Si verò vt nonnullis placet, de vno Cyro ſermo ſit, qui ad Perſas, & Medos imperium tranſtuliſſe fertur, adiuncto ſibi ſocio auunculo Dario, cui propter ætatem Babylonis ſtragem aſcribit Dan. *cap.* 5. hic dicitur inuectus camelo, & aſino, quia vt Medicam potentiam debellato Aſtyage ad Perſicam adiunxit, ſic etiam Medicas & Perſicas vires ad delendum Chaldæorum imperium armauit, & inuexit, & ipſe aliqua ratione in *aſino* deſignabatur, & *camelo*: quia ex materno genere Medus erat, ex paterno, Perſa: quare *mixtum genus & proles biformis* dici potuit. Et talem omnino deſcripſit antiquum oraculum, à quo acceperunt Babylonij, tam diu duraturum Babylonicum imperium, donec *mulus* regnaret, quare illud æternum putabant. Hoc idem prædixit Nabuchodonoſor, vt tradit Euſebius *lib.* 9. *de præparatione Euangelica cap. vlt.* ex Alphæo Scriptore Græco, qui etiam Magaſthenem autorē citat. Ille enim poſtquam in regnum venit, ſubito furore incitatus exclamauit. *Futuram vobis, ô Babylonij, calamitatem prænuncio, quam nec Belus ipſe, nec vlla vis Deorum auertet, veniet Perſa mulus, qui vobis afferat ſeruitutem.* Mulus autem erat Cyrus ex duarum nationum commixtione natus. Hic ergo aſcenſor erat cameli, & aſini, quia Perſis præerat, & Medis. 46.

Cyrus cur dictus mulus.

r *Et contemplatus eſt diligenter multo intuitu.*] Incertum eſt an hic ſit *ſpeculator*, qui aduenientem exercitum ex alto proſpectat, an Cyrus, qui Babyloniam per otium contemplatus rationem opportunam iniit, qua illam obtineret. De *ſpeculatore*, quicumque ille ſit, communiter accipitur: ſiue Angelus ſit, qui rerum euentus nunciauit Iſaiæ, ſiue Iſaias ipſe, quod eſt multò probabilius. Et hoc de *ſpeculatore* mihi probatur magis, licèt illud de 47.

Cyro

Cyro expoſitione. habeat non difficilem. Ita vt A poſtquam ciuitatis n[illegible] leo, ac ſitum, & fluuij commoditatem acerrima [illegible] cogitatione ſepſit, exclamarit tanquam leo rugitu [illegible]ifico, dixeritque. *Cecidit Babylon*, id eſt, cecidiſſe puta[illegible] Babylonem, quia iam oblatum mihi conſilium eſt, q[illegible] expugnari poſſit. Sed prior explicatio longè commodior, quæ facit prophetam de ſe ipſo, tanquam de tertia aliqua perſona, loqui, ac ſignificare, quid de ſpecula diligenti illo, ac multo intuitu proſpexerit. Neque inuſitatum eſt in Scriptura, vt de ſe aliquis, quaſi de alio loquatur cuius rei obuia paſſim exempla. Salomon de ſe *Eccl.* 1. *Vanitas vanitatum, dixit Eccleſiaſtes.* & *Num.* 24. *verſ.* 3. ſic de ſe ipſo Balaam. *Dixit Balaam filius Behor, dixit homo cuius obturatus eſt oculus.*

Regula. Aliquis de ſe tanquam de tertia perſona loquitur.

48\. ſ *Et clamauit leo.*] Duobus modis video explicari poſſe hunc ſpeculatoris, ſiue prophetæ clamorem; altero vt *leo* ſit ſpeculatoris vox, ac ſi dicat ſpectans alacrem hoſtium, & incitatum curſum, *Leo, leo, inquam, properat exitium afferens ciuitati.* Aut certè, quod magis commune & veriſimile eſt, hic nota deficit ſimilitudinis; & *leo* non eſt ſpeculatoris clamor, ſed potiùs ipſe dicitur clamaſſe ſicut *leo*. Quia minæ prophetarum non aliter concutiunt, atque examinant mortalium pectora, quàm leonum rugitus, qui in rerum maximè terribilium comparationem adduci ſolet. Quare Deus dum horrificas intorquet minas, *rugire* dicitur. *Amos* 1. *Dominus de Sion rugiet.* & idem *cap.* 3. *Leo rugiet, quis non timebit?*

Propheta ſpeculator.

C

49\. t *Super ſpeculam Domini ego ſum.*] Hæc ego ſeparatim pono diſpuncta à ſuperiori clauſula, in quibus iam apertiùs propheta declarat ſe illum eſſe ſpeculatorem, de quo priùs tanquam de diuerſo loquebatur. Vbi optimè explicat quale ſit munus, atque ſpiritus propheticus, nempe nocte, diéque excubias agere perpetuas, vt verbum Dei excipiant, aliiſque denuntient, ſicut in ſtatione ſua, atque ſpecula vigili ſemper ſtudio ſpeculatores faciunt. Porrò hæc ad illud, *ſtans totis noctibus*, parentheſi concludenda ſunt, & quæ ſtatim ſuccedunt cum illis quæ interrupta fuerant contexenda.

50\. u *Ecce iſte venit aſcenſor vir biga.*] Hæc coniungenda ſunt cum illis, quæ interciſa ſunt hyperbato, & incluſa parentheſi. Hic iam rugire incipit leo, de D quo nuper, cùm aduentare, & imminere clamat Perſicas acies. Hic autem ſingulari forma *aſcenſor* ponitur pro *aſcenſoribus*, quod in re militari non infrequens eſt: In qua ſæpe *hoſtis* pro *hoſtibus*, *miles* pro *militibus*, pro *equitibus*, *eques* adhibetur. Et ſuadet illud *vir*, quod, vt alibi à nobis ſæpius obſeruatum eſt, indefinitè ſumitur pro *quolibet*, aut *ſingulis*.

51\. x *Et reſpondit, & dixit.*] Satis notum eſt, *reſpondere* in ſcriptura non ſemper eſſe *interroganti ſatisfacere*; ſed interdum *nemine percontante ſermonem ordiri*, aut ſimpliciter idem quod *loqui*. Sicut an- E tem geminatio, quæ mox additur *Cecidit, cecidit*, epitaſim habet, ſic nunc geminatio duarum vocum, idem ſignificantium, *reſpondit & dixit.* ac ſi dicat, dixit ſpeculator, dixit, inquam, certus de rerum euentu, id quod dicitur ſtatim.

52\. y *Cecidit, cecidit Babylon.*] Viderat propheta ſpeculator inſtructas copias Perſico apparatu, nunc vidit obſcuratam gloriam, & collapſam ingentem Babylonis molem, & ſtupefactus ſubitá mutatione clamat *cecidit*, &c.

53\. z *Et omnia ſculptilia Deorum eius.*] Ex his conſtat hæc verba pertinere potiùs ad prophetam, cui cum gentium idolis odium implacabile, quàm ad Cyrum, cui de ſculptilibus nulla cura erat, cùm ipſe quoque Deos haberet ſculptiles.

aa *Triturà mea & filij areæ meæ.*] Hactenus vox ſpeculatoris, id eſt, vaticinium contra Babylonem, nunc iam propheta populum ſuum conſolatur, id eſt eos, qui ex incredibili multitudine ad paucos redacti ſub Chaldæorum iugo varij fuerunt exercitij, quaſi excuſſi laboribus non ſecus atque frumentum, quod ex magno frugum aceruo, qui ex meſſione comportatur in aream, in exiguam quantitatem purum à ſtipula reducitur. Conſolatur ergo propheta Iudæos, quos manebat durus, atque aſſiduus labor, atque certamen cum Babylonis, & B Aſſyriis, à diſſimilitudine Babylonici caſus. Sic enim cecidit Babylon, vt contrita ſit, ſic concuſſa, vt ex ea excuſſum gramen non ſit ad horreum, ſed tanquam inutiles ſtipulæ in cineres conuerſæ. Non ſic autem populus Iudaicus, quem triturauit Dominus per Syriæ, atque Samariæ vires: Deinde per Aſſyrios, ad extremum per Chaldæos, non vt contereret, ac perderet, ſed, vt purgaret, ac conderet in horreum. Quàm autem durè vexatus fuerit ille populus in tribulationis area, conſtat ex his, quæ ſuo loco diximus, de tempore Achaz: Vbi multa Iudæorum millia capta ſunt & occiſa à Rege Syriæ, atque Samariæ. Vide *lib.* 2. *Paralip. c.* 28. Deinde grauia paſſus eſt ille populus à Senacherib: multò grauiora in obſidione, & exilio longo C Chaldæorum, quibus quaſi in camino excoctæ ſunt Iudæorum ſcoriæ. Reliquias ergo tot bellorum, & caſuum *trituram ſuam* appellat propheta, *& filios areæ*, id eſt, frumentum in area ferratis tribulis, aut ferratis vngulis priùs, & ventilabro poſtea, & ad extremum cribri concuſſione purgatum. 54.

Aliter Babylonij, aliter Iudæi laboribus exercentur.

Hic duo nobis obſeruanda ſunt, alterum, frequentem hanc eſſe metaphoram in Scriptura de area purganda, qua vſus eſt Ioannes Baptiſta *Matthæi cap.* 3. vbi etiam *palearum* meminit, & *ventilabri*; qui ad hunc locum videtur reſpexiſſe. Et ſæpe *trituram* pro *afflictione* ſumi, vnde ortum eſt familiare vocabulum *tribulatio*, nempe à *tribula*, qua fruges triturantur in area. Vt de hac ipſa Babyloniæ clade dicitur *Ierem. cap.* 51. *verſ.* 33. *Filia Babylonis quaſi area tempus trituræ eius.* Vide quæ diximus ad illud *cap.* 25. *Triturabitur Moab.* 55.

Prouerbiũ.

Alterum, ſæpe in ſcriptura *actionem* ſumi pro actionis obiecto, vt *auditionem* pro re audita, *laudem* pro re laudabili, *timorem* pro re horribili. Aut etiam pro eo, quod ex actione colligitur, vt *meſſis*, *vindemia*, *putatio*, pro frugibus, vino, fluribus, aut ramis collectis. Et iuxta hæc *tritura* ſumitur pro frumento trituratione, ſeu tritura è ſiliquis excuſſo, atque purgato. *filij* verò *areæ* iidem ſunt qui priùs vocati *tritura*. 56.

Regula. Actio pro actionis termino, ſeu obiecto.

Pro *tritura*, & *filij areæ*, Septuaginta tranſtulere, *derelicti, & dolentes*, eodem vt apparet ſenſu. Hinc collige quò ſpectet tribulatio iuſtorum, quæ à Deo eſt, & quanti à nobis fieri debeat; cùm à paleis purget, quæ igni debentur, & horreis præparet frumentum à ſtipula purgatum. Sanè poſt trituram Babylonis à Cyro auditur, *Cecidit Babylon.* poſt trituram Ieruſalem à Deo, *filij areæ meæ.* 57.

Tribulatio iuſtorum.

Noua prophetia contra Idumæos.

bb *Onus Duma.*] Hactenus de Babylone, iam incipit alia prophetia de Idumæa, vt eſt communis inter 58.

Incipit pro[illegible]

Google

pheria cōtra Idumæos.

interpretum ſententia, atque ita Septuaginta pro *Duma*, *Idumæam* reddiderunt. Quod etiam perſuadet vox *Seir*, quæ ſtatim ſubiungitur. Sunt autem hîc duo nomina *Eſau*, qui Idumæorum pater fuit. In *Duma* paulò obſcurior intelligitur *Edom*, quod *rufum* ab edulio rufo, & *Seir* quod *piloſum* ſignificat. Eſt autem in ſcriptura non infrequens, vt per aphæreſim à nominibus præſertim propriis tollatur prima litera, aut ſyllaba dictionis; imò, ſi nomen eſt compoſitum, prior cōpoſitionis pars: vt pluribus exēplis oſtendimus ſuprà *c.15. in princ.* inde pete. ¶ Antequam vaticinium hoc de *Duma*, id eſt, de *Idumæa* explicare aggredior, dicam quid circa hoc nomen, & vaticinium nugentur Hebræorum magiſtri (quibus ex noſtris aliqui non admodum repugnant: quorum ſtomachor, non tam accuratam, quàm otioſam eruditionem) qui in *Duma*, *Romam* intelligunt; & vaticinia, quæ contra Idumæos denuntiantur, tam ab hoc, quàm à prophetis aliis, contra Romanam gloriam, & Romani imperij maieſtatem, & potentiam interpretantur. Hæc illorum cogitatio; at ratio ſcilicet melior. Dicunt pro *Duma* legendum eſſe *Romam*, vitiúmque ex eo in textum irrepſiſſe, quia ר *res*, quæ prima eſt in Roma, propter ſimilitudinem mutata eſt in ד *daleth*, & ideo modico flexu pro רומה *romah*, ſcriptum eſſe דומה *dumah*. Quod merè ſomnium eſt, & ſine fundamento diuinatio. Hanc Hebræorum rationem adducit Hieronymus *in hunc locum*, *& in Abdiam*, quam optimè expugnat.

Addunt præterea Hebræorum magiſtri, in quibus eſt Rab. Dauid *in Abdiam*, *& in cap. 34. Iſaiæ*, & Rab. Salomon item *in Abdiam*, *& in cap. 4. Thren.* & cum eis eiuſdem farinæ, ac fidei plures alij, quoties aliquid contra Idumæos à prophetis denunciatur, id ſpectare Romanos; quos Idumæos vocari affirmant, quia Iulius Cæſar, qui genus duxit ab Ænea, & qui poſt eum Romanum imperium tenuere, ex Idumæorum genere profecti ſunt; atque ideo ab illis meritò reliquos Romanos Idumæos vocari. Vnde id nouerint non docent, neque vllo modo poſſunt: niſi *Troiam* ad quam genus ſuum Romani referunt, qui à Troiano Ænea; *Æneadæ* ipſi à Poëtis nominantur, ad *Idumæam* pertinere dicant. Quod planè falſum eſt, quia Phrygia, vt conſtat, vbi Troia eſt, longè diſtat ab Idumæorum regione. Contra hanc Hebræorum inſaniam ſæpe agit Hieronymus, vt hoc loco, & in illud *Ioel. 3. Et Idumæa in deſertum perditionis*. Burgenſis *in addition. ad cap. 34. Iſaiæ*. Petrus Galatinus *lib. 4. cap. 28.* Ribera *in principio Commentariorum in Abdiam*: quos tu vide, nam mihi ſatis videor cum his nugatoribus otij, atque operæ perdidiſſe.

59. [c c] *Ad me clamat ex Seir.*] Sicut in onere Babylonis *ſpeculatorem* ſe vocat Iſaias, ſic in onere Idumææ idem ſibi nomen aſſumit. Inducit autem Idumæam ſollicitam de hoſtium aduentu, & quaſi iam audiat bellicum ſtrepitum, trepidantem, rogantémque de Seir, quæ illius regionis videtur eſſe caput, quidnam ſpeculator, aut videat, aut odoretur.

[d d] *Cuſtos quid de nocte? cuſtos quid de nocte?*] Hæc ſunt verba clamantium ex Seir. Hæc autem iterata interrogatio maximè declarat ſolliciti pectoris angorem, & metum. De *nocte* verò quæritur, quia cùm hæc ſit magis inſidiis opportuna, in illa etiam quæ tuta ſunt, omnia periculi ſuſpicionem afferunt. Adamus putat quæri ab Idumæis

A de hora noctis, vt diſcant quantum ad lucem vſque ſuperſit temporis: quia in luce putabant longè leuiorem fore mentis angorem. Alij quæſtionem eſſe de nocturnis periculis, ac ſi dicant, Quid, ô ſpeculator, nobis de noſtro ſtatu in hac nocte ſignificas? Viuimus ne an funditus perimus? Ecquid de hoſtibus exploratum habes? & hoc poſterius mihi probatur magis.

[e e] *Venit mane, & nox.*] Valde obſcura atque implexa eſt vigilis reſponſio. Plerique tamen in eo conueniunt, nihil iucundum Idumæis hac voce portendi, & (quia ipſam noctem metuunt Idumæi, quæ ſolet tenebris occultare hoſtium conſilia, & in qua nihil non timent afflicti, atque obſeſſi pectoris anguſtiæ) à cuſtode reſponderi 60.
B etiamſi mane illuxerit, diem tamē ſplendore Solis illuſtrē illis non futurā eſſe diem, ſed inſtar noctis, plenæ perturbationis, ac metus: quia eodem modo in die & æſtuabunt conſilij inopes, & opprimentur ab hoſtibus. Emanuel Sa in hanc ſententiam exponit. Etiam ſi nocte rogent de hoſtibus, & iterum manè, & rurſus nocte iterum ac ſæpius, quantumcumque ſoliciti ſint, & moleſti interrogando, & laſſando cuſtodem, nihilominus illis omnino eſſe pereundum. Hæc ſanè omnia bene & ſatis ad textum, & Idumæorum tempora & mores accommodatè: ſed fortaſſe tertia expoſitio cuius neminem autorem adduco, inepta, aut aliena non eſt; Ita vt hic à cuſtode reprehendi videantur Idumæi, qui cùm extrema omnia ab hoſtibus metuant,
C nihil tamen ad hoſtem arcendum comparent opportuni præſidij, ſed in eo toti ſint, vt vigiles obtundant, atque enecent, illud identidem iterando, *cuſtos quid de nocte?* Reſpondit ergo cuſtos, id eſt Iſaias, venit mane, & quæritis de hoſtibus, venit nox, & hoc ipſum repetitis, quod muliebris, ac ſi diceret, atque infantilis ingenij eſt. Qui cùm timeant futurum, aut etiam præſenti iactentur infortunio, præter querimonias tamen, atque eiulatus nihil adhibent ad declinandum malum, & ideo ad hæc conſentaneè additur.

[f f] *Si quæritis quærite, conuertimini & venite.*] 61.
Quidam hæc ſic accipiunt. Quantumuis quæratis, concurſetis, ac trepidatione populari in omnem partem conſilia veſtra, ac vos ipſos conuertatis,
D nihil tamen præſidij, ac fructus afferet hæc ſollicitudo, atque æſtus. Sed accommodatè ad tertiam explicationem, quam diximus videri non alienam, puto aliam eſſe ſententiam maximè cum prophetarum ſpiritu conſentientem: qui id agunt præcipuè, vt homines à peccando retrahant, idque plerumque minacibus verbis. Cùm autem plaga illa quam imminere ſibi ſuſpicabantur, & dolebant Idumæi, propter ipſorum peccata eſſet infligenda, vt liquet ex Amos *cap. 1. verſ. 11.* & Abdia *toto fermè capite*, ſanè ſe Idumæi contra hoſtiles minas bene comparaſſent, ſi peccatum deteſtati, & ſuperiorem vitam pertæſi aliam meditarentur vitæ rationem. Et hoc potius quærendum erat à ſpeculatore, id
E eſt, à propheta diuinorum conſiliorum interprete, quàm de hoſtium aduentu. Quare reſpondet ſpeculator, *Si quæritis quærite*, quæ veſtra maximè noſſe interſit, atque perficere: conuertimini videlicet à via veſtra mala, & tunc de muro venite; nempe ſatis contra hoſtes armati, ſi vobiſcum ſociam habeatis anteactæ vitæ mutationem, & de ſuperioribus erratis pœnitentiam. Hæc mihi expoſitio videtur non difficilis, & cum aliis de Idumæa vaticiniis aptè conſentiens.

62. Ad huius ſententiæ intelligentiam obſeruo, quando verbum repetitur quod cum conditionali aut aliqua ſimili particula præceſſerit, id quod poſteriori loco ponitur, habere quandā epitaſim: ita, vt quod priori loco fieri dicitur, vtcumque atque ſimpliciter, id poſteriori loco faciendum oſtendatur maiori ſtudio, ſaniori conſilio, non ſimulatè
Ierem. 4. ac ſegniter, ſed ſtrenuè, atque ex animo. *Ierem cap. 4. verſ. 1. Si reuerteris Iſraël, ait Dominus, ad me conuertere.* Vbi Hieronymus docet *conuertere* ſecundo loco plenam, atque perfectam conuerſionem ſignificare. Eodem modo explicat S. Thomas, Rabanus, Hugo, Dionyſius. Et Chaldæus indicat, qui ita in hunc locum, *Si conuerteris Iſraël ad cultum meum, acceptabilis erit conuerſio tua antequam ſignetur ſententia tua.* id eſt, conuertere, quo tempore vtilis erit conuerſio, dum tempus acceptabile eſt; quam epitaſim explicuit Chriſtus in eodem genere orationis, cùm dixit, *Quod facis fac citiùs.* Quam planè vim habet illud vulgatum, *Age quod agis.* Sic ergo præſenti loco monet propheta, vt ſi quid quærunt Idumæi, id quærant prudenter & vtiliter. Et hîc finitur tota prophetia contra Dumam.

Noua prophetia contra Arabiam.

63. Incipit noua prophetia contra Arabiam. g g *Onus in Arabia.*] Præpoſitio ב *beth*, pro qua Vulgatus reddidit *in*, motum etiam ſignificat in locum, & *contra* ſeu *aduerſus*. Quare commodè exponi poſſet *in Arabiam*, quia *onus* quod proponitur grauis viſio eſt, & duræ calamitatis pondus importat. Niſi dicas cum Adamo, hîc non contra totam Arabiam eſſe vaticinium, ſed contra nationem aliquam, quæ ſit in Arabia, nam ibi ſunt Ammonitæ, Moabitæ, Idumæi, & Iſmaelitæ: & contra hos poſtremos exiſtimatur eſſe vaticinium, qui paulò pòſt appellantur *Cedar.* Sed primùm non adeò certum eſt nationes illas eſſe in Arabia; nam illa, vt nomen ipſum ſonat, arida eſt, & deſerta, & longè à mari mortuo ſummota (nihil hîc dico de Arabia Petræa) Idumæa tamen, Moabitis, atque Ammonitis regiones mari mortuo proximæ ſunt, eædémque vberi atque fœlici gleba, & irriguo ſolo. Eſt ergo prophetia contra eos, qui magis proprio, atque communi vocabulo *Arabes* dicuntur, qui & *Cedareni*, aut *Iſmaelitæ*, qui deſerta incolunt, & non tam in vrbibus ciuili atque humano cultu, quàm penè ferino more, exuſti ſole atque horridi in tabernaculis habitant.

64. h h *In ſaltu ad veſperam dormietis.*] Non facile eſt ſtatuere ad quoſnam ſpectent prophetica hæc verba, ad Iſraelitas ne, an ad Arabes, ſeu Idumæos. Cyrillus & Procopius, qui ſecuti ſunt verſionem Septuaginta, à quibus, vt obſeruauit Hieronymus omiſſum eſt illud *onus in Arabia*: quíque hanc cenſent nouam prophetiam non eſſe, ſed ſuperioris appendicem, conſequenter dicunt ſermonem hîc eſſe de Idumæis, qui ideo exagitandi dicuntur, quia in filios Iſrael fugientes, & ſupplices animo planè inclementi, & barbaro obduruerunt. Sed nos qui ex textu non ſolùm Latino, ſed etiam Hebraico aliud hîc vaticinium cognoſcimus, aliter etiam accipiamus neceſſe eſt. Adamus, & Emanuel Sa, hæc putant pertinere ad Iſmaelitas, qui fugandi ſunt, & à finitimis cibum potúmque fruſtra imploraturi, cum ab inſequenti hoſte ſic vrgeantur vt neque noctem poſſint ad quietem aſſumere. Alij hæc priora de Iudæis intelligunt, qui vaſtata Ieruſalem à Chaldæis effugere potuerunt commune vrbis, & ſuæ gentis incendium. In his ſunt Hieronymus, Haymo, Foreirus, Hugo, & Dionyſius: quorum ego ſententiæ ſubſcribo meam. Exponitur enim ad finem capitis Arabum ſupplicium cuius cauſa nunc proponitur, dum calamitas deſcribitur populi Iudaici. Sic ergo Iſaias ad Iudæos, qui tunc aderant (ſeu certè ad decem tribus, quæ non multò pòſt captæ ſunt à Salmanaſar, &, vt eſt veriſimile, talia paſſæ ſunt ab inclementia Arabum, qualia nunc ab Iſaia deſcribuntur) Aderit tempus, ô viri Iſraelitæ, in quo à patriis expulſi ſedibus in alieno ſolo dormietis extorres, & egeni, quibus niſi aliena accedat miſericordia pereundum eſt.

Pro eo, quod Vulgatus habet *ad veſperam*, Hebraicè eſt בערבה *baaraba*, quæ vox & *veſperam* ſignificat, & *Arabiam*; Et eſt omnino vox eadem, quam proximè Vulgatus *Arabiam* tranſtulit. Noſter autem interpres, quod ſæpe facit, nominis ſignificationem ſeu notationem poſuit pro nomine proprio. Quod iterum in hac eadē voce habemus *Pſal. 67. Qui aſcendit ſuper Occaſum.* Vbi pro ערבה, *occaſum* legimus. & eſt ſermo de monte Sina, qui eſt in Arabia: *occaſus* autem, & *veſper* idem ſunt. Exiſtimo ergo primùm, vt Vulgatus ſignificat in ſua tranſlatione, his verbis oſtendi palantes Iudæos, & non ſolùm à Babyloniis exagitatos, ſed etiam malè ab Iſmaelitis acceptos, quæſituros latebras in ſyluis, vbi ad veſperam dormiant, ſed cum alluſione ad nomen Arabiæ, cui cum veſpera, ſeu occaſu commune nomen eſt; ita vt denuntiet propheta veſpertinam illam, ſeu nocturnam quietem in Arabico ſaltu eſſe ponendam. 65. Arabia quid ſignificet.

i i *In ſemitis Dedanim.*] Filij Iſrael vrgente hoſte ſiue Chaldæo, ſiue Aſſyrio, in varia loca dilapſi ſunt in Arabiam, Dedanim; & in eam regionem, quæ ſtatim à Vulgato dicitur, *Auſter*, Hebr. *Theman*; quæ, vt tradit Hieronymus in illud *Ierem. 25. Dedan & Theman.* In ſolitudine ſunt, vicinæ, & mixtæ regionibus Iſmaelitarum. Quare exiſtimo hîc explicatiùs tradi quæ in voce *Arabia* continebantur, quia hæ præcipuè videntur Arabum, ſeu Iſmaelitarum prouinciæ. Quia verò Arabes, Cedareni, & Dedanim, qui & Iſmaelitæ, in montibus, & ſyluis agunt, vt diximus *cap. 42. num. 46.* credo Iudæis à patria profugis hoc loco prædici futurum, vt inſtar Cedrenorum agreſtem in illa diſperſione vitam agant: & in ſaltu, ac ſolitudine ſub cœlo, aut vbi cum illis commodiùs agetur, in tabernaculis habitent. 66.

l l *Occurrentes ſitienti ferte aquam, qui habitatis terram Auſtri.*] Quidam hæc ad illos referunt, qui ad Auſtrum habitant, ſeu Theman, id eſt, ad Dedanitas & Themanitas, quos nuper diximus ex Hieronymo vicinos eſſe Iſmaelitarum, qui admonentur vt vicinis ſuis Arabibus extrema fame laborantibus, cum pane occurrant, & aqua. Sed, vt diximus, hæc ad Iſraelitas ſpectant, à Chaldæis ſiue Aſſyriis exactos è ſuis ſedibus, & ad alienas, ſeu etiam ad ferarum latibula fugere compulſos. Nunc verò monet Arabes, & qui ad Arabes pertinent, Themanitas, & Dedanitas, vt amicè, atque humaniter accipiant profugos cum aqua, & pane, ſi velint ſimile infortunium declinare. Quod quia ipſi facturi non erant, deinde, vt videbimus, ad extremum capitis minacem intentat prophetiam. Videtur autem hîc alluſum eſſe ad illud *Deuter. 23.* vbi mulctati grauiter Moabitæ, & Ammonitæ, quia egreſſis ex Ægypto Hebræis non occurrerunt 67.

eum

cum pane, & aqua: quaſi admoneret, vt periculum facerent in alieno, eóque vicino capite.

68. ᵐᵐ *A facie enim gladiorum fugerūt.*] Rationem refert, qua duros, & agreſtes Arabum animos ad miſericordiam inflectere debeant; neque enim prædandi ſtudio, aut virtutis oſtentandæ gratia, aut inani viſendæ, aut explorandæ regionis cupiditate eò appulerunt, quæ potiùs acuere furorem ſolent; quàm lenire; ſed quia aliud non occurrebat mortis effugium, cùm potentior inſtaret inimicus; & occluſæ eſſent reliquæ ad ſalutem viæ. Quæ ratio etiam erga hoſtes potentiſſima eſt. Simili argumento vſus eſt Virgilianus Ilioneus in ſimili Troianorum calamitate ad Didonem, 1. *Æneid.*

Troës te miſeri ventis maria omnia vecti, &c.
Non nos aut ferro Lybicos populare penates
Venimus, aut raptas ad littora vertere prædas.

Et quæ ſequuntur valde cum hoc rerum articulo colludunt.

Quod genus hoc hominum? quave hunc tam barbara morem
Permutit patria? hoſpitio prohibemur arenæ?
Si genus humanum, & mortalia temnitis arma,
At ſperate Deos memores fandi, atque nefandi.

69. ⁿⁿ *Adhuc in vno anno, quaſi anno mercenarij.*] Hæc verba ſunt oneris in Arabiam; nam hactenus de ſupplicij merito dictum eſt. Hic locus obſcurus eſt, quia non facilè conſtat, quibus ex genere Iſraelitico, de quo hæc accipienda diximus, acciderit illa calamitas, quæ illos profugos egit in Arabicos fines. Nam ſi poſt annum ab hac prophetia Arabes experti ſunt harum minarum pondus, certum eſt hæc pertinere non poſſe ad Chaldæorum bella, qui multis poſt hæc annis Iudæorum gentem afflixerunt. Longè magis videtur expeditum, ſi hæc accipiamus de illis Iſraelitis, qui ab Aſſy- ſub Salmanaſar victi ſunt, quique captiuitatis ignominiam, & ærumnam aſſumpta in proximas regiones fuga declinauerunt. Quo tempore ab Arabibus illa paſſi ſunt, quę nunc prædicuntur ab Iſaia. Et ab hac ſententia nō ſum omnino alienus, licèt de hac Themanitarū, aut Arabum clade per Aſſyrios nullum in Scriptura veſtigium habeamus, niſi quod nunc offert Iſaias.

70. Nihilominus puto magis probabile, hæc explicari poſſe de Iudæis, quos duriùs afflixit, & de patriis ſedibus exegit Nabuchodonoſor. Nam contra Arabes, & Dedanitas hæc eadem prædicta ſunt à Ieremia *cap.*25.*verſ.*23.*& cap.*49.*verſ.*18. & ab Ezechiele *cap.*25.*verſ.* 13. qui cùm prophetæ ibi eſſent potiùs, quàm hiſtorici, non tam de præterita earum gentium calamitate texuerunt hiſtoriam, quàm de futura instituerunt vaticinium. Neque præterea apparet à quo poſt annum vnum talia Dedanitæ, atque Arabes accipere potuerint incommoda: niſi à Senacherib, qui ſub hæc tempora vires Aſſyrias, in Iudæorum fines inuexiſſe videri potuit. Sed non eſt credibile, quia, ſi id perfeciſſet ante obſeſſam Ieruſalem, non tacuiſſent illius legati, qui eius victoriam ambitioſiſſima oratione prædicauerunt. Vbi nihil de Arabia, Cedar, & Dedanim. Sed neque poſt illam obſidionem, aut reditum ex Æthiopia, & Ægypto: quia ſtatim deleto ab Angelo illius exercitu in patriam ignobili fuga redire compulſus eſt.

71. Cenſeo igitur cum Hieronymo, Haymone, Hugone, Cyrillo, Dionyſio, & aliis, ſermonem eſſe de Iudæis, qui fugientes à Chaldæorum gladio, qui Hieroſolymam vaſtauerunt, coacti ſunt & ſolum vertere, & ad alienam miſericordiam confugere. Quibus Arabes & Idumæi adeò non præbuerunt hoſpitium, vt etiam ſupplices & abiectos inclementer expulerint. Porrò annus ille quaſi mercenarij, non capit initium ab hac prophetia; ſed à captiuitate duarum tribuum, aut ab ea inclementia, quam in Iudæos profugos oſtenderunt Arabes, vt cum Hieronymo cenſet Haymo, & Hugo.

72. *Annus mercenarij*, aut pro tempore ſumitur laborioſo, & moleſto, quia nullam anni partem mercenarius habet à labore vacuam, vt diximus *cap.* 16. ad illud, *quaſi anni mercenarij*: aut certè pro tempore omnino certo, & definito. Nam cùm Scripturæ conſuetudine ratio non habeatur illius numeri, qui modicè à certo, & magis noto deficit, aut illum excedit; cum ſignificatur ſpatium temporis definito numero, atque ſpatio concluſum, ita vt liberum non ſit aliquid de ſpatio deduci aut addi, *annus* vocatur *mercenarij*: Quia mercenarius, qui in annum locauit operam ſuam, non patitur diutius laborem produci, neque, qui illum conduxit, annum non impleri.

73. ᵒᵒ *Et auferetur omnis gloria Cedar.*] *Cedar* filius fuit Iſmaëlis *Geneſ.*25.*verſ.*13. à quo regio illa, quam habitauit, nomen accepit; ſicut prioribus ſæculis omnes ferme prouinciæ ab his, qui illas primùm incoluerunt. Qui verò *Cedarens* dicuntur, iidem quoque ab *Iſmaële*, *Iſmaelitæ*, & ab eius parente *Agar*, *Agarens* vocantur, licèt ipſi honoris gratia à *Sara* malint appellari *Sarraceni*. Hi verò in tabernaculis habitant: pecoribus paſcendis intenti, rari plerumque agunt, venationi ſtudent, prædas captant, & valent plurimùm arte ſagittandi: quia regio illa his ſtudiis perquam opportuna eſt. Vide Ieremiam *cap.*49.*à verſ.*28. vbi mores Cedarenorum deſcribit.

74. ᵖᵖ *Et reliquiæ numeri ſagittatorum fortium de filiis Cedar minuentur.*] Quemadmodum *immenſum* ingentem molem, & *menſurabile* exiguam quantitatem ſignificat: ſic etiam *innumerum* aut *innumerabile* multitudinem maximam, & *numerus*, ſiue *numerabile* exiguam importat; vt pluribus oſtendimus *cap.* 10. ad illud *Præ paucitate numerabuntur.* Hoc itaque loco *reliquiæ numeri*, id eſt, numerabiles, id eſt, paucæ, dicuntur illi, qui ex communi cæde, ac vaſtatione ſupererunt ex Arabum genere. Ac ſi dicat propheta. Ex tanto Iſmaelitarum numero, qui agros, montéſque compleuerant; qui propter velocitatem, & locorum aſperitatem, & præruptos aſcenſus, tum propter ſingularem ſagittandi peritiam; vt pote nati ex parente ſagittario Eſau *Gen.* 21. non videbantur bello tentari poſſe, nedum expugnari, tamen ſic ab hoſtibus Chaldæis concidentur, vt ex tanta multitudine, quod erit reliquum; exiguum admodum ſit. Quæ res, cùm eſſet his, qui Arabum ingenium, & inſtitutum noſſent, creditu difficilis, ſuæ orationi adſcribit diuinæ authoritatis pondus, dum ait. *Dominus enim Iſrael locutus eſt.*

Argumentum vigeſimiſecundi capitis Iſaiæ.

REDIT propheta ad Ieruſalem, cuius excidium eleganter deſcribit, & ita dolenter, ac miſerè deplorat, vt omnem, aut interpellatorem, aut conſolatorem repellat, deinde vaniſſima Iudæorum conſilia reprehendit, & damnat, qui toti ſint inhumanis præſidiis comparandis contra hoſtiles acies, & diuina non curent; à quibus tantùm ſperari poterat, & obtineri ſalus. Ad extremum minacem prophetiam ad Sobnam conuertit templi præpoſitum, cui exilium, & ignominiam denunciat, & eius loco ſufficiendum eſſe Eliacim, quem futurum eſſe affirmat rei publicæ, atque domeſticæ curatorem, & patrem.

CAPVT XXII.

1.2 [a] *ONVS vallis viſionis. [b] Quidnam quoque tibi eſt, quia aſcendiſti & tu omnis in tecta? Clamoris plena, vrbs frequens, ciuitas exultans: [c] Interfecti tui non interfecti gladio, nec mortui tui in bello.*

3 *Cuncti Principes tui fugerunt ſimul, duréque ligati ſunt: omnes, qui inuenti ſunt, vincti ſunt pariter, procul fugerunt.*

4 [d] *Propterea dixi: Recedite à me, amarè flebo: nolite incumbere, vt conſolemini me ſuper vaſtitate filiæ populi mei.*

5 [e] *Dies enim interfectionis, & conculcationis, & fletuũ, Domino Deo exercituum in valle viſionis, [f] ſcrutans murum, & magnificus ſuper montem.*

6 [g] *Et Aelam ſumpſit pharetram, currum hominis equitis, & parietem nudauit clypeus.*

7 [h] *Et erunt electæ valles tuæ plenæ quadrigarum; & equites ponent ſedes ſuas in porta.*

8 [i] *Et*

PARAPHRASIS in idem caput.

1.2 VATICINIVM durum contra montem viſionis, qui eò redigetur ab hoſtibus, vt non tam mons ſublimis, quàm depreſſa vallis vocati poſſit. Quid tibi quoque accidit Ieruſalem, vrbs ciuium numero frequens, & rerum ſucceſſu quondam exultans, quia non tantùm apud domeſticos priuatim, ſed etiam publicè lugubri clamore ad tecta conſcendens tuum infortunium deploras? Lamentaris quidem, neque tamen ſine graui cauſa; filij etenim tui ita cadent, vt illis deſit, quod in extremo malorum, extremum ſolet eſſe ſolatium: neque enim, vt fortes in bello ſolent, gladio, ſed, vt imbelles, aut ignaui, turpiter occumbent.

3 Omnes Principes tui inerti ſe fugæ crediderunt, in qua ab hoſte Chaldæo comprehenſi ſunt, ferreíſque vinculis aſtricti. Omnes, inquam, principes quotquot in te fuerunt, ligati ſunt vinculis, & à patriis ſedibus procul abducti.

4 Hæc propter æger ego, & mœrens, hæc ad importunos conſolatores aio: Abſcedite à me omnes, neque exiſtimetis dolorem meum vlla poſſe leuari conſolatione, nequicquam ex animo meo eximere quiſquam ſtudebit, quem capio ex filiæ populi mei caſu doloris ſenſum.

5 Venit enim ſumma dies, & tempus ineluctabile, quo Deus ſtatuit non iam montem, ſed vallem viſionis ſpoliare ciuibus, graſſante cæde, & omnino conculcare, materiámque ſatis luculentam præbere, cur diu, ac miſerabiliter lugeat. Videre etenim videor Deum ſcrutantem, vt duces ſolent, qua parte, & quomodo muros ſubuertat, ſtans in ſuperiori loco, vt ſpectet melius, & commodiùs excindat.

6 Aſcendent Perſæ cum Rege Babylonis arcu inſignes, & pharetra; aſſument quadrigas, quibus viri bellatores inequitent, & nudato pariete clypeos arripient, qui ex paxillis inde fixis antè pendebant.

7 Valles tuæ ô Ieruſalem vberes, & amœnæ quadrigis armato milite plenis replebuntur: & in portis vbi maior eſt ciuium frequentia, vrbíſque

que præſidium longe potentius, equites alieni tanquam in ſuo ſibi domicilio ſecura confidebunt.

8 [i] *Et reuelabitur operimentum Iuda,* [k] *& videbis in die illa armamentarium domus ſaltus.*

8 Tunc etiam arcana ſacra, templique adyta non ſolùm Gentibus, ſed etiam alijs Iudæis (vno ſacerdote ſummo excepto) prius inacceſſa non ſolùm ſpectanda, ſed etiam illudenda Gentibus patebunt. Eo verò tempore, cùm ad opem diuinam ſupplex, ô Ieruſalem, confugere debuiſſes, fiduciam potiùs locauiſti tuam in armamentario, quod in domo ſaltus Libani Salomon excitauerat: Vt inſultanti, extremáque minanti hoſti, ſatis, vt tibi videbaris inſtructa occurreres.

9 [l] *Et ſciſſuras ciuitatis Dauid videbitis, quia multiplicatæ ſunt:* [m] *Et congregaſtis aquas piſcinæ inferioris.*

9 Conſideraſti præterea ſiquid eſſet in ciuitate Dauid, quæ arx eſt, & munimentum ciuitatis, ruinoſum, apertum, aut infirmum, vt illud inſtaurares, ac reficeres: & ad illudendas inimicorum machinas ſolidares. Et ne ſiti laborarent obſeſſi, ex inferiori piſcina, quod ſatis videbatur aquarum, intra ciuitatis mœnia deriuaſti.

10 [n] *Et domos Hieruſalem numeraſtis,* [o] *& deſtruxiſtis domos ad muniendum murum.*

10 Numeraſti præterea quot eſſent domus, aut quot eſſent ciuium tuorum capita, vt inde cognoſceres, quantum aquæ foret obſeſſis neceſſarium; vicinas item mœnibus domus demolita es, vt illarum rediuiua materia murorum ſciſſuras, atque ruinas impletes.

11 *Et lacum feciſtis inter duos muros ad aquam piſcinæ veteris,* [p] *& non ſuſpexiſtis ad eum, qui fecerat eam, & operatorem eius de longè non vidiſtis.*

11 Aperuiſti præterea lacum inter duos muros ad aquam eò ex piſcina veteri deriuandam, neque ad eum animum conuertiſti, cuius conſilio ab Ezechia Rege piſcina illa effoſſa eſt ad aquatum vſum, obſeſſorúmque ſolatium, neque ſaltem à longè Regem illum aſpexiſti, qui ſic ſubſidium comparauit hoc humanum, vt multò magis intueretur in diuinum.

12 [q] *Et vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum, & ad planctum, ad caluitium, & ad cingulum ſacci.*

12 Interim dum tu, ô Ieruſalem, inanibus his, atque futilibus præſidiis niteris, Dominus te ad plangorem, & lachrymas, ad caluitium, & ſaccum, quæ miſerorum, atque mœrentium certa ſigna ſunt, vocabit, & adducet.

13 [r] *Et ecce gaudium, & lætitia occidere vitulos, & iugulare arietes, Comedere carnes, & bibere vinum: Comedamus, & bibamus: cras enim moriemur.*

13 Vocabit, inquam, te Dominus ad ea, quæ offenſum ipſius animum ad miſericordiam inflectāt: Tu verò væſanis adducta cogitationibus, nihil præter ſplendidas menſas vitulorum, atque arietum carnibus, & generoſo vino luculenter inſtructas, nihil præter feſtiuos choros, citharam, & tympanum meditabare, ſic tecum ratiocinata. Si cras morimur, quid nos hodie labore, mœroréque conficimus? Interim dum vitæ vſura nobis conceditur, comedamus, & bibamus: mors enim vbi aduenerit, omnem deinceps fruendi facultatem eripiet.

14 [ſ] *Et reuelata eſt in auribus meis vox Domini exercituum;* [t] *ſi dimittetur iniquitas hæc vobis donec moriamini, dicit Dominus Deus exercituum.*

14 Vox hæc Iudæorum væſana, atque impia ad aures meas peruenit, dicit Dominus. Si iniquitas hæc tanta impunita fuerit, & non potius ad mortem vſque mulctata, non recuſo quin, aut infirmitatis, aut leuitatis arguar, dicit Dominus.

15 *Hæc dicit Dominus Deus exercituum;* [v] *Vade*

15 Hæc dicit Dominus, vade, ô Iſaia, & ingre-

[v] Vade, ingredere ad eum, qui habitat in tabernaculo, ad Sobnam, præpoſitum templi, & dices ad eum.

dere ad eum, qui in templo viuit, ad Sobnam, inquam, qui templo, ſacriſque præſidet, cui hæc meo nomine nunciabis.

16 *[x] Quid tu hîc, aut quaſi quis hîc? [y] quia excidiſti tibi hîc ſepulchrum, excidiſti in excelſo memoriale diligenter in petra tabernaculum tibi.*

16 Quid tu hîc, ô Sobna, non tam homo quàm inane quoddam hominis ſimulacrum, quid, inquam, hîc otioſè ſedes? quis te ſpiritus, & quæ te agit inſania, homo nihili, quia ad tui nominis ſempiternam memoriam ſuperbum excitaſti ſepulchrum, excidiſti in illuſtri, atque ſublimi loco monumentum, & tumulum magnis ſumptibus, & egregio opere elaboratum in petra.

17 *[z] Ecce Dominus aſportari te faciet, [aa] ſicut aſportatur [bb] gallus gallinaceus, [cc] & quaſi amictũ ſic ſubleuabit te.*

17 Hæc tu apud animum tuum, ſtultè, atque ſuperbè cogitas; Dominus autem de te longè aliter ſtatuit; qui procul ab eo loco, in quo ſepulchrum tibi ad mortis, obliuioniſque remedium extruxeras, exturbabit te, non aliter quàm ligatis alis, & vinctis pedibus aſportari ſolet, venumque proponi gallus gallinaceus, Et velato capite de terra tua leuabit, & abducet te, ſicut abduci ſolent illi, qui capitali addicti ſupplicio faciem habent velatam.

18 *[dd] Coronans coronabit te tribulatione; [ee] quaſi pilam mittet te in terram latam, & ſpatioſam: [ff] ibi morieris, & ibi erit currus gloriæ tuæ ignominia domus Domini tui.*

18 Pro corona quam tibi ad gloriam maieſtatémque paraueras, illigabit tibi Dominus coronã longè diſſimilem, ad ignominiam turpem, ad dolorem acerbam; implebítque ad ſummum vſque verticem tribulationibus. Neque vllo in loco ſecurè, atque otioſè conſiſtes, ab omnibus vſque per ludibrium proiectus, atque iactatus in latam, atque ſpatioſam terram, ſicut proiici, atque rotari ſolet pila ab otioſa, & ludibunda turba. Ibi morieris vilis, & inhumatus; & ibi morietur currus gloriæ tuæ. Id nempe quod tibi ad inanem, & ambitioſum faſtum comparaueras, ſed morietur quoque te moriente ignominia, & dedecus domus Domini tui, cuius reuiuiſcet gloria, quæ te præpoſito non obſcurata ſolùm, ſed etiam mortua videbatur.

19 *[gg] Et expellam te de ſtatione tua, & de miniſterio tuo deponam te.*

19 Exturbabo te, ô Sobna, de ſtatione tua, in qua tibi glorioſus, atque ſublimis videbare; faciámque, ne ampliùs eo miniſterio fungaris, quod tibi ſpiritus hoſce inſolentes attulit.

20 *[hh] Et erit in die illa: Vocabo ſeruum meum Eliacim filium Helciæ.*

20 Vbi autem ex eo munere primùm excideris, accerſam in illum locum, qui mihi multò, quàm tu fideliùs, atque conſtantiùs ſeruiat, Eliacim filium Helciæ.

21 *[ii] Et induam illum tunica tua, & cingulo tuo confortabo eum, & poteſtatem tuam dabo in manu eius: Et erit quaſi pater habitãtibus Ieruſalem, & domui Iuda.*

21 Ad quem detracta tibi ſacri miniſterij ornamenta, atque inſignia transferam, tunicam, videlicet, & balteum, & cum illis eam quoque poteſtatem, quam tu tyrannico potius quàm amico animo in alios exercebas. Qui vrbem Solymitanam, totámque Iudæam non tam imperio reget ſeuero, ac duro, quàm animo complectetur paterno, ac molli.

22 *[kk] Et dabo clauem domus Dauid [ll] ſuper humerum eius: [mm] & aperiet, & non erit qui claudat; & claudet, & non erit qui aperiat.*

22 Tradam illi clauem, ſummam videlicet poteſtatem in domo Dauid, quam ipſe ſuis potiùs humeris imponet, quàm alienis. Quæ ſumma in populum poteſtas inſtar obtinebit clauis, quæ,

23 [nn] Et

quæ, quod clauſum eſt, aperit; & claudit, quod apertum eſt. Neque contrà quis audet, aut admiſſos excludere, aut excluſos admittere.

23 Et ſtatuam illum tanquam columen patriæ, ſuorúmque tutum, atque fidele præſidium, ex quo non aliter res publicæ, atque domeſticæ pendebunt, quàm ex paxillis in loco fideli, ac ſtabili defixis pendere ſolent diuerſa vaſa, tam quæ ad domeſticos vſus adhibentur, vt crateres, quàm quæ ad animorum voluptatem, vt cithara, & lyra, in quibus intellige omnium ordinum homines, ſummos, medios, atque infimos ab Eliacim habituros gloriæ, pacíſque ſubſidia.

24 Eo autem tempore, ait Dominus, reuelletur paxillus, qui Sobnæ fideli, ac ſolido in loco fixus videbatur; & vbi ceciderit, ita contereretur, vt nulli deinceps futurus ſit vſui; & quæ ex illo vaſa ſuſpenſa fuerant, eadem cum ipſo ruina collidentur, peribúntque. Hæc certa, ac rata futura eſſe confirmat Dei, cuius hîc eſt ſermo, ineluctabile decretum.

23 [nn] *Et figam illum paxillum* [oo] *in loco fideli.* [pp] *Et erit in ſolium gloriæ domui patris eius: Et ſuſpendent ſuper eum omnē gloriam domus patris eius,* [qq] *vaſorum diuerſa genera, omne vas paruulum, à vaſis craterarum, vſque ad omne vas muſicorum.*

24 *In die illa, dicit Dominus exercituum,* [rr] *auferetur paxillus, qui fixus fuerat in loco fideli, & frangetur, & cadet, & peribit, quod pependerat in eo: quia Dominus locutus eſt.*

IN CAPVT VIGESIMVM SECVNDVM COMMENTARIVS.

1\. Ieruſalē cur vocata *vallis*.

a ONvs *vallis viſionis.*] Non dubium quin vaticinium hoc durum ſit de Ieruſalem, de cuius excidio ſic loquitur propheta, vt duris interdum aliquid admiſceat lætum. Nam de reſtituendo populo, ſanandáque accepta à Babyloniis plaga, tum etiam, quod aliquod ſolatij genus eſt, de hoſtium interitu ſæpe, ac grauiter agit. Cur verò ciuitas, quæ in montibus ſita eſt, & toties ab hoc propheta *mons* vocata, nunc dicatur *vallis*, non eſt explicare promptum. Sed neque ratio deeſt; & modus ipſe loquendi valde ad plagæ acerbitatem, & fortunæ viciſſitudinem accommodatus. Quidam ſatis veriſimiliter *vallem viſionis* dictam eſſe *Ieruſalem* ideo putant, quia ſicut in vallem è montium iugis delabuntur fontes, ſic in Ieruſalem, quæ, vt dicit Hieronymus, prophetarum quoddam ſeminarium fuit, è cœlo, quod *mons* etiam appellatur *viſionum*, quotidie aſſidui fontes defluebant. Hieronymus, & cum eo complures alij cenſent, datum eſſe Ieruſalem hoc nomen: quia iam ab antiqua ſanctitate propter quam inter cæteras nationes *mons* vocari poterat, ita deſciuerat, vt illis videretur non eſſe diſſimilis. Et ideo hac loquendi forma ſignificat propheta à virtutum culmine ad vitiorum vallem, id eſt profunditatem, eſſe depreſſam. Ac ſi dicat propheta, *O mons, non iam mons altus, & illuſtris, ſed ignobilis, ac profunda vallis.* Sed fortaſſe ideo vocatur *vallis*, quia illam ſic intuebatur propheta Chaldæorum armis exciſam, vt nullum in ea reliquum eſſet antiquæ gloriæ, atque altitudinis veſtigium. Quare ſiue ab antiqua religione, & ſanctitate corruptis moribus, ſiue ab antiquo ſplendore, & celſitudine hoſtilibus armis exciderit, iure optimo *vallis*, ſeu *vorago* nominari poteſt, quia vter-

A que caſus ingens fuit.

Vt autē magis conſtet cur dicatur *vallis viſionis*, obſeruo *montē Sion*, quæ pars maximè excelſa eſt, & illuſtris in Ieruſalem, idem eſſe quod, *montem ſpeculæ.* Mons autem ille nomen dedit toti Ieruſalem, quæ, vt liquet, *Sion* vocatur in ſcriptura. Ad vtrumque ergo montem videtur hîc alluſum, & ad *montem*, qui hîc propter tantam mutationem appellatur *vallis*, quaſi iam indignus ſit antiqua appellatione; & ad *Sion*, cuius loco *viſio* ponitur, quæ idem valet, quod *ſpecula*, ſeu *ſpeculatio.* Eſt igitur ſenſus, *onus vallis Sion*, id eſt, onus montis Sion iamtamen in vallis profunditatem depreſſi. Quam ſententiam videntur indicaſſe Septuaginta, qui ita vertunt, *verbum vallis Sion*, vt habent Biblia 2.

B Complutenſis, & nunc correcta à Sixto; ſeu vt legunt Cyrillus, & Procopius, *viſio vallis Sion.*

Hæc ſanè probabilis, & non difficilis explicatio, ſed aliquid ego ſubodoror non minùs arcanū, quod aliorum iudicio expendendum ſuppono. Communis eſt non Hebræorum ſolùm, ſed noſtrorum ſententia, in eo loco Abrahamum ſuum filium immolare voluiſſe vbi poſtea ædificata eſt Ieruſalem, in monte nempe Moria. Sic enim hábet textus Hebraicus, vbi Vulgatus habet *Geneſ.22.verſ.2.* *terram viſionis*: Quo nomine per prolepſim vſus eſt Vulgatus; neque enim tunc ita vocabatur. Mons autem ille poſtea dictus eſt *Dominus videbit*, vt ibi- 3. Ieruſalem *terra viſionis* vocata, aut *mons Dominus videbit.*

C dem conſtat *verſ.14.* vbi de Abraham, *Appellauit nomen loci illius, Dominus videbit.* qui multis pòſt ſæculis ætate ab omnibus cómuni, notóque vocabulo dicebatur. Sic enim de illo Moyſes, *Vſque hodie dicitur in monte Dominus videbit.* Hinc mons ille dicebatur *terra viſionis*, vt *Geneſ.22. verſ.2.* aut *mons viſionis.* In loco illo ædificatum eſſe templum,

communis eſt Hebræorum traditio, vt docet, ſe- A quutúrque Hieronymus *in Tradit. Hebr. in Geneſ. cap.* 12. & cum Hieronymo communiter alij. Certè in monte Moria ædificatum eſt 2. *Paralip.* 3. *verſ.* 1. *Cœpit Salomon ædificare domum Domini in Ieruſalem, in monte Moria.* Appellabatur ergo olim Ieruſalem aut mons, qui illius ciuitatis præcipua pars, aut ſane non ignobilis erat, *Mons Dominus videbit.* Et, vt puto, familiariùs, & in compendio, *mons viſionis.* Nam è nominibus proprijs, quæ ex varijs partibus componuntur, ſæpe ſolet breuitatis, vt opinor, gratia aliquid detrahi: vt pluribus oſtendimus *cap.* 5. in principio. Spectans ergo ad antiquum illud, & nobiliſſimum nomen Iſaias, quod B ab Abrahamo impoſitum erat Ieruſalem, *vallem* appellat *viſionis*: *vallem* quidem propter rationes quas habet cum alia expoſitione communes: *viſionis*, quia ſic vocauit Abraham ſtirps nobiliſſima Iſraeliticæ Gentis.

Templum ædificatũ in monte Moria.

4\. [b] *Quidnam quoque tibi eſt, quia aſcendiſti & tu omnis in tecta: clamoris plena, vrbs frequens, ciuitas exultans?*] Communis ſententia eſt, hæc eſſe de Chaldæorum obſidione, quam cum Hieronymo ſequuntur plures alij. Iudæus ille quem in Hebraicis doctorem habuit Hieronymus, referenda hæc exiſtimabat ad Senacherib, ſed meritò nõ admittit Hieronymus. Illud verò *quoque* Iudæos, ſeu vallem coniungit cum illis prouincijs, de quibus hactenus propheta per plura capita: quorum ſicut in peccatis æmula, ſic etiam in ſupplicij magnitudine conſors fuit. Quò verò magis appareat ruina tantæ, C támque ſpecioſæ molis, proponit ſpeciem quandam antiquæ gloriæ, dum frequentem illam hominibus, & choris exultantem inducit. Quo ſpiritu atque artificio Ieremias in Threnis id deplorat factum, quod hic Iſaias futurum prædicit. *Aſcendere* autem *in tecta*, & ibi dolorem ſuum clamoribus teſtari, extremæ fortunę documentũ eſt. Quàm diu enim aliquis in latebris luget, ſuúmque dolorẽ domeſticis tantùm, atque amicis impertit, non exiſtimatur eſſe admodũ vehemens; vbi verò iam foras erumpit, neque pudor illum in animo, aut ſaltem apud domeſticos cohibere poteſt, grauis eſt ſine dubio, & ponderis importabilis.

5\. Hîc porrò obſeruandum, illud *plena* non conuenire cum *tecta*, quia vox hæc pluralis numeri eſt, illa ſingularis. Quare *vallis viſionis*, id eſt, *Ieruſalem*, clamoris plena, atque eiulabunda ad tecta domus aſcenſura dicitur. Tecta verò plana eſſe, & non faſtigiata in tota Palæſtina, ita vt per illa tutò, & non incommodè diſcurrere potuerit flebilis, atque exanimata multitudo, docet Hieronymus *Epiſt.* 135. *ad Sunniam & Fretelam.*

Tecta in Palæſtina plana.

6\. [c] *Interfecti tui non interfecti gladio, nec mortui in bello. Cuncti principes tui fugerunt ſimul, duréque ligati ſunt.*] Ad calamitatem vrbis horridam, & miſerabilem, ignominiam etiam grauem adiungit: quia non vt ſtrenui milites aduerſo pectore vulnus excepere, ſed vt imbelles fœminæ fame, ac ſiti, aut velut infirmi milites, & pauidi in fuga aut capti, aut interfecti ſunt. Quare in eo mœrore, ac luctu eo carent ſolatio, quod in extrema etiam fortuna leuare ſolet ingenuum dolorem: quòd ſcilicet non ignobilem mortem quiſpiam oppetierit, ſed honeſtam, & plenam dignitatis. Quòd ſæpe repetunt profani, & vulgares hiſtorici; neque id tacitum apud ſcriptores ſacros. De profanis ſufficiat vnus Virgil. qui ex communi nobilium ſenſu inducit Æneam ſic cum moribundo Lauſo loquentẽ *Æn.* 10.

Mors ignobilis.

Hoc tamen infelix miſeram ſolabere mortem,
Æneæ magni dextera cadis.

De ſactis apertè cecinit Dauid in funere priùs Saul, & Ionathæ 2. *Reg.* 1. & deinde in inferijs Abner 2. *Reg. cap.* 3. In quibus videtur oſtendiſſe quid magis horreant animi ingenui & honoris amantes. *Nequaquam*, inquit, *vt mori ſolent ignaui, mortuus eſt Abner, manus tuæ ligatæ non ſunt, & pedes tui non ſunt compedibus aggrauati.* Sed contraria omnia Hieroſolymitanis acciderunt ſub hoſte Babylonio: nam ignobili fugæ ſe dedère principes, & eorum pedes vinculis aggrauati ſunt.

[d] *Propterea dixi, Recedite à me, amarè flebo.*] 7.
B Non patitur propheta admoueri ſibi aliquod doloris leuamentum: quia cur dolor mitigari debeat, nihil videtur. Si enim ſtragem intuearis, nihil miſerabilius, ſi mortis genus, nihil acerbius, ſi belli exitum, nihil magis ad ignominiam fœdum. Quare amarum ſibi fletum, & lugubre lamentum indicit.

[e] *Dies enim interfectionis & conculcationis, & fletuum, à Domino.*] Cùm tam grauis ac fœda futura ſit tantæ molis ruina, facilè intelligitur, quia hæc illata fuit à Deo. Qui nullum veſtigium ſupereſſe voluit, neque antiqui ſplendoris in ciuitate, neque in ciuibus antiquæ dignitatis, atque ſplendoris. Ille enim interfecit viros Chaldæorum armis, conculcauit ciuitatem, & templa, & his qui ab ea ſtra- C ge reliqui fuerunt, lugendi cauſam, & materiam dedit. Porrò ſiue *à Domino* legas, vt eſt in pluribus codicibus, ſiue *Domino* in tertio caſu, quod habent nonnulli, ſenſus idem eſt. nempe à Domino profectam fuiſſe cladem illam, ſiue aduenìſſe diem, quam ſibi Deus ad cædem deſtinarat. In tribus autem vocibus, *interfectionis, conculcationis*, & *fletuum*, non ſolùm epitaſis eſt qualis eſſe ſolet in vocum aut ſententiarum iteratione; ſed etiam elegans paranomaſia in Hebraica forma, quæ conſulenti Hebraicum textum facilè prompta eſt. 8.

[f] *Scrutans murum & magnificus ſuper montem.*] 9.
Mirificè exprimit propheta & pauciſſimis verbis, quid deſtinarit Deus, & quid per Babylonios perfecerit. Depingit enim Deum quaſi ſollicitum, & D vigilantem hoſtem qui abditiſſima quæque rimetur, & peruideat: & potentem, qui omnia, quæ vigilanti ſtudio ſcrutatus eſt, & prudenti deliberauit conſilio, alacriter ſuſcepit, & ſtrenuè perfecit. Dicitur verò eſſe *ſuper montem*, id eſt, *ſuper Ieruſalem*; tum quidem *montem*, paulò verò pòſt futuram *vallem viſionis*, vt ſuperior ipſe, & è ſuperiori loco, quem maximè appetunt, qui pugnam cum alijs inire parant, & virtutem ſuam exaltet, & montem ſuis ſubiectum pedibus in profundæ vallis ſimilitudinem abijciat. Quod per Babylonios præſtitit, quemadmodum poſtea per Romanos. Dum enim Chaldæi in vrbe graſſantur, & exultant, Deus qui illorum armauit manus, & ad vrbem diripiendam ducem ſeſe præbuit, & auto- E rem, in Chaldæis quoque graſſatur, & exultat. Ducem ſe fuiſſe illius belli apertè ſignificauit per Ieremiam *c.* 25. *v.* 9. *Ecce ego mittam & aſſumam omnes cognationes Aquilonis, ait Dominus, & Nabuchodonoſor Regem Babylonis ſeruum meum, & adducam eos ſuper terram iſtam, & ſuper habitatores eius, & ſuper omnes nationes quæ in circuitu illius ſunt: & interficiam eos, & ponam eos in ſtuporem, & in ſibilum, & in ſolitudines ſempiternas.* Pro *ſcrutans murum* Hebr. eſt מקרקר קיר, id eſt, *diruens murum*, ſeu *exparietans parietem*, quaſi dicat, faciens ne murus iam

Deus Chaldæorũ dux in diruenda Ieruſalem.

Digitized by Google

iam ampliùs murus ſit; Noſter interpres *ſcrutans* vertit, quia eò ſpectabat illa ſcrutatio, aut contemplatio muri, vt illum excideret.

10. g *Et Ælam ſumpſit pharetram, & currum hominis equitis, & parietem nudauit clypeus.*] *Ælam*, vt antè diximus, *Perſa* eſt, quem capite præcedenti in *aſino* Iſaias expreſſerat. Veniſſe autem Perſas cum Chaldæis contra Ieruſalem conſtat ex hoc loco, neque eſt difficile creditu, cùm Perſis non longè à Babylone abſit, cui finitimæ gentes, aut propter officium, & tutelam libenter, aut propter ſummam potentiam inuitæ obſequebantur; ſic certè conducti mercede ſub ſignis Babylonicis meruerunt. Scholia Græca Elamitas *Samaritanos* eſſe putant, quia illi è Perſide in illam regionem commearunt: & cùm infenſi eſſent Iudæis, ſocios ſe ad illorum oppugnationem Chaldæis præbuerunt. Dum autem ſpeciatim ſingula commemorat propheta, quæ communi apparatus militaris nomine explicare poſſet, oſtendit quam ſedulam, atque ardentem operam nauatori eſſent Perſæ Regi Babylonico. In *curru hominis equitis* quadrigas ſignificat, ex quibus milites pugnare ſolent. *Nudandos* eſſe dicit *parietes à clypeo*: quia tempore pacis arma bellica è paxillis in pariete defixis ſuſpenduntur. Quare ab illis parietes nudari, ſignum eſt parati, & iam iam impendentis belli. Hieronymus aliò refert, putátque parietes aureis cruſtis veſtitos adeò non iri defenſum à clypeis, qui tegunt alios, vt potiùs nudandi ſint ab omni præſidio, atque ornamento: quando omnes opes regias, & ſacras Chaldæorum auaritia diripiet.

Perſæ cum Chaldæis contra Ieruſalem.

11. h *Et erunt electæ valles tuæ plenæ quadrigarum; & equites ponent ſedes ſuas in porta.*] Multitudinem hoſtium ſignificat, quibus & valles, quæ ciuitatem muniunt, id eſt, munitiones à natura datæ, & portæ, id eſt, propugnacula manu, & arte elaborata replebuntur. Conſtat autem in portis magnum, imò & præcipuum ciuitatis eſſe præſidium. Idem penè quod Iſaias, dixit Ieremias *cap. 39. verſ. 3. Ingreſſi ſunt omnes principes Regis Babylonis, & ſederunt in porta media.*

12. i *Et reuelabitur operimentum Iudæ.*] Hieronymus cenſet *operimentum*, de quo hic propheta, eſſe velamentum, quo ſancta ſanctorum operiebantur: in quæ non ſolùm gentes ingreſſæ ſunt, ſed etiam polluerunt diripuerúntque. Quod etiam cum Hieronymo putant complures alij. quod impletum eſſe cum grandi ignominia gentis, religioniſque Iudaicæ dolet Ieremias *Thren. 1. verſ. 10. Vidit gentes ingreſſas ſanctuarium ſuum.*

13. k *Et videbis in die illa armamentarium domus ſaltus, & ſciſſuras ciuitatis David.*] Locus hic difficilis eſt, & non eodem ab omnibus explicatus modo. Iuxta verſionem ſeptuaginta non tam hæc videntur ad Iudæos ſuperatos, quàm ad Chaldæos victores eſſe referenda. Sic enim illi. *Aſpicient in die illa domus electas ciuitatis, & reuelabunt abſcondita domorum arcis David, quoniam plures ſunt: & auerterunt aquam antiquæ piſcinæ.* Sed vulgata tranſlatio Iudæis accommodat apertè, & quidem magis ad textum Hebraicum. Quorum hic Hieronymus ſententiam eſſe putat. Videbitis, ô Iudæi, armamentarium ab hoſte diſſipatum, & dirutis mœnibus per cunctas vrbis partes hoſtes ingreſſos. Cùm autem armamentariũ illud eſſet in domo ſaltus Libani, 3. *Reg.* 7. idem *armamentarium ſaltus* appellat. *Sciſſuræ domus David*, dicuntur partes illæ ab hoſtibus diſiectæ, atque apertæ, per quas ad ciuitatem vſque David Chaldæi penetrarunt.

14. Sed mihi magis videtur cum eo, quod ſupereſt capitis, conſentaneum, ſi non tam hæc de vaſtitate armamentarij, aliarúmque partium ciuitatis, quàm de belli ſeu defenſionis comparatione à Solymitanis adhibita ad arcendas ſeu infirmandas Chaldæorum vires accipias. Qui ad auctorem, conſeruatorémque ſalutis non aſpexerunt, ſed ad armamentarium, vt inde armis inſtructi occurrerent hoſti inſultanti: aſpexerunt in ſciſſuras ciuitatis David, vt illas inſtaurarent, ac reficerent, & ſi quid in mœnibus eſſet ruinoſum, aut infirmum, vt illud ad illudendas inimicorum machinas ſolidarent: aut certè (vt indicant LXX. qui pro *ſciſſuris* reddiderunt κρυπτὰ, id eſt, *ſpeluncas*) aſpexerunt ad latebras, quia ibi ſubterranea erant latibula, vbi occultari poſſent ciues vrbe capta; aut cæci, & occulti meatus per quos ſe ab hoſtium poteſtate ſubducerent. De quibus Ioſephus *lib. 4. de bel. cap. 43.* Vbi tradit Iudæos in cryptis latuiſſe, ibique deprehenſos atque interfectos à Romanis: de quibus Iſaias ſuprà *cap. 2. Ingredere in petra*: Vbi nos ea de re multa. Et ſanè ex Hebræis Rab. Salomon & Rab. David in illud Ieremiæ *cap. 39. verſ. 4. Per viam horti regis.* tradunt Sedechiam per ſpeluncam quandam ſubterraneam, quâ à domo Regis ad ſolitudinem Iericho tranſmeari poterat, profugiſſe, vbi mirificam confingunt fabulam ſuo dignam ingenio. Dicunt enim miſiſſe Deum qui Sedechiam ſeruare noluit à Chaldæorum armis, ſyluestrem capram, quæ eadem prorſus linea fugiebat ſuper terram, quâ Sedechias per ſpeluncam ſaltus, & ad alterum os ſpeluncæ veniſſe, quo tempore per illud Sedechias egrediebatur, & ita captum à Chaldæis, qui capram illam venandi ſtudio inſequebantur. Sed figmentum hoc Rabbinicum meritò reſpuunt, & optimè confutant Lyra *in 4. Reg. cap. 25.* & Abulenſis *quæſt. 7.* Hanc explicationem de belli comparatione & militari inſtructu contra hoſtiles machinas, & inſidias tradit Dionyſius, Vatablus, Emanuel Sa, & Oſorius; & ſuadet textus ipſe Hebraicus, qui non tam indicat aſpecturos eſſe Iudæos armamentarium, quàm ad armamentarium, qui modus loquendi ſpem in altero collocatam ſignificat; ſic enim Hebr. אל נשק *el neſek*, & ita vertunt Pagninus, Forerius, & Tigurina. Et ſanè quæ ſequuntur, in hunc ſenſum accipiunt omnes ferme Doctores, neque apparet grauis vlla ratio, cur hæc minùs in hanc ſententiam aſſumi debeant, quàm illa.

Hebræorum fabula de Sedechia.

15. l *Et ſciſſuras ciuitatis David.*] Non aliter hæc accipio, quam expoſui proximè. Illud iterum obſeruo pro *ſciſſuris* vertiſſe LXX. κρυπτὰ, id eſt, *ſubterraneos ſpecus*, qui multi fuiſſe dicũtur, vel ad latebras, vel ad effugia, in quos reſpexere Iudæi Chaldæorum tempore: ſicut multò pòſt cùm à Romanis obſeſſi. Nam vt Ioſephus tradit *lib. 7. de bello cap. 16.* in ſubterraneis cloacis delituerunt.

16. m *Et congregaſtis aquas piſcinæ inferioris.*] Quemadmodum Ezechias per aquæ ductum, aquam in ciuitatem inuexerit magno ſtudio, ac molitione, habes 4. *Reg. cap. 20. verſ. 20.* & *Eccl. 48. verſ. 19.* Vbi hæc de Ezechia; *Muniuit ciuitatem ſuam, & induxit in medium ipſius aquam: & fodit ferro rupem, & ædificauit ad aquam puteum.* Eſt autem veriſimile, Reges alios, contra quos variis temporibus bellum mouit Nabuchodonoſor, aut idem fuiſſe molitos aliis effoſſis puteis, & aquæ meatibus, aut certè per Ezechiæ ſubterraneas vias in piſcinas, quæ

A eſſent in ciuitate, tantum aquarum deriuaſſe, quantum ſatis videbatur & pro ciuium numero, & pro obſidionis tempore. Videtur autem extra ciuitatem ad Siloë eſſe piſcinam, quæ aquam primum è fonte exciperet, quæ ideo appellatur *inferior*, quia in depreſſo loco erat, & ad montis radices, in quo ſita ciuitas. Hæc verò congregata eſt, id eſt, in ciuitatem reducta, aut muro clauſa, ne in vſum, & poteſtatem hoſtium veniret; extructa alia intra duos muros, in quam deduceretur aqua, quæ commodè in inferiori ſeruari non poterat.

n *Et domos Ieruſalem numeraſtis.*] Nempe vt hinc cognoſceretis, quantum aquæ obſeſſis eſſet neceſſarium.

17. o *Et deſtruxiſtis domos ad muniendum murum.*] Domus puto quæ erant extra ciuitatem, & muris vicinæ, vt ex earum materia muros inſtaurarent, & hoſti eriperent, in quo confirmare ſe poſſent obſidionis tempore, & inde aut apertas facere irruptiones, aut occultas inſidias moliri.

18. p *Et non reſpexiſtis ad eum, qui fecerat eam.*] Hinc liquet quò ſpectet narratio ſuperior, nempe poſitam eſſe fiduciam in armis, mœnibus, & piſcinis: non tamen ſalutem expectatam, aut quæſitam à Deo, à quo firmamentum habet, & robur, quidquid firmum eſt. Sed in illo, *qui fecerat eam*, aliquid puto latere magis occultum; & ſuſpicor aut Dei aliquo ſpeciali conſilio effoſſam eſſe ciſternam illam inferiorem ad quæ ſubſidium ab Ezechia, vt credo: aut illud *eam* neutraliter ſumi, quod Hebræis vſitatum eſt, ita vt omnia ſuperiora referat, aut præſidium, quod in eis locauerant malè ſani Iudæi. Quaſi diceret, non ſperatis in Domino, cuius conſilio illa omnia vobis comparata ſunt, ſeu certè non ſpectaſſe illorum regum, aut principum exempla, qui aut mœnibus ſepſere ciuitatem, aut aquam illam in effoſſam piſcinam deriuarunt. Dauid intelligo, & Ezechiam, qui magis ſperarunt à Dei benignitate felicem rerum euentum, quàm ab vlla munitione aut humano conſilio prouenire.

q *Et vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum.*] Proponuntur hîc à propheta quæ in maximo mœrore, ac luctu fieri ſolent, quæ D aperta ſunt.

19. r *Et ecce gaudium, & lætitia, occidere vitulos, &c.*] Antequam Iudæis aduenirent extrema hæc incommoda, vocabat illos Dominus per prophetas, & maximè per Ieremiam, & nunc etiam per Iſaiam ad fletum, & ſaccum, id eſt, ad pœnitentiam, vt peccata delerent, quæ diuinum acuebant furorem, & Chaldæorum armabant aciem contra Ieruſalem. Illi verò, aut increduli prophetarũ minis, aut væſani aliis adducti cogitationibus, ſic ratiocinabantur: Si mala imminent vſque adeò grauia, neque geniò indulgere noſtro, aut habenas laxare voluptati non ampliùs permittitur, ſi cras morimur, hodie, dum vitæ vſura nobis datur, comedamus, &c. Eadem omnino amentia, qua *Sapien.* 2. dixerunt alij æquè ſtolidi. *Exiguum, & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ*, &c. *Venite ergo & fruamur bonis*, &c. Ad hunc locum reſpexit Apoſtolus 1. *Corinthiorum* 15.

20. ſ *Et reuelata eſt in auribus meis vox Domini exercituum.*] Cuius ſint *aures*, quibus reuelata vox, aut cuius *vox*, quæ auribus reuelata, Dei ne an prophetæ, obſcurum eſt. S. Thomas hîc dubius eſt, & nihil definit, Forerius *aures* putat eſſe prophetæ & *vocem* eſſe Dei; Idem cenſet Haymo cum A Chaldæo. Tranſlatio L x x. omnino oſtendit *aures* eſſe Dei, & *vocem* peccantis populi, & ita putat Hugo, Dionyſius, & Vatablus, in quorum ego ſententiam magis inclino, quam ſic expono. Vox Iudæorum plena, aut deſperationis, aut impudentiæ peruenit ad aures meas, qui ſum Dominus exercituum. Quod ſatis indicat textus Hebraicus, in quo non eſt *Vox*, ſed tantùm, *& reuelatum in auribus meis Dominus exercituum.*

t *Si dimittetur iniquitas hæc vobis.*] Minæ iſtæ diuinæ ſunt, in quibus per apoſiopeſim ſubauditur exectatio, nempe *infidelis habear* aut *impotens*, aut quid ſimile. Obſeruat hîc Hieronymus ex ſeuero B genere orationis, quàm grauiter ferat Deus genus hoc hominum, qui vbi admoniti ſunt, aut ſceleris aut periculi, obſtinatiò tamen perſtant in peccatis. *Nihil*, inquit, *ſic offendit Deum, quam poſt peccata erecta ceruix, & ex deſperatione contemptus.* Quare ſubdit, *donec moriamini*, quæ vox inflammati furoris indicium eſt. 21.

Grauiter Deus infenſus iis, qui obſtinati hærent in peccatis.

u *Vade & ingredere ad eum, qui habitat in tabernaculo, ad Sobnam.*] Hinc iam noua incipit prophetia contra Sobnam, de quo poſtea *cap.* 37. Quis fuerit iſte *Sobna*, obſcurum eſt. Hieronymus *ſacerdotem ſummum* eſſe cenſet, quia *ſuper domum* eſſe dicitur: *Domus* autem antonomaſticè appellatur *templum*, & ita putat S. Thom. Dionyſius, & alij C plures. Adamus negat, qui etiam paulò audaciùs loquitur de tranſlatione Hieronymi. Forerius *theſaurarium* putat, & qui curaret, quæ ad templi cultus eſſent neceſſaria: conſentaneè ad tranſlationem L x x. qui verrunt ταμίαν, id eſt, *quæſtorem*, ſeu *diſpenſatorem*. De huius munere nihil hîc habemus, niſi quòd ſit עַל־הַבַּיִת *hhal-habeth*, id eſt, *ſuper domum*, ſiue, vt vertit Hieronymus, *præpoſitus templi*: ſed infrà *cap.* 36. *& cap.* 37. vocatur סוֹפֵר *ſopher*, id eſt, *ſcriba*, ſeu, vt aliis placet *theſaurarius*. Et ibidem *Eliacim*, ad quem deuoluendum eſſe dicitur Sobnæ munus, vocatur עַל־הַבַּיִת *hhal-habeth*, ſicut hic *Sobna*; quaſi iam ante aduentũ Senacherib à ſuo gradu deiectus, expertus fuerit minas, quas in ipſum Iſaias intorſerat. De munere Sobnæ nihil arbitror definiri poſſe magis certum. Neque magis comD pertum eſt, propter quod ſcelus tantum ſupplicium illi ab Iſaia denunciatum ſit. Quidam ex Hebræis, vt refert Hieronymus, tradunt Aſſyriis à Sobna proditam eſſe inferiorem partem ciuitatis, & ſequitur Haymo, neque id improbat S. Thom. qua de re pluribus infrà *cap.* 37. Vbi ex multorum ſententia dicitur, cùm timeret ciuitatem ab Aſſyriis expugnatum iri, profugiſſe ad Aſſyrios. Sed ab aliis communiter non probatur, & magno ſanè merito. Tum quia ante aduentum Aſſyriorum, iam paſſus fuerat harum minarum non exiguam partem, quia ſuper domum eſſe deſierat, in cuius locum ſuffectus fuerat Eliacim; tum etiam, quia nulla pars ciuitatis venit in poteſtatem Senacherib, & *cap.* 37. E prædixit Iſaias. *Propterea hæc dicit Dominus de Rege Aſſyriorum, non intrabit ciuitatem hanc, & non iaciet ibi ſagittam, & non occupabit eam clypeus, & non mittet in circuitu eius aggerem.* Quare veriſimilius eſt Sobnam fuiſſe hominem inſolentis animi, vt liquet ex ambitioſo conſilio extruendi ſibi magnificum ſepulchrum: ex quo etiam ſequebatur, vt alios deſpiceret, conculcaretque; quod & textus ipſe declarat. Nam cum de ſucceſſore Eliacim ageret Deus, quaſi eius mitiſſimos mores opponeret ſuperbo Sobnæ, atque inclementi ingenio, dixit, *poteſtatem tuam dabo in manus eius, & erit quaſi pater.* 22.

Sobna quis.

pater. in quem ſenſum accipiunt hæc communiter Patres.

23. ˣ *Quid tu hic, aut quaſi quis hic?*] Otioſam eſſe ſignificat aut potiùs perniciosam Sobnæ operam in templo, & ipſum prorſus indignum tanto munere. Sic ad verbum textus Hebraicus. *Quid tibi hic? aut quis tibi hic?* Quæ verba in varias expoſitiones aſſumi poſſunt. Priorem partem omnes penè ſic accipiunt, vt in ea ſignificari putent, quàm indignus eo loco ac munere Sobna ſit, quaſi hoc dicat propheta. Quid tibi hic in domo Domini negotij eſt? cur te hæc in alienam curam intuliſti? Poſterior pars non ita facilis. Sunt, qui putent his verbis indicari, hunc Sobnam alienigenam eſſe: neque in vrbe habere aliquem ſibi generis communitate coniunctum. Fortaſſe meliùs ſi poſterior pars ſit prioris explicatio; hoc ſenſu. Quis tibi hic ante oculos propoſitus, cuius honori, & religioni ſeruias? aut quis tibi auctor, vt in hoc loco præeſſes? Siue, vt vtrumque coniungas, quid tu hîc facis? aut quis tu hic es? Et congruit bellè cum eo, quod mox ſubeſt, *quia excidiſti tibi ſepulchrum*, &c. ac ſi dicat, neque tu is es, aut ea facis, vt excitato ſepulchro memoriam tui poſteris relinquere debeas.

24. Foreirus putat hanc eſſe Hebræis familiarem dicendi formulam, qua carpunt impudentes homines, quíque nihil conſilij, aut penſi afferunt ad ea, quæ facienda ſunt. Quæ ſanè conſideratio placeret, ſi exemplum haberemus aliud in Scriptura. Hanc inanem otioſi hominis vmbram optimè vulgatus expreſſit, dum vertit, *aut quaſi quis hic?* qua dicendi forma propoſuit hominem nihili, qui non ſit aliquis, ſed qui aliquis videri velit; non tam paſtor, aut præpoſitus, quàm inane quoddam paſtoris ſimulacrum: qualis à Zacharia *cap.* 11. deſcribitur, *ô paſtor & idolum*.

25. ʸ *Quia excidiſti tibi hic ſepulchrum.*] Eò ſe inſaniæ ſuperbus extulerat Sobna, vt non ſolùm viuus ad præſentis vitæ faſtum munus illud ambierit longè à ſuis meritis alienum: ſed etiam ad mortis, obliuioníſque remedium ſepulchrum ſibi exciderit in ſaxo, idque magnificè, atque ſuperbè elaboratum; id enim valet *diligenter*, quod ſtatim cum *memoriali* coniungitur. Quod ſanè in illum minimè conuenit, qui non tam aliquis eſt, quàm futile alicuius ſpectrum. Quare prædicit Iſaias fruſtra eum ambitioſam illam ſepulchri molem arte, ſumptúque mirabilem elaboraſſe, cum longè ab illo loco miſer, & exul non tam quieturus ſit in vulgari ſepulchro, quàm inſtar pilæ huc atque illuc per ludibrium rotandus.

26. ᶻ *Ecce Dominus aſportari te faciet,*] Certum eſt hunc Sobnam abductum non fuiſſe à Nabuchodonoſor in Babylonem, quia *cap.* 36. ſub Ezechia vixiſſe traditur, eodem nempe tempore, quo floruit Iſaias: Quare veriſimile non eſt ad Chaldæorum vſque appulſum in Ieruſalem, vitam produxiſſe. Fuit ergo abductus ad Aſſyrios à Senacherib. Cur verò ille hanc ſubierit ignominiam, cùm Ieruſalem non modò non ceperint, ſed neque obſederint Aſſyrij, nihil habemus è ſacro textu, Dicunt tamen Hebræi quos ex noſtris aliqui ſequuntur, in quibus eſt Procopius, Dionyſius, & Lyra, cùm putaret excifum iri ciuitatem ab Aſſyrio, qui magnam Iudææ partem vexauerat, expugnaueratque, ſtatuiſſe Aſſyriis ſe dedere, idque vt Ezechias faceret perſuadere conatum. Cùm verò ab Angelo deleta fuiſſent caſtra Senacherib, réſque Aſſyria vehementer attrita, vt aliqua ratione acceptam calamitatem ſolarentur Aſſyrij, in eos Iudæos, qui ex vrbe Solymitana ad caſtra transfugerant, non modò crudeliter, ſed etiam ignominiosè bacchatos eſſe, & omnium acerrimè in eorum caput, & principem Sobnam. Apud quos talia paſſus eſt, qualia hic à propheta prædicuntur.

ᵃᵃ *Sicut aſportatur gallus gallinaceus.*] Hebr. 27.
מטלטלך טלטלה גבר *metaltelcha taltelah gauer*, quæ variè transferunt interpretes. Tigurina. *Ecce Dominus proiiciet te proiectione, ô Heros.* Vatablus in commentariis, *Faciet te demigrare demigratione viri.* Pagninus, *Ecce Dominus migrando migrare faciet te ô fortis.* Foreirus, *Ecce Iehoua deferendum inuoluet te inuolucrum viri*, & putat metaphoram ſumi ab his, qui cùm in alias regiones ſarcinulas ſuas transportare volunt, eas conuoluunt, quò magis procedant expediti, imponúntque aut capiti, quod faciunt plerumque fœminæ, aut humeris, ſeu ad tergum reiiciunt, quod faciunt viri. L x x. *Ecce Dominus Sabaoth eiicit, & conteret virum.* Ego in hac tanta varietate inprimis arbitror tranſlationes omnes in eamdem conuenire ſententiam, nempe facilè Sobnam in alias regiones tranſportatum iri: metaphoras autem eſſe diuerſas. Et quidem verbum טלטל *tiltel*, à radice טול *tul*, vt communiter omnes, *reiicere* ſignificat, aut *facere aliquem proficiſci.* Supereſt, vt hanc explicationem, quam propriam huius loci, & omnium communem eſſe puto, ad vulgati tranſlationem accommodemus.

Hieronymus docet ſe accepiſſe ab Hebræo, 28.
quem doctorem habuit vocem גבר *geuer*, hoc loco ſignificare *gallum gallinaceum*, & ſenſum eſſe, non aliter aſportandum Sobnam in regionem hoſtilem, quàm à ruſtico ex corte aſportatur gallus, nempe caſtratus, ſeu capo, vt in foro veneat ligatis alis, & vinctis pedibus, qui habitus miſeram captiuorum fortunam ſatis repræſentat. Videtur autem in gallo gallinaceo latere aliquod prouerbium Hebræis familiare; & id ſpectaſſe Hebræum illum de quo Hieronymus, & Hieronymum ipſum; & ideo non admodùm curaſſe quid ſignificaret גבר *gauer*, cum optimè per illam prouerbialem figuram redderet ſenſum Hebraici textus. Quod faciunt ſæpiſſime optimi interpretes, qui in ſententiam intenti dum illam aſſequantur, de verborum forma non laborant. Prouerbiũ.

ᵇᵇ *Gallus gallinaceus.*] Hebr. גבר *geuer*, quæ 29.
vox *virum* ſignificat *ſtrenuum*, *& fortem*. Et ita quidam vertit *Heroem*; quidam nomen, in genitiuo ponunt, & ita interpretantur *reiectione viri*: quia viri nempe longiùs deportari ſolent quàm fœminæ. Alij, quia hoſtes in fœminas mitiores ſunt, infirmiori ſexui parcentes, dicunt Sobnam proiiciendum eſſe, non in vicinum aut mitius exilium, vt fœminæ ſolent imbelles, & languidæ, ſed in longum atque ærumnoſum, in quod protrudi viri ſolent: quorum miſeratio minùs tangit inimicorum animos.

Sunt qui in vocatiuo ponant, vt Pagninus, *ô* 30.
fortis, & Tigurina, *ô Heros*, & tunc ſenſus ironicus eſt, ſcilicet, O Sobna, qui ſtrenuum te eſſe, atque glorioſum putas; neque imparem Regibus, & Heroibus, quorum inſaniam imitatus, ſepulchrum neque ignobilius, neque minùs illuſtri loco tibi paraſti; aſportari te faciet Deus, &c. Quòd ſi in vocatiuo ſit, multò ſignificantiùs ſenſus idem redditur à vulgato, qui pro *Heroe & fortis*, *gallum* tranſtulit

Gallus natura ſuperbus.

tulit *gallinaceum*. Notum autem eſt quàm ſit gallus natura ſuperbus, quámque id & corporis habitu & inceſſu ſignificet, maximè, vt aiunt, in ſuo ſterquilinio, & in imbelli gallinarum plebecula. Vnde natum prouerbium. *Gallus in ſuo ſterquilinio.* Qui tamen aut victus, aut extra ſuum illud exile, ac ſordidum regnum, timidus eſt, & abiectus. Quæ gallorum proprietas locum prouerbio fecit, *Gallus domi pugnax, & idem foris timidus.* De quo Cicero *lib. de Diuinatio. Galli victi ſilere ſolent, canere victores.* Idem Ælianus *lib. 4. cap. 27. Gallus, ſi cum altero pugnans vincitur, idcirco non canit, quòd ex illa mala pugna ſpiritus fracti illi vocem ſupprimunt. Cuius offenſione verecundia confuſus in primam quamque latebram ſeſe occultat.* Et addit idem auctor aliud eiuſdem volucris documentum arrogantiæ ſtultiſſimæ. *Cùm limen,* inquit, *intrat, tametſi ſuperum altiſſimum exiſtat, is tamen ſeſe inclinat: quod quidem ipſum ſuperbia inductus videtur facere, ne videlicet criſta vſpiam offendatur.* Aptè ergo præpoſitus templi Sobna *gallus* appellatur, qui in ſuo illo quaſi regno non aliter exultabat, atque efferebatur immodicè, quàm in ſuo gallus ſterquilinio: futurus poſtea, quaſi gallus victus, quo nihil eſt triſtius, atque abiectius, & ligatis alis atque dimiſſis ſuperbiæ criſtis, tranſmittendus venalis.

31. cc *Et quaſi amictum ſic ſubleuabit te.*] Hic etiam locus non eodē modo ab omnibus aut redditur aut explicatur. Hebr. ועטך עטה *vehhotecha hhatoh*, pro quo Tigurina *Amiciendo amiciet te*: Eodem modo Pagninus, & Forerius, quæ tranſlationes eumdem credo ſenſum continent, quem vulgata: magis tamen obſcurè. Illi enim iuxta phraſim Hebraicam, notam ſimilitudinis omiſerunt, quam expreſſit vulgatus, licèt aliter ſuam ipſi verſionem interpretentur. Vatablus amiciendum dicit ignominia, quod vult etiam Chaldæus. Qui loquendi modus alienus non eſt à Scriptura. *Pſal. 108. Induit maledictionem ſicut indumentum.* Forerius paulò aliter, qui Sobnam ſic dicit eſſe complicandum, & conglobandum, ſicut à Turcis, & gentibus orientalibus in globum complicantur faſciæ in ſe ipſas ſæpius reductæ, colligúntque illud mithræ genus, quod *turbante* vulgò, aut *triumfa* dicitur: & quòd ideo ſtatim ab illa fortaſſe forma, pilæ comparetur. Alij communiter ſecuti verſionem Hieronymi affirmant ea facilitate expulſum iri Sobnam, qua quis pallium, quod non reſiſtit, aut leuat, aut iactat. Ita Hieronymus, Haymo, S. Thomas, Adamus, & Lyra.

32. Sed nos tentemus Hieronymi tranſlationem cum Hebraico textu conciliare: in quo videtur omnino non comparari Sobnam cum pallio, ſed potiùs dici quaſi pallio coopertus. Quare exiſtimo illud *amictum* non eſſe nomen verbi gratia pallium, ſed participium: quod credo in vertendo voluiſſe Hieronymum: ſic enim bene vis tota exprimitur Hebraicarum vocum. Et tunc puto alluſum eſſe ad aliam conſuetudinem familiarem aliis gentibus, ſed præſertim Aſſyriis, & Babyloniis, qui quem morti, aut graui alicui ignominiæ deſtinaſſent, eius faciem amictu velabant; vt liquet *Eſther cap. 7.* vbi de Aman dicitur, poſtquam in illum furor Regis exarſit. *Et ſtatim operuerunt faciem eius.* Et de Sedechia qui captiuus ductus eſt ad fœdam ignominiam dicitur *Ezechiel. cap. 12. num. 12. Facies eius operietur.* Qui etiam videtur eſſe captiuorum & miſerorum habitus; quorum ſtatum vt referret Ezechiel, dixit illi Deus ſuprà *verſ. 6.*

Damnatis facies velatur.

Faciem tuam velabis, & non videbis terram. Apud Romanos id eſſe frequens oſtendit illa vſitata forma in capitali ſupplicio adhiberi ſolita, *Lictor, colliga manus, caput obnubito, arbori infelici ſuſpendito.* Sic ergo abducetur Sobna captiuus ab Aſſyriis, amictus nempe facie, ſicut Ezechiel captiuorum fortunam repræſentabat, vt pute longo ludibrio atque ignominiæ damnatus.

Sed quando alij ſuam addunt verſionem, licebit nobis in re vſque adeò obſcura noſtram quoque producere. Verbum עטה *athah*, ita ſignificat *operire*, vt etiam ſignificet *declinare*, ſeu *vagari*; vt vertit Hieronymus *Cantic. 1. Ne vagari incipiam.* Iuxta hanc ſignificationem ſecunda pars erit prioris explicatio, hoc ſenſu, *Aſportari te, faciet aſportatione galli gallinacei: & vagando vagari te faciet.* Neque alius videtur ſenſus ille, quem extremo loco adhibuimus, nam ſi captiuis caput obnubitur, vt videtur ex Ezechielis facto veriſimile, ſanè qui amictus eſt, eo ſigno vagari, atque exulum more peregrinari iubetur. 33.

dd *Coronans coronabit te tribulatione, quaſi pilam mittet te in terram latam.*] Variè hic item locus ab aliis redditur, & explicatur. Tigurina, *Circumligando circumligabit te faſcia, velut trochum, in terram ſpatioſam proiciet te.* Forerius, *Cidarizando te cidaris quaſi globulum ad terram latam manuum.* Pagninus, *Circumdando circumdabit te circuitu ſicut pilam.* Chaldæus, *Auferet à te thiaram, & circumdabunt te inimici quaſi murum.* Septuaginta non longè à Chaldæo, *Auferet ſtolam, & coronam tuam glorioſam.* Omnium tranſlationum præter has duas poſtremas, eadem ferme ſententia eſt, metaphora non eadem. Senſum expreſſit omnium optimè noſter Vulgatus, qui Sobnæ magnam ignominiam, & ærumnam hoc dicendi genere denuntiat: Siue quia pro corona pontificia, corona ſuccedet ad ignominiam turpis, ad dolorem acerba, qualis illa fuit, quam Herodi Agrippæ impoſuerunt Ægyptij, ſub perſona Carabæ cuiuſdam fatui, vt tradit Philo de legatione ad Caium. Et hoc indicant tranſlatio ſeptuaginta, atque Chaldaica; aut quia *coronare* eſt aliquid ſic implere, vt cumulatum ſit, id eſt, aliquid extra vas ſeu menſuram emineat. *Corona* item in Sacris literis *abundantiam* ſignificat. *Pſal. 64. Benedicet coronæ anni benignitatis tuæ, & campi tui replebuntur vbertate.* Et *Pſal. 102. Qui coronat te in miſericordia & miſerationibus*, id eſt, implet te. Et hunc eſſe puto verum ſenſum, quem vt magis explicem, & omnia eadem figura filóque contexam: 34. Pſal. 64. Pſal. 102.

Obſeruo primò pro *coronans coronabit te*, eſſe in Hebraic. textu צנוף יצנפך צנפה *tſanoph itſnophcha tſenephah*, quod ad verbum optimè Tigurina reddidit & Pagninus. Eſt autem *corona*, quæ hoc loco dicitur צנפה *tſenephah*, non quæcumque corona, ſed quam geſtant Reges, & ſacerdotes Orientales ex faſcia cūplicata ſæpius, & in ſphæræ ſimilitudinem conglobata, quam *triumfam* vulgo Hiſpanorum dicunt, ſeu *turbante turqueſco*. Latini, ſeu Perſæ potiùs, quorum hæc vox eſt, *Cidarim* appellant; quod ex proprietate Hebraicæ vocis deducitur, quæ ſignificat *inuoluere*, qualis à nonnullis eſſe exiſtimatur corona ſacerdotalis. Secundò obſeruo hîc ſubaudiri ſimilitudinis notam, quod valde apud Hebræos vſitatum eſt. Tertiò hîc *coronare* non videri ideo, quod ornare caput, ſed aliquid in coronæ, qualem hîc deſcribit propheta, nempe cidaris, ſimilitudinem conuoluere, aut conglobare; ita vt quod conuolutum eſt, in ſphæricam figuram 35.

figuram conformetur. Erit ergo ex his talis ſententia. Circumligabit te, ô Sobna, Deus, & in globum, ſeu pilam conuoluet, non aliter atque longa & explicata ambitioſiùs faſcia in ſphæram conglobari ſolet. Quæ figura vt rotatu facilè circumagitur, & pellitur longè, ſic tu è tuo depulſus loco velociter in longiſſimas regiones inimicorum proiectu rotaberis. Deinde ad hanc explicationem bellè ſubiungitur, *quaſi pilam mittet te in terram latam*: quia nimirum te priùs in quandam quaſi pilam rotundauerat, in eámque formam, aut conditionem adduxerat, vt quiuis te per ludibrium, próque ſua libidine iactare atque verſare poſſit.

Hęc à me longiùs dicta ſunt, vt tranſlationes varias inter ſe & cum Hebraico textu conciliem. Sed eſt magis expeditus ſenſus quem obuium affert vulgata tranſlatio, ſi dicamus, pro corona, & gloria quam obtinebat templi præpoſitus, ſucceſſuram ignominiam, & tribulationem.

36. cc *Quaſi pilam mittet te in terram latam & ſpatioſam.*] Quemadmodum pila in decliui loco nunquam conſiſtit, atque etiam in plano, quia quicumque pulſus, aut exigua vis illam loco mouet, longéque adigit; ſic iſte Sobna, quem pilæ in modum conglobatum eſſe diximus, in nullo loco diu permanebit; ſed huc, illúcque vagus, incertúſque rotabitur. Ita ferme omnes cum Hieronymo. Pro *ſpatioſa* eſt in Hebræo רחבה ידים *rachabah iadaim*, id eſt, *ſpatioſa manibus*. Eodem omnino modo *Pſalm.*

Pſal. 103. 103. *mare* dicitur *ſpatioſum manibus*, id eſt finibus, aut littoribus; Quomodo *manus*, *terminum* ſiue *extremum* ſignificet, diximus ad illud Zachariæ *c.13. In medio manuum tuarum*.

37. ff *Ibi morieris, & ibi erit currus gloriæ tuæ: ignominia domus Domini tui.*] Communiter interpretes reprehendi putant Sobnam, quòd monumentum ad immortalitatem illuſtre adornare ſibi fecerit, cùm tamen in illud inferendus non ſit, ſed inde procul in hoſtili ſolo, aut lacerandus à canibus, aut ſepultura aſini ſepeliendus; & in fœdam ignominiam conuertendus currus gloriæ, id eſt glorioſus, & ambitioſus faſtus, quem ſibi in glorioſo munere & hominum opinione captabat.

38. Ego hîc arbitror per zeugma ad vnum verbũ tria membra clauſulæ eſſe referenda, ad illud nempe *morieris*, quod credo ſibi perſuadebit facilè, qui textum Hebraicum conſuluerit, qui ad verbum ſic habet, *ibi morieris, & ibi currus gloriæ tuæ* (ſupple morietur) *& ignominia domus Domini tui* (ſupple morietur.) Quod attinet ad tertium membrum, ante quod non eſt coniunctio *&*, quidam vocatiuum eſſe putant, vt Vatablus. Certè ſine coniunctione transferunt alij omnes præter Vulgatum, in hunc ſenſum: *Ibi morieris, & ibi peribit gloria tua; ô dedecus familiæ Domini tui*. Sed ſi coniunctionem addas cum Vulgato, quod fieri profectò debet, erit elegans, grauiſque ſententia, *In exilio morieris, & ſi quid tibi inerat vmbratilis, ac fucatæ gloriæ, ibi peribit, morietur quoque ignominia domus Domini tui. Id eſt, reuiuiſcet gloria domus Domini tui, quæ te præpoſito non obſcurata ſolùm, ſed mortua videbatur.* Ex quo quiuis intelligat quantum ignominiæ trahat domus etiam illuſtris, & glorioſa à ſerui, præſertim ſi in dignitate conſtitutus ſit, ſceleratis moribus, quando cum illius morte ignominia quoque moritura dicitur.

Seruus ſceleratus familiam etiã nobilem obſcurat.

39. gg *Et expellam te de ſtatione tua, & de miniſterio tuo deponam te.*] In textu Hebraico migratio eſt à prima perſona ad tertiam. Nam in ſecundo membro pro *deponam*, eſt *deponet*. Quod in Hebraico idiomate valde vſitatum eſt, vt diximus *in cap.12. Zachar. num.40.* Et paulò antè hoc ipſo capite aliud habemus exemplum; nam vbi Vulgatus habet *excidiſti tibi hic ſepulchrum, excidiſti in excelſo memoriale*: in Hebræo eſt ſecundo loco, *excidit in excelſo memoriale*. Plura exempla inuenies apud Pagninum *lib.4. Inſtit. cap.13.*

Regula. Tranſitus à prima perſona ad tertiam.

40. hh *Et erit in die illa, vocabo ſeruum meum Eliacim.*] Quando facta fuerit iſta depoſitio Sobnæ, non conſtat ex ſcriptura; Sed eſt certum contigiſſe ante aduentum Senacherib; nam quo tempore Rabſaces impiam, & minacem legationem obiit, miſſi dicuntur quaſi legati infrà *cap.36.* Eliacim, & Sobna, quorum ille dicitur eſſe על הבית *hhal habeth*, id eſt, *ſuper domum*, quod munus habuiſſe dicitur hic Sobna. Quare iam eo tempore munus tranſlatum erat ad Eliacim. Credibile eſt optimum Regem Ezechiam noluiſſe, vt impius Sobna eſſet in eo ſacro miniſterio diutius, quem ab impio Achaz Ezechiæ patre templo fuiſſe præpoſitum, non eſt incredibile. Quem ne omnino princeps humaniſſimus abieciſſe videretur, munus aliud illi non tam ad templi vſum, quàm ad regiæ domus adminiſtrationẽ attribuit, quocirca infrà *c.36. ſcriba* dicitur Hebr. סופר *ſopher*, quia theſauris præfectus, aut Regij ſumptus curator, ſiue adminiſtrator fuit. Neque obſcura ex hoc loco coniectura ſumitur, in quo extinguenda dicitur Sobnæ morte, aut exilio, *ignominia domus Domini ſui*, id eſt, Ezechiæ: nam modus ille loquendi non tam *in Domino ſuo*, Deus, quàm mortalis homo videtur intelligi. Neque difficile hoc videbitur ei, qui nouerit Ezechiæ ſanctitatem, qui ſicut templum illis purgauit ſordibus, quas pater inuexerat, ſic etiam veriſimile eſt multo ſtudioſiùs purgandum curaſſe ab impiis, ſordidiſque miniſtris; præſertim cùm hanc tam acrem Sobnæ reprehenſionem audiſſet ab Iſaia, quem diuino afflatum Spiritu nouerat.

41. ii *Induam eum tunica tua, & cingulo tuo confortabo eum.*] Ex hoc loco colligit Hieronymus ſummum Sacerdotem fuiſſe Sobnam: nàm hæc ornamenta illa videntur eſſe, quibus lex induit ſacerdotem. De *tunica* & *balteo*, totáque veſte ſacerdotali, latè habes *in Exodi cap.28.* & apud Hieronymum *in epiſt. ad Fabiolam*. De *balteo* præcipuè *Exod. 39.* Scio aliis dari *tunicam & balteum*, ſed hic credo antonomaſticè ſumi pro inſigni pontificio Et id, quod ſtatim ſubeſt, non parum inſinuat, dum Eliacim futurus eſſe dicitur *pater habitantibus Ieruſalem*, cui præter Regem, aut Sacerdotem ſummum, non video cui conuenire poſſit.

42. kk *Et dabo clauem domus Dauid ſuper humerum eius.*] Hinc aliqui ſibi perſuadent præpoſitum regiæ domui fuiſſe Sobnam potiùs quàm templo. Ita Pradus *in cap.17. Ezechiel. verſ.23.* Montanus, & Emanuel Sa: Dubitant Foreirus, & Adamus, quia *domus Dauid* non tam videtur *templum* dici poſſe, quàm *Regia domus*. Sed dupliciter occurri poteſt huic cogitationi. Nam *templum* vocari poteſt *domus Dauid*, ſicut etiam vocatur *Salomonis*, quia non minori ſtudio in eius molitionem incubuit Dauid importatis omnibus ad fabricam neceſſariis, quàm Salomon. Et ita cenſent S. Thom. Dionyſius, & Lyra. Deinde, quia *domus Dauid* apud hunc ipſum prophetam non tantùm vocatur, quæ aliter *arx Sion*, aut *ciuitas Dauid*; ſed etiam *tribus Iuda*. Sic enim ſuprà *cap.7. Audite ergo domus Dauid.* Huic ergo tribui Iuda in qua etiam continetur

rur Benjamin, vt ploribus oſtendimus in Zachariam *cap.2. num.*16. præerat Sacerdus ſummus, ſicut etiam nunc Pontifex maximus toti Eccleſiæ. Quod ſi de Regia domo hîc capias, non eſt difficilis exitus ab hoc nodo. Cùm enim ſanctus eſſer Rex Ezecbias, ſanctus etiam Eliacim, & pater omnium, ex eius conſilio Rex ſanctus, & patriæ amans omnia moderabatur, quem videbat ex hac prophetia datum eſſe & templi præpoſitum, & omnium parentem. Quocirca Sacerdos iſte ſummus optimè dici potuit habuiſſe *clauem domus Dauid*, id eſt, *Regia*, quia ille de Rege, totáque domo liberè pro ſuo arbitrio ſtatuebat, poſtulante Rege, adeò non repugnante.

43.
Clauis pro ſumma poteſtate.

Porrò *clauem* pro ſumma poteſtate ſumi, ipſius clauis natura declarat; quæ quod clauſum eſt aperit, & quod eſt apertũ claudit: quos vult admittit, & quos vult excludit: neque contra quis audet aut admiſſos excludere, aut excluſos admittere. Et ſanè ex alia metaphora, & phraſi ſcripturæ id magis intelligitur. Dicimus enim illum *ingredi*, aut *egredi*, in quo ſumma eſt poteſtas: & cui nihil interdictũ eſt. Moyſes cùm Ducẽ pro ſe poſtularet à Domino *Nu. c.*17. ait, *Prouideat Dominus*, &c. *hominem qui ſit ſuper multitudinem hanc; & poſſit exire, & intrare ante eos, & educere eos, vel introducere*. Eſt itaque poteſtatis ſummæ, *exire*, *& ingredi*, *educere*, *& introducere*: Quod ſanè facit *clauis* dum claudit, ac reſerat portas. Ad hanc clauis poteſtatem, & ad hunc Iſaiæ locum crebræ ſunt alluſiones. *Apoc.* 1. de Chriſto, *Habeo claues mortis, & inferni*. Et iterum *Apocal.* 3. *Qui habet clauem Dauid, aperit, & nemo claudit*. Vbi etiam de Chriſto ſermo eſt. Et *Matth. cap.*16. Petro dantur claues regni cœlorum; & clauium vſus declaratur dum dicitur: *Quodcumque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis*. Vbi *ligare*, & *ſoluere* idem eſt quod *aperire*, & *claudere*. Exiſtimo autem apud Hebræos metaphorica, & prouerbiali figura *clauem* pro poteſtate ſumi, ſicut apud Hiſpanos vulgari formula, *Tener la llaue es tener poteſtad para haçer, y deshaçer*. Et illi, qui domum emit, claues ab antiquo poſſeſſore traduntur; & principi in deditione arcis, eius traduntur claues ab obſeſſis, cum quibus ſimul poſſeſſio, atque poteſtas traditur ſolenni atque legitimo ritu.

Egredi, & *ingredi* poteſtatẽ ſummã importat.

44.
Chriſti regnum quale.

ll *Super humerum eius*.] Sunt qui putent eos, qui magiſtratum ineunt, ſolere *ſuper humeros* geſtare clauem ſuæ poteſtatis inſigne; ſed vnde id acceperint, nec diuinare quidem poſſum. Foreirus dicit magnas claues ſolere à clauiculariis *ſuper humeros* geſtari. S. Thomas, & Haymo tradunt auream eſſe clauem in templo: In quem vſum non explicant, dicturi tamen exiſtimantur, vt illam Sacerdos ſummus accipiat, tanquam aut poſſeſſionis vindicias, aut poteſtatis inſigne. Sed hæc incerta ſunt, neque hic locus valde ad illam ſententiam facit. Non enim *claues* propriè ſumuntur, ſed metaphoricè, pro poteſtate in aliquo genere ſuprema. Quare nihil aliud hunc locum ſibi velle arbitror, quàm quod de optimo Rege Emanuele diximus ſuprà *cap.*9. ad illud, *Factus eſt principatus ſuper humerum eius*. Nam regnum Emanuelis opponitur aliorum regno, qui tyrannicum in ſubditos agitabant imperium, imponentes aliorum humeris imperij pondus, ita vt ex aliorum ſpoliis ſuos alerent tyrannicos faſtus. At contrà Rex Emanuel ſubiturus erat regni ſui molem, vt per varia incommoda, atque diſcrimina ſubditorũ commodis, & paci

A ſeruiret. Sic iſte Eliacim, qui pater futurus erat potiùs quàm dominus aliorũ, humeris ſuis, non ſubditorum imponet regni pondus; contrà quàm impius Sobna, qui compendium ſibi, & gloriam ex ſubditorum vexatione quærebat. Proponitur autem in Eliacim optimi paſtoris præclara ſpecies, & forma, qui ſi epiſcopatum, aut magiſtratum deſiderat, bonum opus deſiderat. Qua de re multa, & grauiter Patres. Certè bonus paſtor Chriſtus *clauem geſtat ſuper humerum*, dum ouem quam magno labore errantem quæſierat, humeris impoſuit. De quo Iſaias *cap.*40. *Sicut paſtor gregem ſuum paſcet; in brachio ſuo congregabit agnos, & in ſinu ſuo leuabit, fœtas ipſe portabit*.

Sed requiret hîc fortaſſe non nemo aliquid, 45.
B cùm videat nihil *claui* cum *humeris* eſſe commune, atque adeò à propheta non videri commodè coniungi, niſi conſuetudo aliqua, ac legitima cæremonia copularet. Reſpondeo in ſcriptura ſæpius varias commiſceri, atque confundi metaphoras; & in hoc ipſo nomine optimum habemus exemplum. Nam cùm proprium ſit *clauis* non *ligare*, ac *ſoluere*, ſed *aperire*, & *claudere*. tamen *Matth. cap.*16. cùm dixiſſet Chriſtus, *Tibi dabo claues*, ſubdit, *Quodcumque ligaueris*, & *quodcumque ſolueris*. Neque id hoc loco durum eſt, cùm *clauis* ſumatur pro *ſceptro*, quod plerumque ita geſtatur manu, vt tamen humeris admoueatur.

Regula. In Scriptura ſæpe confunduntur metaphoræ.

mm *Aperiet & non erit qui claudat, & claudet* 46.
& non erit qui aperiat.] Explicatur vis & natura po-
C teſtatis, quam contra nemo quicquam moliri poteſt. Si quidquam aperuerit, id eſt, decreuerit, aut permiſerit, nemo eſt qui infringat; ſi quicquam vetuerit, nemo qui ſtatuat; ſi quicquam abrogauerit, nemo qui reſtituat. Suo itaque arbitratu liberè, quidquid volet audebit, ratúmque cenſebitur. Hæc ferme omnia cum reſpectu ad hunc locum de Chriſto dicuntur *Apocal.* 3.

nn *Et figam illum paxillum in loco fideli*.] Iam 47.
alia ſimilitudine declarat qualis eſſe debeat regia, aut in alio genere quæcumque poteſtas ſumma: nempe inſtar *paxilli*, ſeu *claui*, qui infixus parieti varia vaſa, atque inſtrumẽta domeſticæ ſupellectilis habet ſuſpenſa. Quemadmodũ ex paxillo vaſa pendent varia, variis, diſſimilibuſque interdũ miniſte-
D riis deputata; ſic etiam ex principe pendent ſummi, medij, infimi, quo labente, ac ſublato cæteri quoque plerumque corruunt. Vnde nata ſit hæc metaphora, aut quid propriè ſit iſte paxillus, non omnes idem ſentiunt. Pradus *in c.*17. *Ezech. verſ.*23. putat *paxillum* dici lignum præaltum, ac firmum, quod totum ſuſtinet papilionis, ſeu tabernaculi pondus, quod *columen*, ſeu *ſtatumen* vocari poſſet; cùm autem olim homines in tabernaculis agerent, vt Iſaiæ tempore etiam Madianitæ, vt capite præcedenti diximus, ab gentium conſuetudine ductam putat eſſe metaphoram. Nam paxillus ille non ſolùm diſtenta funibus vela ſuſtentat, ſed etiam ex ipſo diuerſa vaſa, ſeu inſtrumenta pendent, tam
E quæ ad ciborum vſum, quàm quæ ad muſicam, rémque bellicam pertinent. Et paxillus ille, vt alia omnia, ſic etiam regij nominis ſymbolum, & pondus ſuſtinet. Hæc ferme Pradus.

Hæc tamen explicatio, quamuis acutè excogita- 48.
ta, quò tamen minùs mihi probetur, facit quòd vox Hebr. יתד *iathed*, pro qua noſter *paxillus* reddidit, non poteſt lignum illud excelſum, & quaſi columnam ſignificare. Valet enim vt cuique videre promptum eſt, *clauum*: qui magis in pariete ad ſuſpen

Paxillus quid.

ſuſpendenda vaſa, quam in terra ad ſuſtinendam
moleın figi ſolet. Et ſanè quando *Zachar.cap.*10.
paxillus cum *angulo* coniungitur, vbi huic affine
argumentum eſt, longè eſt, vt talem vſum, aut ſi-
Ezech. 15. gnificàtionem habeat. Adde quod *Ezech.cap.*55.
vbi idem *paxilli* vſus indicatur, res eſſe oſtenditur
viliſſimi pretij: nam cùm ageret de ligno vitis,
illíque negauerit aliorum vſuum commoditatem,
ad extremum ſubiecit, neque ex eo fieri poſſe pa-
xillum, ex quo vas dependeat, id eſt id, quod ex li-
gneis inſtrumentis viliſſimum eſt. *Fili hominis, quid
fiet de ligno vitis.* &c. *nunquid tolletur de ea lignum,
vt fiat opus, aut fabricabitur de ea paxillus, vt depẽdeat
in eo quodcumque vas?* & *Iud.*4. cùm ſermo eſſet de
B tabernaculo, dicitur Iahel ſumpſiſſe clauum taber-
naculi, adactúmque malleo infixiſſe in temporibus
Siſaræ. Sed quis putet lignum illud, ex quo diſten-
debantur vela; & cui totum incumbebat tabernacu-
li pondus, malleo fuiſſe adactum in Siſaræ tempo-
ra? aut quomodo eo ſublato ſtare potuiſſet taberna-
culum illud, in quod, extincto Siſara, alij ingreſſi
49. dicuntur? Quare dicẽdum puto paxillum eſſe cla-
uum, ſiue ferreum, ſiue ligneum infixum parieti,
Hiſpanè *eſtaca*, ex quo inſtrumenta domeſtica, &
varia ſupellex ſuſpendi ſolent, aut bellica, vt *Za-
char.cap.*10. qualia ſunt ſcutum, haſta, arcus, aut
muſica, tricliniaria, aut culinaria, de quibus hîc
Iſaias; quod ſentiunt communiter interpretes. Por-
Prouerbiũ. C rò *paxillus* prouerbialem figuram præſefert, ſigni-
ficátque illum, qui alijs præſidio atque ſaluti eſt.
Qui licèt res ſit non magnæ molis, ac præſidij,
ſicut columna, tamen antiquis temporibus, quæ
videtur ſpectaſſe metaphora fortaſſe nihil erat ad
ſuſtinenda, ſeruandáque vaſa commodiùs, & v-
ſitatiùs.
50. oo *In loco fideli.*] Id eſt, tuto, & firmo, ex
Fidele quid. quo paxillus non facilè aut excidere, aut reuelli
poſſit. *Fidelem* autem vocamus, qui rem creditam
ſeruat, ac reddit cùm repetitur: qualis dicitur ager,
qui quod accepit ab agricola ſemen, cum vſura re-
ſtituit. Et talis eſt locus firmus, puta domum, pon-
tem, lignum, aut bene materiatum, aut conſtructum
murum, quæ his, qui illorum quaſi fidei aliquid
D commiſere, fraudi non ſunt. Ad hunc modum *locus*
dicitur *fidelis*, in quo clauus figitur, qui nõ eſt è ma-
teria futili, quæ facilè diſſipatur, & ſoluitur, ſed
clauum tenet arctè, amplectitúrque ad omnem fir-
mitatem, ne vnquam excidat. Quo loco propheta
videtur oſtendere; quid interſit inter Eliacim, &
Sobnæ præfecturam. Nam Sobna qui paxillus erat
populi, firmo ac fideli loco fixus non erat, & reuul-
ſus ab eo facilè fuit, atque proiectus longè. Eliacim
verò, quia fideli loco poſitus, diuturnam ſtabilita-
tem conſecutus eſt, neque ex eo vnquam refixus.
51. pp *Et erit in ſoliũ gloriæ domus patris eius.*] *Solium*
aliquid ſignificat excelſum, & illuſtre. Neque ſo-
lùm ab Eliacim gloria, atque ſplendore parentes
ipſius glorioſi futuri dicuntur, ſed etiam, qui in do-
mo patris ſui continentur, id eſt poſteris, ad quos
pertinere etiam videtur vox Hebraica צאצאים

A *tſeetſaim*, pro qua Vulgatus reddidit *vaſorum di-
uerſa genera*; intentus magis in ſententiam, quàm
in verborum ſignificationem: Significat verò *pro-
pagines, germina*, & per tranſlationem *progeniem*,
à verbo יצא *iatſa*, quod *egredi* ſignificat.
qq *Vaſorum diuerſa genera.*] Perſtat in meta- 52.
phora claui, ſeu paxilli, oſtenditque omnium or-
dinum homines ſummos, infimóſque ab Eliacim
habituros gloriæ pacíſque ſubſidia: tanquam ab eo
qui omnium dicitur futurus eſſe pater. In voce
Hebraica aliquid eſt quod maiorem in modum
commendat Regis, aut ſacerdotis in ſubiectum ſibi
populum ſedulitatem, curam, & amorem. Signifi-
B cat enim progeniem à parente propagatam, aut
propaginem è vite pullulantem, aut quod alteri
adhæret tanquam ipſi cognatum: accommodatè
ad *patris* nomen, quod à propheta datur Eliacim.
Nam vt vitis propaginem, & pater liberos: ſic Elia-
cim ſuſtentabit, amplectetúrque, quos habebit ſub-
ditos. Hieronymus autem eodem ſenſu *vaſa* con-
uertit, vt metaphoram paxilli ſeruaret, quam ta-
men non ſemper Scriptura perpetuam ſeruat, vt
nuper diximus, cùm ageremus de claue ſuper hu-
meros.
rr *Auferetur paxillus qui fixus fuerat in loco fi- 53.
deli, & frangetur & cadet.*] Hic ſermo eſt de Sob-
na, qui paxillus fuerat, ex quo plurimorum ſpes,
& præſens cõmoditas pendebat: quo ablato, igno-
C minioſéque depoſito cætera, quæ in eo niti vide-
bantur, eodem impetu conciderunt. De Sobna
hæc accipiunt Dionyſius, Vatablus, Foreirus, Lyra,
Adamus. Sed quomodo refixus paxillus, ſi fideli
priùs infixus parieti? Reſpondeo *fidelem* vocari
locum, *& firmum*, non tamen ſatis fideliter, ac fir-
miter adactum eſſe clauum, qui tam facilè reuelli
potuit. Aut certè locus ille *fidelis* dicitur, non tam
reſpectu aut propriæ firmitatis, aut Sobnæ ponti-
ficis, quàm reſpectu Eliacim. Quaſi dicat prophe-
ta: ex eo loco excidet Sobna qui fidelis, & firmus
erit Eliacim, & ex quo ſtabili aliorum gloria, &
ſubſidia pendebunt. Aut tandem locus appellatur
fidelis, quia maximam deſiderat fidem, in eo, qui
illum occupat; qualem non ſeruauit Sobna, qui
D non tam populi commoditati, quàm ſuæ, vexato
laceratóque populo ſeruiebat.
Alij hæc referunt non ad Sobnam, ſed ad ſa- 54.
cerdotalem ſtatum, & tempus Chaldæorum, &
in his, Hieronymus, S. Thom. Haymo, & Hugo;
qui cenſent ſacerdotium in *paxillo* deſignatum au-
ferendum in captiuitate Babylonica. Et re vera
ita accidit iuxta illud *Oſea* 3. *Dies multos ſedebunt
filij Iſrael ſine Rege, & ſine principe, & ſine ſacrificio,
& ſine altari, ſine Ephod, & ſine Theraphim.* Sed
prior explicatio videtur magis expedita, neque
enim etiamſi ſacerdotium, id eſt, paxillus, Chal-
dæorum tempore cecidetit, paxillus ſecundus poſt
Sobnam, id eſt, Eliacim, fixus eſt in loco non fi-
deli. Nam ille è ſacerdotio eiectus non eſt, cùm
longè poſt eius ætatem captiuitas contigerit Ba-
bylonica.

Argumentum vigeſimi tertij capitis Iſaiæ.

AGIT hic Iſaias contra Tyrum, cuius ruinam ex antiqua gloria atque potentia eleganter deſcribit, deinde ciuitatem illam lautam, & nobilem ducendam eſſe captiuam, ſeruituràmque apud alienos, ac duros dominos denunciat. Denique illorum ſubitum caſum, & miſerabilem fortunam conſolatur; dum ait, exactis ab exilio ſeptuaginta annis, ſoluendam eſſe captiuitatem, rediturόſque Tyrios rurſus ad antiquam artem, ex qua lucrum illud, & nomen inſtaurabunt, quod antè perdiderant.

CAPVT XXIII.

1 [a] *ONVS Tyri. [b] Vlulate naues maris; [c] quia vaſtata eſt domus, vnde venire conſueuerant: [d] de terra Cethim reuelatum eſt eis.*

2 [e] *Tacete qui habitatis in inſula: negotiatores Sidonis, [f] transfretantes mare repleuerunt te.*

3 *In aquis multis ſemen [g] Nili meßis fluminis, fruges eius, & facta es negotiatio gentium.*

4 [h] *Erubeſce, Sidō; ait enim mare: fortitudo maris dicens: [i] Non parturiui, & non peperi, & non enutriui iuuenes, neque ad incrementum perduxi virgines.*

5 [k] *Cùm auditum fuerit in Aegypto, dolebunt, cùm audierint de Tyro.*

6 [l] *Tranſite maria; vlulate, qui habitatis in inſula.*

7 [m] *Num*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 VATICINIVM dutum contra Tyrum: Vlulate negotiatoriæ naues, quia ciuitas illa vaſtara eſt, vnde venire conſueueratis auro, atque pretioſis mercibus onuſtæ. Hoc dunim nuncium primùm à Cethæis negotiatoribus perlatum eſt.

2 Tacete iam, ô Tyri coloni, ac flete, quia mœtor, ac ſtupor ex inſperata calamitate conceptus, vobìs eripiet loquendi facultatem, relinquétque vberem plangendi materiam. Negotiatores Sidonij vndecumque terrarũ aſportaris mercibus in te, ô Tyre, tanquam in commune totius orbis emporium varias antè conuexerunt opes.

3 Ad vos per aquas frumentum, & quidquid apud Ægyptios parit Nili fœcunditas, tranſmittebatur; apud vos erat frequens, omniúmque gentium concurſu nobilitatum emporium.

4 Ah pudeat te, ô Sidon, inquit Tyrus, maris quondam decus, & fortitudo, vtpote inſula, atque regina maris: quia cùm premi videres me à Babyloniis, nunquam tamen mihi, & vicinæ, & filiæ auxilio fuiſti. Pudeat etiam ciuitates alias, quæ ex me tanquam coloniæ, & filiæ in varias regiones prodierunt; quarum cùm ego nutrierim, exaltauerímque iuuenes, virginéſque ad ætatem vſque adultam perduxerim; perinde tamen mihi fuerunt in extremo diſcrimine, atque ſi nunquam eſſent à me prognatæ.

5 Cùm ad Ægyptios peruenerit triſtis hic nuntius de Tyro capta, atque ſubuerſa, ipſi quoque mœrebunt: tum quia ſpes illis lucri periit ſublato emporio, vbi Ægyptiæ diſtrahebantur merces: tum quia ex vicino malo aliquid ſibi mali à Babylonio exercitu metuebant.

6 Qui in ſaxo ô Tyrij ciuitatem veſtram ædificaſtis, putabatíſque nunquam futurum, vt inde exturbati ad alienas regiones extorres alienam imploratetis miſericordiam, tranſmittetis maria, errabitíſque incerti, aliarum ciuitatum, non tam incolæ, quàm peregrini, atque hoſpites. Quare vlulate, qui Tyrum habitatis, nunc quidem inſulam, pòſt verò iactis molibus adiunctam continenti.

7 Num

7 Numquid hæc inſula non eſt, quæ propter antiquitatem deberi ſibi ptimum locum gloriatur? Ita ſanè; ſed abducetur ab antiquo illo ſaxo procul in alienum ſolum, itérque difficile, ac longum captiua conficiet; non mollitet in lecti-ca, vt antea: ſed pedibus ſuis, vrgente à tergo, & exagitante Chaldæo, ſicut paſtor in ſyluas agit pecus ignobile.

8 Quis deſignauit animo, ſtatuítque in eum aliquando ſtatum adducere ciuitatem illam nobilem, quam tot opes, atque deliciæ tanquam reginam orbis cotonabant: in qua negotiabantur non mercatores è vulgo, ſed otdine atque potentia principes, non de ignobili, ac ſordida plebe circitores: ſed qui luculenti, atque inclyti cenſentur in terra.

9 Deſignauit hoc, decreuítque Dominus exercituum, vt ſuperbotum hominum ambitioſos deprimeret ſpiritus: & qui inclyti in ea republica putabantur, fœdam ſeruitutem, & inſignem illam ignominiam ſubirent.

10 Tranſibis ergo de terra tua, ô Tyre, quæ filia maris eras, & ſtabilis inſula: atque ita tranſibis, vt nunquam conſiſtas, aut ex antiqua gloria quicquam ſuperſit. Sicut fluuius, qui à ſuo capite ſempet ad humilem, atque decliuem locum pronus delabitur, neque vllo conſiſtit loco, donec in ſalunm mare tandem illapſus, & nomen amittat, & ſi quid habuit dulcedinis, depetdat: neque enim, ô Tyre, ex tot mercibus, quibus ad miraculum abundabas, reliquum erit, vel vnum cingulum, quod in circitorum mercibus viliſſimum eſt.

11 Quæ tibi calamiras non ab alio continget, quàm à Domino, qui manum ſuam ſeueram, & vltricem extendit in illam maris partem, quæ terminos alluit Chananæos, vbi tu ſita es, vbi regna turbauit, miſítque ſtrenuam, & bellicoſam manum, quæ illius Chanaanitidis ciuitatis fortes, & bellatores eliderer.

12 Et dixit, de tua ſtrage, atque infortunio certus; non iam ampliùs in tuis tibi opibus; ac gloria placebis; ſuſtinebis enim, ô filia Sidonis, calumniam, & fraudem ab iniquis oppreſſa dominis, quam tu priùs aliis captioſa, & fraudulenta parااueras. Tranſmigrabis ad regionem Cethæam, neque tamen vrgente vbique vltore Deo tequiem habebis vllam eo in loco, quem tibi perfugio, atque ſolatio delegeras.

13 Futurum tibi certamen eſt cum gente diu in acie verſata, & aſſuera victotiis. Ecce terra Chaldæorum, nempe Niniue ſtrenua eſt, cui in orbe toro nulla ſimilis fuit. Quam, primo ferme ſæculo fuudauit Aſſur, qui & Ninus; illam tamẽ expugnauit Nabuchodonoſor, captiuóſque traduxit, qui in ea ciuitate, atque adeò in Aſſytio imperio robuſti cenſebantur; ſubuertit muros, & grandem illam molem collabefecit. Quid

7 [m] *Numquid non veſtra hac eſt, qua gloriabatur à diebus priſtinis in antiquitate ſua?* [n] *ducent eam pedes ſui longè ad peregrinandum.*

8 *Quis cogitauit hoc* [o] *ſuper Tyrum quondam coronatam? cuius negotiatores principes, inſtitores eius inclyti terra?*

9 *Dominus exercituum cogitauit hoc, vt detraheret ſuperbiam omnis gloria,* [p] *& ad ignominiam deduceret vniuerſos inclytos terra.*

10 [q] *Tranſi terram tuam quaſi flumen* [r] *filia maris;* [ſ] *non eſt cingulum vltrà tibi.*

11 [t] *Manum ſuam extendit ſuper mare, conturbauit regna: Dominus mandauit aduerſus Chanaã, vt contereret fortes eius.*

12 *Et dixit;* [v] *Non adiicies vltrà, vt glorieris,* [x] *calumniam ſuſtinens,* [y] *virgo filia Sidonis.* [z] *In Cethim conſurgens trans freta,* [aa] *ibi quoque non erit requies tibi.*

13 [bb] *Ecce terra Chaldaorum talis populus non fuit, Aſſur fundauit eam: In captiuitatem traduxerunt robuſtos eius, ſuffoderunt domos eius, poſuerunt eam in ruinam.*

ergo tibi ſperandum eſt, ô Tyre, quæ armis, & bellandi peritia multò es inferior?

14 *Vlulate naues maris, quia deuaſtata eſt fortitudo veſtra.*

14 Vlulate ergo negotiatoriæ naues, quæ longa tranſmittitis maria, quia vaſtata eſt Tyrus, quæ iure ſuo fortitudo veſtra vocari potuit: quia vos omnigenis mercibus, atque opibus implebat, quæ vires ſunt, & nerui ciuitatum.

15 *Et erit in die illa:* [ee] *in obliuione eris, ô Tyre, ſeptuaginta annis;* [dd] *ſicut dies regis vnius;* [ee] *poſt ſeptuaginta autem annos, erit Tyro quaſi canticum meretricis.*

15 Iacebit autem, ô Tyre, nomen tuum in obliuione, ac tenebris ſepultum ſeptuaginta annis, quamdiu nimirum vitam agit vitalem Rex, id eſt, qui molliter ſe ac delicioſè curat. Quo tempore tandem exacto, rurſus te ad antiquas mercimonias referes, artémque quæſtuariam, qualis tibi nunc commoda meretur, atque ornamenta vitæ: cantúque ſolemni ex inſtitotum more tuas vt antea merces euulgabis.

16 [ff] *Sume citharam, circui ciuitatem meretrix obliuioni tradita: bene cane, frequenta canticum, vt memoria tui ſit.*

16 Sume ergo citharam, ciuitatem luſtra, iam facta rurſus venditrix, quæ priùs cum arte, & quæſtu ſepulta videbare: Cane quantum potes clara, atque contenta voce, vt memoriam tui apud alios excires negotiatores, quam ciuium ſtrages, & ruinæ vrbis tumulauerant.

17 [gg] *Et erit poſt ſeptuaginta annos: Viſitabit Dominus Tyrum, & reducet eam ad mercedes ſuas, & rurſum fornicabitur cum vniuerſis regnis terræ ſuper faciem terræ.*

17 Quia poſtquam exacti fuerint anni ſeptuaginta, recordabitur Dominus Tyri in aliena ac barbara regione captiuæ, eámque ad antiquā artem, & quæſtum reducet: & iterum rationes lucrúmque coniunget cum terræ Principibus, qui in rediuiuum emporium, merces iterum conuehent.

18 [hh] *Et erunt negotiationes eius, & mercedes eius ſanctificatæ Domino:* [ii] *Non condentur, neque reponentur, quia his, qui habitauerint coram Domino, erit negotiatio eius, vt manducent in ſaturitatem, & veſtiantur vſque ad vetuſtatem.*

18 Ille verò quæſtus, quem afferet Tyro ars mercatoria, non cōdetur ad vanos, atque inutiles vſus, ſed ſacrabitur Deo, alétque miniſtros, quos ſibi Dominus ad ſacrum miniſterium deſignauit; vt ex ipſo ſibi, & ad nuditatem operimentum, & ad ſaturitatem victum, omnia denique vitæ ſubſidia comparent.

IN CAPVT VIGESIMVM

TERTIVM COMMENTARIVS.

1. Tyri ſitus.

[a] ONVS *Tyri.*] Sicut de regionibus aliis vaticinatus eſt Iſaias, minatúſque vaſtitatem, & interitum; ſic modò & Tyro, quæ vicina erat Iſraelitis ab eaparte, quam occupat Galilæa. Fuit autem olim inſula anguſto ſpatio à continenti diſcluſa; deinde verò iactis molibus obſtructo freto facta peninſula; in quā propter loci opportunitatem vndecumque negotiatores commeabant: tanquam ad commune totius orbis emporium. Ex quo fiebat vt vix vlla in terris eſſet ciuitas, vel ad pacis commoditatem opibus ornatior, vel ad bellicas difficultates armis inſtructior. Heb. dicitur צור *tſor*, à ſitu, quia in ſaxo poſita, & quaſi Regina maris latè eius ſpatia deſpectat. De cuius gloria, & graui ruina multis Ezechiel *cap.* 26. & 27. qui nobis multum afferet lucis ad huius capitis explicationem.

A [b] *Vlulate naues maris.*] Hebr. *Tharſis*, de qua multis egimus ſuprà *cap.* 2. ad illud, *Et ſuper omnes naues Tharſis.* Septuaginta, vt ibi diximus, ſemper vertunt, *mare*, quod etiam nunc facit noſter interpres, alibi ſolitus relinquere vocem ipſam Hebraicam. 2.

[c] *Quia vaſtata eſt domus, vnde venire conſueuerant.*] Locus iſte difficilis variè transfertur. In Hebræo duæ tantùm ſunt voces, quas aliæ linguæ nec multis quidem aſſequi poſſunt. Tigurina reddit, *Vaſtata eſt, vt ne domus quidem ſuperſit, non vltrà venient de terra.* Pagninus, *quia vaſtatio facta eſt, vt non ſit domus introitus.* Foreirus, *quia vaſtata eſt intrinſecus, & extrinſecus.* Septuaginta, *quia periit, quia non vltrà venient de terra Chaldæorum.* Hebr. מבוא מבית *mibo mibaith*, quæ ita videntur tranſtuliſſe Septuaginta, & Tigurina, vt parum à noſtro 3. מ Præpoſitio interdū negat.

ſtro interprete differentiaor. Quorum vt exactiùs
mentem,& loci ſenſum aſſequamur, obſeruo præ-
poſitionem מן *min* ſeu מ *mem* inter alios vſus
illum habere frequentem, vt aliquid neget, aut
excludat. *Iob cap.33. verſ.*18. vbi vulgatus, *Liberauit
animam ſuam ne pergeret in interitum.* Hebr. מעבור
mebbabor, id eſt, *à tranſeundo*, ſeu *ne tranſiret.* Exépla
plura habes apud Pagninum *in inſtit.li.*1.*c.*15. Vide
quæ diximus ſuprà *cap.*10. ad illud *A facie olei.* Ad
verbum igitur ſic verto, *Vaſtata eſt Tyrus à domo*
(id eſt, deleta funditus ne ſuperſit, ne vna quidem
domus) *& a veniente*, ſeu *à veniendo* (id eſt, ne vllus
negotiator ad illã deinceps veniat) & id videntur
velle omnino Tigurina & Septuaginta tranſlatio.

4\. Vulgata tranſlatio videtur præpoſitionem מן
adiunxiſſe *domus*, in ſignificatione negatiua; ita
vt non ſit iam domus. Id enim valet *quia vaſtata
eſt domus* Infinitiuo verò ſeu gerundio מבוא *mibo*,
in ſignificatione magis familiari, id eſt, *deuenire*,
aut, *deueniẽdo*. Quod Vulgatus reddidit, *vnde veni-
re*, & explicationis gratia addidit *conſueuerat.* In
hunc ſenſum. Vlulate naues maris, quia domus
illa vaſtata eſt, vnde venire conſueueratis onuſtæ
auro, atque pretioſis mercibus. Hoc idem de Baby-
lonia iam deleta dicitur *Apocal.*18. *Mercatores terræ
de virtute deliciarum eius diuites facti ſunt.* Sed ob-
ſeruandum eſt Hebræorum more à ſecunda perſo-
na tranſitum eſſe ad tertiam: dicendum enim erat,
Vnde venire conſueueratis, ô naues, quia præceſſerat
vlulate. Sed, vt diximus nuper, *cap.*22. ad illud *&
expellam te*, hoc frequens eſt inter Hebræos.

5\. [d] *De terra Cethim reuelatum eſt eis.*] Quid ſit
Cethim, dictum eſt à nobis *c.*2. Vbi latè etiam egi-
mus de *Tharſis.* Variè hic locus diſpungitur. Qui-
dam *Cethim* cum ſuperioribus coniungunt: ita vt
vlulare iubeantur naues, quæ venire conſueuerant
de terra Cethim, quomodo Septuaginta diſtin-
guunt. Plerique eo modo diuidunt, quo Vulgatus,
putántque Tyrios primum belli rumorem, quod
contra ipſos comparabatur, accepiſſe ab his merca-
toribus, qui ſoluerant à terra Cethim, id eſt Græcia,
ídque ſibi perſuadent, quia Alexander, à quo vaſta-
ta eſt Tyrus, & continenti adiuncta iactis in fretum
molibus, egreſſus fuiſſe dicitur de terra Cethim
*Machab.lib.*1.*cap.*1. Et quidem hi omnes ſtatuunt
ſermoné hîc eſſe de ea vaſtitate, quæ ab Alexandro
Tyriis allata eſt. Quod mihi ægrè admodum pro-
bari poteſt; multa enim, quæ in hoc capite dicun-
tur, non tam temporibus Alexandri conueniunt,
quàm Nabuchodonoſor, vt ſuis quæque locis dice-
mus. Neque videtur admodum conſentaneum, vt
cùm primùm Tyriorum gloria, atque potentia,
quæ ad miraculum vſque inſolens erat, à Babylo-
niis eſſet euertenda, ad illam gloriam, quæ longè
poſt Babylonicum excidium reſtituta eſt, & iterum
ab Alexandro deleta, intentæ eſſent propheticæ
minæ. Et cùm eodem ferme modo de Tyri ſtrage
actum fuerit ſub Nabuchodonoſor etiam ab Eze-
chiele ſuprà, veriſimile eſt ab vtroque de eodem
tempore inſtitutum eſſe vaticinium. Et ita cenſent
S.Thomas, Cyrillus, Procopius, Dionyſius, & plu-
tes alij. Exiſtimo autem hîc *Cethim* pro mercato-
ribus ſumi per ſynecdochem, quia è Cithæis re-
gionibus plurimi quotidie Tyrum appellebant ne-
gotiationis gratia. Mercatores autem, qui merces
aliò atque aliò conuehunt, facilè rumores omnes
vndecumque collectos, quocumque cum merci-
bus tranſportant, atque diſſeminant. atque ita
de belli comparatione contra Tyrum, eius in-

A ſulæ ciues admonuere.

6\. Seu certè illud *eis* non refertur ad Tyrios, ſed
ad naues maris, quæ Hebr. dicuntur naues Tharſis,
quibus à mercatoribus Cithæis, id eſt, occidentali-
bus, nunciatum eſt vaſtatam eſſe Tyrum. Quod ali-
qua ratione confirmat id, quod à nobis *cap.*2. di-
ctum eſt, *Tharſis* ſignificare inſulas, quæ ad Aqui-
lonem ſpectant; *Cethim* verò illas, quæ ad occaſum
& Auſtrum. Quare cùm Tyrus eſſet prope Ce-
thim, qui inde profecti fuerant, excidiúmque vi-
derant Tyri, nauibus Tharſis illud annuntiabant:
quibus cùm ſublatum eſſet lucrum, quod ex illo em-
porio capiebatur, fletus indicitur.

7\. Septuaginta hunc locum aliter vertunt, *Non vl-
trà veniunt de terra Cethiorum, ducta eſt captiua.* Quæ
B tranſlatio non habet explicationem difficilem, ſi
illud *Ducta eſt captiua*, adiungamus illis verbis, *De
terra Cethiorum.* Nam, vt ſuprà vidimus, inſulæ
Cethim ſunt illæ, quæ ad Græciam pertinent, &
Italiam; id eſt, quæ ſunt in ea parte maris mediter-
ranei, quæ ad occidentem, & meridiem ſpectat.
Quo ex numero fuit Tyrus, quæ, quo tempore hæc
dicta ſunt ab Iſaia, inſula erat, quia nondum ob-
ſtructo anguſto freto cum continenti coniuncta.
Erit ergo ſenſus iuxta dictam diſtinctionem, *De
terra Cethim, ſeu Cethiorum ducta eſt captiua*, id eſt,
*de terra ſua tranſlata eſt. Nam ipſa inter Cethim nu-
merabatur.* Ratio diuerſæ tranſlationis orta eſt ex
ambigua ſignificatione verbi גלה *galah*, quod *mi-
grare* ſignificat, & *reuelare.* Hanc aſſumpſit Vulga-
C tus, illam Septuaginta.

8\. [e] *Tacete qui habitatis in inſula, negotiatores Sidonis
tranſfretantes mare repleuerunt te.*] *Silentium*, vt à
nobis dictum eſt *cap.*6. *num.*19. ſignum eſt ſerui-
tutis, & ſtuporis, quem afferre ſolet grauis, atque in-
ſperata calamitas. Tacere itaque iubentur Tyrij,
quia pudor ex ea calamitate, quæ à Babyloniis im-
minet, eripiet non modò gloriandi licentiam, ſed
etiam loquendi facultatem. Hieronymus, vt eſt
in eius Commentariis, aliter legit, & diſpungit
hunc locum: *Tacete, qui habitatis in inſula, nego-
tiatio Sidonis.* Vbi per zeugma ante *negotiatio* repe-
tendum videtur *tace.* Quaſi propheta fletum, &
ſilentium indicet Sidoniis, quorum Tyrus erat
colonia, quia eadem ipſis ab hoſte Chaldæo im-
D pendebat clades; & quia ſublata Tyro, ipſis ex ne-
gotiatione varia commoditas, & multiplex quæ-
ſtus eripiebatur. Sed Sixtiani codices aliter legunt,
& diuidunt locum: eo nimirum modo, qui ſuprà à
nobis poſitum eſt. Ita vt *ſilentium*, & *fletus* ad Sido-
nios non referatur; ſed potiùs mercatores Sidonij
dicantur vndecumque terrarum varias opes in Ty-
rum conuexiſſe. Pro *negotiatoribus* Hebr. eſt סוחר
focher, in numero ſingulari, cui verbum adiungitur
plurale Hebræorum more.

Silentium ſignum ſeruitutis, & ſtuporis.

9\. [f] *Tranſfretantes mare repleuerunt te.*] Explicatio
eſt ſuperiorum, & optima mercatorum deſcriptio.
Nam hi maria tranſmittunt, eóque appellunt naues
auaras, vnde ſe oſtentat ſpes aliqua lucri. Hi ergo
E negotiatores peregrinas, & exoticas merces ad il-
lud emporium deferebant, & ita circumfluebat illa
ciuitas his mercibus, quæ exiſtimabantur toto or-
be pretioſiſſimæ.

10\. [g] *Semen Nili, meſſis fluminis fruges eius, & facta
eſt negotiatio gentium.*] Cùm plurimæ vndecum-
que merces comportarentur Tyrum, meminit ta-
men præcipuè earum quæ aduehebantur ex Ægy-
pto, quas appellat *ſemen Nili*; quia à Nilo habet illa
prouincia, vt irrigua ſit, copioſóſque habeat frugũ

Niles Ægypto omnia ſuppeditat.

omnium prouentus. Sed præſertim meminit frumenti, & meſſis, quia res frumentaria ibi felix, maximéque expetita à Regionibus Tyro vicinis, quæ cùm aſperæ ſint, & magna ex parte confragoſæ, alijs potiùs rebus abundabant, quàm frumento. Aut etiam *ſemen Nili* dicitur, quia Nilus non ſolùm irrigat, fœcundóſque reddit Ægypti campos, ſed etiam conſerit: quod de Indo flumine dixit Cicero. Cùm enim longiſſimos terrarum tractus obeat, eóſque vario acumate felices, ſemina ſecum voluit, quæ aut ventus excutit, aut maturitas offert ab his plantis, quæ ad ripas naſcuntur, eáque cùm ripas excedit in agris, quos mollit, & fœcundat, diſſerit. Quare varius eſt, & multiplex illius agri prouentus. Neque multum huic ſententiæ obſtrepit vox *meſſis*, quæ rei frumentariæ videtur eſſe propria: nam vt diximus ad illud *Cantic. cap. 5. Meſſui myrrham meam.* aliis rebus à frumenti, frugúmque perceptione accommodatur: quare de mellificio dicitur, de vindemia, de aromatum collectione. Vide ſuprà *cap. 18. num. 23.*

Meſſis ſignificatio latè patet.

11. Septuaginta multò aliter transferunt hūc locum, propter ambiguam ſignificationem Verbi דמה *damah*, quod *ſilere*, & *ſimilem eſſe* ſignificat. Sic enim illi, *Cui ſimiles facti ſunt habitantes in inſula?* Quorum ego tranſlationem (vt aliorum ſententias omittam) ſic interpretor: Tyrus iactabat de ſe ſuperbè, atque ambitiosè, quòd in medio maris ſederet, tanquam Regina maris, ad quam nationes aliæ, atque inſulæ confluebant è ſuis ſedibus longè remotæ, atque diſperſę. Similē iactationem, ac diſperſionem ſubeundam eſſe Tyro prædicit Iſaias. Nā quæ priùs ſecurè ſedebat in loco excelſo, ac tuto, expectabátque à peregrinis gentibus quidquid apud ipſos eſſet ſpecioſum, ac nobile, ipſa à Nabuchodonoſor ex ſuo ſtabili ſolio abire compulſa, errabit incerta, & ſupplex ad eas regiones aliquando confugiet, quas ſibi quodammodo priùs habuerat vectigales. Vt autem aliæ nationes ad Tyrum longa tranſmittentes maris ſpatia venire conſueuerant, ſic Tyrus eadem ſpatia errabunda peragrabit. Quod accidiſſe Tyriis docet Hieronymus *in Ezechiel. cap. 29. verſ. 18. & hic* ad illud *tranſite maria.* Nam cùm durius premerētur à Nabuchodonoſor, actúmque de ſe, rebúſque publicis exiſtimarent, occultè quicquid erat pretioſum nauibus imponentes, ſubduxerunt ſeſe, & in varias regiones dilapſi ſunt. Hæc iuxta tranſlationem Septuaginta.

12. h *Erubeſce Sidon, ait mare, fortitudo maris.*] Hic locus variè notatur, atque exponitur ab autoribus. Hieronym. putat ſic loqui mare, id eſt, mercatores, qui mare nauigant ad Sidonē, quæ mater erat Tyri, quia Tyrus Sidonis erat colonia. *Fruſtra diuitias cōportaui, ſine cauſa de toto orbe in Tyrum opes contuli, illa diues, illa luxurioſa ac populorum quondam gaudens multitudine, &c. nunc ad ſolitudinem redacta eſt.* Cyrillus ait admoneri Sidonem, vt ploret ſuorum ornamentorum pulcherrimum eſſe ſublatum. Haymo ciuitatibus aut inſulis vicinis hæc attribuit, aut etiam ipſi Tyro, quæ dicunt ſibi non eſſe iuuenes ſatis ſtrenuos, qui Tyrum ab hoſtili gladio defendere potuerint. Non longè aliter Dionyſius. S. Thomas quinque expoſitiones adducit, neque definit, quæ magis probanda. Nos ex omnibus conflabimus vnam, aut afferemus, quod maximè videbitur ad textum. Et mihi primùm maximè videtur veriſimile, hæc verba eſſe adſcribenda Tyro; quæ *mare* dicitur, quia inſula tunc erat, & *maris fortitudo*, quia in mari ſita arte, atque natura egregiè muniebatur. Dicitur verò *mare* comparatione ad Sidonem, quæ in continenti poſita. Neque eſt improbabile à Sidoniis appellari communiter *mare.* Hæc itaque verba quæ mox addemus, Tyri ſunt, id eſt, maris ad Sidonem, cui aliquid exprobrat, quod illi pudori futurum ſit.

Tyrus dicitur mare.

i *Non parturiui, & non peperi, & non enutriui iuuenes, nec ad incrementum perduxi virgines.*] Hæc verba ciuitatibus marinis aut etiam Sidoni tribuit Hieronymus, & cum eo plures alij: ſed non eodem ſenſu. Quædam ciuitates dicuntur dolere, aut etiam inſultare, quòd inſula quondam ciuibus, atque opibus affluens iis omnibus miſerandum in modum orbata ſit. Aliæ verò dicuntur excuſare ſe, cùm enim ipſis ignominiæ ac probro daretur quòd non opem tuliſſent obſeſſæ à Babyloniis Tyro, ipſæ reſpondent ſibi in filiis, quos pepererant non ſatis habuiſſe virium contra tam fortem hoſtem. 13.

Sed communiter hæc verba aſcribuntur Tyro, ſed variè. Emanuel Sa, *Non parturiui, &c.* id eſt, *Vtinam nunquam parturiiſſem, eos nempe filios, qui mihi ſalutem non attulerunt*, aut certè, *ne coram eos ignominioſa morte extinctos viderem.* Foreirus interrogatiuè aſſumit hoc modo, *Nonne parturiui, & enutriui iuuenes? cùm ergo tot fœcunda filiis, orbata atque expugnata ſim, quid te ſperare; aut potiùs timere oportet, ô Sidon?* Alij, *Ita cladibus careo, ac ſi nunquam illos ſuſcepiſſem: quia in obſidione iuuenes, & virgines extincti ſunt à Chaldæis.* Ita Cyrillus, & probat Procopius, Lyra & Vatablus: Et hæc expoſitio mihi magis videtur textum implere. Ita vt Tyrus doleat ciuium ſuorum interitum, & vicinam Sidonem ad fletum, & lachrymas inuitet. Nam verbum Hebr. בוש *bus*, non ſolùm confundi, ſed etiam dolorem prodere externa aliqua ſignificatione valet. Eodem modo Ieremias *Thren. 1. 12.* Ieruſalem inducit eodem dolore inuitantem tranſeuntes ad fletum. *O vos omnes, qui tranſitis, &c.* 14.

Alia expoſitio mihi magis videtur expedita, quam attigit Adamus, & Foreirus, & innuit vtraque gloſſa ordinaria & interlinearis: Ita vt queratur Tyrus quòd ipſi vſque adeò laboranti prementibus anguſtè Chaldæis, auxilium non tulerint cognatæ ciuitates, quæ quaſi filiæ ex illa potentiſſima inſula prodierunt. Fuit autem Tyrus & partu fœcunda, & prolis nobilitate elata, vt tradit Plinius *lib. 5. cap. 19. Tyrus olim partu clara vrbibus genitis Lepti, Vtica, & illa Romani imperij æmula terrarumque orbis auida Carthagine, & Gadibus extra orbem conditis.* De Carthagine docuit idem Virgilius *lib. 1. Æneid.* 15.

Ex Tyro plurimæ deductæ coloniæ.

Vrbs antiqua fuit, Tyrij tenuere coloni,
Carthago.

De Gadibus Pomponius Mela *lib. 3. cap. 6.* Solinus *cap. 26.* & à poëtis Gades ſæpe dicuntur Tyriæ. Ciuitates autem, quæ ab aliqua ciuitate quaſi coloniæ prodierunt, aut ſub eius imperio ſunt, Hebraico idiomate *filiæ* dicuntur 1. *Paralip. cap. 7. verſ. 28. Poſſeſſio autem eorum, & habitatio Bethel cum filiabus ſuis, & contra orientem Noran, ac occidentem plagam Gazer, & filiæ eius. Sichem quoque cum filiabus ſuis, vſque ad Aſà cum filiabus eius. Iuxta filios quoque Manaſſe Bethſam, & filias eius, Thenac & filias eius, Maggedo, & filias eius, Dor & filias eius.* Quibus locis *filiæ* oppida ſunt, quæ ex Metropoli ſua, id eſt, è ciuitate matre egreſſæ ſunt, illíque tanquam ſuo capiti ſubiiciuntur. Alia exempla habes his non diſſimilia 2. *Paralip. cap. 13. verſ. 19.* & de hac ipſa Tyro eſt exemplum perſpicuum *Ezech. 26.* Vt autem

1. Paralip. 7.

tem

tem *filia* dicuntur ciuitates, ſeu coloniæ ab vrbe matrice natæ, & extra deductæ, ſic etiam exiſtimo hoc loco *Virgines ad incrementum productas* vocari ciuitates à Tyriis colonis habitatas; quæ quia luculentæ erant, & ciuibus frequentes, optimè dicuntur ad iuſtam, & robuſtã ætatem adultæ. Ex his ſententia difficilis non eſt: ait enim Tyrus ſe non peperiſſe filios, aut filias, quę in magnũ robur, & opes adoleuerint, quia nullus illorum quos è maternæ calamitatis dolore ſenſus tangere debuerat, auxilio fuit. Perinde enim illi fuit numeroſam illam ſobolem peperiſſe, ac ſi omnino fuiſſet à liberis infœcunda. Nam quod inutile eſt, communi ſenſu hominum cenſetur non fuiſſe. Sicut ſol non dicitur ortus eſſe cæcis, quia nullum illis affert ſplendorem: & pater familiari querimonia dicit ſe filios non habere, ſi ex illorum ſtudio, atque obſeruantia nullum accepit fructum. Neque parum huic ſententiæ fauet, quòd Tyrus non obiicit Sidoni metum, aut iubet plorare; ſed erubeſcere, id eſt, probro dat, quòd non præſtiterit, quod cognatam ciuitatem decebat, quaſi queratur Tyrus, quòd neque Sidon mater, cuius ipſa colonia erat, neque filiæ, id eſt, aliæ Tyri coloniæ, opem tulerint in tam longa, atque difficili obſidione.

Quæ inutilia ſunt, cenſentur non eſſe.

16. Sunt tamen qui putent oram illam Hiſpaniæ Beticæ, quæ ad Gades, & Tharteſſum pertinet, adfuiſſe Tyriis cõtra Nabuchodonoſor, eóque auxilio obſidionem ad quartum vſque annum fuiſſe dilatam. Ita Florianus & Megaſthenes vt tradit Ioſephus *lib. 10. antiq. cap. 11.* Sed eorum apud multos valde laborat fides, quibus è recentioribus aliqui ſubſcribunt. Sanè hic Iſaiæ locus non multum illorum opinioni fauet.

17. In morali ſenſu hæc duo magni doctores interpretantur eleganter & grauiter. Alter Ambroſius *lib. de Elia & ieiunio cap.* 19. qui hæc verba maris eſſe dicit; quod de mercatorum auaritia queritur, dum eorum nauibus, & remis vbique & continenter agitatur; cuius verba omittere non poſſum quia ab ore verè ambroſio ſtillantur. *Erubeſce Sidon, ait mare, tanquam fatigati elementi vox iſta dicentis eſt. Erubeſce Sidon, hoc eſt, meos fluctus negotiator arguis, cùm ſis ipſe inquietior; & erubeſce, vel pudore, quoniam periculo non moueris. Verecundiores venti ſunt, quàm veſtræ cupiditates: illi habent otia ſua, nunquid veſtra quærendi ſtudia feriantur. Et cùm otioſa tempeſtas eſt, nunquam veſtra otioſa ſunt nauigia. Verſatur vnda ſub remige, quæ quandoque quieſcit à flamine. Non parturiui, inquit, nec peperi; nec nutriui iuuenes, quid me inquietant, quos neſcio, quos non agnoſco?*

Ardens lucri ſtudium.

18. Gregorius *lib. 3. Paſt. admonitione* 29. in morali ſenſu aliter locum exponit. Intelligit enim in *mari* vitam ſæcularium, qui in hoc mundo vario curarum æſtu iactantur; in *Sidone* autem ſpirituales, ac religioſos viros, qui ſtabiles eſſe debent multò magis, quàm illi contra ingruentes fluctus inſtructi, atque muniti. Quibus tamen comparatione ſæcularium cur confundi debeant cauſæ adſunt, illæque, prò dolor, & pudor, non vulgares. Quoniam meretrices, & peccatores præcedent eos in regno Dei: & illi inter varios æſtus magis ſtabiles ſunt & pacati, quàm hi in eo, qui eſſe debuit ſecurus, atque tranquillus portus. Ad hanc Gregorij expoſitionem reſpexit libellus ille aureus qui inſcribitur *Contemptus mundi,* ſeu *de imitatione Chriſti lib. 3. cap. 3. Erubeſce,* inquit, *Sidon, ait mare, & ſi cauſam quæris, audi quare. Pro modica præbenda*

Religioſi cur à ſecularibus confundi debeant.

A *longa via curritur, & pro æterna vita vix à multis pes ſemel à terra leuatur.* Hæc aureus ille liber. Quæ dicta volui, in eorum gratiam, qui illius ſtudioſi ſunt.

k *Cum auditum fuerit in Ægypto, dolebunt.*] Ægyptiis, vt nuper diximus, magnus erat quæſtus ex ſocietate Tyri, cùm in illud emporium deferretur quidquid eſſet in ſua regione pretioſum, & pulchrum. Semen enim Nili Tyri erat negotiatio. Cùm ergo Ægyptiis ſpes periret lucri, quid mirum ſi doleant illa ſublata. Aut certè, quod verius puto, cùm timerent Ægyptij ne victrices Chaldæorum copiæ deleta Tyro, in qua diu hæſerat illorum curſus, in ſuos fines irrumperent, eo ſublato B impedimento dolendum ſibi exiſtimabant. Quod credo Ægyptij futurum audierant, cùm de ſua ſtrage non ſolùm hoc Iſaiæ, ſed etiam Ezechielis, & Ieremiæ extarent vaticinia. Quod ſanè ita accidit, quemadmodum disertè prædictum ab Ezechiele fuerat *cap. 29.* Cùm enim agente Deo longam, & moleſtam operam ſumpſiſſet Nabuchodonoſor in oppugnanda Tyro; neque tamen tanti laboris mercedem recepiſſet, quia Tyrij impoſitas nauigiis merces furtim abduxerant, & ciuitas vſque adeò deleta, vt ex antiquo ſplendore, atque frequentia nihil fuerit reliquum præter limpidiſſimam petram, Deus qui operam ſua voluntate, ductúque ſuſceptam manere noluit non muneratam, C Ægyptum totam ſubdidit Chaldæis, quam ipſi vaſtarunt, ſpoliarúntque. De quibus ſic Ezechiel ſuprà. *Fili hominis, Nabuchodonoſor Rex Babylonis ſeruire fecit exercitum ſuum ſeruitute magna aduerſus Tyrum: omne caput decaluatum, & omnis humerus depilatus eſt; & merces non eſt reddita ei, neque exercitui eius, de Tyro pro ſeruitute, qua ſeruiuit mihi aduerſus eam. Propterea hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego dabo Nabuchodonoſor Regem Babylonis in terra Ægypti, & accipiet multitudinem eius, deprædabitur manubias eius, & diripiet ſpolia eius, & erit merces exercitus illius, & operi, pro quo ſeruiuit aduerſus eam.* Dolebunt ergo Ægyptij cùm audierint expugnatam eſſe Tyrum, quia fortaſſe ex hoc Ezechielis vaticinio didicerant (ſi modò præ- D ceſſit Tyri vaſtitatem) ſe quoque poſt Tyrios ab eodem hoſte fore debellandos. 19.

Ægyptus poſt Tyrum vaſtata.

l *Tranſite maria, vlulate, qui habitatis in inſula.*] 20.
Imperatiuus prophetico more pro futuro ponitur. Dicitur autem Tyrus extorris ab antiqua ſede traiectura longa æquorum ſpatia. Adamus putat hæc verba pertinere ad mercatores, qui Tyri negotiari conſueuerant, qui iubentur aliud quærere emporium, in quo merces exponant. & putat id velle Hieronymum, ſed malè Hieronymum allegat, in quo mercatorum nomen non eſt. Sed idem Hieronymus tradit Tyrios, cùm viderent nullam ſibi ſupereſſe ſalutis viam, conſcenſis na- E uibus abiiſſe Carthaginem, & alias inſulas Ionij, atque Ægæi pelagi, idque ſe in antiquis Aſſyriorum hiſtoriis legiſſe. Cæterùm pro *maria* Hebr. eſt *Tharſis*, ex quo, ſi vera ſunt, quæ ſuprà diximus, confirmatur id quod Hieronymus docet de inſulis Ionij, atque Ægæi maris Tyriorum fuga inſtratis, nam vt *Cethim* dicuntur inſulæ Italiæ, ſic *Tharſis* inſulæ, quæ ad Græciam, interiorémque partem maris mediterranei pertinent.

Tharſis ſpectat ad interiorem partem maris mediterranei.

m *Nunquid non veſtra hæc eſt, quæ gloriabatur à diebus priſtinis in antiquitate ſua?*] Vt Tyrij ingentem ſibi ab antiquitate gloriam arrogauerant, ſic ſe putabant in æternum fore duraturos, à qua ſpe 21.

Tyri antiquitas.

deiiciunt illorum inſaniam propheticæ minæ. De Antiquitate Tyri ex ſacris literis nihil, quod ego meminerim, habemus, præter hunc Iſaiæ locum, ſed à profanis ſcriptoribus multa dicuntur. Iuſtinus *lib.* 18. ante Troianam cladem conditam tradit. Virgilius longè ante hæc tempora, nam Carthaginem facit Tyri coloniam, quæ tamen Æneam ſuperſtitem à Troiana clade recepit hoſpitio. Ioſephus *lib.8 antiq. cap.* 3. conditam tradit 240. annis antequam à Salomone ædificaretur templum. Euſebius idem *in Chronico.* De Pſeudo-Beroſo nihil curo, qui antiquiorem facit, vicinamque temporibus Noe.

22. ᵃ *Ducent eam pedes ſui, longè ad peregrinandum.*] Abducti ſunt in Babyloniam captiui, qui priùs matura fuga ſe Chaldæorum manibus non ſubduxerunt. Dicuntur autem *educti pedibus ſuis*, vel quia inſtar pecudum cogente paſtore pedibus illud iter captiui confecerunt, vel quia eò pertracti fuerunt, dum ſuis cupiditatibus atque affectibus ſeruiunt, qui per *pedes* ſignificari ſolent.

23. *Tyrus Regina coronata.* ᵒ *Super Tyrum quondam coronatam.*] Quanta fuerit olim Tyri gloria, vt regina dici potuerit aliarum ciuitatum, quarum opibus, & deliciis affluebat, vt Regio cultu inſtructa, vt omni luxu aliarúmque nationum miniſterio inſolens, docet Ezechiel *cap.* 27. Quæ autem multis ibi Ezechiel, hîc vno verbo videtur complexus Iſaias, dum Tyrum appellat *coronatam. Corona* enim non ſolùm ſignificat regiam dignitatem, ſed etiam rerum abundantiam: vt diximus nuper ad illud *cap.* 28. *Coronans coronabitur tribulatione.* Sed propter proprium ornatum, ſitúmque loci *Regina* vocari potuit, & *coronata.* Eminebat enim inter fluctus quaſi Regina maris: erat in petra ſita, tanquam in ſolio ſublimis, mœnibus, & pinnis ad ſplendorem, & munimentum coronabatur: pinnæ & extrema murorum ornamenta *corona* dicuntur.

24. ᵖ *Ad ignominiam deduceret vniuerſos inclytos terræ.*] Vide Ezechielem *à cap.* 26. *vſque ad* 29. Vbi latiſſimè, & optimè de Tyri ſplendore, & ruina. Illud *terra* non de vniuerſa terra dicitur, ſed de Tyro, quia de illa ſermo inſtitutus erat, iuxta regulam Hieronymi in illud *Iſaiæ* 13. *Vt diſperdat omnem terram.* Et ita hic cenſet Hieronymus, qui etiam quædam adducit Pyrrhi verba, qui cùm vrbis Romanæ opes, maieſtatem, atque ſplendorem videret, dixiſſe fertur, *Vidi ciuitatem Regum.* Sic Tyri ciues, & mercatores adeò fuerunt potentes, & inclyti, vt aliarum ciuitatum Reges eſſe potuerint.

25. ᑫ *Tranſi terram tuam quaſi flumen filia maris.*] Peregrinationem prædicit ab antiqua ſede: Cur verò in ea peregrinatione fluuio comparetur, variæ afferuntur cauſæ. Hieronymus, *Sicut fluuius, ſiue riuulus facilè tranſitur pede, ita tu terram tuam in captiuitatem ductam tranſibis.* Dionyſius, *Sicut quis fluuium tranſit velociter, ne illius fluctibus obruatur; ſic tu velociter tranſibis.* Adamus. *Sicut fluuius alueum excedens hac, illácque defluit; ſic tu hac atque illac ex tua ſede captiua, & peregrina diſtraheris.* Lyra, *Ad modum fluminis velociter currentis.* Placent quidem expoſitiones iſtæ; ſed ego aliam ſimilitudinis cauſam in hoc dicendi genere reperio, nam ſicut fluuius in ſua ſede, ſeu capite, vnde primùm oritur, non conſiſtit, ſed perpetuo lapſu decurrit, longiúſque ſemper abeſt ab eo in quo natus eſt, loco: ſemper ad magis decliuia, id eſt, ad humiliora pronus, donec tandem in pelagus influens, & nomen, & dulcedinem perdit ſalſiſſimis aquis immerſus, atque confuſus: Sic Tyrus ſtabilis nō erit in ſua ſede, ſed ſemper vaga fluet, donec à ſua gloria, & nomine tandem euaneſcat.

ʳ *Filia maris.*] Hebr. *filia Tharſis*, ex quo conſtat; Tharſis non eſſe Carthaginem, aut, vt alij volunt, Tarteſſum in Hiſpania Bethica, quia harum regionum non erat filia Tyrus, ſed potiùs mater, vt ex Plinio, Mela, atque Solino pauló antè docuimus. Cùm enim Gades, quibus vicina Tarteſſus eſt, colonia fuerit Tyri, quis dubitet, ſi quid Tarteſſus commune habet cum Tyro, illius quoque fuiſſe coloniam. Dicitur verò *filia Tharſis*, quia Tyrus inſula erat, ex earum numero, quæ pertinent ad illam mediterranei maris regionem, quæ habitata eſt à Tharſis filio Iauan, de quo plura *cap.* 2. & hic locus valde fauet illi ſententiæ. 26. *Tharſis non Carthago, aut Tarteſſus.*

27. ˢ *Non eſt cingulum vltrà tibi.*] *Cingulum* pro robore aliquando ſumi veriſimile fit ex eo, quòd *accincti* vocantur, qui ad prælium ſunt inſtructi, ac muniri armis: & contrà *diſcincti*, qui iam arma depoſuerunt. Vel quia iam liberi ſunt ab hoſtili metu; aut quia vident impares ſibi eſſe vires, inermes ad hoſtes prodeunt, dedúntque hoſtibus & arma, & ſe ipſos. Sed placet magis, quod aliis viſum eſt, vſque adeò emporium illud nobile, rerúmque pretioſiſſimarum affluentiſſimum, ſpoliatum iri omni ornamento, ac luxu, vt neque reliquum futurum ſit cingulum vnum, quod in ſcrutatoriorum circitorúmque mercibus (*Buhoneros* vocant Hiſpani) tenuiſſimum eſt. Vſitatum autem eſſe, vt circitores iſti cingulum vendant, habemus *Prouerb. cap. vltimo* vbi mulier fortis *cingulum tradidit Chananæo.*

28. ᵗ *Manum ſuam extendit ſuper mare, & conturbauit regna, Dominus mandauit aduerſus Chanaan.*] Oſtendit propheta, cur illa ſedes, quæ *maris* nomine explicatur, deſerenda ſit: quia nimirum iam illi Deus bellum indixit, contra cuius potentiam vis omnis bellica fumus eſt, atque vmbra. Dicitur verò Tyrus *Chanaan*: quia condita fuit, & ad illud vſque tempus habitata à Chananæo genere. Quod indicat Matthæus *cap.* 15. Vbi mulier Chananæa egreſſa dicitur de finibus Tyri & Sidonis. Notum eſt autem à Ioſue *cap.* 19. Tyrum aſſignatam eſſe tribui Aſſer, quam tamen, quia debellare, aut non potuit, aut noluit, retinuerunt ſibi Chananæi quondam eius regionis habitatores, & domini. Hæc mihi ratio ſatis videtur facere quoad nomen Chanaan. Sed credo alluſum eſſe ab elegantiſſimo propheta ad Tyri naturam, & inſtitutum. Chanaan enim *mercatorem* ſonat. Vnde *Prouerb. vlt. Chananæus* mercator appellatur, *Cingulum tradidit Chananæo.* Ad quod nomen & munus reſpexit Oſeas *cap.* 12. *Chanaan, in manu eius ſtatera doloſa.* Vbi *Chanaan* à multis mercator, aut inſtitor eſſe creditur. Certè *ſtatera in manu*, mercatorem indicat. Iuxta hæc *manus Domini extenſa* dicitur aduerſum ciuitatem mercatricem, quæ omnino implet nomen eius regionis, in qua ſita eſt. Cæterum *mandauit* verbum eſt militare, valétque idem quod *miſit exercitum*, aut ſimilia. In quem ſenſum accipio illud *Pſal.* 67. *Manda Deus virtuti tuæ. Amos* 9. *Mandabo gladio & occidet eos.* Et ibidem, *Mandabo ſerpenti & mordebit eos.* *Tyrus in regione Chanaan.* *Mando verbum militare.* Pſal. 67. Amos 9.

29. ᵘ *Non adiicies vltrà vt glorieris calumniam ſuſtinens, virgo filia Sidonis.*] Hic tres voces nobis explicandæ. *Non vltrà*, licèt aliquid in æternum negare videatur, tamē interdum hyperbolicè ponitur *Regula. Non vltrà, non amplius, æternum, loco*

gum tempus aliquando ſignificant.

pro longo tempore, ſicut etiam vox *æternum*, aut apud Græcos *αἰών*. De voce Græca exempla ſunt plurima, de *æternum* apud exteros Horatius *lib.1. epiſt.10.*

Seruiet æternùm, qui paruo neſciet vti.

Et in Scriptura ſæpè, *Exod.21. Perforabítque aurem eius ſubula, erítque ei ſeruus in æternum.* Et de Tyro Ezechiel *cap.26.* eadem quæ nunc Iſaias. *Sonitus cithararum tuarum non inuenietur ampliùs.* Et ibidem. *Et requiſita non inuenieris vltrà in ſempiternum.* Vide plura apud Salmeronem *proleg.* 13. *formula* 29. & Riberam in Micheam, *cap.* 5. *numero* 40. Sic ergo *non vltrà* non omnino negat, ſed terminum in longum differt. Qua ratione epitaſim addit, cùm dicitur, *in æternum, & vltra*, quam dicendi formulam Hiſpanus exprimit cùm dicit. *Para ſiempre iamas* B ac ſi dicat clariùs *Para ſiempre y iamas.* Sic ergo licèt ad gloriam antiquam reditura ſit Tyrus, poſt

Hyperbole in Scriptura vſitata.

L x x. nempe annos, vt ſtatim dicetur, ita vt non minori labore atque moleſtia poſtea ab Alexandro capta fuerit, quàm priùs à Nabuchodonoſor, quia tamen longum interceſſit tẽpus ante eius inſtaurationem, non vltrà excitanda dicitur, ſed vt dixi, hyperbolicè, quod loquendi genus non faſtidit Scriptura. Vt de hac ipſa Tyro Ezechiel *cap.26. verſ.4. Radam puluerem eius de ea, & dabo eam in limpidiſſimam petram.* Vbi planè hyperbolica locutio eſt.

30. x *Calumniam ſuſtinens.*] Verbum עשק *hhaſak*, inter alia ſignificat aliquem fraudare pecunia, aut promiſſo, aut interuertere, quod acceptum eſt à creditore, quod auidi mercatores plerumque faciunt, dum lucro captando frequentiùs ſtudent, & attentiùs quàm ſeruandæ fidei. Cùm autem Tyrus abundaret mercatoribus, qui ſoliti eſſent alios per fraudem ſpoliare pecuniis, ait nunc vicem accepturam eſſe Tyrum, paſſurámque ab aliis, quam ipſa intenderat antè fallaciam, & calumniam.

31. y *Virgo filia Sidonis.*] Vt Tyrus colonias habuit, quas Tyrij ciues ædificarunt, habitarúntque, de quibus nuper ad illud, *Non parturiui.* Sic Tyrus ipſa Sidonis colonia fuit, quia à Sidoniis ædificata, vt tradit Iuſtinus *lib.* 18. Cur nonnullæ ciuitates, aut prouinciæ, *Virgines* dicantur, expoſuimus infrà ad illud *cap.*37. *Virgo filia Sion*, quia nempe ad illud vſque tempus ſubactæ non fuerunt ab hoſtibus; Quo in numero Tyrus fuit, quam nunquam hoſtes ſubegerunt, licèt aliquando tentauerint.

32. z *In Cethim conſurgens trans freta.*] Id eſt, in regiones, quæ maximè aberant à Chaldæis, nempe in Italiam, Carthaginem, Græciam, nam eò reuera confluxerunt Tyrij, qui ſe ſuáque potuerunt eripere è Chaldæorum armis; *Cethim* hoc loco Hieronymus inſulas occidentis putat: qua de re nos pluribus ſuprà *cap.2.*

33. a a *Ibi quoque non erit requies tibi.*] Suprà diximus inſtar fluminis futuram eſſe fugam, ſeu tranſitum Tyriorum, cuius curſus nuſquam quieſcit, donec & nomen, & ſpeciem amittat marinis fluctibus confuſus. Id nunc videtur explicare magis propheta, dum dicit, neque in eo loco, quem ſibi perfugio deligit, futuram eſſe quietem: Deus enim eos ibi quoque perſequetur.

34. b b *Ecce terra Chaldæorum, talis populus non fuit, Aſſur fundauit eam.*] Hic exponit propheta per quos delenda ſit Tyrus. quos à fortitudine commendat, dum ait ex antiquis nullum populum cum Chaldæis poſſe conferri, & ideo *Rex Regum* ab Ezechiele dicitur *Nabuchodonoſor, cap.26.* Deinde ab antiquitate, quia ab Aſſur fundata eſt, eius

A nempe caput, Babylonia. Fuit autem *Aſſur*, qui aliter vocatus eſt *Ninus*, de quo *Geneſ. cap.* 10. Hic autem Aſſur, qui Niniuem Aſſyrij imperij ſedem ædificauit, Babylonius etiam erat: & ſi minùs Babylonis auctor, certè illius amplificator fuit. Nam vt Niniuem fundaret, è Babylone prodiiſſe traditur *Geneſ. cap.*10. *verſ.*11. Forerius argumentum hîc putat à minore ſumi, & ad Alexandrum refert. Poteſt autem multò commodiùs eodem genere argumentandi referri ad Nabuchodonoſor, in hunc modum. Si imperium Aſſur tam potens, tam diu in bellis exercitum, aſſuetúmque laboribus, deletum eſt à Nabuchodonoſor, quid tibi ſperandum eſt, quam non arma, ſed merces inſtruunt, quæ non te in caſtris, ſed in nundinis exerces.

B c c *In obliuione eris ô Tyre ſeptuaginta annis.*] 35.
Idem tempus Tyriorum exilio præſcribitur ab Iſaia, quod à Ieremia *cap.*25. Iudæorum captiuitati. Et quemadmodum eodem ferme tempore capta eſt Tyrus, quo Ieruſalem, eadem nimirum Chaldæorum expeditione, ſic eodem etiam tempore rediit. Neque fortaſſe alio edicto, quàm quo Iudæi à captiuitate ſoluti ſunt. Ex quo fit ſatis veriſimile, cum Iudæis alios quoque ex decem tribubus ab exilio fuiſſe reuerſos. Quod in noſtris commentariis in Zachariam pluribus oſtendimus. Quo verò ſenſu non dicatur vltrà inſtauranda Tyrus, explicuimus nuper *num.*29.

Tyrij redierunt ab exilio eodem tẽpore, quo Iudæi.

d d *Sicut dies Regis vnius.*] Quidam, teſte Hieronymo, putant hunc Regem fuiſſe Nabuchodonoſor, cuius imperium in Ieruſalem ad ſeptuageſimum vſque annum durauit; ſed cùm tam diu non regnauerit Nabuchodonoſor, conuincitur apertè iſta ſententia infantilis *ἀϊστορίας*. Quare dicendum eſt cum aliis communiter, tam diu producendum Tyriorum exilium, quàm diu producitur vnius hominis vita, quam nulla ſeruitus, nulla neceſſitas premit, & exhaurit, aut labor conficit. Qualis eſſe ſolet Regum, & eorum, qui ſe molliter, & delicioſè curant; nam alij vexato diutiùs corpore, citiùs extinguuntur. Vitam autem vitalem, id eſt, cuius hominem non tædeat, non vltra ſeptuageſimum annum protendi, docet Dauid *Pſal.* 89. *Dies annorum noſtrorum, in ipſis ſeptuaginta anni, ſi autem in potentatibus, octuaginta anni: & amplius eorum labor & dolor.* Quò ſpectat quod docet Macrobius *lib.1. Somnij Scipionis cap.6. Septies deni anni à phyſicis creduntur meta viuendi: & hoc vitæ humanæ perfectum ſpatium terminatur. Quod quiſquis exceſſerit, ab omni officio vacuus ſoli ſapientiæ, & ſtudio vacat.* Et fortaſſe ideo ſpatium illud ad Hebræis, *vita regis* vocatur, quia ad illud vſque tempus Rex eſt, ſibíque ipſi imperare poteſt, ac regere, vt varia munia obeat. Hiſpanus hanc vim optimè expreſſit, qui de eo qui ſuis membris ad varias functiones facilè, atque expeditè vtitur, ita loquitur *manda ſe muy bien.* Deinde verò ab anno ſeptuageſimo effœto iam corpuſculo, non tam imperio alios, ac ſe ipſum regit, & moderatur, quàm ab aliis ſe regendum, & moderandum permittit. 36.

Vitæ humanæ terminus.

Pſal. 89.

E Hæc mihi viſa ſunt ſatis probabilia & ita, vt dixi, cenſeo explicandum eſſe locum. Verum tamen *Regis* nomen, & *ætas* in aliam me cogitationem adducebant, quam propono tantùm non perſuadeo. Quàm charus omnibus Iudæis etiam poſt longa ſæcula fuerit Dauid, quàm omnia illius opera, & quidquid ad ipſum pertinebat, notata à poſteris, & obſeruata, nemo neſcit. Neque verò tanti Regis conſilia eiuſmodi fuere, vt excidere aut 37.

debuerint,

debuerint, aut potuerint ea poſterorum memoria. A Conſtat autem tanti Regis vitam, ad ſeptuageſimum vſque annum fuiſſe productam 2. *Re.* 5. *verſ.* 4. *Filius triginta annorum erat Dauid cum regnare cœpiſſet & quadraginta annis regnauit.* Quare vt apud externos Neſtoris anni in prouerbium abiere, qui iam pro trecentorum annorum menſura capiuntur, ſic apud Hebræos annos, quos vixit Dauid, qui omnes ferme ſingulari aliqua rerum geſtarum laude notati ſunt, pro ſeptuaginta annorum ſpatio vſurpari non eſt incredibile.

Prouerbiū.

38. *Cantus ad libidinē prouocat.*

ee *Poſt ſeptuaginta autem annos erit Tyro quaſi canticum meretricis.*] Significat propheta vrbē non ſatis ſuis edoctam infortuniis reditură ad antiquum B inſtitutum, & mores, id eſt, ad quæſtum ea negotiatione comparandum. Quam artem cum meretricio quæſtu cōponit. Nam vt meretrix aſtu ſolet, & illecebris amatores allicere fuco tegens, & medicamētis, ſi quid in ore tetri, ac vitioſi eſt; ſic mercatores in eo, quod venale habent, vitium diſſimulant, & tegunt, ſplendorémque addunt, quē facilè deterit, ac perdit paucorum dierum vſus. Hæc quidem difficilia non ſunt, præſertim cùm meretrices cantare ſoleant, eóque modo euulgare, ac proſtituere pudorem ſuum; quomodo mercatores aliqui cantu ſignificant id quod venum propoſitum habent, vt de Lyce Horatius *lib.* 4. *carmin. Ode* 13.

Et cantu tremulo pota cupidinem,
Lentum ſollicitas.

Et alius vocem & cantum *lenam*, id eſt, euulgatricem eſſe dixit fœdæ, atque impuræ mercimoniæ. C Et Athenæus docet eam ob cauſam meretrices ſolitas muſicam doceri. Vide quæ hîc in eam ſententiam dicit optimè Cyrillus.

39. *Meretrix nō ſemper aliquid impudicum ſignificat.*

Licèt hoc verum putem, tamen aliam eſſe puto huius loci ſententiam. Vt enim *cap.* 1. ad illud *Quomodo facta es meretrix*, obſeruauimus, vox Hebræa זונה *zonah*, non ſolùm *ſcortum* ſignificat, ſed *fœminam, quæ honeſto labore, atque arte quæſtum facit*, vt ſunt cauponæ, hoſpitæ, inſtitrices, ſeu ſcrutariæ, quæ optimè dicuntur à noſtro interprete *meretrices*, non in magis vulgari ſignificatione, ſed in propria, quia merent ſtipendium. Quòd verò id faciant proſtituto pudore, aut alio quouis ſtudio quæſtuario, parum id refert ad nominis ra- D tionem. Potuit autem iure optimo Tyrus vocari זונה *zonah*, quia tota erat in lucrum intenta, & vt commune totius orbis emporium, ſic etiam totius orbis commune diuerſorium erat. Quare *orbis hoſpita*, ſeu *tabernaria* dici potuit, cui, vt diuerſorea ſtabulariæ, ſic mercatores, quos recipit magno compendio ſunt.

40. *Cātu, & muſico inſtrumento euulgantur merces.*

Accedit quòd vt in aliis locis circuitores, qui merces per vrbem circumferunt, certa vocis modulatione ſignificare ſolent, quid habeant venale, vt docet totius penè orbis conſuetudo, & de Romanis docuit Perſius *Satyra* 4.

Pannucia Baucis
Cum bene diſcincto cantauerit Ocyma vernæ.

E Neque voce tantùm ad certos numeros inflexa merces ſuas euulgant, ſed muſicis etiam inſtrumentis, vt apud Hiſpanos qui incernicula aut cribra vendunt, ſyſtris, qui dulciaria è melle, ſaccaróque, crotalis, alij verò teſtarum ſonitu, aut fiſtulis artem ſuam mercéſque teſtantur, & euulgant. De hoc mercatorum, ſeu circuitorum cantico credo intelligendum eſſe hunc locum, vt magis ex his, quæ mox ſequuntur, perſpicuum fiet. Quo ſenſu videtur etiam explicandum, quod dixit Ezechiel

A *cap.* 26. *Et quieſcere faciam multitudinem canticorum tuorum, & ſonitus cithararum tuarum non audietur amplius.* Scio in aliarum ciuitatum vaſtitate ſilentium eiuſmodi indici ſolere, vt ſuprà *cap.* 16. de Moab. *Auferetur lætitia & exultatio de Carmelo.* Et *Ieremiæ* 7. *Quieſcere faciam de vrbibus Iuda vocem gaudij, & vocem lætitiæ.* Sed hîc de Tyro ſpecialis aliqua ratio eſt, quia artem inſtituit mercatoriam. Ezech. 26.

ff *Sume citharam, circui ciuitatem meretrix obliuioni tradita.*] Longo illo ſeptuaginta annorum ſpatio iam antiqui emporij non ſolùm nobilitas, ſed etiam memoria excidiſſe videbatur. Prædicit tamen propheta futurum, vt Tyrus iterum ad eandem B artem, & quæſtum redeat. Sumet itaque citharam, id eſt inſtrumentum, quo ſuarum mercium naturam euulget. *Meretricem* hîc pro caupona ſumo, venditrice, aut ſcrutaria. Illud verò *circui ciuitatem* plurimùm fauet noſtræ cogitationi. Neque enim meretrices vulgares, ſeu ſcorta, vt garrulæ ſint, & vagæ, legiſſe me aliquando memini, cum cithara, & ſiſtris obire ſolere ciuitatem; imò potiùs id faciunt intemperantes adoleſcentoli, qui harum mulierculatum conſuetudinem ambiunt. Quare quaſi aliquid nouum & monſtro ſimile adducit Ieremias *cap.* 31. quòd fœmina vaga virum quærat. *Vſquequò deliciis diſſolueris, filia vaga, quia creauit Dominus nouum ſuper terram, fœmina circundabit virum.* Scio hunc locum in alios ſenſus ab aliis aſſumi, sed hiſtoricus, quicumque ille ſit ab C ea rerum inſolentia admirationem aſſumit. Deinde ſtatim ſubiicit: *Et reducet eam ad merces ſuas.* Quod ſatis indicat quo ſenſu accipienda ſint illa ſuperiora. 41.

Quare in re ipſa ab aliis non diſcedo, quia omnes in *meretrice* quæſtuariam vrbem, in *fornicatione* mercaturam intelligunt; in eo tamen ab aliis diſſentio, quod illi metaphoricum hîc ſermonem, ego proprium agnoſco; & quam alij ſcortum faciunt, ego venditricem, & in propria ſignificatione meretricem eſſe puto, cùm & vox Hebr. זונה *zonah*, & Latina *meretrix* vtrumque ſignificet: imò & Græca vox πόρνη cùm deducatur à πέρναμαι, quod *vendo* ſignificat. 42.

D gg *Et erit poſt ſeptuaginta annos, viſitabit Dominus Tyrum: & reducet eam ad merces; & rurſus fornicabitur cum vniuerſis regnis.*] Illud *&* cauſalem particulam eſſe puto, quod eſt Hebræis perquàm familiare. Quaſi ratio reddatur cur iterum ſumenda cithara, & meretricius, id eſt, quæſtuarius, aut mercatorius cantus reuocandus: quia inſtaurata Tyro poſt annum ſeptuageſimum rurſus fiet emporium. Cùm autem ad antiquam fortunam, & inſtitutum Tyrus redierit, reuocabit ad ſe ſicut antea, omnia regna terræ ad antiquas nundinas, iam pridem intermiſſas. Porrò ſicut *meretrix* communis vox eſt, quæ ſignificat eam fœminam, quæ artem, operam, aut etiam corpus alteri locat ad E quæſtum, aut etiam alteri aliquid impertit, aut communicat, vt hoſpita, aut negotiatria, quod etiam valet vox Hebr. זונה *zonah*, ſic etiam *fornicabitur*, quod ab eadem radice זן *zun*, vel זנה *zanah*, deducitur, ſignificat cum alio res, rationéſque contrahere. Quare *fornicari cum vniuerſis regnis*, nihil aliud eſt quàm aut cum aliis gentibus ſocietatem inire mercium, aut lucri, aut cum his exercere mercaturam: aut, ne ab altera metaphora cauponatricis abeamus: excipere peregrinos homines in illud quaſi diuerſorium. 43. *Et cauſalis.*

Quod

44. Quòd *meretrix* non ſemper in peiorem partem A aſſumatur non eſt noua aut à bonis autoribus deſtituta ſententia. De Raab tenent communiter expoſitores *in Ioſue cap.*2. Lyranus, Vatablus, Pagninus, Montanus, Tirelmanus, *ad cap.*1.*Matth.* & Chaldæus qui vertit פנדוקיתה *pandokitah*, à Græca voce πανδοχεία, ſeu πανδοχεῖα. Vt enim eruditi obſeruarunt, in Targum Græcæ voces reperiuntur quamplurimæ. Et ita tenent Hebræorum magiſtri, & Pradus *in cap.*16. *Ezech. verſ.*15. vbi adducit aliqua loca, vbi זונה *zonah*, aliquid aliud ſignificat à ſcorto, vt 3.*Reg.*21. vbi Vulgatus, *Linxerunt canes ſanguinem eius, & habenas lauerunt.* Hebr. eſt זנות *zonoth*, id eſt, *lotrices lauerunt.* Et nos B *Iſaiæ* 1. diximus valde eſſe veriſimile, vbi dicitur, *Quomodo facta eſt meretrix ciuitas fidelis. Meretricem* eſſe cauponam, aut venditricem: quia ſtatim ſubditur, *Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam: vinum tuum mixtum eſt aqua.* Sunt ſanè plurimi iidémque ſanctiſſimi viri, qui contrà ſentiunt: & è recentioribus non pauci: neque ego ab ea ſententia alienus ſum; verumtamen quod modò dicebamus, non eſt improbabile.

45. Cur verò nomen ex ſua notatione honeſta in turpem vſum iam accommodetur, ita, vt quæ publica facit, aut venalia proſtituit, quæ honeſtè poſſidet, & honeſtè diſtrahit, commune habeat cum *ſcorto* nomen, ea ratio eſt, quia fœminæ, quæ talem quæſtum inſtituunt, plerumque honeſtiſſimæ eſſe C non ſolent, & vt omnium oculis ſunt expoſitæ, vendúntque, ac locant aduentoribus, quæ honeſtè poſſunt, ſic etiam corpus ad nefarios vſus locare ſolent, quod honeſtè non poſſunt. Quare, quæ ea ratione merent, licèt honeſtum natura ſua miniſterium obeant, *meretrices* dicuntur: Iura enim præſumunt, eam, quæ in diuerſorio, ſeu caupona ſeruit, honeſtã non eſſe. Vt enim Cicero *lib.*1.*Officiorum. Hoſtis* olim ille dicebatur, qui nunc *peregrinus*, aut *hoſpes* appellatur, ſed peregrinorum, atque hoſpitum mores id effecerunt, vt iam *hoſtis* pro *inimico* ſumatur; ſic reor de *meretricis* nomine iudicandum. Nam cauponatiæ iſtæ, ſeu ſtabulariæ fœminæ id perfecere, dum minus pudicè, atque honeſtè viuunt, vt ab earum nomine vocétur, illæ quæ D non in ſtabulo ſeruiunt, ſed in proſtibulo corpus venale habent. Et quidem *Apocal. cap.*17. *meretrix cum aureo poculo* deſcribitur, quod omnibus porrigit, quæ ſanè ſpecies eius eſt, quæ vinum vendit, potiùs quàm pudorem.

Cur nomen *meretricis* in turpé ſignificationem traductum.

46. hh *Et erũt negotiatores eius, & merces eius ſanctificatæ Domino.*] Hic locus valde perplexus eſt: neque quid de illius ſententia ſtatuã, mihi aliquid certum. Hieronymus ſuſpicatur poſt inſtaurationem Ieruſalem, & templi, amicitiam, & fœdus iniſſe Ieruſalem, & Tyrum, & ad templi ſumptus ſæpe à Tyriis dona fuiſſe tranſmiſſa. Vel in ſenſu myſtico, Euangelij tempore Eccleſiæ ornandæ impenſas fuiſſe Tyri diuitias. Idem putat Cyrillus, & Haymo, & alij plures. Vnde additur, *Non condentur, neque re-* E *ponentur, quia his, qui habitauerunt coram Domino erit negotiatio eius.* Quia nimirum non facient Tyrij id quod ſolent communiter mercatores auari, vt recondant opes ærugini, & tineæ, aut ad alios vſus nefarios & indecoros; ſed ſtatim expendent in vſum miniſtrorum Dei, ne quid illis ad cultum, victúmque deſit. Cùm enim, qui coram Domino habitant, in Dei obſequium intenti perpetuò eſſe debeant, otium illis non erit ad hæc comparanda.

Pſal.44. Et huc facit quod *Pſalm.* 44. dicitur, *Et filij Tyri in muneribus vultum tuum deprecabuntur.* Et *Zachar. cap.*14. omnia exterarum Gentium ornamenta conferenda dicuntur in vſus ſacros. Diuitiæ verò illæ in Dei miniſtros eo ſtudio collatæ, *ſanctificata* dicuntur. Ex quo non leue argumentum ſumitur, *meretricem* hic pro negotiatrice ſumi, quia alioqui Tyri dona non dicerentur ſanctificanda. Porrò notum eſt, actiones ſæpe pro earum terminis vſurpari; & ita nunc *negotiatio* pro lucro, quod ex negotiatione prouenit, vſurpatur.

Hæc ego non improbo, ſed potiùs amplector: quia & conſentanea literæ, & quia omnibus ferme expoſitoribus probata. Sed eſt aliquid quod cum hac expoſitione non ita bellè conueniat. Maximè in communi ſententia, quæ putat de Tyro ſic loqui prophetam, tanquam de ſcorto, quod ſe omnium gentium libidini proſtituit: & negotiationem eius *fornicationem* vocat, cùm poſt inſtaurationem cum omnibus regnis fornicatura dicitur. Dona verò à meretrice, id eſt, merces proſtibuli, Deo grata non ſunt; imò ipſe quam ſeuerè prohibet illam ſibi in ſacrorum vſum offerri. *Deuter.*23. *Non offeres mercedem proſtibuli, nec pretium canis in domo Domini Dei tui: Quidquid illud eſt, quod voueris, quia abominatio eſt vtrumque apud Dominum Deum tuum.* Sed vt metaphoricè Tyrus proſtibulum eſſe exiſtimetur, ſic etiam lucrum ex metaphorico proſtibulo quæſitũ erat merces proſtibuli. Atqui merces illa ſanctificanda dicitur, & templo, eiúſque miniſtris offerenda. 47.

Quare ego aliter exiſtimabam exponi poſſe locum illum in contrariam omnino ſententiam. Ita vt hæc Tyriorum dona abominatio futura ſint Deo, vſque adeò non grata. In quam cogitationem adducebat, quia in illa voce, qua ſanctitas, aut ſanctificatio indicatur in illa negotiatione, aliquid ſonat meretricium atque adeò abominabile. Eſt enim ſatis compertum in omnibus linguis ea, quæ ſanctitatem, aut munditiam ſignificant in contrariam ſignificationem interdum trahi: aut per euphemiſmum, quomodo *benedicere* pro *maledicere* ponitur, aut alias ob cauſas quibus commemorandis ſuperſedeo. Sic apud Latinos *ſacer* pro execrando ponitur. Horatius *in Epod. Ode* 7. *Sacer nepotibus cruor.* Et Virgilius 1. *Æneid. Auri ſacra fames.* Quod exemplum valde affine eſt huic noſtro. Simile eſt apud Græcos anathema, quod donum eſt ſacrum, item id, quod apud Deum, & homines execrabile eſt. Habemus in re omnino ſimili optimum exemplum. Nam cùm ἅγος *ſanctitatem* ſignificet, pro ſcelere tamen interdum vſurpatur, ſeu etiam pro ſordibus, teſte Suida, ſicut etiam ἀγὴς pro ſcelerato, & ſordido. Quod idem dicendum de ἐναγὴς, & verbum καθαγίζω quod *conſecrare*, aut *ſanctificare* valet, pro *polluere* aliquando ſumi docet Heſychius. Sic etiam idẽ dicendum eſſe reor de verbo קדש *kades*, & nomine קדש *kodes*. quorum alterum *ſanctificare*, alterum *ſanctitatem* ſonat. Quod mihi valde perſuadet; quia duo nomina, quæ ab ea radice deducuntur, res ſignificant longè turpiſſimas: nam קדש *kades*, *cynedum* קדשה *kedeſah*, valet *meretricem*. Quare קדש *kodes*, quod ſubſtantiuum nomen eſt, pro quo Vulgatus reddidit *ſanctificata*, iuxta hæc aliquid impurum, & execrabile ſignificare poteſt: hoc ſenſu, *Merces Tyri erunt proſtibuli pretium*: aut adhibita ſimilitudinis nota, quæ ſæpe omittitur ab Hebræis, *quaſi pretium proſtibuli.* 48.

Regula. Voces, quæ ſanctitatem, aut mũditiã ſignificãt, interdum in contrariam ſignificationem adhibentur.

Aut certè hic loquendi modus ex ea conſuetudine 49.

Regula. Quod turpe eſt, honeſtè per conſequentia declaratur.

dine natus eſt, quia id quod præceſſit turpe, aut indecorum, honeſtè per conſequentia declarator. Quomodo *peccatum*, quod aliquid fœdum eſt, *piaculum* dicimus, quod aliquid ſanctum, & expiatum importat, quia commiſſum peccatum expiari aut ſolet, aut debet. Sic ne virgo dicatur eſſe corrupta, quod aliquid olet impurum, & obſcœnum, ex ea dicuntur nati filij, quod vim conſequitur oppreſſæ fœminæ, & in quo minus eſt turpitudinis. Eodem artificio à Cicerone legati dicuntur *redempti*, quia turpe erat, neque perſonam conſulatem decebat illos dici captos. Sic etiam in ſcriptura, quia id quod immundum, atque pollutum eſt, mundari poſtea, & ſanctificari ſolet, fit vt *purificatio*, ſeu *ſanctificatio*, pro *impuro* ſumatur, & *non ſancto*: B quemadmodum à Latinis *piaculum*, pro *peccato* ponitur. *Leuit.6. v.27.* vbi ſermo eſt de hoſtia pro peccato. *Quidquid tetigerit carnes eius, ſanctificabitur.* Quòd verò ibi non ſequatur ſanctitas, ſed potiùs immunditia, quæ purgari debeat, docet quod ſtatim ſequitur, *Si de ſanguine illius veſtis fuerit aſperſa lauabitur in loco ſancto: vas autem fictile in quo cocta eſt, confringetur. Quòd ſi vas æneum fuerit, defricabitur, & lauabitur.* Et *Deut.22. verſ.9. Non ſeras vineam tuam altero ſemine, ne & ſementis, quam ſeuiſti, & quæ naſcuntur ex vinea pariter ſanctificentur.* Id eſt, eiuſmodi ſint, vt ſanctificari debeant aut mundari. In quam ſententiam exponi fortaſſe poſ- C ſet illud *2.Reg.cap.11.* de Berſabee, *quæ cùm ingreſſa eſſet ad illum* (Dauid) *dormiuit cum ea, ſtatímque ſanctificata eſt ab immunditia ſua.* Quaſi dicat, polluta eſt, & ideo purificanda ab illa immunditia, quam ex ſcelerato concubitu contraxerat.

Leuit 6.

Deut.22.

2.Reg.c.11.

50. Neque huic explicationi valde incommodat, quod de his Tyriorum opibus dicitur: *Quia his qui habitauerunt coram Domino, erit negotiatio eius.* Neque enim omnia, quibus ſacerdotes vtuntur, ſacra ſunt, neque templum illis omnia neceſſaria ſuppeditat, vt veſtes, &c. Maximè, quia hîc apertè non agitur de ſacerdotibus, ſed de his qui habitant coram Domino, qui loquendi modus ſanctos deſi- A gnat, qui coram Domino ambulant, & omnia opera faciunt in conſpectu Dei. Fortaſſe hîc ſermo eſt de Machabæis, à quibus ſuperatos fuiſſe Tyrios, & prædam captam tradit Ioſephus *lib.12. Antiq.cap.12.* Et *1. Machabæorum cap.11.* Ionathas imperaſſe dicitur à finibus Tyri, vſque ad terminum Ægypti.

51. 11 *Non condentur neque reponentur.*] Si ad templum referas, ſacráſque oblationes, videtur ſignificare, ſi Tyri velint opes ſuas ex fornicatione, ſeu negotiatione, quæſitas conſecrare Deo, illas tamen admittendas non eſſe, neque reponendas in Gazophylacio, id eſt, in templi theſauris: quia eò non infertur, aut pretium ſanguinis, aut merces proſtibuli. Sin autem ad ipſos Tyrios, ſenſus eſt, illis lucrum illud ingens; non diu duraturum, aut ipſis futurum roboti ac firmitati (nam Verbum חסן *chaſan*, pro quo Vulgatus *reponentur*, *firmitatem* ſignificat, & *robur*) quicquid enim ipſi negotiatione, aut alio quouis ſtudio peperere, Machabæorum tempore bona ex parte direptum videtur; & ab Alexandro non minùs ſecundò, quàm à Nabuchodonoſor primò vaſtata Tyrus eſt; atque ideo non tam ſibi reponebant, quàm aliis congregabant theſauros. Cui explicationi fauet plurimùm tranſlatio Septuaginta: qui ita vertunt, *Non ipſis congregabuntur ſed habitantibus coram Domino. Omnis negotiatio eius comedere, & bibere, & impleri in ſymbolum, memoria coram Domino.* Quaſi dicas, id ſpectant in negotiando Tyrij, vt habere poſſint quo veſcantur, & inebrientur, ſed Deus aliter cogitat, nempe vt, ipſis ſpoliatis alij fruantur.

52. Nihilominus non puto recedendum à communi ſententia, præſertim cùm *lib.3. Eſdræ cap.5.* quo tempore ædificari cœpit templum, dicantur ex variis terræ nationibus conueniſſe Gentes, & obtuliſſe Deo hoſtias, & holocautomata matutina. Quòd ſi inchoato tantùm templo id perfecerunt, quid exiſtimandum eſt feciſſe eo iam abſoluto. Vide quæ diximus ad illud Zachariæ *cap.8. Vſquequo veniant populi.*

Argumentum vigeſimi quarti capitis Iſaiæ.

EX euerſione Tyri magnæ quondam, atque ſplendidæ ciuitatis: quæ quia totius mundi opes, & delicias continebat, totius mundi exiſtimari poſſet ſymbolum, & effigies, excitatur propheta à ſpiritu ſancto, vt de totius mundi vaſtitate, extremóque hominum iudicio ſermonem inſtituat. Et primùm quidem eius horribilem ſpeciem proponit. Deinde tantæ cladis cauſam adducit, quòd nimirum terram hominum iniquitas corruperit. Quàm verò exiguus futurus ſit illorum numerus, qui vaſtum illud incendium declinabunt, ſalutémque conſequenter æternam racemorum, & olearum, quæ reliqua ſunt peracta vindemia, ſimilitudine declarat. Ad extremum bonorum exultationem, & plauſum; malorúmque ſupplicium æternum eleganter deſcribit.

CAPVT XXIV.

1 [a] ECce *Dominus diſſipabit terram,* [b] *& nudabit eam,* [c] *& affliget faciem eius,* [d] *& diſperget habitatores eius.*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 AVDISTIS vrbis nobiliſſimæ, ac communis totius orbis diuerſorij triſtem atque inſperatam cladem. quæ quia imago quædam erat illius ruinæ, quam toti mundo extremus afferet dies, nunc de communi totius orbis interitu va-

ticinium aggredior. Ecce Dominus vniuerſam ſubuertet, ac diſſipabit terram; nudabit eam ab omni ornamento, atque habitatore: affliget illam grauiter, ſolutáque hominum ſocietate habitatores eius diſperget, ſicut aliò, atque aliò patria ſubuerſa diſſipati ſunt Tyrij.

2 [e] *Et erit ſicut populus, ſic ſacerdos: & ſicut ſeruus, ſic dominus eius: ſicut ancilla, ſic domina eius: ſicut emens, ſic ille, qui vendit: ſicut fœnerator, ſic is qui mutuum accipit: ſicut qui repetit, ſic qui debet,*

2 Sicut in expugnata vrbe elatus victoria hoſtis nihil habet penſi quo quiſque loco, aut ordine natus ſit: ſic in vniuerſali orbis interitu, hominúmque iudicio non meliori loco erit ſacerdos, quàm quiuis ex profano vulgo; non melior dominus ſeruulo; neque domina potens humili ancillula; non qui emit, rebúſque partis nouum incrementum adiungit, eo qui vendit, & aliquid deterit è ſubſtantia; non qui dat eo, qui fœnori quicquam accipit, neque tandem in illo foro melior debitore creditor.

3 [f] *Diſſipatione diſſipabitur terra, & direptione prædabitur. Dominus enim locutus eſt verbum hoc.*

3 Vniuerſa namque terra funditus vaſtabitur, & interibit: neque quicquam erit in ea pretioſum, & pulchrum, quod non diripiat, atque prædetur vis, & ira potentior. Sic enim Dominus locutus eſt.

4 [g] *Luxit, & defluxit terra, & infirmata eſt: defluxit orbis, infirmata eſt altitudo populi terræ.*

4 Amiſit terra ſplendorem, & ſpeciem, ita vt in luctu eſſe, atque in ſquallore videatur; concidit, & elanguit. Concidit, inquam, orbis, & omnis populorum ſublimitas infirmata, atque depreſſa eſt.

5 [h] *Et terra infecta eſt ab habitatoribus ſuis: quia tranſgreſſi ſunt leges, mutauerunt ius, [i] diſſipauerunt fœdus ſempiternum.*

5 Infecerunt, contaminauerúntque terram habitatores eius, dum datas à Domino leges impiè conculcant, iúſque, dum ſuis inſeruiunt rationibus, & omne fas peruertunt: neque ſempiterni fœderis rationem habent vllam; imò illud audaci, væſanóque conſilio perfringunt, & diſſipant.

6 [k] *Propter hoc maledictio vorabit terram, [l] & peccabunt habitatores eius: [m] ideoque inſanient cultores eius, [n] & relinquentur homines pauci.*

6 Quia ergo habitatores terræ execrabili viuendi ratione illam corruperunt, percutiet terram Dominus execratione dira, quæ illam euertat funditus, & abſorbeat. Tunc verò amentes, ignaríque conſilij bacchabũtur incerti orbis habitatores; à qua trepidatione, atque amentia in tanta multitudine eximentur pauci, qui diuinam legem ſanctè, religioſéque ſeruarunt.

7 [o] *Luxit vindemia, infirmata eſt vitis, ingemuerunt omnes qui lætabuntur corde.*

7 Ceſſabunt tunc illa, quæ hominibus voluptatem, & plauſum afferre conſueuere. Neque enim erit iam vlla vindemia, quæ cum feſtiuo, ac geniali cantico peragebatur ab agricola: vitis enim exaruit, & ſolidum antè gaudium publicúmque lætitiam, conſecutus eſt planctus, & mœror.

8 *Ceſſauit gaudium tympanorum, quieuit ſonitus lætantium, conticuit dulcedo citharæ.*

8 Pro tympanorum ſtrepitu, pro citharæ numeroſo cantico, pro plaudentium, atque exultantium choris; inductum eſt feſtiuæ vocis, & dulcis harmoniæ triſte ſilentium.

9 [p] *Cum cantico non bibent vinum, amara erit potio bibentibus illam.*

9 Non aſſociabit, hilarabítque pocula muſicum melos, & in vino quondam generoſo, & dulci experietur aſotus, & intemperans amaros, & mortiferos hauſtus.

10 [q] *Attrita eſt ciuitas vanitatis, clauſa eſt*

10 Attrita eſt terra, atque ita horribili vaſtata

omnis domus nullo introeunte.

clade, vt nollus iam hominum illam incolat, ac frequentet. Ad illum modum, quo ciuitas vaniſſima Tyrus ſic deleta eſt, domibus vſque adeò miſerabilitet exciſis, vt nemo iam in illas introëar.

11 [r] *Clamor erit ſuper vino in plateis, deſerta eſt omnis lætitia,* [s] *translatum eſt gaudium terræ.*

11 Deficiente autem vino, quod triſtem illum luctum hominibus peperit, ſuum mœrorem non iam domi, atque in tenebris, ſed in plateis publicè teſtabuntur. Iterabunt enim ſæpe lugubri, ac querulo clamore. En quomodo lætitia iam à nobis relegata eſt. En quomodo gaudium, quod immarurum capiebamus in rerra, tranſlatum eſt in cœlum, quo ſine meru iuſti in æternum fruentur.

12 *Relicta eſt in vrbe ſolitudo, & calamitas opprimet portas;*

12 Erit in orbe toto ſolitudo, & vaſtitas, & quæ in eo magis videbanrur munita, ſternentur communi calamitate concuſſa. Sicut in Tyrum inducta eſt ſolitudo, & illius pottas Babylonica deiecit calamitas.

13 [t] *Quia hæc erunt in medio terræ, in medio populorum,* [v] *quomodo ſi paucæ oliuæ, quæ remanſerunt, excitantur ex olea, & racemi, cùm fuerit finita vindemia.*

13 Hæc autem in terræ, populotúmque medio perageutur: nempe prope Ieruſalem in valle Ioſaphar. Vbi idem propè continget, quod in vitium, oliuarúmque vindemia. Nam ſicut ea peracta pauci racemi, aut paucæ in oliua relinquuntur oleæ, quæ attentos vinitoris oculos effugiunt. Sic pauci erunt ex hominum infinito numeto, quos non inundet, & obtuat communis illa tempeſtas.

14 [x] *Hi leuabunt vocem ſuam, atque laudabunt: cùm glorificatus fuerit Dominus,* [y] *hinnient de mari.*

14 Hi ergo pauci, quando Deus glotificatus fuetit, cognitúſque poſſe otnare bonos, & malos punire, æterna vtroſque compenſatione, cùm viderint vocati ſe à Deo ad æternam gloriæ poſſeſſionem, ingenti perfuſi gaudio leuabunt vocem in eius commendationem, & laudem, à quo habent vt iu perpetuum viuant: non alirer quàm nauigantes poſt longam iactarionem conſpecto portu, feſtiuo hinnitu animi ſui lætiriam ſignificant.

15 [z] *Propter hoc in doctrinis glorificate Dominum, in inſulis maris nomen Domini Dei Iſrael.*

15 Propter hoc, ô viri Apoſtolici, glotificate Deum, & quando bonorum præmia, & malorum ſupplicia ex hoc vaticinio didiciſtis, hoc ipſum ad inſulas, & barbararum gentium tegiones inducite, vt nomen Dei per vos vcoerentur, & quod ignorant, inuocent.

16 [aa] *A finibus terræ laudes audiuimus,* [bb] *gloriam iuſti. Et dixi,* [cc] *Secretum meum mihi, ſecretum meum mihi, væ mihi:* [dd] *præuaricantes præuaricati ſunt, & præuaricatione tranſgreſſorum præuaricati ſunt.*

16 Videre mibi iam videor in vltimis terræ finibus gentes noua illuſtraras luce, diuinas cantare laudes: & iuſti nomen quàm poſſunt impenſo ſtudio celebrare. Cùm verò Iudæorum genus ad cœleſtem doctrinam durum, & difficile viderem; & contrà gentes auidè Euangelica mandara complecti, dixi apud me ſtatim æger, & dolens. Væ mihi quia explicare nequeo, atque ideo apud me ſecretò retineo, quæ video peccatoribus impendere ſupplicia, & vix vnum, aut alrerum intueor, qui peccatum horreat, imò qui non ſibi ſtudio habeat à diuina lege, quàm poteſt longiſſimè præuaricari.

17 [ee] *Formido, & fouea, & laqueus ſuper te*

17 Capieris, ô tetræ habitarot quemcunque te

te in locum, aut conſilium conuertas; ſicut præda capitur, cui vndique intentæ ſunt à venatoribus inſidiæ. Eſt enim parata ſormidoloſa linea, quæ te in foueam, aut laqueum incautum inducet. Nam ſi ex eo loco vnde formido, & terror occurſat, euolare ſtudeas, occurret ſouea: ſi inde te eximere contendas, obtendetur laqueus. In tuum, ô miſer, infortunium cœli, terráque conſpirant, ſicut olim in ſæculo Noe expertus eſt orbis: nam & cœli apertæ ſunt catatactæ, & terræ fundaméta cõcuſſa, ex cuius abyſſo ad obruendum mundũ grandis erupit aquarũ moles.

te qui habitator es terræ. [ff] *Et erit: qui fugerit à facie formidinis, cadet in foueam: & qui ſe explicauerit de fouea, tenebitur laqueo:* [gg] *quia cataracta de exelſis apertæ ſunt, & concutientur fundamenta terræ.*

18 Confringetur terra confractione valida, horribili conteretur motu, & è ſua ſede grandi conuelletur concuſſu.

18 [hh] *Confractione confringetur terra: contritione conteretur terra. Commotione commouebitur terra.*

19 Motibus terra quatietur ingentibus, atque rotabitur, ac circumagetur, quemadmodum ebrio circumagi videtur, & rotari domus. Ac tandem ea facilitate diſſoluetur, qua diſturbari ſolet tabernaculum, quod ad vnius noctis moram excitatum eſt. Sua illam ad caſum impellet iniquitas, quæ ita collabetur grauiter, vt ab eo caſu nunquam reſurgat.

19 *Agitatione agitabitur terra ſicut ebrius: & auferetur quaſi* [ii] *tabernaculum vnius noctis. Et grauabit eam iniquitas ſua, & corruet: & non adiiciet vt reſurgat.*

20 Neque in terra tantùm ſeuerum exercebitur iudicium; ipſam quoque cœleſtem militiam, diuinus attinget, & obſcurabit furor, obtenebrato Sole, & in ſanguinis modum rubente Luna, & ſtellis cadentibus. Neque Reges, qui, cùm ſummum in terris agitent imperium, ſolutos ſe putant ab hac lege, extremi Iudicij ſeueritatem effugient.

20 [kk] *Et erit in die illa: viſitabit Dominus ſuper militiam cœli in excelſo:* [ll] *& ſuper Reges terræ, qui ſunt ſuper terram.*

21 Peribunt quoque Reges terræ, & ad faſcem, & cumulum eorum, qui ſunt in terra congregabuntur, quia eandem cum illis fortunam ſubibunt. Neque in æternum illorum finietur ſupplicium: nam etiam poſt multos dies, quantumuis in infinitum extẽdãs, innouabitur pœna.

21 [mm] *Et congregabuntur in congregatione vnius faſcis in lacum, & claudentur ibi in carcere:* [nn] *& poſt multos dies viſitabuntur.*

22 In illo totius mundi concuſſu, & hominum iudicio, duo magna cœli luminaria ſubtracto lumine caligo occupabit, & rubor. Cùm Dominus in Ieruſalem in conſpectu ſeniorum, quos ad iudicandum ſibi aſſidere faciet, glorioſum ſe ſe oſtenderit, rerúmque Dominum: qui poſſit, & improbos pro delictorum modo, & ſanctos pro benefactorum menſura cumulatè proſequi.

22 [oo] *Et erubeſcet luna, & confundetur ſol,* [pp] *cùm regnauerit Dominus exercituum in monte Sion, & in Ieruſalem, & in conſpectu ſenum ſuorum fuerit glorificatus.*

IN CAPVT VIGESIMVM
QVARTVM COMMENTARIVS.

1\. Iudicij extremi deſcriptio.

[a] ECCE *Dominus diſſipabit terram.*] Communiter interpretes, & bene hic accipiunt de generali, atque extrema mundi vaſtatione. Eſt autem familiare, ac penè ſolenne huic prophetæ magno, A vt quoties in ſuis vaticiniis offertur aliqua tanquam vmbra eorum, quæ nouiſſimis temporibus accident, ſtatim ad illa animum, ac verba conuertat. Erat Tyrus ſi vlla vſpiam viua totius orbis effigies; nam cum eò vndecumque nundinarum

gratia omnia regna confluerent, id eſt, quamplurimi mercatores ſtudiis, moribúſque diuerſi, in eo tamen conueniebant omnes; quòd concupiſcentia carnis, & oculorũ, vitæque ſuperbia præter modum impulſi, quo ferebat immoderatus animi impetus, amẽtes ſine conſilio & ſine pudore rapiebantur, vt capite proximo ex parte ſignificauit propheta. Quare vt à Philoſophis homo, quia in ſe quidquid eſt in natura ſpecioſum, ac nobile cohibet: Sic Tyrus quia in ſe totius orbis opes, & delicias complectebatur, iure optimo μικρόκοσμος, id eſt, abbreuiatus mundus dici poterat. Cùm ergo minoris illius mundi interitus eſſet à Propheta deſcriptus, ad deſcribendam maioris mundi, id eſt, vniuerſi vaſtitatẽ, aſſurgit. Sicut etiam Chriſtus *Mat. c. 24.* cùm egiſſet de Ieruſalem à Romanis euertenda, ſtatim de totius mũdi vaſtitate, hominúmque vniuerſali iudicio ſermonem induxit. Sunt alij qui putant ἀνακεφαλαίωσιν fieri eorum, quæ per plura capita dicta ſunt de excidio Moab, Damaſci, Ægypti, Babylonis, Idumææ, & Ieruſalem; Ita Cyrillus, & Procopius. Alij de Ieruſalem, & Iuda, vt Foreirus, ſed vt dixi, probabile eſt, & penè communis illorum ſententia, qui cenſent ſermonem eſſe de extremi iudicij tempore, quod in explicatione capitis magis conſtabit.

2. [b] *Et audabit eam.*] A viris, quia ab eo temporis articulo nuſquam apparebunt in terra: & ab his ornamentis, & commodis, quæ ad humanos vſus à Deo comparata ſunt.

3. [c] *Et affliget faciem eius.*] Diximus ad illud *cap. 25. Facies vinculi, faciem abſcondas*, ſumi pro *aliquo* Hebraico idiomate. Quomodo *facies frigoris*, pro frigore, *facies gladij, tempeſtatis, aquarum*, pro gladio, tempeſtate, & aquis. Quare hic *affliget terræ faciem*, nil aliud eſſe puto quàm affligi terram. Aut certè, quia ignis toto orbe graſſatus, quidquid in terra apparet, comburet, & diſſoluet, quod *terræ facies* vocari poteſt, ideo affligenda dicitur terræ facies.

4. [d] *Et diſperget habitatores eius.*] Tam in Ieruſalem quàm in aliis prouinciis, de quibus hactenus, ſed præcipuè in Tyro, cùm multæ eſſent ciuium ſocietates, & omnium ordinum cœtus, qui diſperſi ſunt, & aliò, atque aliò dilapſi; vbi hoſtes rerum potiti ſunt; Sic ſocietates hominum communi totius orbis interitu diſſoluentur.

5. [e] *Et erit ſicut populus, ſic ſacerdos,* &c.] Sicut expugnata vrbe, qui honeſtiores erant, & dignitate ſiue ſacra, ſiue ciuili conſpicui, iam à victore hoſte captiui, & in ſeruilem acti conditionem communem habent fortunam: neque hoſtis victoria exultans atque inſolens penſi habet, ingenuus ne ſit aliquis, an ignobilis, potens olim, an pauper, quia æqua lege ſors, & neceſſitas traducit inſignes & imos. Quod optime deſcripſit Ieremias *Thren. 5.* in captiuo populo, *Mulieres in Sion humiliauerunt, & Virgines in ciuitatibus Iuda, Principes manu ſuſpenſi ſunt, facies ſenum non erubuerunt.* Sic ergo in extremo humani generis iudicio nemini proderit antiqua dignitas, non patrocinabitur infula, non pontificius, aut regius ſplendor, non numeroſa clientium cohors; ſed vitæ integritas, & honeſtas morum. Non melior in eo foro ſacerdos populari, dominus ſeruulo, debitore creditor, licèt humana iudicia, plurimùm inter hæc diſcriminis ſtatuant: quia apud illum iudicem cauſa diſcutitur, qui perſonarum acceptor non eſt.

In iudicio extremo nõ eſt ordinis, & dignitatis diſcrimen.

6. [f] *Diſſipatione diſſipabitur terra, & direptione prædabitur.*] In hac geminatione duplici grauis eſt epitaſis, qua dira clades exprimitur, quæ totum orbem funditus delebit.

7. [g] *Luxit, & defluxit terra.*] In textu Hebraico elegans eſt paranomaſia, quam, vt aliqua vocum ſimilitudine ſeruaret noſter interpres, ſecundo loco reddidit *defluxit*, quæ ad priorem vocem *luxit* aſſonat. Sic autem Hebr. הבלה נבלה *habelah nabelah*, ad verbum, *luxit, & concidit terra.*

8. [h] *Et terra infecta eſt.*] Multi codices Latini *interfecta* habent, & ita videntur legiſſe S. Thomas, Haymo, Dionyſius. Neque ex Commentariis Hieronymi facilè colliges, quomodo locum iſtum converterit, ſed Verbum חנף *chanaph*, *infectum* ſignificat, non *interfectum*. Prodit autem ſe hîc pulcher ſenſus ad mores; nam inficere hoc loco non eſt quocumque modo aliquid contaminare, licèt hoc etiam interdum ſignificet; ſed qua ratione facies fuco, aut lanæ alienis coloribus imbuuntur. Significatur ergo in terris non eſſe veram ſanctitatem, ſed vitium aliena ſanctitatis ſpecie fucatum. Quod vitiũ hypocriſis Deo abominationi eſt. Sed patet iam, vt dixi, latiùs verbi ſignificatio, & ſordes indicat, quas terra ab hominum improbitate contraxit, quáſque vt Deus detergeret aut excoqueret purgatrices flammas in orbem inuexit.

In iudicio nõ proderit fucus, aut ſimulatio, quibus infecta eſt terra.

9. [i] *Diſſipauerunt fœdus ſempiternum.*] Tria hîc quaſi diſtincta proponit Iſaias, *legem, ius, & fœdus*, quæ variè interpretes exponunt, ac ſecernunt. S. Thomas, & Hugo per *leges* ius intelligunt ſcriptum, & naturale; per *ius*, conſuetudines; per *fœdus*, amicitiam, & pactum. Haymo in *lege*, quod ſcriptum eſt; in *iure*, quod inſitum eſt à natura; in *fœdere*, amicitiam agnoſcit. Foreirus *leges* eſſe putat politicas conſtitutiones, quibus humana vita conſeruatur; *ius* cæremonias, & ritus; *fœdus* verò decalogum: nam hîc peculiari fœderis ac pacti nomine cenſetur. Sed quominus hæc diſtributio poſtrema atque explicatio placeat, facit quòd ex omnium penè ſententia hîc de totius vniuerſi extremo iudicio ſermo eſt: Hæc verò diſtributio ad Iudæos tantùm pertinet, qui ritus, & cæremonias habuerunt in lege. Mihi valde probabile eſt, quod cenſuit Adamus, hac conglobatione vocum idem ſignificantium exprimi hominum impudentem audaciam, qui, prodita diuina lege, quocumque modo propoſita, alias ſibi leges, non tam à ratione, quàm à libidine profectas induxerunt, totiúſque iuris rationem, & ſanctitatem ad ſua nefaria conſilia peruertentes nihil habuerunt ſanctum, nihil incorruptum.

10. Dicitur autem *fœdus ſempiternum*: qua ratione lex dicitur æterna. Vide S. Thomam 1. 2. *q. 93.* aut quia illa lex, & fœdus eius naturæ eſt, vt ſi æternus eſſet orbis futurus, ipſum quoque futurum eſſet æternum. Eſt enim ſacræ Scripturæ familiare, vt tale aliquid dicatur, quale aut aptum, aut dignum eſt vt ſit. Quomodo Chriſtiani in Eccleſiæ incunabulis dicebantur *Sancti*, quia Euangelicæ doctrinæ ſectatores ſanctitas decet. Aut certè quia עולם *hholam*, quod modò *æternum*, modò *ſæculum* conuertunt interpretes, longum ſignificat ſpatium, ſiue quod anteceſſit iam antea dudum, ſiue quod diu poſtea duraturum eſt. Qua ratione *Geneſ. 6.* gigantes dicuntur à ſæculo viri famoſi. Hebr. עולם *hholam*, & *Geneſ. 17.* fœdus cum Abraham ſempiternum dicitur; & æterna poſſeſſio terræ Chanaan: quia in poſteris Abraham diu fœdus illud durauit, & diuturna fuit eius terræ poſſeſſio. Vide quæ diximus

Regula. Tale aliquid dicitur, quale aptum eſt, aut dignum vt fiat.

Æternum idem quod longum aut diuturnum.

ximus ad illud *cap. 23. Non adiicies vltrà.*

11. k *Propter hoc maledictio vorabit terram.*] Sicut benedictio bonorum omnium complexionem importat, ſic contrà maledictio quicquid aduerſum eſt, & execrabile. Aut fortè maledictio vocatur illa calamitas, quia propter peccatum infligitur.

12. l *Et peccabunt habitatores eius.*] Hoc loco *&*, cauſalis eſt, ſicut frequenter alibi. Et ita vertunt Septuaginta, *quia peccauerunt.* Dicitur autem terra voranda in extrema illa ſæculorum clade propter hominum peccata, quia terræ peccata eas inuexerunt ſordes, quas extremus ille, & purgatorius ignis exuret, vt maneat pulchra. Vt habes *Apocal. cap.* 21. Vide ibi S. Thomam.

13. m *Ideóque inſanient cultores.*] *Inſanire* eſt amentes hùc illúcque bacchari, quod fieri ſolet in magna trepidatione, ac dolore: in quibus conſilio plerumque, atque prudentiæ locus non eſt. Quod in extremo iudicio in tanta rerum perturbatione continget, vt ſignificaſſe videtur Chriſtus *Lucæ cap. 21.* cùm ait: *Areſcentibus hominibus præ timore.* Hæc eſt illa maledictio peccantibus intenta. *Deut. 28. Percutiet te Dominus amentia, & cæcitate, & furore mentis.*

14. *Exiguus ſaluandorũ numerus.*

n *Et relinquẽtur homines pauci.*] Hic locus nõnullis perſuaſit hoc vaticinium non ſpectare cõmunem totius mundi, & extremam cladem; quia nulli tunc reliqui futuri ſunt in mundo, qui non ſubeant commune iudicium. Verum huic nodo ſolutio eſt, eáque non difficilis: quam adhibuere Hieronymus, Haymo, Dionyſius. Neque enim pauci futuri dicuntur, qui, aliis extrema mundi vaſtitate ſublatis, dicuntur futuri eſſe ſuperſtites, aut non ſubituri iudicis conſpectum, & tribunal: Sed futuri dicuntur eſſe pauci, qui cœleſtem imaginem in ſe conſeruent, & quorum animos non infecerit & Dæmonis halitus, & morum improbitas. Illi ergo qui in ſuperna intenti, humana deſpexerunt, ſeruarúntque in ſe Dei viuificam imaginem, qui aliorum comparatione pauci ſunt, relinquentur liberi ab ea quæ dici calamitas poteſt, & ad meliorem ſortem, quæ ipſis ſemper erat in votis, iam tunc vocantur. Quibus in eodem rerum articulo Chriſtus ait, *Leuate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra.*

15. *Voluptas, & luxus æterni ſupplicij materia.*

o *Luxit vindemia, infirmata eſt vitis.*] Præclarè Hieronymus, ad mores hunc locum expoſuit, qui putat huius ſæculi fugaces, momentaneaſque delicias futuras æterni doloris vberem materiam. Quare *Lucæ cap. 16.* diues purpuratus, & qui quotidie epulatur ſplendidè, quique in vita ſua recipit bona, in inferno cruciatur. Et ibidem *cap. 6.* ingeminat Chriſtus lugubre, atque horrificum *Væ* diuitibus, qui hîc habuere conſolationem ſuam; & ebriis, ac ſaturis, & illis qui immoderatè rident, æternum luctum & eſuriem indicit. Et eſt ſatis accommodatum ad hunc dolorem & ad vindemiæ nomen illud *Deut. 32. Vua eorum, vua fellis, fel draconum vinum eorum.* Quia qui ſuo genio intemperanter indulgent, quod tunc putabant vinum eſſe dulce, experientur amarum eſſe, ac mortiferum venenum, quod torquebit in ſempiternum peccatoris viſcera. Facit ad hanc explicationem quòd verba interdum Hebraica aliquam actionem in ſe cohibent, quam non habent Latina. Quomodo Spiritus dicitur gemere, quia gemere nos facit; & Dominus cognouiſſe dicitur, diligi ſe ac timeri ab Abraham cùm filium immolare voluit, quia

A fecit, vt cognoſceretur amor Abraham. De quo loquendi genere vide quæ diximus *in caput 10. Actuum* ad illud, *In veritate comperi. num. 41.* Sic ergo *lugere* dicitur *vindemia*, quia faciet lugere illos, qui vino ſe, & ebrietati dederunt.

Veruntamen magis ad literam eſſe puto, ſi di- 16.
camus tunc omnino ceſſatura illa, quæ potentes, ac voluptuarij homines ad luxum, & otium adhibere conſueuerunt. Quæ deinde pluribus & minutiùs perſequitur. Vindemiæ verò meminit, & vitis iam infirmæ atque aridæ: quia in illis vinum intelligitur, quod maximè intemperantes homines capit, & exhilarat. Vel quia ſicut in meſſe quando frumentum colligitur feſtiuis acclamationibus adhinniunt, & exultant agricolæ, iuxta illud B Iſaiæ *cap. 9. Sicut qui lætantur in meſſe.* aut ſicut in tonſione ouium, quia tunc eximio luxu animi laxantur, vt docuit Nabal, & Abſalon, alter 1. *Regum cap. 25. verſ. 36.* alter 2. *Reg. 13. verſ. 27.* Sic etiam in vindemia aliquid eſt quod intentos operi vinitores oblectat. Et illud indicant multa, in quibus in colligenda vindemia aliqua ſe oſtentat voluptatis ſignificatio. Iſaias *cap. 16. Et auferetur lætitia, & exultatio de Carmelo: & in vineis non exultabit, neque iubilabit, &c. Vocem calcantium abſtuli.* Eadem ferme verba item de Moab Ieremias *cap. 48. Nequaquam calcator vuæ ſolitum celeuma cantabit.* Cyrillus in illud, quod paulò pòſt ſubditur. *Quomodo ſi pauca oliuæ,* C & iuxta Septuaginta *quomodo ſi quis racemet oliuam*, dicit: *Sub finem vindemiæ hic mos inoleuit: Vindemiantes quando ab his laboribus deſiſtunt, gaudent, & vociferantur, & ruſtica quapiam cantilena compoſita ex prædiis ſe referunt.* Vide quæ diximus *cap. 9. num. 13. & cap. 16. num. 27.* Aut ſanè ad extremum, quia in vino & torculari maxima ſignificatur lætitia; vt pluribus oſtendimus ad illud *Cantic. 2. Introduxit me Rex in cellam vinariam.* Sublato vino atque vindemia, omne antiquum, & delicioſis hominibus familiare gaudium ceſſaturum prædicit.

In colligendis frugibus, feſtiui cantus & exultatio.

p *Cum cantico non bibent vinum.*] In ſplendidio- 17.
ribus conuiuiis adhiberi ſolitam eſſe muſicam, ſatis eſt notum, non inter Gentiles ſolùm, ſed etiam D inter Hebræos, de quibus à noſtro propheta ſuprà *cap. 5.* de quo nos ibi pluribus. *Cithara*, inquit, *& lyra, & tympanum in conuiuiis veſtris. Eccleſ. cap. 49.* de Ioſia: *In omni ore indulcabitur eius memoria, & vt muſica in conuiuio vini. Amos 6. Qui canitis ad vocem pſalterij, bibentes vinum in phialis.* Et in nouo Teſtamento muſicæ conuiuialis mentio fit, *Lucæ 15.* Filius ſenior audiiſſe dicitur ſymphoniam, & chorum, quibus pater celebrauit conuiuium pro reſtituto filio.

Ad menſam muſica adhiberi ſolita.

q *Attrita eſt ciuitas vanitatis.*] Vt perſequa- 18.
mur, quam inſtituimus explicationem de totius mundi vaſtitate, cui non multùm fauere videtur *ciuitatis* nomen, dicendum eſt cum Hieronymo, ſingularem numerum per ſynecdochen pro plurali ſumi, id eſt, ciuitatem, pro ciuitatibus omnibus, E atque hominum cœtibus, quæ vaniſſimæ ſunt. Quantumuis enim illæ ſitu, artéque ad omnem æternitatem munitæ videantur, atque omni inſtructu regio ornatę, atque elegantes, nihil tamen cõtra diuinam potentiam, atque iram firmitatis habent; deterentur enim aliquando, atque ſqualleſcent, & portæ, id eſt, quæ in ipſis fortiſſima ſunt, conuulſa corruent. Quidam hanc ciuitatem *Babylonem* eſſe putant, ſumique pro toto mundo, quam vitia, & turpes voluptates fœdè contaminarunt. Et ſanè

ſicut Ægyptus, ſic etiam Babylon pro mundo ſumitur, in qua dominata ſunt olim illa vitia, quæ ſæcularium hominum, id eſt, captatorum inanium voluptatum animos infecerunt: aut etiam pro hominibus faſtu inſolentibus, aut voluptate, & luxu ſolutis. Et quidem cùm *Apocal.* 14. Babyloni intenduntur cœleſtes minæ, illis videntur proponi, quibus mollia ſæculi blandimenta dominantur. Placet hæc cogitatio, quæ magnorum virorum eſt in quibus ſunt Hieronymus, S. Thomas, & Haymo, quamuis nonnihil obſtrepat, quod tempore Iſaiæ non ita malè audiebat Babylonia, quia nondum ibi exules, & duriùs vexati Iſraelitæ fuerant.

19. Vide an hîc commodiùs alluſum ſit ad *Tyrum*, cuius proximè interitum accepimus, & quam mundi totius imaginem præ ſe ferre diximus. Quòd ſi notam ſimilitudinis addas, præclara videtur, & facilis ſententia, in hunc modum. Fluxit, & defluxit terra, ſicut attrita eſt ciuitas vanitatis, nempe Tyrus vaniſſima, quæ nihil ſibi non arrogabat. Aut certè totus mundus dici poteſt *ciuitas vanitatis*, quia congregatio eſt omnium vanitatum, & quidquid fluit & mutatur, vanitas eſt, iuxta illud, *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Eccleſ. cap.* 1.

[r] *Clamor erit ſuper vinum in plateis.*] Aut quia non ampliùs bibent illud, aut quia vini intemperanter hauſti pœnas dabunt.

20. [s] *Tranſlatum eſt gaudium terræ.*] Qui in terra dominari videbantur, & qui commodis omnibus humanis affluebant, cum terra ipſi quoque tranſibunt, & quæ in terra fuerunt gaudia, transferentur nempe ad cœlum, ſiue ad iuſtos, qui inopia priùs, & variis afflictabantur incommodis, perpetuis confecti lachrymis, quibus æternam ſibi lætitiam promeruerunt.

21. [t] *Quia hæc erunt in medio terræ.*] Locum deſignat in quo futurus eſt clamor, & vaſtitas, de quibus ſuprà, & ea ſaluandorum paucitas, quæ ſtatim in oliuarum collectione ſignificatur. Locus autem futurus eſſe dicitur *in medio terræ*, id eſt, prope Ieruſalem, quæ eſt, vt aliqui volunt in medio terræ promiſſionis, aut in medio populorum, id eſt, decem tribuum, ſeu in medio terræ tunc habitatæ; iuxta illud *Pſal.* 73. *Operatus eſt ſalutem in medio terræ.* Sed vt hæc vera ſint, tamen non admodum vrget hæc ratio ſumpta ex nomine *medio*, Nam *medium* in ſacra Scriptura non ſemper ſignificat id, à quo æqualiter diſtant extrema: ſed quod in eodem loco cum aliis eſt, quodcumque illud ſpatium ſit, vt ſatis eſt compertum mediocriter in Scriptura verſatis. Quare ſenſus eſſe poterat, hæc, quæ à propheta commemorantur, futura eſſe non in medio terræ, aut populorum, ſed in terra, & in populis. Sed eſt alia ratio prophetæ materiæ magis accommodata, quæ probat illud, *in medio terræ & populorum*, eſſe Ieruſalem: quia iudicium extremum de quo præſens vaticinium eſt, peragendum eſt in Ieruſalem, vt eſt communis Doctorum ſententia. Iuxta illud Ioelis, *cap.* 3. *Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Ioſaphat; & diſceptabo cum eis.* Vallis autem illa montem oliuarum diuidit à Ieruſalem. Vide S. Thomam *in* 4. *d.* 48. *q.* 1. *art.* 4. *quæſt.* 4.

Iudicij locus eſt Ieruſalē.

22. S. Thomas & Foreirus hæc non tam referunt ad ſuperiora, quàm ad ea quæ proximè ſequuntur in hunc ſenſum. In terra, tantaque populorum multitudine, cùm extremus ſæculorum dies aduenerit, continget quod in vindemia oliuarum, aut vitium. Nam ſicut peracta vindemia pauci ſuperſunt racemi, qui attentos vinitoris oculos effugiant; Sic pauci erunt ex hominibus, quos non obruat illud inundans malum. quæ ſententia mihi valde probatur.

Paucitas ſaluandorum.

23. [u] *Quomodo ſi pauca oliuæ quæ remanſerunt excutiantur ex olea.*] Hæc puto prouerbiali figura ſumi ad explicandam paucitatē magnam, aut reliquias exiguas ex grandi multitudine. Iiſdem penè verbis vſus eſt ſuprà *cap.* 17. cùm ageret de Damaſco, *Et erit ſicut congregans in meſſe quod reſtiterit*, &c. *Et relinquetur in eo ſicut racemus & ſicut excuſſio oleæ*, &c. *in ſummitate rami.* Sanè mira atque horribilis ponderatio paucitatis illorum, qui illius extremi iudicij fulmen effugient. Quàm enim paucæ oliuæ relinquantur, aut racemi abſoluta iam à ſedulo, atque auaro vinitore vindemia, & quàm multæ excutiantur oleæ ab vbere oliua, cuius baccarum pondere incurueſcunt rami, nemo non videt. In quam ſententiam grauia ſunt, atque horribilia, quæ aliis in locis tradit ſacra Scriptura, & affirmant Patres. Vide Auguſtinum *lib.* 3. *contra Creſconium, cap.* 66. Gregorium *homil.* 19. *in Euangelia.* Chryſoſtomum *homil.* 40. *ad populum.* Eſt autem dolendum valde ex tanta meſſe atque vindemia, tam exiguam partem, eámque in hominum opinione tenuem, & macram ad diuinam cellam pertinere, cùm Diabolus maximam, pinguiſſimámque vindemiam quotidie recondat.

Prouerbiū

24. [x] *Hi leuabunt vocem ſuam atque laudabunt, cùm glorificatus fuerit Dominus.*] Sicut alij plurimi, ac pingues, qui excuſſis oleis aut collectis à vindemiatore racemis comparantur, lugebunt irritis, ſempiterniſque lachrymis, vbi gehennali prælo torquendi tradentur; ſic illi pauciſſimi, qui oleis, aut racemis, quos vindemiator aut non vidit, aut præ tenuitate contempſit, aſſimilantur, leuabunt vocem ſuam, quam præ gaudio cohibere non poterunt, quin in diuinæ maieſtatis præconium effundant. Tunc verò Deus glorificatus eſt, quia cognitus eſt omnino potens ornare bonos, & malos punire æterna vtroſque compenſatione pro natura, modóque meritorum.

Iuſtorū exultatio in die iudicij.

25. [y] *Hinnient de mari.*] Clamor ille ruſticorum qui excitari ſolet dum vindemia feruet aut meſſis abſoluitur, *hinnitus* non incommodè vocari poteſt: & re vera equorum hinnitum imitatur. Et ideo ab Hiſpanis *Relincho* dicitur, quod aliis etiam nationibus in vſu eſt. *Hinnire* igitur eſt præ lætitia geſtire, illámque prodere inſolita aliqua ſignificatione. Sed dum additur illud *de mari*, oſtenditur iuſta, atque opportuna lætandi ratio. Nam qui in mari diu iactati ſunt fluctibus, ſalo, nauſeáque confecti portum, quem æquoreæ iactationis finem eſſe vident, vehementer optant; illumque procul ſpectantes feſtino cantico, & hinnitu nautico ſalutant. Quod ex familiari nauigantium conſuetudine dixit Virgil. 3. *Æneid.*

Labori ſuccedit læta quies, & exultatio.

Cùm procul obſcuros colles, humilemque videmus
Italiam, Italiam primus conclamat Achates;
Italiam læto ſocij clamore ſalutant.

Sic ergo iuſti quibus vita præſens non ſtatio fuit aut portus tranquillus, ſed mare turbidum, atque æſtu feruens, in quo nihil firmum aut ſtabile vnquam habuerunt, vbi emenſi ſpatium vitæ portum in Dei ſinu nacti ſunt, aut proximum aſpiciunt, de mari hinniunt, canúntque lætum, & optatum celeuſma. Quale eſt illud *Pſal.* 65. *Tranſiuimus per ignem, & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium.* Alij verò, qui pacem habuere ſuper terram, firmáque omnia ſibi pollicebantur, lachrymabuntur interea,

& hian

& hiantem terram, & in æternum chaos immenſum barathrum horrebunt.

26. *Mors filiis huius ſæculi amara, aliis læta.* Iuxta hanc metaphoram pro re morali obſerua, alium eſſe ſtatum, ac exitum eorum, qui in mari nati, atque nutriti ſunt, ſuáſque ibi ſedes, & delicias habent, quales ſunt piſces, atque illorum, qui alieni ſunt, quique non tam ſponte ſua quàm neceſſariò mari ſe, ac periculis committunt: quales ſunt nauigantes; illi enim in mari ludunt, & in ſuo quaſi regno dominantur; extracti tamen inde ad littus moriuntur, vt piſcis ille immanis, de quo *Tob. cap. 6.* qui in flumine, id eſt, in ſuo regno, ſic erat violentus, atque audax, vt vorare vellet Tobiam adoleſcentulum, clamaréque coëgerit, *Domine inuadit me.* Sed idem in arenam extractus palpitauit ante pedes adoleſcentis, & exenteratus eſt. At nauigantes, qui neque nati ſunt in aquis, neque vt in aquis viuant, in mari iactantur, & nauſeant, in portu exultant, & in ſicco littore. Sed, prò dolor, quot modò qui neque in aquis, neque ad aquas nati ſunt, in ipſas ſe vltro demergunt, & vitam ibi non ſolùm quietam, ſed dulcem agunt. In quos bellè cadunt illa Iſaiæ verba *cap. 23.* iuxta Ambroſij explicationem, quam nos ibi adduximus. *Erubeſce Sidon, ait enim mare: fortitudo maris, dicens: Non parturiui & non peperi*, &c. Hi enim, cùm ad maris littus ventum erit è ſuis extracti cubilibus interibunt, interim dum in portu nauigantes exultant longo ſoluti tædio, & perſuncti periculis.

27. [a] *Propter hoc in doctrinis glorificate Dominum: in inſulis maris nomen Domini.*] Pro *doctrinis* Hebr. eſt אורים *vrim*, quod *lumen*, aut *lucem* ſignificat. Quod *Exod.* 28. *verſ.* 30. inſcribi iubetur in rationali ſacerdotis. Quid verò hoc loco ſit, examinandum eſt. Hieronymus metaphoricè interpretatus hunc locum *doctrinam* vertit: quia doctrina lux quædam, aut illuminatio eſt, & ſic exponit. *Propterea, qui nunc in Scripturis ſanctis eruditi eſtis, & ſcitis vobis tantum gaudium, tantáque præmia reſeruari, in doctrinis glorificate Deum.* Id eſt, propter doctrinam hanc, quam ſingulari Dei beneficio accepiſtis. Eodem ferme modo Haymo. Aliter S. Thom. Lyra, Dionyſius & interlinearis; qui putant admoneri viros Apoſtolicos, vt quando bonorum præmia, & malorum ſupplicia, ex hoc vaticinio edocti ſunt, glorificent Deum in doctrinis, id eſt, docendo Gentes, percurſando aridam, & inſulas, cœleſtem hanc lucem omnibus irradient. *Zelus animarum Deo gratiſſimus, & valde commẽdatus viro Apoſtolico.* Qui ſanè ſenſus ad mores optimus eſt, quique valde oſtendit, quàm ſit gratum Deo Apoſtolici muneris obſequium: quando Deus illud ſuam vocat glorificationem.

28. *His, qui hic depreſſi sũt, poſtea valde lætandũ.* Alij pro *doctrinis* vertunt, *in vallibus*, vt Pagninus, Tigurina, Rabbi Dauid, & Septuaginta, neque eſt hæc verſio parum ad mores, quæ iudicat his eſſe valde lætandum, qui in vallibus ſunt, id eſt, in locis depreſſis atque humilibus. Quos inde Dominus excitabit ad gloriam, abiectis interim ad æternam ignominiam illis, qui ſublimia ambiunt, præclaréque ſecum agi putant, ſi in illis aliquando conſederint. Et huic verſioni non parum fauet, quod ſtatim ſubditur. *In inſulis maris nomen Domini.* Vbi epexegeſis eſſe videtur: nam *nomen Domini*, pro *Domine*, ſumi, pluribus à me ſæpius oſtenſum eſt. Valles autem non malè dicuntur inſulæ: quia illæ ſitæ ſunt in maris profunditate, cuius comparatione terra, quam nos continentem vocamus, collis eſt. Erit ergo ſenſus, O vos qui eſtis in vallibus, glorificate Dominum, glorificate, inquam, iterum, atque iterum Dominum, qui eſtis in vallibus. Et videtur alluſum ad illud quod proximè anteceſſerat *laudent de mari*, id eſt, qui in inſulis habitant vndecumque laborum fluctibus circumfuſi.

Sed accommodatè ad noſtram verſionem, poſterioremque ſenſum S. Thomæ, quem magis probamus, hic præuidet propheta fructum qui conſecutus eſt Apoſtolicorum virorum ſtudium & vigilias. 29. Nam hi complexi diuinum mandatum, & in doctrinis ſtrenui, intimas etiam orbis partes ingreſſi, id perfecerunt, vt iam ibi audiatur, glorificetúrque ſanctum nomen Dei. Quod munus auidiſſimè arripuit B. P. Franciſcus Xauerius, aliique plurimi ex noſtra Societate, qui illius ingreſſi veſtigiis perfecerunt, vt in finem vſque mundi ſubmotæ regiones intueantur iam cæleſtem doctrinam, & depulſis antiqui erroris tenebris, Euangelicæ doctrinæ lucem aſpiciant. Porrò illud obſcurum non eſt *inſularum* nomine in ſacra Scriptura remotiſſimas regiones ſignificari. *Iſaiæ 42. Legem eius inſulæ ſpectabunt.* & *cap. 49. Audite inſulæ, attendite populi de longè.*

30. *Quid concionatori Euangelico præcipuè propoſitum eſſe debeat.* Cæterùm ſicut hîc Apoſtolici viri iubentur diuini iudicij ſeueritatem, bonorum præmia, malorum ſupplicia, & rerum humanarum vanitatem denuntiare, ſic Chriſtus, & fecit ipſe per ſe, dum de iudicio ſermonem inſtituit cum diſcipulis, & morti vicinus in ſacerdotum, ſeniorúmque concilio, *Matthæi 26.* & *Act. 1.* cùm ad cœlos aſcenderet in ipſo curſu per Angelos eiuſdem iudicij memoriam renouauit. *Hic Ieſus qui aſſumptus eſt a vobis in cælum, ſic veniet*, &c. *De iudicio ſæpius agẽdum viro Apoſtolico.* Habuiſſe autem Apoſtolos in mandatis, vt de iudicio hoc Gentes docerent, oſtendit Petrus *Act. 10. Præcepit*, inquit, *nobis prædicare populo, & teſtificari, quia ipſe eſt, qui conſtitutus eſt a Deo iudex viuorum, & mortuorum.* Et ideo fortaſſe in ea concione, quam primùm habuit poſt Spiritus ſancti deſcenſum de iudicio egit. Vide quæ in illum locum adduximus.

31. Neque ab hac ſententia recedunt qui pro *doctrinis*, aut *vallibus* vertunt *ſpeluncas*, aut *foueas* (per antiphraſim credo) quales fuere Troglodytæ, de quibus Plinius *lib. 5. cap. 8.* qui ſub Ægyptum ad mare rubrum habitabant. Nam in his intelliguntur illi, qui in tenebris agunt, caréntque non ſolùm Euangelica luce, ſed etiam ferarum more cauernas ſubeunt; neque ciuitates habent vllas, aut cœtus colunt. Quo dicendi genere ſignificantur barbarorum hominum inculti mores, qui plerumque procul ab hominum commercio in extremis mundi finibus habitant. Hi ergo glorificabunt Deum illuſtrati ea luce, quam viri Apoſtolici in eas ſiue regiones, ſiue cauernas inuexerint.

32. [a a] *A finibus terræ laudes audiuimus.*] Videt iam propheticis oculis Iſaias, quid in extremis orbis finibus fecerint Euangelici præcones. Hæc valde confirmant noſtram ſententiam, quæ de ſtudio ſanctorum virorum, & fructu, qui eorum zelum conſequutus eſt, vaticinium hoc explicat. Pro *finibus* Hebr. eſt מכנף *miccenaph*, id eſt, *ab ala*, & eſt accommodata tranſlatio. Nam, vt alæ extrema ſunt in auibus, & quaſi extra illarum corpus, ſic extremę terrarum plagæ. Eodem modo *Ezech. cap. 7.* Vbi noſter *ſuper quatuor plagas terræ.* Hebraicè, *ſuper quatuor alas.* Ab illis ergo terminis audire ſibi videtur propheta diuinas laudes.

33. [b b] *Gloriam iuſti.*] Explicat cuius ſint illæ laudes, de quibus antea; & dicit illius eſſe, qui iuſtus eſt; ſiue id ad Deum referas, cuius iuſtitia in hac

extrema meritorum compenſatione maximè cernitur, de quo viri ſancti, eodem ſpiritu, ac ſenſu clamant. *Iuſtus es, Domine, & rectum iudicium tuum*; aut ad Chriſtum, qui vt in Actis ſæpe *cap. 3. cap. 7. cap. 22. iuſtus* vocatur antonomaſticè. Neque diſplicet, ſi hæc materialiter interpretere, quaſi hæc ſit laus, & canticum, quo Deum à terræ finibus viri iam illuminati laudant, nempe. *Gloria ſit iuſto.* Cui non diſſimilis eſt laus illa, quam ingeminari à Beatis in cœlo audiuit Ioannes *Apocal. cap. 19. verſ. 1. Alleluia, laus, & gloria, & virtus Deo noſtro eſt, quia vera & iuſta iudicia ſunt eius, qui iudicauit de meretrice magna.*

34. Tabeſcit vir Euāgelicus animarum zelo.

cc *Secretum meum mihi, ſecretum meum mihi, va mihi.*] Magnum aliquid, & myſticum latet in hac dicendi forma: magni alicuius affectus hic ſonitus eſt. Quidam hunc locum ita vertunt. *Macies mihi*, &c. quia verbum רזה *razah, attenuare* ſignificat, à quo deducitur nomen, רזי *razi*, quod maciem, ſeu tabem valet; ita vt *iod* non ſit affixum primæ perſonæ, ſed poſitum pro ה *he*, quod apud Hebræos frequens eſt. Ita Vatablus, & Pagninus in Lexico, & Rabbi Abraham, in hunc ſenſum. Contabeſco dolore, atque intimis angoribus totus extenuor, atque conficior, dum video pœnas peccatori propoſitas, & vix vnum, aut alterum intueor qui peccatum horreat. Eodem omnino ſenſu, quo Dauid *Pſal.* 118. dixit *Vidi pravaricantes, & tabeſcebam.*

Pœnarū inferni acerbitas.

Hieronymus illud רזי *razi*, à themate Chaldæo רז *raz*, deriuat, ſicut etiam fecere complures alij ex doctoribus Hebræorum: & ita tranſtulit, *ſecretum*: & ita hunc locum ſic exponit. *Cùm hæc audiſſem, locutus ſum mihi interno cordis affectu, non poſſum cuncta narrare quæ cerno: hæret lingua faucibus meis, vox dolore concluditur: va mihi quantus ordo pœnarum ante oculos verſatur meos.* Eodem modo S. Thom. Hauino, & complures alij. Neque longè abeunt, qui hic ſubaudiri putant *reuelatum eſt*, hoc ſenſu: *Reuelatum mihi eſt ſecretum de pœna malorum, & bonorum gloria: va mihi, quia id explicare nequeo.* Ita Chaldæus & nonnulli de Hebræorum magiſtris.

35. dd *Pravaricantes pravaricati ſunt.*] Ideo dolet, quia cùm tot ſint præuaricatores in terra, ipſe tamen annunciare non poſſit quod in illorum caput decretum eſt à Domino ſupplicium. Sicut etiam dolebat *cap. 6.* cùm contemplatus Dei gloriam ſe ſocium adiungere non potuit laudantibus Angelis, cùm labia haberet polluta.

36. Peccatoris in extremo iudicio anguſtiæ.

ee *Formido & fouea, & laqueus ſuper te, quia habitator es terra.*] His vocibus extrema calamitas exprimitur eius, quem vndique grauiſſima circumuallant, atque vrgent incommoda: ex quibus quoquo ſe vertat, nullum apparet effugium. Nam ſi ex eo loco, vnde terror obiicitur, euolare tentet, occurrit fouea, ſi inde ſe eximere contendat, obtenditur laqueus. Nihil ergo tutum à periculo, nihil non plenum diuini furoris: quia Deus peccatorum ſeuerus vltor nihil non implet. Eodem penè ſermonis genere vſus eſt Amos *cap. 5. Dies Domini iſta tenebra, & non lux, quomodo ſi fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei vrſus, & ingrediatur domum, & innitatur manu ſua ſuper parietem, & mordeat eum coluber.*

37. Mihi in tribus nominibus *formido, fouea, & laqueus* aliquid occurrit nouum fortaſſe, non tamen alienum ab inſtituto. Notum eſt non apud Latinos, & Græcos ſolùm, ſed etiam, vt reor, apud Hebræos genus eſſe venationis, quo magnæ etiam feræ eò adducuntur, vt ſi ab vno ſe extricant periculo, in aliud incurrant. Proponebatur enim funis, ſeu linea, quæ vocabatur *formido*, ſeu *formidoloſa*, variis, & verſicoloribus intexta pennis, quæ terrebat ceruos pennarum agitatione, vel vt pauidi venabula exciperent, vel vt in alia retia parata, aut foueas acti formidine laberentur. De ceruis multi ſunt, qui hæc affirment. Virgil. 3. *Georg.*

Linea formidoloſa.

Puniceave agitant pauidos formidine penna.

Ouidius *lib. 15. Metamor.*

Nec formidatis ceruos includite pennis.

His terreri non ſolùm ceruos natura timidos, ſed etiam vrſos & apros docet Nemeſianus.

Namque vrſos, magnóſque ſues, ceruóſque fugaces
Terrificant, linique vetant tranſcendere ſeptum.

Hæc verò linea *formido* dicitur. Ita Seneca *lib. 2. de ira cap. 12. Cùm maximos ferarum greges linea pennis diſtincta conterreat, & in inſidias agat, ab ipſo effectu dicta formido.* Vide ibi Muretum, vbi varia adducit tam Græcorum, quàm Latinorum teſtimonia; ſicut etiam Turnebus. Huc ſpectauit Auguſtinus *lib. 1. de nuptiis & concup. Et cum verentur infamiam falſam, veram incurrunt: inſtar ferarum, qua circumdantur pennis, vt cogantur in retia.* Et Hieronymus contra Luciferianos. *Pauidorum more ceruorum, dum pennarum euitatis volatus, fortiſſimis retibus implicamini.* Hoc idem vſitatum eſſe apud Græcos docet Oppianus in Cynegetico.

38. Hoc idem in vſu fuiſſe apud Hebræos mihi eſt valde veriſimile, tum ex hoc loco, vbi poſt formidinem, video à propheta poni foueam, & laqueum, in quem incurrant qui à formidine fugiunt. *Formidinem* verò in eodem genere ponendum cum *fouea, & laqueo*, id eſt, inſtrumentum eſſe fraudis aut artis venatoriæ, ipſe loquendi modus inſinuat. Facitque plurimùm ad coniecturam quod ſtatim ſequitur.

ff *Et erit qui fugerit à facie formidinis, cadet in foueam, & qui ſe explicauerit de fouea, tenebitur laqueo.*] Eodem loquendi genere vſus eſt Ieremias *cap. 48. verſ. 43. Qui fugerit à facie pauoris, incidet in foueam: & qui conſcenderit de fouea, capietur à laqueo.* Ex quo mihi fit probabile, ſicut tria hæc in vtraque propheta ſemel, atque iterum coniunguntur, ſic res illis nominibus ſignificatas à venatoribus ſolere coniungi. Immò & hic aliquid ſubodoror prouerbiale: nam & ſententia apta videtur prouerbiali figuræ, vt eſt illud Latinum, *Fumum fugiens in ignem incidi*, & ſimilia; & elegans paranomaſia in Hebræis dictionibus, in quibus eſt aliquid numeroſum, prouerbium eſſe arguit: Sic tam apud Iſaiam hic quàm apud Ieremiam *cap. 48.* pro *formidine, laqueo, & fouea* פחד ופחת ופח *Pachad, vepachath, vpach*, vbi numerum vides, & literarum miram conformationem. Hoc ergo venandi genere ſignificari credo, quàm omnibus modis vrgendi ſint peccatores, contra quos in illa miſera, atque extrema venatione tot intenduntur retia, tot parantur foueæ. Non ſecus ac feræ omni ſtudio atque indagine obſidentur, & capiuntur.

Ierem. c. 48.

Prouerbiū.

39. Cataracta quid.

gg *Quia cataracta, de excelſis aperta ſunt.*] Alluſum credo ad tempus Noë, in quo diluuio periit vniuerſus orbis; vbi quò ſe reciperent homines in eo communi interitu, nihil erat tutum. Ingruebat enim non à terra ſolùm, ſed à cœlo atra tempeſtas, quæ vario, ac exundante gurgite latè genus hominum omne deleuit. *Geneſ. 7. Rupta ſunt omnes fontes abyſſi magna, & cataracta cœli aperta ſunt.* Sic ergo tempeſtas ſecunda, quæ non minùs durè ac

latè

latè orbem populabitur, à terra proueniet vehementibus ventorum, terræque motibus, quibus orbis fundamentum concutietur. Sunt autem *cataractæ*, aut ea, quæ magno fragore, atque impetu feruntur deorſum, aut quæ cum eodem impetu ac fragore deorſum aliquid deiiciunt. In priori ſignificatione *cataracta* vocantur locus ille, qui inter occurſantes ſcopulos Nilum ita præcipitat, vt cum ingenti ſtrepitu credatur non fluere ſed ruere. Ita Plinius *lib.* 5. *cap.* 9. Et Strabo *lib.* 5 *cap.* 17. optimè deſcribit Nili cataractem. *Cataractes*, inquit, *eſt ad medium fere flumen petroſum quoddam ſupercilium in ſuperiori parte planum, vt flumen recipere poſſit, deſinens verò in præcipitio, ex quo aqua præcipitatur.* Et addit Regibus ibi feſtiuos exhiberi ludos ab ſcaphulariis. Similes cataractas agnoſcit Suidas in Iſtro flumine, ſunt autem rupes ex alueo erumpentes, in quas incidens fluuius cum ingenti ſonitu regurgitat.

40. Dicuntur prætetea *cataractæ* impedimenta obiecta, quibus ſublatis aqua ipſa magno impetu, ac fremitu ex alto præceps cadit. Quales ſunt quæ in molendinis aquam aut obiectæ prohibent ne ad molam influant, aut ſublatæ admittunt, & ad molam deriuant. Hæ verò metaphoricè dicuntur eſſe in nubibus, quia illæ condenſatæ, neque dum à calore ſolutæ aquam cohibent, quam deinde laxatæ in terram demittunt. Et facit valde ad hanc explicationem, quòd Septuaginta pro *cataractis*, *feneſtras* vertunt: quaſi dicant ſublata eſſe clauſtra, quæ ad illud vſque tempus diuinum furorem morabantur. Cùm ergo apertè dicuntur *cataractæ de excelſis*, ſublata ſignificantur impedimenta, quæ diuini furoris exundationem reprimebant. Erupit enim ira Dei ad illud vſque tempus compreſſa, & torrentis inſtar obruit genus humanum: Non ſecus ac ſi Deus aggerem, aut molem perrumperet, quibus cohibebatur fluuius, ne in agros influens illos oblimaret, & perderet. Nunc theſaurus iræ, quem homo peccator in diuino pectore congregauit, habet oppoſitam cataractam, tunc ea ſubmota diuinus furor præcipiti fluxu obruet peccatorem.

41. Porrò quia cataractæ vim aquarum ingentem oſtendunt, quæ cum impetu iuxta ſui nominis notationem feruntur: fit vt cataractæ pro maximo bonorum, ſiue malorum incremento vſurpentur; quia vehemens ille multarum aquarum impetus abundantiam ſignificat, & pro varia rerum, ac temporum opportunitate nocere, aut prodeſſe vehementer ſolet. Vtilitatem indicat illud 4. *Reg.* 7. *Si Dominus fecerit cataractas in cœlo, nunquid poterit eſſe, quod loqueris?* & *Malach.* 3. *Si non aperuero vobis cataractas cœli, & effudero vobis benedictionem.* (Malach. 3.) Vaſtitatem verò & damnum *Pſal.* 41. *Abyſſus abyſſum inuocat in voce cataractarum tuarum*, id eſt, calamitas irruens ſua veluti voce aliam aduocat calamitatem. (Pſal. 41.) Et eo ſenſu ſumitur hoc loco. De cataractis vide Pereiram *in cap.* 7. *Geneſ. diſput.* 5.

42. Septuaginta pro *cataractis* θυρίδας poſuerũt, id eſt, *feneſtras*, iuxta quorum tranſlationem ſic hunc locum exponit Hieronymus. *Feneſtræ cœli apertæ ſunt, vt deſpiceret Dominus vniuerſa peccata, quæ priùs, quia non puniebat, videbatur peccatoribus ignorare; poſtquam autem apertis feneſtris vidit omnia opera mortalium, concuſſa ſunt fundamenta terræ, iuxta illud, quod in alio loco de Deo intentus ſcriptum eſt Pſal.* 143. *Qui reſpicit terram & facit eam tremere.* Hæc Hieronymus.

hh *Confractione confringetur terra; contritione conteretur, &c.*] Hæc aperta ſunt. tantùm obſeruo ex hac ſynonymia, & vocum coniugatione mirè ſignificari quanta impendeat calamitas vniuerſo. Nam quodlibet horum ſeorſum magnam habet epitaſim. 43. Vniuerſa vaſtitas.

ii *Quaſi tabernaculum vnius noctis.*] Non eſt hic ſermo de tabernaculo excitato ad pomorum cuſtodiam, aut de tugurio in cucumerario, de quo ſuprà *cap.* 1. nam hi non fabricantur aut eriguntur ad vſum vnius noctis, ſed de tabernaculis ſeu tentoriis, quæ ſecum geſtant potentes, ac delicati viri, cùm iter faciunt, aut cùm venationis aut alterius ſtudij gratia domo exeunt. In quem vſum fuiſſe puto pelles Salomonis, de quibus *Cant.* 1. Cùm enim non rarò contingat, vt nox obrepat, priuſquam ad tectum & commodum hoſpitium diuertant, ne cogantur pernoctare ſub dio, tabernacula ſecum circumferunt, quæ ſtatim atque illuxit diſſoluunt, & aliò transferunt. Exempla occurrent alia in Scriptura: duo accipe *ex cap.* 31. *Geneſ.* vbi Iacob plura ferebat pro copioſa familia tabernacula. *num.* 33. & Laban fixiſſe dicitur, quod tulerat ſecum ad iter illud, tabernaculum in monte Galaad. *ibid. num.* 25. Quod etiam faciunt paſtores Madianitæ ſeu Cedareni, cùm paſcua mutant. Vide quæ diximus ad illud *cap.* 38. *Sicut tabernacula paſtorum.* Quare eiuſmodi tabernaculum *vnius noctis* vocari poteſt, quia non iam ampliùs in eo conſpicitur loco, vbi fixum fuerat. 44. Tabernacula ad iter ferri ſolita.

kk *Et erit in die illa, viſitabit Dominus ſuper militiam cœli in excelſo.*] Vox Hebræa צבא *ſeba*, modò à noſtro interprete *ornatus*, modò *militia* vertitur. Haymo hîc Antichriſtum agnoſcit, & Angelos, qui è cœlo ceciderunt, qui eodem, quo homines tempore, atque examine iudicandi ſunt. Idem putant Lyra, Adamus, & interlinearis. Sed non puto hunc eſſe germanum ſenſum. Nam licèt Angeli iudicandi ſint iuxta illud 1. *Corint.* 6. *Neſcitis quoniam Angelos iudicabimus*; tamen id non exigit contextus, nam in excelſo militia cœli viſitanda dicitur; ſed Angeli apoſtatæ neque in excelſo ſunt, neque in excelſo viſitabuntur. Deinde quia Angeli illi nunquam appellantur cœli militia (de bonis nihil hîc dico, quia ſemel, aut iterum *militia cœleſtis* appellantur) dicuntur autem millies in Scriptura Sol, luna, & aſtra reliqua, militia cœli, *Deut.* 17. *Qui adorant ſolem, & lunam, & omnem militiam cœli. Ierem.* 19. *Sacrificauerunt omni militiæ cœli. Iſaiæ* 40. *Leuate in excelſum oculos veſtros, & videte quis fecit hæc. Qui educit in numerum militiũ eorum.* Quare in militia cœli Hieronymus, & cum eo plerique alij, ſolem, & lunam, & reliqua aſtra ſignificari cenſent, de quibus ſtatim, quæ nunc in excelſo, id eſt, in eo, quo ſunt infixa loco iudicabuntur, quando altera rubeſcet, & confundetur alter, quo ſenſu, ſtatim explicabo. 45. Militia cœli non Angeli, ſed aſtra.

ll *Et ſuper Reges.*] Cùm omnes viſitandi ſint, ſummi, medij, infimi, cur Regum præcipuè propheta meminit? An quia hi ita ſeuerè iudicandi, & durè puniendi, vt præ horum ſupplicio, atque ignominia aliorum pœnæ quàm leuiſſimæ iudicentur? *Potentes enim potenter tormenta patientur.* Ita fortaſſe, ſed veriùs puto illud & ſignificare *etiam*. In hanc ſententiam, *etiam ſuper Reges.* Ac ſi dicat. Non eripient ab hoc iudicio Reges aut potentia, qua inſtructi ſunt ad ſuæ vitæ, regnorúmque cuſtodiam, aut maieſtas inter homines ſuprema, propter quam nunquam hominum iudicia ſubierũt. Quòd verò 46. Et idem quod *etiam*.

verò &, idem ſit quod *etiam*, exempla multa teſtantur, *Exod.4. verſ.10. Non ſum eloquens ab heri, & nudiustertius, & ex quo locutus es*, id eſt, *etiam ex quo locutus*, quando videbat eloquentior futurus: vt nonnulli exponunt, *Pſalm.131. verſ.12. Si cuſtodierint filij tui,&c. & filij eorum vſque in ſæculum ſedebunt*, id eſt, *etiam filij eorum*. Sed eſt omnium optimum exemplum quod hoc ipſo in capite ſtatim occurrit. *Et poſt multos dies viſitabuntur*. De cuius explicatione poſtea.

Exod.4. Pſalm.131.

47. m m *Et congregabuntur in congregatione vnius faſcis in lacum.*] Locus hic in varias ſe cogitationes aperit. Quidam hîc ſignificari putant pœnam damni, quæ in omnibus damnatis æqualis eſt, quæ in priuatione ſummi boni conſiſtit. Et ideo ſummi, qui per cœli militiam, & reges terræ ſignificantur, cum infimis coacti dicuntur in vnum faſcem, & in vnum locum, & carcerē proiecti. Alij contrà hîc pœnarum diuerſitatem & gradum agnoſcunt, nimirum in pœna ſenſus, quia potentes iſti, qui iiſdem ſe ſceleribus implicare plurimùm ſolent, in eodem ſunt faſciculo. Ita Haymo, *Congregabuntur*, inquit, *congregatione vnius faſcis, vt qui pares ſunt in culpis, damnentur pariter & in pœnis. Auari cum auaris, luxurioſi cum luxurioſis*, &c. Cuius expoſitioni fauet illud euangelicæ parabolæ de zizania, *Ligate ea in faſciculos* (nempe varios) *ad comburendum*. Vide Gregor. *lib.9. Moral. cap.39.*

In varios faſces colligati qui variis ſe peccatis implicuerunt.

48. Sunt quidem hæc vera, & fortaſſe ad textum, ſed credo aliam eſſe huius loci ſententiam. Egerat ſeorſum propheta de Regibus terræ, quia in illis iuxta imperiti vulgi opinionem peculiaris ratio apparere poterat, cur à Deo iudicandi non eſſent, cùm in terra eorum errata hominum iudicium nunquam ſubierint. Ait ergo propheta, tunc Regiæ maieſtatis, atque potentiæ nullam habendam eſſe rationem: in eundem faſcem, id eſt, in eundem ordinem ſummam poteſtatem, & Regium ſplendorem cum ignobili atque humili plebecula eſſe colligandum: & in eundem ſupplicij locum contrudendum: eodem prorſus modo, quo mors omnes æquali poteſtate coërcet, & rapit. Nam quemadmodum in hac vita ſeu mortali ſtatu Deus Regum balteum diſſoluit: & præcingit fune renes eorum, *Iob cap.12.* exauctoratóſque omnino cogit in turbam, vt exempla probant plurima, tam in profanis, quàm in ſacris monumentis. Sic tunc Regio titulo, atque ſplendore nudatos, cùm erunt à terra in æternum extorres, in ſordidorum, atque inopum ordinem redactos in lacum protrudet; Et hunc ſenſum meo iudicio indicat textus ipſe: nam ſicut militia cœli in cœlo viſitanda dicitur, nempe vbi ſplendet, & quaſi dominatur, ſic Reges terræ על ארמה *bhal adamah*, id eſt, *ſuper terram* aut *in terra*, vt vertit Pagninus, vbi ipſi ſupremam exercebant poteſtatem.

49. Porrò phraſis eſt in ſacra Scriptura ſatis vſurpata, vt *congregari* idem ſit quod *deleri*, aut *interire*. Nam, quia mortuorum ingens eſt numerus, qui moritur, addi dicitur ſeu congregari ad eorum cumulum. Plerumque in eo dicendi genere adhibent aliquid quod mortuos deſignet. vt, *additus* ſeu *aggregatus*, aut *appoſitus eſt ad patres ſuos*, aut *ad populum ſuum*. Interdum tamen *congregor* ſeu *colligor*, ſimpliciter pro *mori* ſumitur, & *congrego* pro *interimo*. *Sophon. cap.1. Congregans congregabo omnia à facie terræ. Oſeæ 4. Sed & piſces maris congregabuntur. Ierem. 8. Congregans congregabo eos. Iſaiæ 55. Viri miſericordiæ colliguntur, à facie malitiæ collectus eſt iuſtus*. Quare non videtur durus aut alienus ſenſus ſi ita interpreteris: *Peribunt quoque Reges terræ, & ad faſcem*, id eſt, *ad cumulum aliorum, qui ſunt in lacu, & in æterno carcere congregabuntur*. Quod omnino Septuaginta volunt & Chaldæus, qui pro *congregabo* habent *occidam*.

Congregor idem quod morior, ſeu occidor.

50. n n *Et poſt multos dies viſitabuntur.*] Locus iſte difficilis viſus eſt, fauetéque in ſpeciem vehementer illorum errori, qui exiſtimant damnatorum ſuppliciis aliquando futurum eſſe modum, & requiem. In quo errore fuit Origenes, quem tacito nomine ſuggillat hîc Hieronymus, & Auguſtin. *de ciuitate lib.21. cap.17.* Sanè id multis modis Satanas conatus eſt perſuadere. Quia cùm pœnarum æternitas vehementer omnes homines compeſcat à peccandi licentia, ſi hanc cogitationem ex hominum animis eruat, ſatis ſuis rationibus conſultum eſſe putat. Ita Gregorius *lib.34. Moral. cap.16.* explicans illud *Iob.41. Æſtimabit abyſſum quaſi ſeneſcentem*. id eſt, æſtimari faciet, vt exponit Gregorius, quem omnino vide. Sed hic error, & Millenariorum apertis ſacræ Scripturæ teſtimoniis confutatur. Contra quem multi ſcholaſtici. Vide Auguſtinum *lib.21. de ciuitate, cap.23.24.25.* & in illud *Pſalm.48. Laborabit in æternum*. & Gregorium, *lib.15. Moral. cap.21.*

51. Hoc igitur errore omnino exploſo, quidam exiſtimant ideo damnatos poſt multos annos viſitandos, quia in reſurrectione animæ rurſus ad corpora redibunt, & cum corporibus ſimul cruciabuntur. Ita Haymo, ſed quia hîc de extremo iudicio ſermo eſt, quod poſt reſurrectionem peragetur, locus non eſt huic explicationi.

52. Lyra longè aliter, poſtquam communem ſententiam probauit. Illud enim *dies multos*, per metonymiam pro peccatis ſumit, quæ in diebus multis, id eſt, à principio mundi commiſſa ſunt, idque probari poſſe putat Hebraico textu מרוב ימים *merob iamim*, id eſt, *à multis diebus*, ita vt hæc ſit ſententia. Ibi peccata à multis diebus admiſſa punientur. Verumtamen in hac explicatione duriuſculum eſt, vt *dies* pro peccatis ſumantur: & præpoſitio מן *min*, non ſolùm *de* aut *ab*, ſed etiam *poſt* ſignificat. Sicut etiam Latini dicunt, *ab hoc die*, id eſt, *poſt hunc diem*, *à multis ſæculis*, id eſt, *multa poſt ſæcula*. Quare hunc locum optimè reddidit noſter interpres.

Ribera *in cap.1. Oſeæ num.35.* putat ſolere ſacram Scripturam differentiam aliquam temporis vſurpare, in qua omnem durationem ſignificat. Vt *Ioan.1. In principio erat Verbum*, id eſt, *ſemper erat*. Et *Pſalm.1. Beatus vir qui non abiit*, id eſt, *nunquam abiit, abibitque*. Sic hunc Iſaiæ locum explicandum putat, vt poſt longum tempus viſitari ſit ſemper viſitari.

53. Ego inprimis ſtatuo *viſitare*, nihil hîc ſignificare quod ab amore, ſeu miſericordia natum ſit, ſed potiùs quod ab odio, & ſeueritate. Quo ſenſu militia cœli in excelſo, & Reges ſuper terram viſitandi dicuntur, vt fert huius verbi vſus, & fatentur plerique. Quare hinc nulla ſpes oboritur condemnatis. Secundò his verbis ſignificari ſupplicij perpetuitatem, quod nempe quocumque tempore, quantumcumque diſtet ab extremo iudicio, torquendi ſint, qui in barathrum inſtar faſcis colligati mergentur. Neque exiſtimo hunc ſenſum extorqueri à textu, generéque ſermonis, ſed offerri vltrò; ſi obſeruemus id quod nuper dicebamus ad illud, *Et ſuper Reges*; *Et*, ſignificare idem quod *etiam*. Eſt ergo ſenſus expeditus, & obuius: Eos

Pœnarũ æternitas.

ſcele

ſceleratos, quos diuina iuſtitia in lacum coniecerit, poſt multos etiam dies fore torquendos; id eſt, nunquam futurum eſſe pœnarum modum. Quod apertè dicit Septuaginta tranſlatio, quæ ſic habet: *Per multas generationes viſitatio erit eorum.*

54. Qualis futurus Solis, & Lunæ rubor, & confuſio.

°° *Et erubeſcet Luna, & confundetur Sol.*] Hoc eſt, quod nuper dicebamus, viſitandam eſſe cœli militiam, nam viſitari hic nihil eſt aliud, quàm ab vltore, atque irato Deo aliquid pati. Quod tamen totum in ſceleratorum hominum ſupplicium intenditur. Quibus graue erit ea carere luce, quæ vitam efficiebat hilarem, & omnino vitalem. Quemadmodum terra viſitata dicitur, & mare *Oſeæ cap.* 4. extinctis piſcibus, & marceſcente herba, vt homini peccatori illa eripiatur commoditas, quæ ex terra, marique capiebatur. Sic etiam iudicij tempore, quando generali ſupplicio in hominum caput animaduertendum eſt, nihil erit, quod iuuet, nihil, quod non exerceat peccatorem. Nam quocunque ſe, aut cogitationem conferat, occurret quod perturbet. In terra pauor, laqueus, & fouea; in cœlo ſanguineus aſpectus Lunæ, & Solis, in facie lurida confuſio. Attribuitur verò per proſopopœiam Lunæ rubor, & Soli confuſio; quia eam patientur in ſuo ſplendore, ac pulchritudine maculam, quæ hominem ſuæ formæ, ac dignitatis conſcium valde pudefaceret. Quomodo verò in die magno, atque horribili Sol conuertendus ſit in tenebras, & Luna in ſanguinem, dixit Ioel *cap.* 2. & ex eo Petrus *Actor.* 2. & Chriſtus *Matth.* 24. *Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum.* Hieronymus ruboris Lunæ, & Solis confuſionis cauſam indicans ait: *Erubeſcet Luna & confundetur Sol, cernens homines, qui ſuo fruebantur lumine, nihil dignũ Dei bonitate feciſſe, qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos.* Qua de re nos plura *in Act. c.* 2. *n.* 47.

PP *Cum regnauerit Dominus exercituum in monte Sion.*] Vt paulò antè dicebatur Dominus in hoc vniuerſali iudicio glorificandus; Sic etiam nunc regnaturus traditur: quia omnino regem ſe & omnium dominatorẽ oſtendet, quíque poſſit, & improbos pro delictorũ modo, & ſanctos pro benefactorum menſura cumulatè proſequi. In ſacra Scriptura verò aliquid tunc eſſe dicitur, aut fieri quando tale eſſe, aut ita factũ eſſe declaratur, aut cognoſcitur: vt latè diximus ad illud *cap.* 6. *Excæca cor populi huius.* & hoc ipſo capite ad illud, *Luxit vindemia n.* 15. Regnabit ergo Dominus in Sion, quia ibi fiet hominũ generalis illa diſcuſſio, in conſpectu ſenum ſuorum, id eſt, illorum, quos ſecum ad iudicandum ſocios adhibebit, de quibus *Apocal.* 4. *Et ſuper thronos viginti quatuor ſeniores ſedentes.* 55.

Argumentum vigeſimi quinti capitis Iſaiæ.

GRATIAS *agit Domino propheta Beatorum nomine; Quòd ſuperborum hominum potentia depreſſa, mundique euerſa, ac diſſoluta machina, ipſi tamen fauente Domino ad tranquillum, atque beatum otium ſecuri peruenerint. Deinde conuiuij pinguis, ac medullati ſimilitudine, colligatique vinculi diſſolutione Beatorum ſtatum, & delicias oſtendit. Ad extremum in Moab, qui reproborum ſymbolum eſt, qui ſub plauſtro trituratur, & premitur, qualis futura ſit damnatorum ſors, atque conditio, declarat.*

CAPVT XXV.

1 [a] DOMINE *Deus meus es tu,*
exaltabo te, & confitebor nomini
tuo: quoniam feciſti mirabilia,
[b] *cogitationes antiquas fideles, amen.*

2 [c] *Quia poſuiſti ciuitatem in tumulum,*
vrbem fortẽ in ruinam, [d] *domum alieno-*
rum: vt non ſit ciuitas, & in ſempiternum
non ædificetur.

3 [e] *Super hoc laudabit te populus fortis,*
[f] *ciuitas gentium robuſtarum timebit te.*

4 [g] *Quia factus es fortitudo pauperi, for-*
titudo egeno in tribulatione ſua, ſpes à
turbine, vmbraculum ab æſtu. [h] *Spiri-*
tus

PARAPHRASIS in idem caput.

1 DOMINE te ſolum Deum meum eſſe confiteor, cuius nomen impenſis proſequar laudibus, quia opera feciſti planè admiranda, & quæ animo ab æterno futura deſignaſti, illa fideli, ſummáque conſtantia compleuiſti.

2 Quia ciuitatem opulentam, & fortem eò redegiſti, vt nihil ſuperſit præter aceruum lapidum, & obſcurum quoddam antiquæ molis monumentum; vt non iam ampliùs alienorum habitatio, aut futura ſit ciuitas; aut in ſempiternum ædificanda.

3 Propter hæc laudabit te populus, qui adeò fuit in vitæ curriculo ſtrenuus, & fortis, vt neque immoderatis animi motibus, neque Dæmonis tentationibus ſuccubuerit. Et ciuitas illa verè nobilis, quam incolunt gentes verè robuſtæ, obſeruabit te; & fideli, atque religioſo cultu venerabitur.

4 Quia dum pauper durè premeretur, auxilio illi, atque leuamento fuiſti, & cùm malorum illum turbo iactaret, ſpem illam ſalutis certam oſten

oſtendiſti, obtendiſtique vmbraculum cùm ardentis Solis radiis æſtuaret. Deinde quia ſpiritus ſuperborum, & potentium humiliabis, ſicut turbo vehemens, qui impellit, proſternitque parietem.

5 Humiliabis item tumultum, id eſt vim, ac potentiam ſuperborum, ſicut æſtus nimius conficere ſolet homines in loco æſtuoſo, atque arido,& ab vmbra nudo. Tunc verò exuret Dominus, & omnino perdet calore torrente quidquid homo ſuo genio ex agrorum, vineatúmque prouentu colligebat; neque vlla ampliùs ſupererit vitium propago: quæ vltrices illas flammas effugiat.

6 In graui illo improborum dolore, atque æſtu, parabit Dominus in monte oliuarum, qui vallem Ioſaphath proximè deſpectat, electis ſuis Regium planè conuiuium, in quo vini erit, & carnium abundè: Vini inquam defæcati, & puri; carnium verò, quibus pinguedo inerit, & medulla.

7 Tunc autem, ne quid iuſti in poſterum timere poſſint, præcipitabit Dominus in illo monte, diſſoluetque omne vinculum, quod in hominum genus parentis primi peccatum innexit, & telam rumpet, atque diſcindet, quam Dominus ipſe ad originalis peccati vindictam in omnes nationes orditus eſt.

8 Nunc videndum, quæ ſint illa vincula, quæ peccatum inuexit, quæque Dominus præcipitaturus eſſe dicitur. Primùm præcipitabit mortem, ne iam in ſempiternum moleſta ſit iuſtis: en primum vinculum. Præcipitabit etiam lachrymas, & omnem lugendi cauſam ab illorum oculis: quod alterum eſt vinculum. Denique opprobrium quod in præuaricatore parente audit quoque de ſe poſt multa etiam ſæcula eius poſteritas, (quod eſt aliud vinculum) Deus longè ab vniuerſa terra procul amandabit. Nec vana erit promiſſio, quia ſic Dominus locutus eſt.

9 Et dicet tunc, canétque gratulabunda gens illa fortunata. Hic ſanè Deus eſt, quem nos expectauimus: quique promiſſam aliquando ſalutem nobis afferet. Secus atque Gentilium Dij, quorum vana fides,& promiſſa fallacia. Hic, inquam, Deus eſt, quem expectauimus, & in quo ſpem ſalutis noſtræ repoſuimus: Exultabimus ergo vero, ac ſolido gaudio, obtenta ab eius benignitate, quam deſiderabamus, ſalute.

10 Quia non iam ampliùs diuina manus, ſeu peccatorum noſtrorum vltrix, ſeu benignè nos ad virtutum incrementũ exercens, affliget nos. Longè alia erit ſors, atque conditio Moab, quem ſuis pedibus ſic premet, triturabítque Dominus, ſicut palea minutiſſimè teritur, atque conciditur à ferrato carpento.

11 Et dum ſub Domini pedibus, aut plauſtro ferrante conteretur, verſabit in omnes par-

tes

tus enim robuſtorum quaſi turbo impellens parietem.

5 [i] *Sicut æſtus in ſiti,* [k] *tumultum alienorum humiliabis,* [l] *& quaſi calore ſub nube torrente propaginem fortium marceſcere facies.*

6 [m] *Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc, conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum,* [n] *vindemiæ defæcatæ.*

7 [o] *Et præcipitabit in monte iſto faciem vinculi colligati ſuper omnes populos,* [p] *& telam quam orditus eſt ſuper omnes nationes.*

8 [q] *Præcipitabit mortem in ſempiternum.* [r] *Et auferet Dominus Deus lachrymam ab omni facie, & opprobrium populi ſui auferet de vniuerſa terra: quia Dominus locutus eſt.*

9 [s] *Et dicet in die illa. Ecce Deus noſter iſte, expectabimus eum, & ſaluabit nos. Iſte Dominus, ſuſtinuimus eum, & exultabimus, & lætabimur in ſalutari eius.*

10 [t] *Quia requieſcet manus Domini in monte iſto:* [v] *Et triturabitur Moab ſub eo, ſicut teruntur paleæ in plauſtro.*

11 [x] *Et extendet manus ſuas ſub eo, ſicut extendit natans, ad natandum.* [y] *Et humiliabit*

miliabit gloriam eius, cum alliſione manuum eius.

tes ſeſe, extendétque manus, ſi quod illius doloris inueniat leuamentum; nullum tamen miſer in ſempiternum inueniet. Quemadmodum ſi quis poſt naufragium in vaſto natet pelago, extendit quidem in omnem locum manus, appetítque obuium quemque fluctum, qui tamen lubricus & effluens ſpem, & conatum natantis eludit. Quare licèt ſæpe infelix ille natator manus ad fluctus allidat, eius tamen gloria, quam inani illo labore tueri vult, funditus peribit.

12. * *Et munimenta ſublimium murorum tuorum con...ent, & humiliabuntur, & detrahentur in terram vſque ad puluerem.*

12 Tunc autem murorum propugnacula, & vrbium munimenta ſublimia, quæ ſecuritatem, & pacem promittebant, in terram collapſa, minutiſſimum redigentur in puluerem.

IN CAPVT VIGESIMVM QVINTVM COMMENTARIVS.

1. *Aliorũ mala noſtra ſunt beneficia.*

a DOMINVS *Deus meus es tu.*] Gratias hîc agit propheta Domino eorum nomine, qui ex tanta multitudine exiguo numero ſalutem conſequentur. Deinde eodem ſpiritu, & ſermone euchariſtico oſtendit, vndenam viri illi pauci ſalutem, & honorem conſecuti ſint. Cùm verò pars beneficij noſtri non leuis exiſtimetur inimicorum ſtrages, aut infortunia euaſiſſe, quæ alij ſubierunt, illa quoque commemorat, quia aliorum incommoda in quæ lapſi non ſumus, beneficij loco cenſentur. Eodem artificio ac ſpiritu Moyſes olim *Exod.* 15. gratias agebat Deo, & quod populus diuiſo mari ad littus euaſiſſet incolumis, & quòd Ægyptios hoſtes idem alueus, qui Iſraëlitis apertus fuerat, & ſiccus, concurrentibus maiori impetu fluctibus exſorbuiſſet. Cuius etiam generis occurrit in pſalmis ſæpe gratiarum actio.

2. b *Cogitationes antiquas fideles, amen.*] Quod olim, id eſt, à conſtitutione mundi promiſit Deus, vt ſanctorum merita cæleſtis regni poſſeſſione compenſaret, id iam quaſi completum præuidet propheta. Antiquam fuiſſe cogitationem illam Christus ipſe docuit, *Matthæi* 25. *Poſſidete regnum, quod vobis paratum eſt à conſtitutione mundi. Fideles* autem appellat *cogitationes*, quia non exciderunt inanes, ſed ad vnam omnes impletæ ſunt. De voce *Amen*, quid dicendum ſit, non promptum eſt; Illud certum, adhiberi ſolitum ad confirmandum, ſiue aſſeuerandum aliquid. Qua ratione, in Euangelio frequens eſt, *Amen amen dico vobis*. Siue vt noſtra quoque vota cum aliorum votis, & precibus coniungamus; quo ſenſu in Eccleſia aliorum orationibus ſubiicere ſolemus *amen*. Quod ſeptuaginta in eandem ſententiam conuertunt, *Fiat fiat*. Sed hîc credo in voce *amen* eſſe non tam confirmationem, quàm auxeſim, quæ apud Hebræos frequens eſt in vocum geminatione. Qua ratione capite præcedenti dicitur, *confractione confringetur terra; contritione conteretur terra; commotione commouebitur terra, agitatione agitabitur terra.*

Amen quot habeat vſus.

3. Licèt autem *amen* aduerbialiter ſumatur plerumque pro *verè* ac *fideliter*; hîc tamen nomen eſſe

A puto, quod *veritatem* ſeu *fidelitatem* valet, ſicut infrà *cap.* 65. *In quo qui benedictus eſt ſuper terram benedicetur in Deo amen: & qui iurat in terra iurabit in Deo amen.* Quod alij exponunt *in Deo veritatis*. Et ſanè rectè, quia Hebr. eſt אלוהי אמן *elohe amen*, vbi *Deus* eſt in ſtatu regiminis, quod ſanè non contingeret, ſi tunc *amen* eſſet aduerbium.

In textu Hebraico quem nunc habemus, non eſt אמן *amen*, ſed אמן *omen*. & pro *fideles*, eſt אמונה *amuna*, vbi altera terminatio maſculina eſt, fœminina altera. In quibus generibus in eadem materia, textúque coniunctis pondus eſſe maximum docuimus ad illud *cap.* 3. *Validum & fortem*, ſiue B *validum & validam*. Vide omnino locum. Item illud *cap.* 38. *Domine ſi in talibus vita ſpiritus mei*. Iuxta hæc ſenſus erit, *cogitationes antiquæ, fidelitas, fidelitas*, ſeu *fideles fidelitate*, aut *firmamentum, & firmitas*. Quo dicendi genere omnis firmitas, atque fidelitas ſignificatur. Hieronymus videtur legiſſe אמן *amen*. Neque alius eſt ſenſus, aut ſua caret epitaſi. Nam ſicut Deus dicitur *Deus amen*, id eſt, *Deus veritatis* aut *fidelitatis*, id eſt, fidelis, & verus; ſic *cogitationes antiquæ Dei* dicuntur *fidelitatis & veritatis*, id eſt, fideles, & veræ. Et ad hanc Hieronymi lectionem accommodabimus reliqua. 4.

Sed quæres cur hîc vulgatus Hebraicam vocem 5.
C *Amen* retinuerit. Reſpondeo id non eſſe nouum, vt à noſtro vulgato, ſicut etiam à ſeptuaginta appellatiuæ voces Hebraica forma quaſi eſſent propriæ, relinquantur. Quod in hac ipſa voce factum eſt bis *capite* 65. de quo nuper, & alibi millies. De aliis dictionibus alia fortaſſe ratio; ſed de hac voce illam eſſe puto præcipuam, quia non minùs ex frequenti vſu nota erat in Eccleſia vox Hebr. *amen*, quàm Latina *veritas* aut *verè*. Quare *Apoc. cap.* 1. cùm dixiſſet Ioannes *etiam*, quæ vox eſt affirmantis, tanquam aliquid magis notum addidit, *amen*. ſic enim ibi. *Et plangent ſe ſuper omnes tribus terræ etiam amen.* Pro cuius loci ſententia obſeruo in ſacra Scriptura ſæpe rem vnam, & eandem duobus nominibus diuerſorum idiomatum explicari ſolere, quò res diuerſarum linguarum hominibus nota ſit. Quocirca qui *Thomas* Hebraicè, Græcè

Apoc. cap. 1.

Regula. Res vna diuerſorũ idiomatum nominibus claritatis gratia explicari ſolet.

z vocatur

vocatur *Didymus*, & quæ Hebraicè *Tabitha*, Græcè dicitur *Dorcas*: ſic *Petrus* etiam dicitur *Cephas*, Græco nimirum atque Hebraico idiomate. Quo conſilio diuino planè titulus in cruce propoſitus eſt, qui Chriſti morientis cauſam contineret, Latinè, Græcè, & Hebraicè. Ea igitur ratione Ioannes *Apoc.* 1. ſcripſit Græcè pro *etiam amen* ναὶ ἀμὴν, quæ duæ voces idem omnino valent. Nam ναὶ affirmat, ſicut Latinum *na*, & *amen* eodem modo. Pro ναὶ vulgatus reddidit, *etiam*, quæ particula non tam copulat, quàm affirmat. Eſt ergo *etiam amen*, idem quod *amen amen*, id eſt, *quàm veriſſimè*, id enim facit vocis geminatio.

6. Eſt qui putet *amen* nomen eſſe Dei, vt quemadmodum dicitur *fortis, conſiliarius*, ſic etiam dicatur *fidelis* & *verax*, quod ſanè fit veriſimile eo teſtimonio, quod nuper adduximus ex *Iſaia* 65. *Benedicitur in Deo amen, & iurabit in Deo amen.* Et

Apoc. 3. *Apoc.* 3. *Hæc dicit amen*, id eſt, qui verax eſt, aut ipſa veritas. Et verò Chriſtus de ſe ipſo docet, *Ego ſum veritas*. Sed licèt hoc nomen Deo conueniat, illiſque re ipſa attributum ſit: cùm in ſacra Scriptura ſæpe dicatur *fidelis & verax*; tamen ea Deo proprietas hac voce *amen* per modum adiectiui non conuenit, ſeu adiacentis: quia enim nomen eſt, *veritatem* ſignificat, non *verum*. Quod ſatis liquet ex Iſaia *cap.* 65. Vbi Deus potiùs dicitur *Deus veritatis*, quàm *Deus verus*, aut *fidelis*. Nam Deus ibi eſt in ſtatu regiminis אלהי אמן *elohe amen*: quod ſanè non fieret, ſi nomen *amen* eſſet adiectiuum.

7. S. Thomas ad finem huius capitis dicit, quandoque *amen* nomen eſſe Græcum ab *a*, quod eſt *ſine*, & *men* quod eſt *defectus*, quaſi *ſine defectu*. & ita exponit illud *ad Rom.* 9. *Qui eſt Deus benedictus in ſecula, amen.* Deriuat fortaſſe à μὴν, id eſt, *men*, quod eſt *luna*, & ab α priuatiua, quaſi Deus immutabilis ſit, qui defectum, & mutationem non ſubeat, quam luna patitur, & quæ lunæ varietati, & imperio ſubſunt.

8. [c] *Quia poſuiſti ciuitatem in tumulum.*] Gratiarum materiam indicat; quòd potentes, & ad quidlibet audendum proiectos abiecerit, eorúmque

Tumulus acervus cōfuſus. monumenta magno ſtudio, atque impenſis excitata diſturbarit, quæ ipſi ad æternæ memoriæ ſplendorem erexerant; pauperes autem, & deſpectos euocarit è ſordibus, & ſecum in æterna quiete viuere voluerit. Hæc obſcura non ſunt. Pro *tumulo* Hebr. eſt גל *gal*, quod *conuolutionem* ſignificat, aut *aceruum*. Qui vt confuſam rerum multitudinem ſonat, verbi gratia lignorum ſtruem, aut lapidum indigeſtam multitudinem, antequam conſtruatur domus; ſic diſſipata domo materies eadem iacens ſine ordine, vt tulit caſus, *tumulus* dicitur. Quare domus, aut ciuitas tunc in tumulum redigitur, cùm diſturbatur atque deiicitur. Idem Micheas *cap.* 3. *verſ.* 12. cùm ageret de ſimili caſu Ieruſalem, dicit. *Ieruſalem in aceruum lapidum erit.* Quæ verba repetit Ieremias *cap.* 26. *verſ.* 18.

9. [d] *Domum alienorum.*] Pro *domo* Hebr. eſt ארמון

Domus ſuperbæ alienorum ſunt. *armon*, quæ vox à radice רום *rum*, *palatium* ſignificat, id eſt, regiam aut excelſam domum, quam Baſilicam dicimus. Ex quo colligitur, domus haſce ſuperbas eſſe propria illorum domicilia, qui alieni ſunt, quia hi plerumque ſic amant ſuperbas iſtas, & inſanas moles, vt de alia poſſeſſione, & domo aut raro, aut negligenter cogitent. Pauperum autem domus non dicuntur euertendæ, quia tales non ſunt, aut certè ſi eiuſmodi fuiſſe contingat, illis non ſunt euerſæ: quia in illis non tanquam domi-

A ni in longum tempus, ſed tanquam inquilini, & hoſpites tanquam in tabernaculo vnius noctis ad horam commorantur. Neque enim habent hîc ciuitatem permanentem, ſed futuram inquirunt.

[e] *Super hoc laudabit te populus fortis.*] Hunc populum Hieronymus Eccleſiam eſſe putat, quam Deus auxilio ſuo texit, ac roborauit. Idem Haymo, Adamus & interlinearis. Alij electos eſſe credunt, quíque iam cum Chriſto poſt iudicium illud extremum triumphant. Qui ſanè fortes fuerunt, quia immoderatis animi motibus, aut dæmonum tentationibus non ſuccubuere. Ita Dionyſius & Lyra, quod mihi videtur magis ad textum, filúmque ſermonis: quia, hic, vt diximus, ſermo eſt de iudicio. 10.

B Et ſicut paulò antè impij in colligatione vnius faſcis in lacum dicuntur eſſe contruſi; ſic iſti ad cæleſte regnum cum Chriſto prouecti. Agunt ergo gratias, quia non ſicut alij affectibus ſeruierunt illicitis, quia fortiter fallacibus ſæculi blanditiis, aut carnis illecebris reſtiterunt: acceptúmque referunt Dei benignitati, quòd fortes fuerint: ideóque confirmati cæleſti robore, vt per tot difficultates atque diſcrimina, per tot occurſantium dæmonum inſidias ad illam vſque dignitatem euaſerint. Quam ſententiam indicat tranſlatio Septuaginta, quæ quos hic vulgatus *fortes* appellat, & *robuſtos*, *mendicos* vocat, & *labores tolerantes*: quia robuſtorum eſt pauperiem, ærumnas, atque iniu-

C riam pati. Sic autem ſeptuaginta. *Propter hoc benedicet tibi populus mendicus, & ciuitas hominum iniquitatem ſuſtinentium benedicent tibi.* Quæ, quia à Deo corroborati, excelſo animo ſubierunt, ſtatim oſtenditur vnde robur habuerint: *quia factus eſt fortitudo pauperum.*

[f] *Ciuitas Gentium robuſtarum timebit te.*] Hæc ad impios videntur referri poſſe, qui hoc loco dicuntur עריצים *hharitſim*, ſicut in hoc capite ſæpius. Neque eſt veriſimile incontinenti penè ſermone mutatam eſſe eiuſdem vocis ſignificationem. Cur autem gentes iſtæ robuſtæ, ſeu violentæ timere debeant, ſtatim oſtendit, ſicut priùs oſtenderat, cur iuſtis exultandum ſit, & ab illis glorificandus Deus. Hæc mihi expoſitio valde probatur. Alij hæc etiam cum Hieronymo de Eccleſia interpretantur, 11.

D quæ *ciuitas* dicitur *gentium robuſtarum*. Illud verò *timebit* non pauorem ſonat, ſeu ſeruilem affectum; ſed obſeruantiam, & religionem, qualem filij parentibus, aut viri religioſi Deo præſtare ſolent. Et hoc poſterius dicendum exiſtimo, ne à communi interpretum ſententia recedam: maximè cùm faueat plurimùm tranſlatio ſeptuaginta, quæ pro *ciuitate gentium robuſtarum* habet *ciuitates hominum iniquitatem ſuſtinentium benedicent tibi.*

[g] *Quia factus eſt fortitudo pauperi.*] Hoc quod de paupere dictum eſt, Hieronymus, Haymo, & interlinearis de Chriſto accipiunt maximè in paſſione. Fortaſſe verè, ſed omnino durè. Plerique alij ad alia referunt. Et ſi de iudicio ſermo eſt, vt ſanè vi- 12.

E detur eſſe dicendum, de viris ſanctis accipiamus neceſſe eſt. illi ergo iuſti, qui laborum ſuorum mercedem conſecuti cum Chriſto triumphabunt, ſe in primis pauperes agnoſcent, & infirmos, & quibus Deus fortitudo fuit. Oſtendit autem optimis metaphoris propheta quid à grauiſſimis incommodis paſſuri fuerint, niſi Dominus auxiliator adfuiſſet: Quæ incommoda in turbine, & æſtu ſignificanter exprimuntur; quorum ille impetu celeriter ſternit, quod habet obuium, hic lentè arefacit & extinguit.

[h] *Spiritus*

13. [h] *Spiritus enim robuſtorum quaſi turbo impellens parietem.*] Hic vox eadem eſt quæ paulò antea עריצים *bharitſim*, vnde ſuſpicabar, quæ dictæ ſunt *gentes robuſtæ*, eſſe illud hominum genus qui hîc quoque *robuſti* vocantur, improborum nempe, vt ſentiunt communiter interpretes. Hic locus valde obſcurus eſt, & varie ab expoſitoribus redditus, & expoſitus. Nos duas explicationes adhibebimus, quarum iudicium lectori ſtudioſo relinquimus. Altera docet qualis eſſe ſoleat Tyrannorum, atque potentium furor in ſanctos. Altera quomodo impiorum furorem domiturus ſit Deus. Nunc de priori ſententia.

14. Quomodo à potentibus opprimãtur pauperes.

Spiritus, iram ſignificat vt in Zachariam diximus ad illud *cap. 5. Spiritus in alis.* Eſt igitur improborum furor armatus potentia inſtar turbinis violentus, & præceps, qui in parietem infirmum incurrens illum impellit, atque proſternit. Ab hoc ergo turbine, qui infirmos animos iactat, & deiicit, ſic Deus pauperes ſtabiliuit, ac firmauit, vt in duro, diuturnóque conflictu ſteterint tamen, non ſecus atque ſaxum contra ingruentem nimborum rabiem, aut ſcopolus in medio mari, qui latè deſpicit fluctuum, ventorúmque pertinaces minas, & aſſultus.

15. [l] *Sicut æſtus in ſiti.*] Hîc punctum ſtatuo: ita vt *turbo*, & *æſtus* ad improbos, & violentos pertineant: nam aliter ſenſus valde eſſet implexus, & obſcurus. Hoc modo diſtinguunt Chaldæus, & Foreirus: & ita omnino diſtinguere debent, qui dicunt improbos, ac potentes homines tales fuiſſe in pauperes, qualis in locis ſitientibus eſſe ſolet vehemens calor, vt Foreirus, Dionyſius, Lyra, Vatablus. Nam cùm dixiſſet ſuprà propheta Deum fuiſſe pauperibus ſpem à turbine, & vmbraculum ab æſtu, nunc explicat, quinam fuerint, & quanti æſtus, & turbo, talis nimirum turbo, qualis parietem proſternit; talis æſtus qualis in loco arido, & ab arboribus nudo contingere ſolet: vbi nulla occurrit vmbra, quæ calorem frangat, aut aqua quæ refrigeret æſtuantem: ſed vrget æſtus, atque vrit, donec tandem conficiat.

16. Quomodo potentes opprimentur à Deo.

Poſterior explicatio non tam oſtendit in *turbine*, & *æſtu* qualis ſit Tyrannorum in pauperes ſæuitia, quàm declarat quid Dominus contra impios, & potentes facturus ſit. Tunc autem Deum protectorem, ac vindicem cum turbine, atque æſtu comparo, & per zeugma in priori membro verbum ſubaudio, quod in fine poſterioris expreſſum eſt, hoc ſenſu. *Tu Domine ſpiritus* (in accuſatiuo) *ſuperborum & potentium humiliabis, ſicut turbo vehemens, qui parietem impellit, atque proſternit, & tumultum, id eſt, vim ac potentiam humiliabis, ſicut æſtus nimius conficere ſolet homines in loco arido; & ab vmbra nudo, vbi contra tantum ardorem nihil occurrit, quod refrigerio eſſe poſſit; quocumque ſe vertat.* Quæ expoſitio mihi vehementer probatur: quia poſtremi iudicij, de quo præſens vaticinium eſt, tempeſtas, angor, & turbatio optimè exprimuntur in *turbine*, qui & omnia verſat, rapitque, & parietem, in quo ſpes ſalutis eſſe poterat, impellit, ac deiicit; & in *æſtu*, qui moleſtiſſimus eſt in his locis, vbi, quocumque ſe homo cogitatione conferat, nullum occurrit tantæ moleſtiæ leuamentum. Hæc verò elatiùs expreſſit antè propheta, quando dixit vndecumque impiis occurſuram eſſe dolendi cauſam. *Qui fugerit à voce formidinis cadet in foueam.* Et ſtatim. *Sicut extendit natans ad natandum.* Et iuxta hunc ſenſum aliter diſpungendus

A eſt locus, quàm in alia ſententia dicebamus. Ita vt poſt *parietem* non ſit punctum, ſed inciſum, hoc modo. *Quaſi turbo impellens parietem, ſicut æſtus in ſiti, tumultum alienorum humiliabis.* Vtraque expoſitio mihi viſa eſt textui, atque materiæ ſatis opportuna. In hanc poſteriorem magis propendet animus, quam Adamus ſequitur.

[k] *Tumultum alienorum humiliabis.*] In vtraque expoſitione hic agitur de reproborum ſupplicio; quorum Deus tumultum, fremitum, & faſtum odioſum ex ambitione natum ignominioſè deprimet. 17.

[l] *Et quaſi calore ſub nube torrente propaginem fortium marceſcere facies.*] Hic quoque pro *fortium* reperitur עריצים *bharitſim*, quæ vox toto hoc capite cum ad impios referatur, coniectabam illud B ſuperius *ciuitas gentium robuſtarum*, ad impios quoque pertinere. Locus hic variè redditur. Pagninus *ſicut æſtus ſub vmbra nubis, propago fortium humiliabitur*, in hunc ſenſum. Ita propago impiorum debilitanda eſt, atque exurenda, ſicut frangi ſolet æſtus, ſi nubes adueniat. Tigurina, *Æſtum nube vmbratili, propaginem Tyrannorum amputabis.* Vatablus, *Æſtus erit illis cum vmbra nubis.* Quæ tranſlationes eandem continent ſententiam, quam ex Pagnino ſignificauimus. Sed commodior eſt ſenſus, quem importat vulgati tranſlatio, quæ aptiſſima metaphora, ſignificat, poſt illud ſeueriſſimum iudicium, quo potentes illi, omniúmque voluptatum aucupes, æternis ſuppliciis addicti ſunt, peritura C omnia, quæ illis ad voluptatem & luxum ſeruierunt. Summam verò hilaritatem atque voluptatem in vino ſignificari multis à nobis explicatum eſt in illud *Cantic. 2. In cellam vinariam.* Hic verò *propaginem* ſumi non pro ſobole, ſed pro vitium aut arborum prouentu, oſtendit vox Hebr. זמיר *zamir*, quæ putationem vitium, aut arborum, aut id quod ex putatione prouenit ſignificat. Vt latè nos ad illud *Cant. 2. Tempus putationis aduenit.* Eſt ergo ſenſus: Exuret Dominus, ac omnino perdet quicquid homo ſuo ſibi genio, ex agrorum prouentu colligebat, neque iam vltrà relinquetur in quo oblectare ſe poſſit. Quam expoſitionem valde confirmat, quòd ſtatim ex aduerſo iuſtis promittitur pinguis, defæcataque vindemia eodem in monD te, in quo damnatis omne voluptatis genus interdicitur.

Porrò calor qui ex denſis nubibus prodit æſtuoſiſſimus, & nocentiſſimus eſſe ſolet, vt experientia plus ſatis compertum eſt. Solares etenim radij non latè explicati atque diſperſi, ſed per anguſtas quaſi feneſtras nubium condenſati vibrantur fortiùs, & feriunt vehementiùs. Videtur autem alluſum ad illud iudicij fulmen, quod in ſceleratorum caput Chriſtus vibrabit, ex ea nube, in qua iudex ſedebit, cùm dicet. *Diſcedite à me maledicti.* Ille enim verè calor eſt ſub nube torrente. 19.

Hîc ergo æſtuare iuſtos, & ſceleratos video: & 20. vtriſque Deum eſſe nubem; ſed magnum video E hîc eſſe diſcrimen. Æſtuant enim iuſti vrgentibus, atque vrentibus impiis; æſtus tamen ille breuis eſt, neque adeò vehemens, quem tamen temperat Deus, qui illis eſt vmbraculum ab æſtu, id eſt, nubes oppoſita à Tyrannorum ardore. Æſtuant impij, ſed æſtu ad dolorem atque ardorem graui, & ad durationem æterno. Imminet illis Deus tanquam nubes, non quæ flammas temperat, & æſtuantes refrigerat, ſed quæ torrens, & ardens iaculatur vltrices, & æternas flammas: quæ marceſcere fa-

Malorum & bonorum in tribulatione diſcrimen.

ciar propaginem, id eſt, omnes ſuperioris vitæ voluptates.

21. m *Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ.*] Erat, credo, Iſaias in Ieruſalem, quo tempore hæc de iuſtorum præmiis, atque deliciis ſuppliciόque improborum vaticinabatur. Quare licèt montem non nominaret, deſignabat tamen digito montem oliuarum, qui imminet valli Ioſaphath, vbi iudicium peragendum eſſet extremum. In *conuiuio pinguium*, quidam Euchariſtiam intelligunt: quod verè conuiuium eſt medullatorum pinguium, & defæcatæ vindemiæ. Ita Salmeron *Tom. 9. tractatu 2.* Sed communiter alij & verè, vt textus ipſe præ ſe fert, in hoc conuiuio ſignificari putant ſplendidas illas, ac Regias delicias, quibus beati in cœleſti patria in æternum fruentur. Sicut in cœna magna, quam in filij nuptiis inſtruxit Rex *Matth. cap. 22.* ex omnium penè ſententia. & *Apocal. 19.* apertiùs, *Beati, qui ad cœnam nuptiarum agni vocati ſunt.* Conuiuium autem lætum & ſplendidum optimè in pinguibus medullatis, & defæcato vino deſignatur: quæ in luculenta menſa magis ad palatum & delicias ſunt. *Pinguia* ſunt quæ *Matth. 22.* dicuntur *altilia*, id eſt, quæ iam antea dudum ad conuiuarum delicias fuerunt in ſagina. Vocantur autẽ *medullata*: aut quia hoc nomine pinguia fuiſſe ſignificantur, quæ conuiuium inſtruunt, aut certè quia in animali nihil eſt medulla ſuauius, totum conuiuium ſuauiſſimum eſſe demonſtratur, quaſi totum medulla conſtaret.

22. Vinũ defæcatum. n Pro *vindemia defæcata*, quæ idem eſt atque vinum defæcatum Hebr. dicitur שמרים *ſemarim*, quod eſſe exiſtimatur vinum illud quod eſſe ſolet ad fundum dolij & fæci proximum. Rab. Dauid de aliis populis ſermonem eſſe putat; quibus Dominus parauit conuiuium durum, & inſuaue, cibum nimirum pinguem, & adipoſum, à quo natura abhorret: poculum fæcis à vino purgatæ, id eſt, fæculentum, in quo nimirum nihil ſit præter fæces. Illud fortaſſe vinum quod Deus aliis propinaturus dicitur *Pſalm. 74. Verumtamen fæx eius non eſt exinanita: bibent omnes peccatores terræ.* Eodem penè modo Chaldæus. Sed communiter alij, & verè conuiuium hoc, & poculum ſuauiſſimum eſſe putant, ex vino nempe quod puriſſimum eſt, & ab omni fæce purgatum. Sententia hæc nemini credo difficilis eſt. Ratio nominis, & propria ſignificatio obſcurior. Hebraica vox aliquid ſignificat fæci affine, quare, vt modò dicebamus, vinum illud eſt, quod eſt proximum fæcibus, & in dolij fundo: & quaſi expreſſum, certè aſſumptum ex fæce. Quod eſſe ſuauiſſimum docet Rab. Dauid, & Rab. Ionathan in illud *Ieremiæ 48. verſ. 11. Requieuit in fæcibus ſuis.* Quia *ſi vinum*, inquiunt, *transfundatur in vaſa, facéſque deſerat, vis & odor eius euaporatur.* Sed ſanè illud eſſe ſuauiſſimum docet quotidianus vſus, quare illud pro deliciis lautæ atque delicatæ menſæ ſeruari ſolet. Et, vt audio, quidam, quòd vinum illud defæcatum, aut fæcibus proximum auidè expeterent, & ſtudioſè quærerent quaſi ſuauiſſimum, ab eo per contumeliam nomen vulgò traxerunt. Neque ratio deeſt optima: nam vt œnopolarum, & vinitorum experientia conſtat, quod in vino magis purum, & tenue eſt, ſummam appetit dolij regionem, & ibi ſuper reliquum enatat. Quia quod craſſius eſt, deorſum deſcendit, ſubſidétque eò fundo propiùs, quò craſſius, atque ponderoſius eſt. Ex diſciplina verò ruſtica perforato

A in inferiori parte dolio, priùs ex eo hauritur, & ſubducitur vinum, quod fæcibus eſt proximum, id eſt, craſſum, ac pingue: ex quo fit vt tandem vltimo loco exhauriatur illud, quod ſummum erat, magíſque tenue, ac purum. Ideo credo appellari שמרים *ſemarim*, quaſi ſeruatum, & quod poſtremo bibitur loco. Quare vinum iſtud aliqua ratione fæces connotat. Sed quia *fæcis* nomen neſcio quid olet inſuaue, atque impurum, nauſeámque mouere poſſet delicato ſtomacho; ideo illud, quidquid eſt tetri, ſtatim à propheta remouetur. Neque enim ſimpliciter dixit שמרים *ſemarim*, quo nomine illud vini genus ſignificauit, quod Vulgatus
B reddit *vindemiã*, ſed addit מזקקים *mezikakim*, quod purificatum, ſeu colatum, aut defæcatum ſignificat. Eſt autem vſitatum, vt *Cantic. 5.* diximus ad illud, *Super riuulos aquarum*, vt ſi quid re commendanda ſpeciem habeat turpitudinis, illud remoueatur. Eſt ergo vinum illud optimum, & quia ſummum erat in dolio, licèt in hauriendo poſtremum, & quia nihil habet à fæcibus, quo aut olere grauiter, aut inamœnum ſapere aliquid poſſit. Regula. Si quid vox quæ ad laudem adhibetur, connotat indecorum, id ſcriptura remouet.

23. In terra ſolidum gaudiũ non eſt, ſecus in cœlo. Pro re morali obſerua, iuſtis à Domino parari interdum dulce conuiuium; ſed pro mortali ſtatu, in quo laborandum eſt, admiſceri aliquid amarum, & durum. Qua ratione permittitur his, qui in peregrinantium modum baculum in manibus habent, in viam intenti, vt agnum manducent pa-
C ſchalem; cui admouere iubentur lactucas agreſtes; non tamen permittitur, vt eius oſſa communiant, vt ex illis extrahant medullam, quæ omnino mollis eſt, & ſuauis. Alia omnia in agno aliquid habent, aut quod non ita ſuauiter comedas, aut non ſine aliquo labore: ſunt enim eiuſmodi, vt neceſſe ſit priùs illa dentibus attenuare, in quo nonnihil laboris eſt, atque moleſtiæ. At nihil horum habet medulla quæ Beatis in patria ſeruata eſt. Item, ſi quod vinum in hac vita porrigitur, id eſt, diuina conſolatio, quæ lætificat cor hominis, illa aliquid habet plerumque admixtum craſſi, aſperi, ſeu acidi liquoris: quia ad crucem munit, & vocat ad dura etiam mortis certamina. Et ſi quid magis tenue, ac molle, non eſt omnino à fæce purum, quia
D aliquid habet ſollicitì metus. In patria tamen conuiuium eſt iuge, pingue, defæcatum, in quo nihil eſt, aut quod propter moleſtiam faſtidias, aut propter difficultatem abiicias.

24. o *Et præcipitabit in monte iſto faciem vinculi colligati.*] Locus iſte valde perplexus eſt, & variè ab autoribus redditus, & expoſitus. Septuaginta, *Trade omnia hæc Gentibus: conſilium enim hoc ſuper omnes gentes deuorabit mors præualens.* Aquila cum Theodotione, *Præcipitabit faciem tenebrarum.* Symmachus, *Faciem dominatoris.* Eodem modo Chaldæus. Pagninus, *Faciem cooperimenti operti ſuper omnes populos.* Sicut etiam Vatablus. Quod ad explicationem ſpectat, Hieronymus ſic exponit, *Abſorberi faciet faciem mortis, & vincula, quo vniuerſi populi*
E *ligabantur.* Haymo in *facie* oppreſſionem, ſeu formidinem, in *vinculo* Diabolum agnoſcit. S. Thomas pœnam mortis, quæ propter peccatum inducta eſt. Dionyſius effectum originalis peccati; & alij penè interpretes in hanc poſteriorem expoſitionem abeunt.

25. Regula. Facies alicuius, Hebraico idiomate, pro eo, cuius eſt facies. Ego vt quoad potuero clarè, & veriſimiliter ſententiam enucleem, obſeruo primùm *faciem*, in Scriptura nihil interdum ſignificare, ſed tantùm ad Hebraicam elegantiam adhiberi. Quare *facies alicuius* Hebraica deſcriptio eſt eius, cuius facies eſſe

eſſe dicitur. Vnde *facies hominis* homo eſt; *faciem alicuius deprecare* aut *placare*, idem eſt, atque aliquem placare vel deprecari. Neque ſolùm his rebus adhibetur, in quibus facies eſt, ſed etiam quibus facies non ineſt. Quare *facies venti* dicitur, *Pſalm.*17. *&* 34. *facies ira peccatorum, inſipientia. Pſalm.*37. *facies frigoris. Pſalm.*147. Ieremias *Thren. cap.* 5. *à facie tempeſtatum, famis.* Iſaias *cap.* 2. *à facie timoris & formidinis. Cap.*10. *à facie olei. Cap.*19. *à facie conſilij. Cap.*21. *à facie arcus gladij, & pralij.* Longum eſſet proſequi, quæ eius generis occorrunt exempla. Sed hæc credo ſatis multa ſunt, vt probem *faciem*, tametſi apud Hebræos ſemper habeat aliquid, quod ornet orationem, apud Latinos tamen propter diuerſam linguæ proprietatem, otioſum eſſe, atque ideo à noſtro interprete nonnunquam omitti. Iuxta hæc iam apparet quid hoc loco de facie vinculi ſentiendum ſit; in quo facies nihil habet, quod Latinus in alieno idiomate curare debuerit. Eſt ergo *faciet vinculi* nihil aliud quàm vinculum.

26. Regula. Vox geminata multitudinẽ, aut vniuerſitatẽ ſignificat.

De *vinculo colligato* non eſt minor difficultas. In Hebr. textu eſt הלוט הלוט *hallot hallot*, quod ſonat *vinculum, vinculum*, id eſt, ex Hebræorũ proprietate *plurima vincula*, aut *omne vinculum*. Nam vox quæ in eodem caſu geminatur, multitudinem ſignificat *Geneſ.*14. vbi noſter habet, *Multos puteos bituminis.* Hebr. eſt, *puteos puteos bituminis.* Et *Exod.*8. *v.*14. Vbi noſter, *congregauerunt eas* (ranas) *in immenſos aggeres.* Hebr. *congregauerunt eas aceruos aceruos. Pſalm.*88. *Homo & homo natus eſt in ea*, id eſt, *multi homines.* Significat præterea iſta geminatio aliquid vniuerſale. *Pſalm.*121. *Illuc enim aſcenderunt tribus tribus Domini.* id eſt, *qualibet tribus.* Et *Pſal.*71. *Tota die benedicent tibi.* Hebr. *dies & dies.* Et *Pſalm.*67. pro *quotidie*; *dies, dies.* Et *Ezech.*14. *Homo homo de domo Iſrael.* id eſt, *quicumque homo.* Iuxta hæc *vinculum vinculum* idem eſt, quod *multa vincula*, aut *omne vinculum*.

27. Ex his iam difficile non eſt hoc vinculum colligatum, ſeu huius vinculi nodum expedire. Cuius hanc reor eſſe ſententiam: Nempe tunc præcipitandum eſſe, ſeu, vt Hebraici verbi proprietatem ſequar, abſorbendum omne vinculum. Quod ſanè vinculum eſſe id, quo propter peccatum primi parentis colligatum eſt hominum genus, alij docuerunt, quorum nos ſententiam ſuprà retulimus. Quod quidem vinculum vnum non eſt, ſed multa, quæ ſtatim propheta ipſe declarat. Quare non dicitur *vinculum* ſemel, ſed *vinculum vinculum*; loco verò *vinculi* ſecundo loco poſiti, *colligatum* adhibuit noſter interpres actiuè, vt reor, ac ſi diceret, *vinculum & colligationem ſeu nexum.*

28. Peccati damna.

P *Et telam quam orditus eſt ſuper omnes nationes.*] Hanc ego explicationem eſſe puto ſuperioris ſententiæ, in eáque ſignificari id, quod ab originali peccato in hominum genus inuectum eſt. Nam quòd ibi *vinculum* (quod ex ſententia Vatabli, & aliorum operimentum eſt, ſeu inuolucrum) hîc *tela* vocatur, quæ etiam hominem tegit, inuoluit, & ligat. Quomodo ſimili dicendi genere *Pſalm.*108. peccatum, zonæ, & veſtimento aſſimilatur; quorum illa vinculum eſt, hoc verò tela. *Fiat ei velut veſtimentum quo operitur, & ſicut zona qua ſemper pracingitur.* Illud verò *orditus eſt* multi ad Diabolum referunt, vt Haymo, Emanuel Sà, neque improbat interlinearis. Sed non video anteceſſiſſe Diaboli nomen, cum quo vox illa conuenire debeat. Quare potiùs exiſtimo ad Deum pertinere,
A qui proximè præceſſit, quique vinculum, & telam præcipitaturus eſſe dicitur, vt ſentit Adamus, & interlinearis, & indicat non obſcurè S. Thom. dum ait, *Vinculum appellari mortem iuſto Dei iudicio ordinatam.* Et quidem cùm ſermo hic non tam ſit de peccato, quàm de peccati vinculo ac pœna, neque Diabolus peccati ſuaſor, neque homo peccati patrator pœnam orditus eſt, ſed Deus peccati vindex, & iudex; qui admiſſo peccato pœnam decreuit, & inflixit. Ille enim fuit, qui mortem primis parentibus indixit, qui vepribus horrere terram iuſſit, qui cum ſudore panem, cum dolore partum eſſe decreuit. Quæ partes ſunt vinculi colligati, aut vinculi vinculi, quo modo ſtatim exponemus.

q *Et præcipitabit mortem in ſempiternum.*] Hîc ſe 29. Hûc locum citat Apoſtolus. 1. *Cor.*15.
B iam manifeſtiùs prodit, quod ſit illud vinculum, quod eſt præcipitandum, ne vnquam vires aſſumat contra viros ſanctos peracto iam extremo iudicio, nempe mors, quæ per peccatum in mundum introiuit. Porrò mihi dubium non eſt, hunc eſſe locum quem Paulus adduxit 1. *Corinth. cap.*15. *Tunc fiet ſermo qui ſcriptus eſt: Abſorpta eſt mors in victoria.* Et ita ſuſpicantur Hieronymus, Haymo hîc, S. Thomas, Salmeron, & Emanuel Sa in Paulum ſuprà: apertiùs hîc Foreirus. Sed obiiciet aliquis verba eſſe longè diuerſa, atque ideo Apoſtolum videri aliò reſpexiſſe. Sed ſi verba probemus eadem eſſe, non erit cuiquam deinceps dubitandum. Id igitur agamus. Pro *præcipitauit*, Hebr. eſt בלע *balahh*, quod *abſorbere* ſignificat; Et ita hunc locum
C explicuit Hieronymus in Commentariis, *quia mors*, inquit, *abſorpta eſt.* Pro *in ſempiternum*, Hebr. eſt לנצח *lanetſach*, quod *in æternum* valet, & *in victoria.* Quare in Pſalmis titulus למנצח, qui frequens à noſtro interprete, *in finem*, à Hieronymo, & aliis *victori* redditur. Paulus ergo ex Hebræo ſumpſit hoc teſtimonium, & iuxta Hebraici textus vim, & proprietatem dixit, *abſorpta eſt mors in victoria.* Quòd verò לנצח *lanetſach*, victoria ſit, aut quod ad victoriam aliquo modo pertinet, probant Septuaginta, qui pro *in ſempiternum*, aut, vt Paulus dixit *in victoria*, ipſi transferunt ἰσχύσας, id eſt, *prævalens*, aut *vincens.* Solitos autem Apoſtolos interdum teſtimonia ſumere non ex tranſlatione Septuaginta, ſed ex Hebraico textu, multa loca te- 30. Regula. In Teſtamẽto nouo aliquando ex Textu Hebraico citantur teſtimonia, non ex verſione Septuaginta.
D ſtantur *Zacharia cap.*12. *&* 10. Septuaginta legunt: *Aſpicient in me, pro eo quod inſultauerunt:* Sed Ioannes *cap.*19. *verſ.*37. ex Hebraico citat: *Videbunt in quem transfixerunt. Iſai. cap.*42. in principio ſic reddunt Septuaginta: *Iacob puer meus, aſſumam eum: Iſrael electus meus, ſuſcepit eum anima mea.* Quem locum ex Hebraico textu citauit Matthæus *cap.*12. *&* 18. *Ecce ſeruus meus, ſuſcipiam eum, electus meus, complacuit ſibi in illo anima mea.* Et quidem poſtremum hoc teſtimonium ex Hebraico textu fuiſſe deſumptum ab Euangeliſta docet Euſebius *lib.*9. *demonſtr. cap.*15. Et Hieronymus *epiſt. ad Algaſ. q.*2. Vbi etiam docet Matthæum *cap.*2. ſumpſiſſe ex Hebraico textu illud *Oſeæ cap.*11. *Ex Ægypto vocaui filium meum.* Nam Septuaginta legunt, *Ex*
E *Ægypto vocaui filios eius.* Sic ergo Paulus 1. *Corinth.*15. hunc locum ad verbum expreſſit ex Hebraico textu, qui meo iudicio perſpicuè docet vaticinium hoc eſſe de extremo iudicio; nam de reſurrectione, quæ eo continget tempore loquebatur Paulus, ad quem etiam locum videtur Petrus reſpexiſſe *epiſt.*1. *cap.*3. *verſ.*22. *Qui eſt ad dexteram Patris deglutiens mortem.*

r *Et auferet Dominus Deus lachrymas.*] Hoc 31.

aliud peccati vinculum, nempe dolor, & lachrymæ, quas Dominus à beatorum oculis in æternum deterget. Hûc ſpectauit Ioannes *Apocal.ca.21. verſ.4.* qui totum hoc Iſaiæ teſtimonium videtur expreſſiſſe, *Abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors vltrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltrà: quæ prima abierunt.* Hæc credo *prima* vocari, quæ ab Iſaia dicuntur *vinculum colligatum*, ſeu *vinculum vinculum*, id eſt, damna ex originali peccato profecta.

32. ᵃ *Et dicent in illa die; ecce Deus noſter iſte, expectauimus eum, & ſaluauit nos.*] Hæc ſunt verba aut canticum Sanctorum, vbi poſt exactæ vitæ longas ærumnas affulſiſſe ſibi vident lucis æternæ radios, & impletum eſſe tandem, quod Deus antè iſtorum labori promiſerat. Canticum verò puto illud idem, quod in principio capitis viſi fuerant exorſi beati. *Exaltabo te & confitebor nomini tuo, quoniam feciſti mirabilia, cogitationes tuas fideles, amen.* Ita vt hæc ſententia ſæpius amœbeo ordine recurrat, ſicut in Hebraica poëſi frequens. Nam illud, *quoniam in ſæculum miſericordia eius.* ſæpius iteratur *Pſal. 117.* Et *Pſalm.135. quoniam in æternum miſericordia eius.* Et *Pſalm.106.* ex interuallis redit, *Confiteantur Domino miſericordia eius, & mirabilia eius filiis hominum.* Et in Canticis canticorum ſæpe repetitur iuxta hanc metricam Hebræorum legem, *Læua eius ſub capite meo, & dilectus meus mihi.* Et quidem hoc caput ſi non omnino canticum eſt, ad canticorum tamen ſimilitudinem videtur eſſe compoſitum, vt vides. In pronomine *iſte*, magnam mihi videor epitaſim videre. Importat enim comparationem quandam cum aliis, ſiue hominibus, ſiue gentium Diis, qui cùm magna interdum promittant, nihil tamen præſtant; quorum cogitationes fideles non ſunt, quíque expectantes in ipſis ſaluare non poſſunt. Iſte tamen Deus non ſic: *Expectauimus eum, & ſaluauit nos. Iſte Deus, ſuſtinuimus eum, exultabimus, & lætabimur in ſalutari eius.* Hiſpanus diceret, *eſte ſi que es Dios, que cumple ſu palabra, y haze bien auenturados a los que le ſiruen.* Eodem modo & in eundem ſenſum cecinit Moyſes *Exod. cap.15.* Demerſo Pharaone, iiſdem fluctibus, qui ad facilem & ſecuram viam aperuerant ſe filiis Iſrael, *Iſte Deus meus, & glorificabo eum, Deus patris mei, & exaltabo eum.*

Dei fidelitas, & potentia.

33. ᶜ *Requieſcet manus Domini in monte iſto.*] Id eſt, iam ampliùs diuina manus, ſeu peccatorum noſtrorum vltrix, ſeu benignè nos ad virtutum incrementum exercens non affliget nos. Diſſoluit enim iam omnino Deus illud vinculum, quod nobis innexuerat, rupitque telam doloris, & mortis, qua nos inuoluerat. Alij dicunt requieturum Dominum in eo monte, quia per æternam quietem, & ſpatium gaudio cumulabit iuſtos. Nam ad illud vſque tempus ſanctis, & amicis, ita aliquid inſtillabat è cœleſtibus deliciis, vt aliquid interdum admiſceret amari. Quod vſque adeò ſeruauit ſeuerè, atque conſtanter, vt ab eo poculo matrem Virginem immunem eſſe noluerit. Accipiebat itaque mollis & liberalis Domini manus aliquando duriuſculè ſeruos, & amicos, ſemper tamen benignè; poſt iudicium autem extremum requieſcet ſuper iuſtos, illa diuinæ manus largitas, & multitudo, ſine vlla in æternum aſperitate. Alij contrà referunt ad Moab, quo ſenſu apud Zachariam *cap.6. verſ.8.* dicitur, *Requieſcere fecerunt ſpiritum meum* (id eſt furorem) *in terra Aquilonis.* Manus ergo Domini ſeuera, atque vltrix requieſcet, id eſt, longam ponet, & quietam moram in plectendo Moab; Litera quidem in omnes hos ſenſus patet, quod tamen primo loco diximus, magis ad textum eſt, & minus offenſionis habet.

Beatis iam nō amplius dolor, ſed gaudium purum.

34. Sed dices, ſi hæc in monte oliuarum, aut valle Ioſaphath præſtanda ſunt, (nam, vt diximus paulò antè, cùm dicit *in monte iſto*, montē oſtendit digito, quem non nominat, ſed intuebatur, nempe oliuarum) quomodo ibi parandum eſt conuiuium pinguium medullatorum, & defæcatæ vindemiæ? & quod ſecunda ſententia dicebat non improbabiliter, requieturam eſſe in æternum manum Domini ornando iuſtos cœleſtibus deliciis? Reſpondeo conſuetudinem eſſe ſacræ Scripturæ, vt id dicatur fieri, aut etiam factum, quod cœptum eſt fieri, & conſequenter fieri in aliquo loco, quod in eo inchoatum eſt, vt oſtendimus ſuprà *cap.8. num.9. & in cap.1. Zachar.* ad illud, *Iam ſeptuageſimus annus eſt.* Sic ergo in illo monte conuiuium parabitur, & manus Domini requieſcet, quia ibi frui incipient beati conuiuio, quod habebunt ſempiternum in cœlo; & manus Domini in ornandis iuſtis requieſcet, aut nihil afferet in æternum moleſtiæ; quia hæc primùm officia iuſti à Deo recipient in illo monte.

Regula. Aliquid factum dicitur, quod cœptū eſt fieri.

35. ᵘ *Et triturabitur Moab ſub eo ſicut teruntur palea in plauſtro.*] Poſtquam beatorum felicitatem omni ex parte bonorum abundantia cumulatam expreſſit propheta, iam damnatorum ſortem, quibus nihil ad omnem infelicitatem deeſt, ex aduerſo componit. Vt autem *Eſau* pro quocumque reprobo, & *Babylon* pro quacumque odibili ciuitate ſumitur per ſynecdochen. Sic etiam in *Moab* omnes ſcelerati atque odio digni intelliguntur. Neque ratio deeſt, quia impij non aliter iuſtorum cauſam oppugnant, quàm olim Moab populum Iſraeliticum à Deo ad electam, vberémque poſſeſſionem vocatum. Ipſe enim fecit Iſraelitas fornicari cum filiabus Madian, & illarum Deo Beelphegor, id eſt, Priapo ſacrificare. Quare optimè per ſynecdochen pro impiis omnibus, Deóque inimicis adhiberi potuit.

Moab pro ſceleratis.

36. Hic igitur Moab, id eſt, populus Dei inimicus, & quondam mollis, delicatus, & fertilis, ſub pedibus illius, cuius manus ex beatorum oculis lachrymas abſterſit, non aliter lacerabitur, quàm palea, quæ minutiſſimè conciditur, ac teritur ſub ferrato carpento. Alluſit autem hîc, vt ait Hieronymus, ad conſuetudinem *Palæſtinorum, & multarum Orientis prouinciarum, qui ob pratorum, fœnique penuriam paleas præparant eſui animantium. Sunt autem carpenta ferrata rotis per medium in ſerrarum modum ſe voluentibus, quæ ſtipulam conterunt, & comminuunt in paleas.* De impiorum ſupplicio ſub alia metaphora non minùs ſignificanter egit idem propheta *cap.63. Calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea: & aſperſus eſt ſanguis eorum ſuper veſtimenta mea.* Et ſicut hîc impij dicuntur *ſtipulæ ſub plauſtro in area*, ſic etiam nonnunquam dicuntur *racemi in lacu*, ſeu *torcularí*, vt conſtat *ex hoc loco, & Apocal.cap.14. Miſit in lacum iræ Dei.*

37. Pro *plauſtro*, Hebr. eſt מדמנה *madmenah*, quod quidam *fimetum*, ſeu *ſterquilinium* eſſe putant. Ita Rab. Dauid, quem ſequitur Pagninus, & Vatablus. Symmachus, & Chaldæus *lutum* reddunt, neque id diſplicet quibuſdam è recentioribus. Obſeruat autem Rab. Dauid morem eſſe, vt proiiciatur palea in ſterquilinium, & ambuletur ſuper eam, donec trituretur, & fiat ſtercus, aut fimus. Sed dicit

hæc,

hæc, ſicut alia plurima Rabbinica fide. Cur verò nomen illud (quod vt multi volunt à דמה *damah*, quod *ſilentium* indicat, deducitur) *ſterquilinium* ſignificet ea ratio eſt, quia quæ fœda ſunt, aut turpia, aut quæ nauſeam alicui mouere poſſunt; illa adeò non nominantur à lautis, & modeſtis hominibus, vt *ſilentij* nomine ſignificentur. Quare צמה *tſamah*, quod *Cant. cap.* 4. Hieronymus reddidit *quod intrinſecus latet*. In quo aliquid obſcœnum latere putat (quod mihi nunquam probari potuit.) Septuaginta verterunt *taciturnitatem* aut *ſilentium*, quia illud, quidquid eſt, ſileri debet. Et flagitium, quod eſt à præpuſtera libidine, *nefandum* vocatur, quia nominari non debet: ſic etiam quia fimetum, aut ſterquilinium aliquid eſt indecorum non aſpectu ſolùm, ſed etiam auditu, *ſilentij* nomine ſignificatur. Si hanc ſignificationem admittamus, hæc erit ſententia: Comminuet Dominus Moab ſub pedibus ſuis, ſicut teruntur, aut conculcantur paleæ, quæ ſunt in ſterquilinio, aut ideo teruntur, vt ſtercus fiant. ſeu quæ, quia in puluerem videntur redactæ, in ſterquilinium proiiciuntur. Sed non eſt cur à vulgato curioſi iſti recedant, quia non ſolum Hieronymus *plauſtrum* reddidit, ſed etiam ſeptuaginta. Et alij iidem qui *ſterquilinium* reddunt, fatentur vocem מדמנה *madmenah*, hoc tantùm in loco reperiri: Quare ex nullo alio loco colligi poteſt illa ſignificatio, quam nobis obtrudunt. Fateor דמן *domen, ſterquilinium* eſſe, à quo deriuatum videri potuit, ſed deriuari etiam potuit à דמה *damah*, quod inter alia *ſuccidere* ſignificat. Neque id ignorabant Hieronymus & ſeptuaginta, qui longè fuere priores ætate, atque ſapientia his, qui nobis aliam ſignificationem perſuadent.

Quæ turpia ſunt, ſilentij nomine ſignificantur.

Chriſtus in cruce ſuperborum gloriam conculcabit, & in puluerem rediget.

38. [x] *Et extendet manus ſuas ſub eo; ſicut extendit natans ad natandum.*] Sunt, qui hæc referant ad Chriſtum vltorem, ita vt in medio impiorum ſic tendat, ac vibret potentes, atque vltrices manus ad perdendos impios, ſicut inceſſanter atque viriliter quoquo verſus mouet, qui in profundo atque æſtuoſo mari ad littus enatare contendit. Ita indicat Chaldæus, & ſequitur Vatablus, Montanus, & Emanuel Sà, & quidem allegoricè ſenſus eſſet pius, neque inelegans, nam Chriſtus *in medio* (ſic enim habet textus Hebr. pro *ſub eo*) populi praui extendit in cruce manus non aliter atque natator in mari ſolet expandere. In cruce ergo quaſi ferrato quodam plauſtro conteret impios, eorúmque gloriam in puluerem, ſeu in ſterquilinium rediget. Accedit quòd ſtatim pro *alliſione manuum* quidam reddunt *in perforationibus manuum*. Nam manibus perforatis, affixíſque cruci Chriſtus ſpeciem habet natantis. Porrò dolores *aquarum* nomine explicantur, de quibus *Pſal.* 68. Dauid Chriſti nomine, *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam: infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia.*

39. Sed communiter alij ad Moab referunt, id eſt, ad populum impium: quod omnino dicendum eſſe puto. Et ita indicat tranſlatio ſeptuaginta, quæ ſic reddit. *Conculcabitur Moabitis, quemadmodum calcant aream plauſtris, & remittet manus ſuas.* Sed quæ ſit huius loci ſententia adhuc obſcurum. Quidam dicunt extenſionem manuum ad natantium morem, habitum eſſe eius, qui ſub potentiore luctatore ſuccubit. Is enim ſic ſterni, iaceréque ſolet humi, ſicut in aqua natator. Ita Hieronymus, Dionyſius. Alij victum quidem putant Moab, & manus extendere, non tamen quaſi alliſum terræ, aut oppreſſum pondere manus extendere, ſed quaſi ſupplicem ad petendam à victore veniam, & vſuram vitæ; hoc enim in victo ſignificat *manuum porrectio*. Ita S. Thomas.

Damnatis nullum vnquam futurum à dolore leuamentum.

40. Hæc mihi vera videntur, & facilia; ſed addam explicationem aliam, quæ alicui fortaſſe videbitur neque à textu, neque ab inſtituto aliena. Quemadmodum nihil beatis ad gloriam, voluptatémque defuturum eſt, & quocumque ſe conuertant, habituri ſint quod ament, & quo ſe oblectent in ſempiternum: ſic etiam nunc propheta ſignificat nihil damnatis in ſempiternum futurum eſſe ſolatij ac leuamenti. Id verò optimè *natantis* ſimilitudine declaratur. Nam quemadmodum is quem iactat, & abſorbet vndarum moles, quo præſentem effugiat mortis neceſſitatem, totum explicat corpus, & quaſi in aquis aliquid firmum inuenturus ſit, in qua ſalutis aliqua ſe oſtentet ſpes, ſic obuium quemque fluctum appetit, ac amplectitur, qui lubricus, & effluens ſpem, & conatum natantis eludit; ſic qui in pœnarum pelagus, & abyſſum demerſus eſt, quantumcunque ſe huc, atque illuc verſet, quærátque doloris, quem patitur aliquod lenimentum, nihil tamen in æternum inueniet: neque ſi ad linguæ ardorem ſedandum tangi ſe poſtulet Lazari digito aqua leuiter tincto.

41. [1] *Et humiliabit gloriam eius, cum alliſione manuum eius.*] Reliqua ad finem vſque capitis non obſcura ſunt. Illud verò nonnihil habet dubitationis, An *humiliabit gloriam eius* ad Chriſtum pertineat, qui humiliabit gloriam Moab, vel ad Moab qui ſuam humiliabit gloriam. Sanè quocumque accipias modo, idem eſt ſenſus: Vtroque enim modo humilianda ſignificatur gloria Moab. Ego eò magis inclino vt putem illud *humiliabit* pertinere potiùs ad Moab, quia ita exigit orationis filum. Nam ſi *extendet manus*, vt diximus, tribuitur Moab, *humiliabit* quod eſt in eodem orationis tractu, eodem videtur pertinere. Et huc præterea facit quod ſubditur *cum alliſione manuum eius*. Ac ſi dicat, quantumuis natatu manibus allidat fluctibus, totóque corporis nixu contendat, peribit tamen eius gloria. Neque illud *eius* quod reciprocum non eſt, multum negotij faceſſit noſtræ ſententiæ: nam pronomen affixum ו *vau*, apud Hebræos tam pronominis reciproci, quàm ſimplicis vſum obtinet. Neque rarò Vulgatus, vt ſæpius obſeruauimus, qui Hebraiſmos ſæpe retinere ſolet, pronomen illud abſolutè vertit, cùm reciprocum, & contra reciprocè cum eſt abſolutum. Vide quæ diximus in noſtris commentariis in Zachariam *cap.* 12. *num.* 36. Siquis tamen ad Chriſtum referat, non admodum pugnauerim.

Regula. Pronomen affixum tertiæ perſonæ aliquàdo reciprocũ eſt, aliquando ſecus.

42. [2] *Et munimenta ſublimium murorum tuorum concident.*] Tranſit à tertia perſona ad ſecundam, quod frequens eſt in idiomate Hebraico, & exemplorum ſatis. Vide Pagninum *lib.* 4. *inſtitutio. cap.* 13.

Argumentum vigeſimi ſexti capitis Iſaiæ.

IN capite hoc tres partes præcipuas inuenio. In prima Beati gratias agunt Deo, quòd illius beneficio ſortem illam felicem nacti ſint, quam laudant, & deſcribunt. In ſecunda propheta Beatorum ſtatum glorioſum, & damnatorum miſerrimam ſortem contemplatus, adductúſque miſericordia orat Dominum, vt impios in hac vita adactis ſeueritatis ſtimulis à peccatis exuſcitet. Quia multò illis commodius temporariis in hoc ſæculo incommodis vrgeri, quàm in futuro ſempiternis damnari ſuppliciis. Probat autem ſtimulos opportunum impiorum eſſe remedium exemplo Iudaicæ Gentis, quæ indulgentiùs à Domino tractata ad idola defecit, intemperatámque viuendi rationem: caſtigata verò, acceptáque ſeueriùs, ad Deum, à quo in proſperitate defecerat, reuerſa eſt. In tertia, ſpe reſurrectionis conſolatur iuſtos, quibus hæc vita grauis eſt, & dura. Eſt autem totum caput eiuſmodi, vt à pio lectore verſari debeat ſæpe, & animo ad cæleſtis patriæ poſſeſſionem aſpiranti penitus infigi.

CAPVT XXVI.

1 [a] *IN die illa cantabitur canticum iſtud in terra Iuda: [b] Vrbs fortitudinis noſtræ Sion [c] Saluator, ponetur in ea murus, & antemurale.*

2 [d] *Aperite portas, & ingrediatur gens iuſta cuſtodiens veritatem.*

3 [e] *Vetus error abiit: [f] ſeruabis pacem; pacem, quia in te ſperauimus.*

4 [g] *Speraſtis in Domino in ſæculis æternis, in Domino Deo forti in perpetuum.*

5 [h] *Quia incuruabit habitantes in excelſo, ciuitatem ſublimem humiliabit. Humiliabit eam vſque ad terram, detrahet eam vſque ad puluerem.*

6 *Conculcabit eam pes, pedes pauperis, greſſus egenorum.*

7 [i] *Semita iuſti recta eſt, rectus callis*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 CVM viri iuſti videant, demerſo in profundum barathrum Moab, admittit ſe ad cœleſtis partiæ poſſeſſionem æternam, cantabûnt læti in terra Iuda, terra, inquam, confeſſionis, & laudis canticum iſtod triumphale.

Non eſt Sion myſtica, cui aſcripti ſumus in ſempiternum ciues; ſicut vrbes Moab, quas Domini furor in puluerem redegit; ſed fortis, quam nulla conueller, aut etiam tentabit vis, & vetuſtas. Eſt enim illius propuguator, & cuſtos Dominus, in cuius tùtelam muri, atque antemuralis partes præſtabit.

2 Aperite, ô Angeli portas cœli, ad quod iam aſcendimus cum triumphali plauſu: vt ingrediatur gens, quæ iuſtitiam coluit, & veritatem ſeruauit.

3 Veterem errorem præſens hic dies aperuit, atque damnauit, quo ſtulti iudicabamur, quòd ſemitam ingrederemur duram; neque à tuis deflecteremus mandatis. Ecce enim Domine, pacem nobis, & ſummam rerum abundantiam contuliſti; quia in dura illa viuendi ratione, à te ſumma ſperabamus omnia.

4 Speraſtis, ô viri fortunati in Domino, nunc capite ſpei veſtræ luculentum fructum in ſempiterna ſæcula, in Domino, inquam, ſperaſtis, quem ad præſtanda omnia fortem, atque potentem agnouiſtis, eius nunc benignitate in perpetuum fruimini.

5 Incuruabit Dominus erectam illorum ceruicem, qui ſuum in ſublimi domicilium locauerant; & eorum ciuitatem excelſam ad terram abiiciet. Ad terram, inquam, humiliabit illam; & ad puluerem vſque proſternet.

6 Subiiciet illam pauperum calcandam pedibus; greſſibus, inquam, egenorum conculcandam tradet.

7 Longè alia erit via, quam tenuerunt iuſti, non

non fallax,atque ſinuoſa,ſed recta;& eorum item rectus, & expeditus callis, in quo, qui ambulare volet,nuſquam offendet.

8 Hanc nos Domine ſemitam ingreſſi ſumus: in qua præter legem tuam,atque iudicia nihil intuebamur. In quorum ſedulam obſeruationem intenti;ſpem noſtram in te vno fideli meritorum compenſatore locauimus. Neque aliud quicquam magis nobis erat in votis,quàm vt nomen tuum ſanctum eſſet apud omnes,& celebre.

9 Cùm ego, ô Domine, iuſtorum ſemitam, & fortunatum exitum attentè conſidero,ad illorum exemplum ſtatui,de te noctu, atque interdiu perpetuò mihi eſſe cogitandum,idque seriò, atque ex animo: ſiue aduerſum mihi,ſiue ſecundum, & gratum aliquid contingat.

10 Sed interim, ô Domine,vt aliis talis Ingeneretur ſenſus, qualem in me ipſo,ex iuſtorum, impiorúmque diſſimili ſucceſſu doctus experior, obſecro vt iuſtitiæ tuæ aliquod in peccatores documentum edas. Sic enim fiet vt orbis incolæ, non iam violentiam, & fraudem, ſed iuſtitiam, & ſanctitatem meditentur.

11 Si impij miſereatis, Domine, ex ea animi lenitate id conſequeris, vt ille tam abſit vt iuſtitiam faciat, vt in ſuo ſcelere magis perſeueret obſtinatè.Quòd ſi illi iuxta ſanctorum viam durius vexati, iniquè nihilominus egerint,iam ego de illorum ſalute nihil mihi polliceor, non videbunt etenim gloriam Dei.

12 Si manum tuam exaltaueris, cohibueríſque ab inferenda plaga, impij ſemper errabunt in tenebris cæci.Quare manum tuam ſuper illos aggraua, vt hoſtes tui confundantur,& videant, etiam ſi eos ad conſumptionem, & fauillam vſque ignis tribulationis erudiat.

13 Impiis ea ratione caſtigatis, & ad meliorem viuendi modum traductis, pacem nos, & otium obtinebimus; per illos enim ſtetit hactenus,quominus pace frueremur. Adde igitur hoc ad reliqua beneficia, quando quæcumque habemus bona, tuæ benignitati accepta referimus.

14 Domine Deus reſpice, quomodo alieni domini, Reges videlicet externi;dum vrgent, & timentur, poſſident nos,præter te; quare non tu ſolus dominaris in nobis? Fac itaque vt oblata pace,non iam de hoſtibus, ſed de te vno ſemper cogitemus, te vnum intueamur, neque alterius, præter te,vnquam recordemur.

15 Moriantur illi, neque iterum viuant,& ſicut Gigantes olim ſub diluuij tempus, ſic illi vbi ceciderint, non reſurgant. Quod tu Domine præſtabis,viſitata, atque contrita illorum ſuperbia; ne apud nos vlla ſuperſit illorum memoria, ſed tu vnus cogitationem noſtram, & mentem poſſideas.

16 Quandiu Iudaicæ genti indulſiſti, & poſſeſſiones eius ad extremos vſque terminos terræ dilataſti,

lis iuſti ad ambulandum.

8 *Et in ſemita iudiciorum tuorum Domine ſuſtinuimus te:nomen tuum,& memoriale tuum in deſiderio animæ.*

9 [k] *Anima mea deſiderauit te in nocte: ſed & ſpiritu meo in præcordiis meis,de manè vigilabo ad te.*

10 [l] *Cum feceris iudicia tua in terra, iuſtitiam diſcent habitatores orbis.*

11 [m] *Miſereamur impio,& non diſcet iuſtitiam:* [n] *in terra ſanctorum iniqua geſſit, & non videbit gloriam Domini.*

12 [o] *Domine exaltetur manus tua,vt non videant:* [p] *videant, & confundantur zelantes populi,* [q] *& ignis hoſtes tuos deuoret.*

13 [r] *Domine dabis pacem nobis:* [ſ] *omnia enim opera noſtra operatus es nobis.*

14 *Domine Deus noſter,* [t] *poſſederunt nos domini abſque te, tantùm in te recordemur nominis tui.*

15 [v] *Morientes non viuant, gigantes non reſurgant.* [x] *Propterea viſitaſti,& contriuiſti eos, & perdidiſti omnem memoriam eorum.*

16 [y] *Indulſiſti genti Domine, indulſiſti genti. Numquid glorificatus es?* [z] *Elongaſti*

gaſti omnes terminos terræ.

dilataſti, neque Deos abiecit alienos, neque te glorificauit.

17 [aa] *Domine in anguſtia requiſierunt te,* [bb] *in tribulatione murmuris doctrina tua eis.*

17 Sed illa eadem Gens Iudaica erudita durius, in ſua tribulatione requiſiuit te: neque enim illi doctrina vlla magis opportuna, quàm quæ pre nimio dolore gemere, ac murmurare facit. Sic ergo populus faciet alienus, ſi illũ dura percuſſeris virga, ſtimuliſque adactis murmurare compellas.

18 [cc] *Sicut quæ concipit, cùm appropinquauerit ad partum, dolens clamat in doloribus ſuis:* [dd] *ſic facti ſumus à facie tua Domine.*

18 Sicut quæ in vtero habet: appropinquante partu dolet, & clamat: ſic nos à facie tua, Domine, id eſt, abs te nobis appropinquante, dolere, atque clamare compellimur.

19 [ee] *Concepimus, & quaſi parturiuimus, & peperimus ſpiritum:* [ff] *ſalutes non fecimus in terra: ideo non ceciderunt habitatores terræ.*

19 Te Domine adnitente ſpiritum concepimus: te formante, ac maturante fœtum, ardor quidam, & ſtudium iniectum eſt illius enitendi; te denique quaſi obſtetricante, felicem illum partum enixi ſumus. Quòd ſi de terra promiſſionis exturbati non ſunt, qui in illam irruperunt: aut qui illam ante nos multò antè poſſederant, qui nos variè, & penè continenter inſectantur, ideo ſanè eſt, quia opera ſalutaria, tibíque grata nõ ſumus operati. Quapropter, vt ſanctè, religioſéq; viueremus, hoſtiles illos ſtimulos nobis adegiſti.

20 [gg] *Viuent mortui tui, interfecti mei reſurgent.* [hh] *Expergiſcimini, & laudate qui habitatis in puluere:* [ii] *quia ros lucis, ros tuus,* [kk] *& terram gigantum detrahes in ruinam.*

20 Bene quidem actum eſt, ô Domine, cum illis, qui ſic ab hominibus iactati ſunt, vt pro mortuis non immeritò cenſeri potuerint. Interfecti enim tui (quia tua cauſa mortem oppetierunt, qui iidem quoque ſunt interfecti mei, quia ex meo genere, nempe Iſraelitico, aut quia ſocij eiuſdem mecum certaminis, quia vt ego ſerra diſſectus, ſic ipſi alij alio mortis genere ſublati) interfecti, inquam, illi aliquando reſurgent. Ergo, qui nunc in tumulis, atque adeò in obliuione, ſepulti eſtis, exurgite iam, & in diuinas laudes quàm potueritis alacriter incumbite. Aderit enim vobis ſpiritus, quo non aliter reuiuiſcent cadauera in ſaniem, atque etiam in puluerem ſoluta, quàm herba poſt hyemalem glaciem vernali temperie atque vitali rore exhilarata. Non ſic Gigantes, ac ſuperbi, qui ſuum ſibi nitorem in hoc mundo quæſierunt, nam ſic illos in ruinam abiicies, vt ſpes ſuperſit nulla reſurgendi.

21 [ll] *Vade populus meus, intra cubicula tua, claude oſtia tua ſuper te, abſcondere modicùm ad momentum,* [mm] *donec pertranſeat indignatio.*

21 Ergo, ô popule mi, quem manet glorioſa poſt mortem reſurrectio, intra ſepulchrum, perinde atque ille, qui cubiculum dormiturus ingreditur: is enim clauſo oſtio modico tempore ſic requieſcit in tenebris, vt tandem poſt ſomnum orto ſole lumen iterum videat. Sic tibi in ſepulchro dormiendum eſt, donec à tabe, & puluere ſe cadauer vindicet, quod illi propter primũ parentis peccatum à Dei indignatione contigit.

22 *Ecce enim Dominus egredietur de loco ſuo, vt viſitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum, & reuelabit terra ſanguinem ſuum, & non operiet vltrà interfectos ſuos.*

22 Aderit enim aliquando Deus, in fine ſæculorum egreſſus è cœlo, vt viſitet, iudicétque illorũ actus, atque conſilia, qui contra ipſum aliquid moliti ſunt iniquum. Tunc verò terra, quem antè celauerat, ſanguinem oſtendet; & quæ in ſepulchris cadauera condiderat, in lucem proferet, hominúmque, ac totius vniuerſi conſpectũ.

IN CAPVT VIGESIMVM SEXTVM COMMENTARIVS.

1. [a] IN *die illa cantabitur canticum iſtud in terra Iuda.*] Canticum hoc ab illis cantari qui iam aſcripti ſunt ciues cęleſtis Ieruſalem, communior eſt Patrum, interpretúmque ſententia. In quibus ſunt Hieronymus, Haymo, Dionyſius, & Adamus. Quia verò *Ieruſalem* ſymbolum eſt cœleſtis patriæ, & qui per deſertum longis perfuncti laboribus ingreſſi ſunt in terram promiſſionis eorum, qui iam in beatorum ſortem, & requiem admiſſi ſunt: ideo Sancti appellantur *Viri Iuda*; & beatorum ſedes dicitur *Sion*, aut *Iuda*. Cùm ergo iuſti vidiſſent Moab, id eſt, ſceleratos in ſuis ſe pœnis miſerè volutantes, tanquam in aquarum immenſo gurgite naufragum natatorem ſe præterea in loco omnium deliciarum affluétiſſimo eſſe collocatos, cantabunt in terra Iuda, id eſt, in loco confeſſionis, & laudis canticum, quod deinde ſubiungitur.

2. [b] *Vrbs fortitudinis noſtra Sion.*] In fine præcedentis capitis dixit propheta de Moab, id eſt, de ſuperborum, ac damnatorum regno. *Munimenta ſublimium murorum tuorum concident & humiliabuntur, & detrahentur in terram vſque ad puluerem.* Nunc contrà de iuſtorum ciuitate, id eſt, de myſtica Sion canit, vrbem eſſe fortitudinis, id eſt, fortiſſimam, quam nulla vis conuellet, nulla labefactabit æternitas.

Æterna beatorum gloria.

3. [c] *Saluator ponetur in ea murus, & antemurale.*] Ita diſtinguunt Septuaginta, & multi alij Latini codices, iuxta quam diuiſionem optimus eſt ſenſus, & ad ſuperiora conſentaneus. Oſtendit enim Iſaias, vnde nam prouenerit tanta cœleſtis illius orbis ſtabilitas, nēpe ex eius ciuitatis cuſtode, ac Seruatore Deo, qui erit murus eius, & antemurale, quæ in futili ac ludicro impiorum regno modò dicebantur *murorum munimenta.* Non ergo cadent cœleſtis Ieruſalem munimenta, nempe murus, & antemurale; quia Dominus tale munimentum eſt. Sicut murus, & antemurale cecidere, quæ improborum vrbem circumuallabant.

4. In codicibus Sixtianis alia diſpunctio eſt, nam poſt *ſaluator* diſtinctio ponitur, iuxta quam diſtinctionem locum hunc ita exponit Hieronymus, vt *Saluator* ad ſuperiora referatur hoc ſenſu, *Vrbs fortitudinis noſtra Saluator eſt.* Quem Adamus ſequitur, & Haymo. Et quidem ſi de textu tollas *Sion*, quæ in Hebr. textu non eſt, neque in multis Latinis reperitur, ſententia facilior eſt, quā modò adduximus; Sed videtur ſuperior magis expedita, & in qua minùs hæret attenti mens lectoris. Nempe vt non ſit tam Deus ciuitas, quàm ciuitatis cuſtos, & munimentum. Nam quemadmodum Deus terreſtris Ieruſalem, quæ cœleſtis quoddam ſymbolum eſt, murus eſſe dicitur *Pſalm.* 124. *Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi ſui.* id eſt, ſed præcipuus murus Dominus. & *Zachariæ* 2. *Et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu.* Neque præterea apparet, ſi Saluator eſt ciuitas, ſiue ille Deus ſit, ſiue Chriſtus, quid ad ſeruandum eiuſmodi ciuitatem, illi eſſe poſſit pro muro, & antemurali: maximè cùm in futuro dicatur eſſe ponendum. Hieronymus *fidem* murum eſſe putat, antemurale *opera bona*, quibus fides confirmatur. Sed ſanè hæc Deo non conueniunt, quæ enim Deo fides? facit ad hæc, quòd ſtatim illis vrbis aperiri iubentur portæ, quod in cœleſtem Ieruſalem optimè, in Deum quomodo conuenire poſſit non video. Quare in priorem ſententiam magis inclino, quam magis probat S. Thomas, tenet Hugo, Dionyſius, Foreirus, Pintus, Emanuel Sa, Vatablus, licèt horum aliqui *vrbem* Eccleſiam eſſe putent.

[d] *Aperite portas, & ingredietur gens iuſta.*] In canticis perſonarum mutatio & conuerſus ad abſentes ſermo, vt varietatis, ſic etiam iucunditatis plurimum affert. Et ita putat Hieronymus factum eſſe in hoc cantico confeſſionis, & laudis, qui hæc verba Chriſto tribuit; Qui iubet, vt Angeli cœli portas aperiant, vt exultantes iuſtorum exercitus ingrediantur. Idem Dionyſius, & interlinearis; quod mihi verius etiam videtur eſſe. Neque alienam illam ſententiam exiſtimarem, quæ hæc Sanctis, & Beatis aſcriberet, qui cùm iam audiiſſent à iudice: *Venite, benedicti patris mei, poſſidete paratum vobis regnum. Matth.* 25. *verſ.* 34. Exultantes gaudio aperiri ſibi portas petunt ciuitatis, ad quam iam ciues deſignati ſunt. 5.

[e] *Vetus error abiit.*] Pro *errore*, Hebr. eſt יצר 6.
סמוך *ietſer ſamuk*, quod variè redditur. Quidam, *Cogitatio noſtra, aut figmentum noſtrum firmatum eſt.* Vt de Symmacho, & Aquila tradit Hieronymus. Eodem modo reddit Vatablus. Pagninus, *Cuius deſiderium tibi coniunctum.* Alij, *cuius deſiderium firmatum eſt*, & quocumque modo legas pulcher eſt ſenſus. Si cum Symmacho, & Aquila legas, *cogitationem*, aut *figmentum firmatum*, ſenſus eſt, exultandum eſſe beatis, quod iam Deum videant, mentémque in contemplatione primæ, ſummæque veritatis omnium rerum cognitione complecterint. Quare in beatitudinis parte ponunt, quòd non iam circumferantur omni vento doctrinæ. Et ita exponit S. Hieronymus, qui aliis verbis oſtendit ſententiam Symmachi ſe fuiſſe complexum.

Pars beatitudinis eſt, non iam variis opinionibus duci.

In tranſlatione Pagnini ſenſus eſt, iuſtè portas regni reſerandas illis, quorum deſiderium, ac mens in vno Deo conquieſcebat. Nam ſi terrenarum rerum ſtudio neglecto ad cœleſtia aſpirarunt, æquum eſt, vt in cœleſtis patriæ poſſeſſione conſideant, coniuncti cum eo, quem toto animorum impetu quæſierunt. Si verò cum aliis deſiderium dicamus eſſe firmatum, ſenſus eſt, Impletum eſſe deſiderium, quod iam antè de Deo, cœleſtique felicitate conceperant. 7.

Sed omnino optimè omnium traduxit Vulgatus, qui verbis clarioribus Symmachi atque Aquilæ ſententiam explicuit: cuius ſenſus eſt ille, quem ex Hieronymo ſuprà produximus. Sed poſſet aliter fortaſſe locus exponi: ita vt alluſum ſit à beatis ad illud *Sapient.* 2. & 3. Vbi qui ſe floribus coronarant, condixerántque ſibi, ne quod eſſet pratum, 8.

quod

quod non pertranſiret eorum luxuria, eorúmque qui contrà facerent, vitam *inſaniam* vocabant. Hi ergo iam edocti præſenti ſupplicio norunt ſe pernicioſo errore lapſos eſſe, eos verò, quos ſtultitiæ damnarunt, verè fuiſſe prudentes. Quare iuſti in hac rerum mutatione, & viciſſitudine canunt, errorem, qui iam dudum ſtultorum animos occuparat, abiiſſe: cùm conſtet iam ex labore atque ignominia, alios ad quietem, & gloriam, alios verò ex deliciis, atque ambitioſo faſtu ad cruciatum, atque ignominiam fuiſſe tranſlatos.

9. Spes in Deo quàm certa. [f] *Seruabis pacem, pacem quia in te ſperauimus.*] Hæc ad Chriſti gloriam modulantur beati cãtores, qui pacem copioſiſſimam geminatione eiuſdem vocis ſignificatam, id eſt, bonorum omnium cumulum ab eo ſe habituros eſſe canunt, ſeu illum, ſeruatorem fore atque cuſtodem tantæ pacis, quod paulò antè oſtenderat, cùm dixit, *Saluator ponetur in ea murus & antemurale.* Notum eſt autem in ſacra Scriptura *pacis* nomine omnium bonorum abundantiam, aut naturam intelligi. Reddunt autem rationem beati; cur à Deo pacem obtinuerint, quia ab alio neque voluerunt, neque ſperarunt pacem, niſi à ſolo Deo, quare Dei fidelitatem amant, & commendant.

10. [g] *Sperastis in Domino in ſæculis æternis.*] Alij vertunt *ſperate*, quod non reſpuit textus Hebraicus, quem nunc habemus; & ita cenſet, & probat in Commentariis Hieronymus. Quod ſi imperatiuus ſit, ſententia facilis eſt. C Ita vt beati ſibi ipſis gratulentur, polliceantúrque æternam futuram quietem, & pacem, quam tunc primùm guſtare cœperunt. Aut certè quòd loquatur propheta ad homines, qui tunc, aut errore cæci, aut humanarum voluptatum ſtudio capti, in alia omnia væſano conſilio incerti ferebantur, moneátque beatorum exemplo, vt cæleſtia, atque æterna meditentur, & fugaces huius ſæculi delicias contemnant. Sed quia in præterito Vulgatus habet *ſperaſtis*, dicendum eſt hîc mutatam eſſe perſonam, quod in canticis eleganter, & feſtiuè fieri ſolere docuit hîc Hieronymus, qui hæc verba prophetæ aſcribit, quibus credentes alloquatur: Neque tamen explicat, qui ſint illi. Ego puto hæc verba ad illos ſpe- D ctare, qui crediderunt, & ſperauerunt, id eſt, ad beatos, quibus de æterna felicitate gratulatur propheta. Ita Haymo, Dionyſius, Lyra, & interlinearis. Neque tamen credo alicui durum viſum iri, ſi quiſquam hæc Angelorum putet eſſe verba, quibus paulò antè mandatum fuerat, vt portas aperirent, qui aſcendentes ad paratum ſibi locum ſalutant, ſpémque illorum de æterno bono certam eſſe prædicant.

11. [k] *Quia incuruauit habitantes in excelſo.*] Laudis huius ea quoque pars eſt, quia Deus ſuperborum inſolentiam depreſſit, conſilia damnauit, & ſi quid altiùs molita eſt ipſorum ambitio, redegit in pul- E uerem, calcandúmque præbuit egenorum pedibus; id eſt, fecit vt hæc tanquam longè inferiora iuſtis deſpicerentur.

12. [l] *Semita iuſti recta.*] Oſtenderat quomodo inania ſuperborum conſilia perierint: quia ſcilicet inanibus ſubſtructionibus, & ambitioſis monumentis, & apud præſentes potentiæ nomen, & apud poſteros æternam memoriam venabantur. Nunc contrà declarat quam ſemitam tenuerint iuſti, quæ ipſos ad tantã gloriam vſque deduxerit, qui nimirum ſuſtinuerunt Deũ, id eſt, ſperauerunt in eo: etſi durioris Domini in ipſos, quàm benigni parentis A ſpeciem præbuiſſet. Et quòd ſui nominis, & commoditatis obliti id vnum perpetuò optarint, vt Dei nomen ſanctum eſſet apud omnes, & celebre. Id enim eſt quod ſtatim ſubditur: *Nomen tuum & memoriale tuum in deſiderio animæ.* Quod homini pio in votis eſſe perpetuò debere, docuit Chriſtus in ea orandi formula, quam Apoſtolis præſcripſit, *Sanctificetur nomen tuum.*

[k] *Anima mea deſiderauit te in nocte.*] Huc vſque videtur produci beatorum canticum; nunc Iſaias ab hac tanta rerum viciſſitudine admonitus ſignificat, quid ipſe in illum exitum, qui varia hominum conſilia, & conatus excepit, intentus fecerit, factutúſque ſit in poſterum. 13. Deus ſedulò, & maturè quærendus. Ait enim interdiu, noctúque B ſibi de Deo cogitandum: deſiderium illius neque deponendum vnquam, neque laxandum, neque in matutinis vigiliis huic curæ quicquam eſſe præuertendum, idque ſeriò, atque ex animo: id enim valet illud: *In ſpiritu meo, in præcordiis meis de mane vigilabo ad te.* Quid ſit in nocte Deum deſiderare, non omnes eodem explicant modo. Quidam hoc dicendi genere vehemens ſtudium explicari putant, quia cùm ad ea, quæ magno nobis in amore ſunt auidiùs anhelamus, lucem præuertimus, neque illius deſiderium patitur nos ad lucem vſque ſomnum producere. Sic Dauid *Pſalm. 62. Deus Deus meus ad te de luce vigilo: ſitiuit in te anima mea.* Et mulier illa petulans de qua *Prouer. 7.* C ad ſtolidum adoleſcentem, cuius ſe ardenti amore captam fallaci blandimento mentiebatur, eodem modo loquitur, *Egreſſa ſum in occurſum tuum de luce vigilans, te videre.* Neque ego alienus ſum ab hac ſententia. Sed ipſe Iſaias non obſcurè prodit, quid ipſe ſentiat, dum dicit iuſtos Dei manum ſuſtinuiſſe, vtique ſeueram, & per illam ſemitam, id eſt, per patientiam ad quietis, & gloriæ faſtigium euaſiſſe. Vexatio à Deo. Tum quia ſtatim videtur optare, vt impios laboribus ac vexationibus exerceat, quo eos in ea ſemita conſtituat arcta, atque difficili, quæ ducit ad vitam. Porrò noctem pro afflictione ſumi, ſatis vulgatum eſt: & docet hîc Hieronymus, in eámque ſentẽtiam exponit illud *Pſ. 120. Per diem Sol non vret te, neque Luna per noctẽ.* id eſt, neque in proſperis ne- D que in aduerſis; Idem putat Haymo & plerique alij.

14. Vtilis omnibus ſceleratorum punitio. [l] *Cùm feceris iudicia tua in terra, iuſtitiam diſcent habitatores orbis.*] Longè aliter tranſtulere Septuaginta, *Quia lux præcepta tua ſuper terram.* Sed vulgata tranſlatio multò magis ad textum eſt Hebraicum. Ad verbum ſic reddo, *Quoniam quemadmodum iudicia tua in terra, iuſtitiam didicerunt habitantes orbem.* Vbi poſt *iudicia*, verbum aliquod ſubaudiendum. Vatablus, *edita fuerint.* Pagninus, *fuerunt.* Hieronymus, *feceris.* Senſus pro diuerſa tranſlatione diuerſus. Si cum Vatablo ſuppleas, *edita fuerint*, videtur propheta his verbis velle, vt Dominus peccata in hoc ſæculo puniat, vt homi- E nes quibus dat intellectum vexatio, ex ſupplicij grauitate iuſtitiam diſcant, id enim tacitè clamant inter flagella ſcelerati. Quod etiam nouere Gentiles, qui hanc vocem inter gemitus, crepitúſque plagarum audiebant, in Phlegya, de quo Virgil. *lib. 6. Æneid.*

——Phlegyáſque miſerrimus omnes
Admonet, & magna teſtatur voce per vmbras,
Diſcite iuſtitiam moniti, & non temnere diuos.

15. Si cũ Pagnino *fuerunt* ſubaudias, ſenſus eſt idem ferme, ſed videtur propheta exemplis prioribus ſæculis productis orare à Domino, vt in ſceleratos furoris atque iudicij ſui gladium exacuat, quando

expe

experientia docuit, homines ſæpe flagellis erudi-tos meliori iam mente concepta iuſtitiam coluiſſe. Sanè noſtra tranſlatio non longè abit ab alterutra harum explicationum. Hieronymus in hunc modum explicat. *Quam diu non exerces iudicia tua ſuper terram, & nec bonis bona, nec malis retribuis mala, iuſtitia tua,ò Domine, Deus,ignoratur in terra; cùm autem iudicij diem pro qualitate operis vnicuique reddideris, quod meretur, tunc iuſtitia tua cognoſcetur in orbe terrarum, quæ priùs apud incredulos videbatur iniuſta. Ita vt vnus ſanctorum quoque diceret. Mei autem penè moti ſunt pedes.Pſal.72.* Idem Haymo,S.Thom Adamus,& plures alij.

16\. *Dei punitio qui optanda in hac vita.* Placet valde quod dictum eſt à Hieronymo; ſed addo prophetam in ſe ipſum fuiſſe expertum quantam vim habeat diuinum iudicium, quod ipſe prophetica luce multò antè præuiderat. Cùm enim videret, quem exitum habuiſſet iuſtorum in hac vita paupertas,& vexatio, & impiorum fallax, & fucata proſperitas,& inde didiciſſet vnum Deum ſpectandum in omnibus, & illum omni ſtudio, die, noctéque inueſtigandum,quod ſe feciſſe dicit, quando ait. *Anima mea deſiderauit te in nocte*: Sollicitus de hominum ſalute Deum orat, vt in hac vita ſæpe edat illius extremi iudicij aliquam imaginem,vt munerata bonorum pietate, & mulctato improborum ſcelere, talis excitetur ſenſus in hominibus,qualem in ſe excitari experiebatur. Quare precatio iſta ex beneuolentia naſcitur, non ex ſtudio vindictæ. Et facit valde ad hanc explicationem textus ipſe Hebraicus, qui loqui videtur magis generaliter, quàm ab aliquibus accipitur, in hunc nempe modum. Qua ratione Deus in terra iudicium,ſic homines in terra iuſtitiam exercent. Et concinit valde quod ſequitur.

17\. m *Miſereamur impio, & non diſcet iuſtitiam facere.*] Hic Hieronymus dialogum inſtitui putat inter Deum, & prophetam, ita vt Deus qua eſt in homines manſuetudine, recuſet, quod orabat propheta, impios in hac vita puniri, ſatis illos daturos eſſe pœnarum in futura. Prophetam ad hæc obtendere non aliter impios ad ſanam mentem, iuſtitiáque colendam eſſe traducendos. Vide omnino Hieronymum, & ab eo diſces quantæ offenſionis argumentum ſit Deum in hoc ſæculo peccatorum erratis conniuere. Hieronymum ſequitur S. Thom. Haymo & Dionyſius. *Summæ offenſionis argumentū eſt Deum peccatorum erratis conniuere.*

18\. Sed credo ſenſum eſſe magis expeditum, ſi totum hunc ſermonem aſcribamus Iſaiæ, qui ſignificat impios non tam indulgentia atque officiis, quàm ſeueritate, atque flagellis ad pietatem eſſe trahendos,qui brutorum inſtar non tam adducuntur beneuolentia, quàm metu. Eſt autem in illo *miſereamur* ſubamara quædam ironia, qua cùm videmur aliquid concedere, illud omnino auerſamur, & horremus. Qualis eſt illa apud profanos. *Ale luporum catulos, & canes qui te lanient.* Et illud *Eccl. 11. Lætare ergo iuuenis in adoleſcentia tua*,&c. Sic ergo propheta, Miſereamur impio,& ex ea animi lenitate id conſequemur vt ille magis in ſuo ſcelere perſeueret. Quod indicat Bernardus *ſermone 41. in Cantica.* Vbi in hunc ferme ſenſum explicat Iſaiæ locum,*Tunc magis*,inquit,*iraſcitur Deus cùm non iraſcitur: miſereamur*, inquit, *impio, & non diſcet facere iuſtitiam. Miſericordiam hanc ego nolo: ſuper omnem iram miſeratio iſta*, &c. Vide totum locum qui præclarus eſt.

19\. n *In terra ſanctorum iniqua geſſit, & non videbit gloriam Domini.*] Hieronymus, qui, vt diximus, colloquium iniri putat inter Deum,& prophetam, putat prioribus verbis ab Iſaia accuſationem intendi contra impium, cauſamque reddit, cur indignus ſit miſericordia. Quia cùm eſſet in terra ſanctorum, vbi videbatur omnis aditus interclusus ad vitia, ipſe tamen iniqua geſſit. Ad quem ſic Deus, vt ait Hieronymus, ſufficit ei pro vniuerſa pœna, quòd me cum ſanctis meis non videbit in mea maieſtate regnantem,quem ſequuntur illi,qui ſuprà,neque id ego non amplector. *Deus etiam dum punit miſericors.*

20\. Sed arbitror, vt ſuprà dixi, hæc omnia ab vno propheta dici. Neque difficilis eſt aut obſcurus ſenſus, iſque duplex. Prior vt propheta obtendat ſatis Deum ad illud vſque tempus liberaliter atque indulgenter complexum fuiſſe impios, & niſi in eos aliam inſtituat rationem omnino diuerſam, futurum vt nunquam videant gloriam Dei, in quam prophetica luce viderat ingreſſos beatos. *In terra ſanctorum*,id eſt,vbi ſancti ſunt, Deus ita tractauit liberaliter,ac ſi ſancti eſſent, ac præclaris operibus id commeruiſſent: illi tamen tanquam illiberales, & ingrati iniqua gerunt: Quare niſi aliter Deus in illos conſulat,omnino peribunt.

21\. Seu quia Sanctorum terra ac via, vt capite præcedenti vidimus, plena laborum eſt,ex quibus eos Dominus ad quietem, & gloriam vocat, *eſſe in ſanctorum terra* proculdubio eſt dura pati, exerceri incommodis, & nullis mulceri corporis, animíque blanditiis; Hæc verò maxima,atque præſtantiſſima ad animi morbos medicina ſi nihil ægris animis afferat ſanitatis, actum iam eſſe exiſtimatur de ægroto. Porrò ante *in terra* ſupplenda eſt particula conditionalis *ſi*, & coniunctio *&*, ſumitur in hac explicatione pro *etiam*: vtrumque in ſacra Scriptura frequens; Erit igitur hæc huius loci ſententia. Si in terram ſanctorum tranſlati impij, vbi ſancti incommodis vrgentur à manu medica Dei, ibi, vt antea, nihilominus impiè viuunt; non videbunt etiam gloriam Dei; ſicuti neque viderent cùm eſſent in deliciis. Ac ſi dicat, exerce illos & niſi reſipiſcant,pereant.

22\. *Quid ſperandū de religioſis, qui in clauſtro malè viuūt.* Ad extremum obſeruo pro *ſanctorum* Hebr. eſſe נכחות *necochoth*,quod nomen ſubſtantiuum eſt,& *rectitudines* ſignificat. Ex qua nominis forma, eadem, quæ modo dicta ſunt, multò ſignificantiùs exprimuntur. Nam ſi *rectitudines* in ſua proprietate ſumas,id eſt, pro via expedita, non aſpera, ſalebroſe, moleſta; ſed leni, placida, qualis illa quam ſibi eligunt,& ingrediuntur delicati, ac molles, ſenſus eſt: Si in via molli, in qua nihil occurrit aduerſi, iniquè agunt improbi, ergo traducantur ad viam aſperam,vt mutata via, ratio quoque mutetur, modúſque viuendi. Si verò metaphoricè ſumas, vt profectò ſumpſit vulgatus, dum vertit *ſanctorum*, ſenſus eſt. Si in via ſanctitatis,quæ ſpiritus alit ſanctos,& in qua carnis blandimentis nullus eſt locus, iniqua geſſit, de ipſius ſalute quæ eſſe poterit ſpes? non ergo videbit gloriam Dei.

23\. o *Domine exaltetur manus tua vt non videant.*] Imperatiuus hîc pro futuro ponitur, neque tam optat propheta, vt non videant populi,quàm futurum prædicit. Exaltare autem manum eſt illam eleuare à percutiendo, quaſi Deus de corrigendo populo curam abiecerit. Ex quo fiet,vt neque impiorum oculi aperiantur, quos excæcauit praua conſuetudo,neque videant,aut gloriam Dei, quod proximè dixerat,aut in quo ſtatu ſint,vt reſipiſcant. Aut certè hic ironia eſt ſubamara, qualem ſuprà eſſe diximus in *miſereamur impio.* Ac ſi ironicè dicat;

Exalta manum & cohibe ab inferenda plaga, & ipſi nunquam non errabunt in tenebris cæci. Et hæc videntur dici ſatis conſequenter.

Hieronymus hîc etiam colloquium eſſe putat inter Deum & prophetam, quem alij ſequuntur. Illum cuilibet legere in promptu eſt: neque diſplicet magni doctoris in ea explicatione iudicium; Sed in hac noſtra nihil eſſe video à litera vel à ca-
24. pitis conſecutione contortum. Quidam putant adductum miſericordia prophetam orare vt Deus manum ſuam, aut brachium exaltet, id eſt, filium Christum, qui manus eſt Dei, ne videant illum impij iudicem, & confundantur: & Deum huic petitioni reſpondentem, illis omnino videndum eſſe iudicem, vt magis confundantur. Et huc ex parte ſpectat ſententia Hieronymi.

25. ꝑ *Videant & confundantur zelantes populi.*] Hæc quoque putat Hieronymus partem eſſe colloquij de quo ſuprà, quem omnino lege. Alij imprecationem eſſe credunt. Ego conſequenter ad eam explicationem, quam iam inſtitui, exiſtimo hæc omnia orata ex commiſeratione. Nam cùm exaltata Dei manu, id eſt, à flagellorum inflictu remota, cæci homines futuri ſint, neque peccatorum ſuorum cognitione eò adducendi, vt confundantur, & reſipiſcant, orat vt manum, quam ab eorum caſtigatione ſubduxerat, ſuper peccatores aggrauet: vt vrgente vexatione videant, pudefactíque propter peccatorum deformitatē de inſtituenda aliter vitæ ratione cogitent. *Zelantes* hic ſunt iidem, qui inuidentes, qui videlicet populo Dei, id eſt, ſanctis, inuidi ſunt, & infenſi. Ecce quomodo pro inimicis ſuis orat propheta.

26. ꝗ *Et ignis hoſtes tuos deuoret.*] Qui priùs *zelantes*, hîc vocantur *hoſtes*. Perſtat in eadem petitione propheta, oràtque vt quando vexatio expedita eſt ad ſalutem via, quos nunc habet hoſtes, eos ſibi beneuolos reddat, flagellis, ſi opus fuerit, ita durè atque frequenter ingeminatis, vt conſumantur non aliter, ac torris ab incendio ſolet. Quod ſi hæc eſt huius loci ſententia; neſcio quod maius excogitari poteſt tribulationis encomium. Quando propheta tam pius, ac mitis, tam illuſtratus diuina luce, tam ſedulò pro hominum ſalute laborans, id toties tam grauiter, atque obnixè petit, vt peccatores vel ad conſumptionem vſque & fauillam igne tribulationis erudiat.

Tribulationis vtilitas.

27. ꝛ *Domine dabis pacem nobis.*] Qui putant hæc ab Iſaia fundi ſpiritu furoris, & indignationis in hoſtes Dei, cenſent etiam illum, vt inimicis infortunium, & ſtragem, ſic iuſtis, quorum è numero ipſe eſt, pacem, id eſt, quietem ſeu bonorum cumulum poſtulare. Et in his ſunt Hieronymus, Haymo, Dionyſius, Adamus. Quam ego ſententiam non improbo, ſed potiùs amplector & veneror: veruntamen ne ab ea explicatione, quam inſtitui recedam, puto ſic poſſe conſentaneè ad ſuperiora explicari. Si illos hîc Domine potiùs quàm futuro ſæculo punieris, id conſequeris, aut id nos per te potiùs conſequemur, vt pacem habeamus, iis nimirum nouo vitæ inſtituto ad piorum caſtra traductis, quos priùs noſtris rationibus infenſos habueramus, & per quos hactenus ſteterat, quo minùs pace frueremur.

28. ſ *Omnia enim opera noſtra operatus es nobis Domine.*] Hic locus valde eſt à noſtris ſcholaſticis tentatus, dum docent quid habeamus à Deo, quomodo opera noſtra aut iuuet, aut faciat. Sed hæc quia aliena, aut longi negotij ſunt, in præſentia omitto. Quod ad expoſitionem attinet, S. Thomas hic in *operibus* pœnas intelligit, quibus Dei populus purgatus eſt. Quaſi oret propheta, vt ſicut igne tribulationis eruditus fuit, & purgatus populus Dei, ſic etiam purgetur populus tunc alienus. S. Hieronymus ſic exponit. Quia, quæ per prophetas locutus eſt, impleta ſunt, & reddidiſti vniuerſa, quæ pollicitus es, tribue nobis pacem. Non longè abit Haymo, quod etiam mihi valde placet. Sed aliter fortaſſe exponi poſſet neque alienè, neque ineleganter; ita vt propheta oret à Domino, vt quando alia omnia ex ipſius liberalitate homines habent, addat hoc quoque ad ſuperiora beneficia, vt pacem habeant cum his, qui vrgente diuina vexatione ab impietate ad ſanctitatem vocabuntur. Quò verò magis ad preces ſuas diuinam miſericordiam inflectat, nihil ſibi ex ſuis operibus, quæ bona ſunt, ſed totum Dei liberalitati acceptum aſcribit. Et hoc omnino indicant tranſlatio Septuaginta, quæ ſic habet. *Omnia enim reddidiſti nobis.*

ꝑ *Poſſederunt nos Domini abſque te, tantùm in te recordemur nominis tui.*] Videtur hic propheta 29.
argumentari ab exemplo. Nam Deus affligendo populum ſuum (tribus nempe duas, quæ non abierunt ad vitulos aureos) Syriæ, Samariæque viribus ſub Achaz proximè, & ſub aliis ſæpe regibus, illum ad pietatem traduxit. Cùm enim experti eſſent Iudæi nullum ſe præſidium habuiſſe à diis alienis, ad Deum verum conuerſi ſunt. Quòd ſi Deus eandem adhibeat medicinam populo, tunc rebelli, & alieno, eundem quoque ſucceſſum ſperat. Et facit ad hanc coniecturam, quòd in textu Hebraico pro *recordemur*, eſt in futuro, *recordabimur*.

Locus hic in eo difficultatis aliquid habet, 30.
quòd non facilè eſt coniectare, quinam ſint iſti domini, à quibus abſque Deo Iudæi dicuntur eſſe poſſeſſi. Communiter ab auctoribus idola exiſtimantur, aut ea, quæ homines pro idolis ſuſpiciunt, voluptatis aut vanitatis lenocinia. Hi ergo importuni ac violenti domini abſque Deo, id eſt, excluſo Deo, & eius religione neglecta, & prodita, dominati ſunt non ſolùm in Iſrael, ſed etiam in Iuda. Tempore videlicet Achaz, & aliorum Regum, qui etiam in anguſtiſſimum templum, vnique vero Deo conſecratum, exoticas ſordes, & peregrinas ſuperſtitiones inuexerunt. Orat ergo propheta, vt ita cadant illa fœda idolorum portenta, vt eorum neque pertenue reliquum ſit veſtigium: & vnius Dei nomen vbique Gentium in honore, ac pretio, ac demum in omnium ore ſanctum, ac celebre perpetuò ſit. Quod in Iudæa Iſaiæ tempore fieri cœptum eſt, purgato à paternis ſordibus templo per Ezechiam, & altaribus, quæ in idolorum cultum erecta fuerant, ignominioſè ſubuerſis.

Illud *abſque te* aliter etiam exponi poteſt, id eſt, 31.
te non annuente, aut eligente. Ac ſi dicas dominati ſunt domini, non quos nobis tu præfeciſti, ſed quos noſtra nobis væſania, atque error impoſuit: illi videlicet, quos pro diis colimus, venter, libido, auaritia, dij noui, recentéſque, quos non coluerunt parentes noſtri. *Deut.* 32. In hanc ferme ſententiam alij communiter, & optimè. Sed quia locus difficilis eſt, & illuſtris, conabimur nos quoque aliquid addere ad aliorum cogitationem. Quod quale ſit, iudicabit benignus lector.

Et primùm ſi in *Dominis* idola Gentium, aut 32.
recentes Deos intelligamus, aptiſſimè ad ſuperiorem clauſulam ſic interpretabimur. Opera noſtra operatus

Deo omnia referenda, à quo profecta ſunt.

operatus es in nobis, Domine; abs te habemus vt viuamus, moueamur, & ſimus: ex quo fit vt noſtra tibi omnia, ac nos ipſos omnino debeamus. Sed pro dolor, externi domini, & alieni poſſeſſores in tuam poſſeſſionem irruperunt *abſque te*, id eſt, te vero Domino à tua tibi hæreditate deiecto. Fac ergo, Domine, licèt id grauiter ferat hominum natura ad malum prona, & ad molliores voluptates intenta, flagello, ac vexatione, vt mutati iam à priori ac deteriori ſtatu, meliora meditemur, & tui tantùm nominis perpetuò memores, de te vno ſemper cogitemus: quæque tibi debentur, quia abs te profecta, illa tibi fideles & grati referamus. Qui ſenſus ad mores egregius eſt, ſæpéque à ſanctis Patribus vſurpatur. Ad quod valde facit illud 1. *Corint.9.verſ.7. Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Quod ſi huc referas quod proximè antecesserat, *Domine dabis pacem nobis:* aliquid etiam accedit momenti morali expoſitioni: Neque enim pacem habebit homo, qui quæ Deo debentur, alienis dominis, mundo puta, aut hominum gratiæ, & opinioni ſeu gratis tradiderit, ſeu viliſſimo vendiderit pretio.

33. Humana, quæ in nobis dominātur, cogitationem abducūt à Domino.

Sin autem in *dominus* aliquid aliud intelligas, nempe eos reges externos, quibus ſuberant tunc plurimi ex Iſraelitico, aut etiam Iudaico regno, aut certè, qui poſſediſſe videri poterant, dum theſauros regios, atque etiam ſacros exhauriunt, dum illis aut auxilium emitur, aut periculum euitatur, ſeu libertas redimitur, tunc ſenſus erit meo iudicio facilis, & magis fortaſſe verus, certè non minùs ad textum, iuxta ea, quæ paulò antè dicebamus. Nam ex ſeuera correptione illorum, qui vitam agebant ſceleratam, & turpem, à quibus grauia populus iuſtus quotidie patiebatur, illum fructum ſperabat propheta, vt pace fruerentur iuſti, impiis iam ad veram religionem, & pietatem traductis, ex qua etiam pace id conſequebantur, vt ſublato hoſtili tumultu, ac metu, vnius Dei perpetuò recordarentur. Tunc autem hæc erit ſententia. Dum ab iniquis vexamur, non tu ſolus, ô Domine, poſſides nos, nam *abſque te*, id eſt, præter te, qui ſolus in animis noſtris dominari debueras, alieni etiam domini dominantur, dum timentur, dum illis placere, atque obſequi ſtudemus. Dabis itaque pacem ita vt non neceſſe ſit externos dominos timere, aut de illis, quod in dura vexatione neceſſe eſt, cogitare; ita vt de te vno cogitemus, te vnum intueamur, in tuo nomine noſtra conſilia, ſtudia, atque conatus conquieſcant. Cui expoſitioni fauet quod in textu vulgato, quidquid de Hebraico ſit, non eſt *recordabimur* ſed *recordemur*, quaſi illam occaſionem, & tempus optet propheta, in qua totus de Deo cogitare poſſit. Et quæ ſequuntur non tam idolis mutis, quæ non ſentiunt, quàm hominibus viuis, ſentientibúſque conueniunt. Quare hæc explicatio mihi præter cæteras placet.

34. Gigantes olim fuiſſe.

u *Morientes non viuant, gigantes non reſurgant.*] Hæc ab aliis communiter peccatoribus accommodantur, qui dum ita cogitant, plurimum huic poſteriori ſententiæ fauent. Aiunt autem prophetam hic optare, ac petere, vt in æternum pereant peccatores: & ita communiter. Seu certè, quod alij volunt, vt vbi ceciderint, nunquam ad antiquum ſtatum reſtituantur. Quæ mihi duriuſcula viſa ſunt. Sed antequam hæc aggredior, examinandum mihi eſt qui ſint רפאים *rephaim*, quos noſter interpres reddidit *gigantes*. De quibus, atque eorum

A nominibus [illegible] oborum ſaluti ſeueritatem pœ-
gnificatur [illegible] lenitatem. Nam quamdiu
gantes geminus [illegible] magiſque beneficiis ot-
in diſputatione quadam [illegible] aut exercuit incom-
lib.15. de ciuitate, cap. [illegible] ribus vitiis, neque
homines prodigioſ [illegible] tra ſunt. Illud du-
fanæ, ſed etiam ſacræ [illegible] Domino molli
nium *lib.7.cap.16.* & [illegible] neficiis, Deum
de admirandis auditis. [illegible] tribulationem
Virgilij adducit teſtimonium [illegible] vt ad Deum
tus hoc ipſum exemplo confirmat [illegible] uniret in-
inquit, *magnitudine plerumque* [illegible] erſis hæc
per vetuſtatem ſiue per vim fluminum [illegible] ntamen
B *ſua ſepulchra conuincunt, vbi apparuerunt* [illegible] s hæc
ceciderunt incredibilia oſſa mortuorum. Vidi [illegible] leas,
ſolùm, ſed alij quotquot erant mecum in [illegible] ten-
re molarem hominis dentem, tam ingentem, [illegible] ne-
ſtrorum dentium modulos minutatim concideretur, [illegible] li-
centum nobis videretur facere potuiſſe, ſed illum gigantis alicuius fuiſſe crediderim. Hæc Auguſtinus.
Quod Auguſtino, idem etiam aliis ſub hæc tempora in transmarinis oris ſpectare licuit. Nam dum deriuandæ Mexicanæ paludis gratia, quæ ciuitati graue minabatur exitium foſſæ aperiuntur, effoſſa ſunt hominum oſſa eius magnitudinis, vt ſi eorum, qui viderunt, ac retulerunt, fides non eſſet tanta, vt illa in dubium vocari non poſſet, res planè videretur ſupra omnem fidem. Vidi ego molarem hominis dentem effoſſum in nouo regno Granatæ, qui parum aberat à librali pondere. Sed quid externa quærimus teſtimonia, cùm ſacris abũdemus, *Gen.6.* ante diluuij tempora Gigantes fuiſſe traduntur. & *Deut.3.* ſolus Og Rex Baſan de ſtirpe Gigantum reliquus dicitur. & 2.*Reg.*21. & 1.*Paralip.*20. Gigantum mentio fit, eorúmque prodigioſa magnitudo deſcribitur. De hac ergo hominum inuſitata mole nemo credo dubitabit, atque ideo ad nominis notationem gradum facio.

Sidenote: buitur [illegible] [illegible] cordia.

35. Varia Gigantum nomina.

Varia ſunt Gigantum nomina, de quibus alij pluribus, nos de vno atque altero, quia ita præſens poſtulat locus, diſputabimus. Prius eſt רפאים *rephaim*, cuius à variis variæ afferuntur notationes. Mitto illam, quæ putat, ab Orpha nuru Noëmi, de quo *Ruth cap.1.* natum eſſe Guliath, qui occiſus fuit à Dauid; & item alium gigantem, de quo eſt 1.*Paralip. c.*20. à qua Orpha *Rephaim* videntur deduci potuiſſe. Sed iſtæ planè ſunt Rabbinorum nugæ, qui ſi quid vident ad populi plauſum opportunum, non verecundantur confingere. Hoc idem in Philone ſeu Pſeudophilone inuenies in antiquitatibus biblicis; cui libello prorſus indigno, qui Philoni aſcribatur, nihilo plus ego fidei habeo, quàm Rabbinorum nugis. Illud miror Prudentium idem cum Rabbinis ſenſiſſe. Sic enim ille in Hamartigenia cùm ageret de Orpha, ait illam contempta Noëmi maluiſſe

Fabula Hebræorum de Orpha.

——*Semiferi ſtirpem nutrire Goliæ.*

Sed cùm aliis multis confutari poſſet hæc Hebræorum cogitatio, hæc vna nobis in præſentia ſufficiat, quòd Orpha aliter ab Hebræis ſcribitur, quàm mater Goliath; illa enim dicitur ערפה *hhorphah*, hæc verò רפה *raphah*, vt 1.*Paralip.*20. *verſ.*6. ſeu הרפה *harapha*, 2.*Reg.*21.*verſ.*16.

36.

Alij רפאים *rapham*, dictos eſſe Gigantes arbitrantur à radice רפא *rapha*, quæ *mederi*, ſeu *ſanare* valet; quia hi ſani ſunt, & robuſti, valetudinis integræ, corporis toroſi, & ad omnem conatum, & pondus idonei. Alij à רפה *raphah*, quod ſignificat *diſſoluere*, quia ſuo tantùm aſpectu vaſto, atque

horribili hominum vires, ac neruos diſſoluebant. Mihi valde placet, quod etiam viſum eſt Pinedæ *in cap. 26. Iob* רפאים *rephaim*, vocatos fuiſſe ab Arapha, ſeu Rapha patre Goliath (patrem autem voco non matrem, quia Septuaginta articulum ponunt maſculinum.) Puto autem illum non vocari *Arapha*, ſed *Rapha*, quod, vt ita cenſeam, adducor, quia 1. *Paralip.* 20. pater Goliath bis dicitur *Rapha*. Quòd autem 2. *Reg. cap.* 21. vocatur הרפה *Haraphah*, ideo eſt, quia litera ה præfixa, nota eſt genitiui caſus, non propria dictionis. Et ita eo loco Septuaginta non conuerterunt, *Arapha*, ſed *Rapha*, quod etiam fecit Tigurina. Cùm igitur huius Rapha quatuor eſſent filij prodigioſæ vaſtitatis, & Gigantææ molis, de quibus 2. *Reg. cap.* 21. factum eſt, vt omnes quotquot eſſent immani corporis vaſtitate, à Rapha *Raphaim*, id eſt, à Rapha progeniti dicerentur, cuius rei non leuis eſt coniectura, quia etiam ab Enac homine Gigantææ magnitudinis, Gigantes quales fuerunt eius filij, *Enacim* communiter appellentur. *Num.* 13. *Deut.* 1. & 2. vbi monſtra illa dicuntur *filij Enacim*, & Septuaginta *Gigantes* vertunt. & *Num.* 21. à Vulgato magis explicatur, qui *filios Enac, gigantes* appellat. *Ibi vidimus monſtra quædam filiorum Enac, de genere Giganteo, quibus comparati quaſi locuſtæ videbamur.* Ex hoc mihi veriſimile eſt, à Rapha Gigantes vocatos eſſe *Raphaim*: ſicut *Enacim* ab Enac. Neque admodum refert quòd *in* 2. *Reg. c.* 2. dicatur הרפה *Haraphah*, cum ה, in רפאים *rephaim* verò ſit א: quia in quieſcentibus Hebræorum literis, vt norunt mediocriter eruditi, facilè vna litera mutatur in aliam eiuſdem ordinis. Et ita planè contigit in hac eadem voce, nam quæ 2. *Reg.* 21. dicitur רפה *raphah*, eadem 1. *Paralip.* 20. רפא *rapha* nominatur.

37. Gigãtes cur dicãtur *mortui*. Vocantur etiam Gigantes alibi *mortui*. Nam *Prouer.* 9. *v.* 18. vbi Vulgatus, *ignorauit quod ibi ſint gigantes*; Tigurina, & Pagninus vertunt *mortuos*. Eodem modo *cap.* 21. *verſ.* 16. Vbi noſter, *Vir qui errauerit à via doctrinæ, in cœtu Gigantum commorabitur.* vbi iidem, qui nuper, etiam vertunt *mortuos*. Quod etiam faciunt *Iſaiæ* 14. vbi Vulgatus legit, *Suſcitabit tibi Gigantes.* Rabbi Abraham *in cap.* 14. *Geneſ.* ideo putat Gigantibus cum mortuis nomen eſſe commune, quia hi qui Gigantes videbant, præ metu, atque ſtupore moriebantur. Quomodo paulò antè dicebamus ex aliorum ſententia dici רפאים *rephaim*, quia aliorum vires; & neruos diſſoluebant: Mihi nominis ratio valde apparet obſcura. Neque rationes ab aliis adductæ curioſo lectori ſatisfaciunt. Ego interim dum alia commodior occurrit, hanc amplector. Certum eſt Gigantes ita periiſſe vniuerſali diluuio, vt ex illis nullus fuerit ſuperſtes. Si qui tamen poſt diluuium gigantæa fuerunt proceritate de ſtirpe Enacim, ita illi defecerunt tempore Moyſis, vt vnus tantùm ſuperfuerit Og Rex Baſan *Deut.* 3. *Solus quippe Og Rex Baſan reſtiterat de ſtirpe gigantum.* Et poſt quatuor filios Arapha, ſeu Rapha, nullus deinde in ſacra Scriptura, quod ego meminerim, commemoratur de genere gigantæo. Quia ergo iam gigantes in terris eſſe deſierant longo ante Iſaiam tempore, fato functi, fit vt *gigantes* pro *mortuis* vſurpentur.

Prouerbiũ. Et id dici credo prouerbiali figura; ad quam videtur Iob alluſiſſe *c.* 3. *&* 14. *Nunc dormiens ſilerẽ cum Regibus atque conſulibus terræ.* id eſt, cum mortuis. Simile eſt illud Horatij *lib.* 4. *Car. Ode* 7.

Nos vbi decidimus,
Quò pius Æneas, quò Tullus diues, & Ancus,
Puluis, & vmbra ſumus.

38. His vtcumque expoſitis videndũ eſt, quinam ſint iſti gigantes, aut qui hoc loco dicuntur *morientes*. Mihi inpraeſentiarum videtur non longe eſſe à prophetæ ſenſu, ſeu ſtilo prophetiæ, ſi qui paulò antè dicti ſunt *Domini*, qui abſque Deo populum Iudaicum poſſederunt, iidem nunc vocentur *morientes*, & *Gigantes*: nempe vt Hieronymus, & alij putant, idola, aut quæ maximè amant, colúntque pro Diis ambitioſi, atque voluptuarij homines, quæ omnia propheta extincta, ac longè infra mortuos amandata eſſe vult, ne vnquam de illis hominum mentes vlla cogitatio ſubeat. Dij autem gentium gigantes putabantur à deluſo vulgo: ita nimirum fortes, vt non ſibi ſolùm, ſed etiam aliis ſaluti eſſe poſſent: dicuntur præterea iidem *morientes*, aut *mortui*, *Iſa.* 46. *Baruch cap.* 6. *Pſalm.* 113. & alibi millies.

39. Ego, vt in his, qui abſque Deo populum poſſederunt, peccatores homines intelligebam, ſic etiam nunc in morientibus, ac gigantibus peccatores intelligi poſſe puto; non tamen eo ſenſu, quem alij probant, nempe quòd illis Iſaias exitium optet, ac precetur, ſed aut quod prædicat potiùs, quis maneat exitus peccatorum fortunatorum: aut certè ideo optet, vt illis aliquid contingat aduerſum, vt ab antiquo errore reſipiſcant, & meliora cogitent. Quo ſenſu ſuprà diximus temporalia incommoda magnum afferre vſum peccatoribus ad animorum ſalutem.

40. Secundò exiſtimo his verbis, *morientes non viuant: gigantes non reſurgant*, iterari eandem ſententiam: ita vt idem ſit morientes non viuere, ac non reſurgere gigantes. Nam, vt ſuprà vidimus, multi pro רפאים *rephaim*, & gigantibus, *mortuos* tranſtulerunt: & hunc locum Pagninus ita conuertit, *Mortui non viuent, mortui, qui dominati ſunt nobis, non reſurgent.* Exiſtimo autem hic ſubaudiri notam ſimilitudinis, in hunc ſenſum. Non viuant, ſicut non viuunt mortui; neque reſurgant, ad priores nempe ſpiritus, & inſolentiam. Et ſicut proſtrati ſemel gigantes, non ſunt ad priorem potentiam, & Tyrannidem excitati, ſic ipſi, quo ſeipſos meliùs cognoſcant, ab ea, quam ſubiere, ruina non reſurgant. Porrò hic *non viuant*, hyperbolica locutione ſumitur pro durè vexari, quomodo Paulus dixit, *Quotidie morior.* quæ forma dicendi apud profanos & ſacros obuia eſt. De idolis quomodo hæc accipienda ſint, iam explicuimus.

41. Pro *Gigantibus*, Septuaginta reddidere *Medicos*, iuxta radicis notationem, nam רפא *rapha*, *mederi* ſignificat. Neque ſenſus diuerſus eſt. Sic autem illi *Mortui vitam non videbunt, neque medici ſuſcitabunt.* Et vbi iidem Septuaginta, *Pſalm* 87. transferunt, *Numquid mortuis facies mirabilia, aut medici ſuſcitabunt?* Pagninus & Tigurina reddunt, *Num mortui reſurgent?* Hieronymus eodem modo quo hîc, *Gigantes reſurgent.* Hebraicè ſunt eadem omnino verba.

42. Quia locus hic obſcurus, & impeditus eſt, non erit abs re, ſi illum aliter explicare tentemus. Symmachus, vt notauit Hieronymus, ſic vertit hunc locum, *Mortui non viuificabunt, Gigantes non ſuſcitabunt.* Quæ tranſlatio ſatis congruit cum textu Hebraico, iuxta quem rationem videtur reddere propheta, cur tantùm veri Dei voluerit retinere memoriam, & illum vnum colere, vt Deum, & vt Domino ſeruire. Nam ab aliis dominis, quicumque illi ſint, qui abſque vero Deo populum poſſederunt, nihil omnino ſperari poterit rebus humanis

oppor

opportunum. Non à diuitiis, quæ faſtus alunt, & libidinem fouent: non à voluptate, quæ vires debilitat, & ad mortem trahit: non ab hominibus, tametſi illi Gigantes eſſe videantur, cùm ipſi quoque cadant; vnde etiam נפלים *nephalim* vocantur, id eſt, *cadentes*, lapſum & miſerum excitare non poſſunt: non denique ab idolis, & Gentium diis, quia cùm hi mortui ſint, vitam hominibus præſtare non poſſunt.

43. x *Propterea viſitaſti, & contriuiſti, & perdidiſti omnem memoriam eorum.*] Communiter hæc de reprobis intelliguntur: neque ego improbo, ſed potiùs amplector. Nihilo tamen minùs puto hæc aliter explicari poſſe, idque dupliciter: Primò vt hæc ad Iudæos, & ad idola, quæ illi paulò antè colueiant, referantur accommodatè ad illorum ſententiam, qui de idolis ſuperiora capiunt. Perdidit Dominus idolorum memoriam in Iudæorum animis aſſidua vexatione, quia ſub Achaz per Reges Syriæ, atque Samariæ populum Iudaicum malè mulctauit, & penè exhauſit viris atque opibus. Deinde per Senacherib res Iudaica in eas anguſtias deducta eſt, vt præter Ieruſalem reliqua penè omnia in hoſtium poteſtatem venerint. Sublata ergo materia voluptatis, quæ idololatriæ quoddam genus eſt, à victore, & imminente iam hoſte; imò ſublata penè libertate ad Dominũ rediere ſub Ezechia: quo tẽpore hæc dicebantur à propheta, abiecta prorſus idolorum memoria, à quibus in illa rerum anguſtia nihil opis habuerunt. Sumit ergo, vt mihi videtur, argumentum ab exemplo. Nam cùm Dominus viſitauerit contriueritque aſſiduis infortuniis populum Iudaicum, id perfecit, vt perdiderit memoriam idolorum in terra Iuda; Sic etiam veriſimiliter videtur futurum, ſi eodem modo gentes impios incommodis inſectetur & vrgeat. Et vehementer huic expoſitioni aſſonat, quod ſubiicitur ſtatim, *Indulſiſti genti, numquid glorificatus es?* de quo mox.

44. Secundo modo explicari poteſt, ita vt ſermo ſit de illis dominis, qui ſic erant Iudaico nomini infenſi, & potentia atque immanitate terribiles, vt imbecilla Iudæorum mens, non poſſet de illis ſæpius non cogitare. Quocirca cùm Dei, qui in nobis operatus eſt omnia, recordari deberent, hoſtium ſuorum interdum recordari cogebantur. Quare orauit Propheta paulò antè Dominum, res ita conſtrueret, atque diſponeret, vt non iam ampliùs recordarentur hoſtium, qui tanquam Domini non tantùm Iudæorum opes manu, ſed etiam eorum animos metu poſſederant. *Dabis*, inquit, *pacem nobis*, &c. *tantùm in te recordemur nominis tui.* Id nunc propheta dicit fuiſſe completum debellatis Regibus, qui res Iudaicas perturbauerant, Samariæ nempe, & Syriæ, & fortaſſe Senacherib (neque enim, ſi poſt hæc illis clades deſcripta eſt à propheta, efficitur ante hoc tempus non contigiſſe) nam cùm Deus illos viſitaſſet atque contriuiſſet, illorum quoque memoriam perdidit, paſſiuam intelligo, id eſt, fecit ne iam Iudæi ab eorum dominatu & timore liberi, illorum ampliùs recordarentur. Neque diſſimilis valde ſenſus eſt, ſi hic præteritum pro futuro ſumas, quod faciunt frequenter prophetæ, quaſi dicatur, viſitabis & conteres, Domine, eos, qui nos poſſederunt abſque te: & ita dabis nobis pacem, abolebiſque omnino ex animis noſtris inimicorum memoriam, vt de te vno perpetuò cogitemus.

45. y *Indulſiſti genti, Domine, indulſiſti genti: numquid glorificatus es?*] Ab effectu probat Iſaias magis opportunam eſſe improborum ſaluti ſeueritatem pœnæ, quàm clementiæ lenitatem. Nam quamdiu Deus mitis fuit in impios, magíſque beneficiis ornauit, quàm affecit ſupplicij, aut exercuit incommodis, hæſerunt ipſi prioribus vitiis, neque Deum glorificauerunt. Hæc aperta ſunt. Illud dubium an gens hæc quæ tractata à Domino molli manu, ornatáque nouis quotidie beneficiis, Deum non glorificauit, ſit Iudaica, iam per tribulationem ad Deum conuerſa; vel gentilis, quæ, vt ad Deum conuertatur, precatur propheta. Communiter interpretes de impiis nondũ ad Deum conuerſis hæc accipiunt, neque id mihi diſplicet. Verumtamen magis videtur expeditus ſenſus, ſi de Iudæis hæc accipias. Neque tunc erit aliquid, quod ſuppleas, aut à verſus lenitate detorqueas, in hanc ſententiam. Quamdiu Iudaicæ genti indulſiſti, non abiecit alienos Deos, ſed (vt eodem propè tempore dixit Oſeas *cap.* 10.) *ſecundum magnitudinem fructus ſui multiplicauit altaria, iuxta vbertatem terræ ſuæ exuberauit ſimulacris.* Sed illa eadem gens erudita duriùs rediit ad te. Sic ergo faciet populus nunc alienus, ſi illum duriori percuſſeris virga. Quare hic vt ſuprà argumentatur Iſaias ab exemplo.

Peccator a- / butitur diuina miſericordia

46. z *Elongaſti omnes terminos terræ.*] Variè hic locus exponitur. Hieronymus ex hac Dei indulgentia dicit ingratos populos à Deo receſſiſſe ad vltimos vſque terræ terminos, id eſt, longiſſimè, quem Adamus & alij ſequuntur. Dionyſius paulò aliter, dicit enim ideo omnes terminos terræ à Deo fuiſſe abalienatos, quia experti ſunt erga ſe clementem Deum. Eodem modo Lyra, neque ego abnuo. Sed conſentaneè ad ea, quæ ſuprà dixi, exiſtimo hæc etiam pertinere ad populum Iudaicum, cui dum Deus amplificauit fines, liberéque permiſit, & ſine metu peruagari omnes terminos terræ, nẽpe promiſſionis, receſſit à Domino, excitauitque in omni excelſo, atque frondoſo loco aras Deorum ſimulacris: quod ſæpe dolent & queruntur prophetæ. Contrà verò poſtquam coanguſtatus eſt locis, & ærumnis oppreſſus, mutauit mentem intellectu per vexationem illuſtrato. Per *elongationem terminorum* ſignificari fauorem, & indulgentiam tradunt Vatablus, Emanuel Sa, Leo Caſtrus; & ita eſſe perſuadet, quod ſtatim de anguſtia contrapoſita ſubditur.

47. aa *Domine in anguſtia requiſierunt te.*] Tempus hoc præteritum ſatis indicat ſermonem eſſe de Iudæis: neque enim apparet quæ vlla alia natio humaniùs antea accepta, doloribus deinde inſtimulata reuerſa fuerit ad Deum. Porrò ſiue *anguſtiam* hic pro anguſtis regionis finibus, ſiue pro ærumnoſa vitæ conditione ſumas, opponi credo longis terræ terminis de quibus proximè. Nam vel ſpatium ſignificant in quibus laxè viuebat populus Iudaicus, ſiue vitæ libertatem, quam illa locorum laxitas, & amplitudo deſignat. Eſt ergo ſenſus, Ille populus, qui in laxis ſpatiis acceptus abs te molliter non glorificauit te, idem in anguſtis finibus durè coarctatus te requiſiuit. Quæ ſententia in ſacra Scriptura valde frequens eſt. De impiorum proſperitate Ieremias *cap.* 5. *verſ.* 28. *Magnificati ſunt, & ditati, & incraſſati ſunt, & impinguati, & præterierunt ſermones meos peſſimè.* Idem *Deut.* 23. *verſ.* 15. *Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit. Prouerb.* 1. *Proſperitas ſtultorum perdet eos.* Contrà verò de afflictione *Oſeæ* 6. *In tribulatione ſua mane conſurgent ad me. Ierem.* 2. *In tempore afflictionis dicent, Surge, & libera nos.* Et *Pſalm.* 82. *verſ.* 17.

Vexatio interdũ multò quàm lenitas vtilior.

Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum, Domine.

48. ᵇ ᵇ *In tribulatione murmuris doctrina tua eis.*] Sicut boum doctrina ſtimulus eſt, ſic ſtulti non aliter diſcunt niſi ſtimulo compuncti. Quare apud Hebræos eadem vox מלמד *malmad, ſtimulum*, & *doctrinam* ſignificat. Fuit itaque doctrina, qua Dominus vtiliter atque efficaciter erudiuit populum ſuum tribulatio, quia illa edoctus reuocauit curſum, quo ad vitia ferebatur effrænatus. Quæ, cur dicatur *murmuris*, iam explicandum. Quidam putant ideo *doctrinam murmuris* appellari, quia cùm tribulationem homines inuiti ferant, obmurmurare ſolent, & aliquid obgannire contra ferientem. Ab eo ergo quod communiter accidit, *tribulatio* dicitur *murmuris*. Ita Lyra, Dionyſius, & Adamus. Hieronymus cenſet *tribulationem murmuris* vocari eam, quæ eiuſmodi eſt, vt præ magnitudine libertatem, aut facultatem plorandi eripiat, quod in magno dolore, ſeu oppreſſione fieri ſolitum docuimus ad illud *cap.* 21. *Omnem gemitum eius ceſſare feci.* Sic autem Hieronymus: *Tantum eis malorum pondus incumbet, vt ne clamare quidem audeant confidenter, ſed dolorem ſuum ſilentio deuorent.* Idem cum Hieronymo alij. Vatablus, & Foreirus in *murmure* orationem intelligunt, ad quam confugiunt qui vrgeri ſe malis, & iactari ſentiunt. Sed non puto eſſe ad textum. Alij exiſtimant in *murmure* ſignificari tribulationem vtilem, quæ facit vt homo ſeipſum tacitè reprehendat, & deteſtatus vitæ ſuperioris inſtitutum meliora cogitet. Ita indicat Sa, qui gemitum in murmure agnoſcit: & Chaldæus, qui ſilentium, id eſt, tacitum murmur, quo in ſeipſos indignantur, qui amaro atque mœrenti animo ſunt: quod ſacra Scriptura communiter per verbum *compungi* ſignificare ſolet; Ex his expoſitionibus, placet magis, quam Hieronymus probat, quia magis videtur ad inſtitutũ conſentanea; Videtur enim id velle propheta vt homines inſigniter rebelles, inſigni aliquo percutiantur vulnere: vt qui alto ſopore ſunt oppreſſi, acutis compuncti ſtimulis excitentur.

Peccator ſtimulis eruditur.

Tribulatio murmuris.

49. Septuaginta pro *murmure*, *paruam* conuertunt, *in tribulatione parua doctrina tua nobis.* Iuxta quorum tranſlationem ſic locum interpretatur Hieronymus. Si parua tribulatio docet, & emendat, & corrigit, quantò magis magna, cùm admonemur conditionis noſtræ, & Dei potentiæ recordamur. In qua tranſlatione ego quoque hîc obſeruo paruam videri ſanctis tribulationem, quantumuis illà grauis ſit (vt re vera fuit quam paſſi ſunt Iudæi ſub Achaz & primis temporibus regni Ezechiæ, de quibus hîc videtur agere propheta) præ illa vtilitate, quam ſecum affert dum in nobis excitat Dei memoriam, & rerum humanarum vilitatem, atque inconſtantiam oſtendit: ac tandem liberat ab his pœnis, quibus propheta ſuprà torqueri videtat ſceleratos homines.

50. ᶜ ᶜ *Sicut quæ concipit, cùm appropinquauerit ad partum dolens clamat.*] Vt rerum fert natura, partus ſine dolore non fit, qui vſque adeò grauis eſt, vt à Græcis maximus dolor appelletur, ὠδὶν, qui eſt dolor ille, quem in enixu patitur puerpera. Et in ſacra Scriptura dolor partus pro acerbiſſimo paſſim vſurpari ſolet. Sic ergo propheta peperiſſe ſe, & populum antè voluptati deditum, atque idololatriæ, dicit *ſpiritum*, id eſt, non tam id, quod ſenſus titillat voluptarios, quàm quod animum paſcit, atque confirmat, Non tamen ſine dolore, qualis eſt in partu ex contorſione viſcerum, laterum concuſſu, carniſque diuiſione. Vt autem ille dolor clamare cogit fœminam puerperio laborantem, donec tandem fœtum enixa à partu, doloréque ſoluatur, ſic qui ſpirituali aliquo puerperio laborat, clamat, & gemit, donec in lucem edat quod antè concepit.

Pœnitentiæ fructus.

51. ᵈ ᵈ *Sic facti ſumus à facie tua Domine.*] Optimè parturientis metaphora exprimit, quid homini in ſpirituali partu contingat: Vt enim cùm partus aduenit dolor antecedit, ingraueſcitque magis, quò propior eſt luci fœtus: & tunc à dolore vehementius exprimitur gemitus; ſic à facie Domini peccatori contingit. De eius aduentu Iob *c.* 10. *v.* 16. *Reuerſus mirabiliter me crucias.* Vide in hunc locũ Gregorium. Cæterùm illud *à facie tua Domine*, Hieronymus ad ſuperiora refert hoc ſenſu. Quod parturiens ab inſtanti partu, id nos Domine à facie tua, id eſt, abs te iam adueniente paſſi ſumus. Alij ad inferiora, in hanc ſententiam. Vt populus antea à bono fœtu ſterilis à facie Domini dicatur concepiſſe, bona nimirum deſideria, eáque cum dolore parturiiſſe. Ita Dionyſius, & Haymo. Non puto valde referre huc ne an illo modo diſtinguas, quia ſententia, non eſt valde diuerſa. Accipio tamen libentiùs priori modo, quia ita communiter diſtinguitur in Biblijs Latinis.

52. ᵉ ᵉ *Concepimus & quaſi parturiuimus, & peperimus ſpiritum.*] Vir quidam valde doctus, & pius *ſpiritum* hoc loco cenſebat eſſe ventum, & in hanc ſententiam hunc accipiebat locum. Suſtinuiſſe quidem populum dolores, quos ſuſtinet puerpera; non tamen illud contigiſſe illi leuamentum, aut ſolatium doloris, quod parturienti. Nam illa poſtquam peperit, dolore leuatur, & augetur fœtu, at populus poſt dolores longi atque moleſti partus ventum peperit, id eſt, rem euanidam, neque ſalutem facit, id eſt, conſecutus pacem, aut doloris fructum. Quæ explicatio ſanè acuta eſt, & quæ ſumpta ſeorſum à capitis filo ſatis eſt ad plauſum. Neque parum fauet quod ſequitur, *ſalutem non fecimus in terra.* Sed illam non poſſum non improbare, quia malè hæret cum adiunctis, & turbat omnia, quæ hactenus dicta ſunt.

Peccatorum labor moleſtus, & vacuus.

53. Hîc ego repeto quod Hieronymus ad ſuperiora retulit *à facie tua Domine.* Nam à Deo præſente, ſtimulante, & turbante ea, quæ in terris clara, atque ſtabilia videri poterant, concepit populus in viſceribus propoſito timore concuſſis, noua deſideria, eodem formante magis, atque maturante fœtum parturiit, id eſt, ad partum vſque, vbi grauiſſimus dolor eſt, fœtum perduxit: & eodem ad finem vſque operis intento, & quaſi obſtetricante, quod à Deo formatum, atque animatum fuerat, peperit, ſpiritum nempe. Neque mirum, cùm non à carne, ſed ab ſpiritu timoris obumbrante conceperit.

54. Hæc quidam ad ſpirituales, & Apoſtolicos viros referunt, quorum officium eſt, ſi modò Euangelij miniſtri, & Chriſti cooperatores eſſe velint, eò incumbere, vt homines ab eo concipiant ſobolem tanto genitore dignam: & contra omnem doloris vim, & acerbitatem obdurantes ſpiritum parturiant. Cui muneri vt ſatisfaceret Paulus, quid non aggreſſus, quid paſſus non eſt? Qui quò Chriſtus, id eſt ſpiritus ſalutis formaretur in diſcipulis, dolores parturientis ſuſtinere ſe dicit *ad Galat.* 4. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.* Ita Hieronymus, qui in ſequentis verſus explicatione aſſerit habitatores orbis non cecidiſſe,

Quid in auditore generare debeat vir Apoſtolicus.

cidiſſe, nempe à peccatis, quia nos tam lenti ſumus ad pietatis ſtudium. Sic illum explicat Adamus, qui in hunc ſenſum etiam interpretatur hunc locum, ſed Hieronymus obſcurè loquitur, & in aliam fortaſſe ſententiam.

55. f f *Salutes non fecimus in terra, ideo non ceciderunt habitatores terræ.*] Quidam *ſalutes* cum *ſpiritu* coniungunt, & in ſecundo caſu ſtatuunt, & ita legunt, *ſpiritum ſalutum non fecimus.* Ita Foreirus, qui hic inducit ſanctos, quaſi querulos de diuina prouidentia, qui cum conceperint eum dolore, & cum eodem parturierint, pepererintque ſpiritum ſalutum, tamen ab impiis, qui ſuper terram regnant, opprimuntur. Et putat verbum, pro quo vulgatus *fecimus* reddidit, ſignificari hoc loco *oppreſſimus*, quaſi dicant iuſti in ſua querela, *ſpiritum ſalutum non oppreſſimus; nemini exitio, aut noxæ fuimus: non ceciderunt habitatores terræ per nos à ſua ſede depulſi*, &c. Sed communiter alij *ſalutes* à *ſpiritu* diſpungunt, ſed variè explicant. Adamus ad viros Apoſtolicos refert, ex ſententia, vt ipſe putat, Hieronymi, qui ideo putat non cecidiſſe ex ſuis erroribus, ac ſtudiis habitatores terræ, quia viri Apoſtolici & diuini verbi præcones, qualis erat Iſaias, parum ſtrenuè datas ſibi partes obierunt.

56. Alij ſupereſſe ideo putant habitatores terræ, id eſt, impios, & vexatores, à quibus Iudæi eo dolore exerceotur, & vexantur, quo torqueri ſolent puerperæ, quia videlicet ſalutes non fecere, id eſt, ſtrenui non fuerunt in ſtudio colendæ pietatis, & extirpandi vitij, quod altiùs eorum animis inſederat. Quæ ſententia mihi probatur magis, & quia communior, illam enim amplectuntur Hieronymus, S.Thom. Haymo, Dionyſius, Hugo, & quia magis cum ſuperioribus cohæret. Nam cùm paulò antea ſignificauerit propheta ſtimulum, & tribulationem conferre plurimùm, vt homines ab iniquitate ad iuſtitiam redeant, idque ſuæ gentis exemplo probauerit, nunc cauſam reddit, cur habitatores terræ, hi nimirum, qui Iudaicis rebus infenſi ſunt, deleri non fuerint, quia videlicet, cùm ſalutes non fecerint, id eſt, opera ſancta, qualia ſalutem & pacem parere ſolent (ſumitur enim effectus pro cauſa) intererat maximè vt per gentes inimicas adhuc vexarentur, quò longiori exercitatione eluereter, quidquid adhuc ſuperaret vitij. Cæterùm hîc *habitatores terræ* illos eſſe credo, qui ex alienigenis terram promiſſionis occupauere, aut qui ex ea à filiis Iſrael exturbati non ſunt; nam vtrique Iudæos ſæpe, & variè bello tentarunt. Eſt autem obſeruatum à Hieronymo in illud *Iſaiæ* 13. *Diſperdam omnem terram.* ſæpe ſumi *omnem terram* pro certa regione accommodatè ad ea, de quibus eſt ſermo.

57. Carnis Reſurrectio. g g *Viuent mortui tui, interfecti mei reſurgent.*] Duo hîc coniungit propheta accommodatiſſimè ad ſuperiora. Egerat, vt vidimus, de extremo iudicio, cui, vt fides docet, adiuncta eſt mortuorum reſurrectio, oſtenderátque potentes, & ſuo ſibi genio addictos durè cruciandos; contrà verò pauperes, & quibus in hac vita nihil cum otio, aut cum voluptate conſuetudinis fuit, æterna cum Deo pace fruituros. Ad extremum docuit laborem, & afflictionem ad hanc fœlicem ſortem valde conducere, in quibus tunc etiam populum ſuum per vicinos, aut etiam alios hoſtes vrgeri dixit: quo nimirum eſſent & purgati magis à ſordibus, & ad futuram gloriam expediti. Nunc eos, quos durus exercebat labor, conſolatur propheta, propoſito præmio, quod illam moleſtiam, quam antea ſubierant, & quæ etiam in præſentia premebantur, conſequetur. Hæc porrò verba quidam ita diſtribuunt, vt prior pars attribuatur prophetæ, poſterior Deo; ita vt propheta dicat. *Viuent, ô Domine, mortui tui.* Deinde reſpondeat Deus: *Ita eſt, vt dicis, viuent interfecti mei.* Ita Adamus, & Emanuel Sa. Foreirus vtrumque adſcribit Deo, ita vt Deus Iſaiæ dicat, mortuos eius redituros ad vitam: Deinde per correctionem ſubdat, interfectos eſſe ſuos. Quaſi parum honoraſſet mortuos illos; ſi *Iſaiæ mortuos* vocaſſet, & non *ſuos*. Variæ adducuntur à variis expoſitiones. Haymo vtramque partem tribuit Iſaiæ: ita vt dicat victuros eos, qui Domino dicuntur mortui, quia pro eius gloria mortem oppetierunt, quos etiam appellat *ſuos*, quia eodem ſecum mortis genere ſublati ſunt. *Suos* vocat martyres, quia ipſe quoque pro cauſa Dei ſerra ſectus eſt lignea. Quæ ſententia mihi probatur maximè, ſi modò tam *mortui Dei* quàm *interfecti mei* latiori ſignificatione ſumantur. *Mortui* quidem pro illis, qui alibi dicuntur *in Domino mortui*, id eſt, propter Dominum: id enim ſignificat præpoſitio *in*: quales ſunt qui carnis affectibus bellum, & mortem indixerunt. Qui etiam *interfecti mei*, id eſt, Iſaiæ, vocari poſſunt: vel quia ſocij eius fuerunt, in vitæ conſilio, nam & ipſe illud quoque vitæ genus non molle, aut delicatum, ſed aſperum & durum amplexus eſt; aut etiam, qui eo tempore pro Domino patiebantur, ex genere erant Iſraelitico, ex quo etiam ortus Iſaias. Quare *interfectos* appellat *ſuos*, quia cum illis habuit commune genus.

Illud non omittendum pro *interfecti mei* Hebr. eſſe נבלתי *nebelathi*, quod valet, *cadauer meum*, & ita vertunt Vatablus, & Pagninus; alter *ſicut corpus meum*, alter *ſicut cadauer meum*. Qui addidere *ſicut*. quia in Hebraico idiomate aliquando nota ſimilitudinis ſiletur. Tunc autem ſenſus erit, Mortui tui, ô Domine, reſurgent cum cadauere meo, id eſt, *mecum* ſub finem ſæculorum. Videtur autem propheta hic confiteri quod à Iob didicerat, *& in carne mea videbo Deum.* Aut quod à Domino didicerat, nempe in ſua ſe carne reſurrecturum. Ex hoc loco Auguſt. *lib.* 20. *de ciuitate cap.* 21. & Tertullianus *lib. de reſurrectione carnis cap.* 3. probant carnis reſurrectionem. 58. Reſurgendum in eadem carne.

59. h h *Expergiſcimini, & laudate, qui habitatis in puluere.*] Si verba hæc ſint in imperatiuo, confirmat Iſaias eos, qui nunc acerbè incommodis vrgentur, ſpe melioris conditionis, quæ poſt exitium, & puluerem manet. Videri alicui poſſet, vt alibi ſæpe in hoc propheta, imperatiuum pro futuro poni, neque id reſpuit orationis filum. Nam ſicut ſupra dixit *mortui viuent*, ſic modò eos, qui in puluere habitant, excitandos dicit, & Deum laudaturos. Nihilominus exiſtimo ſecundam eſſe perſonam in imperatiuo, quod alij ferme omnes exiſtimant. Tunc verò apoſtrophe eſt incluſa parentheſi; ita vt quod ſequitur, *quia ros lucis*, coniungatur cum *viuent mortui, & interfecti mei reſurgent.*

60. i i *Quia ros lucis ros tuus.*] Reddit nunc rationem propheta, cur mortui ſuſcitandi ſint è puluere, quia emittet aliquando Deus matutinum rorem, quo defunctorum corpora iam in puluerem ſoluta non aliter reuiuiſcant, quàm emortuæ herbæ cæleſti imbre. Ita cenſent autores communiter. Neque abs re videtur quod putat Pradus *in cap.* 26. *Ezechi. verſ.* 20. qui præſcribi hîc cantilenam putat à propheta his, qui habitant in puluere, & qui priùs mortui Domini dicebantur, quam in

Dei laudem cantare iuſſerat, cum dixit, *expergiſcimini, & laudate, qui habitatis in puluere.* Eſt autem cantilena *ros lucis* vſque ad *in ruinam.*

61. *Reſurrectio à Deo.* Sed hic obſeruandum pro *lucis* Hebr. eſſe אורות *oroth*, in plurali, ac ſi dicas *luminum*, in qua voce latere videtur elegás metaphora: nam etiam אורות *oroth*, *olera* ſignificat, aut *virentes herbas*: vt liquet 4. *Reg. cap.* 4. *Egreſſus eſt vnus in agrum vt colligeret* אורות *oroth*, pro quo vulgatus *herbas agreſtes*, alij *olera* vertunt. Cum ergo Hebræorum phraſis ſimilitudinis notam interdum omittat, ſenſus eſſe poſſet non elegans, *quia ſicut ros cadens ſuper herbas, ſic ros tuus cadens ſuper oſſa.* *Rorem* autem appellat verbum Dei, aut Angelicæ tubæ clangorem, in fine mundi, aut aliquod aliud diuinum beneficium, aut imperium. Noſter *ros lucis* aptiſſimè reddidit, qui etiam in plurali poſſet conuertere *ros luminum*, quia ros luminis, id eſt, ros matutinus, aut antelucanus, gratus eſſe ſolet, & fœcundus agris; & nuntius eſt aduenientis lucis; ſic etiam Dei verbum, quod *ros antelucanus* dici poteſt (quale verbum ſuum eſſe aut optabat, aut prædicabat Moyſes, cùm dixit *Deut.* 23. *Fluat vt ros eloquium meum: quaſi imber ſuper herbam, & quaſi ſtilla ſuper gramina*) mortuis & vitæ lucem oſtendet, à qua exciderant, & melioris vitæ lumen illuſtrius, ad quod aſpirabant.

62. Credo autem contra quàm Hebræorum doctores exiſtimant, propriè אורות *oroth*, appellari *lumina*, & metaphoricè transferri ad agrorum herbas, quia non aliter herbis illuminatur ager, quàm cœlum luminibus. Quare herba dicitur *pulchritudo agri*, *Pſal.* 49. *verſ.* 11. & *facies terræ* iuxta illud *Pſal.* 103. *Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ.* *Terræ* autem *facies* herbæ ſunt, & aliæ plantæ, quæ ſub hyemali glacie exaruiſſe ac defeciſſe videbantur. Neque in aliis linguis dura eſt, aut inuſitata metaphora: nam agri *nitere* dicuntur, aut *ſplendere*, quod à lumine eſt, & quia verna clementia intepeſcens ager herbis pubeſcit, *affulgere* dicitur *ver*, quod illud metaphoricum lumen, quod eſt ab herbarum pulchritudine, agris reducit.

63. *Prouerbiũ.* Cæterum hæc dicendi figura, vt reor, prouerbialis eſt, qua vtimur, quoties aliquid emarcidum, aut mortuum ad virorem, ſeu ad vitam reuocatum iri ſignificamus. Quale eſt illud *Deut.* 23. *Quaſi imber ſuper herbam*, quæ nimirum illam viuere ac virere facit. Et in hac ipſa materia infrà *cap.* 66. *Oſſa veſtra quaſi herba germinabunt.* & *Eccl.* 46. *Oſſa eorum pullulent.* & *cap.* 48. *Oſſa pullulent de loco ſuo.* quæ metaphora eleganter adumbrat reſurrectionis articulum.

64. kk *Et terram Gigantum detrahis in ruinam.*] Si cum Prado hanc ſtatuas eſſe mortuorum in Domino cantilenam: hæc illius altera pars eſt. Laudant enim ſancti Dominum, quòd cùm ipſi tanquam florentia germina ad vitam, & honorem è ſepulchro pullularint, gigantes tamen, id eſt, ſuperbos ac potentes, & qui eò incumbebant maximè, vt perpetuò viuerent, in ruinam detrahendos, id eſt, ad vitam vſque adeò ærumnoſam, vt longè illi mors anteferri debeat. Erunt itaque tanquam fœnum aridum, & inutile, quod à terra abſcindetur ſiue eruetur à ſepulchris: non vt iterum vireat, ſed vt ſempiternis tradatur flammis. Quòd ſi hæc cantilena non eſt, hortatur iuſtos, vt eandem ob cauſam Deo gratias agant. Neque admodum ad ſenſum refert quocumque hæc accipias modo. Pro re morali ad extremum obſerua, oſſa, quæ hic humiliata ſunt, diuino ſtillante rore ſuo; id eſt, legitimo tempore pullulaſſe, atque floruiſſe: eo, inquã, tempore, quo hiberna glacies nunquam exurat florem, aut nitorem auferat. At terra Gigantum, quia ante ſuum tempus germinauit, alieno videlicet, in quo luxuriari ambitioſo foliorum, & florum ornatu tutum non eſt: Ideo detracta eſt in ruinam, & externa illa ſpecies exuſta. Quibus accidit id quod amygdalæ iuxta Hiſpanicum prouerbium, quæ quàm citò ad primum veris teporem flores producit, tam citò perflante Borea defloreſcit.

In cœlo quærendus ſplẽdor, qui in terra momentaneus eſt.

65. ll *Vade populus meus, intra in cubicula tua; claude oſtia tua ſuper te, abſconde te modicum.*] Conſolatur nunc illos propheta, qui in Domino moriuntur, quia breui futurum eſt, vt ſtillante matutino rore ad vitam reuocentur. Ita cum Hieronymo communiter interpretes, & alij plures, qui ex hoc loco probant reſurrectionem carnis. Et in *cubiculis* ſepulcra intelligunt, & ſermonem putant ſimplicem, quo iubentur mortui bene ſperare, & libenter ingredi ſepulcra, & ibi quieti expectare, donec tempus reſurrectionis adueniat. Quæ ſententia mihi valde atque omnino probatur. Addo tamen videri hic intelligendam ſimilitudinis notam, ita vt ex tacita comparatione appareat neque longum neque moleſtum fore illud domicilium, in quo mortuorum cadauera requieſcent. Sicut enim, qui noctu cubicula dormiturus ingreditur, etſi aliquantiſper clauſo oſtio futurus ſit in tenebris, ingreditur tamen non grauatè, quia propè eſt vt lux adueniat, & foras ſe rurſus det in aliorum conſpectum; Sic etiam moleſtum videri non debet mortuis in Domino, ſi aliquantiſper in ſepulcro iaceant: nam quodlibet tempus, ſi æternitatem ſpectes, momenti inſtar obtinet. Neque hæc comparatio nunc primùm occurrit in Iſaia, quæ in ſacra Scriptura familiariſſima eſt. In qua ſomnus *mors* dicitur, & *mori* dormire, ſeu quieſcere; & locus, vbi mortui conduntur *cubile*, ſeu *dormitorium*, id ſignificat vox Græca [illegible] *Cœmeterium*. Sic ergo expono locum. Fac, ô popule mi, perinde tibi futuram eſſe mortem, & ſepulcrum, ac ſi cubiculum ſomni gratia ingrediare, in quo clauſo oſtio modico tempore requieſcas, vt tandem poſt ſomnum orto ſole lucem iterum videas.

Mors quin non horrenda bonis.

66. *Dies iudicij terribilis.* mm *Donec pertranſeat indignatio.*] Hic omnes diem intelligunt iudicij extremi, qui dies ex communi vſu ſacræ Scripturæ *indignationis* dicitur *Dei.* Nam licèt ibi appareat ſingularis Dei benignitas in iuſtos, ſed non minor apparebit furor in damnatos. Qui cum multò plures futuri ſint, *quia ſtultorum infinitus eſt numerus*, à furore potiùs, quam à miſericordia nomen accepit extremus ille dies. Quare illum Ioel *cap.* 2. *diem* vocat *terribilem.* Sophonias *cap.* 1. *Dies iræ dies illa, dies tribulationis, & anguſtiæ, dies calamitatis, & miſeriæ.* Et ſigna, quæ illius diei prædicta ſunt, furorem potiùs portendunt, quàm clementiam. *Apoc.* 1. *De ore eius* (iudicis) *gladius vtraque parte acutus exibat.* Vide alia ſigna apud hunc prophetam *cap.* 29. & *cap.* 66.

67. Illud obſcurum, quomodo dormituri dicantur in ſepulcris ſancti, donec pertranſeat indignatio Domini, cum ante iudicium futura ſit mortuorum reſurrectio, & poſt reſurrectionem omnium grauiſſima indignationis ſignificatio. Reſpondeo duabus de cauſis dictum videri poſſe, aut quia ex vſu ſacræ Scripturæ aliquid nomen aliquando accipit ab eo à quo non procul abeſt. Quare aliquis in eo dicitur eſſe loco, cui proximus eſt, & in eo tempore aliquid factum à quo non longè eſt. Quo-

modo

modo datum manna dicitur *Exod.* 16. & lex data A *Deut.* 4. quando filij Iſrael egreſſi ſunt de Ægypto, quia vtrumque contigit non longè poſt illud tempus. Vide quæ diximus *cap.* 20. Vbi oſtendimus qualiter iuſſus fuerit Iſaias nudus incedere. Sic ergo, quia tempus reſurrectionis non longè eſt ab eo quo tranſitura eſt Dei indignatio, quando ſcilicet impios pœnis addicet ſempiternis, ideo *indignationis exitus* pro reſurrectione ponitur. Seu certè, quia hîc tantùm agitur de indignatione in iuſtos, qualis videri poteſt, quòd corpora eorum in ſepulcro iaceant in pulueres ſoluta. Quod indignationis effectus eſt, eius inquam indignationis, quam in humanum genus Deus ex Adami inobedientia concepit. (Sumitur autem cauſa pro effectu, id eſt, indignatio pro pœna, qua formatus homo ex puluere in puluerem rurſus conuerſus eſt.) Per prophetam ergo Deus ſic mortuos alloquitur: Expectate modicum in ſepulcris reanimationem corporis veſtri, quod propter parentis peccatum in puluere computruit. Eodem ſenſu Iob c. 14. *Quis mihi hoc tribuat vt in inferno protegas me, & abſcondas me donec pertranſeat furor tuus.* Optabat enim vir ſanctus vehemẽti dolore excarnificatus mori iam, & corpus terribili confectum, atque fœdatum plaga, in tumulo recondi vſque ad reſurrectionis tempus. Quæ ſequuntur obſcura non ſunt, & indicant apertè agi hîc de corporibus ad vitam reuocandis.

Argumentum vigeſimi ſeptimi capitis Iſaiæ.

EGIT *ſuperiore capite de communi totius mundi clade, nunc de mundi, tenebrarumque rectore ſeorſum agit Iſaias: in quem futurum eſſe affirmat vltorem gladium fortem, & durum. Deinde cantantem inducit fidelem vineam, propoſita ſuorum operum mecede, quàm liberalem, ac firmam habitura ſit à Domino ſuorum meritorum compenſationem. Eſt ante carmen hoc verè triumphale, de vinea fideli, pars illius cantici, de quo cap.* 5. *quod propheta cecinit contra infidelem aliam, & ingratam vineam. Tertiò cùm oſtendiſſet ab offenſo, atque hoſtili animo eximendum eſſe gladium contra Leuiathan: docet quàm vtilis iuſtis fuerit illa vexatio, qua Deus affectu verè paterno purgauit electos. Ad extremum hoc probat Iudæorum exemplo, qui cùm diuinorum officiorum immemores ad Gentium Idola defluxiſſent, caſtigati tamen Aſſyriorum, & Ægyptiorum armis, & in longum, atque ærumnoſum exilium abducti, ad Patriam poſtea, & veram, atque auitam religionem redierunt.*

CAPVT XXVII.

1 [a] *IN die illa viſitabit Dominus in gladio ſuo duro, & grandi, & forti, ſuper Leuiathan ſerpentem vectem, & ſuper Leuiathan ſerpentem tortuoſum,* [b] *& occidet cetum, qui in mari eſt.*

2 [c] *In die illa vinea meri cantabit ei.*

3 [d] *Ego Dominus qui ſeruo eam, repentè propinabo ei,* [e] *ne fortè viſitetur contra*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 EO temporis articulo Dominus, ſicut vniuerſum orbem, ſic etiam eius principem diabolum duro, acuto, & grandi ſui iudicij gladio viſitabit. Qui ſicut piſcis magnus Leuiathã vectis in modum impedimentum erat, quo alij minùs è carcere prodirent: aut ſicut idem Leuiathan ad decipiendos homines in mille ſe ſpiras, & fraudes conuoluebat. Eum itaque grandem, & peſtiferum cetum in medio Dominus interimet pelago, vbi ipſe imperium videbatur habere, & ab omni ſe plaga tutum fore putabat.

2 Tunc autem cùm fortunati, & ſancti futuros ſe videant in æterna Domini cuſtodia: alióſque ab eius benignitate, paternóque ſtudio in ſempiternum deſeri, omiſſa antiqui cantici parte priori, quæ ad vineam ſterilem, & ingratam ſpectat, poſteriorem repetent, quam ad ſe pertinere tunc planè cognoſcent. Cantabit igitur felix illa vinea, quæ vinum attulit generoſum, & dulce ſibi ipſi gratulabunda quæ Dominus ipſe ſuo nomine iuſtis annunciari voluit.

3 Ego Dominus, qui nunc ſeruo, colo, ac rigo vineam meam, indeſinenter illi propinabo vinum,

aliud peccati vinculum, nempe dolor, & lacbrymæ, quas Dominus à beatorum oculis in æternum deterget. Hûc ſpectauit Ioannes *Apocal.ca.21. verſ.4.* qui totum hoc Iſaiæ teſtimonium videtur expreſſiſſe, *Abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors vltrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltrà: quæ prima abierunt.* Hæc credo *prima* vocari, quæ ab Iſaia dicuntur *vinculum colligatum*, ſeu *vinculum vinculum*, id eſt, damna ex originali peccato profecta.

32. ſ *Et dicent in illa die; ecce Deus noſter iſte, expectauimus eum, & ſaluauit nos.*] Hæc ſunt verba aut canticum Sanctorum, vbi poſt exactæ vitæ longas ærumnas affulſiſſe ſibi vident lucis æternæ radios, & impletum eſſe tandem, quod Deus antè iuſtorum labori promiſerat. Canticum verò puto illud idem, quod in principio capitis viſi fuerant exorſi beati. *Exaltabo te & confitebor nomini tuo, quoniam feciſti mirabilia, cogitationes tuas fideles, amen.* Ita vt hæc ſententia ſæpius amœbeo ordine recurrat, ſicut in Hebraica poëſi frequens. Nam illud, *quoniam in ſæculum miſericordia eius.* ſæpius iteratur *Pſal. 117.* Et *Pſalm. 135. quoniam in æternum miſericordia eius.* Et *Pſalm. 106.* ex interuallis redit, *Confiteantur Domino miſericordia eius, & mirabilia eius filiis hominum.* Et in Canticis canticorum ſæpe reperitur iuxta hanc metricam Hebræorum legem, *Læua eius ſub capite meo, & dilectus meus mihi.* Et quidem hoc caput ſi non omnino canticum eſt, ad canticorum tamen ſimilitudinem videtur eſſe compoſitum, vt vides. In pronomine *iſte*, magnam mihi videor epitaſim videre. Importat enim comparationem quandam cum aliis, ſiue hominibus, ſiue gentium Diis, qui cùm magna interdum promittant, nihil tamen præſtant; quorum cogitationes fideles non ſunt, quique expectantes in ipſis ſaluare non poſſunt. Iſte tamen Deus non ſic: *Expectauimus eum, & ſaluauit nos. Iſte Deus, ſuſtinuimus eum, exultabimus, & lætabimur in ſalutari eius.* Hiſpanus diceret, *eſte ſi que es Dios, que cumple ſu palabra, y haze bien auenturados a los que le ſiruen.* Eodem modo & in eundem ſenſum cecinit Moyſes *Exod. cap. 15.* Demerſo Pharaone, iiſdem fluctibus, qui ad facilem & ſecuram viam aperuerant ſe filiis Iſrael, *Iſte Deus meus, & glorificabo eum, Deus patris mei, & exaltabo eum.*

Dei fidelitas, & potentia.

33. t *Requieſcet manus Domini in monte iſto.*] Id eſt, iam ampliùs diuina manus, ſeu peccatorum noſtrorum vltrix, ſeu benignè nos ad virtutum incrementum exercens non affliget nos. Diſſoluit enim iam omnino Deus illud vinculum, quod nobis innexuerat, rupítque telam doloris, & mortis, qua nos inuoluerat. Alij dicunt requieturum Dominum in eo monte, quia per æternam quietem, & ſpatium gaudio cumulabit iuſtos. Nam ad illud vſque tempus ſanctis, & amicis, ita aliquid inſtillabat è cœleſtibus deliciis, vt aliquid interdum admiſceret amari. Quod vſque adeò ſeruauit ſeuerè, atque conſtanter, vt ab eo poculo matrem Virginem immunem eſſe noluerit. Accipiebat itaque mollis & liberalis Domini manus aliquando diutiuſculè ſeruos, & amicos, ſemper tamen benignè; poſt iudicium autem extremum requieſcet ſuper iuſtos, illa diuinæ manus largitas, & multitudo, ſine vlla in æternum aſperitate. Alij contrà referunt ad Moab, quo ſenſu apud Zachariam *cap. 6. verſ. 8.* dicitur, *Requieſcere fecerunt ſpiritum meum* (id eſt furorem) *in terra Aquilonis.* Manus ergo Domini ſeuera; atque vltrix requieſcet, id eſt, longam ponet, & quietam moram in plectendo Moab; Litera quidem in omnes hos ſenſus patet, quod tamen primo loco diximus, magis ad textum eſt, & minus offenſionis habet.

Beatis iam nõ amplius dolor, ſed gaudium purum.

34. Sed dices, ſi hæc in monte oliuarum, aut valle Ioſaphath præſtanda ſunt, (nam, vt diximus paulò antè, cùm dicit *in monte iſto*, montẽ oſtendit digito, quem non nominat, ſed intuebatur, nempe oliuarum) quomodo ibi parandum eſt conuiuium pinguium medullatorum, & defæcatæ vindemiæ? & quod ſecunda ſententia dicebat non improbabiliter, requieturam eſſe in æternum manum Domini ornando iuſtos cœleſtibus deliciis? Reſpondeo conſuetudinem eſſe ſacræ Scripturæ, vt id dicatur fieri, aut etiam factum, quod cœptum eſt fieri, & conſequenter fieri in aliquo loco, quod in eo inchoatum eſt, vt oſtendimus ſuprà *cap. 8. num. 9. & in cap. 1. Zachar.* ad illud, *Iam ſeptuageſimus annus eſt.* Sic ergo in illo monte conuiuium parabitur, & manus Domini requieſcet, quia ibi frui incipient beati conuiuio, quod habebunt ſempiternum in cœlo; & manus Domini in ornandis iuſtis requieſcet, aut nihil afferet in æternum moleſtiæ; quia hæc primùm officia iuſti à Deo recipient in illo monte.

Regula. Aliquid factum dicitur, quod cœptũ eſt fieri.

35. u *Et trituràbitur Moab ſub eo ſicut teruntur paleæ in plauſtro.*] Poſtquam beatorum felicitatem omni ex parte bonorum abundantia cumulatam expreſſit propheta, iam damnatorum ſortem, quibus nihil ad omnem infelicitatem deeſt, ex aduerſo componit. Vt autem *Eſau* pro quocumque reprobo, & *Babylon* pro quacumque odibili ciuitate ſumitur per ſynecdochen. Sic etiam in *Moab* omnes ſcelerati atque odio digni intelliguntur. Neque ratio deeſt, quia impij non aliter iuſtorum cauſam oppugnant, quàm olim Moab populum Iſraeliticum à Deo ad electam, vberémque poſſeſſionem vocatum. Ipſe enim fecit Iſraelitas fornicari cum filiabus Madian, & illarum Deo Beelphegor, id eſt, Priapo ſacrificare. Quare optimè per ſynecdochen pro impiis omnibus, Deóque inimicis adhiberi potuit.

Moab pro ſceleratis.

36. Hic igitur Moab, id eſt, populus Dei inimicus, & quondam mollis, delicatus, & fertilis, ſub pedibus illius, cuius manus ex beatorum oculis lachrymas abſterſit, non aliter lacerabitur, quàm palea, quæ minutiſſimè conciditur, ac teritur ſub ferrato carpento. Alluſit autem hîc, vt ait Hieronymus, ad conſuetudinem *Palæſtinorum, & multarum Orientis prouinciarum, qui ob pratorum fœnique penuriam paleas præparant eſui animantium. Sunt autem carpenta ferrata rotis per medium in ſerrarum modum ſe voluentibus, quæ ſtipulam conterunt, & comminuunt in paleas.* De impiorum ſupplicio ſub alia metaphora non minùs ſignificanter egit idem propheta *cap. 63. Calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea: & aſperſus eſt ſanguis eorum ſuper veſtimenta mea.* Et ſicut hîc impij dicuntur *ſtipulæ ſub plauſtro in area*, ſic etiam nonnunquam dicuntur *racemi in lacu*, ſeu *torculari*, vt conſtat *ex hoc loco, & Apocal. cap. 14. Miſit in lacum iræ Dei.*

37. Pro *plauſtro*, Hebr. eſt מדמנה *madmenah*, quod quidam *fimetum*, ſeu *ſterquilinium* eſſe putant. Ita Rab. Dauid, quem ſequitur Pagninus, & Vatablus. Symmachus, & Chaldæus *lutum* reddunt, neque id diſplicet quibuſdam è recentioribus. Obſeruat autem Rab. Dauid morem eſſe, vt proiiciatur palea in ſterquilinium, & ambuletur ſuper eam, donec trituretur, & fiat ſtercus, aut fimus. Sed dicit hæc,

hæc, ſicut alia plurima Rabbinica fide. Cur verò nomen illud (quod vt multi volunt à דמה *damah*, quod *ſilentium* indicat, deducitur) *ſterquilinium* ſignificet ea ratio eſt, quia quæ fœda ſunt, aut turpia, aut quæ nauſeam alicui mouere poſſunt; illa adeò non nominantur à lautis, & modeſtis hominibus, vt *ſilentij* nomine ſignificentur. Quare צמה *tſamah*, quod *Cant. cap.* 4. Hieronymus reddidit *quod intrinſecus latet*. In quo aliquid obſcœnum latere putat (quod mihi nunquam probari potuit.) Septuaginta verterunt *taciturnitatem* aut *ſilentium*, quia illud, quidquid eſt, ſileri debet. Et flagitium, quod eſt à præpoſtera libidine, *nefandum* vocatur, quia nominari non debet: ſic etiam quia fimetum, aut ſterquilinium aliquid eſt indecorum non aſpectu ſolùm, ſed etiam auditu, *ſilentij* nomine ſignificatur. Si hanc ſignificationem admittamus, hæc erit ſententia: Comminuet Dominus Moab ſub pedibus ſuis, ſicut teruntur, aut conculcantur paleæ, quæ ſunt in ſterquilinio, aut ideo teruntur, vt ſtercus fiant: ſeu quæ, quia in puluerem videntur redactæ, in ſterquilinium proijciuntur. Sed non eſt cur à vulgato curioſi iſti recedant, quia non ſolum Hieronymus *plauſtrum* reddidit, ſed etiam ſeptuaginta. Et alij iidem qui *ſterquilinium* reddunt, fatentur vocem מדמנה *madmenah*, hoc tantùm in loco reperiri: Quare ex nullo alio loco colligi poteſt illa ſignificatio, quam nobis obtrudunt. Fateor דמן *domen*, *ſterquilinium* eſſe, à quo deriuatum videri potuit, ſed deriuari etiam potuit à דמה *damah*, quod inter alia *ſuccidere* ſignificat. Neque id ignorabant Hieronymus & ſeptuaginta, qui longè fuere priores ætate, atque ſapientia his, qui nobis aliam ſignificationem perſuadent.

Quæ turpia ſunt, ſilentij nomine ſignificantur.

38\. *Et extendet manus ſuas ſub eo; ſicut extendit natans ad natandum.*] Sunt, qui hæc referant ad Chriſtum vltorem, ita vt in medio impiorum ſic tendat, ac vibret potentes, atque vltrices manus ad perdendos impios, ſicut inceſſanter atque viriliter quoquo verſus mouet, qui in profundo atque æſtuoſo mari ad litus enatare contendit. Ita indicat Chaldæus, & ſequitur Vatablus, Montanus, & Emanuel Sà, & quidem allegoricè ſenſus eſſet pius, neque inelegans, nam Chriſtus *in medio* (ſic enim habet textus Hebr. pro *ſub eo*) populi praui extendit in cruce manus non aliter atque natator in mari ſolet expandere. In cruce ergo quaſi ferrato quodam plauſtro conteret impios, eorúmque gloriam in puluerem, ſeu in ſterquilinium rediget. Accedit quòd ſtatim pro *alliſione manuum* quidam reddunt *in perforationibus manuum*. Nam manibus perforatis, affixíſque cruci Chriſtus ſpeciem habet natantis. Porrò dolores *aquarum* nomine explicantur, de quibus *Pſal.* 68. Dauid Chriſti nomine, *Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam: infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia.*

Chriſtus in cruce ſuperborum gloriam conculcabit, & in puluerem rediget.

39\. Sed communiter alij ad Moab referunt, id eſt, ad populum impium: quod omnino dicendum eſſe puto. Et ita indicat tranſlatio ſeptuaginta, quæ ſic reddit. *Conculcabitur Moabitis, quemadmodum calcant aream plauſtris, & remittet manus ſuas.* Sed quæ ſit huius loci ſententia adhuc obſcurum. Quidam dicunt extenſionem manuum ad natantium motem, habitum eſſe eius, qui ſub potentiore luctatore ſuccubit. Is enim ſic ſterni, iacetéque ſolet humi, ſicut in aqua natator. Ita Hieronymus, Dionyſius. Alij victum quidem putant Moab, & manus extendere, non tamen quaſi alliſum terræ, aut oppreſſum pondere manus extendere, ſed quaſi ſupplicem ad petendam à victore veniam, & vſuram vitæ; hoc enim in victo ſignificat *manuum porrectio*. Ita S. Thomas.

Hæc mihi vera videntur, & facilia; ſed addam explicationem aliam, quæ alicui fortaſſe videbitur neque à textu, neque ab inſtituto aliena. Quemadmodum nihil beatis ad gloriam, voluptatémque defuturum eſt, & quocumque ſe conuertant, habituri ſint quod ament, & quo ſe oblectent in ſempiternum: ſic etiam nunc propheta ſignificat nihil damnatis in ſempiternum futurum eſſe ſolatij ac leuamenti. Id verò optimè *natantis* ſimilitudine declaratur. Nam quemadmodum is quem iactat, & abſorbet vndarum moles, quo præſentem effugiat mortis neceſſitatem, totum explicat corpus, & quaſi in aquis aliquid firmum inuenturus ſit, in qua ſalutis aliqua ſe oſtentet ſpes, ſic obuium quemque fluctum appetit, ac amplectitur, qui lubricus, & effluens ſpem, & conatum natantis eludit; ſic qui in pœnarum pelagus, & abyſſum demerſus eſt, quantumcunque ſe huc atque illuc verſet, quærátque doloris, quem patitur aliquod lenimentum, nihil tamen in æternum inueniet: neque ſi ad linguæ ardorem ſedandum tangi ſe poſtulet Lazari digito aqua leuiter tincto. 40.

Damnatis nullum vnquam futurum à dolore leuamentum.

Et humiliabit gloriam eius, cum alliſione manuum eius.] Reliqua ad finem vſque capitis non obſcura ſunt. Illud verò nonnihil habet dubitationis, An *humiliabit gloriam eius* ad Chriſtum pertineat, qui humiliabit gloriam Moab, vel ad Moab qui ſuam humiliabit gloriam. Sanè quocumque accipias modo, idem eſt ſenſus: Vtroque enim modo humilianda ſignificatur gloria Moab. Ego eò magis inclino vt putem illud *humiliabit* pertinere potiùs ad Moab, quia ita exigit orationis filum. Nam ſi *extendet manus*, vt diximus, tribuitur Moab, *humiliabit* quod eſt in eodem orationis tractu, eodem videtur pertinere. Et huc prætereà facit quod ſubditur *cum alliſione manuum eius*. Ac ſi dicat, quantumuis natatu manibus allidat fluctibus, totóque corporis nixu contendat, peribit tamen eius gloria. Neque illud *eius* quod reciprocum non eſt, multum negotij faceſſit noſtræ ſententiæ: nam pronomen affixum ו *vau*, apud Hebræos tam pronominis reciproci, quàm ſimplicis vſum obtinet. Neque rarò Vulgatus, vt ſæpius obſeruauimus, qui Hebraiſmos ſæpe retinere ſolet, pronomen illud abſolutè vertit, cùm reciprocum, & contra reciprocè cum eſt abſolutum. Vide quæ diximus in noſtris commentariis in Zachariam *cap.* 12. *num.* 56. Siquis tamen ad Chriſtum referat, non admodum pugnauerim. 41.

Regula. Pronomen affixum tertiæ perſonæ aliquãdo reciprocũ eſt, aliquando ſecus.

Et munimenta ſublimium murorum tuorum concident.] Tranſit à tertia perſona ad ſecundam, quod frequens eſt in idiomate Hebraico, & exemplorum ſatis. Vide Pagninum *lib.* 4. *inſtitutio. cap.* 13. 42.

Argumentum vigeſimi ſexti capitis Iſaiæ.

IN capite hoc tres partes præcipuas inuenio. In prima Beati gratias agunt Deo, quòd illius beneficio ſortem illam felicem nacti ſint, quam laudant, & deſcribunt. In ſecunda propheta Beatorum ſtatum glorioſum, & damnatorum miſerrimam ſortem contemplatus, adductúſque miſericordia orat Dominum, vt impios in hac vita adactis ſeueritatis ſtimulis à peccatis exuſcitet. Quia multò illis commodius temporariis in hoc ſæculo incommodis vrgeri, quàm in futuro ſempiternis damnari ſuppliciis. Probat autem ſtimulos opportunum impiorum eſſe remedium exemplo Iudaicæ Gentis, quæ indulgentiùs à Domino tractata ad idola defecit, intemperatámque viuendi rationem: caſtigata verò, acceptáque ſeueriùs, ad Deum, à quo in proſperitate defecerat, reuerſa eſt. In tertia, ſpe reſurrectionis conſolatur iuſtos, quibus hæc vita grauis eſt, & dura. Eſt autem totum caput eiuſmodi, vt à pio lectore verſari debeat ſæpe, & animo ad cæleſtis patriæ poſſeſſionem aſpiranti penitus infigi.

CAPVT XXVI.

1 [a] *IN die illa cantabitur canticum iſtud in terra Iuda:* [b] *Vrbs fortitudinis noſtræ Sion* [c] *Saluator, ponetur in ea murus, & antemurale.*

2 [d] *Aperite portas, & ingrediatur gens iuſta cuſtodiens veritatem.*

3 [e] *Vetus error abiit:* [f] *ſeruabis pacem; pacem, quia in te ſperauimus.*

4 [g] *Speraſtis in Domino in ſæculis æternis, in Domino Deo forti in perpetuum.*

5 [h] *Quia incuruabit habitantes in excelſo, ciuitatem ſublimem humiliabit. Humiliabit eam vſque ad terram, detrahet eam vſque ad puluerem.*

6 *Conculcabit eam pes, pedes pauperis, greſſus egenorum.*

7 [i] *Semita iuſti recta eſt, rectus callis*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 CVM viri iuſti videant, demerſo in profundum barathrum Moab, admittit ſe ad cœleſtis patriæ poſſeſſionem æternam, cantabũnt læti in terra Iuda, terra, inquam, confeſſionis, & laudis canticum iſtud triumphale.

Non eſt Sion myſtica, cui aſcripti ſumus in ſempiternum ciues; ſicut vrbes Moab, quas Domini furor in puluerem redegit; ſed fortis, quam nulla conuellet, aut etiam tentabit vis, & vetuſtas. Eſt enim illius propugnator, & cuſtos Dominus, in cuius tutelam muri, atque antemuralis partes præſtabit.

2 Aperite, ô Angeli portas cœli, ad quod iam aſcendimus cum triumphali plauſu: vt ingrediatur gens, quæ iuſtitiam coluit, & veritatem ſeruauit.

3 Veterem errorem præſens hic dies aperuit, atque damnauit, quo ſtulti iudicabamur, quòd ſemitam ingrederemur duram; neque à tuis deflecteremus mandatis. Ecce enim Domine, pacem nobis, & ſummam rerum abundantiam contuliſti; quia in dura illa viuendi ratione, à te ſumma ſperabamus omnia.

4 Speraſtis, ô viri fortunati in Domino, nunc capite ſpei veſtræ luculentum fructum in ſempiterna ſæcula, in Domino, inquam, ſperaſtis, quem ad præſtanda omnia fortem, atque potentem agnouiſtis, eius nunc benignitate in perpetuum fruimini.

5 Incuruabit Dominus erectam illorum ceruicem, qui ſuum in ſublimi domicilium locauerant; & eorum ciuitatem excelſam ad terram abiiciet. Ad terram, inquam, humiliabit illam; & ad puluerem vſque proſternet.

6 Subiiciet illam pauperum calcandam pedibus; greſſibus, inquam, egenorum conculcandam tradet.

7 Longè alia erit via, quam tenuerunt iuſti, non

non fallax,atque ſinuoſa,ſed recta;& eorum item rectus, & expeditus callis, in quo, qui ambulare volet,nuſquam offendet.

8 Hanc nos Domine ſemitam ingreſſi ſumus: in qua præter legem tuam,atque iudicia nihil intuebamur. In quorum ſedulam obſeruationem intenti;ſpem noſtram in te vno fideli meritorum compenſatore locauimus. Neque aliud quicquam magis nobis erat in votis,quàm vt nomen tuum ſanctum eſſet apud omnes,& celebre.

9 Cùm ego, ô Domine, iuſtorum ſemitam, & fortunatum exitum attentè conſidero,ad illorum exemplum ſtatui,de te noctu, atque interdiu perpetuò mihi eſſe cogitandum,idque ſeriò, atque ex animo : ſiue aduerſum mihi,ſiue ſecundum, & gratum aliquid contingat.

10 Sed interim, ô Domine,vt aliis talis ingeneretur ſenſus, qualem in me ipſo,ex iuſtorum, impiorúmque diſſimili ſucceſſu doctus experior, obſecro vt iuſtitiæ tuæ aliquod in peccatores documentum edas. Sic enim fiet vt orbis incolæ, non iam violentiam, & fraudem, ſed iuſtitiam, & ſanctitatem meditentur.

11 Si impij miſerearis, Domine, ex ea animi lenitate id conſequeris, vt ille tam abſit vt iuſtitiam faciat, vt in ſuo ſcelere magis perſeueret obſtinatè.Quòd ſi illi iuxta ſanctorum viam durius vexati, iniquè nihilominus egerint,iam ego de illorum ſalute nihil mihi polliceor, non videbunt etenim gloriam Dei.

12 Si manum tuam exaltaueris, cohibuerísque ab inferenda plaga, impij ſemper errabunt in tenebris cæci.Quare manum tuam ſuper illos aggraua, vt hoſtes tui confundantur,& videant, etiam ſi eos ad conſumptionem, & fauillam vſque ignis tribulationis erudiat.

13 Impiis ea ratione caſtigatis, & ad meliorem viuendi modum traductis, pacem nos, & otium obtinebimus; per illos enim ſtetit hactenus,quominus pace frueremur. Adde igitur hoc ad reliqua beneficia, quando quæcumque habemus bona, tuæ benignitati accepta referimus.

14 Domine Deus reſpice, quomodo alieni domini, Reges videlicet externi;dum vrgent, & timentur, poſſident nos,præter te; quare non tu ſolus dominaris in nobis? Fac itaque vt oblata pace,non iam de hoſtibus, ſed de te vno ſemper cogitemus, te vnum intueamur, neque alterius, præter te,vnquam recordemur.

15 Moriantur illi, neque iterum viuant,& ſicut Gigantes olim ſub diluuij tempus,ſic illi vbi ciciderint, non reſurgant. Quod tu Domine præſtabis,viſitata, atque contrita illorum ſuperbia; ne apud nos vlla ſuperſit illorum memoria, ſed tu vnus cogitationem noſtram, & mentem poſſideas.

16 Quandiu Iudaicæ genti indulſiſti, & poſſeſſiones eius ad extremos vſque terminos terræ dilataſti,

lis iuſti ad ambulandum.

8 *Et in ſemita iudiciorum tuorum Domine ſuſtinuimus te:nomen tuum,& memoriale tuum in deſiderio animæ.*

9 [k] *Anima mea deſiderauit te in nocte : ſed & ſpiritu meo in præcordiis meis,de mane vigilabo ad te.*

10 [l] *Cum feceris iudicia tua in terra, iuſtitiam diſcent habitatores orbis.*

11 [m] *Miſereamur impio,& non diſcet iuſtitiam :* [n] *in terra ſanctorum iniqua geſſit, & non videbit gloriam Domini.*

12 [o] *Domine exaltetur manus tua,vt non videant:* [p] *videant, & confundantur zelantes populi,* [q] *& ignis hoſtes tuos deuoret.*

13 [r] *Domine dabis pacem nobis :* [ſ] *omnia enim opera noſtra operatus es nobis.*

14 *Domine Deus noſter,* [t] *poſſederunt nos domini abſque te, tantùm in te recordemur nominis tui.*

15 [v] *Morientes non viuant, gigantes non reſurgant.* [x] *Propterea viſitaſti,& contriuiſti eos, & perdidiſti omnem memoriam eorum.*

16 [y] *Indulſiſti genti Domine, indulſiſti genti. Numquid glorificatus es?* [z] *Elongaſti*

gaſti omnes terminos terræ.

17 [aa] *Domine in anguſtia requiſierunt te,*
[bb] *in tribulatione murmuris doctrina tua eis.*

18 [cc] *Sicut quæ concipit, cùm appropinquauerit ad partum, dolens clamat in doloribus ſuis:* [dd] *ſic facti ſumus à facie tua Domine.*

19 [ee] *Concepimus, & quaſi parturiuimus, & peperimus ſpiritum:* [ff] *ſalutes non fecimus in terra: ideo non ceciderunt habitatores terræ.*

20 [gg] *Viuent mortui tui, interfecti mei reſurgent.* [hh] *Expergiſcimini, & laudate qui habitatis in puluere:* [ii] *quia ros lucis, ros tuus,* [kk] *& terram gigantum detrahes in ruinam.*

21 [ll] *Vade populus meus, intra cubicula tua, claude oſtia tua ſuper te, abſcondere modicùm ad momentum,* [mm] *donec pertranſeat indignatio.*

22 *Ecce enim Dominus egredietur de loco ſuo, vt viſitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum, & reuelabit terra ſanguinem ſuum, & non operiet vltrà interfectos ſuos.*

dilataſti, neque Deos abiecit alienos, neque te glorificauit.

17 Sed illa eadem Gens Iudaica erudita durius, in ſua tribulatione requiſiuit te: neque enim illi doctrina vlla magis opportuna, quàm quæ pre nimio dolore gemere, ac murmurare facit. Sic ergo populus faciet alienus, ſi illũ dura percuſſeris virga, ſtimulíſque adactis murmurare compellas.

18 Sicut quæ in vtero habet: appropinquante partu dolet, & clamat: ſic nos à facie tua, Domine, id eſt, abs te nobis appropinquante, dolere, atque clamare compellimur.

19 Te Domine aduitente ſpiritum concepimus: te formante, ac maturante fœtum, ardor quidam, & ſtudium iniectum eſt illius enitendi; te denique quaſi obſtetricante, felicem illum partum enixi ſumus. Quòd ſi de terra promiſſionis exturbati non ſunt, qui in illam irruperunt: aut qui illam ante nos multò antè poſſederant, qui nos variè, & penè continenter inſectantur, ideo ſanè eſt, quia opera ſalutaria, tibíque grata nõ ſumus operati. Quapropter, vt ſanctè, religioſéq; viueremus, hoſtiles illos ſtimulos nobis adegiſti.

20 Bene quidem actum eſt, ô Domine, cum illis, qui ſic ab hominibus iactati ſunt, vt pro mortuis non immeritò cenſeri potuerint. Interfecti enim tui (quia tua cauſa mortem oppetierunt, qui iidem quoque ſunt interfecti mei, quia ex meo genere, nempe Iſraelitico, aut quia ſocij eiuſdem mecum certaminis, quia vt ego ſerra diſſectus, ſic ipſi alij alio mortis genere ſublati) interfecti, inquam, illi aliquando reſurgent. Ergo, qui nunc in tumulis, atque adeò in obliuione, ſepulti eſtis, exurgite iam, & in diuinas laudes quàm potueritis alacriter incumbite. Aderit enim vobis ſpiritus, quo non aliter reuiuiſcent cadauera in ſaniem, atque etiam in puluerem ſoluta, quàm herba poſt hyemalem glaciem vernali temperie atque vitali rore exhilarata. Non ſic Gigantes, ac ſuperbi, qui ſuum ſibi nitorem in hoc mundo quæſierunt, nam ſic illos in ruinam abiicies, vt ſpes ſuperſit nulla reſurgendi.

21 Ergo, ô popule mi, quem manet glorioſa poſt mortem reſurrectio, intra ſepulchrum, perinde atque ille, qui cubiculum dormiturus ingreditur: is enim clauſo oſtio modico tempore ſic requieſcit in tenebris, vt tandem poſt ſomnum orto ſole lumen iterum videat. Sic tibi in ſepulchro dormiendum eſt, donec à tabe, & puluere ſe cadauer vindicet, quod illi propter primũ parentis peccatum à Dei indignatione contigit.

22 Aderit enim aliquando Deus, in fine ſæculorum egreſſus è cœlo, vt viſitet, iudicétque illorũ actus, atque conſilia, qui contra ipſum aliquid moliti ſunt iniquum. Tunc verò terra, quem antè celauerat, ſanguinem oſtendet; & quæ in ſepulchris cadauera condiderat, in lucem proferet, hominúmque, ac totius vniuerſi conſpectũ.

IN CAP.

IN CAPVT VIGESIMVM SEXTVM COMMENTARIVS.

1. ^a IN *die illa cantabitur canticum iſtud in terra Iuda.*] Canticum hoc ab illis cantari qui iam aſcripti ſunt ciues cæleſtis Ieruſalem, communior eſt Patrum, interpretúmque ſententia. In quibus ſunt Hieronymus, Haymo, Dionyſius, & Adamus. Quia verò *Ieruſalem* ſymbolum eſt cœleſtis patriæ, & qui per deſertum longis perfuncti laboribus ingreſſi ſunt in terram promiſſionis eorum, qui iam in beatorum ſortem, & requiem admiſſi ſunt: ideo Sancti appellantur *Viri Iuda*; & beatorum ſedes dicitur *Sion*, aut *Iuda*. Cùm ergo iuſti vidiſſent Moab, id eſt, ſceleratos in ſuis ſe pœnis miſerè volutantes, tanquam in aquarum immenſo gurgite naufragum natatorem ſe præterea in loco omnium deliciarum affluētiſſimo eſſe collocatos, cantabunt in terra Iuda, id eſt, in loco confeſſionis, & laudis canticum, quod deinde ſubiungitur.

2. ^b *Vrbs fortitudinis noſtra Sion.*] In fine præcedentis capitis dixit propheta de Moab, id eſt, de ſuperborum, ac damnatorum regno. *Munimenta ſublimium murorum tuorum concident & humiliabuntur, & detrahentur in terram vſque ad puluerem.* Nunc contrà de iuſtorum ciuitate, id eſt, de myſtica Sion canit, vrbem eſſe fortitudinis, id eſt, fortiſſimam, quam nulla vis conuellet, nulla labefactabit æternitas.

Æterna beatorum gloria.

3. ^c *Saluator ponetur in ea murus, & antemurale.*] Ita diſtinguunt Septuaginta, & multi alij Latini codices, iuxta quam diuiſionem optimus eſt ſenſus, & ad ſuperiora conſentaneus. Oſtendit enim Iſaias, vnde nam prouenerit tanta cœleſtis illius orbis ſtabilitas, nēpe ex eius ciuitatis cuſtode, ac Seruatore Deo, qui erit murus eius, & antemurale, quæ in futili ac ludicro impiorum regno modò dicebantur *murorum munimenta.* Non ergo cadent cœleſtis Ieruſalem munimenta, nempe murus, & antemurale; quia Dominus tale munimentum eſt. Sicut murus, & antemurale cecidere, quæ improborum vrbem circumuallabant.

4. In codicibus Sixtinis alia diſpunctio eſt, nam poſt *ſaluator* diſtinctio ponitur, iuxta quam diſtinctionem locum hunc ita exponit Hieronymus, vt *Saluator* ad ſuperiora referatur hoc ſenſu, *Vrbs fortitudinis noſtra Saluator eſt.* Quem Adamus ſequitur, & Haymo. Et quidem ſi de textu tollas *Sion*, quæ in Hebr. textu non eſt, neque in multis Latinis reperitur, ſententia facilior eſt, quā modò adduximus; Sed videtur ſuperior magis expedita, & in qua minùs hæret attenti mens lectoris. Nempe vt non ſit tam Deus ciuitas, quàm ciuitatis cuſtos, & munimentum. Nam quemadmodum Deus terreſtris Ieruſalem, quæ cœleſtis quoddam ſymbolum eſt, murus eſſe dicitur *Pſalm.* 124. *Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi ſui.* id eſt, ſed præcipuus murus Dominus. & *Zacharia* 2. *Et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu.* Neque præterea apparet, ſi Saluator eſt ciuitas, ſiue ille Deus ſit, ſiue Chriſtus, quid ad ſeruandum eiuſmodi ciuitatem, illi eſſe poſſit pro muro, & antemurali: maximè cùm in futuro dicatur eſſe ponendum. Hieronymus *fidem* murum eſſe putat, antemurale *opera bona*, quibus fides confirmatur. Sed ſanè hæc Deo non conueniunt, quæ enim Deo fides? facit ad hæc, quòd ſtatim illis vrbis aperiri iubentur portæ, quod in cœleſtem Ieruſalem optimè, in Deum quomodo conuenire poſſit non video. Quare in priorem ſententiam magis inclino, quam magis probat S. Thomas, tenet Hugo, Dionyſius, Foreirus, Pintus, Emanuel Sa, Vatablus, licèt borum aliqui *vrbem* Eccleſiam eſſe putent.

^d *Aperite portas, & egredietur gens iuſta.*] In canticis perſonarum mutatio & conuerſus ad abſentes ſermo, vt varietatis, ſic etiam iucunditatis plurimum affert. Et ita putat Hieronymus factum eſſe in hoc cantico confeſſionis, & laudis, qui hæc verba Chriſto tribuit; Qui iubet, vt Angeli cœli portas aperiant, vt exultantes iuſtorum exercitus ingrediantur. Idem Dionyſius, & interlinearis; quod mihi verius etiam videtur eſſe. Neque alienam illam ſententiam exiſtimarem, quæ hæc Sanctis, & Beatis aſcriberet, qui cùm iam audiſſent à iudice: *Venite, benedicti patris mei, poſſidete paratum vobis regnum. Matth.* 25. *verſ.* 34. Exultantes gaudio aperiri ſibi portas petunt ciuitatis, ad quam iam ciues deſignati ſunt. 5.

^e *Vetus error abiit.*] Pro *errore*, Hebr. eſt יצר 6.
סמוך *ietſer ſamuk*, quod variè redditur. Quidam, *Cogitatio noſtra, aut figmentum noſtrum firmatum eſt.* Vt de Symmacho, & Aquila tradit Hieronymus. Eodem modo reddit Vatablus. Pagninus, *Cuius deſiderium tibi coniunctum.* Alij, *cuius deſiderium firmatum eſt*, & quocumque modo legas pulcher eſt ſenſus. Si cum Symmacho, & Aquila legas, *cogitationem*, aut *figmentum firmatum*, ſenſus eſt, exultandum eſſe beatis, quod iam Deum videant, mentémque in contemplatione primæ, ſummæque veritatis omnium rerum cognitione compleuerint. Quare in beatitudinis parte ponunt, quòd non iam circumferantur omni vento doctrinæ. Et ita exponit S. Hieronymus, qui aliis verbis oſtendit ſententiam Symmachi ſe fuiſſe complexum.

Pars beatitudinis eſt, non iam variis opinionibus duci.

7. In tranſlatione Pagnini ſenſus eſt, iuſtè portas regni reſerandas illis, quorum deſiderium, ac mens in vno Deo conquieſcebat. Nam ſi terrenarum rerum ſtudio neglecto ad cœleſtia aſpirarunt, æquum eſt, vt in cœleſtis patriæ poſſeſſione conſideant, coniuncti cum eo, quem toto animorum impetu quæſierunt. Si verò cum aliis deſiderium dicamus eſſe firmatum, ſenſus eſt, Impletum eſſe deſiderium, quod iam antè de Deo, cœleſtíque felicitate conceperant.

8. Sed omnino optimè omnium traduxit Vulgatus, qui verbis clarioribus Symmachi atque Aquilæ ſententiam explicuit: cuius ſenſus eſt ille, quem ex Hieronymo ſuprà produximus. Sed poſſet aliter fortaſſe locus exponi: ita vt alluſum ſit à beatis ad illud *Sapient.* 2. & 3. Vbi qui ſe floribus coronarant, condixerántque ſibi, ne quod eſſet pratum,

quod

quod non pertranſiret eorum luxuria, eorúmque qui contrà facerent, vitam *inſaniam* vocabant. Hi ergo iam edocti præſenti ſupplicio norunt ſe pernicioſo errore lapſos eſſe, eos verò, quos ſtultitiæ damnarunt, verè fuiſſe prudentes. Quare iuſti in hac rerum mutatione, & viciſſitudine canunt, errorem, qui iam dudum ſtultorum animos occuparat, abiiſſe: cùm conſtet iam ex labore atque ignominia, alios ad quietem, & gloriam, alios verò ex deliciis, atque ambitioſo faſtu ad cruciatum, atque ignominiam fuiſſe tranſlatos.

9. Spes in Deo quàm certa. [f] *Seruabis pacem, pacem quia in te ſperauimus.*] Hæc ad Chriſti gloriam modulantur beati cātores, qui pacem copioſiſſimam geminatione eiuſdem vocis ſignificatam, id eſt, bonorum omnium cumulum ab eo ſe habituros eſſe canunt, ſeu illum, ſeruatorem fore atque cuſtodem tantæ pacis, quod paulò antè oſtenderat, cùm dixit, *Saluator ponetur in ea murus & antemurale.* Notum eſt autem in ſacra Scriptura *pacis* nomine omnium bonorum abundantiam, aut naturam intelligi. Reddunt autem rationem beati; cur à Deo pacem obtinuerint, quia ab alio neque voluerunt, neque ſperarunt pacem, niſi à ſolo Deo, quare Dei fidelitatem amant, & commendant.

10. [g] *Sperastis in Domino in ſeculis æternis.*] Alij vertunt *ſperate*, quod non reſpuit textus Hebraicus, quem nunc habemus; & ita cenſet, & probat in Commentariis Hieronymus. Quod ſi imperatiuus ſit, ſententia facilis eſt. Ita vt beati ſibi ipſis gratulentur, polliceantúrque æternam futuram quietem, & pacem, quam tunc primùm guſtare cœperunt. Aut certè quòd loquatur propheta ad homines, qui tunc, aut errore cæci, aut humanarum voluptatum ſtudio capti, in alia omnia væſano conſilio incerti ferebantur, moneátque beatorum exemplo, vt cæleſtia, atque æterna meditentur, & fugaces huius ſæculi delicias contemnant. Sed quia in præterito Vulgatus habet *ſperaſtis*, dicendum eſt hîc mutatam eſſe perſonam, quod in canticis eleganter, & feſtiuè fieri ſolere docuit hîc Hieronymus, qui hæc verba prophetæ aſcribit, quibus credentes alloquatur: Neque tamen explicat, qui ſint illi. Ego puto hæc verba ad illos ſpectare, qui crediderunt, & ſperauerunt, id eſt, ad beatos, quibus de æterna felicitate gratulatur propheta. Ita Haymo, Dionyſius, Lyra, & interlinearis. Neque tamen credo alicui durum viſum iri, ſi quiſquam hæc Angelorum putet eſſe verba, quibus paulò antè mandatum fuerat, vt portas aperirent, qui aſcendentes ad paratum ſibi locum ſalutant, ſpémque illorum de æterno bono certam eſſe prædicant.

11. [k] *Quia incuruauit habitantes in excelſo.*] Laudis huius ea quoque pars eſt, quia Deus ſuperborum inſolentiam depreſſit, conſilia damnauit, & ſi quid altiùs molita eſt ipſorum ambitio, redegit in puluerem, calcandúmque præbuit egenorum pedibus; id eſt, fecit vt hæc tanquam longè inferiora iuſtis deſpicerentur.

12. [l] *Semita iuſti recta.*] Oſtenderat quomodo inania ſuperborum conſilia perierint: quia ſcilicet inanibus ſubſtructionibus, & ambitioſis monumentis, & apud præſentes potentiæ nomen, & apud poſteros æternam memoriam venabantur. Nunc contrà declarat quam ſemitam tenuerint iuſti, quæ ipſos ad tantā gloriam vſque deduxerit, qui nimirum ſuſtinuerunt Deū, id eſt, ſperauerunt in eo: etſi durioris Domini in ipſos, quàm benigni parentis

A ſpeciem præbuiſſet. Et quòd ſui nominis, & commoditatis obliti id vnum perpetuò optarint, vt Dei nomen ſanctum eſſet apud omnes, & celebre. Id enim eſt quod ſtatim ſubditur: *Nomen tuum & memoriale tuum in deſiderio animæ.* Quod homini pio in votis eſſe perpetuò debere, docuit Chriſtus in ea orandi formula, quam Apoſtolis præſcripſit, *Sanctificetur nomen tuum.*

[k] *Anima mea deſiderauit te in nocte.*] Huc vſque videtur produci beatorum canticum; nunc Iſaias ab hac tanta rerum viciſſitudine admonitus ſignificat, quid ipſe in illum exitum, qui varia hominum conſilia, & conatus excepit, intentus fecerit, facturúſque ſit in poſterum. Ait enim interdiu, noctú- 13. Deus ſedulò, & maturè quærendus.

B que ſibi de Deo cogitandum: deſiderium illius neque deponendum vnquam, neque laxandum, neque in matutinis vigiliis huic curæ quicquam eſſe præuertendum, idque ſeriò, atque ex animo: id enim valet illud: *In ſpiritu meo, in præcordiis meis de mane vigilabo ad te.* Quid ſit in nocte Deum deſiderare, non omnes eodem explicant modo. Quidam hoc dicendi genere vehemens ſtudium explicari putant, quia cùm ad ea, quæ magno nobis in amore ſunt auidiùs anhelamus, lucem præuertimus, neque illius deſiderium patitur nos ad lucem vſque ſomnum producere. Sic Dauid *Pſalm. 62. Deus Deus meus ad te de luce vigilo. ſitiuit in te anima mea.* Et mulier illa petulans de qua *Prouer. 7.*

C ad ſtolidum adoleſcentem, cuius ſe ardenti amore captam fallaci blandimento mentiebatur, eodem modo loquitur, *Egreſſa ſum in occurſum tuum de luce vigilans, te videre.* Neque ego alienus ſum ab hac ſententia. Sed ipſe Iſaias non obſcurè prodit, quid ipſe ſentiat, dum dicit iuſtos Dei manum Vexatio à Deo.
ſuſtinuiſſe, vtique ſeueram, & per illam ſemitam, id eſt, per patientiam ad quietis, & gloriæ faſtigium euaſiſſe. Tum quia ſtatim videtur optare, vt impios laboribus ac vexationibus exerceat, quo eos in ea ſemita conſtituat arcta, atque difficili, quæ ducit ad vitam. Porrò noctem pro afflictione ſumi, ſatis vulgatum eſt: & docet hîc Hieronymus, in eámque ſententiam exponit illud *Pſ. 20. Per diem Sol non vret te, neque Luna per noctē.* id eſt, neque in proſperis ne-

D que in aduerſis; Idem putat Haymo & plerique alij.

[l] *Cùm feceris iudicia tua in terra, iuſtitiam diſcent habitatores orbis.*] Longè aliter tranſtulere Se- 14. Vtilis omnibus ſceleratorum punitio.
ptuaginta, *Quia lux præcepta tua ſuper terram.* Sed vulgata tranſlatio multò magis ad textum eſt Hebraicum. Ad verbum ſic reddo, *Quoniam quemadmodum iudicia tua in terra, iuſtitiam didicerunt habitantes orbem.* Vbi poſt *iudicia*, verbum aliquod ſubaudiendum. Vatablus, *edita fuerint.* Pagninus, *fuerunt.* Hieronymus, *feceris.* Senſus pro diuerſa tranſlatione diuerſus. Si cum Vatablo ſuppleas, *edita fuerint*, videtur propheta his verbis velle, vt Dominus peccata in hoc ſæculo puniat, vt homi-

E nes quibus dat intellectum vexatio, ex ſupplicij grauitate iuſtitiam diſcant, id enim tacitè clamant inter flagella ſcelerati. Quod etiam nouere Gentiles, qui hanc vocem inter gemitus, crepitúſque plagarum audiebant, in Phlegya, de quo Virgil. *lib. 6. Æneid.*

——Phlegyáſque miſerrimus omnes
Admonet, & magna teſtatur voce per vmbras,
Diſcite iuſtitiam moniti, & non temnere diuos.

Si cū Pagnino *fuerunt* ſubaudias, ſenſus eſt idem 15.
ferme, ſed videtur propheta exemplis prioribus ſæculis productis orare à Domino, vt in ſceleratos furoris atque iudicij ſui gladium exacuat, quando

expe

experientia docuit, homines ſæpe flagellis eruditos meliori iam mente concepta iuſtitiam coluiſſe. Sanè noſtra tranſlatio non longè abit ab alterutra harum explicationum. Hieronymus in hunc modum explicat. *Quam diu non exerces iudicia tua ſuper terram, & nec bonis bona, nec malis retribuis mala, iuſtitia tua, ô Domine, Deus, ignoratur in terra; cùm autem iudicij diem pro qualitate operis vnicuique reddideris, quod meretur, tunc iuſtitia tua cognoſcetur in orbe terrarum, quæ priùs apud incredulos videbatur iniuſta. Ita vt vnus ſanctorum quoque diceret. Mei autem penè moti ſunt pedes. Pſal.72.* Idem Haymo, S.Thom Adamus, & plures alij.

16\. Dei punitio qui optanda in hac vita.

Placet valde quod dictum eſt à Hieronymo; ſed addo prophetam in ſe ipſum fuiſſe expertum quantam vim habeat diuinum iudicium, quod ipſe prophetica luce multò antè præuiderat. Cùm enim videret, quem exitum habuiſſet iuſtorum in hac vita paupertas, & vexatio, & impiorum fallax, & fucata proſperitas, & inde didiciſſet vnum Deum ſpectandum in omnibus, & illum omni ſtudio, die, noctéque inueſtigandum, quod ſe feciſſe dicit, quando ait. *Anima mea deſiderauit te in nocte*: Sollicitus de hominum ſalute Deum orat, vt in hac vita ſæpe edat illius extremi iudicij aliquam imaginem, vt munerata bonorum pietate, & mulctato improborum ſcelere, talis excitetur ſenſus in hominibus, qualem in ſe excitari experiebatur. Quare precatio iſta ex beneuolentia naſcitur, non ex ſtudio vindictæ. Et facit valde ad hanc explicationem textus ipſe Hebraicus, qui loqui videtur magis generaliter, quàm ab aliquibus accipitur, in hunc nempe modum. Qua ratione Deus in terra iudicium, ſic homines in terra iuſtitiam exercent. Et concinit valde quod ſequitur.

17\. m *Miſereamur impio, & non diſcet iuſtitiam facere.*] Hic Hieronymus dialogum inſtitui putat inter Deum, & prophetam, ita vt Deus qua eſt in homines manſuetudine, recuſet, quod orabat propheta, impios in hac vita puniri, ſatis illos daturos eſſe pœnarum in futura. Prophetam ad hæc obtendere non aliter impios ad ſanam mentem, iuſtitiáque colendam eſſe traducendos. Vide omnino Hieronymum, & ab eo diſces quantæ offenſionis argumentum ſit Deum in hoc ſæculo peccatorum erratis conniuere. Hieronymum ſequitur S. Thom. Haymo & Dionyſius.

Summæ offenſionis argumentũ eſt Deum peccatorum erratis conniuere.

18\. Sed credo ſenſum eſſe magis expeditum, ſi totum hunc ſermonem aſcribamus Iſaiæ, qui ſignificat impios non tam indulgentia atque officiis, quàm ſeueritate, atque flagellis ad pietatem eſſe trahendos, qui brutorum initar non tam adducuntur beneuolentia, quàm metu. Eſt autem in illo *miſereamur* ſubamara quædam ironia, qua cùm videmur aliqoid concedere, illud omnino auerſamur, & horremus. Qualis eſt illa apud profanos. *Ale luperum catulos, & canes qui te lanient.* Et illud *Eccl. 11. Lætare ergo iuuenis in adoleſcentia tua*, &c. Sic ergo propheta, Miſereamur impio, & ex ea animi lenitate id conſequemur vt ille magis in ſuo ſcelere perſeueret. Quod indicat Bernardus *ſermone 42. in Cantica.* Vbi in hunc ferme ſenſum explicat Iſaiæ locum, *Tunc magis*, inquit, *iraſcitur Deus cùm non iraſcitur: miſereamur*, inquit, *impio, & non diſcat facere iuſtitiam. Miſericordiam hanc ego nolo: ſuper omnem iram miſeratio iſta*, &c. Vide totum locum qui præclarus eſt.

19\. n *In terra ſanctorum iniqua geſſit, & non videbit gloriam Domini.*] Hieronymus, qui, vt diximus,

A colloquium iniri putat inter Deum, & prophetam, putat prioribus verbis ab Iſaia accuſationem intendi contra impium, cauſamque reddit, cur indignus ſit miſericordia. Quia cùm eſſet in terra ſanctorum, vbi videbatur omnis aditus interclusus ad vitia, ipſe tamen iniqua geſſit. Ad quem ſic Deus, vt ait Hieronymus, ſufficit ei pro vniuerſa pœna, quòd me cum ſanctis meis non videbit in mea maieſtate regnantem, quem ſequuntur illi, qui ſuprà, neque id ego non amplector.

Deus etiam dum punit miſericors.

20\. Sed arbitror, vt ſuprà dixi, hæc omnia ab vno propheta dici. Neque difficilis eſt aut obſcurus ſenſus, iſque duplex. Prior vt propheta obtendat ſatis Deum ad illud vſque tempus liberaliter atque in-B dulgenter complexum fuiſſe impios, & niſi in eos aliam inſtituat rationem omnino diuerſam, futurum vt nunquam videant gloriam Dei, in quam prophetica luce viderat ingreſſos beatos. *In terra ſanctorum*, id eſt, vbi ſancti ſunt, Deus ita tractauit liberaliter, ac ſi ſancti eſſent, ac præclaris operibus id commeruiſſent: illi tamen tanquam illiberales, & ingrati iniqua gerunt: Quare niſi aliter Deus in illos conſulat, omnino peribunt.

21\. Seu quia Sanctorum terra ac via, vt capite præcedenti vidimus, plena laborum eſt, ex quibus eos Dominus ad quietem, & gloriam vocat, *eſſe in ſanctorum terra* procuIdubio eſt dura pati, exerceri incommodis, & nullis mulceri corporis, animíque blanditiis; Hæc verò maxima, atque præſtantiſſima C ad animi morbos medicina ſi nihil ægris animis afferat ſanitatis, actum iam eſſe exiſtimatur de ægroto. Porrò ante *in terra* ſupplenda eſt particula conditionalis *ſi*, & coniunctio *&*, ſumitur in hac explicatione pro *etiam*: vtrumque in ſacra Scriptura frequens; Erit igitur hæc huius loci ſententia. Si in terram ſanctorum tranſlati impij, vbi ſancti incommodis vrgentur à manu medica Dei, ibi, vt antea, nihilominus impiè viuunt; non videbunt etiam gloriam Dei; ſicuti neque viderent cùm eſſent in deliciis. Ac ſi dicat, exerce illos & niſi reſipiſcant, pereant.

22\. Ad extremum obſeruo pro *ſanctorum* Hebr. eſſe נכחות *necochoth*, quod nomen ſubſtantiuum eſt, & *rectitudines* ſignificat. Ex qua nominis forma, ea-D dem, quæ modo dicta ſunt, multò ſignificantiùs exprimuntur. nam ſi *rectitudines* in ſua proprietate ſumas, id eſt, pro via expedita, non aſpera, ſalebroſe, moleſta; ſed leni, placida, qualis illa quam ſibi eligunt, & ingrediuntur delicati, ac mölles, ſenſus eſt: Si in via molli, in qua nihil occurrit aduerſi, iniquè agunt improbi, ergo traducantur ad viam aſperam, vt mutata via, ratio quoque mutetur, modúſque viuendi. Si verò metaphoricè ſumas, vt profectò ſumpſit vulgatus, dum vertit *ſanctorum*, ſenſus eſt. Si in via ſanctitatis, quæ ſpiritus alit ſanctos, & in qua carnis blandimentis nullus eſt locus, iniqua geſſit, de ipſius ſalute quæ eſſe poterit ſpes? non ergo videbit gloriam Dei.

Quid ſperandũ de religioſis, qui in clauſtro malè viuũt.

23\. E o *Domine exaltetur manus tua vt non videant.*] Imperatiuus hîc pro futuro ponitur, neque tam optat propheta, vt non videant populi, quàm futurum prædicit. Exaltare autem manum eſt illam eleuare à percutiendo, quaſi Deus de corrigendo populo curam abiecerit. Ex quo fiet, vt neque impiorum oculi aperiantur, quos excæcauit praua conſuetudo, neque videant, aut gloriam Dei, quod proximè dixerat, aut in quo ſtatu ſint, vt reſipiſcant. Aut certè hîc ironia eſt ſubamara, qualem ſuprà eſſe diximus in *miſereamur impio*. Ac ſi ironicè dicat;

Exalta manum & cohibe ab inferenda plaga, & ipſi numquam non errabunt in tenebris cæci. Et hæc videntur dici ſatis conſequenter.

Hieronymus hîc etiam colloquium eſſe putat inter Deum & prophetam, quem alij ſequuntur. Illum cuilibet legere in promptu eſt: neque diſplicet magni doctoris in ea explicatione iudicium; Sed in hac noſtra nihil eſſe video à litera vel à ca-
24. pitis conſecutione contortum. Quidam putant adductum miſericordia prophetam orare vt Deus manum ſuam, aut brachium exaltet, id eſt, filium Chriſtum, qui manus eſt Dei, ne videant illum impij iudicem, & confundantur: & Deum huic petitioni reſpondentem, illis omnino videndum eſſe iudicem, vt magis confundantur. Et huc ex parte ſpectat ſententia Hieronymi.

25. ᵖ *Videant & confundantur zelantes populi.*] Hæc quoque putat Hieronymus partem eſſe colloquij de quo ſuprà, quem omnino lege. Alij imprecationem eſſe credunt. Ego conſequenter ad eam explicationem, quam iam inſtitui, exiſtimo hæc omnia nata ex commiſeratione. Nam cùm exaltata Dei manu, id eſt, à flagellorum inflictu remota, cæci homines futuri ſint, neque peccatorum ſuorum cognitione eò adducendi, vt confundantur, & reſipiſcant, orat vt manum, quam ab eorum caſtigatione ſubduxerat, ſuper peccatores aggrauet: vt vrgente vexatione videant, pudefactíque propter peccatorum deformitatē de inſtituenda aliter vitæ ratione cogitent. *Zelantes* hîc ſunt iidem, qui inuidentes, qui videlicet populo Dei, id eſt, ſanctis, inuidi ſunt, & infenſi. Ecce quomodo pro inimicis ſuis orat propheta.

26. ᵠ *Et ignis hoſtes tuos deuoret.*] Qui priùs *zelantes*, hîc vocantur *hoſtes*. Perſtat in eadem petitione propheta, orátque vt quando vexatio expedita eſt ad ſalutem via, quos nunc habet hoſtes, eos ſibi beneuolos reddat, flagellis, ſi opus fuerit, ita durè atque frequenter ingeminatis, vt conſumantur non aliter, ac torris ab incendio ſolet. Quod ſi hæc eſt huius loci ſententia; neſcio quod maius excogitari poteſt tribulationis encomium. Quando propheta tam pius, ac mitis, tam illuſtratus diuina luce, tam ſedulò pro hominum ſalute laborans, id toties tam grauiter, atque obnixè petit, vt peccatores vel ad conſumptionem vſque & fauillam igne tribulationis erudiat.

Tribulationis vtilitas.

27. ʳ *Domine dabis pacem nobis.*] Qui putant hæc ab Iſaia fundi ſpiritu furoris, & indignationis in hoſtes Dei, cenſent etiam illum, vt inimicis infortunium, & ſtragem, ſic iuſtis, quorum è numero ipſe eſt, pacem, id eſt, quietem ſeu bonorum cumulum poſtulare. Et in his ſunt Hieronymus, Haymo, Dionyſius, Adamus. Quam ego ſententiam non improbo, ſed potiùs amplector & veneror: veruntamen ne ab ea explicatione, quam inſtitui recedam, puto ſic poſſe conſentaneè ad ſuperiora explicari. Si illos hîc Domine potiùs quàm futuro ſæculo punieris, id conſequeris, aut id nos per te potiùs conſequemur, vt pacem habeamus, iis nimirum nouo vitæ inſtituto ad piorum caſtra traductis, quos priùs noſtris rationibus infenſos habueramus, & per quos hactenus ſteterat, quo minùs pace frueremur.

28. ˢ *Omnia enim opera noſtra operatus es nobis Domine.*] Hic locus valde eſt à noſtris ſcholaſticis tentatus, dum docent quid habeamus à Deo, quomodo opera noſtra aut iuuet, aut faciat. Sed hæc quia altiori, aut longi negotij ſunt, in præſentia omitto. Quod ad expoſitionem attinet, S. Thomas hic in *operibus* pœnas intelligit, quibus Dei populus purgatus eſt. Quaſi oret propheta, vt ſicut igne tribulationis eruditus fuit, & purgatus populus Dei, ſic etiam purgetur populus tunc alienus. S. Hieronymus ſic exponit. Quia, quæ per prophetas locutus eſt, impleta ſunt, & reddidiſti vniuerſa, quæ pollicitus es, tribue nobis pacem. Non longè abit Haymo, quod etiam mihi valde placet. Sed aliter fortaſſe exponi poſſet neque alienè, neque ineleganter; ita vt propheta oret à Domino, vt quando alia omnia ex ipſius liberalitate homines habent, addat hoc quoque ad ſuperiora beneficia, vt pacem habeant cum his, qui vrgente diuina vexatione ab impietate ad ſanctitatem vocabuntur. Quò verò magis ad preces ſuas diuinam miſericordiam inflectat, nihil ſibi ex ſuis operibus, quæ bona ſunt, ſed totum Dei liberalitati acceptum aſcribit. Et hoc omnino indicant tranſlatio Septuaginta, quæ ſic habet. *Omnia enim reddidiſti nobis.*

ᵗ *Poſſederunt nos Domini abſque te, tantùm in te recordemur nominis tui.*] Videtur hic propheta argumentari ab exemplo. Nam Deus affligendo populum ſuum (tribus nempe duas, quæ non abierunt ad vitulos aureos) Syriæ, Samariæque viribus ſub Achaz proximè, & ſub alijs ſæpe regibus, illum ad pietatem traduxit. Cùm enim experti eſſent Iudæi nullum ſe præſidium habuiſſe à dijs alienis, ad Deum verum conuerſi ſunt. Quòd ſi Deus eandem adhibeat medicinam populo, tunc rebelli, & alieno, eundem quoque ſucceſſum ſperat. Et facit ad hanc coniecturam, quòd in textu Hebraico pro *recordemur*, eſt in futuro, *recordabimur*. 29.

Locus hic in eo difficultatis aliquid habet, quòd non facilè eſt coniectare, quinam ſint iſti domini, à quibus abſque Deo Iudæi dicuntur eſſe poſſeſſi. Communiter ab auctoribus idola exiſtimantur, aut ea, quæ homines pro idolis ſuſpiciunt, voluptatis aut vanitatis lenocinia. Hi ergo importuni ac violenti domini abſque Deo, id eſt, excluſo Deo, & eius religione neglecta, & prodita, dominati ſunt non ſolùm in Iſrael, ſed etiam in Iuda. Tempore videlicet Achaz, & aliorum Regum, qui etiam in auguſtiſſimum templum, vnique vero Deo conſecratum, exoticas ſordes, & peregrinas ſuperſtitiones inuexerunt. Orat ergo propheta, vt ita cadant illa fœda idolorum portenta, vt eorum neque tenue reliquum ſit veſtigium: & vnius Dei nomen vbique Gentium in honore, ac pretio, ac demum in omnium ore ſanctum, ac celebre perpetuò ſit. Quod in Iudæa Iſaiæ tempore fieri cœptum eſt, purgato à paternis ſordibus templo per Ezechiam, & altaribus, quæ in idolorum cultum erecta fuerant, ignominioſè ſubuerſis. 30.

Illud *abſque te* aliter etiam exponi poteſt, id eſt, te non annuente, aut eligente. Ac ſi dicas, dominati ſunt domini, non quos nobis tu præfeciſti, ſed quos noſtra nobis væſania, atque error impoſuit: illi videlicet, quos pro dijs coluimus, venter, libido, auaritia, dij noui, recentéſque, quos non coluerunt parentes noſtri. *Deut.* 32. In hanc ferme ſententiam alij communiter, & optimè. Sed quia locus difficilis eſt, & illuſtris, conabimur nos quoque aliquid addere ad aliorum cogitationem. Quod quale ſit, iudicabit benignus lector. 31.

Et primùm ſi in *Dominis* idola Gentium, aut recentes Deos intelligamus, aptiſſimè ad ſuperiorem clauſulam ſic interpretabimur. Opera noſtra operatus 32.

Deo omnia referenda, à quo profecta ſunt.

operatus es in nobis, Domine; abs te habemus vt viuamus, moueamur, & ſimus: ex quo fit vt noſtra tibi omnia, ac nos ipſos omnino debeamus. Sed pro dolor, externi domini, & alieni poſſeſſores in tuam poſſeſſionem irrumpunt *abſque te*, id eſt, te vero Domino à tua tibi hæreditate deiecto. Fac ergo, Domine, licèt id grauiter ferat hominum natura ad malum prona, & ad molliores voluptates intenta, flagello, ac vexatione, vt mutati iam à priori ac deteriori ſtatu, meliora meditemur, & tui tantùm nominis perpetuò memores, de te vno ſemper cogitemus: quæque tibi debentur, quia abs te profecta, illa tibi fideles & grati referamus. Qui ſenſus ad mores egregius eſt, ſæpéque à ſanctis Patribus vſurpatur. Ad quod valde facit illud 1. *Corint. 9. verſ. 7. Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Quod ſi huc referas quod proximè antecesserat, *Domine dabis pacem nobis*: aliquid etiam accedit momenti morali expoſitioni: Neque enim pacem habebit homo, qui quæ Deo debentur, alienis dominis, mundo puta, aut hominum gratiæ, & opinioni ſeu gratis tradident, ſeu viliſſimo vendiderit pretio.

33. Humana, quæ in nobis dominātur, cogitationem abducūt à Domino.

Sin autem in *dominus* aliquid aliud intelligas, nempe eos reges externos, quibus ſuberant tunc plurimi ex Iſraelitico, aut etiam Iudaico regno, aut certè, qui poſſediſſe videri poterant, dum theſauros regios, atque etiam ſacros exhauriunt, dum illis aut auxilium emitur, aut periculum euitatur, ſeu libertas redimitur, tunc ſenſus erit meo iudicio facilis, & magis fortaſſe verus, certè non minùs ad textum, iuxta ea, quæ paulò antè dicebamus. Nam ex ſeuera coërcitione illorum, qui vitam agebant ſceleratam, & turpem, à quibus grauia populus iuſtus quotidie patiebatur, illum fructum ſperabat propheta, vt pace fruerentur iuſti, impiis iam ad veram religionem, & pietatem traductis, ex qua etiam pace id conſequebantur, vt ſublato hoſtili tumultu, ac metu, vnius Dei perpetuò recordarentur. Tunc autem hæc erit ſententia. Dum ab iniquis vexamur, non tu ſolus, ô Domine, poſſides nos, nam *abſque te*, id eſt, præter te, qui ſolus in animis noſtris dominari debueras, alieni etiam domini dominantur, dum timentur, dum illis placere, atque obſequi ſtudemus. Dabis itaque pacem ita vt non neceſſe ſit externos dominos timere, aut de illis, quod in dura vexatione neceſſe eſt, cogitare; ita vt de te vno cogitemus, te vnum intueamur, in tuo nomine noſtra conſilia, ſtudia, atque conatus conquieſcant. Cui expoſitioni fauet quod in textu vulgato, quidquid de Hebraico ſit, non eſt *recordabimur* ſed *recordemur*, quaſi illam occaſionem, & tempus optet propheta, in qua totus de Deo cogitare poſſit. Et quæ ſequuntur non tam idolis mutis, quæ non ſentiunt, quàm hominibus viuis, ſentientibúſque conueniunt. Quare hæc explicatio mihi præter cæteras placet.

34. Gigantes olim fuiſſe.

" *Morientes non viuant, gigantes non reſurgant.*] Hæc ab aliis communiter peccatoribus accommodantur, qui dum ita cogitant, plurimum huic poſteriori ſententiæ fauent. Aiunt autem prophetam hic optare, ac petere, vt in æternum pereant peccatores: & ita communiter. Seu certè, quod alij volunt, vt vbi ceciderint, nunquam ad antiquum ſtatum reſtituantur. Quæ mihi duriuſcula viſa ſunt. Sed antequam hæc aggredior, examinandum mihi eſt qui ſint רפאים *rephaim*, quos noſter interpres reddidit *gigantes*. De quibus, atque eorum nominibus, quibus vaſta illa hominum moles ſignificatur, vide Pinedam in illud *Iob 26. Ecce gigantes gemunt ſub aquis.* & Michaelem de Medina, *in diſputatione quadam quodlibetica.* & Auguſtinum, *lib. 15. de ciuitate, cap. 9.* Et quidem fuiſſe olim homines prodigioſę magnitudinis, non ſolùm profanæ, ſed etiam ſacræ produnt hiſtoriæ. Vide Plinium *lib. 7. cap. 16.* & ibi Dalecampium. Ariſtot. *libro de admirandis auditis.* & Auguſtinum *ſuprà*, vbi Virgilij adducit teſtimonium, & teſtis ipſe oculatus hoc ipſum exemplo confirmat. *De corporum*, inquit, *magnitudine plerumque incredulos nudata per vetuſtatem ſiue per vim fluminum, varióſque caſus ſepulchra conuincunt, vbi apparuerunt, vel vnde ceciderunt incredibilia oſſa mortuorum. Vidi ipſe non ſolùm, ſed alij quotquot erant mecum in Vticenſi littore molarem hominis dentem, tam ingentem, vt ſi in noſtrorum dentium modulos minutatim conſcinderetur, centum nobis videretur facere potuiſſe; ſed illum Gigantis alicuius fuiſſe crediderim.* Hæc Auguſtinus.

Gigantes prodigioſæ molis.

Quod Auguſtino, idem etiam aliis ſub hæc tempora in tranſmarinis oris ſpectare licuit. Nam dum deriuandæ Mexicanæ paludis gratia, quæ ciuitati graue minabatur exitium foſſæ aperiuntur, effoſſa ſunt hominum oſſa eius magnitudinis, vt ſi eorum, qui viderunt, ac retulerunt, fides non eſſet tanta, vt illa in dubium vocari non poſſet, res planè videretur ſupra omnem fidem. Vidi ego molarem hominis dentem effoſſum in nouo regno Granatæ, qui parum aberat à librali pondere. Sed quid externa quærimus teſtimonia, cùm ſacris abũdemus. *Gen. 6.* ante diluuij tempora Gigantes fuiſſe traduntur, & *Deut. 3.* ſolus Og Rex Baſan de ſtirpe Gigantum reliquus dicitur. & 2. *Reg.* 21. & 1. *Paralip.* 20. Gigantum mentio fit, eorumque prodigioſa magnitudo deſcribitur. De hac ergo hominum inuſitata mole nemo credo dubitabit, atque ideo ad nominis notationem gradum facio.

35. Varia Gigantum nomina.

Varia ſunt Gigantum nomina, de quibus alij pluribus, nos de vno atque altero, quia ita præſens poſtulat locus, diſputabimus. Prius eſt רפאים *rephaim*, cuius à variis variæ afferuntur notationes. Mitto illam, quæ putat, ab Orpha nuru Noëmi, de quo *Ruth cap. 1.* natum eſſe Goliath, qui occiſus fuit à Dauid; & item alium gigantem, de quo eſt 1. *Paralip. c. 20.* à qua Orpha *Rephaim* videntur deduci potuiſſe. Sed iſtæ planè ſunt Rabbinorum nugæ, qui ſi quid vident ad populi plauſum opportunum, non verecundantur confingere. Hoc idem in Philone ſeu Pſeudophilone inuenies in antiquitatibus biblicis; cui libello prorſus indigno, qui Philoni aſcribatur, nihilo plus ego fidei habeo, quàm Rabbinorum nugis. Illud miror Prudentium idem cum Rabbinis ſenſiſſe. Sic enim ille in Hamartigenia cùm ageret de Orpha, ait illam contempta Noëmi maluiſſe

Fabula Hebræorum de Orpha.

——— *Semiferi ſtirpem nutrire Goliæ.*

Sed cùm aliis multis confutari poſſet hæc Hebræorum cogitatio, hæc vna nobis in præſentia ſufficiat, quòd Orpha aliter ab Hebræis ſcribitur, quàm mater Goliath; illa enim dicitur ערפה *hhorphah*, hæc verò רפה *raphah*, vt 1. *Paralip. 20. verſ. 6.* ſeu הרפה *harapha*, 2. *Reg. 21. verſ. 16.*

36. Alij רפאים *raphaim*, dictos eſſe Gigantes arbitrantur à radice רפא *rapha*, quæ *mederi*, ſeu *ſanare* valet; quia hi ſani ſunt, & robuſti, valetudinis integræ, corporis toroſi, & ad omnem conatum, & pondus idonei. Alij à רפה *raphah*, quod ſignificat *diſſoluere*, quia ſuo tantùm aſpectu vaſto, atque

horribili hominum vires, ac neruos diſſoluebant. Mihi valde placet, quod etiam viſum eſt Pinedæ *in cap. 26. Iob* רפאים *rephaim*, vocatos fuiſſe ab Arapha, ſeu Rapha patre Goliath (patrem autem voco non matrem, quia Septuaginta articulum ponunt maſculinum.) Puto autem illum non vocari *Arapha*, ſed *Rapha*, quod, vt ita cenſeam, adducor, quia 1. *Paralip*. 20. pater Goliath bis dicitur *Rapha*. Quòd autem 2. *Reg. cap*. 21. vocatur הרפה *Haraphah*, ideo eſt, quia litera ה præfixa, nota eſt genitiui caſus, non propriæ dictionis. Et ita eo loco Septuaginta non conuerterunt, *Arapha*, ſed *Rapha*, quod etiam fecit Tigurina. Cùm igitur huius Rapha quatuor eſſent filij prodigioſæ vaſtitatis, & Gigantææ molis, de quibus 2. *Reg. cap*. 21. factum eſt, vt omnes quotquot eſſent immani corporis vaſtitate, à Rapha *Raphaim*, id eſt, à Rapha progeniti dicerentur, cuius rei non leuis eſt coniectura, quia etiam ab Enac homine Gigantææ magnitudinis, Gigantes quales fuerunt eius filij, *Enacim* communiter appellentur. *Num*. 13. *Deut*. 1. & 2. vbi monſtra illa dicuntur *filij Enacim*, & Septuaginta *Gigantes* vertunt. & *Num*. 21. à Vulgato magis explicatur, qui *filios Enac, gigantes* appellat. *Ibi vidimus monſtra quædam filiorum Enac, de genere Giganteo, quibus comparati quaſi locuſtæ videbamur*. Ex hoc mihi veriſimile eſt, à Rapha Gigantes vocatos eſſe *Raphaim*: ſicut *Enacim* ab Enac. Neque admodum refert quòd *in* 2. *Reg. c*. 2. dicatur הרפה *Haraphah*, cum ה, in רפאים *rephaim* verò ſit א: quia in quieſcentibus Hebræorum literis, vt norunt mediocriter eruditi, facilè vna litera mutatur in aliam eiuſdem ordinis. Et ita planè contigit in hac eadem voce, nam quæ 2. *Reg*. 21. dicitur רפה *raphah*, eadem 1. *Paralip*. 20. רפא *rapha* nominatur.

37\. Vocantur etiam Gigantes alibi *mortui*. Nam *Prouer*. 9. *v*. 18. vbi Vulgatus, *ignorauit quod ibi ſint gigantes*; Tigurina, & Pagninus vertunt *mortuos*. Eodem modo *cap*. 21. *verſ*. 16. Vbi noſter, *Vir qui errauerit à via doctrinæ, in cœtu Gigantum commorabitur*. vbi iidem, qui nuper, etiam vertunt *mortuos*. Quod etiam faciunt *Iſaiæ* 14. vbi Vulgatus legit, *Suſcitabit tibi Gigantes*. Rabbi Abraham *in cap*. 14. *Geneſ*. ideo putat Gigantibus cum mortuis nomen eſſe commune, quia hi qui Gigantes videbant, præ metu, atque ſtupore moriebantur. Quomodo paulò antè dicebamus ex aliorum ſententia dici רפאים *rephaim*, quia aliorum vires; & neruos diſſoluebant: Mihi nominis ratio valde apparet obſcura. Neque rationes ab aliis adductæ curioſo lectori ſatisfaciunt. Ego interim dum alia commodior occurrit, hanc amplector. Certum eſt Gigantes ita periiſſe vniuerſali diluuio, vt ex illis nullus fuerit ſuperſtes. Si qui tamen poſt diluuium gigantæa fuerunt proceritate de ſtirpe Enacim, ita illi defecerunt tempore Moyſis, vt vnus tantùm ſuperfuerit Og Rex Baſan *Deut*. 3. *Solus quippe Og Rex Baſan reſtiterat de ſtirpe gigantum*. Et poſt quatuor filios Arapha, ſeu Rapha, nullus deinde in ſacra Scriptura, quod ego meminerim, commemoratur de genere gigantæo. Quia ergo iam gigantes in terris eſſe deſierant longo ante Iſaiam tempore, fato functi, fit vt *gigantes* pro *mortuis* vſurpentur. Et id dici credo prouerbiali figura, ad quam videtur Iob alluſiſſe *c*. 3. & 14. *Nunc dormiens ſilerē cum Regibus atque conſulibus terræ*. id eſt, cum mortuis. Simile eſt illud Horatij *lib*. 4. *Car. Ode* 7.

Gigātes cur dicātur *mortui*.

Prouerbiū.

Nos vbi decidimus,
Quò pius Æneas, quò Tullus diues, & Ancus,
Puluis, & vmbra ſumus.

His vtcumque expoſitis videndū eſt, quinam ſint iſti gigantes, aut qui hoc loco dicuntur *morientes*. Mihi inprimis videtur non longe eſſe à prophetæ ſenſu, ſeu filo prophetiæ, ſi qui paulò antè dicti ſunt *Domini*, qui abſque Deo populum Iudaicum poſſederunt, iidem nunc vocentur *morientes*, & *Gigantes*: nempe vt Hieronymus, & alij putant, idola, aut quæ maximè amant, colúntque pro Diis ambitioſi, atque voluptuarij homines, quæ omnia propheta extincta, ac longè infra mortuos amandata eſſe vult, ne vnquam de illis hominum mentes vlla cogitatio ſubeat. Dij autem gentium gigantes putabantur à deluſo vulgo: ita nimirum fortes, vt non ſibi ſolùm, ſed etiam aliis ſaluti eſſe poſſent: dicuntur præterea iidem *morientes*, aut *mortui*, *Iſai*. 46. *Baruch cap*. 6. *Pſalm*. 113. & alibi millies. 38.

39\. Ego, vt in his, qui abſque Deo populum poſſederunt, peccatores homines intelligebam, ſic etiam nunc in morientibus, ac gigantibus peccatores intelligi poſſe puto; non tamen eo ſenſu, quem alij probant, nempe quòd illis Iſaias exitium optet, ac precetur, ſed aut quod prædicat potiùs, quis maneat exitus peccatorum fortunam: aut certè ideo optet, vt illis aliquid contingat aduerſum, vt ab antiquo errore reſipiſcant, & meliora cogitent. Quo ſenſu ſuprà diximus temporalia incommoda magnum afferre vſum peccatoribus ad animorum ſalutem.

40\. Secundò exiſtimo his verbis, *morientes non viuant: gigantes non reſurgant*, iterari eandem ſententiam: ita vt idem ſit morientes non viuere, ac non reſurgere gigantes. Nam, vt ſuprà vidimus, multi pro רפאים *rephaim*, & gigantibus, *mortuos* tranſtulerunt: & hunc locum Pagninus ita conuertit, *Mortui non viuent, mortui, qui dominati ſunt nobis, non reſurgent*. Exiſtimo autem hîc ſubaudiri notam ſimilitudinis, in hunc ſenſum. Non viuant, ſicut non viuunt mortui; neque reſurgant, ad priores nempe ſpiritus, & inſolentiam. Et ſicut proſtrati ſemel gigantes, non ſunt ad priorem potentiam, & Tyrannidem excitati. ſic ipſi, quo ſeipſos meliùs cognoſcant, ab ea, quam ſubiere, ruina non reſurgant. Porrò hîc *non viuant*, hyperbolica locutione ſumitur pro dure vexari. quomodo Paulus dixit, *Quotidie morior*. quæ forma dicendi apud profanos & ſacros obuia eſt. De idolis quomodo hæc accipienda ſint, iam explicuimus.

41\. Pro *Gigantibus*, Septuaginta reddidere *Medicos*, iuxta radicis notationem, nam רפא *rapha*, *mederi* ſignificat. Neque ſenſus diuerſus eſt. Sic autem illi *Mortui vitam non videbunt, neque medici ſuſcitabunt*. Et vbi iidem Septuaginta, *Pſalm* 87. transferunt, *Numquid mortuis facies mirabilia. aut medici ſuſcitabunt?* Pagninus & Tigurina reddunt, *Num mortui reſurgent?* Hieronymus eodem modo quo hîc, *Gigantes reſurgent*. Hebraicè ſunt eadem omnino verba.

42\. Quia locus hic obſcurus, & impeditus eſt, non erit abs re, ſi illum aliter explicare tentemus. Symmachus, vt notauit Hieronymus, ſic vertit hunc locum, *Mortui non viuificabunt, Gigantes non ſuſcitabunt*. Quæ tranſlatio ſatis congruit cum texto Hebraico, iuxta quem rationem videtur reddere propheta, cur tantùm veri Dei voluerit retinere memoriam, & illum vnum colere, vt Deum, & vt Domino ſeruire. Nam ab aliis dominis, quicumque illi ſint, qui abſque vero Deo populum poſſederunt, nihil omnino ſperari poterit rebus humanis

oppor

opportunum. Non à diuitiis, quæ faſtus alunt, & libidinem fouent: non à voluptate, quæ vires debilitat, & ad mortem trahit: non ab hominibus, tametſi illi Gigantes eſſe videantur, cùm ipſi quoque cadant; vnde etiam נפלים *nephalim* vocantur, id eſt, *cadentes*, lapſum. & miſerum excitare non poſſunt: non denique ab idolis, & Gentium diis, quia cùm hi mortui ſint, vitam hominibus præſtare non poſſunt.

43. ˣ *Propterea viſitaſti, & contriuiſti, & perdidiſti omnem memoriam eorum.*] Communiter hæc de reprobis intelliguntur; neque ego improbo, ſed potiùs amplector. Nihilo tamen minùs puto hæc aliter explicari poſſe, idque dupliciter: Primò vt hæc ad Iudæos, & ad idola, quæ illi paulò antè coluerant, referantur accommodatè ad illorum ſententiam, qui de idolis ſuperiora capiunt. Perdidit Dominus idolorum memoriam in Iudæorum animis aſſidua vexatione, quia ſub Achaz per Reges Syriæ, atque Samariæ populum Iudaicum malè mulctauit, & penè exhauſit viris atque opibus. Deinde per Senacherib res Iudaica in eas anguſtias deducta eſt, vt præter Ieruſalem reliqua penè omnia in hoſtium poteſtatem venerint. Sublata ergo materia voluptatis, quæ idololatriæ quoddam genus eſt, à victore, & imminente iam hoſte; imò ſublata penè libertate ad Dominũ rediere ſub Ezechia: quo tẽpore hæc dicebantur à propheta, abiecta prorſus idolorum memoria, à quibus in illa rerum anguſtia nihil opis habuerunt. Sumit ergo, vt mihi videtur, argumentum ab exemplo. Nam cùm Dominus viſitauerit contriueritque aſſiduis infortuniis populum Iudaicum, id perfecit, vt perdiderit memoriam idolorum in terra Iuda; Sic etiam veriſimiliter videtur futurum, ſi eodem modo gentes impios incommodis inſectetur & vrgeat. Et vehementer huic expoſitioni aſſonat, quod ſubiicitur ſtatim, *Indulſiſti genti, numquid glorificatus es?* de quo mox.

44. Secundo modo explicari poteſt, ita vt ſermo ſit de illis dominis, qui ſic erant Iudaico nomini infenſi, & potentia atque immanitate terribiles, vt imbecilla Iudæorum mens, non poſſet de illis ſæpius non cogitare. Quocirca cùm Dei, qui in nobis operatus eſt omnia, recordari deberent, hoſtium ſuorum interdum recordari cogebantur. Quare orauit Propheta paulò antè Dominum, res ita conſtitueret, atque diſponeret, vt non iam ampliùs recordarentur hoſtium, qui tanquam Domini non tantùm Iudæorum opes manu, ſed etiam eorum animos metu poſſederant. *Dabis*, inquit, *pacem nobis*, &c. *tantùm in te recordemur nominis tui*. Id nunc propheta dicit fuiſſe completum debellatis Regibus, qui res Iudaicas perturbauerant, Samariæ nempe, & Syriæ, & fortaſſe Senacherib (neque enim, ſi poſt hæc illis clades deſcripta eſt à propheta, efficitur ante hoc tempus non contigiſſe) nam cùm Deus illos viſitaſſet atque contriuiſſet, illorum quoque memoriam perdidit, paſſiuam intelligo, id eſt, fecit ne iam Iudæi ab eorum dominatu & timore liberi, illorum ampliùs recordarentur. Neque diſſimilis valde ſenſus eſt, ſi hic præteritum pro futuro ſumas, quod faciunt frequenter prophetæ, quaſi dicant, viſitabis & conteres, Domine, eos, qui nos poſſederunt abſque te: & ita dabis nobis pacem, abolebiſque omnino ex animis noſtris inimicorum memoriam, vt de te vno perpetuò cogitemus.

45. ʸ *Indulſiſti genti, Domine, indulſiſti genti: numquid glorificatus es?*] Ab effectu probat Iſaias magis op-
Peccator a-

A portunam eſſe improborum ſaluti ſeueritatem pœnæ, quàm clementiæ lenitatem. Nam quamdiu Deus mitis fuit in impios, magiſque beneficiis ornauit, quàm affecit ſupplicij, aut exercuit incommodis, hæſerunt ipſi prioribus vitiis, neque Deum glorificauerunt. Hæc aperta ſunt. Illud dubium an gens hæc quæ tractata à Domino molli manu, ornataque nouis quotidie beneficiis, Deum non glorificauit, ſit Iudaica, iam per tribulationem ad Deum conuerſa; vel gentilis, quæ, vt ad Deum conuertatur, precatur propheta. Communiter interpretes de impiis nondũ ad Deum conuerſis hæc accipiunt, neque id mihi diſplicet. Verumtamen magis videtur expeditus ſenſus, ſi de Iudæis hæc
B accipias. Neque tunc erit aliquid, quod ſuppleas, aut à verſus lenitate detorqueas, in hanc ſententiam. Quamdiu Iudaicæ genti indulſiſti, non abiecit alienos Deos, ſed (vt eodem propè tempore dixit Oſeas *cap.* 10.) *ſecundùm multitudinem fructus ſui multiplicauit altaria, iuxta vbertatem terræ ſuæ exuberauit ſimulacris*. Sed illa eadem gens erudita duriùs redit ad te. Sic ergo faciet populus nunc alienus, ſi illum duriori percuſſeris virga. Quare hic vt ſuprà argumentatur Iſaias ab exemplo.

[Margin: butitur di-uina miſeri-cordia]

ᶻ *Elongaſti omnes terminos terræ.*] Variè hic locus exponitur. Hieronymus ex hac Dei indulgentia dicit ingratos populos à Deo receſſiſſe ad vltimos vſque terræ terminos, id eſt, longiſſimè, quem Ada-
C mus & alij ſequuntur. Dionyſius paulò aliter, dicit enim ideo omnes terminos terræ à Deo fuiſſe abalienatos, quia experti ſunt erga ſe clementem Deum. Eodem modo Lyra, neque ego abnuo. Sed conſentaneè ad ea, quæ ſuprà dixi, exiſtimo hæc etiam pertinere ad populum Iudaicum, cui dum Deus amplificauit fines, liberéque permiſit, & ſine metu peruagari omnes terminos terræ, nẽpe promiſſionis, receſſit à Domino, excitauitque in omni excelſo, atque frondoſo loco aras Deorum ſimulacris: quod ſæpe dolent & queruntur prophetæ. Contrà verò poſtquam coanguſtatus eſt locis, & ærumnis oppreſſus, mutauit mentem intellectu per vexationem illuſtrato. Per *elongationem terminorum* ſignificari fauorem, & indulgentiam tra-
D dunt Vatablus, Emanuel Sa, Leo Caſtrus; & ita eſſe perſuadet, quod ſtatim de anguſtia contrapoſita ſubditur. 46.

47. ᵃᵃ *Domine in anguſtia requiſierunt te.*] Tempus hoc præteritum ſatis indicat ſermonem eſſe de Iudæis: neque enim apparet quæ vlla alia natio humaniùs antea accepta, doloribus deinde inſtimulata reuerſa fuerit ad Deum. Porrò ſiue *anguſtiam* hic pro anguſtis regionis finibus, ſiue pro ærumnoſa vitæ conditione ſumas, opponi credo longis terræ terminis de quibus proximè. Nam vel ſpatium ſignificari in quibus laxè viuebat populus Iudaicus, ſiue vitæ libertatem, quam illa locorum laxitas, & amplitudo deſignat. Eſt ergo ſenſus, Ille populus, qui in laxis ſpatiis acceptus abs te
E molliter non glorificauit te, idem in anguſtis finibus durè coarctatus te requiſiuit. Quæ ſententia in ſacra Scriptura valde frequens eſt. De impiorum proſperitate Ieremias *cap.* 5. *verſ.* 28. *Magnificati ſunt, & ditati, & incraſſati ſunt, & impinguati, & præterierunt ſermones meos peſſimè*. Idem *Deut.* 32. *verſ.* 15. *Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit. Prouerb.* 1. *Proſperitas ſtultorum perdet eos.* Contrà verò de afflictione *Oſeæ* 6. *In tribulatione ſua manè conſurgent ad me. Ierem.* 2. *In tempore afflictionis dicent, Surge, & libera nos.* Et *Pſalm.* 82. *verſ.* 17.

[Margin: Vexatio interdũ multò quàm lenitas vtilior.]

Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum, Domine.

48. Peccator ſtimulis eruditur.

ᵇᵇ *In tribulatione murmuris doctrina tua eis.*] Sicut boum doctrina ſtimulus eſt, ſic ſtulti non aliter diſcunt niſi ſtimulo compuncti. Quare apud Hebræos eadem vox מלמד *malmad, ſtimulum*, & *doctrinam* ſignificat. Fuit itaque doctrina, qua Dominus vtiliter atque efficaciter erudiuit populum ſuum tribulatio, quia illa edoctus reuocauit curſum, quo ad vitia ferebatur effrænatus. Quæ, cur dicatur *murmuris*, iam explicandum. Quidam putant ideo *doctrinam murmuris* appellari, quia cùm tribulationem homines inuiti ferant, obmurmurare ſolent, & aliquid obgannire contra ferientem. Ab eo ergo quod communiter accidit, *tribulatio* dicitur *murmuris*. Ita Lyra, Dionyſius, & Adamus. Hieronymus cenſet *tribulationem murmuris* vocari eam, quæ eiuſmodi eſt, vt præ magnitudine libertatem, aut facultatem plorandi eripiat, quod in magno dolore, ſeu oppreſſione fieri ſolitum docuimus ad illud *cap. 21. Omnem gemitum eius ceſſare feci.* Sic autem Hieronymus: *Tantum eis malorum pondus incumbet, vt ne clamare quidem audeant confidenter, ſed dolorem ſuum ſilentio deuorent.* Idem cum Hieronymo alij. Vatablus, & Foreiros in *murmure* orationem intelligunt, ad quam confugiunt qui vrgeri ſe malis, & iactari ſentiunt. Sed non puto eſſe ad textum. Alij exiſtimant in *murmure* ſignificari tribulationem vtilem, quæ facit vt homo ſeipſum tacitè reprehendat, & deteſtatus vitæ ſuperioris inſtitutum meliora cogitet. Ita indicat Sa, qui gemitum in murmure agnoſcit: & Chaldæus, qui ſilentium, id eſt, tacitum murmur, quo in ſeipſos indignantur, qui amaro atque mœrenti animo ſunt: quod ſacra Scriptura communiter per verbum *compungi* ſignificare ſolet; Ex his expoſitionibus, placet magis, quam Hieronymus probat, quia magis videtur ad inſtitutũ conſentanea; Videtur enim id velle propheta vt homines inſigniter rebelles, inſigni aliquo percutiantur vulnere: vt qui alto ſopore ſunt oppreſſi, acutis compuncti ſtimulis excitentur.

49. Septuaginta pro *murmure*, *paruam* conuertunt, *in tribulatione parua doctrina tua nobis.* Iuxta quorum tranſlationem ſic locum interpretatur Hieronymus. Si parua tribulatio docet, & emendat, & corrigit, quantò magis magna, cùm admonemur conditionis noſtræ, & Dei potentiæ recordamur. In qua tranſlatione ego quoque hîc obſeruo paruam videri ſanctis tribulationem, quantumuis illã grauis ſit (vt re vera fuit quam paſſi ſunt Iudæi ſub Achaz & primis temporibus regni Ezechiæ, de quibus hîc videtur agere propheta) præ illa vtilitate, quam ſecum affert dum in nobis excitat Dei memoriam, & rerum humanarum vilitatem, atque inconſtantiam oſtendit: ac tandem liberat ab his pœnis, quibus propheta ſuprà torqueri viderat ſceleratos homines.

50. Pœnitentiæ fructus.

ᶜᶜ *Sicut quæ concipit, cùm appropinquauerit ad partum dolens clamat.*] Vt rerum fert natura, partus ſine dolore non fit, qui vſque adeò grauis eſt, vt à Græcis maximus dolor appelletur, ὠδὶν, qui eſt dolor ille, quem in enixu patitur puerpera. Et in ſacra Scriptura dolor partus pro acerbiſſimo paſſim vſurpari ſolet. Sic ergo propheta peperiſſe ſe, & populum antè voluptati deditum, atque idololatriæ, dicit *ſpiritum*, id eſt, non tam id, quod ſenſus titillat voluptarios, quàm quod animum paſcit, atque confirmat, Non tamen ſine dolore, qualis eſt in partu ex contorſione viſcerum, laterum concuſſu, carniſque diuiſione. Vt autem ille dolor clamare cogit fœminam puerperio laborantem, donec tandem fœtum enixa à partu, doloréque ſoluatur, ſic qui ſpirituali aliquo puerperio laborat, clamat, & gemit, donec in lucem edat quod antè concepit.

ᵈᵈ *Sic facti ſumus à facie tua Domine.*] Optimè parturientis metaphora exprimit, quid homini in ſpirituali partu contingat: Vt enim cùm partus aduenit dolor antecedit, ingraueſcítque magis, quò propior eſt luci fœtus: & tunc à dolore vehementior exprimitur gemitus; ſic à facie Domini peccatori contingit. De cuius aduentu Iob *c. 10. v. 16. Reuerſus mirabiliter me crucias.* Vide in hunc locũ Gregorium. Cæterùm illud *à facie tua Domine*, Hieronymus ad ſuperiora refert hoc ſenſu. Quod parturiens ab inſtanti partu, id nos Domine à facie tua, id eſt, abs te iam adueniente paſſi ſumus. Alij ad inferiora, in hanc ſententiam. Vt populus antea à bono fœtu ſterilis à facie Domini dicatur concepiſſe, bona nimirum deſideria, eáque cum dolore parturiiſſe. Ita Dionyſius, & Haymo. Non puto valde referre hoc an illo modo diſtinguas, quia ſententia, non eſt valde diuerſa. Accipio tamen libentiùs priori modo, quia ita communiter diſtinguitur in Bibliis Latinis. 51.

ᵉᵉ *Concepimus & quaſi parturiuimus, & peperimus ſpiritum.*] Vir quidam valde doctus, & pius *ſpiritum* hoc loco cenſebat eſſe ventum, & in hanc ſententiam hunc accipiebat locum. Suſtinuiſſe quidem populum dolores, quos ſuſtinet puerpera; non tamen illud contigiſſe illi leuamentum, aut ſolatium doloris, quod parturienti. Nam illa poſtquam peperit, dolore leuatur, & augetur fœtu, at populus poſt dolores longi atque moleſti partus ventum peperit, id eſt, rem euanidam, neque ſalutem facit, id eſt, conſecutus pacem, aut doloris fructum. Quæ explicatio ſanè acuta eſt, & quæ ſumpta ſeorſum à capitis filo ſatis eſt ad plauſum. Neque parum fauet quod ſequitur, *ſalutem non fecimus in terra.* Sed illam non poſſum non improbare, quia malè hæret cum adiunctis, & turbat omnia, quæ hactenus dicta ſunt. 52. Peccatorum labor moleſtus, & vacuus.

Hîc ego repeto quod Hieronymus ad ſuperiora retulit *à facie tua Domine.* Nam à Deo præſente, ſtimulante, & turbante ea, quæ in terris clara, atque ſtabilia videri poterant, concepit populus in viſceribus propoſito timore concuſſis, noua deſideria, eodem formante magis, atque maturante fœtum parturiit, id eſt, ad partum vſque, vbi grauiſſimus dolor eſt, fœtum perduxit: & eodem ad finem vſque operis intento, & quaſi obſtetricante, quod à Deo formatum, atque animatum fuerat, peperit, ſpiritum nempe. Neque mirum, cùm non à carne, ſed ab ſpiritu timoris obumbrante conceperit. 53.

Hæc quidam ad ſpirituales, & Apoſtolicos viros referunt, quorum officium eſt, ſi modò Euangelij miniſtri, & Chriſti cooperatores eſſe velint, eò incumbere, vt homines ab eo concipiant ſobolem tanto genitore dignam: & contra omnem doloris vim, & acerbitatem obdurantes ſpiritum parturiant. Cui muneri vt ſatisfaceret Paulus, quid non aggreſſus, quid paſſus non eſt? Qui quò Chriſtus, id eſt ſpiritus ſalutis formaretur in diſcipulis, dolores parturientis ſuſtinere ſe dicit *ad Galat. 4. Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis.* Ita Hieronymus, qui in ſequentis verſus explicatione aſſerit habitatores orbis non cecidiſſe, 54. Quid in auditore generare debeat vir Apoſtolicus.

cidiſſe, nempe à peccatis, quia nos tam lenti ſumus ad pietatis ſtudium. Sic illum explicat Adamus, qui in hunc ſenſum etiam interpretatur hunc locum, ſed Hieronymus obſcurè loquitur, & in aliam fortaſſe ſententiam.

55. f f *Salutes non fecimus in terra, ideo non ceciderunt habitatores terræ.*] Quidam *ſalutes* cum *ſpiritu* coniungunt, & in ſecundo caſu ſtatuunt, & ita legunt, *ſpiritum ſalutum non fecimus.* Ita Foreirus, qui hic inducit ſanctos, quaſi querulos de diuina prouidentia, qui cum conceperint cum dolore, & cum eodem parturierint, pepererintque ſpiritum ſalutum, tamen ab impiis, qui ſuper terram regnant, opprimuntur. Et putat verbum, pro quo vulgatus *fecimus* reddidit, ſignificari hoc loco *oppreſſimus*, quaſi dicant iuſti in ſua querela, *ſpiritum ſalutum non oppreſſimus; neminem exitio, aut noxa fuimus: non ceciderunt habitatores terræ per nos à ſua ſede depulſi*, &c. Sed communiter alij *ſalutes* à *ſpiritu* diſpungunt, ſed variè explicant. Adamus ad viros Apoſtolicos refert, ex ſententia, vt ipſe putat, Hieronymi, qui ideo putat non cecidiſſe ex ſuis erroribus, ac ſtudiis habitatores terræ, quia viri Apoſtolici & diuini verbi præcones, qualis erat Iſaias, parum ſtrenuè datas ſibi partes obierunt.

56. Alij ſupereſſe ideo putant habitatores terræ, id eſt, impios, & vexatores, à quibus Iudæi eo dolore exercentur, & vexantur, quo torqueri ſolent puerperæ, quia videlicet ſalutes non fecere, id eſt, ſtrenui non fuerunt in ſtudio colendæ pietatis, & extirpandi vitij, quod altiùs eorum animis inſederat. Quæ ſententia mihi probatur magis, & quia communior, illam enim amplectuntur Hieronymus, S. Thom. Haymo, Dionyſius, Hugo, & quia magis cum ſuperioribus cohæret. Nam cùm paulò antea ſignificauerit propheta ſtimulum, & tribulationem conferre plurimùm, vt homines ab iniquitate ad iuſtitiam redeant, idque ſuæ gentis exemplo probauerit, nunc cauſam reddit, cur habitatores terræ, hi nimirum, qui Iudaicis rebus infenſi ſunt, deleti non fuerint, quia videlicet, cùm ſalutes non fecerint, id eſt, opera ſancta, qualia ſalutem & pacem parere ſolent (ſumitur enim effectus pro cauſa) intererat maximè vt per gentes inimicas adhuc vexarentur, quò longiori exercitatione elueretur, quidquid adhuc ſupeeſſet vitij. Cæterùm hîc *habitatores terræ* illos eſſe credo, qui ex alienigenis terram promiſſionis occupauere, aut qui ex ea à filiis Iſrael exturbari non ſunt; nam vtrique Iudæos ſæpe, & variè bello tentarunt. Eſt autem obſeruatum à Hieronymo in illud *Iſaiæ* 13. *Diſperdam omnem terram.* ſæpe ſumi *omnem terram* pro certa regione accommodatè ad ea, de quibus eſt ſermo.

g g *Viuent mortui tui, interfecti mei reſurgent.*]

57. Carnis Reſurrectio. Duo hîc coniungit propheta accommodatiſſimè ad ſuperiora. Egerat, vt vidimus, de extremo iudicio, cui, vt fides docet, adiuncta eſt mortuorum reſurrectio, oſtenderatque potentes, & ſuo ſibi genio addictos durè cruciandos; contrà verò pauperes, & quibus in hac vita nihil cum otio, aut cum voluptate conſuetudinis fuit, æterna cum Deo pace fruituros. Ad extremum docuit laborem, & afflictionem ad hanc fœlicem ſortem valde conducere, in quibus tunc etiam populum ſuum per vicinos, aut etiam alios hoſtes vrgeri dixit: quo nimirum eſſent & purgati magis à ſordibus, & ad futuram gloriam expediti. Nunc eos, quos durus exercebat labor, conſolatur propheta, propoſito præmio, quod illam moleſtiam, quam antea ſubie-

A rant, & quia etiam in præſentia premebantur, conſequetur. Hæc porrò verba quidam ita diſtribuunt, vt prior pars attribuatur prophetæ, poſterior Deo; ita vt propheta dicat. *Viuent, ô Domine, mortui tui.* Deinde reſpondeat Deus: *Ita eſt, vt dicis, viuent interfecti mei.* Ita Adamus, & Emanuel Sa. Foreirus vtrumque adſcribit Deo, ita vt Deus Iſaiæ dicat, mortuos eius redituros ad vitam: Deinde per correctionem ſubdat, interfectos eſſe ſuos. Quaſi parum honoraſſet mortuos illos; ſi *Iſaia mortuos* vocaſſet, & non *ſuos*. Variæ adducuntur à variis expoſitiones. Haymo vtramque partem tribuit Iſaiæ: ita vt dicat victuros eos, qui Domino dicuntur mortui, quia pro eius gloria mortem oppetierunt, B quos etiam appellat *ſuos*, quia eodem ſecum mortis genere ſublati ſunt. *Suos* vocat martyres, quia ipſe quoque pro cauſa Dei ſerra ſectus eſt lignea. Quæ ſententia mihi probatur maximè, ſi modò tam *mortui Dei* quàm *interfecti mei* latiori ſignificatione ſumantur. *Mortui* quidem pro illis, qui alibi dicuntur *in Domino mortui*, id eſt, propter Dominum: id enim ſignificat præpoſitio *in*: quales ſunt qui carnis affectibus bellum, & mortem indixerunt. Qui etiam *interfecti mei*, id eſt, Iſaiæ, vocari poſſunt: vel quia ſocij eius fuerunt, in vitæ conſilio, nam & ipſe illud quoque vitæ genus non molle, aut delicatum, ſed aſperum & durum amplexus eſt; aut etiam, qui eo tempore pro Domino C patiebantur, ex genere erant Iſraelitico, ex quo etiam ortus Iſaias. Quare *interfectos* appellat *ſuos*, quia cum illis habuit commune genus.

Illud non omittendum pro *interfecti mei* Hebr. eſſe נבלתי *nebelati*, quod valet, *cadauer meum*, & ita vertunt Vatablus, & Pagninus; alter *ſicut corpus meum*, alter *ſicut cadauer meum*. Qui addidere *ſicut*. quia in Hebraico idiomate aliquando nota ſimilitudinis ſiletur. Tunc autem ſenſus erit, Mortui tui, ô Domine, reſurgent cum cadauere meo, id eſt, *mecum* ſub finem ſæculorum. Videtur autem propheta hic confiteri quod à Iob didicerat, *& in carne mea videbo Deum.* Aut quod à Domino didicerat, nempe in ſua ſe carne reſurrecturum. Ex hoc loco Auguſt. *lib.* 20. *de ciuitate cap.* 21. & Tertullianus *lib. de reſurrectione carnis cap.* 3. probant D carnis reſurrectionem. 58. Reſurgendum in eadem carne.

h h *Expergiſcimini, & laudate, qui habitatis in puluere.*] Si verba hæc ſint in imperatiuo, confirmat Iſaias eos, qui nunc acerbè incommodis vrgentur, ſpe melioris conditionis, quæ poſt exitium, & puluerem manet. Videri alicui poſſet, vt alibi ſæpe in hoc propheta, imperatiuum pro futuro poni, neque id reſpuit orationis filum. Nam ſicut ſupra dixit *mortui viuent*, ſic modò eos, qui in puluere habitant, excitandos dicit, & Deum laudaturos. Nihilominus exiſtimo ſecundam eſſe perſonam in imperatiuo, quod alij ferme omnes exiſtimant. Tunc verò apoſtrophe eſt incluſa parentheſi; ita vt quod ſequitur, *quia ros lucis*, coniungatur E cum *viuent mortui, & interfecti mei reſurgent.* 59.

i i *Quia ros lucis ros tuus.*] Reddit nunc rationem propheta, cur mortui ſuſcitandi ſint è puluere, quia emittet aliquando Deus matutinum rorem, quo defunctorum corpora iam in puluerem ſoluta non aliter reuiuiſcant, quàm emortuæ herbæ cæleſti imbre. Ita cenſent autores communiter. Neque abs re videtur quod putat Pradus *in cap.* 26. *Ezechi. verſ.* 20. qui præteribi hîc cantilenam putat à propheta his, qui habitant in puluere, & qui priùs mortui Domini dicebantur, quam in 60.

Dei laudem cantare iuſſerat, cum dixit, *expergiſcimini, & laudate, qui habitatis in puluere.* Eſt autem cantilena *ros lucis* vſque ad *in ruinam.*

61. Reſurrectio à Deo. Sed hic obſeruandum pro *lucis* Hebr. eſſe אורות *oroth*, in plurali, ac ſi dicas *luminum*, in qua voce latere videtur elegās metaphora: nam etiam אורות *oroth*, *olera* ſignificat, aut *virentes herbas*: vt liquet 4. *Reg. cap.* 4. *Egreſſus eſt vnus in agrum vt colligeret* אורות *oroth*, pro quo vulgatus *herbas agreſtes*, alij *olera* vertunt. Cum ergo Hebræorum phraſis ſimilitudinis notam interdum omittat, ſenſus eſſe poſſet non elegans, *quia ſicut ros cadens ſuper herbas, ſic ros tuus cadens ſuper oſſa.* *Roram* autem appellat verbum Dei, aut Angelicæ tubæ clangorem, in fine mundi, aut aliquod aliud diuinum beneficium, aut imperium. Noſter *ros lucis* aptiſſimè reddidit, qui B etiam in plurali poſſet conuertere *ros luminum*, quia ros luminis, id eſt, ros matutinus, aut antelucanus, gratus eſſe ſolet, & fœcundus agris; & nuntius eſt aduenientis lucis; ſic etiam Dei verbum, quod *ros antelucanus* dici poteſt (quale verbum ſuum eſſe aut optabat, aut prædicabat Moyſes, cùm dixit *Deut.* 23. *Fluat vt ros eloquium meum: quaſi imber ſuper herbam, & quaſi ſtilla ſuper gramina*) mortuis & vitæ lucem oſtendet, à qua exciderant, & melioris vitæ lumen illuſtrius, ad quod aſpirabant.

62. Credo autem contra quàm Hebræorum doctores exiſtimant, propriè אורות *oroth*, appellari *lumina*, & metaphoricè transferri ad agrorum herbas, quia non aliter herbis illuminatur ager, quàm cœlum luminibus. Quare herba dicitur *pulchritudo* C *agri*, *Pſal.* 49. *verſ.* 11. & *facies terræ* iuxta illud *Pſal.* 103. *Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ.* *Terræ* autem *facies* herbæ ſunt, & aliæ plantæ, quæ ſub hyemali glacie exaruiſſe ac defeciſſe videbantur. Neque in aliis linguis dura eſt, aut inuſitata metaphora: nam agri *ridere* dicuntur, aut *ſplendere*, quod à lumine eſt, & quia verna clementia intepeſcens ager herbis pubeſcit, *affulgera* dicitur *ver*, quod illud metaphoricum lumen, quod eſt ab herbarum pulchritudine, agris reducit.

63. Prouerbiū. Cæterum hæc dicendi figura, vt reor, prouerbialis eſt, qua vtimur, quoties aliquid emarcidum, aut mortuum ad virorem, ſeu ad vitam reuocatum iri ſignificamus. Quale eſt illud *Deut.* 23. *Quaſi imber ſuper herbam*, quæ nimirum illam viuere ac vi- D rere facit. Et in hac ipſa materia infrà *cap.* 66. *Oſſa veſtra quaſi herba germinabunt.* & *Eccl.* 46. *Oſſa eorum pullulent.* & *cap.* 48. *Oſſa pullulent de loco ſuo.* quæ metaphora eleganter adumbrat reſurrectionis articulum.

64. kk *Et terram Gigantum detrahis in ruinam.*] Si cum Prado hanc ſtatuas eſſe mortuorum in Domino cantilenam: hæc illius altera pars eſt. Laudant enim ſancti Dominum, quòd cùm ipſi tanquam florentia germina ad vitam, & honorem è ſepulchro pullularint, gigantes tamen, id eſt, ſuperbos ac potentes, & qui eò incumbebant maximè, vt perpetuò viuerent, in ruinam detrahendus, id eſt, ad vitam vſque adeò ærumnoſam, vt longè illi E mors anteferri debeat. Erunt itaque tanquam fœnum aridum, & inutile, quod à terra abſcindetur ſiue eruetur à ſepulchris: non vt iterum vireat, ſed vt ſempiternis tradatur flammis. Quòd ſi hæc cantilena non eſt, hortatur iuſtos, vt eandem ob cauſam Deo gratias agant. Neque admodum ad ſenſum refert quocumque hæc accipias modo. Pro re morali ad extremum obſerua, oſſa, quæ hic humiliata ſunt, diuino ſtillante rore ſuo; id eſt, legi-

In cœlo quærendus ſplēdor, qui in terra momentaneus eſt.

A timo tempore pullulaſſe, atque floruiſſe: eo, inquā, tempore, quo hiberna glacies nunquam exurat florem, aut nitorem auferat. At terra Gigantum, quia ante ſuum tempus germinauit, alieno videlicet, in quo luxuriari ambitioſo foliorum, & florum ornatu tutum non eſt: Ideo detracta eſt in ruinam, & externa illa ſpecies exuſta. Quibus accidit id quod amygdalæ iuxta Hiſpanicum prouerbium, quæ quàm citò ad primum veris teporem flores producit, tam citò perflante Borea deflореſcit.

ll *Vade populé meus, intra in cubicula tua; claude oſtia tua ſuper te, abſconde te modicum.*] Conſolatur nunc illos propheta, qui in Domino moriuntur, quia breui futurum eſt, vt ſtillante matutino rore ad vitam reuocentur. Ita cum Hieronymo com- B muniter interpretes, & alij plures, qui ex hoc loco probant reſurrectionem carnis. Et in *cubiculis* ſepulcra intelligunt, & ſermonem putant ſimplicem, quo iubentur mortui bene ſperare, & libenter ingredi ſepulcra, & ibi quieti expectare, donec tempus reſurrectionis adueniat. Quæ ſententia mihi valde atque omnino probatur. Addo tamen videri hic intelligendam ſimilitudinis notam, ita vt ex tacita comparatione appareat neque longum neque moleſtum fore illud domicilium, in quo mortuorum cadauera requieſcent. Sicut enim, qui noctu cubicula dormiturus ingreditur, etſi aliquantiſper clauſo oſtio futurus ſit in tenebris, ingreditur tamen non grauatè, quia propè eſt vt lux adueniat, & ſuras ſe ruſſus det in aliorum conſpectum; Sic C etiam moleſtum videri non debet mortuis in Domino, ſi aliquantiſper in ſepulcro iaceant: nam quodlibet tempus, ſi æternitatem ſpectes, momenti inſtar obtinet. Neque hæc comparatio nunc primùm occurrit in Iſaia, quæ in ſacra Scriptura familiariſſima eſt. In qua ſomnus *mors* dicitur, & *mors* dormire, ſeu quieſcere; & locus, vbi mortui conduntur *cubile*, ſeu *dormitorium*, id ſignificat vox Græca κοιμητήριον *Cœmeterium*. Sic ergo expono locum. Fac, ô popule mi, perinde tibi futuram eſſe mortem, & ſepulcrum, ac ſi cubiculum ſomni gratia ingrediare, in quo clauſo oſtio modico tempore requieſcas, vt tandem poſt ſomnum orto ſole lucem iterum videas. 65.

Mors quàm non horrenda bona.

mm *Donec pertranſeat indignatio.*] Hic omnes 66.
D diem intelligunt iudicij extremi, qui dies ex communi vſu ſacræ Scripturæ *indignationis* dicitur *Dei*. Nam licèt ibi appareat ſingularis Dei benignitas in iuſtos, ſed non minor apparebit furor in damnatos. Qui cum multò plures futuri ſint, *quia ſtultorum infinitus eſt numerus*, à furore potiùs, quàm à miſericordia nomen accepit extremus ille dies. Quare illum Ioel *cap.* 2. *diem* vocat *terribilem*. Sophonias *cap.* 1. *Dies iræ dies illa, dies tribulationis, & anguſtiæ dies calamitatis, & miſeriæ.* Et ſigna, quæ illius diei prædicta ſunt, furorem potiùs portendunt, quàm clementiam. *Apoc.* 1. *De ore eius* (iudicis) *gladius vtraque parte acutus exibat.* Vide alia ſigna apud hunc prophetam *cap.* 29. & *cap.* 66.

Dies iudicij terribilis.

Illud obſcurum, quomodo dormiunt dicantur 67.
E in ſepulcris ſancti, donec pertranſeat indignatio Domini, cum ante iudicium futura ſit mortuorum reſurrectio, & poſt reſurrectionem omnium grauiſſima indignationis ſignificatio. Reſpondeo duabus de cauſis dictum videri poſſe, aut quia ex vſu ſacræ Scripturæ aliquid nomen aliquando accipit ab eo à quo non procul abeſt. Quare aliquis in eo dicitur eſſe loco, cui proximus eſt, & in eo tempore aliquid factum à quo non longè eſt. Quo-

modo

modo datum manna dicitur *Exod.* 16. & lex data *Deut.* 4. quando filij Iſrael egreſſi ſunt de Ægypto, quia vtrumque contigit non longè poſt illud tempus. Vide quæ diximus *cap.* 20. Vbi oſtendimus qualiter iuſſus fuerit Iſaias nudus incedere. Sic ergo, quia tempus reſurrectionis non longè eſt ab eo quo tranſitura eſt Dei indignatio, quando ſcilicet impios pœnis addicet ſempiternis, ideo *indignationis exitus* pro reſurrectione ponitur. Seu certè, quia hic tantùm agitur de indignatione in iuſtos, qualis videri poteſt, quòd corpora eorum in ſepulcro iaceant in pulueres ſoluta. Quod indignationis effectus eſt, eius inquam indignationis, quam in humanum genus Deus ex Adami inobe- A dientia concepit. (*Sumitur autem cauſa pro effectu,* id eſt, indignatio pro pœna, qua formatus homo ex puluere in puluerem rurſus conuerſus eſt.) Per prophetam ergo Deus ſic mortuos alloquitur: Expectate modicum in ſepulcris reanimationem corporis veſtri, quod propter parentis peccatum in puluere computruit. Eodem ſenſu Iob *c.* 14. *Quis mihi hoc tribuat vt in inferno protegas me, & abſcondas me donec pertranſeat furor tuus.* Optabat enim vir ſanctus vehementi dolore excarnificatus mori iam, & corpus terribili confectum, atque fœdatum plaga, in tumulo recondi vſque ad reſurrectionis tempus. Quæ ſequuntur obſcura non ſunt, & indicant apertè agi hic de corporibus ad vitam reuocandis.

Argumentum vigeſimi ſeptimi capitis Iſaiæ.

EGIT *ſuperiore capite de communi totius mundi clade, nunc de mundi, tenebrarumque rectore ſeorſum agit Iſaias: in quem futurum eſſe affirmat vltorem gladium fortem, & durum. Deinde cantantem inducit fidelem vineam, propoſita ſuorum operum mercede, quàm liberalem, ac firmam habitura ſit à Domino ſuorum meritorum compenſationem. Eſt ante carmen hoc verè triumphale, de vinea fideli, pars illius cantici, de quo cap.* 5. *quod propheta cecinit contra infidelem aliam, & ingratam vineam. Tertiò cùm oſtendiſſet ab offenſo, atque hoſtili animo eximendum eſſe gladium contra Leuiathan: docet quàm vtilis iuſtis fuerit illa vexatio, qua Deus affectu verè paterno purgauit electos. Ad extremum hoc probat Iudæorum exemplo, qui cùm diuinorum officiorum immemores ad Gentium Idola defluxiſſent, caſtigati tamen Aſſyriorum, & Ægyptiorum armis, & in longum, atque ærumnoſum exilium abducti, ad Patriam poſtea, & veram, atque auitam religionem redierunt.*

CAPVT XXVII.

1 [a] IN *die illa viſitabit Dominus in gladio ſuo duro, & grandi, & fortiſuper Leuiathan ſerpentem vectem, & ſuper Leuiathan ſerpentem tortuoſum,* [b] *& occidet cetum, qui in mari eſt.*

2 [c] *In die illa vinea meri cantabit ei.*

3 [d] *Ego Dominus qui ſeruo eam, repentè propinabo ei,* [e] *ne fortè viſitetur contra*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 EO temporis articulo Dominus, ſicut vniuerſum orbem, ſic etiam eius principem diabolum duro, acuto, & grandi ſui iudicij gladio viſitabit. Qui ſicut piſcis magnus Leuiathã vectis in modum impedimentum erat, quo alij minùs è carcere prodirent: aut ſicut idem Leuiathan ad decipiendos homines in mille ſe ſpiras, & fraudes conuoluebat. Eum itaque grandem, & peſtiferum cetum in medio Dominus interimet pelago, vbi ipſe imperium videbatur habere, & ab omni ſe plaga tutum fore putabat.

2 Tunc autem cùm fortunati, & ſancti futuros ſe videant in æterna Domini cuſtodia: alióſque ab eius benignitate, paternóque ſtudio in ſempiternum deſeri, omiſſa antiqui cantici parte priori, quæ ad vineam ſterilem, & ingratam ſpectat, poſteriorem repetent, quam ad ſe pertinere tunc planè cognoſcent. Cantabit igitur felix illa vinea, quæ vinum attulit generoſum, & dulce ſibi ipſi gratulabunda quæ Dominus ipſe ſuo nomine iuſtis annunciari voluit.

3 Ego Dominus, qui nunc ſeruo, colo, ac rigo vineam meam, indeſinenter illi propinabo vinum,

vinum, quod ipſa, & mihi, & ſibi germinauit. Et ne quid illi accidat aduerſum, perpetuas ſuper eam agam excubias; neque vllo vnquam tempore meum erga illam ſtudium intermittam.

4 Non ſum in hanc fidelem vineam ſic animatus, quomodo in aliam infidelem, & ſterilem, cuius ſepem euerti, obtuíque permiſi ſpinis, & vepribus. Quis vnquam eò adducet me vt vineæ huic fideli ſim in ſpinas, eóque in illam afficiar ſpiritu; quo, qui contra hoſtes prælium, & cædem meditatur. Non itaque armabo contra illam vllo tempore indignationem meam: neque ſuccendam pariter cum alia ingrata, atque infideli vinea.

5 Non cohibebit hæc vinea fortitudinem, id eſt, clementiam meam; neque efficiet vt ego in illam elemens, & liberalis non ſim. Quia fieri non poteſt vt in æternum illa vinea ſeruatura non ſit mecum pacem, allaturáque fructus mihi in omni æternitate gratiſſimos.

6 Vt autem infelix alia vinea erat domus Iſrael carnis tantùm propagatione, ſic hæc fortunata erit etiam ex Gentibus collecta, facta iam Iſraelitis morum ſanctitate. Ex numero igitur eorum, qui ad Iacob familiam vetam, atque legitimam morum ſimilitudine ingredientur, implebúntque terram (hi verò ſunt, qui Chriſti religionem amplexi, illi ſeriò, atque conſtanter adhærebunt) ille florebit, & germinabit, cantabítque hoc triumphale carmen, qui verè dici poteſt Iſraelita.

7 Nunc ad Leuiathan redeo, quem Dominus percutiet, non ea plaga, qua ſolet aliquis ſeipſum percutere; quæ quia percutienti dolorem affert, grauis aut hoſtilis eſſe non ſolet; tali verò plaga Deus amicos percutit. Neque Deus occidet Leuiathan eo modo, quo amicos, & qui in ipſo moriuntur, interficit; Hi enim aliquando reſurgent, ille verò nunquam non morietur.

8 Iam ad populum ſanctum, vineámque electam, & fidelem ſermo recurrit. Quæ vt in terra durè putata, atque iactata fuerit, ſic germinabit, exuberabítque, & palmitum veſtitu, & racemorum fructu. Ad quem fructum præparabat Dominus vineam, cùm ſpiritum durum in illam aſſumpſiſſe videbatur; cùm talem illam ſpeciem habere ſecit; qualem torrente ſole, & vehementi æſtu, exuſta viriditate habere ſolet.

9 Non otioſa, aut vacua fuit illa Sanctorum tribulatio, cùm fructum illum pepererit, quo nullum magis opportunum optare poterat animus de ſuo ſtatu, atque periculo ſapienter cogitans. Nam illa quæ videbatur ſeuera vexatio, id eſt, conſecuta: vt dimittetetur iniquitas Iacob; & hic eſt omnis fructus, vt peccatum illius penitus auferatur. Nam cùm Deus lapides, ex quibus in Deorum cultum impiè fuerunt altaria conſtructa, in cinerem conuerterit: non iam ampliùs de lucis

tra eam: nocte, & die ſeruo eam.

4 [f] *Indignatio non eſt mihi, quis dabit me ſpinam, & veprem* [g] *in prælio: gradiar ſuper eam, ſuccendam eam pariter?*

5 [h] *An potiùs tenebit fortitudinem meam?* [i] *Faciet pacem mihi, pacem faciet mihi.*

6 [k] *Qui egrediuntur impetu à Iacob, florebit, & germinabit Iſrael, & implebunt faciem orbis ſemine.*

7 [l] *Nunquid iuxta plagam percutientis ſe percuſſit eum? aut ſicut occidit interfectos eius, ſic occiſus eſt?*

8 [m] *In menſura contra menſuram, cùm abiecta fuerit, iudicabit eam:* [n] *meditatus eſt in ſpiritu ſuo duro per diem æſtus.*

9 [o] *Idcirco ſuper hoc dimittetur iniquitas domui Iacob, & iſte omnis fructus, vt auferatur peccatum eius.* [p] *Cùm poſuerit omnes lapides altaris, ſicut lapides cineris alliſos, non ſtabunt luci, & delubra.*

10 [q] *Cui*

luꝫis,atque delubris,aut væſana Idolorum ſuperſtitione cogitabunt.

10 [q] *Ciuitas enim munita deſolata erit, ſpecioſa relinquetur, & dimittetur quaſi deſertum. Ibi paſcetur vitulus, & ibi accubabit,* [r] *& conſumet ſummitates eius.*

10 Nunc clariùs accipe,quæ, qualíſque futura ſit illa tribulatio, quæ domum Iacob purgabit,adducétque ad frugem, mentémque meliorem. Subuertetur Ieruſalem,illuſtris, atque ſpecioſa ciuitas ſatis à natura, atque hominum prouidentia munita;eóque redigetur vt ſylua potiùs ſit,vbi paſcatur vitulus, qui ſummas etiam frondes carpet Iſraelitidis vineæ; quàm hominum habitatio.

11 [ſ] *In ſiccitate meſſes illius conterentur,* [t] *mulieres venientes, & docentes eam.* [v] *Non eſt enim populus ſapiens,* [x] *propterea non miſerebitur eius qui fecit eum: & qui formauit eum,non parcet ei.*

11 Ingruet in illam Iſraelis vineam tam grauis æſtas, támque horribilis ſiccitas, vt deterat omnẽ vineæ luxuriem, atque vbertatem;& quidquid ex vite meti, aut recondi poteſt, omnino exurat,ac perdat. Cur verò ciuitas illa conteri, ac purgari debuit in cauſa fuit væcordia, & leuitas eorum, qui populo præfuerunt; qui non tam viri, quàm mulieres, propter ingenium delicatum, & molle cenſeri debent. Neque maior eſt in populo ſapientia, qui principum mores, atque ſtudia plerumque ſequitur. Propter quod Deus, à quo vitam habent, non miſerebitur;& illorum formator Dominus virgam non cohibebit à vulnere.

12 [y] *Et erit in die illa: percutiet Dominus ab alueo fluminis vſque ad torrentem Aegypti,* [z] *& vos congregabimini vnus, & vnus filij Iſrael.*

12 Dabit autem pœnas totus omnino populus Iſraeliticus, ita vt à fluuio magno, vſque ad torrentem Ægypti Rhinocorutam nulla pars ſit immunis à communi plaga. Et vobis,ô filij Iſrael, in quocumque fueritis terræ promiſſæ loco, aut pereundum,aut exulandum eſt.

13 [aa] *Et erit in die illa: clangetur in tuba magna, & venient qui perditi fuerant de terra Aſſyriorum, & qui eiecti erant de terra Aegypti, & adorabunt Dominum in monte ſancto in Ieruſalem.*

13 Sed aliquando clangente tuba, reducentur, qui apud Ægyptios, & Aſſyrios exulabant, in Ieruſalem;vt in monte ſancto Dominum adorent fideli, ac vera,non vt antea inani, atque fucata religione. In quo reditu,animorúmque conuerſione imaginem video illorum, quos tribulatio purgauit, eóque perduxit, vt triumphale canticum in gloria perpetuù canant.

IN CAPVT VIGESIMVM
SEPTIMVM COMMENTARIVS.

1. [a] IN *die illa viſitabit Dominus in gladio ſuo duro, & grandi, & forti ſuper Leuiathan ſerpentem vectem, & ſuper Leuiathan ſerpentem tortuoſum, & occidet cetum qui in mari eſt.*] Hactenus de iudicio mundique vaſtitate vaticinatus eſt Iſaias; nunc verò ſeorſum agit de principe huius mũdi,id eſt,de Diabolo,ſicut priùs *c.* 13. cùm egiſſet de interitu imperij Babylonis,poſtea ſeorſum *c.*14.de Regis Babylonis exitio.vaticinium inſtituit. Fieri autẽ ſolet apud profanos aliquando, & apud ſacros autores freqnẽter,vt qui magni ſunt in aliquo genere, ab aliis, quibus cũ aliquo ordine A aut euentu coniungebantur, ſeparentur tamen narratione, vt docuimus ad illud *Actuum* 1. *Cum mulieribus & Maria matre Ieſu.* & ſuprà *cap.*19. *num.*25. Cùm ergo Diabolus princeps mundi ſit, de illius damnatione ſeorſum actum oportuit, de quo etiam ſeparatim agitur *Apocal. cap.*12. *Proiectus eſt Draco ille magnus*, &c. id eſt, princeps ille potens.

Sicut autem *mare*, quod inſtabile eſt & agitatur facilè à vento & luna,pro *mundo* ſumitur; vt optimè Auguſtinus in illud *Pſalm.*103. *Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei*; Sic qui in mari potens eſt, & quaſi princeps nempe *Leuiathan*, aut *cetus*, ſeu 2. *Principes* magnis piſcibus comparati.

ſeu *Behemoth*, pro *mundi huius principe* ſumitur, nẽpe *Diabolo*. Ita cõmuniter interpretes in hunc locum, & *in cap.* 40. *Iob*. Imo Reges, & principes mundi magnorum piſcium nominibus ſignificari ſolent. Nam ſicut illi in profundo ſe maris conuoluunt, & ſinuant, terroríque ſunt, atque exitio inferiori gregi, ſic potentes iſti omnia turbant, atque diripiunt, exorbendóque minorum ſanguina ſaginantur. Hoc nomine vocatus eſt Pharao *Pſal.* 74. & principes exercitus, *Tu confirmaſti in virtute tua mare, contribulaſti capita draconis in aquis, tu confregiſti capita draconis, dediſti eum eſcam populis Æthiopum.* Heb *Leuiathan*. Et de eodem *Ezech.* 32. *Leoni gentium aſſimilatus es, & draconi qui eſt in mari.* & *cap.* 29. *Ecce ego ad te Draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum.*

3. Quid porrò ſit *Leuiathan*, res eſt obſcura; Illud conſtat magnum eſſe piſcem, qui fortaſſe eo nomine appellatus eſt, quia ſquamas habet inuicem ſibi cohærentes, & copulatas, iuxta ſui nominis notationem; aut quia ad ſe omnia copulat, & trahit ſicut potentes, ac principes magno ſtipatorum famulitio ambitioſiùs incedunt. Deſcribitur autem Leuiathan copiosè atque eleganter *Iob cap.* 40. Vide interpretes, qui ibi de Leuiathan ſatis multa. Exiſtimo autem quia de Diabolo hîc ſermo eſt, qui prodigioſæ magnitudinis piſci comparatur, aut eum, qui *cetus* dicitur, eumdem eſſe qui priùs dicebatur *Leuiathan*, aut, ſi diuerſi ſunt, duorum piſcium non admodum diſſimili vaſtitate vnius naturam feram, fraudulentam, & lubricam oſtendi.

Leuiathan quid.

4. Hic ſerpens appellatur Hebr. בריח *bariach*, quam vocem Septuaginta reddiderunt *fugientem*, quia lubricus eſt, & facilè ſe conuoluit in ſpiras, & fraudes; &, quod de anguillis prouerbialiter dicitur, *Cùm ſtringitur elabitur*. Qua metaphora optimè exprimitur principis, aut tyranni poteſtas, qui in profundo ſedet, loco nimirum inuio, atque concluſo, & ſi eò aliqua penetret potentia, facilè ſe ab ea ſubtrahit, ſicut Leuiathan ab hamo, ſeu reti piſcatorio. Alij *longum* vertunt, quia Diaboli poteſtas totum occupat mundum, & conuoluit atque implicat voluminibus: ſicut ſi marinus ſerpens latè ſe ad vtrumque littus exporrigeret: Is enim aut piſces alios prohiberet tranſitu, aut certè intra ſquamas comprimeret, conficerétque laniatu, ac morſu.

Tyranni poteſtas.

5. Vulgatus tranſtulit *vectem* magis ſignificanter, & ad vim nominis Hebraici בריח *barach*. Vt autem *clauis*, vt *cap.* 22. diximus, pro regia poteſtate ſumitur, quæ aperit, & claudit; Sic etiam *vectis*, & *ſera*, quæ cohibent, & laxant, quod faciunt Reges, non inuita metaphora pro Regia dignitate capiuntur. Sed eſt in vecte maior aliqua vis, quàm in claui: quia clauis non tam ipſa impedimentum eſt, quàm impedimentum opponit; at vectis ſua vi ne fores aperiantur retardat. Diabolus ergo vectis pluſquam ferreus obſtruarat inferni, aut peccati carcerem, ne quis inde emergat: & cœli portas, ne quis eò penetret, vſque adeò vtrumque fortiter, & anguſtè, vt non niſi gladio Dei duro, & grandi vectis ille ad liberum hominibus & expeditum ingreſſum diffringi, aut reuelli potuerit. Quare Theodotio ad Vulgati ſenſum interpretatus eſt *ſerpentem robuſtum*: Symmachus *concludentem*. Vterque ſententiam potiùs quàm verba ſpectauit. Cur verò dicatur *tortuoſus*, non eſt difficile coniectare. Rab. Dauid magnitudinem Leuiathan hoc modo ſignificari putat: cùm enim propter ſuam magnitudinem non poſſit ſe totum explicare, ac exporrigere in vaſto pelagi tractu, conuoluit ſeſe, & in ſpiras ſinuat. Sed vera ratio eſt, quia fraudes inuoluit, & mille ſe modis verſat, & inſinuat, vt homines decipiat. Dicitur præterea *tortuoſus*, quia reſponſa reddit obliqua, quæque in varias explicationes trahi poſſint: quibus deluſi mortales in varios errores inducuntur atque diſcrimina. Quare Apollo à Græcis vocatus eſt λοξίας, id eſt, *obliquus*, ſeu *tortuoſus*, quia in obliquis oraculis & nugacibus, mille implicat fraudes. Eſt autem in ſacra Scriptura ſatis vſitatum, vt Diabolus *ſerpentis* nomine, ac ſymbolo deſignetur: ſiue marinus ſit, vt hîc, & apud Iob *c.* 40. ſiue terreſtris, vt ſtatim in principio mundi.

6. [b] *Et occidet cetum qui in mari eſt.*] Occidendus dicitur ſerpens in medio mari, id eſt, in ſuo regno, vbi fortiſſimus eſſe videbatur, & nullius potentia ſuperabilis. Solet aliquando Deus ex ſuo Regno extrahere potentes, adimere virtutem, & maieſtatem, & tandem durè, atque ignominiosè conficere. Sicut apud Tobiam piſcis grandis & terribilis, qui in fluminis gurgite peremiſſet Tobiam, extractus ad littus facilè vires, & vitam perdidit. Et Deus ſolet Regum lumbos à militari balteo nudare; quos in eum modum exarmatos conficere non magni laboris eſt; ſed in ſua gloria & maieſtate potentes opprimere, & lubricos in medio mari tenere, ibíque perimere diuinæ virtutis negotium eſt. Quod in Pharaone præſtitit Deus, qui *magnus* dicitur *Draco*, dum ſubito aquarum motu, ſeu fluctuum concuſſione omni bellico apparatu inſtructum, & nihil ſibi non promittentem extinxit. Et hoc ipſum ſe facturum minatur robuſto, ac ſinuoſo ſerpenti Leuiathan. Quòd ſi Leuiathan ſerpens eſt vectis, id eſt longus, & fortis; Dei gladius grandis eſt & durus, qui ſquamatam armaturam rumpat & diuidat; & quantus ſerpens eſt à capite ad caudam vſque diſcindat.

Deus potentes, cum maximè florét, opprimit.

7. [c] *In die illa vinea meri cantabit ei.*] In locum incidimus multis modis implicitum, quia neque conſtat, quænam ſit illa dies, quæ huiuſmodi canticum auditura eſt, neque quod ſit canticum, aut quis denique canticum, aut aliquam eius partem cantaturus ſit. Ego, ne multis morer, vehementer adducor, vt exiſtimem aut canticum eſſe ab illis verbis, *Ego Dominus*, aut ſpectare cant cum aliud Hebræis familiare, aut certè partem eſſe illius, quod de vinea item audiuimus *c.* 5. vt dicam poſtea pluribus, cum aliorum ſententias priùs explicauero. Hieronymus, quem Haymo ſequitur, & Hugo, verba Domini eſſe cenſent minacia, & ab animo iniuriis irritato profecta. Illud verò *cantabit*, adhibitum eſſe putant pro *planget*. Quæ minæ ideo propoſitæ dicuntur, quia cum talia beneficia Deus tam mitis, atque ſollicitus vinitor præſtiterit vineæ, qualia ſtatim commemorat, ipſa tamen ea liberalitate impudenter abuſa labruſcas protulit. S. Tom. minas hîc etiam agnoſcit, non tamen in gentem Iſraeliticam, ſed Babylonicam. Alij hîc Dominum beneuolum agnoſcunt, ſed in Eccleſiam, quæ multò meliùs Dei benignitati reſpondebit, quàm olim ſynagoga; hæc enim labruſcas olim dedit, id eſt, fœtentes vuas; Illa verò vinum generoſum, & dulce. Ita Dionyſius, & Adamus.

8. Ego aliquid aliud hîc videre videor, quod omnino ſequerer, ſi quemquam haberem in ea ſententia ducem. Suſpicor enim, vt nuper attigi, hoc eſſe canticum, aut illius cantici partem, quod in principio *cap.* 5. ab eodem propheta accepimus. Quod

duas

duas videtur habuiſſe partes. In priori, de qua *in cap.5.* poſtquam propoſita eſt optimi agricolæ ſedulitas, & ſtudium in culenda, atque adornanda vinea, oſtenditur quàm amarè, ac durè tot vinitoris officia compenſauerit, vt eo loco pluribus. Deinde ſubiecerat quomodo ingrata illa vinea tam ſedulò exculta, tam inſtructa, & ornata liberaliter, direpta maceria omnium iniuriæ, atque conculcationi ſit permittenda, operienda ſpinis, neque ampliùs iam cæleſti pluuia irriganda. Hæc autem ſatis in eorum ſtatum conueniunt, qui in die iudicij damnandi ſunt, de quibus hactenus: & quorum conditio longè miſerrima ſatis explicatur, illis minis, quibus Deus conculcationem, ariditatem, ſpinas, & æternam quandam obliuionem denuntiat.

9. Poſterior verò pars cantici, de qua modò, ad illam vineam ſeu ſortem ſpectat, quæ vinitori ſuo grata beneficium accepit, & reddidit. Quæ vinum merum, id eſt, generoſum produxit; non fellis vuam, aut venenum aſpidum. Huic vineæ Deus promittit ſe perpetuò fore in illam liberalem, & ſedulum, & tandem conſeruaturum, quæ antea dederat: neque permiſſurum, vt talia patiatur, qualia paſſa fuit ſterilis, & ingrata vinea, de qua priùs. Quod breuiter complexus eſt propheta cùm paulò antè cecinit. *Ros lucis ros tuus, & gigantum terram detrahes in ruinam.* Quod eſſe etiam canticum ex ſententia Pradi ſuprà probabile cenſebamus.

10. Hæc ergo vinea iam læta iudicij tempore, quòd habitura ſit conſeruatorem Deum illius vbertatis, & pulchritudinis, quam tunc experiebatur, quod irriganda cæleſti imbre, eóque perpetuo, cùm videret aliam vineæ partem prorſus infelicem iam horrentem vepribus, & incendio traditam, belluarum, id eſt, dæmonum pedibus conculcari: neque iam ampliùs in æternum viſuram cæleſtem imbrem, cantabit alteram partem cantici, quam ad ſe pertinere cognoſcebat, in qua nos nunc explicanda verſamur. In qua cùm videatur Dominus cantare, non tamen ille tam cantat, quam animæ beatæ, quæ repetunt verba antiqua credo, & ab Hebræis iam antea cantari ſolita, quæ Dominus de ſe, ſuáque vinea modulatus inducitur. In hanc ergo ſententiam locum hunc & bonam huius capitis partem exponam; ab aliis verò explicationibus ſuperſedebo, non quòd non illas vehementer probem, ſed quia cùm ab aliis ſatis diligenter expoſitæ ſint, apud ſuos autores facilè videri poſſunt.

11. *In die illa vinea meri cantabit ei.*] Vbi vulgatus *meri* Hebr. חמר *chemer*, quod *vinum rubrum* ſignificat, quod vini genus maximè in Palæſtina commendatur. Ad quam vini laudem alluſum videtur *Prouerb.23.verſ.13. Ne intuearis vinum quando flaueſcit, cùm ſplenduerit in vitro color eius.* Et explicat magis Hebraica dictio יתאדם *ithadem*, quæ *rubrum aliquid* ſonat: quare aliqui legunt, *quando rubeſcit.* Hieronymus *merum* tranſtulit, quia quod dilutum eſt, & aqua mixtum aliquid habet fraudis; & vocem eamdem *Pſal.74.* Vbi vulgatus habet *vini meri*, ipſe reddidit *meracum.* Pro *cantabit ei* Hebraicè eſt ענולה *hhanulah*, id eſt, *cantate ei.* Quaſi Deus angelis iubeat, vt cantent vineæ, quæ generoſum protulit vinum, canticum, de quo mox. Sed tunc *vinea* erit in datiuo in hunc modum. Vineæ meri cantate ei. Vbi *ei* Hebræorum more redundat. Aut certè illud *vinea meri* in vocatiuo eſt, & materialiter ſumitur tanquam pars cantici, hoc ſenſu. Cantate ô Angeli, ei, nempe vineæ (quia *ei* pronomen eſt apud Hebræos generis fœminei) &

Vinum rubrum nobile in Palæſtina.

Canticum pro beatorum gloria, atque triumpho.

A dicite illi. O vinea mea generoſi vini ferax, & aut quod idem eſt, Cantate, & dicite generoſi, atque meraci vini eſſe feracem. Et eſt ſatis aptus & dulcis angelorum cantus, quo aſcendentes beatorum animas aut proſequuntur, aut excipiunt, quibus annuntiant in æternum futuras in Domini tutela, neque quicquam defuturum, quod ad ipſarum felicitatem pertineat. Sed ſi cum vulgato legas *cantabit*, quod fieri potiùs debet, quia alios codices meliori fide nactus eſt Hieronymus, vt apparet, non longè diuerſus ſenſus erit. Nam quod Angeli ſecundum aliam lectionem ad beatos canunt, id aut beatæ animæ in eodem articulo ſibi ipſis canunt, & tunc illud *ei* pro *ſibi* ponitur, nam pronomen לה *lah*, vtrumque valet: Aut quod potiùs

B reor, Dominus ipſe hæc canit, ſicut reliqua, quæ mox ſequuntur cui, quia vinum reddidit ſibi, quod ſitiebat generoſum, & putum, alia promittit, de quibus ſtatim.

[d] *Ego Dominus qui ſeruo eam, repentè propinabo ei.*] Hinc incipit pars illa cantici, quæ ad beatos ſpectat, quam Dominus cecinit, aut iuxta lectionem aliam, Angeli à Domino priùs cantatam modulantur. Sic itaque Deus de optima vinea. Ego ille qui nunc ſeruo, colo, rego, &c. ſtatim propinabo vinum, quod ipſa germinauerit. Dixerat Iſaias ſuprà *cap.3.* tam bonos, quàm malos fructum ſuarum adinuentionum eſſe percepturos. Sic enim nos illum locum iuxta Hebraicum textum explicabamus. *Dicite iuſto, quoniam bene, quoniam fructum* 12.

Qualis quiſque geſſit, talia in futuro ſæculo recipiet.

C *adinuentionum ſuarum comedet. Væ impio in malum: retributio enim manuum eius fiet ei.* Comedet itaque quiuis quod ſeminauit, aut plantauit. Qui vinum protulit generoſum, generoſo item potabitur vino; qui fœtens, & amarum, amari atque fœtentis vini poculum hauriet. Tulerat Iudæorum vinea fœtentes vuas, & venenum aſpidum, eidem Dominus propinauit fructum adinuentionis ſuæ, vinum nempe amarum, & fel draconum. Sic Ieremias *cap.9. Ecce ego cibabo populum iſtum abſinthio; & potum dabo eis aquam fellis.* Et clariùs *cap.23.* Vbi cùm dixiſſet habitatores Ieruſalem eſſe ſicut Sodomam, & Gomorrham, quorum nempe vinea *Deut.32.* ferebat *vuam fellis & botrum amariſſimum, fel draconum,* &c. ad quem locum ibi videtur alluſum,

D ſubdit. *Ecce ego cibabo eos abſinthio, & potabo eos felle.* Quia nimirum tale illis proponebat vinum, quale ipſi expreſſerant. Sic ergo nunc, quia vinea hæc vinum germinauit generoſum, & dulce, vinum illi propinat Deus, quale ipſa tulerat, dulce, & generoſum.

Pro *repentè* Hebr. eſt לרגעים *lergaim*, quod frequentem repetitionem ſignificat actionis, aut officij; ac ſi dicat. Singulis momentis ſiue indeſinenter propinabo. Illud ergo *repente* valet frequens, & continuatum officium, nam רגע *regahh*, *momentum* eſt, לרגעים *lergaim*, *ad ſingula momenta* valet. Noſter interpres cum *repente* tranſtulit, ſignificauit non differendum eſſe præmium, quod etiam valet Hebraica vox: De iteratione beneficij, aut conti- 13.

Æterna voluptas beatorum.

E nuitate, non ita expreſſit, quia de eo non erat dubitandum, & in voce *repentè* obſcurè continetur, quæ aliquid indicat, quod ſtatim fit, aut illico recurrit; quare ſignificat id totum, quod ſonat Hebraica dictio, nempe nunquam interrumpendum officij curſum.

Hæc mihi maximè probabiliter videntur dici 14.
poſſe: niſi velis illud *propinabo* explicare per *rigabo*; nam id etiam valet verbum שקה *ſakah*, in qua

ſignificatione ſumpſit noſter interptes *Geneſ.2. Fons aſcendebat e terra irrigans vniuerſam ſuperficiem terra.* Et ſtatim, *Fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradiſum.* Et eſt explicatio ſatis accommodata Dei benignitati, qui per momenta ſingula irrigat, & in æterno virore conſeruat, & accommodatè vineæ metaphoræ, cui non tam propinari conuenit, quàm irrigari. Et quidem in agris, idem propè irrigatio, atque propinatio eſt; ſi enim ager *ſitire* dicitur, cum non rigatur, vt ſæpe apud Iſaiam, & *imbrem bibere. ad Hebr. 6. & 7.* cur qui rigat non dicetur *vineæ propinare poculum*, cùm iſti duo mutuò ſibi reſpondeant? Quare in hac explicatione non videor à vulgato recedere, dum quod ille per *propino*, id ego per *rigo* ſignifico. Sicut paſſim, quod per vnum relatiuom modò, illud idem poſtea, per aliud exponitur; idem enim eſt *ego tibi dabo, & tu à me accipies*: Sic modò idem eſt *Deus vineæ propinat, & vinea bibit*, nempe quod à Deo propinatur; id eſt, irrigatur à Deo.

15. [e] *Ne forte viſitetur contra eam.*] *Viſitare* in ſacra Scriptura punire interdum ſignificat, aut malè aliquem accipere, qualia ingratæ atque infelici vineæ minatus eſt ſuprà *cap. 5.* Hoc ergo dicit Deus, non iam ampliùs beatis eſſe metuendum, quia Deus cum illis nunquam non erit. Quomodo verò illud *fortè*, & idem dicendum de aliis particulis ſimilibus vt *forſitan*, *fortaſſe*, nihil incommodet rerum certitudini, atque infallibilitati, vide Riberam *in cap. 2. Ioel. a numere 22.* Ego hic *fortaſſe* idem eſſe puto quod *vtique*, in qua ſignificatione ſumitur à Ioanne *cap. 4. 10. Tu forſitan petiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam viuam.* & *cap. 6. 46. Si enim crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi.* & *cap. 8. 19. Si me ſciretis, forſitan & patrem meum ſciretis.*

16. [f] *Indignatio non eſt mihi; quis dabit me ſpinam, & veprem?*] Verba ſunt Dei, qui quo eſt ſtudio in vineam illam vberem, & gratam, ita loquitur. Non ſum affectus in hanc fidelem vineam eo ſpiritu, quo in aliam infidelem, & ſterilem, cuius ſepem euerti, obruíque permiſi ſpinis, & vepribus. Quis vnquam eò adducet me, vt tam fideli vineæ ſim in ſpinas? nihil iam adueniet illi, quo horrere poſſit ſimilem caſum, qualem paſſa eſt vinea altera infœcunda, atque infelix. Hieronymus, qui Deum hîc infenſum agnoſcit, putat Deum velle ſibi humanitatem, & clementiam excutere, quia ſe ipſum ad vindictam acuere non poterat: ideo enim dixerat. *Indignatio non eſt mihi. Ait ergo Deus*, inquit Hieronymus, *quis me faciet durum, atque crudelem, vt vincam naturam meam?* Quod ſanè ſatis oſtendit, quàm ſit diuina natura ad ignoſcendum prona, quàm ad puniendum difficilis. Vide quæ diximus ad illud *cap. 1. Heu conſolabor.*

Deus ad veniam pronus, ad puniédum difficilis.

17. [g] *In pralia: gradiar ſuper eam, ſuccendam eam pariter?*] Hæc interrogatiuè accipiunt, qui hoc loco Deum benignum, & clementem agnoſcunt, & ita mihi videtur omnino dicendum eſſe. Quaſi dicat Deus: Non armabo vnquam indignationem meam contra vineam hanc, neque ſuccendam pariter, cum alia vinea ingrata, atque infideli.

18. [h] *An potius tenebit fortitudinem meam.*] Siue hîc in *fortitudine* Dei furorem, quo in damnatus accenditur, ſiue clementiam, qua beatos proſequitur, intelligas, nihil officit noſtræ ſententiæ. Nam *tenere fortitudinem* priori modo, eſt cohibere illam à vindicta, ſeu ab eo, quod à furore naſcitur; quod planè facit felix ille beatorum ſtatus, in quibus ampliùs non erit luctus aut dolor. Si verò pro miſericordia, multò clariùs fauet noſtræ cogitationi; Significat enim Deus in vineam illã electam nunquam futurum eſſe durum, ſed potiùs in æternum erga illam ſeruaturum eſſe clementiam. Non tenebit, inquit, hæc vinea fortitudinem meam, id eſt, clementiam, id eſt, non efficiet, vt ego clemens non ſim. Cæterum Dei miſericordia, atque benignitas ex vſu ſacræ Scripturæ, *fortitudo* dicitur. *Nahum 1. Dominus patiens & magnus fortitudine.* & *Num. 14.* cùm Moyſes à Domino peteret, vt ignoſceret populo. *Magnificetur ergo*, inquit, *fortitudo Domini, ſicut iuraſti dicens, Dominus patiens, & multæ miſericordiæ.*

Clementia Dei fortitudo dicitur.

19. [i] *Faciet pacem mihi: pacem faciet mihi.*] Rationem Deus reddit cur in æternum illi vineæ futurus ſit liberalis, & clemens: quia fieri non poteſt, vt illa vinea in æternum non faciat Domino pacem, id eſt, non ſeruiat Domino, non amet, fructúſque ferat ei in omni æternitate, & ad omnem æternitatem gratiſſimos. Cùm ergo pacem ſeruatura ſit apud Dominum, neque admiſſura vnquam, quod illi aliquo modo moleſtum ſit, cur Deus in prælio gradietur ſuper eam? Hieronymus ſuppoſitum verbi *faciet* putat eſſe Chriſtum, qui redempto, reconciliatóque mundo, pacem faciet inter Deum & homines. S. Thomas *vnumquemque*, hoc ſenſu, Vnuſquiſque pacem faciet apud Deum bonis operibus.

20. [k] *Qui egrediuntur impetu à Iacob, florebit & germinabit Iſrael, & implebunt faciem orbis ſemine.*] Hæc ſatis obſcura ſunt, variéque à variis expoſita: Neque facile eſt illa ad Hebraicum textum accommodare. Qui hæc de Eccleſia accipiunt, eos, qui facturi dicuntur pacem Domino, Apoſtolos eſſe exiſtimant, quorum opera florebit Iſrael, & totus orbis ſemine replebitur Iſraelitico. Neque ego hæc improbo, ſed potiùs veneror & amplector. Sed quando hæc de beatis explicare inſtituimus, in eo nunc inſtituto pergamus. In priori parte cantici, de qua ſuprà *cap. 5.* reprobata illa vinea, quæ in combuſtionem, & conculcationem data eſt, conſtare dicitur ex Iſraelitis. *Vinea enim Domini exercituum domus Iſrael.* At ſecunda hæc vinea quæ militarem Eccleſiam ſignificat, aut potiùs triumphantem, quæ ex ea colligitur, non tantùm ex Iſraelitis conſtat, id eſt, ex his qui ab Iſraele ſecundum carnem prognati ſunt, ſed etiam ex Gentibus quæ in eorum, qui verè Iſraelitæ ſunt, ordinem cooptantur. Oſtendit ergo nunc propheta, quinam futuri ſint illi, in quos Dominus non iam ampliùs iraſcetur, imò quos in æternum amplexabitur. Non quidem illi ſunt, qui ex Iacob nati; ſed qui ad Iacob impetu, id eſt, feruenter ingreſſi, ad eum nempe populum, qui verè dici potuit populus Dei. Hic itaque Iſrael germinabit, & florebit late, ita vt propagines ſuas, in omnem orbis partem exporrigat. Qui dicendi modus vbertatem, & fertilitatem planè ſignificat; neque in noſtra expoſitione aliud valet, quàm fore fortunatam illam vineam florentiſſimam. Sed alius Iſrael, qui carnis tantùm propagatione Iſrael eſt, non vitæ ſanctitate, calcabitur, areſcet, & obruetur ſpinis. In quam ſententiam eſt illud Chriſti *Matthæi cap. 8. 11. Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob in regno cœlorum; filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores.* Ex his ſic ordino obſcuram hanc clauſulam. *Ex numero eorum, qui venient magna frequentia ad Iacob, implebúntque terram (hi verò ſunt qui Chriſti religionem amplectentur) florebit, &*

germi

germinabit ille, qui verè dici poteſt Iſraelita. De quo intelligenda, quæ ſequuntur.

21. [l] *Num quid iuxta plagam percutientis ſe percuſſit eum? aut ſicut occidit interfectos eius, ſic occiſus eſt?*] Hinc iam abſoluto cantico, quod antè beatorum turba, aut Angeli, aut Dominus ipſe cantauerat, loquitur ex ſua perſona propheta magnus. Et videtur poſt longum hyperbaton, ſeu parentheſim, qua canticum vineæ ſeu de vinea concluſit, referre ſe ad ſupplicium Leuiathan. Quem docet multo ſeueriùs eſſe percutiendum, quàm percuſſi ſunt, quos Dominus apud ſe perpetuò beat: & duriùs occidendum, quam illi ſunt occiſi. Duo ergo facit hîc propheta: priùs oſtendit grauiſſimum eſſe ſupplicium, quod Deus ſumet de Leuiathan, idque profectum ab animo inimico, deinde incommoda, quæ paſſi ſunt à Deo hi, quos in beatis eſſe diximus, à paterno, & beneuolo animo manaſſe, vt caſtigatione purgati ab his ſordibus, quibus in cœleſti patria locus non eſt, in eam adſcriberentur. Et hoc poſtremum fundamentum eſt eorum, quæ toto hoc capite dicenda ſunt. Ait ergo propheta. Non percutiet Dominus Leuiathan ea plaga, qua ſolet aliquis ſe ipſum percutere, quæ quia percutienti dolorem affert, grauis, aut hoſtilis eſſe non ſolet. Tali verò plaga Deus percutiet amicos ſuos, quæ (vt humano more loquar, quo modo de Deo ſæpe Scriptura loquitur) non minus Deum ipſum vulnerantem, quàm Dei amicum vulneratum tangit, & cruciat: imò plaga, quæ Dei amicum leuiter tangit, ea grauiter pungit diuinorum oculorum pupillam, *Zacha. 2. verſ. 8. Qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Vide quæ diximus ad illud *cap. 1. Heu conſolabor.* Cum ergo Deus amicum percutit, ſe ipſum percutere videtur, & percutit iuxta plagam percutientis ſe. Non ſic ergo percutiet Leuiathan, ſed plaga eiuſmodi, vt verè de illo dici poſſit illud Thren. *Plagâ inimici percuſſi te caſtigatione crudeli.* Neque ſic Deus occidet Leuiathan, ſicut occidit interfectos ſuos, nempe amicos: illum enim occidit morte occiſorum, id eſt, æterna morte, à qua ſperari nullus poteſt ad vitam reditus, amicos verò ita mortificat, vt viuificet, ita ad inferos, id eſt, ad ſepulcrum deducit, vt etiam reducat. Porrò illud *eius* reciprocè puto intelligendum, id eſt, *interfectos ſuos*, quod ſæpe vulgatus facit, & pronomen affixum apud Hebræos vtrumque valet.

> Domino grauiter dolet plaga, quæ amico ſuo infligitur.

22. [m] *In menſura contra menſuram cùm abiecta fuerit iudicabit eam.*] Hinc iam Deus de tribulatione illorum agit, quos vt pater caſtigat, & in beatis numerat ſub vineæ metaphora. Debet enim illis Deus menſuram pacis, & gloriæ pro menſura eorum, quæ pertulerunt. Qua menſura abiecti fuere, eadem iudicabuntur, cumulabuntúrque menſura. Quidam hæc quoque putant pertinere ad Leuiathan; ſed vox Hebraica difficilem reddit accommodationem hanc. Nam pro eo, quod vulgatus optimè tranſtulit, verbíſque magis propriis, *in menſura contra menſuram*, Hebraicus textus reſpectans ad metaphoram vineæ, verbis tranſlatis, & impropriis habet. *Iuxta menſuram in propagine eius multiplicabis eam.* Et vocem שלח *ſelach*, pro qua hic *menſura, emiſſiones*, id eſt, propagines vertit Hieronymus *Cant.* 4. Erit ergo huius loci ſententia. Vt in terra hæc vinea putata, duréque accepta, atque iactata fuerit, ſic germinabit, exuberabítque, & frondium, palmitúmque veſtitu, & racemorum fructu. Quæ quomodo ad Leuiathan accómodari poſſint, nũ video.

> Compenſatio laborũ.

23. [n] *Meditatus eſt in ſpiritu ſuo duro per diem æſtus.*]

A Quidam hæc ad populum Iſrael, id eſt, ad vineam referunt, quæ meditari, hoc eſt lugere dicitur in die æſtus, id eſt, tribulationis; quæ tamen poſtea vbi vis æſtatis, hyemiſque tranſierit, fulgebit affulgente vere: & hi legunt non *meditatus*, ſed *meditata*, vt etiam in aliquibus Latinis codicibus reperitur. Verumtamen quia *meditatus* habent Sixtiani codices, ego iuxta inſtitutam explicationem Deo hæc accommodo cum Hieronymo, & aliis, qui cum illo ſentiunt. Hi ergo putant diem æſtus vocari diem tribulationis, qua id agit, aſſequitúrque Deus, vt florentem reddat, exuberantémque vineam. Quibus ego addo ſeruari hic ab Iſaia optimè vineæ B metaphoram. Nam cùm tempore æſtus vineæ ſplendor, & viror totus effloreſcat, & exuratur, facilè intelligitur, quid tempore æſtus meditaturus ſit Deus contra vineam ſuam, nempe aliquid durum, id enim eſt, *in ſpiritu ſuo duro*.

24. [o] *Idcirco ſuper hoc dimittetur iniquitas Iacob; & iſte omnis fructus, vt auferatur peccatum eius.*] Hinc fit planum hanc eſſe plagam ex paterno animo profectam, qui non id agit vt percutiendo perimat, ſed vt medicando ſanet. Sanè videbatur Deus percuſſiſſe populum ſuum, ſed ille quia laborabat graui morbo, vim illam medicam, & grauem illum æſtum exigebat; illius tamen plagæ fructus fuit, vt populus Dei memor illa à ſuo animo, delubríſque repelleret, quæ impiè antea venerabatur. Et ideo C ſubditur. *Cùm poſuerit omnes lapides altaris ſicut lapides cineris alliſos: non ſtabunt luci, ac delubra.*

25. [q] *Ciuitas enim munita deſolata erit.*] Pergit explicare qualis futura ſit illa plaga, quæ ad ſanitatem & ſanctitatem populum priùs infidelem adduxit. Illa verò fuit olim ciuitatis munitæ ſtrages horribilis, captiuitas populi, poſt quam reuerſus tandem in patriam alios mores induet, alia meditabitur ſtudia. Porrò vaſtitas ciuitatis eleganter deſcribitur, dum ita deſerta futura traditur, vt ibi ſint vitulorum paſcua, & ferarum cubilia. Dixit idem penè de Ieruſalem *cap. 7.* & Babylone *cap. 13.* & quidem ita contigiſſe in Ieruſalem tradit Ieremias *Thren. 5.* vbi vulpes habitaſſe dicuntur in ciuitate priùs hominibus, opibúſque affluenti.

26. D [r] *Et conſumet ſummitates eius.*] Perſeuerat in metaphora vineæ, vt putat Hieronymus, & alij plures. Ait ergo venturum *vitulum*, id eſt, Babylonicum exercitum, & ibi habiturum opima paſcua, hoc eſt ſuæ auaritiæ opportunas exuuias, & vſque ad ſummas palmitum frondes, à quibus propter altitudinem abſtinere ſolent armenta, peruenturam eſſe illorum ingluuiem.

27. [ſ] *In ſiccitate meſſes illius conterentur.*] Pro *meſſibus* Hebr. eſt קצר *katſir*, quod & meſſem, & ramum ſignificat. Hic puto *meſſes* pro ramis ſumi; vt vertit Pagninus, & Vatablus, ſeu etiam pro fructibus, tum quia hîc de vite agitur, quia de vinea metaphora eſt: tum quia meſſis commune nomen eſt, & tam metendis frugibus, quàm colligendis floribus, E ac fructibus arborum aptari ſolet: vt docuimus ad illud *Cant. 5. Meſſui myrrham meam. & cap. 18. num. 23. & cap. 23. num. 10.* Eſt itaque ſenſus, aliquando illius vineæ vbertatem, atque luxuriem exuſtum iri ſiccitate.

28. [t] *Mulieres venientes & docentes eam.*] Quidam pro *docentes* vertunt *accendentes* ſeu *comburentes*. Ita Pagninus, Vatablus, & Foreirus: & tunc ſenſus erit iſte aptè cum rei ipſius euentu conſentiens. Vbi Deus virentem illam atque exuberantem vineam areſecerit, venient mulieres, id eſt, gentes in-

firmæ, quæ vineam illam incendio dedant. quod fecere poſtea Babylonij: nam licèt illi fortes fuerint, laborúmque tolerantiſſimi, quales deſcripti ſunt ſuprà *c.* 5. Tamen ſic erit à Dei ſpeciali cuſtodia deſerta ciuitas, quæ hic vocatur vinea; vt ab imbecilli fœminarum manu vaſtari potuerit. In ſacra ſcriptura verò id factum dicitur, quod in eo ſtatu eſt, aut eam habet naturam, vt fieri poſſit.

29\. Septuaginta ſic reddunt, *Mulieres venientes à ſpectaculo venite*, quod Cyrillus & Procopius referunt ad fœminas, quæ teſtes fuerunt reſurrectionis: Eodem modo Hieronymus. Sed nos qui hæc eò ſpectare credimus, vt oſtendatur quemadmodum gens illa à patre benefico purganda ſit, vt deinceps inter beatos cantare poſſit canticum, de quo nuper, dicamus neceſſe eſt ſermonem hic eſſe de afflictione populi, quæ non longè accidit ab hoc tempore: nempe per Ægyptios ſub Ioſia, & poſtea per Babylonios. Inuitantur autem mulieres, vt iuxta patrium ritum cladem ciuium, & ciuitatis ſtragem deplorent. Ac ſi dicas. Vos mulieres veſtro cantu lugubri, aut eiolatu miſerabili declarate, quod in eo ſpectaculo, aut vidiſtis ipſæ, aut aliorum narratione didiciſtis. Hanc verò narrationem lugubrem in re triſti, ſicut in re læta feſtiuum carmen ad fœminas pertinere, ſatis eſt notum.

30\. Sed iuxta verſionem Vulgatæ ſenſus eſt meo iudicio cauſalis. Significatur enim, vnde populo quondam felici calamitas aduenerit, aut ſordes inuectæ, quæ illo tribulationis igne purgari debuerint: nempe ex illorum lenitate, atque væcordia, qui populo præerant; quorum mores ac ſtudia facilè ignobilis multitudo ſequitur. Hi verò *mulieres* vocari ſolent, quia in illis minus conſtantiæ, atque conſilij eſt, quod dixerat antè propheta *c.* 3. *Mulieres dominatæ ſunt eis.* Vide quæ ibi diximus.

31\. [u] *Non eſt enim populus ſapiens.*] Hæc verba fidem faciũt noſtræ explicationi, quæ vaſtitatem illius populi attribuit principum moderationi, & magiſtrorum doctrinæ, qui ideo *mulieres docentes* appellantur, quia mollia docent, & quæ ſenſibus magis blandiuntur quæ amat, & probat muliebre, id eſt, futile, & imbecillum ingenium. Aut certè, quæ longè abſunt à conſilio, & prudentia, quæ in muliebrem ſexum non admodum conueniunt. Neque populus inſipiens hæc valde aut examinabat, aut pendebat; imò id exigebat à prophetis, vt placentia dicerent, & errorem viderent, *infrà cap.* 30. vbi eandem adducit verſionis cauſam. Sicut etiam Ieremias *Thren. cap.* 2. *verſ.* 4. Hinc etiam fluxiſſe prodit communem populi ruinam. *Pro-*

32\. *phetæ tui viderunt tibi falſa & ſtulta.* Vbi obſerua obiter ideo mulieres, id eſt, prophetas, qui vana & pernicioſa docent, audere ſuam illam inanitatem & futilitatem effundere, quia populum nacti ſunt inſipientem, prurientes aures, & nugarum auidas. Quòd ſi in populo quicquam eſſet virtutis, atque conſilij, nunquam nugaces illos & veteratores pſeudoprophetas admiſiſſet. Neque credo noſtra ætate auſi eſſent plurimi eorum, qui in concionatorum munus irruperunt, nugari liberè, ne dicam impudenter, niſi heu nimis inſipientem populum ad plaudendum facilem habuiſſent.

Vnde concionatoribus audacia facta dicendi inutilia.

33\. [x] *Propterea non miſerebitur eius, qui fecit eum.*] Hinc diſce, quàm grauiter ferat Dominus ſi contempta doctrina, quam ipſe nobis ad ſalutem tradidit, ad nugas, & ſomnia otioſorum hominum (ſic enim voco antiqui illius ſæculi doctores futiles, & fallaces prophetas, & noſtræ ætatis concionatores leuiculos, qui ſtulta captant, & inania, eáque curioſis auribus infarciunt) animum & ſtudium conferamus. Futurum enim dicit propheta, vt Deum non miſereat eorum, quos ad vitam immortalem formauerat, quia dum audiendis ſtultorum hominum fabellis animum adhibuerunt, diuina conſilia ſacris prodita monumentis, vel à prophetis denuntiata, vilia habuerunt. Vide quæ diximus ſuprà *capite* 5. ad illud, *Propterea ductus eſt captiuus populus meus, quia non habuit ſcientiam.* Quid ſi eò progreſſa eſt hominum ſtultitia, vt audeant, & dicant illud Iob *cap.* 21. *verſ.* 14. *Qui dixerunt Deo recede à nobis, & ſcientiam viarum tuarum nolumus.* Sanè hi indigni omnino ſunt, quorum miſereatur Deus.

Quàm graue ſit dicere pro concione leuia, & illa ab auditoribus captari.

[y] *Et erit in die illa percutiet Dominus ab alueo fluminis vſque ad torrentem Ægypti.*] Deſignantur 34.
hic extrema terræ promiſſionis, quæ ab Aquilone flumine magno Euphrate, ab Auſtro occidentali torrente Ægypti terminatur. Pro *torrente* Septuaginta vertunt *Rhinocoruram*, quia, vt inquit Hieronymus, non tam verba ſcripturarum quàm ſenſum verborum expreſſerunt. Eſt enim *Rhinocorura* oppidum in confinio Ægypti, & Palæſtinæ. Mihi valde veriſimile eſt *Rhinocoruram* eſſe non ſolùm oppidum, ſed etiam fluuium, à quo oppidum communem nomen habet. Sicut alia plurima in omni ferme idiomate: atque adeò non malè vertiſſe Septuaginta, qui quod vulgatus communi *fluminis*, id ipſi proprio *Rhinocururæ* nomine ſignificarunt. Quòd verò in extremis terminis promiſſionis terræ fluuius ſit, qui Hebraicè cõmune nomẽ habet cum magno Nilo, vterque enim dicitur שיחור *ſichor*, ſatis liquet ex ſcripturis, 1. *Paralip.* 13. *Congregauit ergo Dauid cunctum Iſrael à Sichor Ægypti vſque dum ingrediaris Emath.* Et 2. *Paralip.* 7. *Ab introitu Emath vſque ad torrentem Ægypti.* Et *Amos c.* 6. dicitur *torrẽs deſerti.* Et Hieronymus *Ezech.* 47. & *Amos* 6. ait paruum eſſe fluuium prope Rhinocoruram.

Rhinocorura.

Hic iam ſupplicium proponitur, quod daturus 35.
eſt populus ille inſipiens, & inſipientium monitis atque doctrinæ aſſuetus. Dabit autem pœnas totus populus Iſraeliticus, ita vt à fluuio magno vſque ad torrentem Ægypti nulla pars ſit immunis à communi plaga. Quod non multò pòſt experti ſunt Hebræi: nam eodem tempore Iſrael ab Aſſyriis, & duæ aliæ tribus primum ſub Ioſia ab Ægyptiis, deinde à Chaldæis ſub Sedechia, aut deletæ ſunt, aut in captiuitatem abductæ.

[z] *Et vos congregabimini vnus, & vnus filij Iſrael.*] 36.
Hic duo Hebraiſmi obſeruandi. Alter eſt *congregari* in ſcripturis idem eſſe quod occidi, deleri, aut mori. *Sophon.* 1. cùm ſignificaret Deus redactum iri in ſolitudinem duas tribus dicit, *congregans congregabo omnia à facie terræ.* Qui loquendi modus vt reor natus eſt ex alio dicendi modo, quo, qui è vita diſcedunt, congregari, colligi, aut apponi dicuntur ad parentes ſuos, ſeu ad mortuos, qui cum multò plures ſint, quàm viui, optimè, qui in viuis eſſe deſinunt, *congregari* dicuntur, quia ad eorum numerum aggregantur. *Gen.* 49. *Ego congregor ad populum meum. Deut.* 32. *Iungeris populis tuis, ſicut mortuus eſt Aaron frater tuus.* 4. *Reg.* 22. *Colligam te ad patres tuos.* Per ellipſim verò etiam ſi nihil addas, *congregari* pro *mori* ſumitur, vbi intelligitur, *ad patres*, aut aliquid ſimile. ſicut *mouere* dicitur imperator, aut *appellere* gubernator ad portũ, quia alter caſtra mouet, alter nauim ad portum appellit, quæ in duobus verbis intelliguntur. Sic verbum *congre-*

Congregari idem quod mortuo.

gor

gar, & ſimilia ſine vllo adiuncto adhibentur. *Iſai. 57 Viri miſericordiæ colliguntur, à facie anguſtiæ collectus eſt iuſtus. Ieremiæ* 8. *In tempore viſitationis ſuæ corruent, dicit Dominus, congregans congregabo eos. Sophon.* 1. *Congregans congregabo omnia.* Vide quæ diximus ſuprà *cap.* 24. *num.* 49. Iuxta hanc Hebraici ſermonis conſuetudinem exiſtimo *congregari* hoc loco ſignificare communem illam populi cladem, & ruinā, qua purgatus eſt à beneuolo, atque liberali patre, & vt antea diximus, vt cantare poſtea poſſit illud beatorum canticum. de quo priùs.

37. Regula. *Vnus, & vnus*, id eſt, *ſinguli* ſeu *quilibet*.

Alter Hebraiſmus eſt *vnus, & vnus*, quæ nominis geminatio diſtributionem ſignificat, & vniuerſitatem. Vt enim *dies, dies*, ſingulos ſignificat dies, *Gens gens*, ſingulas ſeu omnes gentes, *ſic vnus, & vnus*, ſingulos, ſeu omnes ad vnum. Ex his conſtat vetus huius loci ſenſus. Significat enim propheta omnes, qui ſunt ab alueo magni fluuij, vſque ad torrentem Ægypti, id eſt, in tota terra promiſſionis, perituros eſſe, aut ſolum mutaturos. Nam quod alij dicunt agi hîc de Iudæorum conuerſione, mihi ſemper difficile viſum eſt, quia tunc non *vnus, & vnus*, id eſt, *ſinguli*, aut *quilibet*, ſed admodum pauci amplexi ſunt Euangelium.

38. Scio aliquos, imò communiter interpretes ſentire hoc dicendi genere *vnus, & vnus*, paucitatem ſignificari: quod durum mihi ſemper viſum eſt; nam, vt dixi, geminatio illa aliquid ſignificat vniuerſale. Et in hoc ipſo dicendi genere exempla occurrunt non pauca, quæ communiter interpretes per diſtributionem exponunt; ſicut hunc Iſaiæ locum Septuaginta, Tigurina, & Pagninus. Vt *Iob.* 41. *verſ.* 7. *Vna vni coniungitur.* agebat autem de ſquammis Leuiathan, quas omnes dicebat eſſe ita inter ſe conſertas, vt ne ſpiraculo inter illas locus eſſe poſſet. Et *Ezech. cap* 33. *verſ.* 30. *Et dicat vnus ad alterum*, id eſt, ſinguli ad ſingulos, aut omnes inter ſe, vt ex ſequentibus patet. Eadem vox Hebraica geminata eſt in illis locis atque in hoc Iſaiæ, לאחד אחד *le achad echad*, quæ ad verbum ego ſic reddo *ad vnum vnum* ſeu *ad vnum vnus* aut quod idem eſt *vnus ad vnum*. Quem dicendi modum vt reor expreſſit Latinus, dum dicit. *Perierunt ad vnum.* Id eſt perierunt omnes, ne vno quidem excepto. Expreſſit certè Hiſpanus, qui dum ſignificare vult neminem fuiſſe reliquum ex aliquo numero, ait, *Murieron, o caſeron vno a vno, o vno por vno*, id eſt, *omnes*. Quod audio aliis etiam linguis eſſe commune, quæ ad hanc cogitationem coniectura non leuis eſt. Erit ergo ſenſus, Vos, ô filij Iſrael, in quacumque fueritis parte terræ promiſſionis, cōgregabimini, id eſt, peribitis aut exulabitis, &c. quā ſententiā amplectitur Adamus, & Oſorius, & meo iudicio omnes illi, qui pro *vnus, & vnus*, vertūt *ſinguli*.

Iob. 41. — Ezech. 33.

39. ** *Et erit in die illa clangetur in tuba magna, & venient, qui perditi fuerant de terra Aſſyriorum, & qui eiecti erant de terra Ægypti: & adorabunt Dominum in monte ſancto in Ieruſalem.*] Multi hæc cum Hieronymo de Euangelij prædicatione capiunt, ſicut aliqua eorum, quæ præceſſerunt. In qua explicatione *tuba* dicitur vox euangelica, quæ non eſt exilis, & infirma, ſed ita fortis, & plena, vt toto orbe concrepuerit. Quod ego quoque cum aliis ſentio, ac probo. Iuxta quod Cyrillus confert vocem Euangelij cum voce Moyſis, id eſt, nouum Teſta-

Comparatio Euangelij cū antiqua lege.

A mētum cum antiquo. Sic autem Cyrillus. *Tuba quoque vſus eſt ſuo tempore magnus Moyſes, & non magna; exilis enim erat voce prædiens, & tardæ linguæ; & legalium prædicationum vis ad ſolam regionem Iudæorum contrahebatur; at diuina, & ſalutifera prædicatio cunctas vrbes peruadit, & regiones, & veluti per vniuerſam terram, quæ ſub cælo eſt intonuit.* Hæc, vt dixi, mihi probantur valde, eò maxime, quòd eò inclinat communis interpretum ſententia. Sed in aliam explicationem, aliæ me rationes adducebant, nempe, ſicut de captiuitate duarum tribuum, Iſraeliticique populi vaſtitate ſuperiora interpretabamur, ſic nunc ſermo ſit de earundem in patrias ſedes & antiquum ordinem reſtitutione. In qua B typicè, quæ alij de Eccleſia ſuprà vt in re ſimili, doctores ſæpe docuerunt. Redierunt autem ex Ægypto, quò multi cum Ieremia commigrarant; neque tamen mitiores habuere Ægyptios quàm alij Babylonios, licèt redierint pauci, vt habes *Iere. cap.* 44. *verſ.* 18. Rediere & ex Babylonia, vt conſtat, quam hîc puto Aſſyriam appellari, quia antiqui illius imperij domitrix, & caput erat. Quomodo locutus eſt Zacharias *cap.* 10. *verſ.* 10. Neque vt alibi docuimus defuerunt qui ex decem tribubus, ab Aſſyriis in patriam ſint reuerſi. Hi ergo inſtaurato templo non minùs religiosè, quàm antea Deum adorauerunt in Ieruſalem. Dicuntur verò *tuba* reuocandi, quia Deus ducem ſe illius populi facit. Ducis verò C vox *tuba* eſt, per quam caſtris quid ipſe ſtatuat, velitque per tubicines edicit.

Et quidem ſenſus iſte nihil habet violenti, atque diſtorti, imò capitis filum difficilè admodum trahitur in alteram ſententiam. Supponit enim Synecdochicôs, *Ægyptios*, *Aſſyrioſque* pro toto mundo ſumi, & *Ieruſalem* pro Eccleſia. Et licèt hoc poſterius vſitatum ſit, illud verò prius admodum apparet durum. Quare ſi dicamus hîc prædici quomodo populus ille purgandus ſit à peccato, eóque per tribulationem adducendus, vt poſtremo ſæculorum die propitium habeat, & beneuolum iudicem, cantaréque poſſit beatorum canticum, nihil ſanè credo dicemus aut difficile, aut quod non vltro offerat textus ipſe, ſi accuratè expendas. Porrò D in captiuitate dura, & exilio longo poſt quod cum gaudio aſcenditur in Ieruſalem, expreſſum video beatorum ſtatum; qui poſt tribulationem ad cæleſtis patriæ quietem, & gloriam aduocantur; de quo ſuperior erat ſermo. Quod *Pſalm.* 125. Dauid multò antè cecinerat. *In conuertendo Dominus captiuitatem Sion, facti ſumus ſicut conſolati, &c. qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metent*, &c. 40.

Hæc, vt dixi, & alia ab illo *vinea meri cantabit ei*, ad Euangelij tēpora Eccleſiæque propagationem referri poſſe exiſtimo cum aliis, à quorum ſententia vt recedam à me ipſo impetrare non poſſum. Addidi tamen aliam explicationem, quam videre E ab ipſo textu videbar offerri magis, quàm extorqueri. Quam tamen aliorum cogitationi præferre, neque prudentis eſt, neque eius, qui in tam graui quæſtione errare timeat. Non itaque meam cogitationem tam aliis perſuadeo quàm examinandam offero. In re verò vſque adeò impedita & obſcura committere non debet diligens interpres, vt ſi quid occurrat opportunum, illud non offerat lectori ſtudioſo veritatis. 41.

Argumentum vigeſimi octaui capitis Iſaiæ.

PROPHETAT Iſaias in hoc capite primùm contra Ephraim: id eſt, contra Samariam, quæ caput erat decē tribuum: & contra Gentes alias Iſraeliticas, quæ Samariæ ſuberant imperio. Docet autem ſuperbiam, & ebrietatem in cauſa fuiſſe cur regnum illud Ephraimiticum tam grauem ſubierit ruinam. Deinde cùm Deum futurum eſſe liberalem, & propitium duabus aliis tribubus ſub Ezechia aſſeruiſſet, oſtendit felicitatem illam non futuram eſſe diuturnam, quia iiſdem ſe peccatis implicabunt, quibus decem aliæ tribus antea. Sed præſertim eam adducit, amplificátque cauſam, quòd prophetarum verba tanquam inania, & ludicra cum ſibilo excipiebant, & riſu, quaſi contra minas ſatis ſibi ab idolis paratum eſſet auxilij. Eò verò ſpectare dicit Iudæorum ſupplicium, vt idolorum cultum reiiciant, quæ ſimul cum vero Deo coli, atque habitare non poſſunt. Ad extremum accommodatiſſima agricolarum ſimilitudine, qui modò terram molit, & ſubigit clementiùs, modò fruges triturat, & lacerat aſperiùs, docet non ſine conſilio Dominum & antea complexum eſſe benignè, & poſtea accepturum eſſe duriùs populum ſuum, quæ tamen vexatio duratura dicitur non in perpetuum.

CAPVT XXVIII.

1 [a] *VÆ corona ſuperbiæ ebriis Ephraim, & flori decidenti gloriæ exultationis eius, [b] qui erant in vertice vallis pinguiſsimæ errantes à vino.*

2 [c] *Ecce, validus, & fortis Dominus, ſicut impetus grandinis turbo confringens, ſicut impetus aquarum multarum inundantium, & emiſſarum ſuper terram ſpatioſam.*

3 [d] *Pedibus conculcabitur corona ſuperbiæ ebriorum Ephraim.*

4 [e] *Et erit flos decidens gloriæ exultationis eius, qui eſt ſuper verticem vallis pinguium, quaſi temporaneum ante maturitatem autumni: quod cùm aſpexerit, videns ſtatim vt manu tenuerit, deuorabit illud.*

5 [f] *In die illa erit Dominus exercituum corona gloriæ, & ſertum exultationis reſiduo populi ſui.*

6 Et

PARAPHRASIS in idem caput.

1 VÆ ſuperbis, atque ebriis, luxúque diſſolutis Ephraimitis, quos in Samaria coronat Iſraelis imperium. Decidet enim illorum ſplendor; atque ſuperbia, propter quæ efferebatur, exultabátque Samaria. Non ſecus atque flos, qui cùm lætus ſit, & pulcher, momento tamen temporis exiccatur. Væ iterum illis, qui Samariam incoluut, collem videlicet excelſum, cui ſubiecta vallis eſt olei, viníque feraciſſima, quæ ipſorum deliciis, atque ebrietati plus ſatis vberem ſuppeditat materiam.

2 Ecce enim aduerſus pinguem illam, atque ſpatioſam vallem irrumpet infenſus; & vltor Dominus, qui ſicut turbo grandinem ſecum, & nimbum inuoluens; & veluti aquarum inundantium torrens incitatus, & præceps, regionem illam vberem diſſipabit, & ſternet.

3 Coronam, quæ ſummum eſt ornamentū capitis, & regnorū inſigne, quam ſuo ſibi capit impoſuerunt ebrij, atque molles Ephraimitæ, inimicorſi pedibus Dominus conculcandā ſubmittet.

4 Erit autem flos ille deciduus Ephraim: in quo exultabat, efferebatúrque Samaria: qui eſt in colle excelſo, qui ſubiectam ſibi vallem pinguem latè deſpectat; inſtar præcoqui fructus, etiam ante autumnale tempus maturi, quo plærumque arborum fructus ſuam habent tempeſtiuam maturitatem Quem qui videt, & auidè arripit, quia primum; & facilè vorat, quia maturum, & eſui non difficilem.

5 Quo tempore corona cecidit, & flos emarcuit Ephraim reſiduo populo, quem non vaſtabit Aſſyrius furor, duabus nempe tribubus corona ſtabilietur, & flos exultationis, & gloriæ magis pullulabit, atque ſplendeſcet: qui non tam

à Do

à Domino datus, quàm Dominus ipſe fore videbitur.

6 Hæc duarum tribuum tanta felicitas accidet ſub Ezechia Rege: cui Dominus, vbi in ſolio ſederit, æquitatis, atque iudicis ſpiritum: vbi autem turbidum bellorum tempus incideret, eam fortitudinem, atque conſtantiam inſpirabit militibus, vt nihil non audeant publicis commodis opportunum. Et cùm è bello redeant, vegetos ſpiritus, & integras vires ad portam referant, vnde ad bella prodierant.

7 Sed non diu permanſit in reſiduo illo populo iudicium, & ſanctitas: cepit enim illum, atque peruertit eadem, quæ decem tribus antea occupauit, & præcipitauit ebrietas. Eodem omnes ordine tam ſacerdotes, quam prophetas peruertit, atque obſorbuit vini intemperantia. Vini, inquam, immoderatus vſus abire illos fecit in varios, atque pernicioſos errores, ita vt ſpeculantem, ac videntem omnia Dominum ignorauerint, neque quid exigat iudicij, atque æquitatis ratio cognouerint.

8 Omnes enim menſæ, vt poculis, atque epulis oneratæ ſunt, ſic etiam onerato eſculentis, ac poculentis lurconum ſtomacho, obſcœno nauſeantium vomitu replentur, & fœdantur. Idque adeò intemperanter, ac profusè, vt non ſit iam vllus locus vlterior, quo ſe proücere ingluuies, & ebrietas poſſit.

9 Ecquis erit ex eo tam frequenti populo diuinæ capax diſciplinæ? cui Deus ſuorum conſiliorum arcana myſteria reuelabit? illis ne quibus infantile ingenium eſt: & mores ita leues, vt nunc primùm depulſi videantur à lacte, & à maternis vberibus auulſi.

10 Planè infantilis ingenij eſt, diuina oracula prophetarum ore propoſita, cum ſibilo, atque faſtidio excipere. Illis dicentibus familiari, ac prophetico ſtylo. *Hæc mandat Dominus: diuinas minas, aut diuina expectate promiſſa; aut modicum eſt, & hoc implebitur.* Hi contrà ſubſannando illis impudenter occinunt eadem, quæ ab ipſis toties audierant. Et quaſi moleſtè ferant obtrudi ſibi ſæpius grauem illam, & inſuauem cantilenam dicunt. Quid à vobis iam millies audimus. *Manda*, & iterum, atque iterum *manda, expecta* & iterum ac ſæpius *expecta*, *modicum intercedit temporis*, & hoc ipſum millies ingeminatis? ſic illi puerili planè ingenio, & infantili voce.

11 Sed Deus contra ad illorum ingenium impudens, ſermonémque procacem, vocem quoque irriſoriè fingens, & attemperans, loquetur cum hoc populo loquelis labiorum, quæ obſcurant potiùs quàm exprimunt, formántque aptè ad ſignificandum ſonos, & loquetur inſuper altera lingua, nempe non iam ea, qua familiariter vtebatur, ad ſuos, ſed qua duriùs agebat cum alienis. Aget enim non verbis, quæ homines, ſed ſtimulis,

6 [g] *Et ſpiritus iudicij ſedenti ſuper iudicium, & fortitudo reuertentibus de bello ad portam.*

7 [h] *Verùm hi quoque præ vino neſcierunt: & præ ebrietate errauerunt. Sacerdos, & propheta neſcierunt præ ebrietate, abſorpti ſunt à vino, errauerunt in ebrietate, neſcierunt videntem, ignorauerunt iudicium.*

8 [i] *Omnes enim menſæ repletæ ſunt vomitu ſordiúmque, ita vt non eſſet vltrà locus.*

9 [k] *Quem docebit ſcientiam, & quem intelligere faciet auditum? Ablactatos à lacte auulſos ab vberibus.*

10 [l] *Quia Manda remanda, manda remanda, expecta reexpecta, expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi.*

11 [m] *In loquela enim labij, & in lingua altera loquetur ad populum iſtum.*

ſtimulis, quæ belluas agitant, & erudiunt.

12 [n] *Cui dixit, Hæc eſt requies mea, reficite laſſum, & hoc eſt meum refrigerium: & noluerunt audire.*

12 Dicebam ego priùs huic populo, vt laſſum reficeret, ſubleuaret iacentem, ſubueniret egeno: & mihi ipſi beneficium iſtud impenſum aſcriberet. Hæc mea eſt antiqua, atque propria loquela, quæ miſericordiam vbique, & manſuetudinem aſpitat. Cùm autem populus loquelam illam audire noluerit, mutabo vocem alio genere, ſtylóque ſermonis.

13 [o] *Et erit eis verbum Domini, Manda remanda, manda remanda, expecta reexpecta, expecta reexpecta, modicum ibi, modicum ibi:* [p] *vt vadant, & cadant retrorſum, & conterantur, & illaqueentur, & capiantur.*

13 Ab illis Dominus capiet ſermonis formam, id eſt, alienam illam loquendi rationem; quam contra illos aſſumet. Sicut enim illi ad prophetarum verba ridendo dicebant, *manda, remanda*, ſic Dominus cùm maximè inſtent, & premant incommoda, ſubſannando dicet, *manda, remanda, expecta, reexpecta.* Ex hac dura Domini, digniſſimáque peccatorum ludibrio reſponſione fiet, vt qui tuti ſibi, atque prudentes videbantur, retrorſum cadãt, tanquam turpiter ab hoſte ſuperati, & illa conterantur ruina: & quaſi inducti in venatorum retia capiantur.

14 [q] *Propter hoc audite verbum Domini viri illuſores, qui dominamini ſuper populum meum, qui eſt in Ieruſalem.*

14 Propter hoc animos iam, atque aures aduertite, ô illuſores, quibus probro fuerunt prophetarum oracula, qui imperium in illos exercetis, qui habitant ciuitatem meam Ieruſalem.

15 [r] *Dixiſtis enim, Percuſſimus fœdus cum morte, & cũ inferno fecimus pactum.* [ſ] *Flagellum inundans cùm tranſierit, non veniet ſuper nos: quia poſuimus mendacium ſpem noſtram, & mendacio protecti ſumus.*

15 Dixiſtis enim ſtolida perſuaſione deluſi apud vos, Nihil eſt quòd à prophetarum minis timeamus, conuenit namque nobis certo, atque ſtabili fœdere cum inferuo, & morte, ne quid nobis ab illis contingat aduerſum. Cùm mala inundauerint, flagellúmque diuinum terram longè latéque peruaſerit, nos tamen à communi plaga ſoluti erimus, & immunes. Quia ſpem noſtram in idolis, quæ mendacium, & vanitatem appellant prophetæ, collocauimus; in quibus, cùm mala ingruant, comprehendántque alios, nos tamen habebimus ſecurum, fideléque perfugium.

16 [t] *Idcirco hæc dicit Dominus Deus:* [v] *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretioſum, in fundamento fundatum.* [x] *Qui crediderit, non feſtinet.*

16 Idcirco, quia vos, ô illuſores, errore ſeducti ſperatis in eo, quod vobis futurum eſt fraudi, atque ruinæ, accipite iam in quo ſpes veſtra ſine vllo mendacio, atque periculo niti poſſit. Ecce ego, quò myſticæ Sionis opus, & propugnaculum ita firmum ſit, vt nulla arte conuelli, nullis machinis labefactari poſſit; in eius fundamento conſtituam angulare ſaxum, pretij ſummi, & firmitatis maximæ, ac ſummi architecti, qui errare in iudicando non poteſt, teſtimonio probatum. Qui crediderit, non ruborem vllum aut confuſionem ſubibit, cuius eſt ſignum ab aliorum conſpectu feſtinata fuga.

17 [y] *Et ponam in pondere iudicium, & iuſtitiam in menſura.* [z] *Et ſubuertet grando ſpem mendacij, & protectionem aqua inundabunt.*

17 Nunc ad veſtram confidentiam, ô illuſores, & nimiùm ſtultam, atque ſecuram inſaniam reuertor. Expendam vos, veſtráque examine, ac pondere ſeuero, ac iuſto: & pro meritorum modo, atque menſura, plagarum quoque modum, atque menſuram remetiar. Dixiſtis enim impetratam iam eſſe à morte immunitatem à com-

Digitized by Google

muni plaga : neque ab iuundanti flagellorum procella quicquam eſſe periculi,quia contra hæc parata erat à mendacio protectio. Ideo ergo flagellum inundans, & grandinis procella, & vis ingens aquarum vos, & ſpem quam in mendacio poſuiſtis,immò & ipſam mendacij protectionem inundabit,& obruet.

18 Et nullum erit ſœdus cum morte, & pactum cum inſerno contractum : cùm flagellum inundans ingruerit, conculcabit, atque concidet vos.

19 Quoties,inquam,flagellum peruaſerit, inuadet, & proſternet vos, quod ita vobis erit familiare, ac frequens, vt manè ac die perpetuo quodam tractu ſibi ſuccedant inſortunia. Hoc verò vexationis remedium ſolum eſt, quod craſſis illuſorum ingeniis perſuadere poſſit eſſe vera prophetarum oracula;quæ tantùm audita minus illis videbantur habuiſſe ponderis,ac fidei.

20 Hæc porrò vexatio eo vobis conſilio inflicta eſt, vt abiectis idolis, à quibus fallax vobis proponitur fiducia, Deum vnum colatis fidelem, & verum : qui nullum ſecum ad tori ſocietatem riualem,nullum adulterum admittit. Lectus enim anguſtus eſt,neque duos capit, aut patitur amatores : neceſſe eſt vt illorum alter ab eo deturbetur : & breue lectuli ſtragulum, quod vtrumque ſouere,ac tegere nullo modo poteſt.

21 Iraſcetur Dominus contra Gentem ſuorum mandatorum ſubſannatricem, ſicut olim contra Philiſtæos in Baalphataſim, aut contra Amorrhæos in valle Gabaon.Iraſcetur enim, vt compleat exigentibus id Iudæorum meritis, quod in illos iam antea animo deſignarat, & per prophetas indixerat, quorum vocibus inſultabant Iudæi. Quod tamen opus alienum eſt ab eo, cuius ingenium liberale eſt, mitis natura, & ad ignoſcendum prona.

22 Has autem minas nolite contemnere, aut eo in loco ponete, quo alia ſuperiora, quæ cum ſibilo, ac riſu priùs excipiebatis. Ne fortè citiùs conſtringat,ac duriùs illa vincula, quæ ad illuſorum plectendam impudentem audaciam parauerat Deus. Nam certa fide à Domino cognoui conſummationem, & ſtragem vniuerſæ terræ, quam veſtræ poſſeſſioni, atque vſui Dominus attribuit,futuram eſſe quàm ocyſſimè.

23 Audite vocem meam, vocem, inquam, meam iterum,& ſæpius audite. Aduertite aures, & ſermonem meum non otiosè, aut oſcitanter accipite.

24 Tale in vos,ô Iudæi,meum erit conſilium, quale agricolæ ſeduli in colenda, diſponendáque terra ad opportunos ſatus : arat etenim agrum, & ſubigit, atque emollit ſarculo : quod opus eſt benigni, & ſui muneris amantis agricolæ. Non tamen arat tota die, aut terræ ſinum ſemper ad ſementem diſponit.

25 Nam

18 *Et delebitur fœdus veſtrum cum morte, & pactum veſtrum cum inferno non ſtabit. Flagellum inundans cùm tranſierit, eritis ei in conculcationem.*

19 *Quandocumque pertranſierit, tollet vos:* [a a] *quoniam manè diluculò pertranſibit in die, & in nocte,* [b b] *& tantummodo ſola vexatio intellectum dabit auditui.*

20 [c c] *Coangustatum eſt enim ſtratum, ita vt alter decidat, & pallium breue vtrumque operire non poteſt.*

21 [d d] *Sicut enim in monte diuiſionum ſtabit Dominus:ſicut in valle, quæ eſt in Gabaon iraſcetur :* [e e] *vt faciat opus ſuum, alienum opus eius, vt operetur opus ſuum, peregrinum eſt opus eius ab eo.*

22 [f f] *Et nunc nolite illudere, ne fortè conſtringantur vincula veſtra.* [g g] *Conſummationem enim, & abbreuiationem audiui à Domino Deo exercituum ſuper vniuerſam terram.*

23 *Auribus percipite, & audite vocem meam : attendite, & audite eloquium meum.*

24 [h h] *Numquid tota die arabit arans, vt ſerat,proſcindet, & ſarriet humum ſuam?*

25 *Non*

25 *Nonne cùm adæquauerit faciem eius, feret gith, & cyminum ſparget, & ponet triticum per ordinem, & hordeum, & milium, & viciam in finibus ſuis?*

26 *Et erudiet illum in iudicio, Deus ſuus docebit illum.*

27 [ii] *Non enim in ſerris triturabitur gith,* [kk] *nec rota plauſtri ſuper cyminum circuibit: ſed in virga excutietur gith, & cyminum in baculo.*

28 *Panis autem comminuetur: verùm non in perpetuum triturans triturabit illum, neque vexabit eum rota plauſtri,* [ll] *nec vngulis ſuis comminuet eum.*

29 [mm] *Et hoc à Domino Deo exercituum exiuit, vt mirabile faceret conſilium, & magnificaret iuſtitiam.*

25 Nam cùm terram vomere proſciderit, æquaueritque raſtris eius ſuperficiem, feret gith, & cyminum; & ſuo ordine, & loco triticum ſeminabit, & hordeum: quibus etiam addet milium, & viciam.

26 Sed cùm ad meſſem, & aream res deducetur, docebit agricolam Deus, quo iudicio, ac modo in fruges illas ac meſſes acturus ſit.

27 Nam ſuper gith, & cyminum, in quibus minus operæ, atque ſtudium poſitum eſt, non inducentur plauſtra ſerrantia; ad aſperam, ſeuerámque trituram, ſed adhibebitur tantùm virga, quæ mitiùs grana à paleis, & ſiliquis excutiat.

28 Frumenta verò dentatis tribulis, aut ſerratis carpentorum rotis conterentur. Neque tamen ſemper, aut tritura illa aſpera, aut equorum vngulis, aut rotarum dentibus frumentaceam meſſem, vexabit agricolarum induſtria.

29 Hoc idem, quod in colendo agro, metendis, triturandiſque frugibus facit agricola, præſtitit admirabili conſilio, & illuſtri iuſtitiæ ſuæ documento Deus. Nam coluit aſſidua, ornauítque molli, atque paterna indulgentia populum ſuum: pòſt verò ad aream, & trituram vocabit tribulationis: à qua tamen liberabit poſtea, reducétque in patriam, ſicut agricola purgata duro examine frumenta in horrea recondit.

IN CAPVT VIGESIMVM OCTAVVM COMMENTARIVS.

1. [a] VÆ *coronæ ſuperbiæ, ebriis Ephraim, & flori decidenti gloriæ exultationis eius.*] Nouum hic argumentum aggreditur propheta; agit enim de decem tribuum exitio, cauſáſque breuiter principio reddit, cur eò calamitatis redactus ſit populus olim glorioſus & potens. Quòd in *Ephraim* decem tribus intelligantur, nemo neſcit, & cauſa duplex; & quia in Ephraim Regia ſedes erat nempe Samaria; & quia ex ea tribu natus Ieroboam, qui primus Rex fuit Iſrael, poſtquam defecit à domo Dauid; & id egit conflatis ex auro vitulis, ne populus antiquam religionem retineret. Cauſa verò tam diræ ac longæ vaſtitatis in primis fuit ſuperbia: Ideo dicit Iſaias *Væ coronæ ſuperbiæ*, id eſt, ſuperbæ coronæ, ſeu regno, quod præ ſe duas alias tribus nihil eſſe cenſebat. Deinde ebrietas, ſiue hæc propriè ſumatur, ſiue figuratè. Propriè quidem, quia cùm Ephraim vallem haberet pinguiſſimam, de qua ſtatim, ex qua vini copioſus erat prouentus (vnde ab Oſea accommodatè ad loci naturam *Vitis frondoſa* dicitur, *cap.* 10.) poculis ſe intemperantiùs dabat. Metaphoricè verò, quia ſicut ebrius cæcus, & præceps ſine mente in omnem errorem, aut poſt ſuas cupiditates ferebatur. De his infrà ad illud, *Omnes menſæ eorum repletæ ſunt vomitu.*

Ephraim pro decem tribubus.

A B C

2. *Florem* appellat *decidentem*, quia futurum erat vt qui in præſentia florere videbatur, futurúſque diu in ea amœnitate, ac virore, fœdè poſt ab hoſtibus conculcatus marceſceret, ac periret. Vbi nota ſimilitudinis ſubauditur, ac ſi dicas, Quemadmodum flos qui lætus eſt, & pulcher momento temporis exiccatur, ſic Ephraim, &c. Et ſicut pulchritudo tota defluxit, ſic etiam exultationis cauſa ſubtrahetur. Quid enim exultet populus cuius obſcurata, imò obtrita gloria? cui gulæ irritamenta, atque nutrimenta ſublata, cuius nitor, atque ſplendor ſubitò euanuerit?

Hæc quomodo ab Iſaia prædicuntur impleta 3.
ſunt, aut antequam hæc ſcriberentur, quia, vt alibi obſeruauimus, & communiter obſeruant interpretes, non eo ordine à prophetis, qui hiſtoricum non agunt, ſemper res narrantur, quo geſtæ; aut vaticinia ſcripta, quo prædicta fuerunt. Aut, quod mihi veriſimilius eſt, poſt hæc tempora, in quibus hæc videntur fuiſſe ſcripta. Nam licèt magna pars regni Iſraelitici ante hunc temporis articulum direpta fuerit ab Aſſyriis, præcipua tamen pars Iſraelis, in qua Ephraim continebatur, & Samaria, vaſtata eſt & in exiliũ abducta multò pòſt, anno videlicet ſexto regni Ezechiæ, vt habes 4. *Reg. cap.* 18. *verſu* 9.

[b] *Qui erant in vertice vallis pinguiſſimæ.*] Hiero- 4.
nymus quem ſequitur Haymo, Hugo, & Dionyſius,

ſios, *vallem pinguiſſimam* locum eſſe putant, vbi erat Gethſemani, cuius vertex, ſeu caput erat Ieruſalem, quia non aliter eminebat ſupra vallem, quàm vertex ſupra alia corporis membra. Heb. autem pro *vallis pinguiſſima* eſt גיא שמנים *Geſemanim*. Eſt ergo in explicatione Hieronymi iſte ſenſus, Illi qui antè quàm à cognatis aliis duabus tribubus, id eſt, à Dauidica familia receſſerunt, erant in vertice vallis Gethſemani, id eſt, in Ieruſalem, quia eò proficiſcebantur religionis gratia, vel certè à Dauide atque Salomone, ad communem totius Iſraelis cauſam vocati, illi, inquam, ebrietate, nempe metaphorica, & ſpirituali errantes ad idololatriam defluxerunt.

5. Sed quominus ſententiam Hieronymi probem, facit, quia Hebr. non eſt גתשמני *Gethſemani* quod eſt nomen Solymitanę illius vallis, & ſignificat *torcular olei*; ſed גיא שמנים *Geſemanim*, quod valet *vallem pinguedinum*, ſeu *pinguiſſimam*. Scio aliquos velle vallem illam Solymitanam appellandam eſſe non *Gethſemani*, ſed *Geſamenim*, in quibus eſt Pagninus in expoſitionibus nominum Hebraicorum, & Lyra in ſimili tractatu, poſt librum differentiarum; imò & ipſe Hieronymus de nominibus Hebr. in Matthæo; Sed ſanè omnes codices emendati, & in his Sixtiani legunt *Gethſemani*. Quare alij putant *verticem vallis pinguiſſima* eſſe Samariam; ita Adamus, Foreirus, Pintus, Ribera *in cap.* 1. *Michea num.* 35. Eſt enim Samaria ſita in edito colle, quæ ſubiectam ſpectat vallem vineis, oliuetíſque viſendam, & irriguo ſolo vberem. Vide Hadrichomium in Ephraim *num.* 81. Vatablus aliter hunc locum accipit, ita vt *vallis pinguiſſima* ſumatur pro vnguentorum abundantia, quibus madet vertex, id eſt, caput Iſraelitarum, qui luxui, poculíſque dediti diuinum in ſe furorem inflammarunt. Sanè verba Hebraica variis explicationibus patent, ſed iuxta vulgatam tranſlationem, & ſcriptionem illa magis placet, quam ſecundo loco propoſui.

6. [c] *Ecce validus & fortis Dominus, ſicut impetus grandinis, turbo confringens.*] Ex hac ſimilitudine apparet quo ſenſu accipienda ſint illa ſuperiora, eo nempe quo explicuimus de floribus, vino, frugibúſque, quas fundit vallis pinguiſſima, quam ex alto deſpectat vrbs Samaria, tanquam illius excelſus vertex. Nam impetus grandinis, & aquarū vis ingens, & torrens ſternere ſolēt, & populari, quæ ex agris hortíſque capiuntur. Hæc verò calamitas ſeu tempeſtas peruaſura dicitur ſpatioſam terram; quia regnum Iſrael, cuius caput Samaria, magnam terræ promiſſionis partem occupabat. Etiam ſi hic tantum accipias id quod ab aliis Aſſyriorum regibus relictum ſexto Ezechiæ anno populatus eſt Salmanaſſar.

7. [d] *Pedibus conculcabitur corona ſuperbia.*] Vt grando, & turbo flores frugéſque proſternunt, ita vt Ephraim abdomini, ac luxui fomenta non ſuperant, ſic etiam hoſtes aderunt, qui quod in eo populo glorioſum erat, & regiæ ſuperbiæ inſigne, pedibus conculcent, ac fœdent. Optimè verò extrema extremis, & infimis ſumma coniungit. Nam coronam, quæ ſupra altiſſimam corporis partem eminet, & radiat; infimæ, id eſt, pedibus calcandam ſubiecit.

8. [e] *Et erit flos decidens, &c. quaſi temporaneum ante maturitatem autumni, quod cùm aſpexerit videns, ſtatim vt manu tenuerit deuorabit illud.*] Vſu communiter fit, vt quæ valde cupimus, maximè ſi immaturitas cupiditatem acuit, & moratur, eadem vbi ſe primùm oſtendunt, auidè arripiamus. Appetimus autem quæ in fructibus prima ſunt, quia ab illis propter immaturitatem omnis diu abſtinuimus. Quare hæc ferme in prouerbium abierunt, ſumuntúrque pro re maximè deſiderabili, & in hunc ſenſum accipio illud *Mich. cap.* 7. *Pracoquas ficus deſiderauit anima mea*, id eſt, eo ſtudio deſideraui iuſtos, quo præcoquæ ficus deſiderari ſolent. Et *Oſea cap.* 9. *Quaſi vuas in deſerto inueni Iſrael, quaſi prima poma ficulnea vidi patres eorum.* Eſt autem pro *temporaneo* Hebraicè בכורה *bicora*, quod interdum vulgatus vertit *primitiua*, interdum *ficus primi temporis*. Vt *Ierem. cap.* 24. *verſ.* 2. Nonnunquam, *pracoquas ficus*; *& prima poma ficulnea*, vt modò in Michea, & Oſea vidimus, & hoc loco Septuaginta vertunt *pramaturas ficus*. Quanuis autem Hebraica vox plura ſignificet, ea nimirū, quæ primùm fundit arbor, tamen iam vſu exiſtimo accommodatum eſſe primis ficulneæ fructibus, quos *groſſos* appellant Latini; Punico certè vocabulo *abbacoras* dicuntur, abſque dubio ab Hebraica voce בכורה *bicora*, quas Hiſpanè *Breuas* appellamus: quos eſſe ſuauiſſimas in Palæſtina, ex locis nuper adductis coniectare licet. Et fortaſſe *Cant.* 2. vt ſponſus faciliùs in agrum educeret ſponſam, propoſuit ibi eſſe ea, quæ maximè ſolent oblectare palatum. *Ficus, inquit, protulit groſſos ſuos.*

Primum in fructibus maxime expetitum.

Prouerbiū.

Micheæ 7.

Oſeæ cap. 9.

9. Vt ergo iam ad inſtitutum redeamus, ſignificat propheta ea auiditate inuaſuros Aſſyrios Iſraelis terminos, capturóſque prædam, atque ea celeritate direpturos, quæ apud illos in pretio atque in honore ſunt, qua communiter homines in Palæſtina in groſſos inuadunt, vorántque, vbi primùm maturuere, quod, & auidè faciunt, & facilè.

10. [f] *In die illa erit Dominus exercituum corona gloria & ſertum exultationis reſiduo populi ſui.*] Hæc ſpectant ad duas tribus, quibus Aſſyriæ vires nihil attulerunt damni, quo tempore decem tribus ingenti clade ſunt affectæ. Vt autem decem tribubus corona decidit, & flos emarcuit, ſic eodem tempore duarum tribuum corona magis enicuit. Neque id mirandum, quando coronā illam ſuperbiæ vanitas contexuit, & ambitio, hanc verò Dominus; Imò Dominus ipſe futurus eſſe dicitur duarum tribuū corona exultationis, & gloriæ. Hæc verò ſpectant Regnum Ezechiæ, in quo hæc, & quæ ſtatim ſubiiciuntur, abundè floruerūt Nam propter victoriā diuinitus partā de Senacherib, plurimas alias obtinuit Ezechias, vt vidimus ad illud *cap.* 14. *verſ.* 29. *De radice colubri egredietur Regulus*. Vide 4. *Reg. cap.* 18. Deſcribit autem hic Iſaias eo omnia, quæ in optimo principe, & ſtatu reipublicæ optimè conſtituto ſpectari ſolent. *Spiritus iudicij ſedenti ſuper iudicium, & fortitudo reuertentibus de bello ad portam.* Fuit enim fortitudo, non pauor, aut languor in militibus, vt auderent ardua, & vigor ille animi, ac corporis, vt cùm à bello redirent poſt longam contentionem, vegeto tamen corpore & integris viribus reuertebantur ad portam, vnde ad bella prodierant. Fuit iudicium, æquitas & prudentia in Rege ad continendum in officio populum; nihil denique abfuit, quod in felice, atque præclarè inſtituta republica deſiderari poſſit.

11. [h] *Verùm hi quoque pra vino neſcierunt & pra ebrietate errauerunt.*] Non diu permanſit in ciuitate iudicium, atque religio; atque adeò neque corona, de qua modò. Quia quemadmodum decem tribus antea, ſic iſtæ duæ poſtea errauerunt à vino,

vino, id eſt, abierunt Gentium ritu ad Idolorum inſaniam. Quare poſtea paſſæ ſunt eadem, quæ tribus aliæ pertulerunt incommoda. Deſcribit autem illius temporis ſtatum infelicem, vbi ſacerdos, & propheta æquè, ac vulgus imperitum, ac leue, dum ſuo genio intemperanter indulgent, poculíſque frequentibus vacant, ab alia ebrietate ſpirituali abſorpti ſunt.

12. i *Omnes enim menſæ repletæ ſunt vomitu, ſordiúmque, ita vt non eſſet vltra locus.*] Mirè explicat intemperantem illorum hominum voluptatem, qui barbarorum gentium morem ſecuti, tantum non in poculis, & eſcis ſummam felicitatem poſuerunt, quibúſque non modò indecorum non erat ingurgitare ſe cibis, ac vino, ſed in lautioribus conuiuiis erat penè legitimum. Quare voces *vomere*, & *vomitus* in re conuiuiali frequentes. Immò vt alicubi legiſſe me memini, &, vt audio, noſtra etiam ætate aliquibus nationibus familiare eſt vt inter fercula vaſa quædam vomitoria apponantur, quò lurcones illi leuato per vomitionem ſtomacho rurſus integri inſtaurent epulas. Sanè Plutarchus *lib. de præceptis ſalubribus non longè à fine* id vſitatum eſſe indicat. *Vulgus*, inquit, *hominum qui vacationis gratia, implent corpus, & vice verſa explendi gratia innita natura euacuant, ingluuie non minus, quam inanitate torquentur. Immo verò tanquam deliciarum vinculo grauantur ingluuie, inanitatem ſemper, vt locum voluptatibus machinantur.* Quòd ſi menſæ vomitu, ſordibúſque repletæ ſunt, quid quæſo fœdius? quid quod magis horreat vrbana mundities? cui non mouerent nauſeam eſculenta fruſta vinum redolentia? neque id ſolùm faciebant homines vulgò aſoti, & intemperantes, quibus pudoris aut modeſtiæ nulla, aut certè leuis eſt cura, de quibus Cicero *lib. 2. de finibus. Nolim mihi fingere aſotos, vt ſoletis, qui in menſam vomant.* Et *Philip. 2. Ab hora tertia bibebatur, ludebatur, vomebatur.* Sed etiam viri nobiliſſimi. Ex quo intelligi poteſt, quàm fuerit profuſa ignobilis plebeculæ, in illud genus intemperantia, quam nuper indicabat Plutarchus. Dixit hoc de Iulio Cæſare Cicero *in oratione pro Deiotaro.* Et idem de Balbo *lib. 13. Epiſt. ad Atticum, Epiſt. 50.* De Caio Caligula Philo *de legatione ad Caium, parum à principio. Pleno*, inquit, *ventre non ſatiabatur concupiſcentia, accedebant eo balnea parum tempeſtiua, inde vomitus, rurſuſque compotationes.* Idem de Vitellio Suetonius *in eius vita*, & Dio Caſſius, qui frequenter vomitione leuato ſtomacho, multis dapibus vnus ſufficiebat. Quæ morum atque epularum intemperantia videtur quoque irrupiſſe in Iudæorum menſas, vt docet hic locus non obſcurè, & alia non pauca, quæ vomitum cum epulis ſæpe coniungunt. Neque tamen improbo, ſiquis putet, quia copioſas epulas ſequi ſolet vomitus, *vomitum* pro ingluuie ſumi, & nimia ciborum intemperantia.

In menſis nõ ſolum intemperantes comedunt, ſed etiam vomunt.

13. Mirantur ſanè hæc, & meritò in barbaris, qui nati potiùs videntur abdomini ſuo, quam vt altiora ſpectent, & meliora meditentur, ſed idem reprehendit propheta in populo Dei diuinis præceptis ad temperantiam, & pietatem, immò ad ſiliorum munditiem, & elegantiam exculto. Perfecit tamen praua conſuetudo, vt à parentum moderatione, ac parſimonia ad barbarorum Gentium ingluuiem, vomitúmque degenerarent. Hinc verò ortum eſt vt mentes habuerint vſque adeò hebetes, ac ſtolidas, vt vera Dei iudicia non intellexerint, declinarintque ad id, quod ebrietati proximum eſt: nempe deorum cultum, qui immoderatum illatum menſarum luxum adeò non auerſantur, vt etiam commendent.

14 Porrò pro *vomitu ſordiúmque* Heb. eſt קיא צאה *ketſoá.* quod Aquila teſte Hieronymo, tranſtulit *vomitum ſordium.* Symmachus ſimpliciter *vomitum.* Certè in Hebraico textu nulla particula eſt, quæ reſpondeat coniunctioni *que.* Illud, *vt non eſſet poſtea locus*, aut ſignificat nullum eſſe locum, vbi non eſſent eiuſmodi conuiuia, & vomitus: aut certè ita eſſe plenum, & oneratum ſtomachum, vt nullus ſit in eo locus, quem epulæ illæ immoderatæ non inferciant; aut eò eſſe progreſſam Iudæorum ingluuiem, vt nullus ſit locus quo procedere poſſit vlteriùs. Intelligi hæc poſſunt non tãtùm de ebrietate ac vomitu propriè, ſed etiã de idololatria, figuratè, inquam, eſſe profuſum intemperãtiſſimè populum illũ explicat aptiſſimè ebrietatis, & vomitus metaphora. Et facit hũc, quòd qui animum ad inanium deorum cultum traducebant, in lucis, ac montibus ſceleratas, & execrabiles obibant menſas, replebantque impuro atque obſcœno vomitu. Quare Deus *Ezechielis cap. 18. verſ. 6.* illi vitam promittit, *qui in montibus non comederit, & oculos ſuos non leuauerit ad idola domus Iſrael.*

15. k *Quem docebit ſcientiam, & quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, auulſos ab vberibus.*] Hunc locum Hieronymus ſic accepit, vt tantum putet capaces eſſe cæleſtis diſciplinæ eos, qui ſolido nutriuntur cibo, & ab vberibus depulſi ſunt; quem ſequuntur S. Thomas, Haymo, Dionyſius, & Hugo. Dicuntur autem *ablactati, & ab vberibus auulſi*, ad quos Deus vtiliter loquitur, qui ab infantilibus ſtudiis auocati, à blandioribus deliciis & terrenis voluptatibus animum abdicarunt. Cùm autem tam ſacerdotes, quàm prophetæ ad hæc infantilia inhient, ebriíque ſint infidelitatis vino, & ſæcularium voluptatum ſtudio capti, ſic denique in cæleſtem inſtitutionem affecti, vt nihil apud ipſos ponderis habitura ſit diuina monitio, ideo ad cæleſtem diſciplinam indociles eſſe ſignificat. In quem ſenſum communiter viri ſpirituales hunc locum accipiunt. Ad quam ſententiam facit illud Pauli *ad Hebræos 5.* qui videtur huc reſpexiſſe, *Omnis enim, qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonis iuſtitiæ, paruulus enim eſt.*

Quis cæleſtis diſciplinæ capax.

16. Alij ſecus exponunt exiſtimántque illos qui pro ætatis progreſſu, vitæque inſtituto magiſtri eſſe debuerant, vt pote ſacerdotes, & prophetæ, ignoratione tamen, atque conſiliis eſſe infra annos, & ſenſus infantiles. ac ſi dicat propheta. Ecquis erit iam qui non otiosè & vanè ſermones meos excipiat, quando hi, qui magiſtri exiſtimantur in populo perinde ſunt, atque ſi modò à maternis vberibus eſſent auulſi. Ita Vatablus, & Forerius. Neque diſplicet Adamo, qui idem ſentire dicit Hebræorum magiſtros. Quam ſententiam, vt notauit Forerius meo iudicio perſpicuè tradit Paulus 1. *Corin. 14. verſ. 21. Fratres nolite pueri effici ſenſibus, ſed malitia paruuli eſtote, ſenſibus autem perfecti eſtote. In lege ſcriptum eſt quoniam in aliis linguis, & labiis loquar populo huic, & nec ſic exaudient me.* Quæ poſteriora verba cùm expreſſa ſint hoc ipſo loco apud Iſaiam; ſequitur in prioribus Paulum ad eũdem locum alluſiſſe. Sunt autem in hac explicatione duo notanda, alterum, poſteriorem partem enuntiandam eſſe cum interrogatione. *Quem docebit ſcientiam?* &c. *ablactatos à lacte? auulſos ab vberibus?* Alterum, hic ſubaudiri ſimilitudinis notam in hanc ſenten

1. Cor. 14

ſententiam, *eos, qui ſunt ſicut ablactati à lacte.* In quam ego ſententiam magis inclino propter Paulum, etſi priorem tot Patrum auctoritas munierit. Addo ad extremum hoc idem docuiſſe Paulum

Ad Hebr. 5. intentum credo in hunc locum *ad Hebraos 5. Imbecilles facti eſtis ad audiendum. Etenim cùm deberetis magiſtri eſſe propter tempus, rurſus indigetis, vt vos doceamini, quæ ſint elementa exordij ſermonum Dei. Et facti eſtis quibus lacte opus ſit, non ſolido cibo. Omnis enim, qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonis iuſtitiæ, paruulus enim eſt.*

17. [l] *Quia manda, remanda, expecta, reexpecta, modicum ibi, modicum ibi.*] Qui poſteriorem expoſitionem amplexi ſunt, putant in his verbis aliquid eſſe quod cantari ſolemni, atque vulgari modulo ſolitum eſſet à pueris, aut quod ad puerilem inſtitutionem adhiberi conſueuiſſent magiſtri. Et quidem ſi Hebraici ſermonis ordinem, & iuncturam obſerues, apparet canticum eſſe, neque parum ad poëticos numeros, aut melicos ſonos concinnatum: tunc autem ad verbum ſic reddunt. *Præceptum poſt præceptum, præceptum poſt præceptum lineam poſt lineam, lineam poſt lineam. modicum ibi, modicum ibi.* Quaſi pueris ipſis dum adhuc ſunt in ipſis incunabulis, puerilis diſciplinæ cantare mos ſit; dum hodie præceptum vnum docili ingenio audiunt, & rurſus alterum cras: & dum hodie ſcribendo aut pingendo lineam vnam ducunt, & cras adiiciunt alteram, dum hodie modicum, & cras item modicum in arte proficiunt, euaſuros in viros magnos, & præclaros artifices. Quod etiam nunc ex Heſiodo tritum eſt apud omnes. *Parue adde paruum, & fiet magnum.* Seu certè vt Dominus apud homines ætate grandes, morum autem leuitate, atque in ſapientia inſita pueros balbutiendo occinat: *manda remanda*, &c. Indicans illos ad priorem diſciplinam indociles eſſe, idque *in loquela labij atque in lingua altera* quaſi Deus ſubſannando blæſo ſermone, & infantiliter balbutienti illis obiiciat per mimeſim infantiles ineptias. Neque credo ſine cauſa dixit, *in loquela labij*, quia literæ labiorum pueris maximè familiares ſunt, quia facilius ab illis exprimuntur. nempe B. M. P. quare illi *papum* patrem, *mamum* matrem, *bubam* aquam appellant; quæ literæ compreſſis labiis formantur, & iure optimo infantiles vocari poſſent.

18. Communis tamen ſententia cum Hieronymo mimeſim agnoſcit hîc, alio tamen ſenſu; non quidem vt oſtendat Deus infantile Iudæorum ingenium, & cæleſtis indocile diſciplinæ, ſed vt reddat cauſam cur illi doceri non debeant. Quia nimirum cum ſibilo excipiunt, & riſu prophetarum oracula. Mimeſis verò in eo eſt, quia Deus repetit eo prorſus modo, ac ſono vocis id, quod væſanus populus occinere ſit ſolitus prophetarum oraculis. Erat frequens in prophetarum ore verbum צוה *tſauah*, quod *mãdare*, ſeu *præcipere* eſt, vt *hæc mandat ſeu præcipit Dominus*. & verbum קוה *kauah*, quod *expectare*: & vox *modicum*. De *expecto*, & *mando*, ſatis multa ſunt exempla, à quibus commemorandis abſtineo. De *modicum*, minùs ſæpe, non tamen rarò. *Iſaiæ* 10. *Adhuc enim paululum, modicùmque, & conſummabitur indignatio. Oſeæ* 1. *Adhuc modicum: & viſitabo ſanguinem Iezrael. Aggæi* 2. *Adhuc vnum modicum; & ego commouebo cœlum, & terram.* Cùm ergo prophetæ à Domino hæc inſipienti populo ſæpius inculcarent, ipſi irriſoriè, & cum faſtidio propheticas voces imitati dicebant, *manda, remanda*, ac ſi dicerent. Quid nos importunis, atque mo-

A leſtis ſermonibus obruitis? Hæc ergo eadem verba item per mimeſim, rurſus repetit Deus, neque irriſoriè minùs, neque cum faſtidio minori, de quorum ſenſu poſtea.

19. [m] *In loquela enim labij, & in lingua altera loquetur ad populum iſtum.*] Hieronymus per *loquelam labij* intelligere videtur, non iam benignam admonitionem ad futura ſed præſens infortunium. Hæc verò *altera lingua* eſt ab ea quam Deus habuit familiarem. Ac ſi dicat, aget iam vobiſcum Dominus, non vt cum rationali natura amica exhortatione, aut rationibus ad perſuadendum idoneis, ſed ſtimulis, & plagis, quibus bruta corrigi, aut exagitari ſolent. Mittet enim ad vos non prophetas, qui di-B uina perferant mandata, ſed Chaldæos, qui ferro, exilióque conficiant. Ita penè Hieronymus, quem alij ſequuntur. Et iuxta hanc expoſitionem videtur in priori parte repetendum *altera*, in hunc modum. *In loquela enim altera labij, & lingua altera loquetur.* Quod planè docuit Paulus 1. *Corint.* 14 *verſ.* 21. Vbi citans hunc Iſaiæ locum ait. *Quoniam in aliis linguis, & labiis aliis loquar populo huic.* Neque verba Pauli quæ proximè anteceſſerant, huic explicationi quicquam faceſſunt negotij: etiamſi demus ad hoc Iſaiæ teſtimonium reſpexiſſe. Nam admonet Corinthios ne paruuli ſint ſenſibus, ne experiantur, quod ab Iſaia dictum eſt, & quod in *altera lingua* ſignificatum. In hunc ſenſum explicari poſſe videC tur illud Pauli *ad Galat.* 4. qui poſtquam de Galatis grauiter conqueſtus eſt ait. *Vellem autem eſſe apud vos modò, & mutare vocem meam, quoniam confundor in vobis. Mutare vocem* eſt ſeueriùs agere cum ipſis, neque iam appellare filios, quia in illis confunditur, ſicut nobilis pater in degenere filio. Sic autem faſcinati Galatæ degenerarant à Chriſto, vt iterum eſſent parturiendi à Paulo, & Chriſtus iterum formandus. Ita Claudius Altiſiodorenſis, & eodem penè modo S. Thomas & Primaſius. Quod ergo Iſaias explicuit per *alteram linguam*, id Paulus ſignificauit per *vocis mutationem*.

Graue expectat ſupplicium eos, qui verba Dei contemnunt.

Ad Galat. 4.

20. S. Thomas in *loquela labij* obſcurum ſermonem intelligit: quia qui in loquendo nihil præter labia mouent, neque ad formandas voces linguam, pala-D tum, aut alia ad fingendas voces inſtrumenta adhibent, intelligi plerumque non ſolent: quia illi non tam exprimunt, quàm opprimunt, & obſcurant ſonos. Quæ ſententia mihi difficilis non eſt, quia, vt ſuprà diximus, verba, aut potiùs literæ labiorum infantiles ſunt, blæſóque ac balbutienti ore ab illis proferuntur. Et quidem hoc eſſe ab Iſaia *cap.* 6. prædictum docet Chriſtus *Matthæi* 13. *verſ.* 13. *Ideo in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, & audientes non audiunt, nec intelligunt: vt adimpleatur in eis prophetia Iſaiæ, Auditu audietis, & non intelligetis*, &c. *Parabola* autem, id eſt, forma loquendi obſcurior *loquela labij* vocari poteſt.

Obſcurè loquetur Deus eis, qui priùs eius verba audire noluerũt.

21. Septuaginta pro *in loquela labij* tranſferunt, *irriſoriè*. Et ſanè vox Hebr. לעג *lahhag*, in Scriptura E plerumque *irridere* ſignificat. Neque hæc lectio contraria eſt vulgatæ tranſlationi; ſed illam explicat, & attollit magis. Non enim ab illa mimeſi, de qua ſuprà, abeſſe poteſt irriſio. Nam ſicut ad eos, qui verè infantes ætate ſunt, mimeſis illa molliſſimæ cuiuſdam beneuolentiæ argumentum eſt, quare teneris filiis, dum blandiuntur patres, blæſa atque infantili lingua balbutiunt; ſic dum eo ſermonis genere aliquis ad ætate grandes, ingenio verò, & moribus infantes agit, planè irridet, & vile aliquid, & futile eſſe, demonſtrat.

22. Misericordia à Deo maximè cõmendata. ⁿ *Cui dixi, hæc eſt requies mea, reficite laſſum, & hæc eſt meum refrigerium, & noluerunt audire.*] Oſtendit propheta quænam ſit loquela illa prior, cui longè diſſimilis futura eſt loquela altera, qua deinceps vſurum ſe Dominus minatur in populum contumacem. Significarat enim Dominus ſæpe, id ſibi futurum eſſe gratum, ſi pauperum, & miſerorum cura cuilibet eſſet præcipua, vt ex Iſaia *cap.* 1. didicimus. Quod vſque adeò prophetis erat familiare, vt ferme iam in prouerbiũ abierit: vt indicat Zacharias *cap.* 7. *Numquid non ſunt verba, quæ locutus eſt Dominus in manu prophetarum priorum*, &c. *miſericordias & miſerationes facite vnuſquiſque cum fratre ſuo.* Et deinde oſtendit quid ſupplicij inflixerit illius legis tranſgreſſoribus, id nimirum, quod in *lingua altera* ſuprà cum Hieronymo ſignificari diximus, quod mox indicat.

23. ° *Et erit eis verbum Domini, Manda remanda*, &c.] Hæc *altera lingua*, & quaſi aliena à Domino, cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere. A quo quid alienius quàm irridendo exagitare, atque vrere; aut puniendo conficere? Porrò hæc materialiter ſumuntur pro *irriſione, & ſanna*: quia his verbis populus væſanus irridebat, ſubſannabatque prophetis, cùm ad ipſum Domini mandata perferrent. Deinde Hebræorum more nota ſimilitudinis ſubaudienda eſt, in hunc modum. Sicut vos ad prophetarum verba ridendo dicebaris *manda remanda*, &c. Sic Dominus, irridebit, contemnétque. Ponitur autem per Synecdochen hoc genus irriſionis pro quacumque irriſione amara, atque offenſionis

24. plena. Huiuſmodi irriſionis, cui admixta indignatio eſt, atque exprobratio, & negatio pariter eorum, quæ petuntur cum amara repetitione illorum, quæ cum moleſtia audiuimus, aut iniuria; exempla ſunt apud profanos plurima, & nos vulgò quotidie paſſim audimus. Sufficiat nunc vnum Virgil. *lib.* 11. *Æneid.* apud quem Turnus cum offenſione repetit quod à Drance dictum fuerat.

Nulla ſalus bello.

Quid verò ſibi velit illa dictorum repetitio ſtatim indicatur.

25. ᵖ *Vt vadant, & cadant retrorſum.*] Hoc ſupplicium eſt eorum, qui non inurbanè ſolùm, ſed etiã impudenter ſuggillabant, & cum cachinno excipiebant propheticas minas, nempe, *vt cadant, & illaqueentur*, &c. Vide quantum interſit inter humana atque diuina ſcommata, ſiue conuitia. Nam à conuitiis hominum nihil prophetis, in quos iactabantur, accidit aduerſi; à Dei verò maledictione id nacti ſunt homines, *vt cadant, & illaqueentur*, &c.

Valde timẽda diuina irriſio. Quare vehementer horrere debent pij, atque prudentes animi ad illa quibus diuina reſpondet irriſio, vt illi, qui contra Chriſtum fremuerunt, de quibus *Pſal.* 2. *Qui habitat in cælis irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos.* Sed dura illis atque horribilis imminet ſubſannatio, qui ſurdas præbent aures, & induratos animos ad diuinas voces, contra quos *Prouerb.* 1. *verſ.* 24. *Quia vocaui, & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret*, &c. *Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo.* Iiſdem penè verbis vtitur Iſaias, quibus nunc in eadem offenſione contra duas tribus, ſuprà *cap.* 8. *verſ.* 15. *Et offendent ex eis plurimi, & cadent*, &c.

26. Caſus retrorsũ grauis. Illud verò *retrorſum*, non ſine cauſa additum eſt. Communiter in eiuſmodi caſu aliquid putatus eſſe deterius. Nam qui in faciem cecidit, videt, at qui retrorſum, neque locum videt, neque ſe erigit facilè. Eo modo cecidit Heli 1. *Reg. cap.* 4. *verſ.* 18. *Cecidit de ſella retrorſum, & fractis ceruicibus mortuus eſt.* Vide quàm fuerit grauis caſus iſte. Sic ceciderunt Iudæi *Ioan.* 18. Cauſa verò cur caſus iſte grauis ſit, oſtenditur *Prouerb.* 4. *Via impiorum tenebroſa, neſciunt vbi corruant.* At viri iuſti in faciem cadunt, vt Moyſes *Num.* 16. Ezechiel *cap.* 2. Diſcipuli tres in Chriſti transfiguratione *Matthæi* 17. Qui corporis habitus adorantis eſt potiùs, & vltro cadentis, quàm eius, qui inuitus ſternitur alieno pulſu.

Ego quidem hæc pro moribus ſatis exiſtimo dicta eſſe opportunè; ſed alias ob cauſas arbitror caſum iſtum retrorſum grauem, & ignominioſum putari. In luctatoribus conſtat victum retrorſum cadere, quia cadit conſertis cum victore manibus: & ſi aliquem vi, ac pulſu aliter cadere contingat, id maximè agunt aduerſarij, vt ipſum reſupinent, quia ſupini manibus, ac genibus niti, vt reſurgant, nequeunt. Quare dum caſum retrorſum minatur Deus, illud procul dubio minatur, vincendos eſſe ab aduerſariis in pugna, ſicut ab antagoniſtis ſterni ſolent palæſtritæ. Seu certè caſus retrorſum ideo grauis eſt, vt modò dicebamus, quia (vt in multis, iiſdémque fortiſſimis animantibus ſpectare licet) qui eo modo cadunt, ægrè admodum ſurgunt. Si taurus reſupinus cadat, etiam dum maximè furit, ſic hæret immotus, vt ioſantibus ioco, atque ludibrio ſit. De equis, & mulis id maximè timent ruſtici, præſertim ſi locus ſit depreſſus, & vtrinque ſit aliquid vel molliter accliue. Tunc enim cùm ſe commouere non poſſint, aut inedia pereunt, aut lupis prædæ ſunt. Et equi, qui eo modo ceciderunt vulgo Hiſpanorum dicuntur *aſobinados.* 27.

ᵠ *Propter hoc audite verbum Domini viri illuſores, qui dominamini ſuper populum meum*, &c.] *Illuſores* vocantur illi quibus probro fuiſſe dicuntur prophetarum oracula: quia iam falſa quadam religione, ſeu errore potiùs animum occupatum habebant. 28.

ʳ *Dixiſtis enim, Percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum.*] Veriſimile hinc apparet quo tempore irriſoria mimeſi prophetarum oracula irridebant illuſores iſti, cauſam addidiſſe cur illorum minæ formidandæ non eſſent: dicebant enim, aliis ſe iam legibus, alia religione duci, iniiſſe videlicet fœdus cum morte, & cum inferno, ex lege conueniſſe, vt nihil ab illa timendum ſit periculi. Quare quæ de inferno, ſe morte quotidie ſonant propheticæ minæ, ſibi iam non eſſe terrori, neque curæ. Quia de idololatria hîc ſermo eſt, vt conſtabit illico magis, mihi videtur non improbabile, ſi exiſtimemus hinc aliquid redolere ſuperſtitionis gentilicæ; Sicut gentes *mortem*, id eſt, *Atropon* aut *fatum*; & *infernum* nempe *Plutonem* aut *ᾅδην*, in diis numerabant, ſic gentilicum ritum imitati illuſores hi, eoſdem etiam tanquam Deos venerabantur, in eum errorem, & væſaniam inducti, vt ſibi perſuaſerint neque ab inferno, neque à morte quicquam ſibi eſſe metuendum. Niſi mauis, quod magis reor, duobus his modis rem eamdem ſignificari. Eſt enim frequens vt *infernus* pro ſepultura, & morte adhibeatur, & vt res aut obſeruatione digna, aut maximè certa aliis, atque aliis modis ſignificetur. 29. Peccatoris obſtinata audacia.

ſ *Flagellum inundans cum tranſierit, non veniet ſuper nos, quia poſuimus mendacium ſpem noſtram.*] In ſumma ærumnarum inundatione, & copia, etiam ſi alia omnia malorum tempeſtas, ſiue abyſſus abſorbeat, nunquam tamen nos, aut noſtra contin- 30.

get;

get; quia à mendacio nos, noſtráque dependent. *Mendacium* in Scriptura aliquando pro *idolis* vſurpatur, vt docet Hieronymus in illud *Oſeæ cap. 7. verſ. 1. Quia operati ſunt mendacium.* Et indicat Haymo dum in *mendacio, diabolum* intelligit. Non eſt veriſimile illuſores illos quantumuis eſſent inſipientes, qui dominabantur in Ieruſalem, dixiſſe ideo ſe non timere, quia in mendacio, id eſt, in re vana ſpem locauerunt ſuam. Quis enim ſibi à re vana, ac mendaci, ſecuritatem, atque otium promittat? Sed quia reuera mendacium erat, & vanitas, idolum, quod ſuis cultoribus nimis inſolentes, ac ſecuros ſpiritus afferebat, ideo propheta dicit, ſpem eſſe poſitam in eo, quod ipſi, ſi ſaperent, mendacium vocare debuiſſent. Sed quia hæc non videntur prophetæ verba, ſed illuſorum à propheta per mimeſim repetita, ideo paulò videtur durior hæc explicatio. Quare magis conſequenti filo, videtur explicari poſſe; ſi hæc verba ita illuſoribus tribuamus, vt ipſi etiam vſurpent verbum, quod de idolis ſæpe à prophetis ſoliti eſſent audire, nempe idola nihil eſſe niſi vanitatem & mendacium, in hanc ſententiam. *Poſuimus ſpem noſtram in eo, quod vos mendacium appellatis.* Aut fortaſſe nomen mendacij adiunctum idolis non malè audiebat apud Gentiles: quia ſubiectum, de quo dicebatur, vocem illam alioqui turpem honeſtam reddebat. Talia ſunt plurima nomina, apud omnes Gentes, quæ cùm turpe aliquid ea prima inſtitutione ſignificent, honeſtiſſima iam ſunt, neque quicquam olent indecori quibuſdam familiis accommodata. Nihil audiunt turpe, vel ignobile apud Romanos *Bruti, Porcij, Aſinij*, cùm tamen nomina vnde appellationem illam traxere, aliquid ſignificent indecorum. Sicut contra honeſtæ quædam voces apud fideles malè audiunt, quia à gentilibus idolis accommodatæ ſunt. Quales ſunt *dæmones, dæmonia*, quæ ea ſua inſtitutione aliquid ſonant honeſtum, & felix. Idem dicendum de voce *hoſtis*, & *Tyrannis*, qui nunc malè audiunt, cum olim *principes* & *peregrinos* ſignificarent, propter eos qui eo nomine & munere abuſi ſunt.

Regula. Multa nomina honeſta, ratione ſubiecti, turpia; & contrà multa turpia honeſta redduntur.

31. Hæc de idolis ſatis mihi videntur dici poſſe veriſimiliter, ſed fortaſſe hoc loco *mendacium* ſumitur pro pſeudoprophetarum nugis, qui omnia feliciſſima promittebant populo nimiùm credulo. Quorum perſuaſione deluſi nihil ab hoſtibus, nihil à terræ, nihil à cœli minis timendum ſibi blandiebantur, quæ cùm veri prophetæ mendacium eſſe proclamarent, ipſi tamen illuſores in illo mendacio, quod non mendacium, ſed oraculum eſſe ſtatuebant, confidere ſe profitebantur.

32. [t] *Idcirco hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem.*] Hinc iam aſſurgit propheta ad altiſſimum de Chriſto vaticinium; & vbi reliqua omnia oſtendit eſſe mendacij atque inanitatis plena, docet in quo vno eſſe poſſit ſpei noſtræ ſtabile fundamentum. Idcirco, inquit, quia vos, ô illuſores, errore ſeducti ſperatis in eo, quod vobis futurum eſt fraudi, atque ruinæ, accipite iam in quo ſpes veſtra ſine vllo mendacio, atque periculo niti poſſit. Eſt autem vſitatum tum in aliis ſæpe, tum in hoc propheta maximè, vt ad Chriſtum, Euangeliique tempus ab eius figura, ſeu ab eo, quod eius memoriam excitat, gradum faciant; deinde ſe ad inſtitutam narrationem, ſeu propheriam referant. Excitauit autem veri, atque ſtabilis fundamenti memoriam, firmamentum illud falſa, in quo illuſores Iudæi ſpem ſalutis col-

A locauerunt, quod *mendacium* appellatur. Hæc verò prophetia de Chriſto claritatis gratia includenda eſt parentheſi: quia poſt illam ſtatim ſuperior contexitur narratio.

Hic notandum Dei mitiſſimum ingenium, qui cum prouocatus eſſet ad iracundiam ab ingrato, atque impudenti populo, qui mendacium, & nugas diuinis oraculis prætuliſſet; tamen illud beneficium pollicetur, quo neque mente concipi poteſt vllum illuſtrius. Quod etiã obſeruauimus ad illud *cap. 1. Lauamini, mundi eſtote.* & ad illud *cap. 7. Propterea dabit Dominus ipſe vobis ſignum.* Facit hûc illud *Oſeæ cap. 2.* Vbi cùm Dominus dixiſſet. *Ibat*
B *poſt amatores ſuos & mei obliuiſcebatur.* ſubdit, *Propter hoc ego lactab. eam, & ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius.* Eſt enim optimi medici, vbi morbum videt magis ingraueſcere, eò accurrere ocyùs, eò incumbere, ibi aſſidere vigilantiùs. 33.

Poſt minas Deus ad ſpẽ vocat.

[u] *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem.*] 34.
Hæc prophetia de Chriſto ſub hac prouerbiali forma primùm à Dauide poſita eſt *Pſal.* 117. nunc paulò explicatiùs ab Iſaia: poſtea repetita à Chriſto *Matthæi* 21. & à Petro *Actor. 4. & Epiſtol. 1. cap.* 2. & à Paulo *ad Rom.* 9. Expoſitionem adduximus in Actis. Hic nihil addendum occurrit præterquam quòd *fundamentum* dicitur eſſe *Sion*: vel quia, vt ſæpe diximus, & apud Zachariam pluribus, *Sion* typus eſt Eccleſiæ, cuius fundamentum eſt Chri-
C ſtus, vel quia ad *Sionæos*, id eſt, ciues Ieruſalem loquebatur, qui ſpei ſuæ fundamentum in mendacio locauerunt. Deinde pro eo quod vulgatus tranſtulit, *in fundamento fundatum*, Hebr. eſt מוסד מוסד *muſad, muſad.* id eſt, *fundatum, fundatum*: In qua repetitione mira eſt epitaſis, qua ſignificatur firmiſſimum fundamentum, quod vi nulla conuelli, aut labefactari poſſit.

Illud item obſeruandũ ad extremum vbi vulgatus legit *angularem pretioſum in fundamento.* in Hebr. eſſe פנת יקרת מוסד *Pinath, ikrath, muſad*, ita vt duæ priores voces ſint in ſtatu regiminis. Ex quo elucet ſenſus illuſtris, quo oſtenditur totam pulchritudinem fundamenti fundatam eſſe in eo fundamentali, & angulari lapide. Ad verbum
D ſic reddo. *Angulum pretioſitatis fundamenti.*

Quia locus iſte illuſtris variè redditur, aliquod puto eſſe operæpretium, ſi eius diſcriminis ratio tradatur. Paulus *ad Rom.* 9. *Ecce pono in Sion lapidem offenſionis, & petram ſcandali.* Eodem modo Petrus *epiſtol. 1. cap.* 2. Quod quomodo ex hoc Iſaiæ loco ſumi poſſit, non video. Communiter exiſtimatur hoc teſtimonium à Petro, & Paulo ex duobus Iſaiæ locis fuiſſe conflatum; *ex cap.* 28. in quo nunc ſumus; vbi de lapide angulari agitur: & *ex cap.* 8. vbi de Domino exercituum dicitur. *Erit vobis in ſanctificationem, in lapidem autem offenſionis, & petram ſcandali duabus domibus Iſrael.* Neque id diſplicet. Vt enim ad illud Zachariæ *cap. 9. Exulta ſatis filia Sion*, & *cap. 11. num.* 34. diximus, non ſolum
E è duobus locis vnius auctoris, ſed etiam diuerſorum teſtimonium vnum componi ſolet. Sed mihi valde videtur probabile, vtrumque Apoſtolum reſpexiſſe non tam ad Iſaiæ locum immediatè ac proximè, quàm ad Chriſti teſtimoniũ, qui poſtquam *Matth. cap.* 21. adduxit Iſaiæ verba ex hoc *cap.* 28. addidit, *Et qui ceciderit ſuper lapidem iſtum confringetur, ſuper quem verò ceciderit, conteret eum.* Quod nihil aliud eſt quàm eſſe *lapidem offenſionis, & petram ſcandali.* Ad quam cogitationem facit tum quia *in c. 8.* non videtur ſermo eſſe de Chriſto,

35. Ad Rom. 9. 1. Petri ca. 2.

cc 2 quia

quia *Dominus exercituum* appellatur; tum quia cùm Petrus *Actor* 4. cum Iudæis ageret, non addidit poſteriora verba, quia cum ex eo Iſaiæ loco non eſſent, neque de Meſſia tradita exiſtimarent, non facilè tunc Iudæi, qui nondum Euangelio crediderant, admitterent. Sed cùm idem *Epiſtola* 1. cum fidelibus ageret, apud quos Euangelica oracula inconcuſſæ fidei pondus obtinerent, ex Euangelio teſtimonium exprompſit, ſicut etiam fecit Paulus, cùm ad Romanos ſcripſit. Veruntamen prior explicatio non diſplicet, & fortaſſe Chriſtus *Matthæi* 21. ad illa duo Iſaiæ teſtimonia reſpexit.

36. x *Qui crediderit non feſtinet.*] Aliter hunc locum vertunt Septuaginta, quos Petrus, & Paulus ſecuti ſunt; qui in duobus videntur à noſtro vulgato diſſidere. Nam illi futuro vſi ſunt, & non in eadem ſignificatione; Legunt enim pro *non feſtinet*, quod eſt in vulgato, *non confundetur*. Sed facilè vulgari tranſlatio cum altera conciliari poteſt. Quòd in altera tranſlatione imperatiuus ſit *feſtinet*, in altera futurum *confundetur*, nihil diuerſum video, cùm in ſcriptura paſſim imperatiuus pro futuro, & futurum contrà pro imperatiuo adhiberi ſoleat. Neque præterea ſignificatio diuerſa eſt, niſi quod Septuaginta, & duo Apoſtolorum principes propriè; vulgatus autem figuratè locutus eſt. Eſt autem frequens in ſcriptura, vt actiones, quæ ſigna ſunt affectionum animi, pro ipſis affectionibus adhibeantur; vt *percutere femur*, *tollere*, *complodere*, aut *conſerere manus*, aliquid indicant quaſi naturali ſigno latens in animo. Cùm ergo confuſionem, atque ruborem ſequatur fuga; qui enim pudefiunt, neque ſuſtinere poſſunt, neque ſubire audent aliorum oculos, quare quàm poſſunt ocyſſimè feſtinant ſubducere ſe ab hominum conſpectu. Hinc fit, vt *feſtinatio* pro *pudore* ſumatur. Hoc loquendi genus ſicut alia pleraque ſuſcepit Hiſpanus: pudefactum enim vocat *corrido*: & pudefieri, aut erubeſcere, *correrſe*.

Regula. Actio, quæ ſignum eſt alicuius affectus, pro affectu ponitur.

37. Sed eſt in vulgati tranſlatione aliquid obſeruatu non indignum. Illuſores illi, de quibus nuper, cùm Dei mandata differri animaduerterent, vana exiſtimabant, atque ideo, quæ à prophetis ſpectari iubebantur, libero atque procaci conuitio in prophetas retorquebant, repetebántque aſſiduè, *manda remanda, expecta, modicum ibi*. quaſi dicerent: Expectatum eſſe modicum, neque tamen vaticinium eſſe completum. Ait ergo Deus, *Qui crediderit non feſtinet*. Id eſt, non exiſtimet inane futurum eſſe vaticinium, ſi non ſtatim illud compleri videat, ſed expectet: neque enim Dei futuræ ſunt fallaces minæ, aut promiſſiones vanæ iuxta illud. *Si moram fecerit, expecta eum, quia veniens veniet, & non tardabit. Habac. cap.* 2. 3. Ex quo fiet vt qui crediderit propheticis verbis, eorúmque fidem expectauerit, non confundatur.

38. y *Et ponam in pondere iudicium, & iuſtitiam in menſura.*] Poſtquam interpoſitum eſt clariſſimum hoc de Chriſto vaticinium, qui & ſpei noſtræ, & Eccleſiæ ſtabile fundamentum futurum erat, nunc ſuo more propheta quaſi excitatus ab hac ſuauiſſima cogitatione, refert ſe ad contexendas minas, & infortunia populi Iudaici, quæ interiecto hoc ſermone de Seruatore Chriſto interrupetat. Et oſtendit pro peccatorum menſura futurum eſſe plagarum modum. Quæ verò ſit illa menſura, atque plagarum pondus, ſtatim explicat, dum ea mala infligenda eſſe dicit illuſoribus illis, & nimiùm ſecuris, quæ à ſe procul abeſſe fallaci, ac ſtulta cogitatione ſibi perſuaſerant, quæ ſtatim enumerat.

z *Et ſubuertet grando ſpem mẽdacij, & protectionẽ aqua inundabunt.*] 39. Ab his illuſores dicebant ſe eſſe liberos, cùm minacia prophetarum mandata proponebantur. Sed illa eadem eſſe illis ſubeunda nunc denuo denunciat Iſaias. Et addit, infortunia vſque adeò fore frequentia, vt perpetuo quodam tractu ſibi ſuccedant. Id enim valet illud;

a a *Quoniam manè diluculo pertranſibit in die, & in nocte.*] Cætera aperta ſunt. Illud obſeruãdum pro *manè diluculo* Heb. eſſe בבקר בבקר *baboker baboker*, id eſt, *manè mane*, quaſi dicat, quolibet mane nouum conſurget malum, quod die tota, ac nocte durabit, id eſt, nulla erit pars temporis à dolore vacua.

b b *Tantummodo ſola vexatio intellectum dabit auditui.*] 40. Docet propheta vſque adeò fuiſſe incraſſatum cor illorum, quibus diuina oracula nugæ videbantur, & ſomnia: vt cum illis agendum eſſet potiùs ſtimulis, & flagellis belluarum more, quàm minis, aut promiſſis, aut alio quouis humano, ac ciuili modo; Quare vrgendos eſſe dicit perpetuis malis, quæ proximè commemorauit; quibus toleratis potiùs quàm auditis, ad meliorem cogitationem, & mentem redibunt. Auditus enim intellectũ non habet in huiuſmodi hominibus, quoniam res auditæ quia non pungunt, non erudiunt craſſum hoc genus hominum; dabit tamen intellectum vexatio, cum experti re ipſa fuerint, quàm veriſſima eſſe, quæ tantùm audita meræ putabantur fabulæ. Hebraica ſonant *vexatio intelligere faciet auditionem*, id eſt faciet, vt intelligant, quæ & qualia ſunt, quæ audiunt à prophetis. Eſt autem vſitatum valde in ſcriptura, vt *actio* ſumatur pro obiecto, vt *laus* pro re laude digna, *timor* pro re horribili, ac timenda, *auditus*, ſeu *auditio* pro re quæ auditur. *Abac.* 3. *Domine audiui auditionem tuam*: & *Iſaiæ* 53. *Domine quis credit auditui noſtro?* Hæc porrò eſt illa *doctrina murmuris*, de qua *cap.* 16. *verſ.* 16. & *loquela altera labij*, & *lingua altera*, de qua nuper. Hæc ſententia à Patribus ſæpe repetitur, quæ variis etiam modis a profanis explicatur; & quod de Phrygibus communiter dicitur, qui non niſi plagis emendantur; id in peccatorem mala iam conſuetudine execum optimè conuenit. Vide quæ diximus ad illud *cap.* 26. *Cum feceris iudicia tua in terra, iuſtitiam diſcent habitatores orbis.*

Prouerbiũ.

c c *Coanguſtatum eſt enim ſtratum, ita vt alter decidat; & pallium breue, vtrumque operire non poteſt.*] 41. Iudæi hunc locum ſic acceperũt, vt putent eam futuram eſſe calamitatẽ illius væſani populi vt habiturus non ſit, vbi vir cum vxore laxè, & tutò dormire poſſit; quare ex eo loco, ſeu lectulo alter illorum extrudendus eſt. Alij communiter & verè cùm Hieronymo aliam agnoſcunt metaphoram ſumptam ex coniugali fide. Agit enim hoc loco Deus, ſicut alibi ſæpe, cum gente Iſraelitide, quaſi cum vxore adultera, quæ alieno concubitu mariti torum violauit: quam monet Zelotypus ſponſus, vt ſi ſecum velit conuiuere, adulterum quàm longiſſimè abire iubeat, neque tres ſimul in auguſto lectulo, qui duos ſanctè, & legitimè tantùm capit, ſimul eſſe poſſe. Coluerat ſub illa tempora idola Iſrael, vt nuper diximus, quibus cum pactum, & fœdus inierat, eiſque fauentibus nihil ſibi ab inundante flagello metuebat; immò ab eis ſuarum rerum incolumitatem expectabat. Quare

Deus neminem ſecum ſocium in amore patitur.

hortatur

A hortatur Deus mitis, ac liberalis ſponſus quod *Oſea cap. 2.* & *Ieremiæ cap. 3.* vt ad ſe rediret poſt violatam toties cōiugij fidem. Cùm verò ad verba durior eſſet ſtultus, atque infidelis populus, verbera addidit: vt ex eis diſceret quàm parum præſidij haberet in adultero, vt illum tandem extruderet è lectulo: vt in eum exciperet legitimum ſponſum & caſtum amatorem Deum. Quæ ſententia in ſcriptura frequens eſt, quæ monet non bene in eundem lectum, & ſocietatem conuenire terrena cum cæleſtibus, aut ſæculares curas cū diuinis cogitationibus. *Matthæi 6. Nemo poteſt Deo ſeruire & mammonæ.* Et 1. *Cor. 10. Non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum.* Et 2. *Cor. 6. Quæ ſocietas luci ad tenebras, quæ conuentio Chriſti ad Belial?* Hæc mihi plana ſunt, nam illa Hebræorum B ſententia, licèt quoad priorem partem *de ſtrato anguſto* non eſſet difficilis, ad poſteriorem tamen *de pallio breui* durior eſt.

42. d d *Sicut enim in monte diuiſionum, ſic in valle, quæ eſt in Gabaon iraſcetur, vt faciat opus ſuum.*] Alluſum eſt ad duas hiſtorias, vbi contra hoſtes maximè diuina potentia demonſtrata eſt, vt ſentiunt communiter interpretes. Altera eſt 1. *Reg.*
2. Reg. 5. *cap. 5.* Vbi à Dauide in Baal pharaſim magna ſtrage cæſi ſunt Philiſtiim: cuius nominis expoſitionem pro nomine ipſo poſitam eſſe puto: nam *Baal pharaſim* idem valet, quod *mons diuiſionum.* Altera hiſtoria eſt *Ioſue cap. 10.* Vbi Dominus dicitur conturbaſſe Amorrhæos à facie Iſrael, & eos contriuiſſe plaga magna in Gabaon: & ad extremum C ſcribitur. *Dominus miſit ſuper eos lapides magnos de cælo vſque ad Azechà, & mortui ſunt multo plures lapidibus grandinis, quàm quos gladio percuſſerunt filij Iſrael.* Idem quoque contigiſſe in ea pugna, qua deleti ſunt Philiſthæi in Baal pharaſim, nempe quòd Deus lapidibus è cælo vibratis Philiſthæos ſtrauerit, mihi veriſimilius eſt. Intelligo autem de ſecunda pugna, quæ in eo capite contra Philiſthæos deſcribitur, vt putat Forerius; nam in ea Dominus pugnaſſe traditur, & Philiſthæos percuſiſſe. *Egredietur*, inquit, *Dominus ante faciem tuam, vt percutiat caſtra Philiſthum.* Pugnaſſe autem grandine veriſimile eſt: quia hoc loco victoria Gabaon cum victoria Baal pharaſim coniunguntur. In vtroque autem exemplo ſpectari D videtur id, quod paulò antè dictum fuerat. *Et ſubuertet grando ſpem mendacij.* Vt ergo tunc Deus in hoſtes iratus illos male perdidit, ſic modò illuſores Iudæos nihilo accipiet mitiùs; id enim eſt, *vt faciat opus ſuum*, id nempe, quod apud ſe ſtatuerat, exigentibus id Iudæorum meritis. In textu Hebraico clarior eſt huius loci ſententia, licèt non alia ab ea, quam vulgatus expreſſit; qui ſic habet ad verbum. *Sicut in monte diuiſionum, ſicut in valle, quæ eſt in Gabaon.*

43. Hoc vnum in hac ſententia mihi difficile videtur, quia 2. *Reg. 1. Baal pharaſim* dicitur, id eſt, *vallis diuiſionum*, ſeu *diuiſorum.* Hîc verò *Har pharaſim*, id eſt, *mons diuiſionum*, ſeu *diuidentium.* Sed E quia vbi vallis eſt, ibi etiam montes neceſſariò ſunt, à quibus loca etiam vicina nomen accipiunt, vt pote à nobiliori parte, locus qui ab aliis communiter *vallis diuiſorum* dicitur, ab aliis *mons diuiſorum* appellari poteſt.

44. Deus ad miſerandū pronus: ad puniendum tardus. e e *Vt faciat opus ſuum, alienum opus eius: vt operetur opus ſuum, peregrinum eſt opus eius ab eo.*] Haymo hæc cum interrogatione legit hoc modo, *vt faciat opus ſuum?* Ac ſi dicat, Nunquid egredietur Dominus, vt fecit hactenus? Vt moueat amicè, vt amplectatur humaniter, & faciat ea, quæ tantam humanitatem atque clementiam decent? quæque ipſius naturæ propria ſunt, quæ ad benefaciendum ſemper eſt prona? nequaquam; ſed pugnam, ſed cædem, atque incendia meditabitur, quæ ab eius ingenio quàm longiſſimè aliena ſunt. Eſt autem eadem aliorum ſententia, quæ Haymonis, neque tamen ideo neceſſe eſt vt hîc addas interrogationis notam. Faciet enim Dominus opus ſuum, nempe à ſe decretum, cùm per prophetas ſuos minaces voces ad populum intonuit. Quod tamen opus alienum eſt ab eo, cuius ingenium liberale eſt, & mitis natura: cuius ſæpe Deus argumenta dedit non obſcura. Nam ad ea, B quæ à natura noſtra, aut ad naturam noſtram ſunt, proni ſumus, & non ſolùm non inuiti facimus, ſed etiam cum voluptate: ac ſi quid moliamur aduerſante natura, diu cum ingenio noſtro colluctati tandem gementes facimus. Quàm libenter de nobis bene meretur Deus! quàm vltro inuitat indignos! quàm facilè occurrit non vocatus! Si quando tamen ad plagam, & vindictam acuitur, quàm tardus accedit, quàm lento paſſu, quàm ægrè ſe mouet! Mulctauit quidem diluuio genus humanum omnium ſcelerum turpedine corruptum, ſed mulctauit tactus dolore cordis intrinſecus. *Geneſ. 6.* & ſuprà *cap. 1.* progreſſurus ad pœnam impiorum dolet, & ait. *Heu conſolabor ſuper hoſtibus meis.*

C f f *Et nunc nolite illudere ne fortè conſtringantur vincula veſtra.*] Monet propheta ne pergant illuſores Dei minas contemnere. Id eſt, ne, quæ modò audiunt, eo in numero habeant, quo alia ſuperiora, quæ cum ſibilo, ac riſu priùs excipiebant: ne fortè citiùs conſtringat, ac duriùs vincula quæ iam antea ad illorum ſcelera plectenda parauerat; aut potiùs vt vitæ emendatione effugiant ea, quæ pertinaciùs impendebant bellorum, & captiuitatis incommoda; Id enim indicat illud *ne forte*, quod pendēte ſignificat ſupplicium, quod nunc à propheta proponitur, ab illorum arbitrio, qui ſe pertinaci ſtudio peccatis tradiderunt. Quod declinare poſſent pœnitendo, ſicut eodem ferme tempore Niniuitæ illud, quod à Iona denuntiatum fuerat. 45.

D g g *Conſummationem enim & abbreuiationem audiui à Domino Deo exercituum ſuper vniuerſam terram.*] Inſtare iam dicit ea incommoda, quæ prædicta fuerant à prophetis, immò & abbreuianda ſpatia ſupplicij, ſi ipſi in ludificandis prophetarum oraculis perſeuerent. Vnde colligi poſſe videtur, quemadmodum peccata ſæpius iterata mortem aduocant, & accelerant: quia numerum complent, quem Deus iam non ampliùs ſuſtinere decreuerat, vt Auguſtinus docet *lib. de vita Chriſtiana cap. 4.* Vide quæ diximus ad illud *Zachariæ 5. Et miſit maſſam plumbeam in os eius.* Et ſuprà *cap. 1. num. 17.* Porrò *vniuerſa terra* pro Iudæa ſumitur, id eſt, pro tota regione quæ a Iudæis habitatur, E iuxta regulam traditam a Hieronymo. De qua ſuprà *cap. 10. num. 33.* 46. Peccata ſæpius iterata mortem, & ſupplicium accelerant.

h h *Numquid tota die arabit arans, vt ferat, &c.*] Apta ſimilitudine declarat propheta, quem teneat Deus modum in populi ſui gubernatione, eum nimirum, quem prudens, & ſedulus agricola in agro colendo, diſponendóque ad vtiles, & opportunos ſatos. Arat enim, ſubigit, ac proſcindit terram, nunc ligone, nunc vomere, æquat raſtris, & aliter, atque aliter pro frugum, temporis, ac ſoli na- 47. Qui maiora acceperut beneficia, grauiùs puniuntur.

guta curas, & ruſtica miniſteria diſpenſat. Quæ omnia ſunt benigni, & ſui muneris amantis agricolæ, ſed qui priùs in fruges mitiùs videbatur affectus, eáſque ita tractare molliter, atque indulgenter, vt pater filium, idem poſtea in eaſdem ſegetes plauſtra immittet ſerrantia, & tribulas ſilice dentatas, quæ terunt, comminuúntque fruges, aut certè virga aut pertica frangit, atque contundit. Sic ergo Deus, qui priùs populum Iudaicum, tamquam agrum, in quo ſuas ſibi delicias locarat, tractauit molliter, inductíſque riuis aſſiduè rigauit, nullúmque omiſit aut benigni parentis, aut ſolliciti patrisfamilias officium, pòſt verò obſidione, ferro, fame, captiuitatéque conficiet. Hûc puto ſpectare longam hanc ſimilitudinem, cuius apodoſis ex ſupradictis facilè ſumitur, & magis explicabitur capite ſequenti, vbi de excidio Ieruſalem erit iterum ſermo.

48. Hæc aperta ſunt, & facilis deſcriptio operis, quod ab agricola non indiligenti ponitur in agro colendo, præparandóque ad vtilem ſementem. Nunc obſeruanda quædam minutiora. Primùm aliquid conſtituitur diſcriminis inter minuta, leuioráque legumina: qualia ſunt *gith*, *cyminum* & *vicia*: & inter alia quæ pluris habentur, & maiori ſtudio, atque arte curantur. Nam minora illa baculo, & virga excutiuntur ab agricola, alia verò plauſtris ſerrantibus multò duriùs. Sic, vt inquit Hieronymus, Gentes, in quibus colendis minus operæ, ac ſtudij poſitum eſt, mitiùs punientur; at Iudæi quos Dominus tam ſedulò, tam benignè tam conſtanter excoluit, multò duriùs. *Cui enim plus creditur, plus exigetur ab eo. Lucæ* 12. Neque illa Iudæorum vexatio perpetua erit: nam ſicut agricola non ſemper triturat, aut plauſtris vtitur dentatis, & ſerrantibus, ſed, euentilata palea, granum purum iam longè mitior condit in horrea; ſic etiam Deus, poſtquam variis modis concuſſerit in area tribulationis populum Iudaicum, amplexabitur benignè, & eadem, qua priùs beneuolentia tractabit. Quod accidit Iudæis poſtquam exacto Septuaginta annorũ exilio in patriam reſtituti ſunt.

49. *Gith*, quid. Vbi vulgatus *Gith*, Heb. eſt קצח *ketſach*, quod hoc tantùm loco reperitur. Septuaginta vertunt *melanthium*, alij *lolium*, alij *nigellam*, quæ ſine dubio ea non eſt, quæ ab Hiſpanis dicitur *neguilla*, & paſſim ſponte inter frumenta naſcitur cum magno frugum incommodo: niſi fortè ab illa nobiliori degenerauit, quæ antiquis in pretio fuit, & nunc etiam alicubi gentium plurimi habetur. Cyrillus eſſe putat *papauer nigrum*, quod in cibis admiſceri ſolet. Vide Dioſcoridem *lib.* 3. *cap.* 72. & ibi latè Matthiolum. Hoc natum eſſe piſtrinis tradit Plinius *lib.* 19. *cap.* 9. quia pani admiſcetur, & ſuauiorem reddit. Idem tradit Dioſcorides ſuprà. Quare præſtat in re piſtoria id, quod apud Hiſpanos aniſum, aut ſeſamum, quod ab illis vocatur *olegria*.

i i *Non in ferris triturabitur gith.*] *Serram* eſſe puto quam *tribulam* dicimus, quæ comminuit paleas, & excutit grana. Dicitur autem *ſerra*, quia, inſertis frequentibus acutiſque ſilicibus, dentium inſtar ſecat, & lacerat in area ſuppoſitam meſſem. Vide eius deſcriptionem apud Varronem *libro* 1. *capite* 52. 50.

k k *Nec rota plauſtri.*] Sicut aratra apud nationes quaſdam rotis trahuntur, ſic etiam veriſimile eſt rotis quoque tribulas in area circumagi: quia & ipſæ rotæ plurimum etiam poſſunt ad fruges terendas: ipſas verò rotas dentatas eſſe, & aptas ad trituram ſatis indicat illud *Iſaiæ* 41. *Ego poſui te quaſi plauſtrum triturans nouum, habens roſtra ſerrantia; triturabis montes, & comminues.* Quia verò hæc triturandi ratio dura eſt, ideo prouerbiali figura ſumi puto *trituram* aut *ſerrationem* pro ſupplicio horribili, aut dura vexatione, ſicut ab eodem miniſterio ducta metaphora *tribulari* dicimur cùm affligimur grauiter. *Amos cap.* 1. de Damaſco. *Eo quod triturauerit in plauſtris ferreis Galaad.* 2. *Reg.* 12. *Et circumegit ferrata carpenta.* 1. *Paralip.* 20. *Fecit ſuper eos tribulas, & trahas, & ferrata carpenta tranſire.* Et idem ſibi velle Iſaiam *cap.* 41. & *cap.* 15. ad illud *triturabitur Moab*, mihi certum eſt. Vide quæ ibi diximus. Quomodo autem hoc ſupplicij genus per ſynedochen ſpecie prouerbiali pro horribili tormento ſumatur, vide, quæ in principio diximus de morte Iſaiæ. 51. Prouerbiũ.

l l *Nec vngulis ſuis comminuet eum.*] In aliquibus regionibus, quod etiam alicubi in Hiſpania fit, non tam tribulis terũtur fruges, quàm equorum vngulis, & id ſignificari hoc loco ab Iſaia nonnulli putant. Sed Hieronymo non placet, *quia*, inquit, *non poterat ſcriptura dicere, quod Iudæa prouincia non habebat.* Sed quid obſtat etiamſi Hieronymi ætate ille triturandi modus, qui fit immiſſis equorum gregibus, in vſu non eſſet, quin multis antè ſæculis in vſu fuerit Iudæis. Verùm cum Hieronymo dicamus non ab equorum mandra tritas eſſe meſſes, ſed eorum vngulis, qui tribulas dentatas trahunt, aut plauſtra ſerrantia. 52.

m m *Et hoc à Domino exercituum exiuit vt mirabile faceret conſilium.*] Nunc ſimilitudinem elegantem, & longam ad inſtitutum accommodat, ait enim, quæ operatus eſt antè Deus humaniter, & quæ nunc ſeuerè comminatur, non fuiſſe temere, aut ſine magno conſilio. Quandoquidem non ſine conſilio agricola in re longè minori opus ruſticum inſtituit. Conſultò enim eligit agrum idoneum aut milio, aut frumento: conſilio arat, & occat, conſilio terit, aut plauſtris, aut virga, & hoc facit edoctus ab eo, à quo ſine conſilio nihil fit. 53.

Argument.

Argumentum vigeſimi noni capitis Iſaiæ.

HÆC prophetia eſt contra Ieruſalem, quam propter munimenta, quæ habebat tam à natura, quàm ab arte maxima, vocat Ariel: id eſt, Leonem Dei, nempe fortiſſimum: cuius vaſtitatem optimè deſcribit. Deinde modicè contra Babylonios excurrit, quorum poſt euerſam Jeruſalem breuem dicit futuram eſſe victoriam, & ſomnio quàm ſimillimam. Deinde interruptum contexit vaticinium contra Jeruſalem, quam illo ſupplicio multandam eſſe affirmat, quod admirationem, & ſtuporem inducat: excæcatione videlicet mentis, qua tam imperiti, quàm litterati legem ignorent, & ſcripturarum myſteria. Ad extremum repudiatis Iudæis, vocandum eſſe dicit Gentilium populum, & ad illum paternam curam, atque indulgentiam transferendam.

CAPVT XXIX.

1 [a] *VÆ Ariel, Ariel ciuitas, quam expugnauit Dauid: [b] additus eſt annus ad annum, ſolemnitates euolutæ ſunt.*

2 [c] *Et circumuallabo Ariel, & erit triſtis, & mærens, & erit mihi quaſi Ariel.*

3 [d] *Et circumdabo quaſi ſphæram in circuitu tuo, & iaciam contra te aggerem, & munimenta ponam in obſidionem tuam.*

4 [e] *Humiliaberis, de terra loquêris, & de humo audietur eloquium tuum; & erit quaſi pythonis de terra vox tua, & de humo eloquium tuum muſſitabit.*

5 [f] *Et erit ſicut puluis tenuis multitudo ventilantium te: & ſicut fauilla pertranſiens multitudo eorum qui contra te præualuerunt. Eritque repentè confeſtim.*

6 *A Domino exercituum viſitabitur in tonitruo, & commotione terræ, & voce magna turbinis, & tempeſtatis, & flammæ ignis deuorantis.*

7 [g] *Et erit ſicut ſomnium viſionis nocturnæ multitudo omnium gentium quæ dimicauerunt contra Ariel; & omnes qui militauerunt, & obſederunt, & præualuerunt aduerſus eam.*

8 *Et ſicut ſomniat eſuriens, & comedit, cùm*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 VÆ ciuitati, væ iterum ciuitati Ieruſalem, quam expugnauit Dauid, eripuítque habitatori Iebuſæo; quæ propter munitiones tam à natura, quam ab hominum induſtria comparatas, Ariel appellatur; Leo nempe Dei. Anni etenim annis, & tempora temporibus ſuccedent: neque tamen ceſſabit vaſtitas vrbis, aut longum ſolemnitatum ſilentium.

2 Obuallabo Chaldæorum caſtris Ariel, id eſt, munitam, & terribilem ciuitatem. Quæ tamen erit mihi quaſi Ariel, alio tamen ſenſu, nempe altaris inſtar, iuxta quod quotidie mactantur, ſtratæque iacent, & laceratæ victimæ.

3 Et circumdabo te obſidione perfecta, & quaſi corona circumuallabo te. Aggerem excitabo, vallo te circumſidebo, & foſſa, quò durior ſit, & anguſtior obſidio.

4 Abiicieris in terram, ô Ariel, & vt victi, atque proſtrati ſolent, appreſſo terræ ore loqueris; & de puluere audietur vox tua obſcura, exilis, & tremula, qualis eſſe ſolet illorum, quos ſpiritus afflat, aut exagitat Pythonicus.

5 Verumtamen, non diu poſtquam te hoſtilis ille turbo concuſſerit, illi iidem quorum armis ad terram vſque deiecta es, ſic diſſipabuntur, atque interibunt, ſicut pulueris, aut ſcintillarum multitudo, quæ à vento, procelláque iactatur, rapitur, & vaneſcit.

6 Dominus enim ſuam in Gentes illas militiam educet, tonitruis concutiet, atque exanimabit; terræ quoque horribili motu, ac fremitu terrebit: turbine ingenti, ac vehementi quadam procella peruertet; & deſuper erumpente flamma conſumet.

7 Illorum autem multitudo, qui inuaſerunt, præualuerunt, ac tandem expugnauerunt Ariel; ſic euaneſcet, ſicut nocturna ſpectra, quæ dormienti occurrunt, vbi ille ſolutus ſomno fuerit; abeunt prorſus in nihilum.

8 Erit enim illa hoſtium victoria de te, ô Ariel,

ſomnio quàm ſimillima: Sic enim citò illorum opprimetur potentia; & ablatæ eripientur opes, vt non tam ex prǽda ablatæ, atque poſſeſſæ, quàm inter dormiendum per quietem oblatæ videri poſſint. Quarum amiſſio repentina maiori illis erit doloti, quàm voluptati priùs poſſeſſio fuerat. Sicut enim ſitiens, aut eſuriens bibere ſe in ſomnis, aut ſatiari putat, vbi tamen experrectus eſt, neque minùs ſitit quàm antea, & afflictatur magis, quia vigilans ab eo vacuus eſt, quod ſe habuiſſe ſomniarat.

9 Huc vſque de Babyloniis: ad Ariel reuertor. Quia oblatam vobis lucem reſpuiſtis, ſtupor vos, & cæcitas apprehendet; neque aliter in rebus etiam perſpicuis ac certis mens veſtra, atque conſilia vacillabunt; quàm illi ſolent, quorum mentes ebrietas à ſuo ſtatu commouere ſolet; Eludet itaque vos, & quaſi temulentos in errorem, & amentiam abripiet crapula; non illa quidem, quæ à vino eſt, ſed quæ à dita, & cæca veſtræ mentis inſania.

10 Crapula, quæ veſtram perturbauit mentem, ab eo proueniet poculo, quod vobis propinabit infenſus Deus, ſpiritúmque inducet ſoporis, & compunctionis, quæ animos figit, & offirmat in malo; offundítque tenebras, ne intelligatis quod vobis proponitur ad ſalutem lumen, aut quæ ad vos per prophetas perferuntur oracula.

11 Erunt enim prophetarum viſiones, & oracula, ſicut verba clauſa in obſignato, complicatóque volumine, quæ æquè obſcura ſunt, ſcienti, atque neſcienti litteras, quod ſi ſcribæ, alioqui docto, legendum tradideris, reſpondebit. Nulla mihi facultas eſt in complicato libro illa legendi, quæ oculis propoſita non ſunt.

12 Quòd ſi etiam dederis illitterato, & rudi, negabit ſe poſſe legere, quia litterarum ignarus eſt, & expers doctrinæ.

Et dixit ad me Dominus: Populus hic honorat me nudo tantùm, ac vacuo verborum ſono, cùm illorum animus quàm longiſſimè abſit à me. Colit enim me non iuxta id, quod à me præceptum eſt; ſed iuxta id, quod homines ſuo potiùs adducti ſpiritu, quàm afflati diuino præſcripſere.

13 Idcirco miraculo planè grandi, in iſtud hominum genus tale edam offenſionis, & indignationis documentum; vt populo, ſi ſapiat, admirationem afferre debeat; perdam enim ſapientiam illorum, qui aſſiduè verſant ſcripturarum myſteria, & abſcondam lucem ab iis, qui populi doctores, & oculi ſunt: ita vt in aperta, & trita veritatis ſemita pueriliter offendant, & in luce pluſquam meridiana cæcutiant.

14 Væ illis, qui ſua conſilia ſic putant eſſe abdita, atque profunda, vt diuinos oculos, atque ſapientiam lateant. Quíque cùm in occulto, & latebris

autem fuerit expergefactus, vacua eſt anima eius: & ſicut ſomniat ſitiens, & bibit, & poſtquam fuerit expergefactus, laſſus adhuc ſitit, & anima eius vacua eſt: ſic erit multitudo omnium gentium quæ dimicauerunt contra montem Sion.

9 [h] *Obſtupeſcite & admiramini: fluctuate, & vacillate: inebriamini, & non à vino: mouemini, & non in ebrietate.*

10 [i] *Quoniam miſcuit vobis Dominus ſpiritum ſoporis.* [k] *Claudet oculos veſtros: prophetas, & principes veſtros, qui vident viſiones, operiet.*

11 *Et erit vobis viſio omnium ſicut verba libri ſignati: quem cùm dederint ſcienti litteras dicent, Lege iſtum: & reſpondebit, Non poſſum, ſignatus eſt enim.*

12 [l] *Et dabitur liber neſcienti literas, dicetúrque ei, Lege. & reſpondebit, Neſcio litteras. Et dixit Dominus.* [m] *Eò quòd appropinquat populus iſte ore ſuo, & labiis ſuis glorificat me, cor autem eius longè eſt à me, & timuerunt me mandato hominum, & doctrinis:*

13 [n] *Ideo ecce ego addam vt admirationem faciam populo huic miraculo grandi, & ſtupendo: peribit enim ſapientia à ſapientibus eius, & intellectus prudentium eius abſcondetur.*

14 [o] *Væ qui profundi eſtis corde, vt à Domino abſcondatis conſilium, quorum ſunt in tenebris opera, & dicunt, Quis videt*

videt nos, & quis nouit nos?

latebris ſua moliantur opera, eò prouehuntur ſtuporis,& inſaniæ,vt ſecum ipſi dicant. Quis videt,aut quis nouit nos?

15 *Peruerſa eſt hæc veſtra cogitatio: quaſi ſi lutum contra figulum cogitet, & dicat opus factori ſuo, Non fecisti me,& figmentum dicat fictori ſuo, Non intelligis.*

15 Impia hæc eſt, atque ſtulta cogitatio, de Deo ſic exiſtimare: cùm ille vbique locorum ſit, hominémque, vbicumque fuerit, dum conſeruat,ſemper quaſi fingat, & creet. Quemadmodum ſi luteum vas, quo tempore à figulo in rota verſatur,& fingitur, in formatore ſuo oculos, ac prudentiam requireret, diceretque; Neque opus manuum tuarum ſum, neque, quo me formes,intelligentia tibi,aut artificium eſt.

16 *Nónne adhuc in modico, & in breui conuertetur Libanus in Charmel, & Charmel in ſaltum reputabitur?*

16 Vt autem tale luti figmētum dignum eſſet, quod formator ſtatim abuceret, ac perderet; ſic illos Dominus, quorum mentibus cæcus ille ſtupor inſedit,à paterno ſtudio, atque indulgentia repellet. Nam Carmelus quæ in terra promiſſionis eſt,vite, atque oliua nobilis, in quo Iudæorum populus intelligitur, cui ſedula impendebatur opera à vinitore Deo, neglectus iam in ſyluæ ſimilitudinem, atque aſperitatem efferabitur. Ita vt Libanus, qui nunc dumo horrèt, & frutice, cum Carmelo compoſitus videri poſſit fructu,atque amœnitate Carmelus; ſicut contrà Carmelus non iam cultus, ſed ſylueſtris, & horridus iure poſſet appellari Libanus.

17 *Et audient in die illa ſurdi verba libri, & de tenebris, & caligine oculi cæcorum videbunt.*

17 Tunc verò liber ille, qui Iudæis erat obſignatus, & clauſus, Gentibus erit reſignatus, & potens. Nam qui priùs aures ſurdas habuiſſe videbuntur,& oculos cæcos, quia nec illas habuerunt diuinis præceptis eruditas, neque hos cæleſti illuminatos luce, ad illum modum quo priùs Iudæi;tamen poſteà,& oculi illuſtrabuntur illo ſplendore, qui oculos perſtrinxit Iudæorum, & aures aperientur ad illas voces, ad quas obſurduerunt Iudæorum aures.

18 *Et addent mites in Domino lætitiam, & pauperes homines in ſancto Iſrael exultabunt.*

18 Eo verò tempore, qui priùs à Iudæis pauperes iudicabantur, & ignobiles, in Domino gaudebunt:gaudebunt,inquam,in Domino Deo Iſrael pauperes quondam,& abiecti.

19 *Quoniam defecit qui præualebat, conſummatus eſt illuſor, & ſuccisi ſunt omnes,qui vigilabant ſuper iniquitatem.*

19 Quoniam, qui beneficiis ante à Deo collatis videbatur ſuperior,ab antiqua gloria, atque indulgentia defecit. Et qui propheticas ſubſannabat voces, pœnas ſuæ væſaniæ dedit à Domino conſumptus, & qui animo ad iniquitatem erant vigilanti,atque intēto exanimati concidēt.

20 *Qui peccare faciebant homines in verbo, & arguentem in porta ſupplantabant, & declinauerunt fruſtra à iuſto.*

20 Concident, inquam,exanimati qui nouis præceptis,atque traditionibus homines alios à lege,veráque doctrina diſtrahebant;ſubſannabántque libero, atque petulanti conuitio diuina iudicia, quæ in portis, publicíſque conuentibus prophetarum ore denuntiabantur: & ſine vlla cauſa,atque emolumento à iuſto, atque æquo iudicio declinarunt.

21 *Propter hoc, hæc dicit Dominus ad domum Iacob, qui redemit Abraham, Non modò confundetur Iacob, nec modò vultus eius erubeſcet.*

21 Idcirco, ait Dominus ad Iacobi, atque Abrahami familiam, quam liberauit ſæpe, & innumeris complexus eſt beneficiis. Confundetur aliquando, atque erubeſcet Iacob, non tamen modò,

22 Sed

modò, ſed poſtquam pluſculum interceſſerit temporis.

22 Tempus autem tunc confuſionis adueniet, cùm viderit Iacob, à filiis ſuis ſecundùm carnem tranſlatam eſſe gloriam ad Gentes, quæ ſecundùm fidem filij quoque vocabuntur Iacob, & veri erunt Iſraelitæ. Cùm viderit, inquam, Iacob filios meliori iam titulo ſuos, fidei nempe communicatione, quos manu mea ad Iſraelis myſtici ſocietatem adduxi, qui nomini meo cultum exhibebunt religioſum; & Deum ſanctum Iacob, Deum inquam Iſrael publica profeſſione, atque præconio ſanctum eſſe prædicabunt.

22 *Sed cùm viderit filios ſuos, opera manuum mearum in medio ſui ſanctificantes nomen meum, & ſanctificabunt ſanctum Iacob, & Deum Iſrael prædicabunt.*

23 Tunc verò qui ad varia Idolorum monſtra errabundo ferebantur ſpiritu, veritatem agnoſcent; & qui priùs veram religionem libero, atque procaci murmure inſectabantur, illam amplectentur, legémque diſcent, quam antè non ſine faſtidio muſſitantes audiebant.

23 [a] *Et ſcient errantes ſpiritu intellectum, & muſſitatores diſcent legem.*

IN CAPVT VIGESIMVM NONVM COMMENTARIVS.

1. a VÆ *Ariel Ariel, ciuitas, quam expugnauit Dauid.*] Hæc pertinent ad extremam partem ſuperioris capitis: vbi plauſtris ſerrantibus triturandi dicuntur Iudæi. Et quia graue futurum eſt illius populi ſupplicium, ideo minacibus atque dolentibus verbis aggreditur vaticinium, tum præpoſito *væ*, tum geminato *Ariel*: nam in vtroque epitaſis eſt. Quid ſit *Ariel*, non eſt explicatu facile: Rab. Dauid

Ariel quid. *in cap. 43. Ezechiel. Ariel, montem Dei* interpretatur ab הר *ar*, quod eſt *mons* & אל *el*, *Deus*. Et putat eſſe deſcriptionē Ieruſalem, quæ mons quidam eſt Deo ſacer. Cõmuniter alij etiam Hebræi arbitrantur *Ariel* eſſe idem quod *leo Dei*: qua voce ſignificatur id, quod eſt fortiſſimum. Nam *leo* fortitudinis ſymbolũ eſt, qui *fortiſſimus* eſt *belluarũ*, & *ad nullius pauebit occurſum*; & quia belluarum quoque princeps eſt, pro ciuitatum omnium principe ſumitur. Item cùm aliquid magnũ, & admirabile ſignificare volumus, nomen illi adiungimus *Dei*. Qua ratione *cedros Dei* vocamus, & *montes Dei*, qui altiſſimi ſunt. Duarum itaque vocum compoſitio, quarum quælibet magnum aliquid ſonat, rem ſine dubio munitiſſimam, ac fortiſſimam deſignat. Et vox

2. Reg. 23. eadem alibi in eundem vſum adhibita eſt 2. *Reg. cap.* 23. Vbi vulgatus habet de Banaia, *& ipſe percuſſit duos leones Moab*, id eſt, duos fortiſſimos Moabitas, Heb. eſt *duos Ariel*. Quàm autem munita, & contra hoſtiles machinas fuerit Ieruſalem, docet multis Ioſephus. Sed adducam tantùm Taciti verba, quæ ſatis hoc indicant *lib.* 21. *Vrbs*, inquit, *ardua ſitu, operibus molibúſque adeò firmata, vt vel plano ſita ſatis munita videri potuiſſet.*

2. Quidam in *Ariel*, *altare* intelligunt, & ſanè eo ſenſu ſumitur *Ezechi. cap.* 43. licèt ibi non tam totum altare ſignificet, quam eius partem. Alij *templum*, quod non improbo; quia iuxta ea, quæ de nominis notatione diximus, ſatis in hæc duo nomen iſtud conuenit. Nam ſicut leo capit, lacerat, & deuorat prædam, ſic templum, & altare, quod calet quotidie, & natat victimarum ſanguine. Et hûc facit quòd ex multorum ſententia templum, quod in ſorte Benjamin ædificatum eſt, *lupus rapax* dicitur, qui manè deuorat prædam; ſic enim exponunt vaticinium illud de Benjamin *Geneſ.* 49. Geneſ. 49.
Benjamin lupus rapax. Qua de re nos pluribus *in cap.* 2. *Zachariæ. num.* 18. Sed ſanè hoc loco pro ciuitate *Ieruſalem* adhibetur, vt cum Hieronymo ſentiunt communiter interpretes. Siue quia pars, id eſt templum, pro tota ciuitate ponitur: ſiue quia non minùs de Ieruſalem, quàm de templo dicitur *Ariel*, & facilè ſuadent verba ſequentia; tum quia *Ariel*, *ciuitas* vocatur, tum quia *expugnata* dicitur *a Dauid*. Niſi fortè dicat, repetendum eſſe *væ* ante *ciuitas* hoc ſenſu. *Væ Ariel, Ariel: væ ciuitas.* Quod ſanè non videtur durum; ita vt templo, & altari, ac toti ciuitati exitium prædicetur ab Iſaia. Et hoc extremum mihi videtur valde veriſimile.

Porrò hæc ciuitas priuſquam expugnaretur, & muniretur à Dauid, ſic erat ab arte, naturáque munita, vt Iebuſæi, qui in ea primùm habitabant, ſic riderent omnes machinas, & vires Regias, vt à cæcis, vel claudis defendi poſſe iactarent. 2. *Reg. cap.* 5. Quare *Ariel* tunc rectè vocari poterat, & multò magis poſtquam à Dauide arx Sion ædificata eſt. Ciuitati ergo Solymitanæ hæ proponuntur minæ. 3.

[b] *Additus eſt annus ad annum, ſolennitates euolutæ ſunt.*] Hoc loquendi modo ſignificari creditur tempus breuiſſimum, perinde atque ſi poſt biennium futurum ſit templi, atque ciuitatis exitium: tantum enim ſpatij facit annus additus anno. *Duo* verò pro *paucis* ſumi, ſatis eſt vſitatum, qua ratione dicimus, 4.

cimus, *dicam duo verba*, id eſt, *pauca*: Et eodem ſenſu dicitur *vnus aut alter.* Prædicit itaque iuxta horum ſententiam Iſaias breui caſuram ad illud vſque tempus florentem Iudaici imperij maieſtatē: ita putat Adamus, & Foreirus. Aliter Dionyſius, qui putat impletum eſſe iam tempus ad quod vſque extare floreréque definitum eſt vrbem, ac templum Solymitanum; illud verò, *Additus eſt annus ad annum*, perinde eſt ac ſi dicas, *annorum decurſu* ſeu *voluentibus annis.* Sed eſt mihi veriſimilius hîc præteritum prophetali more pro futuro ſumi, ſignificatíque non tam ſpatium, quod intererit ad durum huius vaticinij tempus, quàm prædicti ſupplicij & calamitatis durationem, in qua iacebit in ſordibus Ariel, id eſt, ciuitas deleta manebit atque deſerta, & victimæ, atque ſolemnitates intermiſſæ. B Quod Oſeas ante prædixerat *cap. 3. Sedebunt dies multos abſque ſacrificio*, &c. Et ita putat S. Thom. Haymo, Hugo, & indicat valde Hieronymus. Quod ſatis exprimit ille loquendi modus; *Additus eſt annus ad annum*, ſiue annus addetur anno. Quaſi dicat, Succedent anni annis, & tempora temporibus, neque tamen ceſſabit vaſtitas vrbis, neque longum ſolemnitatum ſilentium. Sic plerique illud de ſolemnitatibus. Tu vide an commodior hic poſſit eſſe ſenſus ſi *ſolemnitates* pro *annis* ſumantur, & illæ dicantur ſæpius euoluendæ, antequam ſoluta captiuitate ciuitas inſtauretur, & templum. Ita vt poſterior pars prioris explicatio ſit, hoc ſenſu, Fluent multi anni, multæ tranſibunt ſolemnitates; hærebunt tamen in ſordibus atque C exilio Iudæi.

5. [c] *Et circumuallabo Ariel, & erit triſtis & mærens, & erit mihi quaſi Ariel.*] Nunc iam explicatiùs agit de ſupplicio, & caſu Ieruſalem, quæ diu grauiter, & cum communi luctu, ac mœrore obſidenda erat. Porrò hic *Ariel* ſecundo loco poſitum aliquid diuerſum ſignificat, atque priori. Aut enim ſecundo loco *Deum* ſignificat, ita vt Ariel ſit in datiuo, hoc ſenſu, Erit mihi, aut occurret mihi, dicit Dominus, Ariel, id eſt ciuitas, quaſi ſi occurrat Arieli, id eſt leoni fortiſſimo, à quo laceretur. Seu quod idem eſt, Ego ero illi leo fortiſſimus, quomodo dicit eodem ſenſu Oſeas *cap. 5. Qoniam ego quaſi leæna Ephraim, & quaſi catulus leonis domui Iuda.* Seu certè, quod magis probo, cum Foreiro, Vatablo, Adamo, Lyra, & Chaldæo, *Ariel*, ſecundo loco D *altare* ſignificat, ſicut apud Ezechielem *cap. 43.* in hunc ſenſum. Ciuitas illa munitiſſima, quæ propter regij nominis maieſtatem *Ariel* dicebatur, erit mihi poſtea Ariel, alio tamen ſenſu, nempe altaris inſtar; nam quemadmodum ad Ariel, id eſt, ad altare victimæ quotidie mactantur, ſtratæque iacent, & laceratæ circum altare, quod latè madet, immò natat illorum ſanguine, ſic Ieruſalem altaris inſtar tota complebitur ciuium cadaueribus, redundabitque interfectorum ſanguine. Qua metaphora in cauſa omnino ſimili vſus eſt Iſaias *cap. 34.* *Gladius Domini repletus eſt ſanguine*, &c. *Victima enim Domini in Boſra.* & Ieremias *c. 12. Congrega eos quaſi gregem ad victimam; & ſanctifica eos in die occiſionis.* Hæc expoſitio magis videtur mihi ad textū. E

Iſaiæ 34.

Ierem. 12.

6. Hieronymus, quem ſequuntur S. Thom. Hugo, Dionyſius, ſentit hîc agi de inſtauratione templi, ſeu Ieruſalem, quæ ad priorem maieſtatem non peruenient. Atque ideo futurus dicitur non *Ariel*, ſed *quaſi Ariel*, quæ expoſitio ideo mihi videtur eſſe difficilis, quia neque ante hæc verba, neque poſt illa, quicquam eſt, quod non ſonet acerbum A aliquid, & hoſtile: quocirca in priores explicationes inclino, & in ſecundam magis.

7. [d] *Et circumdabo quaſi ſphæram in circuitu tuo.*] Adhuc de ciuitate loquitur: hæc aperta ſunt, & ex ſucceſſu ſatis conſtat. Nam à Chaldæis circumuallata, atque exciſa fuit. De *ſphæra* notandum, ſumendam eſſe pro circulo, ſeu circuitu, aut corona, qua ſignificatur obſidio perfecta, qua ſicut corona cingenda dicitur Ieruſalem. In textu Hebraico non eſt *quaſi*, quare ad verbum ſic verto. *Circumdabo ſphæram*, ſeu *coronam*, aut *gyrum*, qui dicendi modus tritus eſt apud Hebræos *circumdabo circuitu; moriar mortem*, *pro circumdabo*, & *moriar* ſimpliciter.

8. [e] *Humiliaberis, de terra loqueris*, &c. *Et erit quaſi B Pythonis de terra vox tua.*] Explicatio eſt hominis victi, proſtrati, extrema paſſi, aut ſaltem extrema metuentis. Qui enim in eo rerum articulo ſunt, neque hiſcere audent coram hoſtibus demiſſo vultu, & ſtrati humi, & ſi quando aliquid loqui audent, id faciunt vſque adeò exili, ac tremula voce, vt muſſitare illos, aut mutire potiùs quàm loqui putes. Vide quæ ſuprà diximus *cap. 21.* ad illud, *omnem gemitum eius ceſſare feci.*

9. Hic nobis duo notanda ſunt. Alterum eſt morem eſſe eorum, qui victi ſunt, aut ſupplices, vt ſternant ſe humi, ita vt ore quoque terram attingant, & quaſi exoſculentur: quod ſatis perſuadet ille loquendi modus in ſcriptura millies vſurpatus, quod qui ſupplex eſt dicitur *cadere ſuper faciem* C *ſuam*, & qui victi ſunt, *terram lingere. Pſalm. 71. Coram illo procident Æthiopes, & inimici eius terram lingent.* Et *Iſaia 49. Vultu in terram demiſſo adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent.* Et *Thren. 3. Ponet in puluere os ſuum, ſi fortè ſit ſpes.* Deinde non leuis coniectura ſumitur ab ea conſuetudine, qua victores in hoſtium, & ſupplicum ceruicibus dicuntur pedes ponere. Quod fecit Ioſue *cap. 10.* ſuper colla quinque Regum. Et facturi dicuntur filij Iſrael *Baruch cap. 4. verſ. 25. Perſecutus eſt te inimicus tuus, ſic citò videbis perditionem ipſius, & ſuper ceruices ipſius aſcendes.* Et *Iſa. cap. 60. verſ. 14. Et venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te: & adorabunt veſtigia pedum tuorum.* Huc credo ſpectauit Dauid *Pſalm. 118. verſ. 25.* cùm dixit, D *Adhæſit pauimento anima mea.* Et *Pſalm. 39. Quoniam humiliata eſt in puluere anima, cōglutinatus eſt in terra venter meus.* Quòd autem inter gentes id quoque eſſet in vſu, probat multis Martinus Roa è Societate Ieſu *lib. 4. ſingul. cap. 5.* Cui adde illud Valerij Maximi *lib. 8. cap. 1.* de Lucio Piſone, qui reus iudicum pedes oſculatus die cœnoſo, ac pluuio os ſuum retulit fœdatum cœno, ſatis ad flectendos iudicum animos opportuno. Id verò obſeruantiæ genus exhiberi ſolitum Perſarum Regibus docent tum alia multa, tum illud Martialis. *Victorum ſola baſiate Regum.* Qui ergo victi ſunt ſupplices, atque ad extremam fortunam abiecti, de terra loquuntur, quia os habent impreſſum terræ, neque vox E poteſt eſſe non oppreſſa, atque exilis, & muſſitans, quia à timidis, & abiectis, & quaſi à terra erūpens.

Victi, aut ſupplices terrā oſculantur, aut lambunt

Baruch. 4.

Iſai. 60.

Pſalm. 118.

Pſalm. 39.

10. Alterum eſt hanc vocem dici *quaſi a Pythonibus*, quia illa exilis eſt, & confuſa qualis audiri videtur à ſomniantibus aut ab vmbris ſeu infernis manibus fundi. Ita Hieronymus. & communiter alij. Porrò exanimatas eſſe, & quaſi mortuas Pythonicas voces, id eſt, eorum qui à Magis, & veneficis excitati exiſtimantur, vel qui quoquo modo ad nos ex alio ſæculo reuertuntur, ſatis multa indicant

Pythonum, & manium vox exilis.

cant exempla non antiqua ſed recentis; certè ab eo quod frequentius eſt Horatius acutas (exiles ego interpretor) & mœrentes voces tribuit *lib. 1. Satyra 8.*

——Quo pacto alterna loquentes
Vmbræ cum Sagana reſonarent triſte, & acutum.

Virgilius mortuorum vmbris vocem dat exiguam *Æneid. 6.* Vbi de Principibus Græcorum ad Æneæ aduentum in infernum ait.

——Pars vertere terga,
Ceu quondam petiere rates: pars tollere vocem
Exiguam, inceptus clamor fruſtratur hiantes.

Ouidius *in Epiſtola Didonis* cùm ageret de vmbra Sichæi.

Hinc ego me ſenſi noto quater ore citari,
Ipſe ſono tenui dixit Eliſſa veni.

Et *lib. 5. Faſtor.* de vmbra Remi.

Vmbra cruenta Remi viſa eſt aſſiſtere lecto,
Atque hæc exiguo murmure verba loqui.

Pythones dicuntur ἐγγαστρίμυθοι, id eſt, *ventriloqui*, quia ex ventre videntur loqui, voce obtuſa, informi, ſtridula ac ſingultanti. Vide quæ diximus ad illud Iſaiæ *cap. 8. Pythones, qui ſtrident in incantationibus*, & in Acta Apoſt. *cap. 16. num. 10.*

11. ᶠ *Et erit ſicut puluis tenuis multitudo ventilantium, & ſicut fauilla pertranſiens multitudo eorum, qui contra te præualuerunt.*] Quidam hic exprimi putant imbecillitatem eorum, qui pugnauerunt contra Ariel, illúmque deleuerunt. Aut quia illi, cùm infirmi ſint, ſi eum Hebræorum fortitudine confeƈtantur, ita tamen confirmabuntur à Deo, vt nihil illis ſit non expugnabile. Aut certè, quia cum fortes fuerint in expugnando Ariel, ſtatim tamen opere peracto à Domino conterentur, ſicut puluis, aut in fauillæ ſimilitudinem euaneſcent. Ita putat Adamus. Alij ferme omnes exiſtimant ſermonem hîc eſſe de hoſtium multitudine, quam tam copioſam fore dicit propheta, quanta eſt pulueria multitudo, quæ à turbine, aut ſcintillarum, quæ à magno incendio perflante vento excitantur, & rapiuntur. Vbi non numerus tantùm hoſtium ſed etiam ſceleritas, impetúſque deſcribitur. Deinde adducitur admirabiles planè tranſlationes ad explicandam vim, impetum, fragorémque eorum, quæ magno lapſu, & repentino cadent. Mihi valde placet explicatio prior, quòd non tam ſignificetur eorum innumerabilis multitudo, à qua expugnabitur Ariel, quàm quod illa multitudo poſt deletam Ieruſalem, direptáque ſpolia, inopinatò cadet, atque diſſipabitur, ſicut puluis à turbine, aut fauilla tenuis. Quia hæc ſententia magis cum ſequentibus congruit, & quæ hîc dicuntur, contigiſſe videntur poſt euerſam Ieruſalem, ideo enim dicitur *qui contra te* (ô Ariel) *præualuerunt.*

12. Regula. Epitaſis eſt in duabus vocibus ſynonymis.

Illud obſeruandum, duabus dictionibus *repentè, confeſtim*, iuxta hebraicam phraſim celeritatem magnam indicari. Eſt enim epitaſis quædam in duarum vocum idem ſignificantium coniunctione, vt docuimus *in titulo Pſalm. 67. & in cap. 10. Zachariæ* ad illud, *imber pluuiæ.*

13. ᵍ *Et erit ſicut ſomnium viſionis nocturnæ multitudo omnium gentium qui dimicauerũt contra Ariel.*] Hic iam ferme omnes cum Hieronymo non ad ruinam referunt Ieruſalem, ſed ſtragem illorum, qui contra illam animos, & manus armauerunt. Quare non video, cur quæ proximè anteceſſere, de iiſdem interpretari non debeant. *Somnio* verò comparatur illa multitudo, quia fugiet, aut ſoluetur, quemadmodum vaneſcunt ſomnia, cùm primum dormiens euigilauerit. Somnio item perſimilis fuit illa victoria, quam exultantes Babylonij ornaſſe videbantur, atque expleuiſſe Iudæorum opibus, & ſpoliis templi omnium locupletiſſimi: ſic eorum citò illorum opprimentur potentiæ, & ablatæ diuitiæ eripientur à potentiori manu, vt non tam ex præda ablatæ, atque poſſeſſæ, quàm inter dormiendum per quietem oblatæ videri potuerint. Quas accepiſſe ex Iudæorum Gaza non tam illis gratum, quã è manibus repentè extortas eſſe acerbum futurum optima ſimilitudine declarat. Vt enim qui ſitiens in ſomnis bibere ſe putat vana voluptate deluſus, vbi experrectus eſt, neque minùs ſitit quàm antea, & affligatur magis, quia vigilans ab eo vacuus eſt, quod ſe habuiſſe ſomniarat: Sic illi, qui diripuerunt Ieruſalem, opimamque prædam inde ſuſtulerunt, cùm repentè ab hoſte fortiori fuerit extorta de manibus, ſomniaſſe videbuntur victoriam, & prædam, & grauior erit ex fortunæ viciſſitudine dolor, quando ſubitò exciderit, quod in longum tempus proprium ſibi fore arbitrabantur. Eſt autem vſitatum, vt ex ſomni ſimilitudine exprimantur ea, quæ cum ſpeciem habent boni, ac ſolidi, re tamen vera in ſe nihil veri, boni, ac ſolidi contineant: quales ſunt humanæ diuitiæ, de quibus *Pſalm. 75. verſ. 6. Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt viri diuitiarum in manibus ſuis.*

ʰ *Obſtupeſcite & admiramini, fluctuate, & vacillate, inebriamini, & non à vino.*] Ab illis verbis, *& erit ſicut puluis*, ad hunc vſque locum, id eſt, ad *dimicauerunt contra montem Sion*, vaticinium eſt contra Babylonios, à quibus direpta eſt Ieruſalem, quæ includi poſſent parentheſi, tanquam à filo continenti diſcluſa. Nunc iam poſt longum hyperbaton refert ſe propheta ad Iudæorum calamitatem. Quòd autem hęc de Iudæis ſint accipienda, Chriſtus ipſe docuit *Matthæi* 15. qui huius prophetiæ partem quandam populo aſcribit Iudaico. *Populus*, inquit, *hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me*, &c. Docuerat antea propheta quomodo veræ futuræ eſſent propheticæ minæ, quæ ſolitudinem vrbis, & templi prædicabant. Nunc iam perfidiam illam, quæ omnino tollebat, aut certè eleuabat propheticam fidem, alio, eóque proprio incredulorum ſupplicio damnat, & punit. Significat enim, & optimis metaphoris luculenter exprimit, quanto in errore, & ignoratione futurus ſit ille populus, cui priùs à Deo tantus, tam varius, támque aſſiduus ſplendor affulſerat. Sumit autem ſimilitudinem ab ebriis, quibus turbata omnia ſunt, atque confuſa; qui in tutis quoque, ac ſolidis vacillant, & fluctuant, qui non minori æſtu, atque vertigine à vino, quàm nauigantes à vento vorticibúſque iactantur. Sic ergo Iudæis illuſoribus, de quibus ſuprà, ſua opinione prudentiſſimis, in rebus etiam certis nihil occurret certi, quod ſequantur. Neque in deliberando meliùs ſtatuent, quàm hi, quos mente commouit vini poteſtas. Hanc porrò metaphoram ſæpe adhibet ſcriptura, cùm perturbatio mentis, error, aut æſtus animi ſignificatur. *Iſaiæ 51. Audi paupercula ebria, & non a vino.* & *cap. 24. Agitabitur terra ſicut ebrius. Ierem. cap. 25. verſ. 27. Bibite, & inebriamini, & vomite, & cadite.* 14. Ebrietas pro perturbatione, & errore.

ⁱ *Quoniam miſcuit vobis Dominus ſpiritum ſoporis.*] Septuaginta *ſpiritum compunctionis*, & ita legit Paulus *ad Rom.* 11. Eſt autem tam eo loco quàm aliis pluribus *compunctio*, non ea, quæ pungit, adducitque ad pœnitentiam peccatorum animum; 15. Compũctio obſtinatio.

A mum; ſed potiùs, quæ in malo figit, offunditque tenebras, propter quas neque peccator ea cognoſcit, quæ ad meliorem vitam inflammant, neque ea conſiderat, quæ parata ſunt peccatori ſupplicia, atque ideo obſtinato conſilio hæret in malo. Ita Chryſoſtomus, Theodoretus, Oecumenius in illud Pauli teſtimonium, quod ex hoc loco Iſaiæ deſumptum eſt. *Dedit illis Deus ſpiritum compunctionis, oculos vt non videant, aures vt non audiant. Compunctum* itaque ſignificat *fixum eſſe, non moueri*, ſicut, qui confixi ſunt, aut compuncti clauis, verſare ſe aut commouere non poſſunt.

16. Hæc autem omnia optimè explicantur per *ſpiritum ſoporis*. nam *ſopor*, qui Hebr. תרדמה *tardemah*, *ſomnum* ſignificat, non quemcumque, non leuem, qui otij atque quietis gratia ducitur, ſed B grauem, & profundum, qui ita languentes conſopit, vt altè ſepeliat, quique mortis quædam imago eſt. Qualis erat ille, quem miſit Dominus in Adam, à quo excitatus non eſt, detracta coſta ex qua Deus Euam coniugem formauit; & qualis ille, qui ita oppreſſerat Ionam, vt neque vehemens in tempeſtate nauis agitatio, neque vectorum clamor, & concurſatio, neque periculum præſens, neque conſcientiæ ſtimuli, illum ab eo ſomno excitare potuerint. Talis ſopor qui irruit in Abraham *Gen. 15.* In his locis omnibus eſt תרדמה *tardemah*. Quia ergo huiuſmodi ſopor id efficit in homine, quod ebrietas, quæ mentem ſi non adimit, certè obſcurat, & commouet, ideo huic ſpiritui ſiue compun- C ctionis, ſiue ſoporis plerumque additur id, quod proprium eſt vini, nempe *miſcere, potare*, & ſimilia,

Pſal. 59. *Pſal. 59. Potaſti nos vino compunctionis.* &

Iſaiæ 19. *Iſaiæ cap. 19.* de Ægypto, *Dominus miſcuit in medio eius ſpiritum vertiginis; & errare fecerunt Ægyptum in*

Ad Rom. 11. *omni opere ſuo.* Et quod Paulus *ad Rom. 11.* dixit, *Dedit illis Deus ſpiritum compunctionis*, Septuaginta vertunt, *Potauit vos Dominus ſpiritu compunctionis.* Quomodo verò Deus ſpiritum compunctionis mittat, aut miſceat, diſputant Theologi, & communiter dicunt non tam immitti à Deo ſoporem, quàm permitti, neque tam inducere in malum, quàm id negare, quod à malo re ipſa liberaturum ſit. Qua de re vide plura apud Scholaſticos.

17. [k] *Claudet oculos veſtros, prophetas, & principes veſtros, qui vident viſiones operiet.*] Hic eſt effectus D vini illius ſoporiferi, aut ſpiritus compunctionis, vt non videant illuſores illi, quod ipſis proponitur ad ſalutem lumen; aut non intelligant, quæ per prophetas ad ipſos perferuntur oracula. Id enim eſt *prophetas operire*, id eſt, ita occultare illorum verba, vt ipſis obijciantur, aut tanquam peregrina, aut ſicut in libro ſignato. Quod aptè, & ornatè declarat propheta eleganti mimeſi, quæ obſcura non eſt. Illud verò,

[l] *Et dabitur liber neſcienti literas.*] hanc habet ſententiam: Quemadmodum ſi liber detur neſcienti literas. Subaudienda eſt enim nota ſimilitudinis vulgato Hebræorum more. Quare illius mimeſis hic erit ſenſus, Sapientibus atque inſipientibus, E æquè erunt ignota prophetarum verba, atque diuina oracula, quaſi eſſent in clauſo, atque obſignato libro. Vt enim qui neſcit literas, reſpondet omnino ſe neſcire; ſic etiam qui ſcit, id eſt, ſcriba, & legis peritus, ſe ignorare apertè confitebitur.

18. [m] *Eo quòd appropinquat populus iſte ore ſuo, & labiis ſuis glorificat me, cor autem eius longe eſt à me. Et timuerunt me mandato hominum, & doctrinis.*] Locus iſte non parum habetet obſcuritatis, niſi

A Chriſti voce illi foret allata lux: qui iuxta Septuaginta verſionem citauit, declarauitque *Matthæi 15.* Matth. 15. *& Marci 7. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me: ſine cauſa enim colunt me docentes doctrinas, & mandata hominum.* Ex quibus verbis id habemus, *timere*, quod reddidit vulgatus, idem eſſe quod *colere*, quod eius loco Chriſtus adhibuit. Nam religioſus metus, qui ex obſeruantia naſcitur, cultus quidam eſt; neque id tantùm apud ſacros, & canonicos, ſed etiam apud profanos, & ethnicos ſcriptores; De ſacris ſatis conſtat, cùm videamus *timoratos*, aut *Deum timentes* paſſim pro ſanctis, & religioſis hominibus vſurpari. De profanis diximus *ad caput 2. Actuum num. 48.* Docet hoc Seruius ad illud Virgil. 1. *Æneid.*

Timor pro religione.

B *Horrentique atro nemus imminet vmbra.*

Quo ſenſu dixit Lucanus.

Arboribus ſuus horror ineſt.

Et ſanè *vereor*, atque *reuereor*, cùm metum ſignificent, ad oſtendendam religioſam obſeruantiam ſæpius adhibentur.

19. Habemus ſecundò, *coli Deum mandato, & doctrinis hominum*, idem eſſe atque exhibere tanquam religioſa illa, non quæ Deus offerri ſibi vult, ſed quæ homines ſuo potiùs ſpiritu adducti, quàm afflati atque edocti diuino, facienda præſcribunt. Quale erat id, de quo tunc ſermo *Matthæi 15.* offerre munus altari, quod præcipiebant Phariſæi, relictis in egeſtate parentibus, quod prohibebat Deus.

20. C Hic obſerua quàm iuſtè Deus ac conuenienter puniat illuſores Iudæos: nam cum ipſi labia, id eſt, inanes tantùm ſonos offerrent Deo, &, quod præcipuum eſt, cor aut ſibi retinerent, aut conſectarent aliis: ſic etiam Deus literas tantùm, & voces ſcripturarum illis tradidit; ſenſum tamen illatum, & quaſi animum, & ſpiritum obſignauit, & clauſit. quemadmodum Chriſtus dixit, *videntes non videant, & audientes non intelligant.* Exhibebant illuſores iſti Deo vanas laudes, & opera mortua; accipiunt, ſi quid in Scriptura vanum exiſtimari poteſt, nudam & occidentem literam, cuius ſcientiam, & medullam non guſtarent.

Talia refert Deus, qualia ab hominibus accipit.

Scientia peccatoris vana.

21. [n] *Ideo ecce ego addam, vt admirationem faciam populo huic miraculo grandi, & ſtupendo: peribit enim* D *ſapientia à ſapientibus.*] Grauiſſimum, ſtupendúmque ſupplicium eſt, dignúmque eorum inſipientia, qui ſibi perſuadent ſatis ſe facturos Deo, ſi externa tantùm opera, id eſt, mortua offerant dona, & non animata, atque ſpirantia, id eſt, quæ cor ſecum offerentis non offerant. Obſtupendum planè, & horribile miraculum, ſiue ſupplicij grauitatem intueare quod ſanè ſuprà, quàm dici poteſt, acerbum eſt, carere nempe ea luce, quæ ex ſacris monumentis affulget: ſiue perſonas, quæ eo ſupplicio mulctandæ ſunt: ſunt enim ſapientes, quique aſſiduè verſant Scripturarum myſteria, & legis arcana. Quid enim ſtupendum magis, quàm ſapientes viros in errorem tam pueriliter labi? in tanta doctrina tam E miſerabiliter offendere? in tam trita ſemita, & in tanta luce tam fœdè, tam periculosè cæcutire? Adduxit hunc locum Paulus 1. *Corinth.* 1. ſed paulò aliter quàm vulgatus & Septuaginta; ſed quod ſæpe faciunt ſcriptores canonici in nouo teſtamento, eodem ſenſu. *Perdam*, inquit, *ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo:* Agebat autem de cruce, in qua prudentes huius ſeculi ſtultitiam vident; electi verò Dei virtutem & potentiam. Hæc multi de tempore Euangelij accipiunt:

Graue ſupplicium ſi à ſapientibus populi auferatur ſapiétia.

Ita vt Hebræorum ſapientes Chriſtum cognituri non ſint; Alij *ſtupendum miraculum* eſſe putant, quia Dominus ea faciet, quæ longè ſe attollent ſupra omnem humanam cogitationem. Vtrumque ſanè verum eſt; ſed ego hæc latiùs pertinere puto, vt indicat ſatis quod mox attexitur.

21. ° *Væ qui profundi eſtis corde, vt à Domino abſcondatis conſilium, quorum ſunt in tenebris opera, & dicunt, Quis videt nos?*] Hæc diuerſa videri poterat prophetia, ſed puto cum Hieronymo cum ſuperiori eſſe contexendam. Eſt autem hæc ſtultorum ignorantia ſtupenda, & quæ admirationem faciat, qua putant, ſi ſcelera ſua aut in tenebris fiant, aut abditis terræ finibus, latere poſſe diuinos oculos. In quo errore fuiſſe plurimos tempore Iſaiæ ſatis ſuadet locus iſte. & non longè antea *Eccleſiaſt.* 16. *Non dicas à Deo abſcondar, & in ſummo quis mei memorabitur?* Et hanc eſſe cauſam indicat Ezechiel *cap.* 9. cur Iſrael tot exundarit peccatis: quia ſibi perſuaſerat neque curare, neque videre Deum hominum peccata. *Iniquitas*, inquit, *domus Iſrael & Iuda magna eſt nimis valde, & repleta eſt terra ſanguinibus, & ciuitas repleta eſt auerſione: dixerunt enim, Dereliquit Dominus terram, & Dominus non videt.* Quæ cogitatio iam antea inſipientium hominum animos imbuerat, addideratque in omne vitiorum genus audaciam. Putabant enim Deum in cœlo ita ſuam ſibi locaſſe ſedem, vt cæleſtium tantùm memor humana aut non videret, aut non curaret. *Pſal.* 94. *Dixerunt, non videbit Dominus, neque intelliget Deus Iacob.* Idem Iob *cap.* 22. *Dicunt impij, nubes latibulum eius, nec noſtra conſiderat: & circa cardines cœli perambulat.* Et quæ maior cæcitas? in his præſertim, qui ex Scriptura didicere Deum vbique eſſe, & complere omnia. Miraculum planè ſtupendum, ſupplicium ſummo ſtudio, atque opere formidandum.

Stulti ſua conſilia occulta eſſe Domino putant.

Dei obliuio multorum peccatorum cauſa.

23. Hîc duo notanda, alterum eſt vbi vulgatus habet *profundi eſtis corde*, in Hebraico eſſe, *qui profundatis*; additum tamen à vulgato *corde* explicationis gratia. *Profundare* autem aliquid ſignificat amplius, nempe non tantùm cogitationes, atque conſilia, quæ occulta eſſe Domino putabant ſtulti, ſed etiam opera in latebras coniecta, ad quæ exiſtimabant non peruenire diuinos oculos. Alterum eſt Hebræorum more tranſitum eſſe à ſecunda perſona ad tertiam; cùm enim dixiſſet, *Væ qui profundi eſtis*, addidit *& dicunt*, cùm iuxta communem loquendi modum dicendum eſſet, *& dicitis.*

24. P *Peruerſa eſt hæc veſtra cogitatio quaſi lutum contra figulum cogitet, & dicat opus factori ſuo, non fecisti me, & figmentum fictori ſuo, non intelliges.*] Hebræi hunc locum ſic accipiunt, vt hi, qui ſua conſilia abſcondita eſſe à Deo putant, tam facilè à Deo verti ac ſolui poſſint, quàm facilè à figulo in conuerſione totæ lutea franguntur, ac diſſipantur vaſa. Quos aliqui è noſtris ſequuntur, in quibus eſt Vatablus: neque hæc expoſitio diſplicet Foreiro. Pro quo obſeruandum in textu Hebraico non eſſe *cogitatio*, ſed tantùm in infinitiuo *vertere veſtrum*, aut certè *peruerſitas veſtra*, hoc ſenſu. Vertere veſtrum, quo videlicet à Deo conuertimini, atque formamini tanquam in figulari rota, eſt inſtar conuerſionis lutei vaſis, quod à figulo fingitur. Sed noſter Vulgatus multò meliùs expreſſit, & magis ad textum conſentaneè: in quo impij aliquid latere exiſtimabant diuinam cognitionem. Comparatur enim ſtolidum hoc hominum genus luteo vaſi, eo temporis articulo, quo à figulo in rota verſatur, & fingitur, quod in fictore ſuo prudentiam, & oculos deſiderat, cùm tamen lutum ipſum multò magis ſit cæcum. Vt enim ſi talis eſſet cogitatio in figmento luteo, omnes cum ſtomacho & riſu acciperent verba illa ſtultiſſimæ plena futilitatis; ſic planè audienda verba illorum, qui in eo, à quo formati ſunt non ex nobiliori materia, quàm figlinum vas, & à cuius ipſi vi, atque præſentia pendent, intelligentiam, & cognitionem requirunt. Hæc metaphora frequens eſt in Scriptura, infrà *cap.* 45. *Numquid dicet lutum figulo ſuo? quid facis?* Idem Paulus *ad Rom.* 9. Ieremias *cap.* 18. Vbi lutum in manu figuli eſſe dicitur. Et quidem Hieronymus Paulum ſpectaſſe putat ad hunc Iſaiæ locum, & tradit Regulam ſæpius à Doctoribus vſurpatam, Apoſtolos, & Euangeliſtas, ex Hebræo teſtimonia conuertere *ſine damno ſenſuum*; verbis tamen aut dicendi forma diuerſis. Quod ſi ſenſus huius loci eſt, quem ibi Paulus adducit, ſine dubio vas in propoſita ſimilitudine adhuc in rota eſt, & ab artifice formatur, vt ſuprà cogitabam.

q *Nonne adhuc in modico & in breui conuertetur Libanus in Charmel, & Charmel in ſaltum reputabitur?*] Ecce iam aliud ſupplicium eorum, quibus prophetarum oracula non aliter audita ſunt quàm mimorum fabulæ, aut impoſtorum præſtigiæ. Futurum eſt enim, vt illi cæci ſint, neque tam amanter, ac ſedulò cæleſtibus diſciplinis exculti; & ad peregrinos, & alienos transferatur illa tanta ſedulitas. Quod optimè explicatur per Libanum, & Charmel: nam Libanus mons incultus eſt, non vini, non olei, aut frumenti ferax ſed materiæ cæduæ, atque aromatiferæ (mitto modò vallès quæ in tractu Libani ſunt, in quibus eſſe dicitur magna vini atque frumenti copia) atque ita illum nulla agricolarum arte, atque ſtudio coli neceſſe erat; contrà verò Charmel, vt nomen ipſum indicat, conſitus erat vineis, quare aſſiduo agricolarum ſtudio, excultum eſſe oportuit, vinea enim, vt rei ruſticæ magiſtri docent, perpetuam operam, & laborem indefeſſum deſiderat. Sic Virgil. 1. *Georg.* de vinea. 25.

Vinea perpetuam operam deſiderat.

Cui nunquam exhauſti ſatis eſt; namque omne quotannis
Térque quatérque ſolum ſcindēdum, glebáque verſis
Æternùm frangenda bidentibus, omne leuandum
Fronde nemus, redit agricolis labor actus in orbem.

Idem Columella *lib.* 4. *cap.* 13. Quod Theophraſtus paucis expreſſit cùm dixit πόνος ἐπίπονος, id eſt, *labor labori additus*, ſeu *labor labori ſuccedens.* Vide quæ diximus ad illud *Cant.* 1. *Poſuerunt me cuſtodem in vineis.* Et de Charmel peculiaris eſt ratio, quoad ſpiritualem culturam, nam ibi conſediſſe Heliam, & Heliſæum conſtat: qui de cœlo crebras illuſtrationes & alia dona, quibus piorum mentes excoluntur, acceperunt.

Ait ergo Iſaias propter illius populi incredulitatem, & væſaniam eam futuram rerum mutationem, vt qui priùs ita accipiebantur, colebantúrque aſſiduè, atque benignè, ſicut à vinitore coli ſolet optima vinea, aut à topiario ſpecioſus hortus, illi vſque adeò relinquantur neglecti, atque deſerti, ſicut ſylua feris tantùm arboribus, ac fruticibus denſa; & locus antea ſentus, & ſqualidus ſylueſtri tantùm frutice horridus, colatur tamen eo ſtudio, quod antea vineæ, atque horto ſolitum eſſet impendi. Eâdem metaphorâ in eodem etiam argumento vſus eſt *cap.* 7. *verſ.* 23. *Omnis locus vbi fuerint mille vites mille argenteis, in ſpinas, & in vepres erunt, cum ſagittis, & arcu ingredientur illùc.* Cæte- 26.

tùm

Prouerbiũ. rùm *Charmelum* prouerbiali ſpecie ſumi docet Hieronymus *in cap.16. Iſaia cap.10. Idioma*, inquit, *ſcripturarum eſt vt montem Charmelum fertilitati compares.*

27. Qui hæc ad tempora captiuitatis, vrbiſque direptionem referret, nihil credo diceret, aut à textu alienum, aut ab hiſtoriæ fide: ita vt Charmel mons vber, in delicijſque habitus à Iudæis, propter ciuium, cultorúmque ſolitudinem ita ſit futurus incultus, & horridus, vt mutatus videri poſſit in ſaltum adeò ſpinoſum, & aſperum, vt eius comparatione Libanus mons aſper, & incultus tanquam Charmel amœniſſimus, atque cultiſſimus cenſeri debeat. Quomodo in omni fere idiomate cùm aliquid amplificare volumus, ea adducere ſolemus, quæ in eo genere extrema ſunt. Quomodo ſi alicuius puſillitatem exaggeres, formicam dicis eius comparatione elephantum videri; & dum amatum cibum ſignificas, præ illius amaricie habere dicis abſinthium mellis inſtar; & principem virum, & delicatum eò veniſſe calamitatis à patria exulem, vt delicias computet eſſe ſub ſentibus. Quomodo Iob *cap.6.* iam inops, & ſanioſis vlceribus fœdus dixit, *Quæ priùs nolebat tangere anima mea, nunc præ anguſtia cibi mei ſunt.* Sic Charmel, quondam amœniſſimus, atque cultiſſimus, futurus eſſe dicitur à Deo ſylueſtris, & incultus, vt Libanus mons aſper, & horridus, eius comparatione Charmel, id eſt, diligenti agricolarum ſtudio cultus videri poſſit. Et ad hanc explicationem plurimùm facit, quòd hæc durè videntur trahi ad Euangelij tempus. Nam hæc rerum viciſſitudo futura eſſe dicitur *in modico & in breui*, quod minimè videtur aptari poſſe in aduentum Chriſti, Gentiúmque vocationem, quæ ſeptingentis annis, & eo ampliùs contigit ab hoc vaticinio.

28. Nihilominus communiter omnes hic de Gentium vocatione, reprobationéque Iudæorum ſermonem eſſe ſtatuunt: quod mihi quoque videtur eſſe dicendum. Neque reſpuit totius capitis continens filum, & facit quòd Charmel, qui in ſyluam mutandus eſſe dicitur, à Iudæis colebatur, Libanus autem à Gentibus. Quare opera illa ſedula, ac benigna à Charmel ad Libanum traducta ſatis indicat humaniùs aliquando indulgendum eſſe Gentilico, quàm Iudaico populo.

29. Neque vehementer vrget quod modò obijciebamus, in tempus, quod tam ab hoc articulo diſtaret, quale eſt Euangelicum, illud *in modico & breui*, minùs aptè quadrare. Cui difficultati Hieronymus reſpondet ſpatium illud breue eſſe ac modicum, ſi æternitatem ſpectes. Sed etiam ſi nullus hic ſit ad æternitatem reſpectus, *breue* tamen vocari poteſt ſpatium illud, quod ad Chriſti vſque aduentum, & illam rerum viciſſitudinem interiectum eſt. Nam ſi tempus obſerues, ex quo populus ille Iudaicus electus eſt à Domino, & ab optimis parentibus ad pietatem inſtitutus, deprehendes non adeò multum ſupereſſe temporis, donec populus ille tanquam alienus à Deo repellatur. Nam ab Abraham quo tempore ſtigmate proprio Dei populus cenſeri cœpit, ad hoc Iſaiæ tempus anni numerantur circiter 1300. inde ad Chriſti ortum 700. Quare partes penè duæ electionis illius exactæ fuerant. Aut certè quidquid a prophetarum tempore ſpatij eſt, ad Euangelij tempus, quod longum eſt, ad finem nimirum ſæculorum porrectum, *modicum* dicitur, *& breue*. Quomodo *Aggæus cap.2.* de tempore Chriſti proditur. *Adhuc vnum modicum eſt, & ego commouebo cœlum, & terram, &c. & veniet deſideratus cunctis gentibus.* Et *Habac.2.* modicum fore tempus oſtendit cùm dicit, *Veniens veniet, & non tardabit.* Siue ergo ad æternitatem referas, vt putat Hieronymus, & cum eo plures, ſiue ad tempora, quibus durabit Euangelium reprobata Synagoga, ſatis modicum eſt quidquid Iudaicæ religionis, atque, vt ita loquar, filiationis ſpatij ſupererit.

30. [r] *Et audient in die illa ſurdi verba libri, & de tenebris, & caligine oculi cæcorum videbunt.*] Clariùs aliquantulo dicitur, quod obſcuriùs in metaphora Libani & Charmeli propoſitum fuerat: & eſt pars illius grandis, & ſtupendi miraculi, quo ita peritura dicebatur prudentia à prudentibus, vt verba prophetica futura fuerint tanquam verba libri ſignati. Nunc verò oſtendit, facta rerum admiranda commutatione, orituram eſſe lucem cæcis antea Gentilibus, & eos, qui ad illud vſque ſæculum ſurdi fuerant, pòſt apertas, & dociles aures habituros, ad diuinas voces, ad quas illuſores Iudæi priùs obſurduerant. Quod Chriſtus ipſe docuit *Ioan. 9. In iudicium veni in hunc mundum, vt qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant.*

31. [s] *Et addent mites in Domino lætitiam, & pauperes homines in ſancto Iſrael exultabunt.*] *Mites*, & *pauperes* illi ſunt, quos ſuperba Iudæorum hypocriſis contemnebat, ſiue ſint Apoſtoli, de quibus Chriſtus *Abſcondiſti hæc à ſapientibus, & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis.* Siue, quod magis reor facere ad textum, filúmque capitis, Gentiles: quos Iudæi ita præ ſe viles habuerunt, vt etiam conuictu, atque congreſſu indignos cenſuerint: vſque adeò, vt exiſtimauerint niſi circumciſos priùs ad Eccleſiam accedere non oportere. *Act. cap. 15.* Hi ergo exultabunt cùm à Deo tantam ſibi lucem affulſiſſe viderint. *Sanctus Iſrael* ſæpe ab hoc propheta Deus vocatur; quia Iſraelem ſanctificat, & ab Iſraele colitur.

32. [t] *Quoniam defecit, qui præualebat, conſummatus eſt illuſor.*] Præualebant ſanè Iudæi ad illud vſque aureum ſæculum. *Quia Deus non fecit taliter omni nationi, & conſilia ſua non manifeſtauit eis.* Sed Deus alios, populum nempe Gentilicum in ſuorum conſiliorum ſocietatem vocabit. Dum verò Iudæus hoc loco dicitur *illuſor*, ſicut paulò ante iterum, oſtenditur cauſa, cur à Deo tanquam alienus tractandus ſit: quia videlicet ipſius verba cum ſibilo excipiebat, atque conuitio, illud ingeminans, de quo nuper, *manda remanda.*

33. [u] *Succiſi ſunt omnes qui vigilabant ſuper iniquitatem: qui peccare faciebant homines in verbo: & arguentem in porta ſupplantabant.*] Hæc referenda ſunt ad id, quod Iudæis probro ac crimini datum eſt paulò antè. Neque enim aliud eſt vigilare ſuper iniquitatem, quàm animo eſſe ad malum intento, neque quicquam habere prius, ac charius, quàm immoderatas explere cupiditates: in quod nocturnæ excubiæ, & antelucanæ vigiliæ conſerebantur. *Peccare* autem *facere in verbo*, illud eſt quod modò dicebatur, *Timuerunt me mandato hominum, & doctrinis.* Nouis etenim præceptis, atque traditionibus illuſores iſti homines alios à lege, veráque doctrina diſtrahebant. *Supplantare arguentem in porta*, nihil eſt aliud meo iudicio, quàm irridere prophetas in portis, id eſt, in Iudæorum conuentibus diuina iudicia & minas denuntiantibus: quando dicebant procaci ac inuerecunda lingua, *manda, remanda.* Et inſuper corũ vitæ inſidiari, quia reprehenſionis aculeos ferre non poterāt. Quod experti

ſunt Amos, Ieremias, Iſaias, Zacharias, & alij, de quibus Stephanus *Act.* 7. *Quem prophetarum non ſunt perſecuti parentes veſtri.*

34. *x Et declinauerunt fruſtra à iuſto.*] *Iuſtus* dicitur Chriſtus, vt *in Act. Apoſt.* ſæpe, & ita hîc putat Hieronymus. Sed hoc loco alium eſſe ſenſum exiſtimo, qui magis pateat latè, nempe quia leges perfregerunt, & iura, neque æqui iudicij rationem vllam habuerunt, quod in criminibus ſtatim primo capite obiectum eſt Iudæis. *Pupillo non iudicant, & cauſa vidua non ingreditur ad illos.* Tametſi illud quoque de Chriſto hûc pertinere credam, & fortaſſe præcipuè.

35. *y Propter hoc hæc dicit Dominus ad domum Iacob, qui redemit Abraham. Non modo confundetur Iacob, &c. Sed cùm viderit filios ſuos opera manuum mearum in medio ſui ſanctificantes nomen meum.*] Hæc S. Thom. & Cyrillus de Iudæorum conuerſione accipiunt, quæ erit in fine ſæculorum, quando ingreſſa in Eccleſiam fuerit plenitudo Gentium, putàque illud *confundi* ſumi pro pœnitentia, quæ Iudæos afficiet, cum recordentur peccatorum ſuorum, & maximè quòd Chriſtum non admiſerint, ſed in crucem egerint: de qua confuſione eſt illud *Eccle.* 4. *Eſt confuſio adducens gloriam, & gratiam. Abraham* autem, & *Iacob* ſumitur pro filiis Abraham, id eſt, pro Iſraelitis. Tunc verò ſenſus eſt. Confundetur aliquando Iacob, & erubeſcet, quia peccauit, hoc tamen non modò, ſed cùm Apoſtolorum prædicatione plenitudo Gentium in Eccleſiam intrauerit. Plures alij hæc de Gentibus accipiunt, quæ excluſis Iudæis in eorum locum aſcribentur. In quibus ſunt Adamus, Pintus, Procopius. Dicit verò propheta hanc rerum viciſſitudinem futuram non modò, id eſt, non in ſuo tempore, ſed longè pòſt, nempe poſt aduentum Meſſiæ. Mutationem verò illam *confuſionem* vocat *Abraham, & Iacob:* quia à filiis ſuis ſecundum carnem tranſlatam videbunt ad Gentes antiquam gloriam. *Filij* autem *Iacob, & opera manuum Domini* iuxta Hieronymum, & alios pleroſque Apoſtoli ſunt à Deo electi, & ad tantum munus ſpeciali quadam prouidentia formati. Qui filij fuerunt Iacob, & Abraham, quia ex eorum genere prognati ex tribubus nimirum Iuda, Zabulon, & Nephthalim. Cùm ergo iſti prædicauerint, ſanctificauerintque Deum Iacob adſcitis ad Eccleſiam Gentibus, tunc confundetur Abraham, & Iacob, non quòd ægrè ferant Gentes vocari, aut illis vnquam futurum ſit pudori; ſed loquitur Iſaias accommodatè ad humanum ſenſum, quod ſcriptura ſæpe facit. Solent autem homines pudefieri, cùm ignobiles, atque deſpectos filios eſſe vident, & ab illis inſignes titulos ad alios transferri. Illud *propter hoc* cauſam reddit, non quòd ſerò, ſed quòd aliquando Gens Iudaica ignominiam illam & confuſionem ſubitura ſit. Hic ſenſu. Propter hoc confundetur, & erubeſcet Iacob, non tamen hoc tempore, ſed longè pòſt cùm Meſſias aduenerit.

36. Hæc aliter accipiunt Foreirus & Oſorius, ita vt Gentium conuerſio futura non ſit pudori Iacob, & Abraham. Nam Iudaici populi detrimenta magno incremento reſarcient alij Abraham filij, & veri Iſraelitæ; non quidem ſecundum ſanguinis communitatem, ſed ſecundum fidei propagationem. Quòd verò iſti *filij* dicantur *Abraham*, dicimus à Paulo *ad Galat.* 3. *Qui ex fide ſunt, hi ſunt filij Abrahæ.* Sed eſt expoſitio durior, ad quam difficile trahi poſſunt verba textus: neque modò confundendi dicuntur Iacob, & Abraham, ſed poſtea. Atqui poſtea non dicuntur confundendi, quia Gentes in Abrahami familiam per fidem cooptatæ, gloriæ potiùs erunt, quam rubori. Quare ex horum ſententia nunquam erit illa confuſio de qua nunc Iſaias.

z Et ſcient errantes ſpiritu intellectum, & muſſitatores diſcent legem.] De Gentibus hæc accipiunt Dionyſius, Adamus, Foreirus, Lyra, Pintus. Quæ ideo *errantes* videntur dici poſſe, quia nihil habebant vnum, & certum, quod ſequerentur, ſed modò ad hæc, modò ad illa idolorum monſtra errabundo ſpiritu ferebantur. Item *muſſitatores*, quia contra Deum, quem colebant Iudæi, non ſolùm ſecum taciti murmurabant, ſed etiam apertè, & publicè quiduis indignum cum faſtidio, & probro in vulgus effundebant. Qua de re multa apud Martialem, Iuuenalem *Satyra* 14. Iuſtinum, & Cornelium Tacitum. Illæ ergo Gentes, quæ periculoſis ducebantur erroribus, quid verum, ac ſanctum ſit, aliquando cognoſcent: & qui priùs libero inſectabantur conuitio diuinæ legis amatores, iidem meliori iam mente, atque conſilio legem illam auidè complectentur, quam hoſtili priùs animo auerſabantur. In hanc ferme ſententiam explicant hunc locum Dionyſius, & Adamus. Et mihi videtur expoſitio ſatis expedita, & ad textum apta. 37.

38. Hæc quæ diximus de Gentium conuerſione ab illis verbis *Propter hoc dicit Dominus*, mihi quàm veriſſimè, & quàm facillimè dici poſſe, atque intelligi videntur, ſed quia multi ex Patribus de Iudæis accipiunt, ideo de illis nos quoque ad extremum interpretemur. Quomodo hæc de Iudæorum conuerſione ad finem ſæculorum acceperint S.Thom. & Cyrillus, diximus ſuprà. Sentiunt alij hæc de Iudæis quidem accipi oportere, in tempore tamen Euangelij: Ita vt Domus Iacob poſtquam Chriſtum reiecerit prædicantibus Apoſtolis, orto ex ſcelerum conſcientia rubore, & confuſione ad pœnitentiam adducenda ſit, & illum amplexura magno ſtudio, quem antea cum faſtidio reiecerat. Nihil ergo iuxta hanc explicationem hîc agitur de rubore Abraham, & Iacob, ſed de vtili filiorum confuſione ad pœnitentiam. Ita tenet Hieronymus, Haymo, Dionyſius, Hugo, Lyra, & interlinearis, cui ego propter tot virorum auctoritatem libenter adhæreo, licèt non minùs placeat, quam antea probaueram.

39. *Et ſcient errantes.*] Hæc etiam ad Iudæos referunt iidem, qui ſuprà: quibus adde S.Thom. & Cyrillum. Ita vt illi ſcelerum conſcij, & per Apoſtolos ab errore liberati diſcant quam ignorarant priùs ſalutis viam; & qui olim tam in deſerto, antequam in terram promiſſionis eſſent ingreſſi, quàm iam in ſua regione conſtituti contra Moyſem, & Deum non tantùm tacitè ſecum muſſitare, ſed etiam obloqui apertè, & clamare ſoliti eſſent, iam ſubmittant ceruices, ſingularéque Dei beneficium eſſe ducant vocari ad Chriſti iugum, & participes eſſe Euangelicæ lucis. Nihilominus non mihi diſplicet expoſitio, quæ hæc de Gentibus accipit, quæ à bonis auctoribus deſtituta non eſt.

Argument.

Argumentum trigeſimi capitis Iſaiæ.

VATICINIVM hoc eſt contra Iudæos illos, qui exciſa Hieroſolyma per Chaldæos, maluerunt ad Ægyptios confugere, quàm in propriis, & antiquis ſedibus remanere. A quo conſilio illos ſæpe, & grauiter reuocabat Ieremias cap. 42. & 43. Oſtendit ergo propheta primum auxilium ab Ægyptiis, & futile futurum, & fallax: à quo nihil habebunt præter pudorem, & ignominiam. Deinde viam illam Auſtralem, quæ ad Ægyptios ducit, plenam eſſe periculorum propter diras, & venenatas belluas, quibus regio illa ſiticuloſa abundat. Secundò iubet Dominus vt propheta hæc in tabulis deſcribat buxeis, quæ futura ſint in poſterum Dei benignitatis, & Iudæorum proteruiæ illuſtre, & publicum teſtimonium. Tertiò docet daturos eſſe pœnas ſtultitiæ ſuæ, quia audire noluere, quæ ipſis magno forent ex vſu; quia minùs erant ad voluptatem. Quartò quòd Deus non ſtatim in Iudæorum perfidiam animaduertat, ſed cohibeat manum ab inferenda plaga, id natum eſſe dicit ex benignitate, ſi quomodo reſipiſcat populus; ne ſeueram Deus extendat, & vltricem manum. Quintò ſignificat quid boni paritura ſit Iudæis illa vexatio, quæ diu illos exercebit in Chaldæorum regno: abiicient enim, quæ coluerunt Deorum ſimulacra. Ex quo etiam fiet vt Deus iam mitior non ad victum ſolùm; ſed etiam ad delicias omnia benignè, atque abundanter indulgeat. Ad extremum oſtendit hoſtibus Iudaici nominis ſeuerum paratum eſſe ſupplicium; quod ad finem vſque capitis mirificè perſequitur.

CAPVT XXX.

1 [a] *VÆ filij deſertores, dicit Dominus, vt faceretis conſilium, & non ex me: [b] & ordiremini telam, & non per ſpiritum meum, vt adderetis peccatum ſuper peccatum.*

2 [c] *Qui ambulatis vt deſcendatis in Aegyptum, [d] & os meum non interrogaſtis, ſperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, & habentes fiduciam in vmbra Aegypti.*

3 [e] *Et erit vobis fortitudo Pharaonis in confuſionem, & fiducia vmbræ Aegypti in ignominiam.*

4 [f] *Erant enim in Tani principes tui, & nuntij tui vſque ad Hanes peruenerunt.*

5 *Omnes confuſi ſunt ſuper populo qui eis prodeſſe non potuit. non fuerunt in auxilium, & in aliquam vtilitatem, ſed in confuſionem, & in opprobrium.*

6 *Onus iumentorum auſtri.* [g] *In terra tribulationis, & anguſtia, leana, & leo ex eis, vipera,*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 VÆ filiis, qui mea mandata deſetentes conſilium eſtis aggreſſi, cuius me neque auctorem, neque hortatorem habuiſtis, vt opus inchoaretis inauſpicatum, me non ſolùm non libente, atque inſpirante, ſed etiam reclamante: vt ad priota crimina noua fieret peccatorum acceſſio.

2 Id enim agitis, vt contra ingruentem hoſtem auxiliates copias ex Ægypto vocetis, me prorſus inconſulto, atque adeò ptohibente fieri. Quaſi in Pharaonis fortitudine ſpes ſalutis veſtræ ſecura conſiſteret; & ſub Ægyptia vmbra nihil ſotet ab hoſte formidandum.

3 Sed longè accidet ſecus, quàm putabatis; nam illa ambitioſa Pharaonis potentia pro auxilio vobis adducet confuſionem, & ex illa vmbra, quam vobis credebatis ſote perfugium, nihil orietut præter ignominiam.

4 Etenim ex ptima nobilitate ptincipes in Tanim nobiliſſimam Ægyptiorum vrbem auxilij gratia legati miſſi ſunt; & ad Hanes vſque, ne re infecta tedirent, peruenetunt.

5 Ex illa tamen ſedulitate atque ſtudio id conſecuti ſunt, vt illos auxilij toties implorati diſpudeat. Neque enim auxilio fuerunt Ægyptij, neque ſupplici Iudæotum populo, aut vllum vſum alium attulerunt, quàm ignominiæ atque opptobtij fœdiſſimam maculam, qua aliarum Gentium conuitia lacerantur.

6 Vaticinium durum contta illos, qui iumentorum inſtar ad Auſtrum pergunt. Videre iam

videor onerata iumenta, camelorúmque dorſa illis opibus, quæ ex Chaldæorum incendio rapuere Solymitani ciues, ex communi interitu ſuperſtites: qui ad Auſtralem plagam, in qua Ægyptus eſt, iter inierunt. Quæ nullum omnino præſtare auxilium poterit; cùm tamen in medio curſu, in ſolitudine æſtuoſa, atque arida effugere non poſſint, quæ paſſim occurrent mortis pericula. Eſt enim regio à qua præter horrorem, & anguſtiam nihil inuenies, in qua leæna, & leo paſſim occurſant; neque venenatarum belluarum exiguus numerus: in quibus eſt vipera; & quorum vis ad nocendum maxima, pennati reguli.

7 Si quod erit ab Ægypto ſubſidium, illud vanum erit prorſus, & inutile. Et ideo clamo, atque edico quieſcendum eſſe ab ea profectione; quia in Ægypto nihil eſt niſi ſuperba, & inanis vitium, atque copiarum oſtentatio.

8 Nunc ergo, inquit ad me Dominus, vt ſeorſum, & à turba ſemotus in tabulis ſcribam buxeis, quæ in Iudæorum frequentia dixeram, vt in die nouiſſimo, quando hæc euenerint, ſe de harum rerum euentu præmonitos negare non poſſint. Immò vt ſit æternum quoddam teſtimonium, & Dei in illum populum benignitatis, & populi in Deum obſtinatæ proteruiæ.

9 Populus enim rebellis eſt & vſque adeò contumax; vt Dei quotidie offenſionem, atque iracundiam acuat; populus infidelis, & mendax, qui Domini Dei ſui legem aſpernatur, & imperium detrectat.

10 Qui prophetis dicunt propoſito honoris capitíſque periculo, ne quid ſe vidiſſe nuncient, quod rectum ſit; ſed quæ futura ſunt ad ſtomachum, & voluptatem; quæ blandiantur ſenſibus, non quæ pungant, etiam ſi illa quamlongiſſimè à veritate receſſerint.

11 Faceſſat, inquiunt, iam ſemita, in quam nos reducere ſtudetis; amouete viam, quam toties nobis ingeminatis. Graue nobis eſt ſæpius audire nomen ſancti Iſrael, quod familiariter, & quaſi legitimè veſtro ſermoni toties obtenditis.

12 Propterea hæc dicit ſanctus Iſrael, cuius vos horretis, & faſtiditis nomen. Pro eo quod oblatum à me conſilium reſpuiſtis, fiduciámque veſtram in fraudulenta Ægyptiorum calumnia, & ambitioſo præſidio collocaſtis;

13 Idcirco Ægyptiorum auxilium erit vobis inſtar partis muri, quæ iam iam ad ruinam procumbit, aut à muro diuulſa eſt: & requiſita, id eſt, deſiderata, quia in muro nō eſt. Inſperatò veniet grauis illa ruina, quæ Pharaonis affliget, ſternétque potentiam; & cum eo pariter opprimet illos, qui eius ſe fidei, atque tutelæ crediderunt.

14 Comminuetur autem Ægyptiorum, vſque adeò cantata, atque à vobis implorata potentia, non ſecus, atque comminui ſolet vas è molli

vipera, & regulus volans, [h] *portantes ſuper humeros iumentorum diuitias ſuas, & ſuper gibbum camelorum theſauros ſuos ad populum qui eis prodeſſe non poterit.*

7 *Aegyptus enim fruſtra, & vanè auxiliabitur.* [i] *Ideo clamaui ſuper hoc, ſuperbia tantùm eſt, quieſce.*

8 [k] *Nunc ergo ingreſſus ſcribe ei ſuper buxum, & in libro diligenter exara illud, & erit in die nouiſſimo in teſtimonium vſque in æternum.*

9 [l] *Populus enim ad iracundiam prouocans eſt, & filij mendaces, filij nolentes audire legem Dei.*

10 *Qui dicunt videntibus, Nolite videre: & aſpicientibus, Nolite aſpicere nobis ea quæ recta ſunt:* [m] *loquimini nobis placentia, videte nobis errores.*

11 *Auferte à me viam, declinate à me ſemitam, ceſſet à facie noſtra ſanctus Iſrael.*

12 [n] *Propterea hæc dicit ſanctus Iſrael, Pro eo quòd reprobaſtis verbum hoc, & ſperaſtis in calumnia, & in tumultu, & innixi eſtis ſuper eo:*

13 [o] *Propterea erit vobis iniquitas hæc ſicut interruptio cadens, & requiſita in muro excelſo, quoniam ſubitò dum non ſperatur, veniet contritio eius.*

14 *Et comminuetur ſicut conteritur lagena figuli contritione perualida: & non inuenietur de fragmentis eius teſta, in qua portetur*

portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aqua de fouea.

molli argilla, & fragili luto, cùm ictu valido à robuſta manu percuſſum eſt. Quod ita conteritur minutim, vt nulli prorſus vſui deſeruiat: cùm neque teſta ſit reliqua ad portandum ignem de vicino late, ſiue ad ſumendum è fouea puſillum aquæ.

15 [q] *Quia hæc dicit Dominus Deus ſanctus Iſrael, Si reuertamini, & quieſcatis, ſalui eritis, In ſilentio, & in ſpe erit fortitudo veſtra.* [r] *Et noluiſtis.*

15 Hæc vobis mandata Dei ſancti Iſrael nomine propoſita ſunt, ſi quieto fueritis animo, cauſamque veſtram non externis auxiliis, quæ fallacia ſunt, ſed diuinæ fidei credideritis: Si ab eo, quod iam placere cœpit, conſilio receſſeritis, incolumes vos, & integros ab hoſte præſtabo. Si cauſa omnino mihi permiſſa, otioſum, atque ſecurum animum habueritis, ea inerit vobis fortitudo, vt nulla vis illam expugnare poſſit. Hæc Dominus ad vos: cui tamen vos vtilia, atque opportuna promittenti parere noluiſtis.

16 *Et dixiſtis, Nequaquam, ſed ad equos fugiemus. Ideo fugietis. Et ſuper veloces aſcendemus: ideo velociores erunt, qui perſequentur vos.*

16 Sed contrà ad tantam benignitatem perfricuiſtis frontē, reſpondiſtíſque. Nequaquam ita fiet, ſed ad Ægyptios, quorum ſtrenuus eſt, & fortis equitatus, auxilij cauſa fugiemus. Atqui eam ob cauſam victi, hoſte à tergo impellente, fugietis. Super illos, dicitis, equos aſcendemus, qui pernici, atque volante curſu hoſtium celeritatem omnem præuertant. Sit ita ſanè; ſed erunt multò velociores illi, qui vos à tergo perſequentur, & capient.

17 [t] *Mille homines à facie terroris vnius, & à facie terroris quinque fugietis,* [t] *donec relinquamini quaſi malus nauis in vertice montis, & quaſi ſignum ſuper collem.*

17 Tantus vobis incutietur pauor, is erit animorum languor & infirmitas, vt à terrore, quem vnus vobis incutiet Chaldæus, fugiatis mille; immò quinque hominum millia vnius tantùm terror vertat in fugam. Donec tandem ex tanta multitudine adeò ſuperſint pauci, vt ſimiles futuri ſint malo, qui fracta naui erigitur in montis faſtigio, aut ſigno in excelſo collis vertice locato; quæ & rara ſunt, & lugubris exitij ſignum, & triſte monimentum.

18 [v] *Propterea expectat Dominus vt miſereatur veſtri: & ideo exaltabitur parcens vobis: quia Deus iudicij Dominus.* [x] *Beati omnes qui expectant eum.*

18 Quia tam graue futurum eſt ſupplicium, & tam dura vexatio; Deus furorem ſuum, atque vindictam cohibet: quò veſtræ calamitatis admoniti tales efficiamini, vt ardentem ad vindictam animum ad miſericordiam inflectatis. Et ideo exaltat manum, & intentat plagam, parcens in præſentia vobis, ſed metum incutiens in futurum. O igitur beati, qui in Domino ſpem collocant ſuam, qui benignus eſt, & ſaluare poteſt.

19 [y] *Populus enim Sion habitabit in Ieruſalem.* [z] *Plorans nequaquam plorabis, miſerens miſerebitur tui. Ad vocem clamoris tui ſtatim vt audierit, reſpondebit tibi.*

19 Beatus planè, qui confidit in Domino. Sicut experietur aliquando populus Iudæorum, ſub Ezechia; qui premente anguſtè illorum terminos Senacherib, illi tamen captiui in alienum ſolum non abducentur; ſicut aliæ tribus, ſed habitabunt in Ieruſalem. Plorabis aliquando, ô Sion, non tamen grauiter, ac diu; quia tui Dominus miſerebitur, & cùm primùm tuos gemitus, & clamores audierit, ad tua vota reſpondebit propitius.

20 [a a] *Et dabit vobis Dominus panem arctum, & aquam breuem:* [b b] *& non faciet auolare*

20 Ita ſe geret tecum Deus, vt primùm ærumnis te, & laboribus exerceat, cui & panis

demenſum erit anguſtum, & aquæ poculum ſic exiguum, vt non ſatis ſit ad ſedandam ſitim. Neque tamen interea doctores auferet, & prophetas, qui vbique locorum tibi frequenter, & familiariter occurſent.

21 Audies itaque illos, & coràm tecum, & à tergo loquentes, iterantéſque identidem, vt viam rectam ingrediare, & ab ea nullo modo, aut nulla ex parte declines.

22 Et impuras profitebere, eóque nomine, vt abominabile aliquid abiicies argenteas laminas, in quibus Deorum ſimulacra, aut illorum phylacteria cælaſti. Tum etiam veſtimẽtum, quod ad eorum cultum, aut ex auro conflaſti, aut ex aureo textu confeciſti, cum eo faſtidio, ac nauſea proiicies, quo vilem pannum menſtruo fœminarum ſanguine pollutum. Tunc verò ſculptili, aut aureo veſtimento cum faſtidio dices, Egredere iam tandem è domo mea, & in malam crucem quamprimùm, aut in fimetum abi.

23 Cùm verò hæc abs te Dominus per arctum panem, & anguſtam aquam impetrauerit, largietur tibi abundantem rerum omnium prouentum. Emittet enim Dominus è cœlo pluuiam, & agros tuos vbicumque locorum ſeminare volueris, vberes, & fœcundos efficiet. Erit quidem magna frumenti copia, neque illud erit euanidum, & debile, ſed pingue, & valde ad nutriendum, confirmandúmque vires opportunum. Pecus præterea tuum in vberibus, atque ſpatioſis paſcuis latè, atque ſecurè vagabitur.

24 Ea erit rerum abundantia, vt tauri, & aſinorum pulli, qui terram exercent, non iam fœnum, vt antea, aut hordeum admixtum paleis comedant, ſed purum, vt in area ventilatum, & in horreo conditum, & ſeruatum eſt, cui tamen ad delicias accedat condimenti aliquid, quod illud fermentet, reddátque palato multò iucundius.

25 Illo verò tempore, cùm hoſtes tuos grandis plaga confecerit: & principes ſublimes, atque exercitus duces, qui celſitudine, & robore turribus videbantur non diſſimiles, repentè conciderint, in omnibus collibus, quantumuis eleuatis, minúſque ad aquarum ſcatebras opportunis, fontes erumpent, qui ſubiectas valles, & agros circumfuſos reddant irriguos.

26 Quando verò Deus ſplendorem reddiderit populo ſuo, inflictúmque ab hoſte vulnus alligauerit, ſanauerítque, omnia erunt magis fecunda, diéſque multò quàm antea candidiores. Sol enim, & luna fulgebunt multò clariùs, quàm vſquam antea. Luna quidem non aliter quàm ſol; ſol ſeptemplicis ſplendoris incremento ſe ipſo erit illuſtrior.

27 Videte mihi videor venire de longinquo Dominum ſcintillantibus oculis, & toto ore emicantibus flammis, horribilior denique quàm vt

vt

auolare à te vltrà doctorem tuum; & erũt oculi tui videntes præceptorem tuum.

21 *Et aures tuæ audient verbum poſt tergum monentis.* [cc] *Hæc eſt via, ambulate in ea: & non declinetis, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram.*

22 [dd] *Et contaminabis laminas ſculptilium argenti tui, & veſtimentum conflatilis auri tui, & diſperges ea ſicut immunditiam menſtruatæ: Egredere, dices ei.*

23 [ee] *Et dabitur pluuia ſemini tuo vbicumque ſeminaueris in terra, & panis frugum terræ erit vberrimus, & pinguis. paſcetur in poſſeſſione tua in die illo agnus ſpatioſè.*

24 *Et tauri tui, & pulli aſinorum qui operantur terram,* [ff] *commixtum migma comedent ſicut in area ventilatum eſt.*

25 [gg] *Et erunt ſuper omnem montem excelſum, & ſuper omnem collem eleuatum riui currentium aquarum in die interfectionis multorum, cùm ceciderint turres.*

26 [hh] *Et erit lux lunæ ſicut lux ſolis, & lux ſolis erit ſeptempliciter, ſicut lux ſeptem dierum in die qua alligauerit Dominus vulnus populi ſui, & percuſſuram plagæ eius ſanauerit.*

27 [ii] *Ecce nomen Domini venit de longinquo,* [kk] *ardens furor eius, & grauis ad portandum.* [ll] *Labia eius repleta ſunt*

indigna

indignatione, [mm] *& lingua eius quaſi ignis deuorans.*

vt ſuſtineri, aut expectari poſſit: incitato vocis, atque frementi ſono, vt pote qui ſpumet furorē, & vindictam anhelet. Lingua eius quaſi lingua, ſeu flāma ignis, quæ vniuerſa populatur, & vorat.

28 [nn] *Spiritus eius velut torrens inundans vſque ad medium colli,* [oo] *ad perdendas gentes in nihilum,* [pp] *& frænum erroris quod erat in maxillis populorum.*

28 Halitus, qui ex eius ore indignationis pleno expiratur, & fumat, ſic erit vehemens, vt non aliter atque torrens incitatus, & præceps, qui ad medium vſque collum hominum intumuit, ſtratutus videatur, perditurúſque gentes, ablaturúſque ſeruitutis frænum è Iudæorum maxillis, quod eorum plurimos in errorem induxerat.

29 [qq] *Canticum erit vobis ſicut nox ſanctificatæ ſolemnitatis, & lætitia cordis ſicut qui pergit cum tibia vt intret in montem Domini ad fortem Iſrael.*

29 Tunc verò canticum erit vobis, feſtiuúſque plauſus, qualis eſſe ſolet ea nocte, qua ex hortis, & agris noui coniuges, in montem Domini, id eſt, in ciuitatem Solymitanam, vbi habitat, colitúrque ſanctus Iſrael, cum tibia, atque ſymphonia traducuntur. Quæ lætitia vana, aut ſimulata non eſt; ſed vera, & quæ illorum, qui nuptialibus interſunt ſactis, complet, irrigátque præcordia.

30 [rr] *Et auditam faciet Dominus gloriam vocis ſuæ, & terrorem brachij ſui oſtendet in comminatione furoris, & flamma ignis deuorantis. Allidet in turbine, & in lapide grandinis.*

30 Lætitiæ verò cauſa erit, neque leuis, neque vulgaris, quia quod Dominus modo ſui populi vexatoribus, atque hoſtibus minatus eſt, id re ipſa cumulatè præſtabit. Intentabit enim hoſtibus ad plagam horribile brachium, quod comminatus fuerat: & flammam deuorantem, quam in ore flammante geſtare videbatur. Denique in turbine, & nimbo, vibratáque de cœlo grandine hoſtiles acies funditus allidet.

31 [ſſ] *A voce enim Domini pauebit Aſſur virga percuſſus.*

31 Aſſyrius, qui tam ſibi potens videbatur, blandiebatúrque ſibi, quaſi iam compos optatæ victoriæ; Domini tamen frementi voce conſternabitur, & eius vltrice virga percuſſus interibit.

32 *Et erit tranſitus virgæ fundatus, quam requieſcere faciet Dominus ſuper eum* [tt] *in tympanis, & citharis: & in bellis præcipuis expugnabit eos.*

32 Virga Domini, quæ mitiùs, & ad tempus non admodum longum populum percuſſit Iudaicum, tranſibit ad Gentem Aſſyriam, ibíque tanquam in proprio ſibi domicilio fundabitur, & quieſcet: quia non ad modicum tempus Deus Aſſyrios affliget, ſed ad longum delebit. Expugnabit illos præcipuo quodam bellandi genere, victoriámque reportabit ab hoſtibus non diſſimilem illis, quæ cum tympanis, & citharis celebratæ memorantur.

33 [vv] *Præparata eſt enim ab heri Topheth, à Rege præparata, profunda, & dilatata.* [xx] *Nutrimenta eius ignis & ligna multa,* [yy] *flatus Domini ſicut torrens ſulphuris ſuccendens eam.*

33 Iam enim diu Deus Rex multò Aſſyriis, atque Babyloniis potentior, & locum cædis, & tormenti genus longum, & durum præparauit; Topheth videlicet, quæ illis vile ſit, & commune ſepulchrum; & vbi non minori eum dolore torreantur, quàm Iudæorum filij conſecrati Moloch. Dilatauit autem illam, & in profundam altitudinem depreſſit; quia multis Topheth futura eſt pro tumulo, & ſuppliciorum loco; vbi nunquam deerit quo infelices illi in ſempiternum torqueātur. Erit enim inextinguibilis flamma; & ibi ligna, quæ ſemper illam foueant, æternámque conſeruent. Accedit Domini indefeſſus halitus, qui quaſi ſulphureos euomat torrentes, efficiet ne illa vnquam langueſcat, & deficiat.

IN CAPUT TRIGESIMUM COMMENTARIUS.

1. [a] *VÆ filij deſertores, dicit Dominus, vt faceremt conſilium, & non ex me; & ordiremini telam, & non per ſpiritum meum.*] Caput hoc non pertinet ad antecedentem propbetiam, ſed aliam orditur nouam; quæ tamen illa ſit, obſcurum eſt. Quidam contra illos eſſe putant, qui turbante, atque euertente res Iudaicas Senacherib, præſidium ſibi petendum eſſe cenſebant ab Ægyptiis, de quibus ſuprà *cap.* 20. Neque hoc mihi videtur improbabile; & ſunt in hoc capite non pauca; quæ ſi aliter accipias, difficiles admodum explicatus habent, vt ſuis locis indicabimus.

2. Communis tamen ſententia, quam cum Hieronymo tenet S.Thom. Cyrillus, Procopius, Haymo, & plures alij. cenſet reprehendi hic eos, qui prohibente Ieremia conſulto priùs Domino iuxta ipſorum poſtulata, ſtatuerunt tamen deſerendam eſſe Ieruſalem, & Iudaicæ gentis reliquias præſidij, & commoditatis gratia in Ægyptum eſſe transferendas. Quæ res non tantùm Iudæis, ſed etiam Ægyptiis Iudæorum cauſâ exitio fuit. Vtrique enim ab hoſte Chaldæo malè mulctati ſunt. Hiſtoriam habes apud Ieremiam *cap.* 42. & 43. & deinde *ad cap.* 46. Hanc nos ſententiam amplectemur, notatis interim ſuo loco illis, quæ huic ſententiæ minùs fauent: præſertim ad illud. *Beati omnes qui expectant in eum.* Vbi oſtendemus, quomodo alia ſententia non ſit improbabilis.

3. Iudæi quos hîc propheta verberat, dicuntur *deſertores*, qui, cum à Ieremia didiciſſent, quod eſſet diuinum in ſua deliberatione conſilium, ipſi tamen ſuæ ſiue voluntati, ſiue libidini impenſiùs obſecuti, in Ægypto exulare cum ignominia, quàm ciues in patrio ſolo habitare maluerunt.

4. [b] *Ordiremini telam.*] *Ordiri telam* eſt opus inchoare, vt habes infrà *cap.* 38. *Dum adhuc ordirer, ſuccidit me*, ac ſi diceret, Rem tentaſtis inutilem, & inauſpicatam me non ſolum non libente, ſed etiam reclamante, *vt adderetis peccatum ſuper peccatum*, Licèt autem *ordiri telam* operis principium, & molitionem ſignificet, hoc tamen loco aliquid amplius ſub hac metaphora videre videor; nam, qui telam orditur, fila filis implicat, & quaſi rete nectit, & laqueos, quibus ſe ipſum inuoluat, & impediat. Quod plane fecerunt Iudæi dum ſe Ægyptiorum fidei, & patrocinio crederent. Dum enim ſe extricare conantur à Chaldæorum manibus, maioribus ſe implicuerunt incommodis: vnde illorum penè nullus emerſit.

5. [c] *Et os meum non interrogaſtis.*] Dicuntur non interrogaſſe Dominum Iudæi, quia licèt per Ieremiam Dominum de ſua profectione conſuluerint, *Ierem.* 42. Quia tamen diuino reſponſo obſecuti non ſunt, dicuntur illum non conſuluiſſe. Quia perinde omnino eſt conſulta non facere, atque nullam adhibuiſſe conſultationem: ſicut *non audire* dicitur, qui non obedit; & *neſcire*, quem cognitio, & ars in rectè operãdo non moderatur. Hic locus contra communem explicationem nonnihil obſtrepit.

Regula. Quod inutile, aut otioſum eſt, cenſetur nõ eſſe.

6. [d] *Ambulatis vt deſcendatis.*] Hebraiſmus eſt, à quo Hiſpanus ſimilem dicendi formam accepit, *Anda por huir, anda por ſer Rey.* Id eſt, id agit, aut meditatur, vt fugiat: ſeu, vt Regnum obtineat.

7. [e] *Et erit vobis fortitudo Pharaonis in confuſionẽ.*] Hæc valde perſuadent vaticinium hoc eſſe de fuga in Ægyptum poſt exciſam Hieroſolymã à Chaldæis; tunc enim non leuiora paſſi ſunt ab Ægyptiis Iudæi ſupplices, & profugi, quàm apud Babylonios captiui pertuliſſent, vt habes apud Ieremiam *cap.* 42. *à verſ.* 15. *Omnes viri, qui poſuerint faciem ſuam vt ingrediantur Ægyptum vt habitent ibi, morientur gladio, & fame, & peſte; nullus de eis remanebit, neque effugiet à facie mali, quod ego afferam ſuper eos.* At qui ſub Senacherib, & Ezechia auxilium ab Ægyptiis petierunt, confuſi non ſunt; imò Ægyptij aliquid opis attulerunt, dum res Iudaica grauiter ab Aſſyrio premeretur: conſpirantes enim cum Tharaca Æthiopum Rege ab obſidione ſubmouerunt Senacherib, vt diximus ſuprà *cap.* 20. & *cap.* 37. dicetur de Æthiopum Rege *verſ.* 6.

8. [f] *Erant enim in Tanis principes tui, & nuncij tui vſque ad Hanes peruenerunt.*] Non conſtat quando miſſi fuerint legati ad Ægyptios, ſed eſſe miſſos dubitari non poteſt, tum ex hac prophetia, tum quia tanta exulum multitudo in alienam regionem commigrare non auderet, niſi libente, atque annuente principe. Ad quam legationem quis dubitet miſſos illos, qui ex reliquiis Babylonicæ cladis principes fuerunt. Duæ iſtæ ciuitates, quæ diuerſæ ſunt, vt ex vocibus Hebraicis liquet, nobiliſſimæ erant in Ægypto, & illarum altera Regia ſedes, vt indicat Iſaias ſuprà *cap.* 19. *verſ.* 11. Vbi edita ſunt illa prodigia, quæ legis in Exodo, & cecinit Dauid *Pſalm.* 77. *Qui fecit mirabilia in terra Ægypti in campo Taneos.*

9. *Onus iumentorum Auſtri.*] Inchoari hîc exiſtimatur ſecundum Septuaginta diſtinctionem noua prophetia, qui ſeorſum à textu, hæc addunt pro nouo titulo eorum, quę continentur in capite. *Viſio quadrupedum in deſerto.* Sed, vt bene Hieronymus, & cum eo communiter alij, hæc viſio, ſeu onus pars eſt ſuperioris vaticinij de duabus tribubus. Quę *iumenta* vocantur, aut propter mentis ſtuporẽ, quæ cùm vidiſſent ad vnum eueniſſe omnia, quæ à Ieremia prædicta fuerant de vrbis, templique vaſtitate, debuiſſentque, ſi modò in illis aliquid reliquum eſſet mentis, ſibi perſuadere non minùs futura certa, quæ de profectione in Ægyptum denuntiabantur, quàm illa quæ re ipſa impleta eſſe cognouerant; ſuo tamen iudicio errare, quàm diuino regi maluerunt. Aut etiam *iumenta* in deſerto vocari potuerunt, vt tranſtulere Septuaginta, quia non minùs ipſi onuſti ſarcinulis, à quibus abſtinuerat Chaldæorum auaritia, aut quibus vorax Solymitani incendij flamma pepercerat, per deſertum gradiebantur, quàm agaſonum mandræ quæ ex eadẽ regione oneratæ mercibus eadem via per deſertum Ægyptum vſque commeant. Ita S. Thom. Dicuntur præterea *iumenta Auſtri*, vt dicit Hieronymus,

nymus, quia tribus Iuda Auſtralem partem obtinet terræ promiſſionis. Pertinet enim ad illam partem maris, quæ ab Auſtro reſpicit Ieruſalem, cuius comparatione, & illius terræ ſortes, & regiones aliæ nomen accepere, vt ſcribit Hieronymus ſuper illud Zachariæ *cap. 1. Et terra Aquilonis*. Et, vt idem docet Hieronymus, ſors Iuda confinis eſt deſerto, quod etiam ex vſu ſcripturæ *Auſter* appellatur, ſiue quia illa iumenta ad Auſtrum, id eſt, ad Ægyptum proficiſcebantur.

10. g *In terra tribulationis, & anguſtia leana, & leo: ex eis vipera, & regulus volans.*] *Terram tribulationis* eremum eſſe putat, per quam leones, id eſt, principes populi violenti, & ſanguinarij, & vulgus ignobile, quod inſtar reguli, ac viperarum eſt, cum ſuis ſarcinulis ad Ægyptum transfugerunt. In *viperis* ac *regulis* Hieronymus notari putat deteriores quotidie Iudæorũ mores. Nam Iudas, vnde orti, & nominati Iudæi, leo dictus, & leæna à Iacob *Gen.* 49. *Catulus leonis Iuda, ad prædam fili mi aſcendiſti: requieſcens accubuiſti vt leo, & quaſi leæna; quis ſuſcitabit eum?* A Balaam quoque *Num.* 23. *Ecce populus vt leæna conſurget, & quaſi leo erigetur.* Et *Ezech.* 19. *Mater tua leæna inter leones cubauit: in medio leunculorum enutriuit catulos ſuos.* Putat ergo Hieronymus in *leæna* Ieruſalem, & in *leonibus* Solymitanos ciues ſignificari: ex quibus orti ſunt filij, qui non tam cum leone parente primo, vnde nati ſunt potentia, nobilitate, & gloria, quàm cum viperis, ac regulis veneno, atque ſquallore comparari poſſint. Quare in Euangelio à Ioanne Baptiſta *Matthæi* 3. *verſ.* 7. dicuntur *progenies viperarum*: & à Chriſto *Matthæi* 23. *genimina viperarum*. Cum Hieronymo ſentiunt, Haymo, Dionyſius, Hugo, & Lyra, à quo non longè abeſt Cyrillus.

Iudæi à parentibus degeneres.

11. Procopius præter communem aliam ſententiam aliter exponit, & meo iudicio ſatis accommodatè, & eleganter. Putat enim notari ſtuporis illum populum, qui cùm præſens haberet, & vltro oblatum auxilium in tribulatione, & anguſtia, maluerit tamen in Ægyptum migrare, vbi pro Deo coleret monſtra illa quadrupedum, & reptantium, quibus diuinos exhibebant honores Ægyptij, nempe leonem, viperam, regulum, & ſiquid eſt nocentius, aut immundius: à quibus ſperari nihil poterat opportunum. Et facit ad hanc Procopij cogitationem, quòd, vt conſtat *Ierem. cap.* 44. Iudæi in Ægypto Gentium idolis ſacrificarunt.

12. Mihi valde, & omnium maximè placet, quod viſum eſt Adamo, & indicat Vatablus deterreri hîc Iudæos à profectione in Ægyptum propoſitis incommodis, quæ neceſſariò ſubeunda eſſent in illa longa atque difficili peregrinatione. Quam ego ſententiam ideo libentiùs amplector, quia deſertum illud re verà eſt terra tribulationis, & anguſtiæ, quæ *Deut.* 31. *verſ.* 10. vocatur *locus horroris, & vaſtæ ſolitudinis*. Vbi præter alia famis, & ſitis incommoda, quæ à regione arenti, atque inculta abeſſe non poterant, timendum etiam erat aliquid à leonibus, viperis, & regulis, quibus Auſtralis illa regio magis abundabat, quàm rebus ad vitam neceſſariis. Videtur autem alluſum ad illa infortunia, atque faſtidia, quibus perfunctus eſt Iſrael, cum per eandem viam parentum memoria ex Ægypto profugerat. In quibus non poſtremum obtinet locum illa plaga, quam *Nu.* 21. ab ignitis ſerpentibus accepit. Denuntiatur autem ab Iſaia non magis æquos futuros eſſe Ægyptios Iſraelitis in ſuam prouinciam tedeuntibus, quàm olim fuerunt aut in Ægypto commorantibus, aut inde poſtea duce Moyſe in promiſſionis terram profectis. Pro *regulo volante* Heb. eſt שָׂרָף מְעוֹפֵף *mehhopheph ſaraph*, id eſt, *ſerpens igneus, volans*, quales fuere illi de quibus *Num.* 21. de regulo volante, & abſorbente volucrem. Vide quæ diximus ad illud *cap.* 14. *de radice colubri egredietur regulus*.

h *Portantes ſuper humeros iumentorum diuitias ſuas.*] Deſcribitur illorum habitus, qui ſolum vertunt, & Lares mutant.

i *Ideo clamaui ſuper hoc, ſuperbia tantum eſt, quieſce.*] Videbat propheta quàm parũ eſſet præſidij, immo quantum ſeſe offerret incommodi ab Ægyptiorum vmbra, quæ nihil non pollicebatur profugis: & ideo clamat quieſcendum eſſe ab ea profectione, & ab eo conſilio deſiſtendum, quia in Ægypto nihil eſt niſi ſuperbia, id eſt, inanis opum, & virium oſtentatio. Quæ cùm multa ſe poſſe credat, prolixéque omnia polliceatur, præſtabit tamen eorum nihil: Neque id mirum, cùm nihil poſſit. De hac Ægyptiorum ſuperbia, auxilióque ab eis ambitioſiùs decantato, vide quæ diximus ad illud *cap.* 18. *Væ terræ cymbalo alarum.* 13.

k *Nunc ergo ingreſſus ſcribe ei ſuper buxum, & in libro diligenter exara illud. Et erit in die nouiſſimo in teſtimonium vſque in æternum.*] Hieronymus Hebræorum refert ſententiam qui putant hæc verba ad Ieremiam dici potiùs quàm ad Iſaiam. Neque ipſe improbat, imò dum aliam non inducit, amplecti videtur Hebræorum iudicium. Huic ſubſcribunt Haymo, & Hugo; non reſpuunt S. Thom. & Dionyſius, licèt magis ad Iſaiam quàm ad Ieremiam inclinent. Alij ad Iſaiam referunt, Cyrillus, Procopius, Adamus, Foreirus, Lyra. Neque ſanè apparet vlla ratio, quæ cogat hæc aſcribere Ieremiæ, cùm ſatis in Iſaiam, & ſpiritum propheticum conueniant. Neque enim inuſitatum eſt prophetis, vt ad abſentes loquantur (quod profectò facit Iſaias toto hoc capite, dum ad eos verba facit, qui longo pòſt tempore ad Ægyptum præſidij, aut quietis gratia profecti ſunt) conſignentque tabulis, quæ multis poſtea ſæculis euolutis implebuntur. Iubet ergo Dominus Iſaiæ, vt quæ coram Iudæorum frequentia dixerat, illa ſeorſum ſemotus à turba in tabulis ſcribat buxeis (illud enim eſt *ingreſſus* nempe in cubiculum) vt in die nouiſſimo, quando hæc euenerint, ſe de harum rerum euentu præmonitos negare non poſſint; Imò vt ſit æternum quoddam teſtimonium, & Dei in illum populum benignitatis, & populi in Deum obſtinatæ cuiuſdam proteruiæ, atque perfidiæ. 14.

Diuina beneficia in teſtimonium obſtinationis peccatorũ in æternum cõſignata.

Pro re morali optimus eſt hic locus, vt moneamur diuinas voces, quæ nos à peccando retrahunt, inciſas eſſe tabulis, aut ſtylo ferreo exaratas in vngue adamantino in æternum noſtræ impietatis atque duritiæ teſtimonium. 15.

Quia poſt longum tempus futura ſunt, quæ nunc ab Iſaia prædicuntur, poſt annos nempe centum, & eò ampliùs, iubet Deus vt euêtus ille ærumnoſus, & eius cauſæ notentur non in charta, quæ leuior eſt, complicarique poteſt, & abſcondere, quæ in ipſa ſcripta, & conſignata ſunt, ſed in *buxo*, quæ & magis eſt ad excipiendos characteres idonea, & ad diuturnitatem firmior. Eſt enim, vt inquit Hieronymus, imputribilis, quò diutiùs, & apertiùs exponi poſſit Iudæorum oculis. Scribi autem ſolere olim in tabulis ipſum tabularum, & tabellarum nomen ſatis clamat. Sic enim vocantur leges, teſtamenta, pacta, quia in tabulis olim deſcripta. 16.

Buxus apta ſcribendo.

ſcripta. Buxea verò materia ſatis idonea eſt ad ſcribendi vſum, quia leuis eſt, & eius coloris, vt quod excepit, atramentum non obſcuret. Buxeæ tabulæ meminit Propertius *lib. 3. eleg. 3. Vulgari buxo ſordida cera fuit*; id eſt, tabulæ: & Prudentius *lib. 9. de ſupplicio Caſſiani* quo ab elementariis pueris ſtylis, atque inſtrumentis ſcriptoriis confixus fuit.

Conuciunt alij pugiles, inque ora tabellas
Frangunt, relißa fronte lignum reſilit.
Buxa crepant cerata genis impacta cruentis,
Rubétque ab ictu curua tumens pagina.

Tabulæ ad ſcribendum, ex varia materia.

Vſos verò fuiſſe antiquos tabulis ligneis, æreis, ſeu lapideis ad memoriam rerum geſtarum diuturnam, habemus ex Iob *cap. 19. Quis mihi det vt ſcribantur ſermones mei in libro ſtylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte ſculpantur in ſilice?* De ebore auctor
B
eſt Martialis Apophoreto 5.

Languida ne triſtes obſcurent lumina ceræ,
Nigra tibi niueum litera pingat ebur.

De materia citrea, quæ non multùm à buxea differt, pugillares fieri ſolitos docet idem Apophoreto 5. cuius titulus *Pugillares citrei.* In Hebræo non eſt *buxus*, ſed tantùm tabula, & ita vertunt Symmachus, & Pagninus; Vulgatus tamen claritatis gratia addidit *buxum*; quia ex materia buxea plurimum fiunt illæ tabulæ, ſeu pugillares. Et LXX. *Abac. 2.* vbi Vulgatus *explana ſuper tabulas*, vertunt, *in buxo.*

17. [l] *Populus enim ad iracundiam prouocans eſt, & filij mendaces: filij nolentes audire legem Dei.*] Eſt qui putet hæc eſſe verba, quæ iuſſus eſt Iſaias in buxo
C
ſiue in tabula, vt vertit Symmachus, exarare. Ita Montanus. Sed alij veriùs ſcribendas eſſe putant minas, & interitum ciuitatis. Cuius nunc ratio redditur, quia populus ille mendax, & rebellis vehementer in ſe diuini furoris ſtimulos excitauit. Qui videntibus, id eſt, prophetis propoſito capitis periculo, imò & inflicto edicunt ne denuncient populo, quod iam iam imminet à Deo ſupplicium; ſed quæ futura ſunt ad ſtomachum, & voluptatem: quæ blandiantur ſenſibus, non quæ pungant. Nam ſi qua Dei nomine denunciantur, eiuſmodi, quæ terrori ſint, aut occinunt vulgare illud *manda remanda*, aut dicunt id quod propheta Dei Ieremias, cùm ſimilia prædiceret audiuit, *cap. 43. Mendacium tu loqueris, non miſit te Dominus Deus noſter dicens,*
D
ne ingrediamini Ægyptum, vt habitetis illic.

Quàm ſint noxia, quæ ad voluptatē audimus.

18. [m] *Loquimini nobis placentia; videte nobis errores, &c.*] Hic nota quemadmodum quæ ſenſibus arrident, & noſtræ voluptati, aut ſtudio attemperantur, eſſe erroris plena auertere à Deo, & excæcare aut etiam ſubuertere viam, quæ ad Deum tendit.

Tranſitus à numero plurali ad ſingularem.

Secundò nota tranſitum eſſe à numero plurali ad ſingularem, nam cùm prius dixiſſet, *loquimini nobis, videte nobis*, poſtea mutato numero dixit *auferte à me viam, & declinate à me ſemitam.* Porrò vetus fuit iſta cantilena inter homines nimiùm ſuorum conſiliorum aut rationum amantes. dicebant enim etiam tempore Iob *cap. 27. Recede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus.* Deinde quia ſæpe prophetæ in minacibus illis vaticiniis, ad quæ populus durè afficiebatur, & faſtidioſè excipiebat, addere
E
ſolebant, *Hæc dicit ſanctus Iſrael*, id eſt, Deus, aut aliud Dei nomen, ideo rebelles illi & voluptarij homines dicebant, *ceſſet à facie noſtra ſanctus Iſrael*, id eſt, graue nobis eſt audire nomen ſancti Iſrael.

19. [n] *Propterea hæc dicit ſanctus Iſrael.*] Audacter propheta nomen iterat, & ſæpius ingeminat in hoc capite nomen *ſancti Iſrael*, quod horrere ſe dice-
A
bant impij, atque rebelles, quibus omnia aduerſa minabatur ab eo, ad cuius ipſi nomen nauſeabant.

[o] *Propterea erit vobis iniquitas hæc, ſicut interruptio cadens, & requiſita in muro excelſo: quoniam ſubito dum non ſperatur, veniet contritio eius.*] Grauis, & ſubita ſignificatur ruina illorum, qui præſidij gratia ad fallacem Ægyptiorum vmbram confugient, quam duabus ſimilitudinibus explicat. Altera à ruente muro, altera à figlino vaſculo deſumpta. De *muro*, ita Hieronymus. *Quomodo interruptio muri altiſſimi, qui longam traxit ruinam, difficile inſtaurari poteſt, & priſtinum decorem recipere; ſic vobis veniet repentina contritio.* Non longè abeunt à Hieronymo Haymo, Dionyſius, & Hugo. 20.

Ego hac ſimilitudine duo exprimi poſſe exiſti- 21.
B
mo: inprimis ruinam grauem, quod omnes cum Hieronymo fatentur, deinde repentinam, quod docent auctores nuper citati cum S. Thoma: & textus indicat non obſcurè. Sed mihi valde probabile interruptionem iſtam cadentem, vt ſtatim explicabo, eſſe partem muri, quæ à cæteris diuulſa, & in latus procumbens ruinam minatur. Quæ pars, vbi corruerit, & nudam relinquet ciuitatem, & eos opprimet, quos ſubiectos habuerit. Neque eſt improbabile hanc cadentem interruptionem, id eſt, murum iam pronum ad ruinam, Pharaonem eſſe, & Ægyptium præſidium, à quo id ſperari poſſe dicitur, quod à muro iam ruinæ proximo, ſuáque mole opprimente eos, qui eò ſe defenſionis gratia applicuere. Quod cenſet apertè Adamus,
C
& indicant Hugo, & Emanuel Sa.

Sed communior ſententia latiùs hæc accipit, 22.
nempe propter hanc iniquitatem paſſuros eſſe Iudæos ſiue ab Ægyptiis ſiue à Chaldæis talia incommoda, qualia patitur is, qui à parte iam auulſa, atque inclinata murorum repentè opprimitur. Quale habes exemplum in his, quos turris Siloe repentè collapſa obruit & obtriuit. *Lucæ 13. verſ. 4.* Aut qualis accidere continuo ſolet figulino vaſi, quod ita comminuitur vt nulli prorſus vſui ſeruire poſſit, cùm neque teſta ſit reliqua ad portandum ignem è vicino lare, ſiue ad ſumendam aquam de fouea. Nihilominus ſententia de Ægyptij præſidio futili, atque incerto mihi valde probatur.

[p] *Sicut interruptio cadens requiſita.*] Quid ſit 23.
D
interruptio cadens, non eſt adeò difficile cognoſcere: Eſt enim pars à muro diuiſa, ſeu rimis hiantibus à continenti muro ſeparata & ad lapſum prona, quæ vſque adeò ſalutem non promittit vt terrori ſit potiùs. De *requiſita* res eſt obſcurior. Haymo in *requiſita*, illud *re*, putat eſſe priuatiuam particulam, ita vt ſenſus ſit, illam interruptionem non eſſe animaduerſam, atque ideo ab illa caueri non poſſe: Ex quo neceſſe eſt vt repentinus ſequatur caſus. Foreirus in *requiſita* tumorem agnoſcit, aut partem prominentem è muro, quæ ruinam minatur, quia à muris auulſa non habet, quo ſtabilis eſſe poſſit, quod etiā Vatablus cēſet, & indicat omnino tranſlatio Pagnini. Et fauet vox Hebræa נבעה *nebabba*,
E
quæ ſi deducatur à radice נבע *nabahh* ſignificat, quod ab alio fluit, aut ab alio erutum, ſiue expreſſum: Si ſit à בעה *babba* (nam ab vtraque radice deduci poteſt) quæ ſignificat *tumere*, quomodo in aquis inflatur ampulla, vtriuſque radicis vim, & naturam optimè explicat id, quod Latinè *tumor* aut in ædificiis *ſinus* appellatur, pars nimirum, quæ in muro prominet, & mole ſua extra perpendiculum extuberans ad ruinam incumbit.

Hugo *requiſitam* interpretatur *reſarcitam exteriùs.* 24.

rius. Quæ explicatio bellè indicat quale Ægyptium præſidium, aut quodlibet aliud humanum futurum ſit. Quod cùm in ſpeciem aliquid firmitatis habere videatur, intus tamen totum futile eſt, atque euanidum: perinde ac ſi quis rei fluidæ, ac molli, quæ ab humore ſeu calore ſoluitur, calorem addat, atque ſpeciem lapidis, ac ferri. Qualis erat paries, de quo *Ezech.* 13. qui cùm illitus eſſet exteriùs luto abſque paleis, ita tamen firmus videbatur, aut proponebatur, vt clamarent externa ſpecie deluſi iidem, qui nunc *Pax, Pax,* & ſubdit propheta, *& non erat pax.* Quaſi pacem ſibi, & ſecuritatem ab illo pariete promitterent.

25. Alij in *requiſita* admirationem quandam, & ſtuporem indicari putant. Qualem ingens malum ſubitò ingruens, aut durus, & inſperatus euentus excitare ſolet. Tunc enim homines cauſam requirere incipiunt ſubitæ ruinæ. Et ſanè, quæ grauia ſunt, & inſperata, certè eiuſmodi, vt eo modo non putarentur euentura, per admirationem, & requiſitionem explicari ſolent. Quomodo de ſubito & miſerabili caſu Saul, & Ionathæ cecinit Dauid 2. *Regum cap.* 1. *Quomodo ceciderunt fortes.* Et Iſaias *cap.* 14. *Quomodo cecidiſti Lucifer?* Ieremias *Thren.* 1. *Quomodo ſedet ſola ciuitas?* & *cap.* 14 *Quomodo obſcuratum eſt aurum?* Hanc expoſitionem indicat Adamus, neque mihi diſplicet.

26. Emanuel Sa *requiſitam* exponit, cui quis inniti, & in qua ſaluari deſiderat, quaſi valde deſiderata ſit, & nunc magno ſtudio quæſita, & videtur intelligere in ruinoſo, & procumbente muro auxilium Ægyptiorum, vt nos ſuprà expoſuimus.

27. Hugo requiſitam eſſe putat non quidem à Iudæis ſed à Deo aut prophetis, qui ſicut artifices aut magiſtri fabrorum contemplari ſolent an aliquod opus ad perpendiculum ſit, aut ruinam minetur; ſic etiam Deus magnus fabrorum præfectus explorauit accuratè, vt humano modo ac ſenſu loquar, & vidit admonuitque ſæpe per prophetas requiſitum eſſe illud opus, & tandem videri proximum eſſe ruinæ. Quid autem ſit in hac ſententia *requiſitum*, explicat aptiſſimè Hiſpanica phraſis *requirir la obra*, id eſt, examinare an in ædificio aliquid vitij ſit. Quæ expoſitio indicat in muro ruinoſo Ægyptiorum periculoſum auxiliũ deſignari.

28. Ex his expoſitionibus illæ mihi probantur magis, quam docet Emanuel Sa, & quam Adamus indicat, vt à me eſt expoſita; Sed ſi vim Hebraicarum vocum expectemus, iuxta quas locus hic conuerſus eſt à Pagnino, Vatablo, Forerio, neque abiuit tranſlatio L x x. in altera parte, vbi noſter *requiſita,* explicationem eſſe puto, ſeu epexegeſim prioris. Ita vt cum epitaſi alius, atque alius verbis murus Ægyptius, vt ego interpretor, aut quodcumque aliud humanum præſidium ruiturum eſſe tradatur. Neque hanc explicationem reſpuit vulgata tranſlatio. Eſt enim *requiſitum* Latinè id quod abeſſe ſentimus: quomodo requiri aut deſiderari in conuentu dicimus eos, qui non interfuerunt; & in acie eos, qui interfecti ſunt. Sic etiam *requiſita pars muri* nihil videtur eſſe aliud, quàm *interruptio cadens,* id eſt, pars illa, quæ, vbi cecidit, non inuenitur in muro: aut cuius firmitas requiſita eſt, id eſt, non inuenta.

29. ¶ *Quia hæc dicit Dominus Deus ſanctus Iſrael, ſi reuertamini, & quieſcatis, ſalui eritis: in ſilentio, & ſpe erit fortitudo veſtra*] Hæc verba ſæpe populus ille audierat à prophetis, vt ſpem ſuam in vno Deo collocarent, & ſe in ſuis continerent ſedibus abiecta prorſus cogitatione de externo auxilio. Quid verò ſit *ſilere & quieſcere*, diximus ad illud *cap.* 7. *Vide vt ſileas.*

30. ¶ *Et noluiſtis, & dixiſtis, Nequaquam, ſed ad equos fugiemus, ideo fugietis.*] Priori loco *fugio* pro *confugio* ponitur, quaſi fuga imminentem cladem euaſuri ſint, equorum adminiculo; poſteriori verò ſimpliciter ſignificat *fugam intendere*, aut *ſuperari* cuius ſignum eſt poſt initum certamen ſuſcepta fuga, hoc ſenſu, Quia ad Ægyptiorum equos confugiſtis, ideo vincemini, ideo fugietis, ſed hoſte à tergo impellente profligari.

31. ¶ *Mille homines a facie terroris vnius, & à facie terroris quinque fugietis.*] Hic aliquis deſiderabit ordinem, qui in gradatione ſeruari ſolet, & debet. Nempe vt à leuioribus ad maiora attollatur oratio; hoc verò loco languere potiùs videtur, atque decreſcere. Quomodo enim non ſit longè minus, à quinque, quàm ab vno eandem multitudinem profligari? S. Hieronymus, à quo non longè abeunt alij communiter interpretes, putat mille Ægyptios vni Chaldæorum ſubcubituros, & quinque Chaldæis illorum magnam multitudinem. Quæ ſententia vera eſt, quam vt magis expediam, obſeruo verbum *fugio*, in priori membro orationis eſſe repetendum per zeugma hoc modo: *Mille homines à facie terroris vnius fugient, & à facie terroris, quinque hominum fugietis.* In quo fugientium ordine Iudæos etiam numero: neque enim aliter eõ modò exponi poſſet illud *fugietis,* niſi hæc ad illud hominũ genus, qui præſentes aderant, quoque pertinerent. Contribuuntur autem, & cenſentur Iudæi cum Ægyptiis, quia cum illis in vnam rempublicam, & in vnum quaſi corpus coaluerunt. Nam vt conſtat *Ieremiæ cap.* 44. ſicut Ægyptij, ſic etiam in Ægypto Iudæi dijs alienis ſacrificauerunt. Priori itaque loco mille ſiue Iudæi, ſiue Ægyptij, ſiue vtrique promiſcuè ſuſtinere non poſſe vnius Chaldæi impetum; Secundo verò omnes ſimul ſiue Iudæi, ſiue Ægyptij à quinque Chaldæis, id eſt, à pauciſſimis ſuperandi traduntur.

32. Hæc mihi omnium maximè probantur, & quia difficilia non ſunt, neque quicquam committunt contra gradationis legem: & quia, quod apud me plurimum habet momenti, ita placet interpretum pleriſque. Addam nihilominus ego, quod mihi dici poſſe videtur non improbabiliter. Aut enim priori loco iuxta Hebræorum idioma ſubauditur nota ſimilitudinis. *Mille ſicut vnus* (nam in textu Hebræo eſt אלף אחד *eleph achad*, id eſt, *mille vnus,* ſiue *vnum*) *à facie terroris vnius cadet.* Et ita indicat Vatablus, dum vertit eo penè, quem diximus, modo. Hoc ſenſu. Mille ex veſtris, quaſi eſſet vnus, Chaldæorum vnus in fugam vertet; & omnes vos ſimul quantocumque numero, quaſi quinque tantum eſſetis, fugietis.

33. Aut, quod mihi diſplicet minùs, per zeugma, *mille*, quod priori loco præceſſit, repetendum eſt poſt *quinque*, in hanc ſententiam. Mille homines à facie terroris vnius, imò quinque hominum millia à facie terroris vnius fugietis. Vbi *&* non tam eſt copulatiua particula, quàm exceſſum indicat, qualem *imò potiùs*, & ſimilia, vt diximus *Zachar. cap.* 9. *num.* 8. *& ſup. cap.* 7. *num.* 27. *& cap.* 19. *num.* 25.

34. In illo *à facie terroris*, magna eſt epitaſis, neque enim ab vnius gladio cædendi, aut profligandi dicuntur mille, quanquam id quoque magnum eſſet, ſed à terrore, ſeu increpatione vnius. Pro *terrore* Hebr. גערה *gahharah*, quæ ſignificat increpa-

tionem illam, quæ fit, cùm verbis duris, ac truci vultu in aliquem vehementer inuehimur; Timidi verò homines atque animo puſillo, maximè cùm intus vrget ſcelerum conſcientia, à facie terroris, id eſt, à fremitu, ſeu minaci alicuius increpatione, ſic commoueri ſolent, vt nonniſi in fuga credant ſpem eſſe ſalutis.

35. Prouerbiũ. [t] *Donec relinquamini quaſi malus nauis in vertice montis, & quaſi ſignum ſuper collem.*] Communis, & vera explicatio eſt, quam priori loco Hieronymus adducit, conſuetum eſſe nautis vt vbi nauim ad ſcopulos alliſerint, ſiue fracta naui ad littus eiecti fuerint, nauis malum erectum, aut in montium iugis, aut in littoris crepidine defigant: quò alij nauigantes doceantur aliquid ibi latere periculi, aut quò ſuum infortunium aliis eo ſigno teſtatum relinquant. Sicut apud Hiſpanos communiter in agro ac ſolitudine crux excitatur, quo loco aliquis occiſus inuentus eſt. Illi verò nauium mali, & rariſſimi apparent in altis montibus, & lugubris exitij ſignum, & quaſi monumentum ſunt. Sic ergo, qui ex Iudæis, à Dei liberalitate ad Ægyptiorũ inane præſidium ſpem traducentes, reliqui fuerint à communi ſtrage, qui ſanè erunt admodum pauci, iactari atque diſperſi locis omnibus ſpecie miſerabili diuini in ſe furoris, & inflictæ diuinitus plagæ acerbitatem oſtendẽt. Eodem ſpectat ſignum ſuper collem, quod etiam rarum eſt, & aliquid indicat procul nauigantibus, aut iter agentibus. Solet autem, aut vbi periculoſus ſinus eſt, aut Syrtes occultæ, ſignum in ſublimi conſtitui, vt inde ſe nauis aliò detorqueat, curſúſque maritimus ſine errore atque periculo fiat. Quàm futuri ſint pauci ex illo Iudæorum numero, qui in Ægyptum commigrarunt à clade ſuperſtites, docuit Ieremias *cap. 44. verſ. 27. Conſumentur omnes viri Iuda, qui ſunt in terra Ægypti gladio, & fame, donec penitus conſumantur, & qui fugerint gladium, reuertentur de terra Ægypti in terram Iuda viri pauci.* Hic tacitè Ieruſalem ab hoſtibus iactanda, cum nauibus, quæ fluctibus exagitatur, ac frangitur, confertur; & ſicut ex ſummerſa naui tantùm ſeruatur malus, qui naufragium prodat; ſic qui ex ſubuerſa Ieruſalem erunt ſuperſtites, per omnes mundi plagas diſperſi omnibus Gentibus naufragium tantæ ciuitatis prædicabunt. In textu Hebraico non eſt *nauis*, ſed vulgatus addidit claritatis gratia, in eum ſenſum, quem modò produximus. Quidam in *malo* arborem intelligunt ſpoliatam iam omni foliorum ornatu, qualis eſſe ſolet aut in hyeme ſumma, aut poſt horribilem tempeſtatem, ſicut eadem Iudæorum reſpublica *cap. 1.* comparatur cum ilice defluentibus foliis. Sed ſanè vox Hebr. תרן *thoren*, non tam ſignificat arborem, quàm lignum erectum, & infixum, qualis eſt malus in naui, aut fulcrum, ſeu ſtatumen in tentorio.

36. [u] *Propterea expectat Dominus, vt miſereatur veſtri, & ideo exaltabitur parcens vobis, quia Deus iudicij Dominus.*] Quia tanta futura vexatio eſt, & tam graues ærumnæ, ideo Deus furorem, & vindictam cohibet, quo tales vos efficiamini veſtræ calamitatis admoniti, vt veſtri Deus miſereatur. Et quia Deus iudicij Dominus, & iuſtitiam ſeruat, neque furore rapitur, quod faciunt ſæpe in iudicando homines, ſed æquitate cui adiuncta miſericordia eſt, ideo expectat vos cohibito interim ſtudio vindictæ vt miſereatur. Hîc Hieronymus valde commendat Dei miſericordiam, qui tam diu ac tam auidè noſtram pœnitentiam expectat.

Dei patientia, & miſericordia.

Illud *exaltabitur*, quidam ſic exponunt, vt ex tanta miſericordia, & tam longa expectatione exaltandus ſit Deus: quia eius benignitas ſic apparet illuſtrior. Ego magis ad rem, & textum eſſe puto, ſi dicamus *exaltari* eſſe elongari, ſeu recedere Deum ab infligenda plaga, & ſumenda vindicta. Nam quando malum imminet, aut infertur alicui, tunc propè eſſe intelligitur is à quo infertur. Quo ſenſu dicitur *Oſeæ cap. 11. Ero eis quaſi exaltans iugum ſuper maxillas eorum.* Eo ergo modo quo exaltatur iugum, ne premat ceruicem, exaltatur percutientis manus, ne vulnus infligat, quod indicat quod ſtatim ſubditur *parcens vobis.* 37.

Oſeæ 11.

Pro re morali adduci poſſunt explicationes aliæ duæ; Prior quam indicat hîc Hieronymus: nempe exaltari miſerendo maximè Dei gloriam, & potentiã: vt hæc cogitatio deſperantem animum, & languentem confirmet. Quod dixiſſe Moyſes videtur *Num. 14. verſ. 17. Magnificetur ergo fortitudo Domini, ſicut iuraſti dicens, Dominus patiens, & multæ miſericordiæ*, &c. In quam ſententiam aliqui accipiunt illud *ad Rom. 3. verſ. 23. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei*, id eſt, vt Deus miſerendo glorificetur. In his eſt Anſelmus, & indicat Ambroſius. Quis animum deſpondeat, deſperétque veniam à Deo, etiam ſi millies offenſo, quando gloriæ ſibi eſſe ducit ignoſcere delinquenti. 38.

Exaltatur Deus miſerendo.

ad Rom. 3.

Altera explicatio eſt vt illud *exaltabitur parcens*, idem ſit, quod manum exaltare, quaſi ad vulnus infligendum intentam, vt homines præuiſo, quod iam impendebat vulnere, ab illo ſe maturè ſubducant; quod magnæ beneuolentiæ, atque miſericordiæ eſt. Quemadmodum ſi iudex ſtrepitu, aut clamore reum capitis excitet, & exterreat, vt parata iam vincula, & mortem effugiat. Quod ſignificaſſe videtur Dauid *Pſal. 59. verſ. 6. Dediſti metuentibus te ſignificationem, vt fugiant à facie arcus.* Id verò nunc faciunt propoſitæ minæ, quæ ſunt velut arcus ad ſcopum, ſeu brachium ad plagam inferendam intentum; vt illis deterriti, qui à Deo ad homines ſpem ſalutis, libertatíſque tranſtulerant, conſilium illud malè ſanum abiicerent. 39.

Minatur Deus, vt admoneat.

Pſal. 59.

[x] *Beati omnes qui expectant eum.*] Hæc eſt elegans concluſio, ſeu epiphonema dictorum. Cùm enim ſuprà multis explicuiſſet propheta, quanta impenderent infortunia his, qui à Deo omnia cumulatè promittente ad hominum potentiã, & præſidium non ſolùm vanum, ſed etiam fallax fiduciam traducunt, optimè concludit, verè illos eſſe fortunatos, qui ab vno Deo ſperant omnia; hominum verò promiſſa ſic accipiunt, vt ab eis nihil magnum, aut firmum expectandum putent. 40.

Antequam hîc diſcedo, explicandum mihi exiſtimaui, id quod initio capitis leuiter attigi: vbi dixi mihi videri non improbabile hæc non tantùm ad reliquias Solymitanæ cladis pertinere, quæ occiſo iam Godolia ſtatuerunt in Ægyptum migrare, ſed etiam ad duas tribus, quæ Hieroſolymis erant ſub Ezechia, quo tempore hæc ab Iſaia dicebantur. Et ſanè aliquos ita ſenſiſſe dicit Hieronymus, & tenet Lyra, & indicat Dionyſius in illud, *Mille homines à facie terroris vnius.* & Forerius ad illud, *Donec relinquamini.* Imò Montanus hoc vaticinium ad decem tribus pertinere cenſet, quod, vt notauit Lyra, docuerat antea Rab. Salomon, & alij quidam, vt Hieronymus docuit. Neque hoc poſtremum videretur difficile, ſi modò conſtaret hoc tempore nondum ab Aſſyriis deuictam eſſe Samariam, & in captiuitatem abductas decem tribus. 41.

Hæc pertinere etiam videntur ad duas tribus, ante euerſam vrbem à Chaldæis.

tribus. Quòd verò tam decem antea, quàm duæ poſtea fœdus inierint cum Ægyptiis, ſatis liquet. De decem habes 4.*Reg. c.* 17. Vbi Oſee Rex Iſrael miſiſſe nuntios traditur ad Suà Regem Ægyptiorum; De duabus infrà *cap.* 38.& 4.*Reg.cap.* 18. Vbi Senacherib Ezechiæ nuntiare iubet, & populo Iudaico fruſtra expectari auxilium ab Ægypto, quod aut fallax erit, aut infirmum. Et de extremis temporibus Ieruſalem, quando à Nabuchodonoſor exciſa eſt, habemus *Ierem. cap. 39. verſ.* 16. Neque auſi eſſent, qui reliqui fuerunt à cæde credere ſe Ægyptiorum fidei, niſi aliquid eſſet inter ipſos antè conſtitutum.

42. Tam ergo ab infelici ſucceſſu decem tribuum, quæ dum in Ægyptiis ſpem locarant ſuam, euerſæ ſunt, quàm duarum quæ multis pòſt annis eandem ob cauſam perierunt, hortatur Ezechiam, cui ab Aſſyriis eadem iam oſtendebatur vis, quæ decem tribus oppreſſerat, vt à Deo ſperaret certum auxilium; quod quia ita præſtitit, ſicut ab Iſaia fuerat annuntiatum, momento temporis Aſſyrij ſpiritus compreſſi, & tot pugnatorum millia ab Angelo vindice deleta ſunt. Quòd verò hîc tantùm de reliquiis populi poſt exciſam vrbem ſermo non ſit, facit, quòd hi, quos deſertæ fidei, atque officij Dominus reprehendit, Deum non interrogaſſe dicuntur; ſed reliquias euerſæ ciuitatis interrogaſſe Deum cõſtat *Ierem.* 42. item quia reliquiæ illæ non videntur miſiſſe nuntios, imò neque mittere potuiſſe, quia breue ſpatium fuit ad profectionem vſque, ex quo de profectione aliquid certum conſtitutum eſt. Quare de omnibus ſimul hæc affirmari poſſunt. Hæc vt dixi mihi dici poſſe videntur veriſimiliter; in priorem tamen expoſitionem magis inclino.

43. Spes in Deo qualis. *Y Populus enim Sion habitabit in Ieruſalem.*] Hactenus minæ ſunt, & quædam quaſi fulmina contra eos, qui tutos ſe fore ſperabant humano potiùs auxilio, quàm diuino. Nunc verò alio iam ſtylo confirmat animos ſperantes in Domino, à quo ſecunda omnia ſpectare iubet. Dicit autem, ſi populus, qui ſub Ezechia erat, habitaret in Ieruſalem, neque in alienum ſolum abduceretur ſicut decem tribus ad Aſſyrios, & duæ poſtea ad Babylonios, id eſſe tribuendum & benignitati Dei, qui tam patienter expectauit, & quòd ſpem in vno Deo poſitam habuerit. Quod accidit tempore Ezechiæ, qui cùm vrbi immineret Senacherib, ad Dominum confugit. Hæc verò coniungenda ſunt cum præcedenti epiphonemate, hoc ſenſu, *Beati omnes qui expectant eum, ideo enim populus Sion habitabit in Ieruſalem:* quia in eo ſcilicet ſperauit.

44. Iudæi hæc referunt ad reditum duarum tribuum, quod non probat Hieronymus, quia maiora hæc ſunt, quàm quæ in illam libertatem conueniant, quæ data eſt à Cyro: quare referenda putat ad tempus Euangelij. Mihi in primis videtur in ea felicitate, quæ ſperantibus in Domino promittitur, adumbrari ſtatum Eccleſiæ, in qua nihil ad abundantiam, & fœlicitatem deſiderari poteſt. Nihilominus exiſtimo hæc hiſtoricè, & quaſi in ſymbolo referenda, aut in reditum à captiuitate, quod placet S. Thomæ, Hugoni, Procopio, & Pinto, aut in libertatem à Senacherib, quod putat Foreirus.

45. *z Plorans nequaquam plorabis, miſerans miſerebitur tui; ad vocem clamoris tui ſtatim vt audierit reſpondebit.*] Plorabant Iudæi, & maximè Ezechias cùm extrema omnia minaretur Senacherib. Plorabant etiam captiui in Babylonia, ſperabant tamen

A à Domino hi reditum à Babylone, illi effugium ab Aſſyriorum minis. Vtriſque dicitur abſtinendum à fletu, ſed præſertim, vt reor, Ezechiæ: nam vix dum ad Dominum clamauit, cùm reſpondit Dominus per Iſaiam, & bono animo eſſe iuſſit, vt habes infrà *cap.* 37. Sicut autem *plorans plorabis*, & ſimilia, diuturnitatem, & magnitudinem ſignificat, quia illa geminatio nunquam eſt ſine epitaſi, ſic etiam illud *plorans nequaquam plorabis*, indicat lachrymas non futuras eſſe diuturnas.

a a Et dabit vobis Dominus panem arctum, & aquam breuem.] Hieronymus hæc refert ad tempus Euangelij, licèt non reprobet illam ſententiam quæ de reditu à Babylone hæc interpretatur. Et 46.
B putat in *pane arcto*, & *aqua breui* ſignificari Euangelium, quod paucis verbis totam legem complectitur, & abbreuiat, quod, vt verbis vtar Hieronymi, pro laciniosis legis obſeruationibus, atque mandatis in vno verbo recapitulauit omnia, *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum. Conſummatum enim & abbreuiatum ſermonem fecit Dominus ſuper terram.* Hunc ſequuntur Haymo, Dionyſius, & Adamus.

Mihi hæc expoſitio difficilis videtur, quia *panis arctus*, & *aqua breuis* aliquid ſignificant durum, & 47.
anguſtum 3.*Reg.cap. vlt.* Rex Iſrael dixit miniſtris de Michea. *Mittite virum iſtum in carcerem, & ſuſtentate eum pane tribulationis, & aqua anguſtiæ.* Vbi
C Hebr. eadem vox eſt מים לחץ *maim lachats*, & ita cum L x x. vertunt alij ferme expoſitores *panem tribulationis, & aquam anguſtiæ.* Quare alij, qui de Iudæis in Babylonia captiuis, aut ſub Ezechia ab Aſſyrio duriùs oppreſſis hæc accipiunt, qui pauci nõ ſunt, S. Thom. Procopius, Hugo, Lyra, Foreirus, Emanuel Sa, de victu modico, & parco intelligunt. Quod mihi videtur magis conſentaneum & textui, & verborum proprietati. Puto ergo hanc eſſe ſententiam, à qua parum recedit Foreirus, Deum cum populo in ſe ſperanti, & cui ſtatim ſecunda promittit omnia, ita ſe habiturum, vt primùm exerceat incommodis, fame videlicet, & ſiti, in quibus ærumnæ aliæ exulibus, & miſeris familiares intelliguntur. Ita tamen, vt cùm abſtulerit rerum ad vi-
D tam neceſſariarum copiam, non tamen auferat doctores, nempe prophetas, qui clament, moneántque aſſiduè quid facto opus ſit. Quos coram oculis ſemper præſentes habebunt: & a tergo loquentes, iterantéſque identidem, vt viam Domini ingrediantur, & ab ea nullo modo, aut nulla ex parte declinent; vt abiiciant idola, & ſi qua ſunt idolorum phylacteria, ſiue ornamenta, & tunc accedet illa abundantia panis, & aquæ, quæ priùs parcè atque anguſtè conceſſa fuerant. Hæc non videntur eſſe diſtorta, neque vi expreſſa à textu, at fuiſſe vera ad reditum vſque è Babylonia, & poſt aliquot deinde non paucos dies, ſatis conſtat. Nam in an-
E guſtis illis temporibus nunquam deſuerunt prophetæ, qui, & coràm verbis, & ſignis hieroglyphicis, & poſt tergum monerent. Nam cum Iſaia, cùm res Iudaica eſſet auguſtior, prophetarum alij plures, Oſeas, Amos, Ioel, Ionas, Micheas; his ſucceſſit Nahũ, deinde Abacuc ſub Manaſſe: ſub Ioſia Ieremias, & Sophonias vſque ad euerſam vrbem. In captiuitate Daniel, & Ezechiel, poſt illam Aggæus, Zacharias, Malachias, & Eſdras. Poſtquam verò horum monitis coràm, & à tergo opportunè atque importunè clamantibus in viam Domini à qua receſſerant Iudæi redierunt, illæ panis, & aquæ auguſtiæ ceſſauerunt, & ſucceſſit rerum abundan-

tia, vt ex Zacharia conſtat *cap.*8. *verſ.*10. & Aggæo A *cap.*1.*a verſ.*17. Qui eodem penè modo loquuntur, quo nunc Iſaias. Quòd verò ſub Ezechia, graſſante per Iudæam Senacherib, illa priùs coarctatio panis, deinde abundantia contigerit, docet illa reſponſio Iſaiæ ad Ezechiam Regem 4. *Reg.* 19. *verſ.* 29. *Comede hoc anno quæ reperers* (nempe in agro) *in ſecundo autem anno, quæ ſponte naſcuntur* (ecce auguſtus panis) *porrò in tertio anno ſeminate & metite*, &c. (ecce abundantia.) Hæc credo difficilia non ſunt. Nunc quædam obſeruanda.

48. [b] [b] *Non faciet auolare a te vltrà doctorem tuum.*] Vbi noſter *auolare faciet*, Heb. eſt יִכָּנֵף *vicaneph*, quod variè exponitur pro variis vſibus dictionis כנף quæ cùm *alam* ſignificet, quæ ad varias tranſlationes accommodata eſt, ſic etiam vſus habet B varios. Quia ala extremum eſt in auibus, extremam mundi plagam ſignificat, quare aliqui exponunt, *non elongabitur à te magiſter*: eodem omnino ſenſu quo vulgatus. Cùm autem alarum animal citò moueatur, & motus ille non magis receſſum, quàm acceſſum importet, aliqui de acceſſu accipiunt, in quibus ſunt Septuaginta qui ita vertunt, *nequaquam vltrà appropinquabunt tibi, qui decipiunt te*; vbi in *doctore* falſos intelligunt prophetas. Sed optimè omnium tranſtulit vulgatus dum reddidit *auolare faciet*. Cuius ſententia hæc eſt. Non auferet prophetam nempe verum, qui tibi ſemper aſſiſtat, qui coràm, & à tergo loquatur, & faciat, vt dum opportunè, atque importunè loquitur, inuitus audias diuina conſilia. Sed in hac expoſitione dum C textum Hebraicum attentiùs conſulo, aliquid mihi videre videor ſignificantius. Nam יִכָּנֵף *vcaneph*, idem eſt quod *alabitur*, id eſt, *alas aſſumet*. nempe vt euolet aut fugiat abs te. Quaſi dicat: Ita de tua ſalute conſulam, vt etiam ſi propheta velit aufugere à munere prophetico cùm obuerſari ante oculos videat vitæ periculum ab his, qui ægrè ferunt admoneri ſe de officio deſerto, tamen alas non habebit, quibus abs te, & à vitæ periculo ſe ſubducat. Sanè Ionas alas aſſumere voluit, quibus à Niniue auolaret quô diuino imperio ad denuntiandum ciuitatis exitum mittebatur; ſed reſectæ ſunt alæ, & eò vel inuitus appulſus. Refugiebat quoque prophetandi munus Ieremias, certè ſub eo munere gemebat *cap.* 15. *verſ.*10. *& cap.* 20. D *verſ.*14. neque tamen ideo munus deſeruit.

Vir Apoſtolicus interdũ à docẽdo recedere non permittitur.

49. *Et aures tuæ audient verbum poſt tergum monentis.*] Gregor. *homilia* 34. *in Euangelia.* ſic explicat. *Quaſi terga in præceptoris faciem vertimus, cum verba deſpicimus, cuius præcepta calcamus, & tamen nos vocare non ceſſat.* Hieronymus *tergum* Dei eſſe putat, quaſi Deus à peccatore recedat; neque tamen ideo illum admonere deſinat, & hortari, ne ſe tam inurbanè, atque imprudenter repellat. Qui habitus eſt eius, qui ab aliquo locu inuitus recedit: is enim ſolet oculos ſæpe retorquere, ad illum, quem deſerit locum, & de illis grauiter, & aſſiduè queri, quorum iniuria expulſus eſt. Haymo etiam hic intelligi putat peccatoris tergum, poſt quod Deum E abiecit ad commutabile bonum conuerſus, ita vt contemptus Dominus, loquatur tamen ad peccatorem, quem à tergo ſequitur, & ad ſe alliciat abductum ab his ſtudiis, ad quæ tanto animi ardore ferebatur. Hæc quidem pro re morali grauia ſunt.

Dei ſingularis clemẽtia qui contemptus, tamen clamat, & docet.

50. Antequam hinc diſcedo, obſeruo id, quod dictum eſt antè ſæpius, & latiùs oſtendemus infrà ad caput 40. In reditu ab exilio Babylonico, inſtaurataque Ieruſalem, ac templo vmbram eſſe Eccle- A ſiæ; Cùm autem hic plurimi ex auctoribus Eccleſiam videant, in *doctore* quoque, *qui non auolabit, & qui poſt tergum loquetur*, Chriſtum vident, qui Eccleſiam nunquam, etiam cùm à Tyrannorum rabie anguſtè vexabitur, derelinquet, ſicut neque cum duriùs premerentur Iudæi, à prophetis derelicti ſunt. Et quia plures non tam vmbram ipſam, quàm quod in vmbra emicat, intuentur, plures etiam Chriſtum dicunt eſſe Doctorem: quod etiam mihi omnino videtur dicendum. Sed ſunt alij, qui ſpectantes hiſtoriam, id eſt, vmbram Eccleſiæ, attemperata ad illam expoſitione, in *doctore* prophetas agnoſcunt: vt S. Thom. qui Eſdram eſſe dicit, aut Chriſtum; Emanuel Sa, Montanus, & Adamus, eodem ferme modo, niſi quod non de vno Eſdra, B ſed de aliis prophetis, & Chriſto loquuntur. Hugo Eſdram intelligit, & Nehemiam. Hac ratione optimè auctores, qui variè hæc accipiunt conciliari poſſunt.

[c] [c] *Hæc eſt via, ambulate in ea.*] Hæc ſunt verba, quæ à prophetis, & doctore, quicumque ille ſit, identidem ingeminantur.

[d] [d] *Et contaminabis laminas ſculptilium, argenti tui, & veſtimentum conflatilis auri tui, & diſperges ea, ſicut immunditiam menſtruatæ.*] Nunc docet, quis nam effectus conſequatur propheticam admonitionem. Nempe vt vnus colatur Deus, & ſi quid adhæſit ethnicæ ſuperſtitionis, id totum quàm longiſſimè aboleatur. Porrò quemadmodum in laminis, armillis, & annulis geſtarentur phylacteria C quædam ethnicæ religionis, aut deorum effigies, quæ hoc loco dicuntur contaminanda, docuimus multis *prolegomeno quodam in Cantica*, & nonnihil infrà *cap.* 44. ad illud. *Et in nomine Iſrael aſſimilabitur. Veſtimentum auri conflatilis* illud eſſe credo, quo aut induebantur ſimulacra gentilico ritu, aut bracteas quibus ligneæ imagines integuntur, aut quo homines idolis ſacrificaturi amiciebantur. Sordes menſtruatæ in comparationem rerum fœdiſſimarum aſſumuntur in ſcriptura, quia valde fœtidæ ſunt, & nauſeam mouent. Qui dicendi modus in ſcriptura frequens, vſque ad prouerbij ſpeciem. Vide quæ diximus *cap.*64.*num.*16. 51.

Prouerbiũ.

[e] [e] *Et dabitur pluuia ſemini tuo.*] Ecce iam pro pane arcto, & aqua breui rerum omnium abundan- 52.
D tia promittitur, quam optimè ab adiunctis propheta deſcribit. Huic ſimiles alias in ſcriptura reperies, *Zachariæ cap.*8. *Leuit. cap.*26. *verſ.*5. Cætera obſcura non ſunt, quæ cùm completa fuerint poſt reditum Iudæorum ab exilio, multò tamen cumulatiùs in Eccleſia, cuius vmbra proponebatur.

[f] [f] *Commixtum migma comedent, ſicut in area ventilatum eſt.*] Sic omnibus terræ frugibus abun- 53.
dabunt Iudæi, poſtquam ad viam, à qua deflexerant, reuocati purum Deo ſuo cultum exhibuerint, vt iumentis non iam fœnum, vt antea, aut hordeum cum palea mixtum in cibum porrigant, ſed frumentum ſolidum, ita purgatum, vt ex area ventilatum horreis illatum eſt. Quid ſit autem *migma*, E non omnes eodem explicant modo. Eſt autem græca vox, quæ *mixtionem* ſignificat, ſicut vox hebraica בְּלִיל *belil*. Sumitur autem pro *pabulo* ſimpliciter: qua ratione, non diſſimili figura, *miſcere* apud Latinos, & in ſcriptura non minùs ſæpe pro *propinare* ſumitur, & *mixtum* pro *poculo*. *Pſalm.*74. *Vini meri plenus mixto.* Quòd verò pabulum illud ſine vlla palearum mixtione ſit, ſatis explicat, quod ſequitur, *quomodo in area ventilatum eſt*. Pro *commixtum* Heb. eſt חָמִיץ *chamets*, quod *purum*, &

binum

bonum valere dicit Rab. Ionathas, & Arabes, qui A ab Hebræis flexu non admodum diuerſo linguam accepere, optimum pabulum iumentorum חמצה *chamtſa* vocant.

54. Ego, ſi diuinare licet, exiſtimo apud Hebræos in more eſſe, ſicut etiam aliis nationibus, equorum aut boum pabulis aliquid admiſcere, quod iucundius pabulum, aut ſalubrius reddat: puta ſal, aut grana alterius generis, aut herbas aliquas ex ruſtica diſciplina, quod fermenti, aut condimenti genus eſt. Quod innuit Heb. vox חמץ *chamats*, quæ *fermentare* ſignificat, aut *aceſcere*. Ex diſciplina autem ruſtica, quo tempore magni calores ſunt, & iumenta commune pabulum faſtidire ſolent, admiſceri mos eſt eiuſmodi condimenta, ſeu irritamenta faſtidientis ſtomachi. Erit ergo ſenſus: Migma, id eſt, purum hordeum, aut aliud frumenti genus purgatum à paleis, tauris, ac pullis aſinorum eſſe porrigendum, &, quæ erit illius ſæculi abundantia, atque deliciæ, etiam addetur aliquid condimenti, id enim eſt commixti migma. Ac ſi dicas purum hordeum, & inſuper conditum, & fermentatum. Aut certè חמיץ *chamets*, epitheton eſt hordei, quia hordei genus quoddam eſt acidum, quale fortaſſe Palæſtinæ vernaculum, & familiare, & quaſi fermentaceum, quod etiam apud Hiſpanos reperitur, cuius ſpica ſingulis vtrinque granorum ordinibus inſtruitur, & vulgo ruſticorum vocatur *la dilla*. Præſertim ſi verum eſt, quod hic docet Montanus ex libro Miſnaioth, præcipuam vim fermentationis eſſe in hordeo, ait enim in Palæſti- C na vinum natura ſua non aceſcere, quamquam corrumpatur, & per multos annos non fuiſſe acetum ex vino, donec quidam caſu hordeo in vinum iniecto acetum fecit: & inde apud Iudæos primum inuentam eſſe rationem aceti ex vino conficiendi. Quod ſi ita eſt, ſenſus erit non difficilis, ſi dicas porrigendum eſſe iumentis pabulum ex hordeo, naturáque ſua fermentaceo, atque acido, atque adeò non ingrati ſaporis. Sed, vt verum fatear, quod de vino Montanus dicit, quod in Palæſtina non aceſcat, mihi valde ſuſpectum eſt, & ex Rabbinorum officina depromptum, quæ meris abundat nugis. Nam ab antiquiſſimis Hebræorum temporibus reperimus factum acetum ex vino. *Num.* 6. Vbi de Nazaræo ſermo eſt. *Acetum ex vino, & ex qualibet* D *alia potione, & quidquid de vua exprimitur, non bibet.* Acetum quoque reperitur *Ruth* 2. *& Pſalm.* 68. Quare id, quod ex libro Miſnaioth ſumptum eſt à Montano, figmentum eſſe puto ex Rabbinorum cerebro. Cæterum *migma* aut *ſmigma*, ſeu *ſmegma* confectionem ſignificat ex variis rebus ſiue ad odoramenta, vt eſt in bedieris, atque paſtillis, ſiue ad alios vſus, vt ad vngendam, leuiendámque cutem, ſiue ad detergendum, ſiquid corpori ſordidum adhæſit. Maximè vt ex eo manus delibutæ aliquid ſuauius redolerent. Ita indicat Athenæus *lib.* 10. allato ex Coryco Antiphanis teſtimonio in quo conuiua poſtulat dari ſibi aquam, & ſmegma ad abluendas manus: quod etiam habemus *Dan.* E *cap.* 13. Vbi Suſanna balneum initura dixit puellis, *afferte mihi oleum, & ſmigmata.*

Hordeum in Palæſtina quale.

Migma quid.

55. g g *Et erunt ſuper omnem montem excelſum, & ſuper omnem collem eleuatum, riui currentium aquarum in die interfectionis multorum, cùm ceciderint turres.*] Similia reperies infrà *cap.* 41. Vbi fontes, & riui futuri dicuntur in ſupinis collibus. Eſt autem ibi de eodem omnino argumento ſermo. Hæc quia typi modum excedere videntur, ad Eccleſiam referunt Hieronymus, Haymo, Cyrillus, Procopius, & Dionyſius; quod ego neque negabo vnquam, neque ſi velim poſſum; puto tamen de Eccleſia hæc myſticè eſſe intelligenda, quia Euangelici temporis ſunt illuſtre ſymbolum, hiſtoricè tamen de illorum felicitate, qui in Domino ſperarunt, & reuocato viuendi curſu aliam vitæ rationem inſtituerunt. Quod placet S. Thomæ, Hugoni, Forerio, & Emanueli Sa. Neque hoc videtur Typi modum excedere: eſt enim hyperbolica locutio, quales in hoc genere plurimæ ſunt in ſcriptura, vt quòd terra fluat lacte, & melle, quòd petra fundat riuos olei &c. Ea ergo dicendi forma ſignificatur maxima aquarum abundantia, vnde orta eſt illa fertilitas, de qua nuper. Nam cùm montium iuga plerum- B que arida ſint, & ſterilia, futura tamen dicuntur vberrima erumpentibus inde copioſiſſimis aquarum riuis; ſiue quia in ea hyperbolica ratione dicendi inde fontes erumpent, ſiue quia, vt putat Hugo, ex imbrium abundantia è montium iugis ad imas valles riui deſcendent. Id verò tunc temporis eueniet cùm edita fuerit inimicorum ſtrages, ſiue Balthaſaris, & Babyloniæ principum, quibus extinctis ſoluta fuit à Cyro captiuitas; ſiue Senacherib, quo diuinitus caſtris ſpoliato, magna conuerſio facta eſt in Iudæorum ſtatu. Nam id non obſcurè ſignificant illa. *In die interfectionis multorum cùm ceciderint turres.* In *turribus* enim principes deſignari ſatis in ſcriptura frequens; & ita hic Chaldæus exponit. Sunt enim turres, quæ C alibi appellantur *anguli*; nam hi magis in ædificiis eminent iuxta normam, quam in ædificando ſeruant Hebræi (apud quos ſicut etiam in tota Palæſtina, vt docet Hieronymus *epiſtol.* 135. ad Suniam & Fretelam, tecta plana ſunt, non faſtigiata) & toti fabricæ ornamento ſunt, ac munimento. Eo certè nomine principes vocantur *Iud.* 20. *Omnes anguli populorum conuenerunt.* Et 1. *Regum* 14. *Applicate huc vniuerſos angulos populi. Turres* autem vocari poſſunt aut principes, qui rem Iudaicam grauiter conciderunt, aut duo imperia, Chaldæum & Aſſyrium, quæ variis temporibus Gentem Hebræam patria libertatéque mulctarunt. Nam etiam regna, vocantur *turres*, ſiue *anguli*. Ita Hieronymus in illud Iſaiæ *cap.* 19. *Deceperunt Ægyptum angulum popu-* D *lorum.* his verbis. *Idioma eſt ſcriptura vt angulum pro regno ponat, eò quòd populos contineat, & quaſi in tota domo fortiſſimum ſit.* Sed hæc in Eccleſia multò ſunt impleta cumulatiùs, cuius hoſtes ſtrati ſunt, ipſáque omnem vbertatem, atque felicitatem conſecuta ab illo cæleſti influxu, qui ex alto montium faſtigio deriuatus eſt. Quantum verò creuerit, quoad externam ſpeciem perſecutoribus extinctis ſub Conſtantini regno, nemo neſcit.

56. Turres, & anguli principes.

h h *Et erit lux lunæ, ſicut lux ſolis, & lux ſolis erit ſeptempliciter, ſicut lux ſeptem dierum in die, quo alligauerit Dominus vulnus populi ſui, & percuſſuram plagæ eius ſanauerit.*] Quidam hic extremi iudicij tempus ſpectari putant, & in his Hieronymus, & cum eo Haymo, Adamus, Lyra, Diony- E ſius. Alij primum aduentum Chriſti, & tempus Euangelij. Ita Auguſtinus *de quæſtionibus vtriuſque teſtamenti quæſt.* 105. Cyrillus & Procopius. Quem tamen ego ſic accipio ſicut modò proximum locum; hiſtoricè quidem de afflicto priùs Iudæorum populo, poſtea tamen recreato, ac florente, vbi melior affulſit fortuna: Typicè tamen, aut de primo Chriſti aduentu, fundatáque, ac corroborata Eccleſia, aut certè de extremo ſæculorum articulo. 57.

Ita penè S. Thom. qui vtramque expoſitionem admittit, Hugo, Foreirus, Pintus, Emanuel Sa. Quòd autem *nox* aut *tenebra* pro magna afflictione ac trepidatione ſumantur, ſatis eſt notum. *Ieremiæ cap.* 15. *Occidit ei ſol, cum adhuc eſſet dies, confuſa eſt, & erubuit. Amos cap.* 8. *Occidet ſol in meridie, & tenebreſcere faciam terram in die luminis: & conuertam feſtiuitatem veſtram in luctum.* Et *cap.* 5. idem grauiùs ſignificat. Vide Gregorium *lib.* 1 *mor. cap.* 1. in illud Iob *cap.* 8. *Nonne lux impiis extinguetur.* Quòd verò *lux* & *ſol* pro felici atque optabili rerum ſorte ſumantur, contraria ratio docet, & ſunt illuſtria teſtimonia. *Eſther cap.* 10. cùm præceſſiſſet, *fuiſque dies illa tenebrarum, & diſcriminis, tribulationis, & anguſtiæ*: mutato iam ſtatu dicitur: *Lux & ſol ortus eſt: Et humiles exaltati ſunt.* Et *cap.* 8. *Iudæis autem noua lux oriri viſa eſt.* Hac ergo metaphora ſignificat propheta magnam futuram eſſe populi felicitatem; Sol enim, & luna lucebunt multò magis, quam antea, luna non aliter quàm ſol; ſol ſeptemplicis ſplendoris incremēto ſeipſo erit illuſtrior. Id eſt, cādidiores & nitidiores futuros eſſe dies. Quæ dicendi formula communis eſt etiam Latinis, qui *candidum* diem fortunatum appellant. Horatius ſanè lætitiam populi ex Cæſaris aduentu ſic expreſſit.

Vultus vbi tuus
Affulſit populo, gratior it dies,
Et ſoles meliùs nitent.

Nox & tenebra pro aduerſa, & miſera, ſol, & lux pro felici, & læta fortuna capiuntur.

Erit autem candidum iſtud & fortunatum tempus hiſtoricè quidem, cùm Deus ſanauerit plagam ab hoſtibus illatam, extincto Aſſyrio hoſte, atque Chaldæo, ſuſtuleritque vulneris cicatrices, atque veſtigia: id eſt, quando, quæ ab illis quaſſata atque labefactata fuerunt, inſtaurauerit. Myſticè verò candidum erit tempus, & ſol illuſtrior, quando antiquæ legis vmbra receſſerit, & Euangelicæ legis ſplendor affulſerit. Qua metaphora ſæpe ſcriptura ſacra Chriſti aduentum, & doctrinam ſignificat. Apud hunc prophetam *cap.* 9. *Habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis.* & *Lucæ* 2. *Viſitauit nos oriens ab alto.*

58. Illud *ſicut lux ſeptem dierum*, Haymo ſic exponit, tantam futuram eſſe lucem ſolis, quanta fuit ſeptem primis diebus antequam peccaret Adam, nam ſicut rebus aliis, inquit, à ſua dignitate, & ſplendore aliquid imminutum eſt, neque terra priùs ſpinas & tribulos germinabat; eratque aër non craſſus, atque concretus, ſed purior, atque ſubtilior, ſic etiā ſol, & luna propter Adæ peccatū, ſplendoris ſui aliquid amiſerunt. Quod etiā indicat Hieron. dum ait, *& ſol ſeptuplum lumen accipiet, ſicut fuit lux ſeptē dierum quando ab initio creatus eſt mundus.* Sed hæc expoſitio id habet difficile, quod ſtatuit quinque dies fuiſſe Adam in paradiſo antequam peccaret: nam ſol quarto die creatus eſt, homo ſexto. Si verò dicas ſeptem dies ſolem nihil amiſiſſe de ſplendore, fateare neceſſe eſt, quinque dies Adam innocentiam ſeruaſſe: neque enim aliter ſeptem illi dies integri luminis impleri poſſunt ante peccatum. Sed communiter auctores non tantum temporis Adamo in paradiſo tribuunt: neque coniecturam aliquam habemus ex ſcriptura, vt dicamus aſtra cæli ex Adami peccato aliquid traxiſſe obſcuritatis. Vatablus in ſua tranſlatione hanc indicat ſententiam: ſolem eo tempore, de quo nunc agit Iſaias, tantum habiturum eſſe luminis, quantum ſeptem dierum ſplendor habet in vnum collectus, ſic enim vertit, *lux ſolis ſepties clarior erit, vt tanta ſit, quanta eſt lux ſeptem dierum.* Sed, vt dixi, hic per hanc metaphoram ſignificatur, fortunatiſſimum futurum illud tempus, de quo nunc propheta, id enim *ſeptupla lux* valet *Lux* enim proſperitatem, *ſeptenarius* verò *numerus* multitudinem, atque præſtantiam ſignificat.

[i i] *Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor eius, & grauis ad portandum.*] Hæc Hieronymus, Haymo, Dionyſius, & Lyra, ad extremi iudicij articulum conferunt. Aliis non diſplicet, ſi hæc ad cædem Aſſyriorum, & Chaldæorum referantur, ſiue id directè fiat, ſiue in figura, & ſymbolo. In his eſt S. Thom. Hugo, Cyrillus, Foreirus, & Pintus. Quod mihi conſequenter ad ſuperiora videtur eſſe dicendum. Et, vt breuiter hinc emergam, obſeruo primùm *nomen Domini* ſumi pro *Domino*, vt ſæpius à me obſeruatum eſt. Quare hæc verba nihil aliud ſibi volunt, quàm Dominum aduenire. Illud *de longinquo* duo deſignat, alterum ſpatij plurimum interiectum iri antequam Aſſyrij, & Babylonij hoſtes Iſraelitici populi deleantur, Nam Babylonij à Perſis, & Medis duceniesimo ab hinc circiter anno experti ſunt hunc diuini nominis furorem, & pondus; Senacherib autem licèt anno decimo quinto, aut circiter regni Ezechiæ cum exercitu interierit, illud tamen ſpatium ſatis videtur eſſe longum, vt Dominus de longinquo aduentare dicatur. Videbat ergo propheta iuxta hanc explicationem de longinquo venientem Dominum, id eſt, aliquot poſt annos perditurum Aſſyriorum & Chaldæorum vires, & imperia. 59.

Alterum eſt, vt de longinquo dicatur Deus aduenire, quia punire opus eſt peregrinum ab eo, vt nuper *cap.* 28. diximus. Quia, qui pronus eſt ad miſerendum, idem etiam ad puniendum difficilis eſt: & quando peccata hominum magno clamore diuini furoris ſtimulos ad vindictam acuunt, dolenter id facit, quaſi vim afferens mitiſſimæ ſuæ naturæ. De longinquo ergo venit, & arma de longinquo ſumit, dum à noſtrorum potiùs peccatorum duritia, quæ in diuino pectore iram theſaurizauit, quàm à ſuæ naturæ clementia ardentem furorem corripuit ad vindictam. 60. Deus ad miſerendum pronus, ad puniendum difficilis.

[k k] *Ardens furor eius.*] Non nominis furor eſt, ſed Domini, pro quo *nomen Domini* ponitur. Et planè, quæ deinde dicuntur, omnia, non tam Dei nomini, quàm Domino conueniunt. Eſt autem hæc elegans quædam, & grauis hypotypoſis hominis indignati, & extrema omnia minaci vultu hoſtibus intentantis. *Grauis ad portandum*, id eſt, durior, & horribilior, quàm vt ſuſtineri, aut expectari debeat, aut poſſit. 61.

[l l] *Labia eius repleta ſunt indignatione.*] Qui furore inflammati ſunt, id multis modis ſignificare ſolent: oculis ſcintillantibus, fumante naſo, toto ore emicantibus flammis. Sed præcipuè ſono vocis incitato, & frementi, qui ſpumat furorem, & vindictam anhelat. Quo horrere ſolet atque exanimati inferior turba, non ſecus atque rugitu leonis minores belluæ. Talis erat Paulus cū *Act.* 9. ſpirabat minas, & cædem in diſcipulos Domini. Et eodem modo de Chriſto dicitur *Theſſalon.* 2. *cap.* 2. quòd Antichriſtum interficiet ſpiritu oris ſui, id eſt, vel ſolo minaci flatu ac fremitu, Hiſpanè *Buſido.* Eſt autem hîc *indignatio*, quæ aliter *increpatio* dicitur, vt *Increpuit mare rubrum, & exiccatum eſt. Pſalm.* 105. *Nahum* 1. *Increpans mare, & exiccans illud.* Pſalm. 105. Nahum c. 1. In quem ſenſum nuper explicabamus illud *à facie terroris.* Hoc ergo loco dicit propheta ſpectari ſibi Dominum vultu minaci, ac truci, ſono frementi, & 62. Dei indignatio.

ſpiritu

ſpiritu difflante ac diſſipante omnia: eo habitu, atque ſpecie, vt obuium quodque ſtratutus videatur.

63. m m *Et lingua eius quaſi ignis deuorans.*] *Lingua* non ſolùm de animali dicitur, ſed etiam de igne, vt ſuprà diximus ad illud *capitis 5. Sicut deuorat ſtipulam lingua ignis.* Quare ludit in vocis ambiguitate elegantiſſimus propheta, dum ait linguam Dei eſſe linguam ignis.

64. n n *Spiritus eius velut torrens inundans vſque ad medium colli.*] *Spiritus* pro furore ſumitur, vt diximus ad illud *Zachariæ 4. Spiritus in alis earum.* & ſuprà *cap. 2. num. 32.* Neque id ſolùm apud ſacros, ſed etiam apud profanos ſcriptores. Et qui de fortitudine ſibi blandiuntur, ſpiritu ipſo hoſtiles acies à ſe difflatum iri iactant. Vt apud Plautum glorioſus miles Spiritus igitur Dei, id eſt, halitus, qui expirabitur ab ore indignationis pleno, ſic erit vehemens, vt ſtraturus videatur hoſtes non aliter, atque incitatus torrens, qui ad medium vſque collum hominum inundat. Porrò ſpiritus ſiue halitus Dei deſpumans, & fremens non hic ſolùm torrenti præcipiti, atque exundanti aſſimilatur: nam ſtatim *hoc ipſo capite verſ. 33.* dicitur *flatus Domini ſicut torrens.* Et *Apoc. 1.* cum ſpeciem propoſuiſſet Ioannes indignati Dei, & ad vindictam accincti, & præmiſiſſet ſcintillantes oculos, tanquam flammam ignis, ſubdidit, *& vox illius tanquam vox aquarum multarum*; Quò autem ſpectet vox hæc torrenti ſimilis explicuit cùm dixit. *De ore eius gladius vtraque parte acutus exibat.* Eſt autem apud Hebræos torrentis inundantis vox prouerbialis, qua multitudo magna, eáque vehementer incitata ſignificari ſolet. ſuprà *cap 28. verſ. 15. Flagellum inundans. cap. 66. verſ. 12. Quaſi torrentem inundantem. Ierem. 47. verſ. 2. Quaſi torrens inundans.* Et paſſim in Scriptura ſacra ſimilia.

Apoc. 1.

Prouerbiũ.

65. o o *Ad perdendas Gentes in nihilum, & frænum erroris, quod erat in maxillis populorum.*] Qui de extremo iudicio ſuperiora interpretati ſunt, eodem hæc quoque referunt. Qui verò ſuperiora ad hoſtes populi Iudaici retulerunt, hæc quoque eodem pertinere putant. quod mihi quoque viſum eſt, eo ſenſu, in quem ſuperiora declaraui. Nempe vt typicè hæc ad Eccleſiam, ſeu ad Iudicij tempus, hiſtoricè verò ad hoſtes populi Dei conferantur. Pro eo, quod vulgatus habet *ad perdendas gentes* Hebr. eſt להנפה גוים בנפת שוא *lahanaphah goim benaphath ſcaue*, quod Rab. Dauid in libro radicum ſic exponit *ad cribrandas Gentes cribro vanitatis.* Eodem ferme modo Pagninus, & Vatablus, neque id Foreiro diſplicet. Quæ loquendi forma vſitata eſt in Scriptura, quæ *cribrare* pro *agitare*, ac *concutere grauiter* aſſumit. Nam ſicut grana iterato ſæpius crebri concuſſu agitantur, & cadunt, quæ quieta priùs, & ſublimi in ſtatu locata videbantur: ſic Gentes illæ agitabuntur durè, vt diſſipatæ cadant. Sed, quia à cribro grana id etiam habent, vt à palea, ſordibúſque purgentur, vt hoc poſteriùs remoueat propheta, & tantùm diſſipationem, & ventilationem oſtendat, addidit שוא *ſcaue*, pro quo noſter *in nihilum*, alij reddidere *vanitatis*, quaſi eò ſpectet illa concuſſio; vt agitata grana prorſus intereant. Hac metaphora in eundem ſenſum vſus eſt Amos *cap. 9. verſ. 9. Concutiam in omnibus gentibus Iſrael, ſicut concutitur in cribro: & non cadet capillus ſuper terram; in gladio morientur omnes peccatores populi mei.* Et *Lucæ 22. verſ. 31.* Chriſtus ad Simonem ait. *Simon ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret, ſicut triticum*, nimirùm non vt purificaret, ſed vt perderet.

Cribro pro concutio, & perdo.

p p *Frænum erroris*] Diabolum eſſe putant, qui hæc myſticè accipiunt: Futerius hoc epitheton eſſe putat Alla, quaſi hæc omnia verſet, trahatque ſuo arbitratu, ſicut frænum equos moderatur, agitque in quamcumque partem. Siue id autem ita interpretere, ſiue vt communiter alij; ſenſus tamen diuerſus non eſt. Significatur enim extinctis hoſtibus populum iri liberatum ſiue à captiuitate Babylonica, ſiue à metu, quo, dum immineret iam vrbi Senacherib, trepidabant Iudæi; aut à iugo, quod iam multæ ciuitates ſubiectæ ſuſtinebant, quod *fræni* nomine aptè ſignificatur. Dicitur autem *frænum erroris*, ſiue vt aliæ habent tranſlationes, *errans*, ſiue *errare faciens*, vel quia frænum illud peruagatum eſt per multorum populorum maxillas. aut quia Gentem Iſraeliticam per varias regiones diſſipauit, & vagari, ſeu errare fecit. Aut certè quia imperium illud Babylonium, ſeu Aſſyrium errare fecit à patria religione Iudæorum plurimos. Vt conſtat *Ierem. 16. verſ. 13.* Diſperdet ergo Deus frænum erroris, quia, excuſſo à Iudæorum maxillis ſeruituris fræno, ab errore quoque liberabit, quem longo exitio ab hoſtium conſuetudine imbiberant. 66.

q q *Canticum erit vobis ſicut nox ſanctificatæ ſolemnitatis, & lætitia cordis, ſicut qui pergit cum tibia, vt intret in montem Domini ad fortem Iſrael.*] Eodem modo, & eiſdem auctoribus hæc de Eccleſia, iudicióque extremo, & de Iudæorum tempore dicuntur. Ego hiſtoricè hæc de Iudæorum felicitate capio, ſicut etiam alia de hoſtium cæde, & præſertim de Senacherib ab Angelo percuſſo. Deſcribitur hic ingens lætitia, quam Dei populus tunc accipiet, cùm gentem hoſtilem extinctam viderit, hæc verò lætitia comparatur cum illa quæ eſt in nocte ſanctificatæ ſolemnitatis. Quæ verò ſit iſta obſcurum eſt. Hector Pintus ait cùm manè eſſet immolanda victima ſuperiorem noctem ab Hebræis cum feſtiuo cantico, & magna exultatione tranſigi: & cum ea nocte conferri canticum Iudæorum poſt victoriam. Quæ expoſitio mihi non diſpliceret, ſi conſuetudinem illam Pintus probaret. Alij hæc de nocte qua egreſſi ſunt filij Iſrael de Ægypto; alij de nocte, qua traiecto mari Rubro inuenti ſunt Ægyptij ad littus eiecti, interpretantur. S. Thom. & Hugo de tribus ſolemnitatibus hæc accipiunt, in quibus populus cum lætitia ad Ieruſalem, id eſt, ad montem Dei aſcendebat. Ex his ſententiis illa, quæ eſt de traiectu maris, hoſtibúſque ſubmerſis, mihi videtur probabilior, quia ibi auditur muſicus, atque feſtiuus plauſus. 67.

Sed credo alluſum eſſe ad nuptialem plauſum, qui ex deſerto, id eſt, ex hortis, Hebræorum ritu, noctu fiebat cum tibiis & ſymphoniaco cantu in montem, id eſt, Ieruſalem, quæ paſtorali more, quo peragebatur epithalamium, *mons* dicebatur. Vnde ab ſponſo *Cant. 4.* appellata fuit Ieruſalem *mons myrrhæ, & collis thuris.* Hæc autem nuptialis ſolemnitas in comparationem maximæ lætitiæ ab Hebræis adducitur, vt diximus ad illud *Cant. 2. Fulcite me floribus.* Adducor autem in hanc ſententiam, quia hic aliquid fieri inter Hebræos ſolitum ſignificatur, dum dicitur, *ſicut qui pergit cum tibia, vt intret in montem Domini.* At, qui ſoliti ſint cum tibiis ad montem accedere non video, præter nouos coniuges, dum in vrbem ex agro cum nuptiali ſymphonia traducuntur. De his nos pluribus *in quodam prolegomeno ſuper Cantica.* Accedit quòd hac 68.

ſolemnitate,& plauſu cariturі dicunent Iudæi,toto eaily tempore *Ierem.cap.15.verſ.10. Perdam ex eis vocem gaudij,& vocem lætitiæ, vocem ſponſi, & vocem ſponſæ,vocem molæ, & lumen lucernæ.* Quæ ſæpe reperit in ſua prophetia, eadem dicit Baruch *cap.* 2. *verſ.*23. Quare videtur ſignificare propheta inſtaurandam eſſe Genialem lætitiam, & Hymenæum cantum,quæ iam pridem mutata fortuna intermiſſa fuerant. Ierem c. 25.

69. ¶ *Et auditam faciet Dominus gloriam vocis ſuæ, & terrorem brachij ſui oſtendet in comminatione furoris,& flamma ignis deuorantis; allidet in turbine,& in lapide grandinis.*] Hæc de iudicio extremo alij, ego eum multis aliis de interitu hoſtium accipio, maximè Senacherib. Et obſeruo illud &,hoc loco non coniungere, ſed rationem reddere,aut cauſam oſtendere eorum, quæ dicuntur, quod ſæpe facit plurimis aliis Scripturæ locis. Docet igitur propheta cur tantopere Iudæis exultandum ſit: quia quod modò Dominus minatus eſt, cùm diait, *Ardens furor eius,* &c. id re ipſa præſtabit. Quia ergo Deus auditam faciet gloriam, id eſt, potentiam, & virtutem vocis ſuæ frementis, & labiorum, quæ plena indignationis dicebantur; & oſtendet in debellandis hoſtibus,præſertim Senacherib, quàm ſit terribile brachium ſuum, cùm flamma, turbine, & grandine caſtra deleuerit, & tot pugnatorum millia ſuſtulerit, ideo exultandum eſſe dicit Hebræis. Interueniſſe autem in ſtrage exercitus Senacherib hæc, aut eorum aliqua, quæ nunc propheta commemorat,tradunt doctores Hebræorum. Vide quæ diaimus *cap.* 10. ad illud *Propter hoc mittet dominator Dominus.* Vbi ſermo eſt de Senacherib,in cuius exitio flammam interueniſſe eaiſtimatur.

70. ¶ *A voce enim Domini pauebit Aſſur virga percuſſus:& erit tranſitus virgæ fundatus.*] Hæc iam clariùs oſtendunt ſermonem eſſe de Aſſyriis. Dicit autem propheta percuſſum iri Aſſyrium Dei voce, id eſt, fremitu minaci atque horribili, de quo nuper,& inſuper virga, ſiue illa morbus ſit, & peſtis, vt Ioſepho placet *lib.*10. *antiqu. cap.*2.ſiue fulmen, aut ignis,vt diaimus *cap.* 10.*loco nuper citato*, ſiue alio quouis modo: nam *virga* per ſynecdochen pro quocumque vulnere, aut ſupplicio vſurpari ſolet; *tranſitus virgæ* pro plaga, aut percuſſione ponitur:*tranſire* enim *graſſari* eſt, id eſt, vagari inter alios cædendo, verberando, &c. *Leuit.*26. *Gladius non tranſibit terminos ſuos.* Pſalm.41. *Fluctus tui ſuper me tranſierunt.* Idem Ionas *cap.* 2. & *Pſal.* 87. *In me tranſierunt iræ tuæ.Ezech.*14. *Si gladium induxero ſuper terram illam, & dixero gladio,tranſi per terram.* Significat ergo propheta percutiendos eſſe Iudaici nominis inimicos, neque leuiter, neque exiguo tempore, ſed diuinæ virgæ ac furori ſtatuendum eſſe ſtabile, ac proprium domicilium apud illos, ſic enim diuina virga percutientur, vt nunquam conualeſcant; ſic de ſuo cadent ſtatu,vt nunquam reſurgant. Idem de Babyloniis, & terra Sennaar dixit Zacharias *cap.* 4. dum excitandam diait Amphoræ, id eſt, ſupplicio diuino baſim in ea regione, vbi quaſi in propria ſede in perpetuum inſideat. Quod meo iudicio ſignificat hîc *tranſitus fundatus*, id eſt, vulnus ibi ſtabile, & perpetuò victurum. Hieronymus hîc aliam agnoſcit metaphoram accommodatè ad virgam: *fundatam* enim dicit,id eſt,radicatam,quaſi ibi plantanda ſit,& nouo in dies ſingulos incremento augenda. Vbi luſus eſſe videtur in ambiguo vocabulo, quod modò plantam,modò flagellum ſonat.

Leuit.26.
Pſal.41.
Ezech.14.

71. Hæc, quæ dixi modò, maximè probantur mihi; ſed fortaſſe eapoſitio alia alicui non diſplicebit, quam iam propono. Percuſſerat Dominus populum ſuum, non tamen ita graui atque aſſidua manu, vt illam non ſuſpenderit; quare virga Dei non dicebatur fundata in populo Iudaico, ſed quaſi ad modicum tempus repoſita; ita enim Deus populum percuſſit, vt aliquando ſanauerit. Sed virgam, qua in populum ſuum ſæuiiſſe videbatur, ad illos tranſtulit,per quos antea populum verberarat ſuum; non tamen, vt modico tempore affligeret, ſed vt omnino, & in æternum deleret. Et hic appellari poteſt *tranſitus fundatus*: quia virga tranſiit à Iudæis ad Aſſyrios, ſeu Babylonios, vt apud illos fundata tanquam in ſuo domicilio perpetuo hæreret. Quare optimè ſubdit, *quam requieſcere faciet Dominus ſuper eum.* Virgæ tranſitus.

72. ¶ *In tympanis, & citharis, & in bellis præcipuè expugnabit eos.*] Eſt qui putet expugnandos dici Aſſyrios non armis, ſed ſacrificiis, quæ cum tympanis & citharis offerebantur: quod bellum præcipuum eſt, & præcipua dimicandi ratio. Ita videtur exiſtimare Foreirus. Eſt ſanè quàm veriſſimum, multò meliùs bellum inſtrui precibus, atque hoſtiis contra infideles acies: nam contra arma vulgaria, & vulgarem dimicandi rationem, ſatis ipſi hoſtes virium, & facultatis habent: contra preces tamen & victimas, quibus Deum adiutorem, & ducem aduocamus, quæcumque hominum induſtria, atque potentia futilis eſt. Sed deberet probare auctor ille aut cum citharis, & tympanis offerri victimas, aut vſitatum eſſe, vt tympana, & citharæ pro victimis vſurpentur.

73. Multò magis promptum videtur, ſi deſcribi hîc dicamus illuſtrem victoriam, quæ præcipuis bellis, id eſt, inclyto & glorioſo pugnandi modo comparatur, quæque celebrari ſolet cum tympanis, & ſiſtris, qualis illa fuit; quam aperto rubri maris alueo Deus de Ægyptiis, aut quam de Goliath Dauid, aut de Ammonitis Iephthe reportauerunt, quas tympanis,& ſiſtris celebratas conſtat. Et hanc plerique interpretum, aut ſequuntur, aut indicant.

74. ¶ *Præparata eſt enim ab heri topheth, à Rege præparata,profunda,& dilatata.*] Qui hæc de iudicio extremo accipiunt, difficilis loci facilem habent explicationem, dum ad damnatorum æterna ſupplicia vaticinium conferunt. Quod ego cum pluribus aliis ita probo, vt tamen hiſtoricè putem ad Aſſyrios, ſiue Babylonios eſſe referenda. quod non diſplicet his, qui ſuperiora exiſtimant ad eoſdem referri poſſe: in quibus eſt S. Thom. Hugo, Cyrillus, & Foreirus. Sed priuſquam ad hiſtoriam accedo, nonnulla mihi priùs obſeruanda ſunt.

75. *Topheth* vallis eſt prope Ieruſalem ſic appellata à radice תפף *taphaph*, quod *ſonare*, ſiue *tympanizare* ſignificat, quia parentes filiorum eiulatibus, tympanis obſtrepebant & ſiſtris, cùm per flammas traducti ſacrificarentur Moloch. Alij portentum viſu horrendum exponunt: ita vt תפת *tophath* idem ſit quod מופת *mopheth*, id eſt, *prodigium*. Ita Foreirus. Sed prior explicatio magis placet, & quia communis eſt, & quia etymologia facilis,& deductio non violenta. Hæc aliter vocatur *vallis Henon*, ſiue *Gehinnon*, aut *Gehenna*, & *vallis Ioſaphath. Ierem.* 7. *Et ædificarunt excelſa topheth, quæ eſt in valle filiorum Henon: & incenderunt filios ſuos, & filias ſuas igne.* Et 4. *Regum* 23. de Ioſia. *Contaminauit quoque topheth, quod eſt in valle filij Henon, vt nemo conſecraret filium ſuum, aut filiam ſuam Moloch.* Hæc porrò Topheth quid.

porrò vallis erat prope Ieruſalem, vt colligitur ex Ieremia *cap.* 19. Vbi excitata erat ara Moloch, cui filij ab impiis parentibus per ſummam acerbitatem immolabantur, vt liquet ex his, quæ proximè dicta ſunt. Quod feciſſe traditur impius Achaz 4. *Reg.* 16. Ex hac tanta crudelitate ortum eſt, vt *Topheth* ſeu *Gehenna* cùm in amœniſſimo loco ſit, pro damnatorum carcere, ac ſupplicio ſumantur, vt ſæpe audis in Euangelio; ea nempe figura, qua *barathrum*, quod ſupplicij locus eſt apud Athenienſes, pro *inferno* item vſurpatur. Dicunt autem Iudæi, ſed ſuo more fabuloſè, vt dicit S. Thom. eſſe ibi inferni fauces ſeu Gehennalis ignis ſpiracula, vt de Ætna fabulantur poëtæ, quia ibi duæ palmæ perpetuò fumant. Hæc de nomine, locóque Topheth. nunc ad Hiſtoriam.

Gehenna quid.

76. Mihi veriſimile eſt non tantùm hic de Senacherib, ſed etiam de Chaldæorum ſtrage vaticinium inſtitui: vtriuſque coniecturæ non infirmæ. Et quod attinet ad Senacherib, priùs inueſtigandum an in Topheth, ſiue in gehenna plagam illam acceperit, qua ipſius vires, atque conatus compreſſi ſunt. Quidam cladem illam longè putant accidiſſe à Ieruſalem, quia *cap.* 37. de Senacherib dixit Iſaias, *Non intrabit ciuitatem hanc, & non iaciet ibi ſagittam: & non occupabit eam clypeus, & non mittet in circuitu eius aggerem.* Et clariùs 4. *Reg.* 19. *verſ.* 33. *Nec circumdabit eam munitio.* Sed communiter alij contrà ſentiunt, nimirum prope Ieruſalem in Topheth ſtratas eſſe Aſſyriorum vires; Ita Abulenſis *in* 4. *Reg. cap.* 19. *q.* 25. S. Thom. Lyra, Hugo, Forerius, Hiſtoria ſcholaſtica, Ioſephus *lib.* 10. *antiq. cap.* 2. & apud eum Beroſus. Neque leuis eſt ea coniectura, quæ ex Scriptura ſumitur; Nam *cap.* 10. Iſaias ea dicit, quæ ſignificant Senacherib imminere mœnibus Ieruſalem, ſic enim ibi. *Adhuc dies eſt, vt in Nobe ſtetur, agitabit manum ſuam ſuper montem filiæ Sion, collem Ieruſalem. Ecce dominator Dominus exercituum confringet lagunculam in terrore.* Neque quicquam in contrarium vrget quod *cap.* 37. ait idem propheta, aggerem non eſſe mittendum in circuitu Ieruſalem: Nam cùm primùm exercitus ad Topheth acceſſit, id eſt, proximè ad vrbem, antequam caſtra ex arte metaretur, & vrbem obſidione cingeret, Deus qui ſuorum cauſa excubias agebat, ſubitò illum oppreſſit.

Exercitus Senacherib oppreſſus in Topheth.

77. Ait ergo Iſaias eleganter, vt ſolet, Topheth eſſe ab eo qui verè Rex eſt, id eſt, à Deo, præparatam ab heri, id eſt, iam pridem. Quæ Aſſyriorum Regi verè fuit Topheth, quia non minori incendio illius exercitus combuſtus eſt, quàm ibi comburi priùs ſolebant, qui per ignem traducti ſacrificabantur Moloch. Conflagraſſe autem igne caſtra Aſſyriorum, & illa tot millia in cinerē fuiſſe conuerſa, iam antè oſtendimus *cap.* 10. & nuper ad illud, *& audi- tam faciet.* Flatu verò Domini dicitur ſuccendenda Topheth, quia antea dictum fuerat ſpiritum, id eſt, halitum, ſeu flatum Domini eſſe vehementem, & linguam eius flammam ignis.

78. Quod ad Aſſyrium, ſatis credo hæc dicta ſunt probabiliter de vaſtitate Chaldæorum. Nunc videndum eſt, quomodo contingere potuerit in Topheth. Et in primis ſtatuo moralem cauſam in omni cauſarum genere ſumi pro phyſica tam apud ſacros quàm apud profanos ſcriptores. Quare tritum eſt hoc dicendi genus, *illum occidit triſtitia, illum auaritia, hunc ambitio*, quia ille propter mœrorem guſtare noluit cibum, & inedia interiit: alius vt pecuniam quæreret, ingreſſus eſt mare, atque ibi

A demerſus; alius dum honori ſeruit, ſtrenuúſque, & fortis videri vult, certiſſimum adit vitæ periculum. Secundò obſeruandum id, quod pluribus oſtendimus *in cap.* 1. *Actuum Apoſt.* in Topheth fuiſſe commune ſepulcrum Iudæorum, quo tempore à Chaldæis obſeſſa fuit ciuitas, de quo legendum eſt *caput* 19. *Ieremiæ*, in quo iuſſus eſt à Deo in Topheth egredi, id eſt, in vallem Gehinnon, quæ eſt prope portam fictilem Ieruſalem; & ibi conterere lagunculam fictilem: Deinde dicitur non iam ampliùs locum illum dicendum eſſe *Topheth*, ſed *vallem conciſionis*: & tandem vallem replendam eſſe Iudæorum cadaueribus *In Topheth*, inquit, *ſepelientur, eò quòd non ſit alius locus ad ſepeliendum.* Quare LXX. *in illo capite Ieremiæ* ſæpe *Topheth* appellant *Polyan-*

Topheth commune ſepulcrum.

B *drum*, id eſt, commune ſepulcrum, ſeu locum, in quem coaceruatim mortuorum oſſa, ſeu cadauera congeruntur. Hanc verò ſtragem, ſeu cadauerum congeriem factam eſſe à Chaldæis, & textus perſpicuè docet, & communis tenet ſententia.

His ergo poſitis cùm propheta dicit dilatatam 79.
eſſe Topheth, & ibi paratam ignis, id eſt, ſupplicij materiam, indicare videtur venturum aliquando tempus cùm pœnas expendant Chaldæi eius ſtragis, quam edidere in Iudæorum gentem, quando Topheth extitit illorum cadauerum commune quoddam polyandrium. Ac ſi dicat, Topheth à Chaldæis pœnas repetet, id eſt, illa, quæ contra Iudæos in Topheth crudeliter patrarunt. Sed eſt etiam quædam alluſio ad eius vallis incendia, quibus ſine

C vlla parentum miſericordia in honorem Moloch infantes per ignem traducti mactabantur. Perinde ac ſi dicat cum alluſione ad crudelem illam victimam, & coaceruata Iudæorum cadauera, Sicut vos, ô Chaldæi, Topheth præparaſtis vbi ſepelirentur tot Iudæorum millia, vbi Iudæorum olim filij miſerandum in modum cremabantur, ſic etiam vobis præparabit Deus aliam Topheth, vbi pereatis miſeri, & ſepeliamini coaceruati, vel ignominioſè putreſcatis. Et ſanè ita contigit. neque enim mitiùs acerbam mortem ſubiere Aſſyrij ab Angelo percuſſi, aut Chaldæi, quo tempore victi ſunt à Perſis, quàm Iudæis, neque magis honeſtum ſepulturæ genus conſecuti ſunt. Nam illi in caſtris relicti ſunt à ſuis inhumati; hi vna nocte à tanta multi-

Chaldæi inſepulti.

D tudine extincti nihil à ſuis honoris accipere potuerunt. De Balthaſare Chaldæorum rege diximus *cap.* 14. in aliorum cadauerum aceruo fœdè computruiſſe. Lege caput illud, & ibi noſtra commentaria *ad verſ.* 11. Quid ergo exiſtimandum de alia humili, atque ignobili plebe, ſi talia paſſus eſt tantus imperator. In textu Hebræo ante Regem proponitur nota datiui caſus למלך *lamelec*, & ita Vatablus vertit, *pro Rege præparata*, & Pagninus, *etiam ipſi Regi præparata.* iuxta quam lectionem hiſtoricè ſermo videtur eſſe de Balthaſare Rege Chaldæorum, de quo idem propè propheta dixerat *cap.* 14.

Hæc mihi in re dubia, & valde obſcura viſa 80.
ſunt, quæ dici poſſunt veriſimiliter; inclino tamen

E magis vt credam hîc per ſynecdochen *Topheth* accipi pro graui aliquo, & Iudæis magis noto tormenti genere, aut loco: qua ratione apud Græcos *Barathrum*, apud Latinos *Tullianum*, apud Hebræos dicuntur *tenebræ exteriores.* Quaſi dicat propheta, Iudaici nominis inimicis paratum eſſe graue tormentum.

Ad extremum obſerua, cùm dicitur, *flatus Domini ſicut torrens ſulphuris ſuccendens eam*, rationem 81.
reddi, cur tranſitus virgæ fundatus ſit, id eſt, ſupplicium

Digitized by Google

plicium ſeu vaſtitas illarum gentium diuturna futura. Nam Dominus illius incendij, id eſt, ſupplicij ligna ſupponet, flatúque ſuo efficiet ne vnquam non ardeant. Flatus verò dicitur *torrens ſulphuris*, quaſi cum flatu ſimul euomat Deus vim maximam ſulphureæ materiæ, quæ facilè ignem concipit & nutrit.

82. Iudæi ex illo *præparata eſt ab heri* colligunt ea ſubtilitate, ac fide qua pleraque alia, Topheth, id eſt, damnatorum carcerem creatum fuiſſe die ſecundo; quia dies ille tantum habuit *heri*, id eſt, vnum diem priorem; ſed meminiſſe debuerunt *heri* in ſcriptura ſacra pro tempore antecedenti ſumi, etiam ſi longè diſtet. Quare frequens eſt *heri, & nudius tertius* pro ſuperiori tempore. Vide expoſitores in illud Pauli *ad Hebr.* 13. *Ieſus Chriſtus heri, & hodie*. Vbi *heri* omne tempus, quod anteceſſit, immò omnem æternitatem ſignificare dicunt. Quòd tempus definitum, & certum pro incerto, & indefinito ſumatur, vt *cras* pro tempore futuro quantumuis diſtet; *hodie* pro eo, quod moraliter præſens eſt, & quod non admodum diſtat, *heri* pro quocumque tempore præterito, docuimus ad illud Zachariæ *c.* 9. *Hodie quoque annũtians*.

83. Sicut carcer ille, qui dicitur *tenebræ exteriores* apud Hebræos, pro quocumque carcere tetro, atque horribili ponitur: atque adeò figuratè pro inferno, vt ex Euangelio liquet, idque familiari, atque vulgari ſpecie, quia in Ieruſalem erat, & omnibus notus, vt *Actor. cap.* 12. docuimus. Sic etiam Topheth quia prope Ieruſalem erat, & ibi ab impiis parentibus acerbiſſimæ edebantur crudelitatis exempla, pro quocumque ſupplicio graui, atque adeò pro inferno ponitur, ſicut etiam *Gehenna*, quæ idẽ omnino eſt quod *Topheth*. Atque ideo locus hic communiter à Patribus, & optimè ad infernum accommodatur, quia in eo inferni quædam apparet ſpecies. Conueniunt autem in infernum omnia, quæ hîc de Topheth dicuntur à propheta. Primùm *ab heri præparata* dicitur, quia à conſtitutione mundi: Tunc enim ſinus ille in terræ viſceribus, id eſt, in terræ centro, relictus, qui damnatorum futurus eſſet carcer; aut certè *ab heri*, quia in æternitate quodcumque ſæculorum ſpatium, perinde eſt atque dies heſterna. Quia ad pœnarum finem non magis acceditur poſt multorum ſæculorum curſum, quàm ſi heri, id eſt recenter eſſet inchoatus. Aut quia pœnæ illæ ſemper nouæ ſunt, & recentes, neque minor eſt illarum horror, aut minùs excruciant poſt immenſa ſpatia, quàm cùm primum illas damnati experiri cœperunt. Aut etiam hoc loquendi genere ſignificatur pœnarum æternitas: & hoc potiùs videtur indicari à propheta, qui priùs virgæ fundatæ meminit, & deinde dixit non defuturam ignis materiam, neque ſpiritum, aut flatum, qui illam ſuccendat. Deus enim flatu ſuo ſulphuream flammam vomenti ignem illum fouebit, & nutriet: atque ideo quocumque æternitatis momento ſic erit acer, ac nouus ignis ille gehennalis, quaſi ab heſterna die cœptus eſſet incendi.

Regula. *Heri*, & *cras* pro quocumque tempore futuro, ſeu præterito, quantumcũque diſtent.

Inferni pœna ſẽper noua, neque vnquam remittenda.

84. *Profunda* cur dicatur, non eſt difficile coniectare, quando damnatorum carcerem in terræ viſceribus eſſe conſtat. Ex qua profunditate per metalepſim æterna illius loci caligo ſignificatur, ſicut contrà per eandem figuram Virgilius ex obſcuritate ſpeluncæ eius profunditatem oſtendit, *Æneid.* 1. Vbi de ventis agebat in terræ viſceribus altè concluſis.

Sed pater omnipotens ſpeluncis abdidit atris
Id metuens, molémque, & montes inſuper altos
Impoſuit.

De obſcuritate gehennæ vide Gregorium *lib.* 9. *moralium cap.* 38. explicans illud Iob *cap.* 10. *Terram tenebroſam, & opertam mortis caligine*. Vbi de his tenebris, & aliis inferni proprietatibus optimè & latè.

Dilatata dicitur, vt reor, iuxta communem hominum ſenſum, qui laxare ſolent illa, quæ ad accipiendam rei alicuius multitudinem diſponunt. Quomodo hoc loco hiſtoricè Aſſyriorum, aut Chaldæorum reſpectu *dilatata* dicitur *Topheth*, quia illorum plurimi interierunt; & multa loca, in quibus diſperſi ſunt, fœdéque, & miſerè confecti, illis fuerunt inſtar *Topheth*. Sed fortaſſe hîc ſubaudiendum eſt *os*, quod aliis in locis, vbi de inferno ſermo eſt, expreſſum habemus, hoc ſenſu per figuram Synecdochẽ. *Dilatata eſt os*, id eſt, os habet apertum, & dilatatum, vt damnatos deglutiat, & deuoret. Qui loquendi modus auiditatem ſignificat, metaphora à belluis ſumpta, quæ hianti rictu cibum aut prædam appetunt. *Iſaiæ cap.* 5. *Propterea dilatauit infernus animam ſuam: & aperuit os ſuum abſque vllo termino*. Et de inſatiabili cupiditate Nabuchodonoſor dicitur *Abac.* 2. *Qui dilatauit quaſi infernus animam ſuam*. Vide quæ diximus ſuprà *cap.* 5. ad locum Iſaiæ citatum. 85.

ℵ ℵ *Nutrimenta eius ignis, & ligna multa.*] Quæ ſint iſta ignis æterni nutrimenta, docet latè & eleganter Hieronymus in illud Iſaiæ *cap.* 65. *Ignis ardens tota die:* quem locum omnino vide. Vno verbo quæ nam ſint hæc multa ligna complexus eſt Bernardus *Sermone* 3. *de reſurrectione*. *Quid odit, aut punit Deus præter propriam voluntatem? ceſſet voluntas propria, & infernus non erit. In quem enim ignis ille deſæuiet, niſi in propriam voluntatem? Propria verò voluntas eſt*, vt inquit idem Bernardus, *quæ non eſt communis cum Deo, & hominibus, ſed noſtra tantùm: quando, quod volumus, non ad honorem Dei, non ad vtilitatem fratrum, ſed propter noſmetipſos facimus, non intendentes placere Deo, & prodeſſe fratribus, ſed ſatisfacere propriis motibus animorum*. Ex hac ſylua execrabili belluis magis opportuna, quàm hominibus, ſumentur illa ligna, quæ concipient, fouebuntque in æternum gehennales flammas. 86.

Propria voluntas nutrimentũ æterni ignis.

ℶ ℶ *Flatus Domini ſicut torrens ſulphuris ſuccendens eam.*] Succendi Domini flatu ignem illum ſulphureum, nihil aliud eſt, quàm ignem illum, & vim vrendi maximam à Deo conſeruari. Quod optimè per flatũ Domini deſignatur; qui cùm non fatigetur, neque quiete, aut intermiſſione ſeu interſpiratione indigeat, perpetuò ſpirat, ſicut *Apocal. cap.* 22. metaphora non admodum diſſimili beatorum gloria perpetuò virens futura eſſe dicitur, quia perpetuò à fluuio, qui à Dei ſede procedit, irrigatur. *Et oſtendit mihi fluuium aquæ viuæ ſplendidum tanquam cryſtallum, procedentem de ſede Dei*. Eodem ſpectat illud *Pſalm.* 35. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos: quoniam apud te eſt fons vitæ*. Vt ergo fons vitæ à Domino profluit ad lætificandam ciuitatem Dei, conſeruandámque beatorum gloriam in eadem viriditate, ac ſpecie; ſic à Deo torrens ignis ſulphurei erumpet, qui eodem ſemper ardore damnatos in æternum cruciet. Ad hunc locum videtur alluſum *Apocal* 19. *Miſſi ſunt in ſtagnum ignis ardentis, & ſulphuris*. 87.

Argument.

Argumentum trigeſimi primi capitis Iſaiæ.

*P*ERSEQVITVR *idem argumentum propheta; quod in proximo capite: reprehenditque dolenter, & grauiter decem tribus, propterea quòd ab Ægyptiis ſtatuerunt petendum eſſe ſubſidium. Quod vt ſallax damnat, & vt vanum, & infirmum extenuat, & ridet. Deinde longè meliorem ait illorum eſſe conditionem, qui ſuis rationibus, atque conſiliis Deum auctorem, & auſpicem præpoſuerunt. Hi verò fuerunt qui è duabus tribubus ſub Ezechia non tam ab Ægyptio, quàm à Deo ſpem habuere certam, & præſidium ſalutis. Quàm verò Deus pro populo ſuæ tutelæ credito conſtanter, & fortiter pugnaturus ſit, duabus explicat ſimilitudinibus: leonis nempe quem hominum vis, & clamor non exterret; & auis quæ pullos ſuos continet, fouétque ſub alis. Tandem qualis ſit Aſſyriorum plaga, & à cuius terrore ſuſcepta fuga; optimè declarat.*

CAPVT XXXI.

1 [a] *VÆ qui deſcendunt in Ægyptum ad auxilium, in equis ſperantes, & habentes fiduciam ſuper quadrigis quia multæ ſunt; & ſuper equitibus quia præualidi nimis: & non ſunt confiſi ſuper ſanctum Iſrael, & Dominum non requiſierunt.*

2 [b] *Ipſe autem ſapiens adduxit malum, & verba ſua non abſtulit. Et conſurget contra domum peſſimorum, & contra auxilium operantium iniquitatem.*

3 *Aegyptus, homo, & non Deus: & equi eorum, caro, & non ſpiritus. Et Dominus inclinabit manum ſuam, & corruet auxiliator, & cadet cui præſtatur auxilium, ſimúlque omnes conſumentur.*

4 *Quia hæc dicit Dominus ad me. [d] Quomodo ſi rugiat leo, & catulus leonis ſuper prædam ſuam, & cùm occurrerit ei multitudo paſtorum, à voce eorum non formidabit, & à multitudine eorum non pauebit: ſic deſcendet Dominus exercituum vt prælietur ſuper montem Sion, & ſuper collem eius.*

5 *Sicut aues volantes, ſic protegit Dominus* *exerci*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 VÆ qui contra hoſtiles acies, ab Ægyptiis ſatis putant paratum eſſe præſidij, fiduciam in equis, quadrigiſque illorum collocantes, quorum magnus eſt numerus; & in equitibus quos validos, & ſtrenuos eſſe vident; neque à Deo ſancto Iſrael, à quo vno ſperati poterat ſalus, auxilium implorarunt.

2 Ægyptius, qui ſibi videbatur ſapiens, auxilium non attulit, quod promiſerat: ſed Deus, qui ſapiens verè eſt, plagam inflixit, quam minatus fuerat: neque ſuis verbis pondus abeſſe voluit. Hic ergo conſurget contra impiorum familiam, quæ aliis potiùs, quàm Deo ſalutem ſuam commendauit; eorúmque, qui multis ſe flagitiis contaminarunt, futile eſſe oſtendet, & ſternet auxilium.

3 Ecqua tanta eſt amentia, quæ in rebus fluxis, breuíque perituris fiduciam locat. Nónne Ægyptius, qui opes ſuas, & auxilium venditat, homo eſt, & luteum figmentum? & equi Ægyptij, qui tam vobis videntur eſſe veloces, nónne caro ſuut quæ tempore ſeneſcit, & ſoluitur, & non ſpiritus in quem nihil ſibi iuris habet vis, & vetuſtas? Non ſic Deus, non ſic, cuius ea poteſtas eſt, vt leui tantùm manus inclinatione perdat tam eos, qui promittunt, quàm illos, qui ſperant, & implorant auxilium.

4 Longè aliter Deus illorum cauſam aget, qui ſe totos ſub Ezechia, in eius vmbram, atque tutelam dabunt. Vt enim leo pugnare ſolet pro præda, quam de grege ſuſtulit eſuriens, neque quicquam curat paſtorum coniuratam manum contra ſe, neque ab illorum clamore, ac fremitu paueſcit: ſic Deus pugnabit potens, & impauidus pro iis, qui ad ipſum præſidij cauſa confugerunt: pro monte videlicet Sion, & eius colle, contra quem ſe ſe grandis armauit, & ſuperba manus.

5 Sicut auis pullos protegit ſuos, & quò ab accipitre

accipitre,ſiue ab aucupe defendat, nihil non audet:eo ſtudio Dominus reget,liberabit, ſanabítque Ieruſalem, quæ ſe ſub alarum ipſius vmbram recepit.

exercituum Ieruſalem, protegens & liberans, tranſiens & ſaluans.

6 O igitur, decem tribus Iſrael, quæ in profundum impietatis, ac ſtuporis receſſiſtis, redite ad Dominum eo ſtudio, atque ardore, quo ab illo ad alia omnia declinaſtis: & tantùm ſurſum excitate cor veſtrum, quantùm deorſum illud depreſſiſtis.

6 [e] *Conuertimini ſicut in profundum receſſeratis filij Iſrael.*

7 Ideo enim tam impenſè, atque ſtudioſè faueo duabus aliis tribubus, quia idola à ſe procul abiicient,quæ ex auro, atque argento ad iniquitatem,& perniciem ſuam conflauerunt.

7 [f] *In die enim illa obiiciet vir idola argenti ſui,& idola auri ſui, quæ fecerunt vobis manus veſtra in peccatum:*

8 Ideo Aſſur eum fortiſſimis, eiſdémque inſtructiſſimis militum copiis repentè cadet, non hominum armis, ſed Dei omnipotentis virtute; & quos ex ea plaga Dominus ſupereſſe volet, fugient quidem, ſed non ab humano gladio, à quo paſſi ſunt nihil. Iuuenes autem, & principes Aſſyrij aliis pendent, quæ ipſi ab aliis exigere ſolebant vectigalia.

8 [g] *Et cadet Aſſur in gladio non viri, & gladius non hominis vorabit eum, & fugiet non à facie gladij,* [h] *& iuuenes eius vectigales erunt:*

9 Is autem erit terror iniectus à Domino, vt plurimos exanimet: & qui immunes à cæde in patriam redierint,ibi quoque pauidi diuini furoris pauore concepto exagitabuntur. Neque verò mirandum eſt Deum tam eſſe pro ſuorum incolumitate ſollicitum, cùm apud ipſos habeat in Sion ignem,& altare,vbi quotidie ſanctè, atque legitimè colatur.

9 [i] *Et fortitudo eius à terrore tranſibit, & pauebunt fugientes principes eius. Dixit Dominus,* [k] *cuius ignis eſt in Sion, & caminus eius in Ieruſalem.*

IN CAPVT TRIGESIMVM PRIMVM COMMENTARIVS.

1. [a] V*Æ qui deſcendunt in Ægyptum ad auxilium &c. Et non ſunt confiſi ſuper ſanctum Iſrael.*] Hæc prophetia cum ſuperiori coniungitur, imò eadem eſt: nam cùm minatus eſſet propheta ſupplicium graue his, qui in Ægypti vires, & potentiam, potiùs quàm in Domini auxilium ſpem contuliſſent, interpoſuiſſétque opportuno loco ſupplicium eorum,qui populum in Domino ſperantē, id eſt,duas tribus opprimere tentaſſent, nunc refert propheticas minas ad interrupta, id eſt,ad eos,quibus edixerat,ne in Ægyptiorum equitatu, atque potentia confiderent. Et quia res eſt omnino grauis, & propè iam impendens, argumentum idem, & eodem penè ordine, ac modo iterum verſat. Perterret B enim ſperantes in Ægyptiis, incolumitatem verò his,qui in Domino ſperant, pollicetur. Ea eſt enim Dei clementia, & vſque adeò ad miſerendum & benefaciendum prona,vt de periculo non ſemel,aut iterum, ſed ſæpius identidem, ac ſæpius admoneat. Quare vt hæc eadem, quæ nunc Iſaias, alij etiam prophetæ ſub hæc tempora ſæpius clamabant, ſic nunc Iſaias non ſolùm afflante, ſed etiam vrgente

A Domino,illa eadem continenti penè ſpiritu, ac voce ſæpius inclamat.

Hieronymus, Haymo, & alij, quorum in principio ſuperioris capitis meminimus, hæc referunt ad reliquias Solymitanæ cædis per Chaldæos, qui mortuo Godolia in Ægyptum proficiſci meditabantur, Ieremia reclamante; ſed quemadmodum nos ibi diximus illa tam de decem tribubus, quàm de duabus,tempore etiam Ezechiæ,eſſe intelligēda, ſic etiam nunc dicamus neceſſe eſt, hæc quoque ad eaſdem tribus pertinere. Imò quod etiam arbitratur Adamus, exiſtimo priorem partem capitis ad decem tribus ſpectare: quæ quia legatos miſerunt ad Ægyptios, neque ſibi à Deo auxilium implorarunt,ab Aſſyriis victæ, & in exilium abductæ ſunt; poſteriorem verò ad duas tribus, quæ, quia vrgente Aſſyrio ſalutem à Deo ſperauere, & opem implorarunt, liberatæ ſunt. 2.

[b] *Ipſe autem Sapiēs adduxit malū; & verba ſua non abſtulit. Et conſurget contra domum, & contra auxiliū operantium iniquitatem.*] Præteritum more prophetico pro futuro ponitur in hunc ſenſum. Deus, qui ſapiens eſt, & domum peſſimorum, id eſt, decem tribus, 3.

tribus, quæ contempto Deo aureis vitulis diuinum honorem exhibuerunt: & Ægyptios, qui omnium ſcelerum ſordibus inquinati ſunt, optimè nouit, contra vtroſque conſurget, debellabitque potens, quorum brachium eſt carneum, & auxilium futile. Cætera non obſcura ſunt. Hæc ſpectaſſe videtur Ieremias *cap.* 17. cùm dixit *Maledictus qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum.* Vt Deus hoc capite ſuam potentiam, & auxilium, Ægyptiorum auxilio, ac viribus opponit, ſic puto nunc ſapientiam ſuam, cum Ægyptiorum ſtultitia, quam ipſi ſummam eſſe ſapientiam nugabantur, componit. Quare ideo ſe hoc loco ſapientem dicit, quia Ægyptij ſtuporis, & inſipientiæ notantur. de quibus *cap.* 19. *verſ.* 11. *Stulti principes Taneos.* Illud *verba ſua non abſtulit*, idem eſt atque non auferet, non mutabit, ſed complebit minas.

4. [c] *Dominus inclinabit manum ſuam, & corruet auxiliator, & cadet, cui præſtatur auxilium.*] Mirè propheta explicat vim omnipotentis dexteræ, cuius inclinatione perdendos eſſe dicit tam, qui promittunt, quàm qui ſperant, & implorant humanum auxilium. Inclinatio verò manus duo hîc indicat; alterum eſt ſuſpenſam eſſe Dei manum ad vindictam intentam, quæ, vbi inclinauerit ſe, id eſt, ad plagam inferendam demiſerit, humanam potentiam, & confidentiam euertet. Alterum eſt Deum ita facilè poſſe humanas vires in nihilum redigere, quam facilè manus verti, aut inclinari ſolet. Quo loquendi genere Latinus vtitur, cum ſignificare vult aliquid, quod labore leuiſſimo, aut nullo negotio fieri poteſt, idque prouerbiali forma, qua vſus eſt Cicero *lib.* 5. *de finibus.* Vide prouerbium. *Manum non verterim.*

Prouerbiũ.

5. [d] *Quomodo ſi rugiat leo, & catulus leonis ſuper prædam ſuam; & cùm occurrerit ei multitudo paſtorum, a voce eorum non formidabit, &c. ſic deſcendet Dominus exercituum, vt prælietur ſuper montem Sion.*] Hæc eſt altera pars capitis quæ pertinet ad eos, qui ab hoſtibus ad prædam, & cædem expetiti ab vno Deo ſperandum, & implorandum auxilium cenſuerunt. Extenuarat prius Iſaias auxiliares vires Ægyptiorum, nunc diuinæ virtutis præſtantiam, & auxilium commmendat. Adfuturum enim dicit Deum filiis Sion, duabus nempe tribubus, quæ ſuam incolumitatem diuinæ clementiæ, atque præſidio crediderunt: & pro illorum ſalute ſic dimicaturum, ſicut leo ſolet pugnare pro præda, quam de grege ſuſtulit eſuriens, cum eò paſtorum multitudo eius eripiendi gratia conuolarit; qui quo eſt animo excelſo, & acri, ad nullius pauebit occurſum. Vt ergo leo ſuam ſibi prædam cuſtodit, ſic Deus ab incurſione hoſtili ſperantes in ſe Iudæos liberabit. Deinde hoc idem alia explicat ſimilitudine, nam quemadmodum auis pullos ſuos tegit, & quò ab accipitre, ſiue ab aucupe defendat, nihil non audet, propoſita etiam moriendi difficultate; eo ſtudio Dominus populum illum, qui ad ipſius alarum vmbram ſe recipiat, tuebitur. Duabus his ſimilitudinibus totidem proprietates exprimuntur. In *leone* fortitudo, in *auibus* clementia, atque ſedulitas, hæc vt velit, illa vt poſſit conſeruare eos, qui diuinæ ſe fidei, atque tutelæ crediderunt. De leonis robore, atque animoſitate ſæpe Scriptura loquitur dum illi comparatur Deus contra rebelles, & pertinaces animos: de auium ſedulitate, & molliſſima in pullos indulgentia, quibus ſe Deus erga populum ſibi deditum comparat, ſatis multa habes in Scriptura. *Matthæi* 23. *Sicut gallina congregat pullos ſuos. Deut.* 32. *Sicut aquilla prouocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans.* Ad hunc credo locum reſpiciebat Chriſtus *Matthæi* 23. cùm de hoc ipſo populo dixit. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti.* Hæc porrò verba id videntur ſpectare, quod dixerat Senacherib ſuprà *cap.* 10. cùm ſibi omnia regna, ſi cum Aſſyria virtute conferantur, futura eſſe iactabat inſtar pullorum, qui relinquuntur in nido: qui cùm implumes ſint, effugere non poſſunt, aut ruſtici manum, aut accipitris vngues. *Inuenit*, inquit, *quaſi nidum manus mea fortitudinem populorum, & ſicut colliguntur oua, quæ derelicta ſunt, ſic vniuerſam terram ego congregaui.* Hinc ergo dicit Dominus, quos tu derelictos arbitrare, & expoſitos prædæ, ego protegam, & fouebo, neque impune feres, ſi contra illos aliquid moliare; non ſecus atque aues circa nidum volant, ne pulli aliquid ab accipitre aduerſi patiantur.

Dei auxilium quale.

Dei fortitudo, atque clementia.

6. Quod ad *leonem*, obſeruat hîc Procopius eam eſſe leonis proprietatem, vt primùm rugitu greges, & paſtores exterreat, deinde illos aggrediatur, & laceret: ſic Deum rugitu, id eſt, propheticis minis priùs pauorem incutere; deinde homines obſtinatos in ſua pertinacia hærentes grauiter punire.

Leonis proprietas.

7. [e] *Conuertimini ſicut in profundum receſſeratis filij Iſrael.*] Hæc videtur concluſio, & quaſi quoddam dictorum epiphonema, in hanc ſententiam. O igitur vos filij Iſrael, qui complexi ſordidum idolorum cultum in profundum impietatis, ac ſtuporis receſſiſtis, redite ad Dominum, à quo vno ſumma omnia ſperanda ſunt, eo ſtudio, atque ardore, quo ab eo, ad alia omnia declinaſtis. Modus loquendi qui eſt in Hebraico textu, magnum habet pondus, ſic enim ad verbum. *Conuertimini, ſicut profundaſtis iniquitatem, ſeu receſſum à me.* Ac ſi diceret, tantùm ſurſum cacitate cor veſtrum, quantùm deorſum illud depreſſiſtis. niſi mauis hic imperatiuum ſumere pro futuro, hoc ſenſu. *Conuertimini, & abiicietis idola.* Ad quam explicationem confert plurimùm, quod ſtatim ſubiicitur. *In die illa abiiciet vir idola, &c.*

Conuerſio peccatoris qualis.

8. In Hebraico texto pro *receſſeratis* ponitur tertia perſona *receſſerunt*. Quare prior pars *conuertimini* videtur referri poſſe ad duas tribus. Poſterior *receſſerunt* ad decem, quæ à Dei veri religione declinantes peregrinæ ſuperſtitionis ſordibus ſe implicuerunt; in hanc ſententiam. *Conuertimini ad Deum ô filij Iuda, & Beniamin toto corde, ſicut filij Iſrael, id eſt, decem tribus toto corde conuerſi ſunt ad idola.* Quæ explicatio mihi difficilis non eſſet niſi à ſecunda perſona ad tertiam frequens eſſet tranſitus apud Hebræos, ſenſu non mutato. Et ita ſecundam perſonam adhibuit non ſolùm vulgatus, ſed etiam ſeptuaginta: & ita prior expoſitio magis placet. Præſertim cùm tempore Achaz è duabus quoque tribubus plurimi ad Gentilicas ſordes declinarint, id eſt, in profundum receſſerint.

9. [f] *In die enim illa abiiciet vir idola argenti ſui, & idola auri ſui, quæ fecerunt vobis manus veſtræ.*] Rationem reddit cur qui in profundum malorum lapſi ſunt, id eſt, cogitationes ſuas ad impiam ſuperſtitionem profundauerint, abiectis idolis ad verum Dei cultum conuerti debeant: nam ideo Deus auxiliator adfuit duabus tribubus, aut poſt reditum ab exilio, aut, quod verius puto, tempore Ezechiæ imminente iam vrbi Senacherib (de quo reliqua) quia eo tempore ad Deum conuerſæ, ſi quid antea habuere gentilicæ ſuperſtitionis abiecerunt.

eerunt. Quia ergo, inquit propheta, vos abiicietis idola, ideo Deus vobis erit auxilio. A

10. g *Et cadet Aſſur in gladio non viri*, &c.] Hinc iam Hieronymus, & alij agnoſcunt exitium Senacherib, qui ſuperatus eſt non gladio viri, ſed inclinatione diuinæ manus, id eſt, facillimo negotio, ſeu veriùs nullo. Nam qui ad illum vſque articulum illius conatus auxiliatrici manu promouerat, pòſt eiuſdem manus conuerſione illum deleuit funditus: non quidem manu viri, ſed manù Angeli, ſeu potiùs manu Domini, qui vna nocte, centum octoginta quinque Aſſyriorum millia compreſſit. Quod verò ad illud vſque temporis veſtigium Deus adfuerit Aſſur, quo ſui furoris adminiſtro tanquam virga populum mulctaret, docuit Iſaias ſuprà *cap.* 10. *Et erit, cùm impleuerit Dominus cuncta opera ſua in monte Sion, viſitabo ſuper fructum magnifici cordis Regis Aſſur, & ſuper gloriam altitudinis oculorum eius.* B Vide, quæ ibi diximus.

11. *Tributum homines liquefacit, & attenuat.* h *Et iuuenes eius vectigales erunt.*] Filij Aſſur, aut ſerui illius viri principes, imò & Reges (nam ſibi reges ſeruos eſſe ſuperbè gloriabatur Senacherib *cap.* 10. *verſ.* 8.) vectigal ex eo ferme tempore ſoluerunt, primùm Chaldæis, à quibus non longè poſt hanc eladem ſuperati ſunt; deinde Perſis, & Medis. Pro *vectigales erunt*, Hebr. eſt למס *lamas*, à radice מסס quod *liqueſcere* ſignificat, atque *diſſolui*, id eſt, erunt in liquefactionem, & diſſolutionem. Septuaginta vertunt *vincentur*. Pagninus *diſſoluti erunt*. Vulgatus optimè *vectigales* C reddidit, ad verbum *erunt in tributum*. Eodem ſenſu, ſed hîc propriè, alij figuratè: quia, dum vectigal, aut tributum penditur, comminuuntur, & liqueſcunt opes. Quare metaphora non admodum diuerſa, vſura, quæ tributi quoddam genus eſt, Heb. נשך *neſek*, Latinè *morſus* dicitur. Quia vſura de bonis debitoris aliquid detrahit morſu illo fœnebri, & quodammodo liquefacit opes.

i *Et fortitudo eius à terrore tranſibit.*] Id eſt, deficiet: is enim erit metus a Domino per Angelum incuſſus, vt plurimos exanimet: & hi, quos à cæde in patriam incolumes accedere contigerit, ibi adhuc pauidi diuini furoris ardore concepto exagitabuntur. 12.

k *Cuius ignis eſt in Sion, & caminus in Ieruſalem.*] 13.
Quid mirum, ſi tam ſtudioſè Dominus Ieruſalem amplectatur, tam impensè faueat, tam diligenter, ac vigilanter protegat, cùm tam fideliter ab ea colatur, vt altare ibi excitatum habeat; vbi ſacrificia iugiter, & alia pretioſa odoramenta quotidie crementur. Hæc vulgaris expoſitio eſt, & vera. Sed ad mores aliæ poſſunt explicationes adhiberi non incongruæ. Nempe primò Deum ideo habiturum ignem, & fulmina, quæ eiaculetur in hoſtes populi ſui, quia ignis in ipſius cultum nunquam non ardebit. Nos ergo arma exhibemus Domino, quibus, pro noſtris commodis in aduerſarios vtatur, ſicut noſtris peccatis diuinum furorem contra nos armamus. Id enim eſt, quod Paulus dixit theſaurizari iram ab impœnitenti corde *ad Rom. c.* 2. *verſ.* 5. *Deo nos cōtra nos, & pro nobis arma præbemus.*

Secundò, Deum eſſe quaſi ciuem Hieroſolymitanum, quia ibi commodum, & gratum domicilium habet non inuitis ciuibus. Quare pro Ieruſalem quaſi pro patria pugnat. Id enim videtur ſonare illud *Cuius ignis eſt in Sion, & caminus in Ieruſalem.* Quod Hiſpanus dicit, *tieno caſa y hogar*, id eſt, *es vecino y morador*. Magnum ergo & opportunum præſidium habet, qui ſecum habet conciuem, & contubernalem Deum. Cui explicationi fauet tranſlatio L x x. qui pro *camino in Ieruſalem*, ſic reddunt, *Beatus qui habet in Sion ſemen, & domeſticos in Ieruſalem.* 14. *Quam vtile Deum eſſe homini familiarem, & contubernalem.*

Argumentum trigeſimi ſecundi capitis Iſaiæ.

POSTQVAM *in extrema parte capitis de Senacherib egit, déque eius exercitus infelici ruina, agit nunc de ſtatu, quem poſt illum rerum articulum habitura eſt res Solymitana, ſub Ezechia, quem talem nobis paucis deſcribit, qualem multis Plato depingere; immo qualem Plato intento in optimam reipublicæ formam animo excogitare non potuit. Deinde iis qui poſt primum Aſſyriorum aduentum reliqui fuerant è decem tribubus, viris nempe delicatis, & mollibus, & ſuarum vrbium præſidiis maximè confidentibus, breuem ruinam, & miſeram ſeruitutem prædicit. Quod magis perſuadet, ex caſu non longè diſſimili, quem populus Dei, duæ nempe tribus, ſubiere; nam ſi durè vexati filij, quid mirum ſi durè à Domino vexentur alieni. Quod reliquum eſt capitis, totum conſumitur in explicanda Solymorum ſtrage, & Iudæorum amplificanda felicitate, poſtquam in patrios lares ab exilio redierint. Vtrumque verò facit eleganter, & grauiter.*

CAPVT XXXII.

1 a ECCE *in iuſtitia regnabit rex, & principes in iudicio præerunt.*

2 b *Et*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 ADERIT tempus, neque procul abhinc, cùm Rex Ezechias (qui Chriſti imago quædam eſt) imperium in æquitate, atque iuſtitia moderabitur: & illi, quos ipſe reipublicæ adminiſtrationi præficiet, quod iuſtum fuerit, & fas in iudicando ſemper intuebuntur.

2 Erit

2 Erit autem Rex ſicut mutus, vbi ſe quicumque à vento & turbine, & ſicut portus vbi ſe naues à maris iactatione defendunt: & ſicut riuus ſitienti viatori, aut æſtuanti in ſolitudine excelſæ rupis perfrigida cauitas, aut ſicut vmbra petræ, quæ ſe contra ſolis ardorem, & moleſtiam oppoſuit.

3 Prophetarum tunc oculi non caligabunt, quia meliùs percipient oblatas à Domino viſiones: quia etiam alij magis habebunt attentas aures ad audiendum, & animos magis ad intelligendum dociles.

4 Stultorum animi, quos pſeudoprophetarum fallaces nugæ ſeducebant, veritatem agnoſcent; & prophetæ qui priùs muſſitabant obſcurè, & quædam quaſi ænigmata proponebant, iam loquentur non blæſa, atque hæſitanti lingua, ſed veloci, & clara.

5 Is erit ſub Ezechia reipublicæ ſtatus, vt boni tantùm, atque prudentes dominentur, neque impoſtores, & fraudulenti in honore, aut cum imperio ſint.

6 Verba ſtulti, ſiue ille ſit populi princeps, ſeu propheta vanus, non erudita, aut ſana cenſebuntur, vt priùs; ſed vt fatua reuera ſunt, ſic etiam accipientur vt fatua: & vt cor eius iniquum eſt, ſic etiam cognoſcetur iniquitatem moliri; & de Deo fraudulenter, & ſimulatè loqui, auferréque ab eſuriente, atque ſitiente anima ſolidum cibum, & ſalutare poculum, quod à vero propheta adminiſtrari debuit.

7 Fraudulenti principis, inſtrumenta peſſima ſunt, id eſt, miniſtri, quos ad concinnandas fraudes, euertendóſque pauperes ſermoni fallaci, atque iniquo iudicio, etiam cùm iuſta petunt, adminiſtros adhibent.

8 Princeps autem Ezechias cogitationem ſuſcipiet optimo dignam principe, quæ eò ſpectat, vt nihil pauperum, aut viduarum cauſa patiatur à potentiori manu. Vigilabit enim, & explorabit ſedulò, quid duces, & Regiæ ædis miniſtri faciant, illiſque agendi modum, & formam præſcribet.

9 Ad vos nunc ſermo noſter ciuitates Iſrael, quos nedum expugnauit primus Aſſyriorum incurſus. Audite nunc, quæ quaſi opulentæ Reginæ, ſuiſque opibus, atque præſidiis confidentes nihil metuunt ab hoſte. Audite, inquam, iterum atque iterum, & aures ad eloquium meum attentas, & dociles adhibete.

10 Poſtquam tot effluxerint dies, quæ ſatis ſint ad annum vnum implendum, vos quoque ciuitates opulentæ, & veſtris viribus plus ſatis confiſæ, eundem caſum, & ignominiam ſubibitis, quæ ex veſtro genere priores aliæ. Sic autem hoſtis vos vindemiabit ad putum, vt neque reliquiæ ſuperſint vllæ, ad quas colligendas iterum redeat vindemiator Aſſyrius.

2 [b] *Et erit vir ſicut qui abſconditur à vento, & celat ſe à tempeſtate, ſicut riui aquarum in ſiti, & vmbra petræ prominentis in terra deſerta.*

3 [c] *Non caligabunt oculi videntium, & aures audientium diligenter auſcultabunt.*

4 [d] *Et cor ſtultorum intelliget ſcientiam, & lingua balborum velociter loquetur, & planè.*

5 [e] *Non vocabitur vltrà is qui inſipiens eſt, princeps: neque fraudulentus appellabitur maior.*

6 [f] *Stultus enim fatua loquetur, & cor eius faciet iniquitatem, vt perficiat ſimulationem, & loquatur [g] ad Dominum fraudulenter, & vacuam faciat animam eſurientis, & potum ſitienti auferat.*

7 [h] *Fraudulenti vaſa peſſima ſunt: ipſe enim cogitationes concinnauit ad perdendos mites in ſermone mendacij, cùm loqueretur pauper iudicium.*

8 [i] *Princeps verò, ea quæ digna ſunt principe cogitabit, & ipſe ſuper duces ſtabit.*

9 [k] *Mulieres opulentæ ſurgite, & audite vocem meam: filiæ confidentes percipite auribus eloquium meum.*

10 [l] *Poſt dies, & annum, vos conturbabimini confidentes.* [m] *Conſummata eſt enim vindemia, collectio vltrà non veniet.*

11 [n] *Obſtupeſcite opulenta, conturbamini confidentes: exuite vos, & confundimini, accingite lumbos veſtros.*

11 Ergo opulentæ, & delicatæ fœminæ ad obſtuporem vſque conturbamini. Deponite ornamenta delicata, & ſplendida, & ancillarem in modum veſtitum aſſumite ignobilem, & ſordidum. Et quæ priùs otioſæ quaſi Reginæ ſedebatis, nunc vt ancillæ lumbos ad ſeruile miniſterium ſuccingite.

12 *Super vbera plangite, ſuper regione deſiderabili, ſuper vinea fertili.*

12 Plangite ſuper filios, quos ad vbera delicatè, & molliter aluiſtis; qui duro dominorum imperio ſubiiciendi ſunt: ſuper regionem ſpecioſam, & vberem; ſuper vineam fœcundam, & nobilem; quam barbarus exercitus euertet, & antiquis poſſeſſoribus ereptam ad alienorum vſum, & delicias traducet.

13 [o] *Super humum populi mei ſpina, & vepres aſcendent: quanto magis ſuper omnes domos gaudij ciuitatis exultantis?*

13 Neque id mirum, ô decem tribus, vobis videri debet, ſi tam ego in vos infenſus inuehar, quæ deliciis vacatis, & otio, neque quicquam ad delenda peccata temporis aſſumitis: cùm duas alias tribus, vbi cultus religioſus eſt, & victimæ iuges, ita ſylueſcere permiſerim, vt vepres in ea naſcantur, & ſpinæ ſicut in ſaltu.

14 [p] *Domus enim dimiſſa eſt, multitudo vrbis relicta eſt, tenebræ, & palpatio factæ ſunt ſuper ſpeluncas* [q] *vſque in æternum. Gaudium onagrorum paſcua gregum.*

14 Dimittam enim domum mihi quōdam ſacram: ciuitatémque deſertam tanta ciuium frequentia nobilem: & ſupra ſpeluncas, & vacua ſpatia, quæ ex ruentis molis varia concurſione relinquentur, tenebras, & trepidationem inducam ſempiternas, quæ ex ſylueſtrium arborum opacatione naſcentur: Et vbi ingens hominum viſebatur ſplendor, atque conuentus, ibi latè vagabuntur onagri, & aliorum armentorum ſecuti paſcentur greges.

15 [r] *Donec effundatur ſuper nos ſpiritus de excelſo.* [s] *Et erit deſertum in Charmel, & Charmel in ſaltum reputabitur.*

15 Erunt autem filij populi mei ſic ærumnoſi longo apud Babylonios exilio, vt pro mortuis cenſeri poſſint, donec ab exilio liberi in antiqua domicilia remigrent: non ſecus ac ſi miſſo ſpiritu de cœlo ad vitam reuocarentur. Tunc verò deſertus antea locus eam ſpeciem aſſumet, vt amœnitate, & fructu ad Carmeli ſuauitatem aſcendat; Carmelus autem mons præter cæteros fœcundus, & pulcher ad ſolitudinis ſe ingenium & tenuitatem demittat, ex quo omnium ordinum orietur æqualitas.

16 [t] *Et habitabit in ſolitudine iudicium, & iuſtitia in Charmel ſedebit.*

16 Tunc verò tam in Carmelo, quàm in ſolitudine, id eſt, in omnium Gentium, atque ordinum gradibus iudicium ſeruabitur, & pax, quæ ante Chaldæorum aduentum aut omnino exciderant; aut magna ex parte laborabant.

17 [u] *Et erit opus iuſtitiæ pax, & cultus iuſtitiæ ſilentium, & ſecuritas vſque in ſempiternum.*

17 Ex obſeruatione autem iuſtitiæ, & iudicij cultu id conſequentur Iudæi, vt otio fruantur, & quiete, & ab hoſtium metu ſoluti ſecuritatem habeant ſempiternam.

18 *Et ſedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta.*

18 Sedebit itaque populus meus in pace honeſta, ac lauta; ſedebit in tabernaculis, quibus vitam ſuam, & tranquillitatem tutò poſſit, & audacter committere.

19 [x] *Grando autem in deſcenſione ſaltus, & humilitate humiliabitur ciuitas.*

19 Quo verò tempore Hieroſolymis paratur tanta felicitas, Babyloniis dura tempeſtas imminet, & horribilis grando, vt montem illum excelſum,

20 [y] *Beati*

celſum, & ſuperbum deprimat, & ciuitatis intolerabilem arrogantiam dciiciat.

20 O igitur fortunati, qui tempus illud cernent, quo Deus terram antè ſenticoſam, & ſterilem, vberem atque ſpecioſam efficiet. Quibus licebit in humentes agros cælcſti rore iuga boum ſiue aſinorum agere, illiſque ad ſatus accipiendos antè diſpoſitis, ſemina committere.

20 [y] *Beati qui ſeminatis ſuper omnes aquas,* [z] *immittentes pedem bouis, & aſini.*

IN CAPVT TRIGESIMVM SECVNDVM COMMENTARIVS.

1\. NON conueniunt interpretes de Chriſto ne an de alio Iudææ Rege inductũ ſit hoc vaticinium, de Ezechia videlicet, ac Iſaia, qui & optimi fuere Reges, & Chriſti figura. Hieron. Cyrillus, Procopius, Adamos & Dionyſius, de Chriſto hæc interpretantur: quia multa ſunt in hoc capite, quæ in Ezechiam, aut Ioſiam conuenire non poſſunt. Alij ad Ezechiam referunt ſimpliciter; alij hiſtoricè de Ezechia, ſed de Chriſto ſecundam allegoriam intelligunt. Ita S. Thom. Hugo, Lyra, Gloſſa, Vatablus, Pagnious, Oſorius. Et hoc poſtremum mihi maximè placet; quomodo eius generis alia quamplurima interpretati ſumus: Nempe vt io Ezechia, tanquam in Typo, Chriſtum, & io republica ab eo optimè conſtituta Eccleſiæ optimam œconomiam intueamur. Nam, vt ſæpe docuimus, prophetæ, & omnium maximè Iſaias, vbi in hiſtoria teſtamenti veteris aliqua proponitur imago noui ſubitò ad illam aſſurgit, & inde ſe rurſus ad interrupta refert: id eſt à litera ad ſpiritum gradum facit, & à ſpiritu iterum ad literam deſcendit. Quare ſi quicquam eſt, quod in Ezechiæ mores, aut tempora animo non quadret, id ſine dubio de Chriſto intelligendum eſt. Quod multò magis perſpicuum erit in capite ſequenti. Sicut in argumento non diſſimili *Pſalm.* 71. in Salomonis regno regnum adumbratur Chriſti, vbi aliqua occurrunt. quæ de Chriſti tantum regno ſunt intelligenda, ſed non pauca de regno Salomonis. Exponemus ergo caput hoc de Ezechiæ geſtis, reſpectantes tamen ſemper ad Chriſtum, quem præcipuè magnus intuebatur propheta.

2\. [a] *Ecce in iuſtitia regnabit Rex; & principes in iudicio præerunt.*] Ante Ezechiam regnauit impius, atque iniuſtus Achaz, qui gentilicam ſuperſtitionem, & ſordes non in Iudæam ſolùm, ſed etiam in ſacroſanctum templum inuexit. Regnabat iam quo tempore hæc Iſaias vaticinabatur, pius Rex & iuſtus Ezechias, non tamen plenè erat ab optimo principe conſtituta reſpublica; neque ad eum reducta ſtatum, quem conſecuta eſt debellato Senacherib. Quo verò tempore hæc ab Iſaia dicta fuerint, an ante purgatum templum, & excelſa ſublata, & ſubuerſas aras ab Ezechia, vel poſt, non conſtat: quia quoto anno Regis, aut excelſa ſublata, aut vaticinium hoc ab Iſaia propoſitum fuerit, incertum eſt. Quæ prædicta ſunt *cap.* 20. probabiliter diximus incidiſſe in tempora Senacherib, qui eo loco appellatur Sargon, quo tempore oppugnabat Azotum; ſed quis fuerit annus ille incertum eſt. Neque, ſi de tempore conſtaret, colligere certò poſſemus, poſt illius aduentum hæc fuiſſe ab Iſaia prodita. Nam prophetæ non eodem ordine vaticinia digeront, quo ipſis oblata ſunt à Deo, vt nos alibi docuimus, & ordo, quem io ſcribendo tenuerunt Ieremias, & Daniel, non obſcurè probat. Sed quæ hîc dicũtur omnia de florente, ac optimè conſtituta republica, multò meliùs quadrant in extrema tempora Ezechiæ, id eſt, in quindecim annos, quos poſt grauem languorem Dominus eius addidit ætati. Cùm enim finitimæ regiones ab Aſſyriis aut vaſtarentur, aut certè eſſent in metu propter tanti hoſtis inſolentes, atque victrices copias, ipſa quoque Ieruſalem non erat aut à metu vacua, aut à periculo libera. Quare in illum ſtatum multa, quæ hoc capite continentur, conuenire non poterant. Eo ergo tempore ſedebit Rex in iuſtitia, qui etiam id curabit, vt principes quoque (contrà quàm antè fecerant, vt grauiter ſuprà queritur Iſaias *cap. 1. verſ. 23.*) in iudicio, id eſt, iuſtè præſint. Hæc quæ de Ezechia dicuntur hiſtoricè, & io typo, multò magis de Chriſto dici poſſunt allegorico ſenſu; cuius iudicia iuſta, & quos ipſe principes iudicando præficiet, nempe Apoſtolos, io iudicio præerunt, & æquitate.

3\. [b] *Et erit vir ſicut qui abſconditur à vento, & celat ſe à tempeſtate, ſicut riui aquarum in ſiti, & vmbra petræ prominentis in terra deſerta.*] Princeps ac iudex, qualis futurus dicitur Rex, de quo hîc Iſaias, hæc omnia munera præſtare debet laboranti, atque indigenti populo. Erit enim ſicut murus vbi ſe quicumque à vento, & turbine, & ſicut portus, vbi ſe naues à maris tẽpeſtate defendant: ſicut riuos ſitienti viatori, aut æſtuanti in ſolitudine excelſæ rupis perfrigida cauitas; aut vmbra petræ, quæ ſe contra ſolis ardorem, & moleſtiam oppoſuit. Hæc omnia præſtitit Ezechias Iudaico populo, qui ſpoliatus fuerat ab Aſſyriis (conſtat enim multas Iudææ ciuitates fuiſſe expugnatas à Senacherib) aut in graui metu erat, ne quod erat reliquum, id quoque deleret. Sed his omnibus fuit Ezechias, dum cauſam ſuam domino commendat, portus in tempeſtate, riuus in ſiti, vmbraculum in æſtu. Quod ſi hæc etiam ad pacis tempora conferas, pauperes idem à potentioribus texit, non aliter atque portus in tempeſtate, vmbraculum in æſtu; neque enim aliter pauperes vexat potentiorum vis, & calumnia, quàm in mari naues tempeſtas acrior, quàm in æſtu ſitis, quàm in ſolitudine æſtus viatorem. Sed hæc multò Chriſtus præſtitit abundantiùs, cuius typus erat Ezechias, populo ſuo grauiter afflicto,

Ezechias in defendendo populo Typus Chriſti.

atque iactato à vento vehementiori, à grauiori ſiti, ab ardentiori æſtu; ab eo nimirum, quòd tempeſtates excitat in animo, quòd exiccat oſſa, & ſitim inducit eo flatu. qui prunas ardere facit, quo non ſolùm æſtuare corda, ſed vri, & in fauillas redigi nonnunquam ſolent. Hæc verò atque ſimilia de Deo prædicat ſæpe ſcriptura. *Iſaiæ cap.4. Tabernaculum erit in vmbraculum diei ab æſtu, & in ſecuritatem, & abſconſionem à turbine, & à pluuia.*

4. c *Non caligabunt oculi videntium, & aures audientium diligenter auſcultabunt.*] Superioribus temporibus minatus fuerat Deus ablaturum ſe prophetas, aut certè ita locuturos obſcurè, vt non facilè intelligantur. Sic enim ſuprà *cap.* 29. *Claudet oculos veſtros, prophetas, & principes veſtros, qui videbant viſiones operiet: & erit vobis viſio omnium, ſicut verba libri ſignati.* Hæc minatus eſt Dominus his qui ab ipſius voluntate declinarant, ſed quia tempore Ezechiæ facta fuit vitæ morúmque mutatio, promittit maiorem lucem, nam & ipſi habebant magis attentas aures ad audiendum, & animos ad intelligendum dociles: & prophetarum oculi non caligabunt, quia melius percipient oblatas à Domino viſiones: quas ipſe proponet, non vt ænigmata, vt plurima ex ſuperioribus, ſed apertè. quod re vera ita contigit. Nam ſub Ezechia ſic aperta ab Iſaia data ſunt de Chriſto vaticinia *à cap.* 40. vt Euangeliſta dici poſſit potiùs quàm propheta. Sic enim perſpicuè futura Chriſti geſta commemorat, vt intueri præſentia te putes, aut recordari præterita. Quæ Iudæi & audierunt auidè, quia de Meſſia, & intellexerunt facilè, quia non obſcura. Sunt autem hîc *videntes* iidem qui *prophetæ*, ſic enim vocabantur apud Hebræos. Spectat autem hic locus id, quod nuper *cap.* 30. *verſ.* 9. dictum eſt, populum illum noluiſſe legem audire, aut quæ recta ſunt: quare videntibus, id eſt, prophetis dicebant. *Nolite aſpicere nobis ea, quæ recta ſunt, loquimini nobis placentia, videte nobis errores.* Et ideo prophetæ obſcurè loquebantur, & quodammodo eorum caligabant oculi; Nũc verò quia audientium aures diligenter auſcultabant, neque videntium oculi caligant, neque illorum lingua prophetias inuoluit, & obſcurat. Videtur autem illud *&* ante *aures* cauſaliter poſſe ſumi, vt aliàs ſæpiſſimè, in hunc ſenſum, quia aures auſcultabunt diligenter, videntium oculi non caligabunt.

Auris obediens inuitat Deum, vt clarius loquatur.

5. Hæc multò præſtat meliùs verus Ezechias, & verus Rex, cuius tempore aperti ſunt videntium, id eſt, Apoſtolorum oculi, *Lucæ 24. & 45. Tunc aperuit illis ſenſum, vt intelligerent ſcripturas*: & multa illis apertè propoſuit, quæ olim prophetis obiecerat obſcurè. Quæ verò Apoſtoli viderunt, multò faciliùs quàm prophetæ, ſuis auditoribus perſuaſere.

6. d *Et cor ſtultorum intelliget ſcientiam, & lingua balborum velociter loquetur & planè.*] Hæc impleta ſunt tempore Ezechiæ: quia ſtulti, & qui pſeudoprophetarum fallaciis, & principum impiorum auctoritate traducti, atque deluſi cum deſipientibus deſipiebant, & ſtulta cogitatione ferebantur, illi iam à veris prophetis, qui non obſcurè, vt antea, ſed planè loquebantur, inſtituti ſcientiam intelligent. Et prophetæ, qui priùs erant balbi, id eſt, qui muſſitabant obſcurè, & quædam quaſi ænigmata proponebant, iam loquentur non impedita, aut hæſitante lingua, ſed velociter, ac dilucidè. Quod re ipſa ſub hæc tempora expertus eſt Iſaias, quia cùm pollutis priùs eſſet labiis, illis tamen pruna de altari ſumpta ab Angelo purificatis, expeditè locutus eſt, & apertè multò magis, quam prophetarum alij. Ita vt Euangeliſtam, aut hiſtoricum egiſſe videatur potiùs, quàm prophetam.

7. Hæc in Chriſti regno multò maiora fuerunt, atque illuſtriora, ſiue hæc de Euangelicis doctoribus, id eſt, Apoſtolis accipias, ſiue de eiſdem ſimul, & eorum diſcipulis. Quàm enim homines eo tempore imbuti fuerint prauis opinionibus, in quibus errarint tenebris, non ſolùm gentes quæ innumeris penè traducebantur erroribus, ſed etiam Iudæi, qui longè ab antiqua parentum religione deerrantes prodita vera ſanctitate inanem atque fucatam ſanctitatis ſpeciem amplexi ſunt, pleni ſunt non ſolùm Eccleſiaſtici annales, ſed etiam profani. Hi ergo homines tam gentiles, quam Iudæi ab errore vendicati veram didicere ſapientiam, dum ab Apoſtolis Euangelicam lucem accepere: & qui priùs librum, de quo ſuprà *cap.* 29. habuere ſignatum, aureo Euangelij tempore ſic in illo apertè arcana myſteria, & Dei voluntatem agnuſcent, vt verè de illis dici poſſit, quod mox ſubditur. *Et audient in die illa ſurdi verba libri, & de tenebris & caligine oculi cæcorum videbunt.*

8. Sed ſi hæc omnia de Apoſtolis interpretere, facilior eſt ſententia: nam qui piſcatores erant, & è rudi, atque ignobili plebecula illi erunt & à Chriſto doctore priùs, & poſtea ab Spiritu ſancto in die Pentecoſtes inſtructi, ſapientiſſimi. Et qui priùs erant balbi lingua, ſermone rudi, atque impolito, iidem iam à ſeipſis alij, non vna ſolùm lingua, ſed etiam variis facundiſſimè loquentur: iuxta illud *Sapientiæ* 10. *Sapientia aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit diſertas.* De quibus eſt illud 1. *Corin.* 1. *Quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes.*

9. e *Non vocabitur vltrà is qui inſipiens eſt princeps, neque fraudulentus appellabitur maior.*] S. Thom. fraudulentum iſtum, & inſipientem putat eſſe Senacherib, qui multa de ſe ſuperbè, atque inſipienter iactauit, multa durè, atque fraudulenter Iudæis minatus eſt. Hugo hæc de Manaſſe accipit Ezechiæ filio, qui ſtultus omnino fuit, cùm paternæ pietatis immemor in omne impietatis genus inſipienter defluxit. Sed alius ſenſus etiam hiſtoricus magis eſt ad inſtitutum accommodatus. Ezechiæ temporibus maximè poſt recuperatam valetudinem, additóſque vitæ quindecim annos, reſpublica ita conſtituta eſt, vt boni tantum, & prudentes dominarentur: neque impoſtores, ac fraudulenti eſſent in honore, ſicut fuerunt ſub parente Achaz; aliter enim quomodo bonus eſſet Rex Ezechias, & talis, qualis nullus in regibus Iuda neque fuiſſe antea nec futurus vnquam ſcribitur 4. *Reg* 18. *verſ.* 5. *Poſt eum non fuit ſimilis ei* (Ezechiæ) *de cunctis Regibus Iuda, ſed neque in his, qui ante eum fuerunt.*

10. Hæc longè melius in Chriſtiana, atque Eccleſiaſtica republica præſtita ſunt à Chriſto. In qua præfuerunt, non qui inſipientes falſa doctrina imbuerent rudem, & ignorantem populum, aut fraudulenti circumuenirent; ſed qui vera inſtruerent diſciplina, & ab omni errore, & fraude liberarent. Quod facilè ſibi perſuadebit, qui Apoſtolorum acta, & Eccleſiaſticos annales euoluerit.

11. f *Stultus enim fatua loquetur; & cor eius faciet iniquitatem, vt perficiat ſimulationem, & loquatur ad Dominum fraudulenter: & vacuam faciat animam eſurientis, & potum ſitienti auferat.*] Hæc ſanctus Thom. tribuit Senacherib, cuius oratio fatua fuit,

& ambi

& ambitioſæ cuiuſdam ſtultitiæ plena; & ſermo captioſus,& fallax. Quia,vt induceret populum ad deditionem, multa pollicebatur, quæ tamen impleturus non erat; ſed relinqueret populum ſibi deditum, cui largè cibum, potúmque promiſerat, inhiantem,atque eſurientem. Sed credo hîc ſignificari iudices,& moderatores,qui de loco, in quo à parente Achaz conſtituti fuerant, ab Ezechia filio depulſi ſunt, qui cùm deberent fami, & ſiti, id eſt, neceſſitati populi ſubuenire, per ſummam perfidiam, & iniuriam euertebant bonis, & vt cogitata perficerent,ſtulta nimirum & auara, nihil non mēliebantur. Aut certè rationem reddi cur Iudices iſti minùs ſint idonei ad tractanda reipublicæ gubernacula: quia in ſtultis nihil conſilij eſt, & cor iniquum eò ſpirat vt ſimulatione iuſtitiæ auferat, quæ vitæ neceſſaria ſunt.

12\. Hæc eadem Chriſtus fecit in Euangelij, ſeu Eccleſiæ regno multò nobilius: nam illis, quos adminiſtros ſibi in Eccleſia moderanda conſtituit,ſcientiam inſpirauit diuinitus, & ad aliorum vſum ſic afflauit abundanter, vt nihil loquerentur fatuum, nihil inutile: non vt ſua quærerent, aut docerent, ſed quæ Ieſu Chriſti: non ſimulatè, atque fraudulenter, ſed vſque adeò verè,ac ſeriò,vt pro aſſerenda fide,quam docebant,ſanguinem,vitamque profunderent: non vt aliis eſſent damno, aut oneri traductis ad ſuum vſum aliorum facultatibus, ſed potiùs, vt ſuo labore aliorum ſubleuarent inopiam. Quod ſanè faciebat Paulus *Actor.* 18. & ipſe de ſe id tradit 1.*Theſſalon.*2. Quod feciſſe quoque ſecum Barnabam indicat 1.*Corinth.cap.* 9. Quod Apoſtolorum exemplo feciſſe etiam alios plurimos,docet Epiphanius *hereſi* 80. Quod non ſolum docuit Apoſtolorum exemplum,& conſuetudo, ſed etiam Apoſtolica ſanctio, quæ extat apud Clementem *lib.*2.*conſtitutionum cap.*67. *Qui in Eccleſiis*, inquit, *iuuenes eſtis, curate in omnibus rebus neceſſariis ſedulò miniſtrare,cum omni ſanctitate operi veſtro vacate, vt omni tempore, & vobis, & egentibus ſuppeditare poſſitis: ne Eccleſiam Dei oneretis. Etenim nos quoque vacantes verbo Euangelij ſucciſiuas operas non negligimus. Alij enim ex nobis piſcatores ſunt, alij ſcenarum artefices,alij agricolæ; ne vnquam otioſi ſimus.* Et de fratribus Domini refert Euſebius *lib.*5.*hiſtoriæ cap.*15. ex Egeſippo,coram Domitiano fuiſſe vocatos, tanquam ex Dauidico ac Regio ſanguine prognatos, quos extinguere omnino conſtituerat. Qui cùm manus oſtenderēt partim obtritas callis,partim laceras mechanico labore,ab omni ſuſpicione rerum nouarum liberati ſine vlla moleſtia dimiſſi ſunt. Hos ergo Dominus doctores, & præſides conſtituit,illis à docendi, gubernandíque munere depulſis,qui cùm ſtulti eſſent, & ſua potiùs opinione, quàm re ipſa ſapientes, id tamen, quidquid erat fucatæ ſapientiæ, non tam ad aliorum pacem, & ſalutem, quàm ad quæſtum, & ambitionem conferebant.

Apoſtoli, Apoſtoliciq́ue viri ſuis manibus laborabant.

13\. Hæc quidem probabiliter,ſed mihi iuxta textus conſecutionem veriſimilius multò videtur dici poſſe, Ezechiæ tempore futuram eſſe cum religionis inſtauratione, magnam quoque morum mutationem. Quàm ſtudioſe Ezechias ſuſtulerit mores, qui à Gentium conſuetudine Iudaico inoleuerant populo, maximè quo tempore pater illius Achaz regnum obtinuit, quàm accuratè,atque conſtanter antiquam religionem renouauerit, ſatis perſpicuum eſt 4.*Reg.cap.* 18. Quo tempore veriſimile eſt fuiſſe multos pſeudoprophetas, qui ſcelerati Regis ſtu-

A diis aſſentati eius conſilia confirmabant, & fouebant. Fuiſſe certè Iſaiæ tempore non obſcurè habemus *ex cap.*9. Vbi cùm dixiſſet, *Diſperdet Dominus ab Iſraele caput, & caudam, incuruantem, & refrænantem die vna.* ſubdit. *Longæuus, & honorabilis ipſe eſt caput; & propheta docens mendacium, ipſe eſt cauda.* Hos audiebat populus libenter, neque quid dicerent, aut ſentirent accuratè expendebat, ſed cæcus magiſtros cæcos temerè ſequebatur. Ait igitur Iſaias Ezechiæ tempore non futuros oculos caligantium, id eſt, pſeudoprophetas, quorum caligant oculi,& eos, qui audiunt,non iam leuiter, & oſcitanter,vt antea,ſed diligenter,& attentè eorum voces,aut potiùs deliramenta, & nugas audituros.

B Et conſentaneè ad hæc exponi conſequentia poſſunt filo non difficili. Ex his enim conſequens erit, vt qui ſtulti hactenus fuerant, intelligant ſcientiam, id eſt, ſtulti eſſe deſinant, dum eos, qui prophetæ credebantur, veteratores, & impoſtores agnoſcant. Et qui balbi erant,& timidè atque hæſitanter, quia impij regis voluntas obſtabat, de Deo vero loquebantur, iam audacter, & planè de illo verba facient. Diſperdet Dominus ſub Ezechia caput,& caudam, id eſt, principem, & pſeudoprophetam,quia, qui ſtultus eſt, non erit princeps, neque populi habenas ampliùs tractabit: neque impoſtor vllus, aut propheta mendax honeſtiori loco erit inter alios.

C f *Stultus enim fatua loquetur, & cor eius faciet iniquitatem.*] Iuxta prædicta hunc puto eſſe ſenſum. Verba ſtulti,ſiue ille ſit princeps populi, ſeu propheta vanus, non erudita, aut ſana exiſtimabuntur,vt antea;ſed,vt fatua re vera ſunt, ſic etiam accipientur vt fatua; & vt cor eius iniquum eſt, ſic etiam cognoſcetur iniquitatem moliri. Id enim fraude, atque aſtu agebant fallaces illi prophetæ, vt verum eſſe populo perſuaderent, & adeò oblatum, quod plenum erat ſimulationis, & fraudis, immò impietatis execrandæ, dum de Deo fraudulenter loquuntur. Ex hac verò nugarum & fraudum manifeſtatione fiet,vt cùm illa, quæ putabantur oracula, meræ nugæ, & delirantium ſomnia eſſe deprehendantur, animæ quæ veritatem eſu- 14.

D riunt, & quid à Deo profectum ſit, & illi gratum audire ſitiunt,vero,& ſolido paſcantur cibo,& potu reficiantur ſalubri; à quo per nugatores prophetas iniquiſſimè priuabantur. Id enim ſibi velle puto illud, *Vt perficiat ſimulationem, & loquatur ad Dominum* (Hebr. Domino) *fraudulenter, & vacuam faciat animam eſurientem.*

Hæc mihi difficilia non ſunt, credo etiam & 15.
aliis, modò meminerint id, quod docuimus *cap.* 6. Regula.
*num.*36.*& cap.* 3. *num.* 9. tunc aliquid factum dici, Aliquid fa-
cùm factum eſſe declaratur,aut cognoſcitur. Quare ctum dici-
hic ſtultus fatua loquuturus eſſe traditur, cùm ta- tur, cum fa-
men antea ſtulta quoque ſit locutus: quia eius ver- ctum decla-
E ba fatua eſſe declarabuntur, & cognoſcentur. Qui ratur.
loquendi modus vulgo Hiſpanorum tritus eſt. *El noble ſea noble, y el plebeio ſea plebeio*, id eſt. *ſea tenido, y eſtimado por tal.*

g Illud *ad Dominum*, idem eſſe puto quod *de* 16.
Domino, nam *ad* ſicut etiam *in* ſæpe adhibetur pro Regula.
de. Lucæ 19. *Ait Ieſus ad eum quia hodie ſalus do-* Ad,& in ali-
mui huic facta eſt, id eſt, *de eo*, non enim ſermo ad quando po-
Zachæum dirigebatur, ſed ad circumſtantes. *Ad* nuntur pro
*Hebr.*1.*Et ad Angelos quidem dicit*, id eſt, *de Angelis.* de.
Et *cap.*4. *Ad quem nobis ſermo*, id eſt, *de quo*. Vide quæ diximus *in caput* 2. *Actuum* ad illud *Dauid enim dicit in eum*: Vbi expoſuimus *de eo*. Hoc mihi

probabilius. Neque diſplicet ſi dicas vſitatum eſſe in propheris illis mendacibus ſimulare ſe ad Deum, aut cum Deo loqui,id eſt,ſibi cum Deo aliquid eſſe commercij. Vtrumque facile eſt.

17. Hæc quæ in tempore Ezechiæ contigeruot, multò illuſtrius in regno Chriſti completa ſunt; vbi non ſolùm pſeudoprophetæ aut malè mulctati,aut duriùs accepti, ſed etiam dæmonum oracula, variis locis frequenti gentium cuncurſu nobilitata,ſublata ſunt. De quibus multa patres. Hæc latè, & eleganter Zacharias *cap.* 13. Vbi nos ea de re pluribus.

18. [h] *Fraudulenti vaſa peſſima ſunt, ipſe enim cogitationes concinnauit ad perdendos mites in ſermone mendacij, cùm loqueretur pauper iudicium.*] Hæc Hugo, & Lyra de Manaſſe intelligunt, & eius miniſtris, qui pauperum iudicia iniquis conſiliis peruertetunt. S.Thom. de Senacherib,qui concinnauit eos dolos,quos per miniſtros fraudulentos propoſuit Iudæis, quos imminens Aſſyriorum exercitus perturbabat. Nuncios verò illos vaſa peſſima vocat, iuxta Hebræorum phraſim, quibus *vas* idem eſt quod *inſtrumentum*. Sed quia hæc videntur ad conſtituendam rempublicam pertinere, quam à parente contaminaram, & perditam reſtituit Ezechias,alius ſenſus videtur eſſe commodior.

Qualis princeps, tales eius miniſtri.

Cùm Principis fraudulenta inſtrumenta peſſima ſint, eò enim comparata ſunt, vt conſiliis iniquè concinnatis aut promiſſione, ſeu conſulto mendaci,pauperes,etiam cùm iudicium loquũtur,id eſt, iuſta petunt,aut lege aliquid, & iudicio exquirunt, bonis expolient,ideo iuſtus Rex Exechias fraudulentum moderatorem loco mouit, & impia vaſa, id eſt, iniquas fallacias quas pauperibus intendebat, euertit. Neque mibi diſplicet, *ſi vaſa peſſima* dicamus eſſe iniqui iudicis, ſceleratos miniſtros, qui non minùs ad prædam ſitienter inhiant, quàm ipſorum domini,iuxta illud *Eccleſiaſt.* 4. *Secundùm iudicem populi, ſic & miniſtri eius*, quos optimè Cicero deſcribit, *Actione 6. in Verrem* in Cybiratis fratribus, quibus furaciſſimus prætor tanquam venaticis canibus ad odorandam, veſtigandámque prædam vtebatur.

19. [i] *Princeps verò ea, quæ digna ſunt principe, cogitabit; & ipſe ſuper duces ſtabit.*] Hæc Lyra de Ioſia intelligit, nec improbat Hugo, qui iudex æquus fuit, & cogitationes ſuſcepit optimo dignas principe. S.Thom. de Ezechia exponit,quo tempore inſtabat vrbi Senacherib. Tunc enim ſtetit ſuper duces,id eſt,ſuper Subnam, & Eliacim,quibus edixit, quomodo excipere deberent nuntios Senacherib. Sed videtur hic in Exechia optimi ducis, ac moderatoris formam proponi, qui excubias agit pro republica, laboráque ſedulò, ne quid inopes atque infirmi,quorum ipſe præcipuè pater eſt,aliquid iniuriæ,ac detrimenti ferant, à potentiori manu.

Pauperum cauſa commẽdata principibus.

Quàm ſit pauperum,viduarum,& pupillorum cauſa commendata principibus, atque his qui quoquo modo rei præſunt publicæ, docent grauiſſima Scripturæ teſtimonia. *Eccleſ.* 4. *In iudicando eſto pupillis miſericors, vt pater, & pro viro matri illorum.* id eſt viduæ. *Iſaiæ* 1. *Subuenite oppreſſo, iudicate pupillo, defendite viduam. Ieremiæ* 22. *Liberate vi oppreſſum de manu calumniatoris, & aduenam, & pupillum, & viduam nolite contriſtare.*

20. Quàm hæc in republica Chriſtiana commendata ſint, quàm à ſummo principe Chriſto diligenter ſeruata, quis non videt: quàm acriter reprehenſi,qui pietatis ſpecie deſerendos eſſe parentes à filiis prædicxbxnt. Vide Matthæum *cap.* 15. & ibi expoſitores, de quibus ego hic non plura, quia ea de re & hîc,& alibi doctores ſatis multa,& grauiter.

[k] *Mulieres opulentæ ſurgite, & audite vocem meam, filiæ confidentes percipite auribus eloquium meum.*] Vſitatum eſt prophetis vt cùm res aliquo in genere magna, aut admiranda proponitur, illa aliis atque aliis verbis explicetur: quæ captandæ attentionis propheticæ forma eſt. Aduocantur verò mulieres *opulentæ*, quæ deinde *confidentes* dicuntur, aut propriè, quia illæ communes reipublicæ caſus aut lugubri, aut feſtiuo cantico iuxta rerum naturam celebrare ſolent (vt docuit Maria ſoror Moyſis traiecto mari rubro,& ibi Pharaone demerſo,& filia Iephthe poſt parentis victoriam, quæ Heroides erant,& opulentæ ſuis quæque temporibus) vt plorent imminentem iam ab hoſte calamitatem. Aut certè metaphoricè, vt in *mulieribus* intelligantur homines imbelles,& molles,in quibus muliebre ingenium eſt, anguſti animi, & leue conſilium. Vtramque expoſitionem adhibuit S. Thom. Mihi veriſimile eſt, quod docet Hieronymus, Cyrillus,Procopius,Haymo, & interpretum plerique, *mulieres opulentas*, & *filias confidentes* vocari ciuitates, ſiue ſynagogas.aut, ſicut Chaldaicus tranſtulit, prouincias,ſiue illæ ſint,quæ parent Regibus Iuda, vocarique ſolent filiæ Sion, id eſt, vrbes, quæ ſubditæ ſunt Sion (nam quemadmodum præcipua ciuitas in aliquo regno, & aliarum caput, vocatur *mater*: id enim ſignificat *metropolis*, ſic etiam eadem figura ſubiectæ ciuitates dicuntur *filiæ*) ſiue etiam quæ à Regibus Iuda defecerunt, & aſcriptæ ſunt Regibus Iſrael. 21.

Quamuis autem hæc accipi poſſint de ciuitatibus illis Iuda, quæ vaſtatæ ſunt à Senacherib, tamen mihi veriſimilius eſt nouã hîc induci prophetiam, agique de vrbibus Iſrael, quæ expugnatæ fuerunt à Salmanaſar anno ſexto Regis Exechiæ; vt habes 4. *Regum cap.* 18. Nam multa, quæ hic dicuntur, nullo modo conuenire poſſunt in ciuitates Iuda, vt ſuo loco dicemus. Ex quo fit veriſimile, hoc vaticinium fuiſſe oblatum prophetæ non longè poſt initum regnum ab Ezechia. Ex quo etiam mihi perſuadeo hinc inchoari nouam prophetiam, aut quaſi per parenthesim interpoſitum eſſe ſermonem de vrbibus Iſrael iam proximè diripiendis. Dicuntur autem vrbes illæ *opulentæ*, & *confidentes*, quia & deliciis deditæ, vt ſtatim oſtendit magis apertè, & quia confiſæ ciuium, atque armorum multitudine nihil ab hoſte metuebant. Vbi vulgatus *opulenta* reddidit, Hebr. eſt שַׁאֲנַנּוֹת *ſaanoth*, quod *pacificum* & *quietum* ſonat. 22.

[l] *Poſt dies, & annum vos conturbabimini confidentes.*] Quid ſibi velit hæc dicendi forma, non ſatis exploratum. Quidam exponunt annum, & aliquot poſtea dies. Ita Forerius, & Pagninus in notatione marginali. Sunt qui his vocibus *modicum tempus* deſignari putent, vt Hugo & Adamus. Interlinearis *tres annos* hac figura dicendi deſignari putat; ſed non video quo fundamento. Alij *longum tempus*, quaſi diebus addantur dies, & anni annis: ita Vatablus. Hebr. יָמִים עַל שָׁנָה *iamim al ſanah*, quæ ſic ad verbum reddo, *dies ad annum*. Ex qua dicendi formula mihi valde veriſimile eſt hac deſcriptione *vnius anni ſpatium* definiri, ac ſi dicas, poſt dies, quibus impleri poteſt annus; aut qui ſatis ſint ad annum emplendum. Quam ſententiam ſuadet Scripturæ conſuetudo, quæ cùm certum aliquod tempus definit, præ- 23.

mittere

mittere ſolet dies, quibus amplior aliqua ſumma
1.Reg.27. completur 1. *Regum* 27. vbi vulgatus habet. *Fuit
autem numerus dierum quibus habitauit Dauid
in regionibus Philiſthinorum quatuor menſes.* Hebr.
ימים וארבעה חדשים *iamim vearbahhah chodaſcim,*
Iud.19. id eſt, *dies & quatuor menſes*, & *Iudic.* 19. vbi vulga-
Regula. tus, *Manſitque apud eum quatuor menſibus*, Hebr.
Dies annis eodem modo quo ſuprà, niſi quòd in ſecunda di-
additi nihil ctione non adhibuit ו *vau*, quod noſtram ſenten-
interdũ au- tiam multò magis confirmat, quod ſic reddo, *diebus*
gent. *quatuor menſium.* Huc faciunt alia loca plurima
vbi dies cum annis coniunguntur eodem planè
ſenſu, ita vt dies nihil addant annis, ſed potiùs in-
dicent ex diebus componi, & conſtare annos, 2.
2.Reg.19. *Reg.* 19. *verſ.* 34. *Quot ſunt dies annorum vitæ meæ.*
Pſal. 89. *Dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta*
24. *anni*; & ſimili forma inuenies alia plura. Adde
quòd etiam ſi vnum aut alterum diem addas, non
ideo iuxta communem, & vulgarem dicendi mo-
dum ſupra annum ſpatium eſſe exiſtimatur; imò
paucorum dierum acceſſio anni complementum,
& plenitudo, & quaſi cumulus quidam reputatur.
Leuit.23. Quomodo *Leuit. cap.* 23. *verſ.* 15. ſeptem hebdo-
mades plenæ dicuntur, cùm poſt ſeptenarium nu-
merum replicatum ſepties dies accedit vnus ex
hebdomada octaua. *Numerabitis ſeptem hebdoma-
das plenas, vſque ad alteram diem expletionis hebdo-
madis ſeptimæ, id eſt, quinquaginta dies.* Et vul-
gus Hiſpanorum cùm annum completum ſignifi-
care vult, ſic explicat communiter *año y dia.* Hæc
mihi viſa ſunt non improbabilia à quibus non ad-
modum recedunt, qui ſupra annum aliquos enu-
merant dies, qui ſanè, ſi pauci ſunt, in ſpatium an-
nuum contribui cenſentur. Quod nõ difficilis con-
iectura perſuadet tempus, quo accidit extrema po-
puli Iſraelitici calamitas. Hæc enim incidit in pri-
ma Ezechiæ tempora, in annum nempe ſextum,
vt habes 4. *Regum cap.* 18 *verſ* 9. Tunc enim capta
eſt Samaria à Salmanaſar Rege Aſſyriorum. Niſi
mauis referre ad tertium annum Ezechiæ, quo
Salmanaſar obſedit Samariam in qua ſubiuganda
triennium poſuit, vſque ad ſextum annum Ezechiæ.
Et tunc multò magis fauet coniectura: Cùm enim
quando hæc ab Iſaia dicebãtur, aliquot anni eſſent
exacti, ex quo regnum iniit Ezechias, plus ſpatij vi-
detur ſupereſſe non poſſe à tempore huius pro-
phetiæ ad Iſraelis caſum.
25. m *Conſummata eſt enim vindemia, collectio vltrà
non veniet.*] Hæc mihi veriſimile reddunt, quod
antea dixeram, vaticinium hoc ſpectare id quod
reliquum erat ex Iſrael, quando perpetua fore dici-
tur hæc deprædatio: quod in Iſrael impletum fuit,
non autem in Iuda. Hæc enim neque omnino ex-
pugnata fuit à Senacherib, & quod ille abſtulit à
ciuitatibus Iuda, eo ab Angelo diuinitus fugato
reſtitutum eſt. Quare in regionibus Iuda iterum,
atque iterum fieri potuit, imò & facta eſt colle-
Vindemia ctio, atque vindemia. Vſurpatur autem vindemiæ
pro præda- nomen in Scriptura frequenter pro prædatione
tione. hoſtili, vt diximus ad illud *cap.* 6. *Et adhuc in ea de-
cimatio.* Eſt itaque ſenſus. Sic vindemiabit te hoſtis
ad purum, vt neque reliquiæ ſuperſint vllæ, quas
26. iterum hoſtis colligat. Ante hunc tempus iam bis
Sæpe Aſſy- irruperat Aſſyrius in fines Iſrael; ſemel Teglath-
rij in fines phalaſar, qui regionem trans Iordanem vaſtauit
Iſraelis in- 4. *Reg.* 15. & 1. *Paralip.* 5. qui aliquid reliquit ex ea
greſſi. vindemia, quod alius colligeret: Rediit deinde Sal-
manaſar, qui non omnino ſuſtulit, quod erat reli-
quum ex Iſrael 4. *Reg.* 17. Pòſt reuerſus iterum eſt,

A vt quod ſuperarat in tractu Iſraelitico ad Aſſyrios
transferret: quod ita præſtitit diligenter, vt non
neceſſe fuerit iterum fieri collectionem 4. *Reg.* 18.
Id ergo nunc prædicit Iſaias inſtare iam tempus,
exacto nimirum anno, quo Aſſyrius ita vindemia-
bit Iſrael, vt nulli ex ea vindemia racemi ſuperſint,
qui à barbaro & auaro vindemiatore colligantur.
Porrò *vindemiam* pro ſtrage & *racemationem* pro
illorum præda, qui à cæde ſuperſtites fuerunt, in
Scriptura ſumi, ſatis eſt notum. *Ieremias Thren.* 1.
verſ. 22. *Vindemia eos ſicut vindemiaſti me.* & *cap.* 2.
verſ. 20. *Vide Domine, & conſidera quẽ vindemiaueris.*
& *cap.* 6. *Vſque ad racemum colligent, quaſi in vinea
reliquias Iſrael. Iudic.* 20. Vbi vulgatus, *Occiderunt
B quinque millia virorum.* Hebr. *racemationem fece-
runt.* Quod ſic Hiſpanus. *Bol vieron por la rebuſca.*
n *Obſtupeſcite opulentæ, conturbamini confiden-
tes: exuite vos, & confundimini: accingite lumbos ve-
ſtros. Super vbera plangite, ſuper regione deſiderabili,
ſuper vinea fertili.*] Hoc eſt alterum argumentum 27.
quo mihi perſuadeo vaticinium eſſe de Iſrael, &
de Samaria præcipuè, quæ Iſraelitici imperij ſedes
erat. Vt enim *in cap.* 18. *ad initium* diximus, vineis
abundabat Samaria; quare de illa ſæpe ſub vineæ
metaphora loquuntur prophetæ. Vide, quæ ibi
diximus. Eſt autem hic grauis hypotypoſis eius,
quæ lugubri ſpecie, & eiulatu triſti graue lamen-
tatur infortunium. Credo hoc loco proponi ſpe-
ciem opulentæ, & delicatæ fœminæ, quæ mutata
C fortuna ancillarem, id eſt, ſordidum, & ignobilem
habitum aſſumit. Qualis ab hoc eodem propheta
cap. 47. deſcribitur filia Babylonis in hoc eodem
ſtatu iam ſeruili cultu, iam collecta lacinia. iam in
exilium profecta. *Non eſt ſolium filia Chaldæorum,
quia iam non vocaberis mollis, & tenera, &c. denuda
turpitudinem tuam, diſcooperi humerum, reuela crura.*
Eodem ſenſu dici hîc puto. *Exuite vos, & confun-
dimini, accingite lumbos veſtros. Confundi* idem eſt
hoc loco, quod *denudare turpitudinem.* Materiam
deinde lamentationis proponit, quòd regionem
deſiderabilem, quòd vineam fertilem relicturæ ſint
molles illæ, atque opulentæ fœminæ; & quòd filij
duro crudelium dominorum imperio ſubijciendi
D ſint. Filios enim deſignari puto his verbis *ſuper* Vbera pro
vbera plangite. nam *vbera* filios deſignant. quia illis filiis.
nutriuntur. *Geneſ.* 49. Vbi fœcundam ſobolem Ia-
cob optat filio ſuo Ioſeph. *Benedictiones vberum
& vuluæ.* & *Oſeæ cap.* 9. fœcunditati opponitur *vul-
ua ſterilis, & vbera arentia* & ita accipiunt plerique.
o *Super humum populi mei ſpina, & vepres aſcen-* 28.
dent, quantò magis ſuper omnes domos gaudij.] Huc
vſque de decem tribubus, hinc iam occaſione
comparationis ad duas tribus vaticinium traducit.
Hinc liquet ſermonem eſſe de decem tribubus,
quando argumentum ſumitur à duabus aliis. Ar-
gumentatur propheta à minori, probatque non
mirum videri, ſi tantopere Deus in decem tribus
ſæuiat, quæ deliciis vacant, neque admodum cu-
E rant peccata ſua lacrymis pœnitentiæ delere, cùm
domum ſuam, vbi cultus religioſus eſt, & victimæ
iuges, ita ſylueſcere patiantur, vt in ea vepres na-
ſcantur, & ſpinæ, ſicut in ſaltu. Hæc quidam refe-
runt ad obſidionem Senacherib, in qua pars quæ-
dam ciuitatis prodita fertur à Sobna, & à perfidis,
ſeu timidis ciuibus, Regi Aſſyriorum, vt quibuſdam
videri diximus ad illud *cap.* 22. *Vade, & ingredere
ad eum.* Et ita hic accepit S. Thom. & Lyra. Sed
mihi veriſimilius eſt vaticinium hoc eſſe de va-
ſtitate Iudææ, & Ieruſalem inducta per Chaldæos
quando

quando reuera domus Dei, id eſt, templum euerſum fuit, & pars illa ciuitatis, quæ maximè erat frequens, & culta, ſyluarum in modum ſic inhorruit dumis, vt in ea luſtra ſibi vulpeculæ parauerint. *Thren. cap.* 5. De alijs verò partibus Iudææ, quid exiſtimandum ſit ex eo liquet, quia ſuprà *cap.* 7. ſcribitur eam futuram rerum viciſſitudinem, vt vbi ſumma erat amœnitas, & vbertas, ibi futura ſit ferarum venatio; adeò vt nemo illuc audeat irrumpere, niſi arcu atque ſagittis inſtructus.

29. ꝑ *Domus enim dimiſſa eſt, multitudo vrbis relicta eſt; tenebræ, & palpatio facta ſunt ſuper ſpeluncas vſque in æternum.*] Hæc optimè quadrant in ſtragem ciuitatis per Chaldæos inductam: nam ſub appulſum Senacherib nihil aduerſum accidit ciuitati præter trepidationem, & iacturam pecuniæ, atque donorum, quibus Rex Ezechias placari ſibi voluit Aſſyrium. Neque tunc domus dimiſſa eſt, aut vrbis multitudo relicta; ſecus verò in obſidione Chaldæorum. Nunc duo explicanda: Alterum quid ſit *Super ſpeluncas futuras eſſe tenebras*; alterum quomodo *tenebræ, & palpatio in æternum duratura* tradantur.

30. *In ſyluis obſcuritas, & horror.* Quod ad priorem partem pertinet, exiſtimo in trepidatione, & tenebris optimam eſſe ſyluarum deſcriptionem, quæ *tenebræ* dicuntur, quia denſæ, frōdoſæ, atque proceræ arbores, ſeu frutices ſolares radios non admittunt: Vnde per antiphraſim *luci* dicuntur, quia non lucent; & ſyluarum epitheton eſt *opacum, nigrum, obſcurum*, vt apud poëtas paſſim. Cui obſcuritati comes eſt palpatio, trepidatio, ac horror. Quare ſyluarum vmbræ *horrentes* dicuntur, & horror quidam arboribus ineſſe traditur, & cum *tenebris, palpatio* ſæpe coniungitur. Quia ergo ſylueſcet ciuitas quondam illuſtris, & clara, ideo *ſuper ſpeluncas*, quæ relictæ ſunt ex tantæ ciuitatis ruinis, futuræ dicuntur tenebræ, atque horrentes vmbræ. Fert autem rerum natura, vt, dum magnæ moles ruunt, ex vario murorum concurſu, aliqua intus relinquantur ſpatia vacua, & latebræ in fornicum, aut ſpeluncarum modum, quæ nunc *ſpeluncæ* nominantur, ſuper quas adoleſcet ſyluarum aſperitas, & horror. Aut certè, quia non magnum erat tenebras, & palpationem eſſe in ſpeluncis, aut quæ initio arte factæ, aut quæ ex concurſatione labentium murorum relictæ ſunt, *ſuper ſpeluncas*, id eſt, in ſuprema ædificiorum, aut ruinarum parte futuræ tenebræ dicuntur, id eſt, vt priùs interpretabar, denſæ, atque opacæ ſyluæ. Neque id mirum videri debet, cùm ſtante vrbe, ac templo in atrio ac templo virgulta nata eſſe tradantur, tanquam in ſaltu 1. *Machabæorum cap.* 4. & hoc indicat, quod ſequitur. *Gaudium onagrorum, paſcua gregum.* Fortaſſe illud *ſuper ſpeluncas* comparationem importat, ita vt tenebræ ex ſyluarum denſitate diffuſæ futuræ ſint maiores quàm quæ in ſpeluncis eſſe ſolent. Et ſanè, ſi hîc myſticum quæreremus ſenſum, & non hiſtoricum, non eſſet hæc interpretatio difficilis, aut aliena: quia *tenebræ* pro ærumnis, ac perturbationibus vſurpantur. Cùm autem in ſpeluncis, abditiſque locis denſæ ſint, atque horribiles tenebræ, dum in Iudæis magis craſſæ, ac obſcuræ fore traduntur, maxima illorum ſignificatur calamitas.

31. Aliqui pro *tenebris & palpatione*, vertunt, *turres, & propugnacula in ſpeluncas redigentur.* In quibus eſt Vatablus, & Pagninus, neque longè abeſt tranſlatio Septuaginta. Dicunt autem Hebræi duas fuiſſe turres in Ieruſalem admirandæ magnitudinis, quorum altera diceretur אפל *ophel*, pro qua noſter reddidit *tenebras* quæ *nubilum* ſignificat, quia ſuum faſtigium propter immenſam altitudinem in nubes induceret: altera בחן *bachan*, pro qua vulgatus *palpationem* conuertit, quæ ſignificat *probationem*, aut *tentamentum*; quia in eius culmine ſpectando probaretur quanta eſſet cuiuſque, & quàm firma oculorum acies. Quæ tamen turres vſque adeò ſublimes, ita ſunt miſerabiliter collapſæ, vt in ſpeluncarum profunditatem depreſſæ ſint. Hæc Hebræi, fides penes illos ſit; quæ apud me plerumque nulla, aut certè perquam leuis eſt.

¶ Alterum eſt quod examinari oporteat, quid ſit *vſque in æternum.* Quæ vox aliquibus perſuaſit hæc eſſe omnino intelligenda de excidio Ieruſalem per Romanos, quia poſt illud in æternam ſolitudinem redacta fuit. Sed ſanè vox hæc in ſcriptura, ſicut etiam Heb. עולם *hholam*, & Græcè αἰὼν non ſignificat ſemper, quod nullo definitum eſt tempore, vt Scholaſtici communiter accipiunt, ſed ſæpe quod in longum producitur tempus. Vt *Geneſ.* 17. *verſ.* 18. *Dabo tibi, & ſemini tuo terram peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaan in poſſeſſionem æternam*: à qua tamen eius poſteri iam pridem exciderunt. Et *Exod.* 21. de ſeruo qui oblatam à Domino ſuo libertatem reſpuit, ſcribitur. *Perforabit aurem eius ſubula, eritque ei ſeruus in æternum.* Qui loquendi modus etiam apud profanos auctores vſitatus eſt. Horatius *libro* 1. *epiſtola* 1. de aſoto, & intemperante. 32. *Æternum aliquādo longum tempus ſignificat.*

Seruiet æternum, quia paruo neſciat vti.

Quare vox *æternum* non admodum premit in oppoſitum noſtram expoſitionem.

ꝛ *Donec effundatur ſuper nos ſpiritus de excelſo.*] 33.
Conſtituitur terminus vaſtitatis, & ærumnæ nunc ab Iſaia; idem nempe qui Babylonici exilij; tunc enim reſpexit Dominus populum, eóque in patriam reuocato exciſa ſylua fuit, quæ in vrbis, templíque ruinis excreuerat: & rurſus inſtaurata ſunt quæ ad illud vſque tempus iacuerant dumis obſita, ac tenebris. Quo tempore non tantùm excitabuntur collapſa, aut implebitur locus vaſtus ac deſertus ciuium frequentia ſed ad meliorem formam redigentur omnia, vt nos latè probauimus *in cap.* 9. *Zachariæ num.* 23. *& num.* 24.

34. *Ærumnoſi mortuorum nomine ſignificantur.* Adhibuit hoc loco propheta ſimilitudinem ſcripturæ familiarem, quæ eos qui in graui aliqua, & ærumnoſa conditione ſunt, mortuis aſſimilat. Vt de hoc ipſo ſtatu Iudæorum apud Babylonios dixit Ieremias *Thren.* 3. *verſ.* 6. *In tenebroſis collocauit me, quaſi mortuos ſempiternos.* Et multò clariùs *Ezechielis cap.* 37. qui videtur ad hunc Iſaiæ locum reſpexiſſe, qui captiuos *mortuos* appellat: & regionem Babylonicam, vbi exules agebant, eorum *ſepulcrum.* Denique miſſo ſpiritu accepiſſe vitam, id eſt, libertatem, & rediuiuos de ſepulcro, id eſt, de exilio, ad lucem, & patriam rediiſſe. Sic autem Ezechiel. *Hæc dicit Dominus Deus, A quatuor ventis veni ſpiritus, & inſuffla ſuper interfectos iſtos, & reuiuiſcent. Et prophetaui ſicut præceperat mihi, & ingreſſus eſt in ea ſpiritus, & vixerunt ſteteruntque ſuper pedes ſuos, exercitus grandis nimis valde. Et dixit ad me. Fili hominis, oſſa hæc vniuerſa Domus Iſrael eſt. Ipſi dicunt, aruerunt oſſa noſtra, & periit ſpes noſtra, & abſciſſi ſumus* (ecce quomodo captiuis multū erat in ore ſe iam eſſe mortuos, quæ vox alijs etiam qui ægrum, & miſerum trahebant ſpiritum, videtur eſſe communis.) *Propterea vaticinare & dices ad eos. Hæc dicit Dominus Deus. Ecce ego aperiam*

tumulos

tumulos veſtros, & educam vos de ſepulchris veſtris, populus meus, & inducam vos in terram Iſrael. Hæc meo iudicio commentaria ſunt eius loci, quem nunc verſamus; tamdiu enim quaſi mortui iacuerunt in exilio Iudæi, & ciuitatis, & templi ſolitudo ſyluarum in modum vepribus, atque ſpinis inhorruit, donec ſpiritus de excelſo effuſus eſt. Niſi mauis aliam hic agnoſcere metaphoram ſumptam ab agris, qui rigente hyeme ſteriles ſunt, & mortui; vbi autem mitioribus ventis aſpirantibus intepuit cœlum, germinante herba reuiuiſcere videntur, & priori pulchritudini reſtitui iuxta illud *pſal.* 103. *verſ.* 39. Vbi de hac agrorum viciſſitudine ſermo eſt. *Auferes ſpiritum tuum, & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur: emitte ſpiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ.* De ſenſu myſtico, & Eccleſiæ tempore agemus pluribus ad finem capitis.

35. Prouerbiū. *Et erit deſertum in Charmel, & Charmel in ſaltum reputabitur.*] Quando hîc agitur de illius temporis felicitate, quæ conſequetur reditum Babylonis ab exilio, videtur commodè ſic exponi locus, qui noſtram ſententiam aliquantulum turbat; ſed prius obſeruo in ſcriptura tritum eſſe, vt magna felicitas ſiue inopia agrorum vbertate, ſeu ſterilitate, & macie ſignificetur; vt in hoc propheta, & antè vidimus, & pòſt occurret ſæpe Commemorandis nunc exemplis ſuperſedeo. Vide infrà *cap.* 35. Ex hac conſuetudine natum eſſe puto vt *cap.* 29. Carmelus dicatur conuertendus in Libanum, & Libanus rurſus in Carmelum: quod idem ferme eſt quod Carmelum in ſaltum, & ſaltum in Carmelum conuerſum iri. Quia cum Libano à cultura deſerto, id eſt, cum populo Gentili mitior erit, & largior diuina manus; cum Carmelo autem, id eſt, populo Iudaico, parcior, & durior: quorum ille monte Libano inculto, & feris tantùm arboribus affluenti, hic verò Carmelo cultiſſimo, olei, viníque feraciſſimo deſignatur. Sic ergo hoc loco infelicitas à deſerto, & fortuna iam melior à Carmelo ſumpta felicitatem populi ab exilio reuerſi cum felicitate eiuſdem ante vaſtitatis, atque exilij tempus componit, in hanc ſententiam. Quæ deſerta fuere longo illo exilio, quo apud Babylonios inueterauerunt Iudæi, in quo tanquam in ſaltu omnia fuerunt ſpinis, atque fruticibus obſita, ſic erunt fœcunda, & caſta, vt cum Carmelo cultiſſimo, & omnibus delicijs abundanti conferri poſſint: ipſe verò Carmelus amœnus, & fœcundus antea, ea erit poſt exilium amœnitate, atque vbertate, vt ſi prioris temporis ſpeciem ſpectes, vidiſſe te antea putes deſertum aliquod, aut ſyluam horridam, & incultam. In hanc ſententiam ferme S. Thom. De ſenſu myſtico agemus ad finem. Vide quæ de Carmelo, & Libano diximus *cap.* 19. *num.* 25.

36. *Et habitabit in ſolitudine iudicium, & iuſtitia in Charmel ſedebit.*] Magna fœlicitas oſtenditur, dum vbique terrarum futurum eſſe dicitur iudicium, & iuſtitia, id eſt æquitas, & ſocialis fides inter omnes. Secus atque antea, cùm ſibi ab hoſtibus domeſticis nempe à decem tribubus, & ab externis nimirum Philiſtæis, Moabitis, Idumæis, Syris, Aſſyriis, & Chaldæis aliquid quotidie aut patiebantur, aut metuebant Iudæi. Ex hac verò iuſtitia naſcetur pax, & ſilentium, quo quies innuitur, & ſecuritas. Quæ deinde cum epitaſi magis explicantur, cùm ſubditur. *Et ſedebit populus meus in pulchritudine pacis; & in tabernaculo fiduciæ, & in requie opulenta.*

37. Hæc quæ de deſerto atque Carmelo hucuſque diximus, facilia videntur, & apta textui. Sed addam explicationem aliam, quæ mihi probatur multò magis. Iam ſæpe audiuimus ab hoc propheta, quàm dure atque iniquè pauperes à potentioribus, & opulentis vexentur, propter quod minatus eſt ea mala, quibus diu, & variè iactati ſunt Iudæi, quæ *à cap.* 1. *ad hunc vſque locum* ſæpius ingeminat. Hæc ergo incommoda, quæ ſæpe retulerat, ſubituros eſſe Iudæos affirmat propheta, donec ſpiritus de excelſo ſuper ipſos deſcendat, id eſt, vt ſuo loco diximus, donec ab exilio tanquam à ſepulcro prodeant. Eo ergo exilio, & aliis incommodis attenuatus populus eò redigetur, vt pauci admodum potentes, atque opulenti redeant, qui inferiores alios, ſicut priùs potentiam, & autoritate opprimant: quia inter omnes, aut æqualitas erit, aut certè inæqualitas non magna. Hæc autem æqualitas eleganter exprimitur Carmelo in deſertum, & deſerto in Carmelum permutato. Nam in deſerto ſterili ſatis indicatur tenuis, ac miſera pauperum fortuna; in Carmelo vero ſublimi, atque fœcundo monte ſublimitas, & abundantia potentium. Illo verò tempore, quo alternante fortuna ad priorem, ſeu etiam maiorem felicitatem reuertentur Iudæi, Carmelus conuertetur in deſertum, id eſt, potentes ſe ad tenuiorum conditionem demittent, & deſertum in Carmelum, id eſt, ex tenui fortuna homines antea pauperes ad potentium altitudinem attollentur. Quod idem propheta cecinit *cap.* 40. *Omnis vallis implebitur, & omnis mons, & collis humiliabitur.* Quare aptè ſtatim ſubiicitur, *in ſolitudine, & Carmelo futurum eſſe iudicium & iuſtitiam,* quæ ante Chaldæorum aduentum obſoleuerant, & ex eis profectura, quæ deinde adiunguntur; quæ ſatis ſunt perſpicua, nimirum pax, ſilentium, ſecuritas, opes, quæque hominum votis optabilia ſunt.

Et erit opus iuſtitiæ pax, & cultus iuſtitiæ ſilentium, & ſecuritas vſque in ſempiternum.] Oſtendit iam propheta quiſnam fructus capiendus ſit ex iuſtitiæ in Iudæorum cœtum inductæ obſeruatione & cultu; nempe, ne qua ſit perturbatio, ac ſeditio ſiue à cognatis, & domeſticis, vt antea ſæpe, ſiue ab alienis, vt paſſi olim fuerant penè continenter. Eſt autem hoc loco *opus iuſtitiæ*, & *cultus iuſtitiæ* idem omnino: nempe iuſtitiæ obſeruatio, aut actio cum iuſtitia conſentiens, aut ab ea profecta. Sicut etiam *ſilentium, ſecuritas* & *pax*, quæ otium, tranquillitatem, & abundantiam ſonant. Imò iſtibus his vocibus, quæcunque optari ab hominibus poſſunt, ſignificatur. *Opus* verò, *& cultus iuſtitiæ* pro operis præmio, atque mercede ponitur ſumpta per metonymiam, cauſa pro effectu: quod in ſcriptura infrequens non eſt. *Leuit.* 19. *Non morabitur opus mercenarij tui vſque mane*, id eſt, merces operis. *Pſalm.* 127. *Labores manuum tuarum, quia manducabis*, id eſt, quod laborando conſecutus es. Sic ergo *pax*, & *ſilentium* dicuntur opus eſſe iuſtitiæ, quia ex iuſtitiæ cultu, aut obſeruatione proueniunt. 38.

Grando autem in deſcenſione ſaltus: & humilitate humiliabitur ciuitas.] Quidam exiſtimant aliis ciuitatibus, quæ alienæ ſunt à populo Iudaico minas intendi; quaſi mittenda ſit grando, quæ deſcenſum ſyluæ, in quo putant gentiliſmum intelligi, vaſtatura ſit. S. Thom. ciuitatem humiliandam Niniuem eſſe putat. Vt alia vera ſint, tamen cur *deſcenſio ſaltus* gentem deſignet alienam à religione Iudaica, non video. Ego hic epiphonema 39.

quoddam

quoddam eſſe arbitror ſiue concluſionem totius narrationis. Ita vt oſtẽdatur quid Domino maximè fuerit propoſitum, cùm grandinem, procellam & fulmina miſit in Ieruſalem, nempe vt humiliaret illam, eóque adduceret vt ſpoliata ornamentis, quamuis inuita deſcenderet, ſéque ex ambitioſo faſtu ad aliorum humilitatem demitteret. Acſi dicat propheta, Ideo grandinem miſit Deus, vt deſcendere faceret ſaltum ſublimem, & excelſam ciuitatem humiliaret, vt ad æquitatem, & iuſtitiam omnia reduceret. *Grandinem* pro tribulatione, quæ Hieroſolymam populata eſt, accipit Hugo.

40. Septuaginta aliter hunc locum tranſtulere. *At grando ſi deſcenderit, non ſuper vos veniet.* Quæ verba, vt Cyrillus exponit, omnia credentibus pollicentur ſecunda. ſi qua enim futura tempeſtas eſt, illa iactabit eos qui diuinis legibus aduerſabuntur, non qui illas amplectentur. Imò illi, qui quaſi in ſyluis inculti, & aridi nullum ferebant fructum, iidem, quaſi in campeſtribus ſati, atque irrigati riuis iugiter fluentibus, fructus fundent, & aſpectu pulchros, & guſtatu dulces: & ideo in ſua tranſlatione ſubdunt. *Et erunt habitantes in ſyluis, ſicut qui in campeſtris.*

41. Quamuis ea, quæ de grandine, atque ciuitate humiliata diximus, videantur opportunè dici potuiſſe, tamen magis placet de Babylonia accipere, quæ, vt populus Iudaicus in patriam remigraret, ipſa graui ruina collapſa eſt. Dum ergo Iudæis mollis à cœlo, & fœcunda pluuia promittitur, quæ incultam, & horridam tot annis regionem exhilararet, adduceretque ad Carmeli ſimilitudinem amœnam, & vberem, tunc horribilis nimbus parabatur, & grando inimica, quæ ſaltum ſterneret, & ſylueſtres arbores à ſua celſitudine, ambitioſóque foliorum ornatu deſcendere faceret. Cur autem Babylon *ſaltus* dici poſſit, imò & ita dicatur propter hortos penſiles, qui faciunt, vt procul ſpectantibus ſylua quædam exiſtimetur, diximus ad illud *cap.* 23. *Super montem caliginoſum.* Vide omnino.

42. ¶ *Beati qui ſeminatis ſuper omnes aquas immittentes pedes bouis & aſini.*] Alteram epiphonema, ad eos, qui poſt exilium in Iudæam reuerſi terram ſeminabunt, quam Deus copioſis imbribus irrigabit. Ac ſi dicat, O fortunati, qui tempus illud cernent, quando Deus terram antè ſterilem, ſenticoſam, & incultam, aſſiduo, atque fœcundo imbre vberem & ſpecioſam reddet. Quibus licebit in humentes agros, cæleſti rore iuga boum, ſiue aſinorum agere: & illis eo labore ad ſatus accipiendos diſpoſitis ſemen committere; *Aquas* verò poſuit in numero multitudinis, vt duo aquarum genera complecteretur, alterum importunum & infeſtum agris, qui *nimbus* dicitur, quem plerumque fulgura, & grando comitari ſolent, & illud aſt quod diripuit Iudæorum ſata, id eſt bona, & ſpem, exciſa nempe à Chaldæis Ieruſalem, & agris in ſyluarum morem efferatis. De quo nuper propheta, cùm dixit iuxta priorem explicationem. *Grando autem in deſcenſione ſaltus.* Alterum pluuiæ genus mitius, quod terram vſque adeò rigauit attemperatè, & copiosè ad opportunum ſatum, & felicem prouentum, vt terra deſerta ſterili atque infelici ſolo, conuertenda dicatur in vbertatem, & amœnitatem Carmeli. Prior accidit, quando Chaldæi inſtar tempeſtatis horribiles in Iudæorum fines inuecti ſunt; Poſterior ſoluta iam captiuitate, quæ Deo hominibúſque fauentibus Iudæorum agros exhilarauit, & auxit. Et reipſa cæli ad Hebræorum vſum, & vota magis fuerunt liberales, quàm antea. qua de re nos pluribus ad illud *Zachariæ* 8. *Sed ſemen pacis erit.* Et *cap.* 9. *Petite à Domino pluuiam.* Ille ergo fortunatus, qui poſt vaſtatos agros priori imbre, ſeu nimbo, & renouatos, ſeu fœcundatos, poſteriori ſementem faciet in Solymitano ſolo.

Quidam *ſuper omnes aquas*, idem eſſe putant quod *iuxta omnes*; & ſanè *ſuper* in ſcriptura idem eſt quod *iuxta*, vt *Exodi* 16. *Quando ſedebamus ſuper ollas carnium. Num.* 26. *Locutus eſt ſuper Iordanem ad Iericho.* Et *pſalm.* 136. *Super flumina Babylonis, ibi ſedimus.* Quibus locis *ſuper* idem omnino valet quod *iuxta* ſeu *prope*, hoc ſenſu, beati qui ſeminatis iuxta decurrentes aquas, aut ſecus decurſus aquarum. Quæ ſanè expoſitio ad allegoricum ſenſum de Eccleſia non importuna eſt, quam copiosè quotidie rigat, & fœcundam facit aqua cæleſtis, quam apud ſe vberem & perpetuam habet. Sed importuna non eſt, quam nos adduximus; nimirum beatos eſſe, qui poſt omnes aquas ſeminant, id eſt, poſtquam exerciti ſunt ærumnis, & laboribus, quos prior imber procelloſus, & turbidus deſignat; & poſt mitiorem alium, qui ab animo magis clementi prouenit, promittitque in poſterum copioſam meſſem. Iuxta hanc expoſitionem exiſtimo explicandum illud Eccleſiaſtæ *cap.* 11. *Mitte panem tuum ſuper tranſeuntes aquas, quia poſt tempora multa inuenies illum*, id eſt, poſtquam aquæ tranſierint, terrámque ad opportunum ſatum madentem, præparatámque reliquerint, ſementem facito. Et quidem eo capite de ſeminando agro ſermo eſt. 43. Super idem quod iuxta, aut prope. Eccleſ. 11.

44. ¶ Bos & aſinus non ſunt & agendi ſub idem iugum, quia id prohibitum eſt *Deut. cap.* 22. *Non arabis in boue, & aſino*; ſed boum paria in vnum, aſinorum in aliud iugum adiungi iubentur. *Immittere* autem *pedem bouis, & aſini* nihil eſt aliud, quàm terram colere.

45. Quod ad ſenſum hiſtoricum, continénſque filum, de captiuo priùs, deinde reſtituto Iudæorum populo hæc dici videntur poſſe & aptè, & verè. Sed fortaſſe hæc poſtrema verba omnino ad Eccleſiæ tempus, quod perpetuus irrigat, & lætificat imber non procelloſus, ſed mollis, & fœcundus, referenda ſunt. Eſt autem apud noſtrum prophetam vſitatum, vt oblata ſpecie ſiue vmbra temporis Euangelici ad illud ſtatim transferat vaticinium. De quo ſic agit, vt nihil iam ſpectet in figura, atque vmbra; ſed totus ſpiritus, & ſermo eò conferatur, vt docuimus *cap.* 54. ad illud *Rorate cæli deſuper.* Appellat igitur propheta illos fortunatos, qui aureum illud tempus videbunt, & terræ Euangelico vomere ſubactæ ſemen committent, quod non erit euanidum, & ſterile.

46. Hactenus de ſenſu hiſtorico verè meo iudicio, & conſequenter, ſed allegoricè multò meliùs, atque illuſtriùs de Eccleſia, vt putat S Thom. licèt hiſtoriam eſſe putet de Senacherib. Eſt autem in ſcriptura vſitatum, vti ex multorum ſententia Patrum docuimus, maximè *in proœmio cap.* 40. vt felicitas, quæ exilio Babylonico ſucceſſit, & vrbis, templique inſtauratio typus eſſet eius felicitatis, quam habuit Eccleſia: & ea Iudaici generis amplitudo, & gloria, quæ ſæpe ab hoc, & à Zacharia repetitur, adumbraret admirabilem Eccleſiæ propagationem. Et id credo Spiritui ſancto propoſitum fuiſſe præcipuè, dum minutè perſequitur, quæ Iudaicæ reipublicæ contigerunt. Nihilominus hæc eſſe vera hiſtorico ſenſu nihil prohibet quominus etiam myſtico vera ſint, & à Spiritu ſancto intenta.

Sicut

Sicut compluta alia, quæ geſta fuiſſe negari nullo poſſunt modo, quæ tamen arcani alicuius,& ſacratioris ſenſus vmbrã fuiſſe conſtat. Quare cùm multi è Patribus cum Hieronymo hîc adumbrari viderent Eccleſiæ gloriam, quæ mirandum in modum amplificata eſt, relicto litterali ſenſu in myſticum tantùm intenti copioſos de illo, & elegantes commentarios ediderunt. Neque deſunt aliqui, qui nimiùm ſeuera cenſura notandos eſſe iudicant, qui aliquid agnoſcunt hîc, quod aliquid ſapiat ab Eccleſia, Euangelióque diuerſum; quaſi Iudaicum hæc aliquid, aut Rabbinicum oleant. Qui non vident quantos viros illo iudicio in ſuſpicionem vocent Rabbinicæ perfidiæ, quos *in proœmio capitis quadrageſimi* produximus. Quibus ignoſcendum eſt, quia piè, & rei Chriſtianæ ſtudio prouecti in eam cogitationem inducti ſunt; nihilominus admonendos cenſeo non minùs piam eſſe cogitationem illam, quæ hîc imaginem quandam Eccleſiæ à Deo oblatam eſſe dicit, vt res obiecta viuidam magis ſpeciem infigat animis, eámque & pluribus notam, & ad memoriam magis diuturnam eſſe faciat. Si hi, qui his cenſoribus ſuſpecti videntur, litteram tantùm, & nudum corticem ſpectarent, quod Hebræo- A rum aliqui faciunt, & nihil de Eccleſia aut arcano aliquo ſenſu cogitarent, ſanè eſſent me iudice aliqua digni cenſura; ſed qui vmbram hic intuentur maioris lucis, nihil dicunt minùs dignè de Eccleſiæ maieſtate, atque ſtatu. Neque ſemel, aut rarò voluit Deus, vt hiſtoria aliqua, ſeu illuſtre factum rerum futurarum præſentes, ſeu poſteros admoneret. Sanè Iſaias cùm nudus inceſſit *cap.* 20. cùm ſecum adduxit filium ſuum derelictum Iaſub *cap.* 7. cùm nomen alteri filio impoſuit *c.* 8. *Accelera ſpolia, feſtina prædari.* Cùm Deus Oſeæ iuſſit filios ex fornicaria ſuſcipere, cùm Ieremiam onerauit catenis, & Zachariam paſcere iuſſit pecus occiſionis, & ſumere vaſa ſtulti paſtoris, aliquid aliud portendi voluit B in illis viobris. Quare ego vtrumque complexus hiſtoriam hîc ſimul, & allegoriam intueor. De qua nihil hîc dico amplius, cùm dici multa poſſint, cùm de allegorico ſenſu ſatis multa dicantur à Patribus, quæ me ab ea cura atque ſtudio liberant. Vide præcipuè Hieronymum, Cyrillum, Haymonem, & Dionyſium, qui toti penè ſunt in allegoria tractanda. Et S. Thomam, Hugonem, & Foreirum, qui ad hiſtoriam allegoriam etiam adiungunt.

Hiſtoria ſæpe aliquid ſignificat myſticum.

Argumentum trigeſimi tertij capitis Iſaiæ.

REDIT *propheta iterum ad Senacherib, in cuius interitu, vt illuſtrior appareat Domini fides, & maior potentia, oſtendit eò redactam eſſe rem Solymitanam, vt de eius ſtatu communi ſenſu, atque clamore ciuium actum putaretur. Deinde cùm de Aſſyriorum incendio ſermonem induxiſſet elegantem, & grauem: excitat peccatores ad ſempiterni ardoris cogitationem, qui punit, & cruciat eos, qui dum nimis ſe carnis affectibus obſequentes præbent, à lege, & æquitate defecerunt. Tertiò docet quomodo aliquis ab his ſe poſſit flammis ſempiternis eximere, Deique conſpectu, atque deliciis frui; in quibus deſcribendis multus, atque mirificus eſt. In extremo denique capite, redit ad Ieruſalem, quæ cùm ab Aſſyrio ad deſperationem vſque eſſet adigenda; repentè tamen periculo, metúque ſoluta illius exuuiis explebit animum, tempuſque deinceps habebit multò, quàm antea fortunatius.*

CAPVT XXXIII.

1 [a] *VÆ qui prædaris, nónne & ipſe prædaberis? Et qui ſpernis, nónne & ipſe ſperneris?* [b] *Cum conſummaueris deprædationem, deprædaberis. Cùm fatigatus deſieris contemnere, contemneris.*

2 [c] *Domine miſerere noſtri: te enim expectauimus. Eſto brachium noſtrum in mane, & ſalus noſtra in tempore tribulationis.*

3 [d] *A voce Angeli fugerunt populi, & ab exaltatione tua diſperſa ſunt Gentes.*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 VÆ tibi, ô Senacherib, qui populabundus ex Iudæorum finibus prædas agis; nam tu quoque tuis ſpoliatus ornamentis aliis eris prædæ. Cùm negotium abſolueris quod à Deo tibi datum eſt, vt Iudæorum prouincias vexes, & exhaurias, te quoque idem manet caſus, & infortunium. Cùm expertus in caput tuum vltricem Dei manum, contemnere deſieris; quos priùs nullo habebas numero, tunc non ſolùm ab alienis, ſed etiam à domeſticis vile putaberis, & odioſum caput.

2 Noſtri Domine miſerere, quandoquidem in te vno noſtræ ſalutis fiducia nititur. Eſto nobis quotidie munimentum, & virtus; & vrgentibus malis tutela, & ſalus.

3 Clamante Angelo, & horrificum aliquid inſonante, in fugam Aſſyriorum caſtra conuerſa ſunt. Et dum tu, ô Domine, fortitudinis tuæ do-

eumentum præbes; tuámque virtutem exaltas, conſpirantes in noſtrum exitium inimicæ Gentes diſſolutæ prorſus,atque diſperſæ ſunt.

4 Tunc verò ſpolia veſtra,ô Aſſyrij, ea facilitate congregabuntur à Iudæis, qua à ruſticis colliguntur bruchi, cùm in foueam, vnde euolare non poſſint,protruſi ſunt.

4 [e] *Et congregabuntur ſpolia veſtra ſicut colligitur bruchus, velut cùm foſſæ plenæ fuerint de eo.*

5 Magnam eſſe potentiam ſuam oſtendit Deus conciſo tam facilè Aſſyriorum exercitu: iudicauit iuſtè de Senacherib, qui ſuæ potentiæ nihil non arrogabat. Oſtendit ſe iuſtum eſſe in Sion, cùm compleuit cumulatè quod antea promiſerat.

5 [f] *Magnificatus eſt Dominus,quoniam habitauit in excelſo.Et impleuit Sion iudicio, & iuſtitia.*

6 Quare deinceps,dum ſtabit Sion,ſuam Deo cauſam, & ſalutem committet; neque de Dei promiſſis, & fide dubitabit. Deinde experientia edocta ſperandum ſibi eſſe à Deo cognoſcet (idque apertè profitebitur Sion) quicquid in bonis, & opibus numerari poteſt; nempe quod Deum agnoſcat,illúmque veneretur,& timeat.

6 *Et erit fides in temporibus tuis:* [g] *diuitiæ ſalutis ſapientia & ſcientia:timor Domini ipſe eſt theſaurus eius.*

7 Eò redigetur Ieruſalem à barbaro, atque inſolente Senacherib, vt qui viderint publico clamore, & legati ab Ezechia de pace miſſi amaro planctu, & ſui animi angorem, & reipublicæ impendentem ruinam apertè teſtentur.

7 [h] *Ecce, videntes clamabunt foris, angeli pacis amarè flebunt.*

8 Hic erit tam ſpeculatorum, & videntium, quàm legatorum clamor. Actum iam eſt de Ieruſalem, vias eius, quas terebat antea frequens viatorum,ciuiúmque concurſus, herba obſedit, & frutex. Neque enim erit ampliùs qui ſemitas illas obeat,& calcet. Irritum iam Deus fecit pactum illud, quod nobiſcum inierat: Ecce enim quomodo ciuitatem noſtram abiecit:neque homines nos eſſe reputauit, ſed aut ſtipulas vanas, aut lutea figmenta.

8 [i] *Diſſipatæ ſunt viæ, ceſſauit tranſiens per ſemitam,* [k] *irritum factum eſt pactum, proiecit ciuitates,non reputauit homines.*

9 Tota terra ſingulari Dei beneficio parentibus attributa,languet, & mœret. Libanus ſpecioſus quondam ſaltus, & amœnitatis eximiæ ſic inducta vaſtitate totus inhorruit, vt ſi quis illi ſenſus ineſſet, confundi debuerit. Certè ab habitatoribus, & cultoribus nudus triſte ſeruat ſilentium. Saron in ſyluam, & ſolitudinem verſus; Baſan, & Carmelus concuſſi ſunt, & à ſua ſpecie,& pulchritudine nudi. Omnes denique Iudæorum delicias, dura peruaſit, & repentina calamitas.

9 [l] *Luxit,& elanguit terra:confuſus eſt Libanus, & obſorduit. Et factus eſt Saron, ſicut deſertum, & concuſſa eſt Baſan, & Carmelus.*

10 Nunc, inquit Deus, quando ab humana potentia, nulla ſe oſtendit ad ſalutem via, ego conſurgam, & meam exaltabo, magnificabóque potentiam, qui ab Aſſyriis exiſtimabar infirmus: & fidem meam ſtabilem probabo, quam ſtulta multitudo vocabat in dubium.

10 [m] *Nunc conſurgam dicit Dominus,nunc exaltabor,nunc ſubleuabor.*

11 Et vobis,ô Aſſyrij,qui flammas,& ſtragem meditabamini, eóque ſpirabat ardens animi furor, vt veſtro Hieroſolyma flagraret incendio, conatus hic tantus nihil ad extremum pariet præter inanes ſtipulas. Spiritus autem veſter, qui incendium aliis moliebatur, & cædem in vos ipſos

11 [n] *Concipietis ardorem, & parietis ſtipulam:ſpiritus veſter vt ignis vorabit vos.*

12 [o] Et

ipſos tanquam ignis vorax ad cineres vſque deſæuiet.

12 [o] *Et erunt populi quaſi de incendio cinis, ſpina congregata igni comburentur.*

12 Et erunt populi veſtri quaſi fauilla, in quam poſt incendium rediguntur ſtipulæ; & quaſi ſpinæ, quæ ideo videntur congregatæ, vt ab igne cremenrur.

13 [p] *Audite qui longè eſtis, quæ fecerim, & cognoſcite vicini fortitudinem meam.*

13 Audite ergo tam qui propè, quàm qui longè terram habitatis, & ex acerbo, ac inſperato Aſſyriorum interitu cognoſcite, quid ego poſſim: & quid exemplum iſtud horribile contra ſceleratos deſignet.

14 [q] *Conterriti ſunt in Sion peccatores, poſſedit tremor hypocritas.* [r] *Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?*

14 Audiſtis prope Sion horribili fremitu conterritos eſſe peccatores: & expauiſſe illos, qui cùm fortes ſe eſſe prædicarent, & victoriæ compotes, non tamen minùs à fortitudine, atque victoria aberant, quàm hiſtriones, & hypocritæ ab eius perſonæ, quam repræſentant, dignitate. Audite itaque, & ad maioris incendij cogitationem animos excitate. Durum exiſtimatis traditos eſſe incendio opibus, armis, & rerum geſtarum gloria florentes Aſſyrios. Sed cogitate an vos habitare poſſitis cum gehennalibus flammis, aut cum ardoribus illis, quos ad impiorum cruciatum fouebit æternitas.

15 [ſ] *Qui ambulat in iuſtitiis, & loquitur veritatem, qui proiicit auaritiam ex calumnia, & excutit manus ſuas ab omni munere,* [t] *qui obturat aures ſuas ne audiat ſanguinem, & claudit oculos ſuos ne videat malum.*

15 Sicut ſcelerati, atque impij gehennalibus flammis cruciandi tradentur, ſic illas effugient, qui vitam ſuam puram ab omnium ſcelerum fœditate ſeruauerint. Illi verò ſunt, qui in ſemita ingrediuntur iuſtitiæ; qui veritatem colunt, qui pecuniam fraude, atque calumnia non venantur: qui manus à largitione continent; qui non modò conſilium non ſuſcipiunt de fundendo ſanguine, aut ſanguinis, & carnis exaturanda cupiditate; ſed etiam omnem reſpuunt ab auribus ſermonem de ſanguinis motibus, carníſque blanditiis. Qui oculos denique continent ſuos, ne videant illa, quæ ad animum admittere nefas eſt.

16 *Iſte in excelſis habitabit, munimenta ſaxorum ſublimitas eius.* [x] *Panis ei datus eſt, aquæ eius fideles ſunt.*

16 Hic longè aberit à ſempiterna flamma; habitabit enim in excelſo loco, in ſublimi nempe ſaxorum munimento. Neque panis vnquam inopia laborabit, quia, quas è cœlo expectat aquas, fideles habebit, opportunas, & abundantes.

17 [y] *Regem in decôre ſuo videbunt oculi eius,* [z] *cernent terram de longè.*

17 Hic Regem Dominum intuebitur eximiæ gloriæ ſplendore fulgentem; terrámque à longè deſpiciet: quia præ cæleſtis patriæ amplitudine, & gloria, ſordet quicquid pulchrum videtur, & ſpecioſum in regione mortalium.

18 [aa] *Cor tuum meditabitur timorem. Vbi eſt litteratus?* [bb] *Vbi legis verba ponderans? Vbi eſt* [cc] *doctor paruulorum?*

18 Sic itaque, qui ſaluus eſſe cupis, & felix, animum tuum inſtitue; vt de timore Dei, eiúſque obſeruantia aſſiduè mediteris. Nam abſque hoc cætera, quæ amat, atque admiratur vulgus, non tam ad ſublimia euehunt, quàm ad ima deprimunt, & obſcura loca. Vbi eſt ille, quem multa inflauit litterarum ambitio? Vbi, qui ſe tenere putabat abdita legis myſteria; eáque ad ſeueram trutinam ponderabat? Vbi qui paruulis, atque ignorantibus ſe magiſtrum vẽditabat, & ducem? ibi nempe vbi Regem in decore ſuo non videbit.

19 Magnum eſt Regem in ſua gloria videre triumphantem;ſed audi aliquid aliud, quod non eſt vulgare illius patriæ cœleſtis encomium. Neque enim ibi eſt quicquam, quod auerſetur, aut horreat fortunatus animus. Non videbit impudentem hominem, qui altè de ſe, & magnificè loquatur; cuius ſermo ita ſit horridus, & barbarus,vt illum non intelligas:in quo inanes tantùm ſonitus ſunt,& à mente vacui.

19 [dd] *Populum impudentem non videbis, populum alti ſermonis: ita vt non poßis intelligere diſertitudinem linguæ eius, in quo nulla eſt ſapientia.*

20 Reſpice Sion ciuitatem,in qua noſtra quies eſt, & vbi ſolemnes ſemper reſonant cantus, cuius tu in terra ſymbolum quoddam es. Videbis Ieruſalem aliam cœleſtem, opulentam vtique,& ſplendidam vrbem. Tabernaculum aliud quod è ſuo loco conuellere, aliòque transferre nulla poterit vis; cuius neque in ſempiternum refigentur claui; neque vnquam putreſcent, aut rumpentur funes.

20 [ee] *Reſpice Sion ciuitatem ſolemnitatis noſtræ.* [ff] *Oculi tui videbunt Ieruſalem habitationem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri poterit: nec auferentur claui eius in ſempiternum, & omnes funiculi eius non rumpentur.*

21 Hæc porrò tabernaculi perpetua fortitudo ex eo proueniet,quia in eo vnus eſt Rex: neque vt in terris aſſolet, ſenſus erunt in regendo, aut in deliberando contrarij. Erit in cœleſti Ieruſalem, quod terreſtri negatur,fluuius, ex quo in omnem partem riui quàm latiſſimè pateant. Neque tamen id habebit incommodi, quod ciuitates aliæ, quas flumina,aut alluunt, aut interfluunt, ſubire ſolent: non enim hoſtium claſſis per fluminis alueum ad vrbem appulſa ciuium pacem turbabit;aut opes euertet.

21 [gg] *Quia ſolummodo ibi magnificus eſt Dominus Deus noſter.* [hh] *Locus fluuiorum riui latißimi, & patentes: non tranſibit per eum nauis remigum, neque trieris magna tranſgredietur eum.*

22 Quidni pacata ſit illa Ieruſalem cœleſtis, rebúſque omnibus ad beatorum delicias affluens, cùm Dominus in ea Iudex ſit, legiſlator,& Rex; cuius potentiam vis nulla extrinſecus illata conuellet, cuius ſapientiam nulla calliditas eludet.

22 [ii] *Dominus enim iudex noſter, Dominus legifer noſter, Dominus rex noſter: ipſe ſaluabit nos.*

23 Nunc ad terrenam Ieruſalem reuertor, & ad illas, quas ſub Aſſyrio Rege Senacherib viciſſitudines experietur. Laxabuntur quidem tabernaculi funes ab Aſſyriis adeò vt conuellendum, ſuóque mutandum loco videatur; non tamen quam animo iam deuorarat victoriam, conſequetur. Sic malus ille, qui tabernaculi molem ſuſpendit, & ſuſtinet, pronus procumbet, vt in eo militare vexillum erigi,aut explicari non poſſit: eo verò temporis veſtigio talis erit fortunæ conuerſio, vt qui ad prædam inhiabant alienam, prædæ ſint aliis. Quæ vſque adeò facilè direptioni patebit, vt claudi etiam impauidi ad illam auferendam procurrant.

23 [kk] *Laxati ſunt funiculi tui, & non præualebunt: ſic erit malus tuus, vt dilatare ſignum non queas.* [ll] *Tunc diuidentur ſpolia prædarum multarum: claudi diripient rapinam.*

24 Non erit vllus tantæ ciuitatis incola,quem à diripiendis Aſſyriorum exuuiis retardet valetudo, aut qui languorem cauſetur, quominus quamprimùm exiliat. Ex eo iam populo Iudæorum deterſis ex longa iactatione ſordibus, candidior dies, & melior incipiet arridere fortuna.

24 [mm] *Nec dicet vicinus, Elangui.* [nn] *Populus qui habitabit in ea, auferetur ab eo iniquitas.*

IN CAP.

IN CAPVT TRIGESIMVM TERTIVM COMMENTARIVS.

1. VÆ *qui prædaris, nónne & ipſe prædaberis.*] Caput hoc aliqui tantùm exponunt in ſpirituali ſenſu: in quibus eſt Hieron. Cyrillus, Procopius, Haymo, Dionyſius, quorum aliqui interdum coguntur ad hiſtoriam confugere, id eſt, ad Aſſyriorum inſolentiam & ſtragem. Alij literaliter, ac hiſtoricè de Senacherib, vt S. Thomas, Lyra, Vatablus, Emanuel Sa, Sanctes Pagninus in annotatione marginali. Alij hiſtoricè de Senacherib, allegoricè de Eccleſia; Hugo, Adamus, Forerius, & vtraque gloſſa. Et hoc poſtremum mihi probatur maximè, iuxta ea quæ capite præcedenti docuimus. Agitur enim, vt perſpicuè legentibus conſtabit, de Senacherib prædatore acerrimo Iudææ, & hoſte infenſiſſimo Hieroſolymæ; qui quo tempore anguſtiùs premebat, expugnaturúſque videbatur ciuitatem ſanctam, repentè ipſe diuinitus oppreſſus eſt. In quo exemplar optimum proponitur eorum, qui in Eccleſiam aliquid duriùs moliti miſeranda, ac fœda morte perierunt; de quibus nos plura ad illud *c.* 14. *Zacharia. Et hac erit plaga.* Quòd autem expoſitorum aliqui myſticè tantùm explicuerint, ideo factum eſſe puto, quia, aut alia hiſtoricè non obſcura putabant, aut quia ſic elucebat in hiſtorico myſticus ſenſus, vt ille à Spiritu ſancto intentus præcipuè videretur. Excipio Hieronymum, qui neſcio quomodo durior eſt ad hiſtoricum ſenſum. Ego plus ſtudij, atque operæ ponam in hiſtorico enucleando, tum quia ſpiritualis, & myſticus ita ab alijs accuratè tractatus eſt, vt meam operam non requirat: tum quia ipſe non difficile ex hiſtorico ſeu ex cortice promitor. Nam quæ de Senacherib dicuntur omnia facilè ad diabolum, & Eccleſiæ perſecutores tranſcribi poſſunt, de quibus hæc Hieronymus intelligit, & qui hæc myſticè interpretantur.

2. [a] *Va qui prædaris, nónne & ipſe prædaberis? Et qui ſpernis, nónne & ipſe ſperneris?*] Qui res geſtas, & ſpiritus minaces, atque inſolentes nouit Senacherib, facilè hæc omnia ad eius tempus accommodabit. Quàm ipſe prædatus fuerit ciuitates Iuda, etiam munitas, contempſeritque Ieruſalem, quaſi deuorata iam victoria. ſatis docet Iſaias dum hiſtoricum agit *cap.* 36. Nunc ergo illi vtrumque minatur propheta, prædatum nempe atque contemptum iri. Quod quàm breui poſt inſolentes & furioſas minas expertus fuerit Senacherib, infrà *cap.* 37. dicetur.

3. Septuaginta aliter vertunt, diuerſa quidem forma verborum, ſed ſenſu non admodum diſſimili. *Va qui miſeros faciunt vos; vos autem nemo facit miſeros. reprobans vos non reprobat.* Cuius tranſlationis hæc eſt ſententia. O ciues Ieruſalem, væ illi qui putat facturũ ſe miſeros vos, quia non faciet, & qui reprobat, quia non reprobabit, id eſt, erit omnino vana, & fallax eius improbatio, tam enim ille aberit vt ſui impij atque audacis voti ſit compos, vt potiùs alijs prædæ, atque ludibrio futurus ſit. Porrò *prædor* priori loco actiuè, poſteriori paſſiuè ſu-

A mitur, vt ex Hebraico textu perſpicuum eſt.

[b] *Cum conſummaueris deprædationem, deprædaberis: cùm fatigatus deſieris contemnere, contemneris.*] 4.
Id eſt, cùm conſummaueris victoriæ curſum, ô Senacherib, tu quoque conſummaberis, quare nullum fructum de victoria capies. Repete quæ ſuprà obſeruauimus ad illud *cap.* 10. *Et erit cùm impleuerit Dominus.* Vbi iterum prædixit Iſaias finiendum eſſe curſum victoriarum Senacherib ad montem Sion. Illud *cùm fatigatus*, ſic explicans S. Thomas, Hugo, & interlinearis. Cùm defeſſus fueris vincendo (vſque adeò tibi victoriæ multæ erũt, & faciles) contemneris non ſolùm ab externis hoſtibus, qui te, tuáque caſtra diuinitus conciſa deſpicient; ſed etiam à domeſticis, & filijs, qui adeò te non verebuntur, vt etiam interficiant. Aut certè, quod videtur magis expeditum, cùm fatigatos, & vexatus ab angelo tuæ impietatis vltore ſpiritus inſolentes compreſſeris, & contemnere deſieris, quos antea deſpiciebas, tu quoque contemneris, vt pote caſtris, maieſtatéque nudatus, fuga ignobilis, & ipſis etiam filijs vile atque impurum caput. Hæc facilè quiuis conferre poteſt ad tyrannos ſanctorum, Eccleſiæque vexatores.

[c] *Domine, miſerere noſtri, te enim expectauimus: eſto brachium noſtrum in mane, & ſalus noſtra in tempore tribulationis.*] Hæc non ſunt verba prophetica, ſed oratio Iſaiæ; qui cùm videret, quàm ab Aſſyrio anguſtè premenda eſſet Ieruſalem, precatur Deum, vt ipſum afflicti populi miſereat: rationémque adducit, quæ diuinam clementiam inflectere vehementer ſolet, quia nimirum non ſperauerit in Gentium idolis, aut Ægyptiorum viribus, de quibus ſuprà grauis conqueſtio, & minax; ſed in vno Deo ſalutis ſpem totam collocauerit. *Brachium* pro auxilio ſumi frequens in ſcriptura. Illud *in mane* ſingulos dies ſignificat, vt Hebraicus textus docet, qui habet לבקרים *labecarim*, id eſt, *in matutina tempora.* Sed etiamſi *mane* in ſingulari numero ſit, idem eſt ſenſus, quia præpoſitio *in*, cum accuſatiuo multitudinem importat cum diſtributione; vt *in diem*, id eſt, in ſingulos dies, *in caput*, id eſt, in ſingula capita Sumitur verò *mane* per Synecdochen pro *die.* Quare *in mane*, idem eſt ac in ſingulis diebus, id eſt, quoties dies illuxerit, illuceſcet quoque in nobis tua miſericordia. Quo ſenſu dictum eſt *Thren. cap.* 3. *Miſericordia tua, quia non ſumus conſumpti, noua diluculo*, id eſt, nullus affulgeat dies, quin nobis à tua miſericordia aliquod afferat beneficium. Eodem modo *Pſalm.* 72. Vbi vulgatus, *Et fui flagellatus tota die, & caſtigatio mea in matutinis.* Hebr. לבקרים *labecarim*, id eſt, *ſingulis diebus*, quia eſt epexegeſis ſuperioris hemiſtichij. *Et Pſalm.* 100. *In matutino interficiebam omnes peccatores terra*, id eſt, *quotidie.* Vbi eſt eadem vox Hebraica. Cùm ergo viderit propheta, ex alijs anguſtiis ereptum eſſe populum, idque nunc recenter ex Aſſyriorum caſu didiciſſet, orat Dominum, vt in illum beneficus eſſe pergat. Et cùm quotidie noua incurrant incommoda, *in mane*, id

5. (B, C, D marginal section letters)

Regula. *In* cum accuſatiuo multitudinē importat cum diſtributione.

Thren. 3.

Pſalm. 72.

Pſalm. 100.

gg 3. eſt,

eſt, quotidie omnipotenti brachio ab illis expediat.

6\. Interlinearis *in mane*, idem eſſe cenſet, quod *in proſperitate*; ſicut enim *tenebræ*, & *nox* pro lugubri, atque ærumnoſo ſtatu ponuntur; ſic *lux* & *dies*, ſeu quod idem eſt eum vtroque, *mane*, pro fortuna ſumitur fœlici, & proſpera. Et facit, quod ſtatim ſubditur id quod proſperitati contrarium eſt. *Et ſalus noſtra in tempore tribulationis.* Quare videtur propheta orare vt tam in aduerſis, adiuuet Deus, quàm in proſperis. Quæ explicatio ſatis eſt ad rem moralem opportuna; neque enim minus eſt neceſſarium Dei brachium, in ſecunda, quàm in aduerſa fortuna, imò magis animus in aduerſis, quàm in proſperis oppugnari ſolet.

Non minùs orãdus Deus vt in proſperis, quàm vt in aduerſis nobis adſit.

7\. d *A voce Angeli fugerunt populi, ab exaltatione tua diſperſæ ſunt Gentes.*] Redit poſt orationem, quæ includi parentheſi debet, Propheta ad contexendum, interruptum vaticinium de Senacherib: & oſtendit quomodo prædator Aſſyrius debellandus ſit, quam victoriam vni Deo, Deique exaltationi tribuit. Vbi vulgatus *à voce Angeli*, Heb. המון *hamon*, quod aliquando vertit *tumultum*, *ſtrepitum*, ſeu *multitudinem*, & ita Septuaginta *ſtrepitum* conuertunt; ſed quia cum ſtrepitu deſcendit vindex Angelus in Aſſyriorum caſtra, ideo *Angelus* reddidit vulgatus.

8\. e *Et congregabit ſpolia veſtra, ſicut colligitur bruchus; velut cum foſſa plena fuerint de eo.*] Cum Aſſyriis videtur loqui propheta, dum ait *ſpolia veſtra*; ſed re vera loquitur cum Iudæis, ad quos ſpolia pertinent, quæ vel extincti, vel fugientes Aſſyrij in caſtris reliquerunt; quæ ita auida capient Iudæi, ac facili manu, ſicut à ruſticis colligi ſolent bruchi, vbi coacti ſunt in foſſam. Tradunt autem Haymo, & Hugo, in Palæſtina vim eſſe maximam locuſtarum, ex quibus naſci aiunt bruchos, quod etiam docet Auguſtinus in illud *Pſal.* 104. *Dixit, & venit locuſta & bruchus, quorum non erat numerus.* Quare hi adduci ſolent in magnæ multitudinis comparationem, quos agricolæ in foſſas protrudunt, terráque operiunt, extinguúntque. Bruchos autem eſſe maximè noxios, ex eo prouenit, quia cùm pennati non ſint, & alio atque alio commeare non poſſint, regionem, in qua ſemel inſederunt, popolantur, atque vrũt. Sic ergo exercitus Senacherib, qui bruchorum in modum regionem populabatur Iudaicam, vbi appulit ad vallem, quæ prope Hieroſolymam eſt, id eſt, ad Topheth, ſiue Gehennam, quaſi in foueam eſſet compulſus, congregatus eſt, & factus Hebræorum præda.

9\. f *Magnificatus eſt Dominus, quoniam habitauit in excelſo, & impleuit Sion iudicio, & iuſtitia, & erit fides in temporibus tuis.*] Magnificauit Dominus potentiam ſuam conciſis tam facilè, atque opportunè inimicorum viribus. Iudicauit iuſta de Senacherib, qui ſuæ potentiæ omnia arrogantiſſimè tribuebat. Oſtendit ſe iuſtum eſſe in Sion cùm compleuit cumulatè, quod pollicitus ſæpe fuerat. Quare deinceps in temporibus ſuis, id eſt, quàm diu ſteterit Sion, ſuam ſalutem, & incolumitatem credet Deo; neque de Dei promiſſis, & fide dubitabit. Et ideo ſubditur ſatis ad hanc explicationem accommodatè.

10\. g *Diuitiæ ſalutis ſapientia, & ſcientia: timor Domini ipſe eſt theſaurus eius.*] Explicatio continetur his verbis, illius partis. *Et erit fides in temporibus tuis*, ac ſi dicat quidquid in diuitiis, & bonis numerandum eſt, id deinde experientia edocta ſperandum ſibi eſſe cognoſcet, & profitebitur Sion: nem-

Ex cognitione, ac timore Dei ingẽs theſaurus.

A pe quòd Deum cognoſcat, illúmque veneretur & timeat. Scio hæc ab aliis aliter, atque aliter explicari, ſed hæc videtur facilis, & idonea huius loci ſententia, vt magis ex ſequentibus perſpicuum fiet. Hæc Lyra ad Ezechiam refert quaſi illius ætate futura ſint in Sion illa, quæ hic commemorantur à propheta. Alij hæc interpoſita eſſe putant per parentheſim, ita, vt interrupta hiſtoria de Aſſyriorum ſtrage, libertatéque Ieruſalem deſcribat propheta Eccleſiæ ſtatum, maiorémque libertatem à diaboli tyrannide; cuius apparebat ſpecies in Aſſyrio. Ita putat Adamus, quod mihi non diſplicet, nam hanc eſſe prophetarum conſuetudinem ſæpius oſtendimus. Sed eſt mihi veriſimilius conti-
B nenter hic texi propheticam hiſtoriam, & ſignificari quid in Iudæorum animis ſingulare iſtud, ac prodigioſum Dei beneficium effecturum ſit; nempe, vt ſpes in Deo firmior ſit, cùm illius promiſſis intelligant non abfuturam fidem. Nam, vt ſtatim dicemus, ſpes in Iudæis ſub hæc tempora admodum erat infirma propter plagas iam toties acceptas ab infidelibus.

h *Ecce videntes clamabunt foris, angeli pacis amarè flebunt.*] Deſcribit hic elegantiſſimè propheta angorem, & trepidationem populi imminente iam vrbi Senacherib, & dubitationem de diuinarum promiſſionum fide; imò cogitationem impiam, atque blaſphemam, quod prodita diuina fide,
C quæ antiquis fuerat obligata parentibus, tradenda ſit hoſtibus Ieruſalem: vt oſtendat quomodo repentino hoſtium interitu, & inopinata ciuium libertate fides deinde futura ſit in Sion, & fiducia maior; quod paulò antea ſignificauit cùm dixit. *Et erit fides in temporibus tuis.* 11.

Qui ſint videntes, qui foris clamant, ſatis eſt obſcurum: quia Hebraica vox, pro qua vulgatus, *videntes* reddidit, hoc tantùm loco repetitur אראלם *erelam*, niſi in duas dictiones diuidas, quod fecerunt teſte Hieronymo, Aquila, Symmachus, & Theodotio, qui conuerterunt *apparebo illis*. Septuaginta aliter diuidunt, dum legunt. *Ecce nunc in timore veſtro alij timebunt.* Priorem partem à ירא *iare* deducunt, quod eſt *timere*. Vulgatus etiam diuiſit,
D ſed priorem partem à ראה *raah* deriuauit, quod eſt *videre*: ſicut tres alij, de quibus proximè, & ab affixo לם *lam*, quod eſt *illorum*, ſeu *illis*, id eſt, *videntes illorum*, id eſt, Iudæorum S. Thomas *videntes* illos eſſe putat, qui habitabant in ſuburbiis ciuitatis, qui cum propiùs ſpectarent hoſtium multitudinem, & militares apparatus. *foris*, id eſt, extra vrbem clamabant. Hugo prophetas eſſe cenſet, qui vt habes *lib.* 1. *Regum cap.* 19. olim dicebantur *videntes*. Lyra ſpeculatores putat: illud verò *foris* indicare exiſtimat publicos fuiſſe clamores, vt ſibi omnes cauerent ab hoſte vicino. Aut certè extra vrbem in ſpeculis erant vigiles, qui quicquid in
E vrbem ingrueret, latè deſpicerent. Et iſtud de exploratoribus mihi magis placet; tum quia ita fert ipſa rerum natura, & ſolers ciuitatis cuſtodia, vt vidimus *cap.* 21. *verſ.* 11. Vbi ex ciuitatibus Moab clamor fit ad cuſtodes. *Cuſtos quid de nocte.* Et eodem modo cuſtodes clamaſſe exiſtimandi ſunt. Certè in Ieruſalem fuiſſe cuſtodes, & vigiles, qui excubias agerent, clamarent que tota die, ac nocte, docet hic idem propheta *cap.* 62. *Super muros tuos, Ieruſalem, conſtitui cuſtodes: tota die, & nocte in perpetuum non tacebunt.* Quam ſignificationem innuit ratio Hebraici nominis, quæ ſignificat *videntes illis*, ſeu *videntes illorum*, id eſt, qui ab illis nempe Hieroſolymita

roſolymitaois in ſpecula conſtituti ſunt, qui videant, & anuuncient quid ex alto proſpectetur.

13. *Angeli pacis* ex omnium penè ſententia, qui hæc accipiunt de Senacherib, ſunt Eliacim, Sobna, & Ioahe, quos infrà *cap.* 36. Ezechias ad Rabſacem legauit, vt cooditionem pacis hoſtibus offerrent. Hi ergo cùm viderent nihil poſſe eum hoſte tranſigi, quod foret ex ciuium vſu; imò omnia minatum, atque periculorum plena, redierant peracta infeliciter legatione mœſti, deflentes amarè impendentem tam vrbi ineuitabilem ruinam. Mœror verò illorom, & fletus ſatis indicatus eſt vltimis verbis *cap.*36. Vbi dicuntur ſciſſis veſtibus ad Ezechiam rediiſſe.

14. [i] *Diſſipatæ ſunt viæ, ceſſauit tranſiens per ſemitam, irritum factum eſt pactum, proiecit ciuitates, non reputauit homines.*] Hæc verba extremæ ſunt deſperationis, quaſi res Iudaica eo eſſet in ſtatu, vt omnia iam euerſa viderentur. Eſt autem narratio grauior, & ad dolorem vehementior cùm minutim illa perſequatur, quæ in expugnatione magnarum vrbium euenire ſolent. Ad ciuitates opulentas tritæ ſunt viæ, & frequens hominum conuentus; at his euerſis cæcæ eſſe ſolent, & herbis obſitæ, quia nullius hominis ingreſſu tritæ. Hæc de Ieruſalem à Chaldæis ſubuerſa lamentabatur Ieremias *Thren.*1. *Viæ Sion lugent, eò quòd non ſint, qui veniant ad ſolemnitatem.* Qui locus ex Lyræ opinione in eam ſeutentiam exponi poteſt, quam nos indicamus, dicit enim vocem illam, pro qua vulgatus

C vertit *lugent*, ſignificare *herbeſcere*: & ita hunc locum expooit Hugo.

15. [k] *Irritum factum eſt pactum.*] Non facilè explicatu eſt, quis hîc pactum dicatur feciſſe irritum, Deus ne, an Senacherib, vel certè Iudæorum populus. De populo Iudaico ſumi poſſe arbitratur Hugo, qui ideo deſertus eſt, & vaſtata ciuitas, quia pactum irritum fecit. Cuius violationi tale fuit propoſitum ſupplicium *Leuit. cap.* 26. *Si non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea*, &c. *& ad irritum perducatis pactum meum, ego quoque hæc faciam vobis*, &c. *abominabitur vos anima mea in tantum, vt vrbes veſtras redigam in ſolitudinem, & deſerta faciam ſanctuaria veſtra*, &c. De Senacherib

D accipit S. Thomas, Lyra, & Foreirus, quia Aſſyrij cum regibus Iuda fœderati fuerant tempore Achaz 4. *Regum cap.* 16. & ſpeciatim Ezechias cum Senacherib, cui ex pacto vt illum ablegaret à Iudææ finibus, dedit 300. taleota argenti, & auri 30. ille verò prodita Regia fide pecuniam accepit, & ſpiritus nihilominus ſeruauit hoſtiles 4. *Regum* 18.

16. Alij hæc Deo attribuunt, qui pactum irritum feciſſe videbatur, quod cum Salomone iniit 3. *Regum* 9. *verſ.* 3. *Sanctificaui domum hanc, quam ædificaſti, vt ponerem nomen meum ibi in ſempiternum; & erunt oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus.* Et ita indicat Hieronymus, Haymo, Dionyſius, & probat Hugo. Et hoc magis mihi probabile videtur,

E quia quæ ſtatim adduntur ad illum videntur ſpectare, à quo irritum factum eſt pactum; ſed proiectas eſſe ciuitates, homines non eſſe reputatos, licèt aliquo modo ad inſolentes ſpiritus Senacherib referri poſſint, longè tamen meliùs ad Deum, qui proieciſſe dicitur ciuitates, quas antea paterna ſollicitudine ſeruarat, & Iudæos non reputaſſe homines, vt dicit Hieronymus; ſed iumenta: quia eorum immemores, quæ homines decent, ad beſtiarum pabula, id eſt, ad id quod voluptuarij ſenſus appetunt, ſeipſos abiecerunt; Aut certè non reputauit

A homines, ſed ſtipulas aut puluerem, quæ à vento rapiuntur; aut, quod plorabat Ieremias *Thren.* 4. *Reputati ſunt in vaſa teſtea opus manuum figuli.* Iuxta quam explicationem videntur legati, qui ſuprà vocati ſunt Angeli pacis, in ſua deſperatione, aut etiam Iudæi audita Aſſyriorum repulſa, vt in confuſo, ac perturbato populo fieri ſolet, impiè clamaſſe: cùm ſe iam in hoſtium poteſtatem veniſſe crederent, Deum non ſeruaſſe pactum, quod cum Salomone ſuprà, & cum Abraham *Geneſ.* 15. *verſ.* 22. inierat. Et ideo ſuprà dixit propheta, *& erit fides in temporibus tuis.* Quia liberato populo ex eo malo, à quo nullum apparebat effugium, homines, iam magis in Deo ſperabunt, & eius promiſſis magis

B quam antea credent; cùm fidem, quam antea dederant, in tanta rerum deſperatione tam cumulatè præſtiterit.

[l] *Luxit, & elanguit terra: confuſus eſt Libanus, & obſurduit; & factus eſt Saron ſicut deſertum, & concuſſa eſt Baſan, & Carmelus.*] Hæc quoque verba legatorum ſunt, aut potiùs populi ex ea legatione de cõmuni populi ſalute deſperantis. Qui iam actum putabat de tota terra promiſſionis; quam cùm magna ex parte priùs Teglatphalaſar, Salmanaſſar deinde eſſent populati, nunc Senacherib, quod reliquum alij Aſſyriorum Reges fecerant, id totum euerſurus putabatur. Artificiosè autem propheta adhibet illa, quibus ferme tota promiſſionis regio continetur, vt oſtendat nihil futurum à vaſtitate 17.

C liberum, & quæ maximè ſpecioſa ſunt, & ad vſum, & voluptatem idonea, vt moueatur pathos: cùm hæc deinceps futura ſint conculcata, deſerta, ſqualida non tam ad hominum delicias & commoditatem, quàm ad armentorum pabula, & ferarum latibula. *Lugere, & languere terram*, vſitata eſt Hebræorum forma, quæ ſterilem, & deſertam eſſe ſignificat. De *lugeo* exempla non pauca. *Thren.* 1. *Viæ Sion lugent. Iſaiæ* 3. *verſ.* 16. *Mœrebunt, atque lugebunt portæ eius: & deſolata in terra ſedebit.* De *langueo*, ſeu *infirmor*, quod idem eſt, *Pſal.* 67. *Infirmata eſt, tu verò perfeciſti eam.* Vtramque coniunxit Iſaias *cap.* 14. *verſ.* 4. *Luxit, & defluxit terra, & infirmata eſt.* Pro *obſurduit* Hebr. eſt קמל *camal*, quod ſuprà

Lugeo, langueo, obſurdeſco, aliquid deſertum ſignificant.

D *cap.* 19. vulgatus vertit, *marceſco*, dicitur verò locus deſertus *obſurdeſcere*, ea figura, qua littora, & ſyluæ *ſurda* dicuntur, quia in illis nihil auditur. Sumitur enim adiunctum pro ſubiecto, ſicut contrà circus & theatra dicuntur *clamoſa*, quia ibi ſtrepitus, & clamores fiunt. Non diſſimili figura *ſilere* dicuntur *agri*, aut *in agris eſſe ſilentium*, quia in illis, verbi gratia in hyeme, quando colendis agris importunum eſt tempus, agricolæ non ſunt, qui canant, aut loquantur.

In *Libano* Cyrillus, & Hugo templum intelligunt, quod ideo putant obſurduiſſe, quia ibi non ampliùs audientur hymni, & cantus alij ſymphoniaci, qui ex more in templo ſæpius perſonabant; 18.

E ſed quia in Saron, Carmelum, & Baſan, de quibus eodem modo hic agi videtur, non poteſt hæc expoſitio conuenire, ideo placet magis ſuperior expoſitio.

Hæc qui valet ad mores, & allegoriam accommodare, habet, à quibus myſticos, & allegoricos ſenſus petat, pleroſque ex interpretibus: & ſi illi ab eiuſmodi ſenſibus abſtinuiſſent, res eſſet non difficilis mediocri ingenio illos inueſtigare Communiter hæc autem diabolo accommodantur, aut Eccleſiæ perſecutoribus, qui cùm videntur aut Eccleſiam, aut quamlibet animam eò deſperatio- 19.

 nis

nis egiſſe, vt dicant illud Iob *cap. 7. verſ. 16. Deſperaui, nequaquam vltrà iam viuam*; adeſt tunc Deus qui confractis hoſtium viribus reficit laſſos, excitat languentes, deſperantes confirmat. Hæc itaque omitto, quia longa ſunt, & explorata hiſtoria, ſatis in promptu.

Tunc Deus accurrit, quando grauius videtur vrgere calamitas.

20. m *Nunc conſurgam dicit Dominus: nunc exaltabor.*] Solet Deus, quò illuſtriora ſint ſuæ potentiæ, atque benignitatis opera, permittere, vt homines in eum articulum deducantur, vt omni tentato conſilio fateantur teneri ſe vndique, atque omnes ſibi interclusos eſſe ad ſalutem aditus. Hoc de ſe fatetur aliquando Dauid. *Pſal. 10. Quomodo dicitis animæ meæ, tranſmigra in montem ſicut paſſer.* hoc ſtatim *cap.* 38. Ezechias. *Præciſa eſt velut à texente vita mea.* hoc Iob ſuprà, & Suſanna *Dan. cap. 13. verſ. 43.* cùm dixit *Ecce morior.* Hoc idem legati vrgente Senacherib, & cum ipſis cætera multitudo fatebatur. Nunc, inquit Deus, quando ab humana potentia ſiue induſtria nulla ſe oſtendit ad ſalutem via, ego conſurgam, exaltabóque me ipſum, qui ab Aſſyriis infirmus exiſtimabar: & fidem meam, & promiſſiones fideliſſimas eſſe probabo; quas in dubium vocabat incredulus, & væſanus populus, cùm à me irritum eſſe pactum impiè clamabat.

21. Prouerbiũ. n *Concipietis ardorem, & parietis ſtipulam ſpiritus veſter, vt ignis vorabit vos.*] Hæc ad Aſſyrios ſpectant, quorum conatus, atque conſilia caſſa dicit inani ſucceſſu. Eſt autem familiaris Hebræis, & quaſi prouerbialis figura, vt *conceptio* pro cogitatione, ſeu conſilio ſumatur, *partus* verò pro cogitationis, ſeu deliberationis effectu. *Pſal. 7. verſ. 15. Concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Iob cap. 15. verſ. 35. Iſaiæ cap. 59. verſ. 14. Concipere ardorem* hoc loco nihil aliud eſſe puto, quàm meditari cædem, direptionem, & quicquid ab inſolente, & furioſo victore accidere ſolet durum, & cruentum ſuperatis hoſtibus. Quod aptiſſimè nomine *ardoris* ſignificatur. Nam ignis, quia grauiter cruciat, & quod ſemel corripuit, omnino perdit, & ſoluit in cinerem, pro acerbitate ſumma, & vaſtitate ponitur. Sed qui ardorem & ſpiritus minaces & truculentos concepere, iidem parient ſtipulam; id eſt, effectus ex tam ſuperba cogitatione, & ſpiritu ſupra omnem moderationem elato proueniens, inaniſſimus erit, ac futiliſſimus. Seu certè, quod verius puto, ignis quem vos animo concepiſtis, ô Aſſyrij, non tam Solymitanam vrbem inflammabit, quàm vos. Eſt enim in vobis ignis nutrimentum, ſunt ſtipulæ, quas priùs arripiat ignis, qui proximè à vobis ipſis erumpit. Ad quam ſententiam valde facit, quod proximè ſequitur, *ſpiritus veſter, vt ignis vorabit vos.* Eadem figura ac ſenſu dicitur *cap. 9. Succenſa eſt quaſi ignis impietas, veprem, & ſpinas vorabit.* Et quando velox, & magna calamitas indicatur, ignis cum ſtipula, aut ſtupa, aut arida materia coniungi ſolet. Vide quæ diximus *cap. 1. ad finem, & capite quinto verſ. 24.*

22. Cõſilia peccatorũ ipſis noxia. Hîc pro re morali obſerua impium ſibi ipſi ſtruere, dùm aliis machinatur, malum, & quamcumque impiam cogitationem in animo eſſe inſtar ignis, à cuius incendio diu liber eſſe non poteſt. In quam ſententiam multa grauiſſimè dicuntur in Scriptura. Vide plures metaphoras ea de re *Iſai. capite* 59. quibus ſimilis eſt illa *Pſal. 7. Incidit in foueam quam fecit.* Apud profanos, ſententia hæc variis modis prouerbialem in modum enuntiatur. *Faber quas fecit compedes ipſe portat:* & *in cælum ſpuere.* Et ſimilia, quæ videre promptum eſt.

o *Et erunt populi, quaſi de incendio cinis: ſpinæ congregatæ igne comburentur.*] Hîc Hebræorum more perſona tertia ponitur cùm præceſſiſſet ſecunda, aut certè ſubauditur *veſtri.* Quaſi dicat, & erunt populi veſtri quaſi fauilla, in quam poſt incendium rediguntur ſtipulæ; & quaſi ſpinæ, quæ ideo videntur congregatæ, vt ab igne comburantur. Quomodo igne de cœlo conflagrarint Aſſyriorum caſtra diximus ſuprà *cap. 10. verſ. 16.* 23.

p *Audite, qui longè eſtis, quæ fecerim: & cognoſcite vicini fortitudinem meam.*] Hinc iam ſuo more propheta, cùm occurrit vmbra, auertit ad veritatem vaticinium. Repentina clades edita ab Angelo, & cæleſti ardore conſumpti Aſſyrij, qui fuerunt quaſi ſpinarum faſces ad flammam congregati, ſpeciem quamdam præ ſe ferunt eius incendij, quo peccatores in inferno in perpetuum ardebunt. Excitantur ergo huius ſupplicij acerbitate propoſita, tam qui propè, quàm qui longè ſunt, id eſt, omnes ad vitæ ſanctitatem colendam, vt ea ratione durioris ſupplicij ſeueritatem effugiant. 24.

q *Conterriti ſunt in Sion peccatores: poſſedit tremor hypocritas.*] Quidam ex iis, qui erant in Ieruſalem, licèt magno affecti beneficio, ex diuina tamen potentia, qua conciſus fuit tam copioſus exercitus, timorem conceperunt, ac ſi durum eſſet, & parum tutum eum habere vicinum, & quaſi conuictorem ſibi, qui in peccatores, & hypocritas, quales ipſos eſſe coarguebat ſcelerum conſcientia, talem ſtragem edidiſſet. Ita explicant Forerius, & Adamus, & conſequenter ad hanc ſententiam dicendum eſt, horum cogitationibus reſpondiſſe Deum, multò eſſe durius dum ignem illum domeſticum euitare ſtudent, ſi in ardores ſempiternos incurrant. Simile aliquid accidit Bethſamitis, 1. *Regum* 6. qui cùm viderent ex ſuo genere ad aſpectum arcæ corruiſſe plurimos, timentes, nequid ſibi ſimile à Deo, ſi in ſuis conſtitiſſet finibus, accideret, dixerunt. *Quis poterit ſtare in conſpectu Domini Dei ſancti huius? & ad quem aſcendet à nobis? Miſeruntque nuntios ad habitatores Cariathiarim dicentes, Reduxerunt Philiſtijm arcam Domini, deſcendite, & reducite eam ad vos.* Quæ explicatio grauis eſt ad rem moralem. Nam qui Deo familiaris eſt, & domeſticus eſſe vult, cum eo igne habitabit; qui quicquid à terrena contagione contractum eſt, exurit, & conſumit, incendio quidem acri, ac viuido, ſed molli. Si quis tamen ab hac flamma ſe velit eximere, in flammas alias incurret, & ad acerbitatem grauiores, & quas nulla definiant temporum ſpatia. 25.

Suauis videri debet labor quem imponit Dominus, qui ab æterno labore liberat.

Non eſt otioſa cum Deo familiaritas.

Vatablus hæc etiam refert ad Iudæos, alio tamen ſenſu; ita vt in illis rerum anguſtiis dixerint, nequaquam ſuſtineri poſſe Aſſyriorum impetum, qui inſtar ignis deuorantis populabatur omnia. Et facit ad hanc ſententiam, quòd vt pluribus docuimus ad illud *Act. 7. Et ſydus Dei veſtri Rempham,* Aſſyriorum exercitum vexilli loco antecedebat ignis: à quibus poſtea ſumpſerunt Babylonij, & deinde Perſæ. De Perſis docent Xenophon *lib. 8. pædiæ Cyri.* Quintus Curtius *lib.* 3. Procopius *libro* 2. *belli Perſici.* Tertullianus *in apologetico cap.* 16. Et de Chaldæis habemus in Scriptura non obſcura veſtigia. nam Ioel *cap. 2. verſ.* 3. cùm ad literam ſermo eſſet de Chaldæorum aduentu ait. *Ante faciem eius ignis vorans.* & Ieremias *cap. 1. verſ. 13.* cùm de eodem ageret exercitu, inquit. *Ollam ſuccenſam ego video.* Antecedebat enim exercitum ignis in 26.

Aſſyrios, Chaldæos, & Perſas antecedebat ignis.

Ioel 2.

Ierem. 1.

pruna

ptunatiolo, quod Rhodiginus *lib.8.cap.2.* ex Polluce & Suida *altare* vocat *argenteum*. Cum alluſione ergo ad hunc ignem, ſine quo Chaldæorum caſtra non mouebantur, vt ex dictis fit veriſimile, dixiſſe videntur Iudæi. *Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante.* Neque eſt improbabile exercitum illum, tum propter vim maximam, qua quidquid obuium ſternebat; & propter ignem, quem pro inſigni præferebat, vulgo hominum ignem vocari deuorantem.

27\. Mihi veriſimilius eſt, hæc potiùs pertinere ad Aſſyrios, qui cùm deuoraſſent iam ſpe, & cogitatione victoriam, neque ſolùm contra homines, ſed etiam contra Deum audacibus minis inſultarent, repentè oppreſſi ſunt; & ita cenſent S. Thomas, & B Hugo. Hi verò contriti dicuntur in Sion, id eſt, prope Ieruſalem in valle Topheth, nam iuxta familiarem Scripturæ morem in aliquo loco fieri dicuntur, quæ iuxtà fiunt. Vocantur autem *hypocritæ*, aut quia hoc nomen per Synecdochen, pro eo qui in quolibet genere ſceleratus eſt, vſurpatur, vt multis locis in libro Iob, aut certè iuxta nominis rationem verè, & propriè dicuntur *hypocritæ*. Hi enim propriè tales ſunt qui in ſcenis alienas ſuſtinent, & agunt perſonas, non ſuas, id eſt, hiſtriones, qui cùm à Regia dignitate longè ſint, nihilque minus habeant, quam quod ſanctitatem oleat, C ſanctorum tamen & Regum nomen, & perſonam aſſumunt. Sic ergo Aſſyrij optimè vocantur *hypocritæ*, id eſt, actores alienæ perſonæ: qui cùm fortes viderentur, & ſtrenui, cùm ad vrbem Solymitanam poſt debellatos Æthiopes appulerunt, agerétque perſonam triumphantium, nihil tamen habuere præter inanem ſpeciem fortitudinis, & vaniſſimos ſonitus triumphantium.

Hypocrita quis.

28\. r *Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?*] Exemplum proponit aliis, Iudæis nempe, & omnibus populis ſupplicij, quod ab igne cæleſti Aſſyriorum caſtris inflictum eſt, & excitare iubet memoriam ad ſempiternum ignem, qui paratus eſt iis, qui Aſſyriorum mores, & veſtigia ſequuntur. Ac ſi dicat, Si quis miratur quàm breui ac miſerè D Aſſyriorum principes exciderint à bellica gloria, ab ornamentis, & opibus, ac tandem è vita, mirari deſinat, & ſibi iam metuat; cui iam, niſi alia ſit vitæ ratio, ſempiternus ignis paratus eſt. Dum autem ignem appellat *deuorantem*, vim illi ineſſe ad vrendum grauiſſimam oſtendit; longè ſecus, atque illi, quo Aſſyrius exercitus combuſtus eſt. Dum ardorem appellat *ſempiternum*, proponit aliam diſſimilitudinem maximè notandam, nam ignis quo flagrarunt Aſſyrij, momento temporis euanuit. Neque ſui aliquid reliquit præter mortua quædam, & frigida veſtigia, nempe cineres è cadaueribus combuſtis. At alius ignis gehennalis, neque extinguitur vllo tempore, neque vim vnquam, aut omittit aut intermittit vrendi. E

Ignis gehennæ qualis.

29\. s *Qui ambulat in iuſtitiis, & loquitur veritatem, &c.*] Vt *cap.22.* diximus ad illud, *aſportari te faciet*, quidam è Iudæis duce Sobna; cùm actum eſſe crederent de ciuitate, neque perſuadere poſſent Ezechiæ Regi, ſe vt Aſſyriis dederet; conſultum iri ſuæ incolumitati cenſuerunt, ſi ad Aſſyriorum caſtra, quæ propè aderant transfugerent, quare abducti ſunt longè in hoſtilem regionem, ſicut aſportatur gallus gallinaceus, & illa paſſi, quæ veriſimile eſt paſſuros fuiſſe illos, in quorum regione Aſſyriorum vites eſſent contritæ, aut certè, eodem quo A Aſſyrij igne cælitus miſſo conſumpti ſunt. Excipio Sobnam, qui non ibi occiſus, ſed in regiones longinquas aſportatus eſt. Videtur autem hoc loco propheta, exemplo eorum, qui ex ea ciuitate transfugæ durè mulctati ſunt, indicare, quinam futuri ſint, qui ſempiterni ignis ardores effugient. Ac ſi dicat, Sicut iuſti, Deóque fidentes liberati ſunt ab Aſſyriorum igne, id eſt, exercitu, qui flammarum inſtar omnia vorabat, aut ab igne, quo Aſſyrij perierunt, & habitarunt Deo fauente, in excelſis ſaxorum munimentis: contrà increduli, aut nimiùm timidi in manus inimicorum ſe vltrò dederunt, atque ibi cum Aſſyriis experti ſunt vltrices de cœlo flammas; ſic qui in iuſtitiis ambulauerint, & locuti fuerint veritatem, &c. ab igne in æternum deuorante liberabuntur; qui ſecus vixerint, ſicut Iudæorum alij Aſſyrio; ſic illi gehennali incendio comburentur.

t *Qui obturat aures ſuas, ne audiat ſanguinem.*] 30.
Enumerat propheta alia, quæ ab ardoribus ſempiternis eximunt. In *ſanguine* communiter interpretes vim, & cædem intelligunt; & eſt in Scriptura frequens, vt conſtat. Sed in *ſanguine* nonnunquam libido, aut carnis affectus deſignatur. Quare ſæpe *caro* cum *ſanguine* coniungitur. Et hoc poſterius mihi maximè placet. Puto enim idem hîc ab Iſaia ſignificari, dum ait obturandas eſſe aures, ne C audiant ſanguinem; quod à Chriſto poſtea *Matthæi 16.verſ.24.* cùm dixit. *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum.* Id eſt, ne audiat carnem, & ſanguinem, id eſt, id quod deſpumat inordinatus æſtus carnis, & ſanguinis; *Audire* autem idem eſt quod *obedire*. Ille ergo, qui longè valere iubet carnis concupiſcentiam, ſeu quod idem valet, voluntatem propriam, quæ vt ex Bernardo diximus *cap. 30. ad finem*, ſempiternis ardoribus nutrimenta præbet, ille, inquam, æterni ſupplicij ardorem declinabit. In hunc ſenſum explicat Gregorius *lib. 9. Moral. cap. 26.* Vbi totum hunc locum ad mores accommodat: quem omnino vide, quia grauiter ab eo tractatur.

x *Panis ei datus eſt; aquæ eius fideles ſunt.*] *Panis* 31.
D & *aquæ* nomine ea intelliguntur omnia, quibus vita hominis continetur. Deſcribitur autem modo cæleſtis patriæ fœlicitas, & vbertas, dum ea nunquam defutura traduntur, quorum inopiam maximè horrent homines. *Fidele* dicitur, id quod nunquam deficit, eo præſertim articulo, quando eius neceſſarius eſt vſus. Hæc verò dicendi forma maximè Iudæis explicat eorum fœlicitatem, qui aduerſus carnem, & ſanguinem aures obturarunt. Quia terra promiſſionis ſæpe laborabat inopia panis; cùm enim eius ſolum non eſſet irriguum, de cœlo expectabat pluuiam, quam propter hominum peccata, Deus nonnunquam negabat; quare ſemper erant in perpetuo metu. Neque ſine cauſa *aquæ* in E plurali numero *fideles* dicuntur, quia duæ præſertim pluuiæ Palæſtinæ finibus neceſſariæ ſunt: altera quæ ad ſatus eſt, & *temporanea* dicitur; altera quæ ad incrementa, & grana, quæ vocatur *ſerotina*. Vtraque fidelis futura dicitur, quia ſuis temporibus, nunquam deerit, atque ideo rei maximè optabilis neque abundantia aberit, neque metuetur inopia.

Duæ in Palæſtina pluuiæ.

y *Regem in decore ſuo videbunt.*] Sunt qui hæc 32.
de Ezechia victore, & pacificè regnante capiant; ſed ſanè frigidè. Quid enim tantum eſt virtutis præmium humanum Regem videre ſplendentem Regio cultu; præſertim cùm alij etiam non iuſti

ſpectare

ſpectare potuerint. Quare alij de Deo clarè viſo à Beatis iſta capiunt, & verè: ſed fortaſſe hic propheta de Chriſti gloria atque ſplendore loquitur, ſumpta occaſione ab his, qui pacificè pacificum regem, & triumphantem Ezechiam viderunt in Ieruſalem poſt Aſſyriorum cædem; quem tamen prius ſquallidum, & mœrentem viderant ſciſſis veſtibus, & inuolutum ſacco, infrà *cap.* 37. Qui in vtroque ſtatu Chriſti typus fuit, qui poſt vitæ mortalis ærumnas, crucíſque ignominiam glorioſus poſtea in regno ſuo, & pacificè ſedit. Et facit plurimum contra illam de Ezechia ſententiam, quod ſtatim ſequitur. Quod quomodo ad humana commoda referri poſſit non video.

33. z *Cernent terram de longè.*] Oculi, qui Regem, id eſt, Deum videbunt in decore ſuo, iidem terram de longè cernent, aut quia re vera terra longè eſt à beatorum ſede, qui proximè dicuntur habitaturi in excelſis, & in ſaxorum munimentis, id eſt, in locis firmiſſimis, quæ nulla hoſtium vi expugnari; nullo artificio tentari poſſunt; aut quia ea erit cœleſtis patriæ fœlicitas & amplitudo, vt terra, quantumuis ſpecioſa, & fœlix omnino ſordeat, aut inſtar obtineat puncti; id enim eſt aliquid de longè cernere. Nam longè ſpectare videmur, illa quæ deſpicimus, quaſi ad nos iam nullo modo pertineant; & quæ à ſublimi loco ſpectamus, licèt vaſtæ ſint molis, exigua tamen nobis apparent. Quare homines formicis videntur æquales, & vrbes formicarum nidis, vt ridiculè in ſuo Icaro Menippo Lucianus: Et grauiter ac ſeriò, longéque elegantius Chryſoſtomus *Tom. 5. hom. 15. ad populū.*

34. a a *Cor tuum meditabitur timorem.*] Hanc puto eſſe concluſionem, & epiphonema dictorum; quaſi moneat propheta, ſi velimus effugere ſempiternos ardores, & Deum in ſuo decore glorioſum videre, timendum nobis eſſe Deum, contrà quàm fecit impius, & blaſphemus Senacherib, & alij Iudæorum, qui contra propheticam vocem timendas eſſe cenſuerant Aſſyriorum minas. Porrò *timor* in ſcriptura, obſeruantiam, & reuerentiam valet.

Timor pro Deo.

Vide, an *timor* ſumi poſſit hîc pro Deo, ſicut *Geneſ. 31. verſ. 42. Niſi Deus patris mei Abraham, & timor Iſaac affuiſſet mihi.* Et *verſ.* 53. *Iurauit Iacob per timorem patris ſui Iſaac.* Vide quæ diximus ad illud *cap. 8. Ipſe pauor veſter.* Quod ſi ita eſt, ſenſus eſt elegans, & facilis. Meditetur cor tuum Deum, ſi Regem in decore ſuo videre vis, nam, qui alia meditantur, ſapientiámque ſibi arrogant, & venditant in populis, alibi ſunt. Vnde commodè ſtatim ſubditur, *vbi eſt literatus?* Sed prior expoſitio magis ſequentia cum ſuperioribus contexit.

35. b b *Vbi eſt literatus? Vbi legis verba ponderans? Vbi eſt doctor paruulorum?*] Hæc credo includi debere parentheſi, referríque præſertim ad Sobnam, qui cùm contraria ſuaſiſſet, nimirum timendum eſſe Aſſyrium, & eius poteſtati tradendam Ieruſalem, ipſe periit, & cum illo plures alij, vt diximus; nam eorum, de quibus agit hîc propheta, ſapientiam eſſe vanam, & futilem, indicat Paulus 1. *Corinth.* 1. *verſ.* 20. qui cùm adduxiſſet illud Iſaiæ *cap 9. Perdam ſapientiam ſapientium, & prudentiam prudentium reprobabo*: ſubiecit in eandem ſententiam locum iſtum, aut ad eum ſaltem alluſit, *Vbi ſapiens? vbi ſcriba? vbi conquiſitor huius ſæculi?*

36. c c Pro *doctore paruulorum.* Hebraicè eſt, ספר מגדלים *ſopher migdalim*, quod Pagninus, & Vatablus vertunt, *numeratorem turrium.* Et fauet valde noſtræ ſententiæ; nam ſapientes illi ſtulti in humanis potiùs viribus, & vrbis propugnaculis ſpem libertatis conſtituebant, quàm in Dei auxiliatrice prouidentia. Quare explorabant murorum firmitatem, numerabant turres, vim, & numerum ciuium recognoſcebant, & inferebant tandem, contra Aſſyriorum tot, ac tam inſtructas copias, in ciuitate parum eſſe præſidij. Sed hi qui rationes has humanas ſecum meditati, è re Iudaica ſtatuebant deditionem fieri ciuitatis, Deo, hominibúſque inuiſi perierunt: cùm tamen alij, qui Deo rem totam commiſerunt, non ſolùm incolumes, ſed & magis locupletati, atque ornati remanſerint. Vt autem inſolentes illi, & opinione ſua ſapientiſſimi perierunt, aut cum Aſſyrijs ab Angelo prope Ieruſalem, aut inde procul apud Aſſyrios in exilio, neque in Ieruſalem iam pacatam, atque triumphantem admiſſi ſunt; ſic inſolentes, quique neque Deo fidunt, neque illius mandatis obſequuntur, nunquam cœleſti patria fruentur, cuius typus eſt Ieruſalem. Et ideo dicitur. *Vbi eſt literatus?* Nempe aut mortuus, aut exul, aut vbi vbi eſt omnino miſer. Sic de his qui vana ſapientia inflati ſunt, & humana ratione res, & ſuas, & publicas moderantur, quæri poteſt, *vbi eſt literatus*, &c. Cui in promptu reſponſio eſt. Vbi Regem in ſuo decore nunquam videbunt, à cœleſti patria in æternum exules.

Sapientes huius ſæculi quis maneat exitus.

Si hæc abſque interrogatione legas, quod non improbat Hugo, videtur eſſe quædam cœleſtis beatitudinis commendatio, vbi cum Rege, id eſt, cum Deo in decore literati viuunt, & qui legis ponderant verba: cùm alibi ſint ignorantes, & ſtolidi, & obſcura lingua, de qua ſtatim. Sed contra facit in omnibus codicibus conſentiens notatio, & locus Pauli ſuprà, qui in his ſapientibus, nihil agnoſcit pulchrum, atque laudabile. 37.

d d *Populum impudentem non videbis, populum alti ſermonis.*] Hæc quidam temporibus accommodant Ezechiæ, futurúmque dicunt, vt nunquam in Ieruſalem ingrediantur Aſſyrij, homines barbari ſermonis, quales Iudæi cenſebant omnes, qui lingua vterentur non Hebraica. Ita Aſſyrij & Ægyptij vocati ſunt illi, *Ierem. 5. verſ. 15. Ecce ego adducam ſuper vos Gentem, cuius ignorabis linguam, nec intelliges quid loquatur:* Hi *Pſal.* 113. *verſ.* 16. *Domus Iacob de populo barbaro.* Sed conſequenter ad illa, quæ ſuprà diximus, & magis ad conſequentia conſentaneè de beatorum patria hæc ſunt intelligenda. Vbi neque obſcuram, aut barbaram linguam futuram eſſe dicit, neque vanos ſonitus, & inflatos ſpiritus eorum, in quibus nulla eſt, niſi ſimulata ſapientia. Olim in pleriſque codicibus legebamus, *Populum imprudentē.* Nunc in Biblijs à Sixto correctis *impudentem* legimus, magis quàm antè ſignificanter. Nam re vera illi ab ingenuo pudore, quàm longiſſimè abſunt, qui cùm ſint rerum omnium ignari, aut quibus aliquarum rerum ſit pertenuis, atque obſcura notitia, altè de ſe cogitant, & quod modeſtum & verecundum nullo modo decet, ſuperbè loquuntur. Hoc ergo moleſtum, ac putidum hominum genus longè à ſe amandat beatorum ſedes. Hæc ſi ad Senacherib referas, qui verè impudens fuit, & alti ſermonis, vt conſtat infrà *cap. 36. & 37.* quíque Ieruſalem non eſt ingreſſus, memineris oportet, vt Ieruſalem typus eſt patriæ cæleſtis, ſic Senacherib inſolentem prius, deinde ad extremam fortunam, & ignominiam abiectum, damnatorum eſſe ſymbolum. Quare hæc tandem, vtcumque capias, à terrenis euentibus ad altiora conſilia excitanda ſunt. 38.

ee Reſpi

39\. ee *Reſpice Sion ciuitatem ſolemnitatis noſtræ.*] Modus hic loquendi planè perſuadet ſermonem eſſe de cœleſti Ieroſalem, nam reſpicere iubetur Sion ciuitatem ſolemnitatis, aliquid nimirum aliud à ſe, id eſt, veram Ieruſalem, cuius in ſe obſcurè vmbram continet. Indicat autem magnus propheta veram ſolemnitatem, & lætitiam non à terrena Ieruſalem, ſed à cœleſti ſpectari oportere. Et quidem ita faciunt, qui verè Solymitani ſunt, id eſt, qui vitam ita ducunt vt in ea appareat aliquid cœleſtibus ſimile, aut cœlo dignum; quales religioſi ſunt, ſi modò ſui inſtituti memores, & tanto nomine non indigni. Hi ſæpe audiunt propheticum iſtud. *Reſpice Sion ciuitatem ſolemnitatis noſtræ.* Inde gaudium ſpera, ſic ardua ſectare, arctam tene viam, Chriſti crucem amplectere.

40\. ff *Oculi tui videbunt Ieruſalem habitationem opulentam: Tabernaculum quod nequaquam transferri poterit, nec auferentur claui eius in ſempiternum.*] Hæc mihi omnino probant ſermonem hic eſſe de cœleſti Ieruſalem, cuius vmbra fuit Ieruſalem terreſtris iam ab hoſte libera, iam Aſſyriorum ſpoliis locupletata. Nam pleraque eorum, quæ ſubiiciuntur, in Ieruſalem terreſtrem conuenire non poſſunt; nempe quòd inde tabernaculum in æternum transferendum non ſit, imò neque transferri poſſit, cùm non multis poſt annis euerſum fuerit, claui refixi, & rupti funiculi. Vt eadem vſus metaphora plorabat Ieremias *Thren.2.verſ. 6. Diſſipauit quaſi hortum tentorium ſuum; demolitus eſt tabernaculum ſuum.* Hanc eandem metaphoram elegantiſſimè iterum adhibet Iſaias infrà *cap.54.* Videtur autem hoc loco in tabernaculo, quod illis diſtinetur funibus, qui nunquam rumpentur, & illis firmatur clauis, qui nunquam reuellentur, oſtendere voluiſſe Iſaias cœleſtem beatitudinem non eſſe illi ſimilem, quæ ſtultis hominibus beatitudo eſſe exiſtimatur: cum tamen illa ſi cætera adeſſent, non poſſit eſſe non inſtabilis, ac momentanea, quæ tabernaculis vnius noctis, quibus viatores ſeu paſtores vtuntur, comparantur ſuprà *cap. 24. verſ. 20. Auferetur, quaſi tabernaculum vnius noctis,* & *cap. 38. verſ. 12. Generatio mea ablata eſt, quaſi tabernaculum paſtorum.*

41\. gg *Quia ſolummodo ibi magnificus eſt Dominus noſter.*] Ratio oſtenditur cur æternum futurum ſit illud cæleſte tabernaculum, quia in eo vnus eſt magnificus, &, vt ſtatim ſubditur, vnus iudex, vnus legiſlator, vnus Rex, nempe Deus: cui cæleſtes ciues ita ſubſunt, vt illorum nemo contrà aut velit, aut ſentiat. Longè ſecus atque in terrena Ieruſalem, in qua multi magnifici eſſe volunt, aliiſque præſcribunt tanquam doctores populi, ſeu, vt nuper vocati ſunt à propheta, doctores paruulorum, contra regium, imo contra diuinum decretum, quid facto opus eſſe definiant. Hûc videtur alluſiſſe Chriſtus, aut certè huc facit illud Chriſti *Lucæ cap. 11. verſ. 17. Omne regnum in ſe diuiſum deſolabitur.*

* Cæleſtis patriæ pax & fœlicitas.

42\. hh *Locus fluuiorum riui latiſſimi, & patentes; non tranſibit per eum nauis remigum.*] Hæc nullo modo conueniunt in Ieruſalem, quæ his riuis non abundat, ſed in eam ciuitatem, quam fluminis impetus lætificat. Videtur autem ſpectaſſe propheta ad aquas anguſtas, quas, cùm rumor de Aſſyriorum aduentu increbuiſſet, Ezechias induxit in Ieruſalem *Eccl. 48. verſ. 19. Ezechias muniuit ciuitatem ſuam, & induxit in medium ipſius aquam; & fodit ferro rupem, & ædificauit ad aquam puteum.* De quibus etiam *4.Reg.20.v.20.* Ac ſi dicat, Erit in cæleſti Ieruſalem, non vt in terreſtri, in qua anguſta eſt A aqua, locus vbi ſit fluuius, ex quo in omnem partem riui, quàm latiſſimè pateant. Alluſum credo ad paradiſum, in cuius medio fons erat, qui deinde in quatuor diuidebatur flumina. *Geneſ.2.* Quare in Ieruſalem cæleſti non erunt aquæ anguſtæ, atque infideles, ſicut in terreſtri, ſed copioſæ, & fideles, vt paulò antè diximus. De quibus *Apoc.22. Et oſtendit mihi fluuium aquæ viuæ ſplendidum tanquam cryſtallum, procedentem de ſede Dei & Agni.*

Cum autem flumina plurimas habeant commoditates, vt docet Nilus, à quo Ægyptus habet, vt fœcunda omninò, & habitabilis ſit, tamen illud afferunt interdum incommodi, quòd hoſtium claſſis ad vrbes appulſa per fluminis alueum pacem turbat ciuitatum, & agros populatur, & vaſtat. 43.
B Quare, vt ſignificet propheta vim omnem, atque impetum hoſtilem longè futurum ab illa pacatiſſima Ieruſalem, quæ verè *viſio pacis* appellari poteſt, ait fluuium illum cæleſtem nullo tentandum remige, nulla trieride fore ſulcandum. Aut certè tam latis ſpatiis fluuium eſſe diffundendum, tantam futuram eſſe gurgitis altitudinem, vt trieris illi ſe committere non audeat. Quemadmodum neque modò triendes, id eſt, naues longæ, quæ remis aguntur, quas vulgo *Galeras* dicimus, traiicere audent profunditatem, & vaſtitatem Oceani. Hæ commodæ videntur eſſe cauſæ, cur nauis remigum tranſitura non ſit per fluuium illum. Sed quando res eſt obſcura, addam tertiam, quæ non minùs alicui videbitur idonea. Ideo inſtitura nauigatio eſt, vt comportentur ea, quæ ad hominum C vſus neceſſaria ſunt. Nam cùm non omnes regiones rebus abundent omnibus, imò cum nulla ſit vſque adeò fortunata prouincia, quæ ſibipſi ſufficiat, cogitur nauium, remigúmque miniſterio aliunde accerſere emendicatas opes: ſed quia felix illa regio, quam obeunt, & lætificant riui illi patentes, atque latiſſimi, commodis abundat omnibus, non deſiderat trierides ac remiges, quorũ opera ad beatorum ciuium vſum neceſſaria comportet.

ii *Dominus enim iudex noſter: Dominus legifer noſter; Dominus Rex noſter.*] Rationem reddit cur tuta, & pacata, & omni commoditate affluens, futura ſit Ieruſalem cæleſtis, quia non ibi principes inſipientes, & arrogantes, ſicut in terreſtri ſub D Ezechia Sobna, & alij eiuſdem conſilij principes ciuitatem illam moderabantur, ſed vnus erit iudex, vnus legifer Deus, cuius conſilia, atque potentiam nulla vis hoſtium conuellet, nulla calliditas eludet. Illud verò *ipſe ſaluabit nos*, ſignificat æternam futuram eſſe ſalutem. Nam ſaluatores alij Moyſes, Ioſue, Iephthe, Samſon, &c. ſic ſaluarunt Dei populum ab hoſtili ferro, vt non multò pòſt in eandem, aut etiam grauiorem incurreret ſeruitutem, ſed Deus quia legiſlator, & iudex futurus dicitur, ſicut ipſe per ſe, non per alios iudices, aut reges in cœlo præerit, ſic per ſe non per ſaluatores alios beatorum cœtus liberabit, illiſque ſalutem conſeruabit ſempiternam. 44.

E Hæc aliqui non ad beatitudinem referunt, ſed ad Eccleſiam, cui Dominus præerit legiſlator, & iudex; quæ nunquam diſſipabitur: in qua fluuius erit, à quo abundantiſſimè rigentur omnia, qui à Domino egrediuntur. Et in his eſt Hieronymus, qui in eam explicationem multa adducit, ſed quam de beatorum patria ſententiam adduximus, plures alij amplectuntur: Tum quia id totum in cæleſtem beatitudinem bellè quadrat, tum etiam quia ſi de pœnis inferorum ſuperiora dicuntur, magis conſequens 45.

quens eſt, vt de oppoſitis, id eſt, de remuneratione bonorum hic ſermo fiat.

46. k k *Laxati ſunt funiculi tui, & non praualebunt: ſic erit malus tuus, vt dilatare ſignum non queat. Tunc diuidentur ſpolia*, &c.] Iam propheta vaticinium refert ad intercisa, id eſt, ad euentum Ieruſalem ſub obſidione Senacherib, & perſequitur metaphoram tabernaculi, cui compararat cæleſtem Ieruſalem, cuius claui non reuellendi, & funiculi in ſempiternum dicuntur non eſſe laxandi. At ergo Ieruſalem terreſtrem, quo tempore illi præfuit Ezechias, in eum ſtatum redigendam ab Aſſyriis vt laxentur funes, quibus diſtinebantur tabernaculi vela (id eſt concutiantur ciuium animi, & abiecta libertatis ſpe de deditione cogitent) non tamen diſtractis ciuium ſtudiis nutante republica, ſicut nutare tentorium ſolet, laxatis funibus, hoſtes præualebunt partim conciſi, partim fugati à vindice angelo. Sic autem malus, id eſt, lignum medium, ſeu ſtatumen, quod tabernaculum ſuſtentat, & munit, parum firmatus videbitur ab hoſte concuſſus, vt in eo non putes ſignum poſſe conſtitui, quod in erecto ligno erigi ſolet, in procumbente autem, & inclinato non poteſt. *Dilatare* hoc loco idem eſt, atque *explicare*, quod eſt velorum, ſeu vexillorum proprium, aut certè ita proponi vt latè pateat, & longè ab aliis videri poſſit. Quo dicendi genere obſcurè credo ſignificari ciuitates omnes Iudææ capiendas ab Aſſyriis, vt conſtat ſtatim *cap.* 36. Quare imminente hoſte non habebit Ieruſalem ciuitates, ad quas euocandas auxilij gratia ſignum in malo tabernaculi, id eſt, in parte ciuitatis eminentiſſima proponat.

47. l l *Tunc diuidentur ſpolia prædarum multarum; claudi diripient rapinam.*] Cùm eò res Iudaica deducta ſit vt laxati videantur funes, & côuelli malus, id eſt, medium ſtatumen tabernaculi, & nihil eſſe propius quàm vt omnino corruat: ſic aderit Deus ſuis vt qui iam ad præſentem, & quaſi iam ereptam prædam inhiabât, prædæ ſint aliis. Quos ſic ſternet Deus, vt ſine metu ad nudata caſtra prædandi gratia concurrant claudi, qui ægros, & titubantes greſſus efferre priùs domo non poterant. Quod ita accidit, vt habes infrà *cap.* 37. Tradunt autem Hebræi, vt diximus ad illud *cap.* 10. *Subtus gloria eius ſuccenſa ardebit.* cœleſtem ignem conſumpſiſſe quidem Aſſyriorum corpora, intactas tamen reliquiſſe veſtes, & ornamenta alia, vt illis integris vterêtur Iudæi. Porrò illud, *Claudi diripient rapinas*, prouerbialem habet ſpeciem; qua ſignificatur facilis victoria, & ſine metu pugna. Qua videntur vſi Iebuſæi cùm dixerunt ad Dauid 2. *Reg. cap.* 5. *Non ingredieris huc, niſi abſtuleris cæcos, & claudos.* Prouerbiũ.

48. m m *Nec dicet vicinus, elanguí.*] Heb. pro *vicino* שכן *ſachen*, id eſt, *habitator*, ſeu *ciuis*: qua forma apud Hiſpanos ciues, aut incolæ alicuius oppidi dicuntur, *Los vecinos*. Nullus autem erit tunc temporis, quem ad ublatam prædam retardet valetudo, qui languorem cauſetur, quominus quamprimum prædaturus exiliat.

49. n n *Populus qui habitat in ea, auferetur ab eo iniquitas.*] Frequens eſt in ſcriptura vt *iniquitas*, *impietas*, & ſimilia ſumantur pro inflicto iniquitati ſupplicio, nempe pro ſordibus, exilio, ægritudine, paupertate, & ſimilibus. Eo igitur die, inquit Dominus, à populo quondam mœſto, & ſordido, in quem ſtatum ſuperioris ætatis peccata deduxerant, auferetur iniquitas, id eſt, incipiet vti proſpera atque pacata fortuna. Porrò hoc loco populus in nominatiuo abſolutè ponitur, ſicut aliis in locis ſæpe, vt docuimus ad illud Zachariæ *cap.* 7. *Numquid ieiunium ieiunaſtis mihi.* & *cap.* 11. *num.* 16. Illud autem *ab eo* Hebræorum more redundat. Nominatiuus abſolutè poſitus.

50. Hæc poſtrema, quæ de Ieruſalem terreſtri intelligenda diximus, quidam conferunt ad Eccleſiæ tempus, quæ concutietur quidem, & premetur, non tamen euelletur, aut opprimetur. Quod ego quoque libens amplector. Puto tamen aptari hiſtoricè poſſe ad tempus Senacherib, deinde allegoricè ad tempus Eccleſiæ.

Argumentum trigeſimi quarti capitis Iſaiæ.

AD *exemplum Aſſyriorum Regis Senacherib, cuius potentiam duro, inſperatóque ſupplicio Dominus compreſſit, hortatur propheta populos omnes, vt ex alieno diſcant periculo, quid ſuo capiti timere debeant, ſi iiſdem ſe peccatis implicuerint; quæ Aſſyriis dirum illud exitium inuexerunt. Cùm verò Idumæi, ſicut eorum pater Eſau, impiorum typus, & imago ſint, & ipſi præterea peccatorum ſordibus inquinatiſſimi; ad illos maximam duri huius vaticinij partem intorquet. Quorum ſtragem ad finem vſque capitis, ita perſequitur eleganter, atque copioſè, vt nihil ibi deſiderare poſſit eloquentia profana: nihil non admirari prudens, & attentus lector.*

CAPVT XXXIV.

1 ACCEDITE *gentes, & audite, & populi attendite: audiat terra, & plenitudo eius; orbis & omne germen eius.*

2 *Quia*

PARAPHRASIS in idem caput

1 AVDISTIS quàm ſeuero inſperatóque ſupplicio conciſæ fuerint Aſſyriorum vires, ex his diſcite quid ſperare poſſint, qui eiſdem ſeſe implicuere flagitiis. Accedite ergo, & aures adhibete attentas, & dociles, omnes Gentes; audite populi vbicumque locorum agitis: audiat terra, & quie

& quicquid eius ſinus, & ſpatia complet; audiat orbis,& quæcumque in eo germinant,& viuunt.

2 Quoniam eodem modo indignabitur Dominus in omnes Gentes, quæ Aſſyriorum conſilia, & mores imitantur; & ſuper illorum militiam nihilo mitior accendetur furor. Interfecit Aſſyrios Dominus, & ad internecionem vſque deleuit, vt audiſtis; quorum inhumata cadauera fœdè, atque ignominioſè extabuerunt.

3 Sic etiam, qui è populis, & Gentibus Aſſyriam expreſſerint arrogantiam, occidentur à Domino, eorúmque proiicientur inſepulta cadauera. Ex quibus teterrimus erumpet fœtor: qui halitu ſuo peſtilenti,& graui cuncta contaminet. Occiſorum autem ſanguinis, ea erit copia: vt ex eorum tabe, fœdóque contactu ſua quoque montibus adueniat tabes.

4 Tunc verò vſque adeò omnia turbata confundentur, & ſpecie erunt vſque adeò miſerabili, ac triſti, vt quæ ſplendori ſolent eſſe mundo;& hominibus voluptati, ac gaudio: illa è mundo, cœlóque ſublata videantur. Obſcurabitur enim illuſtris cœlorum ornatus, atque militia, ipſis ad libri ſimilitudinem ita complicatis, vt nullus in eis ſplendor, nullum lumen appareat: defluentibus è cœlo ſyderibus, non ſecus atque ſub autumnum è ficu ac vite, perflante vento, decidunt frondes.

5 Id verò in cœlo iam decretum eſt, quod adeò certum erit, & ratum, vt gladius, qui cædem minatur peccatoribus, imbutus iam eorum ſanguine exiſtimari poſſit. Ecce iam in Idumæos gladius vibrabitur, vibrabitur, inquam, ad iudicium, atque vindictam populi, quem ego iam cædi deſtinaui.

6 Videre iam videor Domini gladium ſtillantem ſanguine, & aruina incraſſatum pingui: aruina inquam. & ſanguine agnorum, hircorum: & arietum, quibus craſſus eſt adeps, & medulla pinguis. Sic enim in nobiliſſima Idumæorum ciuitate Boſrâ, & in tota Idumæa omnium ordinum graſſabitur cædes, ſicut ad altaria congregantur,& mactantur victimæ.

7 Neque tantùm ignobilis, atque infima Idumæorum turba, quam arietum, & agnorum mitis,& imbellis natura ſignificat, gladio cadet, ſed etiam qui in ipſis fortes ſunt, magíſque ad reſiſtendum parati; quíque ſpiritus habent ſic efferatos, & indomitos, ſicut Rhinocerotes, & tauri. Quorum ſanguine exundabit terra, & adipe, atque omento replebitur.

8 Quia tempus aderit, cùm Deus ab Idumæorum iniuriis vleiſcatur Sion, ínque ipſorum refetat caput; quod in Sionem priùs moliri ſunt mali.

9 Torrentes enim qui vberes, & lætos reddebant Idumæorum agros; in picem conuertentur;& humus irrigua in ſulphureã glebam. Regio

2 *Quia indignatio Domini ſuper omnes gentes, & furor ſuper vniuerſam militiam eorum. Interfecit eos, & dedit eos in occiſionem.*

3 *Interfecti eorum proiicientur, & de cadaueribus eorum aſcendet fœtor.* [b] *Tabeſcent montes à ſanguine eorum.*

4 [c] *Et tabeſcet omnis militia cælorum,* [d] *& complicabuntur ſicut liber cæli:* [e] *& omnis militia eorum defluet, ſicut defluit folium de vinea, & de ficu.*

5 [f] *Quoniam inebriatus eſt in cælo gladius meus.* [g] *Ecce ſuper Idumæam deſcendet, & ſuper populum interfectionis meæ ad iudicium.*

6 [h] *Gladius Domini repletus eſt ſanguine, incraſſatus eſt adipe de ſanguine agnorum & hircorum, de ſanguine medullatorum arietum.* [i] *Victima enim Domini in Boſra, & interfectio magna in terra Edom.*

7 [k] *Et deſcendent vnicornes cum eis, & tauri cum potentibus. Inebriabitur terra eorum ſanguine, & humus eorum adipe pinguium:*

8 *Quia dies vltionis Domini,* [l m] *annus retributionum iudicij Sion.*

9 [n] *Et conuertentur torrentes eius in picem, & humus eius in ſulphur: & erit terra eius in picem ardentem.*

denique tota, quaſi picea fotet, atque incendiaria materia, flammam concipiet.

10 *Nocte, & die [o] non extinguetur. In ſempiternum aſcendet fumus eius: à generatione in generationem deſolabitur, in ſecula ſeculorum non erit tranſiens per eam.*

10 Neque vllum erit tempus, in quo ſulphureum illud incendium extinguatur, aut fumus ex eo non erumpat. Prouincia denique ſic ab illo deformabitur, atque exuretur igne, vt nunquam reuiuiſcat; neque ab vllo hominum frequentetur, aut habitetur ampliùs.

11 *[p] Et poſſidebunt illam onocrotalus, & ericius: ibis, & coruus habitabunt in ea. [q] Et extendetur ſuper eam menſura, vt redigatur ad nihilum, & perpendiculum in deſolationem.*

11 Hominum ergo loco truces ſuccedent feræ, & pro eorum habitaculis ſordida immanium belluarum latibula. Habitabunt enim in euerſarum ciuitatum ruinis onocrotalus, & ericius, coruus, & ibis, & horribiles aliæ, atque infauſtæ volucres. Denique Deus adhibito diligenti meritorum examine, quale eſſe amuſſis ſolet, & perpendiculum; ad deſolationem vſque, & ad nihilum rediget florentē illam, & vberem regionem.

12 *[r] Nobiles eius non erunt ibi: regem potiùs inuocabunt, & omnes principes eius erunt in nihilum.*

12 Nobiles, & Principes eadem auferet calamitas: neque Rex erit vllus ex eorum numero, qui in illa prouincia dominabantur, qui cum poteſtate ſit. Quare illius cladis reliquiæ Regem optabunt, vltróque gubernaculum offerent deformatæ prouinciæ.

13 *[s] Et orientur in domibus eius ſpinæ, & vrticæ, & paliurus in munitionibus eius: [t] & erit cubile draconum, & paſcua ſtruthionum.*

13 In ædibus quondam magnificis, ac Regiis ſpinæ naſcentur, & vrticæ; & munitiones luculentæ, & nobiles ſylueſtri, atque aculeato horreſcent paliuro: Denique Idumæa in ſerpentium cubile, & opportuna ſtruthionum paſcua conuertetur.

14 *Et occurrent dæmonia onocentauris, & piloſus clamabit alter ad alterum. Ibi cubauit lamia, & inuenit ſibi requiem.*

14 Ibi concurſabunt inter ſe ludibundi onocentauri, & dæmones: adhinniet ibi piloſus ad piloſum; ibi lamia ſibi latibulum parabit, vbi ſecuram habeat, & otioſam quietem.

15 *Ibi habuit foueam ericius, & enutriuit catulos, & circumfodit, & fouit in vmbra eius: illuc congregati ſunt milui alter ad alterum.*

15 Ibi foueam ſibi conſtruet erinaceus, vbi catulos ſuos enitatur, & nutriat: circumfodiet, inquam, & parabit cauernam, in cuius vmbra catulos occultet, & foueat. Ibi denique milui frequentes errabunt, non vnus, aut alter ſeorſum, ac pauidè quaſi in alieno, ſed gregatim, ac liberè, tanquam in proprio domicilio.

16 *[v] Requirite diligenter in libro Domini, & legite: [x] vnum ex eis non defuit, [y] alter alterum non quæſiuit. quia quod ex ore meo procedit, ille mandauit, [z] & ſpiritus eius ipſe congregauit ea.*

16 Seruate huius prophetiæ librum, qui non tam eſt meus quàm Domini, qui hæc ore meo vobis pronunciat: atque illum ſuo tempore conſulite. Et inuenietis nulli horum verborum abfuiſſe pondus, & fidem: aut vllam immanium ferarum, ſeu infelicium volucrum, quæ in veſtris finibus habitaturi dicuntur, in deſertam illam regionem non irrepſiſſe. Alterum enim malum, ex his quæ nunc auditis, cùm veſtros inuaſerit fines, non requiret, aut abeſſe ſentiet alterum, quod habet in hoc prophetico ſermone ſibi ſocium. Quia ſpiritus Domini, cuius hoc eſt oraculum, illa congregabit.

17 *[aa] Et ipſe miſit eis ſortem, & manus eius diuiſit eam illis in menſuram. [bb] Vſque in æternum poſſidebunt eam, in generatione, & generationem habitabunt in ea.*

17 Et quia in ea regione futurum eſt illorum malorum æternum domicilium, Dominus illis non tanquam hoſpitibus, & aduenis; ſed tāquam ciuibus, atque incolis ſortem diſtribuet, adhibitáque menſura, dom um illis ſtabilem fabricabitur.

IN CAPVT TRIGESIMVM QVARTVM COMMENTARIVS.

1. ᵃ ACcedite *gentes, & audite*, &c.] Principium iſtud capitis obſcurum eſt, neque facilè eſt ſtatuere, quid ſpectet. Hieronymus hoc vaticinium eſſe putat de omnium gentium interitu,& de mundi conſummatione: Cum eo ſentiunt Haymo, Cyrillus, Procopius, Dionyſius. Alij de Ieruſalem accipiunt, in quibus eſt Hugo, Lyra, & Gloſſa. Mihi placet omnium maximè quod in priori explicatione docet Cyrillus, & Procopius tradit id aliis placuiſſe, neque diſplicet Adamo, hîc propoſito ſupplicio,& Aſſyriorum, & quorundam qui ex Ieruſalem propter metum ad illorum caſtra defecerunt, deterreri omnes gentes, & populos à peccando, ſed præcipuè Idumæos, qui contra Ieruſalem ſæpe, nouiſſimè verò cum Babyloniis conſpirarunt, quando funditus euerſa fuit. Quod longè ante Iſaiam oculis propheticis intuebatur Dauid *Pſal.*136. cùm dixit. *Memor eſto Domine filiorum Edom in die Ieruſalem: qui dicunt Exinanite*, &c. Videntur autem Idumæi pro peccatoribus ſumi, ſicut eorum parens Eſau, qui, & Edom, reproborum etiam ſymbolum eſt. Quòd verò ad omnes pertineat propheticæ minæ, multa declarant; Primùm, quia Gentes vocantur, & populi, & omnis terræ plenitudo, quæ aliquid omnino indicant præter Idumæam. Plagæ verò, quas gentibus nimirum, quæ Aſſyrios mores imitantur, minatur Iſaias, ſimiles futuras his, quæ Aſſyriis inflicta ſunt incommoda, ſatis indicant, quæ ſequuntur. Quibus explicandis ſuperſedeo, quia obſcura non ſunt. Adhibet autem præteritum pro futuro, ſuo, id eſt, prophetico more.

2. ᵇ *Tabeſcent montes à ſanguine eorum.*] Verbum Hebraicum מס *mas*, generaliter ſignificat *diſſolui*, *liquefieri*, ac *perire*, qua ratione rerum natura fert, vt aliquid pereat. Vt ager, cùm imbre deficiente, ſterilis, & macer eſt; aut herba cùm areſcit, vir fortis cùm metu, plagáve percuſſus deſpondet animum; & quod ſolidum eſt tabe, ac tinea putreſcit, aut corrumpitur: aut exercitus turbatur, & funditur, aut cùm id, quod grati odoris eſt, iam ſitu aut aliqua admixtione vitiatur & fœtet. *Tabeſcere* igitur *montes* eſt hoc loco, aut mortuorum ſanguine vri, & areſcere montium herbas, quæ ipſorum ſplendor, & ornamenta ſunt, vt explicat Hugo, aut eaſdem herbas corruptas ſanguine eximij quondam odoris grauem poſtea, atque inamœnum aſpiraturas halitum: ita vt occiſorum cruore, & cadauerum ſanie montes antea ſpecioſi aſpectu fœdi ſint, & pœdore horridi. Alij ſenſu magis hyperbolico interpretantur tantam futuram eſſe vim cruoris, qui ex interfectis effundetur, vt montes tabeſcant, & ſoluantur non aliter, atque aquis ex imbre copioſo torrentibus exedi ſolent montium latera, nudarique terra molli ac pingui, quæ montium viriditatem, & ſpeciem alit, atque ſuſtentat. Aut certè terram, quæ eſt in montibus, quæ dum ſicca eſt, duritiem habet, ſanguine ita humectatum, atque ſolutum iri, vt ex ea non aliter lutum fiat à ſanguine, quàm ab aqua. Neque duæ iſtæ explicationes difficiles ſunt, quibus fauet illud *Pſal.* 95. *Montes ſicut cera fluxerunt*: neque enim cera aliter fluit, quàm liquefacta.

Tabeſco quid.

3. Sed fortè non abs re ſumes hîc allegoricè *montes* pro principibus, quod ſæpe facit Scriptura. Vide quæ diximus ad illud Zachariæ *cap.*4.*verſ.*7. *Quid tu mons magne*, quo ſenſu dixit Michæas *cap.* 1. *Montes conſumentur ſubtus eum.* Vbi Hebr. eſt verbum idem מס *mas*. Tunc verò ſenſus erit accommodatus proximè præcedentibus: Dixerat enim, *a cadaueribus eorum aſcendet fœtor*, nunc ſignificat principes etiam, lautos viros, ab hac plaga ſiue ab his ſordibus, & ſanie immunes non eſſe futuros. Nam ſicut alia ignobilis occiſorum turba proiecta eſt, id eſt, non humata, ſed ſepultura aſini ſepulta, ſic ipſi quoque principes inſepulti putreſcent, grauique halitu regionem inficient. Iuxta hanc explicationem illud *eorum* adhibitum eſt pro *ſuo*, quia pronomen illud affixum apud Hebræos reciprocum etiam eſt. Neque rarò cùm reciprocum ſit, ſimpliciter tamen redditur à Vulgato, vt alibi à nobis oſtenſum eſt. Ac ſi dicas, tabeſcent principes in ſuo ſanguine volutati.

4. ᶜ *Et tabeſcet omnis militia cœlorum, & complicabuntur ſicut liber cœli, & omnis militia eorum defluet.*] Hunc locum expreſſit Ioannes *Apoc. cap.* 6. verbis parum mutatis. *Sol factus eſt niger tanquam ſaccus cilicinus, & luna tota facta eſt ſicut ſanguis, & ſtellæ de cœlo ceciderunt ſuper terram, ſicut ficus amittit groſſos ſuos, cum à vento magno mouetur, & cœlum receſſit ſicut liber inuolutus.* Quem locum pletique de iudicio interpretantur extremo. Neque leue argumentum hoc eſt, vt exiſtimemus hæc quoque de extremo iudicio eſſe intelligenda, vt Hieronymus putat, quod etiam mihi non improbatur. Veruntamen non puto recedendum à priori ſententia: nam, vt conſtat, in huiuſmodi alluſionibus non ſemper ſeruatur hiſtoricus ſenſus, ſed expectatur accommodata quædam ſimilitudo. Deinde non omnes locum illum Apocal. de extremo ſæculorum articulo interpretantur. Nam Aureolus & Lyra ſigna illa ad extremam Eccleſiæ perſecutionem, quæ facta eſt ſub Diocletiano, & Maximiano referunt. Ambroſius & Rupertus ad exitium Iudaici populi per Veſpaſianum. Alij verò hæc ſigna metaphoricè exponunt, putántque illis ſignificari calamitatem magnam, & inſignem rerum mutationem. Ita Victorinus, Andreas, Primaſius, Haymo, Beda, Dionyſius, & alij; ſed de hoc loco Apocal. nihil hic diſputo, quia fortaſſe alia ratio eſt.

5. Quare ego exiſtimo his verbis ab Iſaia figuratè magnam cladem, angorem, & perturbationem animorum ſignificari; quod in loco Apocal. loco huic noſtro affini videntur intellexiſſe auctores nuper citati. Certè de vaſtitate aliqua exponunt, non de iudicio S. Thom. Hugo, Vatablus, Lyra, Pintus, Burgenſis, Montanus. Et quidem hyperbolicè eiuſmodi verbis explicari ærumnoſum ſtatum, & mœrentem ſpiritum in omni ferme idiomate vſita-

Cœlorum aſtrorúmque receſſu, aut obſcuritate magna ſignificatur calamitas.

vſitatum eſt. Hiſpanus infelicis hominis ſortem ſic explicat *no amaneçe en ſu caſa, o, no ſale en ſu caſa el ſol.* Latinus *nubilum alicui eſſe cælum*, aut *obſcurum ortum eſſe ſolem*, & eiuſmodi alia. Sed hoc maximè vſitatum eſt in ſcriptura, quæ ſolis, aſtrorúmque receſſu exprimere ſolet luctuoſum euentum. Sic

Iſaiæ 13. *cap.* 13. in excidio Babylonico iiſdem propè verbis vſus eſt propheta. *Quoniam ſtellæ cæli non expandent lumen ſuum: obtenebratus eſt ſol in ortu ſuo, & luna non ſplendebit in lumine ſuo.* Quæ verba de Babylonis ſtrage exponunt S. Thom. Hieronymus, Haymo, Hugo, Foreirus, Adamus, & plures alij. Et Ie-

Ierem. 4. remias *cap.* 4. de excidio Ieruſalem. *Aſpexi terram, & ecce vacua erat, & nihili, & cælos, & non erat lux*

Ioel. 2. *in eis.* Et de eadem Ieruſalem Ioel *cap.* 2. *A facie eius contremuit terra, & moti ſunt cæli, ſol, & luna obtenebrati ſunt, & ſtellæ retraxerunt ſplendorem ſuum.* Sed omnium maximè hanc expoſitionem confirmat

Ezech. 32. Ezechiel *cap.* 32. *verſ.* 4. cùm agit de Ægypti clade. Vbi videtur hunc expreſſiſſe Iſaiæ locum ab illis verbis, *interfecti eorum proiicientur.* Sic autem Ezechiel ad regem Ægypti. *Et proiiciam te in terram, ſuper faciem agri abiiciam te, & habitare faciam ſuper te omnia volatilia cæli, & ſaturabo de te beſtias vniuerſæ terræ, & dabo carnes tuas ſuper montes, & implebo colles tuos ſanie tua, & irrigabo terram fœtore ſanguinis tui ſuper montes, & valles implebuntur ex te. Et operiam cùm extinctus fueris cælos, & nigreſcere faciam ſtellas eius, ſolem nube tegam, & luna non dabit ſplendorem ſuum.* Quæ verba magnam afferunt lucem loco Iſaiæ, quem nunc verſamus.

6. Cur verò in magna calamitate, animorúmque conſternatione, atque perturbatione ſol obſcurari dicatur, & ſtellæ cadere, ſeu nigreſcere, ratio redditur ab auctoribus in Iſaiam *cap.* 13. & in hunc locum à S. Thom. & à Theodoreto in Ieremiam *ſuprà*, cuius verba referam, quia aliorum ſententiam, & pondus continent. Ait enim Theodoretus talia eis euenire ſolere, qui in mœrore, & luctu, aut in graui aliqua perturbatione ſunt. *Quibus lux non videtur eſſe lux, nec dies videtur eſſe dies, nec dulcia habere dulcedinem, ſed omnia mutantur eis in contrarium. Adeò enim doloris anxietas oculos obnubilat, vt ſerenum cælum tenebris offuſum videatur, ſtabiles montes, colléſque moueri.*

Qui ægro eſt animo omnia putat amara, & triſtia.

7. [d] *Complicabuntur ſicut liber cæli*]Sicut cælorum creatio per pellem, ſeu tabernaculum extenſum ſignificatur: ſic eius obſcuratio, quæ moralis quædam diſſolutio eſt, per pellem, & volumen complicatum. De creatione eſt illud *Pſalm.* 103. *Extendit cælum ſicut pellem*: De obſcuritate ſunt loca nuper adducta. De forma libri, qua olim vtebantur Hebræi, egimus ad illud Zachariæ *cap.* 5. *Ecce volumen volans.* Eſt autem liber non qualis apud nos hodie ex multis paginis conglutinatis, aut aſſutis componitur, ſed qui ex vna pagina longa, atque perpetua conſtat; quæ quia circum lignum, quaſi circa axem inſtar telæ conuoluitur, ideo *volumen* appellatur. Si de extremo iudicio hæc intelligas, optimè hæc explicat Adamus, & Pereira *in cap.* 6. *Apoca. num.* 148. Neque difficilis eſt explicatio in ea ſententia, quam priùs amplexi ſumus, de ſupplicio, excidióque populorum, qui vitam ſuam ad Aſſyriorum mores attemperauerint. S. Thom. & Lyra complicandum eſſe cœlum putant, quia Ethnici non iam amplius in cœli ſideribus, tanquam in literis ibi deſcriptis legent, id eſt non cognoſcent arte aſtronomica futuros rerum euentus: contra quos multa dicuntur ab Iſaia infrà. Aut

Libri antiqui forma.

A erunt ipſis cœli quaſi complicati, quia non magis illis aſtrorum ordo, ac ſitus, euentus pro ſuo voto ſecundos, quos iam ſibi ipſi ſpe, atque animo conceperant, præſtabunt quaſi omnino non eſſent. Ego iuxta ſupradicta, nihil hîc aliud indicari puto, quam ſolem, & aſtra, quorum pulcherrima ſpecies exhilarare ſolet mœrentium animos, præ nimio mœrore occultatum iri, quo ſenſu nuper explicuimus; ita vt non aliter afficiant, aut oblectent intuentium oculos, quam literæ, aut picturæ in obſignato libro, quæ etſi penicillo notatæ ſint eleganti, clauſæ tamen perinde omnino ſunt, atque ſi ſcriptæ non fuiſſent.

[e] *Et omnis militia eorum defluet ſicut defluit fo-*

B *lium de vinea, & de ficu.*]Pro *militia*, Hebr. eſt צבא *tſeba*, quam vocem Vulgatus *Geneſ.* 2. vertit *ornatum.* Eſt autem aſtrorum ordo in cœlo ſimilis aciei, quam ex diſciplina militari imperator inſtruxit. Nam vt illa pulchra eſt, & in ipſo inceſſu apprimè elegans, ſic aſtra numeroſè diſpoſita, & tota ſpecie admodum illuſtria aciem quandam informant: Qualem intuebatur Balaam *Num.* 24. cùm dixit, *Quam pulchra tabernacula tua Iacob.* Adducit verò ſimilitudinem vineæ, & ficus, quia duæ iſtæ plantæ familiares erant terræ promiſſionis. Sicut etiam Ioannes *Apoc.* 6. à ficu ſimilitudinem produxit, & quod hîc de foliis Iſaias, Ioannes ibi de groſſis expreſſit.

C [f] *Quoniam inebriatus eſt in cælo gladius meus.*] 9.
Ebrietas in ſcriptura abundantiam deſignat, quare terra inebriata dicitur imbre, & furor ſanguine. Eadem phraſi ſignificatur hîc vindictę magnitudo, quam Dominus de inimicis populis aliquando capiet. Quòd Dei gladius in cœlo inebriatus dicatur, id eſt tinctus, aut ſtillans ſanguine, ab his, qui hæc de iudicio intelligunt, variæ afferuntur rationes: nobis explicata magis ratio eſt. Oſtendit enim Dominus iam in cœlo hoc ſibi eſſe decretum, rémque adeò fore certam, vt gladius iam inebriatus cruore exiſtimari poſſit. Vtitur autem præterito pro futuro, vel prophetico more propter certitudinem, vel quia non diu ſupplicium differendum eſt.

D Quidam ideo in cœlo inebriandum eſſe gladium exiſtimant, quia Deus in dæmones, qui in aëreo cœlo ſunt, furoris ſui gladium diſtringet. Ita Hieronymus. Sed fortaſſe aliter explicari poſſet de Dæmonibus exturbatis de cœlo ad noſtram ſententiam accommodatè eo nimirum ſenſu, quo Iob *cap.* 4. *In angelis ſuis reperit prauitatem, quantò magis hi qui habitant domos luteas.* Et Petrus *epiſt.* 2. *cap.* 2. *Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos*, &c. *magis autem eos qui poſt carnem in concupiſcentia immunditiæ ambulant.* Quid enim mirum, cùm gladius Dei inebriatus ſit in cœlo contra apoſtatas angelos, ſi idem inebrietur in terra aduerſus illos, qui ab eo receſſerunt. 10.

E [g] *Ecce ſuper Idumæam deſcendet.*] Quæ hactenus dicta ſunt, vniuerſaliter ſpectant ad omnes populos, quibus Dominus exitium minabatur propoſito Aſſyriorum exemplo, de quorum clade ſuprà multa prædixerat; ſed præcipuè agit cum Idumæis, quia hi contra Iudæos cum Babyloniis ſtudia, atque arma coniunxere: contra quos ob eandem cauſam ab aliis etiam prophetis graues minæ propoſitæ ſunt. A Dauid primùm *Pſal.* 136. *Memor eſto Domine filiorum Edom in die Ieruſalem: Qui dicunt Exinanite*, &c. Agebat autem de Ieruſalem à 11.

Babylo

Babylonis exciſa. Item ab Abdia, qui bonam prophetiæ partem contra Idumæos conſumpſit: & à Ieremia *cap.49.* ab Ezechiele *cap.25.* Accedit quod cùm de prouinciis aliis fuſiùs egerit, & tantùm de Idumæa breuiſſimè *c.* 21. quam ibi Dumá appellat, hic pluribus agit de Idumæa, ne prouincia Iudaico nomini ab incunabilis, imò ab vtero maximè infeſa, aut prætermiſſa, aut leuiter perſtricta videatur.

12\. [h] *Gladius Domini repletus eſt ſanguine, incraſſatus eſt adipe de ſanguine agnorum, & hircorum, & de ſanguine medullatorum,* &c.] Egregia deſcriptio horribilis ſtragis, in qua nulli hominum ætati, aut ordini ab hoſte parcitum eſt. Status verò hominum ſatis accõmodatè ſignificatur per agnos, hircos, & arietes medullatos. Vt autem in victimis immolantium cultri pleni ſunt ſanguine, & aruina pingui, non aliter diuinus gladius in populum domitum, & infirmum bacchabitur, & ſtillabit ſanguine, & incraſſabitur adipe pinguiſſimi gregis.

13\. [i] *Victima enim Domini in Boſra, & interfectio magna in terra Edom.*] Mihi dubium non eſt eandem ſententiam per epexegeſim explicari in vtroque hemiſtichio, quod cum epitaſi fieri certum eſt. *Boſra* ciuitas eſt nobilis in Idumæa, à qua tota prouincia nomen accepit, quæ vt putat Hieronymus à murorum firmitate ſic appellata eſt. Id enim ſignificat בצר *batſar.* Sed meo iudicio deduci etiã poſſet à vinearum vbertate, ſiue à vindemia iuxta eiuſdem radicis proprietatem, ad quam videtur Iſaias reſpexiſſe *cap* 63. *Quis eſt iſte qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra?* Et ſtatim, *Torcular calcaui ſolus.* Item Abdias, & Ieremias *cap.* 49. cùm de Edom agunt, à vindemiatoribus comparationem ſumunt, à re nimirum valde Idumæis familiari & celebri. Eſt autem vſitatum vt, quibus communis eſt proprietas nominis, etiam communitate conueniant. Quare apud Hiſpanos ciuitates quædam iuxta Hebraici ſiue Punici nominis originem *Medina* vocantur; aliæ *Alcaçar*, aliæ *Alcala*, quæ vox *turrim* Punicè ſonat; aliæ *Nauas*, quæ *magalia* ſunt, & *caulæ paſtorum.* Quod etiam apud Latinos, & Græcos frequentiſſimum eſt; neque apud Hebræos deſunt exempla. Apud quos ciuitates plurimæ, aut loca ſunt, quibus communis proprietas commune etiam nomen attribuit, vt Carmelus, Bethlehem, Gabaa, Salem, Petra deſerti, & complures aliæ. Cùm ergo *Boſra* aliquid ſonet, munitum, aut fœlix à vindemia, quæ cum aliis ciuitatibus communia ſunt, nil mirum ſi ciuitates etiam aliæ appellentur *Boſra.* Fuit ergo eius nominis ciuitas in regione Moab *Ierem.* 48. fuit autem alia in tribu Manaſſe *Ioſue* 21. fuit etiam in Idumæa, vt planum fit ex multis locis, in quibus aut cum Edom per epexegeſim ponitur Boſra, vt hoc loco, & *Iſaiæ* 63. & *Pſalm.* 107. *Quis deducet me ad ciuitatem munitam: quis deducet me vſque in Idumæam? Ciuitas munita* idem eſt quod *Boſra*: Ponitur enim in ſcriptura ſacra nominis notatio, & vis, pro ipſo nomine, quomodo *pax* ponitur pro Ieruſalem, *Pſalm.* 75. *Et factus eſt in pace locus eius.* Et *Cant.*8. *Ea quæ habet populos*, pro Baalhamon. Quare idem eſt ac ſi diceretur, *Quis deducet me ad Boſram, Quis deducet me vſque in Idumæam?* Et ſanè Boſra inter ciuitates Idumææ numeratur, vt *Ieremiæ* 49. & *Amos cap.* 5. Hæc ideo pluribus explicui, quia cùm Hieronymus neget Boſram eſſe extra Regionem Moab, alias huius loci expoſitiones figuratas inducit.

Communis proprietas cõmune nomen ciuitatibus dedit.

Boſra multiplex.

Pſalm. 107.

Porrò hic accommodatè ad ſuperiora *victima* pro cæde ponitur: quod alibi in ſcriptura ſacra ſæpe. Egerat enim de populis ad cædem deſtinatis ſub metaphora agnorum, hircorum, & arietum; qui ad aram frequenter mactari ſolent.

[k] *Et deſcendent vnicornes: & tauri cum potentibus.*] Non ſolùm agni & arietes, id eſt, imbellis Idumæorum turba cadet, ſed etiam qui in ipſis potentiores ſunt & magis ad reſiſtendum parati. Vbi obſerua *taurorum*, atque *vnicornium* nomine ſignificari robuſtos, ac potentes viribus; Eos verò, qui hoc loco dicuntur *potentes*, eſſe diuites, & inter alios dignitate, atque auctoritate principes. Quo genere loquendi nullus intelligitur immunis à communi plaga. Cadent enim cum humili, atque imbelli plebe robuſtiſſimi, & cum magnificis, & lautis, qui in deliciis enutriti ſunt, tauri quoque, qui & fortes ſunt, & aſſueti labori. Hiſtorici de vnicornibus multa dicunt, dubitantque an iidem ſint, qui *Rhinocerotes*, quæ lõga quæſtio eſt neque noſtro inſtituto admodum importuna. Plinius *lib.* 8. *cap.* 20. & 21. rhinocerota diſtinctum facit à monocerote, ſiue vnicorni. Quidquid verò ſit de hac ſiue diſtinctione, ſiue confuſione nominis, ſeu naturæ, id certum eſt in ſcriptura eundem omnino eſſe, qui modò rhinoceros, modò monoceros, ſeu vnicornis appellatur, nam vbique dicitur ראם *reem.* An verò duo cornua rhinoceros habeat, vel vnum tantùm è naſo pullulans, iuxta ſui nominis rationem, diſputari etiam ſolet. Cui diſputationi occaſionem dedit Martialis in Amphitheatro, *epig.* 22. Vbi duo videtur affigere cornua rhinoceroti. 14.

Vnicornis quis, & an idem qui Rhinoceros.

Namque grauem gemino cornu ſic expulit vrſum,
Iactat vt impoſitas taurus ad aſtra pilas.

Sed meo iudicio etiamſi auctor is eſſet, à quo magnum aliquod pondus accederet, nihil tamen ex his verbis magnum colligitur in eam ſententiam. Nam illud *gemino cornu* in tertio caſu eſt potiùs, quam in ſexto, hoc ſenſu: Vrſus qui gemino taurorum cornui grauis eſt, ſic fuit leuis vni rhinocerotis cornui, vt non aliter ſurſum iactaretur, quàm pila, id eſt, homo fœneus à tauro in aëre ventilari ſolet. Quòd autem rhinoceros vnum habeat cornu, docet Plinius ſuprà *cap.* 20. & nos ipſi vidimus in Hiſpania eum vno cornu, qui vulgi vocabulo à Gentibus, vnde aduectus fuerat impoſito, *Bada* dicebatur. Cæterùm in ſcriptura rhinoceros, & taurus in fortiſſimarum rerum comparationem adducuntur; Rhinoceros quidem *Num. cap.* 23. *Deut.* 32. *Iob* 29. taurus autem *Pſalm.* 21.

15\. [l] *Annus retributionis iudicij Sion.*] Voces iſtæ *iudicium*, & *iudico* ambiguæ ſunt, quæ modò fauorem, & abſolutionem, modò odium, & condemnationem deſignant: ſicut *vlciſcor*, *viſito*, & complura alia. Quare dubium eſt, an, quod hic dicitur iudicium Sion, ſit contra Ieruſalem, aut certè in eius fauorem contra Idumæos, aut alias gentes, à quibus vexata & oppugnata fuit. Communior interpretum ſententia eſt iudicium hoc eſſe cõtra Sion, à qua Deus dicitur aliquádo pœnas ſumpturus eſſe graues per Romanos. Ita putat Hieron. Cyrillus, S. Thom. Dionyſius, Hugo, Adamus, Foreirus. Alij ſupplicium hoc pertinere potiùs exiſtimant ad Idumæos, & Iudaici nominis inimicos, in quibus ſunt Vatablus, Lyra, Montanus, Oſorius, Chaldæus; Emanuel Sa dubius eſt, ſicut etiam Hugo. Foreirus ideo non probat hanc ſententiam, quia verbum ריב *rub* quod *iudicare*, ſeu *diſceptare* valet, poſt ſe lamed non habet, probaturus vtique, vt ipſe indicat, ſi habuiſſet: *quoniam lamed*, inquit, *fauorem oſtendit.* Quòd ſi conſtet fauorem ab hoc

verbo ſignificari ſine lamed, ſine dubio nobiſcum etiam ſentiet Foreirus. At id vſque adeò frequens eſt in ſcriptura, vt mirer tantum virum in eam cogitationem veniſſe. Nam, vt omittam alios, in hoc propheta ſæpe ſine lamed רוב *rub in fauorem alicuius iudicare*, ſeu *certare* ſignificat. *cap.* 1. *verſ.* 17. vbi Vulgatus *defendite viduam*. Et *cap.* 51. *verſ.* 22. vbi, *Deus tuus, qui pugnabit pro populo ſuo*, רוב *rub* eſt ſine lamed. Et quidem Hebręorum magiſtri ſuæ linguæ non imperiti, in fauorem Sion interpretantur hoc iudicium. Accedit quòd hoc loco non videtur eſſe verbum רוב *rub* quod putabat Foreirus, ſed nomen ריב *reb* quod *iudicium* ſignificat, vt conuertit vulgatus, & communiter recentiores cum Rabbinis. Quod nomen præpoſitum habet lamed, quod nonnihil fauet huic coniecturæ.

16. Poſterior hæc ſententia mihi magis probatur, quia hæc ſatis cum rerum euentu congruunt, vt conſtat ex aliis prophetiis de Idumæa, quæ verbis non admodum diuerſis inſtituuntur. Nam de igne quo prouincia illa cõflagratura dicitur, dixit Amos *cap.* 1. & Abdias *verſ.* 18. & pro *anno retributionis*, dixit idem *verſ.* 15. *diem retributionis*, aut verba idem ſignificantia. Quod hîc Iſaias *à generatione in generationem deſolabitur*, Ieremias eodem ſenſu cùm ageret de Idumæa *cap.* 49. *In ſolitudinem, & in opprobrium, & in deſertum & in maledictionem erit Boſra, & omnes ciuitates eius erunt in ſolitudines ſempiternas.* Vbi notandum in opprobrium & maledictionem datum iri dici à Ieremia, ita vt vulgò prouerbiali ſpecie dicatur, *contingat tibi quod Idumaæ*. At prouerbia eiuſmodi à magnis, & raris euentibus ſumi ſolent; qualis eſt ſtrages illa, quæ nunc ab Iſaia deſcribitur. Deinde, vt aliquid aduerſum denuntietur contra Ieruſalem, quod de Romanorũ, non de Aſſyriorum, aut Chaldæorum obſidione plerique intelligunt, non videtur ſatis opportunum: cùm inſtaret iam tempus Senacherib, & alia grauior ruina impenderet à Chaldæis, de quibus potiùs agendum videbatur. Neque illa ratio admodũ vrget, quæ illos videtur in eam ſententiam induxiſſe, quòd in æternum duratura ſit ſtrages illa, qualis non fuit ea, quam intulere Chaldæi, cùm iterum reædificata, & habitata fuerit Ieruſalem: nam *æternum* ex vſu ſcripturæ non ſemper dicitur, quod finem habiturum non eſt, ſed quod diu duraturum, vt paulò antè diximus ad illud *cap.* 32. *Super ſpeluncas vſque in æternum*. Iam ergo ad ſtragem Idumæorum veniamus.

17. m *Annus retributionum iudicij Sion.*] Annus hîc pro tempore ſumitur. Ac ſi dicat, aderit tempus cùm Idumæi luant, quod Sioni priùs moliti ſunt mali, id eſt, erit rerum viciſſitudo, quæ à priori fortuna deiiciet Idumæos. Hiſpanus *venir le ha ſudia*. Pro *iudicij*, Hebr. eſt לריב *larib* in datiuo, ex quo aliquid coniecturæ eſt vt intelligamus benignum eſſe vaticinium, potiùs quàm aduerſum Sioni.

18. n *Et conuertentur torrentes eius in picem, & humus eius in ſulphur: & erit terra eius in picem ardentem.*] Foreirus hæc refert ad Sion, quia non inuenit vocem aliam cui conuenire poſſit illud *eius* quod generis fœminini eſt. Sed miror hæc cogitaſſe Foreirum, cùm præceſſerint Boſra, & terra Edom, quæ apud Hebræos fœminina ſunt. Per *ignem* ſummum in homine cruciatum, & in aliis rebus ſummam vaſtitatem exprimimus: quia ille & cruciare duriùs, & corrumpere alia, atque diſſoluere ſolet vehementiùs. Quare cùm de Idumæorum ſtrage vaticinatur, eos illi comparat materiæ, quæ & citiùs

Strages Idumææ.

A concipit flammam, & diutiùs conſeruat: pici nimirum, & ſulphuri. Sicut Abdias eoſdem ſtipulæ ſimiles eſſe dicit, quæ ad ignem comparata, nullam habet reſiſtendi vim. Deſcriptio grauis eſt, & hyperbolica, neque intellectu difficilis. Videtur verò velle ſignificari propheta talem futuram Idumæã, qualia in regionibus aliis loca quædam ſunt, quæ Vulcania dicuntur: quæ in ſe cohibent, alúntque incendij materiam, bitumen nimirum incendiarium & ſulphur, qualis eſt Væſuuius, aut Auernus in Italia, Ætna in Sicilia, & vltra Oceanum in orbe nuper aperto non pauca, quæ perpetuò flammas eructant, aut fumum. Et eſt, vt reor, alluſum ad regionem vicinam Idumææ nempe Sodomam, quæ B tale ſupplicium experta eſt, quale nunc ab Iſaia deſcribitur: & ad ipſam regionem, quæ bitumine abundat, à quo lacus Idumææ vicinus, vbi ſita olim Sodoma, Aſphaltites vocatur. Quod bitumen, niſi memoria fallit, ignem concipere audiui, ſicut naphta ſolet, aut oleum medicum. Vbi verò *torrentium* meminit, alluſiſſe videtur ad regionis naturam, quæ aquis abundat, & magna ex parte irrigua eſt.

Pro re morali obſerua quę hominibus in deliciis ſunt, eiſdem poſtea dolori, atque ſupplicio futura. Torrentes Idumæis frugum abundantia, & vini, lætitiam atque intemperantiam præbuerunt, ſed iidem poſtea in picem conuerſi, & ſulphur, exha- C labunt odorem teterrum, & æterni ignis alimenta præbebunt. 19.

Quæ hîc fuere voluptas, erunt deinde peccatori tormento.

o *Non extinguetur in ſempiternum.*] Si alluſio eſt ad Vulcanias fauces, aut ignis vomitoria, quæ, quia ſulphur habent, aut alia ignis nutrimenta, perpetuò vomunt, aut ignem, aut fumum, non eſt explicatio difficilis: ſubauditur enim Hebræorum more nota ſimilitudinis, hoc ſenſu. Erit Idumæa ſicut regiones illæ, quæ, quia ſulphure abundant, ſeu alia incendiaria materia, perpetuò ardent, aut fumant. Sed credo illud *in ſempiternum*, nihil aliud ſibi velle quàm regionem illam futuram eſſe deſertam, & vaſtatam quàm diutiſſimè. Quod enim in æternum non fuerit, neque illa, neque Sion, de qua hunc locum plerique accipiunt, certum eſt. Porrò D æternum in ſcriptura dici quod diuturnum eſt, iam antea probauimus: & in hoc capite iterum docet Iſaias *verſ.* 17. 20.

p *Poſſidebunt eam Onocrotalus.*] Vſitatum eſt non ſolùm apud ſacros, ſed etiam apud prophanos ſcriptores, vt in vaſtitate maxima ciuitatis domibus ferarum luſtra, & hominibus feræ, eædémque maximè truces atque infauſtæ ſuccedant. De profanis Horatius *lib.* 3. *carm. Ode* 3. 21.

Priami, Paridiſque buſto
Inſultent armenta; & catulos feræ
Celent inultæ.

Et de Plocenſibus idem *in Epodo ode* 16.

E *Habitandáque fana*
Apris relinquat, & edacibus lupis.

De ſacris exempla plura ſunt. Ieremias *Thren.* 5. vulpes fuiſſe plorat in euerſæ Hieroſolymæ ruinis. Idem de Babylonia docet Iſaias ſuprà *cap.* 13. Vide quæ ibi diximus. Idem Ioannes *Apoc.* 18. & Sophonias *cap.* 2. & de Ieruſalem Iſaias *cap.* 7. Quænam ſint hæ feræ ſiue volucres, non conſtat inter autores, neque enim omnes, aut etiam iidem ſemper eodem modo transferunt. Vide quæ ſuprà diximus *cap.* 13.

q *Et extendetur ſuper illam menſura, vt redigatur ad nihilum, & perpendiculum in deſolationem.*] Communiter 22.

muniter interpretes dicunt fabros, & cæmentarios A vti funiculis, & aliis fabrilibus menſuris, ac regulis non in conſtruendo ſolùm, ſed etiam in demoliendo, quia neque omnia deſtrui ſolent, neque eodem modo. Quare funiculis vtuntur artifices, vt explorent, quid rectum, firmum, aut ex arte ſit; vt illud relinquant: Quid verò ad ruinam pronum, aut contra tectonicam diſciplinam, vt illud demoliantur. Quod ſanè veriſimile eſt *ex cap. 1. Thren.*
Thren. 1. *Cogitauit Dominus diſſipare murum filiæ Sion; tetendit funiculum ſuum.* Vbi id docent interpretes fere omnes. Et *4. Reg. cap. 21. Extendam ſuper Ieruſalem*
4. Reg. 21. *funiculum Samariæ, & pondus* (id eſt, perpendiculum) *domus Achab*, id eſt, ſicut euerti Samariam, ſic etiam euertam Ieruſalem. Hæc mihi valde probatur explicatio; Sed fortaſſe ſenſus erit non alienus B ab inſtituto ſi metaphoricè regulam, menſuram, & perpendiculum, pro accurato examine, & recto iudicio ſumas. Quæ metaphora neque dura eſt, neque inuſitata. Latini cùm aliquid attentè, atque perfectè factum eſſe ſignificant, hoc fere modo explicant; *ad amuſſim, ad regulam, ad lineam, ad perpendiculum, ad vnguem*; quia his inſtrumentis explorari ſolet, quid curuum ſit, quid emineat, quid hiet, quid minùs politum, aut æquatum ſit. Iuxta hunc loquendi modum credo indagari poſſe huius loci ſententiam, hanc verò eſſe puto. Deum expenſurum eſſe, aut examinaturum, ad amuſſim, & regulam, id eſt, attento, & magno iudicio Idumæorum merita, non ad compenſanda præmiis, quia non tam præmij ſunt, quàm ſupplicij digna: ſed ad pœ- C nis mulctanda. Id enim eſt *ad deſolationem*, id eſt, vt funditus deleatur: ita vt antiquæ molis nullum ſuperſit veſtigium. Pro *deſolatione* Hebr. eſt תהו בהו *tohu bohu*, quibus verbis Moyſes vtitur *Geneſ. 1.* ad explicandum, qualis ſtatus fuerit terræ in principio mundi; pro quibus vulgatus reddidit, *inanis, & vacua*. Significatur ergo expenſis attentè, & accuratè meritis Idumæorum recto Dei iudicio ſic illorum regionem eſſe vaſtandam, vt in ea ſpectare liceat illam terræ ſpeciem, quæ in principio fuit, quando omnia obſcura, deſerta, & ſine vlla hominum habitatione fuerunt.

23. ꝭ *Nobiles eius non erunt ibi: Regem potiùs inuocabunt.*] In magna etiam calamitate, pauper, & ignobilis multitudo grauiùs affligatur, potentes enim D ſæpe communem cladem effugiunt, quia plura ſibi compararunt vitæ, libertatiſque ſubſidia. Sed aliter accidet in Idumæorum ruina: nam nobiles idem etiam experientur infortunium: neque Rex erit vllus ex tot Regum numero, qui in illa regione dominabantur, qui cum poteſtate ſit. Quare illius cladis reliquiæ regem ſibi optabunt, vltróque infelicis prouinciæ gubernaculum offerent, quod ille reiiciet rei ipſius difficultate informíque rerum conditione deterritus. Simile aliquid accidit in Ieruſalem cùm paſſa fuit ſupplicium non diſſimile, vt habes *Iſaiæ cap. 3.* Ait enim is, qui à tumultuante populo ad regnum vocatur, *Nolite me conſtituere principem populi.* Hanc eſſe puto huius loci ſen- E tentiam conſentaneè ad ea, quæ nobis probabilia viſa ſunt de Idumæorum clade. Qui contra Ieruſalem vaticinium eſſe putant, alia afferunt, quæ apud ſuos auctores inuenies.

24. ſ *Et orientur in domibus eius ſpinæ & vrticæ*, &c.] Viſitatum eſt; ſicut nuper de feris diximus, & mox etiam dicetur eleganter, vt cùm euerſa ciuitas deſcribitur, loco nobilium ædificiorum herbæ dicantur natæ infelices, & horridæ, & agreſtes plan-

A tæ, quales horrere ſolent in ſylua, vt vidimus *cap. 7. & cap. 1. num. 28.* Vbi exemplis oſtendimus hoc genus ſermonis commune etiam eſſe ſcriptoribus profanis.

ꝛ *Et erit cubile draconum & paſcua ſtruthionum.*] 25.
Hæc nobis expoſita ſunt *cap. 13.* neque in explicando quæ ſint iſtæ feræ, ſiue volucres, ſiue quadrupedes, aut reptantes moror: quia res eſt omnino incerta, neque aliquid exploratum habent, aut conſtitutum interpretes alij, iam noſtri quàm Hebræorum magiſtri. Illud obſeruo, quod ter hîc ponitur *alter ad alterum*, priùs in *piloſis*, iterum in *miluis*, tertiò deinde in fine capitis, quod obſcurum eſt, & ab omnibus fere prætermiſſum, variè poſſe explicari. Et primum videri idem eſſe quod ſuprà *cap. 13.* B de piloſis dixit propheta, *Et piloſi ſaltabunt ibi.* Puto enim ſignificari genus illud ludi, quod laſciuientes hœduli inſtituunt, cùm militarem in modum ex diuerſis ſtationibus emiſſi aduerſis frontibus congrediuntur, & inſultant; quod etiam in aëre faciunt luſitantes volucres. Quaſi indicare propheta velit, vſque adeò fore regiones quondam opulentas, atque frequentes ab habitatoribus, & ædificiis deſerendas, atque nudandas, vt ibi feræ, quaſi in propriis domicilijs, & luſtris liberè & ſine metu concurſent inter ſe, & inſultent mutuò. Ita Chaldæus, quod etiam indicat Septuaginta tranſlatio, qui quod vulgatus tranſtulit *Occurrent dæmonia, Onocentauris*, &c. ipſi reddidere *Occurrent dæmonia onocentauris.* Quod etiam habent quidam Latini codi- C ces. Quo genere loquendi vſus eſt Horatius citatus nuper *in Epodo ode 16. Ad Paridis, Priamique buſtum inſultent armenta.*

Hæc fortaſſe vera, neque mihi diſplicent, ſed 26.
audebo aliam etiam expoſitionem tentare, quod *Alter ad alterum, quid.*
in rebus obſcuris non modò licet, ſed etiam aliquando neceſſarium eſt. Et primùm obſeruo nomen Hebraicum רעוּתהּ *rehhutha*, pro quo noſter reddidit *ad alterum*, & eſt idem quod *ad proximum ſuum*, ſignificare apud Hebræos, præſertim ſi accedat dictio *vir*, aut alia ſimilis, multitudinem indefinitam, ſeu diſtributam. In quem vſum frequens *Vir, multitudinem ſignificat.*
eſt in Scriptura, & familiaris locutio, *dixit vir proximo ſuo*, id eſt, alij aliis, ſinguli ſingulis, aut alter alteri dixerunt. Ex his ſatis apparet quid ſit priori D loco, *alter ad alterum. Clamabit piloſus alter ad alterum*, id eſt, piloſi ſibi viciſſim alij aliis obſtrepent, & adhinnient.

Deinde pro explicatione aliorum locorum in 27.
quibus etiam *alter ad alterum* reperitur, licèt non eadem phraſi Hebraica, obſeruo iterum vocem Hebraicam איש *is*, ſiue אישה *iſah*, diſtributionem etiam ſignificare frequenter, & indefinitam multitudinem velut, *quidam* ſeu *quicumque*. Quæ duæ voces in vtroque genere iam fœmineo quam maſculino, quæ virum & mulieré plerumque valent, non ſolùm naturæ humanæ tribuuntur, ſed etiam irrationali, ac feræ. Vt *Geneſ. 7. verſ. 2. Ex omnibus animantibus mundis tolles ſeptena, & ſeptena, maſculum, & fœminam.* Hebr. איש *is*, & אישה *iſah*, quæ E nomina accommodantur locuſtis *cap. 2. verſ. 8 Ioel.* & victimis *Geneſ. 15. verſ. 10.* Quod etiam apud Latinos & Græcos frequens. Nam Theocriti Idyl. 8. *hircus* dicitur *αἰγῶν ἀνὴρ*, id eſt, *vir caprarum*, quod expreſſit Virg. Eclog. 7.

Vir gregis ipſe caper.

Iuxta hæc priorem locum, *ibi congregati ſunt milui alter ad alterum*, vbi duæ voces fœmininæ reperiuntur, de quibus ſuprà אישה רעותה *iſah rehhutha*,

 id eſt.

id eſt *fœmina ad proximam*) ſic accipio; vt multitudo ſignificetur volucrum funeſtarum, ſeu ferarum, quæ gregatim incedunt, ibique incubant, & enituntur catulos, aut excludunt pullos: nam de nutricatione, & fœtura videtur eſſe ſermo, vt ex proximè antecedentibus fit veriſimile. *Ibi habuit foueam ericius, & enutriuit catulos*, &c.

28. Niſi fortè exiſtimes, quod mihi non improbatur, illud *alter ad alterum*, non pertinere ad miluos, ſed ad omnia animalia, de quibus antea. Ita vt illa dicantur gregatim vagatura in Idumæorum finibus, & ruinis, futuraque varia, atque horribilia ferarum monſtra, quæ ſibi ipſis paſſim occurrant: quod in denſis, imperuiiſque ſyluis frequens eſt. Quæ ſic clamabunt inter ſe inconditò, atque horrifico ſono, vt locus ille totus dirarum volucrum clangore, ſerpentum ſibilis, & immanium belluarum rugitu, & vlulatu perſonet. Tunc autem quærendum non erit cur fœmineum genus adhibuerit propheta, cùm apud Hebræos fœmineum genus vicem ſubeat neutrius. Solent autem Latini genus adhibere neutrum, quando plura diuerſorum nomina præceſſerunt. Quod nunc per genus fœmineum Hebræorum more præſtat propheta. Erit itaque ſenſus. Quælibet horum animalium cum ſui generis ſocijs gregatim errabunt in illa ſolitudine non iam vnum aut alterum ſeorſum, ac pauidè quaſi in alieno, ſed gregatim, & liberè quaſi in ſuo domicilio. De tertio loco ad finem capitis dicemus. De ſenſu morali huius loci agit Gregorius latè, atque eleganter *lib. 7. Moral. cap. 12.* quem omnino lege.

29. [u] *Requirite diligenter in libro Domini, & legite; vnum ex his non defuit.*] Hic liber, fortaſſe eſt Iſaiæ præſens prophetia, cuius propheta meminiſſe iubet auditores ſuos, aut poſteros vt euentus cum eorum prædictione componant: Tunc autem liquidò cognituros ad vnum omnia fuiſſe completa. Rationémque eam eſſe putat, quia hæc verba ſua non ſunt, ſed oracula à Dei ore ſonantia. Ita S. Thom. Hugo, Lyra, Emanuel Sa, & alij nonnulli, quod mihi valde probatur. Appellat autem prophetiam *librum Domini*, quia Domino dictante ſcriptus eſt, vt ipſe ſtatim magis explicatè docet. Sicut liber à Platone dictatus, non notarij, ſeu ſcriptoris, cuius exceptus eſt manu, ſed Platonis eſſe dicitur, qui alteri cogitationes excipiendas dictauit. Ex quo colligo ſcribi ſolere, ac ſeruari in publico loco prophetarum oracula, quæ alij nonnunquam legant, & ab eis diſcant quid futurum ſit, aut quid facere, quid ſperare ac timere debeant. Quam ob cauſam prophetiæ ſæpe iubentur obſignari, & exarari in tabulis, buxo, &c. vt pluribus oſtendimus *ad cap. 30.*

Prophetiæ in loco publico ſeruatæ.

30. ad illud *Scribe ei ſuper buxum.*

Alij non de prophetia Iſaiæ hæc intelligenda cenſent, ſed de alio quodam libro, qui priùs ſcriptus eſt, in quo ſimiles inueniuntur minæ, aut contra Ieruſalem, Iſraeliticamque plebẽ, cùm peccauerint, ſi ſermo hic ſit de Ieruſalem, vt multi volunt; aut contra Idumæos, vt magis nobis videbatur veriſimile. Ita Adamus & Foreirus, Nam ante hoc Iſaiæ vaticinium minaces aliæ prophetiæ ſcriptæ fuerant contra Idumæos, primùm *Num. 24. verſ. 18.* Vbi à Balaam grauis cædes, & ruina illi regioni denuntiata eſt. *Conſurget virga de Iſrael, & erit Idumæa poſſeſſio eius: hæreditas Seir cedet inimicis ſuis; Iſrael verò fortiter aget. De Iacob erit qui dominetur, & perdat reliquias ciuitatis.* Deinde Dauid *Pſal. 136.* Ad extremum Amos *cap. 1.* Nam hic ante hoc

A Ezechiæ tempus prophetauit, nempe ſub Ozia, neque eſt omnino contemnenda ſententia. Placet tamen ſuperior, quia multa complectitur, quæ in ſuperioribus vaticiniis non inueniuntur. Quare ex illis non colligerentur ſingula, quæ pati iubentur Idumæi ex libro Domini à Iudæis conſulendo.

[x] *Vnum ex eis non defuit.*] Dubium eſt an illud *ex eis* referendum ſit ad fera illa, & inauſpicata monſtra, quæ ciuium loco Idumæam poſſeſſura dicuntur, aut certè ad incommoda omnia, quæ toto hoc capite Idumæis propoſita ſunt. De animalibus pleriqque accipiunt, quorum ex eo genere atque ordine nullum aberit, neque id mirum cùm ſpiritus Domini illa congregaturus ſit, & in regionem il- 31.
B lam infelicem miſſurus. Et hoc mihi videtur probabilius; quia id non obſcurè indicant quæ mox ſequuntur, nempe, *Et ipſe miſit eis ſortem, & manus eius diuiſit ea illis in menſuram.* Quæ in fera illa monſtra bellè, in alia autẽ incommoda nullo modo conuenire poſſunt. Si de incommodis accipias, hæc non ad ea, quæ proximè anteceſſere tantùm, ſed ad alia omnia, quæ toto tractantur capite, conferenda ſunt. Quorum nullum non vexabit prouinciam illam tot infortuniis deſtinatam, quia manu ſua illa congregabit Dominus, armabítque ad illius regionis extremam vaſtitatem.

[y] *Alter alterum non quæſiuit.*] Hic etiam obſcu- 32.
C rum eſt, quò ſpectet illud *alter alterum.* Nam referri poteſt ad Idumæos ciues, ſiue ad vicinos populos, aut certè ad feras, quæ habitabunt, aut ad incommoda quæ afficient, prement que prouinciam. Si priori modo accipias incommoda illa vſque adeò fore, aut ciuibus, aut populis nota, quia grauia atque horribilia, vt neceſſe non ſit, vt alter ab altero quærat, quid durum aut inauſpicatum acciderit, aut numquid hæ minæ contra Idumæorum improbitatem vibratæ impletæ fuerint. Nam ad omnes fama perueniet adeò illuſtris, vt nemo, aut ignorare, aut dubitare poſſit. Quia verò in textu Hebraico duæ illæ voces in genere ſunt fœmineo, ita vt ad verbum legendum ſit *altera alteram*; videntur hæc de fœminis intelligenda potiùs,
D quàm de viris; neque id ſine cauſa. Cùm enim fœminæ bellis intereſſe non ſoleant, aliorum ſermone noſſe ſolent, quæ geſta ſunt; & cùm curioſas habeant aures, audiendarúmque rerum auidas, nihil non ſciſcitantur. Hic tamen nihil interrogabunt, quia licèt in penitiſſimis domus ſuæ latebris abſtruſæ, & clamorem audient hoſtilem, & cadentium gemitum, quibúſque inimicorum ferrum, & violentia non parcet. Aut certè, quia ſtupore, & ſubito horrore ita torpebunt, vt vocis facultatem, ad interrogandum amittant.

Mihi tamen magis eſt probabile *alter alterum* 33.
referendum eſſe, aut ad ferarum, monſtra, quæ in Idumæorum ruinis habitabunt, aut ad infortunia
E ante prædicta, quod indicat non obſcurè prius hemiſtichium, cuius poſterius epexegeſis, & explicatio eſt; neque enim aliud videtur eſſe, *alter alterum non quæſiuit*, quàm quod proximè anteceſſerat: *vnum ex eis non defuit.* Quare obſeruo Hebraicam vocem אִישׁ *is* & אִשָּׁה *iſah*, pro qua noſter reddidit *alter*, non ſolùm animatis attribui, de quibus paulò antea, ſed etiam inanimatis, inter quæ natura aut arte, aut aliquo etiam euentu ſocietas, aut communitas intercedit. Quo nomine vocantur cortinæ, quæ ſibi in templo mutuò reſpondebant, aut copulabantur *Exod. 26. verſ. 3. Quinque cortinæ erunt coniunctæ altera ad alteram.* Hebr. אִשָּׁה *iſah*, Iſaias *cap. 40.*

אִשָּׁה & אִישׁ rebus etiam inanimatis tribuuntur.

cap.40. verſ.2. cùm de ſtellis ageret, ait Hebr. *Vir non defuit eis,* quo loco Vulgatus, *neque vllum reliquum fuit.* & Iob *cap.41. verſ.9.* hoc nomen ſquammis accommodat. His ita conſtitutis, ſi אִשָּׁה *iſah,* & רְעוּתָהּ *rehhutha,* quod *alter alterum* & Heb. *altera alteram,* ſeu, *qualibet proximam* aut *ſociam ſuam,* in fœmineo geoere ſignificat, ad feras referantur, ſic interpretor hunc locum, nullam ex ſupra commemoratis belluis io illius prouinciæ buſto defuturam, ita vt, ſi aliqua bellu[a]rum ibi ſit, ſociam nimirum io boc vaticinio, In quo prædictæ belluæ coniunguntur, oon requirat, id eſt, abeſſe ſentiat. Sin ad omnia mala, quæ minatus eſt propheta, omnia ad vnum inuaſura Idumæorum fines, & apud illos diu commoratura: adeò vt oulla calamitas ex his quæ ab Iſaia prædictæ ſunt, ſociam ſibi requirat. B Quòd verò genere vſus ſit fœmineo propbeta, ea ratio eſt, quia cùm genere oeutro careat Hebraicum idioma, eius loco fœmininum vſurpat. Eſt ergo idem אִשָּׁה *iſah,* quod *quodlibet malum.*

34. [a] *Spiritus eius ipſe congregauit ea.*] Non caſu ac temere aut illi ferarum infenſi greges, aut illa tot incommodorum acies occupabunt illam Idomæorum regiooem, ſed magno Dei conſilio, qui propter illorum ſcelera deletis, aut expulſis habitatoribus, dabit illam io ſortem & poſſeſſionem ferarum, aut malorum, quæ ibi radices agant altas atque diuturoas.

35. [aa] *Et ipſe miſit eis ſortem; & manus eius diuiſit eam illis in menſuram.*] Hoc dicendi genere ſignificare videtur propheta diuturnam fore, ac propriam feris, & infortuniis illius regionis poſſeſſionem. Nam quemadmodum ſi alicui genti futura ſit perpetua, ac propria habitatio, ſorte diſtribuuntur agri, & certa menſura, ac funiculo ſolum, vbi conſtituendæ domus ſunt, io ciuium capita diuiditur, quod in colonis deducendis fieri de more ſolitum. Quod vt alios omittam docuit Hebræorum populus, qui cùm in deſerto, vbi tot annis inueterauit, nullum aut pro tribubus, aut pro familiis habuerit definitum locum, quia ibi non tam manſio, quàm via, & tranſcurſus exiſtimabatur; Vbi tamen ad promiſſam ſibi terram ventom eſt, ſorte illam in tribus partitus eſt ſingulas, & adhibita menſura latam illam regiooem definiuit. Quod etiam *cap.5.* indicauit Zacharias, cùm impietati, quæ erat in amphora, ædificandam dicit eſſe domum in terra Sanahar, vt ibi non tanquam in hoſpitio ad breue tempus, ſed tanquam in propria ſede ad longa tempora commoretur: Sic igitur hîc domus ædificanda dicitur ad menſuram feris, ſiue incommodis, quæ Dominus inuehet in Idumæam, vt ibi per longum otium deſideant, ſicut in Babylonia impietati, id eſt, ſupplicio, quod propter impietatem ſubiere Babyloniis ædificari iubetur domus.

[bb] *Vſque in æternum poſſidebunt eam.*] Id eſt, in tempus longum. Quo modo vox Hebraica עוֹלָם 36.
hholam, aut Latina *æternum* non ſemper ſignificent, quod nullo definitũ eſt ſpatio, diximus *c.23.* ad illud *non adiicies vltrà.* & *c.24.* ad illud *fœdus ſempiternum*

Argumentum trigeſimi quinti capitis Iſaiæ.

QVIA *proximè in Idumæis Gentilium ſtatum infelicem, & durum non minùs grauiter, quàm dolenter expreſſerat: Nunc iterum in eiſdem Gentilium quoque feliciſſimam ſortem deſcribit, eo verborum ornatu, ea ſententiarum grauitate, ac pondere; vt nihil videatur excogitari poſſe ſublimius. Primùm nationem illam deſertam, & arentem, habituram eſſe affirmat, ſpeciem illam, quam habuerunt Montes pulchritudinis, atque vbertatis nomine commendati. Deinde ſpe futuræ libertatis languentes, & abiectos antea populos confirmari iubet. Tertiò Euangelici temporis ſtatum, cui ad felicitatem deſiderari nihil poteſt, ad finem vſque capitis mirificè depingit.*

CAPVT XXXV.

[a] 1 LÆTABITVR *deſerta, & inuia, & exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium.*

2 *Germinans germinabit, & exultabit lætabunda, & laudans.* [b] *Gloria Libani data eſt ei, decor Carmeli, & Saron. Ipſi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei noſtri.*

3 [c] *Con*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 DESERTAM audiſtis, & inuiam Idumæorum prouinciam, in qua etiam Gentilium fines ſignificantur. Audite nunc quanta in illis regionibus futura ſit ſtatus, fortunæque mutatio. Terra etenim deſerta, ac diu hominibus inacceſſa, hominum frequentia lætabitur, lætabitur inquam, ſterilis, & ſenticoſa ſolitudo, florebítque non aliter, ac lilium ſolet.

2 Germinabit enim multiplici, atque abundanti germine illa tanta támque diuturna ſolitudo; Exultabit, & ſe in gratiarum actionem totam impendet, quia datam ſibi à Domino cognoſcet eximiam Libani pulchritudinem; ſpeciem Saronis, atque Carmeli: & quia Domini

gloriam,

glóriam, & Dei noſtri decorem in ſuis quoque finibus intuebitur.

3 Propter hoc ô Gentes olim ad egregium opus imbelles, & languidæ, & ad arduam virtutis ſemitam pauidæ, atque infirmæ; confortate ad agendum ſtrenuè manus diſſolutas, & debiles; & vacillantia, & laſſa genua ad alacrem, & expeditum inceſſum confirmate.

4 Si quis in vobis animo fuerit puſillo, & fracto, illum ad bene ſperandum his verbis excitate. Macti eſtote animo: procul abſit deſperatio, ac metus. Ecce enim Dominus largus, at fidelis munerator; laborum manuum in operibus iuſtis, & rectos greſſus per ſemitam iuſtitiæ compenſabit. Ipſe pro antiqua ſolitudine, atque vt ita loquar, orbitate præſens vos, & propiùs intuebitur; ipſe pro aduerſis proſpera retribuet; ipſe denique veniet, & ſalutem afferet veſtris votis, atque opinione maiorem.

5 Tunc illorum oculis, qui agebant in tenebris, neque cœli lucem aſpiciebant, ſplendor orietur iucundus, & clarus, & aures ad cœleſtes, atque humanos ſonitus obſtructæ, tam ad humanos, quàm ad cœleſtes ſonos aperientur.

6 Tunc qui claudo erat, & vacillante greſſu, non minùs erit velox, & agilis ad ſaltum, quàm ceruorum hinnulus: & mutorum lingua ſic erit ſoluta, vt clarè exprimat, & celeriter voluat negatum antè ſermonem: & in deſerto arido, & ſitienti ſolitudine fontes erumpent vberes, & torrentes largi.

7 Terram itaque aridam ſtagnabit vber aquarum influxus, & agros ſitientes excuſſi diuinitus fontes implebunt. In his autem latibulis, vbi dracones priùs habitauerant, qui locis aridis, & æſtuoſis delectantur, aquis eò largè confluentibus, naſcetur calamus, & iuncus, quos nonniſi locus humidus, & paluſtris concipit, & parturit.

8 Neque ſi ibi futurus eſſe dicitur iuncus, & calamus, implexum putate, aut à viatore deſertum locum. Erit enim ibi ſemita, non quam ſerpens terat, aut reptantium genus; ſed quam viri ingrediantur ſancti, & quæ ad religioſum locum, & ad habitationem ſanctam deducat. Quam nullus inibit pollutus, & immundus; quæ tam erit longè, vt ſinuoſa ſit, & anfractibus varia; vt eos etiam, qui tardi ſunt ingenij, & mentis imbecillæ, ad deſtinatum finem facilè, atque ſine errore deducat.

9 Non occurret in ea leo; non bellua anhelitu, ſeu veneno peſtilens: neque ibi ſuum ſibi domicilium habebit. Hanc viam illi tantùm inibunt, quibus Dominus veram, ac ſolidam libertatem attulerit.

10 Quos autem Dominus redemerit, & ab alieno, atque peregrino cultu ad ſe, ſuáque ſacra conuerterit, traducet illos, vt ſponſus aſſolet, quam

3 [e] Confortate manus diſſolutas, & genua debilia roborate.

4 Dicite puſillanimis, Confortamini, & nolite timere: [d] ecce Deus veſter vltionem adducet retributionis: Deus ipſe veniet, & ſaluabit vos.

5 [e] Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt.

6 [f] Tunc ſaliet ſicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum, [g] quia ſciſſæ ſunt in deſerto aquæ, & torrentes in ſolitudine.

7 Et quæ erat arida in ſtagnum, & ſitiens in fontes aquarum. [h] In cubilibus in quibus priùs dracones habitabant, orietur viror calami, & iunci.

8 [i] Et erit ibi ſemita & via, & via ſancta vocabitur. [k] Non tranſibit per eam pollutus, & hæc erit vobis directa via, ita vt ſtulti non errent per eam.

9 Non erit ibi leo, [l] & mala beſtia non aſcendet per eam, nec inuenietur ibi. [m] Et ambulabunt, qui liberati fuerint.

10 Et redempti à Domino: conuertentur & venient in Sion cum laude, & lætitia ſempiterna ſuper caput eorum. [n] Gaudium, & læti

& lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor, & gemitus.

quam amat ſponſam, in Sion cum geniali plauſu, cum nuptiali corona, cum gaudio, vſque adeò exuberanti, & pleno, vt nihil doloris, nihil lachrymarum admixtum habeat.

IN CAPVT TRIGESIMVM QVINTVM COMMENTARIVS.

1. VERBIS vſque adeò illuſtribus deſcribitur à propheta futura felicitas, vt eam ex profanis nemo vel orationis ſplendore, vel rerum ipſarum præſtantia conſecutus ſit. Quæ ſanè explicatu difficilis non eſt, modò conſtet ad quod tempus, ad quámve prouinciam illa referenda ſit. Qua etiam de re ſtatuere non eſt admodum difficile, licèt contrà ſentiant Hebræorum magiſtri, qui ad ſtatum ſuæ reipublicæ, quem aliquando florentem futurum eſſe putant, conferunt. Nam primùm hæc omnia ſpectare aureum Euangelij ſæculum, nemo ferme ex Catholicis dubitat, vno aut altero excepto. S. Thomas tam Eccleſiæ applicat; quàm Hieroſolymæ ab exilio Babylonico reſtitutæ. Item Hugo, & quidam Andreas ab eo citatus. B Quorum ego ſententiam ita probo, ſi modò in Hieroſolyma reſtituta, tanquã in typo ſpectemus præcipuè Eccleſiæ ſplendorem, maieſtatẽ, & gloriam. Nãque hîc occurrunt, accõmodatiſſimè dicuntur de Ieruſalẽ; quare in illam tanquã in obſcuram quandam vmbram in hoc vaticinio intueri licebit. Sed quia aliqua hîc occurrũt quæ maiora ſunt, quàm vt capere poſſit Ieruſalem in ſua maieſtate, ad aliquid ſublimius ſpectandum eſt, nempe quod ex hac vmbra ſplendet, & emicat.

2. Sed eſt adhuc difficile in hac vmbra, quænam ſit *deſerta & inuia* cui lætandum eſſe dicitur & exultandum. An Ieruſalem ab exilio redux, & ad priorem gloriam vocata: ita vt opponatur Idumææ, quæ poſt vaſtitatem nunquam ad priorem gradum, & gloriam excitata eſt; an verò Idumææ, quam hoc C loco propheta conſolatur, quia aliquando euangelica luce illuſtranda, & maiorem quàm antea lucem habitura traditur: Vtrumque probabile mihi eſt, & multò magis de Ieruſalem, vt putat S. Thomas, cui accommodare, quæ ad vmbram Euangelij proponuntur, difficile non eſt, vt legenti promptum eſt animaduertere. Sed puto etiam conuenire in Idumæam, de qua proximè actum eſt; quia multa ſunt, quæ ad Idumæos iuxta ea, quæ capite præcedenti diximus, aptari poſſunt, ad quæ alluſiones apertæ ſunt in hac populorum exultatione. Deinde quia frequens eſt in hoc propheta, vt populum cui minas antea propoſitæ, ſpe melioris fortunæ conſoletur, vt ſæpe vidimus de Ieruſalem. & *cap.* 16. D de Moab, cui poſt vaſtitatem non diſſimilem ſeruatorem ex ſua familia pollicetur. Sic etiam hîc cum Idumæis videtur feciſſe, quos ab hoſtili ſtrage longe maioris felicitatis expectatione conſolatur. Accedit, quòd hæc ad Gentium vocationem pertinere communis omnium ferme interpretum ſententia eſt; iuxta quam multo hæc magis ad Idumæos, quàm ad Solymitanos referuntur. Agam igitur hîc præſertim de Idumæis, aut potiùs de Ec- A cleſia, quæ in Idumæorum populo collucet, in quo præcipuè mihi laborandum eſt, vt oſtendam quàm aptè caput hoc cum præcedenti, id eſt, futura Gentium ad Eccleſiam vocatio, cum tanta Idumæorum vaſtitate, de qua nuper, conſentiat. Quod credo magni negotij non erit.

3. Primùm in Idumæis, qui Dei populo iam inde ab eo tempore quo egreſſus eſt de Ægypto, infenſi fuerunt, Gentes ſignificari docuit Hieronymus, Cyrillus, Haymo, Hugo, & alij, *cap.* 34. Certè in eorum ærumnis, quæ ſuprà elegantiſſimè deſcribuntur, optimè ſignificatur ſpiritualis ſtatus populi gentilici, de quo ſtatim pluribus. Cùm ergo in præterito ſtatu propoſita eſſet illorum forma, qui in tenebris agunt expoſiti Dæmonum plagis, atque B ludibriis, aptè nunc ſuccedit fortuna melior, in qua is eſt bonorum cumulus, is rerum omnium ſplendor, vt ſingulis penè detrimentis ærumnoſi populi ſingula quoque alterius fortunæ commoda, atque ornamenta reſpondeant. Neque minùs elegans, & illuſtris hypotypoſis malorum in præcedenti, quàm bonorum in hoc præſenti capite: in quod propheta magnus videtur omnes vires ingenij, atque facundiæ, atque adeò ſi fas eſt ita loqui, totum ſpiritum propheticum effudiſſe. Iam ſingula cum ſingulis componamus.

4. [a] *Lætabitur deſerta, & inuia; & exultabit ſolitudo, & florebit quaſi lilium.*] Alluſiſſe videtur Iſaias ad Pſalm. 62. *Pſalm.* 62. cuius titulus eſt, *Pſalmus Dauid cùm eſſet in deſerto Idumææ.* vbi illud iiſdem propè verbis C deſcribitur, quibus nùnc vtitur Iſaias, *In terra deſerta, inuia & inaquoſa.* In quæ verba ſic Auguſtinus, *Sæculum iſtud ipſa eſt Idumæa, hoc eſt deſertum Idumææ, vnde titulum Pſalmus accepit, In terra deſerta, parum eſt deſerta, vbi nullus hominum habitat: inſuper, & ſine via, & ſine aqua. Vtinam vel viam haberet ipſum deſertum,* &c Dum *deſertam* regionem, & *inuiam* vocat, indicat propheta agere ſe de populo Idumæo, cuius fines vaſtandos dixerat, atque inuios futuros. Sic enim de terra Edum *cap.* 34. *A generatione in generationem deſolabitur, in ſæcula ſæculorum non erit tranſiens per eam.* Satis verò diuturnum tempus eſt, quod hac verborum forma ſignificatur, ab hac prophetia ad gentilicam vſque vocationem. Porrò hîc obſerua, cùm magna mutatio futura ſi- D gnificatur, deſertum, quod aridum, & infructuoſum eſt, conuertendum dici in locum irriguum, & amœnum. Quod frequens eſt in hoc propheta. *Cap.* 31. deſertum dicitur mutandum in Carmelum; Similia habes *cap.* 41. 44. 51. 61. quæ Chriſti tempore impleta fuiſſe conſtat.

5. [b] *Gloria Libani data eſt ei, decor Carmeli, & Saron, ipſi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei noſtri.*] Comparatione illuſtrium montium, & omni

amœ

amœnitate conſpicuorum docet propheta quàm
ſpecioſa futura ſit gens ad Eccleſiam vocata, quæ
priùs ſic erat deformis, atque combuſta, ſicut agro-
rum facies, quos ignei torrentes ex ardenti pice,
ſulphuréque peruadunt. Quibus verbis etiam in-
dicatur, gloriam & ſplendorem populi Iſraelitici,
quem Deus antè, vt pater amarat, & vt ſponſus
nuptialibus ornarat delicijs, ad gentes magis Euan-
gelicæ doctrinæ audientes tranſlatum iri. Notum
eſt enim Libanum, licèt à Gentibus occupatum, ad
terram promiſſionis pertinere. *Ioſue* 14.6. & quod
in eo pretioſum eſt, ſiue in ligno, ſiue in aromate,
in Ieruſalem comportari. *Saron* ager eſt adeò amœ-
nus, & pinguis, vt ſicut Libanus, ipſe quoque ad
explicandam rerum pulcherrimam ſpeciem aſſu-
matur. Quare *Cantic.* 2. qui *flos* dicitur *campi*, Heb.
vocatur *flos Saron*. De Carmelo eiúſque pulchritu-
dine ſatis multa ſuprà. Sumuntur igitur per ſynec-
dochē illa, quæ nutriſſima ſunt propter vbertatem,
& ſpeciem in terra promiſſionis, pro maximis or-
namentis, atque delicijs gentis Iſraeliticæ: & alle-
goricè pro Dei eximio munere, atque indulgentia
in illum populum, quem quondam amatorio quo-
dam blandimento appellabat *ſuum*. Quæ omnia
Deus à Iudæis ad Gentes Euangelico tempore
tranſcripſit. Quod indicat non obſcurè illud, *Deco-
rem Dei noſtri*. Loquitur enim Iſaias Hebræus cum
Hebræis, & decorem Dei ſui, quo nempe ipſi priùs
ornati fuerant, ad alienos tranſmittendum inſinuat.

6. [c] *Confortate manus diſſolutas, & genua debilia
roborate: dicite puſillanimis confortamini.*] Ex his quæ
capite præcedenti paſſuri dicuntur Idumæi, & qui
in Idumęis ſynecdochicôs intelliguntur, veriſimile
eſt eos futuros fuiſſe animo fugaci & languido.
Iubet ergo illos Iſaias bono eſſe animo, & à Do-
mino, quem priùs habuerunt infenſum, ſecunda
ſperare omnia. Eleganter, & aptè manus vocat diſ-
ſolutas, & genua debilia, quia timidis ad opus ma-
nus titubantes, & infirmæ ſunt, & quaſi diſſolutæ
paralyſi; & genua ſic affecta, atque trementia, vt vel
ipſam corporis molem ſuſtinere non poſſint. Qui
loquendi modus ad exprimendam vim deſperatio-
nis, languoris, & metus, frequens eſt apud profa-
nos, & ſacros ſcriptores. Apud Homerum ſæpe
inuenies λύειν γούνατα, id eſt, *genua ſoluere*, quem Vir-
gilius imitatus eſt *lib.* 5. *Æneid.*

——Sed tarda trementi
Genua labant.

Et 12.

Genua labant, gelidus concreuit frigore ſanguis.

Nahum 2. *v.* 10. *Diſſolutio geniculorum.* Et Da-
niel. 5. de Balthaſare ad obſcuras notas ſcriptas in
pariete pauenti dicitur, *Et genua eius ad ſe inuicem
collidebantur.* Vtrumque coniunxit Paulus *ad Heb.
cap.* 12. *verſ.* 13. *Propter quod remiſſas manus, & ſoluta
genua erigite.*

7. Porrò apoſtrophe eſt vel ad Gentes, quibos
promittit Iſaias ſtrenuas ad agendum, atque indu-
ſtrias manus, & more prophetico adhibet impera-
tiuum pro futuro: Aut ad Apoſtolos, ſeu ad Apoſto-
licos viros, quibus id negotij dat vt perculſum, at-
que exanimatum populum ad maiora confirment.
Hæc ſatis veriſimilia, ſed puto alium eſſe ſenſum,
quem Paulus *ad Hebr.* 12. videtur expreſſiſſe, qui
ad bene operandum homines hortatur, nempe vt
ſpe retributionis arduam ingrediantur virtutis ſe-
mitam, à qua qui non raro ducuntur à ratione,
quàm abducuntur à ſenſibus, vehementer horrent.
Sic ergo ibi Paulus: *Omnis diſciplina in præſenti*

A *quidem videtur non eſſe gaudij ſed mœroris, poſtea au-
tem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet
iuſtitiæ. Propter quod remiſſas manus, & ſoluta genua
erigite, & greſſus rectos facite, pedibus veſtris.* Vbi al-
luſum omnino videtur ad hunc Iſaiæ locum, &
pro eo quod apud Iſaiam dicitur, *Gloria Libani
data eſt ei, decor Carmeli, & Saron: ipſi videbunt glo-
riam Domini.* id Paulus per *fructum pacatiſſimum*
expreſſit. Vbi obiter notandum inſinuari à Paulo
hæc verba eſſe de Idumæis, nam exemplum addu-
xit ſtatim de Eſau, qui etiam Edom dicitur, & qui
Idumæis genus, & nomen dedit. Videtur autem
admonere, vt mutato vitæ inſtituto, Idumæi ali-
quando eſſe deſinant.

[d] *Ecce Deus veſter vltionem adducet retributio- 8.
B nis.*] Verbum *vlciſcor* dubiæ ſignificationis eſt: nam
interdum indicat ab hoſtili, interdum ab amico,
atque paterno animo aliquid eſſe profectum. Hoc
ego loco fauorem, & ſtudium ſignificari credo in
Gentes, quæ ad illud vſque tempus Euangelij con-
temptæ videbantur: eo ſenſu, quem explicuimus
ad illud *Actor.* 17. *Et tempora quidem huius ignoran-
tiæ deſpiciens Deus.* & cap. 14. ad id, *Dimiſit omnes
gentes.* Erit itaque poſtea quædam viciſſitudo:
nam populum Gentilicum antea deſpectum eo
ſtudio, atque amore complectetur Deus, quo ante
illa tempora populum Iudaicum. Sunt qui putent
hanc retributionem atque vltionem futuram con-
tra Diabolum, qui in Gentes Tyrannicum exercuit
dominatum; qui non aliter ſubiugandus eſt à Chri-
C ſto vltore, ac vindice, quàm ab eo Gentilium populi
ſubiugati atque oppreſſi fuerant. Sed meo iudicio
commodam habemus explicationem à Paulo ſuprà.
Hortatur enim Iſaias Gentes, & eos omnes, qui
aliquando collum ſupponent Euangelij iugo, vt
confirment manus ad opus ſanctum, & pedes ad
inceſſum, non deuios, & claudicantes, ſed rectos ſpe
retributionis, quia Deus retributionem adducet,
compenſabitque operam pro pietate ſuſceptam.
Quod omnino facit Paulus, qui ad hæc eadem ho-
mines hortatur, additque vires dicens, *Poſtea au-
tem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet
iuſtitiæ.* Quem hîc Paulus *fructum iuſtitiæ* vocat,
Iſaias dicit *vltionem retributionis.*

[e] *Tunc aperientur oculi cæcorum, &c.*] Verſaban- 9.
D tur in tenebris Gentes varijs erroribus in omnem
ſuperſtitionem abductæ, quibus affulgens poſtea
Euangelicus ſplendor omnem obſcuritatem diſ-
cuſſit. Hæ porrò tenebræ, & diſcuſſa mentis cali-
go ſatis ſignificanter explicatæ ſunt, cùm dicitur,
*Tabeſcet omnis militia cælorum, & complicabuntur
ſicut liber cæli*: quia cæcis oculis, & ſurdis auribus,
neque ſplendorem aſpiciebant cœli, neque aſſiduas
eius voces audiebant. Quòd hæc figuratè quo ex-
plicuimus ſenſu, ſint accipienda, probant quæ ſta-
tim ſequuntur, quæ in eandem figuram videntur
accipienda. Neque enim ſcillæ ſunt in deſerto
aquæ, neque ortus viror calami in feratum cubili-
bus. Quidam hæc propriè ſumunt de corporali-
E bus morbis à Chriſto ſublatis, reſpexiſſéque ad hūc
locum Chriſtum, cùm dixit his qui à Ioanne legati
fuerant ex vinculis, *Matth.* 11. *Cæci vident, claudi am-* Matth. 11.
bulant. Quod de corporis ægritudine capiendum
habemus expreſſum à Luca *cap.* 7. qui addit coram
diſcipulis Ioannis Chriſtum curaſſe infirmos. Sed
ſanè magis videtur reſpexiſſe Chriſtus *ad cap.* 61.
vt ibi dicemus pluribus. Sed vtcumque accipias
nihil moror. Nam Chriſtus, vt Auguſtinus docet,
cum corporali ſalute ſpiritualem quoque confe-
rebat:

rebat: quare dum oculos ad videndi facultatem comparat, atque aperit, mentis quoque oculos maiore quadam luce complet, & illuminat. Simile aliquid dicemus ad illud *cap.* 53. *Verè languores noſtros ipſe tulit.* Quod Matthæus corporalibus morbis attribuit *cap.* 8. Vide omnino locum.

10\. f *Tunc ſaliet ſicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum.*] Qui cæci ſunt, claudi eſſe dicuntur: quia cùm viam ignorent, modò huc modò illuc dubio, ac vacillanti gradu incerti errant, ſeu certè, quia tenebris, quaſi quibuſdam vinculis pedes conſtrictos habent, commouere ſe neutram in partem audent. Quod de Ægyptiis ſcribitur *Sap. cap.* 17. *verſ.* 2. *Vinculis tenebrarum, & longa noctis compedibus.* De quibus *Exod.* 10. *verſ.* 23. *Nemo vidit fratrem ſuum, nec mouit ſe de loco, in quo erat.* Et addit Philo *lib. de vita Moſis*, ſi qua neceſſitate compulſi mouerent ſe, more cæcorum palpando ingreſſos fuiſſe. Hic verò notandum illum in Scriptura *claudum* dici, qui licèt ambulet, ita tamen ambulat, vt potiùs in præceps ruere, quàm rectum greſſum moliri videatur. Dicuntur item muti, atque elingues peccatores, qui licèt garruli ſint, & ad ſermonem elegantem, & vberem naturæ dono & certis instructi ſubſidiis, tamen de re ſeria, quæ nimirum ad ſalutem eſt, loqui neſciunt. Tunc verò claudi ſaliunt, cùm prælucente Euangelica luce rectum inſtituunt curſum in viam pacis. Tunc muti ſermonem habent expeditum, & linguam ſolutam, cùm non de rebus ludicris, ac nugatoriis, ſed de cœleſtium rerum momento, ac dignitate verba faciunt.

Qui cæcus idem claudus.

Peccator quomodo cæcus, claudus, & mutus.

11\. g *Quia ſciſſæ ſunt in deſerto aquæ.*] Hinc, vt communiter expoſitores, factum eſt, vt cæci videant, & ſurdi audiant, & claudi rectâ, ac velociter incedant; quia impedimenta, quæ induxerat, alueràtque arida ſolitudo, illa ſuſtulit fœcunditas diuinitus data, id eſt, Euangelium, cuius vmbra ſunt & ſymbolum aquæ largæ, & iugiter manantes in deſerto. Vita Chriſtiana, & quæ arduo aſcenſu ad vitam ducit, arida videbatur, ac ſterilis, quia parum ad ſenſus voluptuarios idonea: atque ideo pauci illam ingrediebantur, quia vim afferre ſentienti naturæ graue exiſtimabant. Sed arduam illam, & aridam viam, Deus ſic irrigauit cœleſti rore Euangelij tempore, ſic exhilarauit, complanauítque, vt nemo illam ſanæ mentis horreat, nemo qui eius ſuauitatem expertus eſt, duram putet.

12\. Hæc meo iudicio atque aliorum plurium magis vera; ſed neque improbabile, aut durum cenſeo, ſi quis dixerit hoc loco, *quia* non reddere rationem, licèt in eum vſum aſſumatur plerumque; ſed coniungere extrema, quod facit ſæpe vt diximus *in cap.* 10. *Zachariæ num.* 14. quia non aptè curſus velocis, & ſolutæ linguæ cauſa exiſtimatur terræ fœcunditas. Quare potiùs videtur continuari inſtituta narratio, & officiorum ſeries: quaſi dicat. Saliet claudus, loquetur mutus, & erumpent in deſerto aquæ: & in hoc poſtremo præteritum loco futuri ponitur, quod eſt apud prophetas familiare.

Quia aliquando non reddit rationem, ſed coniungit partes.

13\. h *In cubilibus in [illegible] dracones priùs habitabant, orietur viror calam[illegible] iunci.*] Capite præcedenti dictum eſt in Idumæorum finibus futura immanium ferarum, & dirarum volucrum latibula; nunc dicit illis in locis eam amœnitatem, atque vbertatem futuram, vt non iam deſertus futurus ſit [illegible] ſed cultus, & frequens, propter irrigu[illegible], cuius indicium eſt calamus, & iuncus, [illegible] non niſi in humenti loco ſponte naſcuntur.

A Oppoſuit autem draconibus humorem aptiſſimè ad draconum naturam, qui in locis aridis præſertim venenati reperiuntur; vt argumento eſt Aphrica, & præcipuè Libys, quæ cùm arida ſit, & æstuoſa, monſtris eiuſmodi infeſta eſt. Et igniti ſerpentes, de quibus *Num. cap.* 21. non tunc recens à Deo producti ſunt, neque aliunde in deſertum adducti, ſed qui in deſerto loco nimirum ſitienti nati fuerant, ad puniendum Hebræos in illorum caſtra à Domino congregati ſunt.

Dracones in locis aridis aluntur.

In his mirificè elucet ſplendor ille & viror ſingularis, quam affert Euangelicus cultus Gentibus antea à dæmone deluſis, & eorum ſuperſtitioni deditis. Quæ verè draconum latibula vocari poſſunt, 14.
B quia in earum animis non tanquam in diuerſorio, ſed tanquam in proprio domicilio cubant. Poſtquam tamen lux affulſerit Euangelij, ſicut oriente ſole feræ ſe ab agris in ſua ſe latibula recipiunt, iuxta illud *Pſal.* 103. *Ortus eſt ſol, & congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur*, ſic ſpirituales feræ à Gentium animis tanquam ab agro Domini fugabuntur, & animi ab omni viriditate antea nudi, & venenatis ſerpentibus alendis, atque fouendis opportuni in aliam ſpeciem noua fœcunditate traducti Spiritus ſancti templum erunt, non draconum cubilia. A quo id accipient quotidie, vt verè ſpecioſi ac fortunati ſint.

i *Et erit ibi ſemita & via: & via ſancta vocabitur.*] Quia in propoſita allegoria locus ille, quem 15.
C tantopere Iſaias commendat, inuius futurus videbitur, & reptanti tantùm generi acceſſum præbiturus, quia iunceus & calamus in locis paluſtribus plerumque viſuntur, quæ plurimùm patere non ſolent viatori, aut notari ſemitis, ideo addidit ibi non defuturam ſemitam tritam hominum veſtigiis. Imò futuram eſſe viam, eámque non impreſſam ab ibicibus, aut feris animantibus, quæ aperta eſſe non ſolet, neque admodum facilis, & tuta, ſed ſanctam, id eſt, quam viri ſancti ingredientur, & quæ non ad mortem, & præcipitium, ſed ad vitam & incolumitatem deducet. Exiſtimo autem alluſum eſſe ad viam, quæ ducebat ad Ieruſalem, quam puto *ſanctam* fuiſſe dictam, quia ad ciuitatem ſanctam deducebat: ſic enim vocatur Ieruſalem in
D Scriptura, vt pluribus oſtendimus ad illud *cap.* 48. *de ciuitate enim ſancta vocati ſunt.* Cùm autem in omni ferme idiomate viæ nomen aſſumant ab his regionibus ad quas viatorem deducunt; vt *via Græca, via Latina*, quæ ad Latium, Græciámque diriguntur; vias, quæ ducunt ad ciuitatem ſanctam Ieruſalem, per quas ex aliis tribubus ad ſtata ſacra, & ſolemnitates magna frequentia vndecumque ab Iſraëlitis concurrebatur, *ſanctas* fuiſſe vocatas veriſimile eſt. Niſi mauis alluſum ad viam aliquam, quæ ad templum ducebat ex his, quæ erant in Ieruſalem; ſicut *via ſacra* à Romanis dicebatur, auctore Feſto, illa quæ ad arcem ferebat, quia ibi fœdus percuſſum eſt inter Romulum, & Tatium. Quam
E viam oportet fuiſſe frequentiſſimã, atque ideo cum illa comparatur via, quæ Gentes adducet in Eccleſiam.

k *Non tranſibit per eam pollutus.*] Rationem 16.
reddit cur *ſancta* vocari debeat via illa, quia nimirum ſancti per illam incedent. Eſt autem figuratus ſermo, in quo locus ſeu ſubiectum pro adiuncto, & eo, quod continetur in loco ponitur. Porrò vox Hebraica קדש *kodes*, tam ſignificat *ſanctitatem*, quàm *munditiem*, ideo addidit, *non tranſibit pollutus*, quaſi diceret, via erit ſancta, & munda quia non

polluetur ab immundo. Qua metaphora oſtendi-
tur illorum ſanctitas & mundiria, qui ad Eccle-
ſiam ingrediuntur, cuius via, & aditus Baptiſmus
eſt, qui corpus tangit, & animam mundat. Qui lo-
quendi modus ſuperiorem noſtram cogitationem
non parum iuuat. Nam certum eſt pollutis non
eſſe ad templum aditum, immò neque ad ſolemni-
tates, quæ in Solymitano templo peragebantur.
Quare via ad ciuitatem ſanctam, & ad templum
dici *ſancta* potuit: & quia ad ſanctum Dei taberna-
culum ferebat, & quia per illam ad templum nemo
niſi mundus ingredi poterat.

17. [l] *Mala beſtia non aſcendet per eam.*] Vt nuper
capite præcedenti vidimus in gentilium finibus
liberè ludebant malæ beſtiæ, piloſi, dæmonia, ono-
centauri, onocrotali, &c. & illudebant, atque in-
ſultabant illis, & in ſuo quaſi regno dominaban-
tur: in regno tamen Chriſti, id eſt, in gentibus iam
Chriſtiana ſacra complexis, beſtiæ non erunt, quæ
inſultent & lacerent. Quare *Cantic.* 4. cùm ſponſus
Gentilem ſponſam à paternis ſedibus euocaret,
venire iubet è cubilibus leonum, è montibus par-
dorum ad locum nempe tutum, vbi leonum, & ma-
larum beſtiarum latibula non ſunt. Gentilem au-
tem eſſe ſponſam illam, id eſt, Eccleſiam ex Gen-
tibus præcipuè congregatam docet Hieronymus
Epiſtola ad Euſtochium, Origenes *homilia* 2. & 4. *in
Cantica*. Theodoretus in illud *Cant.* 7. *Quàm decora,
& ſuauis.* S. Thom in illud *Cant.* 3. *In lectulo meo.*
Tertullianus 4. *lib. contra Marcionem cap.* 11. & fa-
cit ad hæc, quod è Libano vocatur, & Sanir, quæ
tunc incolebantur à Gentibus, Tyriis nimirum, &
Sidoniis.

18. [m] *Et ambulabunt, qui liberati fuerint; & redem-
pti à Domino conuertentur, & venient in Sion cum
laude; & lætitia ſempiterna ſuper caput eorum.*] Cùm
in via ſancta leo futurus non ſit, aut mala beſtia,
illi, quos Dominus à diaboli poteſtate redemit, am-
bulabunt per illam liberè, & de virtute in virtutem
indies progreſſi cum lætitia, & gaudio videbunt
Deum Deorum in Sion, id eſt, in cæleſti Ieruſa-
lem, ad quam via illa ſancta, atque impolluta de-
ducit. Porrò alluſum exiſtimo ad illam nuptia-
rum conſuetudinem, iuxta quam ſponſæ ex agris,
lociſque ſylueſtribus vbi feræ ſunt, & nihil tutum
à periculo in montem myrrhæ, & collem thuris
aduocantur; id eſt, in Ieruſalem, quæ in myſtico
ſenſu beatorum patriam deſignat, ad quam cum
hymenæo plauſu, atque lætitia aſcendebatur: vt
pluribus oſtendimus *in noſtris commentariis ſuper
cantica*. Et fauet huic cogitationi, quia lætitia ſem-
piterna futura eſſe dicitur ſuper caput, qui loquen-
di modus delicias indicat nuptiales. Lætitia enim
ſuper caput, aut corona eſt nuptialis, qua ornatur
ſponſæ caput; & ideo comparatur Carmelo fron-
dibus, floribúſque conſpicuo, aut vnguento, quo
nouorum coniugum caput irroratur. Quo dicendi
genere *in Pſal.* 44. qui epithalamicus eſt, vſus eſt
David: cùm oleum lætitiæ vocat illud, quo ſponſus
Chriſtus vnctus eſt.

Hæc mihi neque ad textum, neque ad veritatem 19.
dici videntur importunè, nihilominus hîc *caput* Regula. Caput alicuius pro aliquo.
pro toto ſubiecto ſumi poteſt, vt enim *animam ali-
cuius*, aut *alicuius faciem* Hebraico idiomate, pro
aliquo ſumi alibi à nobis pluribus oſtenſum eſt: ſic
puto *caput alicuius* frequenter pro aliquo vſurpari
ſolitum. Exempla neque pauca ſunt, neque obſcu-
ra. 4. *Reg.* 2. Vbi vulgatus *Dominus tollet eum à te*, 4.Reg.2.
Hebr. eſt *à capite tuo*. *Geneſ.* 49. *verſ.* 19. de piſtore Geneſ.49.
Pharaonis dicit Ioſeph, *tres adhuc dies ſunt, poſt
quos auferet Pharao caput tuum, ac ſuſpendet te in
cruce*, id eſt, auferet te, neque enim abſciſſum eſt
caput illius, ſed ipſe actus eſt in crucem. Iuxta hæc
variæ ſunt locutiones, vt *Prouerb.* 1. *Addatur gratia
capiti tuo*, id eſt, tibi. *Prouerb.* 10. *Benedictio Domini
ſuper caput iuſti. Iob* 20. *Quando ſplendebat lucerna* Iob 20.
ſuper caput meum. Pſal. 65. *Impoſuiſti homines ſuper
capita noſtra.* 2. *Reg. cap.* 3. *Nunquid caput canis ego* 2.Reg.3.
ſum, id eſt, ego canis ſum. & *Eccl.* 25. *verſ.* 22. *Non
eſt caput nequius, ſuper caput colubri*, id eſt, nihil eſt
colubro nequius, & ſimilia. Hinc ego non malè 20.
coniectare videor, quid ſit illud Pauli *ad Rom.* 12. Ad Rom.12.
verſ. 20. & *Prouerb.* 15. *verſ.* 22. *Si eſurierit inimicus
tuus, ciba illum, ſi ſitit potum da illi: hoc enim faciens
carbones ignis congeres ſuper caput eius.* Nihil enim
puto ſibi aliud velle, quàm ſuper inimicum conge-
rendos eſſe carbones. Nemo enim dubitat hunc
ſenſum allegoricum eſſe; at allegoriæ ab eo ſu-
mi ſolent, quod in vſu frequens eſt, aut rerum na-
tura exigit, vt eo modo ſiat. Sed quis vnquam au-
diuit carbones ſuper alicuius caput ſolitos eſſe
congeri. Erit ergo ſenſus pro iniuriis acceptis bene-
ficia confer in inimicos: tunc enim beneficia erunt
inſtar carbonum, quos congeres in inimicos. Aut
quia eo modo excruciantur inimici, cùm videant
iniurias, pro quibus ipſi plagas expectabant, benefi-
ciis compenſari. Fert autem omnium ferme lin-
guarum conſuetudo; vt quos aut verbis ignomi-
nioſè, aut operibus durè, & inclementer accipimus,
eos *vrere* dicamur. Aut certè, quia illius animum
quondam malè affectum nobis conciliabimus, &
in noſtri amorem inflammabimus: Quis enim il-
lum impensè non amet, quem videt poſt maledi-
cta, aut alias iniurias in ſe fuiſſe vſque adeò bene-
ficum? Iuxta hæc credo ſenſum eſſe huius loci, læ-
titiam ſempiternam fore ſuper caput illorum, id eſt,
ſuper illos, qui ex Gentibus ad Eccleſiam accedent,
& ab eius complexu poſtea ad beatorum ſedes tra-
ducentur.

[n] *Gaudium & lætitiam obtinebunt: fugiet dolor,* 21.
& gemitus.] Hæc ſatis indicant ſermonem eſſe de
cæleſti patria, ad quam ex Eccleſia gradus fit, non
de terrena Ieruſalem, ad quam remigratio fit ab
exilio Babylonico, vbi in æternum exultandum,
neque iam ampliùs clamori, & luctui locum futu-
rum eſſe dicit.

Argumentum

Argumentum trigeſimi ſexti capitis Iſaiæ.

CAPVT hoc nihil continet præter legationem, quam à Rege Aſſyriorum Rabſaces obiit ad Iudæos: ad quem Regio nomine prodierunt è Ieruſalem viri conſilio, atque auctoritate principes, Eliacim, Sobna, & Ioahe. Id verò præcipuè agit in ſua oratione Rabſaces, vt omne auxilium tam humanum, id eſt Ægyptium, quàm diuinum, à Iudæorum ſalute, & cogitatione remoueat: Ægyptium quidem, quia non magis firmum quàm baculus ex futili, atque quaſſato calamo; Diuinum verò, quia Deus minimè pacatus eſt Ezechiæ, quia illius euertit altaria, & peregrinam religionem inuexit. In quo egregiè deceptus eſt Rabſaces, qui, quod impius auſus eſt Achaz, id pio adſcribit Ezechiæ. Deinde nihil eſſe Ezechiæ virium ad reſiſtendum affirmat: cùm ſuis ſumptibus duo equorum millia, & eorum ſeſſores alere non poſſit: quæ tamen regio nomine Ezechiæ promittit, ſi ſe ſuámque rempublicam Aſſyrio dedat. Ad extremum ſermone vſus Hebraico ad populum, qui ſpectabat è muro, illum hortatur, vt auſpicia ſequatur Aſſyriorum: neque à Deo auxilium, aut ſalutem ſperet: cui contra Aſſyriam potentiam nihil eſſe virtutis clamat: quod aliorum Deorum exemplo confirmat.

CAPVT XXXVI.

1 *ET factum eſt: in quarto decimo anno regis Ezechiæ, aſcendit Senacherib rex Aſſyriorum ſuper omnes ciuitates Iuda munitas, & cepit eas.*

2 *[a] Et miſit rex Aſſyriorum Rabſacen de Lachis in Ieruſalem, ad regem Ezechiam in manu graui, & ſtetit in aquæductu piſcinæ ſuperioris in via agri fullonis.*

3 *[b] Et egreſſus eſt ad eum Eliacim filius Helciæ, qui erat ſuper domum, & Sobna ſcriba, & Ioahe filius Aſaph à cõmentariis.*

4 *Et dixit ad eos Rabſaces, Dicite Ezechiæ; Hæc dicit rex magnus, rex Aſſyriorum. Quæ eſt iſta fiducia quâ confidis?*

5 *Aut quo conſilio vel fortitudine rebellare diſponis? Super quem habes fiduciam, quia receſſiſti à me?*

6 *[c] Ecce confidis ſuper baculum arundineum confractum iſtum ſuper Aegyptum: cui ſi innixus fuerit homo, intrabit in manum eius, & perforabit eam: ſic Pharao rex Aegypti omnibus qui confidunt in eo.*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 CVM decimum iam, & quartum annum regnum obtineret Ezechias, Aſſyriorum Rex Senacherib in omnes vrbes Iuda munitas, & fortes exercitum inuexit; quas pugnando cepit, ſubiréque compulit Aſſyrium iugum.

2 Cùm autem victorem exercitum ad Lachis vrbem Hieroſolymæ proximam appuliſſet, legatum inde miſit ad Ezechiam Rabſacen, cum magna, regiæque proxima poteſtate, vt cum Iudæorum populo ſuo arbitratu tranſigeret, quod è re Aſſyria futurum exiſtimaret. Ille verò ſubſtitit è conſpectu vrbis, atque in ea parte, vbi aquæductus eſt ſuperioris piſcinæ, ex qua in agrum fullonis aqua deriuatur.

3 Egreſſi verò ſunt ad Rabſacen legati item ab Ezechia miſſi, Eliacim Helciæ filius domui præpoſitus, & Sobna ſcriba, & Ioahe filius Aſaph, qui Regi erat à commentariis.

4 Prior autem Rabſaces ad legatos. Hæc ad Ezechiam maximi Aſſyriorum principis nomine mandata deferte. Ecqua eſt fiducia, ecqua ratio, quæ ſpem tuam in his rerum anguſtiis excitat, atque ſuſtentat?

5 Quid tibi conſilij in mentem venit; aut quæ vis te in ea deliberatione confirmat, vt rebellare, atque pugnare audeas contra Aſſyriam potentiam? Cuius auxilium, aut animos facit, aut fiduciam affert, vt à me deficias?

6 An auxiliares copiæ, quas promittit Ægyptius, in eam te cogitationem impulerunt? Nónne Ægyptius iſte baculus, in quem incumbit Iudæorum fiducia, arundineus eſt, idémque vanus, atque confractus; cui ſi quis innitatur, manum referet perforatam, & ſauciam? Sanè id ſibi me-

tuere, ſi ſapiant, debent, qui ſalutem ſuam Pharaonis cuſtodiæ crediderunt.

7 Quòd ſi pendere tuam expectationem dicas, non ab Ægypto, cuius infirmum eſt, & infidele auxilium, ſed à Deo, cuius potentia facilè humanos deſpicit, & ſternit conatus; nòn vides contra Iudæos offenſum eſſe, atque irritatum numen? Nónne ipſe eſt Deus, cuius Ezechias excelſa diruit, altaria ſubuertit, & Iudæis eduxit, vt coram altari, quod ipſe conſecrarat, Domino ſupplicarent, ac colerent?

7 Quòd ſi reſponderis mihi, In Domino Deo noſtro confidimus: nónne ipſe eſt cuius abſtulit Ezechias excelſa, & altaria, & dixit Iuda & Ieruſalem: Coram altari iſto adorabitis?

8 Nunc ergo teipſum, ciuitatémque trade Aſſyriorum principi, à quo honoris ergo, vt è regia ſpecie nihil tibi deterat afflicta fortuna; duo equorum millia accipies; in quibus, qui tecum obequitent, non habebis totidem ſeſſores, quos tuis alas expenſis. Quare longè nobilior eris, Aſſyrio deditus, quàm in tuo regno ſolutus, & princeps.

8 Et nunc trade te domino meo Regi Aſſyriorum, [d] & dabo tibi duo millia equorum, nec poteris ex te præbere aſcenſores eorum.

9 Quòd ſi tam infirmum equitatum alere non potes, quo ſucceſſu vel vni ex inferioris ordinis Principibus, quos ſecum in caſtris habet Dominus meus, occurrendum putas?

9 [e] Et quomodo ſuſtinebis faciem iudicis vnius loci ex ſeruis domini mei minoribus?

10 Quòd ſi ſatis habere dicas equorum, & quadrigarum Ægyptios; quibus tu confidis magis quàm equeſtri Iudæorum virtuti. Illud etiam iterum, atque iterum conſidera, non meo arbitratu, ſed diuino nutu expeditionem hanc in Iudæorum fines eſſe ſuſceptam. Ipſe enim Dominus hanc mihi prouinciam his verbis iniunxit. Aſcende contra regionem hanc, illámque diſperde.

10 Quod ſi confidis in Aegypto, in quadriga, & in equitibus: & nunc nunquid ſine Domino aſcendi ad terram iſtam, vt diſperderem eam? Dominus dixit ad me, Aſcende ſuper terram iſtam, & diſperde eam.

11 Hæc quidem Rabſaces; ad quem Eliacim, Sobna, & Ioahe à Iudaico, inquiunt, ſermone abſtine; & quando nos Syriacè intelligimus, vtere Syriaco. Ne populus, qui ſuper murum eſt, audiat, id quod ad legatos ſecreto dictũ oportuit.

11 Et dixit Eliacim, & Sobna, & Ioahe ad Rabſacen. Loquere ad ſeruos tuos Syra lingua: intelligimus enim, ne loquaris ad nos Iudaicè in auribus populi qui eſt ſuper murum.

12 Ad quos iterum Rabſaces. Nunquid ego ad te, aut ad dominum tantùm tuum legatus aduenio; aut ad te mandata hæc à Rege Aſſyriorum tantùm perferuntur? Et non potiùs ad viros, qui rerum euentum de muro proſpectant, quos eò deducent, & ſua dementia, & Aſſyriorum vires, vt obſidione vrgente, ſuo veſcantur fimo, & vrinam bibant.

12 Et dixit ad eos Rabſaces: Nunquid ad Dominum tuum, & ad te, miſit me dominus meus, vt loquerer omnia verba iſta: & non potiùs ad viros, qui ſedent in muro, vt comedant ſtercora ſua, [f] & bibant vrinam pedum ſuorum vobiſcum.

13 Conuerſus itaque ad multitudinem, quæ ſpectabat è muro, voce quantum potuit contenta ita locutus eſt Iudaicè. Audite verba, quæ à magno Aſſyriorum Rege vobis nunciare iubeor.

13 Et ſtetit Rabſaces, & clamauit voce magna Iudaicè, & dixit, Audite verba Regis magni, Regis Aſſyriorum.

14 Hæc ad vos magnus Aſſyriæ Rex. Videte ne in falſam ſpem, veramque fraudem inducant, vos ſtulta, ac vana Ezechiæ promiſſa. Neque enim vt maximè cupiat, poterit vos ab impendente malo liberare.

14 Hæc dixit Rex, Non ſeducat vos Ezechias, quia non poterit eruere vos.

15 Neque vobis perſuadeat à Deo paratum auxilium, aut oblatam ſalutem; neque ipſum audiatis, cùm dixerit: Certiſſimè Dominus auertet quam hoſtis nobis intentat cladem. Neque ſic nobis

15 Et non vobis tribuat fiduciam Ezechias ſuper Domino, dicens, Eruens liberabit nos Dominus, non dabitur ciuitas iſta in manu Regis Aſſyriorum.

16 Nolite

nobis erit aduerſa fortuna, vt in Aſſyriæ poteſtatis iugum vrbs noſtra deueniat,

16 *Nolite audire Ezechiam. Hæc enim dicit Rex Aſſyriorum.* [g] *Facite mecum benedictionem, & egredimini ad me, & comedite vnuſquiſque vineam ſuam, & vnuſquiſque ficum ſuam: & bibite vnuſquiſque aquam ciſternæ ſuæ.*

16 Nolite, inquam, audire Ezechiam; Audite potiùs Regem Aſſyrium, cuius ſanum eſt, & fidele conſilium; Quem ſic vobiſcum loqui exiſtimate. Nolite animum meum ad bene de vobis merendum incitatum, & pronum à veſtris commodis abalienare; neque committatis, vt vobis illud beneficium pereat, quod offert Regia, ac liberalis manus. Egredimini itaque, & vos ad mea ſigna tranſcribite. Et comedet quiſque otioſus, & ſine metu è ficu ſua, ac vite quantum volet; & ex aquis in ciſterna collectis ad voluptatem, & ſatietatem hauriet.

17 *Donec veniam, & tollam vos ad terram, quæ eſt vt terra veſtra, terram frumenti, & vini, terram panum & vinearum.*

17 Hæc vobis erit in regione veſtra commoditas, donec abducam vos ad Aſſyriorum terram, quæ veſtræ neque cœli elementia, neque ſoli fœcunditate cedit. Abundat enim frumento, & vite; atque ideo neque vini, neque panis experitur inopiam.

18 *Nec conturbet vos Ezechias, dicens, Dominus liberabit nos. Nunquid liberauerunt dij gentium vnuſquiſque terram ſuam de manu Regis Aſſyriorum?*

18 Nec ſanè hanc cogitationem peruertat, & turbet Ezechias, hæc identidem vobis ingeminans: Dominus pugnabit pro nobis, Dominus liberabit nos. Nunquid dij Gentium ſuos ciues, atque cultores liberarunt; cùm ab Aſſyriis illorum ciuitates expugnarentur?

19 *Vbi eſt Deus Emath, & Arphad? vbi eſt Deus Sepharuaim? Nunquid liberauerunt Samariam de manu mea? Quis eſt ex omnibus Diis terrarum iſtarum, qui eruerit terram ſuam de manu mea, vt eruat Dominus Ieruſalem de manu mea?*

19 Quid habuit Emath, & Arphad à ſuo Deo ſaluris, & auxilij? Quid actum eſt de Deo Sepharuaim? Nunquid de poteſtate mea potuerunt liberare Samariam? Circumſpicite ciuitates omnes Aſſyriorum virtute debellatas; ac exquirite an pro ſuis ſtare potuerint contra Regis potentiam. Nunquid Iudæorum Deus maius aliquid molietur, aut conferet, quàm Gentium aliarum implorata, & Aſſyriorum auſpiciis ſuperata numina?

20 *Et ſiluerunt, & non reſponderunt ei verbum. Mandauerat enim Rex, dicens: Ne reſpondeatis ei.*

20 Tunc verò Iudæorum legati ex Ezechiæ præſcripto nihil ad impiam Rabſacis orationem reſponderunt.

21 [h] *Et ingreſſus eſt Eliacim filius Helciæ qui erat ſuper domum, & Sobna ſcriba, & Ioahe filius Aſaph à commentariis, ad Ezechiam ſciſſis veſtibus, & nuntiauerunt ei verba Rabſacis.*

21 Regreſſi ergo ſunt legati Eliacim, Sobna, & Ioahe ad Ezechiam veſte conſciſſa: tum propter auditas à Rabſace blaſphemias, tum propter legationem infeliciter obitam: nuntiaueruntque Regi quid per Rabſacen Rex Aſſyriorum populo denunciari iuſſerit.

IN CAPVT TRIGESIMVM SEXTVM COMMENTARIVS.

1. EGERAT antè propheta de aduentu Senacherib *cap.* 10. & ſparſim aliis in locis non pauca, & quomodo terram vaſtaturus eſſet, incuſſuruſque metum Hieroſolymitanis; de ſtrage tandem, quam grauiſſimam, & repentinam accepit A à diuina manu. Nunc hoc ipſum hiſtoricè factum narrat, quod propheticè priùs futurum eſſe prædixerat: eo fortaſſe conſilio, vt certus prædictorum euentus rebus aliis, quæ longis poſt ſæculis euenturæ dicebantur, fidem faceret. Porrò, quæ toto hoc capite continentur, longa explicatione non

indiget, quia præter rei geſtæ narrationem nihil continent aliud. Continetur autem hiſtoria tota 4. *Reg. cap.* 18 19. 20. à qua ſumendum eſt aliquid imò plurimum lucis ad quatuor horum capitum expoſitionem. Nihilominus hîc obſeruanda ſunt pauca.

2. [a] *Et miſit Rex Aſſyriorum Rabſacen de Lachis in Ieruſalem ad Regem Ezechiam in manu graui.*] Hebræorum magiſtri, vt ſunt nouitatis amantes, & rerum leuiſſimis momentis impelluntur, exiſtimant hunc Rabſacen filium fuiſſe Iſaiæ: vt refert hîc Hieronymus, & Auguſtinus *de mirabilibus ſcripturæ, lib. 2. cap. 27.* & Rabbanus *in 4. Reg. cap.* 18. At quo argumento perſuaſi? Quia, inquiunt, locutus eſt Hebraicè. Quaſi vnus Iſaiæ filius Hebraicè loqui didiciſſet: Et quia *cap.* 6. ſuprà, quidam Iſaiæ filius relictus *Iaſub* vocatur, quaſi alius filius ad Aſſyrios transfugiſſet. Nos pueriles haſce nugas ſuis autoribus relinquamus. *Grauis manus* exercitum validum ſignificat; nam quæ hîc dicitur *grauis*, 4. *Reg.* 18. appellatur *valida*: cui cùm occurrere non auderet Ezechias, intra ciuitatis mœnia ſe continebat. Ita communiter interpretes. Sed neſcio an verius hic *grauis manus* ſit *grauis legatio*, id eſt minarum, & contumeliarum plena, ſeu poteſtas, quam ſummam permiſit Rabſaci Rex Aſſyriorum: vt promitteret, ac paciſceretur cum Ezechia Regio nomine, ac fide, quod ex vſu publico fore exiſtimaret. Agebat autem, vt eſt veriſimile, Rabſaces munus legati potiùs, quàm ducis, quare peracta legatione ſtatim ad dominum rediit; neque exercitum ſecum habuiſſe ex eo videtur certum, quia 2. *Paralip. cap.* 32. totum exercitum apud ſe retinebat Senacherib, neque ſtatim ad dominum ſuum rediiſſet Rabſaces, ſi copioſum ſecum haberet exercitum, aduerſum quem nihil eſſet auſus Ezechias. Porrò *manus* pro poteſtate ſumitur, quare miſſus eſt *cum graui aut valida manu*, id eſt, cum graui poteſtate ſtatuendi, vt vellet, quod ex vſu foret. Quo ſenſu dicit Hiſpanus, *Diole mucha mano para haçer y deshaçer.*

Nugæ Rabbinorum de filio Iſaiæ.

3. [b] *Et egreſſus eſt ad eum Eliacim filius Helciæ, qui erat ſuper domum, & Sobna ſcriba, & Ioahe filius Aſaph à commentariis.*] De Eliacim, & Sobna egimus ſuprà *cap.* 22. & quomodo vterque dicatur eſſe *ſuper domum. Scriba* apud Hebræos eſt doctor in lege, & nomen honeſtum valde. Sed fortaſſe hîc forenſe nomen eſt, & in regia domo non ignobile; vt nobilis certè ſcriba Sobna inter alios principes legationem iſtam obiit. *A commentariis* ille eſt, qui res geſtas publicis monumentis conſignat, eáque, cum res & tempus exigit, in principis memoriam reuocat. Qualis erat qui *Eſther cap.* 6. factum Mardochæi in publicos annales retulit, qui, vt putat Lyra, is eſt, qui à nobis *Cancellarius* nominatur.

4. [c] *Ecce confidis ſuper baculum arundineum.*] Prouerbiali ſpecie *baculus arundineus fractus* pro infirmo auxilio ponitur; quo tam longè eſt, vt imbecillum ſuſtentet, vt potiùs manum apprehendentem violet, compungat, & perforet. Accommodatè verò Ægyptus *arundo* dicitur, quia ad ripam Nili arundo eſt, & multa, & nobilis: ita, vt ad alias prouincias ad varios vſus comportetur, & eius prouinciæ ſymbolum, & ſtemma ſit, vt in antiquis nummis ſpectare licet. Qua de re nos plura diximus ad illud *Pſalm.* 67. *Increpa feras arundinis.* Eodem genere ſermonis vſus eſt Ezechiel *cap.* 29. *verſ.* 6. ad Pharaonem, *Pro eo, quod fuiſti baculus arundineus domus Iſrael.*

5. [d] *Dabo tibi duo millia equorum, nec poteris ex te præbere aſcenſores eorum.*] Proponit Rabſaces quid commoditatis habiturus ſit populus Iudaicus ſi iugum velit Aſſyrium ſubire. Accipiet enim duo equorum millia, quæ honeſtorum, atque nobilium hominum non adiumenta ſolùm ſed ornamenta ſunt. Addit verò Rabſacea non tot futuros viros in Ieruſalem, quot equos dabit Rex liberalis & potens Aſſyriorum. Quod dixit aut hyperbolicè, quod ſæpe faciunt homines vaniſſimi, quos vana de ſe cogitatio inſolenter inflat, aut aliorum vires præ ſe nihili habendas putant; aut certè, quia reuera duo virorum millia in ciuitate non erant, qui eſſent exercitati in arte, atque ſtudio equeſtri. Cuius rei duæ poſſunt aſſignari cauſæ, vel quia *Deut. cap.* 17. Dominus voluit ne Rex Iſrael equos multiplicaret, vel quia regio aſpera ſilicibus, & ſalebris paſſim interſeſſa non erat opportuna equeſtribus concurſionibus. Quocirca ea loci natura tutos ſe putabant Solymitani ciues, ab equorum irruptionibus.

[e] *Quomodo ſuſtinebis faciem iudicis vnius loci.*] 6.
Qui hîc vocatur *iudex*, 4. *Reg.* 18. dicitur *ſatrapa.* Eſt autem qui alicui prouinciæ præeſt, vt ex hoc loco conſtat. Quocirca *Satrapiæ* dicuntur, quas nos *iuriſdictiones*, ſeu *diœceſes* vocamus. Satrapæ autem non ſolùm legibus rem moderantur communem, & publicam in pace, ſed etiam cùm res poſcit, res adminiſtrant bellicas. Quod munus obierunt olim inter Hebræos, qui vocati ſunt *iudices*, vt Gedeon, Iephtbe, Samſon Samuel, & quorum in libro Iudicum geſta tractantur.

[f] *Et bibant vrinam pedum ſuorum vobiſcum.*] 7.
Hebr. *aquam pedum.* Quomodo obſcœna *pedum* nomine ſignificentur, docuimus *c.* 6. ad illud, *Duabus velabant pedes.* Eſt autem aqua, quæ a pedibus fluit, *vrina*; ſicut aqua capitis *lachryma* ſunt. *Ierem. cap.* 9. *verſ.* 1. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum?* Res verò ad extremam conditionem, & anguſtias adducta his modis prouerbialiter explicari videtur, *vt comedant ſtercora ſua, & bibant vrinam pedum ſuorum*, & ſimilibus.

Aqua pedũ, & capitis.

Prouerbiũ.

[g] *Facite mecum benedictionem.*] Non petit homo ſuperbiſſimus Rabſaces à Iudæis, ſecum vt liberales ſint; ſed potiùs, vt ita ſe gerant, vt à ſeipſo poſſint benedictionem obtinere, id eſt, honeſte accipi, & liberali, atque benigna manu tractari; Hoc magis liquet ex 4. *Regum* 18. vbi hoc ipſum ſic explicatur: *Facite mecum quod vobis eſt vtile.* Et Septuaginta vertunt, *ſi vultis benedici. Benedictio* itaque paſſiuè ſumitur hoc ſenſu: Ita accipite regiam conditionem, & fidem, vt ab eo gratiam ineatis, propter quam in vos benignus, & beneficus eſſe poſſit Aſſyriorum Rex. 8.

Veſtes in dolore laceratæ.

[h] *Et ingreſſus eſt Eliacim, &c. ſciſſis veſtibus.*] 9.
Cùm Iudæi blaſphemiam contra Deum audirent, conceptum ex ea dolorem veſtium laceratione ſignificabant: vt fecit Pontifex *Matthæi* 26. vt oſtenderet ſe à Chriſto audiiſſe blaſphemiam. Et *Ierem. cap* 36. grauiter notantur, qui cùm viderent legis volumen lacerari, & comburi, non ſciderunt veſtimenta ſua. Quod etiam in graui aliquo dolore, & luctu faciebant Hebræi. Sic Dauid 2. *Regum* 1. audita Saul, & Ionathæ cæde; Et *cap.* 3. in exequiis Abner. Sic Iacob *Geneſ.* 37. cùm exiſtimauit mortuum eſſe Ioſeph. Fuit ergo Ezechiæ legatis duplex cauſa cur ad dominum ſuum ſciſſis redirent veſtibus, vt & populo oſtenderent impium Rabſacen blaſphemam in Deum exeruiſſe linguam, & ea ſpecie, atque habitu quem cœpiſſent dolorem ex legatione infeliciter obita, ſignificarent.

Argu

Argumentum trigeſimi ſeptimi capitis Iſaiæ.

CVM accepiſſet Rex Ezechias à legatis qualiter eſſet res cum Aſſyrio tranſacta, miſit ad Iſaiam legatos, qui & illum de legationis euentu certiorem facerent, regióque nomine contenderent, vt rem totam per orationem Domino commendaret. Per quos Iſaias ſecuro eſſe animo Ezechiam iubet, nihilque periculi ab Aſſyrio timere. Cùm autem iuxta verbum Domini accepiſſet Senacherib, Tharacam Æthiopum Regem bellum moliri contra ſe, ſtatuit illi omni ratione quamprimum occurrendum eſſe: atque ita à Ieruſalem caſtra contra Æthiopes abduxit: miſſis tamen priùs ad Ezechiam minacibus litteris, quibus nihil ſibi non arrogabat, contra Iudæos, & Deum Iſrael. Quas cùm Ezechias ad templum tuliſſet, Deum orauit, vt ſuperbi Regis cogitata dilueret: reique Iudaicæ patrocinium ſuſciperet. Quem iterum Iſaias conſolatur, & confirmat à metu. Primùm ſeuera denuncians Senacherib, quem, ac ſi coràm adeſſet, terribili vaticinio compungit. Deinde ſecunda omnia promittens Ezechiæ. Ad extremum per prolepſim, quomodo deletus fuerit Aſſyriorum exercitus, Réxque ipſe ignobilem inierit fugam, ac denique à filiis in templo ſit occiſus, oſtendit.

CAPVT XXXVII.

1 *ET factum eſt: cùm audiſſet Rex Ezechias, ſcidit veſtimenta ſua, & [a] obuolutus eſt ſacco, & intrauit in domum Domini.*

2 *Et miſit Eliacim, qui erat ſuper domum, & Sobnam ſcribam, & ſeniores de ſacerdotibus opertos ſaccis ad [b] Iſaiam filium Amos prophetam.*

3 *Et dixerunt ad eum. Hæc dicit Ezechias, [c] Dies tribulationis, & correptionis, & blaſphemiæ dies hæc: [d] quia venerunt filij vſque ad partum, & virtus non eſt pariendi.*

4 *Si quomodo audiat Dominus Deus tuus verba Rabſacis, quem miſit Rex Aſſyriorum Dominus ſuus ad blaſphemandum Deum viuentem, exprobrandum ſermonibus, quos audiuit Dominus Deus tuus. Leua ergo orationem pro reliquiis, quæ repertæ ſunt.*

5 *Et venerunt ſerui Regis Ezechiæ ad Iſaiam.*

6 *Et dixit ad eos Iſaias. Hæc dicetis domino veſtro. Hæc dicit Dominus, [e] Ne timeas à facie verborum quæ audiſti, quibus blaſphemauerunt pueri Regis Aſſyriorum me.*

7 [f] *Ecce*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 CVM audiſſet Ezechias, quid ea legatione deſignaret Aſſyrius; & qualis fuiſſet Rabſacis oratio, ſcidit, vt in dolore ſolet, veſtimenta ſua, & ſacco veſtitus cilicino in domum Domini ſupplex ingreſſus eſt.

2 Et miſit Eliacim, & Sobnam, quos antè legatos ad Rabſacen mandarat, & ſeniores de ſacerdotum ordine obuolutos ſacco ad Iſaiam prophetam filium Amos.

3 Qui Ezechiæ nomine hæc detulerunt ad Iſaiam mandata. Dies hic tribulationem populo impendere admonet, & correptionem à Deo, qui noſtra vult punire flagitia; qui etiam impij Regis ſuperbiam, & impudentis legati blaſphemiam audiuit. Ad extremum diſcrimen res videtur deduci Iudaica; & in eo laborare ſtatu, in quo mulier, quæ cùm proxima ſit partui, vires tamen non habet ad edendum fœtum; Qui rerum articulus non procul abeſt ab interitu.

4 Ora ergo Dominum, ô Iſaia, pro reliquiis populi, quas Rex impius, & potens ad cædem exquirit. Si quomodo Deus impios, & audaces ſermones puniat, quos locutus eſt Rabſaces; quem Rex Aſſyriorum eo conſilio miſit, vt linguam acueret procacem, & impiam contra Deum viuentem, cuius ipſe ſermones præſens audiuit.

5 Serui verò Regis eius imperio obſecuti, hæc regio nomine ad Iſaiam detulerunt.

6 Quos Iſaias hoc à Deo reſponſum Ezechiæ renunciare iubet. Hæc dicit Dominus, Nullum tibi metum incutiant inflata illa verba, & ſtultæ cuiuſdam arrogantiæ plena, quæ ore ſacrilego Aſſyrij Regis legati contra

meum nomen , & gloriam locuti ſunt.

7 Ego igitur iniiciam eius animo ſpititum timoris, atque perturbationis: audiet nuncium, qui illum ab obſidione ſubmoueat: reuertetur denique in terram ſuam, ibíque ſuorum gladio tandem occumbet.

8 At Rabſaces legatione peracta reuerſus eſt ad Lobnam, quam tunc oppugnabat Senacherib: audierat enim eô tranſlata fuiſſe Aſſyriorum caſtra de Lachis.

9 Eo verò tempore accepit Aſſyrius ſibi ab Æthiopum Rege Taracha bellum inferri, qui iam è ſuis finibus egreſſus nunciabatur. Tunc autem iterum legatum ad Ezechiam mittit cum his mandatis.

10 Caue ne tibi fraudi ſit Deus tuus, in quo tibi fiducia eſt, dum te ſecuro animo eſſe iubet; quaſi nunquam Hieroſolyma in hoſtium poteſtatem ventura ſit.

11 Neque enim te latet, quo ſucceſſu bella tentauerint Aſſyrij Reges, quemadmodum ſe geſſerint in omnibus prouinciis, quas ſuo ſubiugarunt imperio. Et ſperas euadere te poſſe communem illam plagam, quam regiones aliæ declinare non potuerunt?

12 Nunquid familiares Gentium, & domeſtici dij, contra maiorum meorum potentiam auxilio fuerunt illis nationibus, quæ Aſſyriorum armis ſtratæ, ac debellatæ ſunt? Gozam dico, Haram, & Reſeph, & quæ ad Eden pertinent, & Thalaſſat.

13 Neque ignota, aut obſcura loquor. Vbi nunc eſt Rex Emath, & Arphad? Vbi Rex Sepharuaim, Ana, & Aua? quorum nihil iam extat præter infelicem memoriam.

14. 15 Acceptis tunc Regiis literis, è nunciorum manibus Ezechias; atque perlectis, in templum aſcendit, & illas ante faciem Domini explicuit, & expandit, & in hæc verba ſupplex orationem inſtituit.

16 Domine virtutum, Deus Iſrael, qui tuum ſuper Cherubinos exaltaſti ſolium, verè tu ſolus es Deus non huius, aut illius tantùm prouinciæ, quales eſſe putantur Gentilium dij, ſed omnium Regnorum, quotquot in terra ſunt; ídque iure optimo, cùm cælum, ac terram omnipotenti dextera ipſe formaueris.

17 Aduerte Domine aures tuas, & audi: aperi oculos, & vide. Vide inquam, & audi quid contra populum tuum, imò quid contra te locutus fuerit Senacherib. Verè enim ipſius impudentes, barbaríque ſermones, non tam aduerſus populum minæ, quàm contra Deum viuentem blaſphemiæ ſunt.

18 Nihil ſcio, confingit Aſſyrius, dum prouincias, atque regiones parentum ſuorum armis expugnatas, atque in ſolitudinem redactas gloriatur.

19 Verum

7 [f] *Ecce ego dabo ei ſpiritum, & audiet nuncium, & reuertetur ad terram ſuam, & corruere eum faciam gladio in terra ſua.*

8 *Reuerſus eſt autem Rabſaces, & inuenit Regem Aſſyriorum præliantem aduerſus Lobnam. Audierat enim, quia profectus eſſet de Lachis.*

9 [g] *Et audiuit de Taracha Rege Aethiopiæ, dicentes, Egreſſus eſt, vt pugnet contra te. Quod cùm audiſſet, miſit nuncios ad Ezechiam dicens.*

10 *Hæc dicetis Ezechiæ Regi Iudæ loquentes, Non te decipiat Deus tuus, in quo tu confidis dicens, Non dabitur Ieruſalem in manu Regis Aſſyriorum.*

11 *Ecce, tu audiuiſti omnia quæ fecerunt Reges Aſſyriorum omnibus terris, quas ſubuerterunt, & tu poteris liberari?*

12 *Nunquid eruerunt eos dij Gentium, quos ſubuerterunt patres mei Gozam, & Haram, & Reſeph, & filios Eden, qui erant in Thalaſſar?*

13 *Vbi eſt Rex Emath, & Rex Arphad, & Rex vrbis Sepharuaim, Ana, & Aua?*

14. 15 *Et tulit Ezechias libros de manu nunciorum, & legit eos, & aſcendit in domum Domini, & expandit eos Ezechias coram Domino. Et orauit Ezechias ad Dominum dicens.*

16 *Domine exercituum Deus Iſrael, qui ſedes ſuper Cherubim: tu es Deus ſolus omnium regnorum terræ, tu feciſti cælum, & terram.*

17 *Inclina Domine aurem tuam, & audi: aperi Domine oculos tuos & vide, & audi omnia verba Senacherib, quæ miſit ad blaſphemandum Deum viuentem.*

18 *Verè enim Domine deſertas fecerunt Reges Aſſyriorum terras, & regiones earum.*

19 *Et*

19 *Et dederunt Deos eorum igni; non enim erant dij, ſed opera manuum hominum, lignum, & lapides, & comminuerunt eos.*

19 Verum eſt enim iſtud, verum item quòd Gentilium dij traditi ſunt flammis, & in cinerem verſi. Quid tamen hoc mirum, cùm dij illi non ſint, ſed inania, ac mortua ſimulacra, dolata è ligno, aut è lapide ficta. Quæ vt humanis expreſſa ſunt manibus; ſic etiam hominum opera diſſolui, atque comminui potuerunt.

20 *Et nunc Domine Deus noſter ſalua nos de manu eius: & cognoſcant omnia regna terræ quia tu es Dominus ſolus.*

20 Nunc ergo Domine ab illo nos periculo defende, quod Aſſyrius minatur, & intentat: vt omnes intelligant te verum, & ſolum eſſe Deum, quem non impunè blaſphemarit, atque exprobrarit Senacherib.

21 *Et miſit Iſaias filius Amos ad Ezechiam, dicens. Hæc dicit Dominus Deus Iſrael: Pro quibus rogaſti me de Senacherib Rege Aſſyriorum.*

21 Dixit autem Iſaias filius Amos ad Ezechiam per internuncios. Hæc tibi, ô Ezechia, ad ea, quæ de Senacherib interrogaſti, per me reſpondet Deus.

22 *Hoc eſt verbum quod locutus eſt Dominus ſuper eum; [h] Deſpexit te, & ſubſannauit te [i] virgo filia Sion, poſt te caput mouit filia Ieruſalem.*

22 Hoc itaque contra Senacherib accipe diuinum oraculum: Deriſit te libero, atque procaci bonutio Senacherib, ô filia Sion, à nullo hactenus hoſte ſubiugata: contra te, inquam, eum amaro ludibrio caput iactabit, ô filia Ieruſalem.

23 [k] *Cui exprobraſti, & quem blaſphemaſti, & ſuper quem exaltaſti vocem, & leuaſti altitudinem oculorum tuorum? Ad ſanctum Iſrael.*

23 At tu, ô Senacherib, contra quem acuiſti maledicam, atque ſacrilegam linguam? Contra quem clamores inſanos, & barbaros ſonitus ſuſtuliſti? Contra quem eleuaſti ſuperbum, & graue ſupercilium? Sanè contra ſanctum, & terribile numen, quod veneratur, & colit Iſrael.

24 [l] *In manu ſeruorum tuorum exprobraſti Domino, [m] & dixiſti, In multitudine quadrigarum mearum ego aſcendi altitudinem montium, iuga Libani: & ſuccident excelſa cedrorum eius, & electas abietes illius, & introibo ad altitudinem ſummitatis eius, ſaltum Carmeli eius.*

24 Per ſeruos tuos maledicam exeruiſti linguam contra Dominum: dixiſtique non minùs ſtolidè quàm arroganter. Ego quadrigis meis viam aperui per montes impeditos, & arduos, & ad ſublimia quoque Libani penetraui. Quidquid in illo excelſum eſt, ſiue in abiete, ſiue in cedro, id omne ſuccidam: & ad ſummum vſque faſtigium ingrediar. Quod etiam idem in Carmelo perficiam.

25 [n] *Ego fodi, & bibi aquam, & exiccaui veſtigio pedis mei omnes riuos aggerum.*

25 Eæ mihi fuerunt militum copiæ, vt quicquid aquarum fuit collectum in ciſternis, aut in vallibus, profundiſque locis oppoſita mole; quocumque exercitus veſtigium poneret, id totum exhauſerit. Ea quoque poteſtas, & induſtria, vt in locis aridis, vbi collectitiæ aquæ copia non erat; puteos effoderim, aquáſque ex illis hauſtas potauerim.

26 [o] *Nunquid non audiſti quæ olim fecerim ei? Ex diebus antiquis ego plaſmaui illud; [p] & nunc adduxi, & factum eſt in eradicationem collium compugnantium, & ciuitatum munitarum.*

26 Ignoras, ô Senacherib, quæ hactenus abs te facta commemoras, cuius virtute, atque auſpiciis peracta ſint. Ego ipſe hæc feci: cuius tibi argumentum eſſe poteſt, quòd hæc multò antè futura prædixi, quæ hoc tempore per te, non tamen tuis viribus, impleri volui. Ego tibi ad ciuitates illas munitas, quæ ſitæ ſunt in montium faſtigio, per arduum, atque impeditum aſcenſum, aditum aperui.

27 [q] *Habitatores earum breuiata manu contremuerunt, & confuſi ſunt: [r] facti ſunt ſicut fœnum agri, & gramen paſcua, & herba tectorum, quæ exaruit, antequam matureſceret.*

27 Neque eſt cur tibi illarum ciuitatum expugnationem adſcribas: quando habitatorum, atque propugnatorum manus ego diſſolui, cùm illis virtutem, & audaciam ad reſiſtendum negaui. Quare exanimatum populum ſubiugare

28 [s] *Habi*

magni

magni negotij non fuit; cùm fuerit inſtar fœni, aut herbæ, quæ in paſcuis naſcitur, quam infirmæ etiam beſtiæ conculcant, & carpunt; aut etiam inſtar tectorum herbæ, quæ antequam ad ſuam, quantulacumque eſt, maturitatem venerit, exareſcit.

28 Ego noui quæcumque molitus ſis, ſiue cùm te ipſum; & caſtra aliquò moueres extra propriam ſedem; ſiue cùm in regno tuo habitares, & quieſceres. Et quemadmodum, contra me; cuius auſpiciis omnia geſſiſti, inſanos, & arrogantes ſpiritus aſſumpſeris.

28 [f] *Habitationem tuam, & egreſſum tuum, & introitum tuum cognoui, & inſaniam tuam contra me.*

29 Cùm aduerſus me ſtolida fureres inſania, verbáque funderes plena blaſphemiæ: illa ego præſens audiebam. Quare, vt dignum recipias tua arrogantia, atque ſtupore ſupplicium, ego te in patriam, vnde deduxeram, ita reducam, quemadmodum bubalus ad aratrum trahitur, ſeu plauſtrum affixo naribus circulo, aut aſinus, ad ſarcinas.

29 *Cùm fureres aduerſum me, ſuperbia tua aſcendit in aures meas. [t] Ponam ergo circulum in naribus tuis, & frænum in labiis tuis, [u] & reducam te in viam per quam veniſti.*

30 Hactenus de Senacherib. Nunc ad te, ô Ezechia reuertor: cui hæc dicit Dominus. De victu obſeſſi, atque afflicti populi, noli laborare: Hoc anno comedes quæ vltrò fuderit campus ab Aſſyrio calcatus; Secundo arbores tibi copioſè parient poma, quibus ciues alantur. Tertio anno iam hoſte aut proſtrato, aut ex tuis finibus ſubmoto, ſementem facere ſecurè licebit; & plantare vineas, ex eiſque ad ſatietatem vſque fructus decerpere.

30 [y] *Tibi autem hoc erit ſignum, comede hoc anno quæ ſponte naſcuntur, & in anno ſecundo pomis veſcere. In anno autem tertio ſeminate, & metite: & plantate vineas, & comedite fructum earum.*

31 Erunt autem reliquiæ Ieruſalem, vſque adeò felices, vt creſcant, roborentúrque, non aliter atque plantæ, quæ altas radices deorſum agunt, vnde ad firmitatem magis ſunt robuſtæ, & ſublimes ſurſum ramos expandunt.

31 [z] *Et mittet id quod ſaluatum fuerit de domo Iuda, & quod reliquum eſt, radicem deorſum, & faciet fructum ſurſum.*

32 °Quia de Ieruſalem exibunt, qui reliqui fuerint poſt tot bellorum motus, & clades aſſiduas: qui ad priorem ſtatum reuocent, inſtauréntque illa, quæ aut concuſſa ſunt, aut collapſa poſt Aſſyriorum appulſum. Hæc verò adſcribenda ſunt Dei benignitati, cui curæ, atque ſtudio eſt res Solymitana.

32 [aa] *Quia de Ieruſalem exibunt reliquiæ, & ſaluatio de monte Sion: zelus Domini exercituum faciet iſtud.*

33 Propter hoc ſtudium, quo ciuitatem proſequor, témque Iudaicam, non permittam, vt Rex Aſſyriorum ciuitatem introeat, aut intra mœnia illius ſagittam iaculetur, aut clypeati milites illam occupent, neque denique vt aggerem circumfundat, & vallum.

33 *Propterea hæc dicit Dominus de Rege Aſſyriorum.* [bb] *Non intrabit ciuitatem hanc, & non iaciet ibi ſagittam: & non occupabit eam clypeus, & non mittet in circuitu eius aggerem.*

34 Reuertetur autem ſpe, cogitationéque fruſtratus, eadém via, qua Iudæorum fines populabundus ingreſſus eſt: neque ciuitatem vnquam Solymitanam intrabit, dicit Dominus.

34 *In via qua venit, per eam reuertetur, & ciuitatem hanc non ingredietur, dicit Dominus.*

35 Ego enim ciuitatis huius ero propugnator; vt illam ab hoſtili periculo defendam; tum propter me, cuius in hoc rerum articulo honor intercedit; tum propter Dauid, cuius ego merita hoc etiam modo compenſare volo.

35 *Et protegam ciuitatem iſtam, vt ſaluem eam propter me, & propter Dauid ſeruum meum.*

36 Quod Deus nunc per Iſaiam promiſit Ezechiæ,

36 [cc] *Egreſſus eſt autem Angelus Domini, & per*

& percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia. Et ſurrexerunt manè, & ecce omnes cadauera mortuorum.

Ezechiæ, id biennio exacto, poſt peractam Æthiopicam expeditionem compleuit. Nam cùm victrices copias ad obſidendam Hieroſolymam retuliſſet Aſſyrius, Angelus Domini aggreſſus eius caſtra, centum octoginta hominum millia percuſſit; in quæ cum orta iam luce, ingrederentur Iudæi, nihil ibi, præter mortuorum cadauera repererunt.

37 *Et egreſſus eſt, & abiit.* [d] *Et reuerſus eſt Senacherib Rex Aſſyriorum, & habitauit in Niniue.*

37 Quam cædem cùm Rex Aſſyriorum Senacherib effugiſſet, in patriam, vnde venerat, reuerſus eſt; habitauitque, vt antea in Niniue, Regia ſede, & totius regni metropoli.

38 *Et factum eſt, cùm adoraret in templo Neſroch Deum ſuum, Adramelech, & Saraſar filij eius percuſſerunt eum gladio, fugerúntque in terram Ararat, & regnauit Aſarhaddon filius eius pro eo.*

38 Accidit autem, vt non pridem ab illa fuga, cùm in templo Aſſyriorum Deum Neſtoch ſupplex adoraret, à filiis ſuis in parentis cædem coniuratis interficeretur. Qui cùm Ararat patrato parricidio ſe recepiſſent, Aſarhaddon parenti ſuo Senacheribo in regno ſucceſſit.

IN CAPVT TRIGESIMVM SEPTIMVM COMMENTARIVS.

1\. [a] OBVOLVTVS *eſt ſacco.*] In dolore, & luctu ſaccum aſſumi non ſolùm inter Hebræos vſitatum, ſed etiam inter gentes. De Hebræis notius eſt quàm vt probari debeat, & docet ſatis hoc loco pius Rex Ezechias, & Legati, qui etiam induti ſacco ad Iſaiam miſſi ſunt. De Gentibus pro omnibus ſit Rex Niniue, qui & ipſe indutus eſt ſacco, & vt alij idem facerent publicè edixit.

Saccus in luctu.

2\. [b] *Ad Iſaiam filium Amos prophetam.*] Hieronymus tranſtuliſſe videtur *propheta*, quod nomen pertinere magis putat ad Amos Iſaiæ parentem, quàm ad Iſaiam. Vbi obſeruandam dicit Iſaiæ modeſtiam, qui, cùm de ſe ſcribat, prophetæ nomen ſilet, cùm 4. *Reg.* 19. quando ab alio hæc eadem hiſtoria texitur, vocetur propheta. Et adducit exemplum B Matthæi, qui cùm de ſe loquitur *cap.* 6. publicanum ſe nominat; alij verò Euangeliſtæ magis de illo honeſtè loquuntur; Sed quid dicendum ſit de patre Iſaiæ, in proœmio oſtendimus huius libri: vbi negauimus prophetam eſſe Iſaiæ patrem. Neque hîc locus contrarium ſuadet, quia vt habemus in Bibliis à Sixto correctis *propheta* in tertio caſu eſt, non in ſecundo; quare ad Iſaiam, non ad Amos referendum eſt.

Pater Iſaiæ non Amos propheta.

3\. [c] *Dies tribulationis, & correptionis, & blaſphemiæ dies hæc.*] Hæc optimè partitur Hieronymus. Tribulationem accommodat populo, cui ab Aſſyriis graue videtur impendere infortunium: Correptionem Deo, qui id agit incuſſo metu, aut inflicta C plaga, vt populus ad meliorem mentem redeat: blaſphemiam Senacherib, qui ſe quiduis poſſe ſuperbè iactat, atque eſſe à Deo fruſtra ſperandum auxilium. Quibus verbis ſatis elucet Regis optimi pietas. Primùm quia agnoſcit quicquid malorum eſt id à Deo propter peccata inflictum eſſe populo, vt ſanet, non vt perdat: non vt euertat, ſed vt corripiat.

A Deinde quia tertio, id eſt, ſummo loco ponit Rabſacis blaſphemiam, quaſi id ægriùs ferat, quàm aliud quod ſuum eſt, aut populi damnum.

[d] *Venerunt filij vſque ad partum, & vires non eſt pariendi.*] Deſcriptio eſt vehementiſſimi doloris, quem in ſcriptura ſæpe ſignificat dolor parturientis, aut dolor partus, & ſummi periculi, aut vitæ deſperatæ, quod tunc proximè imminet, quando in difficili partu languida eſt, aut exanimata puerpera, quæque eniti non poſſit, quem in vtero geſtat fœtum. Pro *partu*, Hebr. eſt מסבר *maſber*, id eſt, ruptura ſeu fractura; nempe os vuluæ, quod cùm anguſtum ſit, à fœtu diſrumpitur. Vbi ſummus dolor eſt, & vires tunc, & nixus maximè neceſſarij parturientibus; Seu certè, quia naſcente puero ſecundinæ rumpuntur. Eodem genere orationis vſus eſt Eccleſiaſticus *cap.* 48. *verſ.* 21. cùm de hoc ipſo tempore, atque periculo ageret: *Tunc*, inquit, *mota ſunt corda, & manus ipſorum. & doluerunt quaſi parturientes.* Videtur autem hoc eſſe Hebræorum prouerbium, quale illud Latinorum: *In acie nouaculæ.* 4.

Prouerbiũ.

[e] *Ne timeas à facie verborum.*] Id eſt, *à ſermonibus.* Nam *facies alicuius* idem eſt quod *aliquis*, ſeu *aliquid*: adiungitur enim in illum vſum, etiam rebus inanimatis, vt *facies frigoris, facies tempeſtatis*, pro frigore, & tempeſtate. Vide quæ diximus ad illud *cap.* 25. *verſ.* 7. *A facie vinculi colligati.* 5.

[f] *Ecce ego dabo ei ſpiritum, & audiet nuntium, & reuertetur ad terram ſuam.*] Antequam ad Iſaiam 6.
C accederent legati, iam illi Dominus oſtenderat, quid eſſet Regi reſponſurus, vt dicit Hieronymus. Quis verò ſit ſpiritus iſte, ſeu nuncius, quem Dominus dicit daturum ſe regi Senacherib, non eſt admodum explicare promptum. Hieronymus *ſpiritum* aduerſarium putat, quem tamen non explicat, cui ſubſcribunt alij non pauci. Haymo, Dionyſius, Adamus, Foreirus in *ſpiritu* ventum intelligunt, quo

quo inſignis explicatur celeritas, quaſi ocyſſimè venturus ſit nuntius, qui in alia loca ſtatim ab obſidione abducat Aſſyrios. Quòd verò *ſpiritus* ſumatur pro velocitate, aut veloci nuntio, ſentiunt è Patribus plerique, qui illud *Pſalm.*103. *Qui facit angelos ſuos ſpiritus.* Sic accipiunt vt Deus Angelos faciat ventos, quia celeriter omnia permeant, id eſt, ventorum ſimiles. Lyra commotionem, ſeu perturbationem mentis eſſe putat. Ego duo hic diuerſa proponi exiſtimo; alterum in *ſpiritu*, alterum in *nuncio*, vt ipſa litera præ ſe fert non obſcurè, quod vt magis explicem, aliqua priùs obſeruanda.

7. *Spiritus* quicumque animi motus. Primùm *ſpiritum* vocari ex vſu ſcripturæ quemcumque motum, impulſum, affectionem animi, cogitationem, ſuſpicionem, metum, & ſimilia: vt pluribus oſtendimus ad illud *cap.*11. *Et requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini.* Deinde ſolere Deum immiſſo ſpiritu, id eſt, aliquo affectu, aut pulſu, cogitatione, aut metu, cuius cauſam, aut autorem homines ignorant, deterrere homines, aut confirmare; addere, ſeu adimere vires, & audaciam. De audacia, atque animoſitate vnus Samſon exemplo nobis eſſe poteſt, in quem toties contra Philiſthæos irruit Spiritus Domini. De metu, & conſternatione animi plura ſunt, & nobiliſſima exempla. *Geneſ.*35. conſuluit Deus incolumitati Iacob, incuſſo multis ciuitatibus metu. *Cùmque profecti eſſent, terror Dei inuaſit omnes per circuitum ciuitates, & non ſunt auſi perſequi recedentes.* Et *Exod.*23. & *Deut.*7. metum item incuſſit Chananæis ne auderent Iſraelitis reſiſtere. Et in obſidione Samariç ſonitu quaſi equorum, & curruum perterruit Syros, & ſpoliatos ſuis ornamentis in fugam vertit 4.*Reg.*7. Et quidem talem minatur Dominus pauorem populo ſuo, ſi minùs fuerit legis obſequẽs. *Leu.*26. *Fugietis nemine perſequente.* Hi terrores à profanis dicũtur *Panici.*

Geneſ.35.

Leuit.26.

8. Admirabilis Dei prouidentia, & fidelitas, qua populũ ſeruauit ſuum. Huius generis exempla ſunt plurima. Sed notandum valde familiare quoddam exemplum, & ordinarium in populo Dei. Nam cùm infenſas haberet finitimas Gentes dominandi auidas, & natura pugnaces, eo tempore, quo filij Iſrael iuxta legem adoraturi ad templum aſcendebant, quod faciebant ter ſingulis annis, eum ſpiritum, ſeu cogitationem afflabat Dominus vicinis populis, vt cùm ſcirent Hebræorum ciuitates virorum nudatas eſſe præſidio, ſolúmque ibidem reliquum eſſe imbellem fœminarum ſexum; nunquam tamen cogitârint ciuitates illas bello eſſe tentandas. *Exod.*38. *Tribus temporibus anni apparebit omne maſculum tuum in conſpectu omnipotentis Dei Iſrael: Cùm enim tulero Gentes à facie tua, & dilatauero terminos tuos, nullus inſidiabitur terræ tuæ aſcendente te, & apparente in conſpectu domini Dei tui ter in anno.* Res planè admiranda, nunquam magis tuta ciuitas, quàm dum illam viri religionis gratia humano præſidio deſtituunt. Sic ergo, puto, Deus ſpiritum miſit timoris, aut alterius affectus animo Aſſyriorum, quo obſidionem laxarent, vrbémque Ieruſalem ſoluerent à periculo, & ab omni ſollicitudine, ac metu. Fortaſſe ſpiritus timoris fuit ne rex Æthiopum, quem aliquid noui moliri acceperat, res turbaret Aſſyrias; aut aliquid aliorum quæ contra ſe plerumque præſumit mala conſcientia.

Exod.38.

9. Deus tunc magis præſens, cum anguſtiùs vrgemur. Cùm autem ſic eſſet affectus animus Senacherib, vt timendum eſſe exiſtimaret ab omni Æthiopum motu, quo tempore rem Iudaicam anguſtiùs vrgebat, Deus nuncium venire iuſſit, qui Æthiopum conſilia atque conatus aperiret. An verò hic Angelus fuerit, an homo, quærit Abulenſis *in cap.*19.*lib.*4.*Reg.q.*8. & meritò definit Angelum non eſſe. Contigit autem hoc loco Ezechiæ vtbique Sulymiranæ, quod Dauidi *lib.*1.*cap.*23. qui cùm ita premeretur à Saul, vt nullum appareret effugium, nuncius accurrit Philiſthæorum impreſſionem annuncians in Iſraeliticos fines, quo interrumpere cogitata compulſus eſt.

10. Æthiopia duplex. g *Audiuit de Tharaca Rege Æthiopiæ.*] Duplex eſt Æthiopia, de qua ſæpe in ſacris literis; altera poſt Ægyptum, quæ eo nomine communiter ab autoribus vocatur: altera adiuncta terræ promiſſæ finibus, quæ eſt in deſerto Sinai, & in regione Madianitarum, à qua ipſi etiam Madianitæ dicuntur Æthiopes. Vide quæ diximus ad illud *Pſ.*67. *Æthiopia præueniet manus eius Deo.* Sed fuiſſe illam aliam Æthiopiam tenent communiter Patres: Docet Ioſephus *lib.*10. *antiq. cap.*1. & apud eum Beroſus, & Herodotus, vt citat Hieronymus. Poſtremi autem hi tres aliqua addunt, quæ non ſatis congruunt cum hiſtoria ſacra: quæ hic commemorare non eſt neceſſe. Porrò Ægyptum, & Æthiopiam coniungit propheta *cap.* 20. quod mihi omnino perſuadet Æthiopiam illam eſſe, quæ attingit Ægyptiorum fines.

11. h *Deſpexit te, & ſubſannauit te, virgo filia Sion poſt te caput mouit, filia Ieruſalem.*] Hoc eſt oraculum quod Iſaias reddidit ab Ezechia per legatos conſultus: quod duas habet partes. Alteram, quæ fugam, ſtragémque Senacherib ſpectat, alteram quæ ad libertatem, ſalutémque Ieruſalem. More autem prophetico Ieruſalem alloquitur, ſententia eadem bis repetita, & iterum ad Senacherib per eandem figuram ſermonem conuertit. Cæterùm *deſpicere, ſubſannare,* & *mouere caput poſt aliquem*, aut *ſuper aliquem* idem eſt. Eo ſenſu dicitur *Pſalm.*21. *Omnes videntes me deriſerunt me, locuti ſunt labiis, & mouerunt caput.* Et *Matth.*27. idem fecerunt Iudæi Chriſto crucifixo. Eſt autem motus ille capitis ſubſannationi accommodatus. Caput mouere ſubſannationis genus.

12. Virgo dicitur aliqua ciuitas. i *Virgo filia Sion.*] Vſitata Hebræorum phraſis, quæ nomine *filiæ* ciuitatem aliquam circumſcribit. vt *filia Babylonis, filia Edom, filia Tyri*, pro Tyro, Babylone, Idumæa. Dicitur autem Sion *virgo*, non quia idola non coluerit, vt vult Hieronymus, Haymo, & Lyra cum gloſſa ordinaria: tum quia reuera idola coluit, & gentilicas ſordes in templum induxit: vt ſuprà vidimus ſub Achaz: tum etiam quia regiones aliæ, quæ impensè idolorum cultui ſtuduerunt, eodem modo *filiæ virgines* appellantur. Sic vocatur Babylon *cap.*43.*verſ.*6. Sidon *cap.*23. *verſ.*12. Ægyptus *cap.*46. *verſ.*11. Dicitur autem Sion *virgo*, ſiue vt amplificetur iniuria Senacherib, contra Ieruſalem: nam ea iniuria quæ virgini infertur grauior eſt, quia pudori & integritati virginali maior debetur reuerentia; ſiue quia diligentiùs puellaris ætas amatur, & cuſtoditur à parentibus, ſignificat Deus Ieruſalem tanquam teneram, & dilectam virginem ſibi futuram eſſe cuſtodiæ. Sed fortaſſe alia ratio eſt eò melior, quò etiam patet ad omnia, quibus illud datum eſt virginis nomen; quia ad illud vſque tempus Ieruſalem nunquam expugnata fuerat, neque violata ab hoſtibus; neque, ex quo in Hebræorum poteſtatem venit, vnquam paſſa fuerat alienum torum, id eſt, alienarum Gentium iugum ſubierat. Quam etiam ob cauſam exiſtimo *filiam* etiam *virginem* vocari Babylonem, Sidonem, & Ægyptum, quia nihil graue ad Iſaiæ tempora ab hoſte pertulerant.

13. Neque huic cogitationi admodum incommodat,

Regula. Res interdū nomen ſeruat quod paulò ante amiſit, vnde *virgo* dicitur, quæ nuper corrupta.

dat, quòd etiam poſt Chaldæorum direptionem vocatur *virgo* Ieruſalem. *Thren.1. verſ.15. Torcular calcauit Dominus virgini filiæ Iuda.* & *Thren.2. verſ.13. Cui exæquabo te, & conſolabor te virgo filia Sion.* Nam ex vſu ſcripturæ res retinere ſolent nomen, quod proximè habuerant. Qua ratione Simon *leproſus* dicitur, etiam poſtquam à lepra curatus eſt, & cæci dicuntur *videre*, & *ambulare* claudi, quia paulò antè cæci, & claudi fuerant. Et in hoc ipſo nomine exempla ſunt tum apud ſacros; tum apud profanos ſcriptores. Virgil. *Ecloga* 6. de Paſiphae.

Ah virgo infelix, quæ te dementia cepit.

Et Terentius *in Andria* de puella nuper violata, *Virgo illacrumat.* Ioel *cap.1. Plange quaſi virgo accincta ſacco, ſuper virum pubertatis tuæ.* Eodem igitur modo Chaldæorum armis ſubacta Ieruſalem *virgo* dicitur, quia paulò antè metaphorico ſenſu virgo erat.

14. [k] *Cui exprobraſti, & quem blaſphemaſti, &c. ad ſanctum Iſrael.*] Hæc iam ſpectant ad Senacherib, qui Deum Iſrael contempſerat, quaſi non poſſet populum Iudaicum ab Aſſyriorum manu liberare, cui Deus oſtendit quantum ſibi ſit virium ad expugnandam humanam potentiam, & quàm amanter olim, & liberaliter populum, cui Senacherib extrema omnia minabatur, proſecutus ſit. Ac ſi dicat. Neſcis, ô Senacherib, quis ſit ſanctus Iſrael, aduerſus quem audaces, & temerarios ſpiritus aſſumpſiſti: ille eſt qui fecit hæc atque illa, quæ ſtatim referuntur.

15. [l] *In manu ſeruorum tuorum exprobraſti Domino.*] Hebraica phraſis quæ *in manu* frequenter vſurpat pro *per.* Eſt autem *in manu ſeruorum* idem quod *per ſeruos.* Sic occurrit ſæpe illud, *Verbum quod factum eſt in manu Aggæi, Zachariæ,* & ſimilia: id eſt, per Aggæum, & Zachariam. Serui verò, per quos Domino exprobrauit Senacherib, fuere Rabſaces, & Tharthan, de quibus 4. *Reg.* 18.

16. [m] *Et dixiſti, In multitudine quadrigarum mearum ego aſcendi altitudinem montium.*] Hæc verba ſunt Senacherib, quibus ſibi nihil non arrogabat. Cætera aperta ſunt; hoc verò de aſcenſu montium paulò obſcurius. Placet quod putat Abulenſis ſupra *quæſt.* 15. loca ardua, quæ tantùm equitibus eſſent peruia ſic eſſe complanata, atque aperta deiectis ſcopulorum obſtaculis, & ſucciſis arboribus, vt quadrigis, quæ non niſi per plana, atque aperta loca trahi poſſunt, commodus, & expeditus eſſet acceſſus. Quæ loca aperuit etiam poſtea Veſpaſianus, cum per eaſdem Libani fauces exercitum traduceret: vt docuit Ioſephus *lib.3. belli cap.5.* & nos pluribus oſtendimus ad illud *Zachariæ* 11. *Aperi Libane portas tuas.* Quod in Alpibus quoque tentauit, atque perfecit Annibal, de quo Iuuenalis *Satyra* 10.

— Oppoſuit natura Alpémque niuémque,
Diduxit ſcopulos, & montem rupit aceto.

Seu certè per Synecdochen Libanus, & Carmelus pro locis ſublimibus vſurpantur, in quorum faſtigiis ſitæ erant ciuitates, ad quarum obſidionem ſuis quoque quadrigis expeditum fuiſſe aſcenſum gloriatur Aſſyrius. Alij metaphoricè hæc accipiunt, & in montibus principes intelligunt, & ciuitates munitas. Neque diſplicet explicatio alia, quæ in Libano, & Carmelo Ieruſalem intelligit, ad cuius faſtigia ſe perueniſſe gloriabatur Senacherib, minabatúrque ſe exciſurum cedros illius, populaturúmque ſaltum Carmeli; id eſt, ablaturum, quæcumque in Ieruſalem ſpeciem haberent, & pretium. Sed placet magis explicatio prima, quam planè perſuadet tranſlatio LXX. *Succidi altitudinem cedri eius; & pulcritudinē cupreſſi, & intraui in altitudinem partis ſyluæ.* Neque multum incommodat quòd extrema per futurum enuntiata ſint; nam vſitatum eſt in Scriptura, vt futurum adhibeatur pro præterito. Et hæc eadem 4. *Reg.* 19. per præteritum expreſſa ſunt. *Succidi ſublimes cedros eius, &c.*

[n] *Ego fodi, & bibi aquam, & exiccaui veſtigio pe-* 17.
dis mei omnes riuos aggerum.] Hunc locum nobis omnium optimè expoſuit idem Iſaias, ſi modò ille eſt, qui argumentum idem ſcripſit 4. *Reg cap.* 19. Vbi hæc eadem eiſdem penè verbis ab auctore ſacro tractantur. ſic enim ille, quicumque eſt. *Et bibi aquas alienas, & ſiccaui veſtigiis pedum meorum omnes aquas clauſas.* Significat ergo Senacherib à copioſo exercitu ſiccatas eſſe aquas, nempe collectitias, quæ ab Iſraelitis in ciſternis ex more ſeruabantur, quæ alienæ dicuntur 4. *Reg.* 19. Ille enim, qui ciſternam foderat, dominus erat eius aquæ pluuialis, quæ in ciſternam aut lacum influebat. Quare filij Iſrael pretio ſibi emebant aquas à Chananæis, quia ciſternarum aquæ non erant communes, ſicut fluuiorum & fontium. Quocirca Deus *Deut.* 2. ſic ad filios Iſrael. *Cibos emetis ab eis pecunia, & comedetis: aquam emptam haurietis, & bibetis.* & *Num.* 20. *Si biberimus aquas tuas nos, & pecora noſtra, dabimus, quod iuſtum eſt: nulla erit in pretio difficultas.* Hinc Nabal 1. *Reg.* 25. *verſ.* 11. *Tollam ergo panes meos, & aquas meas, &c. & dabo viris, quos neſcio vnde ſint.* Has aquas pluuiales, atque concluſas puto vocari *riuos aggerum*, id eſt, aquas in extructo aggere collectas. Vocatur autem aqua illa *riuus*, aut quia riuus eò influxerat, & ciſternas impleuerat, aut quia in anguſta valle obiecto aggere repreſſus: quod in locis arentibus frequens eſt. Cùm ergo defeciſſent aquæ, aut quæ in ciſternis ex imbre concluſæ, aut quæ in vallibus molis & aggeris oppoſitu collectæ, aut etiam fontanæ, quia fortaſſe populi, ad quos aſcenſurus credebatur Aſſyrius, capita fontium obturauerant, aut cæcis alueis aliò deflexerant, ſicut feciſſe dicitur Ezechias 2. *Paralip. cap.* 32. de aqua caſtris alio modo prouidit. Nam cùm militibus abundaret in locis opportunis facilè effodiebat puteos, vnde aquā ad ſatietatem hauriret. Quod fieri debere docet Vegetius *lib.4. cap.* 10. quod feciſſe Cæſar dicitur in bello Alexandrino, vt tradit Hirtius, ac Scipio, vt Appianus de bello Hiſpanico, qui eo conſilio laborantem ſiti exercitum refecerunt.

Aquæ alicubi non communes ſed propriæ.

Si verò hîc *riui aggerum*, aquam fluentem, & 18.
fontanam ſignificent, vt putat Hieronymus, aliquid hîc additur ad ea, quæ *lib.4. Regum* traduntur: neque id hiſtoricæ fidei quicquam incommodat, cùm nihil neget, ſed aliquid addat quod ibi prætermiſſum eſt; cùm ibi tantùm agatur de aqua concluſa, puta in ciſternis, vt diximus, aut in anguſtis vallibus obiecto aggere, quæ *ſtagnum* communiter vocatur. Neque eſt improbabile Aſſyrium exercitum veſtigio ſuo ſiccaſſe riuos, id eſt, vbicumque veſtigium poneret, cùm Xerxes exercitum in Græciam traducens flumina ſiccauerit. Sic Herodotus *lib.7.* Iuſtinus *lib.2.* de quo Iuuenalis *ſatyra* 10.

——— Credimus altos
Defeciſſe amnes, epotáque flumina Medo.
Prandente.

[o] *Nunquid non audiſti, quæ olim fecerim ei? ex* 19.
diebus antiquis ego plaſmaui illud.] Hunc credo locum ſatis expoſuit nobis Iſaias ſuprà *cap.* 10. Vbi

cùm de Senacherib ſimilia verba non hiſtoricè, ſed prophetice retuliſſet, addidit. *Et erit cùm impleuerit Dominus cuncta opera ſua in monte Sion, & in Ieruſalem, viſitabo ſuper fructum magnifici cordis Regis Aſſur: & ſuper gloriam altitudinis oculorum eius; dixit enim, In fortitudine manus mea feci*, &c. Ac ſi dicat, Ego inducam in Iſraeliticos fines Regem Aſſyriorum, vt eo tanquam flagello pertinacem populum caſtigem; ſed vbi ille peruenerit ad Ieruſalem, ibi eum propter ſuperbiam & inſaniam opprimam. Vide quæ ibi diximus, & in hanc ſententiam hunc locum explicat Hieronymus, & Abulenſis ſuprà *quæſt.* 18. Vatablus & Lyra. Sic autem Hieronymus, *Nunc ignoras*, (ò Senacherib) *quòd hæc, quæ feciſti, mea feceris voluntate, & ego hæc futura prædixerim, ac per te facienda mandauerim; itaque quod olim decreui, hoc impletum eſt tempore.* Decreuit autem aut potiùs prædixit *cap.* 10. ab illis verbis *Aſſur virga furoris mei.* Ex his clariùs vertiſſet Hieronymus, ſi eius nobis ſententia probanda eſt, ſi ita redderet, quod ſanè ex Hebraico textu poſſet. *Numquid non audiſti, ò Senacherib, quòd ego olim hæc fecerim* (id eſt, faciendum per te dixerim) *iam olim illud ordinaui*, id enim eſt *plaſmaui*, ſeu *formaui*, id eſt, formam rei gerendæ præſcripſi, & ita penè vertunt Pagninus, Vatablus, & Foreirus. Imò & Hieronymus 4. *Reg. cap.* 19. Sic enim ibi. *Numquid non audiſti quid ab initio fecerim?* Vbi eadem ſunt omnino verba in texto Hebraico.

20. p *Et nunc adduxi, & factum eſt in eradicationem collium compugnantium, & ciuitatum munitarum.*] Senſus eſt, id quod antè fieri decreueram, & quaſi eius imaginem, & exemplar plaſmaueram, ac finxeram, ſicut ſtatuarius ex argilla fingit priùs formam, ad cuius ſimilitudinem ex nobiliori mate[illegible] ſimulacrum excudat: ſic ego quod antea finxeram cogitatione, & obſcurè per meum prophetam ſignificaram, in hoc tempus contuli: nempe vt colles ſterneres, & ciuitates ſubuerteres munitas, quæ contra me pugnant; id eſt, quæ me offendunt; in quas per te quaſi per flagellum corrigere decreui. Hieronymus, & gloſſa per *colles* principes intelligit, qui inter ſe animo diſſidebant hoſtili. Ego non ineptè expoſiturus mihi videbar, ſi per *colles compugnantes*, & *ciuitates munitas* idem ſignificari crederem, nam ciuitates illæ munitæ plerumque in collibus ſitæ erant, quas ipſa muniebat loci natura. *Compugnantes* verò dicuntur, quia facilè pugnare poſſunt è ſuperiori loco, & hoſtiles impetus non ſolùm ſuſtinere, ſed etiam frangere. Huc facit quod 4. *Reg.* 19. *pugnantes* dicuntur in Biblijs à Sixto correctis, non *compugnantes*. Septuaginta *vt vaſtarem Gentes in munitionibus, & habitantes in ciuitatibus munitis.* Neque Senacherib ad cuius inſolentes ſpiritus reſpondent hæc verba, de aliis ciuitatibus à ſe expugnatis glòriabatur, niſi de his, quæ eſſent in montium faſtigiis, & quæ non niſi à præſtante virtute debellari poterant. Porrò ciuitates munitas captas fuiſſe à Senacherib habemus *cap.* 36. *verſ.* 1. *Aſcendit Senacherib rex Aſſyriorum ſuper omnes ciuitates Iuda munitas & cepit eas.*

21. q *Habitatores earum breuiata manu contremuerunt.*] Reddit rationem Dominus cur ciuitatum munitarum, & pugnantium collium habitatores tam facilè expugnari potuerint: quia manus breuiata fuit. Quidam de Dei manu hæc accipiunt, quæ abbreuiata, atque contracta fuit in populos illos, quos per Aſſyrios caſtigare decreuerat. Quare cùm Aſſyriorum manus confortaret, in quibus po-
A fuerat vltricem virgam, manum autem ſuam contraheret ab auxiliando Iſraelitis, imò illorum debilitaret manus, atque diſſolueret neruos, quid mirum ſi tam leui, ac penè nullo debellati fuerint negotio. Sed puto hæc magis eſſe referenda ad Iudæorum manus, quæ abbreuiatæ, id eſt, contractæ dicuntur, quia parum contra Aſſyriorum impreſſionem ſtrenuæ. Quod mihi perſuadeo, quia 4. *Reg.* 19. *verſ.* 26. vbi eadem ſunt omnino verba in textu Hebraico, ſic reddidit interpres. *Et qui ſedent in eis humiles manu contremuerunt.* Hebr. eſt קִצְרֵי יָד *kiſre iad*, quæ ad verbum valent *breues*, ſeu *abbreuiati manu*, id eſt, habentes manum abbreuiatam. Sed quocumque referas, idem ſemper eſt ſenſus.
B Nam ſi Iudæi ab Aſſyriis expugnati ſunt & ſuis ſedibus pulſi, ſi manus habuerunt diſſolutas, & debiles, ideo accidit, quia Deus illis virtutem, & audaciam ad reſiſtendum negauit, quam ad obſidionem vſque Ieruſalem Aſſyriis ſuæ indignationis adminiſtris copioſam impertitus eſt.

r *Facti ſunt ſicut fœnum agri, & gramen paſcuæ, & herba tectorum.*] Hac ſimilitudine ſatis explicatur hominum infirmitas, quos diuinus deſerit fauor: quia herbæ iſtæ dum immaturæ ſunt, & virides, facilè vel à ſole exuruntur, vel marceſcunt à gelu, vel calcatæ pedibus, vel à pecore carptæ defloreſcunt, & pereunt. Quare Deus dum hominum imbecillitatem extenuat, his vtitur ſimilitudinibus, 22.
C infrà *cap.* 40. *Omnis caro fœnum.* Vide ibi plura. *Pſal.* 89. *Mane ſicut herba tranſeat, mane floreat, & tranſeat, veſpere induret & areſcat.* Pro re morali obſerua ciuitatum munitiones, & colles prælaltos, & pugnaces, ſi Deus offenſus ſit, manúmque ab auxiliando contrahat, verti in fœni; & herbæ tectorum futilitatem, & herbæ adhuc immaturæ mollitiem; quæ facilè vruntur, & vaneſcunt: & in gramen paſcuæ, quod omnium pecorum, atque armentorum dentibus propoſitum eſt.

Omne præſidium offenſo Deo infirmum.

ſ *Habitationem tuam, & egreſſum tuum, & introitum tuum cognoui.*] Per hæc tria omnia ſignificantur, quæ fieri ab hominibus poſſunt. De ingreſſu, atque exitu, quibus omnia hominum facta atque conſilium comprehenduntur, res eſt adeò certa, vt 23.
D penè abierit Hebræis in prouerbium. *Num.* 27. de Ioſue. *Ad verbum eius ingredietur, & egredietur*, id eſt, nihil faciet, niſi ex Moyſis imperio. 2. *Paralip.* 1. *Benedictus eris ingrediens, & egrediens.* & *Pſal.* 120. *Dominus cuſtodiat introitum tuum, & exitum tuum.* Hiſpanus *todo aquello en que puſieres mano.* *Habitatio* hîc aliquid addit ad ſuperiora, ídque non leue: nam præter exitum, & introitum, aliquid adhuc ſpectatur in homine, nempe habitatio, & quies, quæ longè ab ingreſſu, atque exitu ſunt, in quibus quies nullo modo reperitur. Ait ergo Dominus nihil ſibi eſſe non exploratum, quod molitus fuerit Senacherib: ſiue cùm ſeipſum, & caſtra aliquò mo-
E ueret extra propriam ſedem, ſiue cùm in regno ſuo, aut in debellatis aliorum finibus quieſceret. Eodem loquendi genere vſus eſt Dauid *Pſal.* 138. *Tu cognouiſti ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam*, aut ſtare meum & ſurgere meum, id eſt, omnia opera mea. Quod *reſurrectio* in Pſalmo, id eſt *egreſſus, & introitus* in Iſaia: & quod ibi *ſeſſio*, idem hîc eſt *habitatio*: & vtroque loco Hebr. eſt יָשַׁב *iaſab*, quod *ſtare*, atque *ſedere* valet.

In ingreſſu, & egreſſu omnia ſignificantur.

t *Ponam ergo circulum in naribus tuis, & frænum in labiis tuis, & reducam te in viam, per quam veniſti.*] Dignum ſanè ſupplicium inſolentis animi, vt qui ſe ſupra homines eſſe putat ad muti, atque 24.
ignobilis

ignobilis bruti ſimilitudinem abiiciatur. Abduxerat Dominus Senacherib iuxta ea, quæ ſuprà dicta ſunt à nobis, in terram Iſrael cum inſtructu regio glorioſè triumphantem; nunc verò idem, qui adduxerat: aut potiùs triumphantis in modum traduxerat Deus, minatur eundem à ſe reductum iri ignobilem, abiectum, non ſolùm ornamentis, ſed etiam caſtris nudatum, in terrá vnde venerat, non ſecus, atque bubalus ad aratrum trahitur affixo naribus æneo circulo, vt ferebat illius ætatis, atque regionis conſuetudo, aut ad ſarcinas aſinus, aut mulus inſerto hamo.

25. Supplicium meritis accommodatum. Hic ego aliquid magis occultum odorati videor, quod curioſo lectori indicabo breuiter potiùs, quàm perſuadebo. Obiectum nuper fuerat Aſſyrio, quòd ſubſannaſſet Virginem filiam Sion; ſubſannatio verò fit, aut diſtorto ore, & exerta lingua inſtar canis, & naſo rugato, & adunco. De lingua atque ore Perſius *ſatyra* 1. Vbi cùm ageret de ſannarum generibus ait.

" *Nec lingua quantum ſitiat canis Appula.*

De naſu rugato, atque adunco, nihil eſt quod dicā, cùm iam *naſus* prouerbiali ſpecie pro irriſione ſumatur, & nemo neſciat quid ſit apud poetas *naſo quemquam ſuſpendere.* In ſubſannatione verò illa ſuperbi Regis veriſimile eſt cùm moueret caput, quod paulò antè feciſſe dicitur, vibraſſe quoque naſum contumelioſè, & os diſtorſiſſe, ac linguam exeruiſſe petulanter. Punit ergo Dominus ſannas illas ſupplicio maximè ad Regis contumeliam attemperato: naſo enim infiget hamum, ſeu circulum; ori verò frænum iniiciet, ne pars quæ Aſſyriæ arrogantiæ ſeruierat, maneret impunita.

26. Prouerbiū. ² *Reducam te in viam, per quam veniſti.*] Prouerbialis ſpecies apparet in his verbis qua ſignificatur irritus alicuius conatus, qui tam eſt longè, vt quicquam promoueat, vt potiùs retrò redeat malè mulctatus. Idem ſtatim reperitur *verſ.* 34. *In viam, qua venit, per eam reuertetur.* Simili adagio vtitur Hiſpanus. qui cùm ſignificat aliquem re infecta rediiſſe, ait, *voluioſe por do vino.*

27. ³ *Tibi autem hoc erit ſignum, comede hoc anno, quæ ſponte naſcuntur; & in anno ſecundo pomis veſcere; in anno autem tertio ſeminate, & metite.*] Sermonem dehinc conuertit ad Ezechiam, tempúſque definit, quo ad antiquam tranquillitatem populus reuerſurus ſit, id eſt, poſt duos annos, vt Hieronymus, & alij cenſent. Eſt autem veriſimile regem Aſſyrium obſediſſe regiones proximas Ieruſalem, in eiuſque agros excurſiones feciſſe prædandi gratia, & arborum fructus, ſi qui erant eſui non immaturi, decerpſiſſe eo tempore, quo adhuc meſſis erat in herba, ſoluiſſéque obſidionem repentino nuntio de Æthiopum aduentu, conculcatis iam frugibus; ita vt nulli, aut exigui prouentus ex eo ſatu ſperari potuerint. Ait igitur Dominus, vt eo anno Solymitani comedant, quod in agro reliquum fuerit è frugibus ab Aſſyriorum ſtrage. Hoc verò ſponte naſci dicitur, etſi priùs à Iudæis ſeminatum, quia perinde id habebatur poſt Aſſyriorum appulſum, ac ſi nihil eo anno factum eſſet ſementis. Nam quod hoſtes, aut latrones non abſtulerunt, in beneficio ponimus, perinde atque ſi ſponte nullo noſtro labore, ac merito nobis eſſet oblatum. Deinde quia rediturus erat Senacherib anno ſequenti ab expeditione Æthiopica, & populaturus quidquid ſatum eſſet à ciuibus, monet ne eo anno ſementis fiat, ſed veſcantur pomis. Cùm autem anno eodem extinguenda ſit Aſſyriorum potentia, neque ab illis deinceps aliquid inferendum mali; iubet vt deinde alacres, & ſecuri ſeminent, terræque prouentibus quàm velint copioſè, & ſine metu fruantur.

28. Hæc iuxta verſionem Hieronymi, in qua ſecutus eſt Symmachum. Septuaginta aliter vertunt. *Comede hoc anno, quæ non ſeminaſti; & anno ſecundo reliquias: tertio verò ſeminantes metite.* Quam verſionem non improbat Hieronymus, iuxta quam hic eſt ſenſus. Hoc anno comede, quod ex anni ſuperioris prouentu reconditum eſt: ſecundo anno, quæ vltrò terra fundit: tertio verò iam ſublato hoſte, & metu, ſeminare, & plantare tutò licebit; quam explicationem ſequitur Vatablus: & in ſua tranſlatione indicat Foreirus, imò & Hieronymus non improbat, ſed potiùs admittit: qui dum hæc eadem verba vertit 4. *Reg.* 19. ſic ait. *Comede hoc anno, quæ repereris; in ſecundo autem anno quæ ſponte naſcuntur; porrò in tertio anno ſeminate.* Sed antequam ad alia gradum faciamus, operæ pretium erit tranſlationem huius capitis cum tranſlatione capitis illius deciminoni, id eſt, vulgatū cum vulgato componere, quod ſanè aliquid operæ deſiderat. Id igitur agamus.

29. In textu Hebraico eadem ſunt vtroque in loco verba, vno tantùm paululum immutato, ſed tranſlatio non eadem. Nam 4. *Reg. cap.* 19 dicitur *Comede hoc anno quæ repereris; ſecundo autem anno, quæ ſponte naſcuntur:* Hic verò *Comede hoc anno, quæ ſponte naſcuntur; & in anno ſecundo pomis veſcere.* Pro his *quæ ſponte naſcuntur*, Hebr. eſt ספיח *ſapiach*, quæ vox ſignificat id quod ſine vlla opera, aut induſtria hominum naſcitur, ſeu ſponte fundit terra, ſiue quod ex relictis anni ſuperioris granis in agro naſcitur. Sed eſt mihi veriſimile hoc loco ספיח *ſapiach*, eſſe quod ex radicibus demeſſæ, aut conculcatæ ſegetis pullulat; quod Hiſpanus vocat *retoño* aut *rennenos.* quod mihi ſuadet vocis ſignificatio: quia ספח *ſaphach, congregare* eſt ספיח *ſaphiach, id quod aggregatur:* Aggregari verò dicitur, quod non quæſitum ad laborem agricularum accedit. Sed maximè id probatur *ex cap.* 26. *verſ.* 5. *Leuit.* Vbi ſabbatiſmus, id eſt, requies indicitur agris à Deo, vt neque ספיח *ſaphiach*, meti poſſit; quia iam Deus quod ſatis eſſet in vſum duorum annorum prouiderat. Pro ספיח *ſaphiach*, verò Vulgatus reddidit *quæ ſponte gignit humus*, & iterum *verſ.* 11. *ſponte in agro naſcentia.* At quis credat prohibitam eſſe meſſem illorum, quæ repoſita eſſent in horreis anno ſuperiori, quod nonnulli cenſebant? Hæc verò optimè vocari poſſunt vel *ſponte naſcentia*, vt dicitur hîc, vel *quæ repereris*, vt 4. *Reg.* quia illa, quæ eo modo pullulant, ex eo quod conculcatum, aut excuſſum, aut demeſſum eſt ſine vlla agricolarum noua induſtria, repentina caſit, aut oblata gratis videri poſſunt. Hoc autem loco credo *ſponte nata* dici, quæ ex radicibus conculcatæ ſegetis erumpunt, non quæ ex relictis granis orta, vt putabat S. Thom. & Lyra. Nam ſi plena iam erant, & matura grana, qualia in meſſe ſunt, nihil ex illis naſci poterat, quod vſui eſſe poſſet in illum primum annum, quia in æſtate in qua meſſis frumentaria plerumque fit, & plenæ ſunt ſpicæ, & grana matura, non poteſt renaſcentibus frugibus maturitas eſſe tempeſtiua in illum annum. Secus eſt ſi ſegetis, modò ſit in herba, radix maneat, quocumque enim tempore, ſi adſit benignior cœli clementia, ex illa noui oriuntur culmi, & fructus colliguntur interdum vberes, & pleni: immò nonnunquam

quam in ſolo pingui primos, atque illæſos ſegetum prouentus æquare ſolent. Quare confirmat Dominus Ezechiam, qui timere poterat, ne de paſtis, ac popularis agris ab Aſſyrio, populus laboraret fame, & ait ſatis ad vſum illius anni fore frumenti ex frugibus ea deſperata meſſe ſponte naſcentibus, quod ſignum eſſe vult eorum, quæ in alios deinde annos Aſſyriis minatur.

30. Pro eo quod 4. *Reg.* Vulgatus vertit, *quæ ſponte naſcuntur*, & hic *pomis veſcere*, Hebr. eſt hic שחים illic סחיש *sachis*, vbi facta eſt metatheſis, ſeu tranſpoſitio literarum, quæ ſine vlla ſignificationis varietate in aliis quoque dictionibus apud Hebræos reperitur, כשב *ceſeb*, *agnus* eſt, & altera tranſpoſitata litera כבש *cebes*, ſignificatio manet eadem. שמלה *ſimlah*, *veſtis* eſt, item שלמה *ſilmah*, quod idem omnino in hac voce שחים *sachis*, dicendum eſt. Hanc vocem Rabbi Dauid, & Pagninus ea eius ſententia putant ſignificare id, quod ea radice germinat; & quidem Pagninus ſic exponit: *Primo anno veſceris eo, quod ex radice pullulat: ſecundo eo quod ex granis ortum eſt.* Quare etiamſi ſeminatio nulla ſit, non tamen populo in duos annos frumentum deerit quibus res frumentaria futura videbatur anguſtior.

31. Sed puto vocem illam שחים *sachis*, aliquid ſignificare amplius, id nempe, quod naſcitur ex eo, quod eo anno ſatum non eſt, ſed ex radice antiqua, aut ex labore alterius anni, qualis eſt arborum fructus, qui prouenit è planta longè ante illud tempus ſata, aut ſine nouo cultu, aut opera ex granis, aut herbarum radicibus priùs relictis. Quare optimè Vulgatus hîc per ſynecdochen poma adhibuit, pro his, quæ ex antiqua radice ſuo nutu proueniunt; 4. tamen *Reg. cap.* 19. propriè, atque vniuerſaliùs pro his, quæ quoquomodo ſponte naſcuntur. Quod aliis locis in variis dictionibus fecit Vulgatus, quando vox Hebraica eiuſmodi eſt, vt totam eius latitudinem aſſequi non poſſit vna vox Latina. Tunc enim diuerſis in locis variè ab interprete redditur. Exempla ſunt plurima, accipe nunc duo, vox תירוש *tiros*, quæ id ſignificat quod ab aliquo exprimitur, modò à Vulgato per *oleum*, modò per *vinum* redditur, modò per vtrumque. vt *Pſal.* 4. *A fructu frumenti, vini & olei ſui.* Et נטפות *netphoth*, quod *guttarum* ſignificat, id eſt illud, quod gemmis guttarum inſtar micantibus ſplendet, Hieronymus ſuprà *cap.* 3. duobus nominibus expreſſit, *torquibus & monilibus.* Sic quia Vulgatus totam latitudinē vocis שחים *sachis*, vno non poterat, duobus nominibus Latinis expreſſit.

Regula. Vna vox Hebraica duobus aliquando nominibus exprimitur.

32. Antequam hinc emigro, addam, quod Lyra hîc cenſet ex ſententia Rabbi Salomonis. Ait enim Aſſyrios conculcaſſe ſegetes, & arbores excidiſſe, ita vt nullus iam ex illis fructus ſperari potuerit: feciſſe tamen Deum, vt neque ſegetes eſſent ſine ſpicis, neque arbores ſine pomis: nam primo anno ea his, quæ conculcatæ ac penè emortuæ ſegetes produxerunt, victitauit populus; ſecundo anno ea pomis, quæ ex arboribus ab hoſte ſucciſis prouenerunt. Quæ duo, quæ proximè expertus eſt Ezechias, ſignum eſſe voluit Deus eorum, quæ de libertate ciuitatis, & fuga Senacherib antè promiſerat. Quod ſanè minùs quàm ſolet abs re, confingit hic nugator Rabbi Salomon.

33. *a Emittet id quod ſaluatum fuerit de domo Iuda, & quod reliquum eſt mittet radicem deorſum, & faciet fructum ſurſum.*] Sulatur iam Ezechiam & Solymitanos ciues alio nomine, qui mœrere, & conturbati iure optimo poterant, cùm ciuitates Iuda afflictas, ſpoliatas ornamentis, & orbatas ciuibus viderent. Ait ergo illos, qui de domo Iuda reliqui fuerint, vſque adeò ſtrenuos ac felices futuros, vt collapſa erigere, ruinoſa inſtaurare, rem denique Iudaicam variè concuſſam ad antiquum ſplendorem reuocari poſſint. Quod optima, & prouerbiali, vt reor, ſimilitudine declarat, in qua Hebræorum more comparationis nota prætermittitur. Erunt, inquit, reliquiæ Ieruſalem adeò felices, vt creſcant, roborentúrque non aliter atque plantæ, quæ altas radices deorſum agunt, & ſublimes ſurſum ramos expandunt. Hæ autem plantæ communiter fructuoſæ ſunt, & altis nixæ radicibus facilè ventis, & temporis iniuriis reſiſtunt. Secus eſt aliis plantis quibus horum vtrumlibet defuerit; nam ſi radices non agunt altas, quantumuis ſurſum ſe ſublimes attollant, neque fortes ſunt, neque diuturnæ, vt ex quorundam ſententia docet Plinius *lib.* 16. *cap.* 31. qui docet breuitate radicum arbores celeriùs conſeneſcere. Quæ propter eandem cauſam, ſi ventus violentior ingruerit, facilè euelluntur. Contrà accidit his arboribus, quæ altis radicibus terram amplexæ ſunt; vt de æſculo docet Plinius *ſupra*, & Virgilius 2. *Georgic.*

——quæ quantum vertice ad auras
Æthereas, tantum radice ad tartara tendit.
Ergo non hyemes illam, non flabra, nec imbres
Conuellunt.

Neque ſatis eſt ad felicem arborem, vt profundis nitatur radicibus, ſi aut parum extet à terra, vt frutex, rubus, geniſta, aut infirma ſit caudice, vt carex, & arundo, quæ neque ſpeciem habent, neque commoditatem fructuum, aut materiæ ad conſtituendam nouam, & fulciendam antiquam, & ruinoſam domum. Eſt autem elegans deſcriptio plantæ nobilis, & optima metaphora, qua felix hominum ſucceſſus, & optima fortuna ſignificatur.

Optimæ plantæ deſcriptio.

aa Quia de Ieruſalem exibunt reliquiæ, & ſaluatio de monte Sion.] Iam explicat quidnam ſit reliquum illud, quod radices aget, & ramos extendet. Sunt autem, qui cum Ezechia fuerunt in Ieruſalem, quos terruit, non tamen debilitauit Senacherib. Illi ergo egreſſi ex vrbe conſtituerūt, quæ ab hoſte concuſſa fuerant, atque conuulſa aliis in locis, integrarúntque ea, quibus ille bellorum motus plurimùm abſtulerat. Aliqui hæc ad Euangelium referunt, ſalutémque Gentibus per Apoſtolos allatam, qui ex Sion egreſſi omnem terram peruagati ſunt. Typicè fateor: at hiſtoricè ſicut reliqua omnia exiſtimo, cum aliis communiter, de ſtatu rerum Iudaicarum eſſe intelligenda. 34.

bb Non intrabit ciuitatem hanc, & non iaciet ibi ſagittam.] Hinc conſtat ſtatim, atque ex pugna Æthiopum rediit Senacherib, antequam ciuitatem obſideret, & aggeres excitaret, accidiſſe ab angelo ſtragem illam, quæ Aſſyriorum vires attriuit. An verò iuxta Ieruſalem, aut alio in loco clades illa contigerit, ſuprà docuimus ad illud *cap.* 30. *Præparata eſt ab heri Topheth.* vbi diximus accidiſſe prope Ieruſalem in valle Ioſaphath. 35.

cc Egreſſus eſt autem Angelus Domini, & percuſſit, &c.] Hæc acciderunt biennio, aut eo circiter poſt iſtud vaticinium, id eſt, poſt longam illam moram, quam poſuit Aſſyrius in ſubiuganda Ægypto, atque Æthiopia: nempe poſtquam vno anno comedit populus, quæ ſponte naſcuntur, & altero victitauit pomis. Narrantur autem hîc à propheta, vt oſtendat quemadmodum fidem habuerint, quæ prædi- 36.

 cta

cta ſunt. Sicut paulò antè cùm dixiſſet Dominus datuꝛum ſe ſpiritum vtique timoris Aſſyriis, & audiendum nuntium, ſtatim ſubiecit, audiuiſſe nuntium de bellico Æthiopum apparatu: & ita ſtatim auertiſſe exercitum à Iudæa. Quo genere mortis perierint Aſſyrij diximus *cap.* 10. ad illud *Subtus gloria eius.* Vide Abulenſ. *in lib.* 4. *Reg.*

37. Hiſtoria Senacherib à profanis ſcripta. Neque hîc omittendum puto hanc hiſtoriam notam eſſe gentilibus, quam tamen ipſi, ſicut alia pleraque, quæ à ſacris ſcriptoribus accepere ſuis impleuerunt nugis, & ridiculis fabellis corruperunt. Narrat enim Herodotus in Euterpe ad finem, impium Senacherib diuino auxilio nudatum armis in turpem fugam fuiſſe conuerſum. Sed fallitur in multis, primùm in loco, quia id in Ægypto euenisse prodit, & multò magis in cladis acceptæ narratione. Nam quæ Iſaias Angelo, ea Herodotus muribus violatæ religionis vltoribus aſcribit: & quæ de Ezechia narrat Iſaias, ea Herodotus ſacerdoti Vulcani, qui tunc apud Ægyptius dominabatur, tribuit. Sed præſtat audire ipſum Herodotum. *Cùm Sanacheribus Arabum, Aſſyriorúmque Rex, cum magnis copiis inuaſiſſet Ægyptum, tunc memorant ſacerdotem conſilij inopem in cœnaculum ſe contuliſſe, ibique apud ſimulacrum comploraſſe, quanta pati periclitaretur, eique inter lamentationem obrepſiſſe ſomnum, & inter quietem viſum aſtare Deum exhortantem nihil ipſum moleſtiæ paſſurum, ſi copiis Arabum obuiam iret; ſe enim auxiliarios ei miſſurum. His in ſomnis fretum ſacerdotem ſumptis Ægyptiorum his, qui ſecum vellent caſtra in Peluſio poſuiſſe,* &c. *Et cùm peruenissent noctu effuſam ipſis hoſtibus vim agreſtium murorum, qui illorum tunc pharetras, tum arcus, tum ſcutorum habenas obederunt, ita vt poſtera die hoſtes armis exuti fugam fecerint multis amiſſis. Eóque iſte Rex in templo Vulcani lapideus ſtat manu murem tenens, atque hæc per literas dicens: In me quis intuens pius eſto.* Mihi dubium non eſt ab veriſſima, & grauiſſima hiſtoria ortam eſſe hanc leuiſſimam, & ridiculam fabulam; quia hîc nihil ferme eſt, cui non in illo fabuloſo commento reſpondeat aliquid;

A ſed corruptum, vt vides.

38. Cur Senacherib à filiis occiſus. [dd] *Et reuerſus eſt Senacherib Rex Aſſyriorum, & habitauit in Niniue, & factum eſt cùm adoraret in templo,* &c. *filij eius percuſſerunt eum.*] Cur filij percuſſerint Senacherib varia à variis traduntur. Lyra adducit ſententiam Rabbi Salomonis, quam non improbat; Quòd ſcilicet Senacherib timens ſuorum odia, qui grauiter ferebant filios, & amicos extinctos, vt eorum placaret animos, aut manus effugeret, promiſit Deo ſuo ſuorum filiorum victimam, quod cùm filij fuiſſent odorati, præuerterunt parentis conſilia, ipſiúſque cædem maturè occuparunt. Vide Abul. ſuprà *q.* 30. Quàm diu verò vixerit in Niniue ab ea clade, quam diuinitus accepit, non conſtat, ſed vixiſſe aliquos dies non paucos

B veriſimile eſt *ex cap.* 1. *Tobiæ.* Vbi traditur reuerſum è Iudæa vexaſſe vehementer Iudæos, & eorum plurimos occidiſſe, ita vt Tobias bonis ſuis ſpoliatus à Rege cum vxore confugerit. Ab hac autem fuga poſt quadraginta dies Senacherib dicitur obtruncatus à filiis.

39. Cur non eſt cum aliis ab Angelo percuſſus. Quærit Abulenſis ſuprà *q.* 30. cur Senacherib cum aliis multis non fuerit ab Angelo percuſſus prope Ieruſalem: & rationes affert varias quas apud illum vide. Nos cum Hieronymo dicimus ideo fuiſſe ſeruatum, vt cognoſceret potentiam, contra quam ſuperbè atque impiè fuerat locutus. Addo ego vt ignominiam ſubiret fugæ, tum in ſuis, tum in aliorum regnis, quæ victor non multò antea luſtrauerat; quæ ſuperbo regi multò erat ipſa morte

C acerbior. Deinde, ſicut Pharao extremus omnium periit, vt ſui regni plagas, & primogenitorum mortem priùs videret, & Sedechiæ non priùs effoſſi ſunt oculi, quàm filiorum cædem aſpexit, ſic neque Aſſyrio Regi vita erepta priùs eſt, quàm cædem ſuorum, quàm regni perturbationem, & lachrymas, quàm ſuorum motus contra ſe incitatos ſpectare contigit. Accedit quod mortem pertulit illatam à filiis, quo quid acerbius? Non ergo euaſit Angeli gladium, vt mortem declinaret, ſed vt duriùs atque ignominioſiùs periret.

Argumentum trigeſimi octaui capitis Iſaiæ.

QVO tempore caſtra contra Æthiopes mouit Senacherib, reuerſurus iterum ad obſidendam Hieroſolymam, mortifero morbo correptus Ezechias iuſſus eſt à propheta, vt res domeſticas componeret, quaſi ineluctabilis eſſet leti ex eo morbo neceſſitas. Qui nuncius ita perculit grauiter Regium animum, vt ad parietem conuerſus, Deum ſupplex orauerit pro ſalute. Quam Dominus non ſolùm impertitus eſt, ſed etiam ad vitam quindecim annorum vſuram adiecit: & ab Aſſyriorum armato furore libertatem promiſit. Quóque magis ægrum confirmaret animum, in eius beneficij ſignum, & fidem, in horologio Achaz vmbra per decem lineas retrò conuerſa eſt. Gratus ergo tanto beneficio religioſus princeps, gratulatorium canticum publicè in tabulis exarari iuſſit. In quo primùm quid ipſe de ſe, atque rerum euentu cogitauerit, ſcribit; Deinde quid acceperit à Domini liberali manu. Ad extremum ſe tanto beneficio gratũ fore promittit, curaturúmque ne vllo vitæ ſuæ tẽpore non celebretur.

CAPVT XXXVIII.

1 [a] IN *diebus illis ægrotauit Ezechias vſque ad mortem: & introiuit ad eum Iſaias filius Amos propheta, & dixit ei: Hæc dicit Dominus,*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 QVo tempore Rex Aſſyriorum Senacherib contra regem Æthiopũ Tharacam caſtra conuertit, contigit vt Ezechiam grauis, atque letalis mor-

bus inuaderet: ad quem ingreſſus Iſaias, hæc à Deo detulit mandata. Res tuas domeſticas, ac Regias compone; quia iam iam impendet inluctabilis mortis neceſſitas, neque vlla iam ampliùs tibi conceditur vſura vitæ.

2 Tunc verò Rex conuerſus ad parietem, ne preces, aut orandi ſtudium aliorum conſpectus impediret, diuinam his verbis miſericordiam ſollicitat.

3 Recordare obſecro, quomodo eo te loco ſemper habuerim, vt nihil mihi potius fuerit, aut antiquius, quàm vt verè, & ſeriò tuam voluntatem exquirerem; quódque tibi gratum fore cognoſcerem, ad illud præſtandum tota animi contentione, ſtudio, atque impetu contenderem. Hęc inter verba, & vim lachrymarum maximam profudit, & ægros traxit, & anhelatos è pectore ſingultus.

4 Vix dum Rex precationem iſtam breuem abſoluerat, cùm Iſaias hoc rurſus à Deo de Ezechia verbum accepit.

5 Reuertere, & Ezechię à me, quem ipſius pater Dauid veneratus eſt, iſta refer. Exorarunt à me, quas audiui preces, atque ſingultus, & lachrymæ, quibus oculos tuos ſtillare vidi, vt aliquot vitæ tuæ fiat annorum acceſſio. En ad eos, quos hactenus vixiſti, alios quindecim ætatis annos adiicio.

6 Illud præterea efficiam ne quid aduerſus te, aut ciuitatem tuam valeant Aſſyriorum vires; quam ego in meam fidem, & tutelam recipio.

7 Ne verò, aut de loquentis, aut de promiſſorum fide dubites, dabit tibi Dominus ſignum, quod tibi eximat omnem ambigendi cauſam.

8 Vmbra enim quæ iam inclinato ad occaſum die in Regio Achaz horologio deſcenderat, repetito ſpatio, quod emenſa fuerat, per decem lineas retrorſum reuocabitur. Quæ diuina promiſſio fidem ſtatim habuit, vmbra decurſo ſpatio per decem gradus, ad illud, vnde progreſſa fuerat, principium redeunte.

9 Cùm autem ab ipſa penè mortis neceſſitate reuocatus, & priſtinæ valetudini reſtitutus eſſet Ezechias, illius beneficij extare voluit publicum monumentum. Quare rem totam in tabulis deſcribendam curauit.

10 Cùm in ea eſſem ætate, quæ in aliis humanæ vitæ curriculum dimidiat; ſic ſalus mea vexabatur anguſtè; vt mihi omnino perſuaderem actum eſſe de vita, & nihil eſſe propiùs, quàm vt ad parentum meorum cœtum adiungerer.

11 De reliquo vitæ meæ ſpatio, de quindecim videlicet annis, quos addidit Deus, ſic cogitabam, atque ſi omnino illorum vſuram nullam habiturus eſſem. Dicebam itaque mecum viuendi deſperatione concepta. Non iam ampliùs inter viuos Dominum viſam in templo ſancto ſuo;

Diſpone domui tuæ, [b] quia morieris tu, & non viues.

2 [c] *Et conuertit Ezechias faciem ſuam ad parietem, & orauit ad Dominum.*

3 *Et dixit, Obſecro Domine, memento quæſo quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum eſt in oculis tuis fecerim. Et fleuit Ezechias fletu magno.*

4 [d] *Et factũ eſt verbum Domini ad Iſaiam dicens.*

5 *Vade & dic Ezechiæ, Hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui, Audiui orationem tuam, & vidi lachrymas tuas. Ecce ego adiiciam ſuper dies tuos quindecim annos.*

6 *Et de manu Regis Aſſyriorum eruam te, & ciuitatem iſtam, & protegam eam.*

7 *Hoc autem tibi erit ſignum à Domino, quia faciet Dominus verbum hoc quod locutus eſt.*

8 [e] *Ecce ego reuerti faciam vmbram linearum, per quas deſcenderat in horologio Achaz in ſole retrorſum decem lineis. Et reuerſus eſt ſol decem lineis per gradus quos deſcenderat.*

9 [f] *Scriptura Ezechiæ Regis Iuda cùm ægrotaſſet, & conualuiſſet de infirmitate ſua.*

10 [g] *Ego dixi:* [h] *In dimidio dierum meorum* [i] *vadam ad portas inferi.*

11 [k] *Quæſiui reſiduum annorum meorum. Dixi,* [l] *Non videbo Dominum Deum in terra viuentium:* [m] *non aſpiciam hominem vltrà, & habitatorem quietis.*

12 [n] *Gene*

ſuo;neque cum hominibus pacem illam,& quietem videbo, quam debellatis Aſſyriis per Iſaiam nuper Dominus populo promiſit Iudaico.

12 [n] *Generatio mea ablata eſt: & conuoluta eſt à me, quaſi tabernaculum paſtorum.* [o] *Præciſa eſt velut à texente, vita mea: dum adhuc ordirer, ſuccidit me.* [p] *De mane vſque ad veſperam finies me.*

12 Actum eſſe dicebam de vita mea; quæ ſic videbatur iam ad communem viam vniuerſæ carnis eſſe procincta; ſicut tabernacula paſtoris: quæ pro vnius noctis mora conſtruuntur, ad commodiorem vectationem, vt aliò transferantur, conuolui ſolent. Aut vitæ filum ſic in ipſo penè exordio fuiſſe præciſum, velut ſiquis telam, quam ordiri cœpit, ſtatim abrumpat. Sanè momenti inſtar vitæ meæ ſpatium fore cenſebam.

13 [q] *Sperabam vſque ad mane,* [r] *quaſi leo ſic contriuit omnia oſſa mea.* [ſ] *De mane vſque ad veſperam finies me.*

13 Cùm noctu grauiter morbus vrgeret, non vltra diei ſequentis diluculum vitam mihi pollicebar: ſic enim durè à morbo vexabar, ac ſi cruentis leonis vnguibus lacerarer. Breue itaque vitæ meæ tempus fore cenſebam.

14 [t] *Sicut pullus hirundinis ſic clamabo, meditabor vt columba.* [v] *Attenuati ſunt oculi mei ſuſpicientes in excelſum.* [x] *Domine vim patior,* [y] *reſponde pro me.*

14 Dicebam ergo in eo rerum conflictu apud animum meum; Clamabo ſicut hirundinis pulli in nido derelicti, qui vitæ deſiderio dum cibum expectant, famem ſuam multis ſignificationibus oſtendunt. Clamabo item ſicut columba, cuius vox gemitus eſt, & lugubre lamentum. Oculi verò dum ſurſum aſpiciunt è cœlo ſalutem ſperantes, attenuati ſunt, & morte iam impendente caligant. Ergo, ô Domine, auxiliare mihi extrema patienti, neque enim poſſum ſine te, quin morbi grauitati ſuccumbam.

15 [z] *Quid dicam, aut quid reſpondebit mihi, cùm ipſe fecerit?* [aa] *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.*

15 Sed, miſerum me, ſi Deus ipſe eſt, à quo letali plaga percutior: quid illi dicam? quid obtendam? contra quem illum patronum aduocabo? Cùm hoc vno verbo & ſe defendere, & omnem meam cauſam iugulare poſſit: ſi tantùm dicat, Ego feci. Aliud igitur defenſionis genus aggrediar. Quando reuocare annos, qui iam præteriere, non poſſum, recognoſcam illos, ô Domine, in conſpectu tuo cum dolore, & lachrymis, quibus ſcio vel ab irato pectore extorqueri poſſe miſericordiam.

16 [cc] *Domine ſi ſic viuitur, & in talibus vita ſpiritus mei,* [dd] *corripies me & viuificabis me.*

16 Sic ego mecum, cùm incurabili vexarer morbo. At nunc Domine, ex tam graui periculo, ſi poſt exertos, atque adactos mortis ſtimulos tua benignitate viuo: ſi ad mortem ita deducis, vt ab illa reuoces, quid non ſperandum de tua benignitate?

17 [ee] *Ecce in pace amaritudo mea amariſſima.*

17 Ecce animi mei angor, & dolor, quem præſentis mortis metus attulerat, & amaritudo ſupra modum acerba, recepta ex deſperatione ſalute, in pace ſunt, neque ægrè afficiunt æſtuantem animum.

18 [ff] *Tu autem eruiſti animam meam, vt non periret; proieciſti poſt tergum tuum omnia peccata mea.*

18 Quoniam reſtituta corpori ſalute, animæ quoque ſuam ſanitatem reddidiſti, ne vtrumque periret, neque peccatorum meorum recordatus es, quæ tuum in me furorem inſtigarant.

19 [gg] *Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te:* [hh] *non expectabunt, qui deſcendunt in lacum, veritatem tuam.*

19 Quicquid autem vitæ meæ temporis addidiſti, id totum tuis laudibus celebrandis impendam, quia id mortui præſtare, & qui in ſepulcris dormiunt, exhibere non poſſunt. Quia illi

neque expectant, neque videbunt quanta fidelitate præſtiteris, quæ de republica noſtrâ ab Aſſyriis tuenda, & de mea valetudine temperanda promiſiſti.

20 Qui nunc vitalem ſpiritum trahit, ille laudabit, ſicut & ego hodie facio: neque id facient tantùm, qui nunc in viuis agunt; ſed etiam eorum poſteri, quibus parentes quotidie eius beneficij magnitudinem prædicabunt.

20 [ll] *Viuens viuens ipſe confitebitur tibi, ſicut & ego hodie: pater filiis notam faciet veritatem tuam.*

21 Domine, me, rémque Iudæorum publicam, vt promiſiſti ſerua: & in domo tuo nomini conſecrata, in tanti beneficij memoriam aſſiduè cantabimus.

21 [ll] *Domine ſaluum me fac, & pſalmos noſtros cantabimus cunctis diebus vitæ noſtræ in domo Domini.*

22 Huc vſque canticum pro Regis ſalute: quam hoc modo conſecutus eſt. Iuſſerat enim Iſaias vt concinnatum de ficubus cataplaſma vulneri imponeretur: ſic enim fore vt ſanaretur à morbo. Quem Ezechias antè rogarat de ſigno ſanitatis futuræ: qua impetrata aſcenſurûs eſſet in templum.

22 [mm] *Et iuſſit Iſaias vt tollerent maſſam de ficis, & cataplaſmarent ſuper vulnus, & ſanaretur. Et dixit Ezechias, Quod erit ſignum quia aſcendam in domum Domini?*

IN CAPVT TRIGESIMVM
OCTAVVM COMMENTARIVS.

1. Quo tempore ægrotauit Ezechias.

[a] IN *diebus illis ægrotauit Ezechias vſque ad mortem.*] Dubitant hîc interpretes, quo tempore ægrotarit Ezechias, an, quo tempore Senacherib graſſabatur per Iudæam, vel dum bella cum Æthiopibus gereret, aut certè poſt cladem ab Angelo diuinitus acceptam. Quidam nondum receſſiſſe putant Senacherib ex Iudææ finibus, quia ſtatim *verſ.* 6. dicitur, *De manu Regis Aſſyriorum eruam te, & ciuitatem iſtam.* Et hoc mihi videtur omnino dicendum, aut ſaltem cùm primùm perculſus Senacherib nuncio de Æthiopum aduentu contra illos ſtatim caſtra conuertit. Nam quòd prius narretur ſtrages exercitus Aſſyrij, parum incommodat, quia per prolepſim claritatis gratia plurima ante ſuum tempus commemorari ſolent. Et hîc peculiaris eſt ratio, vt oſtendatur impletum eſſe, quod à Domino fuerat prædictum. Sed probat hoc Abulenſ. 4. *Reg* 20. *quæſt.* 2. quia vt liquet 4. *Reg. cap.* 18. & 2. *Paralip. cap.* 29. regnauit Ezechias annos vigintinouem. Deinde habemus hic *cap.* 36. veniſſe Senacherib in Iudæam anno decimoquarto regni Ezechiæ. Vixit autem Ezechias poſt morbum quindecim annos, vt ex hoc capite perſpicuum eſt. Ergo neceſſe eſt, vt paulò poſt aduentum Senacherib. id eſt, decimoquarto anno regni ſui, morbo iſto laboraret Ezechias: neque enim aliter vigintinouem anni compleri, ac definiri poſſunt. Si ante aduentum Senacherib morbum iſtum ponas, id eſt, ante annum Ezechiæ decimum quartum, minus vigintinouem annis regnaſſe deprehendetur Ezechias: ſi poſt deletum Senacherib (quod cenſet hiſtoria ſcholaſtica & Ioſephus, *lib.* 10. *Antiquitat. cap.* 3.) cùm cædes illa contigerit duobus annis poſt aduentum Aſſyriorum contra Iudæam, vt ex capite ſuperiori planè conſtat, ſi illos addas quatuordecim, quos ante illum aduentum in regno peregerat Ezechias, erunt ſexdecim, ante quindecim alios quos ſolutus iam à morbo vixit Ezechias: atque ideo vnum & triginta annos dicetur regnaſſe, contrà quàm docet Scriptura, quæ regnum Ezechiæ viginti nouem annis definit.

De morbi genere diuinant auctores. Vide Abul. 2.
4. *Reg. cap.* 20. *quæſt.* 3. Nobis ſatis eſt morbum fuiſſe letalem. Cur immiſſus à Deo, non conſtat. Hieronymus putat ideo illo letali morbo fuiſſe percuſſum ne glorioſo rerum euentu inſoleſceret, quem ſequuntur alij. Quod mihi videtur veriſimile, modò ne hoc accidiſſe dicatur poſt deletos Aſſyrios, ſed præmiſſum eſſe morbum ne poſtea tam illuſtri atque inopinata victoria regis animus intumeſceret. Res enim ſecundæ ſanctorum etiam hominum animos immoderatiùs efferunt. Quod ſtatim atque à morbo conualuit, paſſus eſt Ezechias, vt capite ſequenti videbimus, & apertè dicitur *lib.* 2. *Paralip. cap.* 32. *Sed non iuxta beneficia, quæ acceperat retribuit. quia eleuatum eſt cor eius.*

[b] *Quia morieris tu, & non viues.*] Solet Scriptura ſignificare id eſſe futurum, quod rerum natura fert vt fiat, etiam ſi Deus naturæ vim & efficaciam impediturus ſit. Exempla plura adduximus *Act. cap.* 23. *num.* 15. Nunc accipe quoddam rei propoſitæ valde accommodatum 4. *Reg.* 8. Rogatus Eliſeus à Benadad Rege Syriæ, an ex infirmitate eſſet euaſurus, reſpondit; *Sanaberis: porrò oſtendit mihi Dominus, quia morte morieris.* Leuandum à morbo dicit, quia morbus non erat ita grauis, vt illum extingueret, quaſi diceret: Quod ad vim morbi attinet, illum non eſſe periturum, periturum tamē alio mortis genere, nempe vi extrinſecus allata,

3. Regula. Id ſæpè dicitur, quod rerum natura fert vt fiat.

quam

quam intulit idem Azahel, à quo conſultus eſt Eliſeus, qui dominum Benadad in lectulo decumbentem oppreſſit. Sic ergo periturus erat morbo ingraueſcente Ezechias; neque enim medicina erat vlla, quæ vim mortiferæ qualitatis frangeret; illum tamen Deus à morbo, cui impar eſſet omnis medicorum induſtria, aut medicinarum facultas, ſanitati reſtituit.
4. Porrò vſitatum eſt in Scriptura, vt cū aliquid verè ac ſeriò affirmamus, id aliis, atque aliis verbis explicemus: & plerumque adhibita negatione contrarij. Ioannes *cap.* 1. de Baptiſta. *Confeſſus eſt, & non negauit.* Sic *Ezechielis cap.* 18. *verſ.* 21. & 28. *Vita viuet, & non morietur. Deut.* 28. *verſ.* 13. *Conſtituet te Dominus in caput, & non in caudam: & eris ſemper ſuprà, & non ſubter.* Et ſimilia paſſim.
B Sic hoc loco, vt maior concilietur fides oraculo, eaſdem minas iterat Iſaias cum negatione contrarij, *Morieris, & non viues.*

5. [c] *Et conuertit Ezechias faciem ſuam ad parietem.*] Parietem quidam eſſe putant Regij cubiculi, ne lachrymantem viderent illi, qui aſſidebant ægrotanti. Aut quia viro forti lachrymari turpe exiſtimabatur, aut quia lachrymis, quibus certare cum Deo conſtituerat, ſpectantium oculi parum videbantur opportuni. Alij conuerſum eſſe credunt ad parietem templi, vt qua ratione tunc poſſet in templo videretur orare. Quod in Babylone faciebat quotidie Daniel *cap.* 6. qui apertis feneſtris orabat contra Ieruſalem. Cogitet quiſque vt volet, mihi
C nihil eſt certum.

6. [d] *Et factum eſt verbum Domini ad Iſaiam dicens.*] *Lib.* 4. *Regum cap.* 20. additur. *Antequam egrederetur Iſaias mediā partem atrij, factus eſt ſermo,* &c. Ex quo apparet quantam habuerint vim lachrymæ, & preces Ezechiæ, & quàm Dei animus mollis ſit, & ad miſerendum pronus, quem tam citò ad miſericordiam inflectunt miſerorum gemitus.

7. [e] *Ecce ego reuerti faciam vmbram linearum, per quas deſcenderat in horologio Achaz, in ſole retrorſum decem lineis.*] Non petit Ezechias ſignum & tamen offert liberaliter Deus, imò ſicut fecerat *cap.* 7. eius parenti Achaz, optionem dat, vt liquet 4. *Reg. ſuprà*, malit ne vt vmbra aſcendat decem lineas, an vt totidem gradus redeat retrorſum. Eligit
D hoc poſterius, quia difficilius.

Variæ ſententiæ de vmbra in horologio Achaz.

Hic longa quæſtio eſt inter auctores, an Sol retrorſum redierit decem horas, ſeu, cùm inceptum teneret curſum, vmbra tamen in horologio contra ſuam naturam retrò verteretur, cùm contrà progredi debuiſſet: ita vt non in ſole, ſed in vmbra factum fuerit miraculum. Sunt qui putent ſolem non ſteriſſe ſolùm, vt tempore Ioſue, ſed repetito ſpatio, quod iam fuerat emenſus, decem lineas, id eſt, decem horas retrorſum rediiſſe. Quare cùm ſol in regreſſu decem horas, & totidem in progreſſu conſumpſerit, ſequitur diem illum fuiſſe ſolito longiorem 20. horis. Quòd ſi iam ſol erat occaſui proximus, quia iam decem horarum ſpatium confece-
E rat, quod rurſus remetiendum repetito circulo, ita vt ad duodecimam horam duæ ſupereſſent, quod neceſſariò videtur eſſe dicendum; fit diem illum horas habuiſſe triginta duas. Et ita putat Auguſt. *lib.* 2. *cap.* 48. *de mirabilibus Scripturæ*; & Dionyſius *Epiſtola ad Polycarpum*: & Glicas ex ſententia Hippolyti 2. *parte annalium.* quare dies ille ferme triplicatus fuit.

8. Alij breuiſſimo tempore factam eſſe putant mutationem illam, ita tamen vt obſeruari commodè potuerit in horologio Achaz reuocata decem
A gradibus vmbra. Quod fieri potuit maiori ſolis incitatione; neque enim neceſſe fuit vt ordine ac mora ſolita ſol in ſpatio cuiuſuis gradus luſtrando horam vnam conſumeret. Ita Caietanus *in* 4. *Regum cap.* 20. Procopius hic, & alij plures, cuius ratio non leuis eſt, quia Deus optionem dedit Ezechiæ, vtrum mallet vel in horologio Achaz vmbram decem lineas deſcendere, aut aſcendere totidem: Quòd ſi more ſolito deſcenſuræ eſſent vmbræ, conſumpta hora in ſingulis ſpatiis, nullum eſſet miraculum, eſſet autem magnum, ſi breuiſſimo tempore vmbra illas luſtraret lineas, notaretque quas nonniſi longo percurrere conſueuiſſet. Idem ergo promiſit in aſcenſu, quod promiſiſſe in de-
B ſcenſu videbatur; Idem ſentiunt quidam Hebræorum. Neque huic ſententiæ, inquit Caietanus, obſtat quòd etiam in progreſſu magnum eſſet miraculum, neque eſſet cur Ezechias magis eligeret regreſſum; quia in progreſſu motus ille vmbræ naturalis erat, quod ad rem, etiamſi, quo ad modum, eſſet miraculoſus: at in regreſſu non ſolùm modus ipſe, ſed etiam motus fieri non poterat ſine magno miraculo.

Alij putant diem illum decem tantùm horis 9.
fuiſſe longiorem, quia lineæ in horologio illo Achaz ſpatium diei non horis ſed ſemihoris diſtinguebant. Et in his eſt Abul. 4. *Reg. ſuprà*, quod graui meo iudicio ratione confirmat. Nam cùm Deus
C optionem dedit Ezechiæ vt eligeret vtrum mallet, aut vmbram progredi, aut eandem regredi decem lineis, ſine dubio illa erat deſcriptio horologij, & ille ſolis aſpectus, ac ſitus, vt vtrumque fieri, & ſpectari poſſet ab Ezechia. Quare ſol vt minimùm decem poſt ſe lineas ad ortum, & totidem ante ſe ad occaſum relinquebat; at dies in eo climate nunquam augeri poteſt ad viginti horas; Quare neceſſe eſt, vt per breuiores notas, & interualla diſtinguerentur dierum ſpatia: puta per ſemiſſes, aut quadrantes. Et hæc ſententia omnino mihi placet; ſi fateamur ſolem reuocato curriculo ad ortum regreſſum.

Aliis viſum eſt nullo modo ſolem retrò fuiſſe 10.
conuerſum, ſed cùm inſtitutum teneret curſum,
D vmbram tamen ab eo ſic eſſe proiectam, vt decem lineis erraret ab eo ſpatio, quod iuxta ſolis aſpectum, ac ſitum notare debuiſſet; quemadmodum in horologiis noſtris ſæpe fit, vt manus ſiue index aliam indicet, horologia verò præſertim rotata aliam horam ſonent. Ita cenſent aliqui ex Hebræis. Burgenſis *in.* 4. *lib. Reg.* Vatablus, Arias Montanus *hic*, & in hanc magis inclinat Emanuel Sa. Probat multis Burgenſis, neque rationibus meo iudicio adeò infirmis, ſicut nonnullis viſæ ſunt, qui in illam ſententiam duriùs ſunt animati, Quæ quia mihi videtur non improbabilis, paulò accuratiùs tractanda eſt: & quidem eſſe non difficilem multa perſuadent.

Probabile eſt in vmbra tantùm factam eſſe mutationē, non in ſole.

E Primò, quia cùm hoc eſſet maximum ſignorum 11.
omnium, quæ facta ſunt in cœlo, quia maius eſt ſolem retrò eſſe conuerſum tot lineas, quam conſtitiſſe tempore Ioſue, aut Chriſto moriente fuiſſe obſcuratum, de illo curſu retroacto ſolis nihil dicitur, ſed tantùm de vmbra retrorſum verſus acta, idque tantùm in horologio Achaz. Quod argumentum mihi graue eſt, quia non videtur id omittendum fuiſſe in eo miraculo; quod erat illuſtrius.

Secundò, quia ſignum oblatum non fuit de mo- 12.
tu ſolis ſiue antrorſum, ſiue retrorſum; Vt enim ſignum eſſet nullum, ſi ſol ſuo naturali circulo

progrede

progrederetur decem lineas, conſequens eſt vt A non oblatum fuerit ſignum retrogradationis ſolis, quia illa duo quæ propoſita ſunt Ezechiæ, contraria ſunt, quorum eadem eſſe debet ratio. Sic enim 4. *Reg. Vis vt aſcendat vmbra decem lineis, an vt reuertatur totidem gradibus?* Quòd ſi progreſſus ſolis ad confirmandam ſpem Ezechiæ eſſet inutilis, ſequitur neque regreſſum fuiſſe promiſſum. Perinde enim eſſet, ac ſi dixiſſet Deus, viſne, vt ſol progrediatur, an vt regrediatur.

13. Tertiò, quia ſignum illud non videtur in ſole aut in cœlo factum, quia *lib. 2. cap. 32. Paralip.* dicuntur legati Babylonis veniſſe ad Ezechiam, *vt interrogarent de portento, quod acciderat ſuper terram.* Intelligitur autem terra Iuda, vulgato ſcripturæ more, quæ nomine terræ aut orbis ſignificat prouin- B ciam illam de qua ſermo eſt, etiam ſi ſignum addatur vniuerſale; ſi verò in ſole facta fuiſſet aliqua mutatio, facta fuiſſet vtique in cœlo, non ſuper terram.

14. Quartò, quia ſi in ſole fuiſſet illa tanta mutatio, non magis experiretur illam Iudæa, quàm aliæ orbis plagæ, neque ſciſcitatum de portenso mitterentur ad Ezechiam Babylonij legati. Quid enim rogarent aut aliorum teſtimonio noſſe vellent quod ſuis ipſi ſpectauiſſent oculis? Aut quid ſuſpicarentur propter vnius hominis recuperatam valetudinem tantam futuram in cœlo mutationem, aut quid crederent homines à religione alieni, quíque Diis ſuis plus tribuebant potentiæ, quàm vero Deo, quem colebant Iudæi, à Iudæorum Deo, & non à C ſuis aut aliarum Gentium Diis illud accidiſſe prodigium? Audierant autem ex graui morbo conualuiſſe regem, idque ſignificatum eſſe illuſtri portento, atque ideo legati mittuntur, qui de valetudine gratulentur: & de portento, quod rumore tantùm acceperant: ſicut etiam ſanatum eſſe Regem à letali morbo, quod increduli audierant, docerentur. Quod ideo ſibi perſuadere poterant accidiſſe propter regem, quia in eius tantùm vrbe, aut potiùs in eius tantùm domo, atque adeò in vno tantùm horologio contigiſſet.

15. Quintò, quia illud ſignum promittendum erat Regi, quod eius oculis propoſitum eſſe poſſet, quando vni Regi promiſſum eſt. Quare ſatis illi fuit aliter notatas eſſe lineas, ab vmbra, quàm ratio D temporis poſtularet in eo horologio, quod ex ſuo lecto commodè ſpectare poterat moribundus Rex: neque verò ex ſuo lecto retrogradientem ſolem ſpectare, aut motum obſeruare poterat.

16. Neque illa, quæ contra hanc ſententiam obliciunt alij, grauiter premunt. Primùm quòd non apparet quomodo, ſi ſol à ſuo curſu nihil mutaret, in vmbra, quæ ſolis ſequitur motũ, tanta fiat mutatio, vt cùm decimam horam, id eſt, penè poſtremam in horologio tangere deberet, reuocato curſu Orientem verſus ad primam vſque recurreret. Nam is, cuius ordinatione regitur, & perſeuerat dies, ſic potuit temperare lucem, vt impeditis ſolaribus radiis ſtylus horologij ab ea tantùm parte E lucem admitteret, ex qua vmbra in lineas à propheta deſignatas incurreret. Ad eum ferme modum, quo oriente ſole per feneſtram, quæ ad occaſum ſpectat, immiſſa lux vmbram proiicit aduerſus ſolem orientem, à quo lux illa quaſi reflexa naſcitur.

17. Quòd verò in hoc portento aliquando ſol deſcendiſſe, aut aſcendiſſe dicitur, vt hîc reuerſus eſt ſol decem lineas. & *Eccleſ. 48. Et in diebus illis retrò rediit ſol, & addidit Regi vitam,* non omnino in aliam ſententiam nos cogit. Nam frequens eſt in ſcriptura, vt cauſa ponatur pro effectu, quod ſemper aut plerumque ea huiuſmodi cauſa naſci ſolet, & vt alia omittam de ſole ſunt exempla non obſcura. *Ionæ 3. Percuſſit ſol ſuper caput Ionæ, & æſtuabat;* id eſt, radius ſolis. *Pſalm. 120. Per diem ſol non vret te,* id eſt, radius, ſeu calor ſolis. Et quidem in hoc eodem portento *ſolem* figuratè poſitum pro *ſigno*, nemo inficiabitur. Dicitur enim ſol *Eccl. 48.* Regi addidiſſe vitam; cùm tamen illam non addiderit, vt conſtat, ſed illius producendæ ſignum tantùm fuerit. Figuratè ergo immotus ſol reuerſus dici poteſt, quia radiis eius ſiue lux reuerſa eſt, ſeu reflexa: ſiue etiam vmbra, quia illa etiam effectus quidam eſt ſolis illam ſaltem oſtendentis cæteris locis ſplendore circumfuſis. Aut certè ſol reuerſus dicitur, quia in vmbra reuerſa ſignum quoddam fuit ſolis retrò conuerſi: quia communiter vmbræ mutatio varia ſignum eſt variæ mutationis, ſeu declinationis ſolis. Sicut ſol, vt nuper dicebamus, vitam addidiſſe traditur Regi, quia additæ Regi vitæ ſignum fuit.

Hæc poſtrema mihi videntur dici poſſe non improbabiliter, quæ ego complecterer omnino, 18. Probabilius eſt Solẽ retrò eſſe conuerſum. niſi conſtans penè omnium Patrum, & interpretum autoritas ab hac cogitatione deterruiſſet. Vt enim durum eſt niti contra impetum fluminis, ſic contra communem doctorum ſenſum. Quare licèt hæc non improbem, cum pluribus cenſeo eſſe ſentiendum, rémque tribus concluſionibus ita definio.

Prima eſt ſole ex ſuo curſu Orientem verſus re- 19. uocato vmbram in horologio decem repetiiſſe lineas, ita Auguſtinus *de mirabilibus ſcripturæ, lib. 2. cap. 48.* Dionyſius *epiſtola ad Polycarpum.* Theodoretus in illud *Pſalm. 29. Audiuit Dominus, & miſertus eſt mei.* Hieronymus, Cyrillus, Procopius, Lyra, Haymo, Hugo, Adamus, Elias Cretenſis ſuper Nazianzenum, & recentiores plerique, & in his Serarius in Ioſue. Neque deeſt aliquod admirãdæ huius nouitatis veſtigiũ apud profanos. Nam Herodotus in Euterpe paulò poſtquã egerat de fuga Senacherib, licèt aliud ſpectans longè diuerſum, ait, *intra decem millia, trecentóſque & quadraginta annos quater ſolem præter conſuetudinẽ fuiſſe exortum: bis quidẽ illic exortum, vbi nunc occidit, bis autẽ, vbi nunc oritur, illic occidiſſe.* Quod ſanè factũ videri potuit ſi ſol à decima, id eſt, à poſtrema fere hora diei reuocatus eſt ad ortũ. Tunc enim oriri ab occaſu, & in ortu occidere videri potuit. Sed, vt verum fatear, ſi locus iſte diligenter expendatur, non valde eſt ad rem propoſitam. Facit præterea plurimum ad hanc ſententiam, quod tam *hic* quàm *Eccleſ. 48.* ſol conuerſus fuiſſe retrò traditur; & quando grauis aliqua ratio non premit, verba in ſua proprietate ſunt exponenda.

Secunda concluſio, ſi lineæ in horologio per 20. horas, & non per ſemiſſes aut quadrantes diſtinguebant diem, probabile eſt non ſolito motu ſolem, ſed velociori ſpatium illud horarum decurriſſe; quod ſentit ſuprà, & probat Caietanus.

Tertia concluſio; Mihi omnino certum eſt per 21. ſemiſſes, aut quadrantes aut aliam breuiorem menſuram notari, ac diſtingui dierum ſpatia in horologio Achaz, non per horas: quod omnino probat ratio Abulenſis de qua ſuprà. Nam ſi decem horas iter decurriſſet ſol, quod erat omnino neceſſe, & addantur deinde dies, quę ad duodecimam ſuperſunt, neceſſariò fit, vt dies ille fuerit triginta duarum horarum, quod aliqui fatentur, vt vidimus. Tunc

autem

autem dies ille longè maior eſſet eo, qui ſtante ſole effectus eſt tempore Ioſue. Hic enim ad trium ferme dictum ſpatium productus eſt, ille verò ſub Ioſue ad duorum tantùm: & tamen neque fuiſſe vnquam, neque futurus dicitur maior aliquis dies. De altero conſtat *Ioſue* 10. *Stetit itaque ſol in medio cœli, & non feſtinauit occumbere ſpatio vnius diei.* Et *Eccleſ.*46. de Ioſue, *An non in iracundia eius impeditus eſt ſol, & vna dies facta eſt quaſi duo.* De altero expreſſum eſt *Ioſue* 10. Statim enim poſt verba citata ſubditur: *Non fuit antea, & poſtea tam longa dies.*

22. Contra rationes Burgenſis quas nos adduximus, quibus etiam eandem ſententiam confirmat Montanus, ſatis multa Replicator *in lib.*4.*Regum*, & *ibidem* Dionyſius, boni conſule. Apud quos inuenies aliquid, quod in ipſis non minus ſeuerè reprebendas, quàm ipſi virum doctiſſimum exagitandum, & reprehendendum cenſuerunt.

23. Antequam hinc diſcedo, obſeruo præter hoc portentum, & illud quod accidit tempore Ioſue *cap.*10. aliquibus videri ſolem ſteriſſe tertiò. Quod colligunt ex eo 1.*Paralip.*4. *verſ.*22. *Qui ſtare fecit ſolem.* & in his Hieronymus *lib.tradit.Hebr.* in illum locum; Et eo loco Paralip. Dionyſius, & Hugo, Lyra, Feuardentius *in cap.*1.*Ruth*, Abulenſ. *in lib.*1. *Paralip.cap.*4.*q.*18. & ibi gloſſa ordinaria, qui dicunt ex Hebræorum ſententia hunc virum fuiſſe Elimelec, qui *Ruth cap.*1. egreſſus eſſe dicitur de Bethlehem, vt peregrinaretur in regione Moab. Dicunt enim Hebræorum quidam, nam aliorum longè diuerſa videtur eſſe mens, hunc Elimelec virum fuiſſe ſanctiſſimum, qui cùm videret plurimos è ſuo genere variis erroribus ad idololatriam abduci, orauit, vt Deus aliquo portento terreret homines, reduceretque ad illam religionem, quam prodiderant. Ad eius autem preces conſtitiſſe aiunt ſolem in cœlo. Cùm autẽ eo ſigno tam illuſtri nihilo meliores fierẽt Bethlehemitæ, ſtatuiſſe illinc in regionem Moabitidem eſſe emigrandum, præſertim cùm propter eorum ſcelera grauis fames Bethlehemiticos fines inuaſiſſet. Sed ſanè hoc durum viſum eſt, neque omnes, qui in eam ſententiam abducuntur, tam illa vera cenſent, quam ab Hebræis tradita commemorant. Neque vrget locus libri Paralip. *cap.*4. Nam vt alibi ſæpiſſime, pro nominibus propriis ponitur illorum nominum ſignificatio. Et id planè probant tria nomina, quæ ſtatim ſequuntur: *Viri mendacij, & ſecurus, & incendens*, quæ totidem nominum propriorum explicationes ſunt. Quæ Septuaginta, ita vertunt, *Et Ioacim, & viri Chozeba, & Ioas, & Saraph.* Maximè quia Ioacim non tam ſignificat, *qui ſtare fecit ſolem*, quàm qui confirmauit, aut ſtare fecit, nempe ſolem, quæ poſterior vox in Hebræo non eſt.

Hebræorum traditio de Elimelec.

24. Ad extremum obſeruo id quod Hebræi ſuo more nugantur. Qui dicunt quo tempore mortuus eſt Achaz, ne ſatis eſſet otij, vt ſoluerentur impij regis funeri exequiæ ſolitæ aliis Regibus impendi, detractos eſſe illi diei decem horas; vt verò ratio temporis, quæ eo ſucceſſu turbata videbatur, ad ſuum ordinem rediret, paulò pòſt ſub Ezechia filio, additas eſſe diei totidem horas. Dignum planè Rabbinica fide commentum.

Rabbinorũ fabula de funere Achaz.

25. *Scriptura Regis Ezechiæ Regis Iuda cùm ægrotaſſet, & conualuiſſet de infirmitate ſua.*] Poſtquam ex morbo confirmatus eſt gratus, & pius Rex, carmen hoc compoſuit gratulatorium, aut componi iuſſit, vt veriſimile eſt ab Iſaia, vt ſtylus ipſe indicat. In quo expoſita prius morbi grauitate, & his, quæ ex repentino caſu ſequebantur incommoda, promittit ſe fore tanti beneficij perpetuò memorem. Eſt autem mihi valde probabile, hanc ſcripturam, aut notatam in tabulis, aut inciſam in ære, aut marmore in publico aliquo loco fuiſſe propoſitam, vt impendentis mortis, & receptæ diuinitus ſanitatis gratulatorium extaret monumentum. Quod enim ab impiis gentibus piè ſolitum eſſet fieri, vt accepti diuinitus beneficij memoriam publico profiterentur teſtimonio: id à Rege pio, qui lachrymis ſignificarat, quàm ſibi grauis futura fuerit repentina mors, omiſſum eſſe non puto. De gentibus apud profanos ſcriptores ſatis multa; de naufragis, qui in tabula ad Deorum aras ſuſpenſa incolumitatem ſuam teſtantur, paſſim occurrunt teſtimonia. Satis modò pro omnibus ſit Cicero *lib.*3. *de natura Deorum. Tu qui Deos putas humana negligere non animaduertis, ex tot tabulis pictis, quàm multi votum tempeſtatis effugerint, in portúmque ſalui aduenerint.* De morbis teſtimonia non minùs aperta: Tibullus *elegia* 1.*ad Iſidem.*

Tabulæ in Templis declinati periculi monumenta.

Nunc dea, nunc ſuccurre mihi, nam poſſe mederi,
Picta docet templis multa tabella tuis.

Vide Mercurialem *de re Gymnaſtica*; vbi adducit multa vota ſoluta inciſa in æs eorũ, qui diuino beneficio ſe putabant mortem euaſiſſe; vbi morbi genus, & grauitas, & ratio medicinæ notantur. Strabo *lib.*8. refert Epidauri templum eſſe Æſculapio ſactum, ægrotantium multitudine vndequaque confertum; pendentibus paſſim tabellis, quibus ſanati languores inſcripti erant.

Sed eſſe hoc vſitatum etiam apud Hebræos vicináſque gentes nonnulla coniectura eſt. Nam & id factum eſſe proditur à Philiſthæis: Hi enim 1.*Regum cap.*6. cùm ab vlceribus illatis ab vltore Deo, & muribus eminentia viſcera corrodentibus liberari vellent, iuxta numerum prouinciarum fecerunt, quinque aureos mures & totidem anos, quos delicti expiandi cauſa iuxta arcam fœderis in capſella poſuerunt. Item quia Deus beneficiorum, quæ in populum ſuum contulit, extare voluit memoriam perpetuam, erigíque iuſſit ſigna, aut ſolemnitates inſtitui, quæ quotannis aliquorum beneficiorum memoriam renouarent. Traiecto Iordane tam iniectis in alueum duodecim lapidibus, quàm extractis ex alueo totidem ad ripas fluminis, illius beneficij memoriam perire noluit. Et vt Hebræorum magiſtri docent, adhuc in maris rubri alueo quadrigarum orbitæ viſuntur, quæ Ægyptius in medios fluctus inuexerunt, demerſeruntque. Quod ſi ita eſt, (nam mihi nunquam non ſuſpecta eſt Hebræorum fides) planè mirabile eſt diuini beneficij monumentum. Quod momento temporis delendum, & periturum eſt, id in aqua, aut puluere ſcribi dicitur prouerbiali ſpeciẽ; ſed Deus ibi in arena, & aqua æternam conſeruat, Ægyptij beneficij memoriam. *Num.*19. ex thuribulis, in quibus à ducentis quinquaginta viris, qui ab igne conſumpti ſunt, thus offerebatur, laminas fieri iuſſit Deus, affigíque altari, vt poſteri deinceps admonerentur, ne quid auderent ſimile. Ex his mihi veriſimile eſt Ezechiam in templo propoſuiſſe laminam, quæ totam hiſtoriam contineret, & inflicti morbi, & confirmatæ valetudinis; Sicut Dauid in monumentum depulſi periculi, & occiſi Gigantis gladium in tabernaculo dedicauit. Sicut etiam Iudith Holofernis conopæum in anathema, & memoriam liberatæ diuinitus patriæ.   26.

Diuinorum beneficiorũ nunquam deponeda memoria.

In mari rubro adhuc ſeruata veſtigia demerſi Pharaonis.

Hæc ergo verba præfixa gratulatorio cantico,

titulus

titulus ipſius ſunt, quæ & auctorem oſtendunt, qui dedicauit, & dedicationis cauſam: qualia in ſimilibus cauſis, & olim ſæpe ſcripta fuiſſe legimus, & nunc quotidie fieri in templis videmus.

27. g *Ego dixi, In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi.*] Hîc iam explicat pius Rex Ezechias periculi magnitudinem, & temporis circumſtantiam notat, quæ vehementer auget dolorem. Durum ſanè eſt mori, ſed mori in dimidio dierum, id eſt, in ætatis aut robore, aut flore, magis acerbum. Quare ſolemne eſt in epitaphiis, ſi cui immatura mors accidit, illud ad πόθος adſcribi. Illud *dixi* aliquid certum deſignat, ac ſi dicat, iam actum de vita mea omnino exiſtimabam.

28. h *In dimidio*, non ſignificat in medio vitæ curriculo, ita vt tantum ſupereſſet vitæ, quantum peractum fuerat; quia à depulſo morbo quindecim tantùm anni ſupererant ætatis, vt promiſit Iſaias, & iam ipſe triginta nouem exegerat annos, cùm in morbum incidit: nam viginti quinque annorum erat cùm regnum iniit, 4. *Reg. cap.* 18. & anno decimoquarto regni ſui venit Senacherib in Iudææ fines, quo anno, ipſe, vt diximus, & tentatus eſt, & liberatus à morbo. Quare ad quinquageſimum quartum annum ætatem ſuam produxit Ezechias. Significat ergo Ezechias, tunc ſibi propoſitam moriendi neceſſitatem, quando alij vitæ curſum dimidiare ſolent.

29. Septuaginta pro *dimidio* dicunt *in excelſo*, quia modico flexu pro דמי *demi*, quod nunc eſt in Hebræo, quomodo legit Vulgatus, ipſi legerunt רמי *remi*. Neque tamen cenſeo ſenſum eſſe diuerſum. *Excelſum* enim in materia propoſita idem eſt, quod *dimidium*: Nam his quæ periodum ſuam ita conficiunt, vt augeantur, minuátúrque, vt eſt morbus, & quę externo pulſu ſurſum mouētur, cùm ad mediū, quod excelſum eſt, imò ſummum, peruenerunt, ſtatim ſe inflectere, & frangere incipiunt. Quod idem etiam contingit in hominum ætate, quia cùm primum ad ætatis medium, id eſt, ad ſummum robur ventum eſt, ſtatim ſeſe inflectit ætas ad ſenectutem. Theodoretus in expoſitione huius cantici *excelſum*, ſeu *altitudinem* interpretatur *iactantiam*, & indicat illam eſſe cauſam cur ille peſtilens morbus immiſſus fuerit Ezechiæ. Cyrillus pro amplitudine regni ſumit, ac ſi diceret: Quando exaltatus ſum, tunc intereo.

30. Sed fortaſſe ſenſus huius loci iuxta hanc Septuaginta tranſlationem idem eſt, qui *Pſalm.* 55. *Ab altitudine diei timebo*, id eſt, à diebus maximè periculoſis, qui longè exuperant virium mearum facultatem. Nam *diem* per metonymiam ſumi, pro his quæ in diebus fiunt, ſatis eſt notum. In altitudine ergo ſuorum dierum deſperauit Ezechias de vita, id eſt, his diebus, in quibus alti, & ſuprà quàm illis obſiſtere poſſet natura laborans, dolores vexabant. Hæc iuxta Septuaginta.

Forerius דמי *demi*, *ſilentium*, vel *quietem* interpretatur: & eſt apta mortis deſcriptio. Nam *quies* vocari poteſt *mors*, ſicut etiam vocatur *ſomnus*, & *ſilentium*. Vnde etiam mortui dicuntur *ſilere*. *Iob* 3. *Nunc quidem dormiens ſilerem*; & apud profanos mortui *ſilentes* dicuntur.

Hieronymus in hunc locum, *in dimidio dierum* aut *annorum* aliquid agnoſcit, quod minùs cum morum ſanctitate conſentit. Vt enim aliquem mori *in ſenectute bona*, aut *plenum dierum*, & vitæ ſanctitatem, & mortis felicitatem oſtendit, ſic aliquem

A in medio vitæ curſu rapi, argumentum eſt vitæ, à qua abfuiſſe exiſtimatur virtutis ſtudium. Sic autem ibi Hieronymus. *Sancti implent dies ſuos, qualis fuit Abraham, qui mortuus eſt plenus dierum in ſenectute bona; peccatores verò, & impij in dimidio dierum ſuorum moriuntur. De quibus & Pſalmiſta loquitur Pſalm.* 54. *Viri ſanguinum, & doloſi non dimidiabunt dies ſuos.* Idem cenſet Gregorius in illud *Iob* 42. *Et mortuus eſt ſenex plenus dierum. lib.* 35. *Moral. cap.* 24. *In ſacra*, inquit, *Scriptura non facilè plenus dierum proponitur, niſi is, cuius per eandem ſcripturam vita laudatur.* Sanè hoc de Iſaac *Geneſ.* 35. & de Dauide 2. *Paralip.* 24. ſcriptura tradit. Ex hac mortis plaga in medio vitæ curſu exiſtimant aliqui ſibi perſua- B ſiſſe Ezechiam ſe in æternum damnatum iri, atque ideo ſtatim addidiſſe: *Vadā ad portas inferi*; ſed de huius loci ſententia ſtatim.

i *Vadam ad portas inferi.*] Vox Hebr. שאול *ſeol*, tam ſepulchrum ſignificat, quàm ſubterraneum locum, vbi clauduntur mortuorum animæ: ſiue is carcer in æternum damnatorum ſit, ſiue locus qui dicitur Abrahæ ſinus. Cùm autem ante reſerata cœli clauſtra per Chriſtum omnes animæ ad ſubterranea clauſtra deſcenderent; idem erat *mori*, atque *deſcendere ad inferos*, ſeu etiam *ad ſepulchrum*. Quare ſæpe in ſcriptura *inferi*, ſeu *infernus* ponuntur pro morte. Quo ſenſu accepit Iacob cùm *Geneſ. cap.* 42. dixit, *Deducetis canos meos cum mœrore ad inferos.* Et eodem ſenſu dolores Chriſti vocan- C tur *dolores inferni. Actor.* 2. 31.

k *Quæſiui reſiduum annorum meorum.*] *Quæſiui* hoc loco idem eſt quod *deſideraui*, ſeu *abeſſe ſenſi*, in qua ſignificatione Latinorum vſus ſumit *deſideraui*, ſeu *requiſiui*. *Deſidero*, *quæro*, ſeu *requiro in te prudentiam*, idē eſt, atque abeſſe abs te prudentiam video. Dicit ergo Ezechias de eo, quod reſiduum erat ætatis, id eſt, de quindecim annis ſic cogitaſſe, atque ſi omnino illorum vſuram nullam habiturus eſſet; ac ſi dicat, de reſiduis annis iam actum eſſe exiſtimabam. Et hoc planè oſtendit tranſlatio Septuaginta: *Relinquam annos reſiduos*, quæ ſic exponit Euſebius: *Deſperaui de vita mea.* 32.

l *Non videbo Dominum Deum in terra viuentium.*] Sunt qui putent indicari his verbis timo- D rem, quo angebatur Regius animus ne propter ſua peccata in terra viuentium, id eſt, in cœleſti patria Deum non videret. Ita putat Haymo, & indicat Hieronymus, Theodoretus, & Hugo. Sed hoc eſt mihi difficile; quia quæ hîc dicuntur ab Ezechia, tanquam certò futura proponuntur, vt oſtendit illud *dixi*, quod aliquid indicat, quod ſibi aliquis omnino perſuaſit. Sed ſic erat Ezechiæ inſtituta vitæ ratio, vt ita certò æternas pœnas timere non debuerit, imò ipſe cùm ab Iſaia reſponſum mortis habuiſſet, vt Dominum ad miſericordiam inflecteret, ſua merita, eáque non vulgaria commemorat. Sic enim ad Dominum: *Memento quæſo, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfe-* E *cto, & quod bonum eſt in oculis tuis fecerim.* Quomodo ergo harum rerum conſcius diceret apud ſe, id eſt, affirmaret ſibi in æternum carendum eſſe diuina viſione. Quare cum aliis communiter dicendum cenſeo Ezechiam abieciſſe iam ſpem videndi Deum in templo, id eſt, non iam ampliùs agendum eſſe cum Deo, qui ex propitiatorio loqui credebatur. Eſt enim viſitatum vt ex re continenta res ſignificetur contenta, id eſt, ex Deo, templum quod eius eſt domicilium: ſicut apud profanos Dis, aut Pluto, pro inferno, & Vcalegon pro eius domicilio ponitur. 33.

ponitur. Et in re ſacra, atque Eccleſiaſtica frequentiſſimum eſt. Sumitur enim Sanctus aliquis, pro Templo, aut domo, quæ illius nomini conſecrata ſunt. Quomodo *Petrus*, & *Franciſcus* ponuntur, pro eorum Templis. Et apud profanos *Ianus*, *Minerua*, *Apollo*, pro eorum fanis. Ita Ianſenius ſuper hoc Canticum, Forerius, Lyra, Adamus, Emanuel Sa, quod apertè Chaldæus cenſet, dum ita hunc locum explicat, *Non videbor, ſeu non apparebo ampliùs coram arca Domini in terra tabernaculi eius.* Et hæc ſententia mihi omnium probatur maximè. Aut certè cùm ſperaret futurum vt citò videret Meſſiam, quem ſciebat ex ſuo genere naſciturum, nunc inopinato reoratus morbo dixit, *In terra viuentium*, id eſt, inter viuos, *illum ſibi videndum non eſſe.* Ita indicat Theodoretus & Hugo. Alij hic intelligunt opera Dei illuſtria, quæ quotidie operatur, & in poſterum ſperabatur facturus pro populo, vt promiſerat per prophetam ſuprà *cap. 36. & 37.* Ita Hugo, Vatablus, & quidam Hebræorum magiſtri. Et hæc poſtrema ſententia non eſt improbabilis, quia temporibus maximè congruit, in quibus admirabilia de cæde, fugáque Aſſyriorum, & libertate populi Iudaici, atque quiete illius Dominus promiſerat.

34. Cyrillus putat hanc eſſe morientium cantilenam, & quaſi cygnæum carmen, quo ſignificantur, & deplorantur illa, quæ communiter afferre ſolet mors. Sed licèt veriſimile ſit eſſe funebre aliquod & ſolemne canticum, quo morituri diſceſſum, à luce, & à ſuis deplorare conſueuiſſent. Sicut ſolemnia videntur eſſe verba præficis, quæ venales habent vlulatus, & lachrymas; Non tamen credo omnia hæc, quæ in præſenti continentur cantico, pertinere ad ſolemnem illam & vſitatam lamentationem, quia multa ſunt, vt conſtat, quæ non in omnes conuenire poſſunt, qualia eſſe deberent, quæ ſolemni ritu pro omnibus inſtituta, & vſu recepta ſunt.

35. m *Non aſpiciam hominem vltrà, & habitatorem quietis.*] Id eſt, inter viuos eſſe deſinam, & nunc maximè, quando viui quiete illa fruuntur, & pace, quam debellatis Aſſyriis Dominus populo ſuo pollicitus eſt, de qua ſuprà *cap. 37.* Pro *quiete* Hebr. eſt חדל *chedel*, quod quidam per metatheſim adhibitum eſſe putant pro חלד *cheled*; quæ vox *orbem* aut *ſeculum* ſignificat. Tunc autem poſterior pars ſuperioris explicatio eſt; nam *habitator orbis* idem eſt qui, *homo*, & ita vertunt quidam è recentioribus. *Non aſpiciam hominem vltrà, cum habitatoribus orbis.* Hoc ſenſu. Quia ego dehinc cum habitatoribus orbis eſſe deſinam, hominem non videbo.

36. n *Generatio mea ablata eſt, & conuoluta eſt à me, quaſi tabernaculum paſtorum.*] Sunt qui putent id maximè doluiſſe Ezechiam, quia ſine liberis decederet, cùm accepiſſet è ſuo genere naſciturum eſſe Meſſiam: idque ſignificari his verbis, quæ videtur innuere prolem iam ampliùs nullam ex Ezechia ſuſceptum iri. Et re vera in hoc rerum articulo nullus erat Ezechiæ filius. Nã Manaſſes tertio abhinc anno natus fuit: quia ætatis ſuæ anno duodecimo regnũ extincto patre iniſſe traditur 4. *Reg.* 21. Ezechias verò à morbo liberatus ad decimum quintum annum vitam produxit. Et addo pro hac explicatione ex Scripturæ conſuetudine *ædificare domum* eſſe filios ſuſcipere, vt conſtat; quæ domus ſtabilis exiſtimatur, neque, qui illas ædificauerit, periiſſe cenſetur: ſicut emigrante alio, qui domum conſtruxit, ipſa tamen domus ſtabilis manet: quæ non reuellitur, ſicut tabernaculum, quod diſſoluit, & ſecum aufert, qui vno ex loco in alium proficiſcitur. Quare de eo, qui non ſine liberis diſcedit ſcribitur *Eccl. 30. verſ. 4. Mortuus eſt pater, & quaſi non eſt mortuus, ſimilem enim ſibi reliquit poſt ſe.* Qui verò nullum filium, id eſt, paternæ gloriæ, nullum exemplum relinquit, non ille domum, ſed paſtorale potiùs tugurium conſtruxit, cuius abeunte domino, neque veſtigium vllum manet. Erit itaque iuxta hæc ſenſus hic. Actum eſt de generatione mea, quæ ſic diſſipabitur, ſicut diſſipari ſolent, & conuolui, quæ prius explicata fuerant, atque extenſa paſtorum tabernacula. Ita penè Hieronymus S. Thom. Haymo, Dionyſius, Hugo, Lyra, & alij plures.

37. Alij meo iudicio veriſimilius putant *generationem* ſumi pro vita, nihilque aliud ab Ezechia ſignificari, quàm finitam eſſe vitam ſuam. Et in hunc ſenſum accipiunt quidam ex Hebræis, Cyrillus, Theodoretus, Forerius, Adamus. Et quòd *generatio* Hebr. דור *dor*, *ætatem* ſignificet, ſatis notum eſt Hebraicè ſcientibus. Confert autem vitæ ſuæ breuitatem optimè cum paſtorum tabernaculis, quæ non diu fixa ſunt in eodem loco, ſed facilè pro locorum natura, ac pecudum commoditate transferuntur. Videntur autem à paſtoribus tabernacula aliò, atque aliò cum gregibus circumferri, ita vt nocte figantur ad perferendas nocturni temporis iniurias, deinde manè reuellantur, & conuoluantur, vt portentur in alia loca commodiùs, vt feciſſe videntur Cedareni, aut Iſmaelitæ, qui re pecuaria abundabant, de quibus *Cant. 1. Sicut tabernacula Cedar.* Quare *tabernaculum*, vt reor, prouerbiali ſpecie pro vitæ breuitate, &, quia vita breuis eſt, abſolutè pro vita ponitur, & præcipuè pro corpore, quod animi quoddam tabernaculum eſt, quod citò diſſoluitur. Quo ſenſu dixit Petrus *Epiſtola 2. cap. 1. Certus ſum quòd velox eſt depoſitio tabernaculi mei.* & Paul. 2. *Corint. 5. Nam & qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus grauati.* Plura diximus ad illud *cap. 24. Auferetur ſicut tabernaculum vnius noctis.* Quæ omnino vide.

Vitæ breuitas.

Prouerbiũ.

Petri Epiſt. 2. cap. 1.

2. Cor. 5.

38. o *Præciſa eſt velut à texente vita mea.*] Comparatio clara & accommodata, quæ ſtudia, & curas hominum ſignificat. Neque enim aliud molitur hominum induſtria, quàm vt telam texat. *Sanctus*, vt inquit Theodoretus ſuper hoc canticum, *ſtolam texit per ſua recte facta ornatum ſuæ animæ circumponens.* At peccatores è ſuis viſceribus ducto continenter filo telas texunt aranearum, quibus non tam lautè, & eleganter ornant, quàm ſordidè commaculant, fœdántque animum ſuum. Eſt alia frequentior metaphora huic affinis, qua vita filo comparatur, quod quotidie torquetur, & facilè rumpitur. Et ideo in hominum vita tres apud poëtas finguntur Parcæ, quæ ſtamina, ſeu fila nendo trahunt, abrumpúntque.

39. p *De mane vſque ad veſperam finies me.*] Quod breue eſt, & momentaneum, id *mane & veſpera* ſpatio ſignificamus, vt oſtendimus ſuprà ad illud *cap. 17. verſ. 14. In tempore veſperæ, & ecce turbatio.* Neque exiſtimo hîc aliud ab Ezechia ſignificari quàm breues ſibi definitos eſſe vitæ dies. Et nos Hiſpani eodem ſenſu dicimus. *De la mañana a la noche.* *Iob cap. 4.* in eodem argumento, *De mane vſque ad veſperam ſuccidentur.* Et *Pſal. 89. Manè floreat, & tranſeat: veſpere decidat, induret & areſcat.*

Prouerbiũ.

q *Sperabam vſque ad mane.*] Id eſt, cùm nocte grauiter vexaret morbo, non vltra diei ſequentis

quentis diluculum vitam mihi pollicebar.

40. ꝛ *Quaſi leo ſic contriuit oſſa mea.*] Rationem reddit cur tam breui ſibi moriendum exiſtimauerit. Conficiebatur enim ſiue à Deo, ſiue à morbo adeò crudeliter, perinde atque ſi traditus eſſet leonis vnguibus lacerandus. Quibus verbis oſtenditur & doloris acerbitas, & morbi grauitas.

41. ſ *De mane vſque ad veſperam finies me.*] Repetitio hæc ſuperioris ſententiæ confirmatio eſt. Eſt autem poëtica integri verſus iteratio quæ ſæpius occurrit in Pſalmis. Videtur autem hoc eſſe prouerbium, aut familiaris ſententia cum prouerbiali ſpecie, quia numeros habet faciles & accommodatos prouerbiali formæ, & ſunt ad ea alluſiones crebræ. Pro *finies me*, Hebr. eſt תשלימני *taslimeni*, quæ valet idem quod, *in pace me conſtitues*, aut *pacem me habere facies*. *Pacis* autem nomen pro morte ponitur, ſicut *ſomnus* aut *ſilentium*, quæ vitæ conſummatio, aut perfectio eſt. Vnde frequens *in pace dormire*; Et eſt formula in officio defunctorum familiaris, *requieſcat in pace*. Et in fine librorum ab Hebræis adhiberi ſolet שלום *ſalom*, ſicut à Græcis τέλος, & à Latinis *finis*, qua ſignificatur illud opus fuiſſe perfectum, neque iam illi eſſe aliquid addendum ampliùs.

42. t *Sicut pullus hirundinis ſic clamabo, meditabor vt columba.*] Hæc verba Cyrillus, & Euſebius apud Theodoretum ad gratiarum actionem referunt; quaſi dicat Ezechias ſibi nunquam eſſe deponendam beneficij memoriam; ſed illam ea vocis contentione, eo ſtudio, atque alacritate eſſe celebrandam, qua hirundo vocalis, & garrula orientem expectat, & excipit Solem. Sed communiter alij omnes dolorem & gemitum hic ſignificari putant, & ſanè ad cantum hilarem non aptè coniungitur vox *columba*, quæ vt gemitum ſonat, & ſingultum, ſic etiam à Latinis *gemitus* vocatur. Licèt autem hirundo canora ſit, neque tantùm gutture, ſed toto ferme corpore vocalis, at hirundinum pulli in ſuo nido dum cibum expectant, clamant vehementer, ſuámque famem multis ſignificationibus oſtendunt. Sic puto Ezechiam oſtendere hac ſimilitudine voluiſſe, & dolorem ſuum in gemitu columbæ, & vitæ luciſque deſiderium, in pullorum hirundinis clamore incitato, & vario. Porrò gemitus columbæ *meditatio* dicitur: quia ſicut meditatio non ore fit, ſed imo corde, ſic etiam columbæ gemitus non à gutture ſed ab imo pectore fundi videtur.

43. u *Attenuati ſunt oculi mei ſuſpicientes in excelſum.*] Attenuati, & caligantes oculi ſtatum ſignificant moribundi. Quem ſtatum iiſdem propè verbis expreſſit Dauid *Pſal.* 37. *Dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum*: Fortaſſe iidem ſunt, qui à poëtis dicuntur *oculi natantes in morte*: quia tales apparent quaſi immerſi lachrymis, & introrſus abſconditi. Licèt autem oculi ideo attenuati, & feſſi videri poſſint, quia ſurſum eriguntur à Rege, dum omnia metuens è cœlo ſalutem implorat (notum eſt enim oculos in oratione ad cœlos eleuari ſolitos) quod ſine dolore ac defatigatione fieri non poteſt; tamen exiſtimo aliquid aliud his verbis ab Ezechia ſignificari, nempe attenuatos eſſe oculos, quos intentius precibus ad cœlum eleuatos habet, vnde iam ſpem ſolùm habebat recuperandæ ſanitatis. Ac ſi dicat, vide Domine quemadmodum oculi, quos ad te tollo, attenuati ſunt.

44. x *Domine vim patior, reſponde pro me.*] *Vim pati* ſignificat, aut præter merita iniuriam, dolorem, ſeu contumeliam ferre; ſeu certè aliquid aduerſum, & graue, licèt cum magno patientis merito. In priori ſenſu quidam hæc accipiunt; ita vt Ezechias queratur, quòd ſine vlla ſua culpa morbi huius moleſtiam ſuſtineat. Sicut Iob *cap.* 17. *verſ.* 2. de ſeipſo, *Non peccaui, & in amaritudinibus moratur oculus meus.* Ita Hieronymus, Haymo, S. Thom. & Dionyſius; ſed communiter interpretes alij cenſent dolorem talem hic ſignificari, cui tolerando longè ſe imparem profiteatur Ezechias. Quod mihi videtur magis ad textum: quia in hoc ipſo cantico talia ſe admiſiſſe dicit Ezechias propter quæ hæc non immeritò ferat. *Proiecisti*, inquit, *poſt tergum tuum omnia peccata mea.*

45. y *Reſponde pro me.*] Hebr. ערבני *hhorbeni*, quod *ſpondere* valet; quare multi ita legunt *ſponde pro me.* Ianſenius, Forerius, Montanus, & plures alij. Si ita legas, orat Ezechias Chriſtum, vt fidem pro ſe iubeat, quia hoc fuit præcipuum Meſſiæ munus, & ſuam cauſam laborantem ſuſcipiat, vt exponit S. Thom. Haymo, Dionyſius, Hugo. Sed eſt idem ſenſus, etiamſi legas *Reſponde*, quia hoc munus eſt patroni, qui partes agit clientis. Et ex vſu Scripturæ *reſpondere* idem eſt, quod defendere, ſeu patrocinari; quòd verbum ſatis eſt accommodatum metaphoræ: quia ſicut *vim pati* verbum eſt forenſe, quod indicat aliquem calumniis opprimi, atque ita vrgeri, vt nulla ſe oſtendat ſalutis aut libertatis via, ſic etiam *reſpondere*, verbum forenſe eſt, quo patroni officium ſignificatur. Meſſias 6. deiuſſor.

46. z *Quid dicam, aut quid reſpondebit mihi cùm ipſe fecerit.*] Corrigit ſe, ac reprehendit Ezechias, quòd hæc dixerit: aut certè dubitat, quid afferre cauſæ poſſit contra percutientem, aduerſus quem aduocari ſolet patronus, qui reſpondeat; cùm ipſe qui percutit Deus ſit, & Dei ipſius patrocinium imploret. Non ſolet autem contra ſeipſum quiſquam aduocari: Neque eſt cur quiſquam à Deo quærat, cur hoc vel illo modo faciat. *Iob cap.* 11. *verſ.* 10. *Si ſubuerterit omnia, vel in vnum coarctauerit, quis contradicet ei? Vel quis dicere ei poteſt, quid ita facis?* Neque enim, quod *Iſaia cap.* 45. dicitur, *lutum dicit figulo ſuo quid facis?* Neque filius patri, *quid generas?* & in poſteriorem ſententiam accepit Hieronymus. Vtramque probo, neque ſtatutum habeo, cui magis aſſentiam.

47. Hebræa ſic habet ואמר לי ו הוא עשה *ve amar li, ve hu hhaſah*, quæ ſic transferunt Vatablus, & Pagninus, *& dixit mihi, & is idem fecit*. quæ verba variè explicantur. Hebræi ſic accipiunt. Quid dicam? beneficium Dei verbis explicare non poſſum. Ipſe dixit, & ipſe fecit: ſicut promiſit mihi per Iſaiam ſanitatem, ſic præſtitit. & eodem modo Vatablus. Sed hæc non ſatis ad verſionem vulgati, de cuius ſententia iam ſuprà à nobis dictum eſt. Totum negotium in eo eſt vt illam ſententiam cum Hebraico textu conciliemus, quod ſanè difficile non erit. Et primùm ſtatuo vſitatum eſſe apud Hebræos, ſicut etiam apud alios, vt nomen, aut alia quæuis vox, quæ in priori loco expreſſa ponitur, eadem in poſteriori ſubaudiatur, vt alio loco à nobis dictum eſt. Illud ergo *quid* priori loco poſitum, poſteriori reſumendum eſt; quod facit vulgatus. *Quid dicam, & quid reſpondebit*? explicuit autem illud ו אמר *ve amar*, per futurum propter *vau* conuerſiuum. Et hoc mihi videtur eſſe certius. Sed ſi nihil hic repetamus, tamen idem eſt ſenſus, iuxta aliam regulam, de qua nobis ſæpius actum eſt, qua docemur *vau* Hebraicè, atque *&* Latinè particulas

interdum

interdum eſſe cauſales. Tunc verò expeditus eſt ſenſus, quem ex vulgari tranſlatione produximus. *Quid dicam? quia dicet Deus, quem contra percutientem patronum aduoca, quia ipſe fecit.* Vbi bis *&*, in ſignificatione ponitur cauſali.

48. [aa] *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.*] Quando aliter cum percutiente, & auctore dolorum meorum contendere non audeo, neque tutò poſſum, contendam lachrymis, & errarorum meorum pœnitentiam. Quare quando retexere non poſſum vitam meam, neque reuocare annos, qui iam præteriere, recognoſcam tamen illos in conſpectu tuo cum dolore, & lachrymis, quibus ſcio vel ab irato pectore extorqueri poſſe miſericordiam. Hunc eſſe puto germanum ſenſum, magíſque cum orationis textu cohærentem, ita vt hæc verba non tam dicta fuerint ab Ezechia poſt recuperatam ſanitatem, quàm ab eodem repetita, quæ ſecum cogitarat, deliberarátque priùs, cùm morbo vexaretur incurabili.

49. Mortis memoria, atque præſentia grauis. [bb] Hieronymus, quem Haymo ſequitur, & Adamus exiſtimat id docere Ezechiam expertum, quod ſcribitur *Eccl. c. 11. verſ. 29. Malitia horæ obliuionem facit luxuriæ magnæ.* Ac ſi dicat, ſuperioris ætatis felicitatem ac delicias nihil ſibi afferre ad præſentem dolorem lenimenti; imò potiùs illas cum amaritudine in memoriam redire. Addo ego ad ſenſum moralem non importunum eſſe, ſi quis annos recogitandos ab Iſaia non putet illos, quos ante morbum exegerat, ſed illos quindecim, qui ad ſuperiorem ætatem acceſſerunt, quaſi dicat Rex, poſtquam ad mortis præſentiam cohorruit, cùm à propheta audiuit *cras morieris*, quod reliquum eſt ætatis illud ſine dolore, & amaritudine, etiamſi cætera proſperè contingant, tranſigi non poſſe: mortis enim, cuius iam ſentire cœperat aculeos, acerba recordatio non ſinit aliquod eſſe ſolidum gaudium, atque à felle putum.

50. [cc] *Domine ſi ſic viuitur, & in talibus vita ſpiritus mei corripies me, & viuificabis me, ecce, &c.*] Hic finitur dolorum, & morbi amplificatio, & oſtenditur recepti à Domino valetudinis beneficium. Suprà quid Ezechias de ſe ſenſerit, & quo in errore fuerit, dum ſe ſanctum putat, audiuimus à propheta; nunc Ezechias ipſe docet ab eo errore, in quo fuerat, & à morbo fuiſſe liberatum. Eſt autem locus hic quem modo tentamus, difficillimus. Variè ab aliis redditur & exponitur, cuius explicationem non priùs aggrediar, quàm & textum Hebraicum, & aliorum tranſlationes adduxero. Hebr. ſic ארני עליהם יחיו ולכל־בהן חיי רוחי ותחלימני והחייני *aronai ghalehē ychiu vlcol-bahen, chaiī ruchi vetachalimeni vehachaieni.* Quem ſic vertunt communiter Hebræi, *Domine vltra eos viuens; & omnibus in eis vita ſpiritus mei.* Eodem modo Pagninus, & Vatablus. Septuaginta multò aliter. *Domine de ipſa enim annunciatum eſt tibi: & ſuſcitaſti ſpiritum meum, & conſolatus viui.* Chaldæus paraphraſticè exponit. *Domine de omnibus mortuis dixiſti, quod viuificares eos; & ante omnes viuificaſti ſpiritum meum: Sanabis enim me, & ſuſtentabis me.* Iſidorus, *Domine ſic viuitur, & in his vita ſpiritus mei, & dormire me feciſti.* Conabor hîc & lucem, ſi quam potero, afferre obſcuriſſimo loco, & vulgati tranſlationem cum Hebraico textu componere. Hieronymus ſic exponit. *Quia ſecurus eſt* (Ezechias) *nec patitur, quæ refert, de humano ſtatu philoſophatur, dicens: Domine ſi ſic viuitur, & talis ſumus conditione generati, corripuiſti me, ſed viuificaſti me, pacemque reddidiſti fugato Aſſyrio, ſed pax mea omni mihi amaritudine fuit amarior; quia tranquillitate populis reddita, & vrbe ſecura ego ſolus limina mortis intraui: eruiſti animam meam vt non periret.* Hieronymum ſequitur Haymo, nec longè abſunt Ianſenius, & Adamus, qui hæc addit Hieronymi ſententiæ: *Si vita quam viuimus verſetur in talibus miſeriis, permitto me tibi, corripe me, quoties vis, ſed tantùm viuifica me.* Aliæ ſunt expoſitiones, quas ne longus ſim, omitto, vt tandem veniam ad id, quod ſentio.

51. Textus Hebraicus, vt ab Hebræis Pagnino, atque Vatablo redditur, de quo nos paulò antea, variè exponitur. Quia præceſſerunt anni, quos à ſe cum amaritudine cogitatos dicit Ezechias, quidam ex Hebræis ſic exponunt. *Vltra ſuos annos viuent, qui in te confiderint, & idem beneficium ſentient, quod ego; quia in omnibus eis erit vita ſpiritus mei.* Id eſt, talis erit illis vita, qualem ego nunc incolumis, & ſoſpes ago. Alij illud *& omnibus in eis* vertunt, *& omnibus narrabo, quòd abs te vitam habeam*, aut quid ſimile.

52. Ego tentabo, ſi quomodò id conſequi poſſim, ſic interpretari textum Hebraicum, vt cum vulgati tranſlatione conſentiat, quod credo non improbabitur ei, qui mediocriter verſatus fuerit in Hebraicis. Et quod ad vim vocabulorum, rémque grammaticam pertinet, obſeruo חיים *chaym*, pro quo vulgatus *vita*, eſſe in plurali numero, & nihilominus rem ſignificari ſingularem, ſicut aliæ plurimæ voces in aliis linguis. Quare illud *vita ſpiritus mei* optimè conuenit cum יחיו *ychiu*, id eſt, *viueat*. Perinde acſi dicas, *vita ſpiritus mei viuent.* Deinde obſeruo ſolere Hebræos, dum omnia ſignificare volunt, adhibere genus fœmineum, & maſculum, quod fecit Eccleſiaſtes *cap. 2. verſ. 8* dum vult ſignificare comparaſſe ſe omne cantorum, & inſtrumentorum muſicorum genus. *Feci mihi cantores, & cantatrices.* De his nos pluribus ad illud *cap. 5. validum & fortem.* Tertiò obſeruo priori loco pro eo quod vulgatus reddidit *ſi ſic*, & tranſlationes aliæ *vltra eos*, Hebr. eſſe הם *hem*, quod pronomen eſt maſculini generis, poſteriori verò loco, vbi vulgatus *in talibus*, & aliæ tranſlationes habent *in eis*, Hebr. eſſe הן *hen*, generis fœminei. Quare iuxta regulam prædictam in הם *hem*, & הן *hen*, omnia continentur dura atque acerba. His ita conſtitutis ſic ego hunc locum conuerto. *Domine ſuper hæc, & illa mala, quæ commemoraui.* Aut (quod mihi doctrinæ gratia barbarè explicare liceat) *ſuper his & illabus, tamen vita ſpiritus mei viuunt, & vigent; dormire facies me, & viuificabis me.* Hæc credo expoſitio difficilis non eſt, neque quid in ea ſupplet, aut violenter trahitur. Et in genere dicendi duplex eſt epitaſis; altera in duorum generum coniunctione, cuius rationem reddere nullo modo poſſunt, qui nouas tranſlationes nobis obtrudunt: altera in dictionibus coniugatis, quæ apud Hebræos vehementer augent ſignificationem, vt *moriens morì, occiſione occidi, vita viuere.* quæ coniugatio hoc loco hunc reddit ſenſum. *In tot cauſis támque efficacibus moriendi, vita viuet*, id eſt, erit vita vitalis, & optabilis.

53. Nunc ſupereſt vt hanc ineſſe ſententiam probemus verſioni vulgatæ. Et primùm vt *his, & illis incommodis*, ſeu *illis & illabus*, vt barbarè loquamur doctrinæ gratia, aliquid videatur in his, quæ hunc articulum anteceſſerunt, reſpondere, repetendum eſt bis Ezechiam Regem adductum eſſe in vitæ periculum; Priùs cùm vrgebat hoſtis Aſſyrius, à quo

eò deductus eſt vt diceret, *Venerunt filij ad partum, & non eſt virtus pariendi.* qui ſtatus, vt ſuo loco diximus, morituri eſt. Iterum reuera ad mortem vſque laborauit, & ita mortificatus dici potuit, & viuificatus bis. Quocirca dicere potuit, in illis periculis ab Aſſyrio, & in his à letali morbo comparatis nihilominus viuo. In quibus videtur omnia pericula per ſynecdochen ſignificare; aut certè maximè: & ideo vtrumque addidit genus.

54. Si ex Latina tranſlatione tollas illud *ſi* (quod in Hebraico textu non eſt, & tollendum putant non pauci, in quibus eſt Foreirus, & Montanus, Ianſenius in hunc locum affirmat in quibuſdam codicibus Latinis non reperiri, vbi optimè obſeruat videri à Hieronymo particulam illam non fuiſſe additam, quia quam ipſe in commentariis adducit, explicatio conſtare non poteſt, ſi præcedat conditionalis particula *ſi.*) Si itaque tollas illud *ſi*, hæc eſt ſententia, *Domine poſt tot incommoda, ſic viuitur.* Hiſpanus, *Aun viuimos deſpues de tantos trabaios.* Sed admiſſa etiam conditionali illa particula, erit nihilominus eadem ſententia, ſuſpenſa tamen, cum quadam eleganti apoſiopeſi, *Domine ſi ſic viuitur, vita nimirum vſque adeò vitalis, poſt tot diſcrimina, angores, & moleſtias.* Supple, *Quid non ſperandum de tua clementia?* aut quid ſimile. Suppleri verò aliquid quando *ſi* conditionalis præceſſit, frequens eſt in ſcriptura. Vt, *ſi introibunt in requiem meam: ſi dedero ſomnum oculis meis:* Exempla ſunt obuia.

55. Vulgatus pro הם *hem*, poſuit *ſic*, pro הן *hen, talibus*, id eſt, *ſi ſic & in talibus*, quod omnino idem eſt, ac ſi diceret, *ſi in his atque illis vita ſpiritus mei viuit.* Qui loquendi modus apud Latinos vſitatus eſt, vt *pugna pugnatur, ſeruitus ſeruitur*, ſic videtur locus obſcuriſſimus aliquid accepiſſe lucis.

56. d d *Corripies me, & viuificabis me.* [Pro *corripies* Hebr. eſt ותחלימני *ve tachalimeni*, quod quidam vertunt *ſomno grauas.* Sed Vulgatus propriè expreſſit, quod figuratè latebat in metaphora. Nam verbum חלם *chalam*, *ſomniare* valet, & in coniugatione Hiphil, *facere ſomniare*, ſeu *ſomnium obiicere.* Morbus autem ille à quo ſolutus eſt Ezechias, fuit quaſi ſomnium quoddam, quod interdum non minùs cruciat terribilibus rerum ſpectris, & imaginibus, quàm res ipſa, cuius ſpecies obiicitur dormienti. At vbi ſomnium euanuit, æquè alacer eſt, atque integer ille, quem in quiete ſomnium turbarat, ac ſi nihil paſſus eſſet à ſpectro; cúmque dolor, aut angor abierit, aut metus periculi, quod obiiciebat terrifica ſpecies, nihilominus manet homo admonitus, aut correptus, dum aliquid in ſe quod emendari debeat agnoſcit. Sic ergo Ezechias fatetur ſe in morbo reprehenſum eſſe, quaſi in ſomno, à quo ſolutus liber, & lætus viuit.

57. Hæc fortaſſe vera, ſed iuxta Hebraicæ vocis vim alia explicatio videtur eſſe commodior. Nam quemadmodũ, qui ſomno premitur moleſto, & graui, qui à Latinis *incubus*, à Græcis *Ephialtes*, ab Hiſpanis *peſadilla* dicitur, ſic vexatur & laborat, vt molem ſuſtinere ſe putet Ætna grauiorem, & nihil iam eſſe propiùs, quàm vt animam agat; liber tamen iam ab illo ſomno, atque moleſtia, ſanus eſt atque integer, ita vt ex illa tanta mole nihil ſuperſit, præter ſomniati periculi memoriam, & gaudium de mortis impendentis fuga. Vt enim qui dulci ſomnio deluſus abundare ſe putat diuitiis, ad quas inhiat, vbi verò ſomnum ſuum dormierit, nihil inuenit in manibus ſuis, *Pſalm. 76.* quod etiam de ſitienti, atque eſurienti dixit Iſaias *cap. 29. verſ. 8.* qui cùm abundè in ſomnis ſitim, & famem explere videantur; expergefacti vacui ſunt, & ideo magis dolent, quia de illa poſſeſſione, quam tenere ſe putabant, deiecti ſunt: Sic Ezechias morbum paſſus eſt grauem, & à quo liberari ſe poſſe diffidebat, repentè tamen, & præter omnem expectationem liberatus, valetudini priſtinæ reſtitutus eſt; non ſecus atque ſi morbus ille morbus non eſſet, ſed ſomnium quoddam, & imago morbi per quietem oblata, quæ vbi quis à ſomno expertectus eſt, adeò non cruciat, vt etiam oblectet.

58. Quod ſi חלם, non ſolùm *ſomniare* ſignificat, ſed etiam *dormire*, vt nonnulli volunt iuxta Hebraicæ vocis proprietatem, ſenſus eſt expeditus, & facilis. Eſt enim ſomnus mortis ſimilitudo, vt conſtat, & in Scriptura *ſomnus* pro morte ponitur, quia *dormire* dicuntur mortui; tamen magis propriè *ſomnus* appellatur mors illa, à qua breui aliquis excitandus eſt. Vnde Chriſtus de Lazaro dixit *Ioan. 11. Lazarus amicus noſter dormit.* & filia Archiſynagogi *Matthæi cap. 9. Non eſt mortua puella, ſed dormit.* quia ſtatim ad vitam erant ſuſcitandi. Dicit ergo Ezechias illum morbum non fuiſſe ſibi ad mortem, ſed mortis inſtar, quam iam cogitatione deuorarat; viuificatum tamen ſe dicit, quia vlterioris vitæ ſpem omnem abiecerat, atque ideo iam ſe gerebat pro mortuo.

Mors ſomnus.

59. Huic explicationi illud incommodare videtur maximè quod Vulgatus *corripies* tranſtulit in futuro, non *corripuiſti* in præterito. Sed eſt quod reſpondeamus, ídque non difficile. Primùm Hebraicum verbum ותחלימני *vetachalimeni*, per præteritum tempus reddi poſſe, propter *vau* conuerſiuum, quo in Heb. lingua nihil eſt frequẽtius. Quod noſter interpres hoc loco, ſicut aliis plurimis, non ſeruauit: quia in conuertendo ſæpe Hebraicam phraſim, & idioma retinet, quorum vnum eſt, vt terminatione futuri temporis res ſignificetur præterita. Sed vſus eſt in vertendo tempore futuro, meo iudicio ſignificantiùs. Quod vt probem ſtatuo determinatum aliquod tempus apud Hebræos, futurum nimirum, & præſens, & aliquando præteritum, ſignificare interdum non tam actum; quàm conſuetudinem, aut facultatem aliquid faciendi, quod etiam aliis linguis familiare eſt. Vulgari enim ſermone dicitur etiam à doctis, *ille docet, curat, regit*, id eſt, magiſter eſt, medicus, Rex. In ſcriptura exempla ſunt plurima, ſed in eodem argumento pauca hæc accipe. *1. Reg. cap. 2. Dominus mortificat, & viuificat*, id eſt ſolet, aut potens eſt morti tradere, & à morte eximere. *Oſeæ cap. 6. Percutiet, & curabit nos*, id eſt, potens eſt percutere, & *in hoc cap.* eodem ſenſu quinque occurrunt exempla, *v. 18. & 19. Laudabit, confitebuntur, expectabunt.* id eſt, poterunt, aut debebunt laudare, &c. Noſter itaque interpres per futurum Dei conſuetudinem declarauit, qui vt potens eſt, ſolétque repentè percutere, ſic etiam, & repentè ſanare, quod in ſe ipſo expertus eſt Ezechias. Et ideo accommodatè ad hanc explicationem ſubdit.

Regula. Vulgatus interdũ idioma ſeruat Hebraicum.

Actio interdum pro facultate, aut conſuetudine agendi.

60. e e *Ecce in pace amaritudo mea amariſſima.*] Hieronymus, & alij, cenſent perſtare adhuc Ezechiam in amplificando dolore ſuo, ſignificaréque ſe tunc cruciari vehementer, cùm lætari debuiſſet, & frui pace, quam debellato Senacherib obtinuerat. Quæ explicatio ſanè difficilis eſt: Tum quia vt ſuprà oſtendimus, hæc ægritudo contigit nondum deleto, imò potiùs victore atque triumphante Senacherib, eo ſpatio, quo digreſſus ab obſidione Aſſy-

tius

rius arma contra Ægyptios, Æthiopéſque conuerterat. Alioqui cur propheta languenti Regi non ſalutem ſolùm, ſed etiam libertatem ab Aſſyriorum armis promitteret. Sic enim ſupra *verſ. 6. De manu Regis Aſſyriorum eruam te, & ciuitatem iſtam.* Quare nondum erat Ezechiæ pax ab hoſte Aſſyrio, qui propediem rediturus timebatur. Quare alij longè alium ſenſum hîc vident, nempe illa, quæ turbida videbantur, & præſentem mortem intentare, conuerſa fuiſſe in pacem, id eſt, eſſe iam in meliori ſtatu. Et quidem præpoſitio *lamed*, præpoſita רשלום *leſcalom*, id eſt *pacis*, mutationem, & conuerſionem indicat. Ab eo ergo quod ſibi acciderat, probat Ezechias id, quod proximè dicebamos, Deum poſſe ad mortem percutere, & repentè ſanare. Ac ſi dicat, Ex me hoc diſcite: ecce amaritudo mea amariſſima, in pace iam eſt.

61\. ff *Tu autem eruiſti animam meam vt non periret: proiecisti poſt tergum tuum omnia peccata mea.*] Licet per *animam* ſcriptura circumſcribere hominem ſoleat, vt alio loco multis probauimus. Quo ſenſu dicitur, *qui non odit animam ſuam*, aut, *qui amat animam ſuam*, id eſt, *ſe*. Tamen hîc de anima propriè videtur eſſe ſermo, quia peccatorum ſtatim meminit, quæ mors animæ ſunt. Quaſi priùs de corporis, nunc verò de animæ interitu loquatur: & ab vtroque agnoſcat ſe Dei beneficio fuiſſe liberatum. Porrò peccata ſua quæ Deus poſt tergum proiecit, id eſt, perinde habuit poſt pœnitentiam, & lachrymas, ac ſi admiſſa non eſſent; tunc videtur cognouiſſe, quando à morbo confirmatus eſt, & propter indulgentiam peccata in illo eſſe deſierunt. Nam dum ægrotaret, vt vidimus, iuſtum ſe fatebatur, & coram Deo ſemper ambulaſſe corde perfecto. Ex quo pro re morali duo poſſunt adduci documenta non vulgaria. Alterum eſt peccata videri ſæpe leuiſſima, dum ſunt: quia interdum peccator, maximè quem obdurauit peccandi conſuetudo, ad omnem ſanum & vitalem ſenſum obſtupuit, quem, vbi ad bonam mentem redijt, magis cruciat, & premit peccati memoria, etiam dum remiſſum eſt, quàm antè peccatum ipſum, quod tyrannicum in morem dominabatur in animo. Exemplo nobis vnus erit Dauid, qui dum in peccato fuit, nullo vexabatur mentis angore; at poſtquam ſe peccaſſe cognouit, dimiſſo etiam peccato clamabat aſſiduè, *Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum; & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me.*

Peccator ſæpe peccati pondus ignorat, quod cognoſcit, & ſentit à peccato liber.

62\. Alterum documentum eſt, animum à Deo magis illuſtratũ ſummiſſiùs de ſe & indigniùs cogitare. Qui fructus eſt maximus orationis, quę cũ Deo familiariter & proximè cõuerſatur. Non tã humiliauit Ezechiam mors iam impendens, & corpus iam iam ſoluendum in ſaniem, ac tandem redigendum in cineres, quàm mens à Deo per prophetam illuſtrata. Priùs enim ſe iuſtum, & perfectum appellabat; pòſt verò ſuæ animæ timendum metuebat, & peccata ſua poſt Dei tergum proiecta prædicabat. Neque Iob ſanies, qua ſtillabat totum corpus, aut ſterquilinium in quo iacebat, ſuis amicis, & familiaribus moleſtus & grauis, tam de ſe humiliter ſentire fecit, quàm lux diuinitus data. Sic enim ille de ſe *cap. 42. verſ. 6. Nunc autem oculus meus videt te; idcirco ipſe me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla, & cinere.*

Qui à Deo magis illuſtratus eſt, ſummiſſiùs de ſe cogitat.

63\. gg *Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te.*] Oſtẽdit pius, & religioſus princeps, quẽ ad finem Dominus ſibi longioris vitæ vſuram præbuerit, nempe vt, quod datum eſt ſpiritus, & vitæ,

Vita cur optanda.

A totum id impendat diuinis laudibus; quia mortui id præſtare non poſſunt. Quod etiam dictum eſt *Pſalm. 113. Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui deſcendunt in infernum; ſed nos, qui viuimus.* Eadem ſententia bis explicatur, nam *mors*, & *infernus* idem ſunt, ſicut *confitebitur*, & *laudabit*. Ezechias hîc vitam orat, vt laudet Deum. Iob *cap. 10. verſ. 20.* vitam ſibi produci, aut quietem dari deſiderat, vt plangat. *Dimitte ergo me vt plangam paululum dolorem meum, antequam vadam.* Ob hæc duo vita optabilis, quorum alterum ex ſui, alterum ex Dei cognitione naſcitur.

hh *Non expectabunt qui deſcendunt in lacum veritatem tuam.*] Qui deſcendunt in lacum iidem ſunt, qui *mortui*, ſiue hîc intelligas ſepulchrum, B quod magis reor, ſiue limbum, qui *Zachariæ cap. 9. lacus* dicitur *ſine aqua.* Quod ad laudem ſpectat non diſputo, an laudare Deum poſſint, aut ſoleant; qui ex hac vita decedunt. Nunc ſatis ab Ezechia ea dici, quæ vulgus exiſtimat, à cuius conſuetudine in loquendo ſcriptura aliquando non recedit, vt alibi à nobis probatum eſt. Putat autem vulgus à mortuis nullam iam ampliùs eſſe laudem; quod mortuos *ſilentes*, & mortem ipſam *ſilentium* vocat. Aut certè agit de illa laude, quæ quotidie in templo diuino nomini ſtupendebatur, quæ à mortuis exhiberi non poteſt. Et hoc indicat Ezechias ipſe ſtatim, cùm dicit, *Pſalmos noſtros cantabimus in domo Domini.* Quod autem ſpectat ad *veritatem* quam dicuntur non expectaturi, qui deſcendunt in C lacum, alia ratio eſt. Si *veritas* ſumatur pro promiſſione Chriſti, vt multi volunt, in quo mittendo verus erit, atque fidelis Deus, & qui in lacum deſcendunt, illi exiſtimentur, qui ſanctè vita defuncti ſunt, ſanè negari non poteſt illos expectare veritatem illam; neque ex gentis Hebraicæ conſuetudine id diceret Ezechias. Eſt ergo promiſſio oblata, & ante hunc articulum ab Iſaia de libertate Ieruſalem, & Aſſyriorum clade; & tunc etiam proximè in morbo de eodem ſucceſſu. Ac ſi dicat, quia liberata patria, & partim fugatis, partim deletis Aſſyriis omnes cognoſcent veritatem tuam, & fidem in præſtando promiſſo, téque tota animorum, vocúmque contentione impensè laudabunt. Id quia præſtare mortui non poſſunt, ideo me in viuis D eſſe voluiſti. 64.

ii *Viuens, viuens ipſe confitebitur tibi, ſicut & ego hodie, Pater filiis notam faciet veritatem tuam.*] Viuus laudabit te, ſicut & ego hodie facio, & me facturum publicè hoc voto in tabula ſuſpenſo polliceor. Neque id facient tantùm, qui hac luce, & ſpiritu in præſentia fruuntur, ſed etiam eorum poſteri, quibus parentes quotidie eius beneficij magnitudinem prædicabunt, & quid gratiarum agere debeant edicent. Alludit puto ad *Pſalm. 113.* vbi eadem omnino ſententia eſt, *Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui deſcendunt in infernum: ſed nos qui viuimus benedicimus Domino.* 65.

ll *Domine ſaluum me fac, & pſalmos noſtros can-* E *tabimus in domo Domini.*] Hæc indicant quænam illa ſint, quæ ſuperiùs à mortuis negantur præſtari poſſe: nempe, quæ exhibentur in templo. Illud *ſaluum me fac*, non pertinet ad ſalutem, quam iam obtinuerat, ſed ad libertatem vrbis, & ſtragem Aſſyriorum quam prædixerat Iſaias. 66.

Huc vſque canticum Ezechiæ, quod myſticè expoſuit Bernardus *ſermone 3.* ex variis optimè, vt alia omnia. Quod compoſitum fuiſſe ab Iſaia Regis rogatu, aut iuſſu veriſimile eſt, vt ſtyli nitor & 67.

Ezech. ...

maieſtas ſuadet, qui quę ſolutè, & ſine vllo artificio dixit Ezechias, ipſe numeris incluſit poëticis. Nihilominus communiter ſtatuunt interpretes, à quibus ego non diſſentio, ab Ezechia non ſententiam ſolùm verborum eſſe prolatam, ſed illam etiam in eos coactam eſſe numeros, quos nunc habemus. Imò ſunt, qui putent plura alia ſcripturæ monumenta ab Ezechia fuiſſe vel ſcripta vel digeſta. Sixtus Senenſis *lib.2. Bibliotheca, verſ. Ezechias.* refert exiſtimaſſe quoſdam librum Iudicum ab Ezechia compoſitum. Tradit autem id hiſtoria Scholaſtica in præfatione lib. Iudicum, quæ etiam addit, parabolas Salomonis, & librum Regum ab illo in vnum eſſe collecta, à quo ſumpſit Hugo. Autor tamen hiſtoriæ Scholaſticæ in præfatione libri Regum, Ieremiæ illud opus aſcribit. Vnde in eam cogitationem venire potuerit, non video: niſi fortè ex illo *Eccleſ. 48. verſ. 27. Spiritu magno vidit vltima, & conſolatus eſt lugentes in Sion vſque in ſempiternum, oſtendit futura, & abſcondita antequam euenirent.* Vbi nonnemo putat attribui Ezechiæ aliqua quę ſcripta fuerint non ſolùm ad hiſtoriam temporum, ſed etiam rerum futurarum cognitionē. Sed

A ea Eccleſiaſtici verba, vt cōmuniter omnes interpretes, & res ipſa docet, non tam de Ezechia Rege, quàm de Iſaia propheta prodita ſunt. Neque magis probat illud *Prouerb. 25. verſ. 1. Hæ quoque parabolæ Salomonis, quas tranſtulerunt viri Ezechiæ regis Iuda.* Hæc enim non tam ſtudio atque ingenio Regis, quàm Regis imperio ab aliis elaborata ſunt.

mm *Et iuſſit Iſaias vt tollerent maſſam de ficis, & cataplaſmarent.*] An ea fuerit morbi natura, vt ficubus leniri potuerit, vel cui ficus potiùs nocerent, vt magis appareret Dei potentia, qui rebus interdum noxiis atque contrariis medicinam facit, nihil eſt certum. De vtroque ſunt, qui cogitent, ſed omnes diuinant. Porrò hæc per recapitulationem di- 68.
B cta ſunt; & illud *iuſſit*, explicandum eſt per pluſquamperfectum; ac ſi dicat, *Iuſſerat Iſaias dum adhuc æger eſſet Rex, vt cataplaſmarent*, &c. Eſt autem in ſcriptura frequens, vt pro pluſquamperfecto perfectum ponatur. Vide Salmeronem *Proleg. 25. regula 4.* quod etiam apertè conſtat ex huius cantici titulo; quod ſcriptum dicitur poſtquam Ezechias ex morbo conualuit; ſed ſanitatem anteceſſit illud cataplaſma de ficubus.

Argumentum trigeſimi noni capitis Iſaiæ.

CVM *eodem tempore Rex Babylonis Merodach graui, atque mortifero Ezechiam morbo correptum, & ab illo ſubitò recreatum audiſſet, legatos miſit gratulandi gratia. Quibus cùm Rex quidquid in Regia gaza, ac ſupellectili numerari ſolet, oſtendiſſet; grauiter ab Iſaia reprehenſus eſt, & triſti percuſſus vaticinio. Audiuit enim Regias illas opes, atque delicias aſportandas eſſe Babylonem, Regiámque ſobolem ſeruili apud Babylonios miniſterio fore ſubiiciendam. Quod durum de ſuo genere decretum ſupplex accipit Rex: Deique acceptum refert benignitati, quòd viuit, & quòd in diebus ſuis publica tranquillitas turbanda non ſit.*

CAPVT XXXIX.

1 a IN *tempore illo miſit Merodach Baladan filius Baladan rex Babylonis, libros, & munera ad Ezechiam. Audierat enim quòd ægrotaſſet, & conualuiſſet.*

2 *Lætatus eſt autem ſuper eis Ezechias:* b *& oſtendit eis cellam aromatum, & argenti, & auri, & odoramentorum, & vnguenti optimi, & omnes apothecas ſupellectilis ſuæ, & vniuerſa quæ inuenta ſunt in theſauris eius. Non fuit verbum quod non oſtenderet eis Ezechias in domo ſua, & in omni poteſtate ſua.*

3 *Introiuit autem Iſaias propheta ad Ezechiam regem, & dixit ei. Quid dixerunt viri iſti, & vnde venerunt ad te? Et dixit* Eze

PARAPHRASIS in idem caput.

1 EO tempore cùm Merodach Baladan Rex Babylonis audiſſet ægrotaſſe grauiter Ezechiam, & inſperatæ redditum eſſe valetudini, miſit eum literis, muneribúſque legatos ad Ezechiam: qui illi de recuperata ſalute gratularentur.

2 Excepit autem læto animo, atque hilari vultu Rex Ezechias Babylonios legatos, quibus cellam oſtendit, in qua Regia ſeruabātur aromata; propoſuítque in eorum oculis grande pondus argenti, atque auri, & odoramentorum, vnguentíque pretioſi maximam copiam: nec non quidquid eſſet in ſupellectili varium, pretioſum, & illuſtre, & quicquid pro Regia maieſtate ac luxu reconditum eſſet in theſauris. Denique nihil fuit aut in Regia domo, aut quod ad Regiam gazam pertineret, quod legatorum oculos celatum eſſe voluerit.

3 Ingreſſus eſt autem ad Regem Iſaias, dixítque. Quid ad te detulerunt, & vnde profecti ſunt iſti legati? Ad quem Ezechias, De terra, inquit,

inquit, longè à noſtris finibus ſubmota venerunt, nempe de Babylone.

4 Et rurſus ad Regem Iſaias. Quid viderunt in domo tua? Prorſus, reſpondit Rex, omnia: neque quicquam fuit in theſauris meis, quod non illorum oculis ſpectandum obtulerim.

5 Ad hæc Iſaias. Audi igitur Rex durum nuncium, quod per me tibi Dominus exercituum denunciat.

6 Aderit aliquando tempus, in quo, quæ apud te ſunt in domo tua, quæque parentes tui congregauerunt ad hunc vſque diem, diripiantur, auehantúrque in Babylonem. Domini verba hæc ſunt.*

7 Quin & poſteri tui, ex tuo prognati ſemine abducentur à Babyloniis captiui, eóque abiicientur, vt bene ſecum actum exiſtiment, ſi in aula Regis eunuchi ſeruiant.

8 His auditis ſic Rex ad Iſaiam. Accipio admittóque quod Domino de me viſum eſt, etiamſi mihi generíque meo durum, & graue: & eius benignitati aſcribo, quod diebus meis pacem, & quietem promiſit. In veritate igitur eius me conſolabor, quia præſtabit, certò ſcio, quod de Aſſyriorum Rege pollicitus eſt.

Ezechias, De terra longinqua venerunt ad me, de Babylone.

4 *Et dixit: Quid viderunt in domo tua? Et dixit Ezechias. Omnia quæ in domo mea ſunt, viderunt: non fuit res quam non oſtenderim eis in theſauris meis.*

5 *Et dixit Iſaias ad Ezechiam. Audi verbum Domini exercituum.*

6 *Ecce dies venient, & auferentur omnia quæ in domo tua ſunt, & quæ theſaurizauerunt patres tui vſque ad diem hanc, in Babylonem: non relinquetur quicquam, dicit Dominus.*

7 *Et de filiis tuis qui exibunt de te, quos genueris, tollent, & erunt eunuchi in palatio regis Babylonis.*

8 *Et dixit Ezechias ad Iſaiam.* [c] *Bonum verbum Domini quod locutus eſt. Et dixit: Fiat tantùm pax & veritas in diebus meis.*

IN CAPVT TRIGESIMVM NONVM COMMENTARIVS.

1. Conſolationes, & gratulationes obiri ſolitæ inter principes.

[a] IN *tempore illo miſit Merodach.*] A Totum hoc caput apertum eſt, quare in eius explicatione minùs eſt nobis laborandum. Ex hac regis Merodach legatione veriſimile fit, vſitatum olim inter Reges, & principes, licèt ſtudio, religionéque diuerſos, colere inter ſe ſe humanitatis officia, ſeque ipſos per nuncios conſalutare, ſignificaréque ſibi cum aliis in ſecundo rerum ſucceſſu gaudium eſſe commune, & in aduerſo communem etiam eſſe mœrorem. Fecit hoc Dauid in morte Regis Ammonitarum 2. *Reg. c.* 10. Et Thou Rex Emath per filium ſuum gratulatus eſt Dauidi de victoria contra Adarezer Regem Soba 2. *Reg.* 8. Quod vſque adeò vſitatum atque legitimum fuit, vt ante victoriam conſultandum dixerit Iſaias, quid reſpondendum ſit Gentium legatis, qui gratulatum venerint de victoria *cap.* 14. *Quid reſpondebitur nuntiis Gentium?* Sic Babylonis Rex Merodach miſit cum muneribus ad Ezechiam, qui de reſtituta valetudine gratularentur, & vt dicitur *Paralip. lib. 2. cap.* 32. de portento rogarent, quod videlicet contigiſſet in domo Regia. Eſt enim veriſimile cùm de valetudine Regis audierunt, audiiſſe quoque de valetudinis admirabili portento.

2. Merodach quis.

Hic Merodach, vt ſomniant Hebræi, pater fuit Nabuchodonoſor, eius qui primus ab Aſſyriis imperium traduxit ad Chaldæos, & qui deinde compleuit, quæ in hoc capite minatur Iſaias. Sed eſt mihi hoc improbabile: quia, etſi in primum annum regni Merodach incidiſſet morbus Ezechiæ, regnaſſet in Babylone centum & nouem annos, quia tot intercedunt inter morbum Ezechiæ, & annum ſextum Ioachim, in quo primùm regnare cœpit Nabuchodonoſor. Tam longum autem imperium, quis credet contigiſſe, eò præſertim ſæculo in quo breuior erat hominum vita. Potiùs ego exiſtimo Merodach nomen eſſe commune Regibus Babylonis, ſicut Pharaonis nomen Ægyptiis Aretæ Arabibus, Candace Reginis Æthiopiæ, & Cæſaris imperatoribus Romanis commune nomen eſt. Eſt autem mihi probabile antiquiſſimum Regem Babyloniæ ſic eſſe vocatum, qui deinde à poſteris in deorum numerum relatus eſt. Sicut in eadem ciuitate primus, aut inter primos regnauit Belus, qui B pro Deo à Babyloniis habitus, vocatus eſt *Bel.* Quòd enim Merodach Deus fuerit apud Babylonios, ſicut Bel, indicat Ieremias *cap.* 50. *verſ.* 2. *Capta eſt Babylon, confuſus eſt Bel, victus eſt Merodach, confuſa ſunt ſculptilia eius, ſuperata ſunt idola eorum.* Vbi omnes penè *Merodach* idolum eſſe putant; licèt improbabile non videatur hoc etiam Ieremiæ loco *Merodach* nomen eſſe Regis. Et ita putant Genebrardus in Chronico anno mundi 3469. Lyra, Hugo, Theodoretus. Ab hoc ergo, quicumque ille eſt, credo Reges Babylonis vocari ſolitos *Merodach*, & nunc ab Iſaia, & poſtea, vt eſt veriſimile, à Ieremia, qui idem eſſe creditur, qui Balthaſar, eu-

ins tempore cecidit regina quondam Babyloo. Et 4. *Reg.cap.25.verſ.27.* Nabuchodonoſori ſucceſſiſſe dicitur Euil Merodach, id eſt, *Merodach* cogoomento *Euil.* Quare dum Merudach Baladan filius Baladan nuntios legaſſe dicitur, nihil alind dici videtur quàm Regem Babylonis Baladan, filium Baladan miſiſſe legationem.

3. [b] *Et oſtendit ei cellam aromatum.*] Quàm diues fuerit Ezechias, quantum auri, argenti atque aromatum congregarit, habemus *lib.2. Paralip. cap. 32. verſ. 27.* Vbi etiam habes derelictum fuiſſe Ezechiam à Domino in ea Babyloniorum legatione, vt tentaretur, & nota fierent omnia, quæ erant in corde eius: Nota quidem aut ipſi Regi, qui non ſe ſatis ipſe cognouerat, vt vel eo titulo ſe ipſum magis putaret vilem, & abiectum, quòd aliquando ſibi ipſi in ſe, aut in ſuis opibus placuiſſet. Quia reuera nihil ſic abiicit ſuperbum animum, quàm cogitatio quod de ſe ipſo aliquando ſuperbè cogitarit. Superbia etenim menti iam ſanæ & melius ſentienti futiliſſima quædam vanitas eſt. Aut certè vt nota fierent Deo, eo ſenſu quo ipſe dicit aliquid tunc primùm cognoſcere, quia illud aliis cognoſcendum præbuit, vt de Abraham *Gen.cap.22. Nunc cognoui quòd timeas Dominum*, id eſt, cognoſcere feci. De quo genere orationis pluribus alibi egimus *cap 24.num.10.*

4. [c] *Bonum verbum Domini, quod locutus eſt; & dixit. Fiat tantùm pax, & veritas in diebus meis*] Hæc Ezechias poſt Iſaiæ minas. Iuſtus eſt Dominus, qui meæ leuitati, atque arrogantiæ id inflixit ſupplicij, & benignus, quia diebus meis pacem promiſit In veritate igitur eius me conſolabor; quia præſtabit, certò ſcio, quod mihi pollicitus eſt de Senacherib. Reprehendunt, vt inquit Hieronymus, Hebræi

A Ezechiam, quod hoc reſponſo parum viſus fuerit ſollicitus de populo Iudaico, futuráque ſobole, quando ſibi pacem, & ſalutem optat, & quid aliis poſt ſe futurum ſit non laborat: neque confitetur peccatum ſuum cum Dauid, neque iram Dei remouet à poſteris, neque cum Moyſe clamat, aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro vitæ. Sunt qui illud *& veritas* de Meſſia interpretantur, quaſi dicat Ezechias, feram libenter quodcumque mihi Deus ſupplicium inflixerit, dummodò ex meo genere Meſſias oriatur. Quæ ſanè expoſitio pia eſt, neſcio tamen quantum cum ſermonis textu conſentiat.

5. *Verbum bonum quid.*

B Ego *verbum bonum*, aliter accipio: puto enim hoc loquendi genere ab inferioribus ſignificari ſolere non grauatè ferri quidquid durum à ſuperioribus iniungatur. Quaſi dicat, *fiat voluntas Domini*, aut *quod Domino placet*, aut *fiat mihi ſecundùm verbum Domini*, ſeu *accipio admittóque, etiamſi in caput meum, quod viſum eſt de me Domino.* Quaſi non prouocet ad iudicem, ſeu ad tempus aliud. Sic Semei, cùm audiſſet à Salomone 3. *Reg.cap.2.verſ.38. Quacumque die egreſſus fueris, & tranſieris torrentem Cedron, ſcito te interficiendum*, &c. Reſpondit Semei. *Bonus ſermo, ſicut locutus eſt dominus meus Rex, ſic faciet ſeruus tuus.* Et ſtatim *verſ.43.* cùm Semei tranſgreſſus eſſet Regis edictum, ait illi Salomon, *Et dixiſti, bonus ſermo*, quaſi dicat, admiſiſti

C meum de tuo ſcelere decretum. Hiſpanè, *admitoſte o paſaſte por la ſentencia.* Sic nunc Ezechias nihil aliud ſignificat, quàm ſibi placere Domini de ſuo capite decretum. Idem omnino quod 1. *Regum 3.* dixit Heli cùm accepiſſet ſimiles à Samuele minas. *Dominus eſt, quod bonum eſt in oculis ſuis faciat.* Vnde frequens, *eſſe in oculis alicuius bonũ*, id eſt, *placere.*

Argumentum quadrageſimi capitis Iſaiæ.

QVIA *in fine capitis trigeſiminoni ſeuero nuncio de Babylonico ad Iudæorum prædam aduentu populum compunxerat, nunc propoſitio felici, atque expedito in patriam ex Babylone reditu eundem conſolatur. Hæc quidem in vmbra, nam iſta conſolatio Euangelij tempus, & maiorem humani generis libertatem præſertim intuetur. Quare vocem præconis proponit, qui viam ſternit, & munit ad Chriſti redemptoris ingreſſum. Cui à Domino clamoris argumentum præſcribitur, nempe humanæ conditionis infirmitas; & Dei in ſuum populum fidelis indulgentia. Cum verò grauia ſint, quæ vel Iudæorum populo captiuo, vel Eccleſiæ filiis promittuntur, Dei amplificatur virtus, atque ſapientia, quibus nihil eſſe poteſt non ſuperabile. Ex his verò commodè gradum facit, ad illorum reprehenſionem, qui Deum verum, à quo formata ſunt omnia, ſimilem eſſe putant inanibus Gentium ſimulacris. Ad extremum poſtquam Iudæorum ſtultam querimoniam incuſauit, à ſua potentia, ac fide ſperari omnia, atque implorari iubet.*

CAPVT XL.

1 [a] CONSOLAMINI, *conſolamini populi meus, dicit Deus veſter.*

2 [b] *Loquimini ad cor Ieruſalem,* [c] *& aduocate eam:* [d] *quoniam completa eſt malitia eius, dimiſſa eſt iniquitas illius.* [e] *Suſcepit*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 DEPONE, populi mi, mœrorem ex animo, dicit Dominus. Dominus, inquam, iubet, ô populi, vt animi tui angorem conſolere.

2 Loquimini, ô prophetæ, ad cor Ieruſalem verba ſpei bonæ; atque conſolationis plena. Conſolamini iterum ac ſæpius illam: quoniam iam ab

ab ea pœnarum ſatis exhauſtum eſt. Satis, inquam, illa pœnarum exoluit. Satis grauem à Deo ſuſcepit pœnam pro ſcelerum menſura.

3 Videte iam videor præconem quendam diuino obſecutum imperio clamantem, vt in deſerto muniatur, & complanetur via, ad Domini ingreſſum; & ſi quid eſt ſinuoſum, & obliquum, illud ad rectitudinem redigatur, & lineam.

4 Iniecto aggere, & congeſta humo attollatur vallium depreſſa profunditas; & contra deiectis ſcopulorum faſtigiis, demittantur colles. Et quod anfractuoſum eſt dirigatur ad regulam, quod verò cliuoſum, & inæquale, in planiciem æquetur.

5 Cùm ad hunc modum ſtrata fuerit, & expedita via, apparebit Dominus glorioſus, & cognoſcet omnis mortalis, & humana caro, quæ à me dicta ſunt, Dei eſſe oracula, non hominum commenta.

6 Audire viſus ſum vocem, quæ mihi, vt clamarem, edixit. Tunc ego cùm rogaſſem quænam eſſet clamoris futura materies: hanc ab eo, qui mecum loquebatur accepi. Omnes homines inſtar fœni ſunt, & eorum decor, & ſpecies inſtar floris, qui in agro viret.

7 Vides quàm facilè exareſcat fœnum; vt flos amiſſa ſpecie momento temporis marceſcat, & cadat, cùm ventus aut ab Aquilone frigidus, aut ab Auſtro torrens à Domino miſſus illum afflauerit? Sanè populus nihilo fœno, aut flore conſtantior eſt.

8 Exuretur quidem, & ſiccabitur fœnum: & flos areſcet, & cadet; ſtabit tamen inconcuſſa diuini verbi fides in æternum.

9 Aſcende tu, cui id datum eſt negorij, vt Sioni fauſtum, & optatum nuncium adportes; & tota ſpiritus, & vocis contentione clama, qui bonus nuntius mitteris ad Ieruſalem. Exalta quantùm potes hilarem vocem, liberè, & audacter inſona ad ciuitates Iuda. Ecce Deus tot antè ſæculis promiſſus aduenit.

10 Fœno eſt, aut ſtipulæ ſimilis omnis caro. Non ſic verò Dominus, qui ſalutem hominum operabitur: Veniet enim ad arduum libertatis noſtræ negotium ſtrenuus, & fortis, cuius brachio nihil occurrere poteſt ita clauſum, quod non aperiat, ita difficile quod non expugnet. Afferet autem captiuorum vindex ille maximus, mercedem, & pretium ſecum, quod pro illorum libertate luculenter expendat. In quam tanquam in opus ſuum, quod præſens ante oculos perpetuò geſtat, ſtrenuè, atque fideliter incumbet.

11 Suum itaque populum non aliter moderabitur, atque ſuſcipiet, quàm paſtor gregem, cuius cuſtodiæ ſic inuigilat, vt nullum omittat ſedulæ benignitatis officium. Teneros etenim agnos in vlnis ſuis, atque in ſinu congregabit ad caulas;

cepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis ſuis.

3 [f l] *Vox clamantis* [g m] *in deſerto: Parate*
viam Domini: rectè facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri.

4 [m n] *Omnis vallis exaltabitur, & omnis*
mons, & collis humiliabitur, & erunt
[h o] *praua in directa, & aſpera in vias planas.*

5 [i p] *Et reuelabitur gloria Domini: & vi-*
debit [k] *omnis caro pariter quòd os Domini locutum eſt.*

6 [q] *Vox dicentis: Clama. Et dixi,* [r] *Quid*
clamabo? [ſ] *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos agri.*

7 *Exiccatum eſt fœnum, & cecidit flos;*
[t] *quia ſpiritus Domini ſufflauit in eo. Verè fœnum eſt populus.*

8 *Exiccatum eſt fœnum, & cecidit flos: verbum autem Domini noſtri manet in æternum.*

9 [v] *Super montem excelſum aſcende tu qui*
euangelizas Sion: exalta in fortitudine vocem tuam, qui euangelizas Ieruſalem. Exalta, noli timere. Dic ciuitatibus Iudà, Ecce Deus veſter.

10 [x y] *Ecce Dominus Deus in fortitudine*
veniet, & brachium eius dominabitur.
[z] *Ecce merces eius cùm eo, & opus illius coram illo.*

11 [a a] *Sicut paſtor gregem ſuum paſcet: in*
brachio ſuo congregabit agnos, & in ſinu
ſuo leuabit: [b b] *fœtas ipſe portabit.*

12 [c c] *Quis*

12 [cc] *Quis menſus eſt pugillo aquas, & cælos palmo ponderauit?* [dd] *Quis appendit tribus digitis molem terræ, & librauit in pondere montes, & colles in ſtatera?*

13 [ee] *Quis adiuuit ſpiritum Domini? aut quis conſiliarius eius fuit, & oſtendit illi?*

14 *Cum quo iniit conſilium? & inſtruxit eum, & docuit eum ſemitam iuſtitiæ, & erudiuit eum ſcientia, & viam prudentiæ oſtendit illi?*

15 [ff] *Ecce Gentes quaſi ſtilla ſitulæ, & quaſi momentum ſtateræ reputatæ ſunt.* [gg] *Ecce inſulæ quaſi puluis exiguus.*

16 [hh] *Et Libanus non ſufficiet ad ſuccendendum, & animalia eius non ſufficient ad holocauſtum.*

17 *Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coram eo, & quaſi nihilum & inane reputatæ ſunt ei.*

18 [ii] *Cui ergo ſimilem feciſtis Deum? aut quam imaginem ponetis ei?*

19 *Numquid ſculptile conflauit faber? aut aurifex auro figurauit illud, & laminis argenteis argentarius?*

20 *Forte lignum & imputribile elegit artifex ſapiens: Quærit quomodo ſtatuat ſimulacrum quod non moueatur.*

21 *Numquid non ſcitis? Numquid non audiſtis?* [ll] *Nũquid non annunciatum eſt vobis ab initio? Numquid non intellexiſtis fundamenta terræ?*

22 [mm] *Qui ſedet ſuper gyrum terræ, & habitatores eius ſunt quaſi locuſtæ.* [nn] *Qui extendit velut nihilum cælos, & expãdit eos ſicut tabernaculum ad inhabitandum.*

23 [oo] *Qui*

caulas: effœtas, & languentes ex puerperio matris ſuis ipſe portabit humeris.

12 Neque illi poteſtas deerit, aut ſapientia, vt iſta perficiat: qui manu tenere, ac metiri aquas, & cœlorum, quaſi leuis eſſet, atque exiguus lapillus, palma pondus, atque momentum explorat. Quis terræ molem ingentem tribus ſuſpendit digitis, montéſque pondere, & colles in ſtatera librauit?

13 Quis ad admirabilem vniuerſi fabricam deſcribendam, atque metandam illius ſapientiam, aut ſolertiam inſtruxit? aut quis ad architectanda, quæ mente concepta, atque deſcripta fuerant, adiutor fuit?

14 Quem ſibi ad conſilium tanti operis ſocium aduocauit? à quo inſtructus eſt, & doctus, vt iuſtè, ſapienter, atque prudenter ageret?

15 Quî fieri poteſt, vt homo diuinam potentiam adiuuet tanquam infirmam? aut prudentiam inſtruat vt ignaram? cùm omnes Gentes Dei comparatione, inſtar guttulæ ſint, quæ ſtillat è ſitula: aut ſicut momentum, quod minimum in ſtatera pondus eſt. Ecce ampliſſima inſularum, & longiſſima ſpatia vix pulueris exigui inſtar obtinent.

16 Hæc de Dei ſapientia, potentiáque. Quòd verò ad cultum eius, religionémque pertinet; ea eſt diuinæ illius naturæ maieſtas, vt Libanus, qui aromate abundat, lignóque ſuauiter olenti, non ſatis ſit ad ſuffimentum: & animalia, quæ magno ibi paſcuntur numero, ad holocauſta non ſufficiant.

17 Omnes Gentes in eius conſpectu perinde cenſentur, ac ſi nihil eſſent. Gentes, inquam, omnes ante ipſum inſtar omnino nihili habere exiſtimantur.

18 Cùm ergo, quæ in vniuerſo ſunt omnia, aut guttula ſint, aut etiam aliquid longè minus: quæ poterit è rebus humanis effigies exprimi, quę diuinæ illius naturæ vim, atque pręſtantiam repræſentet.

19 Numquid è ligno veri Dei imaginem dolauit faber, aut aurifex ex auro, aut ex argento conflauit, aut excuſſit argentarius?

20 Eligit quidem, qui inanium Deorum ſimulacra fingit, lignum, quod neque cariem ſentiat, neque ſoluatur tabe: magnóque ſtudio, atque ſolertia laborat, ne illa vento, aut aliquo alio externo pulſu moueantur.

21 Numquid non audiſtis, quid initio mundi in rerum creatione factum ſcriptura doceat? Hoc, inquam, vobis ab aliquo nunciatum non eſt? An non intellexiſtis quo modo creata fuerit, atque fundata terra?

22 Eſt autem Deus terra, naturáque creata longè ſublimior: quę ipſe ſupra illius altitudinem ſedens, moderatur, & continet, cuius habitatores, quantacumque mole grãdes exiſtimentur; locu-

ſtis

ſtis tenuitate videntur eſſe non diſſimiles. Qui vaſta illa cœlorum ſpatia non aliter explicuit, atque ſi quis tabernaculum extẽderet ad commodam hominũ habitationem: cœlũ verò nihilo magis reſtitit diuinę cogitationi; quàm ſi nihil omnino foret, quod vim habet ad repugnandũ nullam.

23 Qui Philoſophos, & ſapientes, quique ſecreta naturæ, aut diuinæ prouidentiæ arcana rimantur, ſapientiæ ſuæ comparatione perinde eſſe, atque apparere facit, quaſi nõ eſſent. Principes verò, qui iudicant, ac moderantur terram, nihil eſſe prorſus oſtendit, ſi ſecum in virtute, atque potentia còmparentur.

24 Et quidem horum Principum, quorum ſtabile putabatur fundamentum, ſic erit momentaneus ſplendor, ſic futilis, atque infirma potentia, vt ſimiles videantur arbori non plantatæ, cuius truncus radices non egit; quam ventus paulò inclementior ſuo flatu areſacit, & perdit; aut turbo ſic rapit, ac circumagit, ſicut leuẽ ſtipulam.

25 Ecqua eſt igitur amentia tanta, vt his Regibus quorum futilis eſt potentia, & momentaneus nitor, qui tamen diuinos ſibi honores haberi volunt, me ſimilem eſſe exiſtimetis? aut talem mihi diuinitatem ineſſe, qualem illis affingit ſtultum hominum, & timidum vulgus.

26 Ad cœlum ſurſum oculos attollite; & vobiſcum attenta cogitatione perpendite, à quo formati, atque fundati ſunt; & illi niſi mentem prorſus abieciſtis, docebunt non eſſe Deos, qui poſt cœlorum conditam molem exordium habuere. Conſiderate igitur in hac illuſtri cœlorum ſpecie, quemadmodum ex aſtrorum ingenti numero, tanquam imperator ego cœleſtem illam militiam producam: quæ ego aſtra oriri, atque occidere facio eo ordine, qui rebus humanis conſeruandis, & augendis magis eſt opportunus. Quorum virtutem noui, & accommodatum illi nomen impoſui. Cui illud ineſt robur, atque potentia, vt ex tanto numero nullum ſit, quod meum fugiat, aut recuſet imperium.

27 Cùm igitur nihil ſit, ô Iſrael, quod meæ voluntati, atque imperio non pareat, quæ te ſtulta, atque væſana cogitatio decepit, vt putes, & dicas meæ prudentiæ occulta eſſe tua conſilia, & ſtatum, in quo nunc es, mihi non eſſe cognitum: neque habere me quicquam penſi, hoc ne an illo modo hominum iudicia tractentur.

28 Numquid ignoras, aut nunquam audiſti? audi nunc ſaltem, & à me de me ipſo diſce. Sempiternus eſt Dominus, qui terram, quam creauit, ſuis definiuit terminis; Qui ſicut in illa tanta molitione, neque laborauit, neque defecit: ſic etiã nunquã laborabit, aut deficiet, cuius ſapientiam inueſtigabit, aut aſſequetur perſcrutando nullus.

29 Quomodo conſequens eſt, vt ille laboret, aut deficiat, qui languenti & laſſo animos integrat, & corroborat vires? imò & illis, qui non ſunt,

23 oo *Qui dat ſecretorum ſcrutatores quaſi non ſint, iudices terræ velut inane fecit:*

24 pp *Et quidem neque plantatus, neque ſatus, neque radicatus in terra truncus eorum: Repentè flauit in eos, & aruerunt, & turbo quaſi ſtipulam auferet eos.*

25 qq *Et cui aſſimilaſtis me, & adæquaſtis, dicit Sanctus?*

26 rr *Leuate in excelſum oculos veſtros, & videte quis creauit hæc: ſſ qui educit in numero militiam eorum; tt & omnes ex nomine vocat: vv Præ multitudine fortitudinis, & roboris virtutiſque eius, neque vnum reliquum fuit.*

27 xx *Quare dicis Iacob, & loqueris Iſrael, Abſcondita eſt via mea à Domino, & à Deo meo iudicium meum tranſiuit?*

28 *Numquid neſcis, aut non audiſti? Deus* yy *ſempiternus Dominus qui creauit terminos terræ; non deficiet, neque laborabit, neque eſt inueſtigatio ſapientiæ eius.*

29 zz *Qui dat laſſo virtutem: & his, qui non ſunt, fortitudinem, & robur multiplicat.*

30 aaa *Deſi*

ſunt fortitudinem addit, & robur.

30 Laborabunt quidem, frangentúrque pueri: & iuuenes languori, atque infirmitati ſuccumbent; licèt hi firma ſint ætate, atque robuſta, illis ad robur quotidie, & firmitatē ætas adoleſcat.

31 At qui vires, ac ſpiritum ſperant à Domino, languidi alioquin, & debiles, confirmabuntur quotidie magis, inſtaurabúntque vires; ſicut aquilæ ſolent, quibus veteres atque infirmæ excutiuntur pennæ, & adnaſcuntur nouæ. Hi igitur aquilarum inſtar ſic current, vt non laborent; ſic progredientur, vt non deficiant.

30 [aaa] *Deficient pueri, & laborabunt, & iuuenes in infirmitate cadent.*

31 [bbb] *Qui autem ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem,* [ccc] *aſſument pennas ſicut aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient.*

IN CAPVT QVADRAGESIMVM COMMENTARIVS.

PRÆFATIO AD CAPVT QVADRAGESIMVM ISAIÆ, & ad alia plura, quæ deinde ſequuntur.

1\. HINC iam propheta propiùs accedit ad tempus Euangelicum, id eſt, ad illa ſæcula quæ verè dici poſſunt aurea, multò melius quàm ea quæ ſub Saturno fuiſſe nugatur antiquitas. Eſt autem longum, & antiquum diſſidium non ſolùm inter Hebræos, & Chriſtianos ſcriptores, ſed etiam inter pios & Catholicos inter ſe, an hæc, quæ hoc capite & aliis affinibus dicta ſunt à propheta de Eccleſia per Euangelium fundata, vaticinia ſint, an potiùs de Hieroſolyma à Babylonio exilio reſtituta, & ad priorem, ſeu priori non admodum diſſimilem ſtatum vocata. Nam ſunt, qui ita illud concedunt, vt hoc omnino, atque præcisè negent. Alij poſterius hoc in typo, prius autem verè, atque præcipuè ſignificari putant. Egimus de hoc eodem argumento in noſtris commentariis ſuper Zachariam *cap.* 2. 9. & 10. & quæ ibi docuimus, illa eadem apud Iſaiam probāda cenſemus. Ibi mediam quandā viam ingreſſi ſtatuebamus, neque omnino excludi ab hoc oraculo Hieroſolymam, neque præcipuo, & primo, vt aiunt, inſtituto, ſeu intentione de illa exponendum eſſe vaticinium. Sed cùm Hieroſolyma ab exulibus non tam inſtaurata, quàm de nouo condita typus Eccleſiæ ſit, quam exiguus, & durè vexatus fidelium numerus primùm amplexus eſt, deinde deſerta priùs; & ad illud vſque tempus quaſi deſpecta Gentilitas; ita de Ieruſalem, quam vndique Gentes antea diſperſæ circumfundunt, loquitur in figura, vt tamen aliquid ſplendidius, atque ſublimius ſpectet in Eccleſia. Quod ſibi perſuadebit facilè, qui plurima, quæ ſparſa ſunt ad finem vſque prophetiæ, attentus expenderit, quæ nullo modo videntur à captiuo priùs populo Iudæorum deinde per Cyrum liberato, ſeparari poſſe, vt ſuis oſtendemus locis.

Ieruſalē reſtituta typus Eccleſię.

2\. Neque hæc ſententia à patronis nuda eſt, aut optimis deſtituta fundamentis. Nam vt in Zacharia, & in hoc propheta ſæpius obſeruauimus, ſolent prophetæ, cùm aliquid prædicunt de Euangelij tempore, adducere de Teſtamento veteri illius vmbram, in qua veluti in ſuo exemplari myſterium ipſum clariùs intueántur. Vt cùm de reditu agunt ex Ægypto pueri Ieſu, reditum adducunt populi Iſraelitici ex eadem regione. Sanè in cortice & ſymbolo de populo loquebatur Oſeas *cap.* 11. quando ex Ægypto rediit, vt cenſet ſuper Oſeam Hieronymus, Cyrillus, Haymo, Gloſſa, Burgenſis, Ribera, & cōmuniter alij: Et ſuper Matthæum *cap.* 2. S. Thomas, Chryſoſtomus *homil.* 8. Theophylactus, Caietanus, & complures alij. Sed Matthæus *cap.* 2. impletum eſſe dicit, cùm Ieſus ex Ægypto reuerſus eſt. Ieremias item *cap.* 31. de filiis Iſrael, dum captiui ducerentur, loquebatur cùm dixit, *Vox in excelſo audita eſt, ploratus, & vlulatus multus:* vt docet Hieronymus, Rabanus, S. Thomas, Hugo, Chaldæus, Maldonatus, Chriſtophorus Caſtrus, & alij; ſed Matthæus *cap.* 5. in cæde infantium impletum eſſe dicit. Idem neceſſariò dicendum de agno paſchali, cuius os non confringebatur, *Exod.* 12. quod impletum eſſe in Chriſto tradit Ioannes *cap.* 9. Qua de re ſatis multa Ribera *in* 11. *caput Oſeæ.* & Gabriel Vazquez *tom.* 1. 1 *part.* S. Thom. *diſput.* 14. *capite* 10.

Regula. Prophetę ſæpe cum de Euāgelij tēpore agunt, vmbram afferunt Teſtamenti veteris.

Oſeæ 11.

Ierem. 31.

3\. Hæc quidem ferme ſine controuerſia ſunt: ſupereſt iam vt oſtendamus in inſtauratione Ieruſalē, reditúque captiuorū e Babylone ad meliorem fortunam, adumbratā eſſe Eccleſiam congregatam pręſertim è Gentilibus, qui cùm priùs deſpecti à Deo viderentur, & captiui ſub dura ſæuiſſimi Tyranni ſeruitute, adducti ad Eccleſiam, & ipſi in deliciis ſpiritualibus fuerunt ſicut ſponſæ, & Eccleſiam ipſam illuſtrarunt, ornarúntque, non aliter, atque ſuam Ieruſalem Iudæi ex Babylonico ſolo remigrantes. Et quidem ſi euentum ſpectes, réſque ipſas inter ſe attentè, atque accuratè componas, inuenies illam eſſe ſimilitudinem in vtroque ſtatu, vt ad rationem ſymboli, ac typi nihil ampliùs requiras. Afflicti enim fuere non leuiter in ipſis quaſi incunabulis Eccleſiæ primi Euangelij ſectatores, non ſecus atque Iudæi ſub Chaldæorum iugo. Deinde rerum Chaldaicarum potiro Cyro reuerſi ſunt cum gloria,

Hieroſolymæ reſtitutę cum Eccleſia fundata comparatio.

gloria, ſuæque ciuitatis, & templi non ſolùm excitarunt antiquas ruinas, ſed etiam mirandum in modum ornauerunt. Idem etiam Eccleſiæ contigiſſe videmus: quia ex tenui eóque tentato ab omnibus, vexatóque principio, ſic amplificata, atque illuſtrata eſt, vt & vltimos occupauerit terræ fines, & magnorum principum ſpoliis locupletata ſit, de quibus poſtea multis in locis nobis neceſſariò dicendum eſt.

4. Huius ſententiæ ſunt in eadem propè cauſa apud Zachariam *cap. 9.* ſed præcipuè *cap.* 2. vt nos in eorum principio diximus, Theodoretus, Cyrillus, Albertus Magnus, Hugo. Sed in hac omnino cauſa, & hoc ipſo loco tenent S. Thomas, & Hugo, qui totũ fermè, quod reliquum eſt ad finem prophetiæ, de Iudæorum ſtatu, & amplificata Ieruſalem hiſtoricè capiunt. Allegoricè verò de tempore Euangelij, Eccleſiæque fundatione. Idem cenſet Theodoretus *in cap. 5. Baruch* ad illud, *Exue te Ieruſalem ſtola luctus.* & ibi Maldonatus, vbi cùm allegoricè de Eccleſia, hiſtoricè tamen explicant de reditu Iudæorum ex Babylone. Hæc non diſplicent Adamo, & Pinto in hoc capite, & apertè docet Toletus in illud Lucæ *cap. 4. Spiritus Domini ſuper me, annotationibus* 32. 33. 34. & Maldonatus in eadem verba: Vbi vterque docet verba illa, quæ Dominus ipſe impleta fuiſſe dicit ſuo tempore, ad literam eſſe intelligenda de captiuitate Babylonica. Idem docuerunt iterum Maldonatus *in cap. 3. Matthæi.* Toletus *in cap. 3. Lucæ.* Ianſenius *in concordia cap* 8. ad illud *vox clamantis.* Idem tradit Gabriel Vazquez *in annotationibus in cap. 9. ad Rom. num.* 29. Quod etiam docuit nouiſſimè Didacus Aluarez in principio huius capitis.

5. Alij nimis ſeueri ſunt in hanc ſententiam, adeò vt penè illam Iudaicæ impietatis inſimulent, qui non vident & quantos viros perfidiæ arguant, & quot locorum explicationi non diſſimili notam inurant, vt modeſtiſſimè loquar, audaciæ. Quorum ego pietatem ita laudo, vt tamen moderationem in iudicio deſiderem cenſorio. Cùm hæc explicandi ratio Euangelio, aut Eccleſiæ adeò non detrahat, cùm de illa ſermonem eſſe non neget, vt potiùs vaticinium de Eccleſia illuſtrius eſſe oſtendat: cùm illud in hiſtoria illuſtri tanquam in typo, & exemplari conſignet. Quare nos ſic accipiemus hæc de Eccleſia, quam in ſuis vmbris hîc præſertim ſpectat Iſaias, vt etiam ad vmbras reſpectemus aliquando, quandocumque nos textus ipſe admonebit: neque enim credo in hac prophetia tantum ſibi loci vendicare Babylonicum typum, quantum ei aliqui ex interpretibus attribuunt.

6. Illud deinde admoneo, quod etiam Maldonatus docuit in illud *Matthæi 2. Vox in Rama audita eſt.* aliquid tunc dici fieri vel impleri, quando aut aliquo modo incrementum capit, aut actio ipſa, ſeu opus continuatur, & perficitur, vt pluribus oſtendimus *Aggæi cap. 10. num.* 43. & *Zachariæ cap. 7. num.* 12. & ſuprà *cap.* 25. *num.* 34. Quare licèt impleta dici poſſit prophetia verbi gratia *Vox in Rama audita eſt.* quando Iſraelitæ abducti ſunt captiui; quia tamen adhuc impleri rurſus poterat infantium cæde, & matrum eiulatu, impleta dicitur à Matthæo, quando occiſi ſunt innocentes ab Herode, quia adhuc vlterius erat aliquid in ſenſu allegorico, quod impleri debuerit. Eiuſmodi occurrunt aliqua in Iſaia, quæ cùm multò antè hiſtoricè impleta fuerint in reditu è Babylone, impleta nihilominus dicuntur in Euangelio, quale eſt illud *cap. 61.* iuxta S. Thomam, Hugonem, Maldonatum, Toletum, *Spiritus Domini ſuper me.* His vtcumque conſtitutis ad caput explicandum accedo.

Regula. Aliquid tunc fieri, aut impleri dicitur, quando aut aliquod opus incrementum capit, aut actio continuatur, aut abſoluitur.

7. *Conſolamini conſolamini popule meus dicit Deus veſter.*] In magna rerum mutatione, magna quoque fit in Iſaiæ vaticinio mutatio. Habuimus hactenus turbata omnia, & rem Iudaicam neque ſemel, neque leuiter, neque ab vno hoſte fuiſſe vexatam; &, cùm modicè poſt abductum ab obſidione Aſſyrium reſpirare videretur, repentè, Ezechia ad mortem vſque laborante, fuiſſe rurſus afflictam; Rege tamen diuina liberalitate ſibi, patriæque reſtituto, ipſam quoque à dolore, quem ex impendente iam optimi regis fato conceperat, leuatam fuiſſe. In hac rerum viciſſitudine oſtentat ſe tanquam in typo libertas illa, quam populus tam Iudaicus, quàm Gentilis, qui duro Sathanæ imperio premebatur, per Chriſtum ſeruatorem, & vindicem conſecutus eſt. Maximè cùm in regis morbo depellendo, & ipſo Rege ad vitam pene reuocando, acto retrorſum ſole mirificè Incarnatiu verbi, & noſtræ ſalutis medicina reſplendeant. Eſt autem vſitatum tum in aliis, tum in hoc maximè, & ſæpius, prophetæ, vt cùm ſermo in vmbram incurrat Euangelicæ lucis, ad Euangelij tempus, & Sacramenta ſtatim aſſurgant. Hæc mihi ſatis idonea ratio viſa eſt, cur propheta nouam hanc formam conſolationis induat.

8. Quidam, in quibus eſt Haymo, Hugo, & Gloſſa, exiſtimant ideo hoc loco voluiſſe Deum lenire populi dolorem, quia grauiter tulerat ſe eo loco haberi ab Ezechia Rege ſuo, vt de ſe tantum curaret, & de populi ſalute non admodum fuerit ſollicitus: cùm dixit poſt atroces illas minas, *Fiat tantùm pax, & veritas in diebus meis.* Et eſt ſatis pia de Chriſto cogitatio: videtur enim conſolari populum quaſi à ſuo Rege proditum, expectatione illius Regis, qui non, vt Ezechias ſuam, neglecta populi libertate, ſed ſua poſthabita ſalute, & vita, populi ſalutem, & incolumitatem quæreret. Sed meo iudicio potiùs conſolatur, quia proximè dixerat in fine ſuperioris capitis abducendos eſſe Iudæos in Babyloniam; ab ea igitur calamitate conſolatur timidum, & mœrentem populum, hiſtoricè tamen, & ab alia longè duriore typicè. Ita Maldonatus in illud *Matthæi 3. Prædicans in deſerto.* Toletus in illud *Lucæ 3. Et videbit omnis caro, annotatione* 20. Ianſenius *cap.* 13. *concordia* ad illud *vox clamantis.* Quomodo verò illa Ezechiæ verba intelligenda ſint ſuo loco diximus.

9. * *Conſolamini.*] Paſſiuè hæc ſumuntur à Hieronymo, ita vt Deus iubeat, vt afflictus populus conſolationem capiat: putat autem hunc conſolatorem eſſe aut Spiritum ſanctum, qui *Paracletus* dicitur, id eſt, *conſolator*; aut Chriſtus Dominus, qui etiam *conſolator*, & *Paracletus* appellatur. Sed aliis hæc ab aliis aſcribuntur, idque actiuè, quod ſuadet illud, *Loquimini*, quod ſtatim ſuccedit. Videtur quippe ad illos referendum eſſe, ad quos vox ſuperior *conſolamini.* Quod neceſſariò dicendum eſt, ſi cum LXX. leges *conſolamini populum meum.* Et ita legunt Græci patres, Baſilius, Chryſoſtomus, Cyrillus, Procopius, & eodem modo vertunt Pagninus, & Vatablus. Sed ſi *conſolamini* paſſiuè capias, & in vocatiuo legas *popule meus*, cum vulgato, ſenſus eſt idem, nam iubet Deus populo, vt mœrorem deponat; deinde oſtendit, à quo audire debeat verba lenientia, dum dicit *loquimini ad cor.* Hi verò communiter exiſtimantur eſſe prophetæ, ſacerdotes, &

Apoſtoli. Septuaginta *ſacerdotes* exprimunt claritatis, vt teor, gratia; neque enim vox vlla eſt in Hebraico textu, quæ *ſacerdotem* ſonet. Et hoc mihi probatur maximè, quia cùm hîc de captiuitate agatur, eiúſque ſolutione hiſtoricè. De Eccleſia verò mundíque libertate per Chriſtum allegoricè, à prophetis, & ſacerdotibus Iudæo populo apud Babylonios captiuo, populo verò tam Iudaico, quàm Gentilico, quem diabolica vrgebat tyrannis, ab Apoſtolis libertas, & ſalus denuntiari iubentur.

10. Loqui ad cor.
ᵇ *Loquimini ad cor Ieruſalem.*] Hebraica phraſis, qua ſignificatur oratio, quæ aut animum mœſtum ab angore liberat, aut voluptate perfundit. *Geneſ. cap.* 34. Vbi de Sichem Vulgatus. *Triſtemque delinuit blanditiis.* Hebr. *locutus eſt ad cor puellæ.* Et 2. *Paralip.* 32. *verſ.* 7. Cùm Iudæi imminente iam Aſſyrio grauiter eſſent affecti, tum Ezechias *locutus eſt ad cor eorum dicens, Viriliter agite, & confortamini.* Et Ruth *cap.* 2. dixit ad Booz. *Conſolatus es me, & locutus es ad cor ancillæ tuæ. Oſeæ cap.* 2. *Ducam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius.*

11.
ᶜ *Et aduocate eam.*] Communiter interpretes, *adducite illam à captiuitate.* Vel, *monete vt ab exilio redeat & iugum iam tandem ab ærumnoſa ceruice excutiat.* Quod verum fuit, & conſolationis plenum oraculum: ſiue de Eccleſia accipias typicè, ſiue de republica Iudæorum hiſtoricè: quod mihi cum reliquis videtur eſſe dicendum. Sed vide an hîc *aduocate* epexegeſis ſit, & explicatio verborum, quæ proximè anteceſſerunt, *conſolamini*, & *loquimini ad cor.* Nam vox Græca παρακαλεῖν, qua vſi ſunt Septuaginta, pro qua noſter habet *aduocate*, *conſolari* valet. Vnde παράκλητος *Paracletus*, *conſolator* dicitur: & id credo non tam Græca, quàm Hebraica phraſi. Neque enim παρακαλεῖν pro *conſolari* alibi reperio, quàm in Scriptura. Quod mihi non leui argumento eſt, ab Hebraico idiomate traxiſſe principium. Quòd ſi ita accipias, vt profectò accepiſſe videntur Septuaginta, qui idem verbum παρακαλεῖν adhibent, vbi vulgatus *conſolamini*, & *aduocate*; ſanè egregia epitaſis eſt & amplificatio, atque exaggeratio maxima diuinæ promiſſionis, & clementiæ, cum quater præmittat conſolationis notam. Quaſi dicat propheta, *conſolamini, conſolamini, loquimini ad cor Ieruſalem verba conſolatoria, conſolamini iterum, & ſæpius illam.* Ad quam explicationem facit quod Hebraicè pro *aduocate eam*, eſt קראו אליה *kirhu eleah, clamate ad eam.* Sed clamor ille conſolationis mirificæ materiam præbet. Neque alius eſt ſenſus, ſi iuxta Scripturæ morem præſertim apud prophetam, illud *aduocate* ſignificet idem, quod annunciate Ieruſalem eſſe aduocandam. De quo loquendi modo egimus ad illud *Iſaiæ* 6. *Excæca cor populi huius.* Hæc autem annuntiatio non poterat non eſſe plena conſolationis.

12. Malitia pro ſupplicio.
ᵈ *Quoniam completa eſt malitia eius, dimiſſa eſt iniquitas illius.*] Oſtendit Deus cur vexatus antea populus verba conſolationis audire debeat; quia iam ab eius peccatis pœnarum ſatis exhauſtum eſt. Eſt autem in Scriptura frequens, *vt peccatum, iniquitas, malitia*, & ſi qua ſunt eiuſmodi, ſupplicium ſignificent ſceleribus aut debitum, aut impoſitum. Quare dum completa dicitur malitia, impoſitus etiam dicitur ſupplicij modus: & cum dimiſſa oſtenditur iniquitas, pœna etiam per epexegeſim ſublata ſignificatur. Pro *malitia* Hebr. eſt צבא *tſabah*, quæ *militiam* ſonat, & ita communiter ab aliis transfertur: imò & ita in quibuſdam Latinis codicibus reperitur, ſed codices Sixtiani *malitiam* habent.

A Nihilominus, ſi rectè expendas, eadem omnino ſententia eſt, nam *militia*, vt diximus, pro malitiæ ſupplicio ponitur, id eſt, pro vexatione, aut moleſtia. Quo etiam ſenſu Chriſtus dixit *Matthæi* 6. *Sufficit diei malitia ſua*, id eſt, moleſtia, & labor, quem ſecum affert quilibet dies. Sanè moleſtia illa, ſiue labor *militiæ* nomine explicari ſolet in Scriptura. *Iob cap.* 7. *Militia eſt vita hominis ſuper terram.* Et *cap.* 14. *Cunctis diebus, quibus nunc milito.* Siue autem hoc, ſiue illo modo legas, ſenſus eſt, impoſitum iam eſſe finem laboribus, quales à militia ſolent eſſe frequentes, & graues. Matth. 6. Iob 7.

Salmeron *proleg.* 14. exiſtimat, militiam hoc loco ſignificare tempus militiæ deſtinatum, quo 13.
B completo milites emeritis ſtipendiis vacationem habent à labore, vt enim tempus erat ætati militari præfinitũ, quod iam emenſi homines in otio vitam agebant, & quiete: ſic Iudæi poſt ſeptuaginta annos, quibus in exilio Babylonico inueterarunt, quod illis pro militia, & vexatione fuit, liberam traducent vitam, & ab omni labore atque moleſtia vacuã. Et in eandem ſententiam exponit illud Iob ſuprà, *Militia eſt vita hominis ſuper terram.* Quaſi totum vitæ tempus ſit militiæ, & labori deſtinatum; neque ab eo vnquam eſſe vacandum, niſi poſt mortem. Sed mutata figura dicendi, non mutatur ſententia, quam nos adduximus.

ᵉ *Suſcepit de manu Domini duplicia.*] Hic variè 14.
C doctores *duplicia* interpretantur. Adamus agnoſcit Dei benignitatem, qui pro peccatis, quibus ſupplicium debebatur grauiſſimum, reddidit non offenſi animi ſignificationem, ſed ingentia dona, quæ à liberali, ac miſericordi animo naſcuntur. Neque id diſplicet Pinto. Alij duplo maiorem pœnam ſubiiſſe Iudæos putant, quàm eorum exigerent peccata: quod aliis durum, nec immeritò, videtur. Quis enim credat Deum ad miſericordiam pronum, quíque de eo, quod quiſque propter ſcelera meretur ſua, aliquid remittit, exceſſurum in infligenda pœna æquitatis modum. Quod optimè hic vidit, amplificauítque Cyrillus, qui putat Deum hic agere cum populo ſeuerè mulctato eo modo, quo pater cum filio tenero, quémque amat impensè, agere
D ſolet. Nam demulcens illum, blandiénſque molliter, quò illius dolorem conſoletur, ac leniat. quaſi illum ſupplicij ſumpti pœniteat, ait. Heu durius tecum egi, exceſſi ſupplicij modum, malè tecum, & nimis crudeliter actum eſt. Eodem modo Foreirus, & Theodoretus citatus à Leone Caſtro. Huc etiam aduocari poterat expoſitio Hieronymi, Rabani, & Dionyſij, qui in illud Ieremiæ *cap.* 17. *Duplici contritione contere eos.* de gladio, & fame explicant. Sed Hieronymus hic, & Hugo ideo duplicia putant ſuſcepiſſe Iudæos, quia bis extrema omnia paſſi ſunt, ſemel à Babyloniis, iterum à Romanis, ſed quominus huic poſtremæ ſententiæ
E ſubſcribam, facit, quia hæc nullo modo in Euangelij tempora, quæ hîc vt minimùm typicè ſignificantur, conuenire poſſunt. Quia quando conſolatio illa per Chriſtum, & Apoſtolos aduenit, nondum altera tribulatio acciderat, nempe à Romanis. Neque poſt illam Iudæis, quod ad eorum rempublicam ſpectat, vlla fuit tanta conſolatio, quanta hîc à propheta promittitur. Imò potiùs ita contrita eſt ab irato Deo, vt nunquam poſtea excitata fuerit.

Quare hîc *duplicia* pro magnis ſumi puto, vt 15.
putat Origen. *hom.* 12. *in Ieremiam*, Ambroſ. *in Pſal.* 118. *ſerm.* 19. in illud *Anticipaui in maturitate.* Foreirus, Duplex pro magno, ac copioſo.

reitus, Ribera in illud *Zacharia 9. Duplicia reddam tibi.* Eſt autem in Scriptura vſitatum, vt, ſicut apud Latinos *decumanus*, aut *decimus*, ſic etiam apud Hebræos *duplex* pro ingenti ſumatur. *Ierem.* 17. *Duplici contritione contero eos*, id eſt, grauiſſima, ac multiplici, vt interpretes communiter. *Zacharia* 9. *Duplicia reddam tibi.* Et in hunc ſenſum explicandum exiſtimo illud *Prouerb. vltimo. Omnes domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus*, id eſt, omnibus domeſticis à ſedula, atque ſolerte matrefamilias, muliere nempe forti, ſatis de veſtitu, ac cultu prouiſum eſt; quaſi pro re domeſtica ſatis abundè parat ſupellectilem. Veſtes autem duplices illæ eſſe videntur, quæ alibi *mutatoria* dicuntur. Eodem ſenſu accipio illud Iſaiæ *cap.* 61. *Pro confuſione veſtra duplici.* Vbi Adamus *vehementem* exponit. Neque hoc alienum eſt à Latinorum vſu, qui *duplex*, ſeu *geminum* pro craſſo, robuſto, ſeu ingenti ponunt. Vide Turnebum *lib.* 27. *c.* 35. Sic Virgil. de equo 3. *Georg.*

Ierem. 17.
Zachar. 9.
Prou. vlt.

At duplex agitur per lumbos ſpina.

id eſt, lata.

Et 1. *Georg.* de forma aratri.

Binæ aures duplici aptantur dentalia morſu.

Duplex appellat *dorſum*, id eſt, craſſum & latum. Plura ſuccurrunt exempla attento lectori. Eſt ergo ſenſus, ſatis pœnarum illatenus dediſſe Iudæam gentem, aut typicè eos, qui poſtea aggregati ſunt ad Eccleſiam, deinde verò cum illis agendum eſſe mitiùs.

16. f *Vox clamantis in deſerto.*] Hic nemo dubitabit hæc ad Euangelium pertinere, quando Matthæus *cap.* 3. apertè eò retulit hunc Iſaiæ vaticinium. Quod Ioanni Baptiſtæ tribuit, qui viam aperit, ac ſternit Chriſto ad hæc promiſſa præſtanda venturo; quamuis hiſtoricè de Babylonica captiuitate loquatur Iſaias, vt docent S. Thom. Hugo, Toletus, Maldonatus, Ianſenius ſuprà citati. Locus, vt vides, implexus eſt valde, quia, quomodo cum antecedentibus cohærere poſſit, non facilè apparet: neque præterea modus ipſe dicendi, aut facilis, aut vſitatus eſt.

17. Ego quidem ſic exiſtimo hæc ſpectare ad ſuperius illud mandatum. *Et aduocate eam.* Oſtenditur enim quænam futura ſit illa vox, ſeu clamor, qui bene ſperare iubet populum illum, aut gentem, quam Dominus conſolari vult, nempe *Parate viam Domini*, &c. ac tandem proponitur eius obedientia, qui conſolari, & aduocare populum, aut hiſtoricè, aut typicè captiuum, è quorum numero fuit Ioannes Ac ſi dicat, Videre iam videor clamantem præconem, & viam ad reditum, & libertatem aperiri cœptam. Porrò hic loquendi modus *vox clamantis*, ſicut etiam ſtatim *vox dicentis* vſitatus eſt apud vulgatum, qui genitiuum ſæpe adhibet pro nominatiuo. *Ieremia cap* 4. *verſ.* 15. *Vox enim annunciantis à Dan, & notum facientis idolum*, id eſt, *annunciant.* Quòd verò ibi nominatiuus *vox* ſit ſine vllo verbo, familiare eſt Hebræis, *Iſaia* 66. *Vox populi, vox de templo, vox Domini.* Et *cap.* 13. *verſ.* 4. *Vox multitudinis.* & ſæpe apud Ieremiá, & Ezechielem. Deſideratur autem ibi aliquod verbum per ellipſin, nempe *ſit* aut aliud ſimile: quaſi præſcribat Deus vocis, ſeu clamoris materiam. Aut certè (quod apud Hebræos frequens eſt, vt diximus ad illud *cap.* 11. *In die illa radix Ieſſe.*) nominatiuus abſolutè ponitur. Cur autem clamatura ſit vox illa in deſerto, non facile explicatu eſt. Et primum quando hic duo apparent nempe melior Hebræorum fortuna, quæ à Deo iam placato, atque beneuolo conſecuta

Regula. Vox clamantis ex Hebraico idiomate ponitur abſolute.

eſt reditum ab exilio, & quaſi ab alia religione ad patrium ſolum, & auitos mores, & ſacra traducta eſt: item vocatio ad Eccleſiam, & præparatio quædam ad Chriſti religionem, idque præcipuè, de vtroque hic ſeorſum actum oportebit.

18. Quòd ad reditum ab exilio pertinet, ſatis conſtat ex Eſdra & Nehemia, quanto Principum fauore Darij nempe, & Cyri, quàm ornati, & lauti in patriam redierint Iudæi; cùm tamen omnia ad illud tempus ad libertatem impedita, atque ardua viderentur. Vt ergo oſtendat propheta ſolutam fore, atque apertam viam, quam tot difficultates, & moles, tanquam obiectæ rupes morabantur, omnia remouet obſtacula, quæ quominus facilis ſit, ac placidus curſus, impedimento ſunt. Eo prorſus modo, quo ad magnorum principum ingreſſum ſterni ſolent, & complanari viæ, & ad planiciem, ſeu æqualitatem redigi; quæ vel altè, atque aſperè aſſurgunt in colles, vel, quæ profundè deprimuntur in valles. Aut quemadmodum imperatorum victoriis, ne quid moræ afferant triumphantium gloriæ, deiiciuntur mœnia, & æquantur ſolo Sic ergo propheta elegantiſſimè, vt ſolet, facilem, & glorioſum reditum deſcribit eorum, qui ignominioſè antea abducti fuerant in exilium. Quod optimè expreſſit, & ad hanc metaphoram accommodatiſſimè, & vt ego reor, ad hunc Iſaiæ locum reſpectans Baruch *cap.* 5. *Exurge Ieruſalem, & ſta in excelſo, & circumſpice ad orientem, & vide collectos filios tuos ab oriente ſole vſque ad occidentem in verbo ſancti* (id eſt, iuxta verbum propheticum nempe Iſaiæ cuius verba videtur expreſſiſſe: aut Ieremiæ, qui poſt ſeptuaginta annos futuram eſſe remigrationem prædixit) *Exierunt enim abs te pedibus ducti ab inimicis, adducet autem illos Dominus ad te portatos in honorem ſicut filios regni. Conſtituit enim Deus humiliare omnem montem excelſum, & rupes perennes, & conualles replere in æqualitatem terræ, vt ambulet Iſrael diligenter in honorem Dei.* id eſt, celeriter, & ſine impedimento; Græcè eſt ἐνσαλῶς, id eſt, *tuto.* Quæ autem hîc dicta ſunt obſcuriùs ſub eadem allegoria multò clariùs expreſſit Iſaias *cap.* 66. *verſ.* 20. *Et adducent omnes fratres veſtros de cunctis Gentibus donum Domino in equis, & in quadrigis, & in lecticis, & in mulis, & in carrucis ad montem ſanctum Ieruſalem* Quadrigatum autem, & carrucarum ingreſſus viam omnino apertam, & complanatam deſiderat.

De ſenſu hiſtorico, reditúque è Babylone.

Iudæi cum gloria ab exilio reuerſi.

Baruch 5.

19. Neque verò putandum eſt colles depreſſos eſſe propriè, aut exaggeratas & impletas valles, vt verba ſonant Iſaiæ, & Baruch *cap.* 5. aut filios Iſrael rediiſſe molliter in carrucis, & lecticis: tantùm enim ſignificant prophetæ hac, vt puto, prouerbiali forma, filios Iſrael, qui incommodè, & miſerabiliter in exilium abierant, reuerſuros poſtea cum honore, & placidè. Ex his, credo, planum eſt, quò ſpectet tota hæc longa, atque elegans allegoria; neque enim aliud ſibi vult quàm omnino captiuis antea, & ærumnoſis expeditam fore libertatis viam, qualis eſſe ſolet his, qui iucundè, ac placidè iter faciunt, cùm prauæ, id eſt, diſtortæ, ac ſinuoſæ viæ diriguntur; & ſublatis anfractibus, viarúmque diſpendiis inæquales antea, aut conciſæ ſalebris, depreſſione collium, aut vallium aggeratione planæ ſunt, & molles. Nunc ad textum redeo.

20. g *Vox clamantis in deſerto.*] *Deſertum* dicitur quod minùs frequens eſt, etiamſi hominibus, oppidiſque non infrequens. Comparatione credo ad Ieruſalem, quæ ſic abundabat ciuibus, vt ciuitates aliæ deſertæ, ac vacuæ iudicari potuerint. Aut certè

deſertum vocat ipſam Ieruſalem, quia in fine præcedentis capitis illa prædicta ſunt, quæ vaſtitatem vrbis,& ſolitudinem indicant. Ex ſpecula ergo vrbis iam deſertæ videntur euocati Iudæi vndecumque locorum, vbi captiui, aut diſperſi morabantur. Ad quod videtur facere, quod hoc eodem capite, *verſ.* 9. ſcribitur, *ſuper montem excelſum aſcende tu, qui euangelizas Sion.* Quæ verba ad Ieruſalem videntur pertinere. Hieronymus per *deſertum* gentes intelligit, quia illæ, deſertæ ſunt à Dei cognitione, & vana idolorum ſuperſtitione occupatæ. Adde tu, quòd deſertæ, & quaſi derelictæ erant, & à Domino permiſſæ *ingredi vias ſuas*, vt Paulus dixit *Act. cap.* 14. *verſ.* 16. imò & deſpectæ *Act.* 17. *verſ.* 30. *Et tempora quidem huius ignorantiæ deſpiciens Deus.* Cum Hieronymo ſentiunt Haymo,& alij.

21. Ego inprimis exiſtimo *deſertum* hic propriè ſumi, quia Ioannis prædicatio, quæ his prædicitur verbis, in deſerto fuit; & ipſe Ioannes ait, *Ego vox clamantis in deſerto, dirigite viam Domini, ſicut dixit Iſaias propheta.* Sed quia nunc in literali ſenſu, id eſt, in cortice, atque vmbra verſamur, de Iudæorum reditu, vt agere inſtituimus, locum interpretemur, mox de Eccleſia, atque Euangelio. Mos eſt, vti antè diximus, vt cùm Reges aut magni nominis principes, aut triumphalis pompa progreditur, ſternantur viæ, complanentúrque ne quid offenſionis occurrat, quod iter agentibus moleſtiæ, atque impedimento ſit. Quare ad loca implexa dumis, & concisa ſalebris mittuntur, qui ſtratores, aut curatores viarum appellantur, qui opus vrgeant, & operarum ſtudium, & laborem acuant. Cùm autem prope ciuitatem omnia ſint plana, vt pote ad varios vſus ciuium comparata, & multorum pedibus aſſiduè trita, de his non erat admodum curandum; In deſertis autem locis vbi maxima ab incolis ſolitudo, omnia ſunt aut dumetis aſpera, aut ſcopulis inuia, aut certè obſcuræ viæ neque notatæ hominum veſtigiis. Quare qui viam ad inceſſum aperire, atque purgare volunt, in deſerto ſunt, & ibi clamant, vel dum laborantes acuunt, vel dum alios ad idem opus accendunt. Quod feciſſe dicitur Veſpaſianus, qui cùm caſtra moueret contra Ieruſalem, impedimenta ſuſtulit, quæ retardare poſſent properantem exercitum. Vt enim Ioſephus *lib.* 3. *de bello, cap.* 5. ſtratores præmiſit viarum, qui ſyluas præciderent, & aſpera, ac ſalebroſa complanarent. Quod etiam maiori labore perfecit Annibal, dum obſtantes Alpium rupes aperuit. Cùm ergo Deus ſignificare vellet, mollem, & iucundum futurum eſſe reditum Iudæorum è Babylonia, ea proponit, quæ ad inceſſum placidum, & glorioſum, aut viri principis aut exultantis populi parari ſolent. Neque verò hîc quærendum, an hæc ſtrata ſint, vt voces ipſæ ſonant: Satis enim eſt, ſi reditus facilis, & expeditus ſit, qualem hac prouerbiali forma Propheta ſignificare voluit, dum antecedentia pro conſequentibus adhibuit: id eſt, quæ viam mollem faciunt, & apertam, pro ipſa via aperta & molli. Quàm autem filij Iſrael facilem, atque honeſtum reditum habuerint, primùm à Cyro, deinde à Dario, diximus nuper *num.* 18.

22. Neque huic expoſitioni incommodat, quòd via ſternenda, atque munienda dicitur Domino, *Parate viam Domino.* quia cùm Deus redeunti populo ducem ſe præbuerit, ſanè qui multitudini illi viam parat, Domino parare viam exiſtimatur. Sicut Regi aut Imperatori munitur via, etiamſi per eam ingreſſurus ſit exercitus, aut populus qui Regem co-

A mitatur. Eſt autem mihi veriſimile alluſum hîc eſſe ad Ægyptiam libertatem, in qua talia acciderunt, qualia hîc commemorantur à propheta: quaſi dicat; Parabitur via captiuo populo in Babylonia, non aliter quàm eidem, cùm in terram promiſſionis ingreſſus eſt. Quomodo verò maxima quæque beneficia ſimilitudine Ægyptiæ libertatis, longíque per ſolitudinem progreſſus explicata ſint, & in eis plerumque nota ſimilitudinis omittatur (quaſi dicas, facit Deus cum populo ſuo, ſicut fecit cum Ægyptiis, &c. aut cum populo ab Ægyptiis liberatu) vt ex Ægyptiis temporibus, longóque curſu per deſertum plurima ſumpſerit prouerbia populus Hebræus, diximus ſuper Zachariam *cap.* 10. *num.* 33. ad illud, *Tranſibunt in mare*; & *in Pſal.* 67.
B ad illud, *Conuertam in profundum maris.* In eo autem longo progreſſu Dominus fuiſſe dicitur Dux populi, *Deuter.* 32. *Dominus ſolus dux eius fuit.* Et ideo cum alluſione ad illud tempus cecinit Dauid, *Pſalm.* 67. *Iter facite ei, qui aſcendit ſuper occaſum: Dominus nomen illi.* Vide quæ ibi diximus. Tunc verò ad facilem ingreſſum in terram promiſſionis ſtratæ dicuntur, vel complanatæ viæ, impletæ valles, depreſſi montes, vt apertè Dauid *Pſalm.* 113. *In exitu Iſrael de Ægypto,* &c. *mare vidit, & fugit: Iordanis conuerſus eſt retrorſum: Mõtes exultauerunt, vt arietes, & colles ſicut agni ouium: à facie Domini mota eſt terra.* Et *Num. cap.* 21. non aliter per aſperas rupes apertæ dicuntur fuiſſe ſemitæ, quàm per profundum mare ſecota, atque arida tranſmiſſio. *Sicut fecit in mari rubro, ſic faciet in torrentibus Arnon:* Num. c. 21.
C *ſcopuli torrentium inclinati ſunt.* Quòd ſi inclinati ſunt ſcopuli in torrentem Arnon, planè ſequitur deiectum eſſe montem, & eius ruinis oppletam eſſe vallem, per quam torrens ipſe decurrebat.

Hæc mihi neque obſcura, neque dubia ſunt: quod nempe præcones iſti in deſerto clament, expurgarique iubeant, atque æquari vias, quod in traiectu è Babylonia in Ieruſalem neceſſarium erat, quia regio illa cliuoſa eſt, atque aſpera. Nihilominus mihi improbabile non eſt, illud, *in deſerto*, coniungendum eſſe non cũ *clamante*, ſed cum *parate*, ita vt præco in deſerto non clamauerit, ſed edixerit, parandam eſſe in deſerto viam. Quod alijs viſum eſſe, dicit S. Thomas, neque ipſe improbat: Et Foreirus ad 23.
D hanc explicationem non ſe præbet difficilem, dum in *deſerto* Gentes dicit intelligi, ad quas hac legatione aperitur via. Immò & Hieronymus, & qui cum Hieronymo ſentiunt, de quibus ſuprà: qui hæc prædicta eſſe dicunt non in Ieruſalem ad Iudæos, ſed in ſolitudine Gentium, vbi omnia aſpera atque accliuia ad aſcenſum Domini; ſed Ioannes, de quo hæc vt minimùm typicè omnes intelligunt, non erat in ſolitudine Gentium, ſed in deſerto Iudææ prope Iordanem. Idem putat Ambroſius, & Auguſtinus, *Serm.* 20. *de Sanctis, tom.* 10. Euſebius, *lib.* 9. *de demonſtrat. c.* 6. & Titus Baſtrenus, quod Hieronymus; Huius ſententiæ videtur eſſe Maldonatus, *Matth.* 3. dum ait, hiſtoricè hîc de Babylonico redi-
E tu agi, alluſúmque ad egreſſum ex Ægypto, ad quem aperta fuit in deſerto via. Et tenet expreſſè Ianſenius, *in cap.* 3. *concordiæ*, ad illud, *vox clamantis. Iungitur*, inquit, *in Hebræo illud, in deſerto, cum ſequentibus, nempe ſic, Vox clamantis, vel clamans, in deſerto parate viam Domini, vel Domino, vt reſpondeat ſequenti particulæ, rectam facite in ſolitudine ſemitam Dei noſtri.* Hæc Ianſenius.

Neque deeſt optima coniectura: Nam montes, & valles, quæ ad iter expediri debent, in deſertis 24.
ac ſyl

ac ſylueſtribus locis ſunt; & in deſerto via plerumque ad ingreſſum aſpera, & fruticibus horrens: quare io deſerto omnino præſtanda, quæ hîc commemorantur. Secundò, quia hîc videtur eſſe quædam epexegeſis familiaris prophetis, in re præſertim illuſtri, qualis hæc eſt: Quare idem videtur eſſe ſenſus poſterioris hemiſtichij, qui prioris. Dicerat priùs, *vox clamantis in deſerto parate viam Domini*, deinde, *rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri*: Vt ergo poſterior pars ſignificat dirigendas eſſe vias Domini in ſolitudine, ſic etiam poſterior, parandas eſſe vias in deſerto. Quod vidit Ianſenius ſuprà, & Foreirus hîc, qui vt hanc vſitatã Hebr. epexegeſim retineret, quod videbatur neceſſarium, ſic locum iſtum expoſuit: *Vox clamantis in deſerto parate viam Domini; vox clamantis in ſolitudine rectas facite*, &c. Sed quis noo videt, quàm hæc contorta explicatio ſit? Adde quòd ſtatim eodem modo ſententiam aliam orditur propheta non diſſimilem, *vox dicentis clama*, vbi, vt vides, *vox dicentis* ſeorſum ponitur ab eo, quod ſequitur, quod artificium quoddam olet, quale adhibere ſolet propheta elegantiſſimus. Accedit quod apud me pondeas multum habet, quòd omnes Euangeliſtæ ita hunc Iſaiæ locum adducunt, vt in eo omittant illud *in ſolitudine*; Quod ſanè non videbantur omiſſuri, niſi illud *in deſerto*, ad verbum *parate* eſſet referendum. Aliter enim non eſſent totam illius teſtimonij ſententiam complexi. At ſi ita diuidas, vt nobis videtur non improbabile, licèt verborum figura mutata ſit, non tamen ſententia. Nam illud *in deſerto* per zeugma ſecundo loco repetendum eſt, hoc modo: *Vox clamantis, in deſerto parate viam Domini; rectas facite* (nempe io deſerto) *ſemitas eius*.

25. Hæc quidem mihi grauia ſunt, neque credo valde officit huic explicationi, quòd hæc Ioannes in deſerto prædicauit, de quo ſine dubio ea intelligenda ſunt; nam quod præcipuum eſt in Ioannis miniſterio, nempe vt viam muniat, populóſque diſponat venturo Domino; ad quorum animos obſtructus erat aditus, non ſecus atque viæ in ſolitudine, id ſatis explicatur, dum ab Iſaia ſermonis argumentum proponitur. Explicare verò, qood id in deſerto Baptiſta faciat, non videbatur magnopere referre; neque videntur id omnino conuincere Euangeliſtæ, cùm eorum verba magis videantur pertinere ad argumentum concionis, quàm ad locum, vbi Ioannes iſta prædicabat.

26. Cùm hæc improbabilia non ſint, imò ſi textum ipſum conſideres, non minùs expedita, quàm alia, nihilominus ſuperior expoſitio mihi probatur magis, quia ſic putant communiter Patres, & quia multò magis illuſtrat præcurſoris autoritatem, & munus: quod etiam ad Chriſti aduentum, & Euangelij dignitatem illuſtrius argumentum eſt, non ſolùm præcurſorem Chriſti certis notis, ſed etiam præconij ipſius locum, & quaſi theatrum certa aliqua nota fuiſſe deſignatum.

27. h *Erunt praua in directa, & aſpera in vias planas.*] Optima deſcriptio viæ Regiæ, ſeu prætoriæ, in qua nihil eſt offenſionis, nihil difficultatis, quod in eo ſpectatur maximè, quando quod anfractuoſum eſt, ad regulam dirigitur, & quod clinoſum, & inæquale, in planitiem adducitur.

28. i *Et reuelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro pariter, quòd os Domini locutum eſt.*] Gloria Domini dicitur id, quo Deus glorioſus eſſe oſtenditur: qualis eſt victoria de hoſtibus, & triumphus, quo Deus de Pharaone, aliiſque Chananæorum regibus triumphauit, cùm populum in terrã promiſſionis induxit. Qui curſus quaſi triumphus quidam notatur *Pſalm.* 67. Et eodem modo via triumphanti expedienda prædicitur, *Iter facite ei, qui aſcendit ſuper occaſum*. Et quidem in cantico Moyſis *Exod.* 15. debellatis, atque demerſis Ægyptiis Deus glorioſè magnificatus eſſe traditur: *Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt*. Quod nihil eſt aliud, quàm reuelatam eſſe Domini gloriam. Cùm verò reſtituto populo (inquit Iſaias) tot ſuperatis difficultatibus, reuelata fuerit Domini potentia, ac gloria, intelliget omnis caro verum eſſe, quod nunc per os meum locutus eſt Dominus, quando libertatem vobis, & conſolationem promittit. Simili orationis genere locutus eſt Zacharias, cùm de eadem libertate, & gloria, ad populum ſermonem habuit propheticum *cap.* 6. *Et ſcietis quia Dominus exercituum miſit me ad vos.*

k *Omnis caro* pro omni homine ſumitur, ſic- 29.
ut *Pſalm.* 150. *omnis ſpiritus* per ſynecdochen: neque credo in ſenſu hiſtorico, io quo nunc ſumus, pro omni homine ſumitur, qui vbique terrarum eſt, ſed pro iis qui ſunt in Palæſtina, & quibus facta eſt libertatis promiſſio, iuxta regulam Hieronymi, qui docet vniuerſale ſignum eſſe interdum exponendum accommodate ad illam regionem de qua ſermo eſt.

Euangeliſtæ dum hunc locum adducunt, paulò 30.
aliter citant, iuxta Septuaginta tranſlationem, qui pro eo, *quod os Domini locutum eſt*, adhibuere *ſalutare Dei*. quod faciunt paraphraſticè, vt alibi ſæpe. Neque ſenſus alius eſt, quàm, qui à Vulgato expreſſus. ſiue de reditu à Babylone ſumas, ſiue de libertate à Dæmone per Chriſtum. Nam ſi *quod* relatiuum eſt, nihil illud eſt aliud, quàm ſalutare Dei, id eſt, ſalus per Dominum comparata, quam obtinuere Hebræi priùs à Domino ex Babylone reuocati, deinde omnes è Diaboli vinculis exempti. Sed illud *quod* relatiuum non eſt, ſed coniunctio, Hebr. כי *chi*, quod valet *quoniam*, & huic affinia. Sed eſt ſenſus idem, nam ſi populus cognoſcet Deum eſſe locutum per Iſaiam, ideo cognoſcet, quoniam impletum videbit, quod ab Iſaia prædictum. Id verò eſt ſalutem eſſe obtinendam in typo à Babylonis, in veritate à Diaboli ſeruitute.

Huc vſque de hiſtoria, & typo. nunc de alia li- 31. De ſenſu allegorico, id eſt, de tẽpore Euãgelij.
bertate maiori, magiſque glorioſa, quã hæc Babylonica libertas adumbrat: de Chriſto nempe, qui vera ſalus eſt, cui facile eſt accommodare ſuperiora; quod faciunt communiter Patres & hîc, & apud Euangeliſtas omnes. Quia nemo eſt qui dum de Ioannis prædicatione loquitur, hunc Iſaiæ locum non adducat.

l *Vox clamantis in deſerto.*] Hic Ioannes Baptiſta 32. Vox alicuius dicitur nuncius, aut præco.
eſt, vt ipſe de ſe teſtatur *Ioannis cap.* 1. & alij Euangeliſtæ de illo prædicant. Dicitur autem *vox clamantis*, ſiue *vox clamans*, quia nuncius eſt, communiique viam iam iam venturo magno principi. Porrò legatus, quiſque alterius nomine aliquid docet, aut denuntiat, *vox eius* appellatur. Qua ratione prophetæ dicuntur, *os*, aut *lingua Dei*, quia Deus per illos locutus eſt; Et nos communiter eum, quo vtimur interprete ad eos, quorum ſermonem ignoramus *linguam noſtram* vocamus. Et præco *vox præſidis*, & tuba *vox imperatoris* eſt. Eo ergo modo Ioannes vox erat Dei, qui per illum ſibi aditum, & hoſpitium in hominum animis parabat. Porrò in clamore magnum aliquid indicatur, nempe audacia, atque conſtantia in Ioanne, qui non in an-

gulis muſſitat, aut loquitur obſcurè, ſed publicè toto ſpiritus, ac vocis contentione, aduerſus principes ac legis doctores vociferatur. Tum etiam indicantur hominum mores eo tempore profligati, ac perditi, quos, quia longe à Domino, & à ſalutis via receſſerunt, magno clamore aduocandos, & magno ſpiritu terrendos oportuit.

33. *Peccatoris animus deſerto ſimilis.* m *In deſerto.*] Si hæc ad locum prædicationis, & clamoris referas, aperta ſunt: Si ad locum, in quo ſternenda via, explanandi montes, & complendi valles, quod dicebamus non improbabile, explicatio eſt non difficilis, eáque multiplex. Quia ſicut deſertũ fruticibus denſum, atque aſperum ſcopulis inacceſſum eſt, neque viatori peruium, niſi priùs falce, ac ſecuri purgetur, & quod in Alpium traiectu fecit Annibal aceto perrumpantur ſaxa; ſic etiam in peccatorum animis, qui ſyluarum inſtar fœdè inhorruerunt, omnia vaſta ſunt, & efferata ſentibus, & immanium belluarum ſtrata cubilibus, & in corde impœnitente, & in malitia inueterato ea durities, vt non iam aceto, quod in Alpinis ſcopulis ille tentauit, ſed alia longè duriori ratione molienda ſit. Hæc verò omnia remouenda ſunt, vt Deus ibi hoſpitium, & requiem habeat.

34. Si verò prædicatio in deſerto ſit, vt eſt communis Patrum ſententia, variè ab omnibus interpretibus locus exponitur, quibus non eodem modo clamor hic in ſolitudine aſſonat. Hieronymus hic, & Ambroſius ſuper Lucam *cap.* 3. in deſerto dicunt clamaſſe Ioannem, quia Gentes vocabat, quæ à vero cultu deſertæ ſunt, & vanæ ſuperſtitioni addictæ. Et ideo dicunt Gentilitatem *deſertam* dici *Iſaiæ* 35. *Lætabitur deſerta, & inuia; & exultabit ſolitudo.* Hieronymus *epiſto. ad Tharaſium de vera circumciſione to.* 9. *ad finem*, poſtquam dixit, otioſum videri clamorem in deſerto, vbi auditor non eſt, ait. *Elegit ne fallor locum, non vbi eum nullus audiat, ſed ad quem populos de natura corrupta conuerſione reducat.* Deinde, *Locus ergo ipſe forma doctrinæ eſt, & ipſa ſolitudo prædicatio eſt virtutum. Operatur habitatio, dum vrbium frequentiam ſollicitus relinquit auditor.* Euſebius *lib.* 9. *de demonſtratione cap.* 5. aptum

Qualis concionatoris vox, & oratio. fuiſſe ait Ioannis prædicationi deſertum locum, qui ſerpentibus abundat, & omni reptilium genere, vnde voces ſumeret accommodatas ad carpendum hominum mores. Dicturus enim erat ad inflatam ſuperbiæ veneno Phariſæicam Gentem. *Genimina viperarum, quis oſtendet vobis fugere à ventura ira?* Quare in viperis, quibus abundabat ſolitudo, didicit illius gentis ingenium, & ab eis vocem inuenit, quæ viperinos mores declararet. Origenes *Homi.* 21. *in Lucam*, in deſerto clamaſſe Ioannem ideo putat, quia pauci illius doctrinam receperunt. Quemadmodum in deſerto fruſtra clamatur, vbi nullus eſt qui clamantem audiat. Quæ loquendi figura prouerbialis videtur, quales ſunt vulgares illæ; *Surdo canis.* aut, *Mortuo narras fabulam.* Quæ tamen Origenis ſententia non ita accipienda eſt, vt omnia metaphorica ſint, ſicut in Prouerbiis ſolent, quaſi ideo ſolùm dicatur Ioannes in deſerto clamaſſe, quia exiguum ex illo clamore fructum percepit. Nam reuera, vt omnes clamant Euangeliſtæ in deſerto prædicauit.

35. *Quomodo Deo aperiendus ad animã ingreſſus.* n *Omnis vallis implebitur, & omnis mons, & collis humiliabitur.*] In ſpirituali ſenſu variè à variis hic locus exponitur. Vide Toletum, ad hæc verba, *in cap.* 3. *Lucæ.* Mihi in ſenſu morali nihil aliud ſignificari videtur, quàm tollenda eſſe impedimenta omnia, quæ aditum Domino ad peccatorum ani-

A mani occludunt. Quæ metaphora ſumitur à via, quæ ideo difficilem habet, & tardũ ingreſſum, quia inæqualis. Hanc autem inæqualitatem peccata faciunt, quæ virtutum æqualitates, quæ viam ad vitam muniunt, & expediunt, euertunt, & tollunt. Quædam enim vitia nimis elata, vt ſuperbia, præſumptio, audacia, in montium ſimilitudinem attolluntur, & tument; quædam, vt puſillanimitas, deſperatio, timiditas, in vallium profunditatem deprimuntur. Hæc autem ad æqualitatem ita rediguntur, ſi exigui, atque languentes ſpiritus excitentur, inſolentes verò, temerarij, & omnium audaces, & confidentes frangantur.

o *Erunt praua in directa, & aſpera in vias planas.*] Quædam in vitiis, viarum anfractibus aſſimi- 36.
B lari poſſunt, qualia ſunt illa, quæ ſe inſinuant obliquè, & artificioſè incautos aliorum animos decipiunt; vt ſunt calliditas, fraus, ſimulatio, hypocriſis. Alia quę aſperis, & ſcopuloſis viis diſſimilia nõ ſunt, quæ aliis acerba ſunt, & dura, charitatémque violant, & offendunt: vt eſt vis, iracundia, odium, & qui eiuſmodi ſunt morbi æſtuantis animi, atque inſolentis. Quæ omnia, vt apparet, magnam molem obiiciunt ingreſſuro Domino in peccatoris animum. Quare neceſſe eſt vt, quæ obliqua ſunt, recta, atque ſimplicia, & quæ aſpera ſunt & intractabilia, plana fiant, ac mollia.

p *Et reuelabitur gloria Domini, & videbit omnis* 37.
C *caro.*] Hæc ſatis aperta ſunt; quia quo tempore, aut gentes, aut Iudæi impedimenta ſummouerint, ſtatim aderit gloria Dei, & omnes adeſſe ſibi cernent id quod os Domini locutum eſt, id eſt, vt exponunt Septuaginta, & Euangeliſtæ legunt *ſalutare Dei*, nempe ſalutem à Chriſto comparatam, ſeu Chriſtum ipſum, quem *ſalutare Dei* vocant in ſua tranſlatione Septuaginta ſeniores.

q *Vox dicentis clama.*] Hic iterum nominatiuus abſolutè ponitur, aut per ellipſim *fuit*, aut *erat* deſideratur. Magnum aliquid eſt, & auditu dignum, quod Deus nunc à clamante propheta denunciari iubet.

r *Quid clamabo?*] Hic Hebręus Hieronymi magiſter, vt ipſe docet *epiſt.* 142. *ad Damaſum*, aliquid 38. *Iſaiæ quid falsò obiectum ab Hebræo.*
D ſomniat. ſuo quidem dignum ingenio, longe tamen indignum Iſaiæ ſpiritu, atque conſtantia. Dicit enim Iſaiam edoctum magno ſuo periculo, nunc fuiſſe cautiorem. Vltrò ſe priùs Dei imperatis obſequentem dederat, cùm dixit *cap.* 6. *Ecce ego, mitte me.* cùm tamen ignoraret, quò mittendus eſſet; qui miſſus fuit ad ea, quæ ſine graui moleſtia, pudore, atque periculo obiri non poterant. Vt quòd Regibus obiiceret peccata fœdiſſima, & quod nudus incedere iuberetur: Nunc verò multò quàm antea cautior (inquit Hebręus ille) nõ priùs promittit ſe clamaturum, quàm didiciſſet à Domino, quid ſuo propoſitum eſſet clamori. Quare rogat, antequam aliquod in ſe mandatum recipiat, *Quid clamabo?* recuſaturus vtique, ſi ſibi non futurum eſſet
E ex vſu. Sed hæc, vt dixi, indigna ſunt propheta multis nominibus magno; & ideo miror hæc non fuiſſe ſeueriori cenſura à Hieronymo notata; ſed potiùs, dum illa hic refert, aliquo modo non improbari. Et quæ ex Hebræi ſententia retulit Hieronymus, illa tanquam ex Hieronymi ſententia amplexi ſunt Haymo, Hugo, & Gloſſa. Sed mihi dubium non eſt, tantum Prophetam, iam à Deo illuſtratum, ad quidlibet negotij, quod datum eſſet à Deo, animum habuiſſe paratiſſimum, idque ſignificatum hac voce, *Quid clamabo?*

ſ *Omnis*

39\. [t] *Omnis caro fœnum.*] Hæc eſt clamori prophetico propoſita materia, quæ ſi diuerſa prophetia eſt, neque ſuperioris appendix, latis eſt illius aperta ſententia. Quæ quàm ſit homo futilis, quàm in ſuo ſiue ſtatu, ſiue fortuna inſtabilis, ex fœni natura, & fragilitate declaratur. Quod optimè explicat atque amplificat hoc loco Hieronymus. Eſt autem ad præparandam Domino viam magnum momentum in cognitione ſui, qua, quia in ſe nihil homo magnum, ac ſtabile cognoſcit, omnia expectat à Deo: & ideo libentiùs, atque conſtantiùs, quidquid eſt in via difficultatis amouet.

40\. Chaldæorũ vires inſtar fœni.

Si tamen hæc ad ſuperiora coniungas, & ſuo filo contexere ſtudeas, occurrit hæc nec difficilis nec importuna ratio. Agit hìc, vt dicere inſtituimus, ſenſu ſaltem hiſtorico de reditu captiuorum à Babylone, qui videbatur omnino arduus, cùm tam eſſet valida Chaldæorum potentia, tam infirmæ, ac domitæ Iudæorum vires. Quare fieri nullo modo poſſe videbatur, vt ex illis ſordibus, & vinculis populus emergeret: quod fortaſſe ſignificatum eſt in montium iugis, & vallium profunditate, & aſperitate, atque anfractibus viarum, quæ Deus dirigi, & complanari iubet. Quò verò hæc ſuperari poſſe Dominus oſtendat, ait omnem carnem eſſe fœnum, quod citò areſcit, & perit, & gloriam carnis, quæ eo tempore ſumma eſſe putabatur in Chaldæis, qui rerum erant domini, ſimilem eſſe flori, qui maximè in fœno nitet. Eſt ergo illorum potentia, à quibus opprimebantur captiui Iudæi, ſimilis fœno, quia caro eſt, quantumuis in ſublimi loco poſita. Vt enim fœnum quantumcumque viriditatis, & ſpendoris habeat, arrideátque ſpectantium oculis, nihilominus ſubitò oriente ſole, & paulò inclementiùs æſtuante, totus ille nitor marceſcit, ac defluit: Sic vis illa acris, atque conſpicua Chaldæorum, cui nihil videbatur opponi poſſe non infirmum, pro tanta magnitudine, ſubitò cadet. Quod ſanè accidit, quando vna nocte Perſicis armis Chaldæorum imperium funditus deletum eſt. Hoc autem loco Chaldæorum potentia fœno comparatur, Dei autem virtus ſoli torrenti; atque ideo ſubditur.

41\. [t] *Quia ſpiritus Domini ſufflauit in eo.*] Seruatur ab elegantiſſimo propheta inſtituta allegoria, nam ventus, maximè qui *vrens* appellatur, de quo Aggæus *cap.* 2. *Percuſſi vos vento vrenti*, & Amos *cap.* 4. exurere ſolet & perdere florum elegantiam, & ſpeciem. *Spiritus* verò, licèt ventum ſignificet, puto tamen illi hoc loco aliquid admiſceri furoris, aut qualitatis noxiæ, qualis ineſſe ſolet vento, qui à deſerto ſpirat, qui frugibus tabem, & auriginem, & morbos hominibus adducit. De quo Oſeas *cap.* 13. *Adducet vrentem ventum Dominus de deſerto aſcendentem, & ſiccabit venas eius, & deſolabit fontem eius*, &c. Sanè *ſpiritum* pro furore ſumi, conſtat ex his quæ docuimus ad illud Zachariæ *cap.* 5. *Spiritus in aliis eius.* Eo ſenſu accipit Dauid *Pſal.* 138. *Quò ibo à ſpiritu tuo?* & Iſaias ſuprà *cap.* 30. *Spiritus eius velut torrens inundans ad perdendum Gentes.*

42\. Humilitas Domino viã parat.

Pro ſpirituali ſenſu obſeruandum hîc maximè, quantum ſit in humilitate momenti ad parandam viam Domino ad hominum animos aſpiranti. Nam quæ paulò antè pluribus explicuerat, quæ in via purgata, ac molli deſiderari ſolent, illa vno humilitatis verbo videtur Deus fuiſſe complexus, dum prophetæ ſuo præcipit, vt clamet, carnem eſſe fœnum, & carnis gloriam inſtar fœni floris, qui le-
A uiſſima offenſione temporis momento perit. Et quidem vera, & accurata cognitio ſui aſpera complanat, ſublimia deprimit, obliqua dirigit, & licèt ipſe de ſe talia non cogitet humilis animus, vacua, atque profunda complet. Dum enim in ſe omnia videt, aut videre ſe putat vacua, atque profunda, id efficit, vt Deus qui vt in naturalium, ſic etiam in ſpiritualium rerum vniuerſo nihil patitur eſſe vacuum, id compleat, quod vacuum in ſe deprehendit humilis cogitatio. Et ſicut experientia docet quotidiana; nihil eſt humili, in quod homines incurrant, aut offendant; ſic in humili nihil eſt, quod Deum ab hoſpitio deterreat. Quòd ſpiritus humilis Dei ſit gratum domicilium, vbi quieſcat, res eſt
B vſque adeò ſæpe à Patribus repetita, & obuia; vt ab hac me cura exolutum putem. Vide illuſtrem locum infrà ad illud *cap.* 57. *Habitans æternitatem.* Vbi humilem animum diximus Deo eſſe pro templo, & cœlo.

Quemadmodum caro fœnum ſit, vt ex ea nihil firmum, ac magnum expectari poſſit, explicant aliæ ſimilitudines, quibus vtitur Scriptura, dum vitam hominis ſimilem dicit vmbræ, fumo, nebulæ, fluctibus, veſtigio nubis, vapori, quibus in rerum natura nihil eſt, quod aut minùs duret, aut ſoluatur faciliùs. Vide Gregor. in illud *Iob* 14. *Qui quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra. lib.* 11. *Moral. cap.* 26. Vbi explicat hunc Iſaiæ lo-
C cum. & *lib.* 16. *Moral. cap.* 5. Sed non omittam quod hac de re eleganter, & grauiter Iſidorus Peluſiota *Epiſtola* 274 *ad Theonẽ. Pulchritudine, atque opibus, vt appares gloriaris. aliosque, quibus hæc deſunt, pro nihilo ducis, illud ignorans te fœno quàm ocyſſimè marceſcente ornatum eſſe. Atque item pecunias tanquam aquam contines, quæ alios ex aliis humectat, ac rurſum ad alios fluit. Quam ob rem aut ad inſidas huiuſmodi opes, perinde, atque ad vmbram, & fumum, & ventos animum aduce: aut illud ſcito, & fumo, & ventis confidere.* Vide hìc Hieronymum, qui de hominum inſtabilitate eleganter vt ſolet. Origen. *hom.* 1. *in Pſal.* 36 Baſil. *hom.* 5. *Hexamer.* 43. Homo quã futilis, atque infirmus.

44\. Forerius hìc agi putat de abrogatione legis antiquæ, quam dicit appellari poſſe *carnem*, quod at-
D tinet ad cultum totúmque legale miniſterium, vt ſunt circumciſio, victimæ. &c. Et quidem ita videtur appellare Paulus *ad Hebr.* 9. cùm illa vocat *iuſtitias carnis.* Illa verò caro aſſimilatur fœno, quia exaruit oriente ſole, id eſt quando Euangelij ſplendor affulſit, qui in æternum fulgebit. Quæ interpretatio ſanè pia eſt, & quod ad myſticum ſenſum pertinet, optimè cum toto textu conſentiens.

45\. [u] *Super montem excelſum aſcende tu, qui euangelizas Sion, &c. dic ciuitatibus Iudæ, ecce Deus veſter.*] Hæc omnia in genere fœmineo ſunt *Aſcende, exalta dic, euangeliza.* Quæ licèt diuerſum ſenſum non oſtendant, habent tamen diuerſam orationis formam. Si genus ſequare fœmineum, vt eſt in He-
E braico textu, Sion, & Ieruſalem in nominatiuo ſunt, & iubentur in editum locum aſcendere, indéque aliis ciuitatibus Iuda nunciare, quæ ſequuntur: nempe *Ecce Deus veſter*, &c. Et ita explicat Vatablus, & indicat tranſlatio Pagnini; ſed, vt dixi, idem eſt ſenſus, ſiue Sion in nominatiuo, ſiue in datiuo, ſiue legas in fœmineo genere *quæ*, ſiue in maſculino *qui*. Nam Sion, & Ieruſalem pro tota Iudæa ſumuntur, quia illius prouinciæ caput ſunt. Quare cùm Sioni aliquid nunciatur, id toti nunciatur Iudææ. Et quia non annunciat mons ipſe Sion, aut vrbs Ieruſalem, ſed qui ibi morantur, per metonymiam,

miam, quando Sioni, & Ieruſalem edicitur, vt clament, id negotij datur Solymitanis ciuibus, & his præcipuè, quorum præſertim intereſt diuina mandata ad multitudinem deferre. Quod verum eſt, ſiue hic hiſtoricè ſermo ſit de captiuorum reditu, in quo tanquam in vmbra vocatio ad Eccleſiam intelligitur, quod potiùs reor, ſiue ſine vllo ſymbolo, atque vmbra de ipſa vocatione à Babylonico exilio. Si de hoc poſteriori ſermo ſit, iubet Deus, vt ex edito loco, vnde ſeſe quoquo verſus clamor extendat propheticus, annuncietur populo captiuo, ſeu in Palæſtina diſperſo, affulgere iam tempus, quo Deus iam benignior intueatur rem Iudaicam, reducátque captiuum populum, à quo priùs longè receſſiſſe videbatur. Si verò de Eccleſia, quod omnino typicè ſignificatur, edicitur prophetis, vt tota ſpiritus, vocíſque contentione clament, adeſſe Deum tot antè ſæculis promiſſum, tantum intererat vt mundus cognoſceret incarnatum Deum ad homines veniſſe, vt id in excelſo monte prædicari debuerit, ídque cum magna contentione, atque exaltatione vocis.

46. Hic verò duo notanda: Alterum eſt, hoc beneficium latè patere, & ideo præconem, quicumque ille ſit, in montem attolli. Nam qui ex alto clamat, à pluribus auditur, neque id plerumque fit, niſi quando aliquid publicum eſt, & ad communem voluptatem, & vſum pertinere exiſtimatur. Qua ratione Chriſtus præcipit diſcipulis, vt quæ in aure audiſſent, prædicarent ſuper tecta. Et infrà *cap.* 42. *De vertice montium clamabunt.*

47. Montanus in illud Nahum *cap.* 1. *Ecce ſuper montes pedes euangelizantis*, obſeruat ex Miſnaioth moris eſſe apud Hebræos, vt, ſi quid publicè cognoſci oporteret, id ex altis montiũ iugis per præcones denuntiaretur. Qualia ſunt indicta ieiunia, neomeniæ, læti, aut triſtes nuncij: ſiquid denique in publicum vſum notum eſſe expediret. Cùm enim regio illa cliuoſa eſſet, & ex vno monte in alium vox produci poſſet, facilè mandatum quaſi per manus eo modo tranſmiſſum per totam prouinciam vulgabatur. Fides ſit penes Montanum, neque enim librum Miſnaioth mihi videre licuit; Sed faciunt id veriſimile aliqua Scripturæ teſtimonia; Primùm locus citatus *Nahum* 1. Deinde *Iſaiæ* 25. *Quàm pulchri ſuper montes pedes annũciantis, & prædicantis pacem*, & ſimilia. Faciebant puto præconum vocibus Iudæi, quod nunc regiones aliquæ, quibus à vicino hoſte aliquid ſemper aut imminet, aut timetur periculi; quæ ex ſpeculis vario, opportunóque loco diſpoſitis, nocte flamma, diu fumo ſi qua ſe oſtentet periculi ſpecies, quàm celerrimè ſignificant.

48. Alterum eſt, videri valde veriſimile, ad hunc locum reſpexiſſe Ioannem, quando prædicauit parandam eſſe viam, quod munus pœnitentiæ eſt.
Matth. 3. Nam cùm dixiſſet *pœnitentiam agite*, rationem ſtatim reddit dicens. *Appropinquauit enim regnum cælorum.* Quod eſſe videtur pro eo, *ecce Deus veſter veniet*; quod perinde eſt atque veniſſe ſeu appropinquaſſe regnum. Eſt autem in Scriptura non inſolens, vt cauſa ponatur pro effectu, & contrà; quare hîc *Deus* pro regno ponitur, quia regnum cælorum hominibus aperit, & præſtat; aut ibi *regnum* pro Deo, quia regnum homines à Deo conſequuntur.

49. ^x *Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet; & brachium eius dominabitur.*] Ex his mihi fit probabile, hiſtoricè vaticinium iſtud eſſe de reditu Babylonico, quem facilem fore Iudæis perſuadet Propheta à Dei potentia, cui nulla vis mortalis obniti poteſt: quam deinde elegantiſſimè explicat & amplificat. Ita S.Thom. & Hugo. Quæ tamen omnia multò magis elucent in altiſſimo incarnati Verbi myſterio, & aſſerto mundo è diaboli tyrannide, id quod præcipuè in hoc oraculo intuebatur Iſaias. Quòd verò hiſtoricus ſermo ſit de libertate populi ab exilio, textus totus indicat, qui de colligendis populi reliquiis, & agnis à prouido paſtore ad ſepta reuocandis loquitur: vt conſtabit attento lectori. De qua hîc modicè à nobis, ac parcè loquendum eſt, quia totam attentionem, atque ſtudium rapit ad ſe Chriſti ſeruatoris aduentus, & œconomia, quam populi libertas, & gloria poſt ſquallorem, & ærumnas exilij mirificè oſtentat.

De Chriſto hæc communiter accipiunt Patres, ſed non eodem omnes modo. Quidam de Chriſti aduentu ſecundo, quando venturus eſt in fine ſæculorum ad iudicandum mundum; Ita Hieronymus, Haymo, & interlinearis; neque illa diſplicet S.Thomæ. Sed frequentes alij de Chriſti aduentu primo capiunt, Cyrillus, Procopius, S.Thom. Adamus, Foreirus, Lyra, Dionyſius. Ex quo etiam intelligemus, contrà quàm exiſtimant recentiores Iudæi, Meſſiam eſſe Deum, quia illa hoc loco traduntur à Propheta, quæ nonniſi Deo accommodari poſſunt. 50.

^y *Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium eius dominabitur.*] Contulerat priùs carnem cum fœno, quod minima offenſione defloreſcit, & perit. Ne verò quis putaret Chriſtum, qui venturus in carne prædicitur, futurum eſſe fœni futilitati ſimilem, commendat in Chriſto, quæ infirmitati, atque inconſtantiæ contraria ſunt; dum illi fortitudinem, & ipſius brachio imperium attribuit. Eſt autem hæc deſcriptio hominis fortiſſimi, cuius potentiæ nihil eſt non expugnabile. Meminit verò præſertim *brachij*, quia in eo Chriſtus intelligitur, iuxta illud *Iſaiæ* 51. *Me inſulæ expectabunt: & brachium meum ſuſtinebunt.* Quod eſſe de Chriſto intelligendum, docet Tertullianus *lib. de reſurrectione carnis.* Auguſt. *lib. de vnitate Eccleſiæ.* Hieronymus, Cyrillus, Haymo *in illum locum*, & *cap.* 52. *Parauit Dominus brachium ſuum in conſpectu omnium Gentium.* Vel quia brachium eſt maximum, & penè ſolum viri bellatoris inſtrumentum; Vnde in Scriptura *brachij* nomen ſæpius auditur pro fortitudine. Ex multis exemplis accipe vnum ex *Ierem. cap.* 17. *Maledictus homo, qui ponit carnem brachium ſuum*, id eſt, fortitudinem ſuam in carne conſtituit. 51.

^z *Ecce merces eius cum eo, & opus illius coram illo.*] Hinc coniectant aliqui, vaticinium hoc eſſe de ſecundo aduentu, quia tunc pro ſingulorum meritis Chriſtus, aut mercedem reddet, aut ſupplicium infliget. Sed non eſt difficile hæc etiam ad ſecundum aduentum accommodare; quod tribus modis accipi atque explicari poteſt. Primùm vt *merces* non tam ſignificet præmium, quod Chriſtus rependet bonorum meritis, quàm quod ipſe propter ſuſceptum, obitumque redemptionis noſtræ negotium à Patre ſuſcipiet, cui *Pſal.* 2. poſt auditos Gentium fremitus, & inanes populorum cogitationes, ac minas contra Chriſtum, omnium gentium illi, & totius orbis poſſeſſionem attribuit. Cùm enim præceſſiſſet. *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius*; adiecit ſtatim. *Poſtula a me,* 52. Quæ merces Chriſto pro paſſione.

& dabo

& dabo tibi gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. Quæ ſibi à Patre fuiſſe data, teſtatur ipſe Dominus *Matthæi* 28. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra.* Et infrà *cap.* 53. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum,*&c..*ideo diſpertiam ei plurimos, & fortium diuidet ſpolia, pro eo quod tradidit in mortem animam ſuam.* Et *ad Hebræos* 2. *verſ.* 9. *Videmus Ieſum propter paſſionem mortis gloria, & honore coronatum.*

53. Altera verò pars *& opus illius coram illo*, ratio videtur eſſe ſuperioris hemiſtichij, ita vt illud *&* cauſalis ſit, vt in Scriptura frequens, hoc ſenſu. Non fraudabitur mercede ſua, quia ille accuratiſſimè ſuſcipiet opus ſibi datum à Patre, habebítque ſemper ob oculos, nempe vt humani generis ſalutem procuret. Et in hunc ſenſum videntur accepiſſe Cyrillus. Procopius, & Foreirus. Chriſtus autem reſpexiſſe videtur ad hunc locum, & ſenſum, cum dixit *Ioan.* 17. *verſ.* 4. *Opus conſummaui, quod dediſti mihi: & nunc clarifica me tu Pater.*

54. Altera expoſitio eſt, vt Chriſtus dicatur ferre ſecum mercedem tribuendam illis, qui ſe faciles, & promptos præbebunt ad ipſius mandata. Neque enim Deus difficilis eſt, aut parcus ad penſanda merita, neque ſicut auari faciunt, mercedem, aut fraudat, aut diu apud ſe premit. Habet enim illam coram ſe, atque ita laborem, aut opus iniungit, vt præmium oſtendat. Quod ſanè Deus liberaliter præſtitit Iudæis, vt inquit Hugo, quando à Domino euocati relicta Babylone in ciuitatem ſanctam reuerſi ſunt. Et multò cumulatiùs his, qui diuinis mandatis obſecuti, & Euangelium feliciori ſæculo complexi ſpiritualem militiam inierunt. Hæc verò accommodatè dicuntur ad Imperatorum inſtitutum. Quod videtur hoc loco in Chriſto deſcriptum à Propheta, dum in eo fortitudo commendatur, & victoria prædicitur, quæ Imperatoris propria, & maxima commendatio eſt. Accenduntur autem maximè milites ad belli moleſtias, quales ſunt frequentes, atque diuturnæ in Chriſtiana vita, cùm in Imperatore vident & facultatem, vt poſſint, & liberalitatem, vt velint mercedem rependere. Porrò illud, *& opus illius cum eo*, idem eſſe puto, quod *merces eius coram illo*, per epexegeſim familiarem prophetis, per quam, & rei magnitudo, & promiſſionis certitudo declaratur. Vt enim ad illud *Act.* 5. *Venumdatum in tua erat poteſtate*, diximus *opus* aut *labor*, & ſimilia pro operis, aut laboris mercede capiuntur. Quo ſenſu aliquis *manducare* dicitur *laborem manuum ſuarum*: quia laboris ſui mercede viuit. Et in hoc ipſo nomine ſunt plura exempla. *Iſaiæ* 32. *Erit opus iuſtitiæ pax*, id eſt, iuſti operis merces. Et *Leuit.* 19. *Non morabitur opus mercenarij tui vſque mane*, id eſt, laboris præmium.

55. Hæc mihi grauia ſunt, & ad Imperatoris nomen, & munus conſentanea; ſed neſcio an aptiùs, ſignificantiúſque conueniat in nomen Saluatoris, ſeu Redemptoris. Cùm enim redemptio, vt nomen ipſum ſonat, ſine pretio, aut mercede non ſit, cùm ematur à dominis captiuus, qui in illorum poteſtatem, atque mancipium venerat: *Merces* hic pretium eſt redemptionis, quam ſecum Chriſtus affert, qui redemptor inducitur. Quare bene ſperare iubetur Ieruſalem captiua ſub Babylonis iugo; quia iam ſeruator Chriſtus oſtendit redemptionis pretium, id eſt, vires, aut modum quibus a vinculis eximet captiuos, quæ pro mercede redemptionis fuerunt; quia non minùs Perſarum armis, quàm oblata mercede ablatam libertatem aſpexere ca-

A priui. Quæ vox multò magis conſolatur eos, qui ſub diaboli poteſtate captiui tenebantur, cùm veniſſe dicatur illorum vindex, qui & auidè in ipſorum libertatem incumbat, & redemptionis ſecum pretium luculentiſſimum apportet.

56. Iuxta hanc cogitationem, opus eius coram illo, idem eſt, atque negotium redemptionis. Et verò hoc opus proprium eſt, &, vt Logici vocant, adæquatum Seruatoris, ſeu Redemptoris; quod *opus Dei* vocari diximus paulò antè: *Ioannis* 17. *Opus conſummaui, quod dediſti mihi.* Erit ergo ſenſus expeditus, & facilis, excitari, admonerique vtramque Sionem tam propriam, quàm myſticam, ſuo quamque modo, vt excipiat iam venientem Saluatorem locupletem, & oneratum ampliſſimis donis, quæ
B Euangelij ſui ſectatoribus impertiat; aut etiam ferentem ſecum mercedem redemptionis, quique in illud opus de liberandis redimendiſque captiuis ſic incumbet ſtrenuè, ac cupidè, vt coràm ſemper habeat, neque vnquam de illo cogitare deſinat. Hæc eadem verba repetuntur iterum *cap.* 62. Vide, quæ inde ad hunc locum accommodari poſſunt.

57. [a] *Sicut paſtor gregem ſuum paſcet, in brachio ſuo congregabit agnos, in ſinu leuabit, fœtas ipſe portabit.*] Non difficile eſt hæc ad præcedentes explicationes accommodare; oſtenditur enim Seruatoris clementia, atque benignitas in ſuos, quos non aliter amplexabitur, quàm paſtor prouidus, & amans tenerum, atque infirmum pecus. Quæ cura atque indulgentia ſatis ſe prodidit in Iudæorum reditu,
C quos via molli, ac placida ad antiqua mapalia, id eſt, ad vrbem Solymitanam reduxit. Sed multò magis in ampliori, ac nobiliori grege, quem in vitæ paſcuis continuit, & pauit: quem verè portauit in ſinu multò benigniùs, quàm ſedulus paſtor tenellos agnos, & effœtas matres. Hac eadem ſimilitudine Chriſtus *Ioan.* 10. *& Lucæ* 15. ſuam curam, & amorem expreſſit, dum ſe bonum paſtorem vocat, & inuentam iam errantem ouem, & ſublatam humeris in caulas reducit.

58. [b] *Fœtas ipſe portabit.*] Pro *fœtis* Hebr. עָלוֹת *hhaloth*, à radice עוּל *hhul*, quæ *lactare* ſignificat. Et ideo puto hac voce deſignari hic non tam oues prægnantes, & fœtu graues, quàm quæ iam enixæ ſunt, & partu leuatæ. A qua ſignificatione non ab-
D horret Latinorum vſus. Plinius *lib.* 8. *cap.* 42. de equa poſt editum pullum. *Hippomanes quod ſtatim edito partu deuorat fœta.* De eodem equæ partu Lucanus *lib.* 6.

Fœta etiam quæ peperit.

——Aut cùm turgentia lacte
Frontis amatura ſubducunt pignora fœtæ.

Et *lib* 5.

Ocyor, & cœli flammis, & tigride fœta.

Et Virgilius 3. *Georgic.* vaccas, quæ iam vitulos alunt, fœtas vocat, quas mulgeri vetat, ne lac fœtui deſit.

——Nec tibi fœtæ
More patrum niuea implebunt mulctralia lacte,
Sed tota in dulces conſument vbera natos.

E Columella *lib.* 7 *cap.* 3. *in fine* de pecorum cuſtode. *Neque tardiores, & grauidas cunctantur, neque agiles & fœtas, dum procurrunt, ſeparari a cæteris ſinat.* Et *lib.* 6 *cap.* 37. *ad finem* eodem ſenſu capit. In quibus locis ſatis liquet ſermonem eſſe de illis, quæ iam partu exoneratæ ſunt. Neque id abeſt ab vſu ſcripturæ, in qua *fœta* etiam vocatur, quæ peperit, & lactat. 1. Reg. 6. *Nunc ergo arripite, & facite plauſtrum nouum vnum, & duas vaccas fœtas, quibus non eſt impoſitum iugum, iungite in plauſtro, & recludite*

vitulos

vitulos earum domi. Vbi Hebr. eſt eadem vox עלות *hhaloth. Geneſ.32.verſ.15. Separauit camelos fœtas cum pullis ſuis. Baruch 6. De ſacrificiis eorum fœta, & menſtruata contingunt.* Pro *fœta*, Græcè λεχώ, id eſt, *puerpera*, ſeu *quæ peperit.* Et ſanè *Leuit.12.verſ.4.* grauidæ non prohibebantur à ſacrificando, ſed quæ iam peperiſſet, neque dum eſſet purificata à menſtruo. Fortaſſe *fœta* dicuntur Latinè (nam de voce Hebraica non laboro, quæ apertè *lactantem* aut *enixam* valet,) quia res interdum nomen retinet, mutato etiam ſtatu, quod antea habuerat, quemadmodum *virgo* vocatur à Terentio, quæ paulò antè violata fuit, & *cæci, claudi, ſurdi,* & *mortui* dicuntur, qui tales proximè fuerant, etiam ſi Dei beneficio ſalutem, & vitam conſecuti fuerint; De quibus *Mat.c.11.v.5. Cæci vident, claudi ambulant, ſurdi audiunt.* Hanc expoſitionem probat Pagninus in Lexico ad radicem עול *hhol*, vbi pro *fœtis*, *lactantes* vertit. Neque diſplicet Foreiro, qui putat alluſum hîc eſſe ad hiſtoriam Iacob *Geneſ.33.* qui gregis ſui infirmitati conſuluit.

59. Dei omnipotentia. ‹‹ *Quis menſus eſt pugillo aquas, & cœlos palmo ponderauit?*] Quæ ſuprà dicta ſunt fieri poſſe perſuadet Dei potentia, cui nihil eſt non ſuperabile; & ſapientia, quam nihil omnino latere poteſt. Siue de reſtitutione populi captiui intelligas, ſiue de maiori alia libertate à poteſtate Dæmonis. Hæc verò eleganter, & prouerbiali, vt reor, ſpecie dicta ſunt. Ad quem ferme modum Hiſpani dicunt cùm ſignificant ab aliquo quidquam, aut poteſtate teneri, aut autoritate gubernari. *Tiene lo todo en el puño*, quia quæ in pugillo ſunt, facilè quis pro ſuo arbitratu, commoditate, ſeu libidine verſat & moderatur. Hîc verò nihil aliud ſignificari puto, quam Dei magnitudinem immenſam, & vim omnipotentem, quam optimè declarat, & mare concluſum pugillo, aut eo dimenſum, & cœli palmo, id eſt, palma manus, ponderati. Vt enim quando nos rerum momenta, & pondus exploramus, eas ſuppoſita manu ſuſtinemus; ſic Deus, vt Atlas fabuloſus humeris, palmo, ſeu palma manus cœlus ſuſtinere dicitur: accommodatè ad hominum ſenſus, qui robuſtorum vires ea maximè ratione examinare ſolent. In hanc ferè ſententiam multi ex interpretibus.

60. ‹‹ *Quis appendit tribus digitis molem terræ, & librauit in pondere montes, & colles in ſtatera?*] Eadem figura eandẽ Dei omnipotentiam, & magnitudinẽ declarat, qui non tota manu, ſed tribus digitis totam terræ molem, ac ſi pondus eſſet vnciale ſuſpendit, & ponderat. Et in eundem ſenſum accipio, quod adiungitur de montiũ ac collium libratione.

61. Hîc multa dicuntur ab interpretibus de Dei magnitudine, & ſingularum vocum proprietate, vt de ternario digitorum numero, &c. quæ neque ego improbo; ſed puto ſenſum difficilem non eſſe, ſi ſtatuas hîc notam ſimilitudinis deſiderari, quo in Hebraico idiomate nihil magis vſurpatum, & metaphoram à mercatoribus ſumi, ſeu potiùs à circitoribus, ſeu ſcrutariis, qui trutinis vtuntur, & ponderibus ad explorandum pondus, aut menſuris aliis, quæ continuam materiam ſecundùm longitudinem metiuntur. Quæ autem eiuſmodi ſunt, vt trutinæ, aut mercatoriæ menſuræ examen ſubeant, magna eſſe non ſolent, ſed admodum exigua; vt quæ ex auro, ſiue argento cælantur, aut quæ per partes minutim in tabernis aromatariis, aut ſericariis diſtrahuntur. Significat ergo propheta, quæcunque magna videntur in rerum natura, perinde eſſe, atque illa, quæ ab inſtitoribus vncialibus, aut drachmalibus momentis ponderantur. Facit autem

A Deum, quaſi mercatorem, aut ponderatorem minuta vẽdentem, in hunc ſenſum. Vaſtam maris magnitudinem Deus pugillo metitur, & immenſa cœlorum ſpatia palmo: aut molis illius ingentis pondus palma ſubiecta explorat. Id eſt, Dei comparatione hæ tantæ moles perinde ſunt, atque illa quæ manu concluſa ſunt, aut palmo comprehenſa: & terræ moles ſic eſt apud Deum, vt lapilli, aut vncialis grauitas, quæ tribus digitis ab inſtitore examinantur (tribus enim digitis minutæ illæ trutinæ, & leuia pondera ſuſpendi, atque examinari ſolent) & montes veluti minuta illa, ac leuia momenta, quæ ſtatera, aut trutina ſuſpendit, & pon-

B derat. Quæ optimè Chaldæus expreſſit his verbis: *Ante cuius conſpectum omnes aquæ ſæculi reputata ſunt, quaſi gutta in pugillo; & menſura cœlorum, ac ſi præparati eſſent palmo, & puluis terræ, ac ſi eſſet menſuratus in menſura: & mõtes, ac ſi eſſent ponderati in pondere: & colles ac ſi eſſent in ſtateris.* Neque aliam, vt reor, ſententiam indicat, quod ſtatim ſubditur: *Ecce gentes quaſi ſtilla ſitulæ, & quaſi momentum in ſtatera reputatæ ſunt.* Similia habes *Sapient. cap.11. Virtuti brachij tui quis reſiſtet? quoniam tanquam momentum ſtateræ, ſic eſt ante te orbis terrarum. & tanquam gutta roris antelucani, quæ deſcendit in terram.*

Hæc mihi probabilia ſunt valde, à quibus non abludit Hieronymus, qui hîc menſuras agnoſcit, & momenta; & illud de tribus digitis, quod in hanc 62.

C explicationem minùs bellè quadrare videbatur, ipſe quoque ad menſuram, & pondus pertinere indicat. Si quis tamen putet oſtendi hîc eximiam prudentiam, atque ſolertiam opificis ſummi, qui vniuerſi molem ita diſpenſauit, vt omnia ſuis librata ponderibus certo, atque conſtanti motu temperentur, ratóſque teneant, atque perpetuos curſus, & quod ſumma ſapientia, atque conſilio decreuit, id omnipotenti virtute architectatus eſt, atque molitus, non me habebit ad hanc explicationem difficilem; quia his penè verbis alibi diuina virtus, atque ſolertia declarata eſt. Quò ſpectare videtur locus, quem nuper adducebamus *Sapient.11.* nam ante citata verba præceſſerat, *Omnia in menſura, & numero, & pondere diſpoſuiſti.* Et eodem genere ora-

D tionis diuina ſapientia, & virtus explicatur *Prouerb. cap.8. Quando præparabat cœlos aderam, quando certa lege, & gyro vallabat abyſſos; quando æthera firmabat ſurſum, & librabat fontes aquarum, &c. quando appendebat fundamenta terræ.* Tunc verò ſuadet propheta à Domino præſtari poſſe, quæ pollicetur, quia in eo complendo, neque ſapientia deerit ad metandum, architectandúmque, neque ad perficiendum facultas. Sed magis propendet animus, in illam explicationem, quæ omnia Dei comparatione inſtar nihili obtinere dicit.

‹‹ *Quis adiuuit ſpiritum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit.*] Hæc eſt altera pars, quæ Deum 63. Conſilia Dei inſcrutabilia.
omnia ſcire, & poſſe adminiſtrare docet. Neque enim alicuius conſilij eget ad comprehendendam

E animo, deſcribendámque ſolertia vniuerſi fabricam; neque opera ad exequenda, quæ concepta iam animo, atque deſcripta fuerant. Poſteriorem partem indicat illud, *quis adiuuit*; priorem verò illud, *quis conſiliarius.* Porrò nomine *ſpiritus* ſignificari voluntatem, mentem, ac ſtudium, ſatis notum eſt. Pro *adiuuit*, Hebr. eſt תכן *tiquen*, quod Vulgatus ſuperiori verſu vertit *ponderauit*, quomodo etiam tranſtulit alibi ſæpe. *Prouerb.16. Spirituum ponderator eſt Dominus.* & *cap.21.verſ.2. Appendit autem corda Dominus.* & ita vertit Pagninus: neque longè

longè abeunt Septuaginta, qui reddunt, *Quis cognouit mentem Domini.* Iuxta quam lectionem pulcher eſt, atque elegans ſenſus oppoſitus ſuperioris clauſulæ priori explicationi. *Ponderat Deus, comprehendit, ac penitus diſpicit vniuerſa. nullus autem ponderare, aut cognoſcere poteſt ſpiritum, ac ſenſum Domini, neque conſiliorum altitudinem aſſequi.* Quem
Ad Rom.11. ſenſum indicat Paulus *ad Rom.* 11. vbi ſine dubio hunc Iſaiæ locum expreſſit, *Quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius.* & ſubdit poſt pauca, *Quis enim cognouit ſenſum Domini, qui inſtruat eum?* id eſt, qui ſit illius conſiliarius. Neque tamen licèt verborum figura ſit diuerſa: à ſenſu, quem Paulus indicat, diſcrepat Vulgatus. Nam, vt quis alicuius mentem, aut voluntatem adiuuet, neceſſe eſt vt illiùs mentem, & cogitata cognoſcat: nemo enim admouere manum vtiliter poteſt rei, quam ignorat: quare ſi nemo cognouit ſenſum Domini, nemo illi in re cogitata ſocius, aut conſiliarius eſſe poteſt.

64. Omnia Dei cõparatione inſtar nihili obtinẽt. ff *Ecce gentes quaſi ſtilla ſitulæ, & quaſi momentum in ſtatera reputatæ ſunt.*] Ex his apparet verum eſſe ſenſum quem ſuprà dicebamus, nempe hîc non tam agi de mundi fabrica, quàm de Dei magnitudine, & omnium gentium tenuitate, quæ tam longè ſunt vt Dei ſpiritum adiuuare, atque inſtruere poſſint, vt Dei comparatione ſtillæ aut momenti in ſtatera inſtar obtineant. *Situla* inſtrumentum eſt, quod fune demiſſum aquam haurit è puteo: Solent autem guttulæ è ſitula in puteum vnde hauſtæ fuerant, rurſus relabi; quæ neque pondere leuant ſitulam aqua plenam, neque puteales aquas vllo augent incremento. Vt autem in aquarum, liquidorúmque menſuris minima eſt ſtilla, ſeu gutta, ſic etiam in ponderibus minimum eſt *momentum*, hoc tamen loco aliquid leuius etiam ſonat, Hebr. שחק *ſachak*, quod ſignificat puluiſculum ita leuem, vt etiamſi in ſtateram, ſeu bilancem incidat, quantumuis illa ſolertiſſimè librata ſit, non tamen eam vel minimum in alteram partem inclinat. Vt ergo gutta ſitulam neque grauat, ſi maneat, neque ſi excidat leuat, ſic Gentes, neque ſi pereant omnes aliquid relinquunt vacuum, neque ſi in natura rerum ſint, aliquid occupant, aut implent. Nam ſi Gentes, vt gutta, quomodo ad implendos tam laxos maris ſinus adiumento eſſe poterunt; & ſi momentum, ſeu puluiſculus in ſtatera, quomodo tantam orbis amplitudinem implebunt? aut quem opifici ſummo ad admirabilem vniuerſi fabricam vſum præſtabunt? Tanta eſt rerum omnium leuitas, ac vilitas, ſi ad Dominum ſpectes.

65. gg *Ecce inſulæ quaſi puluis exiguus.*] Inſulæ apud Hebræos appellantur, quæcumque longè abſunt, licèt non ſint à continenti diuiſa, qualis Hiſpania, Italia, &c. Denique regiones omnes, ad quas per mare tranſmiſſiu eſt, vt diximus ad illud *cap.* 24. *in inſulis maris nomen Domini.* Ac ſi dicat propheta, vaſtæ illæ prouinciæ ſiue ſolitudines, quæ longè ſunt à nobis, ſi cum Domino conferantur, ſunt inſtar minutiſſimi pulueris. Pro *puluere*, Hebr. eſt דק *dak*, quod *tenue* ſeu *minutum* valet, accommodatúrque rebus, vel minutiſſimè contuſis, vel in ſubtiliſſimam membranulam attenuatis. Quare pro panniculo, qui oculos tegit, & pro nebula, quæ terram operit, aut etiam pro tela tenuiſſima ponitur. Hebræi, vt hic tradit Hieronymus, puluerem eſſe putant, qui à vento raptus, ſi in oculos incidat, ſentitur potiùs, quàm videtur; quales ſunt illæ minutæ, & inſecabiles particulæ, quæ in ſolari radio A volitant, vocantúrque vulgo communiter *atomi.* Et quia iſtæ particulæ leuiſſimæ ſunt, & parum videtur abeſſe à nihilo, ideo à Hieronymo ſtatim *nihilũ* vertitur, cùm ait *qui extendit velut nihilum cœlos.*

66. Dei cultus. hh *Et Libanus non ſufficiet ad ſuccendendum.*] De magnitudine hactenus, potentia, atque ſapientia Dei: nunc de dignitate eius, religioſóque cultu, qui eius maieſtati ab hominibus exhiberi debet. Ait ergo Libanum, qui aromate abundat, lignóque ſuauiter olenti, non ſatis eſſe ad ſuffimentũ, & animalia quæ illo in monte ſpatioſo & vbere, magno paſcuntur numero, ad holocauſta non ſufficere. In *Libano* autem per ſynecdochen intelliguntur montes omnes, aut paſcua quæ vbinis gentium pe- B core, aut aromate nobilitata ſunt: quia Iudæis Libanus notiſſimus erat, neque vlla pars orbis aut amœnitate, aut vſu putabatur illuſtrior.

67. Dei nulla eſſe poteſt expreſſa ad viuũ ab hominibus effigies. ii *Cui ergo ſimilem feciſtis Deum, aut quam imaginem ponetis ei?*] Ex ligno, aut ære nihil fingi poteſt, aut pingi penicillo, niſi corporatum, quod tractari poſſit aut teneri manu res autem, quæ vacant corpore, ad corporeæ molis ſimilitudinem efformantur. Cùm autem res omnes quaſi nihil ſint, putà puluis, aut ſtilla ſitulæ, aut momentum in ſtatera, ad cuiuſnam rei ſimilitudinem, & exemplar tantæ maieſtatis vis, & poteſtas exprimi, aut quomodo ex his immenſæ illius, æternæque naturæ effigies, vel minima ex parte ſimulari poterit. Quòd ſi ex C gutta ſitulæ nemo poſſit Oceani vaſtos, & profundos ſinus effingere, ſi ex tenui puluiſculo altiſſimorum montium, imò totius terræ molem attollere nequeat, quomodo è re tantula, quantula eſt ſtilla cadens è ſitula, diuinæ, atque immenſæ naturæ imago conflabitur. Cætera aperta ſunt, quæ elegantiſſimè deſcribunt ſculptoriæ, aut conflatoriæ artis naturam, & vim. Videtur autem eos reprehendere, qui ſimulacra argentea, ſiue aurea Deum eſſe putant, quique omni artificio, atque ſtudio laborant, ne ſimulacra aut vento, aut aliquo alio externo pulſu moueantur. Quare clauis religant, aſſeribus compingunt, & ne aliquando putreſcant, lignum eligunt, quod neque cariem ſentiat, neque ſoluatur tabe. Neque binc inferri poteſt otioſum D eſſe aut illicitum imaginum vſum, nam licèt imago nulla ad viuum Deum repræſentet; excitare tamen poteſt Dei viui, & veri memoriam in hominum animis.

68. ll *Numquid non nuntiatum eſt vobis ab initio? numquid non intellexiſtis fundamenta terræ?*] Adhuc perſeuerat in amplificanda Dei maieſtate, atque amplitudine, atque extenuanda rerum humanarum natura. Vocat autem Iudæos ad conſideranda terræ fundamenta, id eſt, fundationem, ſeu conſtructionem: quam ſtatim ex principio Geneſis doceri potuerunt. Quæ cùm prima ſint in ſcripturæ monumentis, eáque auditu, notatúque digniſſima, veriſimile eſt nemini fuiſſe Iudæorum ignota. Ibi autem cœli, & terra, quæque in eis lucent omnia, E à Deo creata fuiſſe traduntur. Deinde terra inanis eſſe dicitur, & vacua. Quòd ſi terram, quæque in ea aluntur metalla, Deus creauit, quis ita inſaniat, vt Deum eſſe ſibi perſuadeat aliquid è marmore fictum, aut dolatum è ligno, aut ex ære conflatum? Quis non videat, quàm hæc inferiora ſint autore atque creatore ſuo? aut quis diuinum aliquid eſſe putet in eo, quod vt eſſet in rerum natura, alterius opera indiguit.

Cyrillus hîc in *fundamentis terræ* extremos mundi fines, & cardines intelligit: quod mihi duriuſculum 69.

lum

lum viſum eſt, non enim facile eſt ſtatuere quomodo terræ angulis, ſeu finibus accommodati poſſit *fundamenti* nomen. Illud *ab initio* tam Cyrillus, quàm alij ad Idola referunt, à quorum cultu deterreri homines, & eorum vanitatem oſtendi diſcunt. *Ab initio*, id eſt, ab antiquiſſimis temporibus. Quæ mihi non aliena videntur, neque à veritate, quia Iſraelitici generis autores & Principes, hæc audierunt à Domino, & ſuis poſteris tradiderunt: neque à textu, cui hæc ſententia ſeſe accommodat non grauatè. Verùm magis videtur expedita, & facilis prior explicatio, quæ ſe toti capiti bellè, & conuenienter attemperat.

70. Deus quãto nobilior rebus creatis. m m *Qui ſedet ſuper gyrum terræ, & habitatores eius ſunt quaſi locuſtæ.*] Hæc loquendi forma ſignificatur, & quàm Deus terra, naturáque creata ſuperior ſit, & quemadmodum ab ipſo gubernentur. Neque credo hîc *ſuper* ſignificare excelſum aliquem locum in terra, cui veluti gubernator inſiſtat Deus, ſicut moderator in certo nauis loco ſedere aſſolet. Nam cùm terra globoſa ſit, quæuis pars illius excelſa dici poteſt, certè alia aliis ſublimior non eſt; niſi propheta, quod facere aliquando ſolent ſcriptores ſacri, atque canonici, accommodet hominum cogitationi, qui ſemiſphæricam terram, & cœlum ſemicirculare cogitant. Quemadmodum viris etiam doctiſſimis viſum eſſe diximus ad illud *capitis* 13. *A ſummitate cœli.* Tunc verò ſummus locus terræ, moderatoríque opportunus iudicaretur locus medius, & centrum ſemiſphericæ molis: quẽ vmbilicum poſſes appellare; qui celſiſſimus eſſet, & ex quo homines ſubiecti, qui in lateribus, aut ad baſim degunt, locuſtis ſimiles videri poſſent. Sed ſanè ſuper gyrum terræ ſedere ideo dicitur Deus, quia longè ſupra terram eſt, quia in cœlis habitat, aut quia terræ gyro longè nobilior eſt. Atque adeò quod à terra eſt, nempe aurum, & lignum, Deus eſſe non poteſt; & qui in terra ſunt, & quorum imperio terrena ſubſunt omnia, locuſtis ſordidis, puſilliſque beſtiolis, neque maiores neque meliores apparent comparatione illius præſtantis, æternæque naturæ, quæ ſuper gyrum terræ ſublimis conſedit.

71. n n *Qui extendit velut nihilum cœlos.*] Pro *nihilo*, Hebr. eſt דק *dak*, de quo nuper ad illud, *ſicut puluis exiguus*. Vbi diximus ſignificare id, quod in omni genere tenuiſſimum, atque leuiſſimum eſt. Septuaginta hîc *nebulam* vertunt. Quocumque modo accipias, ſignificatur, quàm facilè Deus illa immenſa cœlorum ſpatia diffuderit, explicueritque, non aliter, atque ſi quis tabernaculum diſtendat ad commodam hominum habitationem. Nam quemadmodum leui ventorum flatu congregatæ nubes diſſipantur, compléntque quaſi pelles ſubiectum orbem; ſic Deus cœlorum extendit magnitudinem. Immò quemadmodum nihilum, id eſt, quod nullam vim, aut naturam habet, reſiſtere non poteſt manui, aut cogitationi opificis, ſic moles illa ingens cœlorum reſiſtere non potuit Dei cogitationi, quominus momento temporis in quam vellet formam, & ſiguratum extenderet.

72. o o *Qui dat ſecretorum ſcrutatores, quaſi non ſint: iudices terræ velut inane fecit.*] Sapientia hîc Dei, & potentia declaratur: Sapientia quidem, quia eam ſecretorum ſcrutatores, id eſt Philoſophi (ſic enim communiter interpretes) non magis aſſequuntur, vt maximè ſtudio, ingenióque contendant, quàm ſi non eſſent: potentiam verò, quia iudices, id eſt, Reges, & Principes quantumuis opum, virium, & gloriæ conſecuti, cum Deo compoſiti velut inane ſunt, id eſt, nihil; atque ita inornati in omni gloria ſua, quaſi terra vbi primùm à Deo creata fuit. De qua *Geneſ. 1. Terra autem erat inanis, & vacua*, cui Dominus poſtea ſpeciem, atque decorem addidit. Eadem enim hîc, & illîc vox Hebraica reperitur תהו *tohu*. His verò principibus id etiam accedit, vt non modò inornati ſint, & informes, vt terra olim ſine plantis, ac fontibus, ſine luce ac nitore in principio mundi, ſed etiam ita debiles, ac futiles, vt momento temporis diſſipari ac ſolui, & in nihilum omnino abire poſſint: quod ſtatim optima ſimilitudine declarat.

73. Iudices quid. Porrò *iudicis* nomen latiùs patet apud Hebræos, quàm apud Latinos; neque tantùm ille vocatur *iudex*, qui controuerſiis, & iudiciis vacat, ſed etiam qui rempublicam aut ſeruandis legibus in officio continet, aut armis tuetur, & amplificat, vt diximus *cap. 36.* ad illud: *Quomodo ſuſtinebis faciem iudicis vnius loci*; & probat totus liber Iudicum, in quo, qui *iudices* dicuntur, vt Ioſue, Gedeon, Samſon, &c. Regium munus, & Imperatorium obierunt, vt conſtat. Videntur autem qui reipublicæ gubernacula quoquomodo tractabant apud Hebræos dici *iudices*, quia Regum id maximè proprium eſt, iuſtitiam tueri, propulſare iniurias, æquitatis, & legum publicos eſſe vindices. De quibus Cicero *lib. 2. Officiorum. Mihi quidem non apud Medos ſolum, vt ait Herodotus, ſed apud maiores noſtros iuſtitiæ fruendæ cauſa videntur olim bene morati Reges conſtituti.* Quare Salomon 3. *Reg.* 3. orat Dominum. *Dabis ſeruo tuo cor docile, vt populum ſuum iudicare poſſit.* Et hoc ipſum Salomoni filio optat Dauid *Pſalm.* 71. *Deus iudicium tuum Regi da.* Quod de Salomone fatetur Regina Saba 3. *Reg.* 10. *Conſtituit te Regem vt faceres iudicium, & iuſtitiam.* Dum ergo iudices terræ velut inane dicuntur, omnis terrena poteſtas inſtar nihili obtinere dicitur. (Regũ quid maximè proprium.)

74. Impiorum potentia, & gloria futilis. p p *Et quidem neque plantatus, neque ſatus, neque radicatus in terra truncus eorum.*] Sæpe homo cum fœno agri, aut herba tectorum comparatur, quorum nitorem leuis æſtus areſacit, & perdit; vt hoc ipſo capite nuper audiuimus. Si quando verò cum arboribus confertur, quæ diuturnæ ſunt, quia fortiorem habent truncum, & altioribus nituntur radicibus, illis in ea comparatione detrahitur, à quo firmitatis aliquid, & roboris habere potuerunt. Vt *Sapient. 4. Spuria vitulamina non agent radices altas, neque ſtabile firmamentum collocabunt. Iob 15. Non ditabitur, nec perſeuerabit ſubſtantia eius, nec mittet in terram radicem ſuam.* Quare impius, qui ad cedrorum vſque proceritatem excreuiſſe videbatur, quia firmitatis aberat cauſa, repentè viſus eſt concidiſſe. *Pſalm. 36. Vidi impium ſuperexaltatum, & eleuatum ſicut cedros Libani; tranſiui, & non eſt inuentus locus eius.* Quare vſus hîc Dominus eadem figura, vt oſtendat quam ſit Iudicum & Regum potentia, ac gloria futilis, & fugax; ait eſſe arborem, aut ramum aridum, qui tam abeſt, vt à terræ complexu aliquid habeat diuturnitatis, ac roboris, vt neque plantatus ſit, aut ſatus, quémque leuiſſimus flatus eradicetur poſſit, & in quamcumque partem impellere. Hîc verò, vt alibi à nobis obſeruatum eſt, ſæpe nota ſimilitudinis omittitur, hoc ſenſu. Erunt iudices, & principes terræ inſtar arboris non plantatæ, & cuius ſtipes radices non egit. Quæ deſcriptio eſt arboris, ſeu rami, qui auulſus eſt, quorum illa, quia à terra, hic, quia à trunco nullum trahit ſuccum, areſcunt ſtatim, atque ſoluuntur. Talis eſt humanæ gloriæ non tam verus, quàm fucatus, & alienus

& alienus nitor, quem Domini flatus adimit, rapitque non aliter, atque ventus leuiſſimam ſtipulā.

75. ¶ ¶ *Et cui aſſimilaſtis me, & adæquaſtis, dicit Sanctus?*] Talis fuit ſtultorum hominum ſtupor, atque væſania, vt diuinos honores detulerint rerum fœdiſſimarum monſtris, de quibus ſuprà *cap.* 2. Sed & principes viros Deorum loco habitos docent omnium penè Gentium hiſtoriæ. De Perſis ſatis eſt exploratum, cùm palam diuina quædam ſigna geſtare ſint ſoliti, vt in corona radios, & ante ſe, quocumque pergerent, lampades, aut ignem, de quo pluribus ad illud *Act.* 7. *Sydus Dei veſtri Remphan*. De Chaldæis exemplo eſt Nabuchodonoſor, qui auream erexit ſtatuam, in qua ſibi religioſum cultum depoſcebat, vt putat Hieronymus, & Theodoretus. Et ſicut diximus *cap.* 13. ad illud *Quomodo cecidiſti Lucifer*, idem etiam tentauit Balthaſar illius nepos. Philoſtratus de vita Apollonij *cap.* 19. eam dicit fuiſſe apud Babylonios conſuetudinem, vt neminem admitteret Satrapa, qui portæ præerat, ex peregrinis, niſi priùs auream Regis ſtatuam adoraret. De Romanis Imperatoribus nemo neſcit, quibus à timido, ſiue aſſentatore populo datum eſt, & *Dius* nomen, & aræ religio. Quod etiam in orbe noſtra ætate ab Hiſpanis aperto factum, ex litteris eorũ, qui ex Societate Ieſu, ibi commorantur, accepimus. Et vt omittam alios, qui apud Iaponios *Chamus* appellantur, & pro diis coluntur, in illis quondam inſulis dominati ſunt. Norunt hæc qui mediocriter in humana eruditione verſati ſunt. Cùm ergo illi omnes, qui dij videri voluerunt, ita perierint ſicut inutilis ramus ab arbore abſciſſus, neque quicquam ſuperſit niſi flagitioſæ vitæ turpis memoria, iure queritur Deus quòd à ſtolidis hominibus Reges diuinos honores nacti ſint, & quòd Deo vero ſimiles eſſe exiſtimentur.

76. *Cælorum ſpecies.* ¶ ¶ *Leuate in excelſum oculos veſtros, & videte quis creauit hæc.*] Si modò hominibus aliquid eſſet mentis, ſatis eſſe debuit ſpecioſiſſima cœli facies, & ratus, atque perpetuus aſtrorum ordo, vt homines ſibi perſuaderent aliquid eſſe Deum ſupra Regum, & principum maieſtatem. Iubet ergo Deus, vt homines cœlum intueantur, eiuſque auctorem, & opificem Deum agnoſcant. Illud *hæc* cœlos deſignat, vt ex ſequentibus liquet: & ſuadet illud, *leuate in excelſum oculos*. Ex cœlis à ſe ipſo creatis probat Dominus, ab eis, qui putantur dij, quicumque illi ſint, longè abeſſe debere diuinum nomen. Nam cœli, qui à Deo vero creati ſunt, ante illos fuerunt, quia cœlorum originem nemo dicet, certè nouit nemo niſi reuelante Domino; at Deorum, & tempus, & locum, vbi, & quando nati fuerint, ipſi quoque eorum cultores prodiderunt.

77. ¶ ¶ *Qui educit in numero militiam eorum*] Notum eſt militiam cœlorum dici illorum ornatum, & ignearum lampadum ſplendorem: Hebr. צבא *tſaba, militiam* ſonat, & *ornamentum*. Oſtenditur autem hìc prouidentia diuina, quæ aſtra ſic in cœlo diſpoſuit, & eo ordine oriri, atque occidere fecit, qui rebus humanis conſeruandis, augendiſque magis eſt opportunus. Sic enim aſtra in firmamento locauit, ſic aliis orbibus errantes ſtellas ordinatè diſtribuit, vt afferant rebus gratas viciſſitudines, ſeruéntque perpetuò admirabilem in ſua varietate conſtantiam. Adhibet autem metaphoram Imperatoris, qui pro rerum opportunitate, nunc has, nunc illas legiones in aciem educit. *In numero* idem valet, atque ex eo numero, ſiue ex illa cœleſti militia nullum aſtrum Imperatoris ſui mandatum detrectare: ſeu certè in *numero* ſignificatur ſtellarum ordo, qui non ad vſum tantùm, ſed etiam ad ornatum, & ſpeciem dimenſus eſt; qui in acie ex arte militariter inſtructa vſque adeò pulcher eſt vt Balaam *Num. cap.* 24. *verſ.* 5. cum rebus natura pulcherrimis compoſuerit. *Quam pulchra tabernacula tua, Iacob, & tentoria tua, Iſrael, vt valles nemoroſæ, vt horti iuxta fluuios irrigui: quaſi cedri prope aquas. Numerum* autem pro venuſtate, quæ ex rerum diuerſarum apta collocatione naſcitur, ſumi notum eſt. Vnde in vocum concentu, & in ſaltatoris motibus, & in rebus aptè, & eleganter diſpoſitis numerus eſſe dicitur.

78. ¶ ¶ *Et omnes ex nomine vocat.*] Hìc duo video diuinæ naturæ ſigna, atque præconia: alterum eſt, rerum etiam maximè occultarum vim, & naturam exploratam eſſe Deo, quando omnibus aſtris in tanta multitudine, ac varietate nomen impoſuit accommodatum, nempe cuiuſque virtuti, quod ſanè fieri nullo poſſet modo, niſi diſtinctè, & planè cuiuſuis natura, influxus, & efficacitas eſſent perſpecta. Ex qua nominum non admodum diſſimili impoſitione colligunt communiter Patres magnam in Adamo fuiſſe ſapientiam. Hoc idem dixerat antè Dauid *Pſal.* 146. *Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat.*

79. *Nominum impoſitio ſuperioris poteſtatis eſt.* Alterum eſt, omnia ſic eſſe ſubiecta Deo, vt ipſius neque tardè, neque grauatè imperium ſubeant; id enim eſt omnes cœlos, & eorum militiam ſuis vocata nominibus in numero educi. Porrò nomen alicui imponere, ſuperioris poteſtatis eſt, vt de Adamo, qui rebus indidit nomina, cenſent communiter Doctores. Neque exempla deſunt in Scriptura. Nam Pharao Ioſepho nomen impoſuit nouum, quod Ægyptia lingua *ſaluatorem* ſonat, *Geneſ.* 41. Quod item cum tribus pueris fecit Nabuchodonoſor *Dan. cap.* 1. ſed vocare aliquem nomine ſuo, aliud altioris prouidentiæ ſignum oſtendit. Nam ſicut diligentis, ac prouidi patrisfamilias commendatur prouidentia, ſi ſingulatim omnium ſeruulorum nomen, naturam, vireſque cognoſcat, & attemperatè ad illorum valetudinem & ingenium, & operam iniungat, & de victu prouideat: Sic etiam Dei multò magis prouidentia cognoſcitur, qui ſingulorum nomen, atque naturam penitus cognoſcit, & variis rerum miniſteriis alligat, & attemperat. Hanc prouidentiam, & curam in optimo paſtore expreſſit Chriſtus *Ioan. cap.* 10. *Proprias oues vocat nominatim, & adducit eas.* Videtur autem alluſum ad paſtoris officium in hoc Iſaiæ loco: quia eadem propè ſunt verba, tam apud Ioannem, cùm agit de paſtore bono, quàm apud Iſaiam, qui agit de conditore, ac gubernatore rerum. Vt enim paſtor facilè ſuo arbitratu ouillum pecus educit ad paſcua, & reducit ad ſepta, ſic diuino imperio creata omnia (rationalem excipio naturam, quæ iugum aliquando detrectat) facilè, atque libenter obſequuntur. Siue etiam ad munus imperatoris, qui quas habet ſub ſignis acies explicat, educitque ad vitæ quoque periculum non repugnantes. Et hoc extremum magis perſuadet militiæ nomen. Et ſanè pulcherrimo ordine inſtructam ſtellarum aciem Deus quotidie educere videtur. Quæ acies fortaſſe dicitur Dei *Num.* 24. cui à Balaam comparata ſunt tabernacula Iſrael. *Quàm pulchra tabernacula Iacob, &c. vt tabernacula, quæ fixit Deus.*

80. ¶ ¶ *Præ multitudine fortitudinis, & roboris, virtutiſque eius, neque vnum reliquum fuit.*] Obſcurum eſt an

eſt an fortitudò, robur, virtúſque ſtellarum ſint,an Dei: Si ſtellarum eſſe putea, duplex eſt ſententia, aut quòd Deus, pro ſtellarum virtute, illas educat ad rerum humanarum ſuauem, & efficacem adminiſtrationem, aut certè eam eſſe virturem, & robur a Deo ſingulis ſtellarum impertitum, vt nulla in ſuo munere obeundo deficiat. Sed eſt communis interpretom ſententia, & meo iudicio vera, fortitudinem,ac virtutem eſſe Dei: qua ſtellas omnes,& earum orbes ſic premit,ac moderatur imperio, vt illorum nihil eius voluntati non pareat.

81. x x *Quare dicis Iacob, & loqueris Iſrael, Abſcondita eſt via mea à Domino: & à Deo meo iudicium meum tranſiuit.*] Suprà *cap.29.verſ.15.* hoc idem obiecerat Propheta Iudæis,quòd exiſtimarent diuinis oculis occulta eſſe non ſolùm cordis arcana, ſed externa etiam opera, de quo errore plura ibi. Ex ea cogitatione planè ſtolida, atque inſana, orta eſt hæc Iſraeliticæ gentis querimonia:quæ cùm iactari ſe ab hoſte videat, & in exilio longo, atque moleſto inueteraſcere, de Deo ita cogitat, quaſi ipſi rationes hominom abſconditæ ſint: aut nihil habeat penſi, hoc ne, an illo modo hominum iudicia tractentur. Horum ergo cogitationi occurrit Propheta,dum dicit, res omnes creatas à Deo,eius voluntati ſic eſſe illigatas,vt datum ſibi penſum, & munus ex eius præſcripto alacriter, & conſtanter obeant:Quare non eſſe eur in illam cogitationem veniant, vt exiſtiment homana hæc temere, atque fortuitò ferri,aut non curare Deum, quid iuſtè & muneratione dignum,quid ſecus, & debito ſupplicio puniendum fiat.

82. Illud *tranſiuit* ſignificare poteſt, aut Deum abiecisse à ſe, & ad aliud quaſi tribunal, aut curam Iudæorum iudicium tranſtuliſſe, quaſi iam patronus,& cuſtos illius populi eſſe deſierit, aut, quod potiùs arbitror, idem eſt, quod apud Latinos *præteriuit*,quo ſenſu dicimus *hoc præterit me*,id eſt,ego iſta non aſſequor, vt ſit ſententia hæc bis repetita. *Abſcondita eſt via mea à Domino,& iudicium meum Dominum præteriuit,ſeu latuit.* Eſt autem *iudicium* idem quod cauſa, aut quod alicoi accidit, maximè ſi aduerſum eſt. *Eccl.cap.38.verſ.23. Memor eſto iudicij mei, ſic enim erit & tuum: mihi heri, tibi hodie;* id eſt,quod mihi heri, tibi accidet hodie. Dicebat ergo Iacob iuxta prædicta Deum aut neſcire aut non curare,quid ſibi acciderit.

83. y y *Deus ſempiternus Dominus, qui creauit terminos terræ,non deficiet, neque laborabit, neque eſt inueſtigatio ſapientiæ eius.*] Suſpicari poſſet ſtolidus populus Deum olim habuiſſe quidem fortitudinem, & robur;quod ex domitis gentibus, quæ rem Iſraeliticam turbauerant, ediſcere potuerunt;nunc verò,vt in humanis contingere videmus, virtutem illam antea robuſtam iam tandem poſt tot ſæcula conſenuiſſe, aut ipſam vel puniendis hoſtibus, vel ornandis amicis fuiſſe defeſſam. Illa igitur propheta ſtolidam hanc cogitationem eripere contendit. Quare oſtendit Deum eſſe ſempiternum, atque adeò ſi aliquo tempore cognitus eſt eſſe robuſtus,ac potens,neceſſariò illi potentiam, neque exhauriri, neque debilitari poſſe, cùm ſempiterna mora,quæ quemlibet temporis articulum anteceſſit,multò antè conſumptura fuerit virtutem illam, atque potentiam.Cùm igitur laſſanda ſit nunquam virtus Dei, neque ſapientia prætcrea deſit, cuius non eſt inueſtigatio vlla, ſtultè cogitat, qui putat humana conſilia latere poſſe diuinam ſapientiam, aut inopum cauſam hominum calliditate, diuinæ prouidentiæ atque iudicio ſubtrahi, aut vllo artificio peruerti poſſe.

z z *Qui dat laſſo virtutem, & his, qui non ſunt, fortitudinem.*] Quomodo ille laborabit, aut langueſcet vnquam, qui languenti, ac laſſo animum, ac vires integrat? Imò & illi,qui non fuit,aut ſimpliciter quia ex nihilo creatus, aut fortis vllo tempore,fortitudinem præſtat?Vnde Iudæos admonet, vt à Deo ſperent,quæ alij ab eo cumulatè capiunt, robur videlicet, & ſpiritum ad ardua viuidum, & acrem.Hîc nota verba iſta fuiſſe olim, & eſſe nunc Hebræis valde familiaria, quæ in librorum fine adhiberi ſoleot pro coronide, ſicut nos *explicit, laus Deo*,& ſimilia;redacta tamen in compendium ſoo more, id eſt, primis literis ſingularum vocum in vnam quaſi dictionem coëuntibus,hoc modo בנלב ואעי id eſt, *Benedictus, qui dat laſſo virtutem: & ei, cui non ſunt vires,robur multiplicat.* De hac ſententia hoc modo contracta agunt quotquot agunt de Hebræorum compendiis,qui multi ſunt. 84.

Spes in Deo firma.

a a a *Deficient pueri, & laborabunt; & iuuenes in infirmitate cadent.*] Oſtendit quanto potentior ſit ſpes in Domino collocata, quàm naturæ via, aut vlla quæuis hominum ſolertia. Laborabunt enim, frangentúrque pueri, ac iuuenes,licèt hi firma ſint ætate,atque robuſta, & illis ad firmitatem, & robur quotidie ætas adoleſcat. At qui vires ac ſpiritum ſperant à Domino,languidi alioquin, & debiles,confirmabuntur quotidie magis,& in ſenili, aut infantili corpore vires alent, & ſpiritus pluſquam iuueniles. Dixit idem in materia diſſimili Dauid *Pſal.33.* oſtenditque pauperibus defuturum nihil, ſi modò in Domino ſperent, amplificátque ſpem à diuitum & potentū egeſtate, & fame; ſicut nunc à robuſtorum infirmitate infirmorum commendat, & amplificat robur. *Diuites eguerunt & eſurierunt, inquirentes autem Dominum non deficient omni bono.* 85.

Deus ſperantibus in ſe robur addet.

b b b *Qui autem ſperant in Domino,mutabunt fortitudinem.*] Hîc ſe magis prodit propoſita ſententia de illorum firmitate,ac robore, qui in Domino confidunt.Vbi vulgatus *mutabunt* Hebr. eſt יחליפו *iachaliphu*,quod plerumque ſignificat *innouare, inſtaurare*, ſiue *integrare*. Quare mutatio ſemper eſt ad meliorem, ſeu commodiorem formam. Exempla hæc pauca ex multis accipe. *Iob cap 14. Lignum habet ſpem,ſi præciſum fuerit, rurſus vireſcet.* Et *cap. 29. Gloria mea ſemper innouabitur, & arcus meus in manu mea inſtaurabitur.* *Iſaiæ cap.9. Sycomoros ſucciderunt, ſed cedros immutabimus*, vtique in magis aptam nobilémque materiam. In his omnibus locis pro, *vireſcet, inſtaurabitur, immutabimus*, Hebr. eſt חלף. ſic hoc loco *mutare fortitudinem*, eſt, *integrare,renouare.* Quod contingit illis, qui fractia viribus, ac deficiente ſpiritu præ laſſitudine, ac debilitate,ad ſe rurſus quaſi ex deſperatione redeunt. 86.

c c c *Aſſument pennas ſicut aquilæ, current, & non laborabunt:ambulabunt,& non deficient.*] Hebr. pro *aſſument* יעלו *iahhalu*, id eſt, *aſcendere facient*, ſeu quod idem eſt *pullulare facient ſibi pennas, ſicut Aquilæ*, ſupple, ſolent: nam illud *Aquilæ* in numero plurali eſt. Hæ verò renaſcentibus nouis, & veteribus excuſſis pennis iuuenilem ſpeciem, & velocitatem aſſumunt. Sic planè fiet his, qui à Domino toti, atque omnino pendent; quibus vbi ab ætate, atque ſolertia nullum occurrit languoris ſiue laſſitudinis leuamentum, à Domino paratæ ſunt aquilinæ pennæ,ac velocitas,quibus immenſa locorum ſpatia volatu ſemper integro,ac vegeto percurrunt. 87.

Hierony

88. Hieronymus hæc ad futura bona, quæ beatis parata ſunt, referri putat: nam illis ita fortitudo mutabitur, vt qui laſſo fuerant, & tardo corpore obnoxio morbis, & innumeris aliis locorum, ætatum, & temporum iniuriis, iam neque laſſari labore, neque tentari morbo, aut dolora affici, aut aliquam aliam ægritudinem, aut moleſtiam ſubire poſſint. Sunt quidem hæc vera, & cum Hieronymo ſentiunt Haymo, Procopius, & alij, & in his Auguſt. *Epiſtola 39. ad Iſichium*, & Hilarius *in Pſal. 138. Si ſumpſero pennas meas diluculo.* Sed plerique alij, & in his S. Thom. & Cyrillus cenſent, hæc intelligenda de his, qui adhuc viuunt in natura mortali, qui ita animati à Deo fortes, atque alacres ſunt, atque ſi aquilinis plumis, atque oculis eſſent inſtructi.

89. Chaldæus exponit, *ſuper alas aquilarum current.* Cuius tranſlationis duplex eſt ſenſus. Alter quòd aquilis erunt velociores: quod de Saul, & Ionatha dixit Dauid 2. *Reg. cap.* 1. & Ieremias *cap.* 4. *& cap.* 48. & iterum *Threno.* 4. Nam aquilarum in volando celeritas locum videtur feciſſe prouerbio; Alter, vt hic, qui ſperat in Domino ſine vllo labore, ac laſſitudine, incredibili celeritate magnos locorum tractus peruaſurus ſit, non ſecus, ac ſi placidè, ac molliter aquilinis alis inſideret, alieno vectus labore atque volatu, vt de Ganymede fabulantur poetæ, & de cinoniis ætate gruibus: quorum ille aquilæ, hæ filiorum pennis portari dicuntur. Cui ſententiæ fauet quod ſtatim additur. *Current, & non laborabunt*; Et quòd eadem allegoria vſus eſt Moyſes, cùm Hebræorum populum eo modo à Deo geſtarum eſſe tradit, ſicut pulli infirmi in aquilarum alis. *Sicut aquila prouocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans, expandit alas ſuas, & aſſumpſit eum, atque portauit in humeris ſuis.* Sed quia laſſitudo, & languor anteceſſerat, qualis eſſe ſolet in aquilis ſenio debilibus: & vigor deinde qualis aduenire ſolet iuueneſcenti aquilæ, & cō communiter auctores incumbūt, ideo priorem ſententiam magis amplector.

90. *Aquila quomodo renouetur.* Porrò renouari aquilam ab his incommodis, quæ ſenilis inducit ætas, non ſolùm externorum, ſed etiam ſacrorum ſcriptorum teſtimonio conſtat. Duo affert incommoda ſenectus aquilino generi, alterum quòd roſtrum ſuperius ita creſcat, incuruetúrque, vt immodica aduncitate alterum roſtrum inferius adeò premat, & arceat, vt nulla data oris aperiendi facultate inedia pereat. Vnde ortum eſt prouerbium, *Aquila ſenectus.* quod in ſenes bibaces iactari ſolet, qui vino quod *ſenile* dicitur *lac*, alantur magis, quàm cibo: in aquilarum modum, quæ in ſenectute potu magis ſuſtentantur, quàm eſca,

A quam clauſo ore aduncitate roſtri, quod durum eſt, & craſſum, carpere atque conficere non poteſt. Ita Plinius *lib.* 10. *cap.* 3. vbi aquilam perire dicit non ſenio ſed fame. Et Ariſt. *de natura animalium lib. 9. cap* 32. Auicenna teſte Rhodigino *lib.* 13. *cap.* 20. Sed huic impedimento occurrit admirabili naturæ ſolertia, vt tradit Auguſt. in illud *Pſal.* 120. *Renouabitur vt aquila iuuentus tua.* Sic enim ibi. *Dicitur aquila collidere, & percutere ad petram ipſum quaſi labium ſuum ſuperius, quo nimis creſcente edendi aditus clauditur; atque ita conterendo illud ad petram excutit, & caret prioris roſtri onere, quo cibus impediebatur. Accedit ad cibum, & omnia reparantur: erit poſt ſenectutem quaſi iuuenis aquila.* Hæc B Auguſtinus, quem omnino lege, quia ibi latè, & elegātet ſimilitudinem proſequitur, & accōmodat.

Alterum incommodum eſt, quia graui iam ſenecta aquilæ deplumes fiunt, ſqualentes, & horridæ, & plurimùm à Regia maieſtate degeneres: Docuit tamen ſolers natura, quomodo reuocato ornatu, atque ſubſidio pennarum, amiſſum quodammodo iuuentutis florem reuocarent. De aquilarum ſpoliatione à plumarum veſtitu intelligitur illud *Michææ* 1. *Dilata caluitium tuum ſicut aquila.* Vide ibi Hieronymum, & in hunc locum: & interpretes in illud *Pſal.* 102. *Renouabitur, vt aquila:* &c. Quem locum cùm retuliſſet Ambroſius *Serm.* 54. ait. *Quæ auis aſſidua commutatione habitus ſui, longam ducere fertur ætatem: & vetuſtis iam ſateſcentibus plumis noua pennarum mutatione iuueneſcere: ita* C *vt depoſitis antiquitatis exuuiis redintua indumentorū natiuitate ſe veſtiat.* Quomodo verò ſibi de pennarum veſtitu, atque ſubſidio prouideat, docet Hieronymus *Epiſtola* 29. *ad Deſiderium de cereo paſchali, tomo* 9. *& in regula monachorum, titulo de laude religionis, & inductione ad eam.* Vtrobique ſic iiſdem omnino verbis. *Aquila vbi conſenuerit, grauantur pennæ: quærit illa fontem, erigitque pennas, calorem in ſe colligit, eo modo ſanantur oculi: in fontem ſe ter mergit, atque ad iuuentutem redit.* Vbi indicat Hieronymus non ſolùm aquilam plumarum defluxu, ſed etiam oculorum caligine laborare Quibus incommodis medetur, & calore volando concepto, & D trina merſione. Hebræi ſuo more nogātur de aquilarum ſenecta renouata. Aiunt enim aquilam decimo quoque anno vſque ad centeſimum ad elementarem vſque ignem aſcendere; in qua vehementi quodam calore concepto, ſtatim ad mare ſe ſe demittere, atque ibi nouis ſucceſcentibus pennis iuueneſcere; cùm tamen centennaria præ ſenio è marinis aquis euolare non poſſit, ibi tandem deficere. Sic Hebræi de aquilarum ſenectute, atque interitu. Fides penes ipſos ſit.

91. Michææ 1.

Argumentum quadrageſimi primi capitis Iſaiæ.

CVM Deus in fine capitis oſtendiſſet, quid à ſua benignitate ſperare poſſint, qui in ipſo confidunt, nunc Gentes quas inanium Deorum fallax imbuit religio, ad iudicium vocat, vt Deorum ſuorum patrocinium ſuſcipiant. Et duo proponit quaſi examina, quibus explorari poſſit, & cognoſci diuinitas: Nempe futurorum antè prædictio, quæ verus, & certus euentus confirmauerit: Et quòd aliquid etiam tunc præſens prænunciet, cuius erit certus, & exploratus exitus. Hoc ſe præſtitiſſe dicit ad finem capitis: quia in principio pollicitus Sioni felicem ſuorum reditum, & illius euangeliſtas, id eſt, præcones læti nuncij iam iam futuros eſſe promittit. Illud, quia quæcumque promiſit Abrahamo, & eius poſteris, omnia ad vnum cumulatiſſimè præſtitit. Cùm Gentes quid ad hæc reſponderent, nihil haberent opportunum, Deorum ſuorum cauſæ alio conſilio, atque artificio cauent. Quò enim rei omnino futili, aliquid adderent firmitatis, omni ſtudio, atque opera eò incumbunt, vt ſimulacra glutino, ac clauis ita ſolidentur, vt nèque labaſcant, neque diſſoluantur. Deinde propoſita horum Deorum inanitate, populum ſibi electum hortatur, & excitat, vt bono ſit animo, cui ab hoſte victoriam, & rerum omnium abundantiam promittit.

CAPVT XLI.

1 [a] *TAceant ad me inſulæ, & gentes mutent fortitudinem: [b] Accedant, & tunc loquantur, ſimul ad iudicium propinquemus.*

2 [c] [d] *Quis ſuſcitauit ab Oriente iuſtum, vocauit eum, vt ſequeretur ſe? [e] [f] Dabit in conſpectu eius Gentes, & reges obtinebit: [g] Dabit quaſi puluerem gladio eius, ſicut ſtipulam vento raptam arcui eius.*

3 [h] *Perſequetur eos, tranſibit in pace, [i] ſemita in pedibus eius non apparebit.*

4 [k] *Quis hæc operatus eſt & fecit, vocans generationes ab exordio? [l] Ego Dominus, primus & nouiſſimus ego ſum.*

5 [m] *Viderunt inſulæ, & timuerunt, extrema terræ obſtupuerunt, & appropinquauerunt,*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 OSTENDI quid à me ſperare poſſint, qui me colunt, ſuámque ſalutem meæ fidei, atque tutelæ permittunt. Nunc Gentes oſtendant an aliquid ſimile à Diis, quos venerantur, aut acceperint antea, aut in poſterum accepturæ videantur. Accedant ergo, & cum ſilentio audiant, quæ pro me, & contra ipſarum Deos dicere inſtituo. Pòſt verò vires aſſumant, & ſpiritus audaces, & liberos, & Deorum ſuorum cauſam quanta poterunt contentione diſceptent. Ad iudicium itaque res tota deducatur.

2 Quis Abrahamum iuſtum ex Meſopotamia, quæ ad Orientem ſpectat, euocauit, edixitque, vt ſe antecedentem ſequeretur? Quis ante conſpectum eius Gentes proſtrauit, fecitque, vt de Regibus illuſtrem obtineret victoriam? Quis Reges & Gentes gladio illius debellandas tradidit, ſicut puluerem à vento raptum; & arcui eius confringendas, perdendáſque propoſuit, ea facilitate, qua ſtipula rapitur, aut iactatur à vento?

3 Perſecutus eſt Gentes illas, & Reges ſecũdo præliorum ſucceſſu. Quacumque pergeret, omnia illi contingebant proſpera, atque pacifica. Via verò ſic erat mollis, & expedita, vt in calceamentis ſemper recentibus, non apparuerit vllum peractæ viæ ſignum, & argumentum.

4 Quis talia operatus eſt? ille nimirum, qui ab exordio electi ſibi populi, id eſt, ab Abrahamo generationes ab eo propagatas vocauit, quas ſuum ſibi populum eſſe voluit. Ego ſum, ego, inquam, ante quem nullus fuit, neque pòſt vllus erit.

5 Hæc Deus ad Gentes quas aduocarat, vt Deorum ſuorum patrocinium ſuſciperent: quæ cùm

cùm audiiſſent talia à Deo veto eſſe collata, etiam quæ ad extremum terræ ſeceſſerant, cùm parta de Diis quos ipſæ coluerant adducere non poſſent, timuerunt. Acceſſerunt tamen ad illud iudicium, ad quod vocatæ fuerant, vt Deorum ſuorum cauſam tuetentur.

nerunt, & acceſſerunt.

6 Cùm vetbis Gentes Deotum cauſam tueri non poſſent, aut oſtendere in eis aliquid eſſe perpetuum, & conſtans, re ipſum, atque aliqua ſolettia probare contendent. Quare ad ſimulacrorum fabricam mutuò ſe cohortabuntur artifices, & alter alteri quam poterit ſtudioſè mutuam præſtabit operam.

6 [n] *Vnuſquiſque proximo ſuo auxiliabitur, & fratri ſuo dicet; Confortare.*

7 Faber ærarius, qui malleo vtitur, & incude, illum, quem ad fabrile illud opus adminiſtrum habet, acuet; & eò vſque perducetur opus, vt partes ſingulæ ſic elaboratæ, atque perfectæ ſint; vt concinnari inter ſe, atque adglutinari poſſint. Poſtquam verò ex ferramentis, atque arte id habent ſimulacra, ne partes illæ ferruminatæ diſſoluantur, rurſus ne ex æde labaſcant ſua, clauis ad parietem reuinciuntur.

7 [o] *Confortauit faber ærarius percutiens malleo eum, qui cudebat tunc temporis, dicens: Glutino [p] bonum eſt: [q] & confortauit eum clauis, vt non moueatur.*

8. 9. 10 Tu verò Iſtael ſerue mi, Iacob quem ex multis populis vnum elegi, Abrahami amici mei legitima ſoboles, quã ab extremis tertæ finibus euocaui, cui dixi, Tu mihi ſeruus es, elegi te, neque abieci, ac repudiaui: cùm non Deum è ligno, aut marmore, formatum, ſed viuum, & verum colas, noli timère. Tecum enim ſum, neque à data mihi fide ad Idolorum nefarium cultum declines: quia Deus ego tibi ſum, Deus, inquam, ille, qui tibi robur, atque ſubſidium præbui. Qui in Abrahamo iuſto meo, & tui generis autore ſuſcepi te, quia in eo, tanquam in ſtirpe propago, continebaris.

8. 9. 10 [r] *Et tu Iſrael ſerue meus, Iacob quem elegi; ſemen Abraham amici mei; [s] in quo apprehendi te, ab extremis terræ, & à longinquis eius vocaui te, [t] & dixi tibi; Seruus meus es tu, elegi te, & non abieci te. Ne timeas, quia ego tecum ſum: ne declines, quia ego Deus tuus: [v] Confortaui te, & auxiliatus ſum tibi, & ſuſcepi te dextera iuſti mei.*

11 Me patrono, ac vindice, ô Iſrael, non eſt cur ab hoſte, aut vexatore tuo aliquid metuas. Erubeſcent enim malè mulctati; qui arma ſumpſerunt contra te; peribunt & in nihilum vaneſcent omnes, qui tuis ſe conſiliis, & commodis oppoſuere.

11 [x] *Ecce confundentur, & erubeſcent omnes, qui pugnant aduerſum te: Erunt quaſi non ſint, & peribunt viri qui contradicunt tibi. Quæres eos, & non inuenies, viros rebelles tuos: erunt quaſi non ſint; [y] & veluti conſumptio homines bellantes aduerſum te.*

12 Ego enim Dominus Deus tuus, qui prehenſa manu dux tibi ſum, & adiutor; ego ſum à quo verbum hoc fidele, ac beneuolum audis: Ne timeas, quoniam ego tibi patronus atque protector adero, ſicut antè parentibus.

12 *Quia ego Dominus Deus tuus apprehendens manum tuam, dicénſque tibi: Ne timeas, ego adiuui te.*

13 Bono animo, atque ſecuro eſto Iacob, qui eo loco habitus es, quo vermiculus ſolet, in quo nihil eſt quod quiſquam aut amet, aut metuat. Neque vos qui genus ducitis ex Iſrael, animum abiicite, licèt in ærumnoſo exilio in mortuis numerari poſſitis Ego enim adero tibi, dicit Dominus, ego redimam, ego, inquam, quem ſanctum habuit, & coluit Iſrael.

13 [z] *Noli timere vermis Iacob, qui mortui eſtis ex Iſrael: Ego auxiliatus ſum tibi, dicit Dominus: & redemptor tuus ſanctus Iſrael.*

14 Vermiculum te iudicabunt alij, aut frigidum, & deforme cadauer. Ego verò ſimilem te faciam plauſtro, cui inſtructæ ſunt ſilice dentatæ rotæ, qui ſublimes principum, & arrogantes ſpi-

14 [a a] *Ego poſui te quaſi plauſtrum triturans nouum, habens roſtra ſerrantia: Triturabis montes, & comminues: & colles quaſi puluerem pones.*

ritus, qui montium inſtar ſunt, ita concides, atque proſternes, ſicut in area leues teruntur, atque comminuuntur ſtipulæ; & qui excelſi videbantur colles, in tenuiſſimi pulueris ſpeciem redacti in nihilum vaneſcent.

15 *Ventilabis eos, & ventus tollet, & turbo diſperget eos, & tu exultabis in Domino, in ſancto Iſrael lætaberis.*

15 Iactabis eos perinde, atque ſi quis ventilet leuiſſimam paleam; quam ventus diſſipat, & turbo diſpergit. Tu verò re ex voto, atque ex vſu tuo peracta, vero, ac ſolido lætaberis gaudio; Deóque Iſrael ſecundum rerum euentum gratus adſcribes.

16 [bb] *Egeni, & pauperes quærunt aquas, & non ſunt: lingua eorum ſiti aruit. Ego Dominus exaudiam eos, Deus Iſrael non derelinquam eos.*

16 Si egeni, & pauperes, qui meæ ſe tutelæ permiſeruot, ſiti laborauerint, ita vt arida liogua hæreat palato; oeque ad ſedandam ſitim aquam inueoeriot: Ego illorum Dominus eos non derelioquam, ſed de potu illis abundè prouidebo.

17 [cc] *Aperiam in ſupinis collibus flumina, & in medio camporum fontes. Ponam deſertum in ſtagna aquarum, & terram inuiam in riuos aquarum.*

17 Nam ſicut aotiquis olim largas io ſiti aquas largitus ſum, priùs in montibus ſaxo percuſſo, iterum in campis effoſſo puteo; ſic, cùm eorum poſteris aqua defecerit, aperiam in montibus excelſis flumina; & io arenti campo fontes aquarum. Tuoc verò ſitientem ſolitudioem ſtagnabunt aquæ, & inuia propter aquarum defectum regio riuis latè flueotibus abundabit.

18 [dd] *Dabo in ſolitudinem cedrum, & ſpinam, & myrtum,* [ee] *& lignum oliuæ: ponam in deſerto abietem, vlmum, & buxum ſimul:*

18 Cùm autem in meos tam ſim liberalis, & humanus, vt deſertum locum arentem, & horridum, in quem illos incurrere contigerit, vberem faciam, & vt pulcherrimarum arborum amœnitate veſtiam; puta buxi, abietis, & vlmi; io eorum tamen hoſtes ſic afficiar ſeuerè, vt loca cedro, ſpina, oliua, & myrto perperuò vernaotia, in ſquallidam, arentémque ſolitudinem conuertam.

19 [ff] *Vt videant, & ſciant, & recogitent, & intelligant pariter quia manus Domini fecit hoc, & ſanctus Iſrael creauit illud.*

19 Ex hac rerum viciſſitudine, tam qui à mea beneuolentia ornati, quàm qui ab offenſione meâ ſpoliati ſunt, videbunt, cogitabunt, & apertè cognoſcent hæc tam diſſimilia, ac varia ex Dei Iſrael conſilio, atque potentia fuiſſe profecta.

20 [gg] *Propè facite iudicium veſtrum, dicit Dominus: afferte, ſi quid fortè habetis, dixit rex Iacob.*

20 Hæc vobis oſtendo ſigna diuinitatis meæ. Nunc vos, ô Geotes, dicit Dominus, ad iudicium venite: afferte, dicit Deus Iacob, ſi quid haberis quod Deorum veſtrorum cauſæ patrocinari poſſit.

21 [hh] *Accedant, & nuncient nobis quæcumque ventura ſunt:* [ii] *priora quæ fuerunt nunciate, & ponemus cor noſtrum, & ſciemus nouiſſima eorum; & quæ ventura ſunt, indicate nobis.*

21 Adſint Dij veſtri, & edant vera rerum futurarum oracula: Oſtendite, ô Gentes, quæ prioribus ſæculis veſtri prædixerunt Dij: & expectabîmus, quamnam fidem, atque ſucceſſum habitura ſint. Quare iodicate iam nobis hîc coràm, quidnam ex eorum reſponſis, & oraculis euenturum puteris.

22 [kk] *Annunciate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quia dij eſtis vos.* [ll] *Bene quoque, aut malè, ſi poteſtis, facite: & loquamur, & videamus ſimul.*

22 Annuntiate quæ in futurum contingent, ô vana, & muta Gentium ſimulacra; & ex eo cognoſcemus in vobis aliquid eſſe diuinum. Beneficos in homines, aut graues oſtendite: bene, vt volueritis, aut malefacire, & hoc ipſum coràm, & videamus, & examinemus.

23 [mm] *Ecce vos eſtis ex nihilo, & opus veſtrum ex eo, quod non eſt:* [nn] *Abominatio eſt qui elegit vos.*

23 Sed quid facere poteſtis, ô non tam dij quàm vanæ, atque iofelices vmbræ; cùm ſitis è nihilo, quia ex ea materia formati, quæ ex nihilo eſt,

24 [oo] [pp] *Suſci*

eſt, & à ſe ipſa proſus nihllum. Quare tam qui vos è ligno dolat, aut fingit è marmore, quàm qui veneratur,& colit,abominabiles ſunt.

24 Quæ autem ego in vobis diuinitatis argumenta poſtulo; de me ipſo iam pridem exhibui. Nam quòd ad præteritum attinet, ego Abrahamum, & in eo Gentem Iſſaelitidem, vt nuper audiiſtis, ab ea Orientalis plagæ parte euocaui, quæ ad Aquilonarem inclinat. Quæ cùm meum inuocaret nomen; auxilio meo confirmata Reges, & principes ita conculcauit, ſicut à plaſte ſubigi pedibus ſolet figularis argilla ad vaſa fingenda.

25 Quis hæc ab exordio multò antè quàm fierent futura prædixit, vt dicamus illum iuſtum, & fidelem? Ego ſanè fui. Sed nemo eſt veſtrûm, qui futura prædixerit, nemo qui de futuro rerum euentu veſtrum oraculum acceperit; atque adeò nemo, qui à mutis ſimulacris ſermonem audierit.

26 Hæc de præteritis. Quòd autem ad tempus pertinet futurum nuper audiſtis, quid ego Sioni pollicitus ſim. Dixi enim Hieroſolymæ, Ecce adſunt filij tui ab exilio reduces: Ecce nuncios mitto, qui tibi loquantur ad cor, & læta euangelizent.

27 Ad hæc interrogata nemo in deorum ſuorum cauſa reſpondit: neque conſilium quiſquam opportunum iniit.

28 Planè hi, qui à ſtultis hominibus pro diis coluntur, iniuſti ſunt, cùm pro aſſiduo, atque moleſto cultu nihil rependant boni; & opera eorum ab omni prorſus vtilitate vacua. Eorum autem muta, & ex materia futili ficta ſimulacra, fumus ſunt, ſeu veriùs, inanitas, & nihilum.

24 °° pp *Suſcitaui ab aquilone, & veniet ab ortu ſolis: qq vocabit nomen meum, & adducet magiſtratus, quaſi lutum, & velut plaſtes conculcans humum.*

25 rr *Quis annunciauit ab exordio vt ſciamus: & à principio, vt dicamus, Iuſtus es?* ſſ *Non eſt neque annuncians, neque prædicens, neque audiens ſermones veſtros.*

26 tt *Primus ad Sion dicet: Ecce adſum, & Ieruſalem Euangeliſtam dabo.*

27 vv *Et vidi, & non erat neque ex iſtis quiſquam qui iniret conſilium, & interrogatus reſponderet verbum.*

28 xx *Ecce omnes iniuſti, & vana opera eorum: ventus, & inane ſimulacra eorum.*

IN CAPVT QVADRAGESIMVM PRIMVM COMMENTARIVS.

1. CAPVT hoc valde impeditum eſt, &, quod in rebus obſcuris vſu plerumque euenit, variè ab interpretibus exponitur. Ego vt filum teneam, quod à capite præcedenti trahi poto, conabor quantum potero cum antecedentibus conſequentia contexere. Et primùm, vt appareat quæ iſtorum poſſit eſſe conſecutio reuocandum eſt, in extrema parte capitis quadrageſimi oſtenſum fuiſſe ab Iſaia quantum ſibi, qui ſperant in Dominu, ab eius benignitate, atque potentia polliceri poſſint; cùm laſſi, atque exhauſti viribus, atque aliis naturæ atque fortunæ ſubſidiis deſtituti non aliter confirmentur, roborentúrque, quàm confectæ ſenio, & propè mortuæ aquilæ, quando reſumptis pennis vigorem quoque, atque ſplendorem reſumunt iuuenilis ætatis. Hæc ſuprà propheta Iudæis propoſuerat, & ideo in principio capitis quadrageſimi dixit, *Con-* A *ſolamini, conſolamini popule meus, dicit Deus veſter: loquimini ad cor Ieruſalem.* Nunc illa eadem ex Gentium, id eſt, idololatrarum comparatione magis explicat, & amplificat. Quibus cum quaſi cum alienis & alia iam occupatis religione loquitur, iubétque vt ſecum audacter, & familiariter diſceptent, experiantúrque an ſimilia à diis, quos antè coluerant, aut acceperint vnquam, aut ſperare poſſint.

2. a *Taceant ad me inſulæ, & Gentes mutent fortitudinem.*] Erudire hoc loco vult Dominus Gentes, & exurere iam pridem inſitos errores: & ideo ab illis exigit, quod nempe diſcipulorum proprium B eſt, vt taceant interim, dum docentur: neque tamen id adeò ſeuerè præcipit, vt in longum tempus ſilentium indicat, quod diſcipulis ſuis in ſeptem annus præcipiebat Pythagoras; imò potiùs iubet, vt poſtquam attentè audierint, liberè poſtea, atque audacter cum ipſo diſceptent. Quæ libertas & auda-

cia ad interrogandum, & reſpondendum, hoc aut alio modo ſimili explicari ſolet. *Iob.* 38 *verſ.* 3. *Accinge ſicut vir lumbos tuos, interrogabo te, & reſponde mihi.* Et hoc planè ſignificat *mutare fortitudinem,* vt diximus nuper ad illud *cap.* 40. *Mutabit fortitudinem,* nempe ſumere animos, atque ſpiritus liberiores, & audaces. Porrò illud *taceant,* idem eſſe puro atque attento eſſe animo: quia gentes, ad quas diuinus ſpectat ſermo, magnum aliquid auditura ſunt.

3. [b] *Accedant, & tunc loquantur: ſimul ad iudicium propinquemus.*] Accedant, inquit Deus, ad me Gentes, ſuorúmque deorum cauſam (quando ipſi muti ſunt, neque pro ſe loqui poſſunt) liberè diſceptent, ac tandem oſtendant, an à diis talia vnquam acceperint, qualia à me populus Hebræus, ex quo primùm vocatus, & electus eſt, ad hunc vſque articulum accepit.

4. [c] *Quis ſuſcitauit ab oriente iuſtum; vocauit eum vt ſequeretur ſe?*] Quis ſit iſte iuſtus obſcurum eſt. Quidam Cyrum eſſe putant qui euocatus è Perſide, id eſt, Orientali plaga, diuinæ iuſtitiæ adminiſter fuit: quia per illum Deus extincto Chaldæorum imperio populum Hebræum in patriam reduxit. Ita Pagninus in ſcholiis marginalibus, Adamus, Hugo. Alij Chriſtum qui ab Oriente excitatus dici potuit, quia non aliter mundo apparuit erroribus cæco, quàm ſol ab Oriente affulget terræ, quā nocturnæ occupauerant tenebræ. Vbi nota ſimilitudinis omiſſa eſt, ac ſi dicas. Excitatus eſt Chriſtus, id eſt datus hominibus, non aliter, atque ſol emergit ab Oriente. De Chriſto accipit Hieronymus, Cyrillus, Haymo, Dionyſius, Procopius. Alij in *iuſto* Abrahamum agnoſcunt in quibus eſt S. Thom. Hugo, Lyra, Vatablus, Emanuel Sa, Oroſius, Montanus, Forcirus, & Chaldæus. Et hoc mihi videtur magis toti capiti, atque etiam ſequentibus conſentaneum; vt, dum ſingula explicando perſequimur, magis conſtabit. Oſtendit autem Dominus Abrahæ exemplo, quàm liberalis, ac munificus ſit in ſuos: quàm poſſit honeſtare cumulatè, ſe ſplendidè eos, qui ſibi obſequuntur, & à ſua benignitate, & fide omnia ſperant.

5. [d] *Quis ſuſcitauit ab Oriente iuſtum.*] *Iuſtus* vocatur Abraham: quia eius ætate pauci iuſti fuerunt, & fortaſſe tunc ille ſolus. Quare eximium illud nomen obtinuit, ſicut etiam Loth, quia ipſe ſolus in Sodomis erat iuſtus, *iuſtus* vocatur à Petro *Epiſtola* 2. *cap.* 2. & rurſus *Sap.* 10. Vbi etiam *iuſtus* dicitur Noe, Iacob, Ioſeph, quia hi ſoli, aut cum pauciſſimis iuſti in ſuis ſæculis. Quo capite etiam *iuſtus* dicitur Abraham, de quo communiter interpretes accipiunt *verſ.* 5. *Hac & in conſenſu nequitia cùm ſe nationes contuliſſent ſciuit iuſtum, & conſeruauit ſine querela Deo.* Vocauit autem Deus Abraham ab Oriente, quia Meſopotamia ad partes Orientales Syriæ pertinet. Vocauit autem vt ſequeretur ſe: quia nullum certum locum oſtendit ei, quò profectionem ſuam deſtinaret, ſed tantùm præcepit, vt eò contenderet, quò diuina illum auſpicia, id eſt, voluntas diuina deduceret. De quo Paul. ad Hebræos *cap.* 11. *Fide, qui vocatur Abraham, obediuit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem: & exiit neſciens quò iret.* Vbi noſter *vt ſequeretur ſe.* Hebr. *ad pedes ſuos,* eodem quidem ſenſu, ſed cum quadam epitaſi. Prodit enim ſe ex hac loquendi forma ſingularis quædam prouidentia, atque indulgentia Dei in Abrahamum, quem ſic antecedebat proximè, vt quædam quaſi veſtigia relinqueret notata, quibus in longa, ac varia peregrinatione Abrahamus inſiſteret.

Abraham iuſtus.

Ad Heb. 11.

Dei ſingularis prouidentia in Abrahamum.

6. [e] *Dabit in conſpectu eius Gentes; & reges obtinebit.*] Quicumque hæc de Abraham accipiunt, hæc tempora, quæ in futuro poſuit vulgatus, ipſi per præteritum vertunt, vt Chaldæus, Vatablus, & Forcirus: alij quaſi præteritum eſſet exponunt. Neque inuſitatum eſt in Hebraico idiomate, vt per futurum, quæ iam præteriere ſignificentur, maximè cum aliquod verbum præteriti temporis anteceſſit, quod ad rem eandem pertinet; ſicut etiam præteritum pro futuro ſumitur, quando verbum anteceſſit futuri temporis, aut pro præſenti, ſi præſens anteceſſerat. Denique futurum, quod ſequitur idem interdum ſignificat, quod tempus antecedens, modò ad eandem referantur perſonam. Vide Pagninum *lib.* 3. *inſtitutionum cap.* 12. Exempla ſunt obuia: Es hoc propheta, hæc accipe. *cap* 6. *verſ.* 2. vbi Vulgatus, *duabus velabant,* & ſtatim *duabus volabant,* futura ſunt יכסה *iechaſeh,* & יעופף *iehhopheph,* quia præceſſit tempus *ſtabant,* quod futurum non eſt. *Exod.* 15. vbi Vulgatus, *abyſſi operuerunt.* Hebr. יכסימו *iechaſiumu,* in futuro, quia præceſſit in præterito *demerſi ſunt.* Et ſtatim vbi vulgatus *deuorauit eos.* Hebr. eſt in futuro יאכלמו *iochlemu.* Et ne multis te onerem, *in Pſal.* 106. *&* 107. occurrunt pluſquam viginti exempla, vbi futurum rem ſignificat præteritam, & ita explicatur à vulgato, quia tempus præteritum anteceſſit *ex Pſal.* 106. *verſ.* 12. *& laudauerunt. verſ.* 17 *aperta eſt terra. verſ.* 18. *flamma combuſſit. verſ.* 19. *fecerunt vitulum. verſ.* 42. *liberauit eos. verſ.* 43 *exacerbauerunt. Ex Pſal.* 107. *verſ.* 6. *eripuit eos. verſ.* 13 *liberauit eos. verſ.* 14. *eduxit eos.* & ibidem *diſrupit. verſ.* 18 *abominata eſt. verſ.* 19. *liberauit eos. verſ.* 20. *miſit verbum. verſ.* 27 *turbati ſunt.* & ibidem *deuorata eſt. verſ.* 28. *eduxit eos. verſ.* 29. *& ſtatuit procellam. verſ.* 30. *quia ſiluerunt. verſ.* 33. *poſuit flumina. verſ.* 35. *poſuit deſertum. verſ.* 38. *non minorauit.* Ecce quoties vox futuri rem ſignificat præteritam, quando vox præteriti temporis anteceſſit. Idem omnino mihi videtur hic feciſſe Iſaias, qui eadem, quæ Dauid, eodem dicendi genere proſequitur; niſi quod hoc Iſaiæ loco Vulgatus vocem reddidit futuri, aliis locis præteriti. Neque inuſitatum eſt noſtro interpreti, vt in Latina trāſlatione idioma interdum ſeruet Hebraicum, quale hoc eſt; Certè, vt dixi, per præteritum expreſſit Chaldæus, Vatablus, & Forcirus. In his ego paulò longior fui, quia hanc obſeruationem neceſſariam valde, & his, qui Hebraicè ſciunt, non ingratam puto.

Regula. Vox futuri tēporis aliquando rem præteritam, aut præſentem ſignificat, ſi vox præſentis, aut præteriti temporis anteceſſit.

7. [f] *Dabit in conſpectu eius gentes, & reges obtinebit.*] Hæc duo verba per præteritum explico, ſicut ſuperiora, id eſt, *dedit,* & *obtinuit.* Si de Abraham hæc capias, vt viſum eſt quibuſdam, quorum nos ſententiæ ſubſcribimus, facilè illi accommodabis hæc omnia, quæ Deus hîc de ſua liberalitate, atque potentia prædicit. Nempe ante faciem Abraham Reges, & principes cecidiſſe. Nam *Geneſ.* 14. quinque Reges ab Abrahamo ſuperati ſunt, ſpoliáque erepta, quæ ex copioſis, & lautis ciuitatibus abſtulerant. Quæ obtinuit Abraham non aliunde euocato, aut conducto milite, ſed domeſtico, atque vernaculo inſtructus apparatu. Obtinuiſſe præterea videri potuit Regem Ægypti Pharaonem *Geneſ.* 12. & Abimelech Regem Geraræ *Geneſ.* 20. quia hi nihil facere potuerunt contra Abraham, cùm maximè vxoris eius Saræ amore flagrarent; imò ab illis ornatus eſt ſine vlla pudicitiæ vxoris, & ſui nominis offenſione. Huc etiam ſpectaret ſi modò verum

Abraham Reges vicit.

Abrahā Rex non fuit.

verum eſſet, quod non puto, Abraham Regem fuiſſe Damaſci: quod ex ſententia Nicolai cuiuſdam Damaſceni tradit Ioſephus *lib. 1. Antiq. cap. 8.* & Euſebius *lib. 9. cap. vlt. de præpar. Euangel.* & Iuſtinus *lib. 36. hiſtor.* Sed hoc mihi veriſimile non eſt; quis enim credat rem tantam, quæque tanto futura eſſet ornamento Iudæorum generi, à Moyſe fuiſſe prætereundam? aut tanto ſilentio à poſteris ipſius, qui tantum tribuunt paternæ memoriæ, obliteratam fuiſſe? Aut quomodo ille Rex eſſe potuit, qui *Actor. cap. 7.* dicitur nihil in ea regione, quam habitauit, datum eſſe à Deo neque paſſum pedis?

8. Hæc de regibus ab Abrahamo ſuperatis accipi poſſe exiſtimo, ſed eſt mihi probabilius longè, hæc eſſe ad Abrahami poſteros referenda; qui profligatis populis, & exactis Regibus lautiſſimam, & lacte, ac melle manantem regionem occuparunt. Meminit autem Abraham, vt paucis beneficia in Abrahamidùm genus collata complecteretur, quod in eo parente & generis, & officiorum felix exordium habuit. Quòd verò quæ à filiis geſta ſunt, illa parentum nomini, atque actioni tribuantur, ſi alia defuiſſent, in hoc ipſo, de quo loquimur, Abrahamo exemplum probat ſatis luculentum. Nam illi *Geneſ. 13. verſ. 15.* terra Chanaanitis promiſſa eſt, neque tamen, vt dicit Stephanus *Act. 7.* in ea obtinuit paſſum pedis. Sed quia Abrahami poſteri regionem illam occupauerunt, ideo illam poſſediſſe dicitur Abrahamus. Et quod *Geneſ. 27.* dictum eſt Iacob, *Eſto dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ*; in Iacob impletum non eſt, cùm ipſe incuruatus fuerit potiùs coram Eſau. *Geneſ. 33. verſ. 3. Et ipſe progrediens adorauit pronus in terram ſepties, donec appropinquaret frater eius.* Sed in poſteris qui Idumæis, id eſt, filiis Eſau dominati ſunt. Et quæ moriturus Iacob idem filiis prædixit, in eorum poſteris impleta ſunt, vt conſtat.

9. g *Dabit quaſi puluerem gladio eius, ſicut ſtipulam vento raptam arcui eius.*] Ordo horum verborum, qui nonnihil videtur implexus, difficilis non erit, ſi in priori hemiſtichio ſuppleas *vento raptum*, quod in poſteriori poſitum eſt: & in vtroque, *Gentes, & Reges*, quod proximè antecеſſerat, in quo nihil eſt inuſitatum, aut durum, in hunc modum *Dabit Reges & gentes quaſi puluerem vento raptum gladio* D *eius; & dabit Reges, & gentes quaſi ſtipulam vento raptam arcui eius.* Quàm facile ac ſæpe populus Hebræus bella ſecunda geſſerit, nemo neſcit: id nunc apta quadam hyperbole & Scripturæ familiari ſignificat propheta. Oſtendit enim à gladio Hebræorum conciſus fuiſſe hoſtes, ac diſſipatos non aliter, quàm à vento rapi, ac diſſipari ſolent minutus puluis, aut arentes ſtipulæ. Ex his fit veriſimile, quod prius dicebamus, hæc de toto populo dici potiùs, quàm de eius progenitore Abrahamo: hæc enim in populo apparent luculenter, in Abrahamo non item. Hîc verò *arcus, & gladius* pro omni armorum genere ſumuntur, quod in Scriptura non infrequens.

10. h *Perſequetur eos, tranſibit in pace; ſemita in pedibus eius non apparebit.*] Exponit hîc non iam viarum, quàm victoriarum curſum, id enim, vt reor, valet illud *in pace.* *Pax* enim ſignificat quidquid feliciter, atque auſpicatò fit, licèt odia, ac bella multorum occurrant. Sed re vera populus in pace tranſiſſe videri potuit, quando Deus ipſe expuliſſe dicitur Chananæorum Reges, & vacuam ab antiquis poſſeſſoribus regionem Iſraelitis tradidiſſe:

A vſque adeò, vt Deus humeris ſuis multitudinem illam portaſſe dicatur *Deut. cap. 32.*

i *Semita in pedibus eius non apparebit.*] Hîc multa dicuntur à multis quæ, ne longus ſim, omittam. 11.
Vnam tantùm adducam explicationem, quæ pluribus interpretum placuit, & magis videtur ad textum: dicunt enim velocitatis eſſe ſignum nullum in terra relinquere pedum veſtigium: Cùm autem Abrahamus peragraſſet totam regionem, & ſine vlla offenſione tot viciſſet Reges (in *Abrahamo* autem intelligo populum ex eo prognatum) nullum veſtigium in via reliquiſſe traditur.

Eſt ſanè verum ab his, qui graui corpore non ſunt, aut inceſſu tardo, nullum, aut non niſi tenue in via notari veſtigium, eòque ſigno à profanis B velocitatem maximam ſignificari. Nam bos tardus, & laſſus prouerbiali ſpecie dicitur fortiùs pedem figere, & contrà in agilitate explicanda contrario prorſus vtimur ſigno. Virg. *li. 7. Æneid.* de Camilla. 12.

Celeritatis deſcriptio.

——Curſuque pedum prauertere ventos;
Illa vel intacta ſegetis per ſumma volaret
Gramina, nec teneras curſu læſiſſet ariſtas,
Vel mare per medium fluctu ſuſpenſa tumenti
Ferret iter; celeres nec tingeret æquore plantas.

Eadem Homerus *Iliad. 20.* de quibuſdam equabus Regis Erichthonij. Et Ouidius eadem ferme de Atalanta, quæ Virgilius de Camilla *lib. 10. Metamorphoſ.*

Signa tuba dederant cùm carcere pronus vterque
Emicat, & ſummam celeri pede libat arenam.

C Expreſſit hac tritam, & quaſi prouerbialem formam Daniel *cap. 8.* Qui cùm ageret de admirabili celeritate, qua Alexander Macedo orbem peragrauit, & ſubegit, illum aſſimilauit hirco, qui ſuper faciem terræ ſic incedebat, vt illam pede non contingeret. *Ecce hircus caprarum veniebat ab Occidente ſuper faciem totius terræ, non tangens terram.* Et iuxta hanc explicationem per hypallagen, verba ſunt commutanda, ita vt *ſemita in pedibus eius non apparebit*, commutato ordine idem ſit, atque *pedes eius non apparebunt in ſemita.* Dan. 8.

Sed quominus hæc mihi ſententia placeat, facit, 13.
quia non dicitur, *pedes, aut pedum veſtigia in ſemita non apparebunt*; ſed contra *ſemita non apparebit in pedibus*: Figura autem hypallage durior, neque adhibenda, niſi cùm alia ratio commodior non occurrit. Quare videor magis ad literam, & hiſtoriæ fidem eſſe dicturus, ſi populum Iſraeliticum dicam in eo longo, & viarum, & victoriarum curſu ita à benefico, atque indulgenti patre eſſe tractatum, vt neque in pedibus, aut calceamentis in regione aſpera, atque petroſa appareat vlla vetuſtatis nota. Quod aliis in locis clariùs expreſſum eſt. *Deut. 29. verſ. 5. Adduxi vos quadraginta annis per deſertum, non ſunt attrita veſtimenta veſtra, nec calceamenta pedum veſtrorum vetuſtate conſumpta ſunt.* *Pedes* verò pro calceamentis ſumi rem nimirum contentam pro continenti per ſynecdochen vſitatum eſt. Et hoc ipſum apertiùs in hac eadem re ſignificatur E *Deut. 7. verſ. 4.* Vbi *pes* vocatur, quod priori loco dictum eſt *calceamentum.* Et eſt omnino ſententia eadem; ſic enim ibi, *Veſtimentum tuum, quo operiebaris, nequaquam vetuſtate defecit: & pes tuus non eſt ſubtritus, en quadrageſimus annus eſt.* Non apparebit igitur in pedibus ſiue in calceamentis ſemita, quia tam erant aut pedes à callorum duritie, ſiue ab vlceribus liberi, tam integra à vetuſtate calceamenta, ac ſi nunquam antea populus ille viam eſſet ingreſſus.

k *Quis*

14. k *Quis hæc operatus eſt, & fecit vocans generationes ab exordio?*] Hic locus mihi perſuadet veram eſſe explicationem, quam hactenus adhibui: nempe quæ in futuro tempore hîc notata ſunt, eſſe in præteriti ſignificatione accipienda. Nam hæc omnia, de quibus hactenus, operatus dicitur Deus, non operaturus. Deinde ſermonem eſſe non de vno Abrahamo, ſed de tota ipſius progenie, quam *generationum* nomine contineri puto.

15. Communiter alij ideo generationes ab initio mundi vocari putant, quia ab initio mundi Deus rerum naturas, ita creauit, ordinauítque, vt mutuò ſibi ſuccederent, ipſáque viciſſitudine, & conſeruarent vniuerſum, & ornarent. Quare dum quatuor anni tempora anniuerſariis recurrunt ſpatiis, mira B rerum ſpecies exiſtit, atque varietas. Vt autem temporum, ſic etiam perſonarum continens quædam ſucceſſio fit, atque ita Abrahamo Iſaac, & huic Iacob, & iſti tot filij per tot generationes, & ætates ſuffecti ſunt. In hunc ferme ſenſum plerique interpretum; neque ego contrà ſentio. Sed fortaſſe quæ cogitationem meam explicatio ſubiit, alicui non diſplicebit.

16. Dixerat in fine ſuperioris capitis eos, qui ſperant in Domino, futuros eſſe & viribus ſtrenuos, & rerum ſucceſſu fortunatos: ita vt neque in rerum moleſtarum, ac difficilium molitione, aut laſſitudine deficiant, aut pondere premantur. Id nunc probat Abrahami exemplo, qui Deo credidit, & vocantem ſecutus eſt, quémque primum ſuo conſignauit ſtigmate: Cuius generationes non diſſimili ſtudio, atque benignitate complexus eſt, vt conſtat in Iſaac, Iacob, & aliis ferme omnibus ad tempus vſque Ezechiæ Regis, in quo hęc dicuntur ab Iſaia. Hæc puto ſignificari his verbis à propheta Literam verò textus ſic ordino. Quis talia operatus eſt? nempe vt Reges vinceret, Gentes ſuis exturbaret ſedibus, integris veſtibus, ac calceamentis populum per longam, atque aſperam ſolitudinem traduceret? Ille nimirum qui ab exordio electi ſibi populi, id eſt, ab Abrahamo generationes ab eo propagatas vocauit, ſcilicet populum ſuum, in quem, quando in ipſu ſperauit, omnia ſoluta reddidit, atque tranquilla.

17. l *Ego Dominus, primus & nouiſſimus ego ſum.*] Hos titulos, & hanc quaſi notam ſibi ipſi aliis in locis attribuit Deus *Apocal.* 1. *Ego ſum α, & ω. principium & finis.* Et *cap.* 22. *Ego ſum α & ω. primus, & nouiſſimus, principium, & finis. Iſaia* 43. *Ego ipſe ſum, ante me non eſt formatus Deus, & poſt me non erit. Cap.* 44. *Ego primus, & ego nouiſſimus: & abſque me non eſt Deus.* Vbi etiam oſtendit, quomodo à Gentibus fabricentur idola, ſicut hîc. Dum verò ſe Deus *primum* vocat, ſignificat à nullo alio habere ſe, quòd ſit; dú *nouiſſimum*, ſe à nemine pendere, cùm poſt ipſum nullus futurus ſit. Quibus rebus oſtendit quàm ſibi non conueniat cum his, qui à Gentibus vocantur Dij: cùm & ab omnibus fabre- E fiant, & illorum opera, atque ſtudio conſeruentur: atque ita neque primi eſſe, neque nouiſſimi queant.

18. m *Viderunt inſulæ, & timuerunt: extrema terræ obſtupuerunt, & appropinquauerunt, & acceſſerunt.*] Qui hæc de Chriſto accipiunt, faciles in hoc difficili loco explicatus habent: cùm conſtet inſulas, & extrema terræ ad Deum acceſſiſſe ſignis, prodigiíſque commotas. Qui de Abrahamo, difficilè hîc hanc partem accommodant. Nobis facilior explicatio eſt, qui hæc non tam de Abrahamo, quàm de

A illius poſteris hæc interpretamur. Notum eſt enim quàm vehementer Gentes, quæ *inſularum* nomine intelliguntur, horruerint, cùm iam ſecundo curſu Hebræorum multitudo ab Ægypto vſque tanta terrarum ſpatia peruaſerit. Tranſmiſſo enim mari rubro *Exod.* 15. *tunc conturbati ſunt principes Edom, robuſtos Moab obtinuit tremor, obriguerunt omnes habitatores Chanaan.* Et idem accidit *Ioſue cap.* 5. omnibus Regibus Amorrhæorum, & Regibus Chanaan, qui ad mare magnum pertinebant: cùm audierunt ſiccato Iordanis alueo Iſraelitas tranſiiſſe.

Sed credo hæc aliò ſpectare, non ad antiqua tempora, quibus hæc quæ modò dicebamus, contigere, ſed ex illorum comparatione ad quæuis alia, 19.
B in quibus Gentes vana ſuperſtitione captæ idola coluerunt, quæ ſuis ſibi manibus fabricarant. In principio capitis vocauerat Dominus Gentes, & inſulas, vt accederent, & pro ſuorum Deorum defenſione diſceptarent: & ex officiorum ac poteſtatis comparatione iudicarent, quantum inter ſe, & muta Deorum ſimulacra intereſſet. Adducit autem Deus pro ſe beneficia ex ſua liberalitate, ac potentia in electum ſibi populum profecta: & quòd primus ſit, neque ab vllo pendeat, & nouiſſimus, atque ideo à nullo diſſolui poſſit. Vocatæ igitur Gentes, & inſulæ vt pro ſuis Diis, & pro ſua religione reſpondeant, id agunt, vt ſua ſibi ſimulacra aliquid firmitatis habere videantur. Compingunt enim illa C ex materia ad diuturnitatem firma: operiunt laminis, clauíſque religant: & nihil omittunt, quod ſubſidio eſſe poſſit ſimulacro futili, & ſua fragilitate breui ruituro. In quam me cogitationé vocat, & textus ipſius expedita ratio, & quòd *cap* 44. cùm hæc eadem verba præceſſiſſent: *Ego ſum primus & nouiſſimus.* ſtatim ad idolorum fabricam deſcendit.

n *Vnuſquiſque proximo ſuo auxiliabitur: & fratri ſuo dicet, Confortare.*] Adhiberi interdum ſolet factum aliquod, pro reſponſo quod non minùs cogitationem noſtram, & ſenſum aperit, quàm ratio. Quod in prophetis vſitatum eſſe docuimus ſuprà *cap.* 20. qui non minùs rebus, & ſignis, quàm verbis futura prædicunt. Notum eſt illud Aragonij Regis, cui magiſter rogatus de regni ſumma, hor- 20. Factum & ſignum pro reſponſione adhiberi ſolitum.
D tum ingreſſus, quæ eminebant papauerum capita gladio amputauit, idque Regi voluit eſſe reſponſum. Quo indicauit regnum neque ex vſu, neque ex dignitate Regis adminiſtrari poſſe, quàm diu proceres cum dignitate, ac poteſtate viuerent. Quod ſumpſiſſe, aut didiciſſe potuit à Tarquinio, qui idem omnino ſignum, & conſilium dedit filio ſuo contra Gabios, vt tradit Florus *lib.* 1. *cap.* 7. Frontinus *lib.* 1. *cap.* 1. Vt ergo homines interdum facto reſpondent, ſic propheta Gentiles, & inſulas. id eſt, idololatras facto non ſermone reſpondentes inducit, dum oſtendit quid in Deorum ſuorum firmitatem & robur homines moliantur, idque eleganti quadam hypotypoſi, quaſi fabri, & malleatores mutuò ſe cohortentur ne quid faciant reliquum artis, atque induſtriæ ſuæ; ſed toto animo incumbant in idolorum fabricam.

o *Confortauit faber ærarius percutiens malleo eum, qui cudebat tunc temporis, dicens, Glutino bonum eſt: & confortauit eum clauis, vt non moueatur.*] Duo artifices videntur in ſimulacrorum fabricam operam, & artem contuliſſe, ſtatuarius, qui è ligno fingit, & ærarius, qui quod à ſtatuario formatum eſt, laminis, & clauis, ornat atque confirmat. Hunc locum variè reddunt interpretes, & plures hic, quàm duos artifices agnoſcunt, Pagninus, *Confor-*

tauit

tauit etiam faber lignarius aurificem mollificantem malleum ad percuſſionem bractearum ſuper incudem, dicens, coniunctio bractearum bona eſt. Vatablus, *Faber lignarius confirmauit conflatorem, qui expolit malleo cum eo, qui crebris vicibus incudem percutit, & dicit, bonum hoc erit ad plumbaturam.* Foreirus, *Confirmauit faber conflatorem, diſperſiens malleator percutientem incudem, dicens adhærenti, bonum eſt.* Ex his tranſlationibus plures indicantur artifices, illi nempe, qui ad cóflandas ſeu compingendas ſtatuas ex omni materiá conuenire ſolent. Conflantur enim ex colliquefacto metallo: cuduntur interdum incude, & malleo; concinnantur, & compinguntur è ligno, & marmore, & laminis nonnunquam obducuntur. Examinarem hæc accuratiùs ſi arbitrarer hæc aliquid ad ſententiam referre. Sed quia non admodum intereſt hoc ne, an illo modo accipias, cùm idem ſit ſenſus, hac cura, atque onere ſuperſedeo.

22. Illud non omittendum pro *glutino*, Hebr. eſſe לדבק *ledabak*, quod quidam vertunt *iuncturam*, alij *plumbaturam*, & hanc putant eſſe ſententiam. Bene hoc elaboratum eſt, & aptè politum ad iuncturam, id eſt, partes ſingulæ, quibus totum conſtat ſimulacrum, ita concinnæ, atque perfectæ ſunt, vt coniungi iam, & glutinari poſſint, vt ex omnibus vnum coagmentetur ſimulacrum. Foreirus לדבק *ledabak*, participium eſſe putat, & alia affigit puncta; eóque ſignificari cenſet *adhærentem*, ſeu *vicinum*, ita vt ſit ſenſus: *Faber dicit adhærenti ſibi, id eſt miniſtro, aut ei quem habet ſocium ad cudendum opus, bonum eſt.* Neque id diſplicet, aut à tranſlatione Vulgati admodum abludit. Vt enim *candor* pro candido, *arma* pro armatis, *iugum* pro his qui iugum ſubeunt, & illi alligantur, adhibentur; ſic etiam metonymicè *glutinum* pro adglutinato, ſeu adhærente vſurpari poteſt; Sed ſi retineas puncta quæ nunc ſunt in textu Hebraico, prior omnino ſenſus retinendus eſt.

23. p Illud *bonum*, communiter interpretes putant ſignificare approbationem quandam, qua ſibi ipſis opifices blandiuntur, dum opus apprimè perfectum, & concinnatum eſſe iudicant. Quod mihi etiam videtur. Sed fortaſſe vox illa hortantis eſt, vt a Græcis *euge*, quaſi non laudet faber alterius opus, ſed hortetur, vt quàm potuerit ex arte perfectiſſimè cudat: Quòd ſi Foreiri ſententiam amplectare, hæc explicatio mihi maximè placet.

24. q *Et confortauit eum clauis, vt non moueretur.*] Hæc tot ferramenta, tot artes atque opera neceſſaria ſunt, ne rei vſque adeò leui, ac futili aliquid deeſſet firmitudinis. Expreſſum eſt hoc idem *Sap. cap. 3.* Vbi de artifice, qui fabricatus eſt idolum, dicitur: *In pariete ponens illud, & confirmans ferro, ne fortè cadat.*

25. r *Et tu Iſrael ſerue meus, Iacob quem elegi, ſemen Abraham amici mei.*] Ex comparatione idolorum, quæ ſuis cultoribus nihil præſtare poſſunt auxilij, excitat ſpem illorum, quos ſibi in populum delegerat. Hinc conſtat, quæ priori loco dicta ſunt de iuſto ex Oriente vocato, & de aliis beneficiis, ad Abraham, & ad eius numeroſam ſobolem pertinere.

26. ſ *In quo apprehendi te ab extremis terræ, & à longinquis eius vocaui te.*] Textus Hebraicus non habet *in quo*, ſed *quem apprehendi.* Et illud *te*, iuxta Hebraicum idioma redundat: in quo ſæpe poſt relatiuum pronomen adiungitur; vt *Pſalm. 39. Cuius eſt nomen Domini ſpes eius.* Quare idem eſt, ac ſi dicas,

A *quem apprehendi*, & ita legunt Septuaginta, & Chaldæus. Sed eſt ſententia eadē; Nam non aliter Iſrael ab extremis terræ electus, atque vocatus eſt quàm in Abraham, cui à Deo ſpecialis illa cura, ac patrocinium promiſſa ſunt. Hæc non obſcure indicat iuſtum ab Oriente vocatum fuiſſe, vt ſuprà dicebamus, Abrahamum.

27. t *Et dixi tibi, Seruus meus es tu, elegi te, & non abieci te. Ne timeas.*] Hæc dicta ſunt Abraham *Geneſ. cap. 12.* & ſæpe alibi: dicta etiam Iacob. Timorem omnem eripit, cauſámque cur bono, ac ſecuro animo eſſe iubeat, illam eſſe dicit, quia Deum colit, à quo nemo confunditur; & qui vult, & poteſt omne ad ſalutem ſubſidium cumulatè præſtare.

28. u *Confortaui te, & auxiliatus ſum tibi: & ſuſcepit te dextera iuſti mei.*] Cætera obſcura non ſunt.
B Iuſtus hic, cuius dextera ſuſceptus eſſe dicitur populus Hebræus, Chriſtus à multis exiſtimatur: in quibus eſt Hieronymus, Haymo, Dionyſius, & alij. Cyrum eſſe putat Hugo: Moyſen Lyra; S. Thom. Abrahamum, quidam in *iuſto* perſonam nullam intelligunt, ſed iuſtitiam interpretantur, veritatem, & fidelitatem, hoc ſenſu: *Ego ſuſcepi te dextera mea fideli, & iuſta;* ſeu quod idem eſt, *dextera iuſtitia mea.* Ita vertunt Pagninus, Vatablus, Foreirus, Chaldæus, & Septuaginta; & tenet Emanuel Sa, & Oſorius.

29. Mihi hoc loco probabile videtur, quod Foreirus putauit hæc verba ita eſſe poſita generatim, vt ad multos accommodari poſſint. Ad Chriſtum qui-
C dem myſticè, per quem homines liberati ſunt à Diaboli iugo, & ipſi etiam Hebræi ab Ægyptia ſeruitute, vt habemus ex epiſtola Iudæ: hiſtoricè verò ad eos, qui aliquo modo Chriſti figuram referebant, vt multi putarunt; quales fuerunt Abraham, Moyſes, ſeu etiam Cyrus, qui primus omnium Babylonicam captiuitatem laxauit Hebræis. De Chriſto ſatis multa, & grauiter poſtea Iſaias ſuo more, qui vbi typus aliquis ſeſe Chriſti prodit, ſtatim ad Chriſtum, & ad tempus Euangelij abripitur; cui iſta, quæ, vt puto, de Iſraelitis hiſtoricè dicuntur, accommodat. Hiſtoricè verò videntur hæc commodè explicari poſſe de Abraham, vt putat S. Thomas, ſiue legas, vt multi volunt, *Suſcepit te dextera iuſti mei*, ſiue *dextera iuſtitia mea.* Si priori modo
D legas, & in *iuſtitia* Dei fidelitatem intelligas, ſenſus erit: *Dextera Dei fidelis, & iuſta ſuſcepit Abraham, cui ſe protectorem, & vindicem promiſerat, & eius generationi ob eandem fidelitatem ea præſtitit, quæ hic commemorantur.* Si poſteriori modo, ſenſus difficilis non eſt; neque nomen *iuſti* multum huic cogitationi incommodat. Nam, vt nuper vidimus, *iuſtus* vocatur Abraham. Pro *dextera iuſti mei*, Hebr. eſt בימין *biamin*, id eſt, *in dextera.* Quare ſenſus eſt, *ſuſcepi te in dextera iuſti mei.* In dextera autem Abraham iuſti apprehenſi ſunt alij, quia in eo tanquam in ſtirpe reliqui continebantur. Vbi ergo Abraham Deo porrexit dexteram, id eſt, Dei fidei ſe ſuóſque commendauit, in ea dextera Deus totam
E illius familiam amplexus eſt.

30. Hæc eadem ſenſu non admodum diſſimili explicari poſſunt, ſi hæc de Cyro capias. Nam in Cyri dextera, quem *iuſtum* vocat, quia illum iuſtitiæ ſuæ adminiſtrum, & ſuorum conſiliorum adiutorem aſſumpſit, populum Iudaicum apprehendit, & per illum extincto Chaldæorum imperio in antiquam patriam, & libertatem aſſeruit. Fuit itaque manus Cyri manus Dei, qua Deus, tanquam dextera ſua, videtur populum Iudæorum ſuſcepiſſe.

De quo

De quo *cap.45. Cuius apprehendi dexteram:* quem ſicut Deus ibi *Chriſtum ſuum* appellat, ſic nunc vocare poteſt *iuſtum ſuum*. Hæc autem myſticè multò magis conueniunt in Chriſtum, per cuius manum, & Dei promiſſa completa ſunt, & libertas humano generi quæſita.

31. x *Ecce confundentur, & erubeſcent omnes, qui pugnant aduerſum te.*] Ex fide data priùs Abrahamo parenti, aut ex ſua fidelitate confirmat Deus Iudæorum animos, contra quos nihil poteſtatis habituræ dicuntur inimicorum vires.

32. y *Et velut conſumptio homines bellantes aduerſum te.*] Viri, qui contra te bella moliuntur, erunt quaſi deleti; pro deletis illos, atque conſũptis reputa.

B

z *Noli timere vermis Iacob, qui mortui eſtis ex Iſrael.*] Hæc Hieronymus, Haymo, Dionyſius, & Adamus, de Iſraele ſpirituali capiunt: id eſt, de Apoſtolis, viriſque ſanctis, qui Euangelij tempore durè vexati ſunt, & pro mortuis habiti: & eo loco numerati, quo purgamenta huius mundi, & omnium peripſema, ſeu, vt hîc dicit Iſaias, vilis vermiculus. Quæ ſanè ita vera cenſeo ſi myſticè ſumantur: nam hiſtoricè de ſtatu Iudæorum intelligenda eſſe iam ſæpius oſtendimus. In quo mira quædam adumbratio eſt eorum, qui ſunt veri Iſraelitæ, quique verè dici poſſunt filij Abrahæ, non cognatione carnis, ſed obedientiæ, fideíque communione. Nam quòd de Iudæis quondam afflictis, Deíque liberalitate non ſolùm ereptis ſed etiam ornatis hæc ſint intelligenda, ſentit S. Thomas, Hugo, Foreirus, Vatablus, Montanus, Lyra, & Adamus hîc alluſum putat ad captiuitatẽ Babylonicam.

C

33. Dicitur autẽ Iſrael *vermiculus*, quia ab Ægyptiis olim, & poſtea à Babyloniis contemptus fuit, eóque loco habitus, quo vermiculus ſolet. In altera verò parte nota ſimilitudinis adhibenda eſt, *O vos, qui tanquam mortui eſtis ex Iſrael.* Aut certè ciuiliter *mortui* dicuntur, qui à patria extorres ſunt, ſicut rami à ſuo trunco deciſi. Et quidem ab Ezechiele vocati ſunt, qui captiui agebant apud Babylonios, & oſſa arida, & mortui mandati ſepulturæ.

Exules pro mortuis habentur.

Ezech. 37. Sic enim cap.37. verſ.12. *Ecce ego aperiam tumulos veſtros: & educam vos de ſepulcris veſtris, populus meus, & inducam vos in terram Iſrael.* Neque id abeſt ab vſu Latinorum, qui *capite damnatos* vocat, quos exilio damnat: habetur enim pro mortuo, qui patriæ luce non fruitur.

D

34. aa *Ego poſui te quaſi plauſtrum triturans nouum, habens roſtra ſerrantia, triturabis montes.*] Docet quid ex Dei auxilio roboris acceſſurum ſit populo, qui priùs ab aliis ſicut vermiculus, & cadaueris inſtar habebatur. Sternet enim, & conteret eos etiam, qui ſic inter alios eminent, ſicut è plano eminere ſolent montes altiſſimi; quos ita conteret, atque comminuet, ſicut plauſtra dentatis, atque ſerrantibus rotis, aut tribulæ acutis inſtructæ ſilicibus aridam ſtipulam in area. Hanc credo metaphoram habere prouerbialem ſpeciem: de qua hîc non plura, quia latè egimus ſuprà *capite* 25. ad illud, *Triturabitur Moab.* Et *capite* 28. ad illud, *Non in ferris triturabitur gith.* Eſt valde affine huic illud Micheæ *cap.4. verſ.13. Surge, & tritura filia Sion, quia cornu tuum ponam ferreum, & vngulas tuas ponam æreas, & comminues populos,* &c.

Prouerbiũ.

E

35. bb *Egeni, & pauperes quærunt aquas, & non ſunt: lingua eorum ſiti aruit.*] Vſitatum eſt in ſcriptura, vt vnum tempus, quodcumque illud ſit, pro omnium temporum differentia vſurpetur, quia tantùm ſignificat, vt loquuntur Logici, coniunctionem prædicati cum ſubiecto. Tradit hanc regulam & optimis illuſtrat exemplis Ribera *in cap.1. Oſeæ, num.35.* iuxta quam hic videtur eſſe ſenſus: Solere egenos, & pauperes, qui vermiculus priùs, & quaſi mortui vocati ſunt, rebus ad vitam neceſſariis indigere; quorum tamen neceſſitati Deus ſuccurrit non tantùm ſufficienter ad vſum, ſed etiam abundanter ad delicias. Neceſſitas autem, & inopia rerum omnium in ſiti per ſynecdochen exprimitur. Eſt autem, vt apparet, alluſum ad priora ſæcula, in quibus cùm ſiti laborarent in deſerto filij Iſrael, largas illis aquas Deus de ſilice produxit. Quàm verò Deus illorum inopiæ, ac ſiti ſubuenerit abundanter, docet fons ille de petra copioſè manans, qui vt nonnulli volunt, ſecutus eſt in ſolitudine arenti, & æſtuoſa peregrinantem populum, iuxta illud 1. *Corinth.*10. *Bibebant autem de ſpirituali conſequente eos petra; petra autem erat Chriſtus.* Aut certè alio modo prouidit, ſicut de cibo ad ingreſſum vſque terræ promiſſionis. Habuiſſe verò aquarum ſatis in illa ſolitudine, indicat Iſaias *cap.* 43. *Dedi in deſerto aquas, flumina in inuio, vt darem potum populo meo.* Et *cap.*48. *Non ſitierunt in deſerto cùm educeret eos: aquam de petra produxit eis.* Et verò poſtquam ex percuſſa petra fons erupit *Exod.*17. bis tantùm queſti ſunt Iſraelitæ de aquarum penuria. *Num.cap.*20. & 21. Et ibi etiam non minùs quàm antea liberaliter datus eſt fons. Quamuis autem hæc de antiquiſſimo Iudæorum tempore videantur, de aliis quoque temporibus dicta ſunt. Poſt ſitim, & inopiam, quam apud Babylonios paſſi ſunt Hebræi, quàm Deus largum imbrem largitus ſit, docet Zacharias *cap.*10. & Iſaias *cap.*30. Quibus locis eadem adducitur vbertatis cauſa: quia videlicet ſperauerunt in Deo potiùs, quàm in vanis idolorum promiſſionibus. Addo etiam videri hæc quoque dici de præſenti Iudæorum fortuna, quia veriſimile eſt ſub hoc tempus contigiſſe Aſſyriorum appulſum in terram Iuda, quibus res Iudaica in anguſtum redacta eſt, vt vidimus ſuprà *cap.* 37. Neque eſt improbabile hoc vaticinium integro Aſſyriorum exercitu fuiſſe prædictum ab Iſaia, cùm illa quæ longè antè contigerunt, longè pòſt à prophetis ſcribi ſoleant. Neque enim ſine cauſa hîc tria tempora videntur eſſe coniuncta eodem textu, filóque ſermonis, præteritum, præſens, & futurum. *Quærunt aquas, & non ſunt: & lingua ſiti aruit.* Et ſtatim, *Aperiam in ſupinis collibus flumina.*

De aquis quomodo à Deo in deſerto prouiſum.

1. Cor. 10.

Iſai. 43.

Hæc fortaſſe vera, ſed puto Hebræorum more hîc particulam ſubaudiri conditionalem, quod eſſe in Scriptura ſacra frequens docuimus infrà *cap.*64. *num.*10. Erit ergo ſenſus, Si egeni, & pauperes qui meæ ſe fidei, atque tutelæ permiſerunt, ſiti laborauerint, neque aquam inuenerint, ego illis in excelſis montibus, & arentibus campis fontes aperiam. Et hæc explicatio mihi præ cæteris arridet.

cc *Aperiam in ſupinis collibus flumina, & in medio camporum fontes.*] Summæ felicitatis deſcriptio, atque amplificatio eſt: &, vt credo, in prouerbij ſpeciem à prophetis adhiberi ſolita; ſic ſuprà *cap.* 30. *Et erunt ſuper omnem montem excelſum, & ſuper omnem collem eleuatum riui currentium aquarum.* Et *Pſalm.*106. *Poſuit deſertum in ſtagna aquarum.* In quibus omnibus alluſum eſt ad illam benignitatem, officiorúmque magnitudinem, quibus Deus Iſraelem in ſolitudine proſecutus eſt. Vbi intelligenda eſt ſimilitudinis nota: quaſi dicat Deus. *Sic accipiam te, Iſrael, ſicut olim accepi parentes tuos, cùm aperui in ſupinis collibus flumina,* &c. In campis verò, & 36.

Dei in ſuos indulgentia.

Prouerbiũ.

rò, & collibus, omnis locorum differentia notatur: atque ita ſignificat, nunquam olim egreſſis ex Ægypto parentibus aquam defuiſſe, neque poſtea filiis defuturam, ſi in Domino, vt debent, fiduciam locent. Pro *ſupinus* Hebr. eſt שפי *ſephi*, quod *præcipitium* valet, ſiue *præruptum ſcopulum*, ex quo videtur virgâ percuſſu productus fuiſſe ſons à Moyſe, deinde per latam deſerti planitiem ſpatiatus: ita vt neque in collibus, neque in campis aqua defecerit. Niſi mauis, quod non videtur improbabile, alluſum hîc eſſe ad duos fontes, qui diuerſis locis atque temporibus à Moyſe producti ſunt; quorum alter è ſublimi loco, & ſupino colle, alter è plana, atque depreſſa valle erupit. De priori ſuadet nomen *petra*, quæ percuſſa eſt; de poſteriori nomen *putei*, qui *Num. cap. 21. verſ. 17.* à principibus effoſſus eſſe traditur.

37. dd *Dabo in ſolitudinem cedrum & ſpinam, & myrtum, & lignum oliuæ.*] Quidam codices habent *in ſolitudine*, & ita vertunt Pagninus, Vatablus, & Foreirus. Neque aliter videtur vertiſſe Hieronymus, vt ex eius commentariis conſtat: vbi in ſolitudine natas eſſe dicit cedrum, ſpinam, &c. ſed in Bibliis à Sisto nuper emendatis eſt *in ſolitudinem*, quod optimè admittit Hebraica præpoſitio ב *beth*, quæ modò quietem in loco, modò ad locum motum importat. Communiter alij, qui *in ſolitudine* legunt, hanc putant eſſe ſententiam. Deum vſqua adeò fore liberalem in ſuos, vt in ſolitudine quondam ſitiente, atque inculta naſcantur cedrus, ſpina, myrtus, oliua, abies, vlmus, &c. Quem etiam ſenſum admittere poſſet locus iſte, etiam ſi legas *in ſolitudinem*, grauatè tamen & inuitus. Ego attemperata ad poſteriorem lectionem explicatione, exiſtimo hîc a propheta duo proponi, quæ maiorem in modum amplificant diuinam liberalitatem in ſuos, & in alios ſeueritatem, & vindictam. Hos enim ira mulctabit, vt terram vberem, & frugiferam ſterilem reddat, & arentem: vt fecit exuſta, atque demerſa Pentapoli, id enim eſt cedrum, & myrtum verti in ſolitudinem, nempe per metonymiam, loca cedro, ac myrto perpetuò vernantia. Contrà verò illos ſic amplectetur indulgenter, ac molliter, vt arentem locum, omnîque plantarum ſpecie nudum vberem reddat, veſtiátque omni fructiferarum, atqua aromatiferarum arborum varietate. Spectaſſe autem videtur Iſaias illud *Pſal. 106. Poſuit flumina in deſertum, & exitus aquarum in ſitim, terram frugiferam in ſalſuginem à malitia inhabitantium in ea. Poſuit deſertum in ſtagna aquarum, & terram ſine aqua in exitus aquarum.* An verò ita re ipſa propriè contigerit, an verò figuratè, non laboro: quia hæc exiſtimo prouerbialem habere ſpeciem, ſumíque pro omni rerum abundantia, officiorúmque magnitudine. Hæc autē accidiſſe poſt ſtragem Senacherib, remigrationémque captiuorum è Babylonia ſatis credo omnibus exploratum eſt: & ea de re nos ſæpe multa.

38. ee Pro *ligno oliuæ* Hebr. eſt עץ שמן *hhets ſemen*, id eſt, *lignum vnguenti*, quod in omnem arborē aromatiferam conuenire poteſt. Neque ſanè videbatur abs re, ſi ita ſumeretur, quia arbores aliæ, quæ præceſſerant ſyluestres ſunt, tantúmque materia, ac ſpecie, aut ſucco nobiles; quare lignum vnguenti poſitum poſt illa videbatur, vt omnes alias eiuſdem ordinis arbores intelligeremus. Sed quia inter vnguenta, quod eſt ab oliua maximè frequens eſt, & ad hominū vſus latiùs patet, ideo commodè noſter interpres *oliuam* reddidit, id eſt nobiliſſimam plantam earum, ex quibus vnguentum, aut ſtillat, aut exprimitur.

Pro *ſpina* Hebr. eſt שטה *ſitah* quæ vox nihil ſonat horridum, & humile, ſicut illa, quæ communiter appellatur ſpina: ſed eſt arbor ſpecie viſenda, materia odorata, atque imputribili, de qua arca fœderis compacta eſt: quæ facta dicitur de lignis ſetim. De qua ſpina Hieronymus in illud *Ioelis 3. Et irrigabit torrentem ſpinarum. Eſt*, inquit, *genus arboris in eremo ſpinæ albæ ſimile colore, & foliis, non magnitudine. Alioqui tam grandes arbores ſunt, vt latiſſima ex illis tabulata cædantur, lignúmque fortiſſimum eſt, & incredibilis leuitatis, ac pulchritudinis*, &c. *Quæ ligna in locis cultis, & in Romano ſolo abſque Arabia ſolitudine non inueniuntur.* Idem penè Hieronymus in hunc locum: vbi addit eſſe lignum hoc imputribile, & omnium lignorum, tam in fortitudine, quàm in nitore ſoliditatem ſuperare.

39. ff *Vt videant, & ſciant, & recogitent, & intelligant pariter, quia manus Domini fecit hoc.*] Omnes tam qui Deum Iſrael venerantur, quàm, qui idolis inani ſuperſtitione ſeruiunt, pariter intelligent hæc tam varia, atque diſſimilia à Dei potentia, atque conſilio eſſe profecta. Illi, quia ex rerum anguſtiis ad abundantiam & latitudinem emerſerunt depreſſis aliis, quos ſuis non ſolùm rebus, ſed etiam capitibus imminere ſenſerāt: Hi verò, quia, excitatis aliis, ſe è ſuo ordine atque ſtatu deturbari videbunt. Ex hac rerum viciſſitudine vtrique ratiocinati videbunt, ſcient, & intelligent quis ſit Deus.

40. gg *Propè facite iudicium veſtrum. dicit Dominus, afferte ſiquid fortè habetis, dicit Rex Iacob.*] Repetit hîc, quæ in principio capitis dixerat dum Gentes aduocauit, vt deorum ſuorum cauſam ſuſciperent, diſceptaréntque. Quod ibi dictum eſt, *ſimul ad iudiciū appropinquemus*, hîc explicatur per verba non admodum diſſimilia, *prope facite iudicium veſtrum.* Porrò Deus Iſrael ex duobus ſe probauit Deum, & quòd ſuperiori ætate in populum ſuum admiranda ediderit ſuæ potentiæ, atque humanitatis ſigna, & quòd non diſſimilia prouideat, promittátque in poſterum. Talia ſigna petit, vt Gentes idolorum ſuperſtitioni deditæ de ſuorum deorum potentia, ac cognitione præbeant. Quod ſi contingat, non recuſat, quominus dij vocentur.

hh *Accedant & nuncient nobis quacumque ventura ſunt.*] Adſint, ô gentes, atque inſulæ, dij, quos vos tanto ſtudio ac ſumptu ex ligno dolaſtis, & aureis laminis obduxiſtis, & dent vobis vera rerum futurarum oracula, ſicut ego nunc facio, & perſpicuum faciant latere in ligno aut marmore aliquid diuinum.

41. ii *Priora, quæ fuerunt nunciate, & ponemus cor noſtrum, & ſciemus nouiſſima eorum.*] Duo ſtatuit ſigna, quibus idololatræ poſſint explorare an in mutis ſimulacris aliquid ſit diuinum. Primùm iubet vt antiqua repetant oracula, expendántque an veros habuerint exitus; & quæ antea fecerint, qui à Gentibus coluntur pro diis, an eiuſmodi ſint vt illis deorum nomen, & locum conciliare debeant. Nunciate, inquit Dominus, quæ prædixerunt dij veſtri, & nouiſſima illorum, id eſt, ſucceſſus conſiderabimus; & ex euentu iudicabimus, an vera ſint locuti: mendacij enim vel leuiſſima nota in diuinam naturam cadere non poteſt. Hoc idem ſignum dedit antè Deus *Deut. 18. Quomodo poſſum intelligere verbum quod Dominus non eſt locutus? Hoc habebis ſignum, quod in nomine Domini propheta ille prædixit, & non euenerit, hoc Dominus non eſt locutus.*

Idolorū vanitas, & ignorantia.

Idola verò locuta fuiſſe mendacium, aut edidiſſe A nugatoria, atque obliqua reſponſa, ipſi quoque idolorum cultores confeſſi ſunt.

41. Hunc quem adduxi, verum eſſe ſenſum puto, ſed tu vide an aliter locus explicari poſſit, nempe, vt ex eo, quod in idolorũ fabrica præceſſit, probet Deus idola nihil eſſe, aut non fore diuturna. Nam, vt diximus, ex ligno dolantur, aut conflantur ex metallo, &, vt ſtatim dicitur, ex nihilo ſunt ſicut aliæ res creatæ: redibunt igitur aliquando in nihilum. Ex materia ſanè, ex qua formata ſunt idola, promptum eſt eorum nouiſſima conſiderare. Cùm enim tempore conſumatur, & pereat, ipſa quoque idola tabeſcant, & pereant neceſſe eſt. Hæc alicui fortaſſe videbuntur non aliena, neque mihi B diſplicerent, ſi magis huic cogitationi faueret, quod ſtatim additur.

43. Captioſa, & ambigua Idolorũ oracula.

k k *Annunciate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia dij eſtis vos.*] Aliud proponit ſignum, quo probare poſſint Gentium idola ineſſe ſibi diuinitatis aliquid, nempe, vt quæ euentura ſunt certò prædicant. Poteſt quidem dæmon, vt eſt acuto ingenio, & ad coniectandum acri, diuinare, quid futurum ſit; ſed quia multa interdum incurrunt, quæ dæmonis coniecturas inuertunt, & turbant, ſæpe fallitur, & mendax deprehenditur. Certè licèt plurima ita contingant, vt à dæmone coniectando præuiſa, ac prænunciata ſunt, aliquid tamen plerumque admiſcetur falſi, quod dæmonis incertam C atque fallacem cogitationem prodit. Quare ipſe veterator, & callidus ne aperti poſſit incuſari mendacij, oracula reddit implexa, atque ambigua, ita vt in vtramuis partem detorqueri poſſint. Exempla ſunt apud profanos, vt illud de Pyrrho Ennij apud Ciceronem *de diuin. lib.* 2.

Aio te Æacida Romanos vincere poſſe.

Et de Crœſo Herodotus *in Clio.*

Halim traiectus magnam peruertet opum vim.

Vide plura apud Theodoretum *lib. de oraculis*, qui ſeorſum ab aliis libris excuſus eſt. Vbi multa adducit oracula eiuſmodi, vt ex illis nihil certi capias. Sed omnium optimè expreſſit Cicero 2. *lib. de diuinatione*, qui ſic Apollinem, cuius oracula certiſſima putabantur alloquitur. *Sed iam ad te venio ô* D *ſancte Apollo*, &c. *tuis enim oraculis Chryſippus totum volumen impleuit, partim falſis, vt ego opinor, partim caſu veris, vt fit in omni oratione ſæpiſſime, partim flexiloquis, & obſcuris, vt interpres egeat interprete, & ſors ipſa referenda ſit ad ſortes; partim ambiguis.*

44. l l *Bene quoque, ac malè ſi poteſtis facite.*] Oſtendit hactenus Deus, quemadmodum ſuos multis ornauit modis; alienos verò durè mulctarit dum in ſupinis collibus fontes producit, & regiones vbertatis, atque amœnitatis eximiæ in ſalſuginem vertit; & alia quæ priùs in eam ſententiam commemorauit. Hoc ipſum nunc exigit ab idolis, vt ex eis doceant ſe aliquid poſſe, quo ab hominibus vel amentur, vel timeantur. Hæc ſæpe in Scriptura reperiuntur, vt idolorum amatores inſcitiæ coarguan- E tur, & ſtuporis. *Ierem. cap.* 10. *Baruch cap.* 6. qui locus pro multis eſt. In quo propheta quàm parum dij gentium poſſint, elegantiſſimè deſcribit. *Neque ſi quid* (inquit, dij) *mali patiantur ab aliquo, neque ſi quid boni, poterunt retribuere. Neque Regem conſtituere poſſunt, neque auferre. Similiter neque dare diuitias poſſunt, neque malum retribuere, ſi quis illis votum vouerit, & non reddiderit, neque hoc requirunt. Hominem à morte non liberant, neque infirmum à potentiore eripiunt.* Et plura alia in eandem ſententiam. Notat optimè Gedeon in Idolis nihil eſſe numinis, qui deſtructa ara Baal, & luco ſucciſo in hunc modum ad eos, qui cauſam agebant idoli, locutus eſt, *Iud.* 6. *Si Deus eſt* (Baal) *vindicet ſe de eo, qui ſuffodit aram eius.*

m m *Ecce vos eſtis ex nihilo, & opus veſtrum ex eo quod non eſt.*] Sicut reliqua à Deo creata ſunt ex nihilo, & ideo corruptioni ſubſunt: ſic illi, qui putantur dij, communem illam rerum creatarum rationem non excedunt: quia ex nihilo fuerunt, & eandem cum aliis conditionem ſubeunt. Quod verò ipſi faciunt, à nihilo etiam factum videri poteſt, quia id, quod non eſt, idem eſt quod nihilum. Quo dicendi modo *idolum* idem eſt, quod *nihilum*. Quod expreſſit Paulus 1. *Cor.* 8. *Scimus quia nihil eſt idolum in mundo: & quod nullus eſt Deus, niſi vnus.* 45. Idolum nihil eſt. 1. Cor. 8.

Hæc explicatio mihi neque improbabilis eſt, neque difficilis; ſed placet multò magis, ſi dicas, illud *opus veſtrum* eſſe materiam ex qua ſimulacra ficta, aut conflata ſunt; illud verò &, ſumi non coniunctiuè, ſed cauſaliter, in hunc ſenſum, Vos eſtis ex nihilo, quia materia ex qua formati eſtis, eſt etiam ex eo quod non eſt, nempe à ſe, atque ideo ex nihilo. Quàm verò à ſe idola nihil habeant, indigeántque potius aliorum opera ad conſeruationem, & motum, quàm homines ab eorum ſiue potentia ſiue prouidentia pendeant, occurrunt in Scriptura ſæpiſſime. Vide *Baruch cap.* 6. *Iſai. cap.* 44. & 47. *Pſal.* 113. *Ierem.* 10. *Sap.* 13. 46.

n n *Abominatio eſt qui elegit vos.*] In *abominatione* artifices intelliguntur, qui ſimulacra fingunt, aut potiùs qui illa venerantur, iuxta illud Oſeæ, *cap.* 9. *Intrauerunt ad Beelphegor & abalienati ſunt in confuſionem, & facti ſunt abominabiles ſicut ea quæ dilexerunt.* 47.

o o *Suſcitaui ab Aquilone, & veniet ab ortu ſolis.*] Locus hic paulò obſcurior eſt; variéque diſtrahit interpretum ſententias. Hieronymus, Haymo, Cyrillus, Dionyſius, & Adamus Chriſtum eſſe cenſent hunc, qui ſuſcitatus dicitur ab Aquilone; licèt hic poſtremus de Cyro intelligi poſſe cenſeat. De Cyro accepit S. Thom. Lyra, Vatablus, Hugo, Emanuel Sa, Pintus; inclinat Adamus. De Chriſto non dubito explicari poſſe, typicè tamen. vt poſtea *cap.* 42. patebit multò magis, vbi iam de Chriſto non figuratè, ſed propriè, & explicatè ſermo erit. De Cyro ſatis probabilem facit expoſitionem tot virorum authoritas, & hiſtoriæ ratio: nam ille ab Aquilone vocatus eſt, & ortu, quia Perſidem eo loco ſitam eſſe conſtat, vt comparatione Palæſtinæ Aquilonaris, & Orientalis dici poſſit. Sic enim ad Aquilonem ſpectat, vt tamen in Orientalem plagam nonnihil inclinet. Deinde quia cùm deorum Gentilium numen explorare vellet ex futurarum rerum prædictione, ſuum omnino oſtendit, & probat dum quæ futura ſunt de ſoluenda Iudæorum captiuitate per Cyrum, multò antè prænunciat. 48.

Nihilominus mihi magis videtur expeditum, atque obuium, quod etiam viſum fuit Foreiro, his poſtremis verbis ſummam quandam adhiberi eorum, quæ duobus capitibus fuſiùs propheta perſecutus eſt. Quæ cùm grauia ſint, neque parum Iudæorum, aut Gentilium interſit illa ſemper eſſe infixa memoriæ, fecit excellens orator, & à Spiritu ſancto inſtinctus Iſaias, quod ſummi oratores præcipiũt, faciúntque, vt poſt rem grauiter, & luculenter expoſitam epilogum ad extremum adiungeret. Quod an verum ſit, iam experiamur. 49.

p p *Suſcitaui ab Aquilone, & veniet ab ortu ſolis.*] 50.

Quæ

Quæ Deus eſſe voluit in Gentium idolis diuinitatis argumenta, nempe vt præterita, & eorum nouiſſima, id eſt, exitus conſiderarentur, tum præterea vt ventura prædicerent, illa in ſe à nemine deſiderari poſſe dicit. Primum probat exemplo Abrahami, qui excitatus dicitur in principio capitis ab Oriente; & addit nunc ab Aquilone, quia ab regione vocatus eſt, quæ ita Septentrionem ſpectat, vt etiam ad Orientem inclinet: qualis eſt Meſopotamia reſpectu Iudææ. In Abrahamo autem, vt pluribus antea docuimus, etiam intelligitur eius poſteritas. Hîc obſerua illud *veniet*, & quod ſtatim ſubiecimus *vocabit*, & *adducet*, explicandum eſſe in ſignificatione præteriti, vt diximus hoc ipſo capite ad illud, *Dabit in conſpectu eius gentes*. quia æquè hîc atque illic tempus anteceſſit præteritum.

51. q q *Vocabit nomen meum: & adducet magiſtratus; quaſi lutum: & velut plaſtes conculcans humum.*] Significat quo modo in populo ab Aquilone vocato, id eſt Abrahamo, eiúſque progenie appareat vis aliqua longè, quàm humana potentior à Dei benignitate, atque ſtudio profecta: qua ab inope quondam Abrahamo, & à populo peregrino & nudo, tot gentes tam grauiter, tam late, ac facilè deletæ ſunt. Dei auxilium explicatur ea voce, *Vocabit nomen meum*. quæ dicendi forma auxilium indicat, quale implorare ſolent à potentiori virtute, qui infirmi ſunt. Et, vt ſatis ex ſcriptura liquet, nominis alicuius inuocatio inter alias ſignificationes etiam eſt diuinitatis confeſſio. Vtrumque verò oſtendebat priùs Abraham, & deinde populus ab eo prognatus, qui inuocato nomine Domini, & illum profitebatur eſſe Deum, & ſuis rebus fautorem aduocabat. A quo confirmatus, & munitus ſic conculcauit hoſtes potentiſſimos de genere Gigantæo, quibus comparatus quaſi locuſtæ videbatur, ſicut à plaſte ſubigi pedibus aſſolet figularis argilla ad fingenda vaſa. Hinc apparet quanti momenti ſit ad impugnandos hoſtes diuini nominis imploratio, ſeu oratio ante certamen præmiſſa: hæc enim armat, redditque alacres, & robuſtos, qui languido priùs animo fuerant, & pauido. Nemo ignorat quàm ſecunda bella, & quàm ſæpe fecerint Machabæi; bis tamen dicuntur ſuperati, & grauem accepiſſe plagam; ſemel ab Antiocho Eupatore *lib.* 1. *cap.* 6. iterum ibidem *cap.* 8. vbi Iudas interiit. Tunc autem Machabæi non dicuntur orationem ante certamen præmiſiſſe. Porrò *nomen Domini* ſumi pro *Domino* ſæpius à nobis traditum eſt, quare idem eſt *vocabit nomen meum*, atque *vocabit me*.

Oratio ad felices exitus potentiſſima.

52. r r *Quis annunciauit ab exordio, vt ſciamus, & à principio, vt dicamus, Iuſtus es?*] Hæc quæ facta commemorantur ab Abraham, & ab eius poſteris, longè ante prædicta fuerunt à Deo *Geneſ.* 13. *Omnem terram, quam conſpicis, tibi dabo, & ſemini tuo vſque in ſempiternum, faciámque ſemen tuum ſicut puluerem terræ.* Et poſtea Moyſi *Deut.* 11. *verſ.* 24. *Omnis locus, quem calcauerit pes veſter, veſter erit.* Hoc ipſum exigit nunc Deus ab idolis, vt oſtendant an aliquid horum multò antè prædixerint, cui ſucceſſus omnino reſponderit, vt hinc conſtet illis diuinum nomen, & cultum deberi, aut quod idem eſt, eſſe iuſta. Iuſtus verò futurus dicitur, cui iuſta conueniunt; aut quia hoc Dei nomen eſt; qualis ſæpe Deus ab Iſaia nominatur, dum dicitur, *Iuſtus Iſrael*: aut quia cùm in hoc iudicio (nam iudicij ſpeciem habet hæc diſceptatio) de Dei nomine ac dignitate controuerſia ſit, qui iuſtus pronũciatur, iuſtè Dei nomen ſibi vendicaſſe dicitur, ac perinde Deum eſſe.

A ſ ſ *Non eſt neque annuncians, neque prædicens, neque audiens ſermones veſtros.*] Longè ſunt muta ſimulacra, quæ os habent, & non loquentur, vt aliquid annunciauerint, prædixerintque: neque in hoc iudicio teſtis erit vllus, qui ſe aliquid ab eis audiſſe teſtetur. Quare ex hac parte cadet illis diuinitatis probatio, ac ſpes. 53.

t t *Primus ad Sion dicet, Ecce adſum: & Ieruſalem Euangeliſtam dabo.*] Probarat priùs ſe Deum eſſe, quia ſucceſſus rebus multò antè prædictis fidem fecerat: nunc oſtendit eundem ſe eſſe modò, qui antè fuerat. Vt enim olim, ſic etiam modò futura dicit per prophetas. Videtur autem alluſum ad id, quod dictum eſt *in principio cap.* 40. id eſt, in 54.
B principio huius prophetiæ, vbi prophetis edicitur, vt loquantur ad cor Ieruſalem. Et ſtatim *verſ.* 9. *Super montem excelſum aſcende tu, qui euangelizas Sion, exalta in fortitudine vocem tuam, qui euangelizas Ieruſalem.* Probat autem Deus ex hoc ipſo loco, in quo verſamur, ſe adhuc, ſicut antea, prænunnunciare, quæ euentura ſunt. Nam in principio capitis dixiſſe videtur, *Ecce adſunt*, nempe prophetæ mei, qui loquantur ad cor, & ſtatim, *qui euangelizas Sion.* Quod nunc repetit, cùm dicit, *Euangeliſtam dabo.* id eſt, nuncium lætum. Quæ puto videbuntur non improbabilia, ſi textum ipſum Hebraicum examinemus.

Ad verbum ſic interpretor: *Primum ad Sion, ecce, ecce ipſos, & ad Ieruſalem, Euangeliſtam dabo.* Illud 55.
C *ecce, ecce ipſos*, illos deſignat, quibus in principio *cap.* 40. dictum eſt, *loquimini ad cor Ieruſalem.* Illud *dicet* non eſt in textu Hebraico. ſed interpres addidit explicationis gratia. Eſt autem explicandum per præteritum *dixit*, quia præteritum aliud anteceſſit: Seu certè per futurum, vt dicemus ſtatim. Eſt ergo ſenſus: *Legite primum, aut principium prophetiæ huius, cùm Deus loqueretur ad Sion: & ecce, ecce, inquam, occurrent tibi ſtatim prophetæ per quos Sioni futura prænuncio; vbi dico me daturum Ieruſalem Euangeliſtam, id eſt, nuncium lætum.*

Porrò in textu Hebraico, & in codicibus emendatis à Sixto non eſt *adſum* in prima, ſed *adſunt* in tertia perſona. Hebr. הנם *hinam*, id eſt, *ecce ipſos.* 56.
D Optimè verò addidit interpres *dicet*, ſiue per præteritum explices, ita vt propheta oſtendat, quid dixerit Deus; aut certè moneat auditores, vt conſulant huius prophetiæ principium: ibi enim dicet illis Deus: *Ecce prophetas dabo Sion, & Euangeliſtam Ieruſalem.*

u u *Et vidi, & non erat neque ex iſtis, quiſquam, qui iniret conſilium, & interrogatus reſponderet verbum.*] Hæc verba videntur eſſe prophetæ, qui ſuæ perſonæ auctor hîc eſt, non actor, & repræſentans diuinam. Qui cùm videret neminem idolorum cauſam, aut velle aut poſſe defendere, neque de illorum defenſione inter ſe, aut inire, aut conferre conſilia, tandem concludit. 57.

E x x *Ecce omnes iniuſti, & vana opera eorum: ventus, & inane ſimulacra eorum.*] Cùm præter vanitatem, & mendacium nihil ſit in idolis, ſéque nimiùm ſtupidis ac credulis hominibus pro Dijs venditent; neque tamen illis poſſint aliquid afferre præſidij, ac leuamenti, planè iniuſti ſunt; cùm in ſe ſperantes decipiant, & euertant. Seu certè ideo vocantur *iniuſti*, quia in hac iudicij forma, tanquam iniuſta meditati, & iniuſtorum appetentes cauſa cadent, & iure, quod ſibi ipſi falsò vindicabãt. Quare digni cenſendi ſunt, qui ab eo loco, quem ſibi iniuſtè arrogarant, exturbentur. 58.

Argumentum quadrageſimi ſecundi capitis Iſaiæ.

PROMITTIT *Deus primùm in hoc capite ſeruatorem, & legiſlatorem Chriſtum, cuius ingenium, & conſuetudo mirificè deſcribitur. Quia verò ſalus per Chriſtum in omnes terræ fines diffunditur, omnes ad tanti beneficij memoriam celebrandam hortatur. Deinde quanta, qualiſque futura ſit Euangelij tempore Gentilium conuerſio edocet; ſibique non iam ampliùs eſſe ab Idolorum nugis, temperandam terribilem, atque vltricem manum. Tandem ad populum Iuda ſermo conuertitur, qui propoſitis incommodis, quæ decem tribus propter peccata pertulere, admonetur, vt alienis periculis edocta, ſuo capiti caueat, ne ſimile experiatur ſupplicium, quando eiſdem ſceleribus ſe implicuit.*

CAPVT XLII.

1 [a] [b] ECCE *ſeruus meus,* [c] *ſuſcipiam eum;* [d] *electus meus, complacuit ſibi in illo anima mea:* [e] *Dedi ſpiritum meum ſuper eum,* [f] *iudicium gentibus proferet.*

2 [g] [h] *Non clamabit, neque accipiet perſonam, nec audietur vox eius foris.*

3 [i] *Calamum quaſſatum non conteret, & linum fumigans non extinguet:* [k] *In veritate educet iudicium.*

4 [l] [p] *Non erit triſtis, nec turbulentus,* [m] [t] [r] *donec ponat in terra iudicium:* [n] [q] *& legem eius inſulæ expectabunt.*

5 [s] *Hæc dicit Dominus Deus, creans cœlos, & extendens eos: firmans terram, & quæ germinant ex ea; dans flatum populo, qui eſt ſuper eam, & ſpiritum calcantibus eam.*

6 [v] *Ego Dominus vocaui te* [x] *in iuſtitia,* [y] *& apprehendi manum tuam, & ſeruaui te.*

7 [z] *Et dedi te in fœdus populi, in lucem gentium.*

8 [aa] *Vt*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 DIXI miſſurum me Euangeliſtam, qui populo meo lętum afferat nuncium; Ecce maius aliquid molior. Mittam enim ſeruum meum Chriſtum, cui ſemper adero: Electum meum, in quo mihi ipſi omnino complacui. Super quem Spiritum ſanctum miſi, quémque doctorem, ac legiſlatorem dedi, qui leges condat; imponátque gentibus, & illas denique inſtituat, ac iudicet.

2 Hic optimi iudicis partes omnes explebit: neque enim clamoſus, aut contentioſus erit. Non valebit apud illum fauor, & gratia, quæ iudicia peruertunt; neque in plateis audietur natus ex ira, atque offenſione clamor.

3 Tam erit manſuetus, & patiens, vt quaſſatum calamum, qui nulli iam vſui eſſe poteſt, non confringat; & ellychnium fumigans, cuius grauis eſt, & noxius odor, non extinguat; denique verè, integrè, atque incorruptè iudicabit.

4 Non erit difficilis, moroſus, & inexorabilis, non animi tumultuantis, ac turbidi, donec Euangelica lege conſtituta leges abroget alias, & homines ad honeſtatem, & veram religionem informet. Quas non vna tantùm Iudæa, ſed omnes terræ fines expectant, & tandem amplectentur.

5 Hoc tantum de Meſſia beneficium promittit Dominus, qui immenſam cœlorum, atque exſplendentem molem creauit, & in tabernaculi modum extendit. Qui terram produxit, illámque admirabili germinum varietate veſtiuit. Qui vitæ ſpiraculum hominibus indidit, & vitalem ſpiritum his, qui in terra morantur.

6 Ego Dominus vocaui te, ô Meſſia, vt ea præſtares, quæ pollicitus ſum, & me iuſtum, atque fidelem in promiſſis oſtenderes; tum vt legiſlator, cum Euangelio iuſtitiam in terram introduceres. Quem ego prehenſum manu, ita ſuſcipiam, atque ſeruabo, vt æquum eſt ab omnipotente Patre optimum, atque chariſſimum filium eſſe ſuſceptum.

7 Miſi te, vt fœdus impleres, quod ego in Iudæorum gente pepigeram; & lucem afferres

Genti

Gentilium populis, quorum oculis offuſæ erant non minùs craſſæ, quàm pernicioſæ tenebræ.

8 Vt cæcis hominum oculis viſum, aut primùm dares, aut ablatum redderes, vt vinctos eximeres è cuſtodia: vt eos, qui horrentibus deſident io tenebris, perfractis vinculis euocares in lucem.

9 Ego ille ſum Dominus, qui hæc promitto, & ſuo tempore fideliter implebo. Hoc nomen meum eſt, neque illud eſſe patiar cum alio commune. Neque gloriam, quæ tanto reſpondet nomini, alteri concedam: & multò minùs Gentium Idolis ſculptis è ligno, aot è metallo cooflatis.

10 Quæ olim Abrahamo, & eius generi prædixi, iam euenerunt: neque minori fide complebuntur, quæ vobis io futurum nunc præſens aonuncio.

Ergo toto orbe terrarum, ab vltimis vſque finibus, diuinæ perſonent laudes: quia ad omnes vſque fines diuina ſeſe porrigit benignitas. Cantate ergo vos quoque Gentiles, qui maria nauigando tranſmittitis: Cantate inſulæ, quæ extatis è pelago, quod impletis, quaſi aooulum gemma: & qui inſularum habitatores eſtis.

11 Extolletur deſertum ſterile quondam, & horridum, & ciuitates quæ io ipſo ſunt. Cedareni etiam, qui ferinum in modum iocertis ſedibus in ſolitudine vagabantur, ad cœtum iam, & ciuilem cultum traducti, domos habitabunt, & vrbes. Laudabunt igitur Deum habitatores Petræ, quæ Arabiæ caput, & metropolis eſt: & qui in excelſis ſaxorum faſtigiis habitant.

12 Attolleot laudibus Domini gloriam: & illius omnium præconiis officia celebranda inſulis hîc longè ſummotis annunciabunt.

13 Quia Dominus egredietur ad Idolorum nefarium cultum euertendum tanquam bellator ſtrennuus, & fortis. Et quem in Gentium ſimulacra furorem conceperat, tandem euomet. Tunc autem clamores edet, & ſonitus militares: & contra ſui nomiois hoſtes longè præualebit.

14 Satis diu ſilui, tuliſque patienter detractos mihi honores Gentium Idolis ab impiis hominibus exhiberi. Iam tandem tempus eſt vt ſilentiom rumpam eo ſiue rugitu, ſiue fremitu, quem laborans io puerperio mulier ſolet emittere. Diſſipabo itaque, & concidam ſimul tam Idolorum vacuum, & nefariom cultum, quàm eos, qui illum obſtinato animo ſimulacris exhibere volent.

15 Mootes igitur, & colles, io quibus ad Idolorum cultum paſſim extruebantur altaria, eò redigam, vt nemo iam ad illos aſcendat religionis gratia. Fruticem, & gramen, quæ illis honorem, & ſpeciem dabant, exuram, & perdam: ſtagna conuertam in ſitientes campos: & flumina ſic exſiccabo, vt non magis abundent aquis, quàm inſulæ, ad quarum faſtigia aquæ non aſcendunt,

8 [aa] *Vt aperires oculos cæcorum, & educeres de concluſione vinctum; de domo carceris ſedentes in tenebris.*

9 [bb] *Ego Dominus, hoc eſt nomen meum:* [cc] *Gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam ſculptilibus.*

10 [dd] *Quæ prima fuerunt, ecce venerunt: noua quoque ego annuncio: antequam oriantur audita vobis faciam.*

[ee] *Cantate Domino canticum nouum, laus eius ab extremis terræ;* [ff] *qui deſcenditis in mare, & plenitudo eius, inſulæ, & habitatores earum.*

11 [gg] *Subleuetur deſertum, & ciuitates eius: in domibus habitabit* [hh] *Cedar.* [ii] *Laudate habitatores Petræ, de vertice montium clamabunt.*

12 *Ponent Domino gloriam, & laudem eius in inſulis nunciabunt.*

13 [kk] *Dominus ſicut fortis egredietur, ſicut vir præliator ſuſcitabit zelum:* [ll] *vociferabitur, & clamabit: ſuper inimicos ſuos confortabitur.*

14 [mm] *Tacui ſemper, ſilui, patiens fui,* [nn] *ſicut parturiens loquar. Diſſipabo, & abſorbebo ſimul.*

15 [oo] *Deſertos faciam montes, & colles, & omne gramen eorum exſiccabo. Et ponam flumina in inſulas, & ſtagna areſaciam.*

& ideo inter marinos fluctus aridæ ſunt.

16 [pp] *Et educam cæcos in viam quam neſciunt: & in ſemitis, quas ignorauerant, ambulare eos faciam. Ponam tenebras coram eis in lucem, & praua in recta: Hæc verba feci eis, & non dereliqui eos.*

16 Exciſis itaque ſaltibus, & arefactis fontibus, noua lux orietur cæcis Gentilium oculis. Illos igitur iam iam videntes in viam deducam priùs ipſis incognitam: & ambulare faciam in ſemitis, quas eorum pedes nunquam antè calcauerant. Tenebras in quibus ipſi deuiis errabant, cæciſque veſtigiis, ab illorum oculis offuſo ſolari lumine diſcutiam; & pro ſinuoſa, atque impedita via, cui priùs inſtiterant, rectam oſtendam, & facilem, quam cum voluptate, & ſine periculo ingrediantur: Hæc locutus ſum ad Gentes, quæ ſe idolorum nugis addixerāt; quas non minùs fideliter liberaui, quàm liberaliter priùs meam obligaueram fidem.

17 [qq] *Conuerſi ſunt retrorſum; [rr] Confundantur confuſione qui confidunt in ſculptili, qui dicūt conflatili; vos Dij noſtri.*

17 Conuertentur igitur retrorſum Gentiles ab eo curſu, quem priùs inſtituerant, ſuperiorem vitæ rationem execrati. Qui vbi cœleſti irradiati lumine cognouerint, quàm fœdè religioni ſeruierint, quàm ſtultè à ligno & marmore ſalutem implorauerint, ſic afficientur, vt ſuffuſi rubore, quanto in errore verſati fuerint, non obſcurè teſtentur.

18 [ſſ] *Surdi audite, & cæci intuemini ad videndum.*

18 Nunc ad vos redeo, Iudæi, qui quod Gentes illuſtratæ Euangelica luce auidè amplectentur, vos væſano conſilio reſpuetis. Audite igitur, ô ſurdi, quæ vos ad pietatem, & veram religionem erudiunt. Videte, ô cæci, ſed eo videte modo, qui vos in ſalutari, atque cœleſti ſemita conſtituat.

19 [tt] *Quis cæcus, niſi ſeruus meus? & ſurdus, niſi ad quem nuncios meos miſi? [vv] Quis cæcus, [xx] niſi qui venundatus eſt? & quis cæcus, niſi ſeruus Domini?*

19 Quis eſt cæcus ille, qui oculos ad videndum non habet? Sanè ſeruus meus Iſrael: qui ad vitulos aureos defecit, & qui iam graues perfidiæ pœnas captiuus aut experitur, aut expectat. Quis ſurdus? ille ad quem per prophetas ſæpe locutus ſum, quíque mandata mea cum murmure ſuſcepit, & ſibilo. Quis cæcus, niſi quem ego tot mihi beneficiis ſeruum feci? & qui ſe mihi propter illa mancipium dedit? Ille, inquam, cæcus eſt, qui ſeruus mihi multis nominibus eſſe debuit.

20 [yy] *Qui vides multa, nonne cuſtodies? Qui apertas habes aures, nonne audies?*

20 Nunc tu, ô Gens Iudæa, quæ nunc multa vidiſti diuinæ naturæ, atque virtutis documenta; nónne ex ore prophetarum audita cuſtodies, aliarum tribuum edocta periculo? cùm aures tibi diuinæ voces ſæpius aperuerint; nónne præbebis facilem, atque obſequentem auditum?

21 [zz] *Et Dominus voluit vt ſanctificaret eum, & magnificaret legem, & extolleret.*

21 Voluit quidem Deus decem illas tribus officiis cumulare quamplurimis, vt populum illum ſanctum faceret, & extolleret: & legem ſignis, & miraculis magnam eſſe oſtendit, quò populum illum ad eius obſeruantiam excitaret.

22 [aaa] *Ipſe autem populus direptus, & vaſtatus. [bbb] Laqueus iuuenum omnes, & in domibus carcerum abſconditi ſunt. [ccc] Facti ſunt in rapinam, nec eſt qui eruat: in direptionem, nec eſt qui dicat; Redde.*

22 Populus autem ille, quia legem contempſit, miſerè ab hoſte vaſtatus, & laceratus eſt. In carcerē contruſi ſunt omnes, & in vincula cōiecti, vincula, inquam, fortia, quę perfringi non poſſint, qualibus robuſti, & iuuenes conſtringi ſolent. Prædæ facti, & direptioni alienis. Neque erit

23 [ddd] *Quis*

qui

qui illos ab ærumnoſa illa conditione rapiat: aut de illorum exilio ſoluendo cogitet.

23 Hæc paſſæ ſunt decem tribus. Ecquis autem in vobis, ô domus Iuda: qui iſta aut audiat, aut meditetur? & eadem ſibi euentura non metuat: cùm iiſdem ſe ſceleribus implicuerit.

24 Quis hoſtibus Iſraelem vaſtandum, ac diripiendum tradidit? nónne Deus ab Iſraele offenſus? in quem nos etiam peccauimus, ac iure optimo eundem ſupplicij modum formidare poſſumus. Illud verò tantum infortunium paſſus eſt Iſrael, quia neque demonſtratam ab illo ſemitam inire voluit: neque quam ipſe legem præſcripſit, obſeruare.

25 Quare furorem ſuum antè conceptum, compreſſúmque diu, in illum populum tandem euomuit, immiſſóque bello, cui pro virtute, inſtructúque militari, repugnare non potuit; incendio vaſtauit. Quod infortunium dirum, & miſerabile ideo pertulit; quia ſtultus fuit, neque ſibi impendere malum illud aut cognouit, aut credidit.

23 [ddd] *Quis eſt in vobis qui audiat hoc, attendat, & auſcultet futura?*

24 [eee] *Quis dedit in direptionem Iacob, & Iſrael vaſtantibus? Nónne Dominus ipſe cui peccauimus?* [fff] *Et noluerunt in viis eius ambulare, & non audierunt legem eius.*

25 *Et effudit ſuper eum indignationem furoris ſui, & forte bellum,* [ggg] *& combuſsit eum in circuitu, & non cognouit: & ſuccendit eum, & non intellexit.*

IN CAPVT QVADRAGESIMVM SECVNDVM COMMENTARIVS.

1\. [a] ECce *ſeruus meus, ſuſcipiam eum: electus meus, complacuit ſibi in illo anima mea.*] Noua Deus annunciauerat in principio huius prophetiæ, vt ex eorum euentu ſe Deum eſſe doceat, nunc aliquid aliud nouum oſtendit, cuius etiam ſucceſſum expectari iubet in eundem finem, vt ſtatim indicat *verſ. 9. Quæ prima fuerunt ecce venerunt: noua quoque annuncio.* Oſtenderat ſuprà beneficia grandia in populum Hebraicum, & libertatem, & requiem ex longa vexatione: quæ omnia per Chriſtum multò luculentiùs comparata ſunt. Oſtenderat ſe miſiſſe prophetas, miſſurúmque deinceps, qui futuri eſſent Euangeliſtæ, id eſt, rerum maximè optabilium annunciatores. Cùm autem hæc nunciaturus, & præſtiturus eſſet Chriſtus multò, quàm alij prophetæ cumulatiùs, & illuſtriùs, de illo nunc fusè, & luculenter agit. Videtur autem alluſum ad illa verba quæ nuper *ex cap. 41.* ex Hebraico textu producebamus, vbi pro eo quod vulgatus legit *ecce adſunt*, ſcilicet prophetæ, Hebr. eſt *ecce ipſos.* Ac ſi dicat Deus. *Ecce ipſos dabo, imò ecce ego dabo ſeruum meum, electum meum, in quo ſibi complacuit anima mea: maius aliquid meditor, quam quod adhuc in prophetis vobis largitus ſum.*

2\. [b] *Ecce ſeruus meus.*] Quomodo Chriſtus dici poſſit ſeruus, ratione ſcilicet humanitatis aſſumptæ, docent Theologi *in 3. p. q. 20. S. Thom.* Hunc locum eſſe intelligendum de Chriſto nemo piè dubitare poteſt, cùm id apertè dicat Matthæus *cap. 12.* Vbi cùm non tam numeraret verba, quàm ſententiam ſequeretur, nonnulla mutauit, alia omiſit, quæ ſunt in Iſaia, etiam iuxta ſeptuaginta tranſlationem: de

A quibus poſtea nonnihil, poſtquam ſecundùm vulgati verſionem locum expenderimus.

[c] *Suſcipiam eum.*] Hebr. אתמך *ethmoch*, quod 3.
ſignificat ſuſcipere non vulgari aliquo, & communi modo, ſed quomodo pater filium ſuſcipit, ſuſtentátque in vlnis, obſeruátque ſedulò ne quid illi accidat infortunij. Quod de ſe Chriſtus ipſe dixit *Pſal. 15.* vt exponit Petrus *Actor. 2. verſ. 25. Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi, ne commouear.* Aliquid ergo ſingulare atque præcipuum oſtendit Deus, in ſuſcipiendo, atque eligendo Chriſto ſupra prophetas alios. Pſal. 15.

[d] *Electus meus, complacuit ſibi in illo anima mea.*] 4.
Ad hunc locum ſine dubio alluſit Pater *Matth. 3.* Matth. 3.
& *Luca 9. Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Vbi in *dilecti* nomine videntur illa duo B comprehenſa, *ſuſcipiam eum*, & *electus meus.* Quo loco obſeruo confirmari hic apertè, quod alio loco à me probatum eſt, per animam cum genitiuo, aut poſſeſſiuo pronomine circumſcribi perſonam, cuius eſt anima. Vt, *placuit animæ meæ*, id eſt, *mihi. qui amat animam ſuam*, id eſt, *ſe.* Nam quæ hîc ita efferuntur, *Complacuit ſibi in illo anima mea. Matthæus 3.* eodem ſenſu dicitur, *In quo mihi complacui.* Qui loquendi modus mirè exaggerat & amoris vim, & alterius merita, quæ videntur amantis implere deſiderium, & votum: cui ſatis factum eſt ab eo, qui amatur.

Per animã circumſcribitur is, cuius eſt anima.

[e] *Dedi ſpiritum meum ſuper eum:*] De hoc ſpiritu diximus ad illud *cap. 11. Et requieſcet ſuper eum ſpiritus ſapientiæ, & intellectus.* Optimè verò totus hic locus expreſſus eſt *Matth. cap. 3.* Vbi Spiritus ſanctus datus dicitur Chriſto à Patre. Illud prius 5.

expreſſum eſt dum dicitur. *In quo mihi complacui:* hoc poſterius ſigno quodam aperto; nam quo tempore hæc dicta ſunt à Patre, Spiritus ſanctus apparuit in columbæ ſpecie.

6. ^f^ *Iudicium gentibus proferet.*] Hæc pars explicatur, vt opinor, ab æterno Patre *Lucæ cap.* 17. quando in transfiguratione cùm verba ſuperiora repetiiſſet, aut ſaltem eorum ſententiam, addidit, *ipſum audite*, quod idem eſt ac Chriſtum conſtitutum eſſe à Patre doctorem, & legiſlatorem: nam tales audiri ab inferioribus, & eorum inſtituta ſeruari debent. Eſt ergo *à Chriſto iudicium proferri Gentibus*, nihil aliud quàm leges ab illo condi, quas Gentibus imponat. Hoc autem loco *Gentes*, vt reor, non tantùm dicuntur populi idolorum ſuperſtitionibus addicti, ſed omnes omnium ordinum, ac religionum homines. Eſt ergo ſenſus, Dabo ei ſpiritum meum in quo requieſcet; quo ſpiritu legem ſtatuet, nempe euangelicam, quæ latè ſe in omnes gentes diffundet.

7. ^g^ *Non clamabit, neque accipiet perſonam, neque audietur vox eius foris.*] Proponuntur hic certa ſigna Meſſiæ, quæ omnia ſumpta ſunt ab eius mitiſſima, ac benigniſſima natura, vt apertè docuit Matthæus *cap.* 12. Nam cùm Phariſæi conſilium inirent, quomodo Ieſum perderent, & ipſe nihilominus curaret infirmos, ſubdit. *Vt adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam prophetam dicentem. Ecce puer meus quem elegi*, &c. Pro eo quod vulgatus reddidit, *non accipiet perſonam*, Hebr. eſt נשא *iſſa*, id eſt, *tollet*, ſeu *leuabit*, neque nomen vllum additur. Quare aliud ab aliis ſupponitur, & ſuppletur. Rab. Salomon *vocem* ſupplendam putat, in hanc ſententiam. *Non tollet vocem.* Quod Hieronymo in commentariis non diſplicet; licèt ipſe ſuppleat *perſonam*, ſiue *faciem. Suſcipere* autem *faciem*, ſeu *perſonam alicuius* phraſis eſt Græca, quæ ſignificat præcipuam aliquam rationem haberi alicuius. Id enim eſt πρόσωπον λαμβάνειν. Septuaginta reddunt *non dimittet*, aut, ſicut in commentariis refert Hieronymus, *non relinquet.* Matthæus *non contendet, non clamabit.* Ego in tanta rerum varietate puto Matthæum in exponenda hac parte omnium optimè vim expreſſiſſe textus Hebraici. Quem fuiſſe Apoſtolos, & Euangeliſtas nonnunquam ſecutos, dicemus ſtatim, cùm de Matthæi tranſlatione agemus. Suppleuit autem ſine dubio *vocem*, cùm expoſuit, *clamabit.* Nam *leuare*, aut *tollere vocem*, *clamare* eſt; Imò meo iudicio nihil videtur eſſe ſupplendum, cùm poſteriori loco adhibita fuerit *vox* in Hebraico textu, & repeti per zeugma poſſit in priori. Nam verbum ישמיע *iaſmiahh*, pro quo vulgatus *non audietur*, & Matthæus *neque audiet aliquis*, quia eſt in coniugatione Hiphil, duas actiones importat. Quare ſenſus eſt facilis, & optimè à Matthæo redditus. Ad verbum ſic reddo, Non leuabit, neque audire faciet quemquam foris vocem ſuam.

8. ^h^ Vbi vulgatus tranſtulit, *non clamabit*, Matthæus reddidit multò ſignificantiùs, *non contendet*, id eſt, non erit contentioſus, aut clamoſus. Contentio verò immoderatis vocibus plerumque foris, id eſt, vt vertit Matthæus, in plateis fieri ſolet. Quòd *clamare* hoc loco ſit vociferari, ſeu iurgari contentioſè, & turbulentè, exemplum Chriſti docet, qui clamaſſe dicitur *Lucæ* 7. *Hæc dicens clamabat.* Et ad Hebræos *cap.* 5. *Preces cum clamore valido, & lachrymis offerens exauditus eſt.* Et *Matt.* 27. *Clamans voce magna emiſit ſpiritum.* Sed clamor iſte non ex perturbato animo, aut contentioſo natus eſt; ſed ex

A pietate, ac commiſeratione. Facit ad hæc quòd *clamor* pro ira, atque amaritudine ſumitur. Illa enim quaſi ſynonyma coniunxit Paulus *ad Epheſ.* 4. *verſ.* 31. *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor tollatur à vobis.* Eſt autem magna quædam epitaſis in eadem ſententia tertiò geminata, quâ maiorem in modum commendatur Chriſti manſuetudo, ſilentium, & modeſtia. Eſt autem idem non clamare, ſeu non contendere, nempe clamoribus, & non tollere vocem & facere ne vnquam vox audiatur foris, ſiue in plateis.

Clamor pro ira, & iurgio.

Neque ideo ſequitur malè vertiſſe vulgatum, ſicut neque aliis in locis, in quibus ſcriptores canonici in teſtamento nouo à vulgari tranſlatione diſſentiunt. Nam tam *vox* quàm *perſona* in verbo B נשא *iſſa*, ſuppleri potuit, & ex hoc eodem loco ſenſus, quem vulgati tranſlatio repræſentat, apertè colligitur. Sunt enim plurima, quæ in doctore, ac legiſlatore Ieſu perſonarũ acceptionem excludunt: vt quòd Gentibus prolaturus ſit iudicium, & non tantùm Iudæis. Et infrà. *Dedi te in fœdus populi, in lucem*] *Gentium.* Item, *In veritate educet iudicium*, id eſt, iudicium proferet verum, ſine vlla nempe perſonarum acceptione. 9.

^i^ *Calamum quaſſatum non conteret, & linum fumigans non extinguet.*] Prouerbialis hic apparet ſpecies quæ mirum in modum explicat alicuius lenitatem, & manſuetudinem: ſed non omnes eandem parœmiæ rationem adducunt. Maldonatus *ad cap.* 12. *Matth.* hanc eſſe ſententiam putat, ſic Chri- C ſtum leni, ac ſedato ambulaturum greſſu, vt ſi per calamum fractum incedat, ſeu ſtuppam fumigantem, neque illum comminuat, neque hanc extinguat. Hieronymus *Epiſtola ad Algaſiam quæſt.* 2. *calamum* muſicum inſtrumentum eſſe putat, id eſt, fiſtulam, ſeu tibiam, qui cùm vocalis priùs fuiſſet, & canorus, vbi fractus eſt iam vtilis eſſe deſinit: & ſi aliquid ſonat illud abſonum eſt, & inconditum. Quare nulla tanta eſt, aut tibicinis, aut auditoris patientia, qui illum non abiiciat, & perdat. In *calamo* autem *quaſſato* Hieronymus populum agnoſcit Iudaicum, qui ſuauiter aliquando cecinit, pòſt verò inconcinnè, & vaſtè. In *calamo & lino* etiam Iudæos agnoſcit Auguſt. *lib.* 20. *de ciuitate cap.* 30. licèt aliter explicet. 10.

Prouerbiũ.

Mira Dei patientia in ſuſtinendo peccatore.

D Ad ſenſum moralem grauis eſt Hieronymi explicatio & aptiſſima ſimilitudo: nam quemadmodum ſi fractus calamus, aut inconcinnus alium referat ſonum, quàm exigit tibicinis inflatus, eúmque abſonum, vaſtum, & abſurdum, nullus erit tibicen, qui artem ſuam, & ſpiritum perire velit in inflando tam inutili, atque vlulanti, potiùs quàm numeroſè reſonanti calamo. Dixit hoc bellè Cicero *de claris oratoribus; Si tibiæ inflatæ non referant ſonum, abiiciendas ſibi eas eſſe tibicen putat: ſic oratori populi aures tanquam tibiæ ſunt, eæ ſi inflatum non recipiant, aut ſi auditor cum illo tanquam equus non facit, agitationi finis faciendus eſt.* Optimè hæc Cicero. Sed in re ſpirituali multò aptior, & grauior comparatio; E inflat enim animum noſtrum, ſicut tibicen calamum, Deus, dum hanc, vel illam ſanctam cogitationem, timorem, aut alium ſenſum, & mentem inſpirat, eſt enim inſpirare, idem omninò, quod inflare. Animus verò noſter ingratus tanquam fracta tibia, & agreſte aliquid reſonans, nec ad numerum, nec ad tibicinis, id eſt, Spiritus ſancti inflatum reſpondet; ſed dum inflatur ad lenes, & ſuaues modulos, ad patientiam putà, ac lenitatem, aliquid reſonat durum, ferum, ſuperbum, & alienum omnino 11.

omnino ab inflatu, ſeu inſpiratione diuini tibicinis; ſperat tamen Deus, vt aliquando reſonet ad numeros, & ad mentem artificis; neque ſtatim abiicit, & confringit abſonum, & vlulantem calamum; quod facit tibicen. Quæ ſingularis planè Dei patientia eſt.

Neque minùs elucet diuina patientia, in ferenda illius ſiue intemperie, ſiue væſania, qui quum ſe virum profiteatur Apoſtolicum, & Euangelij præconem, & vocem ſiue nuncium diuini conſilij, qualis eſt concionator, ipſe tamen fabulas meditatur, & nugas magis aptas Theatrali turbæ, quàm Eccleſiaſticæ concioni. Hic planè calamus confractus eſt, & abſurdum aliquid, & nugatorium ſonat; cùm tamen, quaſi quoddam ſanctum inſtrumentum Spiritus ſancti reſonare deberet, ad illius B inflatum aliquid ſanctum, & ſalubre; vt par eſt illum loqui, quem cæleſtis ſpiritus aſpirat, & inſtigat. Explicuit hoc optimè, Greg. Nazianz. *Orat. 8. in principio*, vbi docet quomodo vir Apoſtolicus Spiritui ſancto ſubeſſe debeat. Cùm enim adduxiſſet illud *Pſal. 118. Os meum aperui, & attraxi ſpiritum* ait. *Organum diuinum ipſe ſum, organum ratione præditum, organum, quod à præclaro artifice, hoc eſt à Spiritu ſancto concors redditur, ac pulſatur; heri ſilentium operabatur, ſilentio ſtudebam; hodie mentem pulſat, ſermonis ſonum edam, ac loqui ſtudebo. Nec vero aut tanta loquacitate ſum, vt verba facere cupiam, cùm ſpiritus in me ſilentium efficit: aut tam ſupina taciturnitate, & inſcitia, vt cùm loqui commodum eſt, labiis meis cuſtodiam ponam; ſed ad Mentis, & Verbi, & Spiritus, C quorum vna & eadem eſt natura, & diuinitas, arbitrium, vel ianuã meam claudo, vel aperio. Loquar enim quando ita iubeor, partimque ad bonum hunc paſtorem, partim ad vos gregem ſacroſanctum ſermonem habebo, eáque dicam, quæ hodierno die, & mihi dictu, & vobis auditu meliora eſſe arbitror.* Hæc Nazianzenus.

12\. Sed latiùs credo patet prouerbium ad quecumque calamum ſeu arundinem, quæ vbi quaſſata eſt, quia nullum habet vſum, facilè reiicitur. Vſu præterea venit, vt quæ non longè abſunt, vt pereant, illis non parcamus. Abiicimus enim, ac perdimus veſtem, quæ iam aut ſitu computruit, aut vſu lacerata eſt; equum ſenecta debilem, aut fracto crure claudicantem, & tardum, aut aliqua alia deformi- D tate fœdum, & inutilem perire ſinimus, aut, ne moleſtiæ aliquid afferat, nos ipſi conficimus. Eſſet autem eximiæ patientiæ hæc ſuſtinere, ac pati ſecum eſſe, cùm & vtilitate vacent, & moleſtiam afferant. Hæc optimè exprimuntur in quaſſato calamo, qui eo in ſtatu vſui eſſe non poteſt, & ſi ex eo baculum velis efficere, neque firmitatem habet, vt eum, qui eo velit niti, ſuſtentet, & ſcandulas habet, & aculeos, quibus innitentem perforet manum.

13\. In *lino*, aut *myxo fumigante* vis apparet maior: nam in eo non modò nulla eſt vtilitas, cùm ſplendoris in eo nihil ſit, ſed etiam aliqua moleſtia, quæ noxia eſt affectis certo quodam modo corporibus, & quam viri delicati, & lauti ferre non poſſunt. Vt E enim Auguſt. *lib. 1. qq. Euangelicarum q. 3.* linum à lumine deſertum putorem facit, vt nos ipſi quotidie experimur, & patimur; ſed ea erit in Chriſto benignitas, vt quamdiu aliquid igneum eſt in lino, licèt illud non tam ſplendeat, quàm fumet, linum non extinguat.

14\. Ad rem moralem hinc multa peti documenta poſſunt. Primum eſt non eſſe peccatori deſperandum de venia etiamſi eò ſit deductus, quò calamus quaſſatus, aut linum deſertum à lumine, & iam fumo nigrum, & fœtore graue. Quàm diu enim fumus eſt qui ab igne ſemimortuo prouenit, id eſt, quàm diu in peccatore ſupereſt halitus, adſtat Dei benignitas; quæ flatu fouebit, & excitabit deficientem ignem, potiùs quàm extinguet.

Non deſperandum peccatori.

15\. Secundum eſt vt ad Chriſti ſimilitudinem nec abiiciamus eos quos rationes humanæ tanquam harundinem vacuam, & futilem quaſſauerunt: quia Dominus ſuſtinet, & expectat, & quod quaſſatum eſt, reſtitui, ac ſolidari poteſt: & benigno flatu excitari aſſolet ſcintilla fumans, quam ſopierat praua conſuetudo. Docet hoc Baſilius *in regulis breuioribus Reſponſione 291.* Vbi in *calamo quaſſato* illos intelligit qui non ea, qua oportet animi ſinceritate mandatum Dei exequuntur; quia nimirum calamus vacuus eſt, & medullam non habet. Qui ſi quaſſatus fuerit variè diuiſus eſt, & per plures partes ventum admittit. In *lino* verò *fumigante* eos ſignificari putat, qui mandatum quidem exequuntur Dei, ſed non ardenti deſiderio, & pleno ſtudio, ſed ſegniter, ac lentè. Videtur autem Baſilius cogitationem illam de lino fumigante ideo informaſſe, quia ſeruus piger, & ignauus fumo comparatur, qui grauis eſt oculis, *Prouerb. 10. verſ. 26. Sicut acetum dentibus, & fumus oculis, ſic piger his, qui miſerunt illum.* Vide Baſilium, & pondera ſtatum tepidi ex comparatione lini fumantis. Huc etiam aduoca Romanorum conſuetudinem, qui, vt docet Plutarchus *Proble. Roman. 75.* lychnum non extinguebant, ſed ſinebant illum langueſcere, atque deficere, quia ignem illum, aut animatum putabant, aut cognatum, & affinem ignis immortalis.

Ferẽdi proximorũ defectus.

Tepidiorũ ſtatus.

16\. Tertium eſt quod Matthæus indicat *cap. 12.* cùm hoc adduceret Iſaiæ teſtimonium; nam cùm ex Iudæis aliqui contra Chriſtum impia meditarentur conſilia, ille tamen non ideo deſtitit illorum infirmos curare, nempe vt in eos benefici ſimus, qui contra nos aliquid hoſtile moliuntur. In *fumo* furorem aut ſpiritus minaces intelligi non modò ex profanis ſed ex ſacris, & canonicis ſcriptoribus conſtat. De profanis ſatis ſit illud Martialis *lib. 6. epigr. 63.*

Reddẽdum bonum pro malo.

Fumus pro ira.

——Rabido nec perditus ore
Fumantem viui naſum tentaueris vrſi.

Apud ſacros eſt celebre illud *Deut. 29. verſ. 20. Dominus non ignoſcat ei, ſed tunc quam maximè furor eius fumet.* Et 2. *Reg. cap. 22. 9. Quoniam iratus eſt eis, aſcendit fumus de naribus eius* Et in eundem ſenſum accipio illud *Pſal. 143. Tange montes, & fumigabunt.* id eſt, potentes inſtimula, & ſtatim illorum efferueſcet furor. Cùm ergo linum, id eſt, hominum imbecillium genus, quod inſtar lini aut ſtuppæ eſt, fumigauerit contra te, perfer, & ſuſtine; da fumo, id eſt, iræ locum; & ne extinguas fumigantem ſtuppam, ſed potiùs ſcintillam foue, & conſerua, quia ipſa ſuo ſe ardore quàm ocyſſimè extinguet, atque conficiet. Omnis enim humana virtus etiam regia, cauda eſt titionis fumigantis, vt de Regibus Samariæ, & Syriæ dictum eſt *Iſaia cap. 7.*

Deut. 29.

Pſal. 143.

17\. [k] *In veritate educet iudicium.*] Id eſt proferet iudicium verum. Aut, ſi iudicium pro lege ſumas, quod in Scriptura frequens, legem conſtituet veram, & ſolidam, nempe Euangelicam, quæ longè ſecus, atque gentilium leges homines informent. Matthæus aliter legit, vt poſtea ſuo loco notabimus.

18\. [l] *Non erit triſtis nec turbulentus.*] Aliis verbis eadem explicatur ſententia; nam vultus placidus, neque

Chriſtus quomodo triſtis.

que rerum diuerſitate contractus, ac turbidus ſatis indicat tranquillum animi ſtatum, & ratam in eadem leuitate, atque modeſtia conſtantiam. Septuaginta longe aliter vertunt, de qua tranſlatione poſtea. Portò quo ſenſu accipiendum ſit illud *triſtis*, vox *turbulentus*, quæ ſtatim adiungitur, optimè declarat. Nempe vt *triſtis* ſonat amarum, difficilem, moroſum, inexorabilem. Nam aliter Chriſtus triſtis fuit, ea triſtitia, quæ animo dolorem & angorem affert. Vt ipſe de ſe confeſſus eſt, quando dixit appetente iam morte, *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.*

19. m *Donec ponat in terra iudicium.*] Legem Euangelicam conſtituit Chriſtus ante mortem; id eſt, quomodo ex Euangelica doctrina viuendum ſit. Vide Franciſcum Suarez à *tom. in 3. p. S. Thom. diſp. 37. ſect. 4.* Nihil hîc dico de Sacramentorum inſtitutione, de quibus alia ratio eſt, tantùm loquor de Chriſtiani hominis moribus Euangelij forma inſtituendis, quod & verbis docuit, & ſuis expreſſit moribus manſuetus & patiens doctor, & legiſlator Chriſtus. Iudicium autem conſummauit, & abſoluit damnato mundo, & his, quæ admirabantur, & colebant deluſi mortales, in eadem cruce ignominioſè traductis, in qua ipſe glorioſè confixus eſt. Quod declaraſſe videtur Chriſtus ipſe *Ioan. cap. 12.* cùm dixit iam morti vicinus, *Nunc iudicium eſt mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras: & ego, ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum.* Quibus nihil adduci potuit clarius, & illuſtrius, quo explicaretur & mundum à Dæmonis tyrannide fuiſſe liberatum, & nouis legibus à manſueto & humili doctore latis, antiquas, quæ à veteratore Diabolo introductæ fuerant, abrogatum iri. Illud

Donec non neget aliquod tempus, ſed deſignat id, de quo dubitatio eſſe poſſet.

donec non negat aliud tempus poſt mortem, ſed indicat id, de quo dubitari potuit; nam ad mortem vſque dubitare quis poſſet, an inter dolores, contumelias, & iniurias futurus eſſet Chriſtus triſtis, & turbulentus, nam poſt mortem in alio ſtatu, vbi neque dolori locus erat, aut contumeliæ, quis dubitaret? atque ideo de mortali tantùm ſtatu dixit, de quo poterat eſſe controuerſia.

20. n *Legem eius inſulæ expectabunt.*] Lex antiqua per Moyſem data ad familiam tantùm Abrahæ pertinebat anguſtiſſimis, vt apparet, terminis definita; at lex noua à Chriſto legiſlatore indicta, ad inſulas vſque, id eſt, ad extremos etiam terminos terræ diffunditur. Portò inſulas pro Gentibus à religione alienis vſurpari, oſtendimus ad illud *cap. 24. In inſulis maris nomen Domini.*

21. *Teſtimoniū ex Hebraico textu citatum.*

Hæc de tranſlatione vulgata: iuxta quam hæc videntur dici poſſe non improbabiliter; Cum qua bellè conſentit Matthæi tranſlatio, qui non tam ſecutus eſt verſionem Septuaginta quàm Hebraici textus proprietatem, vt obſeruauit Hieronymus *epiſt. ad Algaſiam. q. 2.* quod feciſſe Apoſtolos, & Euangeliſtas ſæpe docuimus *cap. 25. num. 30.* Sed quia locus iſte illuſtriſſimus eſt, & ſæpe in teſtamento repetitus, non erit operæ prorſus otioſæ, ſi ea, in quibus Septuaginta differunt, adducamus expédamúſque: deinde quid ab ea atque Hebraico textu diſſentire videatur Matthæus.

22. *Septuaginta quomodo hæc vertant.*

o Septuaginta ſic legunt priora verba, *Iacob puer meus aſſumat eum; Iſrael electus meus.* Illud *Iſrael* & *Iacob* addiderunt potiùs de ſuo, quàm de textu expreſſerunt Hebraico. Cur id fecerint hoc loco Septuaginta, ratio non defuit. Nam cùm illorum

Cur Septuaginta aliquid de textu Hebraico mutauerint, aut omiſerint.

tranſlatio Græca ad eos ventura eſſet, qui alienæ erant tunc religionis, neque bene in Iudæorum ſacra, & ritus animati, cenſuerunt aliquid interdum mutandum eſſe, aut omittendum, quod apud veræ religionis hoſtes, & inuidos aliquid videretur cótinere abſurdi: Quale hîc videri poterat, Meſſiam, qui verus eſt Deus, *ſeruum* vocari. Neque tamen ideo ſenſum mutauere, quia etiam Meſſias *Iſrael*, & *Iacob* dicitur patronymicè, ſicut infrà *cap. 49. verſ. 3.* ex quo ipſi videntur cognomen illud mutuari. Auguſtinus *lib. 20. de ciuitate, cap. vltimo*, vbi totum hunc locum exponit, aliam adducit cauſam; ait enim poſitos hîc eſſe *Iacob*, & *Iſrael*, vt ex his conſtaret, cur Chriſtus *ſeruus* vocaretur: nempe quà homo eſt, & ex Iſraelitico ſemine prognatus. Euſebius *lib. 9. de demonſtrat. cap. 15* ait duo illa nomina obeliſco eſſe notata: eodem modo Hieronymus *hic, & epiſtola ad Algaſiam ſuprà.*

Sed licèt a Matthæo duo hæc nomina prætermiſſa ſint, non tamen exiſtimo à ſcriptoribus ſacris in nouo Teſtamento fuiſſe neglecta: quibus hic locus, quia de Chriſto, maximè notatus eſſe debuit. 23.
Hîc enim reſpexiſſe arbitror diuinam pſaltriam, & diuinarum ſcripturarum ſcientiſſimam Beatiſſimam virginem Mariam, cùm *Lucæ cap. 1.* in ſuo præſtantiſſimo cantico de Deo cecinit: *Suſcepit Iſrael puerum ſuum, recordatus miſericordiæ ſuæ: ſicut locutus eſt ad patres noſtros Abraham*, &c. vbi pro *ſuſcepit*, Græcè tam apud Lucam, quàm apud Septuaginta eſt ἀντιλαμβάνειν, quod apud Septuaginta reddidit Latinus interpres *aſſumam.* Quo autem loco dicatur Deus *ſuſcepturus Iſrael puerum ſuum*, non video niſi in hoc loco celeberrimo iuxta Septuaginta tranſlationem. Hoc verò dictum fuerat ad Abraham, & eius ſemen, cùm de illius ſemine promiſſus eſt Chriſtus, qui hîc in *Iſrael*, & *Iacob* intelligitur.

Luc. 1.

B. Mariæ canticum.

Hîc obſeruo id, quod pluribus docui *in cap. 7. Actor.* nomina parentum patronymicè ſumi pro filiis; vt hîc *Iſrael*, & *Iacob* pro Iſraelitide, & Iacobitide; ſeu Iacobita, aut Iſraelita. Quod aliis etiam locis de hoc ipſo nomine, & de eodem ſubiecto dicitur, id eſt de Chriſto, *Iſai. 49. Seruus meus es tu Iſrael, quia in te gloriabor.* Quod Dauid, pro filio Dauid, id eſt, Chriſto ſumatur, docet Auguſt. *tom. 4. lib. de octo Dulcitij qq. quæſt. 5. & vltima.* Et latè Galatinus *lib. 3. cap. 23.* & ſunt aperta teſtimonia, *Ieremiæ cap. 30. Seruient Dauidi Regi ſuo, quem ſuſcitabo eis. Ezech. 34. Suſcitabo ſuper eum ſeruum meum Dauid. Ego autem ero eis in Deum; & ſeruus meus Dauid princeps in medio eorum. Oſeæ cap. 3. Conuertentur filij Iſrael, & quærent Dauid Regem ſuum.* Quare de vero ſenſu nihil mutarunt Septuaginta, & myſterium, quod Gentibus ludibrio futurum videbatur, artificioſè occultarunt. 24.

Regula. Nomina parentum patronymicè ſumpta pro filiis, aut poſteris.

Iſai. 49.

Dauid pro Chriſto.

Ierem. 30.

Ezech. 34.

Oſeæ 3.

p Vbi Vulgatus, *Non erit triſtis, neque turbulentus*, Septuaginta legunt, *Reſplendebit, & non conteretur.* Quod ſanè referri poſſet ad linum fumigans, & quaſſatum calamum. Quaſi dicat, linum, quod adeò parcè, ac modicè lucebit, vt non tam lucem habere videatur, quàm fumum, non tantùm non extinguetur à Chriſto, ſed ſplendebit, id eſt, ſplendens durabit, in ſuo illo ſplendore modico, donec lumen illud languidum deficiat: ſeu dabit fumanti lino Deus ſplendorem, adeò non extinguet. Et non conteretur, nempe calamus quaſſatus. 25.

Sed communiter autores de Chriſto capiunt, licèt non omnes eodem interpretentur modo. Cyrillus de Chriſti fortitudine accipit, qua ſplendebit ſemper, neque ab hoſtibus in eius exitium, & ignominiam conſpirantibus vnquam opprimetur. Eodem 26.

Chriſti fortitudo & conſtantia.

dem fetme modo Procopius. Aliter Hieronymus *ad Algaſiam. Vt tam diu*, inquit, *lumen prædicationis eius in mundo reſplendeat,nulliſque conteratur, & vincatur inſidiis, donec ponat in terra iudicium.* Auguſt. *lib.* 10. *de ciuitate cap.* 30. paulò aliter, *Refulſit*, inquit, *in monte facies eius, in orbe fama eius, nec confractus, ſiue contritus eſt: quia neque in ſe, neque in Eccleſia vt deſiſteret, perſecutoribus ceſſit.*

27. Ego quidem iſta ſic amplector, vt tamen putem cum Vulgato optimè conciliari poſſe. Nam quod figoratè Septuaginta per *ſplendorem*, & *non contritionem*, nempe oris, quibus hilaritas, & tranquillitas animi ſignificatur, id propriè, & clariùs Vulgatus expreſſit per *hilaritatem*, & *non turbulentiam*; dum inquit, *Non erit triſtis, neque turbulentus*: Sicut *ſerenum* dicitur cœlum, cùm ſplendet, neque vllis obſcuratur nubibus: Sic cùm ſerenus eſt vultus, reciproca tranſlatione *ſplendere* dici poteſt. In ſplendore autem vultus ſerenitatem, & lætitiam indicari ſatis notum eſt. Modeſtiæ argumentum eſſe oris in habitu quodam ingenuo, & moderato conſtantiam nemo neſcit; illam ſoluit, aut hilaritas nimiùm profuſa, aut grauis offenſio; aut affectus alij immoderati, qui homines rapiunt aut in agendo, aut in deliberando præcipites. Vt autem os diſtorquere, deiicere vultum, rugare, aut contrahere frontem, quæ mœrorem, aut offenſionem notant, profanis autoribus familiare eſt, ſic ſacris non minùs frequens faciem immutare, aut concidere, & ſimilia. Vt ergo ſignificent Septuaginta Chriſtum non futurum turbulentum, & triſtem, id, aut *non contritione oris*, aut *eius ſerenitate, & ſplendore*, declarant, quia hæc modeſtiæ, ac pacis ſigna ſunt. Aut certè dum dicunt *non conterendum*, indicant vincendum non eſſe à turbidis animi motibus, qui in aliis modeſtiam, & manſuetudinem exterminare ſolent.

28. q Vbi Vulgatus legit: *Legem eius Gentes expectabunt*. Septuaginta habent: *In nomine eius Gentes ſperabunt*. Sed non puto diuerſam eſſe ſententiam. Quod ita mihi perſuadeo. Nam *nomen Dei*, pro Deo ſumi iam ſæpe à nobis obſeruatum eſt, & probat apertè illud *cap.* 30. *Ardens nomen eius. Sperare* ergo *in nomine Domini* nihil aliud eſt, quàm ſperare in Domino, ſeu ſperare, aut expectare Dominum, ſub ea nempe ratione, ac titulo, quo venturus eſt. Venturus eſt autem legiſlator, & qui iudicium Gentibus proferat. Quare qui legiſlatorem expectat, legem expectat.

29. Hæc de Septuaginta, nunc verò de Matthæi tranſlatione dicendum, qui ita hoc teſtimonium adduxit, vt neque Septuaginta tranſlationem, neque Hebraici textus vim ſecutus eſſe videatur; ſed partem aliquam ex vtroque complexus nonnullis etiam, aut mutatis, aut omiſſis hoc conflauit teſtimonium; Mihi in primis placet quod docuit Hieronymus *ad Algaſiam ſuprà*, Matthæum ex Hebraico textu ſumpſiſſe teſtimonium, non ex Septuaginta verſione, ſaltem, quoad priora verba; quod licèt rarò faciant ſcriptores Canonici in nouo Teſtamento, faciunt tamen aliquando, vt pluribus oſtendimus ad illud *cap.* 25. *Præcipitabit mortem in ſempiternum*. Neque Matthæus, vt reor, ſi vellet Septuaginta ſequi tranſlationem, vt fecit alibi, horruiſſet, aut mutauiſſet nomen *Iacob*, & *Iſrael*; quia illo interpoſito non mutatur ſenſus, vt ſuprà expoſuimus. Eo autem ſeruato, vt ſæpe docet Hieronymus, & exemplis res ipſa paſſim probatur, Scriptores ſacri de verbis aut figura dicendi non laborant. Certè nomen illud non mutauit B. Virgo, ſi modò in ſuo cantico ad locum iſtum Iſaiæ reſpexit, quod mihi valde videtur veriſimile. Neque enim alius locus occurrit, quem citare debuerit diuina pſaltria, in quo Deus ſuſcepturus eſſe dicatur Iſrael puerum ſuum.

Vbi Vulgatus, *Non clamabit*. Matthæus habet, *Non contendet*, vocibus nempe, ac linguæ acumine: quæ non minùs grauiter ferire ſolet, quàm gladius. *Contentionis* autem nomen non minùs vocibus conuenire, quàm armis notum eſt. 30.

r *Donec eiiciat ad victoriam iudicium*.] Ita Matthæus, quæ verba quò ſpectent, aut vnde ab Euangeliſta ſumpta, diſceptant inter ſe doctores. Hieronymus *ad Algaſiam*, & in hunc locum putat hìc deſiderari partem illam teſtimonij, quam Vulgatus reddidit, *Non erit triſtis, neque turbulentus*. Et Septuaginta, *Reſplendebit, & non conteretur*. Neque putat à Matthæo fuiſſe prætermiſſam, ſed à ſcriptore aliquo parum attento, & plus ſatis properante omiſſam: Sic enim ille *ad Algaſiam*: *Videtur mihi accidiſſe primùm ſcriptoris errore, qui legens ſuperiorem ſententiam in verbo iudicij eſſe finitam, putauit inferioris ſententiæ vltimum verbum eſſe iudicium, & pauca verba quæ in medio, hoc eſt inter iudicium, & iudicium fuerant, prætermiſit.* Ita Hieronymus. Hæc ratio minùs probatur Maldonato *in cap.* 12. *Matthæi*, neque ab omnibus admittitur. Licèt acutè coniectarit Hieronymus, & fortaſſe ita ſit, quia id ſæpe contingit ſcriptoribus, qui ex aliorum ſcriptis aliquid tranſcribunt, qui decepti vocum ſimilitudine, aliqua prætereunt: Nihilominus mihi veriſimile eſt nihil hìc omiſſum eſſe ab Euangeliſta, quod ad ſententiam pertineat; licèt verba aliqua aut mutauerit, aut præterierit. Quod hoc ipſo in loco, quem modò citauimus ad Algaſiam docet Hieronymus Canonicis ſcriptoribus vſitatum eſſe. His verò paucis verbis contineri puto, quod tota hac clauſula pluribus explicatum eſt. *In veritate educet iudicium: non erit triſtis, neque turbulentus, donec ponat in terra iudicium.* Secutus autem videtur in hac parte Matthæus Septuaginta verſionem: qui dum conuertunt *reſplendebit, & non conteretur*, indicant in Chriſto conſtantiam, & victoriam: quæ omnia Matthæus vno *victoriæ* nomine complexus eſt. In hoc autem loco ſignificari Chriſti victoriam didiceriſt credo Matthæus ab ipſo Chriſto, qui ad hunc locum Iſaiæ reſpectans, *Ioan.* 12. dixit, *Nunc iudicium eſt mundi; nunc princeps huius mundi eiicietur foràs, & ego ſi exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipſum.* Dicitur ergo futurus Chriſtus manſuetus, & patiens, donec exaltatus in cruce, & victoriæ compos iudicium ferat. 31. Ioan. 12.

ſ Irenæus lib. 3. aduerſus hæreſes *c.* 11. ita legit: *Vſquequo emittet in contentionem iudicium.* Quæ lectio non valde differt à lectione Matthæi. Ex ea apparet pulchra metaphora, quæ indicat venturam eſſe Euangelicam legem in contentionem cum aliis legibus, quas libido, auaritia, & ambitio in mundum introduxerunt. Quæ tandem cadent omnes, vincente atque triumphante vbique terrarum Euangelio, id eſt, Chriſti iudicio. Hactenus de tranſlatione Matthæi. 32.

t *Hæc dicit Dominus Deus creans cœlos, & extendens eos, firmans terram, & quæ germinant ex ea: dans flatum populo, qui eſt ſuper eam, & ſpiritum calcantibus eam.*] Cùm ſuprà aliquid inane eſſe Gentium ſimulacra propheta dixiſſet, iam oſtendit quantum inter illa, verúmque Deum interſit, cùm illa ab hominum arte, ac ſollicitudine pendeant, à 33.

Deo

Deo autem vero homines, atque alia omnia habeant, quòd viuant, & quòd ſint. Cætera aperta ſunt. Illud, *Dans flatum populo, qui eſt ſuper eam, & ſpiritum calcantibus eam*, quidam ita diſtinguunt, vt *flatus* ſumatur pro anima, qua viuit, ac ſpirat homo, iuxta illud *Gen. 2. Inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ*; *Spiritus* verò pro Spiritu ſancto, per quem nobiliori, ac ſublimiori modo viuimus. Ita Hieronymus, S. Thomas, Haymo, Procopius, Auguſtinus *lib. 1. de incarnatione Verbi cap. 7.* qui dicunt his, qui terrena calcant, quia ſupra homines ſunt, & ad maiora ſpirant, Spiritum dari ſanctum, & viuificum. Quæ explicatio pro re morali opportuna eſt. Athanaſius *diſputatione contra Arrium in Niceno concilio*, vtroque loco de flatu ventorum accipit, quamuis libro de fide Vnitatis, & Trinitatis ad finem, vtrumque de Spiritu ſancto capiat. Auguſtinus *lib. 1. de anima, & eius origine cap. 14.* vtrumque de anima, atque de Spiritu ſancto ſumi poſſe exiſtimat. Alij eandem ſententiam duobus modis per epexegeſim explicari putant. Quod prophetis valde familiare eſt. Ita Cyrillus, Hugo, Dionyſius, Pintus, Oſorius; & in hanc ego ſententiã magis inclino. Quia ſicut *eſſe ſuper terram*, & *calcare terram* idem ſunt, ſic etiam idem eſſe videtur *flatus*, & *ſpiritus*, qui vtrique voci artificioſè reſpondet.

34. Hæc aliqui ad promiſſionem de Chriſto referunt; quem Deus, & legiſlatorem, & noſtræ ſalutis vindicem in terram dedit. Quia cùm illa promiſſa magna ſint, oportuit, vt promittentis certa exiſtimaretur, & inconcuſſa fides, vt illam auidiùs, & certiùs, Gentes expectarent. Ita Hieronymus, Cyrillus, S. Thomas, Haymo, & nonnulli alij. Quorum ego ſententiam ita complector, vt tamen putem non improbabile, ſi quis cenſeat hæc ſpectare ad probandam inanium Deorum futilitatem, verique Dei ſapientiam, atque poteſtatem ex rerum creatione, atque ordine, ex animantium vita, & conſeruatione. Quoniam adhuc, vt ſtatim conſtabit magis, Deus cum idolis diſceptat, vrgétque duo illa principia, ex quibus exploranda ſit, & cognoſcenda diuina natura. Quare cùm id agat vt ſe probet Deum eſſe, latiùs patere exiſtimari poſſunt hæc diuinæ poteſtatis præconia, quàm vt ad firmandam tantùm de Chriſto promiſſionem adducta videantur. Sed inclino magis in priorem, magíſque communem explicationem, quia res tanta, quanta erat Chriſti Seruatoris promiſſio, tantam diuinæ potentiæ commendationem exigebat.

35. [u] *Ego Dominus vocaui te in iuſtitia, & apprehendi manum tuam, & ſeruaui te.*] Hæc ſine dubio de Chriſto ſunt; ſentẽtia paulò obſcurior. Pro *in iuſtitia*, Hebr. eſt בצדק *Be tſedek*, quæ habitudinem habere poteſt accuſatiui, ſeu etiam modi, ſeu inſtrumenti: vtrumque enim valet præpoſitio Hebraica ב *beth*, vt conſtat: ſi priori modo accipias, & legas *in iuſtitiam*, vt legit Lactantius *lib. 4. cap. 20.* ſenſus erit: Vocaui te, ô Meſſia, ad iuſtitiam, id eſt, ſanctitatem inducendam, ſiue ad ſtatuendam iuſtitiam, id eſt, Euangelium in terra; quia de illo tanquam de magiſtro, ac legiſlatore egerat. Siue ad iuſtitiam Dei ipſius, videlicet, vt iuſtus appareat complens, quod de Seruatore Chriſto multò antè promiſerat. Et in hoc poſtremum inclinat S. Thomas, Dionyſius, Adamus: Et indicat, dum ob eam cauſam Patrem à Chriſto *iuſtum* vocari dicit, *Ioan. 17. Pater iuſte*, &c. Hugo per accuſatiuum exponit; Sed quia hæc de Cyro ſumi putat, ad populum refert in Babylonia captiuum. Quia miſſus eſt, inquit, Cyrus in iuſtitiam, id eſt, vt puniret Chaldæos; & in fœdus, vt Iudæos liberaret, ſicut Deus antè promiſerat; ſed Hugo hîc nullo modo ferendus eſt.

36. [x] Si verò præpoſitio ב *beth*, id eſt *in*, habitudinem importet ablatiui modum, ſiue inſtrumentum ſignificantis, explicari poteſt, aut de iuſtitia, qua plenus Chriſtus miſſus eſt in terram, vt Foreiro placet, hoc ſenſu, *Miſi te in iuſtitia*, id eſt, miſi te iuſtum; aut quod per iuſtitiam, id eſt, per iuſta documenta, & Apoſtolorum etiam exempla iuſta docturus eſſet mundum. Ita indicat Haymo. Sed probatur magis ſententia prior, quæ de inducenda per Chriſtum iuſtitia, ſeu implenda diuina promiſſione locum interpretatur.

37. [y] *Apprehendi manum tuam, & ſeruaui te.*] Explicatio eſt illius verbi in principio poſiti, *ſuſcipiam eum*. Quod diximus idem eſſe, quod ſuſtentare, & ferri ea indulgentia, & cura, qua filius à patre geſtari ſolet.

38. Dei fidelitas. [z] *Dedi te in fœdus populi, in lucem Gentium.*] Similia poſtea *cap. 49. verſ. 6. Parum eſt vt ſis mihi ſeruus ad ſuſcitandas tribus Iacob, & feces Iſrael. ecce dedi te in lucem Gentium.* Hic locus planè oſtendit in populo notari Iſraeliticum genus, cui accommodatur fœdus: quia Deus pactum fecerat cum illius generis parentibus, miſſurum ſe ex eorum genere Seruatorem Chriſtum. De Gentibus verò ſimpliciter dixit *lucem*: quia nullum cum illis anteceſſerat pactum, cui miſſo Seruatore ſatisfaceret Deus. Septuaginta pro *populi* vertunt *generis*. Quæ lectio non obſcurè gentem deſignat Iudaicam, ex qua Chriſtus genus duxit. Et tunc ſubaudiendum eſt *tui*, hoc ſenſu: *Dedi te in fœdus generis tui*. Græci codices maximè nunc à Sixto correcti tantùm habent *generis*. Cyrillus *generis mei*. Complutenſis editio *Generis Iſrael*. Sed quocumque modo legas, eadem eſt ſententia. Nam genus pro gente, aut natione ſumitur. Suum autem genus, id eſt, gentem ſuam, vocat Deus Iſraeliticum populum, quia illum ex multis gentibus elegit.

39. [aa] *Vt aperires oculos cæcorum*, &c.] Hæc breuis, & optima comprehenſio eſt eorum, quæ Chriſtus in mundo geſſit, & ſigna certa Meſſiæ. Quæ licèt de corporibus curandis, aut de materiali carcere, id eſt, de limbo intelligi verè, & optimè poſſint, multò tamen hæc excellentiùs in animarum ſalutem, & libertatem collata ſunt.

40. [bb] *Ego Dominus, hoc eſt nomen meũ.*] Illud *ego Dominus*, nota & eſt quaſi familiaris ſubſcriptio, qua Deus decreta ſua, atque mandata conſignare, & diuina autoritate confirmare, & commendare ſolet, vt habes *in Leuit. cap. 18. & 19.* centies. Quare non videbatur alienum, ſi quis diceret inſigni hac, & familiari nota confirmari à Deo promiſſionem tantam de Chriſto venturo. Sed communiter autores aliter accipiunt, nempe ſignificari à Deo ſe ſolum eſſe Dominum, neque aliis à ſe hoc nomen conuenire poſſe. Sed ſi illud *Ego Dominus* ita accipias, vt ſuperiorum confirmatio ſit, & autoris certa, atque legitima nota, atque ſubſcriptio, quod ſtatim additur *hoc eſt nomen meum*, concluſionem quandam, & elegans epiphonema continet prædictorum. Quod minùs videbitur difficile, ſi quod alibi ſæpe fit, *nomen* pro perſona ſumatur: ita vt hîc *nomen meum* idem valeat, quod *ego*. Poſt rem itaque narratam, & legitimo corroboratam ſigno, addit Deus, *hic ego ſum*, ſeu talis ego ſum, qualem audiſtis, prædicens illa antiqua, quorum fidem euentus probauit, & nunc alia noua ſalia, qualia

nunc

nunc promiſi quorum non erit diſſimilis ſucceſſus: *creans cœlum, dans flatum*, &c. Sed licèt hæc non videantur aut inepta, aut aliena, aliorum tamen explicationi libentiùs adhæreo, quia auctores, & patronos habet.

41. Gloria vni Deo debetur.

ee *Gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam ſculptilibus.*] Vindicare ſibi vult Deus nomen, quod ſuum eſſe dixit, nempe, *nomen Domini*; neque facturum ſe dicit, vt gloriam, quæ ſibi vni tanquam creatori, & conſeruatori rerum debetur, alteri communicet: & multò minùs ſculptilibus, id eſt, ludicris deorum ſimulacris. Hîc obſeruat Hieronymus non dixiſſe Deum, gloriam meam nulli dabo, ne excluderet filium, cui *Ioan. cap.* 17. dicenti, *Pater glorifica me gloria, quam apud te habui, priuſquam mundus eſſet*, Pater reſpondit. *Et glorificaui, & iterum glorificabo.* Et mirum exiſtimat Hieronymus, quòd cùm Hebraica vox אחר *acher*, aliis modis conuerti potuiſſet, omnes tamen interpretes in vertendo, ſic in illius ſignificatione conſenſerint, vt in ſua quique dialecto *alteri*, aut quod idem omnino valeat, reddiderint. Hîc porrò duo obſeruanda. Alterum negationem *non* ſecundo loco eſſe repetendam, hoc modo. *Et laudem meam non dabo ſculptilibus*, quod ſæpe in Scriptura fit. Vide Pagninum *lib. 4. Inſtitut. regula* 14. Alterum illud *&* Hebraico idiomate particulam eſſe comparatiuam, & ſignificare idem, quod multò minus. De quo vſu egimus *ſuper cap. 9. num. 8. Zachariæ.* Quare ſenſus eſt *Gloriam meam alteri non dabo, & multo minùs dabo ſculptilibus.*

Non per zeugma repetendum.

Et comparationem ſignificat.

42. dd *Quæ prima fuerunt, ecce venerunt: noua quoque ego annuncio antequam oriantur.*] Huc vſque producta eſt diſceptatio cum idolis; & totius diſputationis hîc adhibetur ſumma quædam, aut peroratio. Nam vt prædicta multis antè ſæculis certam fidem conſecuta ſunt; & alia nunc non leuiora prædicit, quibus ſuo tempore ſperatus euentus fidem etiam faciet.

43. ee *Cantate Domino canticum nouum, laus eius ab extremis terræ.*] Hæc verba ſunt prophetæ qui admiratus tantam Dei benignitatem, qui omnium gentium legiſlatorem, & vindicem pollicetur, omnes gentes, vbicumque terrarum ſint, ad diuinas laudes celebrandas hortatur: omnes inquam hortatur gentes, quia promiſſa ſalus, & libertas ad omnes ſe gentes latè diffundit.

44. ff *Qui deſcenditis in mare, & plenitudo eius; inſulæ, & habitatores earum.*] In inſulis Gentes intelligi, quiqun non tantùm religione ſed etiam loco à Palæſtina longè diſſiti ſunt, ſatis in Scriptura compertum. Qui deſcendunt in mare, nauigantes ſunt, aut inſulani: & hi potiùs, qui in mare, aut inſulas, quæ incolunt, deſcendiſſe dicuntur, quia mare plerunque depreſſius eſt quàm littus. Quare qui ad inſulas nauigant, à littore deſcendere, & qui ad continentem redeunt, ad littus aſcendere dicuntur. Plenitudo maris inſulæ ſunt, vt poſterius hemiſtichium videtur oſtendere, quod eandem continet cum ſuperiore ſententiam. Quod eleganti metaphora oſtendit vox Hebræa מלא *melo*, quæ ſignificat in annulo palam, & cauitatem illam, quam implet gemma, & per metonymiam gemmam ipſam illigatam annulo, vt docuimus ad illud *Cant. 5. Iuxta fluenta pleniſſima.* Vbi diximus ſponſæ oculos videri fuiſſe collatos cum gemma in annulo, aut ſplendentibus laminis incluſa. Sunt autem *inſulæ in mari*, quaſi lapides quidam pretioſi, & niridi, qui ex collucente materia extant, & effulgent. Aut *ple-*

A *nitudo maris* dicuntur, qui mare habitant, & implent, ſicut *terræ plenitudo* vrbes, & earum habitatores, quod in Scriptura frequens eſt. Ex adiunctis verò colligitur hæc ad inſulanos pertinere, aut certè ad illos, qui nauibus implent mare. Neque enim alij cantare poſſunt diuinas laudes. Qui autem mare quoquo modo habitant, aut permeant, Gentiles plerumque ſunt.

gg *Sublenetur deſertum, & ciuitates eius: in domibus habitabit Cedar.*] Cur omnes gentes in diuinas laudes incumbere debeant, ea ſubiicitur ratio, quia à vindice, & communis ſalutis auctore Chriſto quæ deſerta fuerunt à religione, & ſicut ſterilis regio, vaſta cultoribus, & ſentibus horrentia, eleuabuntur ad illum ordinem, vt iam meliori cul- B tu, & diſciplina ſplendeant. Et Cedareni, qui belluarum ritu incertis ſedibus errabant, ad ciuitatem, & humanum cultum traducti domos habitabunt. His verbis credo deſcribi paganorum mores, & ingenium, & illorum nominis etymologiam tradi, Ideo enim pagani dicuntur, quia cùm in ſyluis errent πρὸς τὰς παγὰς *ad pagas*, id eſt, *ad fontes* conueniunt, ſicut feræ, quæ cùm ſolæ plerumque degant cogente ſiti ad fontes concurrunt. Vt autem *pagani* dicuntur illi, qui Euangelicis legibus exculti non ſunt, ſic *deſertum*, vbi pagani habitant, qui extra Euangelium variis abducti erroribus vagantur incerti. 45.

Pagani qui.

hh *Cedareni* pro ſylueſtri hominum genere ſumuntur, qui agreſti ſunt ingenio, & ferinum in C modum vitam propagant, qui in tabernaculis agũt, ſedéſque mutant, vt nunc Arabes, & olim Scythæ, De quibus Horatius *lib. 3. carm. Ode* 24. 46.

Cedar pro agreſti, & inculto.

Quorum plauſtra vagas rite trahunt domos:
Nec cultura placet longior annua.

Quare ἁμαξικοὶ dicuntur, id eſt, *in plauſtris, ſiue in tabernaculis degentes*, aut etiam ἀνέστιοι, id eſt, *ſine familia, & foco.* His quàm ſimillimi erant Cedareni, vt diximus ad illud *cap. 21. Auferetur gloria Cedar*, quorum mores, & vitam diſces ex Ieremia, *cap. 49. à verſ.* 28. Vbi habes Cedarenos non in ciuitatibus, ſed in tabernaculis habitare: & quod gregibus paſcendis vacant: quibus neque oſtia, neque veſtes ſunt, ſed ſoli habitant, id eſt, in ſolitudine, ac deſertis locis, non in ciuium conuentu, & cœtu. Hinc D ortum eſt credo, vt Cedarenorum vita agreſtis, & horrida in prouerbium abierit: ita vt homo incultus, & barbarus dicatur *Cedar.* Ille ergo, qui priùs in plauſtris ſeu tabernaculis habitabat, id eſt, paganus erat, habitabit in domibus, id eſt, paganus eſſe deſinet.

ii *Laudate habitatores Petræ, de vertice montium clamabunt.*] Perſtat, credo, in eadem metaphora, & de paganis agit, qui ad veram religionem vocati præcones erunt diuinæ benignitatis. Eandem eſſe puto in vtroque hemiſtichio ſententiam: Iidem enim videntur habitatores Petræ qui laudant, & qui clamant de vertice montium. Sed eſt adhùc obſcurum, quid *Petra* ſit. Nam videtur ſumi poſſe E pro tota Arabia, cuius præcipua pars, & ſedes regia erat ciuitas illa, quæ *Petra* dicitur *deſerti*: de qua pluribus *cap.* 16. à qua Arabia Petræa nomen accepit. Et ita cenſent Cyrillus, Haymo, Hugo, Foreirus. Neque eſt alienum ab vſu Scripturæ, vt in ſpecie genus aliquod intelligatur, id eſt, in vna prouincia reliquæ, quæ communem cum illa rationem habeant. Hoc autem loco in *Cedar, Petra, & deſerto* de prouinciis Palæſtinæ proximis videtur agi, ſicut priùs in *inſulis maris, & extremis terræ* de illis, quæ 47.

longè ſunt. Hæc mihi videntur dici poſſe veri valde ſimiliter. Sed credo hìc *petram* communius aliquid ſibi velle, id nempe totum, quod montium ſignificat vertex. Vt quemadmodum in camporum planicie, montiúmque iugis, atque inæquali ſitu quicquid deſertum eſt ab hominum cœtu, legúmque, ac religionis cultu ſignificari ſolet; ſic etiam in *Cedar*, & *deſerto* priùs loca plana; & nunc in *petra*, ac *montium vertice* aſpera loca, atque montoſa ſignificantur. Et in his omnium gentium inſtituta, & loca, quæ ad Euangelium poſtea à Chriſto vocabuntur.

48. k k *Dominus ſicut fortis egredietur, ſicut vir prœliator ſuſcitabit zelum.*] Hic iam Deus ſignificat ſatis ſe diu ſiluiſſe, ac velle iam quem in Gentium idola furorem conceperat, foras euomere; cuius ſtrennuæ fortitudinis, atque excurſus is erit ſucceſſus, qui priùs deſcriptus eſt: & nunc manifeſtiùs, & ſignificantiùs explicabitur. Quidam hæc ad Chriſtum referunt, qui egreſſus eſt tanquam Gigas, & prœliator, vt Gentium ſuperſtitione ſublata veram religionem induceret. Ita Hieronymus, S. Thom. Haymo, & plures alij: neque ego non probo. Sed fortaſſe dici poſſet non minùs probabiliter ſermonem hìc eſſe de Deo, qui per Chriſtum illa patrauit admirabilia, de quibus ſtatim. Ita indicat Cyrillus, & Procopius, & alij nonnulli: quod mihi aptè videtur cohærere cum toto textu, & in hoc magis inclinat animus.

49. l l *Vociferabitur, & clamabit: ſuper inimicos ſuos confortabitur.*] Hæc quidam ad excidium Iudæorum per Romanos accommodant. In his eſt Hieronymus, S. Thom. Haymo; Alij de idolorum abolendo cultu interpretantur; ita Cyrillus, Procopius, Forerius, & plures alij. Et ita omnino eſſe dicendum perſuadet totius capitis continens filum. Si de Chriſto hæc accipias, accommodata videtur alluſio ad illud Meſſiæ ſignum de quo nuper. *Non clamabit, neque audietur vox eius foris,* quaſi dicat, qui in mortali ſtatu patiens fuit, neque in ſummis rerum aduerſitatibus, atque ludibriis ſilentium rupit, vbi perfunctus doloribus, & morte ſtatum alium immortalem induerit, ad quod tempus ſilentium illud videbatur indictum à propheta, (qui non ſine cauſa addidit, *donec ponat in terra iudicium*) tunc vociferabitur, & clamabit. Aut certè *vociferari, & clamare*, vt exponit Cyrillus, eſt exultare & iubilare, quod victores faciunt lætitia geſtientes. Sed, ſi ad Deum referas, non minùs apta ſententia eſt; quia egreſſus contra hoſtes Deus irruet, quaſi bellator fortis, militari more clamans ſignis, atque portentis, tonitru, grandine, fulmine, confortabitúrque ſuper hoſtes, id eſt, præualebit contra illos, expugnabit, atque proſternet. *Hoſtes* verò dicuntur idola, & qui deditì fuerint idolorum cultui.

50. m m *Tacui ſemper, ſilui, patiens fui, ſicut parturiens loquar.*] Si de Chriſto ſermo ſit, ſenſus eſt, illum aliquando clamaturum vbi ſilentij tempus exceſſerit: nimirum contra idola, quæ è ſuo deturbabit imperio. Si hæc ad Deum referas, quod magis placet, dicit Deus ſe ſatis diu ſiluiſſe, tuliſſéque patienter detractos ſibi honores Gentium idolis ab impiis hominibus exhiberi; iam tandem rumpendum eſſe ſilentium, eo ſiue rugitu, ſiue fremitu, quem laborans in puerperio mulier ſolet emittere. Parturientis autem dolor apud Hebræos, ſicut apud Græcos, ὠδὶν, pro acerbiſſimo dolore ponitur. Neque ab hoc longè abeſt prouerbialis ſpecies, quia in Scriptura frequens eſt. Hìc verò, vt Hieronymus putat,

Deus, etſi diu cohibeat, aliquando tamen furorē euomet.

Prouerbiū.

aliquid etiam aliud indicat, hic dolor, aut gemitus puerperæ. Nam quemadmodum, qui diu celauit in vtero fœtum, tandem cum dolore, ac gemitu illum enititur: ſic Deus diu in animo patientiſſimo conceptum dolorem, offenſionémque compreſſit, id eſt, iram à peccatore in diem vindictæ theſaurizatam; pòſt verò illam in peccatoris caput cum gemitu effundet. Vbi agnoſce Dei mitiſſimam naturam, qui, vt eſt ad benefaciendum pronus, ſic ad ſupplicium rapitur inuitus, monétque vltricem manum eo dolore, quo mulier parturiens fœtum edit. Sanè de peccatoris ſupplicio gemens cogitat ſuprà *cap.* 1. *Heu conſolabor ſuper hoſtibus meis.* Vide quæ ibi diximus. Sed vt maiorem in gladiatore, aut lignatore plagam maior antecedit gemitus, ſic gemitus iſte Dei, quaſi parturientis, duriorem plagam minatur peccatori. De viro forti dixit in Tuſculanis Cicero, *Nunquam ingemiſcit vir fortis, niſi fortè vt ſe intendat ad firmitatem:* qualis ergo plaga timenda erit ab eo forti, qui antequam feriat, tam dolenter gemit.

Deus ad vindictam difficilis.

Dum Deus gemit, duriorem minatur plagam.

n n Vbi vulgatus, *quaſi parturiens loquar.* Hebr. eſt אֶפְעֶה *ephgheh*, id eſt, *ſuſpirabo, anhelabo, & ſpiritu ſingultanti loquar, aut exprimam animi mei ſenſum.* Cui ſignificationi maximè aſſonant, & fauent duo alia verba, pro quibus vulgatus reddidit, *diſſipabo, & abſorbebo*, quæ videntur oſtendere crebro anhelitu, atque ſingultu verba, aut gemitus expirari, aut exorberi; quod in difficili parturientis nixu plerumque contingit. 51.

o o *Desertos faciam montes, & colles, & omne gramen eorum exſiccabo; & ponam flumina in inſulas, & ſtagna, &c.*] Notum eſt in ſaltu, & ſylua, locíſque virentibus, atque frondoſis erigi ſolita Deorum altaria. Ad quæ alluſum eſt ab Ieremia, dum de idololatria ſub *meretricis* allegoria dixit *cap.* 2. *verſ.* 20. *In omni colle ſublimi, & ſub omni ligno frondoſo tu proſternebaris, meretrix.* Vnde *excelſorum* nomen pro idolis in Scriptura frequens Quod in aliis quoque nationibus vendicauit ſibi diabolus, qui adhuc excelſorum, atque ſublimium appetens eſt; imò & ipſos montes pro diis habitos à Macedonibus tradit Maximus Tyrius *ſermone* 38. Et vltra Oceanum in Peruana regione, quicumque mons eſt paulò ſublimior atque ſpecioſus, ille ſtatim Deus exiſtimatur. Vaſtabit ergo Dominus lucos, & montes deſertos faciet ab eo, quod in ipſis erat frequentiſſimum. Neque enim iam ampliùs ibi erunt altaria, & victimæ, neque reliqua erit illa montium ſpecies, quæ homines amœnitate ſua, ad vanum illum cultum inuitabat. 52.

Montes, & fontes Gentium diis ſacri.

De *fluminibus & ſtagnis* eodem modo accipio, quia fontes, & flumina à Gentibus ſacra putabantur; & in eis aliquid eſſe numinis. Quare *ſacri* nomen ſæpe à poëtis fluminibus, & fontibus adiungitur. Virgilius *Eclog.* 1. *ſacros* appellat fontes. Horatius *Ode* 1. *Nunc ad aquæ lene caput ſacræ.* Quibus ob eandem cauſam ſacrificia interdum offerri docet Horatius *lib.* 3. *ode* 13 de fonte Blanduſiæ. 53.

O fons Blanduſiæ ſplendidior vitro,
Dulci digne mero, non ſine floribus
Cras donaberis hœdo.

Et fontibus dicata templa tradit Cicero *lib.* 3. *de natura Deorum.* Idem de fluminibus dicendum, quæ ſacra à Gẽtibus habita ſunt, & eo nomine religiosè ſuſpecta. Æneas fluuio Tibri ſacrificat *lib.* 8. *Æneidos.* Ad Nili ora ſeu fauces ſacrificij tempore ſtipem à ſacerdotibus conferri, & à præfectis aurea munera, tradit Seneca 4. *lib. quæſtionum cap.* 2.

Fontibus, & fluuiis ſacrificia inſtituta.

Phryges

Phryges Mæandro & Marſiæ ſacrificare, & Maſſagetas Mæotidi paludi, & Tanai auctor eſt Maximus *ſermone* 38. Magos Strimoni equos candidos offerre tradit Herodotus *lib.*7. & ibidem *lib.* 1. ſcribit omnium numinum maximè fluuios à Perſis coli. Idem Strabo *lib.*15. Hinc ortum eſt, vt capilli primùm à cincinnatis pueris deroſi fluminibus conſecrētur, vt in Atticis tradit Pauſanias, quod ex Homero probat. Neque deeſt aliquod in Scriptura veſtigium, quo in *fontibus* intelligatur aliquid exiſtimari ſacrum. Nam Iſaias *cap.*57. *verſ.* 5. de Iſraelitis dixit, *Subter omne lignum frondoſum immolantes paruulos in torrentibus, ſubter eminentes petras.* Vide quæ ibi diximus.

54. Luxuries, ac deliciæ ad Idololatriã inducunt. Si quis tamen putet, quia luxuries, atque deliciæ impietatem fouent; & ad idololatriam ſæpius inducunt, ideo delicias has, quæ idololatriæ fomenta ſunt, tollendas eſſe dicit, huic ego non repugno: quia video in idolomaniam propter intemperantiam, & luxum incidiſſe plurimos. Sanè de filiis Iſrael dicitur *Exod.* 32. *Sedit populus manducare, & bibere & ſurrexerunt ludere.* De quibus Ambroſius *epiſtola* 36. *ad Sabinum. Vbi cœperit quis luxuriare, incipit deuiare à fide vera. Ita duo committit maxima crimina, opprobria carnis, & mentis ſacrilegia,* &c. *Qui ſe ingurgitauerit, atque immerſerit eiuſmodi voluptatibus, perfidiæ laqueos incurrit. Sedit enim populus manducare, & bibere & fieri ſibi Deos popoſcit.* In eandem ſententiam optimè, & grauiter Gregor. *lib.*10. *Moral cap.*14. Huc ſpectat illud *Deut.*32. *Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit. incraſſatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo: prouocauerunt eum in diis alienis.* Minatur verò Deus his, qui ad idola defecerunt, ſæpe deliciarum populationem, & interitum. In quem ſenſum accipi non incommodè poteſt illud Oſeæ *cap.* 2. *Ecce ego ſepiam viam tuam ſpinis.*

55. pp *Et educam cæcos in viam*, &c.] Hæc ſatis aperta ſunt. Oſtendit enim Deus quid ex ſublatis ſaltibus & fontibus ſiccatis, id eſt, idololatria ſublata, boni redundaturum ſit in ethnicum genus: nam depulſis errorum tenebris, & noua exorta luce, aliam ingredietur viam, alia deinceps conſilia meditabitur.

56. qq *Conuerſi ſunt retrorſum.*] Hæc de gentibus, quæ nouo illuminatæ ſplendore, progredi noluerunt in eo, quem inſtituerunt erroris curſum, ſed retrorſum abierunt. Ad eum modum, quo illi, quos facti, aut pœnitet, aut pudet, reperto ſpatio veſtigia turbant, aut delent, quæ temere, aut etiam nequiter impreſſerunt. Retrorſum itaque conuertentur Gentes, quia ſtatuto iam ſuæ perfidiæ modo, nouo inchoato curſu, veterem execratæ, quoad fieri potuerit corabunt, vtque facta ſunt, facta ne fuerint.

57. rr *Confundantur confuſione, qui confidunt in ſculptili.*] Imperatiuus pro futuro ponitur more prophetis familiari. Sic afficientur Gentiles, vbi cognouerint quàm fœdæ religioni ſeruierint, qui à ſculptili, id eſt, à ligno, & marmore ſalutem expectauerint, vt ſuffuſi rubore quanto in errore verſati fuerint non obſcurè teſtentur.

58. ſſ *Surdi audite, & cæci intuemini ad videndum.*] Hæc ego ad Iudæos referri puto, eum reſpectu tamen ad tempus Euangelicum, quo Gentes dicuntur reuerſuræ retrò, & acceptiuræ lucem veram, deteſtaturæque antiquum errorem. Iudæi enim eo tempore magis ad vocem obdurruerunt, quàm Gentes, atque ideo illi repulſi ſunt, iſtæ ad regnum in-

A greſſæ. Quare nunc Iudæos *ſurdos* vocat, qui cùm tot acceperint prophetarum oracula, illis neque credidere, neque obſecuti ſunt: & *cæcos*, quos prodigia, & ſigna ad illud vſque tempus ſæpius oblata à ſua impietate non abduxerunt. Aut certè *ſurdi* aut *cæci* appellatione illius gentis ſtupor, & amentia declaratur. Porrò ſicut *aures audiendi* dicuntur *Matthæi cap.* 11. quæ otioſæ non ſunt, neque inutiliter audiunt, ſic etiam *intueri ad videndum* eſſe puto, ita videre, vt ſpecies oblata vana non ſit; & ſine fructu. Quaſi dicat Deus, Ne ſitis, ô Iudæi, ſimiles diis, quos coluiſtis, qui aures habent, & non audient, oculos habent, & non videbunt.

tt *Quis cæcus, niſi ſeruus meus? aut ſurdus, niſi* 59.
B *ad quem nuncios meos miſi?*] Hæc verba vſque ad finem capitis paucis exceptis intelligenda videntur de decem tribubus, quæ quo tempore hæc dicebantur à propheta, iam exultabant apud Aſſyrios. Quarum exemplum duabus reliquis proponitur, vt in alieno capite diſcant, quid ſperare poſſint ex vitæ genere non diſſimili: vt illarum exitus horreant quorum imitantur mores. Et quidem illud *verſ.*24. *Quis dedit in direptionem Iacob*, à decem tribubus ſeparari non poteſt. Quare hæc de duabus tribubus ſic accipiamus vt valde putemus veriſimile ad decem tribubus eſſe referenda, quarum ſupplicium hìc optimè deſcribitur. *Quis cæcus*, &c. Hæc eſt ſuperioris verſus explicatio, quæ omnino conuincit
C ſuperiora eſſe de Iudæis intelligenda. Nam illi dicti ſunt ſerui, quos multis modis ſibi vindicauit, atque emit Dominus, & ad quos toties nuncios ſuos, id eſt, prophetas legauit. Quibus cùm parere noluerint, imò eorum oracula cum ſibilo atque conuitio exceperint, ſurdi iure optimo exiſtimari poſſunt. Vbi vulgatus *nuncios meos*, Hebr. eſt מלאכי *malachi*, quod aliqui ex recentioribus exponunt *nuncium meum*. Ita Vatablus & Pagninus: & ſenſum eſſe putant, nullum in opinione Iudæorum magis eſſe cæcum, aut ſurdum, quàm aut Iſaiam, aut Chriſtum, quos hoc loco deſignari putant, qui à Deo miſſi ſunt. Sed noſter interpres aliis notauit punctis, vocem מלאכי *malachi*, aut enim in plurali abſoluto legit מלאכים *malachim*, vel certè in ſtatu
D ſyntactico מלאכי *malache*, quod ſæpe extra regimen contingere docet Pagninus *lib.* 2. *inſtitutionum cap.*14. & ſanè LXX. in numero legerunt plurali, licet multò aliter, ſicut etiam Chaldæus.

uu *Quis cæcus, niſi qui venundatus eſt? & quis cæcus niſi ſeruus Domini?*] Eundem eſſe puto *ſeruum*, & 60.
eum, *qui venundatus eſt*, per epexegeſim. Venundatus autem eſſe dicitur Iſrael, quia tot à Deo affectus eſt beneficiis, vt voluntatem ſuam addicere debuerit diuinæ. Munera enim, & beneficia, catenarum inſtar ligant homines, ſuique iuris eſſe non ſinunt *Prouer.* 22. *verſ.* 9. *Victoriam, & honorem acquirit, qui dat munera: animam autem aufert accipientium.* Quæ optima deſcriptio eſt hominis, cui donorum, & meritorum magnitudo libertatem
E eripuit. Vendidit autem ſe populus ille Deo, propter ingentia merita, cùm ad montem Sinai dixit *Exod.cap.*19.*verſ.*8. *Cuncta, quæ locutus eſt Dominus, faciemus.* Hoc autem quoddam mancipij genus eſt.

Dona libertatem eripiunt.

xx Pro *venundatus*, Hebr. eſt משלם *meſulam*, 61.
quod variè reddunt interpretes; ſed Vulgatus optimè vim explicuit vocis Hebraicæ. Eſt autem idem quod *repenſus*, aut *retributus*. Proprium epitheton ſerui, qui cùm donis quæ ab alio accepit, parem facultatem non habeat, quam retribuat, ſe ipſum re-

Quid homo Dei beneficiis debeat.

pendit, & quodammodo venundat. A Quamuis autem Iudæi non ſe tependant Domino, eóque nomine reptehendantut; tamen quia rependi debuerunt, nomen illud audiunt ex vſu ſcripturæ, quæ nomen interdum attribuit, non meritis hominum, ſed officio, aut obligationi, accommodatum magis inſtituto, ac debito quàm moribus: ſicut Chriſtiani *Sancti* vocantur ſæpe in Actis Apoſtolicis, quia Chriſtianorum vitam, & mores ſanctitas decet. Decebat autem populum tot oneratum, atque emptum beneficiis, vt Deo tam cumulatè de ſe merito ſeipſum venundaret.

62. *Peccator cæcus, & ſurdus.*

y y *Qui vides multa nónne custodies? qui apertas habes aures nónne audies?*] B Hæc ad duas tribus omnino refero, quas Dominus excitat, vt ipſius beneficia, & aliorum ſupplicia attente conſiderent. Explicat quo ſenſu dicendus ſit populus Iudæus cæcus, & ſurdus. Qui in luce Solis pomeridiana, ita offendit, aut errat à via, ac ſi in tenebris eſſet, licet aquilina ſit acie, & ſolē ipſum aduerſum intueatur, *cæcus* dicitur: quia ex ſolis aſpectu nullum capit vſum. Et qui alterius legibus, aut monitis non paret, *ſurdus* vocatur, quantumcumque acutum habeat ſenſum audiendi. Eam nunc rationem affert Dominus, cur populum ſuum *cæcum* vocet, & *ſurdum*: *cæcum* quidem, qui cùm tot vident portenta, & ſigna, & ex his quædam recentia, vt deletas eſſe momento temporis Aſſyriorum vires ab Angelo, & in Ezechiæ reſtituta ſalute admirabilem extitiſ- C ſe in horologio Achaz vmbrarum regreſſum, nihilominus his non adducuntur, vt & Deum in præſentia colant, & poſtea Euangelicæ legis lucem aſpiciant, perinde atque ſi illius nullum antè ſignum accepiſſent. *Surdum* verò, quia tot vocibus, tot minis, & oraculis, ad quæ nunc habet apertas aures, aut fidem poſtea non habebit, aut non in illis ſuo tempore Meſſiam agnoſcet. Hi nimirum ad ſimilitudinem idolorum, quæ coluerunt, aures habent, & oculos, ſed neque illas ad audiendum, neque hos ad videndum. Hoc ſuprà dixerat *cap.* 6. *Audite audientes, & nolite intelligere: & videte viſionem, & nolite cognoſcere.* Poſſunt etiam hæc referri ad decem tribus, in hanc ſententiam. Digna factis ſupplicia ſuſtines: quæ euaſiſſes omnino, ſi quæ vi- D diſti obſeruaſſes, & quæ audiuiſti mandata cuſtodiuiſſes.

63. z z *Et Dominus voluit vt ſanctificaret eum: & magnificaret legem, & extolleret.*] Hîc ſe propheta referre videtur ad decem tribus. Multis Deus populum illum officiis cumulauit, vt ſanctum faceret, & legem magnam eſſe oſtendit ſignis, & miraculis, quo populum ad eius obſeruantiam excitaret; & ea ratione magis, atque magis quotidie ornaret, & extolleret: ſeu vt ipſis cumularis ſplendidè, iuſtam & eximiam legem oſtenderet, quæ ſui ſtudioſos, & amatores tam luculenter ornat, & extollit. Sed quò Deus magis populum illum prouocabat officiis ad ſanctitatem, eò ipſe in ſua obſtinatione præfractior E magis refugiebat à lege, & longiùs aberat à ſanctitate. Quidam, in quibus ſunt S. Thomas, Haymo, & eò inclinat Hugo, exiſtimant illud *magnificaret*, ad populum eſſe referendum: ita vt Deus eò velit populum adducere, vt legem magnificaret, illámque amplecteretur ſtudioſè. Quam ego ſententiam ne admittam, facit quia in textu aliqua minùs bellè conueniunt, ſi tria illa *ſanctificaret*, *magnificaret*, & *extolleret*, ab vno ſubiecto diſtrahas; Et ita ſentiunt Chaldæus. Procopius, Dionyſius, Vatablus, Foreirus, & Hugo dubius eſt.

64. a a a *Ipſe autem populus direptus, & vaſtatus.*] Quo tempore hæc ab Iſaia dicebantur, iam magna pars decem tribuum abducta fuerat ad Aſſyrios captiua, & regnum Iſrael grauiter afflictum, & dilaceratum. Opponit autem incommoda, quæ peruicax ille, atque ingratus populus ſuſtinuit, commodis, & honoribus, quæ ſi parere legi, & diuinis oraculis voluiſſet, conſequeretur à Deo.

65. b b b *Laqueus iuuenum omnes, & in domibus carcerum abſconditi ſunt.*] Dubium eſt an laqueus hic actiuè ſumatur, vel paſſiuè: id eſt, an Iudæi offenſioni aliis, & laqueo fuerint, vel certè ipſi propter contemptam legem ſint illaqueati. Actiuè exponit Hieronymus, S. Thomas, Haymo, Hugo, & Dionyſius dubij ſunt; & de principibus Iudæorum accipiunt, & Euangelij tempore. In quo Phariſæi, & Scribæ iuuenes, id eſt, cæteram turbam inferiorem, & rudem prauis dogmatibus infecerunt; de quibus *Oſeæ cap.* 5. *Laqueus facti eſtis ſpeculationi; & ſicut rete expanſum ſuper Thabor.* Alij paſſiuè capiunt, ita vt Iudæi non tam illaqueauerint alios, quàm ipſi ab aliis ſint illaqueati. Ita Cyrillus, Adamus, Foreirus, Vatablus; inclinat Diooyſius, & Hugo. Quæ ſententia videtur mihi magis cum toto capite congruere: & quod ſtatim ſubiicitur, non parum perſuadet. *Laqueum* verò pro *laqueatis* ſumi non eſt dubium; quia abſtractum pro concretis ſumi in ſcripturis obuium. Exemplum huic valde ſimile nuper habuimus *cap.* 41. Vbi *glutinum* pro *glutinato* ſumi diximus, ſicut *iuga* pro *iugatis*. Et in hac ipſa materia exempla ſunt propiora. Non enim ſolùm *carcer*, & *cuſtodia* pro *vinculis* ſumuntur, ſed etiam pro *vinctis*. *Actor. cap.* 27. Quin & ipſa *vincula*, & *catena* pro *catenatis* & *vinctis*, per metonymiam credo, quæ pro re contenta continentem adhibet. *Pſalm.* 118. Vbi Vulgatus: *Funes peccatorum circumplexi ſunt me.* Chaldæus legit: *Cohortes, & caterua congregata ſunt contra me.* 1. *Reg. cap.* 10. *verſ.* 11. Vbi noſter, *Ecce cuneus prophetarum*, Hebr. eſt, חבל *chebel*, id eſt *funis*, quod in hoc eodem genere ſæpe vſurpat Hiſpanus, qui *catenam vnam*, aut ſuo idiomate *ſartam vnam* vocat *vinctos*, qui eadem catena colligantur. Quod dicendi genus vſitatum eſſe antiquis indicat Lucretius *lib.* 2. qui *catenam* vocat chorum ludentium, & ſaltantiŋni.

Laqueus pro illaqueato, ſicut etiam funis, & catena.

Catenas

Ludunt, innumerique exultant ſanguine læti.

66. Ille verò laqueus, ſeu catena dicitur *iuuenũ*, quia durus eſt, qualiſque iniici ſolet non ſenibus ætate languidis, aut fœminis ſexu imbecillis, quos tenuia vincula conſtringunt, & cohibent, ſed qualis arctare ſolet robuſtos, & audaces iuuenes: qui & audent, & poſſunt fortia etiam vincula diſrumpere. Vide quod diximus ad illud *cap.* 22. *Sicut aſportatur gallus gallinaceus*; ſeu vt alij legunt, *aſportatione viri*, id eſt longa, qualem vir fortis ſubire ſolet.

67. c c c *Facti ſunt in rapinam, &c. neque eſt qui dicat, Redde.*] Hæc aperta ſunt: quæ nonnulli exponenda putant de captiuitate, atque ærumna, quam poſt Chriſti mortem ſubierunt Iudæi: nam ab illa nunquam erepti ſunt, aut redempti. Id enim ſignificat illud, *Non eſt qui dicat, Redde*, nempe *libertati*, aut *patere in patriam reuerti.* Aut, quia *redde* vox eſt domini repetẽtis, aut iure aut armis quod ſuum eſt, ſignificatur populum illum reiectum iri à Domino; ità vt illum Dominus neque domeſticũ, neque ſeruum agnoſcat, ac ſi dicat, *eſtaram deſamparados, y oluidados, como ſin dueño.* Affine eſt illud *Pſalm.* 43. *Vendidiſti populum tuum ſine pretio.* Si de decem

tribubus

A tribubus accipias, quod potiùs cenſeo, ſatis conſtat illas nunquam rediiſſe ab exilio.

68. ddd *Quis eſt in vobis, qui audiat hoc, attendat, & auſcultet futura?*] Hæc ad duas tribus. Indicare videtur propheta, hæc quæ grauia ſunt de futuro Iudæorum exitio vaticinia, paucis eorum, qui auſcultabant, Iudæis cenſeri tanquam pondus, & fidem habitura; Aut de his non admodum fore ſollicitos. Et ideo, quo illis horum verborum euentum perſuadeat, exemplum adducit eorum, qui in cauſa non diſſimili ſimilem fortunam experti ſunt.

69. eee *Quis dedit in direptionem Iacob, & Iſrael vaſtantibus, nonne Dominus ipſe, cui peccauimus?*] Quo tempore hæc dicebantur à propheta: captæ iam fuerant ab Aſſyriis decem tribus, aut earum aliqua, quarum exemplum hîc adducit. Ab illarum autem peccatis atque ſupplicio probat affines futuras eiuſdẽ pœnæ duas tribus, quæ eiſdem fermè ſceleribus ſe implicuere. Non diſſimilia à prophetis decem tribubus denunciata fuerunt, neque ab illis diſſimili ludibrio exſibilata. Sed illæ durè à Domino mulctatæ ſuo exemplo præſcribunt, quid duæ aliæ tribus ſperare debeant. Quantùm verò in peccando duæ tribus tunc incolumes, aliis decem ſimiles extiterint, clamant ſæpe prophetæ. Ezechiel *cap.* 16. victam ab Iuda dicit eſſe Samariam, id eſt, decem tribus: Similiter alij prophetæ non ſemel.

fff *Et noluerunt in viis eius ambulare.*] Multi hîc tranſitum eſſe putant à prima perſona ad tertiam. Ita vt *noluerunt* idem ſit quod *noluimus*, hoc ſenſu. Dedit Deus in direptionem Iacob, cui peccauimus, & noluimus in viis eius ambulare: Quod licèt vſitatum ſit in ſcriptura, non tamen puto, ita hîc eſſe accipiendum; ſed ſimpliciter dicendum, in direptionem datum Iſrael, id eſt, decem tribus, quia noluerunt parere præceptis Domini, quem qui tunc aderant Iudæi non minùs offendebant. Ac ſi dicat, *Deus quem nos offendimus, dedit in direptionem Iſrael, quia noluit in viis eius ambulare.* Illud *&*, cauſalis eſt, & rationem reddit, cur decem tribus à Deo in direptionem datæ. 70.

ggg *Et combuſſit eum in circuitu, & non cognouit.*] Summam vaſtitatem per incendium, & ignem ſignificari alibi à nobis dictum eſt. In circuitu autem combuſtus eſt Iſrael, id eſt, decem tribus, quia nihil reliquum fuit in earum finibus ab Aſſyriorum flamma. Illud *&* rurſus cauſale puto; ita vt ideo combuſtus, & abductus fuerit populus in captiuitatem, quia ſtultus fuit, neque ſibi impendere malum illud, aut cognouit, aut credidit. Eodem ſenſu, quo ſuprà *cap.* 5. dixit propheta, *Propterea captiuus ductus eſt populus meus, qui non habuit ſcientiam.* 71.

B

Argumentum quadrageſimi tertij capitis Iſaiæ.

IN capite præcedenti docuerat Dominus, quàm ſeuerè decem tribuum peccatum exilio, ſeruitutéque mulctauerit: Nunc de duabus tribubus docet longè aliud futurum eſſe iudicium. Quas multis ornauit officiis; & vndecumque Gentium ad antiquam ſedem, atque ordinem reducet. Deinde cum Gentibus agit, iubétque vt teſtibus probent, quid horum ſimile à diis vnquam acceperint. Et quod ab illis exigit, id vltrò de ſe offert, dum teſtes exhibet, quibus omnia, quæ de ſe priùs affirmarat, vera eſſe demonſtrat. Rurſus talia populo ſuo promittit officia; qualia parentum ſuorum ætate in eundem populum antea contulerat: Ad extremum docet hæc tot ornamenta, officiáque maxima non poſterorum, aut parentum meritis, ſed diuinæ tantùm benignitati eſſe tribuenda.

CAPVT XLIII.

1 a ET nunc hæc dicit Dominus creans te Iacob, & formans te Iſrael: Noli timere, quia redemi te, b & vocaui te nomine tuo: meus es tu.*

2 c *Cùm tranſieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te: Cùm ambulaueris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te:*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 IT A decem tribus in exilium abire permiſit, vt nunquam ex eo in patriã remigraturæ ſint. De te autem, ô domus Iuda, longè aliter ſtatuet Deus, qui Iacob creauit; Iacob, inquam, generis tui parentem. Sic enim de te, ad te Deus, noli timere, ego enim redimam te, atque reſtituam ab exilio, quod aliquando tibi ſubeundum eſt. Te enim ſic diligo, vt nomine te vocem tuo; cùm meum te eſſe dico, hoc nempe modo, meus es tu Iſrael.

2 Sicut parentes tuos olim, ex aqua, atque igni incolumes eduxi, ſic cùm per aquas tibi tranſeundum fuerit, efficiam ne te vaſtus aquarum gurges abſorbeat, aut fluctus obruant marini. Si in ignem, & fornacem vis te aliqua violentior miiecerit, neque te flamma combutet, &

ignis vehemens calor tibi prorſus erit innoxius.

3 Hæc verò tibi præſtabo, ô domus Iuda; quia ego Dominus tuus ſum, & Deus, quem pater tuus Iſrael veneratus eſt. Et quæ tuo capiti minabatur Senacherib, illa in Ægyptum, Æthiopiam, & Sabam conuertam; quæ tibi erunt quaſi victimæ, quibus qui alicui peccato ſunt affines, & obnoxij gladio, offenſum ſibi numē propitiare ſolent.

4 Ex quo apud me eo loco fuiſti, vt te apud alios ornare, atque honeſtare decreuerim. Dilexi te; & ne tu perires; cùm grauis vrgeret calamitas, homines, quorum imperio ſuberas, aut neci dedi, aut in ſeruitutem abduxi.

5 Noli ergo timere, populę mi, quia vbicumque Gentium captiuus agas, tecum ero. Si in Orientalem plagam abieris, inde filios tuos accerſam; ſi in Occiduam, ex ea illos congregabo, reſtituámque patriæ.

6 Quòd ſi ad Aquilonē, ſiue ad Auſtrum abacti fuerint captiui: edicam Aquiloni, & Auſtro, vt ab extremis terræ finibus vtriuſque ſexus exules reſtituant: neque illorum libertati moræ aliquid afferant.

7 Ero autem tam de veſtra ſalute ſollicitus; quia magno ſtudio, & præcipuo quodam conſilio, creaui, formaui, & feci populum, qui nomen imploraret meum, meæque gloriæ, ac maieſtati ſeruiret.

8 Exeat nunc populus Gentilium cæcus, cùm oculos acceperit, & ſurdus cùm audiendi vim, & facultatē habeat; & doceat an à diis ſuis eiuſmodi aliquid vnquam audierit.

9 Fac omnes Gentes pro aſſerenda deorū ſuorū religione conueniſſe, & ex omnibus tribubus in illam curam neminem eſſe reliquum. Quis ex eo numero eſt, qui de diis ſuis tale aliquid anciet, quale nūnc vobis à me promiſſum eſt? Et quæ priùs à me de antiquis parentum veſtrorum ſæculis commemorata ſunt, illa de nugacibus diis affirmare, ac prædicare poſſint? Quòd ſi quidpiam reſponderint ad hæc, eáque teſtibus confirmauerint, nihil ampliùs obiicio; culpa illi, atque errore liberi ſunto. Sed planè teſtis erit nullus, qui citra mendacium dicat, illos verè fuiſſe locutos.

10 Nihil ab Idolorum cultoribus exigo, quod non ego de me publica exhibeam, atque legitima forma. Teſtes exigebam, ecce teſtes do. Vos ô Iudæi, qui coràm eſtis, & ſeruum meum Chriſtum quem elegi, teſtes aduoco. Nam & vos ipſi à parentibus veſtris plurima, quæ à me commemorata ſunt, ſæpius audiiſtis; & eorum aliqua coràm eſtis intuiti. Et ſeruus meus Chriſtus, quæ de ipſo promiſi cumulatè præſtabit. Quod optimum vobis erit argumentum, vt credatis, & cognoſcatis, quia ego ipſe Deus ſum, ante quem nemo fuit, & poſt quem nullus vnquam erit.

11 Ego

3 [d] Quia ego Dominus Deus tuus ſanctus Iſrael ſaluator tuus, dedi propitiationem tuam Aegyptum, Aethiopiam, & Saba pro te.

4 Ex quo honorabilis factus es in oculis meis, & glorioſus: ego dilexi te, [e] & dabo homines pro te, & populos pro anima tua.

5 Noli timere, quia ego tecum ſum. [f] Ab Oriente adducam ſemen tuum, & ab Occidente congregabo te.

6 Dicam Aquiloni; Da: & Auſtro; Noli prohibere: [g] affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ.

7 [h] Et omnem qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creaui eum, formaui eum, & feci eum.

8 [i] Educ foras populum cæcum, & oculos habentem: ſurdum, & aures ei ſunt.

9 [k] Omnes gentes congregatæ ſunt ſimul, & collectæ ſunt tribus: Quis in vobis annunciet iſtud, & quæ prima ſunt, audire nos faciet? [l] Dent teſtes eorum, & iuſtificentur, & audiant, & dicant; Verè.

10 [m] Vos teſtes mei, dicit Dominus: [n] & ſeruus meus quem elegi: vt ſciatis, & credatis mihi, & intelligatis quia ego ipſe ſum. Ante me non eſt formatus Deus, & poſt me non erit.

11 Ego

11 Ego ſum, ego ſum Dominus, & non eſt abſque me ſaluator.

11 Ego ſum, ego, inquam, ſum, qui illa feci, quæ à parentibus accepiſtis mirabiliter facta. Neque præter me vllus eſt, qui ſaluare potuerit, quos ego in præſenti rerum diſcrimine ſeruaui.

12 [*] Ego annunciaui, & ſaluaui; auditum feci, & non fuit in vobis alienus: Vos teſtes mei, dicit Dominus, & ego Deus.

12 Ego annunciaui, &c, ſicut prædixeram antè, ſaluaui vos: quod beneficium, atque opus admirabile, non eſſe Gentium idolis tribuendum, argumento vobis eſſe poteſt, quòd eo temporis veſtigio, non erat inter vos alienus Deus, cuius potentiæ illud adſcribi poſſe videretur. Vos itaque, dicit Dominus, teſtes eſtis, quòd ego ſim Deus.

13 Et ab initio ego ipſe, & non eſt qui de manu mea eruat: Operabor, & quis auertet illud?

13 Quæ iam olim à principio maiores veſtri beneficia ſuſcepere; à me profecta ſunt omnia: quóſque in meam fidem, atque adeò in ſinum recepi, incolumes, & victores traduxi: neque enim vis eſt vlla, quæ è manibus eruat, quos ego & manu prehendi, & amplexu teneo; aut diſſoluere, ſeu prohibere poſſit, quod ego molior.

14 Hæc dicit Dominus, redemptor veſter, Sanctus Iſrael. [p] Propter vos miſi in Babylonem, & detraxi [q] vectes vniuerſos, [r] & Chaldæos in nauibus ſuis gloriantes.

14 Quòd verò ad tempus pertinet futurum, beneficiáque noua in veſtrum genus conferenda, hæc accipite à Deo, quem Iſrael à principio venerarus eſt, & qui illum ſæpe in vario temporum diſcrimine redemit. Abducemini aliquando ad Babylonios captiui; ſed ego propter vos contra Babylonios, Perſas armabo, qui delcto Chaldæorum imperio, qui in ſuo Euphrate gloriabatur, tanquam firmiſſimo ciuitatis munimento; temotis vectibus, atque impedimentis, quæ reditum veſtrum, & libertatem retardabant, in patriam remittent.

15 Ego Dominus ſanctus veſter, creans Iſrael rex veſter.

15 Ego, qui hæc vobis noua beneficia promitto, ſum Deus ille, quem vos ſanctum appellatis, & colitis. Ego Rex, atque ductor veſter, à quo formatus eſt, & creatus Iſrael.

16 [s] Hæc dicit Dominus, qui dedit in mari viam, & in aquis torrentibus ſemitam.

16 Et ne de rerum, & promiſſorum exitu dubitetis, hæc vobis promittit, qui ſimiles olim vectes, & impedimenta ſummouit: aperuit enim viam in mari rubro, & quo tempore Iordanis aquæ magis intumuerant, peruium reliquit, & arentem alueum.

17 [t] Qui eduxit quadrigam, & equum, agmen & robuſtum: ſimul obdormierunt, nec reſurgent: contriti ſunt quaſi linum, & extincti ſunt.

17 Qui Ægyptiorum robuſtum agmen equis, atque quadrigis inuectum in apertum maris alueum induxit, atque ibi omnes demerſi ſunt ſine vlla ſpe, aut facultate fugiendi, ea facilitate, qua ellychnium fumigans, & penè mortuum extinguitur.

18 [v] Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini.

18 Magna quidem ſunt hæc: verumtamen quæ deinceps beneficia præſtabo, non erunt leuiora. Et hæc quidem ita meam diuinitatem apertè teſtabuntur, vt neceſſe non ſit ſuperiorum excitare memoriam.

19 Ecce ego facio noua, & nunc orientur, vtique cognoſcetis ea: [x] Ponam in deſerto viam, & in inuio flumina.

19 Ecce ego noua faciam miracula, quæ edentur propediem; & vos ipſi cognoſcetis ea; Vt enim olim columna ignis noctu, & interdiu nube præcedentibus, viam oſtendi in ſolitudine, & in regione ſitienti, & inuia de petra aquam ex-

20 [y] Glori

cuſſi largè manantem; ſic eadem vobis in ptæſentia beneficia præſtabo.

20 Ex eo autem beneficio in electum mihi populum collato, non exigua in agreſtes belluas, dracones puta, atque ſtruthiones tedundauit vtilitas: Habuetunt enim in deſerta illa, atque inuia ſolitudine flumina, quibus grauem, & vrentem ſitim explerent. Quare ipſæ quoque belluæ pro communi illo beneficio gratias agent.

21 Populum iſtum ego formaui, & ex omnibus illum præcipuum habeo: quem eo ſtudio, ac liberalitate proſequat, vt laudem meam perpetuò prædicet.

22 Hæc verò, ô Iacob, non tuis in meum cultum meritis, ſed meæ in te benignitati aſcribe: neque enim me vt par erat, & ipſa religiouis natura poſtulabat, inuocaſti. Neque in quærendo aromate, aut conuehendis victimis eam operam aſſumpſiſti, quam meo mihi cultui impenſam eſſe deputem.

23 Quare oblatum in holocauſto arietem, & victimas ſæpius iteratas inacceptum non refero: neque in oblatione mihi ſeruiiſti; neque mea tibi gloria; ſed alia quædam ratio impoſuit, quem in thure, & ſuffimentis aſſumpſiſti labotem, & ſumptum.

24 Non obtuliſti mihi, niſi fucata religione, calamum odoratum, quem impenſo pretio de tetra longinqua comportaſti: neque quem ego expetebam victimarum tuarum adipem miniſtraſti, quò deſiderio meo, ac fami ſatisfaceres. Sed potiùs in illis ipſis ſuffimentis, & victimis offenſionem mihi, & laborem præbuiſti, dum tuis conſiliis fucatam illam ſanctitatem ſeruire facis, mei nominis religionem, iniquis tuis rationibus obtendens.

25 Ego ſum, ego, inquam, ſum, qui à me ipſo ſumo, quo tibi benefaciam, & peccata deleam; quíque ad bene de te merendum obſequium, & meritum non expecto; & qui immemorem me tuorum peccatorum oſtendam, nullo edito offenſi, atque indignati animi documento.

26 Quò autem conſtet non tuis meritis, ſed meæ benignitati ſuperiora eſſe annumeranda, age iam, veniamus in iudicium, & hæc inter nos viciſſim diſceptemus: & ſi quid habes quó te iuſtum eſſe oſtendas, dignúmque, cui illa, de quibus nuper, tribuantur, illud quantocyus profer.

27 Quòd tuis victimis, atque oblationibus nihil debeatur, nuper audiuiſti. Quòd parentes tui iſta beneficia non ſint promeriti, iam à me diſce. Primus generis tui pater, & auctor Abraham Idolis aliquando ſeruiuit. Et, quos deinde voluntatis, atque conſilij mei interpretes dedi, Moyſes, & Aaron, à mandato meo præuaricati ſunt. Quare ſatis illis datum eſt, ſi ſuorum peccatorum veniam obtinuerunt.

28 Neque

20 [y] *Glorificabit me beſtia agri, dracones, & ſtruthiones: quia dedi in deſerto aquas, flumina in inuio, vt darem potum populo meo, electo meo.*

21 [z] *Populum iſtum formaui mihi, laudem meam narrabit.*

22 [aa] *Non me inuocaſti Iacob, nec laboraſti in me Iſrael.*

23 *Non obtuliſti mihi arietem holocauſti tui, & victimis tuis non glorificaſti me: Non te ſeruire feci in oblatione, nec laborem tibi præbui in thure.*

24 *Non emiſti mihi argento* [bb] *calamum, & adipe victimarum tuarum non inebriaſti me.* [cc] *Verumtamen ſeruire me feciſti in peccatis tuis, præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis.*

25 [dd] *Ego ſum, ego ſum ipſe qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.*

26 [ee] *Reduc me in memoriam, & iudicemur ſimul: narra ſi quid habes vt iuſtificeris.*

27 [ff] [gg] *Pater tuus primus peccauit,* [hh] *& interpretes tui præuaricati ſunt in me.*

28 [ii] *Et*

28 [ll] *Et contaminaui principes ſanctos,* [kk] *& dedi ad internecionem Iacob, & Iſrael in blaſpemiam.*

28 Neque tibi occultum eſſe poteſt, duos hoſce interpretes fuiſſe præuaricatos, quando ego certis indiciis, diſertíſque verbis illorum peccatum manifeſtaui. De aliis autem parentibus, qui cum Moyſe de Ægyptia ſeruitute primùm emerſerunt, non eſt quod tibi blandiaris, quando ego illos propter peccata in deſerto confeci.

IN CAPVT QVADRAGESIMVM TERTIVM COMMENTARIVS.

1. [a] ET *nunc hæc dicit Dominus creans te, Iacob, & formans te, Iſrael: noli timere, quia redemi te.*] Hæc hiſtoricè dici puto de duabus tribubus, quibus, ſicut & aliis decem, Iſrael, & Iacob nomen commune eſt: quia omnes ex eodem parente prognatæ. Allegoricè tamen de Eccleſia, quæ in duabus tribubus ſignificatur, quæ, dilapſis aliis decem ad aureos vitulos, in vera, atque auita religione permanſerunt. Hæc autem conſulatoria verba ad duas tribus, quas Deus nuper tam graui comminatione perculerat, ideo dicta opinor, quia, cùm dixiſſet in fine capitis præcedentis diutum fuiſſe decem tribuum ſupplicium, ad quod intueri iuſſerat, illúdque æternum fore didiciſſent (id enim ſignificat illud, *nec eſt qui dicat, Redde*, quod de B decem tribubus exponi poſſe diximus.) Cùmque idem eſſet peccatum in duabus, neque diſſimilis propoueretur exitus, timere ſuo magno merito poſſent, ne quemadmodum aliis in ſempiternum negatus eſſet reditus in patriam; ſic ipſis quoque perpetuum futurum eſſet exilium. Ab hoc igitur metu liberat Deus duas illas tribus, quæ minùs fuerarat, quàm aliæ decem, infideles, dum ait ab eo, quod proponebatur exilio fore redimendas. Quóque magis ſpem futuræ libertatis confirmet, creatorem ſe vocat, & formatorem Iſrael, cuius potentia duobus his titulis declaratur maximè. Porrò *redemi* prophetali more pro futuro ponitur.

2. Hunc ſenſum eſſe puto expeditum, & facilem. C Scio multos cenſere ſermonem hîc eſſe de Eccleſia, & in his Cyrillum, Hieronymum, Procopium, Haymonem, Dionyſium. Sed & alij ſunt, qui de Iudæis accipiunt. Quorum è numero ſunt, S. Thom. Hugo, Pagninus, Olorius *in epitome paraphraſis, quæ eſt in principio*. Et tandem hoc ipſum fatentur Cyrillus, & Procopius, qui multa hiſtoricè de populo Hebræorum interpretantur, vt de captiuitate Babylonica à Cyro laxata: & Adamus, & Forerius multa coguntur de Iudæis accipere. Ego mediam viam ingreſſus ita vaticinium illud de duabus tribubus accipio, vt in illis cenſeam optimum Eccleſiæ exemplar proponi: quod neque nouum eſt, neque parum in prophetis repetitum: Qua de re egi- D mus latè *in proœmio capitis* 40. quod omnino vide. Quòd ſi hæc duabus tribubus conuenire probamus, non erit difficile ad Eccleſiam conferri, quæ ex hac vmbra clarè ſeſe prodit.

3. [b] *Vocaui te nomine tuo, meus es tu.*] Familiaritatis, & beneuolentiæ eſt, vocare aliquem nomine A ſuo, & non alieno, aut communi, nam hoc maleuolentiæ ſignum eſt, aut contemptus. Quare dum prouidi, atque amantis paſtoris natura deſcribitur *Ioan.* 10. hoc vnum ſtatuitur in ea cura non poſtremum. *Proprias oues vocat nominatim, & educit eas.* Et *Lucæ cap.* 16. cùm Lazarum mendicum ſuo notaſſet nomine, communem tantùm notam diuiti ſuperbo atque helluoni dedit. Et Saul ſæpe, & alij nonnunquam Dauidē non ſuo, ſed parentis nomine per ludibrium vocabat, filium videlicet Iſai. Illud *meus es tu*, puto materialiter ſumi, ac ſi dicas, Cùm dicebam tibi compellatione blanda, atque beneuola *meus es tu*, addebam nomen Iacob atque Iſrael, hoc modo *meus es tu ô Iſrael*, nempe *populus*, ſeu *filius*. Hæc autem appellatio apud Latinos plena eſt beneuolentiæ: ſic enim amicos blandè compellant *Mi Attice, mi Tyro, mea Terentia*, & ſimilia. Et ita puto eſſe accipiendum hunc locum: neque enim video quænam alia ſententia implere poſſit totum illud *vocaui nomine tuo, meus es tu*, niſi dicas, nominato Iacob, aut Iſrael, additum eſſe *meum*. Vide, quæ diximus *cap.* 44. *num.* 4.

Beneuolentiæ eſt appellare aliquem nomine ſuo. Ioan. 10.

[c] *Cùm transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te; cùm ambulaueris in igne, non combureris.*] *Ignis*, & *aqua* prouerbiali, vt opinor, forma pro maximis periculis vſurpatur, & ideo ſæpe in Scriptura coniunguntur, *Pſal.* 65. *tranſiuimus per ignem & aquam.* Quot incommoda, quàm grauia & longa in exilio pertulerint Iudæi ſatis ex Iere- C mia compertum. Quomodo ex illis Dominus eos eduxerit, quàm honeſtè, quàm placidè, & molliter, docuimus ſuprà ad illud *cap.* 40. *Vox clamantis in deſerto.* Credo tamen alluſum eſſe ad illa beneficia, quæ in eodem populo primis temporibus illuſtriſſima fuerunt. Traducti enim ſunt per maris rubri profundiſſimum alueum ſicco veſtigio; educti ſunt ex vita vſque adeò ærumnoſa, & dura, vt *fornax* appelletur *ferrea*, *Ierem. cap.* 11. *verſ.* 4. *Eduxi eos de terra Ægypti de fornace ferrea.* Niſi mauis hoc poſterius accipere de Abraham, qui in Hur Chaldæorum eductus eſſe dicitur de fornace. Quocumque accipias modo, ſupplenda eſt nota ſimilitudinis, ſi ſuperiora Hebræorum tempora reſpectes, D hoc ſenſu, Sicut parentes olim tui liberati ſunt de gurgite atque incendio, ſic tu, ô Iſrael, è ſimili eripiere periculo. 4.

Ignis, & aqua pro maximo periculo. Pſal. 65.

[d] *Quia ego Dominus Deus tuus, Sanctus Iſrael, Saluator tuus, dedi propitiationem tuam Ægyptum, Æthiopiam, & Saba pro te.*] Hæc non video quomodo niſi typicè conuenire poſſint in Eccleſiam. 5.

Probat

Probat hîc Deus ſuperiorum temporum exemplo, quid populus Iudaicus à ſua benignitate ſperare debeat. Adducit autem nunc illud, quod ſub Ezechia recens acceperat; ſummoto priùs Senacherib à faucibus Ieruſalem, & iterum in eiſdem faucibus fœdè, & ad internecionem vſque deleto. Repetenda hîc ſunt, quæ diximus ſupra *cap. 37.* quomodo cùm iam Aſſyrius immineret ciuitati, nihilque videretur propius, quàm vt in hoſtium poteſtatem veniret, repentè audito nuncio, quòd Tharaca Rex Æthiopiæ bellum molitetur, omiſſa interim Ieruſalem, contra ipſum furorem, & caſtra conuertit. Cum Æthiopes verò coniuraſſe quoque Ægyptum dixit Iſaias ſuprà *cap. 20.* Neque dubitandum eſt cum eis quoque Sabam arma coniunxiſſe, cùm ad Æthiopiam pertineat. Vnde Regina profecta eſt Salomonis viſendi ſtudio, & vbi regnaſſe creditur Candace, cuius Eunuchus Æthiops à Philippo baptizatus eſt *Actor cap 9.* Hos deleuit Senacherib, vt *cap. 20.* oſtendimus, tantúmque temporis in illis debellandis conſumpſit, vt non reſpirare ſolùm, ſed etiam placidè, atque otioſè viuere Solymitani potuerint. Hoc exemplo recenti ſpem Iudæorum confirmat Deus, adeò enim populum illum dilexit, vt, quò illum ſeruaret incolumem, gentes illas Aſſyriorum gladio deuouerit. Et quemadmodum victima pro peccato offertur, quæ peccatoris perſonam repræſentat, & eius loco cæditur; ſic Solymitanorum loco ſuffecti ſunt, quaſi victima Æthiopes, Ægyptij, atque Sabæi. Id enim meo iudicio ſonat: *Dedi propitiationem tuam Ægyptum*, &c. Ad hæc facit illud *Prouerb. cap. 11. Iuſtus de anguſtia liberatus eſt, & traditur impius pro ea.* Hæc mihi commodiſſima ratio viſa eſt expediendi hunc nodum; nam aliæ, quæ à quibuſdam afferuntur, non habent omnia admodum ſoluta. Et fauet huic cogitationi tranſlatio Septuaginta, quæ ſic habet: *Fecit commutationem tuam Ægyptum, & Æthiopiam, & Sobonem pro te.* Pondera illud *commutationem.*

Prouerb. 11.

6. Si hæc typicè ad Eccleſiam accommodes, placet expoſitio Hieronymi, quem ſequitur Haymo, & aliqui è recentioribus. Propitiauit enim Dominus, id eſt propitias, placatas, & ſubiectas reddidit nationes illas Eccleſiæ, & vt illam nouis quotidie augeret incrementis, quicquid ibi vitium habebat Ethnica ſuperſtitio, deleuit.

7. [e] *Et dabo homines pro te.*] Hæc aperta ſunt, neque ad ſuperiora aliquid addendum. Solùm hîc obſeruo futurum *dabo*, poſitum videri pro præterito *dedi*, vt tranſtulit Pagninus, Vatablus, Foreirus, Chaldæus, neque hoc reſpuit ratio Grammatica, cùm ante terminationem futuri אתן *ethen* ſit *vau* conuerſiuum, quod facit vt terminatio futuri rem ſignificet præteritam. Noſter autem interpres ſæpe in ſua tranſlatione Hebraiſmos retinet: quorum vnus eſt, vt *vau*, ſeu coniunctio *&*, ante terminationem futuri aliquid importet iam præteritum. Sed ſatis aptè ad textum exponi poteſt per futurum hoc ſenſu. Sicut dedi Ægyptum, & Æthiopiam, vt gladium pro te id eſt loco tui, ſubirent Aſſyrium, ſic etiam poſtea homines pro te dabo, qui patiantur illa, quæ tibi parata erant infortunia. Hi autem videntur Babylonij, quos Perſa deleuit, ſeruitéque fecit, vt à ſeruitute eximeret Iudæos.

8. [f] *Ab Oriente adducam ſemen tuum, & ab Occidente congregabo te: Dicam Aquiloni, Da, & Auſtro, Noli prohibere.*] In quatuor orbis partes diſperſas fuiſſe duas tribus docuimus ad illud *Zachar. 2. Quoniam in quatuor ventos cæli diſperſi vos.* Et liquet apertè ex Ezechiele *cap. 5.* qui cùm ageret de tertia parte duarum tribuum, quæ reliqua fuit à fame, & ferro, ait: *Tertiam verò partem tuam in omnem ventum diſpergam.* Vide quæ apud Zachariam diximus, & quomodo è quatuor partibus captiui, aut exules ſint in patriam reſtitui. Opponit autem hoc, *Dicam Aquiloni, Da;* illi, *Non eſt, qui dicat, Redde.* Quaſi dicat, Ero vindex tuus, & hoſti, cur captiuos ſeruies, ô Iſrael, dicam, Redde.

Duæ tribus variè diſperſæ.

9. [g] *Affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis.*] Repetit Deus ab Auſtro & Aquilone, filios, & filias, id eſt, ex quocumque ſexu, atque ordine quotquot habent captiuos, & extorres. Eſt enim vſitatum apud Hebræos vt genere maſculino ac fœminino multitudo magna ſignificetur, & varietas. Quomodo in *cantoribus & cantatricibus* omne genus muſicorum intelligitur *Eccleſ. cap. 2.* Vide quæ diximus ad illud *cap. 3. Dominus exercituum auferet à Ieruſalem, & Iuda validum & fortem.* Et *cap. 38.* ad illud, *Domine ſi ſic viuitur.* & infra *cap. 60. Filij tui de longe venient, & filiæ tuæ de latere ſurgent.* Iuxta hæc quoties in ſcriptura aliquis dicitur genuiſſe filios, & filias, ſenſum eſſe puto, ab illo numeroſam ſobolem fuiſſe ſuſceptam.

Genus fœmineū, & maſculinū magnam indicant multitudinem.

Iſaiæ 60.

10. [h] *Et omnem qui inuocat nomen meum in gloriam meam, creaui eum, formaui eum, & feci eum.*] Particulam *&*, cauſalē eſſe puto, quaſi rationem reddat Dominus cur ab omnibus mundi plagis collecturus ſit ſemen Iſraeliticum. Quia populum, qui Deum inuocat, & illum colit, creauit ad gloriam ſuam; quia ab illo aut in illo glorificari voluit, cùm ibi templum haberet, iugéſque victimas ſuo nomini deuoras. In tribus verbis, *creaui, formaui, feci*, nihil aliud eſſe cenſeo, quàm epitaſim, qua Deus ſignificat, quanto ſtudio, atque beneuolentia ſibi gentem Iſraeliticam in populum elegerit, ornaueritque ſit. Hæc tamen multò illuſtriùs in Eccleſia videmus fuiſſe completa: ad quem ex omnibus ventis congregauit Deus populum, qui ipſius inuocaret nomen, quem ad gloriam ſuam creauit, formauit, & fecit. Hic verò populus præſertim fuit ex Gentibus, quæ quàm longiſſimè à vera religione abeſſe videbantur, de quibus Chriſtus *Matth. cap 8. Dico autem vobis, quod multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Iſaac, & Iacob, in regno cælorum.*

11. [i] *Educ foras populum cæcum, & oculos habentem: ſurdum, & aures ei ſunt.*] Refert ſe iterum Dominus ad antiquam illam diſceptationem, quam cum Gentium idolis, & idolorum cultoribus antè ſuſceperat. Et iubet idem, quod antea pluribus, vt Gentes oſtendant, an vnquam Dij tale aliquid fecerint, promiſeríntque, quale ipſe feciſſe ſe oſtendit, futurúmque promittit. Gentiles autem *ſurdi* dicuntur, & *cæci* quia tam manifeſta non vident, & tam clarè, atque diſtinctè ſonantia non audiunt; ſimiles vtique dijs, quos ſuſpiciunt & venerantur, *qui oculos habent, & non videbunt; aures habent, & non audient. Pſalm.* 113. De quorum adoratoribus ſtatimſ *Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes, qui confidunt in eis.* Hæc non obſcurè indicant ſicut ſuperiora; ſic etiam iſta hiſtoricè de Iudæorum ſtatu intelligenda: quia idem eſt conſilium, eadem diſceptandi ratio.

12. [k] *Omnes gentes congregatæ ſunt.*] Suppleri hîc debet, vt alijs locis pluribus, *ſi*, conditionalis particula, hoc ſenſu. Si omnes gentes congregatæ fuerint, nihil reſpondebunt pro Deorum ſuorum religione opportunum. Aut certè, fac omnes gentes

congre

congregatas eſſe, meditatáſque diu, quid ad hæc reſpondeant: mihi tamen dicent, ipſis quod ex vſu ſit.

13. [l] *Dent teſtes eorum, & iuſtificentur.*] Si quidpiam reſponderint ad hæc, eáque teſtibus confirmauerint, nihil ampliùs obiicio. Culpa illi, atque errore liberi ſunto. Sed ſanè neque reſpondebunt aliquid opportunum, neque teſtes dabunt.

14. [m] *Vos teſtes mei dicit Dominus, & ſeruus meus, quem elegi, vt ſciatis, & credatis.*] Agit hîc Deus contra Deos gentium, gentéſque idololatriæ deditas: neque agit iniuſtè, quando nihil ab ipſis exigit, vt appareat in idolis aliquid eſſe diuinum, quod non ipſe de ſe publicè, atque legitimè exhibeat. Teſtes à Gentibus alienæ religionis exigit, teſtes ipſe de ſe ac de ſua religione profert, non abſentes, non mortuos, quorum dubia eſſe poterat, & ſuſpecta fides; ſed præſentes, qui & multa à parentibus acceperant, certíſque cæremoniis quotannis celebrari videbant, aut ipſimet nonnulla in aliis contemplati, aut in ſe ipſis experti nuper fuerant in Aſſyrio ira ſublato, ſicut prædictum ab Iſaia fuerat, & ſanato Ezechia, & ſole retrò decem lineas conuerſo.

15. Christus teſtis Dei. [n] Porrò ſeruus ille, quem elegit Deus, & cuius fidem omni calumnia, atque ſuſpicione ſuperiorem eſſe iudicat, non omnibus idem eſt. Hugo Cyrum eſſe putat, qui cùm ſciret prædictum ab Iſaia ſe agente Iudæorum populum in patriam reſtitutum iri, ſtatim facultatem fecit redeundi. *In quo*, inquit, *comprobauit veritatem promiſſionis diuinæ, & quaſi teſtis eius fuit.* Foreirus & Pintus Iſaiam eſſe cenſent. Alij communiter Chriſtum, quod veriſſimum arbitror. Hic enim ſuprà, vt vidimus *cap. 42. ſeruus* appellatur, & quæ dicturus, facturúſque prædicitur, teſtimonium eſſe voluit Deus diuinitatis ſuæ. Quare hunc optimum, & maximum teſtem appellat; quia in eius vita plurima, & maximè illuſtria fuerunt documenta diuinitatis illius, à quo ibi mittendus dicitur. Et clariùs infrà *cap. 55. Ecce teſtem populis dedi eum, ducem, & præceptorem Gentibus.*

16. Ad hæc fortaſſe Iſaiæ loca alluſum eſt, quoties in Euangelio Chriſtus ſe *teſtem* dicit, aut *teſtimonium perhibere Patri ſuo. Ioan. 17. Manifeſtaui nomen tuum hominibus.* Et *cap. 17. Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati.* Aut quoties ab aliis *teſtis* appellatur. *Apocal. 1. A Ieſu Chriſto qui eſt teſtis fidelis.* & *capite 3. Hæc dicit Amen teſtis fidelis & verus.* Cùm autem *teſtis* vocetur non tantùm, qui verbis, ſed etiam qui factis verba alterius, aut facta confirmat (Vnde qui ſanguine ſuo veram eſſe Chriſti religionem teſtati ſunt, *martyres* Græcè, Latinè *teſtes* appellārunt) Chriſtus præcipua quadā ratione vocari teſtis poteſt diuinæ veritatis, & fidei. Quia quæ de ipſo Pater *cap. 41.* & alibi ſæpe in hoc, atque aliis prophetis annunciauit, omnia ipſe ad vnum cumulatiſſimè compleuit. Et de hoc teſtimonio non tam verbis, quàm rebus exhibito intelligendum puto id, quod Paulus ſcripſit 1 *ad Timoth. 6. Præcipio tibi coram Deo, & Chriſto Ieſu, qui teſtimonium reddidit ſub Pontio Pilato bonam confeſſionem.* Teſtimonium autem puto ſilentium illud tantum, vt miraretur iudex, quòd inter tot iniurias, atque ludibria Chriſtus ſeruauit. Quo ſilentio optimè profeſſus eſt, quàm verè multò antè dictum eſt à Patre *Iſai. cap. 42. Non clamabit, neque audietur foris vox eius.* Porrò hîc à Paulo non puto agi de hoc teſtimonio, ſine alio, quod coram Pilato ipſo audiente, aut interrogante Chriſtus exhibuit, vt alij communiter putant, ſed de his, quæ dixit, feceritve toto paſſionis tempore. Neque enim dicitur reddidiſſe teſtimonium coram Pontio Pilato, ſed ſub eo, id eſt, toto tempore, quo illo iudice accuſatus, condemnatus, iudicatus, & crucifixus fuit. Ad huius ergo imitationem hortatur Paulus Timotheum, vt quemadmodum Chriſtus Patris ſui verbis admirabili conſtantia, ſilentio, atque obedientia, ſic ipſe vitæ exemplo, morúmque ſanctitate teſtimonium reddat Euangelio.

Ioan. 17.
Ioan. 18.
Apocal. 1.
Quomodo Chriſtus teſtis.
1 ad Tim. 6.

17. [o] *Ego annunciaui, & ſaluaui, auditum feci, & non fuit in vobis alienus.*] Prædixit antè Deus populo ſuo, quàm facili, fœlicique ſucceſſu debellaturus eſſet hoſtes, & ſubiecturus regna: & quomodo ab eo, quod ineluctabile videbatur eſſe malum, futurus eſſet incolumis: & nunc recèns expertus fuerat in Senacherib deleto, & Ezechia ſaluti, regnóque reſtituto, quantum eſſet ponderis, ac fidei in diuina promiſſione. Nunc Deus probat illa tanta, tam nota, & celebrata beneficia, non ab alienis diis, ſed à ſe, id eſt vero Deo, & ſolo eſſe collata. Quamuis enim populus ille vera religione prodita falſam aliquando coluerit, tamen quando illis beneficiis ornatus fuit, vnum colebat Deum. Ea ergo ratione probat non à diis falſis, ſed à ſe profectam eſſe ſalutem, & commoda; quia quo tempore illa contigere, nullus erat alius Deus in eo populo, à quo illa ſperare, aut orare potuerit. Imò, quo tempore populum illum externa occupauit, & infecit religio, grauia paſſus eſt infortunia. Quod vſque adeò notum erat, vt alienigenæ quoque nouerint, & prædicauerint; ſic enim Achior Ammonites, ad Holofernem *Iudith cap. 5.* de filiis Iſrael. *Vbicumque ingreſſi ſunt ſine arcu, & ſagitta, & abſque ſcuto, & gladio, Deus eorum pugnauit pro eis, & vicit, & non fuit, qui inſultaret populo iſti, niſi quando receſſit à cultu Domini Dei ſui. Quotieſcumque autem præter Dominum Deum ſuum alterum coluerunt, dati ſunt in prædam, & in gladium, & in opprobrium.* Hæc norat homo peregrinus, & Idololatra. Sed dixit idem domeſticus Moyſes *Deuter. 32.* vbi cauſam reddit cur admiranda illa, quæ ibi commemorantur, acceperit populus Hebræus. *Dominus*, inquit, *ſolus dux eius fuit, & non erat cum eo Deus alienus; conſtituit eum ſuper excelſam terram.* Porrò in illo, *Et non fuit*, particula *&*, non tam videtur coniungere, quàm rationem reddere.

18. [p] *Propter vos miſi in Babylonem, & detraxi vectes vniuerſos.*] Vbi iam præteritarum rerum exemplo Dominus ſe Deum eſſe probauit, ſignificauitque quàm habuerit dilectum populum, quem tot antea cumulaſſet officiis, nunc, vt illum recreet, atque confirmet, quem antea propoſito exilio, vaſtitatíſque terrore concuſſerat, oſtendit ſe eodem futurum animo, atque ſtudio, quo ſuperioribus antea ſæculis fuerat in illum populum, modò ipſum facti, deſertæque religionis pœniteat. Quare cùm abductus fuerit in exilium, curabit vt inde in patriam remigret, non liber ſolùm, ſed etiam glorioſus. Et eo conſilio in Babylonem emittet Cyrum ſuæ ſedulitatis adminiſtrum, qui deleto Babylonis imperio, ſublatiſque impedimentis in patriam remittat.

19. Vectes qui. [q] Quid *vectis* nomine intelligendum ſit, obſcurum eſt. Quidam in *vectibus* Principes intelligunt quia fortes ſunt, & infirmiori populo obſtare plerumque ſolent, quos à ſua potentia per Cyrum exturbauit Deus: ita Hieronymus, & Haymo. Alij in *vectibus* profugos, & fugitiuos accipiunt, quia ברח *barach, fugere* ſignificat, à quo בירח *bariach* deducitur, quod *vectem*, & *profugum* valet. & ita

Septua

Septuaginta *fugientes* transferunt. Hoc verò Cyrillus putat eſſe Perſas, & Medos, qui priùs Chaldæorum potentiæ ſeruierant, quos Dominos excitabit, armabítque contra eos, quos antea fugerant. Procopius Chaldæos eſſe cenſet, quos à fuga retractatos Perſæ malè mulctarunt.

20. Communis tamen ſententia eſt *vectes* pro repagulis, ſeu obſtaculis ſumi, quæ perfregere Cyrus, & Darius, vt Babyloniam in ſuam redigerent poteſtatem. *Vectes* autem fuerunt aut mœnia ciuitatis magno opere, atque arte conſtructa, contra omnem vim, aut machinam hoſtilem; aut certè fluuius Euphrates, quo in plures alueos diſtracto aditum ſibi in vrbem tot occluſam vectibus aperuit Cyrus. Quę mihi ſententia valde placet, quia bellè cum hiſtoria, textúque conſentit. Et non obſcurè docet Iſaias *cap.45. verſ.2.* de Cyro. *Ego ante te ibo, & glorioſos terræ humiliabo: portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam.*

21. Sed credo dici poſſe hoſce vectes eſſe quoſdam quaſi carceres, & repagula quibus Deus geſtientes ad bellum, & imperium Perſas, & Medos continuerat. Vt enim pluribus docuimus ad illud *Zach.c. 6. Ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium, & montes, montes ærei.* Quatuor orbis imperia Deus intra montes æreos, id eſt, intra fortiſſima clauſtra cohibuit, ne ventorum inſtar omnia turbarent. Cùm autem Deus ſtatuiſſet captiuum populum eripere, & Chaldæorum extinguere potentiam; vectes illos confregit, aut detraxit, qui ardentes, & incitatos ad curſum Perſas morabantur: qui inde erumpentes Chaldæorum imperium ad bellicam gloriam adiunxerunt.

22. Quæ Babylonis nauigatio. [s] *Et Chaldæos in nauibus ſuis gloriantes.*] Sicut Deus Cyro vectes, & clauſtra confregit, ne quid properantem ad Chaldæorum ſtragem retardaret, ſic etiam Cyri potentiæ eoſdem Chaldæos fractos, atque exanimatos ſubiecit. Qui in nauibus gloriari ideo dicuntur, quia ſicut Ægyptij in ſuo Nilo voluptatis & commoditatis gratia nauigabant, vt diximus *cap.18. Væ terræ cymbalo alarum.* Sic etiam Babylonij neque minùs delicioſè, & lautè in Euphrate, qui ciuitatem interfluebat, & multis in locis latè reſtagnabat. ludebat, vagabatúrque frequenter, ſiue ad vſum, ſiue ad voluptatem. Quare ſuprà *c.21. mare* dicitur Babylon, *Onus deſerti maris.* Meminit credo propheta, & tūc maris, & nunc naualis gloriæ, cùm vtrobique ageret de Babylonis interitu: quia Cyrus Euphratem, qui Babyloniis erat pro vectibus, ſic diuiſit in partes, vt penè arente alueo iam ampliùs nauigabilis non eſſet. Coniunxit autem aptiſſimè & ſublatos vectes, & ablatam naualis gloriæ commoditatem; quia ipſa nauigandi commoditas, id eſt, Euphrates in vrbem influens vectis erat, & munimentum ciuitatis. Vtrumque verò ſuſtulit Cyrus deflexo in plures alueos flumine.

23. [t] *Hæc dicit Dominus, qui dedit in mari viam & in aquis torrentibus ſemitam.*] Perſuadet hunc felicem rerum euentum propheta ab his, quæ idem Dominus antè perfecerat aperto mari rubro, & diuiſo Iordane, quo tempore *ripas alueí ſui temporis meſſis impleuerat. Ioſue cap.3.* de Iordane accipiendum illud *in aquis torrentibus. Torrentes* autem ſunt aquæ magna mole, atque impetu præcipites. Pro quibus Septuaginta reddidere, *in aqua vehementi.* Adducit autem exempla hæc accommodatè, quia de aperiendo, ſiccandóque Euphrate ſermo erat. Quod ſi quis Epexegeſin hic agnoſcat, idémque eſſe putet *viam in mari, ſemitam in aquis torrentibus,* non repugnauerim, quia aquæ maris rubri vehementes dicuntur, *Exod.15. verſ.10. Demerſi ſunt quaſi plumbum in aquis vehementibus.* Neque admodum pugnat *torrentis* nomen, quia aquæ quæ in murorum ſimilitudinem hinc inde excreuerant, torrenti, ac vehementi impetu ſuper Ægyptios deuolutæ ſunt. Et huic ſententiæ fauent quæ mox ſequuntur de Ægyptiorum interitu, & in hoc poſterius magis inclinat animus.

24. Prouerbiũ. [u] *Qui eduxit quadrigam, & equum; agmen, & robuſtum, &c. quaſi linum extincti ſunt.*] Hiſtoriam perſequitur antiquam, & vt liberatos dicit olim Hebræos, & demerſos Ægyptios omnipotentis dextera, ſic etiam poſtea deletis hoſtibus eoſdem ab exilio liberatum iri promittit. Hic autem in *lino* aliqua ſeſe oſtentat prouerbij ſpecies, ſicut etiam *cap.42.* in *lino fumigante.* Linum autem hic *fumigans* intelligitur, alioqui minùs apta eſſet ſimilitudo, cùm linum non aliter extinguatur, in *fumigante* autem *lino*, aptiſſimè exprimitur id, quod funditus, & facilè deletur. Nam ſi quid ſplendoris in lino, id vno vel leuiſſimo flatu extinguitur, & omnino perit. Hoc verò loco aptiſſimè adhibetur lini ſimilitudo, vbi agitur de Pharaonis potentia in aquis demerſa. Neque enim aliter periere collectæ Ægyptiorum vires inter vehementes aquas, quàm ſi in eas incideret linum, id eſt ellychnium fumigans.

25. [x] *Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini: Ecce ego facio noua, & nunc orientur; vtique cognoſcetis ea.*] Grandia planè fuerunt, quæ olim Deus Hebræis largitus eſt. Sed quæ nunc promittit vel hiſtoricè in reditu ab exilio, vel typicè in Eccleſia, eiuſmodi ſunt, & rerum multitudine, & magnitudine gloriæ, vt renouent ſuperioris ætatis illuſtrem, dulcémque memoriam. Quare qui parentum curſum in deſerto mirificis notatum prodigiis, & monumentis recordari volet, intueatur futura, quæ eidem populo præſtabit Deus, & illorum intueri ſe putet expreſſam imaginem.

26. [y] *Ponam in deſerto viã, & in inuio flumina.*] Hæc breuis enumeratio eſt eorum, quæ parentes viderunt in deſerto, & quorum ſpeciem poſteri non longè pòſt intuebuntur. *Viam* hîc eſſe puto nubem per diem, & columnam ignis per noctem. Nam hæc viam in ignota regione peregrinantibus oſtendebant. *Flumina* interpretor aquam erumpentem è ſilice virga percuſſo. Et ex hoc loco nonnulla coniectura ſumitur, vt credatur aqua illa per deſertum decurriſſe, quocumque ſe Iſraelitæ conuerterent. Quod nonnulli volunt ex eo 1. *Cor.10.* 1.Cor.10. *Bibebant autem de ſpirituali conſequente eos petra.* Vide quæ diximus ad illud *cap.41. Egeni, & pauperes quærunt aquas.*

27. [z] *Glorificabit me beſtia agri dracones, & ſtruthiones: quia dedi in deſerto aquas, flumina in inuio.*] Draconum, & ſtruthionum præſertim meminit, quia hi plerumque, vt ait Hieronymus: in locis æſtuoſis, atque aridis viuunt, vt in Libya. Qui ex ea liberalitate, qua Deus ſuos potauit in deſerto, id conſecuti ſunt, vt ipſi quoque aquam haberent, qua ſuam extinguerent ſitim. Coniunxit quoque Michæas dracones, & ſtruthiones *c.1. Faciam planctum velut draconum, & luctum quaſi ſtruthionum*; ſed coniunxit contrà quàm Iſaias, nam hic glorificantes, & laudantes inducit; ille lugentes, & vlulantes.

28. Hîc porrò duo notanda, alterum, ex his videri maximè probabile excuſſam aquam de petra non ſtatim defeciſſe, ſed aor, vt aliquibus placet, ſecutam eſſe peregrinantes Hebræos, vt ex ſententia

Hebræo

Hebræorum refert Abul. *tom.* 2. *in Num. cap.* 20. *q.* 2. Quod etiam ex noſtris multi probant in locum citatum ex Paulo *ad Corinthios*, in quibus eſt S. Thomas. Aut inde profectis aquam non deſiiſſe manare, & ſeruiſſe draconibus, atque ſtruthionibus, quæ Iſraelitico populo antè ſeruierat. Quod putat Abulenſis ſuprà *quæſt.* 3. Vbi ait ex eo tempore, quo tranſierunt Iſraelitæ factam eſſe Arabiam habitabilem propter aquas excuſſas à ſilice, quæ adhuc perſeuerant, cùm prius propter ſiccitatem habitari non poſſet. Aliter enim quomodo draconibus præbuiſſet potum? An credibile eſt cùm tanta eſſet Hebræorum multitudo inter illos verſatos eſſe dracones, & eiuſdem fontis vſos commoditate.

Glorificatur Deus, cum quis eius vtitur beneficiis.

Alterum eſt pro moribus, glorificari Deum, quãdo aliquis eius vtitur beneficio: tam eſt enim ad bene merendum pronus, vt *gloriam* appellet *ſuam*, quòd draconea, & ſtruthionea ſua fruantur benignitate. Aut certè cùm in animis gratis, & bene ad humanitatem excultis, à beneficiis abeſſe non ſoleat gratiarum actio, ſeu glorificatio, illa pro beneficiorum vſu ponitur, id eſt, res conſequens pro antecedenti.

29. An ſimilia beneficia idem populus ex exilio Babylonico egreſſus acceperit, non conſtat, ſed accidiſſe nonnulla non eſt improbabile. Dixit hoc idem Iſaias clariùs ſuprà *cap.* 11. *Et erit via reliquo populo meo, qui relinquetur ab Aſſyriis, ſicut fuit Iſrael in die illa, qua aſcendit de terra Ægypti.* Verùm etſi nihil acciderit ſimile, non tamen ſua deeſt prophetiæ fides. Nam, vt alibi ſæpius oſtendimus, beneficia accepta in ea longa peregrinatione prouerbiali ſpecie pro maximis ſumuntur: ſicut apud profanos *lerna malorum*, aut *Ilias malorum*, pro maximis malis, licèt longè abſint à lernæis, ſiue Iliacis infortuniis. Quare ſi maxima bona ſunt, quæ Deus contulit remigrantibus è Babylone Iudæis, illa dici poſſunt bona Iudæis olim ex Ægypto peregrinantibus impenſa: ſicut fert aliorum prouerbiorum vſus & natura. Porrò hæc fuiſſe maxima, & cum antiquis conferenda docet Ieremias *cap.* 23. *verſ.* 7. iuxta Theodoreti, & Hugonis ſententiam, qui verba illa de reditu à Babylone capiunt. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & non dicent vltrà Viuit Dominus, qui eduxit filios Iſrael de terra Ægypti, ſed Viuit Dominus, qui eduxit, & abduxit ſemen domus Iſrael de terra Aquilonis.* Hæc autem multò luculentiùs, & illuſtriùs contulit Deus in Eccleſiam, vbi non ſolùm filiis quondam ſuis nempe Iudæis, ſed etiam alienis, & barbaris, qui *draconum*, atque *ſcorpionum* nomine ſignificantur, fontem aperuit omni aquarum abundantia, & ſuauitate redundantem. Vide Hieronymum in hunc locum.

Prouerbiū. Beneficia maxima accepere Iudæi in reditu è Babylone.

30. Septuaginta pro *draconibus* vertunt *Syrenes*, quæ vocales eſſe traduntur. In quibus Cyrillus loquacem, & humanam eloquentiam intelligit. Illi ergo qui Idolis impendebant prius ſtultas, atque impias laudes, quique tunc abſonum aliquid, atque agreſte ſonabant, vbi ex fontibus in deſerta Gentilitate fluentibus biberint, dulce aliquid, atque concinnum in diuinã laudem perſonabunt. Reprehenduntur autem hic tacitè, vt inquit Procopius, Iudæi: nam cùm dracones, & ſtruthiones, id eſt, Gentiles, qui agreſtes, & feri, Deum ſint poſtea glorificatori, ipſi tamen ceſſaturi ſint, neque illud tantum beneficium cognituri.

31. Gregor. *lib.* 13. *moralium cap.* 6. in *draconibus* agnoſcit homines, qui præ ſe ferunt improbitatem, & malitiam, quique per humum reptãt draconum more, neque ſimilitudinem habent volantium; in A *ſtruthionibus* autem hypocritas, qui cum pennas habeant, & alta petere videantur, non tamen eleuantur è terra. Illi autem omnes ſiue apertè ſiue aſſumpta virtutis ſpecie, occultè flagitioſi, Euangelij tempore meliora complexi, verè, & ex animo Deum glorificabunt.

Hypocritæ.

32. 2 *Populum iſtum formaui mihi, laudem meam narrabit.*] Epiphonema videtur, & ſumma eorum, quæ dicta ſunt, & apta concluſio. Quandoquidem ego formaui mihi, & ſpeciali quodam titulo elegi antea, & pòſt ab exilio reuocabo hunc populum, faciam vt ille perpetuò laudem meam prædicet. Id eſt, ornabo illum quotidie talibus officiis, vt ille ſi modò gratus, & memor eſſe velit, habeat quid de B mea benignitate quotidie loquatur, & prædicet. Vide quid ſperare poſſitis, qui à Deo in ſuum populum, & familiam adſcriptus eſt, qualis eſt religioſus, quem ſibi Deus præcipua quadam ratione formauit: id eſt, *Amoldo con ſu regla, y hizo ſemejante a ſi.* Hæc omnia quæ obſcurè apparent in vmbra populi remigrantis, multò illuſtriora ſunt in Eccleſiæ luce, quam Deus ſic ornauit luculenter, vt ab eius laude neque ceſſauerit hactenus, neque vnquam poſtea ceſſatura ſit.

Deus quàm liberalis in ſubditū ſibi populum.

33. 22 *Non me inuocaſti, Iacob, nec laboraſti in me, Iſrael: non obtuliſti mihi arietem holocauſti tui,* &c.] Docet iam Dominus vnde nam profectura ſit in Iudaicum genus tam aſſidua, & tam profuſa liberalitas. Non ſanè ex officiis, quæ exhibere debuit, C quæ ſingulatim connumerat. Vt enim illa omnia præſtiterit, tamen eiuſmodi fuerunt, vt Deo non tantum voluptatis attulerit, quàm moleſtiæ. Dixerat hoc ſuprà dolenter, & grauiter *cap.* 1. *Incenſum abominatio eſt mihi, laborans ſuſtinens.* Nunc verò idem repetit neque minùs grauiter, neque magis benignè, dum ait, *Verumtamen ſeruire me feciſti in peccatis tuis: præbuiſti mihi laborem.* Vt autem *Zacharia cap.* 7. Deus dixit. *Nunquid ieiunium ieiunaſtis mihi.* Quia non tam ieiunabant Deo, quàm in ieiunio ſuis rationibus, neque illis ſemper honeſtiſſimis ſeruiebant. Et Iſaias infrà *cap.* 58. *Quare ieiunauimus & non aſpexiſti*; quia ad lites, & contentiones ieiunabant. Sic etiam modò licèt victimas immolauerint frequenter, & calamum, thus, & ſuffimen- D ta alia ex more cremauerint; quia tamen in eo religioſo munere aliquid præter Deum intuebantur, neque oblatas ſibi victimas, neque emptos ſibi odores illos aromaticos reputat Deus.

Dei liberalitas nullis officiis prouocata.

34. Locus hic celebris eſt, quem in hiſtorico ſenſu ſic puto accipiendum, ſicut nuper expoſui: in allegorico, & typico variant auctores. Procopius ex ſententia Symmachi putat reprehendi Iudæos, qui, cùm gentes vocatæ Dominum laudauerint, illúmque verè, & ſanctè coluerint, ipſi tamen aut ſiluerint, aut ea obtulerint ſacrificia, & munera, quæ Deus non probaret. Idem Haymo, & addit, illa Iudæorum licèt prius à Deo commendata ſacrificia, ideo Deo minùs placuiſſe, quia cùm eo conſilio E principaliter eſſent iniuncta, vt quæ idolis ſolita eſſent offerri, vero offerrentur Deo, & ea ratione ab idolorum cultu, in quo victimæ frequentes erant, idem ſtudium ad Dei veri religionem traduceretur, & vt à carnalibus quaſi per typum ad ſpiritualia carnales homines tranſirent (erant enim in ſacrificiorum ritu veræ, atque internæ ſanctitatis vmbræ) illi autem externa ſacrificiorum cæremonia contenti, de vera, atque interna ſanctitate, non laborabant. Plura in hanc ſententiam diximus ad illud *cap.* 1. *Quò mihi multitudinem victimarum,*

Obedientia vera victima.

&c. quæ omnino vide. Non longè ab his Cyrillus, qui ſacrificia hæc ideo vocat ingrata, quia vero ac ſolido virtutis fructu carent. *Non eſt*, inquit, *ſeruire Deo ſacrificare, ſed teneram & quaſi tractabilem ceruicem eius voluntati velle ſubmittere.* Et paulò pòſt, *Declarat abiectum eſſe planè vmbratilem cultum, dum eos abducit à typis, & ad iuſtificationem per Chriſtum adducit, docetque Euangelicæ conuerſationis curam ſuſcipiendam eſſe, per quam ſolam fit, vt poſſint Deo pulchrè placere.*

35\. Quæ Iudæorum ſacrificia Deo ingrata.

Porrò quàm Deo parum grata fuerint illa ſacrificia, quæ aſſiduè præſtabat Iudæorum non ſyncera, ſed fucata religio, & quàm parum diuinam inflecterent clementiam, clamant ſæpe prophetæ, qui in illis ſacrificiis, & victimis aliquid ſanctum, & legitimum requirunt. *Iſai. cap. 1. Quò mihi multitudinem.* &c. *Ierem. cap. 6. Vt quid mihi thus de Saba affertis, & calamum ſuaueolentem de terra longinqua? Holocauſtomata veſtra non ſunt accepta, & victimæ veſtræ non placuerunt mihi. Malachiæ cap. 1. verſ. 10. Quis eſt in vobis, qui claudat oſtia, & incendat altare meum gratuitò? non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: & munus non ſuſcipiam de manu veſtra.* Et in hanc ſententiam ab aliis prophetis ſæpe eſt contra Iudæos aliquid minax.

36\. Calamus quid.

b b *Non emiſti mihi argento calamum,* &c.] Quid ſint reliqua, quæ populus non obtulit, aut eo animo, ac ſtudio obtulit, vt Deus reſpuerit, habueritque pro non oblatis, non obſcurum eſt. De *calamo* res eſt difficilior: quia multa ſunt odorata, & ad ſuffitum, & vaporationem idonea, quibus hoc nomen accommodari poteſt. Mihi veriſimile eſt *calamum* hìc eſſe, quem nos Hiſpanicè vocamus *canela*, quod etiam docuimus ad illud *Can. 4. Fiſtula, & cinnamomum.* Cui ſententiæ fauet vox Hebraica קנה *kaneh*, quam *Cannam* licet interpretari. Indicat Ieremias *cap. 6.* qui dum calamum apportatum dicit de terra longinqua, Indicum eſſe vult, vt ait ibi Hieronymus. Quòd verò caſia non ſit, aut cinnamomum (nam hæc quoque aliqui calamum eſſe credunt, quia etiam ex longinquo adducuntur) facit quia cinnamomum Hebr. קנמון diſtinctum ponitur à קנה *kaneh. Cant. 4.* Caſia item à calamo *Ezechiel. 27. verſ. 19. Caſia, & calamus in mercatu tuo.* nam vbi Vulgatus habet *ſtacte, & calamus*, Hebr. eſt קנה & קדה *kaneh*, & *kidah*, quæ vox poſterior alibi *caſia* exponitur. Et apertè *Exod. 30. verſ. 24.* in concinnando ſacerdotali vnguento calamus à caſia ſeorſum nominatur.

37\.

c c *Verumtamen ſeruire me feciſti in peccatis tuis, præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis.*] Eadem propè *cap. 1.* Vnde ſumenda eſt huius loci ſententia. Vide, quæ ibi diximus. Neque omittendum eſt à Septuaginta aliter hæc legi. *In peccatis tuis, & in iniquitatibus tuis ante me ſtetiſti.* Quæ ſatis ſignificanter oſtendunt quàm parum grata Deo fuerint illa ſacrificia; cùm non tam oblatæ ante Deum victimæ, quàm peccata viderentur. Stat ante Deum peccator cum peccatis ſuis quaſi pugnaturus contra illum; peccata enim tela quædam ſunt, quæ intentat peccator, & vibrat contra Deum.

Peccata tela contra Deum.

38\. Chriſti redemptio.

Si hæc ad tempus Euangelij referas Chriſtique Oeconomiam, miram habent vim: quia cùm nulla eſſet tanta facultas, quæ pro hominum peccatis ſatisfacere poſſet, Chriſtus ſeruilem formam aſſumens, & pluſquam ſeruilis conditionis pondus, dolorem ſubiit quàm acerbiſſimum: & quia ſacrificia illa antiqua parum erant ad expiandum peccatum efficacia, victima eſſe voluit, quæ vna pro omnibus vim haberet à peccatis expiatoriam. In hanc ſententiam capiunt plerique ex auctoribus, & fauet valde alia tranſlatio Septuaginta, quæ ſic habet. *Sed in peccatis tuis defendi te.* vt legunt Euſebius *lib. 10. demonſt.* Cyrillus, Theodoretus, & codices Complut. imò & Hieronymus, licèt in commentariis aliam ſequatur tranſlationem. Complutenſis editio [illegible] habet, hoc eſt, *pro ſcuto me oppoſui in iniquitatibus tuis*, id eſt, *contra iniquitates.* Quibus verbis optimè exprimitur quid nobis Chriſtus contulerit, & quomodo dicatur laborem, & dolorem pro nobis pertuliſſe. S. Hieronymus iuxta LXX. verſionem hæc Deo tribuit, quaſi iam laſſus ſit homines defendendo, & quaſi ſecum ipſe laboret pugnando contra iuſtitiam ſuam, ne clamantia peccata audiat, & iuſto ſupplicio afficiat peccatorem.

39\. Hypocritæ Deo moleſti.

Vide an etiam Deus dici poſſit ſeruiſſe in iniquitatibus, & dolorem accepiſſe ſeruiendo, quia vſi ſunt adoratores illi, & immolatores hypocritæ Deo ipſo, certè ſacrificiis Dei nomini oblatis ad ſanctitatis opinionem ambitioſiùs captandam, Dei religionem, & nomen ſuæ prætexentes impietati, ac vanitati, quaſi Deum, Deíque religioſum cultum ad vaniſſimas cogitationes adhibeant adminiſtrum. Quod Hiſpanus diceret. *Tomar a Dios por tercero, y encubridor de ſus malos intentos.*

d d *Ego ſum, ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.*] Poſtquam remouit Deus illa omnia, quibus homines aut præteritam felicitatem, aut futuram quietem, & abundantiam adſcribere poterunt, ſacrificia nempe, & oblationes, quibus videri poterant tantam ſibi liberalitatem promeriti, oſtendit vndenam hæc tanta gratia, atque commoditas orta ſit: à Dei nimirum benigna natura, quæ, vt eſt ad omne officium, atque clementiam prona, noſtra merita ad bene de nobis merendum non expectat. Illud *Ego ſum, ego ſum ipſe*, epitaſim habet, quia vox iterata ſententiæ propoſitæ confirmatio eſt. Illud *propter me*, cauſam oſtendit, quæ Dominum ad largam illam miſericordiam adduxit, nempe non hominum merita, ſed naturæ bonitas. *Non recordabor*, id eſt, non oſtendam me recordari, edito videlicet offenſionis, atque indignationis meæ documento. Quamuis Deus, omnia, & omni tempore cognoſcat, tunc tamen cognoſcere dicitur, cùm cognitionis ſuæ aliquod edidit ſignum, aut aliis rem fecit eſſe notam. Et in hoc ipſo verbo, & aliis eiuſdem ſignificationis ſunt exempla non pauca; quod pro rerum varietate, aut furoris aut benignitatis opus, & ſignum importat; quare ſi peccata punit peccatorum, ſi miſeretur, miſericordiæ recordari dicitur. Quare quod dicitur *Pſalmo 73. Memento congregationis tuæ*, idem eſt atque *miſerere* aut *auxiliare.* Et illud *Abac. 3. Miſericordia recordaberis*, id eſt, dabis miſerendo aliquod miſericordiæ ſignum. Si cum peccatis, peccatoribúſque coniungas, vindictam ſonat atque ſupplicium. *Pſal. 78. Ne memineris iniquitatum noſtrarum*, id eſt, ne punias. Et *Pſal. 136. Memor eſto Domine filiorum Edom*, id eſt, puni. Exempla occurrent innumera. Cùm ergo dicit Dominus peccatorum ſe non fore memorem, ſignificat non plus pœnarum à populi ſui peccatis exigendum eſſe. Eſt autem huic affine quod de verbo *cognoſco*, & ſimilibus diximus *Actor. cap. 10. num. 9. & cap. 13. num. 50.* nempe tunc à Deo dici aliquid cognoſci, quando illius cognitionis aliquod hominibus exhibet documentum. Loquitur enim Scriptura ſæpe humano more. Homines autem

40\.

Tunc Deus recordari dicitur, cùm punit, aut miſeretur.

oblitum

oblitum aliquē eſſe putant alterius, ſi ſuæ memoriæ teſtimonium non præbet.

41\. Si de ſtatu Iudæorum ſermo ſit (quod in hiſtorico ſenſu verum exiſtimant illi, de quibus ſuprà in principio capitis) *iniquitates* pro peccatorum ſupplicio ſumi poſſunt; quod in Scriptura frequentiſſimum eſt. Illas autem iniquitates deleuit, cùm exilium Babylonicum laxauit, ſordéſque eluit, quas ex ignobili apud Babylonios miniſterio contraxerant captiui. Quæ omnia Deus dicit deleuiſſe ſe non propter Iudæorum merita, quia adhuc cùm eſſent in exilio, & fortaſſe iam libertati proximi, idola coluerunt, & conſuluerunt auguria, vt conſtat ex Ieremia *cap. 16. verſ. 13.* Sed propter ſe, id eſt, ſua adductus benignitate.

42\. Sed communiter auctores hæc interpretantur de peccatis, quæ Dominus ſua liberalitate remiſit, non quia hominis non interueniat ab arbitrio libero conatus aliquis; ſed quia is etiam, quicumque eſt, à diuina gratia præueniente naſcitur. Quæ quidem ita delentur à Domino, vt illorum in perpetuum memoria deponenda ſit, memoria, inquam, peccatorum vltrix. Hieronymus hic in verbo *deleo* chirographum agnoſcit, quod homo dum peccat ſua conſcribit manu, & nomine conſignat ſuo; quod Dominus aſperſione, & ſanguine noui teſtamenti delet. De hoc chirographo, vide quæ eleganter, & optimè ad mores ſcribit Origenes *hom. 13. in cap. 26. Geneſ. ad finem.* Vbi oſtendit quid peccator ſua manu ſcribat, dum peccat, & quid Deus, dum peccata dimittit.

Chirographum peccatoris.

43\. Licèt Deus peccatorum, quæ dimiſit, non iam ampliùs recordetur, vt puniat, tamen expedit nobis maximè, vt nunquam illa excidant è memoria: quod & Scriptura docet, & maiorem in modum commendant Patres *Eccle. cap. 5. De propitiato peccato noli eſſe ſine metu.* Et Dauid cùm audiſſet à Nathan à ſe tranſlatum eſſe peccatum, dicebat tamen peccatum ſuum ante oculos ſuos ſemper obuerſari. *Pſal. 50. Peccatum meum contra me eſt ſemper.* De hac re plura habes apud Patres: nunc tantùm accipe, quod ſcribit Ambroſius *lib. 2. de pœnitentia, cap. 6. Bonum Dominum habemus, qui velit donare omnibus, qui te per prophetam vocauit dicens. Ego ſum, ego ſum qui deleo iniquitates tuas, & memor non ero. Tu autem memor eſto; hoc eſt, non reuoco illa, quæcumque delicta donaui tibi, velut quadam obligatione tecta ſunt; tu autem memor eſto. Ego inquit memor non ero propter gratiam, tu memor eſto propter correctionem: memor eſto, vt ſcias donatum eſſe peccatum, ne glorieris, quaſi innocens.*

Peccati etiã dimiſſi non deponenda memoria.

44\. « *Reduc me in memoriam, & iudicemur ſimul; narra ſi quid habes, vt iuſtificeris.*] Hæc etiam hiſtoricè ad ſtatum Iudæorum rémque Babylonicam referri poſſe puto, vt hic ſpeciatim Hugo, licèt multò hæc magis in Eccleſiæ tempus typicè conueniant. Hiſtoricè nunc primùm, deinde typicè. Qua eſt Dominus humanitate, cum hominibus ſic agit familiariter, vt ab illis etiam iudicari velit, vt ſuprà in ſuæ prophetiæ principio dixerat Iſaias *cap. 1. Venite arguite me, dicit Dominus.* Vide quæ in hanc ſententiam ibi diximus. Durum alicui videri poterat nulla eſſe merita in Iudæo populo, propter quæ à Domino in libertatem vocari potuerit: atque adeò totum vni diuinæ miſerationi adſcribendum eſſe. Ideo populum ad familiare iudicium vocat, vt ſuam cauſam tueatur, oſtendátque, ſi quo id modo conſequi potuerit, ſe iuſtum eſſe, dignúmque cui tandem laxetur tam longa, atque ærumnoſa captiuitas. Cùm autem nihil afferri poſſit à Iudæis in eam diſceptationem opportunum, efficitur ab vna Dei clementia totum illud opus eſſe expectandum.

45\. Sed multò hæc meliùs de libertate à peccatis, quam per Chriſtum conſecutus eſt populus ad Eccleſiam vocatus. Iubet ergo Deus, vt coram ſe peccator liberè ſuam cauſam diſceptet, & referat quid ſuperiori ætate, quid præſenti à ſua benignitate receperit: quid ipſe tandem fecerit, cur tam benignè atque officioſè accipi debuerit: oſtendátque ſe iuſtum, eóque beneficio non indignum. Atque interim viciſſim audiat, cur id totum alienæ potiùs liberalitati, atque indulgentiæ, quàm ſuis meritis annumerare debeat.

46\. Multi hæc de peccatorum examine interpretantur, ſeu de iudicio familiari, quod coram Deo ſubire frequenter debet, qui ſalutis ſuæ curam non abiecit. Aut certè de eo examine, quod peccatorum confeſſionem præcedit. De quo grauiter, & eleganter Gregor. in illud *Pſal. 50. Auerte faciem tuam à peccatis meis.* Et *lib. 9. Regiſtri Epiſtola 25. ad Venantium,* in quibus hunc adducit locum. Sed explicatiùs multò *lib. 25. Moral. cap. 6.* Vbi eleganter omne forenſe miniſterium in eo iudicio conſtituit, docétque quomodo ſeuerum hoc examen iniri debeat. Nam cùm præmiſiſſet ea prophetæ verba, quæ nunc verſamus, ſtatim addit. *Debet enim vniuſcuiuſque mens & cauſas ſuas apud Dominum, & cauſam Domini contra ſe ſollicita inquiſitione diſcutere. Debet cautè penſare, vel quæ ab eo bona perceperit, vel quæ mala bonis illius peruersè viuendo reſponderit. Quod electi quidem quotidie facere omnino non ceſſant. Vnde bene Salomon ait, cogitationes iuſtorum iudicia. Accedunt enim ad ſecretorum iudicis, intra ſinum cordis conſiderant quam diſtrictè quandoque feriat qui Deum patienter expectat.* Et poſtquam in eam ſententiam dixit non pauca ſanè lectu digniſſima ſubdit. *Nec deeſt in hoc iudicio mente concepto omne miniſterium, quod punire reos ſuos plenius debeat: nam conſcientia accuſat, ratio iudicat, timor ligat, dolor excruciat.*

Examē peccatorum.

47\. Hæc alij de ſacramento pœnitentiæ interpretantur, ita vt hæc ad ſalutem, & veniam medicina ſit, ſi quis ſua prodat, & accuſet delicta. Ita Ambroſius *lib. 2. de pœnitentia cap. 7. Quid vereris,* inquit, *apud Dominum tuas iniquitates fateri, dic* (inquit Iſaias) *iniquitates tuas, vt iuſtificeris; Adhuc reo culpæ iuſtificationis præmium proponitur: ille enim iuſtificabitur, qui proprium crimen ſponte agnouerit.* Lege reliqua. Idem Cyrillus in hunc locum. Et fauet tranſlatio L x x. qui ita vertunt, *Dic tu iniquitates tuas primus, vt iuſtificeris.*

Cõfeſſionis vis maxima.

48\. « *Pater tuus primus peccauit, & interpretes tui præuaricati ſunt in me.*] Probat Deus nihil eſſe in Hebræorum populo, quod diuinam gratiam, & beneuolentiam promeruerit. Quare ſiue ſermo ſit de libertate Babylonica, vt dixi, hiſtoricè, ſiue typicè de maiore libertate à peccatorum tyrannide, id totum acceptum diuinæ miſerationi referendum eſt. Merita iam à præſentibus ſubmouerat Deus dum ionania vocat, & ad offenſionem grauia illorum ſacrificia: nunc eadem remouet à parentibus, quorum nomine ſe Deo commendatum iri confidebant poſteri, quibus in precationibus multùm erant in ore parentum merita. Ait igitur Deus ſatis datum eſſe parentibus, vt ipſi à diuina liberalitate ſuorum peccatorum veniam obtinuerint; neque illorum meritis adſcribendam eſſe vel libertatem, & pacem

qq 2 ab

ab hoſte Chaldæo, vel gratiæ donum tempore Euangelij collatum, cùm peccatores ipſi fuerint, & ſuo etiam ſæculo affecti ſuppliciis.

49. g g Sed qui ſint illi parentes, non omnino certum. Quidam de Adam intelligunt, quia & peccaſſe dicitur, & primus pater appellatur; à quo id habuerunt poſteri, vt in peccato naſcerentur, tam longè eſt vt ab illo cœleſtis gratiæ donum acceperint. Alij *parentes* eſſe putant Nachor, & Thare, alter auus, alter pater Abrahæ, qui *Ioſue cap. vltimo* patres dicuntur Hebræorum, & idolorum aſſeclæ. *Trans flumium*, inquit, *habitauerunt patres veſtri ab initio Thare pater Abraham, & Nachor, ſeruierúntque Diis alienis.* Alij Abraham eſſe putant, qui hîc abſolutè pater eſſe dicitur, quia primus in ſe ſignum circumciſionis recepit, quo populus ille notatus, & quaſi conſtitutus eſt. *Peccaſſe* verò eſſe putant, quia cùm Dominus terram latam, & vberem illius ſemini promiſiſſet, ipſe tamen dubitauit, petiitque ſignum. Ita Hieronymus, quem alij ſequuntur multi. Alij de duodecim Patriarchis agi cenſent, qui primùm autores fuerunt, & capita totidem prouinciarum; qui aliquando peccaſſe crimine etiam peſſimo, eóque nomine accuſati apud patrem dicuntur *Geneſ. cap. 37.*

50. Mihi veriſimile eſt ſermonem eſſe de Abraham, qui primus pater vocatur Hebræorum, quia in eo congregatus eſt populus ille, certóque ac legitimo charactere à reliquis diſtinctus. Quare abſolutè vocatur *pater. Iſai. 51. Attendite ad Abraham patrem veſtrum, & ad Saram quæ peperit vos.* Et in Euangelio ſæpe Iudæis obiicitur, quòd dicerent, *Patrem habemus Abraham: & ſemen Abrahæ ſumus.* Vt autem Euangelij tempore frequens erat in ore nomen *Abraham*, à quo omnia ſibi pollicebantur Iudæi, ſic etiam ſuperiore ætate. A qua cogitatione remouet nunc eos, per Iſaiam Dominus, dum ipſum quoque peccaſſe affirmat.

Abraham abſolutè dicitur Hebræorum pater.

51. Non conſtat quod fuerit illud Abrahæ peccatum. Hieronymus, quem multi alij ſequuntur, dubitationem cenſent, propter quam ſignum petiit à Deo de data fide poſſidendæ aliquando terræ promiſſionis. *Geneſ. 15.* Sunt qui Abraham Idola coluiſſe putent, ſicut feciſſe dicuntur eius parentes *Ioſue cap. vltimo.* quod ex Doctoribus Hebræorum nonnulli cenſuerunt, in quibus fuerunt Rambam, & Rab. Godulias, quos citat Serarius *in cap. vltimum Ioſue q. 2.* & Rab. Iohanam, & Rab. Hanina quos citat Genebrardus *in Chronologia, anno mundi 2049.* Ex recentioribus tenet Serarius *ſuprà*, Montanus in illud Ioſue *ſupra*, ad illud, *Tulit ergo Patrem veſtrum.* Et ibi etiam Andreas Maſſius, Genebrardus *ſuprà*, Alfonſus de Mendoza *q. 7. expoſitiua.* Ex antiquioribus Cedrenus *in compendio hiſtoriæ S.* Ephrem *Sermone 2. de pœnitentia*, vbi peccatorem facit, & Gentilem vocat. Citatur quoque in eam ſententiam Philo *in lib. de migratione Abrahæ*, & Clemens *lib. 1. recognitionum.* Sed iſti aut non dicunt, aut certè ſic obſcurè, vt non facilè quis ſtatuat ipſorum illam eſſe ſententiam. Sanè ita ſenſiſſe videtur Auguſtinus *lib. 16. de ciuitate. cap. 12.* vbi ſic ſcribit vt apparet de Abraham. *Vna igitur Thare domus erat, de qua natus eſt Abraham, in qua vnius veri Dei cultus, & quantum credibile eſt, in qua iam ſola etiam Hebræa lingua remanſerat. quamuis & ipſe ſicut iam manifeſtior Dei populus in Ægypto, ita in Meſopotamia ſeruiſſe Diis alienis, Ieſu Naue narrante refertur.* Hæc Auguſtinus.

Abraham fuiſſe aliquando Idololatram multi putant.

52. Scio eſſe alios qui contrà putant, in quibus eſt

A Abulenſ. *in cap. 24. Ioſue, q. 6.* & ibi Caietanus, & Dionyſius, & probare videtur hiſtoria, quam refert Hieronymus *in quæſtion. Hebraicis iuxta traditiones Hebræorum*, & complures alij: quòd ideo Abraham in Hur Chaldæorum, id eſt, in ignem coniectus ſit, quòd ignem Chaldæorum Deum adorare noluerit. Et facit ad hæc locus Eſdræ *lib. 2. cap. 9. Tu Domine Deus qui elegiſti Abraham, & eduxiſti eum de igne Chaldæorum: & inueniſti cor eius fidele coram te.* Et in hanc ſententiam magis inclinat Alfonſus de Mendoza *ſuprà.*

Si idololatra fuit aliquando Abraham, vt videtur 53.
B veriſimile, non eſt cur aliam rationem quæramus, propter quam hîc peccaſſe tradatur. Quòd ſi hæc, aut alia quæuis defuiſſet peccati labes, certè communis, quam ab Adam cum aliis contraxit, ſatis indicabat non poſſe aliis eſſe ſalutis, præſertim ſpiritualis, de qua ſermo præcipuus eſt, ſufficientem cauſam. Quid enim à peccatis alios liberaret is, qui peccatis aliquando fuiſſet obnoxius.

h h *Et interpretes tui præuaricati ſunt in me.*] Hi communiter exiſtimantur Moyſes, & Aaron, qui 54.
Dei mandata ad homines referebant. Vt autem in Abrahamo plurimùm, ſic etiam in Moyſe confidiſſe Iudæos docet Chriſtus *Ioan. 5.: Eſt qui accuſet vos Moyſes, in quo vos ſperatis.* Quos peccaſſe conſtat ad aquas contradictionis, & peccati ſubiiſſe pœnam non leuem, quando poſt longum, & ærumnoſum
C curſum, ad ipſum terræ promiſſionis ingreſſum intercepti morte, ſpectare quidem oculis ablatam poſſeſſionem, in ea tamen pedem ponere permiſſi non ſunt.

i i *Et contaminaui principes ſanctos: & dedi ad interneciomem Iacob, & Iſrael in blaſphemiam.*] *Principes iſti* communiter exiſtimantur, qui modò vocati ſunt *interpretes.* Qui ideo *contaminati* dicuntur, quia publico iudicio mori iuſſi ſunt, ne calcarent terram, pro qua iam diu, tamque laborioſè certauerant. Eſt autem in Scriptura frequens, vt aliquid tunc fieri dicatur, quando factum oſtenditur. Quare Deus non contaminauit principes, ſed contaminatos declarauit, quando mori iuſſit, idque non ignorante populo, duos iſtos principes,
D alterum in monte Hor, nempe Aaron *Num. cap. 20.* alterum in monte Nebò in vertice Phaſga, nempe Moyſem *Deuter. 34.* Mortem autem illam tam celebri atque importuno loco inflictam eſſe à Deo pro peccatis aperiè docet Dominus ipſe *Deuter. 32.* qui ſic ad Moyſem: *Aſcende in montem, &c. Et morere in monte, quem conſcendens iungeris populis tuis, ſicut mortuus eſt Aaron frater tuus in monte Hor, & appoſitus eſt populis ſuis, quia præuaricati eſtis contra me in medio filiorum Iſrael ad aquas contradictionis.* 44

55. Regula. Aliquid factum dicitur, cum factum eſſe oſtenditur.

Hîc pro re morali obſerua, quàm Deus acutè 56.
videat, quàm attentè examinet, quam ſeuerè puniat illa, quæ leuiſſima videntur peccata etiam in illis, qui diu conſtanter atque fideliter in rebus etiam difficillimis illius imperio obſecuti ſunt. Expendit
E hoc optimè Auguſtinus in illud *Pſalm. 98. Moyſes, & Aaron in ſacerdotibus eius: & Samuel inter eos, qui inuocant nomen eius, &c. cuſtodiebant teſtimonia eius, & præceptum quod dedit illis.* Poſt quæ verba, quæ docent magnam tantorum principum ſanctitatem; ſtatim illorum aliquod ſupplicium adiungitur, dum dicitur, *Deus tu propitius fuiſti eis; & vlciſcens in omnes adinuentiones eorum.* Ibi Auguſtinus præſertim Samuelis ſupplicium in cuius etiam adinuentiones vltus eſt Deus ſcrutatur, & ponderat. *Quid*, inquit, *ſicut Samuel infans ad templum datus, omnes ætates*

Deus ſeuerus peccatorum vindex

ætates ſuas inter ſancta Sacramenta Dei peregit ab ineunte ætate famulus Dei, nihil vnquam dictum eſt de Samuele, nihil ab omnibus. Nouerat ibi forte Deus aliquid quod purgaret: quia & quod perfectum iam videtur hominibus illius perfectioni adhuc imperfectū eſt. Quod deinde optimis ſimilitudinibus explicat. Vide locum qui non parum facit ad ea quæ nunc verſamus. Vbi aliqua peccata Aaronis, & Moyſis ſuſpicatur Auguſtinus, propter quæ tam ſeuerè adeò mulctati ſunt.

57. k k *Et dedi ad internecionem Iacob.*] Ne aliis parentibus, aut principibus, qui egreſſi ſunt de Ægypto ſalutem, aut libertatem, aut quodlibet aliud donum adſcriberent Iudæi, ad quos nunc agit Iſaias, ipſos quoque in culpa fuiſſe dicit: ídque ex ſupplicio, quo eorum mores mulctati fuere, perſuadet. Nam cùm Ægyptio dominatu tot eſſent erepti, ex eo propè infinito numero tantùm duo promiſſam ſibi in Abrabamo poſſeſſionem ingreſſi ſunt, reliquis in deſerto proſtratis aut eò miſeriarum adductis, vt aliis in blaſphemiam, opprobrium, & anathema dati fuerint.

Argumentum quadrageſimi quarti capitis Iſaiæ.

HISTORICE *hæc de Iudæorum ſtatu, typicè verò de meliori Euangelij ſæculo intelligenda ſunt. Proponitur primùm ſtatus feliciſſimus, quem aureum illud ſæculum habiturum eſt: Et quàm cum illis bene, & feliciter agendum, qui diuinæ voluntati ſeruierint. Cuius occaſione de idolorum futilitate diſſerit, ac docet quomodo illis nulla ex parte poſſit prouenire diuinitas. Non ab artifice, quia ipſe mortalis eſt: neque à materia, quia illa ab igne conſumitur; & ad viles, & ſordidos vſus adhibetur. Deſcribit autem Idoloplaſtarum conſilium, & ſtudium in excudendis, dolandiſque ſimulacris adeò acri, ac viuida mimeſi, vt nihil excogitari poſſit illuſtrius. Ad extremum commemoratis beneficiis, quibus olim Iſraeliticum populum proſecutus eſt, & pollicitus alia in futurum tempus non minora, hortatur Iudæos, vt ſe Deum, & formatorem agnoſcant; neque ſui vnquam obliuiſcantur.*

CAPVT XLIV.

1 [a] E T *nunc audi Iacob ſerue meus, & Iſrael, quem elegi.*

2 [b] *Hæc dicit Dominus faciens, & formans te,* [c] *ab vtero auxiliator tuus.* [d] *Noli timere, ſerue meus Iacob, & rectiſſime, quem elegi.*

3 [e] *Effundam enim aquas ſuper ſitientem, & fluenta ſuper aridam.* [f] *Effundam ſpiritum meum ſuper ſemen tuum, & benedictionem meam ſuper ſtirpem tuam.*

4 [g] *Et germinabunt inter herbas quaſi ſalices iuxta præterfluentes aquas.*

5 [h] *Iſte dicet: Domini ego ſum:* [i] *& ille vocabit in nomine Iacob.* [k] *Et hic ſcribet manu ſua:* [l] *Domino:* [m] *& in nomine Iſrael aſsimilabitur.*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 A V D I nunc Iacob ſerue meus; audi Iſrael quem ex omnibus mihi in populum elegi.

2 Hæc dicit ille, à quo creatus, & formatus es: quíque facilè poterit promiſſa præſtare. Qui antequam ex materni vteri clauſtris emergeres, tui curam ſuſcepit. Noli timere Iacob, valde mihi dilecte, quem elegi, cuíque omnia proſperè vt contingant, efficiam.

3 Largum effundam imbrem ſuper terram arentem, & æſtu torridam: & fluentibus aquarum riuis ſitientem humum inebriabo. Cùm autem ager ſquallidus hiberno frigore, aut æſtiuo calore exuſtus fuerit, ſpiritum immittam tepentem, & benignum, & cum eo meam quoque benedictionem: quibus ſemina terræ mandata, & ſtirpes iam penè emortuæ continuò reuiuiſcant.

4 Illæ verò ſtirpes quaſi rediuiuæ ſic efflorescent, & germinabunt, vt inter arbores alias ſic emineant, ſicut inter humiles, & ſerpentes herbas attollunt ſe ſalices ad fluenta plantatæ.

5 Tunc verò cùm populus penè mortuus reuixerit, germinauerítque, magnus fiet vndecumque gentium ad illius cœtum, ſocietatémque, concurſus. Iſte dicet, Hinc me iam diuinæ voluntati mancipio do: alius ſibi imponi optabit Iſraelis nomen, quò Domini ſe ſeruum profiteatur. Nec deerit qui ſtigmate manibus inuſto conſecratum ſe, atque deuotum diuinæ volunta-

ti ſignificet: Veto denique Iſraelitæ quàm ſimillimus eſſe contendet.

6 Hæc dicit Dominus bellator, & potens, qui regit, & redimit Iſrael. Ego ſum principium, à quo omnia, & finis, ad quem omnia referri debent; neque præter me vllus eſt Deus.

7 Quis illorum, quos pro diis colit deluſa Gentilitas, mei ſimilis eſt? aut ſimilia vnquam opera perfecit? Prodeat nunc coràm, & illa nobis annunciet. Oſtendat ſi quid habent ſimile his quæ ego admirabilia edidi diuinitatis documenta, ex quo populum Iſraeliticum elegi; & prædicat futura talia, qualia ego eidem populo euentura prædico.

8 Nullus te metus, ô Iacob, neque vlla te perturbatio ſollicitet. Si enim quæ iam olim prædixi, ſucceſſerunt omnia, vt tu teſtis es, quæ modò prędico, eadem etiam fide, cōplebuntur. Nunquid præter me Deus eſt vllus? aut vllus eſt artifex, aut formator Idolorum, quem ego non nouerim?

9 Plaſtæ, aut formatores, ex quacumque materia fingant Idolum, nihil ſunt: atque adeò artis ſuæ figmento diuinitatem conciliare non poſſunt. Neque, quæ ipſi amant, & in quorum ſibi ſtructura maximè placent, auctoribus ſuis vſum vllum, aut honorem afferre poſſunt. Atque ipſi, licèt non ſine rubore; ſi vera fateri volent, teſtabuntur illis nihil eſſe mentis, vt intelligant; & oculis omnino carere, quibus videant.

10 Quis formauit corpoream illam effigiem, cui diuinum nomen, & cultum dedit hominum ſtupor, atque væſania? & ex materia aliis idonea vſibus ſignum exſculpſit, nulli poſtea vſui hominibus futurum?

11 Ecce iam vobis oſtendā, vt eos, qui Idolorū ſe religioni conſecrarunt, vel hæc vna conſideratio pudefaciat. Qui ſigna illa ex ligno aut lapide formant, illiſque Deorū titulos inſcribunt, fabri ſunt, neque ſupra humanæ naturæ conditionem quicquam habent eximium. Omnes illi ad opus illud cudendum, aut conflandum, cùm ſingulorum vires infirmæ ſint, artem, atque operam coniungent: inſtabunt operi, & ne quid minùs ex voto, aut ex arte ſuccedat formidabunt, quia non magis ab illis, quàm ab alio quouis timor abeſt: Quòd ſi quid minùs ex arte, aut ad hominum cogitationem minùs exactè fiat, ſicut aliis in quocumque alio artificio vſu venit; confunduntur, & mœrent.

12 Nunc quomodo à ſingulis illa informentur, ſigna vobis oſtendam. Faber ferrarius non aliter format nugacem illum Deum, quàm ligonem, & vomerem, aut aliquod aliud ruſticum, aut culinarium inſtrumentum. Lima deterit, quod ſcabrum eſt, vbi ex fornace candens ferrum extraxerit, quanta poteſt corporis contentione, & brachiorum nixu, malleo, atque incude format. Dum autem intentus eſt tundendo ferro, &

ſimulacro

6 ⁿ *Hæc dicit Dominus rex Iſrael, & redemptor eius Dominus exercituum; Ego primus, & ego nouiſſimus, & abſque me non eſt Deus.*

7 *Quis ſimilis mei? Vocet, & annunciet; & ordinem exponat mihi, ex quo conſtitui populum antiquum: Ventura, & quæ futura ſunt, annuncient eis.*

8 *Nolite timere, neque conturbemini: Ex tunc audire te feci, & annunciaui: vos eſtis teſtes mei. Nunquid eſt Deus abſque me, & formator, quem ego non nouerim?*

9 ⁰ ᵖ *Plaſtæ idoli omnes nihil ſunt, & amantiſſima eorum non proderunt eis. Ipſi ſunt teſtes eorum, quia non vident, neque intelligunt, vt confundantur.*

10 *Quis formauit Deum, & ſculptile conflauit ad nihil vtile?*

11 *Ecce omnes participes eius confundentur: Fabri enim ſunt ex hominibus: Conuenient omnes, ſtabunt, & pauebunt, & confundentur ſimul.*

12 *Faber ferrarius lima operatus eſt: in prunis, & in malleis formauit illud, & operatus eſt in brachio fortitudinis ſuæ: Eſuriet, & deficiet, non bibet aquam, & laſſeſcet.*

13 *Artifex*

ſimulacro formando, fame laborat, & langueſcit. Et ſi aquam non biberit, & externo ſubſidio vires non confirmauerit laſſas; deficiet ſicut alius è populo.

13 *Artifex lignarius extendit normam, formauit illud in* [q] *runcina: Fecit illud in angularibus, & in circino tornauit illud: & fecit imaginem viri quaſi ſpecioſum hominem habitantem in domo.*

13 Qui autem ex ligno ſimulacra formare ſtudet, norma priùs, & regula, qualis futura ſit imago deſcribit. Deinde runcina, & ſcalpro, quod in ligno deſcriptum eſt informat, & polit. Perficit illud angulati menſura; & circino priùs delineatum rotundat, & tornat; ac tandem exprimit hominis imaginem, quaſi ille homo ſit animatus, & pulcher, qui domum habitet ſacram, & illi præſit.

14 *Succidit cedros, tulit ilicem, & quercum, quæ ſteterat inter ligna ſaltus: Plantauit pinum, quam pluuia nutriuit.*

14 Et iſti quidem Deorum opifices, & formatores ſunt: materiam nunc accipite, vnde illi finguntur: ac videte num ex illa poſſit prouenire diuinitas. Ex ſylua cædit ille artifex cedrum, ilicem, & quercum, quæ nihilo ſunt meliores quàm alia ligna, quæ remanſerunt in ſaltu. Ad quem vſum etiam plantauit pinum: quæ ſi non adfuiſſet de cœlo pluuia, neque creuiſſet in proceram illam ſtaturam, neque vllum habuiſſet opportunum vſum.

15 *Et facta eſt hominibus in focum: ſumpſit ex eis, & calefactus eſt: & ſuccendit, & coxit panes: de reliquo autem operatus eſt Deum, & adorauit: fecit ſculptile, & curuatus eſt ante illud.*

15 Vbi autem domum materia illa cædua comportata eſt, & ſecuri aut alio quouis ferramento diſſecta, illorum partem quandam in focum inijcit, quò ſe calfaciat, & cibos coquat: ex alia parte quæ reliqua fuerat, Deum ſculpit, cui pronus ſupplicat, & adorat: ſculpit, inquam, Deum, ante quem ſe ipſum venerabundus incuruat.

16 *Medium eius combuſſit igni, & de medio eius carnes comedit: coxit pulmentum, & ſaturatus eſt, & calefactus eſt, & dixit: Vah, calefactus ſum, vidi focum.*

16 Partem eius in ignem coniecit, vt caminum inſtrueret, & ab algente corpore frigus expelleret; partem ad coquendas carnes in foco compoſuit. Coctis ab ardenti ligno carnibus famem expleuit: & calore ex igne concepto dixit, Vah quàm bellè, & placidè ad ignem conſedi; rigentiáque à frigore membra confoui: Vah quàm eſt iſta ad nutriendum ignem opportuna materies.

17 *Reliquum autem eius Deum fecit, & ſculptile ſibi. Curuatur ante illud, & adorat illud, & obſecrat, dicens: Libera me, quia Deus meus es tu.*

17 Ex eo, quod reliquum eſt ab incendio, formauit Deum, id eſt, ſculpturæ figmentum, ante quod cernuus, & inclinatus adorat; & eius implorans patrocinium clamat; Libera me; & manum omnipotentem porrige, quia te Deum meum eſſe profiteor.

18 [r] *Neſcierunt, neque intellexerunt. Obliti enim ſunt, ne videant* [ſ] *oculi eorum, & ne intelligant corde ſuo.*

18 Sed planè hi formatores, & artifices amentes ſunt; quique id quod faciunt fœdè ac miſerabiliter ignorant. Non enim conſiderant ſimulacra illa, quæ ipſi paulò antea finxerunt, videre non poſſe, cùm oculos, ſi modò oculi dicendi ſint, oblitos habeant, & incruſtatos fuco, quem ipſi ad eorum ſpeciem, atque figuram induxerunt; & cùm ex materia ſiant inanimata, atque arida, quò intelligere poſſint, nullum habere cor.

19 *Non recogitant in mente ſua, neque cognoſcunt, neque ſentiunt, vt dicant: Medietatem eius combuſſi igni, & coxi ſuper carbones*

19 Non reputant ſecum excordes illi artifices, neque attento ad id, quod reipſa experiuntur, animo, ita ſecum ratiocinantur. Ex eodem

trunco hic Deus eſt, & fragmentum illud, quod conſumpſit ignis. Nam medietatem eius in ignem conieci, in cuius prunis carnes, & panes coxi. Quo igitur conſilio, qua mente, quod de reliquo formatum eſt, Deum eſſe ſtatuam? ecquis tantus eſt animi ſtupor, vt ante hunc ſtipitem ſupplicaturus incliner?

20 An non pars altera trunci, ex qua ſimulacrum iſtud dolatum eſt, in fauillam, & cinerem extabuit? Sanè nullus, niſi inſipiens illud venerabitur; quia ex eius obſequio non conſequetur animæ ſuæ, aut corporis ſalutem. Nónne igitur hæc ſecum meditabitur inſipiens ille Idolorum formator? & dicet dubitans ſaltem, de illorum fide, atque potentia: Fortè opus hoc, quod dextera mea fabricata eſt, præter meras nugas, atque mendacium, nihil eſt.

21 Redeo iam ad te, Iſrael, cui iubeo, vt memineris eorum, quæ paulò antea commemoraui; propter quæ ſeruum te meum fateare æquum eſt. Seruus meus es, vt pote à me formatus, ne committas, vt mei vnquam obliuiſcatis.

22 Ego delebo iniquitates tuas, & illa, quæ ex peccatis naſcuntur incommoda, diſſipabo, nihilo difficilius, quàm à vento nebulæ, aut nubes diſſipantur, atque vaneſcunt. Reuerteris autem ad me, ô Iſrael, vt pote meo labore, ſtudióque redemptus.

23 Laudate ergo cœli, tantam benignitatem, atque clementiam: quam in ſuos expreſſit, & oſtendit Deus. Ab vltimis vſque terræ finibus reſonet terra diuinas laudes: & montes, atque ſyluarum ligna in cantico, atque exultatione reſpondeant. Quoniam Iacob antè captiuus liberali Domini dextera redemptus eſt: & Iſrael ab exilio reſtitutus habet, quo valde in Domino glorietur.

24 Hæc dicit Dominus, ô Iſrael, qui te redemit, & formauit ex vtero. Ego ſum Deus rerum omnium auctor, atque molitor; qui cœleſtem molem, ſicut pellem expandi: qui ſtabili terram fundamento locaui: ad quod opus neminem ſocium, atque adminiſtrum adhibui.

25 Ego diuinorum, atque augurum artes, qui ſe futura præſentire, ac prævidere exiſtimabant; diuerſis rerum euentibus eluſi, oſtendíque furioſos eſſe ariolos, neque afflatos à Deo. Sed lymphatica quadam inſania correptos. Ego ſapientes ab eo nomine, & gloria, quam apud ſtultam multitudinem captauerant, cadere feci, oſtendens vanam eſſe, atque veteratoriam illam ſcientiam, quam hominibus nimiùm credulis, tanquam veram, & à cœlo profectam venditabant.

26 Ego ſum (vt ad futura veniam) qui de ſeruo meo Chriſto loquor, compleóque omnia, quæ per prophetas, & nuncios de illo prædixi. Qui dico Ieruſalem à Chaldæis euerſam, omnéſque ciuitates Iudæ excitandas, atque habitandas

bones eius panes: coxi carnes, & comedi, & de reliquo eius Idolum faciam? ante truncum ligni procidam?

20 *Pars eius cinis eſt. Cor inſipiens adorabit illud, & non liberabit animam ſuam; neque dicet: Forte mendacium eſt in dextera mea.*

21 [t] *Memento horum Iacob, & Iſrael, quoniam ſeruus meus es tu. Formaui te, ſeruus meus es tu Iſrael, non obliuiſcaris mei.*

22 [v] *Deleui vt nubem iniquitates tuas, &*
[x] *quaſi nebulam peccata tua: Reuertere ad me, quoniam redemi te.*

23 [y] *Laudate cœli, quoniam miſericordiam fecit Dominus:* [z] *iubilate extrema terra, reſonate montes laudationem, ſaltus, & omne lignum eius: quoniam redemit Dominus Iacob, & Iſrael gloriabitur.*

24 [a a] *Hæc dicit Dominus redemptor tuus, & formator tuus ex vtero, Ego ſum Dominus, faciens omnia, extendens cœlos ſolus,* [b b] *ſtabiliens terram & nullus mecum.*

25 [c c] *Irrita faciens ſigna diuinorum, &*
ariolos in furorem vertens. [d d] *Conuertens ſapientes retrorſum: & ſcientiam eorum ſtultam faciens.*

26 [e e] *Suſcitans verbum ſerui ſui, & conſilium nunciorum ſuorum complẽs:* [f f] *Qui dico Ieruſalem: Habitaberis; & ciuitatibus Iuda: Aedificabimini, & deſerta eius ſuſcitabo.*

27 [g g] *Qui*

das fore. Et quiequid inimicorum armis ſubuerſum eſt, atque in ſolitudinem redactum, in priorem ſtatum fore reſtituendum.

27 [ee] *Qui dico profundo; Deſolare, & flumina tua areſaciam.*

27 Qui dico iterum apertum in profundum maris; & flumen arenti alueo ſicco veſtigio eſſe tranſmittendum: ſicut in rubri maris olim, & Iordanis traiectu.

28 [hh] *Qui dico Cyro; Paſtor meus es; & omnem voluntatem meam complebis. Qui dico Ieruſalem; Aedificaberis; & templo; Fundaberis.*

28 Ego ſum qui Cyrum bello ducem, atque imperatorem præfeci: per quem conſilia mea, atque cogitata præſtabo: Qui dico Ieruſalem inſtaurandam, & templum rurſus ædificandum eſſe.

IN CAPVT QVADRAGESIMVM QVARTVM COMMENTARIVS.

1\. [a] ET *nunc audi Iacob ſerue meus.*] Hæc A
communiter interpretes de Eccleſia
ſumunt, vt Hieronymus, Haymo,
Adamus, Foreirus, ita tamen, vt aliquando de populo Iſraelitico nonnulla interpretentur. Hugo de libertate à captiuitate Babylonica intelligit: & Lyra, quoſdam interpretes Catholicos ita exiſtimaſſe affirmat. S. Thom. de vtraque libertate accipit, doniſque tam corporalibus, quàm ſpiritualibus: id eſt, de felici ſtatu reipublicæ Iudaicæ hiſtoricè, allegoricè autem de Eccleſia, & de Euangelio. Quod mihi non improbatur, ſed cum communi Patrum conſenſu exiſtimo dicendum, licèt cum alluſione ad felicem reditum è Babylone, præcipuè hîc agi de illa libertate, quam conſecutus eſt verus Iſrael, & nouus in antiquo figuratus; figuram verò puto non tam in hoc B
eſſe poſitam, quàm in præcedenti capite.

2\. [b] Quæ dicta ſunt in fine capitis proximi, videbantur contrahere potuiſſe Iudæorum animos, cùm in illorum, aut etiam in parentum meritis nihil eſſet, à quo in aduerſa fortuna, atque ſtatu miſero aliquid ſecundum, aut à peccati ſeruitute libertatem ſperare deberent. Quare eos Dominus bono eſſe animo iubet, & repetit ſuperiora verba, quibus antea languentes confirmarat ſpiritus. *Hæc dicit Dominus faciens, & formans te.* Ac ſi dicat, Non hæc audis ab imbecillo homunculo, qui quod promittit præſtare non poſſit; aut à nugatore, qui fallaci promiſſo lactet, hiantémque relinquat deceptum hominem; ſed à Deo, qui, quæ habes omnia, antè largitus eſt, & quæ deſunt nihilo difficilius præ C
ſtabit.

3\. [c] *Ab vtero auxiliator tuus.*] Hebraica phraſis eſt, *ab vtero*, pro ab initio. *Pſal. 138. Suſcepiſti me ab vtero matris meæ* Et *Pſal. 57. Alienati ſunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero.* Et infrà *cap. 48. verſ. 8. Tranſgreſſorem ex vtero vocaui te.* Latinus diceret *ab incunabulis.* Ponitur autem vterus pro principio vitæ, quia ibi animati ſumus, & inde in hanc communem lucem euocati vitæ noſtræ curriculum ingredimur. Quare vterus hîc ſumi poſſe videtur pro prima quaſi ætate populi Iſraelitici, quæ fuit in Abraham. Et tunc ſententia facilis eſt, nimirum in ipſo exordio deſignari populi Deum illius ſuſcepiſſe curam, & in maximo rerum diſcrimine fuiſſe auxiliatum. Quod fecit primùm in Meſopotamia, quando liberauit illum de Chaldæorum fornace: & iterum in Ægypto. Neque eſt improbabile adiiſſe non rarò alia pericula, cùm in aliena regione, eáque ab impiis cultoribus habitata ſolus, & peregrinus vagaretur. Aut certè, ſi de Iacob ſermo ſit, ab vtero illi auxiliatus eſt Deus: quia excellentiæ, atque præſtantiæ ſigna quædam oſtendit, cùm ex vtero emerſit apprehenſa primogeniti planta. Et hæc Hieronymus de Iſrael exponit; ſed in quo veri Iacob, & Iſraelis noui, id eſt, populi Chriſtiani effigiem intuetur: cui Deus ab vtero auxiliatus eſt, id eſt, ab exordio naſcentis Eccleſiæ, quam tot perſecutionum procellis obrui paſſus non eſt.

Vterus pro exordio vitæ.

[d] *Noli timere ſerue meus Iacob, & rectiſſime,* 4.
quem elegi.] Obſeruat hîc optimè Hieronymus, vbi accuſatur populus, aut duriùs aliquid audit, abſque vlla nominis dignitate puris appellari vocabulis: vt nuper *cap. 43. Non me inuocaſti Iacob, nec laboraſti in me Iſrael.* Et iterum. *Dedi in internecionem Iacob, & Iſrael in blaſphemiam.* Vbi autem ad Iſrael Dei, id eſt, ad myſticum ſermonem facit, addi quædam nominis priuilegia: vt nunc, *audi Iacob ſerue meus.* Idem penè Cyrillus. Illud *rectiſſime* Hebr. ישרון *ieſurun*, epitheton eſſe arbitror Iſraelis: tantùm enim inuenio vocem hanc Hebraicam duobus in locis vbi cum Iſraele coniungitur *hic*, & *Deut.* Deut. 32.
32. Vbi noſter interpres vertit *dilectum. Incraſſatus eſt dilectus.* ſicut hîc etiam verterunt L x x. Habet autem hoc nomen formam diminutiuam, quæ beneuolentiæ compellatio eſt, quaſi dicas *dilectule.* Quo dicendi genere in blandimentis, & deliciis teneros filios parentes appellare ſolent. Qua etiam forma vſus eſt Dauid *Pſal. 67.* Vbi cùm ageret de Pſal. 67.
eodem populo dilecto à Domino in ſponſæ modum, vocat illum ידודון *Iedodon*, id eſt, *dilectulum*, pro quo vulgatus vertit *dilecti, dilecti.* id eſt, valde dilecti, quod amatorium blandimentum eſt; Ad quem modum puto illud, *rectiſſime*, explicandum eſſe: ac ſi dicat, ô dilectule, id eſt, ô mihi chariſſime: aut ô rectiſſime, id eſt, cui omnia rectiſſimè, & ſine vlla offenſione contingent. S. Hieronymus in nomine ישרון *ieſurun*, explicari putat, & contineri nomen *Iſrael*: quia vox illa iiſdem literis

in

in priocipio couſtat, quibus nomen *Iſrael.*

5. ^e *Effundam enim aquas ſuper ſitientem, & fluenta ſuper aridam.*] Vt per ſiccitatem ſumma calamitas, ſic per vbertatem ſumma explicatur felicitas, inter Hebræos, quorum ager pluuiam de cœlo expectat, quia irriguus non eſt. Status durus Hebræorum in exilio, agro comparatur ſterili, atque arenti: & felicitas, quæ deinde ſuccedet agro omnium rerum copia, atque amœnitate veſtito: vt vidimus ſuprà *capite 32. num. 35.* & apud hunc prophetam alibi ſæpe. Quare hîc quanta ſit rerum omnium in Eccleſia pax, & affluentia, quantùm mundus antea ſitiens, & ſterilis rorante cœlo deſuper, & nubibus pluentibus iuſtum, ſit renouandus, optima & familiari ſimilitudine declaratur.

6. ^f *Effundam ſpiritum meum ſuper ſemen tuum, & benedictionem meam ſuper ſtirpẽ tuam.*] Aut nimio frigore exuſtæ herbæ, aut ſpoliatæ ſuis frõdibus arbores, aut nimio etiam æſtu deformata agrorum facies *mors* dicuntur: quia talia hæc vulgo quod externam tantùm formam intuetur, exiſtimari ſolent; quamuis abſcondita ſit, & in ſtirpibus ſeruata vita. Neque id apud ſacros ſolùm, ſed etiam apud profanos ſcriptores. Iudas in ſua Canonica arbores autumnales *bis mortuas* appellat: quia eo tempore & poma iam ceciderunt, & foliorum nitor, & veſtitus defluxit. Virg. *Eclog. 7. mortuam* appellat herbam quæ ſiti emarcuit, aut noxio ventorum halitu.

Aret ager, vitio moriens ſitit aëris herba.

7. In qua metaphora *ſpiritus* pro *vita* ſumitur, quæ videtur reſtituta agris, qui ſiti, aut alia temporis iniuria interiiſſe videbantur. *Pſalm. 103.* Vbi multi exiſtimant de hac anni, quaſi reſurrectione ſermonem eſſe, quando depoſita ſenectute, & macie, quam in hyemali auſteritate contraxerat, affulgente vere, nouam quandam iuuentutem, & ſpeciem aſſumit. Ibi *ſpiritus* pro *vita* ponitur, qui plantis iam quaſi mortuis infuſus vitam, & pulchritudinem reducit.

Spiritus pro vita

Pſalm. 103. *Auferes ſpiritum ſuum, & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur: emittes ſpiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ.* Sic puto hoc loco eadem metaphora ſignificari longè diſſimilem ſtatum, atque ſpeciem populi Iudaici ab exilio reſtituti, aut in eo quaſi in ſymbolo multò melius tempus Euangelicum. In quo ea fuit rerum tam noua, atque iucunda ſpecies, vt non ſecus differat ab eo, quod præceſſit, quàm differre ſolet veris hilaritas, & clementia ab hyemis aſperitate, & ſqualore. Bellè autem in hanc ſententiam facit, quod in textu dicitur: *Super ſemen tuum, & ſuper ſtirpem tuam.* Quod aliquid indicat ab agris ad alia fuiſſe tranſlatum. Porrò hæc veris, atque hyemis diſſimilitudo adduci ſolet in rerum maximè diſſimilium comparationem; ſic Theocritus.

Quantum hyemi præſtant geniales gaudia veris.

8. ^g *Et germinabunt inter herbas, quaſi ſalices iuxta præterfluentes aquas.*] In eadem adhuc perſtat allegoria, & futuram vbertatem, & ſpeciem eleganter exprimit, aut populi, vbi libertatem aſpexerit, de quo in hoc propheta ſæpiùs, aut potiùs, & veriùs Eccleſiæ, quæ ſecus aquarum decurſus plantata eſt. Eſt autem hæc comparationis forma & elegans, & vſitata, & nunc accommodata plurimùm: quia à re ruſtica atque hortenſi ſimilitudo ducitur. Cuius hæc eſt ſententia: Quãtùm inter herbas, quæ vix exiant è terra, attollunt ſeſe ſalices proceræ, & pulchræ, quæ perenni alluuntur, & rigantur riuo; tantùm ſeſe efferet aureum illud Euangelij tempus inter priora ſæcula; quæ, vt herba à terra ſic illa à

Ex agris, arboribúſque pulchræ metaphoræ.

A terrenis cogitationibus ad cœleſtium rerum amorem, & ſtudium aut nihil, aut modicè excitabantur.

Porrò hæc, quæ nunc Iſaias affert, adducere etiam ſolent & profani ſcriptores ſæpe, & ſacri non rarò, ad exprimendam rerum elegantiam. Nempe locum vbi natæ ſunt aut plantatæ arbores, ex quo illarum ſpecies, atque fœcunditas maior exiſtit, & cum aliis plantis comparationem. Situs ad ſplendorem, & fœcunditatem plurimùm facit, quocirca Ieremias hominem infelicem, & inopem *myricæ* comparat *in deſerto*, id eſt, in arido loco *cap. 17.* & Chriſtum in hoc mortali ſtatu ſimilem dixit Iſaias *cap. 53. Virgulto in deſerto, aut radici de terra ſitienti.* Cùm verò fœcunditas oſtenditur, ea ex riuulorum vicinitate declaratur. Ieremias ſuprà cùm B de viro, qui confidit in homine dixiſſet, *Erit ſicut myrica in deſerto*, de illo, qui in Domino confidit, ſubiicit: *Erit quaſi lignum quod tranſplantatur ſuper aquas, quod ad humorem mittit radices ſuas.* Et *Pſal. 1.* de viro iuſto. *Et erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſum aquarum.* Meminit autem præcipuè *ſalicum*, quia hæ in littoribus, locíſque paluſtribus plerumque naſcuntur; vt de fluminibus Babyloniæ dicitur *Pſalm. 136. Super flumina Babylonis, &c. in ſalicibus in medio eius.* Certè à profanis ſæpe cum *ſalicibus* coniunguntur *riui.* Virgilius *2. Georgicorum.* 9.

Fluminibus ſalices, craſſiſque paludibus alni
Naſcuntur.

Et à poëtis ſalices *amnicolæ* dicuntur, & ab autori- C bus rei ruſticæ ad fluminum ripas, aut in locis humidis ſeri iubentur.

Comparatio item cum aliis arboribus frequens. *Cantic. 2.* ſponſus dum ſponſæ venuſtatem explicat, ait: *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Et rurſus ſponſa amœbæo cantico, *Sicut malus inter ligna ſyluarum, ſic dilectus meus.* Ex profanis vnus ſufficiat nobis Virgilius *Eclog. 5.* 10.

Lenta ſalix quantùm pallenti cedit oliuæ:
Puniceis humilis quantùm ſaliunca roſetis,
Iudicio noſtro tantùm tibi cedit Amyntas.

Hieronymus aliam hîc comparationem eſſe putat, quæ non exceſſum, aut temporum, aut perſonarum notet, ſed potiùs abſolutè explicet Euangelici temporis incrementum, in hanc ſententiam. Tam flo- D rebit aureum illud tempus, quàm florere ſolent, & germinare herbæ in locis humentibus, & ſalices iuxta præterfluentes aquas. Quem ſequitur Haymo; ſed Hieronymus ſuperiorem explicationem non reſpicit.

S. Gregor. *lib. 32. Moral. cap. 5.* in *ſalicibus*, *bonos* ſignificari putat, & *malos*; *Malos* quidem quia ſalices ſteriles ſunt, & infructuoſæ, & ſi quem afferunt fructum, ante tempus, & maturitatem abiiciunt; niſi fortè in Creta, vt putat Plinius *lib. 16. cap. 26.* Et ideo à Græcis ὠλεσίκαρπος vocatur à Latinis *frugiperda. Bonos* verò, qui ſicut ſalices, quo durius tractantur, & ſæpius putantur, maiores afferunt vſus agricolarum miniſteriis: ſic viri ſancti incle- E mentiùs accepti, & ſpoliati crudeliùs, magis ſunt & ſibi ipſis, & aliis fructuoſi. Quales fuerunt illi, qui rapinam bonorum ſuorum cum gaudio ſuſceperunt, de quibus Paulus *ad Hebr. 10. verſ. 34.* Habent præterea *ſalices*, quo ſanctorum virorum mores, & ingenium exprimant: nam, vt inquit Gregorius, tantæ viriditatis ſunt vt areſcere, vel abſciſſæ radicitus, & proiectæ, vix poſſint. Qua ratione putat in hoc Iſaiæ loco virum iuſtum, & Eccleſiæ filium ſignificari: ſicut etiam Hilarius in illud *Pſalmi 136.* 11.

Iuſti ſalicibus ſimiles.

In ſalici

In ſalicibus in medio eius. Qui etiam addit areſactas A quoque ſalices, ſi aqtiis abluantur, reuiuiſcere. & ſi ſciſſæ fuerint in locis humentibus radices demittere. Similes planè ſunt viri iuſti qui carnem ſuam crucifixerunt, quos mundus mortuos iudicat, & quaſi aridos ramos à ſtipite reuulſos; ipſi tamen meliori vita viuunt, quæ abſcondita eſt cum Chriſto in Deo, quique cum Apoſtolo clamare, aut cantare poſſunt, *quaſi morientes & ecce viuimus.*

12. Serui fidelis ſigna. [h] *Iſte dicet, Domino ego ſum; & ille vocabit in nomine Iacob.*] Elegans mimeſis qua Deus explicat multitudinem, & ſtudium, quo Gentes ad fidem, Eccleſiámque conuenient. Quod etiam quaſi in ſymbolo ſpectare licet in populo ab exilio vindicato: nam tunc ornatus à Deo nouo illo ac ſingula- B ri libertatis beneficio totum ſe Deo verè, atque ex animo conſecrauit, vt dixit Iſaias *ſupra.* & Zacharias *cap.* 8. Sed hæc multò meliùs ſpectamus in Eccleſia, ad quam gentes ea auiditate, atque frequentia conuenerunt, quæ hac eleganti mimeſi proponitur: & quæ à Zacharia ſuprà mimeſi non diſſimili ſignificatur *verſ.* 21. Hic puto exprimi ſeruilis conditionis certas notas, & ſigna, quas ſibi inuri non ſolùm patientur, ſed etiam optabunt, quos Dominus ad lectiſſimam illam fidelium ſocietatem vocauerit. Oſtendit autem varias voces, & ſigna, quibus Gentiles iam alij à ſeipſis non ſui ſibi iuris, ſed alieni libera, atque clara voce ſe eſſe profitebuntur. *Iſte dicet, Domini ego ſum*, id eſt, iam hinc me me diuinæ voluntati mancipo, mihíque mori, vt Deus in me viuat, iterum, atque iterum & cupio, C & obſecro.

13. Iſrael pro eo, qui Deo fideliter ſeruit. [i] *Et ille vocabit in nomine Iacob.*] *Iacob*, & *Iſrael* in ſcriptura pro his vſurpantur, qui Deum piè atque fideliter colunt. Quare cùm aliquis dicit velle ſibi imponi Iſraelis nomen, id planè dicit velle ſe numerari in illorum ordine, qui Deo ſeruiunt, etiamſi hæc intelligas de Euangelio, & Eccleſia. Vt autem ſuprà vnus inducebatur, qui diceret *Domini ego ſum*, ſic nunc alius inducitur, qui idem dicat, alia tamen forma: nempe *vocabit*, id eſt, clamabit ad Dominum, ſeu eius auxilium implorabit dicens ſe eſſe Iacobitam, ſeu Iſraelitam, id eſt, veri Dei verum, & non ſimulatum cultorem. Aut ſi illud *vocabit* paſſiuè ſumas, quod cum aliis punctis D fieri poteſt, & placet Foreiro, erit quidem ſenſus non diuerſus, ſed apertus magis. nempe, *iſte vocabitur Iſraelita.* quod perinde eſt ac ſi dicas, *iſte vocabitur Chriſtianus. Iſrael* verò nomen eſt eius, qui Deo fideliter ſeruit: qualis fuit ille, qui generi à ſe propagato nomen indidit Iſraelis; qui à Paulo videtur vocatus *Iſrael Dei. ad Galatas cap.* 6. *in fine.*

14. Iuſtæ ſeruí, aut militibus dominorum, aut Imperatorũ notæ. [k] *Et hic ſcribet manu ſua; Domino.*] Hæc etiam verba ſeruilem conditionem indicant, & profitentur; ſed quo id modo faciant, non ſatis mihi exploratum. Hieronymus hîc aliquid agnoſcit militaris formæ, qua Tyrones nomen dant militiæ, ſéque E Imperatoris voluntati in omnem aleam, atque diſcrimen offerunt; aut quod publico ſcripto teſtentur ſeruos ſe eſſe Dei, quod faciebat Paulus, cui hæc erat familiaris, & quaſi legitima forma: *Paulus ſeruus Ieſu Chriſti.* Quod mihi ſanè valde placet; Sed credo aliam hîc iudicari conſuetudinem, quam nationes aliæ ſeruauerunt, &, vt non obſcuris licet coniectare veſtigiis, ſeruarunt olim Iudæi, & primis Eccleſiæ temporibus etiam Chriſtiani. De Chriſtianis conſtat, nam ſerui inuri ſibi patiebantur dominorum nomen, aut aliquod ſignum, quod perſonas illas repræſentaret, quarum ſeruituti eſſent A aſcripti; vnde inſcripti, aut literati ſerui dicti ſunt. Vide Rhodiginum *lib.* 7. *cap.* 31. quod ſignum plerumque geſtabant in frontibus, ſicut etiam, qui alicuius ſceleris rei ignominiæ cauſa traducebantur, vt apertè tradit Seneca *lib.* 4. *de beneficiis capite* 137. & 138. vbi flagitioſo cuidam ſupplicij cauſa inuſta fronti dicitur. Eodem modo Iudæi aliquid ſecum geſtare conſueuerunt ſiue phylacterium, ſiue monumentum eius religionis, quam profitebantur: imò & ſignum ſiue notatum, ſiue impreſſum. Sanè *Ezech. cap.* 9. *Tau* inſcribi iubetur lugentium frontibus: quod ſignum erat Dei, cuius illi erant ſerui. Et *Machab. lib.* 3. *cap.* 2. ab Ægyptiorum Rege Iudæorum corporibus in honorem Bacchi inu- B ſtum eſt folium hederaceum, quaſi legitimo Bacchi titulo conſignaretur. De Euangelij tempore aliquam nobis coniecturam præbet Paulus, dum ait ſe in corpore ſuo portare ſtigmata Domini Ieſu. Sed docet apertè illud *Apocal.* 7. vbi iuxta morem, vt apparet illius ſæculi ſerui Dei nomen eius dicuntur habere in frontibus impreſſum. Sic enim ibi Angelus: *Nolite nocere terra,* &c. *quoad vſque ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus eorum.* Et *cap.* 14. centum, & quatuor mille numerat homines habentes nomen agni, & nomen patris eius ſcriptum in frontibus ſuis. Et ibidem *cap.* 13. qui beſtiæ ſe ſubiecere, habent eius characterem in dextera manu ſua, aut in frontibus ſuis.

Iuxta hæc fortaſſe ſenſus eſt huius loci. Qui ex 15. Gentibus antiquum errorem execrati veram reli- C gionem amplectentur, hoc ipſum inſcribent manu ſua Domino: id eſt, in eius obſequium, nempe, quod ſerui faciunt in frontibus. Neque admodum ab his abludit quod nunc fideles dum ſe Chriſtianos profitentur, ſigno crucis frontem conſignant, cùm aliquod auſpicantur opus publico iam & quaſi legitimo ritu. Quod ideo faciunt, vt Auguſtin. *in Pſalm.* 141. indicat, vt Chriſti fidem libera profeſſione teſtentur, oſtẽdántque ſe non verecundati, quòd notam olim duri, atque ignominioſi ſupplicij in fronte, id eſt, in notiſſima, ac nobiliſſima corporis parte circumferant.

Hæc mihi non improbabilia ſunt: ſed illud mi- 16. Manus militum inſcribi ſolita. nùs ſauet, quòd ſigna non in fronte ſed in manu D ſcripta eſſe dicuntur. Quare idem etiam hîc contigiſſe probare tentemus. Pro eo quod Vulgatus habet: *Scribet manu ſua Domino*, Hebr. eſt יִכְתֹּב יָדוֹ לַיהוָה, quod commodè verti ſic poteſt, *inſcribet manum ſuam Domino.* id eſt, conſignabit, aut conſecrabit. Quod ſenſiſſe videntur Septuaginta, cùm vertunt *ἕτερος ἐπιγράψει χειρὶ αὐτοῦ, τοῦ θεοῦ εἰμι*, id eſt, *alius inſcribet manu ſua, Dei ego ſum.* Tranſlatio Latina habet: *Alius ſcribet in manu ſua.* Quòd verò qui alicui muneri, aut religioni conſecrati ſunt, illius deuotionis characterem, & notam manibus impreſſerint, veſtigia ſunt non obſcura. Quòd Ty- E rones qui nomina dant militiæ compungerentur in cute, docet Vegetius *lib.* 2. *cap.* 5. *Victuris*, inquit, *in cute punctis milites ſcripti, & matriculis inſerti iurare ſolebant.* Quòd verò hæc ſtigmata in manibus fuerint, docet Aëtius medicus citatus à Lipſio *lib.* 1. *de militia Romana, dialogo* 9. *Stigmata*, inquit, *vocant, quæ in facie aut alia parte corporis inſcribuntur, qualia ſunt militum in manibus.* Vide Cuiacium ad conſtitutionem Arcadij, & Honorij, de Fabricenſibus. *l. ſtigmata*, & Turneb. *lib.* 24. *aduerſ. cap.* 12. Goudeſcalcum *in lib.* 2. *cap.* 5. *Vegetij.* Quod etiam indicat Gregor. *lib.* 1. *Regiſtri, epiſtola* 100. *ad Mauricium, & epiſtola* 103. *ad Theodorum Medicum*, vbi

Impera

Imperatoris edicti meminit, quo cauet, ne quis manu ſignatus ante expletam militiam in monaſterium recipiatur. Idem Ambroſius, qui *tom. 3. in oratione funebri Valentiniani non longè à fine*, ait; *Charactere Domini inſcribuntur etiam ſerouli, & nomine Imperatoris ſignantur milites.* In dextera ſanè Antichriſtus ſectatores ſuos characterem geſtare faciet *Apocal. cap. 13.* ſic etiam fideles Chriſti ſacra complexi iuxta vulgaris militiæ conſuetudinem in ſacra militia, quam Baptiſmo luſtrati profitebuntur, manus ſuas Chriſti charactere conſignabunt. De hoc ſigno nihil certum eſt. Procopius ſuſpicatur nomen eſſe Chriſti fidelium manibus, ſiue brachiis inuſtum. B Fortaſſe ſignum crucis eſt, neque mirum ſi geſtetur in manu, cùm nationes aliæ candenti ferro frontibus impreſſum circumferant. Sanè id de Iacobitis tradit Ioachimus Abbas in appendice nationum Chriſtianarum.

17. Verumtamen ſi de ſigno hîc ſermo eſt, quod in manu geſtatur, veriſimilius mihi eſt non agi de illo, quod in manu, aut inuſtum candente ferro, aut aliquo alio artificio notatum eſt, ſed de alio quod à fidelibus, in annulis, aut armillis excuſſum, aut cælatum eſt. Sicut nunc Chriſtiani geſtant aut crucem, aut Chriſti nomen, & nationes aliæ ſuarum religionum phylacteria, & inſignia. Quòd enim eo tempore, quo hæc dicebantur ab Iſaia fieri eſſent ſolita ab Hebræis, habemus in Scriptura ſacra non obſcura veſtigia. *Pſalm. 136.* exules Iudæi in annulis geſtabant inſculptam ſuam Ieruſalem, cuius dicebant ſe nunquam futuros eſſe immemores, niſi dexteræ ſuæ obliuiſcerentur, in qua ſpectabant ſuæ ciuitatis effigiem. Illud enim ſignificari puto in illo. *Si oblitus fuero tui Ieruſalem, obliuioni detur dextera mea*, id eſt, dabitur. Ad quam conſuetudinem alluſiſſe videtur Dominus *Iſaiæ 49.* cùm dixit de eadem Ieruſalem: *Ego non obliuiſcar tui: ecce in manibus meis deſcripſi te, muri tui coram oculis meis ſemper.* De hac re egimus latè *Prolegomeno 8. ſuper Cant.* Hoc modo credo in manibus fidelium ſcripta fuiſſe eius religionis, quam profitebantur inſignia. *Manus* vocantur *annuli* per metonymiam, quæ id quod continet adhibet pro eo quod continetur. Solitas autem eſſe geſtare in annulis Deorum imagines à Gentilibus, docet illud Pythagoræ ſymbolum, quod vetat Deum in annulo cælari, ne res ſemper obiecta oculis vilior fiat. Hoc mihi veriſimile viſum eſt in re obſcura, ſi in manu aliquod eſſe ſignum ſuſpicemur. Verùm ſimpliciùs videor eſſe dicturus ſi omnibus modis explicari dicam ſtudium, quo aliquis ſe futurum in alterius poteſtate ſignificat; ita vt à ſe totus abeat, & alterius eſſe totus, & omnino velit. Primùm enim id profitetur ore, dum liberè dicit, *Domini ego ſum.* Deinde opere, dum cultu ipſo religioſo illum agnoſcit, & veneratur Deum, & ſe adiungit veris Dei cultoribus. Et hoc indicat illud, *Ille vocabit in nomine Iacob.* Tertiò quando id ipſum manu, ſeu ſcriptura confirmat: quaſi qui ſuum nomen militiæ, aut religioni dat. Et hoc ad extremum explicetur illis verbis. *Hic ſcribet manu ſua, Domino*, ſupple, *me totum dedico, & conſecro.*

In annulis, aut armillis geſtari ſolita ſigna eorum, quos amamus, aut colimus.

Pſalm. 136.

Iſai. 49.

18. l Porrò illud *Domino* in datiuo eſt, ſicut etiam Hebr. ליהוה quod materialiter, vt dicunt Logici, ſumendum eſt, ad imitationem illorum, qui dum aliquid alteri dedicant, aut conſecrant, eius nomen in datiuo conſtituunt. Quare in ſepulchris ſæpe legimus ſolemne illud *Diis manibus*, in columnis, aut fornicibus *Diuo Auguſtino, Seruatori Ioui*: Et Dauid ſæpe in Pſalmorum titulis, *Victori.* Fidelis A ergo ſi quid in manu ſcribet, erit *Domino.* Ac ſi dicat: Hæc manus & homo totus, non ſui ſibi iuris ſed diuini eſt: illi ſe totum dat. Aut ſi id in manu ſua non ſcribet, manu certè ſua ſe Dei eſſe mancipium ſcribet, obſignabitque.

m *Et in nomine Iſrael aſſimilabitur.*] Non ſolùm 19.
in manibus ſuis Gentes non iam gentium erroribus deluſæ, ſed ad veram religionem tranſcriptæ ſuæ pietatis, ac fidei publica præ ſe monumenta ferent, aut etiam ſcripto teſtabuntur, ſed etiam, quod externa profitentur ſpecie, id quoque re ipſa verè, atque ſtudioſè præſtabunt Quare perficient vt nomen Iſrael otioſum non habeant; ſed eius dignitati, B ac meritis ſtudia ſua, & mores accommodabunt. Id eſt aſſimilabunt ſe ad nomen Iſrael, nam præpoſitio ב be, Latinè *in*, quam Vulgatus cum ablatiuo coniungit, etiam habitudinem importat accuſatiui. Quare hoc etiam reddi poſſet modo, *In nomen Iſrael aſſimilabitur.* Nomen autem alicuius iuxta Hebræorum idioma pro eo ſumitur, cuius eſt nomen. Qua ratione *nomen Dei* pro Deo in ſcriptura frequens. *Aſſimilari* ergo *Gentilem in nomine Iſrael*, idem eſt, atque aſſimilari Iſraelitæ, eandémque cum illo religionem amplecti: Hùc inclinat Hieronymus, Dionyſius, & alij, dum dicunt ideo aſſimilandos Gentiles Iſraelitis, quia eorum legem, & religionem amplectentur.

Hæc quæ modò dixi, multò probantur magis, 20.
C ſed fortaſſe alia explicatio alicui videri poſſet neque obſcura, neque parum cum ſuperiori explicatione conſentiens: quam ſi minùs placet, promptum eſt reiicere. Gentiles in annulis, armillis, gemmis, aut laminis è collo pendentibus Deorum ſuorum imagines portabant, vt docuit illud Pythagoræ ſymbolum, de quo ſuprà, quo vetat in annulo Deorum imagines cælari. Et Clemens Alexandrinus *lib. 3. Pædag. cap. 11.* hoc idem fieri prohibet. Ex quo conſtat fieri antè ſolitum non infrequenter. Sed in ſcriptura indicia ſunt aperta: nam cùm Iacob *Geneſ. 35.* à ſuis domeſticis idola peteret, quæ ſubter terebinthum infoderet, inaures dediſſe dicuntur, quia nimirum in ipſis inſculptæ erant idolorum formæ. *Dederunt ergo ei omnes Deos alienos,* D *quos habebant, & inaures, quæ erant in auribus eorum.* De quibus Auguſtin. *quæſtion. ſuper Geneſ. q. 112.* *Quæritur quare, & inaures dederint, quæ ſi ornamenta erant, ad idololatriam non pertinebant, niſi quia intelligendum eſt phylacteria fuiſſe Deorum alienorum. Nam Rebeccam à ſeruo Abrahæ inaures accepiſſe ſcriptura teſtatur; quod non fieret ſi eis inaures habere ornamenti gratia non liceret. Ergo illæ inaures, quæ cum idolis datæ ſunt, idolorum phylacteria fuerunt.* Hæc Auguſtinus. Similia habet Chryſoſtomus *Homil. 35. in Geneſ. Et dederunt Iacob Deos alienos, non enim erant ſui, & inaures quæ erant in auribus eorum, forte enim hæc ſigna erant iſtorum idolorum, ideo hæc cum Diis afferunt Iacob.* Idem putat Lyra, & vtraque Gloſſa. E Indicant autem tam Septuaginta, quàm Chaldaica paraphraſis, in manibus quoque, id eſt, in annulis habuiſſe Deos, ſicut in inauribus. Sic etiam legunt: *Dederunt Iacob Deos alienos, qui erant in manibus eorum: & inaures quæ erant in auribus eorum.* In eandem ſententiam accipio illud *Ieremiæ capite 17. Peccatum Iuda ſcriptum eſt ſtylo ferreo in vngue adamantino, exaratum ſuper latitudinem cordis ipſorum, & in cornibus ararum eorum.* *Peccatum* verò ſumi pro idolo, ſcriptura docet, quæ *Amos capite 8.* vitulos aureos appellat, *delictum Samariæ.* Et ſanè proximè anteceſſerat

Geneſ. 35.

Ierem. 17.

ceſſetat, *Nunquid faciet ſibi homo Deos*. In *vngue adamantino* gemmam intelligo inclusam annulo. In *latitudine cordis*, laminam ad cor vſque de collo demiſſam, quæ ex vſu Latinorum *cor* appellatur. Item illud *Oſeæ cap.* 2. cùm de Iuda adultera, id eſt, Idolorum ſectatrice (nam ſub ea metaphora eo loco de idololatria loquebatur) dixit, *auferat adulteria ſua de medio vberum ſuorum*. quia inter vbera, & ſupra cor laminam geſtabat, aut bullam, in qua adulteria, id eſt, idola cælata erant.

Oſeæ cap. 2.

21. Quod Gentiles, & in gente Iſraelitide impij fecerunt, vt ſe idolorum ſimulacris conſignarent, id etiam ſpiritu omnino, & conſilio diſſimili fecerunt in eodem populo viri pij qui diuinam legem, id eſt, ſuæ profeſſionis inſignia in annulis, bullis, & torquibus circumferebant. *Prouerb. cap.* 7. cùm ſermo eſſet de diuinis præceptis, dicitur, *Liga ea in digitis tuis, ſcribe ea in tabulis cordis tui.* Idem penè iterum *cap.* 6. Vbi in gutture torques videntur eſſe deſcripti. Neque fortaſſe aliud ſibi poſtulabat ſponſus cùm dicebat *Cant.* 8. *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum*, niſi vt ſponſa cor, & brachium ſponſi ſui imagine conſignaret, cælata nimirum in tabula cordis, aut in brachiorum armillis.

Prou. 7.

Cant. 8.

22. Ex hac conſuetudine hanc ego ſententiam coniectabam, Gentiles mutata religione, ſeruaturos tamen antiquam conſuetudinem, & pro Deorum ſuorum imaginibus geſtaturos eſſe veræ religionis inſignia, puta Dei præcepta in torquibus, annulis, aut tabulis cordis ſui; aut aliquod aliud Chriſtianæ religionis monumentum. Quare in his verbis quædam videtur epexegeſis, & explicatio ſuperioris ſententiæ. Ita vt *aſſimilari in nomine Iſrael*, idem ſit quod publico, & legitimo ſigno ſe veri Dei ſectatorem profiteri. Eſt enim, vt mihi videtur veriſimile, *aſſimilari* hoc loco, ſimilitudine aliqua, aut effigie ſeu charactere conſignari, & eius religionis, quam quiſque colit, documentum præbere. In his ego longior fui, quia quæ noua videntur ſine probatione producere audacis eſt, ne dicam impudentis ingenij. Diſputauimus hæc pluribus *prolegomeno 9. ſuper Cantica.*

23. Porrò hæc tam aperta, ac libera confeſſio, quæ non ſolùm auribus religioſam inſonat vocem, ſed etiam oculis exhibet illuſtri ſigno fidei ſuæ documentum, ingentem ſtrenui animi ardorem, atque alacritatem prodit. Quod fecere olim Chriſtiani in Eccleſiæ primordiis, & faciunt modò, qui inter furioſos Catholici nominis inimicos, quamplurimi, dum ſanctorum imagines, & agnos, cereos, & alia orthodoxæ fidei teſtimonia de collo ſuſpendunt. Certè Iaponij neophyti cruces geſtant e collo, vbi paulò antea, quædam dæmoniorum amuleta, & phylacteria geſtauerant, ea conſtantia, atque ardore, vt vitam ſibi potiùs, quàm illa Chriſtianæ profeſſionis inſignia eripi patiantur.

Chriſtianorum conſtãtia in fidei profeſſione.

24. n *Hæc dicit Dominus Rex Iſrael*, vſque, *quem ego non nouerim.*] Magna hæc promiſſa ſunt, magna ſi de reditu ab exilio ſumas, fortunæque Iudaicæ conuerſione, quòd ſi de Eccleſia interpretere, quod mihi probatur magis, longè maxima. Quibus vt Deus fidem faciat, antiquam iterat ſui nominis commendationem, de qua ſæpius antea: & quemadmodum, quæ iam dudum euenerunt, ea multò antea prædicta fuerint. Ex quo etiam intelligi poſſit, quæ modò dicuntur, eadem etiam fide completum iri; & hinc, vt priùs ad oſtendendam Deorum vanitatem procurrit. Hæc nota ſunt, & iam priùs

A expoſita; neque, quæ ſequuntur, obſcura. In eis tamen aliquid obſeruandum.

o *Plaſtæ idoli omnes nihil ſunt.*] Deſcribit propheta idoloplaſtarum ſtudium, atque conſilium in dolandis, cudendis, atque conflandis idolis, adhibita mimeſi vſque adeò viuida, atque acri, vt nihil excogitari poſſit, aut illuſtrius, aut ſignificantius. Et quod hic vacuum eſſe, ac nugatorium artificum commentum irridendo oſtendit, idem ipſis etiam Gentilibus, in quibus aliquid erat ſanæ mentis, videbatur. Horatius *lib.* 1. *ſatyra* 8. Priapum de ſe ipſo loquentem inducit, ſuámque diuinitatem ſic irridentem. 25.

Idolorum vanitas, & materia.

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum,
B *Cùm faber incertus ſcamnum faceret ne Priapum,*
Maluit eſſe Deum: Deus inde ego furis, auiumque
Maxima formido.

p Plaſtes, Hebr. יצר *ioſer*, propriè dicitur, qui è luto fingit, vt figulus; ſed per Synecdochen ſumitur pro quocumque opifice, qui aut ex argilla, & marmore, aut ex metallo, aut ligno imaginem format. Nam ex his idola ficti non ſolùm ex hoc, atque aliis Scripturæ locis, ſed etiam ex ethnicis ſcriptoribus conſtat; adducam tamen nunc pro omnibus vnum, aut alterum teſtimonium. Vnum ex ſacris. Baruch *cap.* 6. de diis Babyloniis ait. *Nũc autem videbitis in Babylonia Deos aureos, & argenteos, & lapideos, & ligneos in humeris portari.* Alterum ex
C profanis, Iuuenalis *Satyrâ* 13. de ſuo Ioue dicit.

——Audis
Iupiter hæc nec labra moues? cùm mittere vocem
Debueras, vel marmoreus, vel aheneus?

Quòd idola nihil poſſint, aut ſint, à materia probat, ex qua finguntur aut conflantur: & ab ipſorum artificibus, & plaſtis. Nam iſti nihil hic eſſe dicuntur: artifices quidem, quoniam adeò infirmi ſunt, vt dum metallum malleo, aut lignum runcina, in aliquam ſpeciem, aut figuram informant, qui ſitiunt, eſuriunt, & laſſeſcunt, & omnino deficiunt; niſi adſit poculi, cibíque ſubſidium. Vſque adeò ſuæ artis, atque laboris operi virtutem, abundantiam, aut firmitatem impertire non poſſunt. Sic enim propheta de fabro ferrario, quod etiam de conflatore,
D de lignario, & marmorario dici poteſt. *Operatus eſt in brachio fortitudinis ſuæ, eſuriet, & deficiet: non bibet aquam, & laſſeſcet.* In poſtremis verbis ſupplenda eſt conditionalis particula, vt alibi ſæpe in Scriptura fit, hoc ſenſu, *ſi aquam non biberit, laſſeſcet.* 26.

Quòd autem à materia non poſſint habere diuinum aliquid, probat ex ligno, quæ ratio etiam in ſimulacris ex qualibet alia materia perfectis omnino valet. Quia effigies illæ eiuſdem naturæ ſunt, cùm eandem omnino perſonam repræſentent; neque enim aliquid aliud ſperandum eſt ab aureo Iouis ſimulacro, quam a ligneo, aut fictili. Nam pinu, ilici, ac cedro, ex quibus dolatus eſt, verbi gratia Iuppiter, neceſſaria fuit pluuia, vt in ſylua creſcerent; & pars alia, quæ ſerra ac ſecuri diuiſa eſt ab
E eo trunco, ex quo formatus eſt Iuppiter, in ignem coniecta ad coquendas carnes, in fauillas, & cineres redacta fuit. Vnde ergo aduenire potuit ligneo ſimulacro nugatoria illa numinis maieſtas, & diuinitatis appellatio? Huc ſpectat quod de idolis fabricandis dictum eſt *cap.* 41. Vbi ad ſtatuendum, confirmandúmque vnum idolum multi conſpirant diuerſorum operum artifices. Et eadem hic adhibetur, quæ illic non ſolùm ratio, ſed etiam concluſio. 27.

q Vbi vulgatus *runcina*, Hebr. שרד *ſered*, quod 28.

Chaldæus perpendiculum, alij filum phœniceum, ſeu rubricam putant, qua fabri notare ſolent in ligno, quæ tollenda, quæve ad opus idonea relinquenda ſint. Eſt autem *runcina*, vt ex Plinio conſtat *lib. 16. cap. 42.* inſtrumentum illud fabrile, quo quæ inæqualia ſunt, & aſpera in ligno, læuigantur. Quidam *dolabram* putant, quam nos *azuela* dicimus, alij *ſerram*. Sed eſſe quod Hiſpani *cepillo* vocant, Plinius planè docet ſuprà, qui ita apertè runcinam deſcribit, vt nos de ſignificatione illius ambigere non ſinat: ſic enim illic de abiete, quæ ad aliquod opus concinnatur. *Ramentorum crinibus pampinato ſemper orbe ſe voluens ad incitatos runcinarum raptus.* Intorti autem illi, & inuoluti ramentorum crines, & quaſi teniæ clauicularum in morem, vt fit in vitibus, à nullo inſtrumento, quod lignum æquet, aut læuiget, prouenire poteſt, niſi ab eo quod Hiſpanus *cepillo* appellat, aut quod illi in æquando ligno affine eſt.

Runcina quid.

29. ᶜ *Neſcierunt, neque intellexerunt, obliti enim ſunt, ne videant oculi eorum, & ne intelligant corde ſuo.*] Incuſat nunc inſcitiæ, atque ſtuporis illos, qui operibus manuum ſuarum aliquid eſſe diuinum ſibi perſuaſerunt; & qui planè ſimiles ſunt diis, quos venerantur, quibus nimirum illud Dauidicum conuenit *Pſal.* 113. Vbi, cùm illa Deorum monſtra cæca, ſurda, & muta eſſent appellata, ſubiicitur, *ſimiles illis fiant, qui faciunt ea.* Illud *obliti*, non ſignificat *immemores*, a verbo *obliuiſcor*, ſed obcæcatus, aut obſcuratos ab *oblino*. Quaſi idolorum oculi illiti ſint aliquo pigmento à pictoribus inducto, vt appareat in ligno aliqua oculorum ſimilitudo, aut certè oppleti ſint puluere, aut luto; vt ſuadet vox Hebr. טוח *tach*, quæ *oblinere*, ſeu *incruſtare* ſignificat: aut *complanare eo modo, quo trulla faciunt cæmentary.* Alij interpretes vertunt *Tectorium ſuper oculos eorum.* Ita Tigurina. Neque longè eſt tranſlatio Forerii.

30. ᶠ Obſcurum eſt an oculi obliti artificum ſint, aut eorum, qui ſimulacra hominum induſtria formata pro diis venerantur: quaſi dicantur cæci, qui non videant ab his ſperari non poſſe aliquid opportunum, qui runcina indigent, & malleo, vt aliquid habeant præter rudem, & informem ſtipitem. Aut potiùs oculi Deorum ſint, qui neque videre poſſunt, neque intelligere, cùm eorum oculi nihil habeant præter mendacem fucum, & inductum à pictore tectorium. Sanè textus Hebraicus, & vulgata editio non magis in hanc quàm in illam expoſitionem inclinant. De artificum, aut eorum oculis, qui idolis ſupplicant, accipiunt plerique expoſitorum, quod ego quoque facio. Sed placet magis, quod priùs opinabar, oculos hìc deſcribi idolorum, ſicut eorum antea fabrica, & forma deſcripta eſt. Et facit ad hanc cogitationem plurimùm nomen טוח *tach*, quod optimè indicat inductum à pictore fucum ſtatuarum oculis: quod neque ita propriè, neque adeò ſignificanter cadit in artificum oculos. Quare ſenſus erit, fruſtra implorari idolorum auxilium cùm oculos non habeant, vt videant, niſi ſimulatos ab arte pictorum inducto pigmento; neque cor ad intelligendum, non magis, quàm truncus ilicis percuſſus malleo, aut ſerra diſſectus. Quid ergo exorabit infelix adorator, cum ſupplex, & incuruus ante dolatum lignum identidem clamat, *Libera me quia Deus meus es tu.*

31. ᵍ *Memento horum Iacob, & Iſrael, quoniam ſeruus meus es tu; formaui te.*] Refert ſe Dominus ad ea, quæ idolorum vanitate longiùs explicata priùs interciderat: monet autem Iſrael, id eſt, Iſraelis progeniem, vt meminerit debere ſe illius eſſe ſeruum, à quo formatus eſt; & propter alia officia, neque vulgaria, neque pauca, quæ ſtatim connumerat, quibus demeruit ſibi Dominus promptum & alacre omnium obſequium.

ʰ *Deleui vt nubem iniquitates tuas, & quaſi nebulam peccata tua. Reuertere ad me, quoniam redemi te.*] *Iniquitates* & *peccata* pro peccatorum ſupplicio ſumi vidimus ſæpe in hoc propheta, & diximus ad illud *Zachariæ* 3. *Abſtuli à te iniquitates.* Quare ſi ſermo ſit de reditu ab exilio Babylonico, vt in ſenſu hiſtorico, & quaſi in vmbra videtur eſſe dicendum, ablatæ ſunt iniquitates, id eſt, exilij incommoda, & ſordes à ſeruili miniſterio contractæ ea facilitate, ac modo, quo obſcuræ, ac procelloſæ nubes, & denſæ nebulæ vehementi ventorum aſpiratione diſcutiuntur, & vaneſcunt. Quod in Ieſu filio Ioſedech expreſſit ipſe Dominus, à quo impoſita cydari, & veſtimentis mundis, momento temporis ſquallorem in Babylonica ſeruitute collectum deterſit. Si de maiore alia libertate loquaris, quam Chriſtus peperit, quamque adumbrabat ſuperior illa Babylonica, multò faciliùs, atque feliciùs diſſipata eſt atra illa peccatorum nebula, quæ horrentes vmbras, & caliginem cæcam toti offuderat mundo. Eſt ſanè triſtis, & horrida cœli ſpecies vbi nigris obducitur tenebris, maximè ſi cum ingenti fragore, ac tonitru, micanti crebris fulguribus cœlo, fulmina vibrentur; ſed hilaris, & dulcis, quando ventorum mitiori ſpiritu horrore illo repentè diſſipato ſerena affulget, arridétque tranquillitas. Id ſanè præſtitit vindex noſtræ libertatis Chriſtus, à quo rebus humanis poſt longum tenebrarum horrorem, & lux hilarior, & optata tranquillitas affulſit. Ex hoc tanto beneficio aut hortatur Deus gẽtem Iſraeliticam, vt toto ad ſe pectore, atque ſtudio redeat, quandoquidem à ſua benignitate, hoc conſequetur bonum, aut, quod mihi magis videtur ad textum, prædicit reuerſurum aliquando populum ab exilio: quia futurum eſt, vt à Deo redimatur: in quo etiam multò magis oſtenditur illius aurei ſæculi fœlicitas, qua fruetur Eccleſia, cùm tenebras peccatorum Deus ita diſſipabit, ſicut ventus nebulas, aut ſol exoriens noctis caliginem. 32. Deo nihil difficile.

ⁱ Quidam hìc aliquid diuerſum ſignificari in nube putant, atque in nebula. In *nube* quidem fœcunditatem, quam ſpiritus, & ventus mitior, qualis eſt Auſter, inducit colliquefacta nube, & in imbres ſoluta. In *nebula* verò aut facilitatem, quia illa facili vento vaneſcit: aut vim illam noxiam, qua herbeſcentes fruges, neque dum maturas euanidas reddit. A quo incommodo Dominus liberabit ſata, diſiecta nebula, antequam diu inſidens agris ſegetes corrumpat ac perdat. Ego hìc puto epexegeſim eſſe, neque aliud explicari in nebula, quàm quod in nube, nempe diſſipanda à Deo peccata, & peccatorum incommoda ea facilitate, qua nubes, aut nebulæ à vento fugantur, & delentur. Nam & hæc figura crebra eſt in prophetis, & modus ipſe dicendi nihil ſignificat diuerſum. Illud *redemi* pro futuro *redimam* adhibetur, quo in ſermone, ſtylóque prophetico nihil familiarius. 33.

ᵏ *Laudate cœli quoniam miſericordiam fecit, &c.*] Hæc verba prophetæ ſunt à ſe, non ex Domini perſona loquentis. Qui propter tam ſingulare donum excitat, hortatúrque creaturas omnes, vt in Deum formatorem omnium, quantum habent ſpiritus, 34.

& vi

& vitium confitant. Eſt autem propherica captandæ attentionis forma, aut rei amplificandæ familiaris prophetis ratio, vt ſi quando res eſt magna, ſiue ad gratulationem, & laudem, ſiue ad offenſionem, ſeu commiſerationem, quaſi non ſatis ſit rationalis natura ad exoluendas laudes, aut ad deplorandum infortunium, aut ad amplificandum ſcelus, creaturæ quoque, quæ ſenſu, & vita carent, ad laudem ſiue ad luctum, & querelam aduocentur. Exempla habemus in Scriptura obuia in hoc propheta *cap.* 1. & *Deut.* 32. In pſalmis quampluri-ma; ſed eſt illuſtre illud trium puerorum apud Danielem *c.* 3. *Benedicite omnia opera Domini Domino.*

35. [z] *Iubilate extrema terra.*] Septuaginta *fundamenta terra*, accommodatè ad vocem Hebraicam, ſed eſt eadem ſententia. Nam etiam terræ medium, id eſt, centrum, *extremum* dici poteſt: quia maximè diſtat à ſuperficie, & optimè terræ medium poſt cœlum adhibetur: quia illud quàm longiſſimè à cœlo ſummotum eſt: & quæ maximè diſtant, ad diuinum præconium conuocari videntur. Et licèt optimè hîc extremæ orbis partes, id eſt, mundi latera, vocari potuerint, vt nihil ſit quod in diuinæ laudis opus non incumbat, tamen quia ad terræ viſcera, id eſt, ad ſinum, vbi ſanctorum animæ claudebantur, ſalus illa, atque redemptio pertinuit, illa quoque pars ad huius quoque officij ſocietatem acceſſitur.

[aa] *Hæc dicit Dominus redemptor tuus, & formator tuus ex vtero*, &c.] Hæc ſæpius repetuntur, quia grauia ſunt ad continendum populum in officio, & fide.

[bb] *Stabiliens terram, & nullus mecum.*] Id eſt, ego ſolus ſtabiliui. Sicut proximè de cœlo dixerat, *extendens cœlos ſolus.*

36. [cc] *Irrita faciens ſigna diuinorum, & ariolos in furorem vertens.*] Suprà Dominus eo argumento ſe Deum eſſe probauerat, quia futura prædixiſſet, certáque compleuiſſet fide: quæ Gentium dij nunquam præſtare potuerunt. Idem nunc ſignificat propheta, eluſa nempe à Domino fuiſſe omnia diuinorum auguria à furore potiùs, & amentia, quàm à diuinæ mentis afflatu profecta. Illud *in furorem vertens*, idem eſſe puto atque *furioſos eſſe oſtendens, & lymphatica veſania correptos.* Nam ex vſu Scripturæ id aliquando facere dicimus quod factum eſſe, aut fieri ſignificauimus, vide *cap.* 3 *num.* 4.

[dd] *Conuertens ſapientes retrorſum, & ſcientiam eorum ſtultam faciens.*] Eandem eſſe puto ſententiam cum ſuperiori; nam *conuerti retrorſum*, cadere eſt ab ea gloria, quam aliquis primùm habuit: aut ab ea opinione, quam apud alios obtinuerat. Vide quæ diximus ad illud *cap.* 28. *Et cadant retrorſum.*

[ee] *Suſcitans verbum ſerui ſui, & conſilium nunciorum ſuorum complens.*] Hæc de Chriſto dicta, aut ſolùm, aut præcipuè, qui antehac ſæpius *ſeruus* vocatur. *Suſcitare verbum* ex idiomate Scripturæ loqui eſt. Loquutus eſt autem Deus de Chriſto ſæpe per prophetas, quos hîc *nuncios ſuos* appellat, & conſilium ſuum per illos explicatum cumulatè compleuit. Hæc, vt dixi, de Chriſto præcipuè, ſed conſilium nunciorum fortaſſe ad captiuitatem eiúſque ſolutionem hiſtorico ſenſu referri poſſet: de quo, quæ ſequuntur, accipiunt communiter, & meritò interpretes, quæ videntur eſſe illa conſilia, de quibus nuper. 37.

[ff] *Qui dico Ieruſalem, habitaberis*, &c.] Hæc nemo negat ad ſtatum Ieruſalem pertinere, quæ ſæpius prædicta ab hoc propheta: & nunc breui repetitione per capita comprehenſa ſunt, quorum ſententia non obſcura.

[gg] *Qui dico profundo, deſolare: & flumina tua arefaciam.*] Hæc de Babylonia antè prædicta *cap.* 10. Vbi Babylon *mare deſertum* appellatur; & eſt idem quod hîc *profundum deſolatum*. Secunda verò pars cauſam oſtendit cur Babylon *mare deſertum* vocari debeat: quia nimirum flumina in plures alueos deriuata à Cyro liberum aperient aditum Perſis, qui ciuitatem ita populabuntur hoſtiliter, vt deſertam ciuitatem exiſtimes potiùs, quàm frequentem vrbem. Porrò illud *&* cauſalem particulam eſſe arbitror, hoc ſenſu. Deſolabitur profundum, quia flumina ſiccabuntur. 38.

[hh] *Qui dico Cyro, Paſtor meus es, & omnem voluntatem meam complebis.*] De Cyro, vt puto, nihil hactenus dictum, tametſi nonnulli ſermonem de illo eſſe credant *cap.* 42. Vbi dicitur *Ecce ſeruus meus, ſuſcipiam eum.* Et ita putat Hugo, & Hebræorum magiſtri, vt docet Lyra; ſed nos ſuprà oppoſitum ex communi Patrum ſententia verum eſſe oſtendimus. Quia quæ hîc repetuntur, alibi etiam ſæpius repetita ſunt, & de Cyro ad hunc vſque locum nihil dictum eſt, ideo caput, quod proximè ſuccedit, à Cyro incipit; cuius hoc videtur eſſe quaſi præambulum, quia, quid ab illo præſtandum ſit, ſummatim oſtendit. Appellat autem Dominus Cyrum paſtorem ſuum, quia populum Iudaicum ita ſuſcipiet, deducétque in patrias ſedes, & antiqua ſepta, ſicut paſtor in paſcua nota, & magis opportuna gregem reducit. *Hactenus de capite quadrageſimo quarto.* 39.

Argumentum quadrageſimi quinti capitis Iſaiæ.

MVLTIS ſignis Deus Iſrael ſoli ſibi ineſſe diuinitatem oſtenderat: & in his, vt in fine capitis dictum eſt, quòd multò antè paſtorem appellauerat Cyrum, & ſuæ voluntatis adminiſtrum. Poſtremam illam partem de Cyro pluribus hîc explicat, & amplificat, & docet quàm ad Iudaicæ libertatis negotium habiturus ſit omnia expedita ac prona. Ex eius libertatis cogitatione Iſaias ad maioris libertatis deſiderium aſſurgit: orátque Deum, vt iam tandem humanæ ruinæ inſtauratorem, & redemptorem mittat. Quod prophetæ votum claudendum eſt parentheſi. Deinde eleganti quadam comparatione ſuam in populum humanitatem probat ſcu & quid olim fecerit, & quid deinceps facturus ſit oſtendit. Redit deinde ad Cyrum, in quo Deus ipſe abſconditus admiranda edidit facinora, quæ alij Cyro, quaſi ſummus eſſet in ea cura princeps, adſcribebant. Ad extremum inter ſe, atque Gentilium Deos quantum interſit, eos qui è Gentibus ad veram religionem conuerſi ſunt, iudicare iubet; & futurum iureiurando confirmat, vt in extremo ſæculorum articulo, omnes Deum ipſum agnoſcant, & adorent: etiam hi, qui Dei nomen horrent, & execrantur.

CAPVT XLV.

1 [a] *HÆc dicit Dominus [b] Chriſto meo Cyro, [c] cuius apprehendi dexteram, [d] vt ſubiiciam ante faciem eius gentes, & dorſa Regum vertam, & aperiam coram eo ianuas, & porta non claudentur.*

2 *Ego ante te ibo: & glorioſos terræ humiliabo: [e] Portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam.*

3 [f] *Et dabo tibi theſauros abſconditos, [g] & arcana ſecretorum: [h] vt ſcias quia ego Dominus, qui voco nomen tuum, Deus Iſrael.*

4 [i] *Propter ſeruum meum Iacob, & Iſrael electum meum, & vocaui te nomine tuo: [k] aſſimilaui te, [l] & non cognouiſti me.*

5 [m] *Ego Dominus, & non eſt ampliùs: extra me non eſt Deus: [n] Accinxi te, & non cognouiſti me:*

6 Vt

PARAPHRASIS in idem caput.

1 HÆc Dominus de Cyro, quem vnxit, deſignauítque exercitus ſui Regem, & ducem, quémque prehenſum manu, ſubmotis his, quæ ſuis conſiliis impedimento eſſe poterant, ad clarum Imperatoris nomen, illuſtréſque victorias ſine offenſione deduxit. Cui populos ſubiecit, & Gentes, Regéſque antea potentiſſimos exanimatos metu vertit in fugam: cui ianuas grandi vecte concluſas aperuit, & aditum ad præclaros bellorum exitus patefecit.

2 Ego teipſum præcedam; ſternámque viam ad expeditum atque glorioſum curſum: ſubiiciámque tibi principes, qui ſupra reliquos illuſtre, ac Regium caput extulerant. Ferreas portas, & vectes, qui ineluctabile oppoſuiſſe videbantur impedimentum, ad liberum, & peruium ingreſſum, effringam.

3 Impertiar tibi theſauros, & opulentam gazam, quam collegit, occultauítque à rapina, & furto hominum calliditas; vt hinc cognoſcas, me Dominum eſſe, quem colit Iſrael, quando tot antè ſæculis tuo te voco nomine.

4 Hæc autem tot beneficia, & auſpicatus bellorum curſus eò ſpectant, vt ſeruum meum, electúmque populum Iſraeliticum ab exilio vendices, & ornatã muneribus in patriam reducas. Ideo tuo te nomine compello. Aſſimilaui te mihi, & tam in ſuſcipiendis quàm in exoluendis, ac perficiendis rebus meum eſſe volui ſymbolum, & typum: & cùm ad meum exemplar omnia adminiſtraueris, me tamen, quem factis adumbrabas, neque intuebare, neque agnoſcebas.

5 Ego Dominus, neque vllus præter me, nullus, inquam, extra me Dei ſibi nomen arrogare poteſt. Qui ita te armaui, & ad bellum inſtruxi, meo

xi, meo

xl, meo conſilio atque arbitratu gerendum, neque tamen cognouiſti me.

6 *Vt ſciant hi, qui ab ortu ſolis, & qui ab occidente, quoniam abſque me non eſt.*

6 Ex his omnes tam qui ad orientem ſolem, quàm qui ad occidentem ſpectant, me Deum eſſe ſolum intelligent; neque mihi cum idolis diuinitatem eſſe communem.

7 *Ego Dominus, & non eſt alter; formans lucem, & creans tenebras, [o] faciens pacem, & creans malum: Ego Dominus faciens omnia hæc.*

7 Ego Dominus, neque eſt vllus Deus præter me, qui lucem mundo, & tenebras immitto, ſecunda videlicet, & aduerſa. Nam pacem largior, & cum ea tranquillitatem, & abundantiam; & quod contrarium paci eſt, nempe malum, ærumnam, perturbationem, & inopiam inueho.

8 [p] *Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum: [q] aperiatur terra, & germinet Saluatorem: [r] & iuſtitia oriatur ſimul:*

8 Magna iſta ſunt, ô Domine, in Iudæorum populum beneficia. Sed longè maiora à tua clementia ſperat, & implorat humana captiuitas. Optat enim non tam Cyrum Perſam, qui Iudæos, quàm Seruatorem Chriſtum, qui totum hominum genus à ſeruitute vendicet. O igitur, cœli, rorem in terram date: ô nubes ſtillate non agris vberem pluuiam, ſed ſitienti, ac morienti mundo iuſtum. Aperitur tandem terra, & è cœleſti ſatu concipiat, & germinet Saluatorem; cum quo iuſtitia oriatur, & iuſtificatio hominum, & iniuſtitia quæ in rebus dominatur humanis, procul relegetur.

9 [ſ] *Ego Dominus creaui eum. [t] Væ qui contradicit fictori ſuo, teſta de [v] Samiis terræ: [x] Numquid dicet lutum figulo ſuo; Quid facis, & opus tuum abſque manibus eſt?*

9 Ad Cyrum iam redeo, quē ego creaui, ſicut alia omnia creare promptū fuit; cuique liberum eſt, de rebus omnibus meo arbitratu ſtatuere, ſiue pacem largiar, ſiue comparem, aut inueham malum. Væ autem illi qui meæ voluntati ſe, aut conſiliis opponet. Stultè enim faceret, neque ferret impunè. Vt lutū, aut Samium vas dum in figulari rota conuertitur, fictori ſuo impudenter imperitiam obiiceret, aut incuriam in argilla tractanda; vt ſi diceret audacter, & liberè; Ecquod eſt iſtud opus quod moliris, quod ita impolitum eſt, atque artis expers, vt in te facilè, neque ingenium eſſe, neque manus oſtendat.

10 [y] *Væ qui dicit patri: Quid generas? & mulieri: Quid parturis?*

10 Item ſicut informis puer ſtultè cum patre expoſtularet, & matre; cum illo, quia talem generaſſet, cum hac, quia deformem, aut inutilem peperiſſet. Sic qui de me, quod hoc vel illo modo, de rerum euentu ſtatuerim, queri volet, dignus planè eſt, in quem mei furoris ſtimulos exacuam.

11 [z] *Hæc dicit Dominus ſanctus Iſrael plaſtes eius: Ventura interrogate me, ſuper filios meos, & ſuper opus manuum mearum mandate mihi.*

11 Hæc dicit Dominus Deus Iſrael, quique ipſum ita formauit, ſicut plaſtes ex argilla figlinum vas. Filij Iſrael, ego pater veſter, & plaſtes ſum, & vos filij mei, & manuum mearum opus. Videte quantum in me ſit humanitatis: quod non faceret lutum contra plaſtem, neque contra parentes auderet filius, id ego plaſtes veſter, & genitor vobis, vt in me liceat, permitto. Quare ventura interrogate, & de opere manuum mearum percontamini: & eorum ego vobis rationem reddam.

12 [aa] *Ego feci terram; & hominem ſuper eā creaui ego: [bb] manus meæ tetenderunt cælos, [cc] & omni militiæ eorū mandaui.*

12 Ecce iam vobis oſtendo quid antè fecerim, & quid deinceps facere inſtituam. Ego terrenam hanc molem ex nihilo produxi; & homi-

nem ſupet illam ego formaui. Cœlotum hanc ſpeciem,& amplitudinem manus iſtę fundarunt, & in tabernaculi modum expanderunt. Quorum otnatum, atque militiam meæ poteſtati, ad quodcumque velim miniſterium ſubieci.

13 [dd] *Ego ſuſcitaui eum ad iuſtitiam, & omnes vias eius dirigam:* [ee] *Ipſe ædificabit ciuitatem meam, & captiuitatem meam dimittet nõ in pretio, neque in muneribus, dicit Dominus Deus exercituum.*

13 Quia vetò de Cyro alieno à Iudæorum genere, ad Iudæorum tamen libertatem accerſito ſciſcitari aliquid velle videbamini, de illo hæc accipite. Ego Cytom ad iuſtitiam vocaui, vt afflictos nempe Iudæos ſubleuaret, & dutos, atque inſolentes Babylonios deprimetet. Quare quia iuſtitiæ meæ adminiſter eſt, ego illi adero, ne in rebus ad meam voluntatem adminiſtrandis vſquam offendat. Ipſe mihi euerſam à Chaldæis ciuitatem, & templum, ædificanda curabit: Ipſe captiuum Iudæorum populum in vrbem reducet: neque ad hoc tam optatum, arque præclarum opus muneribus adducetur aut pretio. Hæc dicit Dominus bellatot,& potens.

14 *Hæc dicit Dominus;* [ff] *Labor Aegypti, & negotiatio Aethiopiæ, & Sabaim viri ſublimes ad te tranſibunt, & tui erunt. Poſt te ambulabunt, vincti manicis pergent: & te adorabunt, téque deprecabuntur:* [gg] *Tantùm in te eſt Deus, & non eſt abſque te Deus.*

14 Hæc item dicit Dominus: Quicquid ſuo labore, atque negotiatione quæſierũt Æthiopes, & Ægyptij, ad te, ô Cyre, totum tranſctibetur: viri potentes ex Saba ceruices ſuas Perſico ſubiicient iugo: proni cadent, & ſupplices ante pedes tuos, vinctíque manicis ſeruilem in modum traducentur. Verè, ô Cyre, in te eſt, tuóſque conatus ad tam felicem exitum modetatur, qui tantùm eſt Deus: verè abs te, Cyre, Deus non abeſt.

15 [hh] *Verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael Saluator.*

15 Verè tu, ô Deus, abſconditus es in Cyro: per quem occoltè admirabilia hæc, quæ modo commemoraſti, molitus es: verè tu Saluator es Iſtaelitici populi, non Cytus.

16 [ii] *Confuſi ſunt, & erubuerunt omnes: ſimul abierunt in confuſionem fabricatores eorum.*

16 Cùm artifices, atque adoratotes idolorum, hæc audiiſſent tam illuſtria, támque explicata oracula à Deo Iſraelis propoſita, neque ipſi conrtà de ſuis Diis ſimile aliquid poſſent adducete, corripuerunt ſe ſimul omnes ingenti tubore pudefacti.

17 [kk] *Iſrael ſaluatus eſt in Domino ſalute æterna:* [ll] *Non confundemini, & non erubeſcetis vſque in ſæculum ſæculi.*

17 Magna ſunt hæc Iſrael, quæ de tua libertate, arque felicitate pollicetur Deus; ſed maiora ſpecta, qui verus es, & eo nomine dignus Iſtaelita. Hæc enim Babylonica libertas, ſymbolum eſt, & pignus maioris, atque illuſtriotis libertatis, æternæ videlicet, quam præſtabit Dominus. Quare macti animo eſtote: neque enim vt illi Idolorum adotatores, & plaſtæ, confundemini; non, inquam, faciem veſtram in ſæculum ſæculi perfundet ex pudote tubot.

18 *Quia hæc dicit Dominus creans cœlos,* [mm] *ipſe Deus formans terram, & faciens eam; ipſe plaſtes eius. Non in vanum creauit eam: vt habitaretur formauit eam. Ego Dominus, & non eſt alius.*

18 Macti, inquam, animo eſtote, dicit Dominus, qui cœlos creauit, & terram, terram, inquam, plaſmauit, & cœlos. Et quemadmodum rerram (maximè Iſraeliticam, quam ſibi, ac ſuis præcipua quadam ratione elegit) creauit non vt vacuam ab habitatoribus, atque cultoribus relinqueret; atque ideo ad illam incolendam è Babylone captiuos euocauit: ſic quia cœlos formauit, non vt eſſent ab habitatoribus deſerti, captiuos homines à maiote ſeruitute redemit, vt eò illos infer-

19 [nn] *Non* ter,

ret, vbi beatum agant, & ſempiternum æuum. Ego, inquit Dominus, hæc annuncio, & præter me nullus eſt alius Deus.

19 Non hæc in occultis, tenebroſis, ac ſubterraneis locis locutus ſum. Neque dixi his, qui ex domo Iſraelitidę ſunt, vt fruſtra me, & ſine mercedis expectatione colerent. Ego Dominus quæ iuſta ſunt, & recta, præcipio. His verò contraria prorſus agunt, & dicunt, qui eſſe exiſtimantur Gentilium dij.

20 Adeſte nunc, vos qui ex Gentilium nefaria religione, ad veram, & ſanctam acceſſiſtis, quibus nota ſunt tam quæ olim impiè, quàm quæ modò ſanctè inſtituta ſeruatis: & rem ipſam experti docete, quanto in errore, atque amentia verſentur, qui lignum, quod ſuis manibus in Deorum ſimilitudinem efformarunt, aut circumferunt ſublatum humeris, aut in excelſo loco conſtituunt; à quo tamen ſperari non poteſt ſalus.

21 Reputate hæc apud vos, & quid facto, dictóque opus ſit, ex his quæ vobis comperta ſunt, conſiderate. Dij ſanè Gentium neque ſaluare poſſunt ſupplices ſuos, neque futuros rerum euentus certò cognoſcere. At ego & ab initio futura prædixi ea, quæ à me commemorata ſunt; & vt re ipſa complerentur, effeci. Neque præter me vllus eſt Deus, à quo ſperari poſſit, atque præſtari ſalus.

22 Ergo, ſi ſalutem optatis, ſiue illa temporaria futura ſit, ſiue æterna, reſpicite in me omnes terræ fines, & animos ad me, & ſtudia veſtra conuertite; neque enim præter me Deus eſt alius, cuius tutelæ ac fidei ſalutem veſtram tutò committatis.

23 Quòd ſi quiſpiam debitum religionis officium præſtare mihi nolit volens, & libens; efficiam ego vt vel inuitus aliquando præſtet. Iuraui enim hoc per memetipſum, neque à verbo iuſto, quod locutus ſum, aberit ſucceſſus, & fides.

24 Iuraui, inquam, quia omnes ante me, quocumque in loco, atque ordine ſint, genua incuruabunt, méque, iuramento in mei nominis obteſtatione concepto, Deum agnoſcent.

25 Per Dominum itaque iurabit omnis lingua, dicétque in me iuſtitiam eſſe, atque imperium. Etiam hi, qui officium illud debitum Deo auerſabantur: qui ex Dei conſpectu, quem inuiti ſubibunt, pudefacti in æternam confuſionem dabuntur.

26 At verò multò aliter continget his, qui verè, & meritò vocati poſſunt Iſraelitæ: à iudice enim Deo in extremo ſæculorum articulo declarabuntur iuſti: & ab eo laudati rerum honeſtè geſtarum mercedem accipient.

19 [nn] *Non in abſcondito locutus ſum, in loco terræ tenebroſo.* [oo] *Non dixi ſemini Iacob; Fruſtra quærite me.* [pp] *Ego Dominus loquens iuſtitiam, annuncians recta.*

20 [qq] *Congregamini, & venite, & accedite ſimul qui ſaluati eſtis ex Gentibus:* [rr] *Neſcierunt qui leuant lignum ſculpturæ ſuæ, & rogant Deum non ſaluantem.*

21 [ſſ] *Annunciate, & venite, & conſiliamini ſimul.* [tt] *Quis auditum fecit hoc ab initio? ex tunc prædixit illud? Numquid non ego Dominus, & non eſt vltrà Deus abſque me? Deus iuſtus, & ſaluans non eſt præter me.*

22 [vv] *Conuertimini ad me, & ſalui eritis omnes fines terræ: quia ego Deus, & non eſt alius.*

23 [xx] *In memetipſo iuraui, egredietur de ore meo* [yy] *iuſtitiæ verbum,* [zz] *& non reuertetur.*

24 *Quia mihi curuabitur omne genu, & iurabit omnis lingua.*

25 [aaa] *Ergo in Domino, dicet,* [bbb] *Meæ ſunt iuſtitiæ, & imperium:* [ccc] *Ad eum venient, & confundentur omnes qui repugnant ei.*

26 [ddd] *In Domino* [eee] *iuſtificabitur, & laudabitur omne ſemen Iſrael.*

IN CAPVT QVADRAGESIMVM QVINTVM COMMENTARIVS.

1. Sermo de Cyro Rege Perſarum.

[a] HÆc dicit Dominus Chriſto meo Cyro, cuius apprehendi dexteram.] Meritò Hieronymus improbat illorum cogitationem, qui putant Cyrum non eſſe Perſarum Regem, ſed Chriſtum, legendúmque non κύρῳ ſed κυρίῳ, ac ſi dicas, *Dixit Dominus Chriſtò Domino meo*; quomodo *Pſal.* 109. *Dixit Dominus Domino meo.* Non tamen deſunt viri, neque pauci, neque vulgaris auctoritatis, qui hæc non de Cyro interpretentur, ſed de Chriſto. In quibus eſt Auguſt. *Tom. 5. lib. de quinque hæreſibus cap.* 7. Cyprianus *lib. 1. Teſtimon. aduerſus Hebræos.* Nyſſenus *Cyrum* legit; ſed ridiculum putat, ſi quis de Perſarum Rege interpretetur *lib. de teſtimoniis electis, titulo, ad Iudæos.* Tertullianus *aduerſus Iudæos, parum à principio.* Hoc idem ſentit Petrus Galatinus *lib. 4. cap.* 12. Vbi hoc dicit tradi in libro Talmud, qui inſcribitur Meghila; vbi hoc ipſum tradunt Rab. Salomon, & Rab. Abraham. Sed communiter alij *Cyro* legunt, & ita conuincit textus Hebraicus qui כורש *Chores* habet, vbi vulgatus *Cyrus*: Neque aliter vertunt Septuaginta, vt habent emendati codices. Et facit pro vulgata, communíque ſententia, quia, vt refert Ioſephus *lib. 11. Antiquit. cap.* 1. ſuum nomen ex hoc Iſaiæ vaticinio cognouit Cyrus, & eam ob rem tam fauit impensè Iudæis. Deinde quia aliquid additur, quod nemo pius de Chriſto cogitabit; vt quòd ignorauerit hoc opus Dei, & alia de quibus ſuis locis. Eſt ergo ſermo ad Cyrum Regem Perſarum, quem excitauit Deus, vt imperium Chaldæorum euerteret, & captiuum tamdiu populum in patriam reduceret. Quod quàm prompta ac liberali manu præſtiterit, docet Eſdras ſtatim in principio. Ex quo conſtat illum legiſſe hoc vaticinium, quod modò verſamus: nã in edicto de libertate dicit, à Deo ſibi eſſe tradita omnia regna mundi, datúmque in mandatis, vt domum Dei ædificet; quod in hoc capite deprehendes, &, quod ego viderim, non alio in loco.

2. Cur Cyrus vocatus, Chriſtus.

[b] Vocatur autem Cyrus *Chriſtus*, id eſt, *vnctus*, non quia Hebræorum more inunctus eſſet oleo, ſed quia cùm hæc verba eſſent ad Hebræos, eo nomine vſus eſt propheta, quo ab Hebræis communiter vocantur Reges. Aut certè, quia hic non minùs ſtudioſè res curabit Iudaicas, quàm ſi Iudæorum eſſet, & non Perſarum Imperator. Vocatur autem Rex à Iudæis *Chriſtus*, id eſt, *vnctus*, vt Saul non ſemel à Dauid. Quòd verò tantùm apud Hebræos Reges vngerentur, atque adeò illi propriè *Chriſti* dici potuerint, docet Auguſt. *in Pſal.* 44. ad illud *Propterea vnxit te Deus.*

3. Regula. Figura rei figuratæ nomẽ aſſumit.

Hæc mihi videtur propria ratio nominis, & vera; ſed eſt fortaſſe alia non aliena, cur Cyrus *Chriſtus* appelletur. Quia nempe Chriſti Ieſu figura fuit, qui dum captiuos eximit à iugo Babylonico, Chriſtum redemptorem adumbrat, qui diaboli iugum ab humanis ceruicibus excuſſit. Eſt autem vſitatum, vt quemadmodum figuratum & adumbratum vmbræ ſibi, aut figuræ nomen aſſumat, quo modo Chriſtus dicitur *agnus, petra, Salomon, Dauid,* & *Iacob*, quia in his aliqua apparebat imago Chriſti; ſic etiam figura, aut vmbra figurati ſibi nomen aſciſcat. Qua ratione belluæ apud Danielem, & quadrigæ apud Zachariam nomen habent eorum Regum, atque regnorum, quorum erant imagines. Et frequenter imagines rerum nomen vindicant ſibi illorum, quorum perſonam repræſentant. Et ita ſtatuam Cæſaris *Cæſarem* vocamus, & Ieruſalem in annulis expreſſa non alio vocatur nomine.

[c] *Cuius apprehendi dexteram.*] Hîc duas expoſitiones intueor, vtramque & rei geſtæ, & Hebræorum idiomati conſentaneam. Fuit Deus, vt hîc apertè propheta Cyro pædagogus; cui & viam oſtendit ad victoriam, & ita deduxit continenti propè victoriarum curſu, vt ad excidium vſque Babylonicum nuſquam offenderit. Illam autem Dei ſedulam, & familiarem curam optimè declarat apprehenſio dexteræ. Quod puto tunc etiam exprimi, cùm aliquis alteri dicitur eſſe ad dexteram, ſiue à dextris, vt de Chriſto Dauid *Pſal.* 109. *Dominus à dextris tuis, confregit in die iræ ſuæ Reges.* Et iterum *Pſal.* 15. *A dextris eſt mihi ne commouear.* Et quod his locis de Chriſto, id etiam de paupere dicitur, cuius Dominus cauſam ſuſcepit *Pſal.* 108. *Aſtitit à dextris pauperis.* Cur autem auxilium, & protectionem ſignificet locus, qui eſt ad infirmioris dexteram, diximus *Actor. cap. 2. num.* 65. Et hunc ſenſum indicant, quæ hoc loco de ſingulari Dei ſtudio, atque prouidentia in Cyrum commemorantur ab Iſaia. Quòd ante ipſum ierit, & glorioſos terræ humiliauerit, portas æreas contriuerit, &c. 4.

Eſſe ad dexteram alterius patrocinantis eſt.

Altera expoſitio eſt, quòd dexteram apprehenderit Cyri ſuorum conſiliorum adminiſtram, qua nimirum tanquam virga puniret Babylonios, & eadem tanquam vindice in libertatem aſſereret Iudæos. Vt enim in manu Aſſur poſuit Deus virgam indignationis ſuæ ſuprà *cap.* 10. ad Iudæorum caſtiganda peccata, ſic ad eorum poſtea libertatẽ, Chaldæorúmque cladem Cyri manũ vltricem apprehẽdit. Vtrumque Deus in Cyro, & per Cyrum præſtitit: atque ideo vtraque expoſitio probabilis, ſed prior magis videtur ad capitis filum. 5.

[d] *Vt ſubiiciam ante faciem eius gentes, & dorſa Regum vertam.*] Quàm fuerit in debellandis Regibus fortunatus Cyrus, docent profani Scriptores, præcipuè Herodotus, & Xenophon: qui ſanè tot libris, tantóque apparatu hiſtorico, ornatúque verborum, & eloquentia (quam in Xenophonte, ſic eſt antiquitas admirata, vt Muſa vocaretur Attica; & eius ore Muſæ locutæ dicerentur) aſſecuti non ſunt, quod paucis his verbis complexus eſt Iſaias: cui illorum facundia longè fuit inferior. Dorſa regum vertere, ſi vim Latinæ vocis expendas, nihil eſt aliud, quàm in fugam vertere, ſeu facere vt terga dent ſuperati Reges. Si tamen hæc ad Hebraicarum dictionum examen voces, aliter vertes, eodem quidem ſenſu; alia tamen figura ſeu metaphora. Sic enim Hebraicè מתני אפתח *mothnai apateach*, id eſt, *lumbos aperiam*, aut *lumbos diſſoluam*, ſeu *exarmabo.* Quod perinde eſt, ac ſi dicas, infirmos faciam Reges, & elumbes. Vt enim *apertum latus* dicimus, 6.

dicimus, quod nudum eſt, & inerme; ſic etiam eodem ſenſu *lumbos apertos* vocamus, id eſt, diſcinctos à militari balteo, & à gladio, qui ab ipſo dependet. Ita indicant Septuaginta dum vertunt. *Fortitudinem Regum frangam, ſeu dirumpam.* Eodem

Iob 12. ſenſu dictum eſſe arbitror Iob cap. 12. *Balteum Re-*

Dan. 5. *gum diſſoluam.* Hebr. *aperiam.* Et Dan. cap. 5. de Balthaſare exanimato. *Compages renum eius ſoluebantur.* Et contra fortis, & ſtrenuus dicitur accingere lumbos: & de gallo ſtrenuè pugnaci, & ad certamen

Prou. 30. intento dicitur *Prouerb. 30. verſ. 31. Gallus ſuccinctus lumbos.* Hunc ſenſum omnino expreſſit vulgatus ab effectu: Cùm enim aliquis elumbis eſt, & languidos, neceſſe eſt vt, aut hoſti potentiori ſuccumbat, aut terga vertat. Per fugam ergo & per dorſa conuerſa Reges omnes à Cyro vincendos eſſe ſignificat propheta.

7. [e] *Portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam.*] In portis ferreis & vectibus omnia impedimenta ſignificantur, quæ retardare poterant Cyri victorias. Qualis videri poterat Euphrates, qui Babyloni erat pro muro, & ipſius ciuitatis mœnia, quæ contra vim hoſtilem ſatis videbantur habère præſidij. De his vectibus egit ſuprà *cap. 43. Propter vos emiſi in Babylonem,* (nempe Cyrum) *& detraxi vectes vniuerſos.* Vide quæ in eum locum diximus, quia in hunc illorum multa conueniunt.

8. Quos theſauros collegerit Cyrus. [f] *Et dabo tibi theſauros abſconditos, & arcana ſecretorum.*] Theſauri proprio epitheto *abſconditi* dicuntur, quia non omnia, quæ pretioſa ſunt, in theſauris numerantur; ſed quæ repoſita ſunt & ab hominum oculis ſummota. Dedit Dominus Cyro multorum Regum opes, inprimis Crœſi Lydorum Regis, quem ante Babylonicam expeditionem oppreſſit: cuius opulentia prouerbio locum fecit. Item Chaldæorum, qui vt erant rerum domini, iidémque auari ac violenti, facilè aliarum gentium diuitias ad ſuos vſus, & faſtus tranſtulerunt. Quas Cyrus, vt eſt veriſimile, non minori, quàm illi cupiditate, atque ſolertia ſcrutatus eſt. Quantum verò opum ex ſubiugata Aſia collegerit Cyrus, docet Plinius *lib. 33. cap. 3. Cyrus,* inquit, *deuicta Aſia pondo auri triginta quatuor millia inuenit, præter vaſa aurea, aurúmque factum, & in eo folia* (alij legunt ſolia) *ac platanum, vitémque. Qua victoria argenti quinquaginta millia talentorum reportauit, & inſuper craterem Semiramidis, cuius pondus quindecim talenta Ægyptia colligebat.* Talentum autem Ægyptium pondo octoginta capere Varro tradit. Hæc Plinius. Quæ ſi ad Attici talenti rationem, noſtrámque computationem redigas, trecentorum millionum ſummam complent. Quantum auri, atque argenti in vno tantùm templo fuerit tradit Diodorus Siculus *lib. 3. rerum antiq. cap. 4. In ſummo,* inquit, *templi tres ingentes aureas ſtatuas Iouis, Iunonis, Opiſque erexit* (Semiramis) *quarum Iouis adhuc extat longitudine pedum quadraginta mille Babyloniorum talentorum ponderis. Opis ſimili pondere in ſella aurea reſides, ad cuius genua duo aſtant leones; iuxtáque ſerpentes argentei ingentis magnitudinis, ponderis quilibet eſt talentorum triginta. Iunonis ſtans ſignum ponderis eſt talentorum octingentorum. His omnibus communis erat menſa aurea longitudinis pedum quadraginta, duodecim latitudinis, ponderis talentorum quinquaginta. Duo præterea carcheſia talentorum triginta erant, totidémque vaſa vaporibus apta, vtrumque talentorum triginta: Crateres ex auro tres, quorum Ioui dicatus talenta mille, & ducenta Babylonia pendebat, aliorum quilibet ſexcenta.* Et ſtatim ſubiecit quod ad noſtrum inſtitutum facit. *Quæ omnia poſtea Perſarum Reges ſurripuere.* Quòd ſi in vno tantùm templo tantum auri, atque argenti repertum eſt, quid credendum eſt repertum fuiſſe in alijs templis? quid in regia domus? quid in publicis, priuatiſque theſauris? Neque eſt difficile creditu ingentem illam ſtatuam, quam ex auro conflauit ſibi Nabuchodonoſor, fuiſſe quoque ſublatam; quæ cùm fuerit ſexaginta cubitorum altitudinis, & latitudinis cubitorum ſex, oportet illam multorum theſaurorum inſtar obtinuiſſe.

Codices Chaldaici, qui ſunt in Complutenſi bibliotheca manuſcripti, in principio libri Eſther hæc tradũt de theſauris à Cyro repertis. *Cyrus quando vaſtauit Babyloniam, fodit in latere Euphratis, & inuenit ibi ſexcentas, & octuaginta hydrias æneas, plenas auro optimo, & lapidibus pretioſis, & margaritis, & gemmis.*

[g] *Arcana ſecretorum.*] Fortaſſe hæc idem ſunt, 9.
quòd theſauri abſconditi, de quibus proximè; niſi fortè referas ad arcana obſidendæ, & expugnandæ Babylonis conſilia. Ita vt Deus oſtenderit, quomodo arcana, & occulta ciuitatis munimenta cognoſceret, & contra illa nouas machinas, & conſilia moliretur; aut quæ intra mœnia ſecretò à Babylonijs fierent, vt capta opportunitate ſecuram ciuitatem, & intemperantiùs vino, luxuíque deditam facilè, & ſine vlla ſuorum iactura caperet. Sed puto priorem ſententiam eſſe magis ad literam, & nihil hic eſſe præter epexegeſim, quod indicant Septuaginta, dum vertunt, *dabo tibi theſauros, inuiſibiles aperiam tibi.* Et eodem propè modo Chaldæus.

[h] *Vt ſcias quia ego Dominus, qui voco nomen* 10.
tuum, Deus Iſrael: propter ſeruum meum Iacob.] Qui hæc verba de Chriſto Ieſu ſumi putant, & non de Cyro, aliter exponunt. Qui cenſent his verbis probari poſſe Chriſtum eſſe Deum; tunc verò ita diſtinguunt. *Qui voco nomen tuum Deus Iſrael*; quaſi illum communicato ſecum nomine Deum vocet Iſrael. Sed quia nos de Cyro hæc interpretamur, aliter diſpungimus, & accipimus hunc locum in hanc ſententiam: Vt ſcias quia ego ſum Deus Iſrael, quandoquidem multis antea ſæculis voco te tuo nomine, nempe Cyrum, quæ ratio poſtea perſuaſit ipſi Cyro, verum eſſe Deum, quem colebat Iſrael: à quo tradita ipſi fuiſſent omnia regna mundi, mandatúmque vt ædificaret domum Domini in Ieruſalem. De quo Ioſephus *lib. 11. antiquit. cap. 1.* Vbi hoc eſſe tradit edictum Cyri. *Quoniam me Deus maximus Regem orbis conſtituit, hunc illum eſſe credo, quem Iſraelitarum adorat populus. Is enim meum nomen per ſuos prophetas prædixit: & quod templum eius ædificaturus ſim Hieroſolymis in terra Iuda.* Addit deinde idem auctor. *Hoc autem Cyrus cognouit ex lectione libri, qui Iſaiæ prophetias continet, ducentis & decem annis ante ipſius ætatem conſcriptas.*

[i] *Propter ſeruum meum Iacob.*] Eò ſpectabat 11.
continens ille victoriarum curſus, & nominis compellatio, vt debellato Chaldæorum imperio Cyrus populum Iudaicum ad antiquam non ſolùm ſedem, ſed etiam gloriam reuocaret. Quod, vt nuper diximus ex Ioſepho, Cyrum ipſum non latuit. Vt ipſe indicat in ſuo edicto *Eſdræ cap. 1. in* 1. Eſdræ 1.
principio, & 2. Paralip. cap. 36. in fine. *Omnia regna* 2. Paral. 36.
terræ dedit mihi Dominus Deus cœli, & ipſe præcepit mihi, vt ædificarem ei domum in Ieruſalem, quæ eſt in Iudæa. Quo verò alio loco præceptum hoc indictum ſit non video. Nam ſi qua ſunt alia, quæ præcepta, aut ſigna videri poſſunt, eiuſmodi ſunt, vt alienum

alienum à religione hominem mouere non potuerint.

12. [k] *Aſſimilaui te, & non cognouiſti me.*] Variis modis aſſimilatus Cyrus dici poteſt. Aut quia in illo poſita eſt quædam Chriſti Seruatoris ſimilitudo, & vmbra: quia vt Chriſto Pater dedit Gentes hæreditatem, & poſſeſſionem eius terminos terræ, *Pſalm.* 2. ſic Cyro tradidit omnia regna mundi. Et quia genus humanum à maiore captiuitate vindicauit, & in patriam induxit cœleſtem, ad Cyri ſimilitudinem, qui Iudaicum genus à Babylonica captiuitate laxatum reſtituit Hieroſolymis. Et in hunc ſenſum accipiunt Hieronymus, Haymo, Dionyſius, & alij.

13. Aut certè aſſimilatus eſt, quia longè antequam naſceretur, iis à Deo deſcriptus eſt coloribus, his notatus characteribus, & ſignis, vt facilè à quolibet cognoſci potuerit. Nam primùm vocatus eſt *Cyrus*, vide quàm expreſſa nota. Et talia de eo geſta prædicuntur, vt nulli alteri ad tempus vſque Cyri conuenire poſſint. Neque contra hanc cogitationem facit verbum *aſſimilare* Latinum, aut Hebraicum כנה *canah*; nam *aſſimilare* ſignificat, aut ſimilem aliquem facere, aut ſimilem oſtendere. Quemadmodum pictor ſimilem imaginem facit, quæ exemplar, aut prototypum repræſentet: Intuens ergo Dominus in Cyrum, eius nunc imaginem proponit, & Cyrum futurum, Cyro aliquando præſenti aſſimilat, ſeu aſſimulat, id eſt, eius ſimilitudinem, aut ſimulacrum producit. Verbum כנה *canah*, ſignificat regere, aut obſcurè nominare, aut quibuſdam quaſi integumentis inuoluere, nominibus nempe, aut ſignis obſcurum aliquid portendentibus. Quaſi ad Cyri nomen expreſſum aliqua alia nomina ſeu ſigna addiderit, quibus illum adumbraret latentibus notis. Illa verò ſigna ſunt quòd nuper in fine *cap.* 44. dictus eſt *Paſtor meus*: & nunc *Chriſtus meus*. Addo ego etiam in nomine Cyri quod primùm in illo Rege auditum eſt, aliquid occultum latere; Nam Cyrus Hebraicè כורש *Cores*, *heredem* valet, & *poſſeſſorem*. Quare iuxta nominis ſui notationem omnia mundi regna ea facilitate poſſedit, quaſi ea hæreditario iure pacificè, & non cum bellico apparatu, atque ſtrepitu occupauiſſet. Adde quòd *cap.* 21. etiam obſcurè ſignificatum videtur Cyri genus, cùm venturus dicitur contra Babylonem *aſcenſor aſini*, & *aſcenſor cameli*; qui ſanè aſcenſor, ſi vnus eſt, & in eo Cyrus adumbratur, vt nonnulli volunt, optimè in camelo, & aſino proponitur, quia ipſe Perſa fuit, & Medus, id eſt, mixtum genus, & proles biformis, qualis eſt mulus, qui ex equo, atque aſina generatur. Quare Cyrus mulus aut ſemiaſinus dictus eſt. Vide Euſeb. *lib* 9. *de præparatione Euangel. cap. vltimo ad finem*, & quæ nos diximus ad illud *cap.* 21. *Et vidi currum duorum equitum*. Ex his expoſitionibus maximè mihi probatur prima: quia, vt ſtatim patebit magis, Cyrus Chriſti typus fuit.

Cyrus dictus mulus.

14. [l] *Et non cognouiſti me.*] Hic locus Hieronymo perſuadet ſuperiora non eſſe de Chriſto intelligenda, ſed de Cyro, quomodo enim Chriſtus ignoraret Dei conſilia, aut harum rerum autorem eſſe Deum. Communiter Patres hîc Cyrum reprehendi cenſent, quia cùm tot eſſet ornatus à Deo beneficiis, illúmque verum eſſe Deum confeſſus ſit, Gentium tamen ſimulacra coluerit. Quæ ſententia mihi quoque probatur. Ignorari autem dicitur aliquis, cùm ab alio contemnitur, aut eius nulla habetur ratio: ſicut Pharao dixit *Exod. cap.* 5. *verſ.* 2.

Exod. 5.

Neſcio Dominum. Lyra hæc ad tempus refert, quo hæc ab Iſaia dicta ſunt, quando ſigna propoſita fuerunt, quæ Cyrum aſſimilarent Chriſto. Tunc autem Cyrus non cognouit: quia nondum erat natus.

Mihi alia occurrit expoſitio, quam aliis non 15.
præpono, ſed propono tantùm examinandã lectori. Ignorabat quidem Cyrus ſui nominis rationem, & quòd typus eſſet Chriſti, & vltricis diuinæ manus inſtrumentum; nihilominus ſecundùm hæc omnia, licèt ignarus, attemperauit conſilia, & eos habuit exitus, quos notatio nominis, & typi ratio poſtulabat. Nam iuxta nomen ſuum, quod hæreditatem, aut poſſeſſionem ſonat, omnia regna mundi ſubiugauit; Iuxta Chriſti, atque paſtoris nomen, quod proximè audiuimus de Cyro, debellatis iam hoſtibus illam curam liberando captiuo populo adhibuit, quam paſtor paſcendo, atque tuendo gregi adhibere ſolet. Hæc autem fecit non ad nomina illa reſpectans, quorum, quia alieni erant idiomatis, vim, & ſignificationem ignorabat, ſed inſtructus diuino aliquo, & ipſi occulto afflatu, quo ad illa præſtanda ignarus ferebatur. Sed iuxta primam explicationem ſuperioris clauſulæ, quæ dicebat aſſimilatum Cyrum Chriſto Seruatori, multò commodior explicatio eſt. Si quis propoſitum habeat exemplar, ad quod intuens manum, & penicillum moderetur, ſanè mirandum non eſt, ſi imaginem exprimat vſque adeò cum exemplari conſentientem, vt non facilè vnum ab altero diſcernas. Quòd ſi idipſum aliquis præſtet ſine vllo exemplari, quod reſpiciat, maximè ſi artis illius imperitus ſit, vim aliquam omni arte maiorem, & diuinæ proximam interueniſſe ſuſpicantur, quæ manum ad formandum illud opus eximium moderata ſit. Id ergo nunc in Cyro videtur ſignificare Deus, cùm dicat illum aſſimilatum eſſe Chriſto, cuius in multis rebus effigiem præferebat, cùm tamen ipſe, qui artifex illius imaginis videri poterat, dum rebus gerendis Chriſtum adumbrat, non cognouerit eum, cuius inſtitutum, & imaginem in ſe ipſo tanquam in tabula expreſſit, atque portauit.

[m] *Ego Dominus & non eſt amplius; extra me non* 16.
eſt Deus.] Sæpe Deus iterat id, quod iam pridẽ agit, ſe ſolum eſſe Deum: repetitque argumentum idem, quo idipsũ hominibus iam antè ſuaſerat, quòd ipſe ſolus futura norit: prædicátque multò antè quàm eueniant, quod nunc in Cyro definitè confirmat.

[n] *Accinxi te, & non cognouiſti me.*] Accingitur 17.
ille, qui armis ad dimicandum inſtruitur ex vſu ſcripturæ. Quare *accinctus* dicitur, qui bellum meditatur, & armis munitus eſt; ſicut *diſcinctus*, qui bello iam defunctus arma depoſuit. Accinxit ergo Deus Cyrum ad dimicandum, quia & robur addidit & militares ſpiritus, & quæ ardua videbantur, & impedita ad victoriam, aperuit, & expediuit. Illud, *non cognouiſti*, communiter alij referunt ad Cyri ingratitudinem, & ſtuporem; qui cùm tot à Deo acceperit belli, vitæque ſubſidia, commentitios tamen deos, & ſimulacra muta veneratus ſit. Ego tamen exiſtimo aliam eſſe poſſe explicationem affinem ſuperiori, ita vt Cyrus accinctus eſſe dicatur à Deo ad delendum Chaldæorum imperium, liberandúmque populum à Babylonio iugo; ipſe tamen ignorauerit agi ſe à Deo, imò per ſe ipſum agere Deum illa omnia, quæ ſuæ Cyrus aſcribebat fortunæ: cùm tamen ad illam curam, atque conſilium aſſumptus fuerit à Deo; Implebat enim ille diuina conſilia, cùm tamen alias ſibi rationes longè diſſimiles ſibi propoſuiſſet. Quemadmodum

cap. 10.

*cap.*10. in cauſa non admodum diſſimili ſcribitur: *Va Aſſur virga furoris mei, & baculus ipſe eſt: in manu eorum indignatio mea. Ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo illi, vt auferat ſpolia, & diripiat prædam, & ponat illum in conculcationem quaſi lutum platearum; ipſe autem non ſic arbitrabitur, & cor eius non ſic exiſtimabit; ſed ad conterendum erit cor eius*, &c. Implebat Aſſur diuinũ decretum, dum vexabat, diripiebátque populum, ſuæ tamen auaritiæ, atque furori indulgebat potiùs, quàm ſtudebat imperio parere diuino, de quo nec cogitabat quidem. Sic puto hîc de Cyro ſentiendum.

18. Pax quid. ° *Faciens pacem & creans malum.*] Quid in ſcriptura ſignificet *Pax*, ſatis apertum, nempe quicquid optabile eſt ſiue id ad tranquillitatem, & otium, ſiue ad abundantiam, & gloriam, ſiue ad quemcunque alium vſum, & commoditatem pertineat. Mali quid. *Malum* verò id valet hoc loco, quod paci in ea ſignificatione, de qua modò, contrarium eſt. Quare *malum* eſt, quod tranquillitatem turbat, aut quietem, quale bellum eſt, & quæcumque externa, aut domeſtica vexatio; & quicquid rerum, quæ ad vitam neceſſariæ ſunt, facultatem & opportunitatem eripit; quale eſt exilium, deprædatio, ſeruitus, inopia. Vide Chryſoſtomum *in cap.*6. *Matthæi homil* 22. in illud, *Sufficit diei malitia ſua.* Cùm autem Deus ſuprà prædixiſſet Iudaicæ gentis calamitatem, & exilium, nunc verò prædicat, quanta ſub Rege Perſarum Cyro futura ſit rerum commutatio, cùm deterſo ſeruitutis ſqualiore ad antiquam libertatem, & gloriam ſit aperiendus aditus; probat in ſua eſſe poteſtate, aut pacem inducere, aut quæ incommoda ſunt, inuehere ſuo arbitratu, cùm libuerit. Porrò *malum* hoc loco non eſſe peccatum, id eſt, morbum, aut interitum animæ, ſed quod corpus afficit, & vexat, & humana commoda conturbat, (id eſt, malum pœnæ, non malum culpæ) communis interpretum ſententia eſt, de qua pluribus Doctores ſcholaſtici.

19. p *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum; aperiatur terra, & germinet Saluatorem.*] Cùm proximè appareret in redemptore Cyro ſpecies Chriſti redemptoris, è medio ſermonis curſu admirator, & amator Chriſti Iſaias à Chriſto Cyro Perſa, ad Chriſtum Ieſum Nazarenum, & ad cogitationem ſempiternæ libertatis aſſurgit. Non diſſimili ſpiritu, & modo Iacub iam moriturus, cùm in filio Dan, à quo magnus dux Samſon ortus eſt, intueretur Iſraeliticæ gentis rectorem, & vindicem, neque in Sãſone ſeruatore acquieſceret propheticus ſpiritus, ad Chriſtum maioris libertatis autorem conuerſus ait *Gen.* 49. *Salutare tuum expectabo Domine.* Hæc communis, & vera explicatio eſt: nam qui hæc de Cyro interpretantur, ita vt ille ab Iſraele captiuo ardentibus expectetur votis, deſideretúrque non aliter, atque ager ſterilis, ſitiénſque cœleſtem deſideret pluuiam, aut Iudæi ſunt, aut Iudaicæ factionis ſtudioſi, quibus valde annuit Hugo.

20. ¶ Alij in his verbis Cyrum agnoſcunt hiſtoricè, in eo tanquam in vmbra Chriſtum intuentur, in quibus S. Thomas, Foreirus, Lyra & Replicator. Quomodo verò hæc, quæ tam grauia ſunt, & illuſtria, hiſtoricè conueniant Cyro, valde laborant. Lyra ideo putat ad Cyri natiuitatem aduocari cœleſtem rorem, & pluuiam, & nomen induci germinantis terræ, quia, vt tradit Herodotus, *lib.*1. Cyri auo Aſtyagi inter quietem oblata eſt vitis quædam ex filiæ genitalibus erumpens, quæ longa palmitum propagine totam occuparet Aſiam, futurúmque à coniectoribus didicit, vt nepos ex filia naſciturus totius Aſiæ imperio potiretur. Accommodatè ergo ad Aſtyagis ſomnium, in quo Cyrus Iudaicæ libertatis aſſertor *vitis* appellatur, dicit imbrem deſiderari, quo vitis illa ex materno vtero tanquam ex aruo naſcatur, & creſcat. *Iuſtum* verò, ſeu *iuſtitiam* vocari ideo poſſe putat, quia diuinæ iuſtitiæ contra Babylonios adminiſter fuit.

Sed ſanè modus ipſe loquendi, & rei magnitudo aliquid ſupra Cyri facultatem, & rerum ab illo geſtarum gloriam oſtendit. Quod ad loquendi modum attinet, docet noſter propheta ſæpe, & alij non rarò, quoties in typo verſatur prophetia, & ab eo per apoſtrophen ad abſentem conuertitur, non iam de typo ſermonem eſſe, ſed planè de figurato, ac veritate. Quod facilè quædam de Chriſto oracula perſuadent. *Geneſ.*49. poſtquam Iacob in filio Dan vmbram Chriſti Seruatoris agnouit, *Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita*, &c. cum apoſtrophe dicit, *Salutare tuum expectabo Domine.* Et *Zachar. cap.*9. cùm præceſſiſſet typus conuerſo ad abſentes ſermone dicit propheta: *Exulta ſatis filia Sion; ecce Rex tuus venit.* Et *cap.* 13. cùm obſcura quædam vmbra Chriſti paſtoris anteceſſiſſet, gradum inde faciens ad Chriſtum per apoſtrophen ait, *Framea ſuſcitare ſuper paſtorem meum*, &c. & *percute paſtorem.* Et Iſaias *cap.*16. ab hiſtoria in qua typus præceſſerat, eius calamitas, à qua Chriſtus lapſum hominum genus erepturus erat, intento ad veritatem animo dicit: *Emitte agnum Domine dominatorem terræ.* Ad hunc ergo modum cùm in Cyro, & libertate Iudæorum à ſeruitute Babylonica Chriſti redemptoris, & maioris libertatis vmbra apparuiſſet, conuerſus ad veritatem propheta, & altioris libertatis, & diuinioris pluuiæ ſitiens ait, *Rorate cœli deſuper.* 21. Regula. Sæpe ab vmbra ad veritatem ſermo conuertitur.

Quod ad rem ipſam ſpectat, *Iuſti* nomen, quod hîc reperitur, illuſtrius eſt, & auguſtius, quàm vt Cyro tribui ab Iſaia debeat; quod nomen ab hoc propheta, & in Euangelio, & Apoſtolorum Actibus ſæpe Chriſto tribuitur. Quare hæc de Chriſto omnino hiſtoricè accipienda ſunt, & claudenda parentheſi, quæ totam hanc clauſulam à continenti prophetiæ filo ſecludat. Et quidem de Chriſto hæc accipit cõmunis Patrum, interpretúmque ſententia. 22.

Hoc dicendi genere, vt Hiſpalenſe concilium docet *canon.*13. humanitatis natura oſtenditur in Chriſto, & Deitatis. *Deitatis*, inquit, *ibi, Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum: Humanitatis ibi, Aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Vt autem Spiritus ſanctus *ros, & pluuia* dicitur, ſic etiam Verbum; neque hoc tantùm loco, nam etiam de illo cecinit Dauid *Pſalm.*71. *Deſcendet ſicut pluuia in vellus, & ſicut ſtillicidia.* Cuius ſymbolum fuit ſub Gedeone *Iud. cap.*6. ros in vellus deſcendens. 23.

q *Aperiatur terra, & germinet Saluatorem*] Terram hanc eſſe beatiſſimam Virginem, in cuius vterum cœleſtis illa pluuia illapſa eſt, nemo ferè dubitat. Quæ à diuino Spiritu fœcundata germen effudit tam diu deſideratum. Quid ſit hîc aperiri terram, & quomodo, ſi Virgo eſt, quæ Saluatorem germinat, ad partum anguſtiſſimum aperiri dicatur, nonnihil habet difficultatis: quod à nobis expediendum eſt. 24.

Eſt qui putet *terram aperiri* idem eſſe, quod aratro verti, & ſubigi ad ſatus accipiendos, quia in hunc ſenſum terra ab optimis autoribus aperiri dicitur: Ita Pintus. Communiter alij, & meliùs 25.

terram

terram ab ipſo erumpente germine aperiri cenſent: quia vi latentis in eo naturæ, dum è terræ complexu foras emergit, laxat, rumpitque quicquid obuium habet impedimenti, vt de tuberibus dixit Martialis *lib. 3 epigram. 50.*

Rumpimus altricem tenero de vertice terram.

Quia verò cum natiuitate, ſeu germinatione plantarum ſimul eſt terræ laxatio, ſeu apertio, fit vt idem ſit laxari, ſeu aperiri terram, atque herbam germinari: ea figura, qua antecedentia pro conſequentibus adhibentur.

26\. Ex his reſponderi commodè, & ſufficienter poſſet ad id, quod ex hac voce difficilè occurrebat, & dubium, quomodo cùm Chriſtus integro, atque illibato matris pudore natus ſit, nihilominus hîc aperta dicatur terra, quæ Saluatorem germinauit. Nam tantùm ſignificare propheta voluit germinaſſe terram. Id verò explicuit eo dicendi genere, quo vim illam parturientis terræ, aut fœtum fundentis ſignificamus. Accedit quòd rebus ab eo, quod plerumque contingit, nomen imponimus, etiam ſi aliquando id abſit, cuius gratia impoſitum eſt. Quemadmodum cinis pro cadauere ſumitur, & funus pro morte; licèt cadauer aliquando combuſtum non ſit, neque funeris honor mortem conſecutus: quia ita plerumque fieri ſolet.

27\. *Regula. Ex hominũ conſuetudine multa Deo tribuũtur, quæ illi non conueniunt.* Ex hac conſuetudine Deo multa tribuit ſcriptura, quæ tamen illi non conueniunt: vt *deliberatio, conſilium*, quia ipſius opera ſapientiſſimè, atque ordinatiſſime perfecta ſunt; quæ autem ſunt eiuſmodi, communiter in hominibus deliberatio, atque conſilium antecedunt. Item *noua cognitio*, vt *Geneſ.* 18. de Sodomis. *Deſcendam, & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint, an non eſt ita, vt ſciam.* Et *Geneſ.* 22. de Abraham, *Nunc cognoui quod timeas Dominum*: quia cogitationem noſtram antecedere ſolet rerum euentus. Similiter Deo, dum ſtatuit mundum aquis delere, pœnitentia tribuitur, & dolor, *Gen.* 6. quia dolor, aut facti pœnitentia homines communiter adducit, vt opus diſſoluant, quod antè conſtruxerant. Et vt exemplum adducamus in re omnino ſimili, Deus aperturus, ſeu, quod idem eſt, dirupturus cœlos dicitur, cùm ad nos deſcenderit, cùm tamen ſpiritualis illa ſubſtantia apertis, aut diruptis cœlis non indigeat. *Iſai.* 64. *Vtinam dirumperes cœlos, & deſcenderes.* Quia communiter qui per corpus ſolidum egreditur, illud dirumpit. Eodem modo, qui dirumpendos cœlos eſſe dixit, deſcendente Deo, idem aperiendam dixit eſſe terram naſcente germine, quia apertio terræ à plantarum germinatione nunquam abeſt. Quare ex hoc loco nihil colligi poteſt contra virginei pudoris integritatem.

28\. *Aperio* quid. Hæc mihi magis ſunt expedita, ſed aliter occurri poſſet huic difficultati ex alia ſignificatione verbi *aperio*, quod accommodatum tempori aliquid ſignificat mitius, poſtquam præceſſit aliquid inclementius, & obſcurius. Apertum vocamus tempus vernale, quando intepeſcente cœlo, quæ fuerant contracta frigoribus ſoluuntur, & laxantur; vnde *Aprilis* vocatur à tempore iam aperto: quia, vt dicit Seruius, tepôre ſuo terram aperit. De quo Ouidius.

Aprilem memorant ab aperto tempore dictum.

Virgilius quoque in Vere tempus aperiri dicit, quòd Hyemis horrore clauſum videbatur 1. *Georg.*

Candidus auratis aperit cùm cornibus annum Taurus.

Alluſit credo ad nomen *Aprilis*. Sic autem aperta terra vocari poteſt, quomodo tempus apertum dicitur, quia non minùs illa frigore contrahitur, & quodammodo clauditur, & fit inepta partui, quàm tempus hyemale. Certè Virgilius 1. *Georg.* eodem modo locutus eſt de terra, quo alij de tempore loquuntur. Vt enim hyems ſoluitur affulgente vere, ſic etiam terra contracta priùs hiberno frigore, vernali tepore ſoluitur. De quo Virgilius rurſus 2. *Georgicorum.*

Vere nouo gelidus canis cùm montibus humor
Liquitur, & Zephyro putris ſe gleba reſoluit.

Vtrumque coniunxit Horatius *lib.* 1. *Ode* 4. qui eodem tempore Hyemem, & terrām ſolui dixit, vt flores germinarent. De hyeme.

Soluitur acris hyems grata vice veris, & Fauonij.

Et eadem Ode ſtatim de terra.

Nunc decet aut viridi nitidum caput impedire myrto,
Aut flore terra, quem ferunt ſoluta.

Aperta itaque terra eſt hoc loco iam mollior, quæque ex hiberna glacie aſperitatem, & deformitatem depoſuit.

29\. *Quid commoditatis attulerit hominibus Virgineus partus.* Ex hac explicatione aliquid apparet ad Virginis commendationem non importunum, nam ad eius vſque ætatem omnia videbantur illam habere ſpeciem, quam habet mundus ab hyemali glacie horridus, ſterilis, in nubem æternæ caliginis merſus, qui à cœlo nihil aliud videretur accipere, quàm ſempiternam hyemem, quod de Rhiphæis dicit Solinus *cap.* 10. At vbi vox turturis audiri cœpit in terris, tempúſque longè ſupra vernum candidius, & clementius apparuit, talis affulſit ſpecies, qualis *Cantic. cap.* 2. deſcribitur. *Mariæ laus.* Aderat enim nuptiale tempus, in quo cœleſtis ſponſus in virgineo thalamo humanam ſibi naturam ſociaret. Maria ergo veris nobis ſpeciem, & delicias reſtituit, quas Eua per fraudem in terras hyeme inducta, quondam abſtulerat. Porrò cùm germinaſſe Saluator dicitur, de terra, inquam, non aratro, non ligone, aut vllo agricolæ labore ſubacta (ſicut lilium conuallium, quod è cœli ſatu, ſine vllo hominum ſtudio, atque induſtria naſcitur) oſtenditur in hoc diuino germine nihil interceſſiſſe præter cœleſtem rorem, & virginem arcano quodam, & admirabili modo ab eo fœcundatam.

30\. Hæc mihi ad difficultatem illam expediendam grauia viſa ſunt, Sed & idoneè ſatis tam huic, quàm aliis ſimilibus quæſtionibus, Patrúmque locutionibus reſpondet S. Ileffonſus, & S. Thomas. Quidam enim Sanctorum, ac Patrum dixiſſe videntur aperta fuiſſe in Virgine à Chriſto naſcente pudoris clauſtra. Tertullianus *lib. de carne Chriſti, cap.* 23. illud *Exod.* 13. *Omne maſculum adaperiens vuluam.* ſic explicat: *Quis verè Sanctus quam Dei filius, quis propriè vuluam adaperuit, quàm qui clauſam patefecit.* Eodem ferme modo Origenes *hom.* 14. *in Lucam*, Et Hieronymus explicans illud *Exodi* 13. ſuprà *lib.* 2. *aduerſus Pelagianos, ſub num* 8. Epiphanius *hæreſi* 78. *pagina antepenultima*, ait Chriſtum ſolum ex omnibus hominibus vterum aperuiſſe: quoniam aliarum matrum non filius naſcens, ſed viri congreſſus vterum aperire ſolet. *Hic eſt* (inquit de Chriſto) *qui verè aperuit vterum matris: omnes enim quotquot geniti ſunt primogeniti, non potuerunt hoc implere.* Idem Nyſſenus *in lib. cui titulus eſt, Ex vetere Teſtamento teſtimonia delecta, cap. de Natiuitate Chriſti.* Vbi teſtimonium citatum *Exodi* 13. Chriſto conuenire dicit, *quia nullus*, inquit, *maſculus aperit vuluam, ſed conſuetudo viri cum muliere.* Et Ambroſius

broſius, *lib. 2. in Lucam, capite de circumciſione Saluatoris*, cùm idem Exodi caput adduxiſſet ait. *Hic ergo ſolus aperuit ſibi vuluam.*

31. *Quo ſenſu virginei pudoris clauſtra aperta dici poſſint.*

Hæc ſanctorum & Patrum teſtimonia ſi leuiter intueare, &, vt verba primùm occurrunt, interpretere, offenſum ab eiuſ filij maternum vterum arbitrabere; quæ tamen attentiùs meditati Ilefonſus *ſermone 1. de parturitione, & purificatione*, & S. Thom. *3. part. q. 28. art. 2 ad 1.* hos Patres ab errore, atque impietate liberant. Dicunt enim Chriſtum ita potentia ſua Virginis aperuiſſe vuluam mirabiliter, vt ſibi eſſet ad natiuitatem peruia; maneret tamen clauſa: Sicut manſerunt ianuæ cum Chriſtus ad diſcipulos ingreſſus eſt, & ſepulchrum in reſurrectione. Et ideo vterum Virginis ab aliquibus reſeratum, & apertum dici, quia penetrabilis patuit. Neque id abhorret à communi vſu loquendi, nam

Regula. Apertum dicitur, quod nullum offert impedimentum.

apertum communiter dicimus, quod nobis nullum affert impedimentum ad ingreſſum ſiue moralem, ſiue phyſicum. De morali quidem exempla ſunt plurima. Primum quia quæ facilia ſunt, *aperta* dicimus, vt locus apertus auctoris, id eſt, intellectu facilis; & ſeruo fideli aut amico nihil dicitur eſſe clauſum, quia nihil illis à domino negatum, aut cuſtoditum eſt. Et quamuis omni artificio clauſa ſint, & tecta alicuius conſilia, illa tamen aperta eſſe dicimus ſolerti alicuius indagationi, & acuto iudicio; quia illi tot inuolucra, & latebræ impedimento non ſunt, quominus introſpiciat, intelligatque quæ vulgaribus ingeniis forent omnino clauſa. Sed in rebus, quæ propriè & phyſicè clauſæ ſunt, neque pauciora ſunt, neque minùs accommodata exempla. *Clauſus* autè dicebatur nouus orbis interfuſo Oceano, nunc autem cùm nihil in Oceano, qui quaſi clauſtrum erat, & vectis, mutatum ſit, *apertus* tamen dicitur nouus orbis, quia noua ratio inuenta eſt, qua traiicerentur interpoſita ſpatia, & illa clauſtra rumperentur excogitata nauigandi arte. *Clauſum* dicebatur cœlum ante Chriſti mortem: quia nemo ad illud vſque tempus eò penetrare poterat; ſed cùm nihil cœlum paſſum fuerit ab ingreſſo Chriſto, aut ab aliis, qui poſt illum ingreſſi ſunt, *apertum* tamen vocatur, quia nullum affert impedimentum eò aſpirantibus. Sanè cœli aperti dicuntur Beato Stephano *Act. 7.* qui per ipſos ſpectare potuit Ieſum ſtantem à dextris Dei. *Apertam* appellamus feneſtram, etiam ſi cryſtallus, aut alia quæuis materia perſpicua oppoſita ſit; quia perinde à ſole illuſtratur cubiculum, ac ſi nihil eſſet obtentum ſolaribus radiis: *Apertam* vocamus ciuitatem, & prædium ſtrenuo hoſti, aut viatori agili, etiam ſi muniantur mœnibus, aut vallis, quando illos ab ingreſſu non arcent. Cùm ergo Chriſto naſcituro impedimento non eſſent Virginei pudoris ſignata clauſtra, illi aperta dici potuerunt: quia non minùs facilè, ac commodè ortus eſt, quàm ſi aperta forent aliarum matrum conſuetudine.*

32. *Pſal. 71.*

† *Et iuſtitia orietur ſimul.*] Totum hunc locum nemo meliùs explicuit, quàm Dauid *Pſal. 71.* ad quem meo iudicio ſpectauit Iſaias. Ibi enim non ſolùm eadem eſt ſententia, ſed quod magis mirere, eadem metaphora roris, & pluuiæ. Eſt autem ibi omnium penè conſenſu de Chriſto ſermo. *Deſcendet ſicut pluuia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram: orietur in diebus eius iuſtitia.* Dicitur autem iuſtitia orituta cum Chriſto, quia cùm ad illud vſque tempus in iuſtitia vigeret, iniquitas, rapinæ, & cædes, illo naſcente fuerunt multi, iuſtitiæ, & ſanctitatis amatores. Aut naſcetur cum

A Chriſto iuſtitia, quia ille eſt iuſtificatio noſtra. Eſt autem argumentum hoc à coniugatis, nam ſi iuſtus naſcitur, iuſtitia vtique cum illo naſcetur. Huc vſque interpoſita eſt oratio Iſaiæ, quæ parentheſi, vt diximus, includitur: Iam redeunt verba Dei, quæ modicè Iſaiæ voto & precibus interrupta erant.

‡ *Ego Dominus creaui eum.*] Sunt qui hæc de Chriſto dici putant, non de Cyro: in quibus eſt Hieronymus, Haymo, & quidam alij, neque id mihi admodum eſt difficile. Tunc autem videtur Deus reſpondere prophetæ votis, qui Chriſtum optabat eo ſtudio, quo ſitiens terra cæleſtem imbrem, & dicere ſe creaturum Seruatorem illum; quare de eius aduentu non eſſe dubitandum. Ne- 33.

B que durum eſt, inquit Hieronymus, ſi *creatus* dicatur Chriſtus, cùm idem vocetur *ſeruus, vermiculus, & germinatus de terra.*

* Verùm, vt hæc intelligamus de Cyro, multa 34.
perſuadent. Primùm, quia hæc verba, vt liquet, Dei ſunt, conte xendáque cum aliis, quæ Iſaiæ precibus interrupta fuerunt. Nam propheta haud dubiè, vbi ſe ex oratione illa eſtatica recepit, ad illa, quæ omiſiſſe videbatur, regreditur: at agebat priùs, vt antea vidimus, de Cyro, ſuámque potentiam in admirabili rerum creatione probauerat. Quòd verò quidam dicunt verba hæc eſſe quidem Dei, referri tamen ad Iſaiæ preces, & vota, non ad ſuperiora, hoc mihi non ſatis videtur expeditum: nam Iſaias

C verba Dei referebat ab initio capitis, quæ ad finem vſque perſecutus eſt: quibus ſuum votum, & orationem interpoſuit, parentheſique, vt diximus, à narratione continenti ſecluſit. Quare non videtur, aut inſtitutæ narrationi, aut rei naturæ conſentaneum, vt cùm totum illum ſermonem ad populum dirigeret, Deus illud ſolum verbum à tota narratione, diſtractum ad Iſaiam conuerteret. Accedit quòd hæc cum antecedentibus, aut cum his, quæ poſtea conſequuntur, non aptè conſentirent, vt ſuis locis explicabimus; perbellè autem cum Cyro, quando ſuperiora de Cyro exponere inſtituimus. Nam ante orationem Iſaiæ dixerat Deus. *Ego Dominus, & non eſt alter, faciens lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum: Ego Dominus*

D *faciens omnia hæc.* Deinde ſi prætermiſſo Iſaiæ voto, vt in hyperbatis, aut in his quæ parentheſi clauduntur, fieri debet, illud *Ego Dominus creaui eum,* cum verbis, quæ parentheſim anteceſſere, contexas, ſententia erit expedita, & facilis: ac ſi Dominus dicat. Ego cui creare omnia promptum, & proprium fuit; etiam creaui hunc ducem nempe Cyrum, de quo priùs. Ponitur autem præteritum pro futuro, quod prophetis non infrequens eſt. Quàm verò hæc aptè cum ſuperioribus conſentiant, mox apparebit.

† *Væ qui contradicit fictori ſuo, teſta de Samiis terræ.*] Hæc omnia referuntur optimè ad ea, quæ 35.
Iſaiæ preces, & votum anteceſſerunt. Vbi Deus ſe ſolum vocat rerum vniuerſarum creatorem, quique malum inuehere, & pacem adducere nullo adiutore aut ſocio, ſuo arbitratu poſſit. Tantæ autem,

E ac tam iuſtæ potentiæ, ſi quis obniti velit, aut illam quoquo modo inertiæ, atque imprudentiæ arguere, non feret impunitum. Id verò explicat ſimilitudine aliis in locis ſæpius adhibita, & mirandum in modum ſignificante. De quo plura *cap. 29.* ad illud, *Quaſi lutum contra figulum cogitet.* Vt enim lutum dum in figulari rota conuertitur, fictori ſuo impudenter, ac temerè aut inſcitiam in opere formando, aut artis imperitiam obiiceret, aut quereretur,

quod ignobili forma in vſus ſiuxiſſet indecoros, & vile miniſterium: ſic qui in formatore Deo conſilium, aut prudentiam requireret, dignus eſſet, quem formator ipſe in nihilum diſſolueret, ſicut etiam offenſus figulus lutum diſſiparet, quod in aliquam formam fingere inſtituerat. Quòd verò ad ordinandam literam pertinet, ſic compono. *Qui contradicit factori ſuo, nempe Deo, ſimilis eſt teſta, aut teſtaceo vaſi ſumpto de argilla terra.* Subauditur enim hîc nota ſimilitudinis, quod in Scriptura frequens eſt.

36. Samia vaſa. ^u^ *De Samiis terra.*] Speciem pro genere ſumpſit. Eſt autem Samia argilla fingendis vaſis idonea, ideo Samia vaſa in honore ſunt. Fortaſſe hæc argilla Samia eſt, quæ ad nos figillata adducitur, confertque plurimùm exſpuentibus ſanguinem, quæ vulgò *terra ſigillata* dicitur. De qua Plinius *lib.* 35. *cap.* 16. Hieronymus *in commentariis* legit, *teſtam de teſtis terra.* Vbi materiam notat, vnde formata teſta. Ac ſi dicat, teſta, teſta, inquam, lutea, non ærea.

Cur vaſis, ſeu artificis Samij præcipuè meminerit propheta iuxta vulgati tranſlationem, ratio non deeſt; quia hoc argillæ genus nobiliſſimum eſt propter varios vſus. Prodeſt enim ſanguinem conſputantibus, vt docet Plinius *ſuprà.* Eius firmitatis eſt, atque duritiæ, vt ex ea gladij fiant; aut in gladiorum vſum acuantur, ita Plinius *lib.* 35. *cap.* 12. *Samia teſta* (inquit) *Matris Deûm ſacerdotes, qui Galli vocantur, virilitatem amputant; nec aliter citra periculum.* Quod etiam de Gallis docuerunt Iuuenalia *Satyra* 6. & Lucilius *Satyra* 7. Habet prætetea commoditatem aliam, quod Samiæ teſtæ vulnus innoxium eſt, vt ex Plinio habes. Ex quo fit non incredibile lapideos cultros, quos iuſſus eſt facere Ioſue *cap.* 5. pro circumciſionis miniſterio; & acutiſſimam illam petram, qua Sephora *Exod.* 4. circumcidit filium ſuum, fuiſſe ex terra Samia: nam hæc propter duritiem *petra*, vel *ſilex* appellatur. Facit hoc veriſimile Catullus, qui teſtam Samiam ſilicem appellat *in carmine de Berecinthia, & Atti.* Cùm enim Attis Samia teſta ſibi membrum execuiſſet genitale, vt tradit Arnobius *lib.* 5. Catullus ſilice quodam exectum eſſe dicit.

Deuoluit ipſe acuto ſibi pondere ſilice.

Samiam teſtam ibi exponit Muretus. Meminit quoque in eundem vſum Samiæ teſtæ Martialis.

37. Quidam è recentioribus vertunt, *teſta cum teſtis terra.* Hebraica præpoſitio את *eth*, pro qua vulgatus reddidit *de*, etiam ſignificat *cum*, ſicut vulgatus in priori loco conuertit dum dicit, *qui contradicit fictori ſuo.* Nam Hebraicè eſt רב את יוצרו *rab eth ioſero*, id eſt, *contendens cum formatore ſuo.* Sed ſi *cum* legas pro *de* mihi longè placet magis, ſi quod ſequitur את חרשי *eth charaſè*, id eſt, *cum Samiis*, vt habet vulgatus, non ſignificet teſtas, aut figlina vaſa; ſed vaſorum plaſtas, & artifices: quod neque vox Hebraica, neque Latina reſpuit. Nam illud *Samiis* tam deduci poteſt à terminatione neutra, quæ vaſa, quàm à terminatione maſculina, quæ figulos ſignificat. Tunc verò eadem ſententia aut bis explicatur per epexegeſim hoc modo, Væ luto, quod contradicit factori ſuo, ſeu quod contendit cum fictore ſuo: væ lutô, quod certat cum figulis terræ, id eſt, qui de terra fingunt, ſiue, vt accommodatè ad ea, quæ in principio dicebamus, væ, qui contradicit factori ſuo, qui perinde eſt atque fictile vas, quod cum ſuo formatore contendit. Vt autem iuxta priorem tranſlationem Samia vaſa per Synecdochen pro omnibus figlinis vaſis ſumi diximus,

A ſic nunc per eandem figuram in Samiis artificibus, omnes artifices, qui ex argilla fingunt intelligimus. Eſt autem vſitatum, vt qui nobilitate, aut frequentia in aliqua arte præſtant, illi pro omnibus eiuſdem generis opificibus vſurpentur. Quare *Chaldæi* pro aſtrologis, *Theſſali* pro incantatoribus ſumuntur: quia hæc ſtudia in his nationibus ſtudioſè culta. Eodem modo vnguentarij *Seplaſiarij* vocantur, quia in Seplaſia, qui vicus eſt Capuæ, artificium illud erat quæſtuoſum, & nobile. Eandem ob rem *Cyniphy* dicuntur paſtores, & tonſores ouium, & *Phrygiones*, qui acu pingunt, & diuerſorum colorum fila contexunt. Sic etiam *Samy* propter Samiæ argillæ vſum, & præſtantiam: & quia figlinæ B arti frequentem ac egregiam operam dant, pro omnibus qui fingunt è luto vſurpantur. Hæc iuxta poſteriorem tranſlationem, nam iuxta tranſlationem vulgati, iam ſuprà noſtram ſententiam explicuimus.

^x^ *Nunquid dicit, &c. & opus tuum abſque manibus eſt?*] Si quidpiam malè politum aut tornatum ſit, illud ab artifice manco perfectum eſſe, aut non tam manibus accuratè, & attentè, quàm pedibus negligenter elaboratum eſſe dicimus. Cùm ergo vas luteum, quod opus artificis vocatur, in ſuo formatore manus deſideret, cum illo expoſtulat, quod ita rude ſit, ac impolitum, vt non ſolùm extrema figuli manus defuiſſe; ſed neque prima adhibita fuiſſe videatur. 38.

^y^ *Væ qui dicit patri, quid generas? & mulieri quid C parturis?*] Alia ſimilitudine non admodum diuerſa illorum impudentiam incuſat, qui in Deo aut conſilium, aut benignitatem requirunt. Quemadmodum ſi filius deformis, debilis, aut infortunatus in parentibus inhumanitatem execretur, & arguat, quòd ſpecioſo, atque robuſto corpore generatus non ſit: aut quòd eo ſydere conceptus, quod ipſum ad omne fortunæ ludibrium, & naturæ incommoda vocabat (ſicut feciſſe videtur Ieremias cùm dixit *cap.* 15. *verſ.* 10. *Væ mihi mater mea, quare me genuiſti virum rixæ, virum diſcordiæ*) dignus eſſet, quem pater abiiceret, neque iam ampliùs ex ſe agnoſceret natum. Vt ergo neque curtum, aut informe vas inertiam figulo, neque deformis, aut infortunatus D filius, niſi ſtultè, atque impiè inhumanitatem, ac ſocordiam obiicit; ſic etiam neque homo Deo, quòd hoc, vel illo ſiue tempore, ſiue modo aliquid inſtituerit. Vide Paulum *ad Rom. cap.* 9. Vbi Dei cauſam ſub eandem ſimilitudinem defendit. 39.

Hæc vt apparet obſcura non ſunt; ſed quem ad finem adducta ſit, hæc ſimilitudo, non ita facilè. Quidam putant his verbis accuſari querimonias filiorum Iſrael, dum exules agerent apud Babylonios: qui nimia impudenter, & amarè rationem exigunt à Deo, cur tam diu, ac tam durè in alieno ſolo inueteraſcere patiatur Iudæorum genus. Aut E cur ſi aliquando euocare in antiquam ſedem conſtituiſſet, id potiùs per Cyrum alienum à ſuo genere, & religione, quàm per aliquem è ſuo ſanguine vindicem præſtare voluerit. Quibus Deus reſpondet hæc ſe velle facere non tam alieno arbitratu, quàm ſuo. Quare neque ab aliquo ſibi præſcribendum quid facto opus ſit, neque à quoquam de ſuo officio admonendum eſſe. 40.

Mihi probatur maximè, quod Foreiro quoque viſum eſt, & aliis, hæc omnino referri ad illa, quæ Deus ſuprà & ſtatim iiſdem propè verbis de ſua omnipotentia docet: Quòd ſcilicet formauerit omnia, neque eguerit alicuius ſiue conſilio, ſiue 41. Dei nõ ſunt ſcrutanda conſilia.

miniſte

miniſterio: quòd Cyro ſtraturus ſit ad imperium, viam: quòd ablaturus vectes: quòd oſtenſurus abſconditus theſauros, &c. Quare oſtendit in illa tanta, támque admirabili molitione, ac diſpenſatione rerum, neque à quoquam ſe petiiſſe conſilium, neque eius reddendam eſſe rationem: ſicut nec figulus vaſi, nec pater filiis ſolet, aut debet. Hùc ſpectare puto, hanc ſimilitudinem. Neque tamen difficile videtur, ſi dicas his Deum tacitis Iſraelitarum, aut aliorum hominum cogitationibus occurrere, qui cùm diuinorum operum conſilia ignorent, videántque, aut à prophetis audiant populum Iudaicum nunc abiectum, & ſqualidum in exilio, nunc glorioſè reuocatum in patriam: depulſos ab imperio Chaldæos, excitatos Perſas, admirati illam tantam rerum viciſſitudinem in Dei actionibus aliquid æquitatis, ſiue conſtantiæ deſiderare videri poterant. Quibus Deus reſpondet, vt cogitare deſinant, aut percontari, cur hæc, vel illa fiant, ſatis eſſe factum illorum cogitationibus, ſi rerum illatum auctorem Deum eſſe cognouerint, qui talia fecerit, qualia priùs ſæpe, & poſtea facturus eſſe dicatur.

42\. z *Hæc dicit Dominus ſanctus Iſrael, plaſtes eius, Ventura interrogate me ſuper filios meos, & ſuper opus manuum mearum mandate mihi.*] Hic Deus apodoſim adhibet ſimilitudinis, & cur adhibita ſit oſtendit. Fruſtra diceret conrendere lutum cum formatore ſuo de vaſis dignitate, pulcritudine, & vſo: & filium cum parentibus, quòd infortunatus, aut debilis natus ſit: Nunc populum ſuum cuius reſpondet offenſioni, aut menti lutum vocat, & ſe illius luti formatorem, & plaſtem: & eidem populo filiorum, ſibi verò parentis nomen accommodat. Quare vetat ne quis filiorum de futuro ſucceſſu percontetur, & dicat quid me generas? Sicut neque id filius à parente rogat, nempe quando generatur, aut in materno coagulatur vtero: aut lutum, cùm in figuli tota conuertitur, ſuper opus manuum mandat, id eſt, artifici præſcribit quam ſibi formam induci velit. Hîc verò Ironica quædam permiſſio eſt, vt putat Hieronymus, & alij, quæ omnino contrarium indicat, quàm verba ſonant. Quomodo ad iuuenem, cùm lætari prohibetur, dicitur *Eccl. cap. 11. verſ. 9. Lætare ergo iuuenis in adoleſcentia tua; & in bono ſit cor tuum in diebus iuuentutis tuæ; & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum.* Eodem modo Michæas ad Regem Iſrael 3. *Reg.* 22. *Aſcende, & vade proſperè.* In hunc modum cùm dicit Dominus *ventura interrogate*, & *ſuper opus manuum mearum mandate mihi*, edicit ne quis filiorum interroget, aut quidquam mandet, ſeu perſcribat de opere manuum ſuarum.

Ironica permiſſio.

43\. Iſta mihi vehementer placent, tum quia aptè, & ſignificanter contexta; tum quia magnorum ingeniorum iudicio probata; Sed addam hîc ego quoque meam cogitationem, ad quam, ſi alicuius ex antiquis Patribus accederet ſententia, minùs mihi diſplicuiſſet. Exiſtimabam ego in hac comparatione argumentum eſſe vt vocant à minori, in qua plurimùm eluceret Dei in ſuos mitiſſimum ingenium; ſic autem argumentationem inſtituebam. Non contenderet lutum cum fictore ſuo, ſi non eſſet in eam ſpeciem, aut vſum informatum, quem mallet; neque figulus illi inuerecundè expoſtulanti reſponderet. Neque filius eo maximè articulo, in quo in ſua formatione à parentibus pendet, à patre rogat, cur aut eo tempore, aut eo corporis habitu generetur. Aſt ego, ô filij Iſrael, plaſtes veſter ſum, & vos manuum mearum opus, & pater veſter, & vos mihi filij. Videte quantum in me benignitatis ſit, quantúmque tribuam amori veſtro. Quod non faceret lutum contra plaſtem, neque contra parentem auderet filius, id ego plaſtes, & pater veſter vobis, vt liceat, permitto. Quare ventura interrogate, & mandate de opere manuum mearum: & eorum ego vobis rationem reddam. Hanc ego ſententiam eſſe arbitrabar, ad quam perbellè faciunt omnia, quæ ſtatim ſuccedunt, quæ non adeò facilè in aliam explicationem conueniunt. Nam Deus quaſi ſatisfacere velit contradicenti luto, aut filiis contendentibus futuros euentus explicat, & eorum rationem oſtendit. Porrò illud *mandate*, non ſignificat ſemper præcipere, aut præſcribere, quid faciendum ſit, ſed ſuam voluntatem explicare, quaſi dicat Deus, explicate, quid vobis in votis ſit. Hæc mihi cogitatio non diſplicebat in re hac obſcura; quam omittere nolui, vt alij habeant quid expendant, aut ſaltem, quid reiiciant.

Dei in homines humanitas.

aa *Ego feci terram, & hominem ſuper eam creaui.*] 44.
Iam incipit oſtendere illa, de quibus, vt modò putabamus non improbabile, vt inquirerent, filiis Iſrael licere voluit; quibus ſe vniuerſorum eſſe plaſtem probat.

bb *Ego, manus meæ tetenderunt cælos.*] In pro- 45.
nomine *ego* aut ſubaudiendum eſt iterum *feci*, aut *inquam*, hoc ſenſu, *ego inquam feci*: aut certè referendum ad verbum *creaui*, quod proximè anteceſſit; hoc modo. *Et hominem ſuper terram creaui ego.* Et ita modò reperitur diſpunctum in Bibliis correctis à Sixto. Fortaſſe abſolutè poſitum eſt, quod ſæpe Hebræi faciunt, & interdum non ſine emphaſi. Vide quæ diximus ſuprà *cap.* 11. ad illud, *In die illa radix Ieſſe.*

cc *Et omni militiæ eorum mandaui.*] Mandare 46.
eſt vti aliquo quaſi inſtrumento; aut habere ſuæ poteſtati ſubiectum. Indicat Deus his verbis non eſſe diuinos honores habendos aſtris, quæ colebant Gentes, quandoquidem illa à Deo creata ſunt, eiúſque imperio ſubſunt. Quid ſit *mandare*, diximus ad illud *Pſal.* 67. *Manda Deus virtuti tuæ.*

dd *Ego ſuſcitaui eum ad iuſtitiam.*] Hieronymus, 47.
Haymo, Dionyſius, Adamus, hunc, qui ad iuſtitiam ſuſcitatus eſt, Chriſtum eſſe dicunt, de quo ſuprà dictum eſt. *Nubes pluant iuſtum: & iuſtitia oriatur ſimul.* Alij Cyrum eſſe credunt, ita S. Thom. Hugo, Vatablus, Foreirus, Emanuel Sa; & inclinat Adamus. Et hoc poſterius mihi videtur magis veriſimile; ita tamen vt in Cyro typicè Chriſtus Seruator adumbretur. Neque pro explicatione priori moliùm facit, quòd prius cum Chriſto nomen *iuſti*, atque *iuſtitiæ* coniunctum ſit; nam, vt antea diximus, verba illa incluſa ſunt parentheſi, quæ cùm in narrationis filum, aut ordinem non veniant, ad illa in ſermonis textu referri nihil ſolet. Maximè cùm parentheſis illa Iſaiæ ſit, quæ illius votum, & preces continet; alia verò omnia Dei, quæ à propheta tanquam hiſtorico narrantur. Quàm verò aptè hæc in Cyrum conueniant mox videbimus. Et quidem Cyrus excitatus eſt ad iuſtitiam, nimirum Dei oſtendendam: quia per Cyrum iuſtus Deus Babylonios immoderatiùs inſolentes, duréque in Iudæorum genus iniectos depulſos ab imperio digno mulctauit ſupplicio: & Iudæos ipſos longo iam exilij ſqualore confectos reuocauit in patriam, quod proprium iuſtitiæ, atque æquitatis opus eſt: Se verò his verbis deſignari manifeſtè

fatetur Cyrus ipſe, vt apparet ex his, quæ ſtatim ſubiiciuntur.

48. ee *Ipſe ædificabit ciuitatem meam, & captiuitatem meam dimittet, non in pretio, neque in muneribus.*] Non dubium quin Cyrus captiuitatem laxauerit eo ſtudio, vt ipſe quoque Iudæos inuitarit ad reditum, vt ex eius edicto conſtat *Eſdræ 1. cap. 1.* Et quod ciuitatem ædificauerit, & domum Dei, ipſe fatetur in eodem edicto: quia non ſolus ille domum ædificat, qui manus admouet operi faciundo, ſed qui conſilio, autoritate, & pecunia facit, vt aliquid ædificari poſſit. Quod ſtudiosè præſtitit Cyrus, qui non ſolùm vetuit, ne quis impediret ædificantes Iudæos, ſed etiam pecunia, & omnibus ad molitionem illam neceſſariis liberaliter iuuit. Vide *lib. 1. cap. 6* quid in illam fabricam, & quanto ſtudio contulerit. Ipſe verò Cyrus 1. *Eſdræ c. 1. & 2. Paralip. cap. vltimo in fine*, in ſuo edicto fatetur præceptum ſibi eſſe, vt domum Dei ædificaret; ſic enim ibi. Hæc dicit Cyrus Rex Perſarum: *Omnia regna mundi dedit mihi Dominus Deus cœli, & ipſe præcepit mihi, vt ædificarem ei domum in Ieruſalem.*

Cyrus quomodo Templum ædificauerit.

49. Ex quo edicto duo videor mihi manifeſtè colligere. Alterum eſt, ea eo, quod domum Dei Cyrus non ædificauerit, malè intuliſſe Haymonem, & Adamum, hîc non eſſe ſermonem de Cyro, cùm apertè ipſe fateatur à ſe ex diuino præcepto eſſe ædificandam. Alterum, ex hoc edicto effici pluſquam probabile, hunc locum quem verſamus, eſſe omnino intelligendum de Cyro hiſtorico ſenſu. Nam Cyrus fatetur mandatum ſibi eſſe à Deo vt domum ſibi ædificaret in Ieruſalem; ſed non apparet alibi locus, vbi à Domino Cyrus hoc mandatum acceperit. Neque credo negarent, ſi Cyri edictum attentiùs expendiſſent, qui putant hoc Iſaiæ teſtimonio adductam eſſe Cyrum, vt iam eſſet beneficus in Iudæorum genus. Sunt autem quamplurimi, & in his nonnulli, qui hæc ad Cyrum nullo modo pertinere ſtatuunt.

50. Non exegit Cyrus pro redemptione, libertatéque Iudæorum pretium, ac munera, qui tam liberali manu, & vaſa reſtituit templo, quæ abſtulerat Nabuchodonoſor, & ne quid templi fabricæ deeſſet, tam ſtudiosè prouidit. Vide *lib. 1. Eſdræ cap. 1. 3. & 6.* Sed hæc omnia multò magis Chriſto conueniunt, quem in Cyro præſertim intuebatur Iſaias, vt perſpicuum erit cuique, ſi ſingula accuratè conſideret.

51. ff *Labor Ægypti, & negotiatio Æthiopiæ, & Sabaim viri ſublimes ad te tranſibunt, & tui erunt.*] Hæc communiter Patres de Chriſto capiunt, cui per Euangelium omnes illæ regiones ſubiectæ ſunt: immò omnes, quæ per ſynecdochen in illis tribus comprehenſæ exiſtimabantur. Et hæc ego verè dici exiſtimo, & perſuadent, quæ ſtatim dicuntur: *Tantùm in te eſt Deus, & non eſt abſque te Deus.* Sed ego hîc indicabo, quid mihi in re admodum obſcura videatur dici poſſe non improbabiliter.

52. Quemadmodum ſuperiora de Cyro, ſic etiam hæc de eodem intelligi putant, Pintus, Didacus, Aluarez, & probabile putat Adamus: & ante hos quidam, vt Hieronymus refert, quorum ego ſententiæ libenter ſubſcribo, ſi tamen hæc de Cyro hiſtoricè, & ſecundùm corticem intelligat. Nam & Cyrus nationes iſtas ſubegit iuxta Dei promiſſa. Quòd enim Ægyptum debellarit, regionéſque finitimas, Æthiopiam ſcilicet, & Sabaim, qui & Sabæi dicuntur: (non illi qui ad Arabiam, ſed qui ad Æthiopiam ſpectant, vbi regina Saba Candace regnaſſe creditur) tradit Xenophon *lib. 7. Cyropædiæ.* vbi etiam ſcribit quomodo ſe Cyro dediderint, eo fermè modo, quo hîc ab Iſaia prædicitur. Et *lib. 8.* Cyri imperium definit, ad Orientem mari rubro, ad Septentrionem ponto Euxino, ad Occidentem Cypro, & Ægypto, ad Meridiem Æthiopia.

Sunt qui hæc pertinere putent ad Iudæos, quibus regiones illæ eorum proſperitatem admiratæ ſeipſas adiungent, eo ſtudio, vt ſi opus fuerit, in ipſorum ſeruitutem ligari ſe patiantur. Ita Hugo, & Vatablus. Ego ſi inter has duas ſententias tantùm eſſet controuerſia, priori potiùs de Cyro ſubſcriberem. Nam quomodo regiones illæ ad Iudæorum ſiue ſacra, ſiue ſocietatem acceſſerint, non eſt admodum promptum demonſtrare; neque illud, quod pleroſque ab hac cogitatione deterruit, ſua defenſione caret. Dicunt enim abhorrere longè à Cyri dignitate, ac meritis, quod ſtatim ſubditur: *Tantùm in te eſt Deus, & non eſt abſque te Deus*: nam reſponderi poſſet, vt Hieronymo videtur, in Cyro eſſe Deum, neque vllum eſſe Deum, præter illum, qui talia in Cyro ſeu per Cyrum adminiſtraret. Neque, vt verum fatear, hæc mihi explicatio diſpliceret, ſi alicui ex antiquis Patribus placuiſſet. Quia, vt ſtatim oſtendam, maximè pia eſt, & textum extricat, qui aliter valdè videbatur implexus. 53.

Et primùm quòd res ſit pia, ſiue ad Dei potentiam, iuſtitiam, & bonitatem; ſiue ad motum inſtitutionem ſpectes, non habet difficilem probationem. Nam magnæ potentiæ, & virtutis planè diuinæ eſt, res admirabiles, & humana induſtria, atque virtute ſuperiores per carneum brachium adminiſtrare. Qualia ſunt tot Regum longè Cyro potentiorum dorſa vertere, ferreos vectes confringere, & iter maximè impeditum tam facilè ad tam frequentes, & illuſtres victorias aperire. Sicut magnæ potentiæ documentum fuit culicibus exiguis vilibúſque beſtiolis vti ad vexandos Ægyptios, & crabronibus ad exterminandos antiquos, & inducendos nouos habitatores in terram Chanaanitidem. *Ioſue cap. 24. verſ. 12.* Quod confeſſa eſt Iudith *capite 9. verſ. 15.* Nam dum à Deo vires, & conſtantiam orat, rationem reddit: *Erit enim hoc memoriale nominis tui, cùm manus fœminæ deiecerit eum.* 54.

Deus magna præſtat inſtrumentis infirmis.

Quando verò Deus ad ſuorum ſalutem vilia adhibet, aut infirma, aut quæ videri poterant aliena inſtrumenta, eximium bonitatis ſuæ pignus, & documentum præbet. Vſus eſt coruis natura voracibus ad paſcendum Eliam; culicibus, raníſque ad liberandos Hebræos ex Ægyptio iugo: aſini maxilla arida, & aliorum cæde horrida, atque ſanguinea, ad refrigerandam Samſonis ſitim; & nunc inſolentiſſimo Cyri ſpiritu, & nunquam explebili ambitionis ſiti, ad puniendos Chaldæos, & ex eorum tyrannide vendicandum Iudæorum genus. 55.

Neque genus loquendi alienum eſt ab vſu ſcripturæ; dicitur enim Deus eſſe in eo, quem ad aliquod opus agit, & moderatur, quod idem eſt, atque eſſe cum aliquo. Quod *Iudic. 6.* Dominus Gedeoni promiſit: *Ego ero tecum.* Et cùm in manu Aſſur dixit Deus fuiſſe indignationem ſuam, ſignificauit ſe indignatum in eo fuiſſe contra Iudæos. Vt ergo in Aſſur eſſe dicitur indignatio Domini, quia Dominus indignatus illum agebat ad Iſraelis punitionem: Sic modò in Cyro dicitur eſſe Deus Iſrael, quia Deus iam in Iſraelem benignior, illum ad ſoluendam longam & duram ſeruitutem inſtigabat: 56.

Accedit

Accedit quòd, qui publicum ſuſtinet magiſtratum, habere dicitur in ſe perſonam eius, cuius loco ſufficitur, aut cuius auctoritatem repræſentat: quomodo Moyſes dicitur *Deus Pharaonis, Exod. 7. verſ. 1.* quia Dei nomine & pro Deo populum liberauit, quem apud ſe Pharao captiuum tenebat. Et Deus in Samuele ſe eſſe oſtendit, quando 1. *Reg. cap. 8. verſ. 7.* dixit *Non te abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos.* Et Chriſtus in pauperibus cùm ait. *Quod vni horum feciſtis, mihi feciſtis.* Et in his qui præſunt. *Qui vos audit, me audit.* Et vulgo Hiſpanorum de eo, qui regis nomine aliquid aut exigit, aut imponit, dicitur *Lieua o tieñe vt Rey en el cuerpo.* Quid ergo nouum ſi cùm per Cyrum Dominus Babylonios ſubiugare, & Iudæos in patriam reducere ſtatuiſſet, apprehendiſſétque illius dexteram, & ſine offenſione vlla ad propoſitum ſibi finem perduxiſſet; ſi in Cyro Deum fuiſſe dicamus; maximè cùm omnium conſenſu Cyrus Chriſti vmbra exiſtimetur; Eſt autem vſitatum, vt aliquid eſſe dicatur in aliquo, quaſi in ſymbolo, & ſigno.

57. Quòd verò hæc expoſitio ad id quod mox ſequitur viam aperiat, aptéque connectat, iam oſtendo. Subdit ſtatim propheta loquens non iam de Cyro, ſed de Deo, *Vere tu es Deus abſconditus.* Cur verò hæc dicta ſint à propheta, niſi ſuperior ſermo ſit de Cyro, non video, ſi verò de Cyro ſit, perquam aptè dixerat Deum eſſe in Cyro, & in eo admiranda illa edidiſſe facinora, quæ antea commemorarat. Quæ tamen ſic adminiſtrata ſunt, vt quilibet à Cyro geri exiſtimaret potiùs, quàm à Deo, cùm & ipſe Cyrus ignorauerit iuuari ſe, imò agi, atque inſtigari à Deo, vt hæc vel illa aggrederetur, & perficeret. De quo ſupra Deus, *Accinxi te, & non cognouiſti me.* Aptè ergo propheta ſubiicit ſtatim, *Vere tu es Deus abſconditus.* Quia nimirum latuit in homine impio, atque idololatra Deus, & ſua opera ſic edidit occultè, vt non à Deo ſed ab homine facta putarentur.

58. Quòd ſi hæc ad mores aduoces valde opportuna ſunt, & grauia, ſiue ad magiſtratum, & prælatum, ſiue ad inferiorem, & ſubditum referas. Ad magiſtratum quidem, ſuperioremque poteſtatem, vt norint ſi quid rectè, & pro ſuo, aut publico voto factum eſt, id non ſuæ induſtriæ, atque conſilio, ſed diuinæ virtuti, quæ in ipſis eſt, quique improborum etiam manus ad præclaros ſucceſſus moderari ſolet, eſſe tribuendum. Quando & in Cyro fuit homine non iuſto, ad iuſtitiam tamen excitato, & ipſo neſciente. In quo res perfecit & admiratione dignas, & hiſtoricorum monumentis celebratas; qui cùm abſconditum in Cyro Deum non agnoſcerent, Cyro aſcribebant, quæ Cyro à Deo ſubiiciebantur. Diſcant ergo, qui Dei nomine aliquod opus aggreſſi, illud ex vſu, aut voto publico adminiſtrarunt, in ſuam gloriam non detorquere, aut deriuare, quod vni debetur Deo. Et cum Cyro iam edocto ab hoc Iſaiæ vaticinio, & iam meliùs, quàm antea cogitante repetant, quod publicis literis, & regio edicto teſtatum reliquit. *Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli.* Egit hac de re grauiter & eleganter, vt ſolet Chryſoſtomus *in cap. 1. epiſtol. ad Coloſſen. Homil. 3. poſt medium.* Vbi quo ſenſu atque animo ſuggeſtum aſcendere vir modeſtiæ, atque humilitatis eximiæ ſolitus eſſet, oſtendit. *Chriſtus,* inquit, *per nos loqui dignatur, etiam ſi reliquo tempore omni gratia vacui ſumus; non tamen nunc illa vacui ſumus propter vos. Si enim in aſino, & in diuinatore* (id eſt Balaam) *operata eſt gratia Dei propter diſpenſationem, & vtilitatem Iſraelitarum, ma-*

Deo tribuenda, quæ bene à prælato geſta ſunt.

Deus ad magna inſtrumentis interdum vtitur indignis.

A *nifeſtum eſt, quòd neque in nobis operari detrectabit: ſed & facere ſuſtinebit propter vos. Nemo itaque dicat, tenuem eſſe me, & humilem, & nulla ratione dignum: vel ſic me obſeruato; ſum enim talis; ſed perpetuus Dei mos eſt multorum gratia, etiam talibus,* (id eſt indignis) *ſeſe applicare. Et, vt hoc diſcatis, ad Cain loqui dignatus eſt propter Abel; Diabolo propter Iob; Pharaoni propter Ioſeph; Nabuchodonoſor propter Danielem; & Balthaſari propter eundem. Et Magi quoque reuelationem conſecuti ſunt; Et Caiphas cum eſſet occiſor Chriſti, & indignus, prophetauit propter Sacerdotij dignitatem.* Idem penè S. Gregor. *lib. 30. Moral. cap. 35.*

59. Neque hæc expoſitio ſubditis minùs opportuna; qui, ſi ſibi ipſis perſuadeant, in ſuperioribus,
B & prælatis eſſe Deum abſconditum, qui illorum conſilia moderetur, & regat, multò minùs erunt ad parendum difficiles: & ex obedientia, in qua vnum Deum intueri debent, mirificos capient quotidie fructus. *Qui vos audit,* inquit idem, qui in ſuperioribus abſconditus eſt, *me audit; qui vos ſpernit, me ſpernit.* Qua de re grauiſſima ſunt Sanctorum teſtimonia: & à viris ſpiritualibus nihil aliud grauiùs, aut ſæpiùs vſurpatum. Neque retardare debet promptum, atque alacre ſubditorum ſtudium, quòd ſuperior malè de illis, aut contra illos cogitet, aut quòd ſuis potiùs, quàm communibus rationibus indulgeat: nam etſi illius iniqua ſit voluntas, non tamen poteſtas iniuſta; ſicut de Aſſur *cap. 10.* dixit Iſaias ſuprà: in cuius manu erat Dei virga, & indi-
C gnatio ad puniendum, & corrigendum populum, licèt ille non ſic exiſtimaret, imò potiùs animum ad conterendum, & ad internecionem intenderit. Imò addit Gregorius *lib. 2. Moral. cap. 10.* Satanæ voluntatem iniquam ſemper, eius tamen poteſtatem nunquam eſſe iniuſtam: quia à ſemetipſo voluntatem habet, à Domino autem poteſtatem.

Obedientia Deum intuetur, qui in ſuperiore, & indigno loquitur.

60. gg *Tantùm in te eſt Deus, & non eſt abſque te Deus.*] Hæc verba, vt à nobis partim ſunt expoſita, nihil incommodant huic explicationi. Vbi Vulgatus *tantùm* Hebr. eſt אך *Ak,* quod multa ſignificat, nempe *profectò, numquid, tantum.* Quod ſi in aliis ſignificationibus capias, res eſt magis expedita, in hanc ſententiam: *In te profectò Deus eſt, quem te pugnat, & vincit.* Et tunc altera pars per epexegeſim
D eandem complectitur ſententiam, *Non eſt, inquam, extra te Deus,* id eſt, non abeſt à te Deus; ſed etiam ſi ita legas, vt eſt in vulgato, non eſt difficilis explicatio in eandem ſententiam. *In te, ô Cyre, eſt qui tantùm eſt Deus.* Vbi vulgatus, *non eſt abſque te Deus,* Hebr. eſt ואין עוד אפס אלוהים *veen hhod ephes elohim,* id eſt, *no adhuc niſi Deus.* Siue vt Pagninus legit *non ampliùs niſi Deus.* Quæ ratio optima eſt, cur tam facilis fuerit Cyro ille victoriarũ curſus.

61. hh *Vere tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael ſaluator.*] Hæc verba ſunt Iſaiæ, qui, vt ſentiunt communiter Patres, Deum *abſconditum* appellat, quia illum nulla ingenij creati vis comprehendere, neque infirmo iſto, ac mortali ſtatu videre poteſt: *quia lucem habitat inacceſſibilem, & ipſe dixit, vt habitaret in nebula.* Et Chriſtus ſpeciali quadam ratione vocari poteſt *Deus abſconditus:* quia diuinitatis ſplendorem obtento corporis integumento celauit; quod licèt mihi valde placeat, non tamen diſplicet mea cogitatio, quæ ideo ſuſpicatur *abſconditum* dici Deum, quia in Cyro pugnabat vſque adeò occultè, vt neque Cyrus ipſe cognouerit: Et quæ per ſe ipſum peregit Deus, & tunc ab omnibus, & poſtea ab hiſtoricis Cyri virtuti, ac fortunæ

tribuerentur. Quæ, ſi aliter accipias, non video, qua occaſione, licèt verè, nunc à propheta Deus dici poſſit abſconditus. Et fauet plurimùm quod ſtatim adiungitur, *Deus Iſrael Saluator*. Perinde enim eſt, ac ſi dicat, Non eſt Cyrus qui ſaluat Iſrael, tametſi ab omnibus exiſtimetur, ſed tu Deus, qui abſconditus in illo eius dexteram, & conatus ad Iſraelis libertatem moderabaris.

62. Hîc porrò obſerua ex rerum à Cyro ſuſceptarum exitu conſtare non obſcurè in eam curam præcipuè aſſumptum eſſe Cyrum, adiutúmque, ac ſeruatum in grauiſſimis regni, vitæque periculis, vt Iudaicum populum deiecto Chaldæorum imperio in patriam reduceret. Nam poſtquam hac cura, & munere perfunctus eſt, & laxata captiuitate in aliam ſe cogitationem conuertit, à fœmina quadam non ſolùm infeliciter, ſed etiam fœde ſuperatus eſt. Cui etiam ad extremum illud accidit ad ignominiam graue, quòd à victrice, atque inſultante fœmina regium caput, & tot antea radiatú coronis, cum hac execratione in vtrem plenum ſanguinis coniectum eſt: *Exple te ſanguine, quem ſitiſti*. Idem etiam accidit Senacherib, qui quoad Domini conſulta perfecit, vt diximus ad illud *cap. 10. Cùm impleuerit Dominus omnia opera ſua in monte Sion, & Ieruſalem, viſitabo ſuper fructum magnifici cordis Regis Aſſur*. felicem tenuit, & facilem victoriarum curſum; his perfunctus, ignominioſam mortem ſubiit. Nec valde diſſimiles exitus nacti ſunt multis pòſt ſæculis duo Imperatores Veſpaſianus, & Titus, in quibus Deus contra Iudæorum gentem pugnauit, vt ipſe Titus confeſſus eſt: pòſt verò infeliciter vterque, & ſtatim à Hieroſolymis exciſis interierunt.

Felix ſucceſſus eorum, quos Deus ad aliquod opus vocat.

63. ii *Confuſi ſunt, & erubuerunt omnes: ſimul abierunt in cõfuſione fabricatores errorum*.]Redit propheta ad illa ſuperiora, quæ *à capite* 40. *ad finem vſque* 44. *deducta, capite hoc* 45. intercidiſſe videbantur. Sed re vera neque argumenti oblitus eſt, neque rationis, qua Dominus ſe ſolum eſſe Deum, & Gentium ſimulacra futile aliquid, & vacuum confirmare inſtituerat. Quare meminiſſe oportet duo ſigna ad cognoſcendam diuinitatem a Deo fuiſſe propoſita; & quòd ea quæ prædicta ſunt, exitum habuerint antè ſignificatum, & quòd aliqua futura dicantur, ita notata, vt prædictorum memorem nulla ratione latere poſſint. Vtrumque Deus præſtitit ad hunc vſque articulum, vt vidimus; & in eo etiam verſabatur, quando de ſeruatore Cyro vaticinium induxit. Cùm autem ſimilia vt de ſuis diis ederent ſimulacrorum cultores Deus edixiſſet, neque ipſi aut vellent, aut poſſent aliquid contrà oſtendere, dicit nunc propheta, poſteaquam tam grauia, tam illuſtria, tam explicata oracula à vero Deo propoſita fuerunt, idolorum artifices, & adoratores pudefactos abiiſſe. Hæc mihi ſententia ſatis videtur ad capitis filum accommodata.

64. Aliter hæc ad Babylonios referri poſſent, ita vt confuſi abierint; quia Dij, quos tanto ſtudio, atque impenſis colebant, prohibere non potuerunt, quò minùs à Deo, qui abſconditus dimicabat in Cyro, non opprimerentur. Et cum hac poſteriore explicatione non malè cohærent, quæ deinceps ſequuntur: neque parum mihi probatur poſterior hæc ſententia.

65. kk *Iſrael ſaluatus eſt in Domino ſalute æterna*.] Hæc ego ad illud *in ſæculum ſæculi*, exiſtimo claudenda eſſe parentheſi: quia à continenti filo ſeparata, ad aliam materiam traducuntur. Communis Patrum, & interpretum ſententia eſt, hîc agi non de ſalute Iudæorũ, aut libertate à Babylonico iugo per Deum abſconditum, ſiue in Cyro, cuius dexteram in eam curam apprehendit, ſiue in humanitatis integumento; ſed de ſalute æterna, quam adumbrabat illa Babylonica. Quod mihi omnino videtur eſſe dicendum. Neque eſt inuſitatum huic noſtro prophetæ, vt iam ſæpius animaduertimus, vt ab vmbra aſpiret ad veritatem, & inde ſe rurſus referat ad hiſtoriam. Ac ſi dicat, Iſrael, qui nunc à temporaria ſeruitute per Deum liberatus eſt, poſtea per eundem a ſempiterna liberabitur. Ponitur autem hoc loco *Iſrael* pro vero Iſraelita, qui non tam generis origine, quàm morum ſanctitate Iſraelem imitatur, & exprimit.

Huc adduci poſſunt quæ de Gentium errore, & confuſione nuper dicta ſunt: vt quemadmodum temporaria libertas Iſraeliticæ gentis æternam, per Chriſtum adumbrabat; ſic etiam Chaldæorum, & eorum qui idolis ſupplicabant, temporaria confuſio æternam portenderet confuſionem. 66.

ll *Non confundemini, & non erubeſcetis vſque in ſæculum ſæculi: quia hæc dicit Dominus creans cælos*.] Hæc quoque ad æternam libertatem communiter referuntur, & verè, & ſuadet illud *in ſæculum ſæculi*. Quod in Iudæorum gentem à Babylonico exilio reſtitutam conuenire non poteſt. Quia poſtea ſæpe, deinde à Romanis ita grauiter, ac diu confuſa eſt, vt nunc omnium ordinum, ac religionum hominibus odio ſit, & ludibrio. Addidit autem, vt reor, *creans cælos*, vt oſtenderet id, quod ſtatim magis expreſſit de terra, non fruſtra creatos eſſe; ſed vt in eos inſererentur, qui veri eſſent Iſraelitæ, & in æternum ſaluandi. Huc vſque parentheſis de æterna ſalute, deinceps intercisa contexuntur. 67.

mm *Ipſe Deus formans terram, & faciens eam: ipſe plaſtes eius: non in vanum creauit eam, vt habitaretur formauit eam*.]Hîc puto redire hiſtoricum ſenſum de Babylonica libertate; Vt enim ſuprà, cùm ſermo eſſet de æterna ſalute, *creator cælorum* dicitur Deus, quia in cœlis beati ab æterna ſeruitute liberi ſempiterno æuo fruentur: ſic nunc quia de temporaria libertate, qua Iudæi aliquando fruentur in terra promiſſionis, *terra* quoque vocatur *creator*. Reddit autem rationem cur terram crearit, non vt eſſet ſterilis, & otioſa, aut à cultoribus vacua, ſed vt habitaretur. Eſt autem, vt ex Hieronymo ſæpius obſeruauimus, in Scriptura frequens, vt cùm ſermo ſignificare videatur vniuerſam terram, ad illam tamen prouinciam coarctetur, de qua accommodatè naturæ rerum, de quibus agitur, actum oportuit. Quocirca hîc de terra promiſſionis ſermonem eſſe puto, in quam Deus præcipua quadam ratione intentum videtur habuiſſe animum. Ait ergo Deus non fruſtra regionem illam creatam eſſe vberem, & amœnam hilari, atque ſalubri cælo, tantóque ſtudio ereptam ab antiquis poſſeſſoribus, & traditam Hebræis, vt futura eſſet in æternum ab habitatoribus deſerta. Quare redituros eſſe in illam ex eorum genere, qui abducti fuerant, qui illam poſtliminium incolerent. Porrò vacuas fuiſſe Iudæorum ciuitates, neque in illis peregrinos habitatores inſediſſe probabile ſatis eſt: quia in hoc propheta *cap*. 7. agri vbertatis eximiæ, in quibus mille vites, mille argenteos penſitarent quotannis, ſic dicuntur operiendi vepribus, & ſyluarum in modum horridi futuri, vt in illis ſine arcu, & ſagittis ingredi non liceat: quaſi ibi leones, & vrſi habituri ſint cubilia. Neque eſt veriſimile, ſi pere 68.

Terra promiſſionis et captiuitatis tempore deſerta.

ſi peregrini, & alieni cultores, Iudæorum ſuccederent loco, iam vberes agros fuiſſe relinquendos. Neque præterea Iudæi ab exilio reuerſi traduntur illos ab aliis poſſeſſoribus occupatos inueniſſe. De Ieruſalem minùs eſt obſcurum, in qua habitaſſe dicuntur vulpes *Thren.* 5. De quo plura ad illud *cap.* 32. *Domus enim dimiſſa eſt.* Et fortaſſe hîc tantùm ſermo eſt de Ieruſalem, ad quam primi redierunt captiui.

69. Deorũ oracula ambigua. n o *Non in abſcondito locutus ſum, in loco terræ tenebroſo.*] Comparat ſe iterum Dominus cum diis gentium, & quid interſit inter ſe atque illos demonſtrat. Et primùm qui Gentium vocantur dij, in tenebris loquuntur: quia verbis vtuntur ambiguis, atque perplexis, ita vt nihil intelligas, & quæ à Gentibus dicuntur oracula, in varias ſententias trahi poſſint. De quibus pluribus *cap.* 41. ad illud. *Annunciate quæ ventura ſunt*; Aut certè quia vox pythonica frendet potiùs, aut ſtridet quàm loquitur; & obſcurum aliquid opprimit, & nihil exprimit apertum. Adde quod ex tenebroſis, & ſubterraneis locis plerumque Deorum oracula redduntur. Nota ſunt, quæ de Trophonij antro tradunt hiſtorici: Sibylla ex antro reddebat reſponſa, ibi à dæmone inſtincta, atque exagitata fœdè. Virgil. 6. *Æneid.*

Deorũ oracula in locis obſcuris, & abditis.

Horrendaque procul ſecreta Sibylla,
Antrum immane petit.

Et Delphica oracula tam apud Gentiles cõmendata ex terræ hiatu fundebantur. Vide Diodorum Siculum. At Deus verus non ſic, non obſcurè, aut ambiguè, non clam, aut in tenebris; ſed ad totam multitudinem, & cum buccinarum clangore ad montem Sinai. Et quæ ſemel indicta ſunt præcepta, aut promiſſiones oblatæ, illa deinde millies, & explicatiùs iterata ſunt. Oracula verò vſque adeò obſcura non ſunt, vt exarari interdum iubeantur in tabulis: & non ſolùm notari literis, ſed quò magis ſint nota, & oculis obuia, conſignari in perſonis, vt vidimus *cap.* 20. in Iſaia nudo, & in Ieremia onuſto catenis, & in filiis Oſeæ prophetæ ex fornicatione ſuſceptis: imò deſignari in ſacrificiis, ita vt nemo non videre, nemo non cognoſcere potuerit. Vt quæ de Meſſia propoſita ſunt in agno typico, in ſerpente exaltato, &c. Ad hunc fortaſſe locum reſpexit Chriſtus, cùm rogatus de doctrina ſua reſpondit *Ioan.* 18. *verſ.* 20. *Ego palam locutus ſum mundo: ego ſemper docui in ſynagoga, & in templo, quò omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus ſum nihil.*

Ioan. 18.

70. o o *Non dixi ſemini Iacob, Fruſtra quærite me.*] Alterum iam ſtatuit diſcrimen, quia dij Gentium vexant miſeros cultores, neque tamen quicquam conferunt boni. Quocirca illis fruſtra honores impenduntur diuini: à quibus etiam ſi mille quotidie offeras hecatombas, nihil extorquebis præter angorem animi, & incredibiles corporis moleſtias. At Deus non ſine præmio proponit, ſi quid eſt laboris in ſeruanda lege, quod ex tota Scriptura liquet, *Quærere* autem *Dominum*, & *eius legem ſeruare*, idem eſt.

71. p p *Ego Dominus loquens iuſtitiam, annuncians recta.*] En aliud diſcrimen. Quàm turpia ſint, quàm moleſta, ac barbara, quæ à ſuis ſectatoribus exigunt Gentium idola, docent non ſacræ ſolùm, ſed profanæ hiſtoriæ. Vide Arnobium, Minutium, Auguſtinum *in libris de ciuitate Dei.* Et in Scriptura de Baal, Moloch, Beelphegor, quibus neſcio, quid turpius, aut immanius in hominum cogitationem venire potuerit. Quàm autem Lex Domini iuſta, pura, atque benigna fuerit, & clamat paſſim vtrumque teſtamentum, & nos ipſi experimur quotidie. Quod Gentes ipſæ teſtantur, cùm primùm ad Eccleſiam aſcitæ vndecumque terrarum, Euangelij cæleſtem lucem aſpexerunt.

q q *Congregamini, & venite, & accedite ſimul, qui ſalunti eſtis ex Gentibus.*] Non admodum promptum eſt ſtatuere, qui nam iſti ſint, qui congregari iubentur. Forerius illos eſſe cenſet, qui ex Iudæis è captiuitate reuerſi ſunt. Qui cùm inter idololatras vixerint, & idolis ipſi quoque ſupplicarint, facilè intelligere potuerunt, quid à Deo indignato timere, & quid ab eodem propitio ſperare poſſint: & quid præſidij ab idolis aut ipſi habuerint aliquando, aut Gentes, quæ tam grauia propter eorum religionem pertulere, habuiſſe cognouerint. Hugo putat hæc ad proſelytos dici, qui iam à Gentium erroribus liberati Iudæorum ſe ſacris, & legibus adiunxerant. Qui cùm iam quid in vtroque inſtituto eſſet honeſtum, atque vtile, experimento didiciſſent, facilè poterant in vtriuſque comparatione rectum ferre iudicium. Communiter alij de Gentium vocatione vaticinium accipiunt, putántque hîc præcipi illis, qui ex Gentibus ad fidem per Euangelium acceſſerunt, vt qui iam ipſi re experti ſunt, quanto in errore verſati fuerint, & nunc alij verſentur, qui obſtinatò hærent in antiqua væſania, alios admoneant, vt relicta veteri impietate religionem veram ament, & amplectantur. In hunc ferme modum Hieronymus, Cyrillus, S. Tho. Haymo, & alij plures. 72.

Mihi ſatis expeditæ, & probabiles videntur ſuperiores duæ ſententiæ, neque ad id, quod vaticinio propoſitum eſt, exiſtimabam quicquam referre hoc ne, an illo modo accipias: quandoquidem, qui vocantur teſtes, illi vtriuſque religionis aut conſcij, aut participes fuerunt. Præcipue cùm ſtatim loco magis opportuno perſpicuè de Gentium conuerſione ſermo fiat. Sed quia aliter plerique ſtatuunt, & bene, nos quoque cum illis ſentiamus. Eos igitur qui Euangelij tempore fidem ſuſceperunt, alloquitur Deus, teſtéſque vocat eorum, quæ in vtraque viuendi ratione cognouerunt. 73.

r r *Neſcierunt qui leuant lignum ſculpturæ ſuæ, & rogant Deum non ſaluantem.*] Experti fuerant, ſiue captiui Iudæi iam reſtituti, ſiue proſelyti, qui Iudæis adhæſerant deſerta idolorum inſania, ſeu certè Euangelij tempore qui ex Gentibus Chriſtiana ſacra ſuſcepere, nunquam idolorum adoratores aliquid ab illis obtinuiſſe, aut aſſiduis precibus imploratum, aut ſuis commoditatibus opportunum. Quare ignaros, aut ſtolidos iudicare poterant eos, qui lignum in Deorum ſimilitudinem dolatum Babylonico, aut alio Gentilico ritu circumgeſtabant ſublatum humeris, aut venerationis, & pietatis ergo in excelſo, atque honeſto loco ſtatuebant. Hieronymus hæc refert ad eos Gentiles, qui cùm aliis eſſent religionibus implicati ad Euangelicam tubam excitati non ſunt; ſed ſtolidi maluerunt graui illo ſimulacrorum onere grauari, quàm Euangelicæ legis leuiſſimum iugum ſubire. Sed ſanè, vt diximus, hæc videntur patere latiùs. 74.

ſ ſ *Annunciate, & venite, & conſiliamini ſimul.*] Reputate hæc apud vos, & quid facto, dictóque opus ſit ex his, quæ vobis comperta ſunt, vobiſcum cogitate. Quod Gentes iam ad meliorem mentem vocatæ de idolis ſtatuunt, ſcilicet ab illis nihil eſſe ſperandum, idem viri prudentes experientia ipſa 75. Ab hominibus nihil ſperandum.

edocti ſtatuerunt ſecum de principum gratia, atque fauore. A quibus nihilo plus expectant quàm Gentiles à deaurato ligno, cui deorum nomen impoſuere. De quibus *Pſal. 145. Nolite confidere in principibus, neque in filiis hominum, in quibus non eſt ſalus.* Et ſicut *maledicti* ſunt, qui à ſimulacro muto ſalutem expectant, ſic, qui ab hominibus petit vitæ ſuæ, aut fortunæ ſubſidium, *maledictus* vocatur *Ierem. 17. Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum.* Neque enim hi miſerorum, quorum exhauſerunt opes, & vires, cauſam magis curant, aut intuentur, quàm ligna aut lapides eos, qui de ſacculo aurum contulerunt, vt illa conficiant, & inaurent.

76. [t t] *Quis auditum fecit hoc ab initio? & tunc prædixi illud. Numquid non ego Dominus.*] Hæc quæ experta fuerant Gentes, dum ſurdas, atque irritas preces ad ſimulacra fundunt, nempe in illis nihil eſſe Deitatis, imò neque ſenſus; & contrà in ſe omne eſſe, illúdque præſens auxilium, & firmamentum, iam id Dominus ab initio prædixerat. Niſi fortè dicamus hanc eſſe ſummam omnium, quæ hactenus commemorata ſunt ab Abraham vſque ad hæc Iſaiæ tempora; quæ, vt antè à Deo prædicta; ſic ſuo poſtea tempore completa ſunt. Et hoc poſterius mihi videtur veriſimilius.

77. [u u] *Conuertimini ad me, & ſalui eritis, omnes fines terræ.*] Hîc iam apertè omnes Gentes ad fidem vocantur; poſtquam oſtenſum eſt quàm inanis ſit, & ludicra ſimulacrorum religio, quàm vana ſpes illa, quæ ex illorum fide, & promiſſione pendet. Suis verò cultoribus ex omnibus terræ finibus congregatis ſalutem promittit, longè alia fide, atque ſucceſſu, quàm nugacium Deorum portenta promiſerant. De hac expoſitione non dubito; ſed puto aliquanto patere latiùs, pertineréque non ad ſalutem ſpiritualem, libertatémque æternam ſolùm, ſed ad humanam etiam & temporariam. Nam ſicut neutrum horum obtineri poterat ab idolis, quibus neque mens erat vlla, neque ſenſus: ſic vtrumque Deus poteſt, & ſolet ſperantibus in ſe cumulatè præſtare. Ad quam explicationem facit, quod ſæpe actum eſt de captiuitate Babylonica, quæ ſalus eſt temporaria, & humana: & illud *ſalui eritis*, ſi vim ſermonis ſpectes, non minùs quadrat in temporariam, quàm in æternam ſalutem.

78. [x x] *In memetipſo iuraui: egredietur de ore meo iuſtitiæ verbum; & non reuertetur: quia mihi curuabitur omne genu, & iurabit omnis lingua.*] Magnum aliquid portendit tam grauis, támque inuſitata iurandi forma. Hieronymus, S. Thom. Cyrillus, Haymo, & alij cenſent hoc ſanctiſſimo iureiurando confirmari, quod proximè dictum fuerat, omnes Gentes vndecumque terrarum fore conuertendas. Alij promiſſionem iurari putant de Chriſto venturo: quod *iuſtitiæ verbum* appellatur: quia Chriſtus auctor iuſtitiæ eſt. Ita Haymo, & Salmeron *in cap. 14. ad Romanos.* Hæc quidem à Patribus grauiter, & optimè dicta. Sed aliam mihi explicationem offert, & vt mihi videre videor, non obſcurè Paulus *ad Romanos cap. 14.* Vbi hunc profert Iſaiæ locum.

79. Puto ergo admoneri omnes gentes, vt ab inani, atque impio ad verum Dei cultum conuertantur: ad quem antea promiſſionibus, oblata nempe ſalute aduocauerat. Nunc idem agit Deus alia tamen ratione, atque conſilio, denunciatis videlicet minis, ſi ſe quiſpiam ſurdum, aut difficilem ad diuinam vocationem præbuerit. Futurum enim dicit eſſe iudicium, in quo obſtinati populi impietatis, atque peruicaciæ damnati pœnas dabunt quàm acerbiſſimas. Tunc autem, qui duram ceruicem ad diuinum iugum flectere noluerunt, licèt inuiti Deum agnoſcent, curuabúntque ante illum genu, quod inutili priùs obſequio ante impias ſimulacrorum aras inflexerant. Id verò meo iudicio apertè docet Paulus, qui cùm dixiſſet *Tu autem quid iudicas fratrem tuum? aut tu quare ſpernis fratrem tuum?* addit, quaſi non eſſet illud iudicandi tempus. *Omnes enim ſtabimus ante tribunal Chriſti.* Et rurſus: *Scriptum eſt enim, Viuo ego, dicit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo.* Citati autem iſtum Iſaiæ locum omnes interpretes ſentiunt: quem de iudicij tempore explicat Auguſtinus *oratione de quinque hæreſibus Arrianis*, Toletus, & alij, & in eundem ferme modum, quo nos, accipit S. Thomas in Paulum *ſupra.* Porrò minæ, quas iudicat Paulus, videntur contineri in illis verbis, *Et non reuertetur vacuum*; De quo ſtatim. — *Ad Rom. 14.*

80. [y y] *Egredietur de ore meo iuſtitiæ verbum, & non reuertetur vacuum.*] Verbo *iuſtitiæ* credo hoc loco ſignificari nihil hîc Deum exigere ab homine, quod iuſtum non ſit. Debetur enim obſeruantia, atque ſubmiſſio ei, à quo tanquam à plaſte omnia formata ſunt, quorum alterum iuramento, alterum genuum curuatione deſignatur. Obſequium autem illud exhibendum eſſe Chriſto ab his, qui toto ſtudio atque conatu renituntur, etiam à dæmonibus, tradit idem Paulus *ad Philipp. 2. In nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Vbi alluſum eſſe ad hunc locum mihi certum eſt, & indicat, quod modò dicebamus de flectendo genu: & quod ſtatim additur. *Et omnis lingua confiteatur.* Quibus vſus eſt verbis Paulus *ad Romanos* 14. Vbi ex omnium conſenſu huc ſpectauit. De cuius explicatione ſtatim.

81. [z z] *Et non reuertetur vacuum.*] Hæc verborum forma, vt dixi, confirmat, aut promiſſorum fidem, aut minarum pondus, & ſucceſſum: quia omnino complebitur verbum quod de ore egreditur Domini. Eodem ſenſu dixit Iſaias *c. 55. Verbum meum quod egreditur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, ſed faciet quæcumque volui.*

82. Iuxta hanc explicationem, quam Pauli eſſe puto, ſingula vt vides, expendi; nunc lectionem Pauli cum vulgata compono. Dixit vulgatus *In memetipſo iuraui*, Paulus, *Viuo ego.* Quia cùm Apoſtoli, & Euangeliſtæ non tam verba numerent, quàm expendant ſententiam, non alligant tranſlationem ſuam verbis, modò ſententia diuerſa non ſit. Cùm iuramentum Dei, vt ſæpius in Scriptura vides, ſit, *viuo ego*, & Deus ſe iuraſſe affirmet, Paulus quænam fuerit illa iuriſiurandi formula explicatiùs oſtendit. Imò docet hoc interpretandi modo genus illud iuriſiurandi eſſe Deo familiare. Vbi vulgatus habet. *& iurabit omnis lingua*, Paulus ait. *Confitebitur Deo*: quia iuramentum confeſſionis diuinæ, & religionis opus eſt. Vt ergo priùs Paulus pro iuramento, id eſt, pro genere ſpeciem quandam poſuit iuramenti; ſic modò pro religionis ſpecie, quæ iuramentum eſt, genus ipſum adhibuit, id eſt, confeſſionem, & laudem. — *Deo familiare iuſiurandum.*

83. [a a a] *Ergo in Domino dicet, meæ ſunt iuſtitiæ, & imperium.*] Accommodatè ad ea, quæ de Iudicio diximus, & de obſeruantia communi, ac generali, quam homines Deo vel inuiti præſtabunt, hæc etiam quæ ſequuntur explicanda ſunt. Hæc alij variè exponunt, & nonnulli eo modo, vt quæ dicuntur

cuntur non niſi cunctanter, atque ægrè ad textum, filúmque capitis trahantur. Quæ videri poſſunt apud ſuos auctores. Ego dicam breuiter, vtinam verè, quæ in hac rerum obſcuritate diuinem. In primis puta illud *in Domino* formam eſſe iuramenti, qua veræ religionis ſtudioſi ſuis verbis fidem conciliabant. Iuramentum autem à viris ſanctis illis verbis olim eſſe conceptum, ſatis ex Scriptura compertum eſt. Vbi præpoſitio ב *be*, Latinè *in*, vim habet iuramenti, vt nuper dictum eſt. *In memetipſo iurans*, id eſt, per me ipſum. Hebr. בי *bi*, ſicut *Geneſ.* 22. *Per me iurans.* Hebr. בי *bi*. Vt autem hîc eſt ביהוה *Baiehoua*, vbi Vulgatus, *in Domino*, ſic etiam *Ioſue cap.* 2. *Iurate mihi per Dominum.* Hebr. eſt etiam ביהוה *baiehoua*. Et *Pſal.* 62. *Laudabuntur omnes, qui iurant in eo*, vbi Hebr. eſt בו *bo*. Mihi ergo certum eſt hîc *in Domino*, iuramentum eſſe, & accipiendum, vt Logici dicunt, materialiter. Ita vt omnis lingua, quæ confeſſura dicitur Domino, vt dixit Paulus *ad Rom. cap.* 14. aut ſicut vulgatus tranſtulit, iuratura, dictura ſit in iureiurando concipiendo *per Dominum*, aut vt Hebraica ſonant, *per Iehouah.*

84. ᵇᵇᵇ Quod verò ſtatim ſubditur, *Mea ſunt iuſtitia, & imperium.* exiſtimo eſſe certam aliquam formulam Iudæis familiarem, qua in laudando Deo frequenter vtebantur, & quaſi legitimè. Hæc enim duo in diuinis laudibus coniunguntur, *iuſtitia*, & *imperium*, ſeu *potentia, virtus & fortitudo.* Nam hæc poſtrema ſignificat vox Heb. עז *hhoz*, pro qua vulgatus reddidit *imperium*. *Pſal.* 7. *Deus iudex iuſtus fortis.* Et *Pſal.* 7. *Introibo in potentiam Domini, Domine memorabor iuſtitiæ tuæ.* Et iterum. *Potentiam tuam, & iuſtitiam tuam Deus.* Et eſt communis Domini laus, *Ipſi gloria, & imperium.* 1. *Petri* 4. *& cap.* 5. *Apoc.* 1. *&* 1. *ad Timotheum cap.* 6. Sic ergo literam impeditam ordino. *Omnis lingua dicet per Iehouah*, id eſt, iurabit per Dominum, & Deum verum. *Et omnis lingua dicet, quod mea eſt iuſtitia, & imperium*; id eſt, clamabit me iuſtum, & imperatorem. Quam ſententiam indicant Septuaginta, dum ita vertunt. *Iurabit omnis lingua Deum, dicens, iuſtitia, & gloria ad eum veniet.*

85. ᶜᶜᶜ *Ad eum venient, & confundentur omnes qui repugnant ei.*] Hæc verba prophetæ ſunt, qui paucis colligit, quæ pluribus, & grauiùs dicta fuerant. Nempe venturos tandem ad Deum, curuatúroſque genu, impios, & peruicaces homines, quantumuis officium illud Deo debitum horreant, & auerſentur: qui ex Dei conſpectu, quem inuiti ſubibunt, pudefacti in æternam confuſionem dabuntur.

86. ᵈᵈᵈ *In Domino iuſtificabitur, & laudabitur omne ſemen Iſrael.*] Vt nuper propheta complexus eſt, quis maneat exitus illos, qui Domini iugum, aut non admittent, aut excutient, ſic etiam nunc oſtendit, quid à Domino ſperare debeant, qui ſe Domini fidei, & tutelæ crediderunt. Quæ ſententia à propheta paulò antea propoſita fuerat dum ait. *Simul abierunt in confuſionem fabricatores errorum; Iſrael ſaluatus eſt in Domino ſalute æterna.* Iſraelis nomine non illi intelliguntur, qui ex Iſrael ſecundum carnem propagati ſunt; ſed qui viri Iſraelitæ ſunt, impléntque tanti nominis menſuram, & merita. Vt ergo aliis, qui vocanti Deo parere noluerunt, parata confuſio eſt in illo extremo ſæculorum articulo, ſic illi, qui diuinæ volũtati ſe, rationéſque ſuas attemperarunt, & iuſti declarabuntur à iudice Deo, & ab eo laudati rerum honeſtè geſtarum præmia conſequentur.

ᵉᵉᵉ Cæterùm *in Deo iuſtificari*, aut *laudari*, nihil aliud eſſe puto, quàm aut coram Deo, aut à Deo declarari, aut pronuntiari iuſtum, aut laude dignum. Eſt enim vſitatum in Scriptura, vt tunc aliquid dicatur fieri, cùm factum eſſe declaratur, vt pluribus oſtendimus *cap.* 5. ad illud, *Deus ſanctus ſanctificabitur in iuſtitia.* Et in hoc ipſo verbo eſt exemplum *eodem cap.* 5. *Iuſtificatis impios pro muneribus*, id eſt, corrupti pecunia veſtro decreto impium hominem declaratis eſſe iuſtum. 87.

Hæc mihi ad textum videntur non difficilia, & ad Pauli mentem maximè conſentanea. Neque aliquid occurrit aut durum, aut alienum, quod cum vulgati tranſlatione non aptè conſentiat. Verumtamen cùm Hebraicum textum paulò diligentiùs intueor; & illi Septuaginta auctoritatem, & tranſlationem adiungo, aliquid occurrit non indignum, quod experiundi gratia, vt interpreti in rebus obſcuris, & implexis permiſſum eſt, tentabo potiùs, quàm aut aliis, aut mihi perſuadebo. Textum quidem Hebraicum ſic ego Latinè reddo. *Iurabit omnis lingua tantùm per Iehouah. Mihi dicet, ſeu cantabit, iuſtitia, & fortitudo ad ipſum veniet. Confundentur omnes, qui repugnant ei: in Domino iuſtificabitur, & laudabitur omne ſemen Iſrael.* Septuaginta non longè aliter. *Iurabit omnis lingua Deum dicens, iuſtitia, & gloria ad eum veniet: & confundentur omnes, qui ſeparant ſe à Domino: iuſtificabitur, & in Deo glorificabitur omne ſemen Iſrael.* Iuxta has tranſlationes poſtrema hæc verba videntur ad diuinam laudem adhiberi ab his, qui conuertentur ad Dominum: Ita vt ſit quoddam canticum fortaſſe familiare Iudæis. Quo cantico & ſe diuinæ legis ſectatores profitebantur, & quid contraria ſectatis euenturum ſit, denunciabant. Certe iſta, aut non admodum diſſimilia ſæpe audimus in Pſalmis, ad quæ videri poteſt alluſiſſe Iſaias. Nihilominus, vt dixi, ſuperiora magis probo: quia magis cum vulgata faciunt. *Hæc de capite quadrageſimo quinto.* 88.

Argumen

Argumentum quadrageſimi ſexti capitis Iſaiæ.

PRINCIPIO in Babylonis excidio confracta eſſe dicuntur ſimulacra, & ſimul cum Babyloniis in exilium abducta. Hinc oſtendit Deus quantum inter ſe, Gentiliúmque Deos interſit, quia illi impenſis hominum fiunt; cúmque graues ſint, nullam tamen afferunt vtilitatem. At contrà Deus Iſrael nulli grauis eſt, cum amatores ſuos in ſinu, atque in viſceribus geſtet; & in promiſſis largus ſit, & in preſtando fidelis, & iuſtus. Ad extremum ſpem illorum confirmat, qui de ſua fide, atque iuſtitia dubitare videbantur.

CAPVT XLVI.

1 [a] *CONFRACTVS eſt Bel, contritus eſt [b] Nabo: [c] facta ſunt ſimulacra eorum beſtiis, & iumentis, [d] onera veſtra graui pondere vſque ad laſſitudinem.*

2 *Contabuerunt, & contrita ſunt ſimul. Non potuerunt ſaluare portantem, [e] & anima eorum in captiuitatem ibit.*

3 [f] *Audite me [g] domus Iacob, & omne reſiduum domus Iſrael, qui portamini à meo vtero, qui geſtamini à mea vulua.*

4 [h] *Vſque ad ſenectam [i] ego ipſe, & vſque ad canos ego portabo: [k] Ego feci, & ego feram: ego portabo, & ſaluabo.*

5 [l] *Cui aſſimilaſtis me, & adæquaſtis, & comparaſtis me, & feciſtis ſimilem?*

6 [m] *Qui confertis aurũ de ſacculo, & argentum ſtatera ponderatis: conducentes aurificem, vt faciat Deum: & procidunt, & adorant.*

7 *Portant illum in humeris geſtantes, & ponentes in loco ſuo; & ſtabit, ac de loco ſuo non mouebitur. [n] Sed & cùm clamauerint ad eum, non audiet: de tribulatione non ſaluabit eos.*

8 [o] *Mementote iſtud, & confundamini: redite præuaricatores ad cor.*

9 [p] *Recor*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 CONTRITA ſunt Bel, & Nabù, & aliorum etiam Deorum ſimulacra; Et quæ onera priùs vobis, ò Babylonij, fuerant, vtpote veſtris humeris portata, facta ſunt onera beſtiis; quæ ita grauia fuerunt, quia ex metallo nempe conflata, vt illas vſque ad laſſitudinem fatigarint, ac fregerint.

2 Simulacra illa aut contrita ſunt, aut colliquefacta, neque eis, à quibus cum tanta moleſtia portabantur, ſaluti atque auxilio eſſe potuerunt. Qui tam longè fuerunt, vt amatores ſuos ab exilio ſeruauerint; vt ipſi quoque in captiuitatem abducti ſint.

3 Audite me, qui eſtis ex familia Iacob; & quos varia Iſraelitarum vexatio reliquos fecit: quàm longè aliter ego vos complexus fuerim; quàm Gentium dii ſupplices, & amatores ſuos. Illi ſuorum humeros graui laſſant, atque opprimunt onere; Ego contrà, ſicut mater fœtum, in vulua geſto, atque in vtero foueo.

4 In vtero geſtaui vos, neque ex ſinu, atque vlnis vnquam excutiam. Portabò, quod non ſolet mater, vſque ad ſenectam, atque obſitum canicie caput. Ego creaui vos; ego feram, præſtabóque ab omni conflictu, atque diſcrimine ſecuros.

5 Cùm ergo tantùm inter me, Gentiliúmque Deos interſit, cui illorum Deorum ſimilem me eſſe putaſtis? cui illorum æquaſtis, & comparaſtis me?

6 Inanimata illa, atque ærea ſimulacra magis à vobis pendent, quàm ab illis vos. Sumunt enim corpus ex auro, quod è ſacculo promitis, & de argento, quod in ſtatera ponderatis. Conducitis opificem mercede, vt vobis Deum conflet, & excudat. Pòſt autem homines amentes, & cæci, ante conflatum opificis arte ſimulacrum procumbunt, & ſupplices adorant.

7 Portant illud, & circumferunt in humeris, neque ex eo, in quo ſtatuerunt loco, mouetur, niſi externus adhibeatur impulſus. Et inclamatum ab anxio, atque vlulante adoratore, ſurdum eſt, neque preces audit, neque confert ſalutem.

8 Expéndite hæc, ô filij Iſrael, qui ad ethnicos hos ritus, & impia Gentilium ſacra diffluxiſtis:

Et ho

Et horum vos aliquando pudeat. Reſumite iam cot, quod ad Idola prolapſi cum pietate ſimul abiecciſtis.

9 Cùm iubeo vos ad cot tedire,id clariùs iubeo vt ſuperioris ſæculi recordemini : in quo parentes veſtri humanitatis meæ, atque potentiæ opera planè admirabilia in ſe ipſis experti ſunt. Ex his itaque cognoſcite me Deum eſſe , neque vlli præter me eſſe tribuendam diuinitatem , aut aliquid quemquam Gentilium Deorum mecum habete commune,aut ſimile.

9 [p] *Recordamini prioris ſeculi, quoniam ego ſum Deus , & non eſt vltrà Deus , nec eſt ſimilis mei.*

10 Ego ſum ille qui ab exordio generis veſtri prædixi, quæ nouiſſimis poſtea tempotibus contigere,quæque nunc multò antè , quæ nondum facta ſunt, futura prænuncio. Neque ratum non erit,quod ego decreuero,neque ſucceſſu carebit, quod ego in rebus fieri voluerim.

10 *Annuncians ab exordio nouiſſimum , & ab initio quæ nec dum facta ſunt , dicens: Conſilium meum ſtabit , & omnis voluntas mea fiet.*

11 Ego ſum, qui virum illũ,quem mei conſilij miniſtrum eſſe volui , ab Oriente vocaui ; qui ea celeritate aduocatus ad explendum impetium aduolauit , qua volueris immenſa tranat ſpatia pernici volatu. Hæc ego prædixi de Chriſto humanæ,& de Cyto Babylonicæ ſeruitutis vindice; & quod de illis promiſi , ſuo præſtabo tempote. Ego creaui , atque adeò illud meo ſubeſt imperio,quid ergo dubium , quin illud, eo, quo ſtatui modo,perficiam.

11 [q] *Vocans ab Oriente auem,* [r] *& de terra longinqua virum voluntatis meæ. Et locutus ſum,& adducam illud:creaui, & faciam illud.*

12 Audite ergo me, ô Iudæi apud Babylonios captiui, qui contra prophetarum oracula , & tot à me vel collata, vel promiſſa beneficia obduruiſtis : qui me accuſatis violatæ fidei , quaſi procul ſitis ab ea iuſtitia obtinenda; id eſt,ab ea libertate,quam ego vobis toties promiſi.

12 [ſ] *Audite me duro corde , qui longè eſtis à iuſtitia.*

13 Non eſt cur meam aut accuſetis,aut requiratis iuſtitiam. Propè eſt vt promiſſa compleam, non longè aberit , quæ à vobis in ſuſpicionem vocatur iuſtitia mea ; & ſalutem à me comparandam non diu deſiderabitis. Ecce ſalutem & libertatem Sioni;& Iſraeli , quam perdiderat antè, gloriam inſtaurabo.

13 [t] *Propè feci iuſtitiam meam , non elongabitur , & ſalus mea non morabitur.* [v] *Dabo in Sion ſalutem,& in Iſrael gloriam meam.*

IN CAPVT QVADRAGESIMVM SEXTVM COMMENTARIVS.

1\. CONFRACTVS *eſt Bel , contritus eſt Nabò.*] De Gentium conuerſione , ac perinde de Idolorum ruina dictum eſt à propheta ſuperiori capite : nunc autem illa eadem pluribus,& cum acuta , atque eleganti inſultatione perſequitur. Intuebatur enim propheticis oculis in Babylonica vaſtitate per Cyrum, & liberato populo , & rurſus inſtaurata Ieruſalem Euangelij feliciſſimum , & aureum verè ſæculum,in quo latè iam radiante noua luce , fugatæ ſunt tenebræ, &, inducta noua religiunę , nugatoria Deorum ſacra corruerunt. Porrò hæc duo A idola pro aliis omnibus per ſynecduchen adhibentur. *Bel* Deus exiſtimatur fuiſſe Aſſyriorum , cui Ninus primus Aſſyriorum Imperator ſacraſſe dicitur aram,& ſuis , vt in Diuis numerarent , edixiſſe. Ita Hieronymus *in cap. 2. Oſeæ.* Quem à Latinis vocari *Belum* , & eundem eſſe , qui *Saturnus* dicitur, tradit hic;addítque tantam eius apud Gentes fuiſſe religionem , vt non illi ſolùm captiuorum ignobilium corpora , ſed etiam filiorum immolauerint. Certè quicumque fuerit,nam de huius origine, & nomine non laboro, eo loco fuit apud Gentes præſertim, quæ Hebræorum attingerent fines,vt ab eo *Bel* quis, qui & *Belus*

plurimi

plurimi alij dij compellationem acceperint. Hinc enim dictus eſt *Beelphegor* Deus Moabitarum, *Numer.25.* inde *Beelzebub* Deus Accaron, 4. *Reg.1.* & *Bthal* Deus Sidoniorum *ibidem*. Fuiſſe verò in maximo honore apud Babyloníos habes apud Danielem *cap.14.* & indicat Ieremias *cap.50.* Cuius templum fuiſſe Babylone celeberrimum tradit Herodorus *lib.1.* quod ibi luculenter deſcribit: & Diodorus Siculus *lib.3.cap 4.* Quod ad ſua etiam tempora durasſe ſeribit Plinius *lib.6.c.20.*

2. Nabò quis.

[b] De *Nabò* res eſt magis obſcura, quia boc tãtùm loco reperitur. Videtur autẽ eſſe præcipuus aliquis Babyloniorum Deus, & Belo dignitate proximus. Fortaſſe idem, qui *Merodach*, de quo pluribus ſuprà *cap.39.* aut eiuſdem noiæ. Nam *Ierem.cap.50.* cùm ageretur de Babylonis excidio, confundendus eſſe dicitur cum Bel. *Capta eſt Babylon, confuſus eſt Bel, victus eſt Merodach, confuſa ſunt ſculptilia, ſuperata ſunt idola eorum.* Hieronymus, *Nabo* ſignificare dicit prophetiam: Ex qua oratione ſuſpicor Babylonis hunc Deum ſolitum eſſe oracula reddere, & futuros rerum euentus prædicere. Quod ſi ita eſt, oſtendit propheta, ſicut vaſtata per Cyrum Babylone, idola confracta ſunt, & oracula ſublata, quæ ante illud tempus erant in ciuitate frequentiſſima: ſic etiam Euangelij tempore idolis religionem, & auſpicum, Pythonúmque reſponſis fidem ereptum iri. Quod quàm verè, & cumulatè completum ſit, ipſi etiam Idolorum ſectatores confitentur. Qua de re Plutarchus librum edidit. Quod teſtimonio Porphyrij Chriſtiani nominis inimici probat Euſebius *lib.4. cap.1. preparat. Euangel.* Sic enim Porphyrius in libro quem contra religionem Chriſtianam ſcripſit. *Poſteaquam Ieſus colitur, nihil vtilitatis à Dijs conſequi poſſumus.* Pro *Nabò*, Septuaginta poſuerunt *Dagò*, qui Philiſtinorum dicitur Deus 1.*Reg.cap.5.* qua id cogitatione, aut quo fundamento ita reddiderint, non video.

Tempore Euãgelij ceſſarunt Idolorum oracula.

3. [c] *Facta ſunt ſimulacra eorum beſtijs, & iumentis: onera veſtra graui pondere, vſque ad laſſitudinem.*] Cùm Perſæ alijs addicti ſacris alia colerent idola, veriſimile eſt pretioſa Chaldæorum ſimulacra comminuiſſe, eorúmque metalla in vſus alios, magiſque domeſticis rationibus neceſſarios conuertiſſe. Fuiſſe autem ex metallo conflatam, aut excuſſam Belis imaginem, habemus ex Daniele *cap.14.* vbi ærea dicitur eſſe forinſecus; ſed quòd alia quædam fuerint Babylonijs, & quantitate magna, & ex materia nobili, diximus *cap.45.* ex Diodoro Siculo *lib.3. cap.4.* quæ à Regibus Perſarum dicuntur aliò fuiſſe tranſlata.

4 Hæc ergo ſimulacra facta dicuntur beſtiis, & iumentis, vbi aliquid neceſſariò ſupplendum: quid verò ſuppleri debeat, non facile iudicatu eſt. Quidam ſupplent *ſimilia*, Quia belluarum imagines obſcœnas, & ignobiles colebat deluſa Gentilitas, neque quicquam erat in natura ſordidum, cui non diuinos honores exhiberet: ita Hieronymus, Haymo, Hugo, Dionyſius. Quòd verò belluas coluerint Babylonij, ſicut Ægyptij, docet Draco ille, qui *Daniel. cap.14.* in honore fuiſſe dicitur Babylonijs, & à Daniele occiſus. Alij ſupplent *impoſita*: quia Idola illa Babylonica iam contrita, iumentorum impoſita dorſis in Perſidem deportata ſunt. Ita communiter Doctores, S. Thomas, Foreirus, Emanuel Sà, Pintos, Vatablus. Alij in *beſtijs*, & *iumentis* homines intelligunt illorum deorum adoratores, qui ſanè niſi belluinum habuiſſent ſtuporem, nunquam ſe ad tantam ignominiam abieciſſent. In hanc explicationem inclinant S. Thomas, & Haymo.

5. Eſſe, aut fieri alicui idem eſt quod nubere.

Ego hic omnia impedita video, variiſque cogitationibus expoſita: Vt autem in priorem explicationem ex tribus abeam, ſupplendúmque putem *ſimilia*, facit præter illa, quæ à Hieronymo dicta ſunt, modus ipſe loquendi, qui in Scriptura aliquid, aut ſimile, aut præcipua aliqua ratione coniunctum cum aliquo ſignificat. *Eſſe* enim, aut *fieri alicui*, idem eſt quod cum altero arcto quodam vincolo copulari. Qua ratione inter ſe coniunguntur, conſpiránťque coniuges, quos matrimonium, aut ſimiles inuenit. Quòd ſi id minùs contingat, ſimiles facit. Vnde natum eſt, vt *eſſe*, aut *fieri alicui*, idem ſit quod *nubere*. Sic explicat Hieronymus, & Theodoretus in illud *Ezechiel. cap.16. verſ.8. Et facta es mihi*, id eſt, fuiſti mihi connubiali nodo copulata. Et *Ruth cap.4.* vbi Vulgatus, *Tulit itaque Booz Ruth, & accepit vxorem.* Hebr. eſt, *Accepit Ruth, & facta eſt illi.* *Oſea cap.3. Non fornicaberis, & non eris viro.* Qua loquendi forma, quod facit aliàs ſæpe, in Græco ſermone expreſſit Apoſtolus *ad Roman. cap.7. verſ.3.* nam vbi Vulgatus, *Si fuerit cum alio viro*, Græcè, *Si fuerit alij viro.* Et ſtatim vbi noſter legit, *Vt ſitis alterius, qui ex mortuis reſurrexit*, Græcè eſt, *vt ſitis alteri viro.* Iuxta hanc loquendi formam, non mihi videtur difficile, aliquid indicari ſimile, aut commune ſimulacris, cum beſtiis, & iumentis; ita vt inter illa inirì ſocietas ea poſſit, quæ inter coniuges adeò arcta eſt, vt ſit alter non ſolùm alteri ſimilis, ſed etiam idem. Hiſpanus diceret *Son para en vno.*

Ezech.16.

Ruth 4.

Oſeæ 3.

6. Sed eſt mihi facilior ſenſus, ſi *onera* per zeugma in priori parte intelligantur hoc modo, *Simulacra Bel, & Nabo, & aliorum Deorum, onera videlicet veſtra, ô Babylonij, quæ vos priùs humeris portabatis* (vt ſtatim dicetur) *facta ſunt onera beſtiis, & iumentis, quæ ita grauia fuere, vtpote ex ære, vt illa vſque ad laſſitudinem fatigauerint.* Quaſi dicat, in portando illo moleſto onere belluæ vobis ſucceſſere; quæ portare non poſſunt adactæ ſtimulis, quæ vos vltrò ſæpe portauiſtis.

7. [d] *Onera veſtra graui pondere vſque ad laſſitudinem, contabuerunt, & contrita ſunt ſimul; non potuerunt ſaluare portantem.*] Hæc dicta ſunt ad Babylonios, quorum humeris oneri fuiſſe dicit aureos illos, aut marmoreos Deos, potiùs quàm leuamento. Cyrillus hîc docet ita geſtari Deos à Gentium ſacerdotibus, vt habitu corporis ſignificarent premi ſe cœleſti pondere, & toto nixu contendere, ne ſuccumbant, qua ſimulatione captam eſſe ſtultam multitudinem, & in eam cogitationem adductam, vt exiſtimaret ibi aliquid eſſe diuinum. Idem nunc in ſolemni pompa fieri à Iaponiis accepimus, qui eodem habitu, ac nixu ſimulant ſibi ſatis virium non eſſe portando numini. Moris autem eſſe Gentibus Deos ſuos in fereulis honoris, & religionis gratia traducere, tradit Tertullianus *lib. de ſpectaculis cap.7.* & optimè Apuleius *in metamorphoſi lib.11.* vbi deſcribit pompam, qua Iſis, ſeu Luna triumphalem in modum geſtabatur. Nec longè aliter Theocritus *idylio 15.* Venerem, & Adonidem ab Arſinoë Ptolomæi filia traductos ſcribit. Sed omnium optimè, & clariſſimè Baruch *c.6.* qui ſic ad captiuos in Babylone loquitur, *Nunc autem videbitis in Babylonia Deos aureos, & argenteos, & lapideos, & ligneos in humeris portari oſtentantes metum Gentibus. Videte ergo, ne & vos ſimiles efficiamini factis alienis: & metuatis, & metus vos capiat in ipſis. Viſa itaque turba de retrò, & ab antè adorantes, dicite in cordibus veſtris, Te oportet adorari Domine,*

Gentium dij humeris circumferebantur.

Hæc

8. Hæc autem idola non ſolùm in vrbe circumferebantur cum feſtiuo plauſu, ſed etiam in via, vt duces eſſent; & ſi quid incurreret periculi, illud amolirentur. Ita Seruius in illud Virgilij *lib.6.* A

Ferebantur in via tanquam comites, & duces.

Errantéſque Deos, agitatáque numina Troiæ.

Cur Rachel Idola patris furata eſt.

Et eo fortaſſe conſilio Rachel furata eſt parentis ſui Deos, vt comites haberet in via, quam in peregrinam regionem moliebatur. Neque credo Pater eius Laban tam citò ſublatos eſſe Deos deprehendiſſet, niſi adhibere ſibi vellet itineris ſocios. Certè alij ſerui Iacob, atque domeſtici iuxta patriam conſuetudinem ſecum Deos tulerunt, quos poſtea Iacob ad Domini præceptum ſubtus terebinthum infodit. Huc facit quòd filij Iſrael iuxta morem, quem ab Ægyptiis didicerant, petierunt ab Aaron, vt Deos conflaret tam longæ peregrinationis ſocios, & duces, *Surge fac nobis Deos, qui nos præcedant.* B

9. Hinc iam credo conſtabit quid ſibi velit hîc Iſaias. Geſtabant Gentes, & præſertim Babylonicæ, vt vidimus ex Baruch, in humeris non ſolùm in vrbe, ſolemni plauſu, & feſtiua pompa, grauiſſima illa Deorum pondera vſque ad laſſitudinem, ſed etiam in viis, & ad bella, vt illos haberent ſibi tutelares. Poſt illud tamen pondus, & moleſtiam id conſecuti ſunt, vt non ſolùm nihil à diis impetrarint auxilij, ſed etiam viderint deos ipſos primùm captos ab hoſtibus, deinde comminutos, & in ſordida vaſa, & miniſteria tandem conflatos. Illa itaque quondam Babyloniis numina, & onera, omiſſo antiquo ſplendore, & nomine prorſus exrabuerunt. C

10. [e] *Et anima eorum in captiuitatem ibit.*] Quidam idolorum animam eſſe putant, cum irriſione tamen, id eſt, illa quæ putabantur animata. Ita Foreirus, & Vatablus; Adamus, & Hugo varij ſunt, ſicut etiam S. Thom. qui addit idola vocari *animam Gentilium*, quia ſic appellari ſolent ab amaſiis, illa, quæ in animo, atque in amoribus ſunt. Alij de Babyloniis hæc accipiunt, qui capti fuerunt à Perſis; in his ſunt Haymo & Emanuel Sa. Sed ſanè textus ipſe verborum ſatis indicat agi hîc de idolorum captiuitate, qui adeò eos, quibus oneri fuerant, non liberarunt, vt ipſa euitare non potuerint, quo minùs captiua abducerentur. Et huc inclinat Hieronymus, qui κατάχρηστικῶς putat idolis animam attribui. Quæ mihi valde probatur explicatio. Nam D ſicut per catachreſim hominis imago dicitur homo, ſic etiam per eandem figuram, quæ homini conueniunt, eius etiam imagini accommodari poſſunt. Eſt autem forma valde familiaris Hebræis; vt alibi pluribus oſtendimus, vt *anima alicuius* pro *aliquo* ſumatur. Quo modo dicimus. *Qui amat animam ſuam*, id eſt, amat ſe. *Odiuit anima mea*, id eſt, odiui ego: *anima iumentorum*, id eſt, iumenta. Sic ergo hîc *anima idolorum* pro idolis vſurpatur: quæ quia rerum animatarum imagines ſunt, animas habere finguntur.

Regula. *Anima alicuius*, pro eo, cuius eſt anima.

11. [f] *Audite me domus Iacob, & omne reſiduum domus Iſrael, qui portamini à meo vtero, & qui geſtamini à mea vulua.*] Vt aliis ſe modis Dominus Gentium idolis diſſimilem eſſe oſtenderat, ſic nunc aliam addit, eámque maximè notabilem diſſimilitudinem. Cùm enim Gentium ſimulacra ad dignitatem nulla, ad vtilitatem omnino vacua ſint; ad moleſtiam tamen, & onus ita ſunt grauia, vt cùm humeris portentur, miſeri cultores ſub eorum pondere laſſentur, & oppreſſi ſuccumbant. At Deus, à quo populus ipſius religioni conſecratus omnia cumulata ſuſcepit, grauis non eſt: qui tam eſt longè E vt aliorum humeros ſuo laſſet pondere, vt ipſe potiùs nutricis inſtar in vlnis geſtet; imò ſicut mater in vtero, & vulua. Quod expertus te ipſa Moyſes cecinit *Deuteron.32. Circumduxit eum, & docuit, & cuſtodiuit, quaſi pupillam oculi ſui. Sicut aquila prouocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans, expandit alas ſuas, & aſſumpſit eum, atque portauit in humeris ſuis.* Eſt autem vſitatum in Scriptura, vt cùm amorem tenerum, & mollem explicare vult, à matribus vocem ſumat, & ſimilitudinem: quia illarum penè impotens eſt in filios amor, & mollior indulgentia. Canticum *cap.1.* ſponſo tribuit vbera; & Iſaias *cap.66.* Deo vbera, & lac: & ab eodem *cap.60.* maximæ deliciæ per mamillas Regum ſignificantur. Sic etiam nunc per vterum, & vuluam, & amor mollis, & tener, & prouidentia ſingularis exprimitur. Hîc verò ſupplenda eſt nota ſimilitudinis: quo nihil eſt in Scriptura frequentius, in hanc ſententiam. Qui portamini à me non aliter, quàm portari ſolet infans à materna vulua.

A fœminis vocabula ſumuntur ad explicãdum tenerũ amorem.

Ex tranſlatione LXX. qui non vertunt *à meo vtero*; ſed *ab vtero*, alius elucet ſenſus, quem nonnulli ſequuntur è Patribus, qui vterum, & vuluam non tam attribuunt Deo, quàm in illis ortum ſignificari putant eorum, in quos Dei tam tenera, & dulcis declaratur indulgentia in hanc ſententiam. Non abiiciet Deus ad ſenectutem vſque curam, quam de ſuorum ſalute ab vtero, id eſt, ab infantia ſuſceperat. Neque parum fauet huic expoſitioni textus Hebraicus, quem nunc habemus, qui non tam dicit *à meo vtero, & à mea vulua*, quàm *ab vtero & vulua*. Sed Hieronymi tranſlatio multò ſignificantior eſt. Neque in textu Hebraico ratio defuit eius tranſlationi Nam מני *mini*, quod *vtero* præponitur, & *vulua*, non ſolùm *ab* valet ſed etiam *à me*, nam *iod* quod præpoſitioni מן *min*, adiicitur, particula poteſt eſſe paragogica, & affixum pronomen primæ perſonæ. Quare ad verbum ſic vertendum eſſet. *Qui portamini à me vtero qui geſtamini à me vulua.* Quod idem eſt, atque *à meo vtero, & à mea vulua.* 12.

[g] *Domus Iacob, & reſiduum Iſrael* dicuntur duæ tribus, quæ reliquæ erant ex genere Iſraelitico in terra promiſſionis, aliis decem non multò antè in exilium abductis, quæque tantùm iam audire poterant loquentem prophetam. Nam quòd ſermo iſte propheticus eos ſpectet, qui ex tanta multitudine relicti ſunt in Ieruſalem, poſtquam à Chaldæis exciſa fuit, aliis in obſidione extinctis, ſiuè in alienum ſolum deportatis à Nabuchodonoſor, quod nonnulli volunt, durum ſanè eſt, & minùs cum toto capite conſentiens, vt apparet. 13.

Hæc dicendi forma, qua Deus, quo ſit in ſuos animo, atque ſtudio declarat, pro re morali grauis eſt, & ad excitandos pios, qui ſe totos diuinæ tutelæ permiſerunt, & ad deterrendos illos, qui aliis ſcandalo ſunt, quo minùs in Dei ſinu, atque cuſtodia ſint. Quàm tutus poterit eſſe iuſtus, quàm de victu ſecurus, qui ſic in ſinu, & vtero clauditur Dei, quomodo fœtus in materna vulua; cui niſi matri deſit, nullo modo deeſſe poterit alimentum. Quæ maior indulgentia, quæ vis amoris, aut naturæ vehementior, quàm quæ matrem cogit, vt fœtum latentem in vtero ſuis alat, forméتque viſceribus? At Deus longè excedit hanc naturæ ſolertiam, & prolis curam, & amorem. nam mater ſic alit fœtum, quem in vulua continet, aut quem enixa eſt, vt non ſe ipſa paſcat, ſed menſtruo ſanguine, quem, quia ſuperuacaneus eſt, aliquando tanquam noxium 14.

Quid à Dei amore ſperare debeat iuſtus.

prouida natura reſpueret, & poſtquam eſt ſuſceptus in lucem, lacte, quod niſi mulgeat infans diſtenturum ſit; cruciaturúmque non leniter vbera materna. At Deus ſanguinem porrexit purum, & vitalem, & ſe ipſo paſcit, quem geſtat in ſinu, multò in ſuos indulgentior, & mollior quàm mater in filios.

15. Fert grauiter mater ſi quis filium ab amplexu diuellat, feríſque obiiciat dilacerandum, aut ad ſaxum allidat; ſed ferret multò grauiùs, ſi quis diſruptis viſceribus latentem in vtero fœtum iam proximum luci, aut in lucem feſtinantem, extraheret: quod auditu horridum, & omni ratione execrandum eſt. Dolebat Eliſeus, neque ſiccis oculis intueri poterat Hazael: quia præuidebat ab eo, vt fœtus adhuc immaturos elideret, diſſecandas eſſe prægnantes; quæ cùm audiret Hazael ab Eliſeo, dixit. *Quid enim ſum ſeruus tuus canis?* 4. *Reg.* 8. *verſ.* 13. *Canem* ſe meritò vocat, cuius nomen auerſatur, neque horret naturam. Et re vera id canum proprium eſt, qui neque à viſceribus parcunt. Quod crimen ita deteſtatur Deus, vt dixerit *Amos cap.* 1. contra Ammonitas. *Super tribus ſceleribus filiorum Ammon, & ſuper quartum non conuertam eum, eò quòd diſſecuerit prægnantes Galaad.* Ex his coniectare licet, quàm grauiter ferat Deus, ſi quiſpiam ex ſuo complexu filios diuellat, quos tanto dolore parturiuit, & peperit: Immò ſi quiſpiam diſſectis viſceribus in quibus infirmum fœtum fouebat, & formabat, illum extrahat, & elidat. Sanè in Dei viſcera inſtar canis ſæuit, qui malo vitæ exemplo, aut conatu ſiue ſuaſione impia creſcentem fœtum, & in quo iam Chriſtus formabatur, immaturum extinguit.

Deus dulciùs affectus in ſuos, quã in filios matres.

Contra eos, qui aliis ſcãdalo ſunt.

16. h *Vſque ad ſenectam ego ipſe, & vſque ad canos ego portabo.*] Si Septuaginta verſionem ſequeremur, facilis eſſet explicatio, quæ oſtenderet Dei ſedulam, & conſtantem operam, quam adhibet in fouendis conſeruandíſque illis, quos ab vtero in ſuam fidem, & tutelam recepit; quos non deſeret ad extremam vſque ſenectutem. Sed iuxta tranſlationem vulgati non minùs facilis eſt, & multò grauior ſententia. Se priùs Dominus cum matre comparauerat, cuius in filios amor non ſolùm tener, ſed etiam conſtans eſt: nunc aliquid maius à ſua beneuolentia promittit, quàm quod à matribus, quantumuis molli ſint ad prolem animo, præſtari ſolet. Illæ enim quamuis in alendis filiis longa ferant, grauia, ac propè continentia faſtidia, vbi tamen iam aliquid acceſſit roboris ætati, & ſuis pedibus ingredi incipiunt, à ſinu illos, & gremio deponunt: immò vi arcent à ſe, & abire cogunt. Sanè aues iam grandiuſculos pullos roſtro pellunt è nido, & redeuntes abigunt; idem faciunt equi calcibus, & canes morſu. Non ſic Deus, non ſic: nam quos teneros in infantia geſtabat in gremio, atque adeò in vtero, eoſdem ætate graues non minori ſtudio, atque indulgentia amplectitur, & fouet, cùm tamen longè maiora afferant faſtidia, & ad iracundiam prouocent Deum multò grauiùs, atque frequentiùs, quàm filij matrem.

Admirabilis Dei in ſuos indulgentia.

17. i Aliqui hîc *Dei ſenectam* intelligunt, quaſi Deus humano locutus more, ſibi ipſi ſenectutem, & canos attribuat. Ac ſi diceret, nullo tempore vos deſeram, etiam in eo, in quo poſt longa ſpatia exiſtimari poteram ſenex. Cúmque ſenilem parentum ætatem filij grati ſuſcipiant, & alant, quod bruta etiam animantibus natura præſcripſit, vt de ciconia conſtat; quod etiam de aquilarum pullis tradit Euſebius; Ego contrà etiam in ſenecta, quando à vobis alendus videbar, alam vos, atque portabo. Sed veriùs de populi ſui ſenecta loquitur Deus, id eſt, de illis, quos in ſuam fidem receptos loco filiorum habuit. Quod ſanè tanquam in typo oſtendit in gente Iſraelitide, quam Deus ab infantia, id eſt, ab Abraham ſui generis auctore ſuſcepit: quem ad extremam vſque ætatem non dereliquit. Senecta verò populi videtur dici poſſe tempus illud, in quo gens Hebræa ab hoſtibus durè, ac diu vexata populus eſſe deſiit. Ad illud enim tempus geſtauit Dominus in ſinu molliter, poſtea verò videtur à ſe procul abiecisse.

k *Ego feci, ego feram.*] Rationem reddit Dominus, cur tam larga, & conſtans futura ſit in illum populum indulgentia: quia pater eſt. Vt enim natura parentibus indidit eam in filios charitatem, vt pro illis moleſtias deuorent aſſiduas, & ſe pro illorum incolumitate periculis obiiciant, neque vlla filiorum, aut in referendis officiis ingratitudine, aut impietate, ſeu offenſione frangantur, quominus pro illorum ſalute, & commodis laborent: ſic Deus, quia populum illum genuit, ſpeciali quodam modo quando ex omnibus vnum ſibi delegit, illum ſuſcepit in infantia tenerum, & imbecillum, & pollicetur ſe in poſterum eſſe laturum. Id enim ſibi, vt ita dicam, oneris aſſumpſit, cùm illius pater eſſe voluit. Nam parentes non poſſunt illam naturæ neceſſitatem effugere quam alieni detrectant. Moyſes detrectat onus à Deo impoſitum non à natura, & negat populum ſibi eſſe portandum, quia non illum genuit; ſi genuiſſet, non detrectaret; quia id ſuo ſibi iure natura poſtulat. *Num.* 11. *verſ.* 12. *Numquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, vt dicas mihi, porta eos in ſinu tuo, ſicut portare ſolet nutrix infantulum.* Ex quo licet colligere mollem illam, & maternam curam commendatam Moyſi Chriſti vicario, & typo; licèt locus non appareat. 18.

Quanta vis naturæ parentibus inſita in filios.

Quomodo ſubditi à prælato tradiadi.

Hieronymus citatus à Leone Caſtro ideo populum illum à Deo genitum eſſe putat, quia nata eſt à matre ſterili, & ea ætate vt iam illi deſierint fieri muliebria. Quare tanta illa ſoboles à Deo propagata videri potuit. Sed ego apud Hieronymum non inuenio: neque placet expoſitio: quia licèt Deus ſterilem vuluam, & effœtam ætatem adiuuerit, corroborauerítque ad ſubolem; tamen non minùs Abraham, & Sara parentes vocari potuerunt, quàm alij. Ego hîc puto ſicut nuper in ſimili obſeruauimus, ſupplendam eſſe notam ſimilitudinis, hoc ſenſu *Ego feram vos, quaſi ipſe genuerim.* 19.

Antequam hinc abeo, libet adducere quod Auguſtinus ait *Pſalm.* 112. dum exponit illud, *Laudate pueri Dominum.* Vbi docet Dominum omni tempore, atque ab omni ætate debere laudari. *Ne dicatis*, inquit, *nunc incipimus quidem laudare Dominum, quia pueri ſumus; ſed cùm creuerimus, magníque fuerimus, nos ipſos laudabimus. Non ſic pueri, non ſic. Propterea dicit Dominus per Iſaiam* (iuxta verſionem Septuaginta) *Ego ſum vſque ſeneſcatis, ego ſum: Ille ſemper laudandus eſt, qui eſt.* Vide reliqua. Quod hîc Deus per prophetam promittit, id à Deo ſibi præſtari orat Dauid *Pſal.* 70. *In te confirmatus ſum ex vtero, de ventre matris meæ tu es protector meus, &c. ne proiicias me in tempore ſenectutis meæ: dum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.* 20.

l *Cui aſſimilaſtis me, & adæquaſtis, comparaſtis me, & feciſtis ſimilem?*] Ex antithetis oſtendit Deus, quàm ſit Gentium ſimulactis diſſimilis, quàm nihil ſibi ſit commune cum his, qui à ſtolidis exiſtimantur 21.

ſtimantur dij. Qui cultoribus ſuis magno ſunt ſumptui, & oneri, cùm conflari debeant aliorum impenſis, & alienis humeris portari; neque tamen interea vlli ſint vſui illis, quorum ſtudio, atque opera, vt in honore ſint, habent. Deus autem verus à quo religioſi coltores tot habent quotidie honoris, vitæque ſubſidia, neque ex metallo conflatur, neque fingitur ex marmore, & ſuos in humeris, immò in ſinu, atque viſceribus geſtat: vſque adeò illis moleſtus non eſt. Porrò quatuor illa verba omnino ſynonyma magnam vim addunt obiurgationi; quaſi Deus acerbiſſimè ferat conferri ſe cum illis nugacibus, atque monſtroſis diis.

22. m *Qui confertis aurum de ſacculo, & argentum ſtatera ponderatis, conducentes artificem.*] Elegans deſcriptio, neque explicationis egens, quæ oſtendit inutilia illa monſtra, & ab omni mente vacua nihil habere niſi ab homine, à quo magis ipſa pendent, quàm ab illis homo. Sumunt enim materiam, ex qua fiant, ex auro, quod ex ſacculo promunt, & ſtatera pondetant ſtulti adoratores: & formam ab artifice pecunia conducto: vnde quidquid habent aut ponderis, aut figuræ, artificis induſtriæ debent, & hominum detrimentis, & ſumptibus. Illud *in ſtatera ponderatis*, quidam ideo dici putant, quia qui artifici idola conflanda, aut cudenda locant, appenſum tradunt argentum conflatori, ne quis locus ſit fraudi, vel rapinæ, vt illud idem referat ad pondus: neque ego abnuo. Sed quid, ſi alluſum eſt ad antiquam conſuetudinem, quæ tunc fortaſſe ex parte durabat, quando pecunia ſignata non erat, ſed rudis; quare non numerabatur, ſed appendebatur. Quod primis temporibus vſitatum eſſe docet *æris*, & *libra*, tum etiam *libripendis* nomen, quæ in rebus contrahendis adhibebantur. Et quidem apud omnes nationes pecunia licèt à charactere ſæpe, ſæpius tamen nomen habet à pondere. Vt apud Latinos *as, pondo, vncia*, apud Græcos *drachma, talentum, mna*, apud Hebræos *ſiclus*, & *kicar*, quod vulgatus *talentum* reddit. Si autem ita apud Hebræos aliquando fuit (quòd enim ille non numerandi, ſed appendendi modus eſſe deſierit, non laboro, cùm mutatis rebus, modus tamen loquendi non ſemper mutetur.) Erit hîc ſententia eadem iterum aliis verbis expoſita; quod prophetæ ſæpe faciunt. Ac ſi dicat, Soluitis aurum, & argentum expenditis ad idola conflanda.

23. n *Cum clamauerint ad eum, non audiet.*] Hæc ſæpe repetita ſunt & ab hoc propheta, & à Baruch *cap.6. & Pſal.* 113. Irridet Elias Baal cui ſupplicabant eius ſacerdotes: qui cùm ad meridiem vſque clamarent, adderéntque precibus plagas, & ſanguinem, neque vlla idoli audiretur vox, aut oſtenderetur clementiæ ſignum, dicebat Elias. *Clamate voce maiori, Deus enim eſt, & forſitan loquitur, aut in diuerſorio eſt, aut in itinere, aut certè dormit vt excitetur. Clamabant ergo voce magna, & incidebant ſe iuxta ritum ſuum cultris, & lanceolis, donec perfunderentur ſanguine: nec audiebatur vox.* 3. *Reg. cap.*18. Sed neque cum minore irriſione, aut etiam contumelioſè magis, hæc eadem dicta ab illis, qui cùm idolis aliquando ſupplicaſſent, re ipſa experti ſunt in illis nihil eſſe ſubſidij, aut ſenſus. Sic enim Iuuenalis *Satyr.*13.

——Audis
Iupiter hæc, nec labra moues? cùm mittere vocem
Debueras, vel marmoreus, vel aheneus? aut cur
In carbone tuo charta pia thura ſoluta
Ponimus? vt video nullum diſcrimen habendum eſt
Effigies inter veſtras, ſtatuámque Batilli.

Alia à poëtis de ſuis diis dicuntur neque magis ad dignitatem, neque minùs amara, quæ tu vide apud Homerum, Lucianum, & alios.

o *Mementote iſtud, & confundamini: redite præuaricatores ad cor.*] Conſtat *ex lib.* 4. *Reg. cap.* 16. ab impio Achaz inductos fuiſſe in ciuitatem ſanctam, & in templum ipſum ethnicos, atque ſacrilegos ritus, quibus non parum infecti ſunt Iudæorum mores. Eos ergo Dominus admonet officij, iubétque vt iſta, quæ commemorata ſunt ad ſe ipſos referant, tacitique meditentur. Quos ſanè ſuperioris conſilij, atque amentiæ pudebit, ſi non omnino cum pudore, mentem quoque, ac ſenſum profligauerint. Quòd ſi hæc ad illos ſpectant, qui in Babylonia exules fuere, & quorum libertati Deus per Cyrum conſuluit (quod ſatis eſt veriſimile cùm nuper actum ſit de Babylonicæ religionis interitu) iubet Deus illis, quibus iam iam parata dicitur ſalus, vt iam tandem aliquando reſipiſcant, ſuique erroris, & væcordiæ pudeat. Amplexos autem Iudæos Babylonica ſacra, & idolis ſupplicaſſe, docet apertè Ieremias *cap.*16. Vbi etiam oſtendit, tales ab idolis Iudæos ſubiiſſe moleſtias, quales paulò antè Iſaias expoſuit. *Eiciam*, inquit, *vos de terra hac in terram, quam ignoratis vos, & patres veſtri: & ſeruietis ibi diis alienis, qui non dabunt requiem.* 24.

25. Dum autem iubet, vt præuaricatores iſti, quicunque illi ſint, redeant ad cor, oſtendit illos excordes, & dementes fuiſſe, qui non cognouerint, quibus in tenebris verſati, & quot incommodis quotidie affecti ſint. Simili nomine atque conuitio notatus eſt Ephraim cùm vocatur *columba ſeducta non habens cor. Oſeæ cap.*7. (Oſeæ 7.) Quæ ideo ſine corde eſſe dicuntur, quia cùm è columbario pullos ſuos quotidie auferri videant, eodem iterum ac millies redeunt & ibi oua fouent & pullos excludunt, qui iterum, ac ſæpius auferantur. Tum etiam quia cùm reliquæ aues retia caueant, & aucupem fugiant; columba tamen adeò ſtupida eſt, vt in laqueos ſpontè incurrere videatur. Idem propè acciderat iis, quibus cùm idola facultates abſtulerint, puta aurum, & argentum ad conflandas imagines, atque etiam filios, vt de Moloch conſtat. & de Bel præcipuo Babyloniorum Deo, ſi modò is eſt Saturnus, cui humana corpora votanda tradebantur, vt cum Hieronymo ſentiunt plures alij: nihilo tamen ſegniùs qui Babylonica illa ſacra obibant (à Deo cor & mentem abiecerant) ſpoliari opibus, & orbari filiis, ídque ſine vllo tanti doloris, atque diſpendij pretio, redibant tamen ad idem piſtrinum, & ad eundem lapidem ſæpius offendebant.

26. Cùm omnia peccata cor auferant homini: quia ſeruire faciunt diaboli tyrannidi; præſertim tamen cordis abdicationem ſeu rapinam Scriptura tribuit fornicationi, & ebrietati. *Oſeæ cap.*4. *Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor.* (Fornicatio, auaritia & vinum cor auferunt.) De fornicatione probat 2. *Reg.*7. de Salomone, cuius cor alienigenæ mulieres euerterunt, & *Daniel. cap.* 13. de duobus ſenibus quorum cor à concupiſcentia dicitur fuiſſe ſubuerſum. Item auaritia *Eccl. cap.* 10. de auaro *In vita ſua proiecit intima ſua.* Cor autem ablatum recuperatur per timorem Dei, *Eccl.*25. *Qui timet Dominum, conuertetur ad cor ſuum.* (Timor recuperat cor.) Per timorem enim plerumque moueri incipit animus ad ſpiritualem vitam, id enim eſt cor, in excorde excitari, & moueri. Deus enim per timorem cor pulſat, & ad vitam ſuſcitat: licèt aliis etiam modis aliquando

faciat. Quomodo 2. *Reg. cap.* 7. Dauid confitetur ſe reuelante ſeu inſpirante Domino cor inueniſſe. *Reuelaſti autem ſerui tui dicens, Domum ædificabo tibi, propterea inuenit ſeruus tuus cor ſuum, vt oraret.*

27. p *Recordamini prioris ſæculi, quoniam ego ſum Deus, &c. annuncians ab exordio.*] Hoc eſt redire ad cor, & quaſi illud reſumere, quod iam abiectum eſſe videbatur. Recordari nempe antiqua, quid nempe Deus olim officiorum contulerit: quid promiſerit, vt prædicta Patribus fideliter impleuerit: quæ quidem Gentium idola nunquam præſtare potuerunt. Hoc itaque eſt *in cor redire*, & intra ſe ipſos quodammodo verſari. Nam qui ad cogitationes alias, aut curas diffluunt, non ſolùm à Deo, ſed à ſeipſis, quàm longiſſimè abeunt.

28. q *Vocans ab Oriente auem, & de terra longinqua virum voluntatis meæ.*] Auem hanc multi Chriſtum eſſe dicunt, qui ab Oriente velociter ad hominum ſalutem aduolauit. Huc inclinat magis Hieronymus: tenent Haymo, & Dionyſius. Alij de Nabuchodonoſor accipiunt, quia hic ab Ezechiele *aquila* dicitur *magnarum alarum*. Alij dubij ſunt, vt S. Thomas, & Procopius. Plures de Cyro hæc interpretantur, in quibus etiam eſt Hieronymus ad finem capitis. Ego de Chriſto typicè ſumi puto, hiſtoricè de Cyro, conſequenter ad ea, quæ alibi à me ſæpius dicta ſunt. Sed cur Chriſtus dicatur *auis ab Oriente*, non facilè explicatu eſt, neque aliquid ab auctoribus affertur, quod valde ſatisfaciat. Montanus in *aui*, ſolem intelligit, qui propter velocitatem, qua ſuum luſtrat orbem, *volucris* vocari poteſt. Certè *pennatus* dicitur à Malachia *cap.* 4. *Orietur vobis timentibus nomen meum ſol iuſtitiæ, & ſanitas in pennis eius.* Et alibi Chriſtus non ſemel appellatur *Sol*: ita fortaſſe eſt, vt putat Montanus; ſed eſt metaphora duriuſcula, neque alibi quod ego viderim, etiam apud profanos vſurpata. Potiùs ego crederem alluſum eſſe ad columbam, quæ poſt terram oppletam diluuij aquis, extinctúmque hominum, & aliorum animantium genus, præter admodum paucos; rediens cum oliuæ ramo virentibus folijs pacis apportauit nuncium. Aut certè ad turturem, cuius aduentu, & cantu aduenisse nunciatur fugata hyeme veris clementia. Sed neque hæc ſatisfaciunt mihi, neque credo aliis admodum placebunt. Quare in *aui*, nihil deſignari aliud puto, quàm velocitatem illam, qua Seruator Chriſtus noſtræ redemptionis opus aggreſſus eſt; qui, vt de ſole cecinit Dauid *Pſalm.* 18. *exultauit vt Gigas ad currendam viam, à ſummo cœli egreſſio eius.*

29. Quòd verò ad Cyrum ſpectat, minùs eſt difficilis metaphora: nam ille cum exercitu magno à Perſide, id eſt, ab Orientali plaga, in Babylonios fines irrupit. Exercitum autem in ſcriptura *auem* vocari non eſt inuſitatum: ideo enim Nabuchodonoſor *Ezech. cap.* 17. *aquila* dicitur *magnarum alarum*; quia magnas copias in Iudæam inuexit. De quo *Ierem. cap.* 48. *Extendet alas ſuas ad Moab.* Et *cap.* 49. *Expandet alas ſuas ſuper Boſram.* Et à Latinis extremæ agminis partes *alæ* vocantur. Sed in Cyro peculiaris eſt ratio, quia, vt tradit Xenophon *lib.* 7. *Cyropediæ*, ille auream aquilam in haſta præferebat expanſis alis, à quo ſignum illud reliqui Perſarum Reges acceperunt. Siue ergo exercitus *auis* dicatur communi metaphora, ſiue hic ſpeciali ratione propter aquilæ ſignum Perſis familiare, aduocanda dicitur ab oriente auis illa, vt captiuos reduceret in patriam, & Babylonicos ſpiritus comprimeret.

Aquila Perſarũ inſigne.

30. r *Et de terra longinqua virum voluntatis meæ.*] Licèt hæc de Chriſto multò meliùs quàm de Cyro pronunciari poſſint, quia ille verè fuit vir voluntatis Dei, & de quo publico teſtimonio dixit, *In quo mihi complacui*, & ita ſtatuit Vatablus, qui cùm priora referat ad Cyrum, hæc tamen poſteriora exiſtimat ad Chriſtum pertinere; Nihilo tamen minùs puto cum aliis ferme omnibus hæc omnia aſcribenda Cyro eo, quem ſæpe dixi, ſenſu, nempe allegorico. Nam ſicut Cyrum aſſumpſit Deus ſuæ voluntatis adminiſtrum ad libertatem captiui populi, & Babylonici imperij ruinam, ſic ad comprimendam Diaboli potentiam, maioremque ſalutẽ, ac libertatem humano generi præſtandam Chriſtũ aſſumpſit.

s *Audite me duro corde, qui longè eſtis à iuſtitia.*] 31.
Cum Iudæis loquitur, quo tempore captiui agebant ſub Babylonica tyrannide. Appellantur autem hi duro corde, quoniam tot edocti infortuniis, toties à prophetis admoniti, in eadem tamen cordis obſtinatione, atque duritie perſtabant. Septuaginta pro *duro corde* tranſtulerunt, *qui perdidiſtis cor*, conſentaneè ad ſuperiora. Vbi iidem iubentur redire ad cor, quod nempe perdiderant, aut à quo longè antè receſſerant. Dicuntur iidem longè eſſe à iuſtitia: Vel quia peregrinæ religioni ſtudent, aut moribus indulgent Babylonicis: propter quod longè erant, vt à Deo libertatem, ad quam tam auidè aſpirabant, obtinere debuerint: vel, quod magis reor, cùm vndecunque viderent obſtructum ſibi ad libertatem aditum, longè ſibi videbantur à iuſtitia, non ſua, ſed Dei, id eſt, ab implenda promiſſione, qua Deus per Ieremiam mœrorẽ illorũ, & exilium ſolabatur. Quod ideo verius puto, quia huc ſpectãt, quæ mox adduntur, *propè feci iuſtitiam meam*, &c.

t *Prope feci iuſtitiam meam, non elongabitur.*] 32.
Digni erant Iudæi propter cordis duritiem, & quia Deum abeſſe longè putabant à iuſtitia, quos Deus in exilio in æternum relinqueret; ſed quæ Dei eſt liberalitas, & clementia, conſilium init, quo breui illos tuto, atque expedito reditu in patriam reduceret, ſuámque fidem per Iſaiam ſæpe, & clariùs per Ieremiam obligatam liberaret. Ideo aduocauit auem ab Oriente, id eſt, Cyrum à Perſide, qui pernici volatu datas ſibi partes perageret. Hæc verò multò cumulatiùs per Chriſtum præſtitit Deus, quem autorem eſſe voluit, & vindicem noſtræ libertatis, vt bene Hieronymus in fine capitis.

u *Dabo in Sion ſalutem, & in Iſrael gloriam* 33.
meam.] Hæc de Chriſto præcipuè intelligenda, immò de Chriſto ſolùm aliqui putant. Nihilominus adumbrata videntur in Cyro, qui fecit vt Sion deſerta à cultoribus, & in ſyluarum morem efferata ad antiquam rediret frequentiam, & gloriam. *Salutem dare* nihil eſt aliud, quàm facere, vt aliqui ſaluentur, ſeu proſperè agant. Vnde obuium in Scriptura, *ſalutem facere*, pro vincere, aut aliquid magnum atque ſtrenuum in aliorum commoditatem moliri. Hieronymus poſtquam hoc loco multis egit de ſalute per Chriſtum Seruatorem allata, addit ad finem capitis. *Cæterum iuxta hiſtoriam datur Sion ſalus, & Iſrael gloria, quoniam Deus propè fecit ſuam eſſe iuſtitiã, vt vocaret ab Oriente auem, & de terra longinqua virum voluntatis ſuæ, qui Iſraelis & euerſa Ieruſalem vlciſceretur iniurias: & Medis Perſiſque ſuperantibus Babylonẽ, Chaldæóſque deleret. Sicut ſequentia prophetæ verba teſtantur.* Ex quo apparet ex Hieronymi ſententia, ſuperiora quæ huc etiam ſpectant, de Cyro hiſtoricè eſſe intelligenda. *Hæc de capite quadrageſimoſexto.*

Argumen

Argumentum quadrageſimi ſeptimi capitis Iſaiæ.

PRIMVM agit de Babylonis clade, ſtatúque prorſus infelici, quem elegantiſſimè deſcribit in metaphora ancillæ, quæ duro alligatur, ac ſordido miniſterio. Eius verò calamitatis, & ignominiæ tres adducit cauſas. Prima eſt, quia inclementer accepit populum apud ſe captiuum. Secunda, quia ſuperbè de ſe cogitabat, æternúmque ſibi promittebat imperium, & pacem nulla rerum aduerſitate turbandam. Tertia, quia augures apud ſe aluit: eorúmque conſiliis obſecuta eſt. Quos ad extremum dicit, neque aliquid eſſe allaturos opis laboranti patriæ: & ipſos ſimul eodem cum aliis caſu ruituros.

CAPVT XLVII.

1 [a] *DESCENDE, ſede in puluere*
[b] virgo filia Babylon, ſede in terra: [c] Non eſt ſolium filia Chaldæorum, quia vltrà non vocaberis mollis, & tenera.

2 [d] *Tolle molam, & mole farinam: [e] Denuda turpitudinem tuam, [f] diſcooperi humerum, [g] reuela crura, tranſi flumina.*

3 [h] *Reuelabitur ignominia tua, & videbitur opprobrium tuum. [i] Vltionem capiam, & non reſiſtet mihi homo.*

4 [k] *Redemptor noſter, Dominuꝫ exercituum nomen illius, ſanctus Iſrael.*

5 [l] *Sede tacens, & intra in tenebras filia Chaldæorum: quia non vocaberis vltrà domina regnorum.*

6 [m] *Iratus ſum ſuper populum meum, [n] contaminaui hereditatem meam, & dedi eos in manu tua: [o] Non poſuiſti eis miſericordias: Super ſenem aggrauaſti iugum tuum valde.*

7 [p] *Et dixiſti; In ſempiternum ero domi-*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 LONGE aliter accidet tibi, ô Babylon, quam amplificauerunt, habitauerúntque Chaldæi. Deiicieris enim è ſolio in quo ſedebas Gentium Regina: ac denique ancillarem in modum ſquallida, & mœrens in puluere ſedebis. Neque iam amplius illis afflues, vacabíſque deliciis, quæ tibi mollis, & teneræ nomen indiderunt.

2 Sedebis itaque ad frumentariam molam, quod ſordidum, & durum ancillarum miniſterium eſt. Et quod fœminis dedecori, & turpitudini datur, detonſa cæſarie decaluaberis, nudabis prætereа humeros ad plagam, quos non ampliùs operient defluentes comæ. Tranſibis autem flumina, non vt antè ludibunda in lintribus, ſed vt captiua pedibus, & cruribus ad illam miſeram tranſmiſſionem ignominioſè nudatis.

3 Tunc autem detracto illo Regio apparatu, & alieno fuco, reuelabitur turpitudo tua: patebítque ignominia, quam ingentes opes, & Regia maieſtas occultabant. V ltor ego de te ſupplicium ſumam, neque vllus erit qui meis ſe conſiliis, atque armis opponat.

4 Noli ergo, ô Babylon, nimiùm in tua potentia, munitionéque confidere; quia Deo Iſrael, qui Iudaicæ libertatis vindex eſt, nihil eſt non expugnabile.

5 Sedebis, ô Babylon, Chaldæorum opera, atque impendiis aucta, è tuo deturbata ſolio; neque hiſcere audebis præ confuſione ſub maiori dominatu. Tenebras amabis pudibunda, in eíſque ætatem ſordidam, & ignobilem perpetuò deges. Neque vllo iam tempore te quiſquam Regnorum, Regúmque dominam compellabit.

6 Dignas planè pendis meritis pœnas; cùm enim ego populo meo ſuccenſerem, & à contaminato vellem pœnas exigere, eum tuæ potentiæ tradidi: non perdendum, ſed à contractis ſordibus expiandum. Tu verò illius vſque adeò miſerta non es, vt neque à ſenili ætate manus abſtinueris violentas, & duras. Graue etenim iugum incuruis à ſenectute ceruicibus impoſuiſti.

7 Et dixiſti apud te, heu nimiùm tuis votis

aſſentata: Nulla vis, aut tempus efficiet, quominus in æternum regnem; De his autem quæ à me de rerum tuarum viciſſitudine audis, nihil in mentem venit; neque quis eſſe poſſet extremus rerum tuarum exitus, recordata es.

8 Nunc ergo, ô nimiùm tibi, ac voluptati indulgens, quæ ſecura ſedes, neque tuis conſiliis quicquam aduerſum metuis: & quæ tibi plus ſatis confidenter blandita ſic tecum meditaris:

9 Ego ſum illa, qua nihil eſt melius, nihil auguſtius: quæ in me ipſa contineo, quicquid in natura rerum pulchrum eſt. Ego nunquam viduitatis incommodis implicabor: quia priuabor nunquam Regio, ac florente coniuge, neque ſterilitatis ignominiam experiar; quia filiorum ornabor numeroſa ſobole, neque illos vis vlla, aut calamitas eripiet.

10 Hæc tamen duo, à quibus ſecuram te fore in æternum putabas, ſimul tibi, atque inopinatò contingent. Vniuerſa autem hæc infortunia, quæ à me audiiſti, ideo inundauerunt ſuper te, quia incantatorum nugax, & veteratoria diſciplina apud te iam pridem in honore fuit. Quæ dum te falſa ſpe lactat, ſecuritatémque promittit, duros tibi, atque atroces indidit ſpiritus.

11 Licèt autem quamplurimis eſſes, iiſdémque fœdiſſimis cooperta flagitiis; ſperabas tamen illa omnia te laturam impunè; quia ſuperiorem poteſtatem eſſe non arbitrabare, quæ viſitaret te, & in res tuas inquireret attentè, & erratorum abs te tuorum pœnas exigeret. Hæc ſtulta cogitatio, quæ tibi videbatur eſſe ſapientia, fraudi tibi, atque exitio fuit. Quæ te eò prouexit ſtuporis, atque væcordiæ, vt diceres apud te. Ego ſum illa (neque vlla alia ciuitas eſt, cui mecum communis ſit iſta conditio) quam omnes venerari, & tanquam numen aliquod ſuſpicere debent.

12 Ingruet autem in te grauis illa clades à me prædicta, adeò inopinata, ac ſubita, vt te priùs aggrediatur, & opprimat, quàm eius ortum & quaſi præſagium, ac crepuſculum videas. Illud verò malum, quod te ſecuram, & exultantem obruet, nullo modo efficies, vt effugias; neque expiare vlla ratione poteris ſordes illas, quas inuehet tibi grandis illa, ac repentina calamitas.

13 Nunc ergo vide, an quicquam tibi præſidij contra Perſicas acies, quas in tuum ego exitium armaui, comparatum ſit. Occurre igitur iam cum incantatoribus, ac maleficis, quibus te totam, ô Babylon, ab incunabulis inſtituendam, & gubernandam tradidiſti, & experire an aliquid tibi opis afferre poſſint illæ diuinorum artes, & maleficorum præſtigiæ; aut ſi ex illorum conſiliis aliquid tibi roboris accedat.

14 Etſi multis te conſiliis, ac modis contra omnes naturæ, atque fortunæ caſus communieris, defeciſti tamen, ac corruiſti. Adſint nunc augures,

na: [q] Non poſuiſti hæc ſuper cor tuum, neque recordata es nouiſſimi tui.

8 [r] *Et nunc audi hæc delicata, & habitans confidenter, quæ dicis in corde tuo:*

9 [s] *Ego ſum, & non eſt præter me ampliùs:* [t] *Non ſedebo vidua, & ignorabo ſterilitatem.*

10 *Venient tibi duo hæc ſubitò in die vna, ſterilitas, & viduitas.* [u] *Vniuerſa venerunt ſuper te, propter multitudinem maleficiorum tuorum, & propter duritiam incantatorum tuorum* [x] *vehementem.*

11 *Et fiduciam habuiſti in malitia tua, & dixiſti:* [y] *Non eſt qui videat me.* [z] *Sapientia tua, & ſcientia tua hæc decepit te. Et dixiſti in corde tuo; Ego ſum, & præter me non eſt altera.*

12 [aa] *Veniet ſuper te malum, & neſcies ortum eius: & irruet ſuper te calamitas,* [bb] *quam non poteris expiare. Veniet ſuper te repentè miſeria, quam neſcies.*

13 [cc] *Sta cum incantatoribus tuis, & cum multitudine maleficiorum tuorum, in quibus laboraſti ab adoleſcentia tua, ſi fortè quid proſit tibi, aut ſi poſſis fieri fortior.*

14 *Defeciſti in multitudine conſiliorum tuorum: Stent, & ſaluent te augures cæli, qui contemplabantur ſydera,* [dd] *& ſupputabant*

bant menſes, vt ex eis annunciarent ventura tibi.

gures, qui cœli metabaotur ſydera; menſiúmque ſpatia: & multiplices lunæ motus, atque aſpectus contemplabantur, vt ex eorum facie tibi futurarum rerum exitus prædicerent; & ſi præſtare poſſunt, quod promittunt, arceant, quod tibi ab hoſtili acie impendet exitium.

15 [e] *Ecce facti ſunt, quaſi ſtipula; ignis combuſſit eos;* [f] *Non liberabunt animam ſuam de manu flammæ:* [g] *non ſunt prunæ, quibus caleſiant, nec focus, vt ſedeant ad eum.*

15 Tam incantatores, & diuini, qui à ſe ſtare putant cœli militiam, inimicorum armis reſiſtent, quàm vehementi igni arida ſtipula. Neque recuſare poterunt, quominus ab igne Perſico crementur, & pereant. Qui ſic combures præſtigiatores illos, atque maleficos, vt nihil ex illis relioquar humaois vſibus opportunum; non prunas quibus homioes focum ioſtruant, & rigentia membra confoueant. Sicut à combuſta ſtipula nihil eſt reliquum, quod vſui eſſe poſſit.

16 [h] *Sic facta ſunt tibi, in quibuſcumque laboraueras:* [i] *Negotiatores tui ab adoleſcentia tua, vnuſquiſque in via ſua errauerunt: Non eſt qui ſaluet te.*

16 Tales erunt tibi iocantatores tui, diuini, atque augures, quos apud te à primo fundationis tuæ tempore complexa es, ſecuráque in deliberando conſiliatores. Qui in ſua qualibet arte, omnes errauerunt. Non erit ex illis vnus, qui ſaluet, aut reficiat te; ſicut neque ad calefaciendum prunæ ſuperſunt ex combuſta palea.

IN CAPVT QVADRAGESIMVM SEPTIMVM COMMENTARIVS.

1. [a] DESCENDA, *ſede in puluere virgo filia Babylon, ſede in terra.*] Caput quod anteceſſit proximè, ita ſalutem pollicebatur Iſraeli captiuo, vt exitium quoque minaretur victricī Babyloni. Apte verò poſtquam in extrema parte poſuit ſalutem Sionis, & gloriam Iſraelis, nunc in principio huius capitis ignominiam, & ærumnam Babylonis prædicit. Verba autem grauia ſunt, & genus ipſum dicendi vehemens. Vnde quantum vaticinium hoc acerbitatis habeat, coniectare poſſumus. Statoit primùm propheta Babylonem in ſublimi ſolio, vbi ab infinitis propè gentibus ita ſuſpiciebatur, vt tantùm non coleretur pro numine. Deinde illam à ſolio deturbat ad locum ſordidum, & abiectum: iubet enim ſedere in puluere, quod illarum fœminarum proprium eſt, quæ in luctu ſunt, aut quæ miniſterium obeunt ancillare. Eſt autem *ſedere in terra* ærumnoſæ, & ſordidæ conditionis ſignum. Quare qoi priùs erant nobili apod ſuos loco, ab eo deturbati ſedere in puluere dicuntur. *Thren.2. Sederunt in terra, conticuerunt ſenes filiæ Sion.* Et de amicis Iob *cap.2. Sederunt cum eo in terra ſeptem diebus, & ſeptem noctibus.* Et Iudæa à Veſpaſiano capta in argenteo nomo fingitur in terra ſedens. Hinc in Scriptura frequens, vt qui ab humili ſtatu ad meliorem excitator, dicatur *eleuatus è puluere* ſeu *ſtercore.* 1. *Reg.2. Suſcitat de puluere egenum; & de ſtercore eleuat pauperem: vt ſedeat cum principibus.* Idem *Pſal.112. Suſcitans à terra inopem.*

Sedere in puluere dolentis eſt, & humilis.

B

2. [b] *Virgo filia Babylon.*] Nomen *Virginis* adiun-

A ctum prouinciis non ſemper honeſtum aliquid, & quod virginalem pudorem deceat importat, aut, quod alij volunt, quòd prouinciæ illæ vnum Deum coluerint, neque prodita fide coniugali cum Gentium idolis ſint fornicatæ. Alioquin neque hoc nomen tribueretur *hic* Babyloni, neque *cap.23.* Sidoni, neque *Ierem.cap.46.* Ægypto. Conſtat enim has prouincias proſtitutas eſſe omnibus Gentium idolis, & ad verticem vſque conſtupratas. Vide quæ diximos *cap.37.* ad illud, *Virgo filia Sion* Dicuntur ergo prouinciæ illæ *Virgines*, aut quia ita tractabantur delicioſè, ac molliter, ſicut tractati Virgines ſolent, quas amant, curántque diligenter matres, in eo ſtudio plerumque plúſquam matres. Nam ſicut ad mundum muliebrem, inſtructúmque B Virginalem vndecumque terrarum aduehuntur deliciæ, ſic etiam ad eas ciuitates, quæ *Virgines* dicuntur in Scriptura, qoidquid pretioſum erat, & pulchrum in aliis regionibus, conuehebatur. Dum ergo Babylonem *Virginem* vocat, teneram eſſe docet, & delicatam. Et hanc ſententiam planè indicat quod ſequitur. *Vltrà non vocaberis mollis, & tenera.* Vocari autem *Virgines* poſſunt illæ prouinciæ, vt *cap.37.* ſuprà docuimos, quia aut ab hoſte vi ſubactæ non fuerunt, aut occupatæ, aut ſponte alterius libidini, id eſt, potentiæ, ſeu armis non ſuccubuerāt, ſed ſuum quaſi florem, & ſpeciem illibatam ſeruabant. Hoc ſenſu vulgo Hiſpanorum mel vocatur *virgo*, quod non exprimitur è fauo manu, aut arte ſubacto, ſed vltrò ſtillat: & terra, *virgo* dicitur, quæ non eſt aperta, aut proſciſſa vomere, neque ad ſatus

accipiendos aliquid paſſa à ruſticorum induſtria.

3. *Babylonis quis conditor.*

c *Non eſt ſolum, filia Chaldæorum: quia vltrà non vocaberis mollis, & tenera.*] Hinc apparet, cur *Virgo* nominetur Babylon, quia nempe mollis eſt, & tenera. *Filia Chaldæorum* ideo vocata eſt, vt Hieronymus putat, quia ab illis condita, aut certè amplificata eſt: nam quamuis ædificata fuerit ſiue à Nembrot, quod videtur docere Moyſes *cap.* 10. *Geneſ.* dum de illo ait, *Fuit autem principium regni eius Babylon.* Et tradit Oroſius *lib.* 2. *cap.* 6. ita multos ſenſiſſe; ſeu certè à Semiramide, vt eſt communis Græcorum, Latinorúmque ſententia: & fatetur Hieronymus *in cap.* 2. *Oſee*, vbi adducit illud Ouidij *Metamor.* 4.

——Vbi dicitur altam
Coctilibus muris cinxiſſe Semiramis vrbem.

Quomodo à Chaldæis ædificata.

Nihilominus hîc à Hieronymo ædificata dicitur per Chaldæos: neque ratio deeſt ſatis idonea: quia Chaldæi ciuitatem illam amplificauerunt maximè, & ornauerunt, reuocata illuc imperij ſede, quæ ab aliis inde tranſlata fuerat in Niniuem, aut quia fluminis eluuionibus, aut temporis iniuriis minùs quàm antea nobilem, illuſtrem reddiderunt. Quod ipſe Chaldæorum princeps Nabuchodonoſur *Dan.* 4. de ſe prædicat. *Nonne hæc eſt Babylon ciuitas magna, quam ego ædificaui in domum regni.* Quod, ſi vllus alius, affirmare potuit non immeritò. Nam vt prodit Ioſephus *lib.* 10. *cap.* 11. ſpoliis bello partis è Hieroſolymitano præſertim excidio magnificis operibus ciuitatem ornauit: auxit etiam, & reparauit antiqua vrbis ædificia. Tres quoque ambitus murorum intra vrbem extruxit, & totidem foris circumdedit è coctili latere in regia domo quam ad antiquam adiunxit. Moles ſaxeas fornicibus ſuſpendit montium ſpeciem referentes ſupernè conſitas variis arborum generibus, de quibus plura ad illud *cap.* 13. *Super montem caliginoſum.* Quare conditor ciuitatis vocari poteſt. Neque inuſitatum eſt,

4. *Regula. Aliquid fieri dicitur ab eo, à quo inſtauratũ aut amplificatũ eſt.*

vt aliquid fieri dicatur ab eo à quo iuſtauratum, aut amplificatum eſt. Roma primùm ædificata eſt ab Euandro, de quo Virgilius *lib.* 8. *Æneid.*

Tunc Rex Euandrus Romanæ conditor arcis.

Sed quia Romulus exiguam priùs, & rudem vrbem amplificauit, & muniuit, communiter iam ab omnibus eius conditor eſſe traditur. Neque in Scriptura deſunt exempla: Nam Rameſſes ædificata dicitur à filiis Iſrael *Exod. cap.* 1. cùm tamen eius mentio fiat *Geneſ.* 47. & iuxta tranſlationem LXX. etiam Heliopulis, cùm tamen ante aduentum Iacob eius nomen auditum ſit *Geneſ.* 41. Vbi Ioſeph duxiſſe traditur filiam Putipharis ſacerdotis Heliopoleos. Sed ædificatæ dicuntur duæ iſtæ ciuitates ab Hebræis, quia ab illis inſtauratæ, ſiue amplificatæ ſunt. Quemadmodum Hiel 3. *Reg.* 16. ædificaſſe traditur Iericho, quia illam inſtaurauit, poſtquam exciſa fuerat à Ioſue *cap.* 6.

5. *Molo quid.*

d *Tolle molam, & mole farinam.*] Hieronymus hîc honeſta metaphora aliquid velari putat non honeſtum: verbum enim *molo* opus illud impudicum ſignificare cenſet, quod fœmina patitur à petulante viro. Quod ſibi perſuadet, quia apud Iob *cap.* 31. vbi Vulgatus, *Scortum alterius ſit vxor mea.* Hebr. eſt, *molat alteri vxor mea.* Et *Thren. cap.* 5. *Adoleſcentulis turpiter abuſi ſunt.* Hebr. eſt, *iuuenes ad molendum compulerunt.* Immò, quod magis mirabere, idem Hieronymus in hunc locum amplectitur Hebræorum ſententiam, qui illud *Iud.* 16. *Samſonem in carcere molere fecerunt*, ſic accipiunt, Samſonem non addictum fuiſſe piſtrino, aut operam dediſſe frumentariæ molæ, ſed coactum eſſe vt tanquam admiſſarius equus Philiſtinas fœminas iniret, vt ex his nobilis, ac robuſta ſoboles à parente robuſto, ac nobili naſceretur. Sed quidquid ſit de loco *Iob* 31. & *Thren.* 5. certè quod de Samſon *Iud.* 16. & *hic* de Babylonia dicitur à propheta, ſatis implet conſentaneè ad miſerorum fortunam molæ miniſterium in propria ſignificatione. Nam hoc opus eſſe ancillarum, & extremæ conditionis ſignum, liquet *ex cap.* 11. *Exodi.* Vbi cùm ſupremæ dignitati, infimæ conditionis opponitur nota, ancilla alligata molæ ad opus piſtorium nominatur. *Morietur omne primogenitum in terra Ægyptiorum à primogenito Pharaonis, qui ſedet in ſolio eius, vſque ad primogenitum ancillæ, quæ eſt ad molam.* Et in hunc ſenſum abeunt frequentes interpretes: neque eſt cur ad ignominiam aliud aut grauius, aut magis indecorum quæramus.

Mola ancillaris miniſterij eſt.

e *Denuda turpitudinem tuam.*] Hîc etiam Hieronymus aliquid ſubolet obſcœnum, & vocem Hebraicam צמה *tſamah*, quam alij *ſitum*, alij *ſilentium* interpretantur, ſignificare putat id, quod pudor ingenuus nominare vetat. Et in eundem ſenſum interpretatur illud *Cant.* 4. *Abſque eo quod intrinſecus latet.* Vbi vox eadem eſt צמה *tſamah.* Sed hoc vni placet Hieronymo: & nos in illum Cantici locum pluribus oſtendimus neque in ſacrarum nuptiarum dignitatem, neque in ordinem eorum, quæ ibi commemorantur, conuenire poſſe. Hîc autem in voce צמה *tſamah*, aliam turpitudinem videre videor, non illam, quam Hieronymus putat, nempe illam quæ eſt non à nuditate earum partium, quas natura, & pudor tanta ſolertia atque ſtudio velauit; ſed quæ prouenit à decaluato capite, quod fœminis eſſe magno dedecori diximus pluribus ad illud *cap.* 3. *Decaluabit Dominus verticem filiarum Sion.* Vide locum, qui maximè facit ad inſtitutum: quia ſignum eſſe dicitur detonſa cæſaries ſeruilis cõditionis. Quòd verò צמה *tſamah*, pro quo vulgatus tranſtulit *turpitudinem*, ſignificet *cæſariem*, docuimus in illud *cap.* 4. *Cant.* ex Abenezra, quem iam alij ferme omnes ſequuntur. Quò ſpectare puto, quæ ſtatim ſubiiciuntur, *Diſcooperi humerum.* Nam defluentes decorè crines humeros tegunt, atque illis eleganter innolitant. Quod ex profanis dixit Horatius *lib.* 4. *Ode* 10. 6.

Fœminis turpe caluum.

Et quæ nunc humeris innolitant deciderint comæ.

f *Diſcooperi humerum.*] Hæc omnia ſigna ſunt captiuæ fœminæ, & quæ ex ampla fortuna in ſeruilis conditionis ignominiam deſcẽdit. Neque diſplicet, quod dicebam modo, *diſcooperiri humeros* eſſe illos nudari à capillorum ornatu. Sed fortaſſe alia ratio eſt, ita vt nudari iubeantur humeri ad plagas, quas in tergo accipiant ancillæ ea corporis parte, in qua illis non iam ſunt ad ignominiam, & pudorem graues, quàm ad cruciatum, & dolorem acerbæ. Et quidem in dorſo ſolere plagas excipi paſſim Scriptura teſtatur. *Prouerbiorum* 10. *verſ.* 13. *Virga in dorſo eius, qui indiget corde.* Et *cap.* 26. *verſ.* 3. *Virga in dorſo imprudentium.* *Nahum* 1. *verſ.* 13. *Conteram virgam eius de dorſo tuo, & vincula tua diſrumpam.* Et in profanorum comœdiis vulgare eſt, vt ſeruuli aut ſuis tergis à verberibus caueant, aut illis terga conciſa, aut notata doleant. Aut certè *nudare humeros* eſt expedire ad ferendum onus, quos graui, atque aſſiduo ponderis preſſu depilari ſolitos, colligitur ex Ezechiele *cap.* 29. qui ita de Chaldæis in obſidione Tyri laborantibus. *Rex Babylonis ſeruire fecit exercitum ſuum ſeruitute magna aduerſus* 7.

Terga colli ſoliti ſeruis.

Prouerb. 10.

Digitized by Google

aduerſus Tyrum: omne caput decaluatum, & omnis humerus depilatus.

8. g *Reuela crura, tranſi flumina.*] Quidam hîc denunciari putant captiuæ Babyloni illud ludibrij genus quod ab inſolenti, & libidinoſi victoris petulantia ſubire ſolet captiuarum mulierculàrum humilis & ærumnoſa conditio. Neque rarò in Scriptura eiuſmodi intenduntur minæ, vt vidimus *cap.* 3. ad illud, *& Dominus crinem earum nudabit.* Quod aliter in Scriptura explicari ſolet, nempe, *diſcooperire ignominiam, reuelare pudenda, aut verecundiora.* Vide quæ diximus *cap.* 20. *verſ.* 4. de ignominia Ægyptiorum, & Æthiopum. Certè eiuſmodi ignominiam victis irrogari, vt nudi ſub haſtam traducantur, vſitatum eſt. Quam experti Romani fuerunt, vt refert Liuius *lib.* 3. primùm à Tuſculanis ſubacti. *Inermes,* inquit, *undique omnes ſub iugum à Tuſculanis miſſi.* Iterum à Samnitibus *lib.* 9. *Primi conſules propè ſeminudi ſub iugum miſſi.*

9. Hæc quidem ſatis veriſimiliter, ſed magis credo hîc à propheta ſubiici ancillaris conditionis habitum, & ſpeciem; quæ vt ad ſeruile opus magis ſint expeditæ, non vtuntur laciniosis veſtibus, longámque trahentibus caudam; ſed curtis, & ad omnem feſtinationem idoneis. Accommodatè verò ad vrbis naturam, & ſitum edici puto Babyloni, vt ſeſe ad exilium, & transmigrationem paret: quia vt in Perſidem captiua pergat, neceſſe eſt, vt patrium fluuium Euphratem tranſmittat. Quare iubetur vt longum deponat ſyrma, quo dum regina ſederet in ſolio, ſuperbè, ac molliter vtebatur. Et quæ priùs in domeſtico flumine ludibunda pictis vehebatur lintribus, eadem nunc pedibus cruribúſque ignominiosè nudis non iam cum tibia, ac ſiſtro laſciua, ac molli nauigatione, ſed moleſto, atque cœnoſo alueo flumen traiiciet. Alluſum autem puto ad conſilium Cyri, quo ita in plures alueos deriuauit Euphratem, vt per illum milites in ciuitatem irruperint. Quocirca Babylonij etiam ſine phaſelo, ac lintre nudatis cruribus illum tranſibunt.

10. h *Reuelabitur ignominia tua,* &c.] Hæc videtur ſuperiorum expoſitio, quæ cùm grauem contineat ignominiam, ex more iterum, atque iterum repetuntur. Sed vide an aliquid aliud indicent. Quantum ſibi Babylon in ſua potentia, ac pulcritudine placuerit, ſæpe à prophetis cantatum eſt, & ab hoc noſtro eleganter, & grauiter *cap.* 13. *& cap.* 14. Plerumque autem contingere ſolet vt munditiès, & elegantia, & exoticus odor, & externus fucus multa in homine tegant obſcœna, fœtentia, & indecora, quæ ſe tunc primum aliorum oculis, & ſenſibus aperiunt. Vbi aſcitus ille fucus, & apparatus ſublatus eſt. Quod etiam præſtare interdum nobilitas, & pecunia ſolent: quæ homines nonnunquam ſordidos, & execrandos aliorum opinioni commendant. Sic, vt puto, Babylon ſuis opibus atque potentia, quæ erant inter alia orbis imperia eximia, multa occultabat quaſi vlcera, fœda, atque fœtentia, quæ aliorum oculi, & nares ferre non poſſent. Sed poſtquam externo cultu à Perſis ſpoliata fuit, apparuit ignominia, & fœditas, quæ foris aduocato fuco celabatur.

11. i *Vltionem capiam, & non reſiſtet mihi homo.*] Significatur non tam à Perſica virtute, aut ab humana induſtria ſubiugatum iri Babylonicam gloriam, quàm à diuina manu. Quaſi dicat Dominus, Humanis viribus, ac machinis habuit hactenus Babylon, quas opponeret machinas, & vires; At nunc ſuperior potentia eſt, quæ Babylonem oppugnat, A cui humana quid contrà opponat opportunum, nihil habet.

k *Redemptor noſter Dominus exercituum, nomen illius ſanctus Iſrael.*] Hæc ab oraculi filo abſciſſa ſunt, & à propheta ſiue à populo, cui iam affulgebat lux libertatis, interpoſita. Qui quòd ipſe redemptus ſit, & quòd gens Babylonica ſeuerè mulctata, acceptum refert Dei virtuti, Dei inquam, non aliarum Gentium, ſed eius, qui colebatur in Iſrael, quíque Sanctus Iſrael appellatur ſæpe. Ac ſi dicat; Ne nimium tibi fide, ô Babylon, ab opibus, munitionibus, & omni apparatu bellico: quia ſancto Iſrael nihil eſt non expugnabile. Hæc puto claudenda eſſe parentheſi: quia à continenti filo diuiſa, & non ab B eo, à quo ſuperiora dicta ſunt. 12.

l *Sede tacens, & intra in tenebras filia Chaldæorum.*] immoratur Deus in eodem ſucceſſu ſæpius iterando, quæ repetitio maiorem indicat firmitatem oraculi. Hæc porrò deſcriptio eſt fœminæ quæ ex magno, atque excelſo ſtatu deturbata in ſordidam, atque ignobilem fortunam compacta eſt. Qualis eſſe ſolet fœmina, quæ marito illuſtri, & numeroſa filiorum ſobole quondam nobilis, pòſt verò viduata coniuge, & orbata filijs tenebras amat, & ſolitudinem, atque ibi ſe perpetuo ſilentio, atque angori tradit: vt de Hecuba habes apud Tragicos. Cur Babylon filia dicatur Chaldæorum diximus nuper. 13.

C m *Iratus ſum ſuper populum meum, contaminaui hereditatem meam, & dedi eos in manu tua.*] Hactenus deſcripta ſupplicia ſunt pro meritorum modo: nunc oſtendit Deus quam ob rem iam grauiter, & eo ſupplicij genere mulctata ſit Babylon. Quia nimirum ea præceſſerunt peccata in eo populo, dum rerum poriretur, quæ talem exigebant compenſationem. Huc alluſit Ioannes *Apocal.* 18. qui cùm de eiuſdem Babylonis interitu loqueretur, ſpectans ſine dubio ad hunc locum ait. *Quantum glorificauit ſe, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum, & luctum. Quia in corde ſuo dixit, Sedeo Regina, & vidua non ſum, & luctum non videbo.* Et primùm crudelitatem obiicit, quam gens illa barbara in populum captiuum exercuit. Nam cùm D Dominus illum purgare ſtatuiſſet, fornacem adhibuit Chaldæorum, non quæ colliquefaceret, ac ſolueret Iudæos, ſed quæ ſordes, quas vicinorum inoleuerant conſuetudine, ad purum excoqueret; Chaldæi tamen longè acceperunt duriùs traditum ſibi populum, & ad perdendum adiecerunt hoſtiles ſpiritus. Eadem propè Dominus *Zachariæ cap.* 1. *Ira magna ego iraſcor ſuper gentes opulentas: quia ego iratus ſum parum, ipſi verò adiuuerunt in malum.* Vide quæ ibi diximus, quia valde ad hunc locum faciunt. 14.

n *Contaminaui hereditatem meam*] Non ſignificat Deus populum à ſe fuiſſe contaminatum, ita vt ſordes à Domino contraxerit, ſi ſordes pro iniquitate ſumas, ſed peccatorum ſuorum ſupplicium accepiſſe. Vt enim *iniquitas* pro iniquitatis pœna ſumitur, ſic *contaminatio* pro contaminati animi E ſupplicio. Quo ſenſu *cap.* 43. *num.* 55. explicuimus illud. *Et contaminaui principes ſanctos.* Aut certè *contaminatum* vocat populum Iudaicum, quia antiquo, ac proprio ſpoliatus ſplendore in ſordibus vixit in alieno ſolo. Niſi mauis *contaminare* hoc loco eſſe declarare aliquem eſſe contaminatum flagitiis: quod ab vſu Scripturæ alienum non eſt, quæ id interdum ab aliquo fieri dicit cùm ab eo factum eſſe declaratur. Quale eſt illud Iob *cap.* 9. *verſ.* 31. 15.

verſ.31. Abominabuntur me veſtimenta mea, id eſt, abominabilem me eſſe oſtendent. Vide quæ diximus *Zachariæ cap.3.* de Ieſo Sacerdote in veſtibus ſordidis.

16. ° *Non poſuiſti eis miſericordias, ſuper ſenem aggrauaſti iugum.*] Plus ſibi iuria aſſumpſit Babylonicos furor quàm a Deo illis conceſſum eſſet. Affligi voluerat Deus Iudæorum populum, mitiùs tamen, vt ſanaretur, non vt periret, non vt profligata eſſet omnino humanitatis ratio. At ita laxarunt Babylonij ſui ſiue furoris, ſiue libidinis habenas, vt licere ſibi exiſtimauerint, quidquid collibuiſſet. Impoſuerunt enim graue iugum illis, quos ſenilis ætas, & autoritas ab illa moleſtia vindicarat. In iuuenes, virgines, & infantes, illa commiſerunt, quæ nullo modo patiebatur humanitas, aut pudor. Quæ dolenter Ieremias commemorat *Thren. 5. verſ.11. Mulieres in Sion humiliauerunt, & virgines in ciuitatibus Iuda. Principes manu ſuſpenſi ſunt, ſenum facies non erubuerunt. Adoleſcentulis impudicè abuſi ſunt, & pueri in ligno corruerunt.*

17. ᵖ *Et dixiſti; In ſempiternum ero domina.*] Duo hîc Dominus notat, & punit in Babylone: alterum quod ſuo furori in Iudæos quidlibet eſſe permiſſum exiſtimauerit: alterum quod ambitioni ſuæ nihil putauerit non eſſe conceſſum. Exiſtimabat ergo Babylon adeò ſe aliis eſſe ſuperiorem, adeò formidabilem, vt contra ſe nulla vis, aut poteſtas quicquam auderet. Atque ideò ſempiternum ſibi imperium arrogabat.

18. *Ponere ſuper cor, quid.* q *Non poſuiſti hæc ſuper cor tuum, neque recordata es nouiſſimi tui.*] Hæc, quæ nunc à me de rerum viciſſitudine audis, ô Babylon, nunquam meditata es: neque tibi in mentem venit nouiſſimæ fortunæ, quam tandem aduerſam experieris, metus, aut ſuſpicio. *Ponere* autem *aliquid ſuper cor*, eſt diligenter aliquid meditari. *Agges cap.2. A die, qua fundamenta iacta ſunt templi Domini, ponite ſuper cor veſtrum.* Et in eundem vſum adhibetur *ponere cor ſuper aliquid*, aut *in aliquo. Ezechiel. cap.40. Pone cor tuum in omnia quæ oſtendam tibi. Agges cap.1. Ponite corda veſtra ſuper vias veſtras.*

19. ʳ *Et nunc audi hæc delicata, & habitans confidenter, quæ dicis in corde tuo, Ego ſum.*] Superiorem fortunam Babylonis, & ſpiritus inſolentes, vaniſſimámque cogitationem proponit, vt grauius poſtea feriat minarum fulmen. Eſt enim ruina grauior, quæ fit ex magis excelſo rerum faſtigio; & dolor acerbior, cùm quis è magno cadit ſtatu, aut ex eo, in quo ſe futurum in æternum ſperabat. De his Iuuenalis.

———Tolluntur in altum,
Vt lapſu grauiore ruant.

Sed moltò elegantiùs Iſaias de Rege Babylonis *cap. 14.* quem vbi primùm cogitatione, & ſtudio ſumma omnia, aut tenere exiſtimabat, aut ſibi pollicebatur, ad infimum locum abiecit. *Quomodo*, inquit, *cecidiſti Lucifer.* Vide reliqua.

20. ˢ *Ego ſum, & non eſt præter me ampliùs.*] Rectat hæc inſolentiſſima animi ambitio, quæ quocumque interpreteris modo, putida ſunt, & quæ non ſine faſtidio, & nauſea audiri poſſint. Nam illa ſibi attribuit inſana Babylon, quæ Deus de ſe vno prædicauit ſæpe apud hunc prophetam *cap.43. 44. 45. 46.* vbi ſæpius auditur à Deo, *Ego Dominus, & non eſt ampliùs*; & ſimilia. Hoc idem credo hac inſolentiſſima oratione ſignificari à Babylone. Et perſuadet quòd Babyloniæ Rex Nabuchodonoſor excitata aurea ſtatua Coloſſææ molis pro Deo ſe ab omnibus coli iuſſit, & de ipſius nepote Balthaſare idem indicat Iſaias *cap.14.* dum de illo dicit: *Qui dicebas in corde tuo, In cœlum conſcendam: ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum.* Et ſtatim, *Similis ero altiſſimo.* Et *Apocal. cap.17.* Babylon adorari voluit; vbi Ioannes ad hunc locum Iſaiæ videtur reſpexiſſe.

Quòd ſi his verbis id ſibi velit Babylõ, ineſſe ſibi quidquid in rerum natura pulchrum, quidquid pretioſum, & auguſtũ eſt, ita vt extrà nihil ad aſpectum gratum, ad gloriam illuſtre, aut quæri, aut optari poſſit, hæc quoque vox inſolentiſſima eſt, dignáque quam Deus, tam longo, duróque ſupplicio millies exagitet.

ᵗ *Non ſedebo vidua: & ignorabo ſterilitatẽ: venient tibi, &c.*] De Babylone hactenus tanquam de fœmina locutus eſt Deus. Priùs de fœmina ancilla ad opprobrium, & miniſterium nuda, nunc de eadem, quæ quaſi Regina faſtu, ambitionéque impotenter inflata nihil metuit. Putiò ſuperbæ, ac lautæ fœminæ duo timere ſolent, aut viduitatem extincto coniuge, aut ſterilitatem non natis, aut vbi nati fuerint morte ſublatis filiis. Ab his duobus procul abeſſe periculum vano ſibi augurio blandiebatur Babylon, quæ tamen momento temporis & reginæ dignitate caruit regio coniuge oppreſſo, & matris ſuauitate, atque fœcunditate liberis extinctis. Quare quod non putabat repentè conſpexit. 21. *Digna peccatorum cõpenſatio.*

ᵘ *Vniuerſa venerunt ſuper te propter multitudinem maleficiorum tuorum; & propter duritiam incantatorum tuorum vehementem: & fiduciam habuiſti in malitia tua.*] Sicut pſeudoprophetarum artibus ſeducti filij Iſrael in captiuitatem abducti plurima ſeruitutis incommoda paſſi ſunt (de quibus Ieremias *Thren. cap.2. verſ.14. Prophetæ tui viderunt tibi falſa, & ſtulta; nec aperiebant iniquitatem tuam:*) Sic etiam incantatorum & maleficorum nugis decepta Babylon grauiter, atque inopinatò corruit. Promittebant credo aſtrologi Chaldæi omnia Babyloni ſecunda, & eiuſdem æternum futurum imperium diuinabant: loquebantur placentia, & ſub omni cubito puluillos conſuebant. Quorum illa pſeudomantiis nimiùm credula tanquam nulli vnquam futura ſubiecta, in omnium facultates, & vitam vi, rapinis, atque armis graſſabatur. Hinc illi odium, hinc ſtrages, & interitus. Quam verò Babylonij, ſeu Chaldæi arti aſtronomicæ, ſeu diuinatrici dediti fuerint, probat ſatis nomen ipſum. Iam enim communiter Chaldæi, ſeu Babylonij pro aſtrologis, aruſpicibus, ſeu incantatoribus vſurpantur. Qui vt tradit Cicero *lib.1. de Diuinatione*, iactabant habere ſe diſciplinam illam collectam per quadraginta, & ſeptuaginta annorum millia. De illorum doctrina quàm latè in omnem partem pateret, vide Diodorum Siculum *lib.3. cap.8.* Spectaſſe autem illos, præſertim collecta ex ſyderum obſeruatione, arte, quam genethliacam vocant mortis, vitæque modum, atque ſpatia docet Horatius *lib.1. Ode 11.* 22. *Chaldæi aſtrologiæ, & diuinationi dediti.*

Tu ne quæſieris (ſcire nefas) quem mihi quem tibi
Finem Dij dederint, Leucono, nec Babylonios
Tentaris numeros.

Et Cicero ſupra tot illa annorum millia poſita fuiſſe dicit, *in periclitandis, experiendiſque pueris, quicumque eſſent nati.* Quod multò grauior teſtis Ieremias docet *c.50.* vbi ait, Babylonem in portentis gloriari.

ˣ Cur verò dicatur *vehemens incantatorum duritia*, obſcurum eſt. Haymo *duritiam incantatorum* ideo vocari putat, quia incantatores Chaldæorum ſpiritus in omnem crudelitatem acuebant: quia ſic cenſebant illorum imperium amplificari, & con- 23.

ſeruati

ſeruari poſſe. Eodem penè modo Hugo. Hebr,eſt
pro *duritia* עָצְמַת *hhotſmath*,quod *robur* ſignificat.
& ita Septuaginta vertunt, & Chaldæus. *Robur* au-
tem hîc,non tam intelligo,quod eſſet in incantato-
ribus,quàm quod ex vanis , & ingenribus incanta-
torum promiſſis populus ſumebat Babylonicus. Et
hic mihi ſenſus probatur magis, tum quia tranſla-
tioni vulgatæ non repugnat,(ſatis enim eſt notum
durum pro forti , atque inuicto ſumi , ſicut contra
molle pro fragili atque infirmo,) tum quia meliùs
iſta cum conſequentibus cohærent:ſtatim enim ad-
ditur : *Et fiduciam habuiſti in malitia tua.* Quæ vi-
detur eſſe falſa, & nugax incantatorum promiſſio,
ſeu præſtigiæ,quibus excitata. & confirmata Baby-
lon nihil non audebat ; & ita putat Haymo. Ta-
metſi,quoad hoc poſterius ,magis mihi placet ſi di-
cas habuiſſe Babylonem fiduciam in malitia ſua;
quia cùm flagitiis eſſet vndecumque cooperta , ni-
hil tamen à vindice Deo metuebat. Quoniam eo
in errore erat, vt putaret latere ſe diuinos oculos,
aut certe ſubeſſe ſe ſuperiori poteſtati non putabat.
Vnde aptè ad hanc cogitationem ſubiungitur.

24. y *Et dixiſti,Non eſt, qui videat me.*] *Videre* hîc,
vt reor,non eſt quocumque modo ſpectare, ſed vt
inferiores à ſuperioribus videri, ſeu viſitari ſolent,
cùm ſtatis anni temporibus ſolemni ritu prouin-
cias obeunt,rationémque exigunt eorum,quæ con-
tra ius,& fas ab inferioribus magiſtratibus admi-
niſtrantur. Hac autem dicendi inſolentiſſima for-
mula fatetur Babylon ſe nullum agnoſcere ſuperius
numen,cui ſuarum actionum rationem reddat. Et
huc facit,quod nuper dicebamus ad illud, *Ego ſum,
& non eſt præter me ampliùs.* In hunc modum expo-
nit Haymo, & Adamus. Eadem,aut non valde diſ-
ſimilia dixit obduratus Pharao *Exodi* 5. *Quis eſt
Dominus , vt audiam vocem eius , & dimittam Iſrael:
neſcio Dominum , & Iſrael non dimittam.*

25. Si verò *videre* in magis vſitata ſignificatione ca-
pias , ita vt ſibi perſuaſerit Babylon occulta fore
peccata ſua , atque ita impunitatem habitura , lo-
quetur quidem minùs ſuperbè , impiè tamen , im-
pudenter. & ſtultè. Quod fecere etiam alij dum ſe
omnium vitiorum turpitudini intemperanter im-
mergunt. De quibus Iob *cap.* 22. *Quid enim nouit
Deus,& quaſi per caliginem iudicat , nubes latibulum
eius,nec noſtra conſiderat : & circa cardines cæli per-
ambulat.* Et *Pſalm.*72.*verſ.*11. *Dixerunt, Quomodo ſcit
Deus,& ſi eſt ſcientia in excelſo.* In quem etiam er-
rorem ſub hoc tempus lapſi ſunt Iudæi:& ideo gra-
uiter ab infenſo Deo patria , libertatéque priuati.
De quibus *Ezechiel. cap.*8. *Certe vidiſti fili hominis,
quæ ſeniores domus Iſrael faciunt in tenebris. Vnuſ-
quiſque in abſcondito cubili ſui: dicunt enim , Non vi-
det Dominus, dereliquit Dominus terram.* Eadem
propè *cap.*9. *verſ.*9. Placet tamen magis prior ex-
poſitio:quia magis cum his,quæ mox ſubiiciuntur,
conſentiunt.

Dei præſentia à peccatis auocat.

26. z *Sapientia tua, & ſcientia tua,hæc decepit te ; &
dixiſti in corde tuo,Ego ſum; & præter me non eſt alte-
ra.*] Hic fructus fuit ſapientiæ illius præſtigiatricis,
ſeu aſtronomicæ Chaldæorum,vt decepta Babylon
æternum ſibi promitteret imperium , & ſe ſolâ eſſe
arbitraretur , quam omnes venerari , & tanquam
numen aliquod ſuſpicere debuerint. Id enim eſſe
puto illud, *Ego ſum, & præter me non eſt altera.* Quæ
verba , aut non valde diſſimilia de ſe ipſo ſuprà di-
xerat Deus. Et reuera aliquid ſubolent diuinum,
aut humano maius. Vide quæ diximus nuper *nu-
mero* 20.

A Pro re morali obſerua à ſapientia propria homi- 27.
nem decipi;ab illa,inquam,ſapientia,quam ad ſuam
gloriam homines quærunt : & ſuis ad illam con-
ſiliis & artificiis inhiant, illa ſpiritus alit inſolentes,
& inflatus , quæ clamare facit , aut certè cogitare,
Ego ſum, & præter me non eſt altera. Hæc ſcientia eſt
Babylonica , nempe præſtigiatrix , & deceptoria;
quæ tam eſt longè à vera ſapientia , vt qui ex illa
ſe putant aliquid intelligere , omnino neſciant,
quomodo eos ſcire oporteat. De quibus Paulus 1.
*Cor.*8 *Scientia inflat , charitas verò ædificat: ſi quis au-
tem ſe exiſtimat ſcire aliquid , nondum cognouit , quo-
modo oporteat eum ſcire.* Qua de re optimè , & ele-
B ganter Bernardus in hunc Pauli locum , quem om-
nino vide. Vbi morbum eſſe dicit eiuſmodi ſapien-
tiam,quę tumorem inducit. S.Thomas in illum lo-
cum ſcientiam hanc inflantem cum veſicis compa-
rat,quibus tumuerunt , & exulcerati ſunt Ægyptij,
*Exod.cap.*9. Et quidem experientia ipſa compertum
eſt hoc hominum inflatum genus moleſtiſſimum
eſſe,neque aliis tantùm,ſed ſibi ipſis , dum ſua plus
ſatis amant, eſſe faſtidio. Qui cùm ſibi deberi om-
nia putent, neque ipſis alij deferant, offenſi, vt ne-
ceſſe eſt,illorum putida ambitione , & faſtu , indi-
gnantur ſæpe,& torquentur ab ipſa ſapientiæ opi-
nione ſtultæ cogitationis , & vaniſſimæ ambitio-
nis vltrice. Cui S.Thomas accommodat illud *Ec-
cleſ.*1.*verſ.*18. *In multa ſapientia multa eſt indignatio.*

C 28. aa *Veniet ſuper te malum , & neſcies ortum eius.*]
Pro *ortu eius* Hebr.eſt שַׁחְרָהּ *ſacharah* , quæ *auro-
ram* ſignificat. Videtur autem alluſum ad artem
aſtronomicam , ſeu genethliacam , quæ ex vario
aſtrorum ortu , ſeu aſpectu futuros rerum euentus
præſagit. Quaſi dicat Deus cum ſpecie quadam ir-
riſionis. Qui in aſtris exortus rerum,incrementa,
& fines videre ſe putant,illi in aſtris,quid ſibi à Do-
mino paratum eſſet mali,& eius ortum , ſeu auro-
ram,aut crepuſculum non cognouerunt. Hæc mihi
non difficilia ; verumtamen ſignificari hîc potiùs
opinor feſtinationem illam incredibilem , qua res
tota ab exercito Perſico peracta eſt. Nam , vt pro-
dunt communiter hiſtorici , antè capta fuit Baby-
lon,cuius æternum putabatur imperium,quàm ſub-
D eſſe periculó exiſtimaretur. Atque adeò priùs op-
preſſa eſt ingenti clade, quàm eius cladis ortum , &
quaſi præſagium , & crepuſculum videret : qualis
eſſe ſolet armorum ſtrepitus, murorum verberatio,
& eorum aperta ſeu debilitata clauſtra, & quæ an-
tegredi plerumque ſolent ciuitatum excidium. For-
taſſe alluſum eſt ad Perſarum morem , qui cùm Re-
gem ſuum *Solem* appellent, atque ideo illi coronam
inſtructam radiis ad Solis inſtar imponant , in acie
Luciferi ſimilitudinem præmittunt : ignem videli-
cet in haſta ſublatum , & prælucentem. Vt quem-
admodum Lucifer ſolem: ſic etiam ignis ille Perſa-
rum Regem antecedat. Qua de re nos pluribus ad
illud *Actor.*7. *Et ſydus Dei veſtri Rempham.* Ignis
E autem ille præuius, qui Perſis pro vexillo eſt, opti-
mè vocari *aurora* poteſt. Ait ergo propheta , tam
repentinam fore ciuitatis cladem, tam occultas in-
ſidias,vt antè ciuitas opprimatur,quàm videat Per-
ſici exercitus auroram, id eſt, familiare ſignum. De
repentino,atque inopinato Babylonis excidio vide
Danielem *cap.*5. Herodotum *lib.*1. Xenophontem
*lib.*7.*Cyropediæ*:& quæ nos ſuprà diximus *cap.*22.

Regem Perſarum præcedit ignis.

29. bb *Quam non poteris expiare.*] *Sordium* nomi-
ne ærumna ſignificatur , & infortunium ; maximè
quando quis è ſublimi , in ſordidam & ignobilem
conditionem abiicitur. Hinc fit, vt quæcumque li-
beratio

beratio ab exilio, ludibtio, aut quacumque alia iactatione dici poſſit *expiatio*: quia etiam illa, de quibus modò, *ſordes* nominantur. Ait igitur propheta expiari non poſſe illa, quæ impendent mala, nimiùm credulæ, atque ſecuræ Babyloni: quia recuſare nullo modo poteſt, quin illa ſubeat. Non enim eo rerum articulo preces, non lacrymæ, non pecuniæ Perſarum animos emolliſe poterunt, quominus Domini cogitata perficiant.

30. Contra Dei conſilia vanus eſt hominũ conatus omnis.

cc *Sta cum incantatoribus tuis, & cum multitudine maleficiorum tuorum, in quibus laboraſti ab adoleſcentia tua, ſi fortè quid proſint.*] Omnia ſecunda ac tuta ſibi promittebat Babylon ab incantatorum præſtigiis. At contrà Dominus vires aduocabat Perſicas; quas contra neque cumparata ab antiquis præſidia, neque noua incantatorum commenta quicquam opis afferre potuerunt. Deus enim Chriſto ſuo Cyro ianuas aperuit, & vectes confregit ferreos: & ne quando offenderet in dato ſibi negotio, eius apprehendit dexteram. Inſultat nunc ergo Deus nimiùm ſecuræ ciuitati, iubétque vt obuiam occurrat Perſis cum ſuis incantatoribus, & maleficis, in quibus ab adoleſcentia laborarat: id eſt, quibus ſe totam inſtituendam, gubernandámque tradiderat, & vndecumque Gentium magno ſtudio, ac ſumptu congregarat: vt re ipſa tandem experiatur, quid momenti habeant illæ meræ incantatorum nugæ, & quàm ſit futilis, & vana illa aſtrorum fides, atque doctrina.

31. Luna menſes inchoat, & metitur.

dd *Et ſupputabant menſes, vt ex eis annunciarent ventura tibi.*] Antiquorum menſes, & maximè Hebræorum à Luna principium, & menſuram ſumebant, quæ cùm vario aſpectu, ac ſitu varias etiam inducat rerum viciſſitudines, & motus, fit vt Lunæ ortus, defectus, & incrementa maximè obſeruentur ab aſtrologis. Cùm autem alia ſigna ſint & plurima, & varia, ex quibus futuros euentus præſagiunt Mathematici, menſium præcipuè propheta meminit: quia ex Luna illorum moderatrice ſigna ſumuntur, neque obſcura, neque pauca: Cùm tamen non ſolùm dies, ſed horarum quoque momenta notare, atque explorare ſoleant. Menſes itaque poſuit per ſynecdochen pro quacumque alia temporum menſura, aut quia pro ſingulorum menſium ratione, Solíſque cum aſtris vario congreſſu, notabilis fit rerum mutatio.

32. ee *Ecce facti ſunt quaſi ſtipula, ignis combuſſit eos.*] Cùm infirma aliqua vis cum alia longè potentiori confertur, ſtipula, aut ſtuppa cum flamma coniungitur, quæ aduerſus igneam vim nullam habent reſiſtendi facultatem, Vide quæ ſuprà diximus *c.1. v.* 31. Tam ergo incantatores illi, qui à ſe ſtare putant cœli militiam, & aſtra contra hoſtiles acies coniurata, reſiſtent Perſico apparatui, quàm arida ſtipula flammæ vehementi.

ff *Non liberabunt animam ſuam de manu flammæ.*] Alibi à nobis dictum eſt, per animam hominem, aut etiam animal circumſcribi: Vnde *anima mea* idem eſt, quod *ego*; *anima iumentorum*, idem quod *iumenta*. Dicuntur ergo iſti aſtrologi, iuxta hanc ſcripturæ phraſim, non poſſe ſe ipſos liberare.

33. Extremæ vaſtitatis ſigna.

gg *Non ſunt prunæ, quibus calefiant; nec focus, vt ſedeant ad eum ſic facta ſunt tibi.*] Hæc quidam ad diuinam aliquam ſapientiam, & illuſtrationem referũt, quibus populus ille caruit, & cæcus, & amens in exitium præceps actus eſt. Ita Hebræi, vt tradit Hieronymus, quorum ſententiæ, dum non improbat, ſubſcribere videtur, quam ſequitur Haymo, neque diſplicet S. Thomæ. Alij putant incendium illud, quo Babylon conflagratura dicitur, non futurum eſſe moderatum, ac leue, quale illud eſſe ſolet, ad quod, qui in hyeme frigent, ſedere ſolent, ac rigentia fouere membra; ſed acre, & vehemens; ita Dionyſius, Hugo, & Pintus. Alij extremam vaſtitatem denunciari putant quæ tunc demum accedit, quando ex magna mole nihil omnino reliquum fit. Quod optimè ſignificari putant per cinerem ex ſtipula relictum. Nam ſi lignum comburatur grande, prunæ ſunt ad varios vſus opportunæ, ad calefacienda membra, & ad condiendos cibos, & ad alias commoditates præclaras, quas præſtat ignis; At combuſtæ ſtipulæ, quæ momento temporis in cineres abeunt, nullum hominibus vſum afferunt, Ita cenſent Foreirus, & Adamus. Et hæ poſtremæ ſententiæ quæ vnam componunt, mihi probantur maximè. Addo tamen mihi videri hîc eſſe prouerbialem figuram, qua ſignificamus aliquid ad extremam fortunam eſſe deductum. Quomodo dicimus ad explicandam magnam cladem, neque igniferum eſſe ſuperſtitem: & in alia metaphora vas ſic eſſe confractum, vt neque fruſtum reſiduum fuerit ad portandum igniculum de incendio, vel ad hauriendum parum aquæ de fouea. Qua vſus eſt Iſaias ſuprà *cap.* 30. Sic etiam puto hoc dicendi genere ſignificari ex ſtrage Babylonica, neque illud leuiſſimum futurum eſſe reliquum, quod in magnis etiam incendiis plerumque aſſolet, nempe prunam aut carbonem, quæ vbi ignem conceperunt, poſtea refrigerata inutilia non ſunt, neque leui pretio apud noſtrates veneunt. Ad quã ſententiam facit illa apodoſis: *Sic facta ſunt tibi.* Id eſt, ſic accidit tibi ſicut ſtipulæ, aut ſtuppæ ſolet, quæ in cinerem ſolutæ nihil habent hominum vſibus opportunum.

Septuaginta aliter vertunt: *Quia habes carbones ignis, ſedebis ſuper eos*, quæ cum amara irriſione fuiſſe dicta putat Cyrillus in hanc ſententiam. Habuiſti, ô Babylon, inflammatos, & feruentes homines, ſuper eos ſedebis, nempe quieta ab omni periculo, & metu. In quam etiam expoſitionem inclinat Procopius. Et addit in carbonibus, ſuper quos ſeſſura dicitur Babylon, intelligi pœnas ad reſipiſcendum vtiles: quod iuxta Septuaginta verſionem Hieronymo non diſplicet: ſic enim ille: *Poſſumus hoc dicere quòd multò vtilior ſit ignis, & incẽdium Babyloni, quàm fuerunt Magi, & Gazareni aſtrologi, & incantatores. Hic enim eos per pœnas, & ſupplicia ad pœnitentiam prouocat, illi per errorem ducunt ad ſuperbiam.* Ego quidem iſta non improbo, exiſtimo tamen, quod ad ſenſum attinet, parum Septuaginta tranſlationem à vulgata differre. Nam Chaldæorum aſtrologos, aut præſtigiatores, qui in falſam ſpem ciuitatem induxerunt, non conſiliatores fuiſſe affirmat, aut propugnatores, qui patriam defenderent, ſed carbones ardentes, qui illam inflammarent, & in fauillas inutiles redigerent. Eſt autem vſitatum tam in profanis, quàm in ſacris ſcriptoribus, vt cauſa alicuius exitij flamma dicatur, aut incendij fax: ſicut etiam ſtrages, & exitium incendium nominatur. Quòd verò ſedere ſuper ignem, aut carbones, ſit aliquid in ignem eſſe redactum, conſtat ex probatis autoribus. Virgilius 2. *Æneid.* 34.

Tunc verò omne mihi viſum conſidere in ignes
Ilium, & ex imo verti Neptunia Troia.

Et Statius *lib.* 3. *Thebaid.* *Conſidere in cineres.*

hh *Sic facta ſunt tibi, in quibuſcumque laboraueras.*] Omnia quæcumque magno, diuturnóque labore quæſieras, in cineres tibi, id eſt, in nihilum redibunt. 35.

ii Nego

35. 11 *Negotiatores tui ab adoleſcentia tua, vnuſquiſque in via ſua errauerunt.*] Quidam hæc refetunt ad illos, quibus eum Babylonij aliquid habuere commercij, qui dum ſuæ magis, quàm Babylonis gloriæ, & incolumitati cunſulunt, quam illi fœderis, & ſocietatis fidem obligauerant, perfidioſè prodiderunt. Communiter alij ad aſtrologos, & Magos Chaldæorum, quibus meritò oegotiatorom nomeo accommodatur: quia artem illam augutatricem, & præſtigiatricem quæſtui habuerunt. Quos aluit apud ſe vix dum nata Babylon: quia ab incunabulis coluit nugacem illam ſyderum diſciplinam. Vnde ortum eſt vt iam Chaldæi communi ſermone pro Magis, ſeu aſtrologis vſurpentur. Quilibet ergo horum, qui futora ſe putant præſeotire, hi extiſpiciis, illi garritu, ſeu aſpectu volucrum, alij contemplatione ſyderum, alij aliis dæioonum ludibriis, in via ſua, id eſt, in ſua arte decepti ſunt: neque enim viderunt quicquam, aut prædixerunt, quod ſaluti eſſe potoerit infelici patriæ. Quod ſanè mirandum non eſt, cùm ab eo alienum animum habuerint, à quo vno vera A ſalus, atque incolumitas ſperari potuit.

Hîc ad extremum obſeruandum Chaldæos ſe non ſolùm principes exiſtimare artis aſtronomicæ, atque diuinatricis, ſed etiam primos inuentores. 36. Adeò vt apertè dicant habere ſe ſyderum, rerúmque cæleſtium ſcientiam non minùs quàm quatuor centum, & ſeptuaginta mille annorum obſeruatione comparatam, vt refert Cicero *lib. 1. de diuinatione.* Sanè Ninus Aſſyrij imperij auctor, Zoroaſtem ſuperauit Bactrianorum Regem, & eius regnum ſuo adiunxit imperio: hic verò, vt tradit Iuſtinus *lib. 1.* artes magicas primus inuenit, ſyderúmque motus ſolertiſſimè notauit, atque diſtinxit. Eſt autem veriſimile in ea regione maximo loco, & pre- B tio eam artem fuiſſe habitam, vbi primùm inuenta eſt: inuenta autem eſt io regione quæ Aſſyriorum antea, deiode Chaldæorum imperio ſubiecta fuit. Quare optimè dicuntur negotiatores, id eſt, mathematici in Chaldæorum regione fuiſſe ab adoleſcentia: quia ars illa in eo imperio nata, & in eo maiorem in modum prouecta fuit. *Hæc de capite quadrageſimo ſeptimo.*

Argumentum quadrageſimi octaui capitis Iſaiæ.

LOQVITVR *hîc Dominus cum Iudæis, à quibus fucata tantùm religione colebatur; & quia inſtabili erant, pronóque ad idolomaniam ingenio, rationes adducit, quibus ſe verum probet Deum, & illos in fide, ac religione contineat. Primùm vrget rationem ſæpius antè propoſitam: Quòd, quæ euenerunt parentibus, multò antè ab ipſo prædicta fuerint. Quia verò futurum erat, vt in exilio, An verus eſſet Deus, quem coluere parentes, dubitarent, futurique eſſent incantatores, & diuini, qui Iudæis perſuadere ſtuderent, nunquam illis in patriam fore remigrandum, illos nouo vaticinio docet, atque confirmat. Quod ad hoc vſque tempus reſeruatum dicit, ne dicere poſſent ab aliis ſe priùs audiuiſſe. Eſt autem vaticinium de Iudæorum captiuitate, & de Cyro, qui deleto Chaldæorum imperio, illorum libertati conſuluit. Cùm verò oſtendiſſet ſe verum eſſe Deum, qui populum doceat, quæ futura ſunt ex ipſius vſu, & regat ſine offenſione in via, occurrit tacitæ cogitationi illorum, qui hæc non valde vera eſſe putarant; cùm populum viderent ab hoſtibus ſæpe, & durè iactatum; Quibus reſpondet, minùs felicitatem prædictam aduenisse populo, quia ipſe doctrinam illam vtilem amplexus non eſt. Deinde poſt fornacem non duram, quam apud Babylonios ſubibunt Iudæi, glorioſum reditum in patriam promittit.*

CAPVT XLVIII.

1 [a] AVDITE *hæc domus Iacob, qui vocamini nomine Iſrael, & de aquis Iuda exiſtis,* [b] *qui iuratis in nomine Domini, & Dei Iſrael recordamini, non in veritate, neque in iuſtitia.*

2 [c] *De ciuitate enim ſancta vocati ſunt, & ſuper Deum Iſrael conſtabiliti ſunt:*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 AVDITE domus Iacob, qui ab Iſraele parente nomen accepiſtis, ita vt Iſraelitæ vocemini, non Iacobitæ. Audite, inquam, non omnes, qui ab Iſraele prognati, ſed qui ab eius filio Iuda genus ducitis. Qui, vt vos religioſos profiteamini, ac pios, in iuramento nomen interponitis meum, illúdque ſæpe in pactis atque cõuentis, publicíſque cæremoniis vſurpatis, non tamen id ſyncero, ac iuſto, ſed iniuſto atque fucato animo. Nam dum externam profitemini ſanctitatem, internam abiicitis.

2 Audite, ô Iſraelitæ, qui Hieroſolymam incolitis, quibus etiam nomen dedit Ieruſalem,

quam præcipua quadã ratione elegit Dominus, & quos loco munito, & ſingulari quadam cuſtodia ſtabiliuit, atque tutatus eſt. Quem omnia poſſe facilè tueri, atque præſtare, nomen ipſum indicat; Vocatur enim *Dominus exercituum*, quia potens, atque bellator eſt.

3 Sic Dominus ad vos, vt ſe vobis verum eſſe Deum oſtendat, & probet. Priora, quæ patentes veſtri, & eorum vos nonnulla videre potuiſtis, ego annunciaui priùs, ex meo ore omnia prodierunt, ex me vos omnia multò antè quàm euenirent, audiſtis. Quæ tamen, cùm eorum minimè ſpetaretur euentus, eodem, quo à me prædicta fuerant modo, & eodem temporis articulo contigerunt.

4 Hæc tibi multò antè prædixi, vt te in fide, ac vera religione continerem; ſciebam ceruicem te habere ferream, quam non facilè ad ſubeundũm iugum incuruares, & frontem æream, & inuerecundam, adeò vt poſt beneficia à vero Deo collata ad deteſtanda ſimulacrorum ſacra transfugeres.

5 Ideo multò antè quàm fierent hæc tibi prædixi iam olim, ne fortè illorum euentum inanium Deorum potentiæ tribueres, quaſi illa ſuo tempore fieri, atque prodire præceperint.

6 Quæ audiſti olim, vide quomodo iam impleta ſint, quod tu ipſe quotidie confiteris. An non hæc publico atque ſolemni ritu feſtis, atque legitimis cæremoniis his, qui audire vellent annunciatis? Alia præterea prædicta ſunt noua ab eo tempore, quo iuniores prophetæ vaticinari cœperunt, quorum aliqua iam euenerunt, & vos ipſi vidiſtis: aliqua in aliud tempus futura reſeruantur, quæ adhuc ignotas.

7 Hæc verò nunc à me primùm annunciata ſunt, non autem olim cum aliis, quorum euentum ſpectare potuiſti. Quæ ideo antè tibi prædicta non ſunt, ne fortè diceres ante hunc temporis articulum illa te cognouiſſe: illorúmque cognitionem, idolorum aſcribetes ſapientiæ, non meæ.

8 Quare hæc poſtrema, quæ nunc audis, neque accepiſti priùs, neque noſti, neque vllo modo ante hoc tempus reuelata ſunt tibi. Noui enim ingenium tuum inſtabile, ac varium, & quod ab vtero feciſti, vt à Deo tuo, ad idola deflueres, id quoque te factutum in poſterum: & ideo hoc recenti præſagio volui te in officio, ac fide continere.

9 Dignus quidem eras, ô popule, beneficiorum immemor, quem in æternum abiicerem: ſed proptet nomen meum quod à Gentibus incuſari, aut in perfidiæ ſuſpicionem venire nolo, furorem meum à vindicta continui. Laudis itaque meæ atque honoris ſtudium effecit, vt leuitatem tuam, atque inconſtantiam infrænatem, ac cohibere, ne te præcipitem in exilium datem.

10 Exco

[d] *Dominus exercituum nomen eius.*

3 [e] *Priora ex tunc annunciaui, & ex ore meo exierunt, & audita feci ea, repentè operatus ſum, & venerunt.*

4 [f] *Sciui enim quia durus es tu, & neruus ferreus ceruix tua, & frons tua ærea.*

5 [g] *Prædixi tibi ex tunc: antequam venirent indicaui tibi: ne fortè diceres: Idola mea fecerunt hæc, & ſculptilia mea, & conflatilia mandauerunt iſta.*

6 [h] *Quæ audiſti, vide omnia: vos autem non annunciaſtis? Audita feci tibi noua ex tunc; & conſeruata ſunt, quæ neſcis.*

7 *Nunc creata ſunt, & non ex tunc, & ante diem,* [l] *& non audiſti ea, ne fortè dicas, Ecce ego cognoui ea.*

8 [m] *Neque audiſti, neque cognouiſti, neque ex tunc aperta eſt auris tua.* [n] *Scio enim quia præuaricans præuaricaberis, & tranſgreſſorem ex vtero vocaui te.*

9 [o] *Propter nomen meum longè faciam furorem meum:* [p] *& laude mea infrænabo te, ne intereas.*

10 [q] *Ecce*

10 [q] *Ecce excoxi te, ſed non quaſi argentum: elegi te in camino paupertatis.*

10 Excoquam quidem te, atque purgabo non dura fornace, qualis eſt illa, quæ argentum liquefacit, & ſoluit; ſed multò leuiori, camino videlicet paupertatis, & tribulationis cuius expiatoria facultas multò eſt mollior, atque benignior, ex qua tandem eligam, atque euocabo te.

11 [e] *Propter me, propter me faciam, vt non blaſphemer, [f] & gloriam meam alteri non dabo.*

11 Propter nomen meum purgabo te, non dura, ſed benigna fornace, ad tempus, neque adeò longum; ne quiſquam me crudelem appellet, aut infidelem, qui populum meæ commiſſum fidei tam durè vexarim: aut infirmum eſſe pudet, & qui illum ab exilio eximere non poſſim. Quare ex hac prædictione conſtare volo me vindice populum illum in patriam eſſe reſtiturum, ſicut auctore me priùs in exilium abierat. Quare ego idem, qui in fornacem conieci, è fornace etiam educam: neque laudem hanc aſcribi alteri permittam, vt quicquam habeat in populum meum iuris, & imperij.

12 [t] *Audi me Iacob, & Iſrael, quem ego voco: [u] ego ipſe, ego primus, & ego nouiſſimus.*

12 Audi, Iacob, ſed præcipuo, atque ſpeciali titulo audi ſub altero *Iſraelis* nomine, quod meum continet: atque ideo meo nomine, quod incluſum eſt in tuo, te *Iſraelem* voco, Ego ſum primus, à quo fluxerunt omnia: Ego ſum nouiſſimus, ad quem omnia referenda ſunt.

13 *Manus quoque mea fundauit terram, & dextera mea menſa eſt cælos. [x] Ego vocabo eos, & ſtabunt ſimul.*

13 Manus mea creauit, atque ſtabiliuit terram, dimenſa eſt, atque expandit immenſam illam cœlorum molem. Qui ſic erunt ad parendum proni, vt vix dum vocati ſe ante faciem meam ſiſtant, excipiántque libenter imperium meum.

14 [y] *Congregamini omnes vos, & audite: Quis de eis annunciauit hæc? [z] Dominus dilexit eum, [aa] faciet voluntatem ſuam in Babylone, & brachium ſuum in Chaldæis.*

14 Adeſte nunc omnes, ô Iudæi, & ſi vnquam audiſtis dicite, à quo antè acceperitis, euertendos eſſe Chaldæos; & laxandam à Cyro captiuitatem, nunc à me iterum accipite; ne quemquam alium eius vaticinij autorem eſſe exiſtimetis. Ego Dominus dilexi, elegíque Cyrum, qui adminiſter meorum conſiliorum erit contra Babylonem, & non tam ſuum, quàm meum brachium in Chaldæorum exilium eleuabit.

15 [bb] *Ego ego loquutus ſum, & vocaui eum; adduxi eum, & directa eſt via eius.*

15 Ego ſum, qui hæc vobis antea, & nunc iterum annuncio. Ego illum è Perſide vocaui, ego adduxi, dedíque viam ad victoriam apertam, neque paſſus ſum, vt dum conſilijs obſequitur meis, vſpiam offenderet.

16 [cc] *Accedite ad me, & audite hoc. Non à principio in abſcondito loquutus ſum: [dd] Ex tempore antequam fieret, ibi eram, [ee] & nunc Dominus Deus miſit me, & ſpiritus eius.*

16 Adeſte igitur huc, & audite ex quo vobis de hoc Chaldæorum interitu, & veſtra libertate loqui cœpi, non egi verbis implexis, & obſcuris, aut in receſſu, & latebris, vt Gentium dij aſſolent, ſed palàm, & apertè. Ex tunc ego rebus poſtea gerendis præſens aderam, nunc verò à Deo, & ſpiritu eius miſſus ſum, vt quæ multò antè oculis intueri videbar, vobis annunciem.

17 [ff] *Hæc dicit Dominus, redemptor tuus ſanctus Iſrael: [gg] Ego Dominus Deus tuus docens te vtilia, gubernans te in via qua ambulas.*

17 Hæc dicit Dominus, quem Deum colit Iſrael, is, qui te in libertatem vendicauit. Ego Dominus Deus tuus ſum ille, qui ea doceo, quæ tibi futura ſunt ex vſu, quacumque illa ratione conſideres, qui in via, quam ingreſſus eſt, ita tua

moderor veſtigia, vt nuſquam offendas.

18 Quod ſi nunc tot tibi, támque ignominioſa, ac dura impendent infortunia, inde natum eſt, quia meis te conſilijs regi non ſinis. Vtinam mandatis meis vtilibus obſequutus fuiſſes: Sanè in ſinum tuum inſtar maris influxiſſent, quæ optari poſſent, vniuerſa bona, & præmia, quæ iuſtitiæ tuæ merita compenſarent, tam eſſent ampla, ac plena, quàm pleni ſunt, & ampli gurgites maris.

19 Et in eam multitudinem excreſceret tua progenies, vt arenæ maris non eſſet inferior; & qui ex te naſcerentur filij, conferri non immeritò poſſent cum ſabulo, quod calcatur in littore; neque interiiſſet odioſum, & vile filiorũ tuorum nomen, neque à me fuiſſet attritum, & à facie mea longè proiectum.

20 Hæc tamen calamitas, in quam genus veſtrum induxit meorum mandatorum obliuio, non erit perpetua. Quare adeſſe iam putate præcones, & nuncios, qui hoc vobis à Cyro veſtræ libertatis vindice edictum annunciant. Exite iam, ô captiui, de Babylone: Chaldæorum regionem, liberi iam, & expediti relinquite; Annunciate hoc omnibus, qui eodem vobiſcum in exilio ac ſeruitute ſunt, & vox profuſa cũ hilari, atque feſtiuo ſonitu ad fines vſque terrarum inſonet in hunc modũ. Perfregit Dominus captiuorum vincula; redemit ſeruos ſuos, ex Iſraelitico ſemine prognatos.

21 Non minùs prouidè, atque indulgenter captiuum à Babylone populum reducam, quàm eius parentes olim ex Ægyptia ſeruitute. Vt enim illis ne ſiti deficerent in deſerto, aquam è ſilice produxi; percuſſi enim petram, quæ ſtatim iugem atque vberem riuum effudit, ſic in reditu de Babylone ad populi vſum, ac voluptatem neceſſaria omnia largiar liberali manu.

22 Hæc verò pax illis tantùm promittitur, qui diuino parentes imperio Babylonem relinquent; ad illos tamen non ſpectat hæc tanta felicitas, qui capti aut Babylonicæ ſuperſtitionis ſtudio, aut alias ob cauſas hærere volent in hoſtili ſolo.

18 [hh] *Vtinam attendiſſes mandata mea: facta fuiſſet ſicut flumen pax tua, & iuſtitia tua ſicut gurgites maris.*

19 [ii] *Et fuiſſet quaſi arena ſemen tuum, & ſtirps vteri tui vt lapilli eius: non interiſſet, & non fuiſſet attritum nomen eius à facie mea.*

20 [kk] *Egredimini de Babylone; fugite à Chaldæis, [ll] in voce exultationis annunciate: auditum facite hoc, & efferte illud vſque ad extrema terræ. [mm] Dicite, Redemit Dominus ſeruum ſuum Iacob.*

21 [nn] *Non ſitierunt in deſerto, cùm educeret eos. Aquam de petra produxit eis; & ſcidit petram, & fluxerunt aquæ.*

22 [oo] *Non eſt pax impiis, dicit Dominus.*

IN CAPVT QVADRAGESIMVM OCTAVVM COMMENTARIVS.

1. AVDITE *hæc domus Iacob, qui vocamini nomine Iſrael, & de aquis Iuda exiſtis.*] Suum in gentem Iſraeliticam ſtudium, & amorem oſtenderat, cùm Babylonis ſtragem, tam accuratè, atque minutè prædixerat, ídque eam ob rem, quia duriùs captiuum populum acceperat, quàm Dominus conſti- A tuerat. Nunc alia etiam beneficia, ſignáque commemorat, quibus ſe ſolutum eſſe Deum, facilè perſuadet. Priùs tamen Iudæos perfidiæ, atque improbitatis incuſat, quia cùm ex nobili ſtirpe nati ſint, longè tamen ab illius ſanctitate defecerint. *Domum* primùm appellat *Iacob*, id eſt, inclyti patriarchæ familiam, in qua ſibi plus ſatis placebat, & gloriabatur

tur populus ille Iudaicus. Deinde quòd eſſent *Iſraelis* nomine quaſi conſignati: dicuntur enim *Iſraelitæ*, non *Iacobitæ*, licèt idem ſit Patriarcha, qui *Iacob* dicitur, & *Iſrael*. Cur verò *Iſrael* meminerit, à quo nomen traxit Hebræorum genus, dicemus infrà *verſ.12.* ad illud, *Iſrael quem ego voco.*

2. Tribus Beniamin in Iuda intelligitur. Deinde genus Iudæis ab Iſraele, vel potiùs à Iuda Iſraelis filio fuiſſe deriuatum, optima metaphora ſignificat, *Et ex aquis Iuda exiſtis.* Ex quo Hieronymus colligit quo tempore hæc ab Iſaia dicebantur, tantùm in terra promiſſionis eſſe relictam tribum Iuda, (in qua etiam intelligitur tribus Beniamin, propter rationes, quas adduximus in illud *Zachar.cap.2. O Sion fuge. à numer.16.* quæ omnino vide. qua ratione *lib.1.Reg.cap.11.*& 12. *& 4.Reg.cap.* B 17. ſola tribus Iuda ſecuta dicitur Roboam, cùm tamen omnino certum ſit tribum quoque Beniamin ab eo non fuiſſe diſtractam.) Cur Iudæi *aqua* dicantur *egreſſa ex Iuda*, id cauſæ Hieronymus eſſe cenſet, quia Iudæi tunc filij erant Iſraelis propagatione tantùm ſeminis, id eſt, ſecundum corpus, non tamen morum imitatione, & animi ſanctitate: id eſt, non erant veri, ſed tantùm ſimulati Iſraelitæ. Dicit autẽ aquam pro ſemine hìc adhibitam fuiſſe, quẽ alij ſequuntur, & ita ſanè eſt. Eſt verò hæc metaphora apud autores etiam profanos frequenter vſurpata, vt fons pro generis principio adhibeatur, atque adeò, quod à fonte hauritur, aut deriuatur nomen ſuum propagato generi, id eſt, filiis accom- C modat. Vt autem Iacob *fons* dici potuit, vnde riui duodecim fluxerunt; ſic Iudas *aqua*, aut *riuus*, vnde nunc exiſſe dicitur tribus Iuda. Eodem ſenſu atque

Pſalm.67. metaphora dicitur *Pſalm.67. In Eccleſiis benedicite Deo Domino, de fontibus Iſrael.* id eſt, ô vos qui eſtis de fontibus Iſrael, nempe Iſraelitæ. Credo autem hìc nihil aliud ſignificari, quàm Iudæos ab Iſraele, & Iuda originem traxiſſe. Id quod alia metaphora dixit idem Iſaias *capite 51. Attendite ad petram vnde excisi eſtis, & ad cauernam laci, de qua præciſi eſtis; attendite ad Abraham patrem veſtrum, & ad Saram quæ peperit vos.*

3. [b] *Qui iuratis in nomine Domini, & Dei Iſrael recordamini, non in veritate, neque in iuſtitia.*] Quia D *iurare* opus eſt religionis, quod in eo, cuius nomen iureiurando inuocat, diuinitatem eſſe fatetur; ideo, quò Iudæi ſe Domini religioni addictos eſſe probarent, in eius nomine iurabant, & illius ſæpe recordabantur; quod in pactis, conuentibus, & promiſſis interponebant, aut etiam ſolemni, & publico ritu ſeu cæremonia prædicabant. Sed dum publicam ſanctitatem profitentur, internam abiiciunt: nam hac vana, & nuda ſanctitatis ſpecie, & quodam religionis fuco contenti veritatem produnt, & ab omni iuſtitia quàm longiſſimè recedunt. Quibus ab hoc eodem propheta obiectum eſt, *cap.29. verſ.13. Populus iſte ore ſuo, & labiis ſuis glorificat me; cor autem eius longè eſt à me.* Quæ verba Chriſtus repe- E tit *cap.15.Matthæi.*

4. [c] *De ciuitate enim ſancta vocati ſunt: & ſuper Deum Iſrael conſtabiliti ſunt.*] Migratio fit a ſecunda perſona ad tertiam, quod apud Hebræos frequens. Vide Pagninum *lib.4.inſtitution.cap.13.* Addit adhuc Deus aliquid aliud, in quo ſibi valde placebat ille populus, quòd in ſorte Iſrael, id eſt, in terra promiſſionis optimum funiculum obtinuiſſet, nempe ciuitatem ſanctam Ieruſalem, à qua vocati eſſent Hieroſolymitani: in qua putabant ita ſe à Deo fuiſſe conſtabilitos, vt nulla vi hominum inde

A eſſent expellendi. Audierant autẽ ſępe fore ſe in Dei tutela, & oculos eius intentos in vrbis cuſtodiam. *Pſalm. 86. Fundamenta eius in montibus ſanctis, diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob.* Et *Pſalm. 124. Non commouebitur in æternum, qui habitat in Ieruſalem: montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi ſui.* (Vbi obſeruandum illud, *& Dominus*, ex vſu ſcripturæ valere idem, quod *immò potius Dominus.* Hoc ſenſu montes ſunt in circuitu Ieruſalem; ſed maiorem ſecuritatem affert Dominus, qui in circuitu eius eſt.) Et Iſaias *cap.62. Super muros tuos Ieruſalem conſtitui cuſtodes.*

Securitatem autem & pacem præcipuè ſibi promittebat ille populus à templi ſanctitate, cuius ex- 5. B terois cæremoniis ſedulò, atque conſtanter vacabat, propter quam ſe etiam ſanctum arbitrabatur. Audierat enim *Leuit.26. Ponam tabernaculum meum in medio veſtri, & non abiiciet vos anima mea.* Vnde eam imbiberat cogitationem, vt omnino crederet à nemine ſe vnquam expugnari poſſe. Quare Iudæis *templum Domini* frequens erat in ore, vt liquet ex Ieremia *cap.7.* A qua ſpe, & cogitatione Dominus depellit, dum ait ibidem: *Nolite confidere in verbis mendacij dicentes, templum Domini, templum Domini, templum Domini.* Quæ ter gemina repetitio frequenter iteratam templi compellationem indicat.

Porrò Ieruſalem *ciuitas* vocabatur *ſancta*, propter templi ſanctitatem; & quia multa ſacra, eáque 6. Ieruſalẽ vocata *Ciuitas ſancta.* C præcipua, alibi quàm in Solymitano ſolo obiri religio vetabat. Sic vocat *Dan.cap.3. verſ.28. Quæ induxiſti ſuper nos, & ſuper ciuitatem ſanctam patrum noſtrorum Ieruſalem.* Et *2. Machab.verſ.12. Pugnauerunt contra nos, & ſanctam ciuitatem.* Et *cap.3.verſ.1. Igitur cùm ſancta ciuitas habitaretur in omni pace.* Quod nomen ad mortem vſque Chriſti, & fortaſſe ad vltimum vſque ciuitatis exitium perſeuerauit. Nam *Matth.cap.4 verſ.5.* dicitur, *Tunc aſſumpſit eum Diabolus in ſanctam ciuitatem.* Et *cap.27.verſ.53. Et exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem eius venerunt in ſanctam ciuitatem.*

Cur Iudæi vocati dicantur de ciuitate ſancta, 7. ita vt non ſolùm dicantur *Iſraelitæ*, id eſt, vocentur D nomine Iſrael, vt paulò ante dixerat, ſed *Solymitani*, aut *Hieroſolymitani* ab vrbe Hieroſolyma, ſeu Salem, ea, vt credo, ratio eſt. Quia vt Salem, quod ciuitatis nomen eſt, *pacem* ſignificat: ſic etiam Solymitanus, quod nomen eſt ciuis, *pacificum* ſonat; Certè Salomonis nomen, quod a ciuitate Ieruſalem deductum eſt, ſeu à Salem, vt docet Hieronymus, *in cap 3.Ioel.* &, vt puto, ciuem Solymitanum ſonat, *pacificum* valet. Quare Iudæi qui ab vrbe ſancta *Solymitani* dicti ſunt, iidem ſunt, quod *pacifici*, id eſt, iuxta pacis ſignificationem, & vſum, qui tuti ſunt, & quieti, quique rebus omnibus ad pacis, atque otij ſubſidia, atque ornamenta affluunt.

[d] *Dominus exercituum nomen eius*] Hanc etiam 8. vocem puto ſæpius à Iudæis vſurpatam, dum ſibi de E pace, atque ſecuritate blandiuntur. Cùm enim Deum eſſe audiunt fortem, & bellatorem (id enim ſonat, *Dominus exercituum*, ſeu *virtutum*) dum in eius fide, atque tutela ſe fore putant, nihil ſibi impendere poſſe exiſtimant, quod metuant.

Hic pro re morali nota familiare eſſe Deo, ac 9. Humiliatio præcedit exaltationẽ, & ſingulare aliquod beneficium. penè ſolemne, atque legitimum, vt, cum aliquid ſuis aut pollicetur, aut præſtat, illos ſuæ tenuitatis, atque indignitatis admoneat. Vide quæ diximus ad illud *Cant.1. Nigra ſum.* Et ex hac ſiue admonitione, ſiue reprehenſione plerumque initium ca-

uu 3 piunt

piunt maxima diuinæ largitatis beneficia; vt experiuntur in ſe quàm ſæpiſſime viri ſpirituales, quando familiarius cum Deo in oratione loquuntur. Experti certè ſunt diſcipuli Chriſti, qui tunc maiora à Deo receperunt beneficia, cùm viſi ſunt à magiſtro durius increpari. Quare qui à Domino ſe reprehendi ſentit, ille ad fores habet iam benignum, & magnum aliquid promittentem Deum.

10. e *Priora extunc annunciaui, & ex ore meo exierunt: & audita feci ea, repentè operatus ſum, & venerunt.*] Adhuc vrget Deus argumentum ſæpius iteratum: quo ſe Deum eſſe confirmat, quia omnia, quæ illatenus contigere, eadem non ſemel, neque vno omnino prædicta fuerant. Hanc enim varietatem, & multitudinem indicatam eſſe arbitror vna ſententia, triplici dicendi modo ſignificata. Nempe *annunciaui, ex ore meo exierunt, audita feci.* Sed cur, quæ multis pòſt quàm prædicta ſunt euenere, repentè operatus dicitur Deus. Hieronymus, Haymo, & alij hæc referunt ad tempus, caſumque Babylonicum, qui repentinus, & inopinatus fuit Babyloniis, ſumiſque putant tempus præteritum pro futuro. Alij ad ſuperiora reuocant, quæ eodem modo completa ſunt, quo prænunciata. Illud *repente*, S. Thomas refert ad eos, qui de futuro rerum euentu nihil audierant. Verbi gratia excuſſum eſſe ab Hebræis Ægyptiorum iugum, aperto mare, demerſáſque ibi Pharaonis acies.

11. Ego referri hæc arbitror ad ſuperiora Dei miracula, & beneficia: putóque ideo repentè facta dici, quia hæc tunc operatus eſt Deus, quando rebus aut anguſtis, aut impeditis populus Iſraeliticus talem exitum habiturus non ſperabatur. Illud enim repentè, ſubitò, aut inopinatò fieri dicitur, non quod ſimul, atque promiſſum eſt, ſed quod tunc, quando minùs exigere videbatur rerum conditio, atque natura contigit. Vt, emerſiſſe ex Ægyptia ſeruitute Hebræos, quando, & ipſi magis erant oppreſſi, & minùs ad tentandam, aut etiam cogitandam fugam idonei. Quod tunc non ſolùm incolumes, ſed etiam victores ad mare rubrum, cùm à tergo imminebat potentior vis, & ita multis plagis, atque incommodis exagitata. Et infinita alia quæ humanæ vires, atque conſilia præſtare nullo modo poſſent. Hæc verò repentè fuiſſe facta, licèt multò antè prædicta, docet Scripturæ vſus. Sufficiat nunc nobis pro multis extremus iudicij magni dies; qui cùm tam dudum omnibus prænunciatus ſit, nihilominus futurus eſſe dicitur eius aduentus repentinus: quia hominibus inopinatus aderit. *Lucæ cap.21. verſ.34. Superueniet in vos repentina dies illa.* Et 1. *Theſſalon.5. Dies Domini, ſicut fur in nocte veniet: cùm enim dixerint pax, & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperueniet interitus.*

Repentinũ eſt quod præter expectationem venit, licet multò antè prædictum.

12. f *Sciui enim quia durus es tu, & neruus ferreus ceruix tua, & frons tua ærea.*] Rationem oſtendit, cur & illa quæ verè contigerunt, multò antè monſtrauerit, & nunc eadem iterum ac ſæpius repetat: quia ſciebat populum illum eſſe ad parendum indocilem, qui non facilè collum ferreum ad iugum inflectat, & ſubmittat; & vſque adeò dura, atque inuerecunda fronte, vt poſt tot beneficia à Deo vero ad deteſtanda idolorum ſacra transfugiat; Vt ergo populus ille cognoſceret verum eſſe Deum, à quo illa, & prædicta antea, & poſtea fuiſſent impleta, quæ nullus alius præſtare potuit, Ideo tã ſæpe verſat, & refricat hæc ſuæ diuinitatis documenta, vt ferream illam ceruicem emolliat, & fronti duræ aliquid pudoris offundat; Quam rationem Deus ſtatim aperit. *Ceruix* autem *ferrea* pro peruicaci, atque inobedienti, aptiſſima tranſlatione nominatur. Quia ceruix obediens illa dicitur, quæ facilè flectitur quamcumque in partem velis. Huic verò commodè opponitur ferri durities, quæ nunquam flectit, neque, ſine magna vi, à ſua firmitate, atque rigore torqueri poteſt. Ceruix autem illius populi millies in ſcriptura vocatur *indurata*, aut *dura*. Eodem ſenſu *frons ærea* vocatur, aut etiam *dura* eorum, qui ſic animum contra veritatem, aut ſancta monita obdurauerunt, vt neque ſuccumbere velint rationibus, aut monitis, neque exploratæ iam veritati, ac manifeſtè cognitæ repugnare verecundentur. Latini *duram frontem* aut *os durum* appellant eius, qui quiduis facere, aut pati audet impium, inurbanum, aut indecorum. Sic Cicero pro Quintio. *Mihi videtur ore duriſſimo eſſe, qui præſente Roſcio geſtum agere conetur.* Et clarius in Piſonem. *Sed os tuum ferreum ſenatus conuitio verberari noluiſti.*

Prouerbiũ.

Obedientia qualis.

13. Hic obſerua *frontem duram, ac ferream* non ſemper ſumi in peiorem partem, ita vt obſtinatum animum, contentioſum, aut inuerecundum deſignet: licèt hoc ſæpius. Interdum enim ſignificat conſtantem animum, qui neque metu frangitur, neque minis ſuccumbit. *Ezechiel.cap.3.verſ.8. Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum; & frontem duriorem frontibus eorum.* Vbi dura prophetæ frons opponitur duræ Iudæorum fronti: Hæc planè contentioſa eſt, quæ non cedit ſancta, & ſalutaria monenti, neque pudore ſuffunditur, cùm de ſe audit, quod minimè caſtos, atque pudicos decet; illa verò conſtans, & quæ neque palleſcit, aut turbatur ad oppoſitas minas, neque periculorum metu ab honeſtate deducitur. Quam habuit Ezechiel, de quo ſtatim, *vt adamantem, & vt ſilicem dedi faciem tuam.* Et ille, de quo *Iſaia 50. Poſui faciem meam ſicut petram duriſſimam.* Hic frontem æream, aut duram in priori ſignificatione attribuit Deus Iudæorum genti: quia inuerecunde ad turpia prono ferebatur animo, & duram ſe ad officium, & pietatem præbebat. Vtrumque ſæpe obiectum eſt Iudæis *Deuter. 31. Ego ſcio contentionem tuam, & ceruicem tuam duriſſimam.* Et *Ierem.3. Frons meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere.* Eodem ſenſu de muliere adultera dicitur *Prou.7.verſ.13.* quod vultum ſuum obduret. Vbi enim Vulgatus, *Procaci vultu blanditur.* Hebr. eſt, *Roborauit vultum ſuum*, id eſt, durum poſuit, aut æreum.

Dura facies aliquando laudabilis.

Prouerb.7.

14. g *Prædixi tibi ex tunc: antequam venirent indicaui tibi, ne forte diceres, idola mea fecerunt hæc.*] Hinc tam apparet cur hæc à vero Deo facta, quando ab ipſo longè antè prænunciata fuerunt; non ab idolis, à quibus nihil horum, aut prædictum fuit, aut cognoſci potuit.

15. h *Quæ audiſti, vide omnia, vos autem non annunciaſtis?*] Excitat populum ingratum, & immemorem ad præteritorum recordationem, contemplaríque iubet, quomodo quæ antè prædixit, ſucceſſum habuerint omnino certum, & fidelem. Quod cecinit Dauid officiorum memor *Pſal. 47. Sicut audiuimus, ſic vidimus.* Deinde, vt Hieronymus putat, & cum eo Haymo, atque Dionyſius, reprehendit populum, quòd hæc poſteris annunciare noluerit. Mihi aliorum ſententia minùs videtur difficilis, quæ poſteriorem partem cum interrogatione putat eſſe legendam: in hunc ſenſum. *Quæ audiſtis ea à me videtis eſſe completa, neque aliunde teſtes mihi aduocandi ſunt, veſtram fidem teſtor, qui hæc præclarè noſtis. An non quotidie hæc publico, ac ſolemni ritu no-*

qui

qui audire volunt, annunciatis? Ita putant Vatablus, Adamus, Foreirus, Emanuel Sa, & Pintus. Et quidem ita fiebat: nam Iudæi, qui de externis, & legitimis cæremoniis nihil omittebant (vt ex hoc noſtro propheta liquet, qui ſæpe reprehendit eos, quòd externa illa ſanctitate contenti veram religionem, id eſt, internam prodidiſſent) Dauidicos canebant Pſalmos, qui pleni ſunt, aptique his beneficiis commemorandis, quæ olim promiſſa, deinde ſuo tempore fideliter impleta ſunt. Accedit quòd multa feſta in aliquorum beneficiorum commemorationem inſtituta ſunt, quæ dum quotannis inſtaurant Iudæi, illa renouant beneficia: & non ſolùm ex ſuo genere poſteris, ſed etiam alienis, & externis annunciant.

Diuinorum officiorũ apud Iudæos monumenta publica.

16. [i] *Audita feci tibi noua ex tunc, & conſeruata ſunt quæ neſcis. Nunc creata ſunt, & non ex tunc, & ante diem, & non audiſti ea, ne fortè dicas, ecce ego cognoui ea.*] Communiter omnes cum Hieronymo putant hîc agi de exitu Babylonico, de quo nouum eſt vaticinium nunc, & paulò antè ab Iſaia propoſitum. Ex quo argumentum etiam Dominus ſumit, vt Deum ſe eſſe hominibus probet. In his credo nihil eſt difficile, quod probemus. In ſingulis partibus explicandis nonnihil eſt negotij, id ergo iam expedire tentemus.

17. *Audita feci tibi noua ex tunc.*] Si ita legas, illud *ex tunc* referendum videtur ad tempus, quo primùm ab hoc propheta cœptum eſt agi de Babylonis clade, nempe *cap.* 13. Sed eſt obſcurus, valdéque perplexus dicendi modus: nam illa antiquiſſima, quæ prædicta eſſe atque completa dicuntur: non alio explicantur modo, vt nuper vidimus. Quare quidam putant legendum eſſe *ex nunc*, vt habet textus Hebraicus, & tranſtulere Septuaginta interpretes, & Caldæus; quod viſum eſt Foreiro, neque Adamus improbat. A qua ſententia non abhorret explicatio Hieronymi, in commentariis, quæ nouum aliquid annunciari putat. Hæc mihi poſtrema placerent plurimùm, niſi contraſtaret in vulgata conſtans lectio, *ex tunc*, iuxta quam lectionem explicatio prior non apparet aliena. Niſi fortè dicas, quod mihi magis videtur veriſimile, indicare Dominum ex his, quæ nouiſſimis hiſce temporibus contigere, quædam ex tunc, id eſt, iam olim fuiſſe prædicta: vt quòd decem tribus eſſent abducendæ in captiuitatem ab Aſſyriis; quòd delendus exercitus Senacherib, neque mittenda ſagitta intra Solymitanos muros; quædam etiam ex his nouiſſimis, quæ nondum euenere, prænunciata eſſe, vt quòd duæ reliquæ tribus eſſent in Babylonem migraturæ captiuæ: alia verò eſſe celata, & reſeruata ad hoc vſque tempus, quo primùm ab ore prophetico excipiuntur. Qualia ſunt de regno Cyri, de excidio Babylonico, & duarum tribuum felici in patriam remigratione. Quæ nunc audiuntur primùm, cùm tamen alia ab Oſea, & Amos, & ab hoc etiam propheta priùs prædicta fuerint.

18. [k] *Et conſeruata ſunt, quæ neſcis: nunc creata ſunt, & non ex tunc, & ante diem.*] Sciebat quidem populus alia plurima, aut ex antiquiſſimis Prophetarum, & Patriarcharum oraculis, aut non ita pridem ab his prophetis, qui ſub hoc Iſaiæ tempus prophetauerunt. At non omnia, quia Deus in hoc tempus aliqua ſeruarat, quæ non *ex tunc*, & *ante diem*, nempe præſentem aperuerat, propter rationem, quam mox adducebamus. Porrò illud, *nunc creata ſunt*, non ſignificat tunc cùm à Domino reuelantur eſſe creata, id eſt, in rerum naturam accerſita: nam poſt centum ferme, & ſeptuaginta annos ab hoc vaticinio deletum eſt Chaldæorum imperium; ſed creata dicuntur vulgari Scripturæ phraſi, quæ tunc aliquid fieri dicit, quando futurum eſſe ſignificat, aut factum oſtendit. Vide, quæ diximus *cap.* 6. ad illud, *Excæca cor populi huius.* Creata itaque nunc dicitur Babylonica clades, aut Iudæorum libertas, quia nunc primùm prænunciari cœpta.

19. [l] *Et non audiſti ea, ne fortè dicas, ecce ego cognoui ea.*] Prudenter Dominus populi ambitioni, ac leuitati vaticinij modum, & occaſionem attemperat. Si enim poſtrema hæc, quæ nunc primùm audit populus ille, iam antea cum aliis plurimis audiſſet, neque meminiſſet, à quo illa, & per quem eſſent propoſita, cogitare poſſet, aut certè obtendere cognouiſſe ſe ingenij ſui ſagacitate, atque ſolertia, aut ab idolorum oraculis, ſeu præſtigiis accepiſſe. Ideo hæc poſtrema de Babylonici imperij excidio, & Perſici gloria, nunc primùm in hoc rerum articulo proponit, ne obiicere poſſit populus ille vaniſſimus, aut ſaltem cogitare ab alio ſibi illam ſiue cognitionem, ſiue cogitationem oblatam.

20. [m] *Neque audiſti, neque cognouiſti, neque ex tunc aperta eſt auris tua.*] Expediebat maximè, vt populus ille cognoſceret Deum eſſe à quo hauſiſſet illam futurorum cognitionem, vt illum coleret, & eius tutelæ ſe, ſuámque libertatem in exilio crederet. Futurum enim erat, vt multa audiret ab incantatoribus, & aſtrologis, aut etiam falſis idolorum myſtis, quorum ſe ſuperſtitionibus implicuerat; & in his aliquid de captiuorum reditu, quem infortunatum fore aſſeuerabant, quò ab ea cogitatione exules deterrerent. Vt in Zacharia diximus ad illud *cap.* 10. *Quia ſimulacra locuta ſunt inutile.* Vt ergo verum Deum vnum eſſe intelligerent à quo vaticinium illud de Cyro, ſtrágeque Babylonica, ac felici in patriam remigratione tot notatum circumſtantiis, tunc primùm audiſſent, & ſuo ſe tempore promptiùs, & alacriùs ad reditum accingerent, illa eadem, quæ nuper oſtenderat de extremi huius vaticinij ignoratione, iterum, ac ſæpius repetit; quia hæc cognitio ad futuram Dei cogitationem multum habet momenti. Dixerat priùs, *Quæ neſcis, & non audiſti ea.* Nunc ter hoc ipſum repetit, *neque audiſti, neque cognouiſti, neque aperta eſt auris tua.* Ex quo conſtat magnum habere pondus ad explorandam diuinitatem, docere quæ ventura ſunt, vbi nulla præceſſere ſigna, aut coniecturæ, quæ illorum ortum, & euentum portenderent. *Reuelare aurem alicuius*, aut *aperire*, Hebraiſmus eſt, quo ſignificatur aliquem ab alio doceri. Exempla ſunt obuia infrà *cap.* 50. *verſ.* 5. *Deus aperuit mihi aurem.* Et 1. *Reg.* 20. *verſ.* 13. *Reuelabo aurem tuam.*

21. Hîc nota pro re morali, Deum non ſolùm loqui, ſed etiam reuelare aut aperire aurem, vt homo non ſolùm audiat, ſed etiam intelligat. Eſt autem *aurem aperire* ſeu *reuelare*, quaſi captare attentionem, & hominem ad audiendum excitare, & ad intelligendum diſponere. Quod facit tuba, dum populum excitat ad excipiendum prætoris, ſeu imperatoris mandatum. Vt autem Deus aurem aperit, cùm aliquid animis inſtillare vult opportunum, & ſalutare, ſic etiam diabolus, cùm verba audienda ſunt vana, detractoria, quæque ad libidinem, & immoderatas animi voluptates blandiuntur. Cauere autem vehementer debet, qui ſibi à dæmonis inſidiis cauere vult, ne à diabolo aures ſuas reuelari, aut aperiri permittat: inſtillabit namque in

Quas aures diabolus aperit.

animum incautum, & ſtolidum præſens venenum per apertas aures. Neque minùs callidè, ac ſæpe dæmon obſtruit, atque aggrauat hominum aures, ne audiant bona, quàm aperit, mala vt audiant, & noxia: Talia paſſi ſunt illi de quibus *Iſai. 6. Aures eius aggraua.* Et qui *ad Rom. 11. verſ. 8.* dicuntur habere *ſpiritum compunctionis, & aures, vt non audiant.* & qui *Actor. cap. 7. continuerunt aures ſuas,* ne audirent Stephanum, vel potiùs Spiritum ſanctum, qui in eo loquebatur. Aperiuntur à diabolo aures illæ, quæ ſanam doctrinam non ſuſtinent, quæ pruriunt ad fabulas, & auertuntur à veritate, de quibus Paulus *ad Timoth cap. 4.* Aperiuntur à Deo aures, quæ libenter audiunt increpationem, neque nugaces appetunt ſermones vulgi, ſed ſapientium verba, quæ ſunt quaſi ſtimuli, qui corda configunt, de quibus *Prouerb. 14. Auris quæ audit increpationes vitæ, in medio ſapientium commorabitur.* Cùm autem in fortuna pingui, impinguari quoque, atque obturari ſoleant hominum aures, in tribulatione, id eſt, ſublata illa, quæ videri poterat fortuna felix, Dominus aures aperit, idoneáſque reddit diuinis admonitionibus audiendis. De quibus *Iob cap. 36. verſ. 14. Reuelabit in tribulatione aurem eius,* nempe pauperis. Auris obediens quæque Dei præceptis intenta eſt, à Deo aperitur. Cuius ſymbolum aptiſſimum eſt auris ſerui, qui vltro vult domini ſui imperium ſubire, domini ipſius ſubula perforata, quaſi ipſius tantùm vocem auditura ſit, cuius manu perforata, id eſt, aperta eſt, *Deut. 15. verſ. 17.* Quales Chriſtus habuit, quas Dominus perfecit, &, vt alij legunt, perforauit: ſic enim quidam legunt, vbi vulgatus habet *Pſal. 39. Aures autem perfeciſti mihi.*

Quas aures aperit Deus.

22. ⁿ *Scio enim quia præuaricans præuaricaberis, & tranſgreſſorem ex vtero vocaui te.*] Hæc toties repetit Deus, vt populum natura ſua inſtabilem, & fugacem in officio, ac vera religione contineat. Facilè enim, niſi penitus mentem, & ſenſum amitteret, hac ratione ſibi perſuaderet illum eſſe Deum verum, qui iſta tam apertè, tam verè, tam diſtinctè prædiceret. Vocatur autem *tranſgreſſor,* id eſt, idololatra populus ille ab vtero: quia ex quo primùm conceptus videri potuit id eſt, cum primùm egreſſus eſt ab Ægypto, cùm adhuc ferretur lex in monte Sinai, & pactum iniretur, quo Deus eſſet genti illi in Deum, & gens illa Deo eſſet in populum; quæ *populi conceptio* iure vocari poterat, cùm adhuc eſſet in vtero, vbi ad diuinam voluntatem, certáſque notas, & characterem formabatur, in eodem temporis veſtigio præuaricatus eſt, & ad idola tranſgreſſus. Nam vitulum conflauit aureum, cultúmque religioſum, quem verò Deo præſtare debuerat, muto ſimulacro, vitulino nempe capiti ſupplex exhibuit. Fuit ſanè populus ille ab vtero præuaricator, & tranſgreſſor, & hoc ſatis erat, vt à Deo talis vocatus fuerit: nam ex vſu Scripturæ talis aliquis vocari dicitur, qualia vocari dignus eſt, non quia tale habuerit nomen. Quomodo *Iſaiæ cap. 9.* vocandus dicitur Chriſtus, *conſiliarius, princeps pacis, pater futuri ſæculi,* quia talis futurus. Et Ieruſalem vocanda dicitur *Baruch cap. 4. pax iuſtitiæ, honor pietatis.* Et *Ezechiel. cap. 48. verſ. 35. Dominus ibidem.* & *Iſai. cap. 62. verſ. 4. Voluntas mea in ea. Ierem. 11. verſ. 16. oliua vber, pulcra, ſpecioſa.* quia eis nominibus vocari variis temporibus potuit; quia talis erat qualis tunc à prophetis vocanda dicitur. Sic ergo populus Iudaicus vocatus ab vtero dicitur *præuaricator,* quia talis fuit ab vtero, id eſt, à tempore quo illos Deus ſua formauit lege. Et hæc mihi videtur expoſitio germana. Nihilominus ab vtero puto populum vocatum à Deo eſſe præuaricatorem. Nam, cùm daretur Moyſi lex, dixit ad illum Deus *Exod. 32. Cerno quòd populus iſte duræ ceruicis ſit.* Sumpta à bobus metaphora, qui cùm duram ceruicem iugo non ſubmittunt, aut ſe ab aratore regi non ſinunt, ſulcum rectum non imprimunt, atque ideo præuaricantur: id enim propriè eſt *præuaricari.* Quare idem videtur eſſe *præuaricari, & duram habere ceruicem.*

Regula. Talis vocatur aliquis, qualis vocari dignus.

Ezech. 48.

Iſai. 62.

Ierem. 11.

23. ᵒ *Propter nomen meum longe faciam furorem meum.*] Occurrit hìc Dominus tacitæ illorum cogitationi, qui non immeritò mirari poterant, cùm ſe tam benignum, & munificum præbeat in eos, quos futuros eſſe nouerat tam in officio ingratos, in religione inſtabiles, & ad omne genus turpitudinis pronos. Ait enim Deus non ſpectare ſe merita illius populi, quæ potiùs diuinum inflammarent furorem, quàm miſericordiam flecterent; ſed ſe ipſum, & nomen ſuum cuius conſulendum eſſet gloriæ. Ne ſi præuaricator ille populus ab alienæ religionis hominibus in æternum, & impunè vexaretur, cogitaret aliquis, Gentium Deos potentiores eſſe Deo Iſrael: quando gens Iſraelitica ab aliorum Deorum cultoribus imperio duro, & æterna ſeruitute premeretur. Et ideo ſtatim ſubditur, *ne blaſphemer.* Hæc ratio ſæpe à Sanctis adducitur, dum à Deo opem, & auxilium implorant. *Pſal. 78. verſ. 9. Propter gloriam nominis tui Domine libera nos. Dan. 3. verſ. 43. Erue nos in mirabilibus tuis, & da gloriam nomini tuo Domine.* Quæ ratio *Iudith cap. 7. verſ. 24.* ſolabatur eos, quos vrgebant Aſſyriorum arma. *Forſitan* (inquit de Deo) *indignationem ſuam abſcindet, & dabit gloriam nomini ſuo.* Hac etiam ratione vſus eſt Dominus *Exodi 32. Quieſcat ira tua, ne quæſo dicant Ægyptij, Callidè eduxit eos, vt interficeret in montibus, & deleret de terra.*

Glorioſum eſt Deo parcere, & miſereri.

24. ᵖ *Et laude mea infrænabo te, ne intereas.*] Hic locus variè à variis accipitur. Quidam laude iterum Dei infrænandum putant populum, quia iterum ad legem Dei, & cæremonias antiquas cogetur, poſtquam ab exilio ad patriam vrbem, templúmque redierit: & illis intentos, & quaſi infrænatus continebitur, ne ad impia Idolorum ſacra, & nefarios cultus dilabatur. Ita S. Thom. Haymo, Dionyſius. Hieronymus infrænandum dicit populum, vt vel inuitus quaſi iumentum Dominum ſequatur. Sed quodnam futurum ſit illud frænum, obſcurè potiùs innuit, quàm apertè ſignificat. Et ſanè laude Dei, id eſt, miſericordia, qua Deus furorem continuit, ac beneficiis, quibus Deus immerentes proſequutus eſt, ſic infrænari homines debent, & diuinis alligari præceptis, vt neque velint, neque poſſint ab illis exolui. Porrò laudem pro beneficiis ſumi, & pro rebus laude, & prædicatione dignis vſitatum eſt. Quo ſenſu dicitur *Pſalmo 144. laudationem Domini loquetur os meum.* Denique frequens eſt, vt actio pro ſuo ponatur obiecto, vt timor pro re timenda, auditio pro re, quæ auditur, qua de re alio loco pluribus. Laus autem non ſolùm apud ſacros, ſed etiam apud profanos ſcriptores pro meritis, aut rebus laude dignis adhibetur. Virgil. *lib. 1.*

Miſericordia eſt laus Dei.

En Priamus, ſunt hic etiam ſua præmia laudi.

id eſt, meritis, & virtutibus Propertius *lib. 1. eleg. 6.*

Non ego ſum laudi, non natus idoneus armis.

25. S. Bernardus *ſermone 11. in Cantica* his verbis peccatorum ſpem excitari putat. Qui Dei laude, id eſt, benignitate infrænandi dicuntur, & cohibendi, ne ſpiritu triſti in deſperationem abducti duriùs de ſe ſtatuant. Dei itaque frænum, ſeu laus benigni-

Spei firmamentum.

tas

ras eſt, & indulgentia. *Hoc fræno*, inquit ibi Bernardus, *ſi infrænatus eſſet Cain, nequaquam deſperando dixiſſet, Maior eſt iniquitas mea quam vt veniam merear.*

26. Mihi valde videtur veriſimile in his verbis per epexegeſim eandem contineri ſententiam, quæ in proxima clauſula; ita vt idem omnino ſit ac, *Propter nomen meum longe faciam furorem.* Ferebatur ille populus ſuo ſibi indulgens genio, atque intemperantiæ præceps, non ſecus atque equus effrænis in exitium: infrænauit illum Dominus, continuitque impotentem illum curſum laude ſua, id eſt, propter laudem ſuam, vt cum Hieronymo exponunt Haymo, Adamus, Foreirus, & Dionyſius, ne populus ille in ignominioſum interitum datus occaſionem Gentibus præberet, vt in Deo aut fidelitatem deſiderarent, cùm populum ſuæ fidei creditum in ea calamitate deſeruiſſet, aut potentiam requirerent: quaſi non poſſet à maiori alia virtute, atque potentia liberare. Quare diuinæ laudis ſplendor indigno aliquo, atque impio conuitio obſcurari poterat. Diuini ergo nominis ratio infrænauit populum, cohibuítque ab interitu, ad quem incitato curſu ferebatur: dum grauia, & penè continentia vrgent infortunia, quibus opprimendum exiſtimabatur Iudæorum genus.

27. *Tribulationis vtilitas.* Pro re morali obſerua beneficium eſſe à ſingulari Dei benignitate retinere hominem, qui væſano conſilio motus ſequitur laſciuientis, aut furentis animi: & legibus aſtringere ſeuerioribus. Et contrà ſummæ offenſionis certum eſſe ſignum, permittere aliquem abire ſine fræno poſt concupiſcentias ſuas, vt quaſi indomitus & effrænatus equus præceps ruat. Quo ex numero multi ſunt, qui rumpunt legis, & pudoris vincula: & excuſſo fræno non minùs audacter, quàm impudenter dicunt *non ſeruiam. Ierem. cap. 2.*

28. *Paupertas purgatoriũ benignum.* ¶ *Ecce excoxi te, ſed non quaſi argentum: elegi te in camino paupertatis.*] Optima allegoria exprimit Dominus, quàm leuiter, atque benignè Dominus aut mulctauerit rebellem populum, aut ſordidum purgauerit. Excoxit enim Deus populum non dura fornace, qualis eſſe ſolet ea, quæ liquefacit argentum, (cuius vim, atque ardorem explicuit Michæas *cap. 3. Quis poterit cogitare diem aduentus eius? & quis ſtabit ad videndum eum? ipſe enim quaſi ignis conflans, &c. & ſedebit conflans, & emundans argentum.*) ſed leuiori fornace, camino nempe paupertatis, & tribulationis, cuius expiatoria facultas multò eſt mollior, atque benignior. Quòd ſi Deus eo exploraret, atque excoqueret modo Iudæorum populum, quo aurifex, aut argentarius excoquere, ac purificare ſolet argentum, cùm totus ex malitia, ac ſordibus concretus videretur, deleuiſſet illum funditus, quia ſublata ſcoria nihil eſſet reliquum purum, ac putum. Quod eadem allegoria Deus expreſſit ſuprà *cap. 1. Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam.* Et *Ierem. cap. 6.* Vbi cùm præceſſiſſet examen argenti ſordidi, ſubdidit. *Omnes iſti principes declinantes, ambulantes fraudulenter, æs & ferrum: vniuerſi corrupti ſunt, defecit ſufflatorium, &c. Argentum reprobum vocate eos.* Quòd ſi toti ſunt ex ære, ac ferro, conſequens fit, vt ſi ferrum tollas, cùm nihil ibi ſit argenteum, nihil omnino futurum ſit reliquum poſt expiatorium examen. Vide quæ diximus ſuprà ad illud *cap. 1. Excoquam ad purum ſcoriam tuam.* Purificauit igitur Deus populum, &, vt *cap. 1.* prædixerat, ad purum excoxit ſcoriam: id enim, vt puto, valet *elegi te*, igne tamen non vehementi, neque

A argentarij modo, ſed miti, ita vt paupertatis camino tergeret, ac nitere faceret; non vt colliquefaceret, ac ſolueret. In qua ſententia videtur eſſe Hieronymus: qui cùm ex Hebræo tranſtulerit, *ſed non quaſi argentum*, in commentariis tamen dixit. *Ecce excoxi te*, id eſt, *probaui, quomodo conflatur argentum.* Ita vt populus ille ab argento differat, non tam nitore quàm purgationis modo. Illud *elegi te*, pro quo Hebr. eſt בחר *bachar*, purificare eſt, & ad eum ſtatum ſiue nitorem reducere, vt eligi poſſit, & aſſumi, quaſi purum, atque pretioſum vas ad Regiam menſam.

Septuaginta ſic reddunt hunc locum. *Ecce ego vendidi te non propter argentum: elegi te de fornace* 29.
B *paupertatis.* Videntur aliter legiſſe, quàm nunc habemus in textu Hebraico. Alias expoſitiones huius tranſlationis vide apud Cyrillum, Procopium, & Hieronymum. Mihi nunc alia ſuccurrit, in qua præclara quædam occurrit antitheſis: ac ſi dicat Deus. Dum te hoſtibus in ſeruitutem trado, non id ago, vt inde aliquid mihi lucri faciam. Non vendidi te propter argentum, quod eſſem à Babyloniis accepturus, quorum imperio addixi te: neque à te poſtea reuocato ad libertatem, quaſi redemptionis pretium: quia ablatis bonis ab hoſte violento, & auaro, excoxi te, & aſſumpſi ex camino paupertatis, vbi tibi periit quidquid antè fuerat quæſitum argenti. Quid ergo amiſero, & omnibus ex-
C hauſto fortunis ſperare mihi poteram? Tuam igitur, dum in fornacem purgatoriam contruderis, commoditatem intueor, non meam conſector.

ˢ *Propter me, propter me faciam, vt non blaſphemer.*] Iam hîc clariùs ſe prodit, cur populum ex camino paupertatis, id eſt, ex tenui, afflictaque fortuna elegerit Deus, vocauerítque ad antiquam ſedem, & gloriam, quia ſuo nomini, & dignitati cauet. Si enim conſeneſcere pateretur, ac perire populum ſuum, audiret à Gentibus de ſe aliquid impium, atque blaſphemum, quòd ſcilicet, quia crudelis, aut infidelis nollet, aut quia infirmus, atque inops, non poſſet populum ſibi quondam electum in libertatem aſſerere. 30.

ᶠ *Et gloriam meam alteri non dabo.*] Huius loci 31.
D duplex eſt ſententia. Altera hæc eſt, vt Hieronymus indicat. Non committam vt quiſquam putet ab idolis populum meum fuiſſe ſuperatum, addictúmque Babylonicæ ſeruituti, cùm id ego fecerim, aſſumens in eam curam Nabuchodonoſor, qui non Idolorum in ea cauſa, ſed meus adminiſter, ac manus, ſeu virga fuit. Quare opus meum, & gloriam non patiar ad alterum transferri. Altera eſt. Non patiar, vt me idola fortiora iudicentur: Ita S. Thom. Vel vt quiſquam idolorum vanitati communicet, quod mihi proprium eſt, nempe ſeruare, miſereri, & poſſe omnibus dominari, vt putat Cyrillus. Locus in has omnes explicationes patet. Illud mihi certum eſt, in illo *alteri* idola intelligi, quod ſatis liquet *ex cap. 42. verſ.* 8. Vbi cùm hæc propè eadem dixiſſet Deus, vt vnum ſe Deum probaret, ſubiecit.
E *Gloriam meam alteri non dabo; & laudem meam ſculptilibus.* Vbi poſterior pars explicatio prioris eſt. Vide quæ ibi diximus.

ᵗ *Audi me Iacob, & Iſrael, quem ego voco.*] Videtur quo tempore hæc ab Iſaia dicebantur, populus Iudaicus, vt erat ingenio vario, atque mutabili, Gentilium ſuperſtitioni fuiſſe deditus. Licèt enim pius Rex Ezechias inductum ab impio parente Achaz peregrinum cultum non à templo ſolùm, ſed à toto regno expellendum curauerit; ita 32.

tamen

tam & ſuperiorum Regum incuria inueterarat Gentium vaniſſima ſuperſtitio, vt multorum adhuc animos occuparet. Certè quòd exilij tempore ad idola transfugerit, & illorum reſponſis, ſeu præſtigiis plurima adminiſtrauerit, colligitur ex Ieremia *capite* 16. Huic ergo tanto malo, quod aut altè inſederat, aut latiùs ſerpere, aut proximè imminere videbatur, vt occurreret, multus eſt Deus in probanda diuinitate, quæ ſibi vni propria eſt, & in oſtendenda idolorum vanitate. Quare hîc reperit plurima, quæ in eandem confirmationem antè produxerat: quæ quia à nobis explicata alibi ſunt, ab eo labore nunc abſtinebimus.

33. Sed illud explorandum, cur hîc Deus addiderit. *Iſrael quem ego voco.* Hieronymus vocari populum dicit, quia ad ſpecialem cultum, aut etiam ad ſalutem vocatus eſt. Idem penè Cyrillus, qui multis amplificat, quomodo populus ille ſpecialiter à Deo electus, atque vocatus fuerit. Alij putant hîc populum illum ad pœnitentiam vocari; ita Haymo, & Hugo. Mihi videtur eſſe dicendū, quod etiam viſum eſt Hieronymo, idem ſignificari hoc loco, quod in huius capitis principio: vbi non ſine cauſa, eâque nō vulgari dicitur: *Audite hæc domus Iacob qui vocamini nomine Iſrael.* Vbi *nomine Iſrael*, non vulgatis illius populi commendatio eſt; cùm in ſuo nomine diuinum quoque nomen includat. *Iſrael* enim, vt Deus ipſe docuit *Gen.* 32. ſonat, *fortis contra Deum*, aut *præualens Deo.* Eodem ſenſu puto hîc, poſtquam anteceſſerat nomen Iacob, ſignatè dictum eſſe, *Et Iſrael, quem ego voco.* Vt ea ipſo nomine diſcat populus ſic vocatus, quemnam Deum colere, cui ſupplicare, & adhærere debeat: illi nempe cuius nomen in ſuo audit, atque circumfert. Eſt autem ratio hæc nominis ad perſuadendum verum Dei cultum ſanè grauis, quam ſic concludo. Ille tibi, ô Iſrael, verus, & ſolus Deus exiſtimari debet, à quo pater tuus nomen accepit *Iſrael* (is autem fuit Iacob, à quo genus Iſraeliticum latè propagatum eſt, quemque veræ religionis ſectatorem eſſe non negabat.) Atqui ego ſum, qui vocaui patrem tuum *Iſrael*, & qui nunc te *Iſrael* voco, quia à me, & à nomine meo habes, vt *Iſrael* vocere. Verus igitur & ſolus Deus abs te exiſtimari debeo. Heb. pro *quem ego voco*, eſt מקראי *mekorai*, id eſt, *vocatus meus*, vt vertit Symmachus, ſeu *vocate mi*, vt reddit Aquila. Quod nomen non admodum fauet illorum opinioni, qui cenſent populum hîc ad pœnitentiam, ſeu ad libertatem vocari. Ait ergo Dominus, vocatum eſſe populum illum nomine *Iſrael*, quaſi dicat Deus. Audi Iacob, audi populè vocate à me olim nomine *Iſrael*, ſeu qui à meo nomine nomen habes *Iſrael*: Nam vt ego *El*, id eſt, *Deus* vocor: ſic tu *Iſrael*, id eſt, *potens in Deum* appellaris. Vt autem principes ciuitatibus à ſe conditis nomen imponunt, vt Antiochus, Alexander, Conſtantinus, *Antiochia, Alexandria, Conſtantinopolis.* Et gentibus quas imperio regunt, aut quas ſibi habent ſubiectas, & deuotas, qua ratione à Cæſare, Pompeio, & Sylla, *Cæſariani, Pompeiani*, & *Syllani* dicuntur, & Chriſtus à ſuo nomine *Chriſtianos* vocauit. Certè fecit vt ita vocarentur. Sic Deus *El*, à ſuo nomine vocauit *Iſrael*, id eſt, Iſraeli ſuum indidit nomen.

34. u *Ego ipſe, ego primus, & ego nouiſſimus, manus quoque mea fundauit terram: & dextera mea menſa eſt cœlos.*] Hæc ſuprà à nobis explicata ſunt *cap.* 41. *verſ.* 4. Repetit Dominus ter *ego*, quia in triplicato nomine maior aſſeueratio eſt. Vbi etiam elucet Trinitatis myſterium; cuius proprietas declaratur

A ſtatim: quia *primus, & nouiſſimus, cœli, terræque creator* appellatur.

x *Ego vocabo eos, & ſtabunt ſimul.*] Significat Deus ſic imperio ſuo omnia eſſe ſubiecta, vt ſe vix dum vocata ſiſtant, excipiántque libenter eius voluntatem. Loquitur autem tam de terra, quam diuina fundauit manus, quàm de cœlis, quos ipſius dextera explicuit, atque dimenſa eſt. Quam verò ſæpe contigerit, vt mutato curſu qui à ſæculo fuerat ratus, & conſtans cœli, ac terra diuinæ obſecundarint voci, docent multis in locis ſacra monumenta: & quòd graui metu concuſſa ſit terra: vt cœli ſteterint, imò retrò cõuerſi ſint, vt olim ſub Ioſue, & nuper ſub Ezechia. Sed eſt mihi valde probabile hîc particulam conditionalem ſubaudiri, quod in Scri- Regula. Si conditionalis ſuppletur.
B ptura infrequens non eſt; hoc ſenſu: Si ego vocauero cœlos, cohiberéque iuſſero incitatos, & naturales curſus, parebunt tamen, ſtabúntque immoti ad meum imperium. Quo ſenſu nonnulli explicant illud Iob *c.* 9. *Qui præcipit ſoli, & non oritur*; id eſt, ſi Iob 9.
Deus præcipiat Soli, vt ſe in aliqua regione contineat immotus, neque noctium, ac dierum viciſſitudines faciat, parebit non grauatè. Et illud *Pſal.* 103. Pſalm. 103.
verſ. 34. *Qui reſpicit terram, & facit eam tremere: qui tangit montes, & fumigabunt.* Id eſt, ſi aſpiciat terram, tremet; ſi montes tetigerit, fumigabunt. Cæterùm his verbis oſtendit Dominus, neque terram, neque cœlos, quos colebant Gentes, habendos eſſe in Diis: quando & à Deo formati ſunt, & eius voluntati tam facilè, & tam libenter obſequuntur.

C y *Congregamini omnes vos, & audite, Quis de eis annunciauit hæc?*] Proximè oſtenderat quemadmodum duce Cyro euertendum eſſet Chaldæorum imperium à Perſarum exercitu; & laxanda longa, atque moleſta Iudæorum captiuitas: nunc iubet Deus, vt congregati Iudæi reſpondeant, an hoc vaticinium ab vllo alio ante hoc tempus audierint. In illo, *Quis de eis*, quidam Gentium Deos intelligunt, neque ego improbo. Sed opinor ibi potiùs cœlos intelligi, qui proximè anteceſſerant. Et eſt ſententia ſatis aptè cum ſuperioribus congruens: vbi latè incantatores, aſtrologos, & genethliacos pupugerat, docuerátque illorum reſponſa eſſe omnino nugatoria. Ait ergo Dominus, Chaldæorum exagitans diuinationes, & præſtigias. *Quis de eis*, 36.
D nēpe cœlis, ſeu per cœlos obſeruatione, aut notatione ſyderum, in quibus omnia ſe videre putabat, prædixit hæc? Et facit ad hanc ſententiam plurimùm textus Hebraicus, qui pro *de eis*, habet בהם *bahem*, id eſt, *in eis*, ſeu *per eos*. Neque Latina phraſis contrapugnat. Vt enim auguralis vox eſt *de cœlo ſeruare*, & ſimilia, ſic etiam *de cœlo nunciare*. In hanc explicationem libentiùs inclino.

z *Dominus dilexit eum.*] Omnes hunc Cyrum eſſe putant, de quo multis ſuprà; quem Deus ſuorum conſiliorum adminiſtrum elegit.

aa *Faciet voluntatem ſuam in Babylone, & bra-* 37.
E *chium ſuum in Chaldæis.*] Apud Hebræos idem eſt pronomen reciprocum, & non reciprocum, ſeu cõmune. Quare ſi vim Hebr. pronominis intueare, vertere etiã poſſes, *Faciet voluntatem eius in Babylone, & brachium eius* Iuxta hæc quidã ſic exponũt: Faciet Dominus Cyri voluntatem, in expugnanda Babylone, & brachium eius corroborabit contra Chaldæos. Mihi magis probatur, quod cum Hieronymo ſentiunt plures alij, vt non tam Dominus facturus ſit Cyri voluntatem, quàm Domini Cyrus. Et tunc illud *faciet*, ad Dominum refero, non ad Cyrum; in hanc ſententiam. Faciet Dominus Cyrum, in Babylone

bylone mulctanda voluntatem ſuam; & faciet brachium ſuum contra Chaldæos. De brachio nihil eſt dubium, aut difficile, quia ſæpe *manus*, & *brachium* inſtrumentum ſignificat. Brachium verò Domini fuiſſe Cyrum ex ſuperioribus ſatis abundè conſtat. Illud verò magis difficile quo modo Cyrus dici potuerit *Dei voluntas*. De genere loquendi dubito: nam quòd diuinæ voluntatis fuerit adminiſter, nemo credo dubitat. Sed neque hoc admodum alienum eſt ab ſcripturæ & bonorum ſcriptorum vſu: apud quos abſtracta concretorum loco frequenter adhibentur. Quo ſenſu *gaudium noſtrum, dolorem*, & *amorem* vocamus eos, qui illarum affectionum autores nobis, aut materia fuerunt. Sic etiam Cyrus *Dei voluntas* vocari poſſet: quia eius explendæ idoneum, & facile inſtrumentum fuit. Quòd ſi hæc minùs placent, quia dicendi modus paulò durior, ſanè difficile non apparet, ſi ita interpretere: Faciet Deus per Cyrum, quem dilexit, voluntatem ſuam: & brachium, id eſt, opus potentiæ ſuæ, contra Chaldæos.

Regula. Abſtracta pro concretis vſurpantur.

38. b b *Ego ego locutus ſum, & vocaui eum; adduxi eum, & directa eſt via eius.*] Si de Cyro accipias nihil eſt clarius; apprehendit enim Dominus manū eius, talémque illius conſiliis exitum præbuit, qualem Cyrus ipſe cogitatione fingere non poſſet.

39. c c *Accedite ad me, & audite hoc; nō à principio in abſcondito locutus ſum.*] Non omnes eodem ſtatuunt modo, cui ſint hæc adſcribenda. Quidam Chriſto putant. Ita ex antiquis Auguſtinus ſæpe; Chryſoſtomus *hom.3. de Spiritu Sancto, tom.3.* Athanaſius, Euſebius, S. Thomas *hic*, Procopius, Haymo, Hugo, Dionyſius, Lyra, interlinearis; & latè Galatinus *lib.3. cap.3.* & Hieronymus iuxta tranſlationem Septuaginta, qui tamen iuxta textum Hebraicum, id eſt, iuxta tranſlationem ſuam aliter ſentit. Qui verò ita ſentiunt, hîc myſterium ſanctiſſimæ Trinitatis agnoſcunt: quia, vt ſtatim ſubditur, qui hic loquitur Chriſtus, à Domino ſe miſſum dicit, & à Spiritu eius: Vbi ſe tres aperiunt perſonæ. Sermones autem hi antiqui, ſeu à principio per os prophetarum, qui à ſæculo ſunt, Chriſto tribuuntur, quia eius opus eſſe cenſetur, quidquid ad hominum ſalutem quocumque modo pertinet. Prophetiæ autem omnes, & figuræ à principio ſigna fuerunt, aut oracula futuræ redemptionis per Chriſtum. Hic verò à principio quando loqui cœpit cum eo populo, apertè locutus eſt, nō ambiguo, aut implexo ſermone, qualem fuiſſe Dæmonum, aut aruſpicum ſuperiùs oſtendimus. Quæ ſententia magis mihi eſt probabilis, quia ad eam textus non eſt difficilis, & patronorum non leuis autoritas. Et facit quòd in capite ſequenti omnium penè conſenſu loquitur Chriſtus; illud verò cum iſto eodem filo contexitur, vt apparet.

40. Alij hæc ad prophetam referunt, in quibus eſt Hieronymus, Chaldæus, Vatablus, Foreirus; Adamus dubius eſt, item Emanuel Sà, & Gabriel Vazquez *in 1. p. diſp.* 108. *c.*2. Ita vt propheta dicat ſe à principio cùm agere cœpit de excidio Babylonico, & captiuorum libertate, egiſſe verbis non obſcuris, neque in receſſu, ac latebris, ſed apertè, & publicè. Quod ſanè non auderet niſi afflatus eſſet ab eo, qui nec fallere alios, neque ipſe vllo modo poſſet falli. Quæ ſententia mihi videtur valde veriſimilis. Quare conſentaneè ad hanc quoque reliquorum incumbet interpretatio.

41. d d *Ex tempore antequam fieret, ibi eram.*] Si Chriſtus hîc loquitur, facilis explicatio eſt, ſiue de omnibus, quæ à ſæculo prædicta ſunt, ſermo fiat, ſiue de hoc recenti vaticinio Babylonis, & Cyri. Chriſti enim oculos nihil latebat quantocumque ſpatio tēporis ſeparatū: atque ideo ibi præſens aderat: quia illi etiam longè pòſt futura, abſentia non ſunt. Neque ſi verba ſint prophetæ dura eſt interpretatio. Nam vt eſt communis Theologorum ſententia, prophetæ, quæ dicunt, plerumque aut vident, aut intelligunt: vnde prophetia dicitur *viſio*, & prophetæ *videntes* appellantur. Quare Hieronymus ſæpe vt *in cap.1. Iſaiæ, & in prologis Nahum, & Abacuc*, Montani deliramenta carpit, qui dicebat prophetas in ecſtaſi, & cordis amentia futura prædicere. Vide S. Thom. 2.2. *q.*173. *art.*3. *&* 4. vbi docet prophetam non ſemper cognoſcere quæ dicit. Quidquid tamen ſit de hac ſententia, neque enim nunc animus eſt, aut otium iſta accuratiùs explorandi, ſatis nobis eſt in præſentia noſſe pleraque eorum, quæ prænunciantur, nota eſſe prophetis, vt dicamus Iſaiam interfuiſſe cognitione non obſcura his, quæ longo pòſt tempore geſta ſunt à Cyro in ſubiuganda Babylone, aſſerendáque Iudæorum libertate. Qui loquendi modus vſitatus eſt prophetis, qui adeſſe ſe aut præſentes eſſe dicunt ſpiritu his, quæ prophetico norunt ſpiritu. 4. *Reg. cap.* 5. Sic Elizæus ad Giezi: *Nonne cor meum in præſenti erat, quando reuerſus eſt homo de curru ſuo in occurſu tui?* Et vt in aliis prophetis adeò certum non ſit, in Iſaia tamen hoc ipſum negare parum pium. De quo *Eccleſ. capite 48. verſ.* 27. *Spiritu magno vidit vltima, & conſolatus eſt lugentes in Sion, vſque in ſempiternum: oſtendit futura, & abſcondita antequam euenirent.* Vbi notanda duo verba *Spiritu magno*, in quo aliquid præcipuum oſtenditur, & *vidit omnia*: quod indicat ab eius oculis ſiue cognitione nihil fuiſſe clauſum.

Prophetæ ſæpe vident ea, quę futura annunciant.

Iſaias magnus propheta.

e e *Et nunc Dominus meus miſit me, & ſpiritus eius.*] Ex textu ſermonis videtur poſſe colligi non eodem tempore hæc ab Iſaia prædicta, quo reuelata ſunt: nam priùs ſe interfuiſſe propheta dicit rebus à Cyro geſtis; nunc autem dicit mitti ſe à Deo, & ab eius ſpiritu, propheticū nēpe, vt quæ antè cognouerat diuina illuſtratione, illa nūc prophetali vrgente ſpiritu ad populum proferat. Si tamen hic Chriſtus loquatur, vt plures opinantur, à quo depulſa eſt Babylonica ſeruitus, ſicut olim Ægyptiaca, vt conſtat *ex epiſt. Iudæ verſ.* 5. ſatis hinc elucet, vt contendit Galatinus *lib.2. cap.3.* Trinitatis myſterium, quod etiam ex Patribus allegatis ſuprà ſentiunt non pauci. 42.

f f *Hæc dicit Dominus redemptor tuus, ſanctus Iſrael.*] Hic tam minùs dubitandum verba eſſe prophetæ: qui interpoſita diuini nominis maieſtate, atque benignitate redemptoris attentionem ſimul, & beneuolentiam captat à Iudæis.

g g *Ego Dominus Deus tuus, docens te vtilia, gubernans te in via qua ambulas.*] Alij dij, quos ex nimis familiari Gentium conſuetudine colere cœperunt Iudæi, in eam calamitatem deduxere væſanum, & infelicem populum, quam nuper explicuit propheta: quia inutilia docuere, & viam ingreſſis grauia oppoſuerunt impedimenta. Nunc Deus oſtendit quàm longè aliter Iudæorum doctrinæ atque rationibus conſuluerit. Ego, inquit, ſum qui illa doceo, quæ tibi, quacumque ratione conſideres, futura ſunt ex vſu: qui in viam, quam ingreſſus es, non prouidè ſolùm, ſed etiam amanter veſtigia tua moderor, & guberno: ita vt ſine offenſione finem illum teneas, ad quem curſum inſtituis. Quod experientia educti longo quadraginta annorum curſu per 43.

deſertum

deſertum cognoſcere potuerunt Hebræi. Cæterùm illud *gubernans & docens*, ex vſu ſcripturæ non ſemper actionem ſignificat, ſeu, vt philoſophi loquuntur, actum ſecundum; ſed facultatem, conſuetudinem, & miniſterium, ſeu actum primum, id eſt, habitum, ſeu potentiam. Quomodo vulgò dici ſolet: *Ego non doceo, non guberno*, id eſt, neque magiſter, neque gubernator ſum. Sic Deus, hic dicitur vtilia docens, & gubernans in via, quia id ex ſuo inſtituto, & ingenio præſtat, licèt interdum homines labi & in errorem abduci permittat. Neque tamen deſiit vtilia docere per prophetas, & gubernare etiam dum Hebræi alieno ſubeſſent imperio; ſed ipſi ad vtilem doctrinam ſurdi, & ad diuinum imperium difficiles extrema omnia paſſi ſunt. Quod ex ipſo textu facilè conſtat, in quo ſtatim homines dicuntur diuinis præceptis non attendiſſe, atque ideo infelicem incurriſſe fortunam, ſicut ſuprà *cap.* 28. de eodem populo dixit, qui ad ſalutaria Domini documenta occinebat, *manda remanda*, &c. *vt vadant, & cadant retrorſum*, &c.

44\. Quæ loquitur, ac præcipit Deus vtilia ſunt; neque enim à diuino ore quicquam vnquam excidit otioſum, & inutile, ſiue humanam commoditatem intuearе, ſiue cœleſtem, & ſpiritualem. De humana eſt illud *Iſa. c.* 7. *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis.* De alia vtilitate ſpirituali, lõgéque maiori tota ſcriptura loquitur. Ex hac Dei certa, atque perpetua conſuetudine intelligent qui populum ex ſuggeſto docent, an à Deo docti locum illum aſcendant, an ab alio ſpiritu non tam inſtructi, quàm decepti. Si enim plauſum captant, & popularem auram, & inania fundunt ſine pondere, id eſt, ſine mente verba, quæ ventus iactat, ſpargitque, neque ad animum vulnerandum accedunt, ſine dubio Deus neque docet, neque gubernat illam linguam ad vacuos illos, & inutiles ſonitus; ſed leuitas, & ambitio, ſeu, vt veriùs loquar, Diabolus quem portant in lingua.

Deus vtilia docet, non ludicra, atque inania.

45\. h h *Utinam attendiſſes mandata mea, facta fuiſſet ſicut flumen pax tua, & iuſtitia tua, ſicut gurgites maris.*] Diceret aliquis, Si vtilia doces populum, greſſúmque moderatis in via, cur illum in hoſtiles manus, & ludibrium tradis, & in ærumnoſum, atque diuturnum exilium protrudis? Id enim longè abeſt ab illa gubernatione, & cura, quam de populo tuo habere te dicis eximiam. Huic cogitationi ſeu obtrectationi occurrit Dominus, dicitque non ſibi defuiſſe docendi ſtudium, aut gubernandi curam, ſed populum illum ſuæ ſibi libidini potiùs, quàm diuinis monitis obſecutum, indocilem ſe præbuiſſe cœleſti diſciplinæ. Atque ideo dicit, *Utinam attendiſſes mandata.* Quaſi dicat, Quòd nunc tot tibi, támque ignominioſa immineant incommoda, inde profectò natum eſt, quia à mandatis meis vtilibus aures atque animi abhorruerunt; alioqui omnibus bonis, quæ optari poterant, abundares.

46\. Hic duæ voces obſeruandæ, altera *Pax*, quæ vt ex vſu ſcripturæ conſtat, lætitiam, proſperitatem, & ſecundum rerum ſucceſſum ſignificat: denique quicquid in bonis ab hominibus numerari ſolet. Altera *flumen*, quod, quia aquis abundat, continentique delabitur fluxu, ſic etiam ad maximarum rerum affluentiam ſignificandam transfertur, quæ in fluuio perpetua eſt, neque vnquam exhauritur aut areſcit. *Iuſtitiæ* nomine ſuam liberalitatem, & munificam naturam aperit Deus, qui iuſtitiæ noſtræ, id eſt, diuinorum mandatorum obedientiæ illum bonorum cumulum rependit, qui cum immenſis Oceani gurgitibus conferri queat. Porrò ſicut *iniquitas* pro iniquitatis ſupplicio ſæpe, ſic *iuſtitia* pro iuſtitiæ præmio, atque compenſatione ponitur. Quo ſenſu dixit Iacob *Geneſ.* 30. *verſ.* 32. *Quodcumque furuum, & maculoſum, variúmque fuerit, tam in ouibus quàm in capris, erit merces mea; reſpondebitque mihi cras iuſtitia mea, quando placiti tempus aduenerit*, id eſt, merces iuſtitiæ ſeu laboris mei.

Iuſtitia pro mercede operis iuſti. Geneſ. 30.

i i *Et fuiſſet quaſi arena ſemen tuum, & ſtirps vteri tui vt lapilli eius; non interiiſſet, & non fuiſſet attritum nomen eius à facie mea.*] Pollicitus fuerat Deus Abraham ex filio Iſaac immolato ſibi, & ſpeciali quodam titulo iam ſuo, eam pullulaturam poſterorum ſyluam, vt coæquaret aſtra cœli, & arenas, quæ ſunt in littore maris, ídque non ſemel, primùm *Geneſ. cap.* 14. deinde *cap.* 13. & 15. Dixerat præterea populum illum fore glorioſum, & hoſtibus ſuis longè ſuperiorem, *Geneſ.* 12. *Creſcere te faciam vehementiſſimè, ponam te in Gentibus: Regéſque ex te egredientur*: Et *cap.* 18. *Poſſidebit ſemen tuum portas inimicorum tuorum.* At nunc gladio, tabéque conſumptis magna ex parte Abrahami poſteris, non niſi pauci ex ea multitudine relicti ſunt eo tempore, quod præſens ſpectabat prophetia, iidémque aut apud hoſtes captiui, aut profugi ad alienas ſedes. Vnde id prouenerit, ſatis conſtat ex dictis. Nunc verò ſignificat ex ſuæ legis obſeruatione, quid commoditatis habitura fuiſſet Abrahami ſoboles. In eam enim multitudinem excreſceret, vt arenæ maris non eſſet inferior: & nomen ipſius omnibus eſſet glorioſum, & formidabile; nunc verò attritum eſt, à facie Domini, id eſt, à Domino proiectum, ignobile eſt, atque ita ſordidum, vt iam Iudæorum ſordes, atque calamitas apud Gentes prouerbiali ſermone concidantur. Qua de re pluribus egimus in illud Zachariæ *cap.* 8. *num.* 15. *Sicut eratis maledictio in Gentibus.* Quomodo *ſtirps*, & *radix* pro eo ſumantur, quod ex radice, aut ſtirpe pullulat, id eſt, pro germine aut ſobole, diximus *cap.* 11. *num.* 16. 47.

k k *Egredimini de Babylone, fugite à Chaldæis.*] Digni quidem erant Iudæi diuinorũ mandatorum immemores, quos Dominus ignominia, atque exilio mulctaret ſempiterno. Nihilominus illorum fugam, & ſolitudinem conſolatur, dum ex Babylonico, id eſt, duro ac barbaro dominatu exilire iubet; quæ erat altera pars recentis huius vaticinij. Modus verò loquendi per imperatiuum aliquid habet magis lætum, & promptum. Quod eodem modo explicui infrà *cap.* 52. *verſ.* 11. *Recedite, recedite, exite inde.* 48.

l l *In voce exultationis annunciate, auditum facite hoc, & efferte illud vſque ad extremum terræ.*] Adhuc perſtat propheta in libertate Babylonica, parátque aditum magis expeditum ad libertatem aliam longè maiorem; de qua ſtatim *cap.* 49. Quidam hæc etiam eſſe de Chriſto cenſent; quòd ſi typicè id volunt, placet maximè, hiſtoricè tamen de Cyro vindice, libertatéque exulum accipienda, & verba ipſa quæ nihil indicant indecori, & orationis filum oſtendit. Videtur autem his verbis explicari forma edicti, quo facultatem Cyrus fecit Iudæis in patriam remigrandi: cuius habes formam *Eſdræ* 1. *cap.* 1. Nam cùm præceſſiſſet, *Suſcitauit Dominus ſpiritum Cyri regis Perſarum; & traduxit vocem in omni regno ſuo, etiam per ſcripturam dicens*: addit ſtatim edicti formam. *Hæc dicit Cyrus Rex Perſarum. Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli, & ipſe præcepit mihi, vt ædificarem ei domum in Ieruſalem, quæ eſt in Iudæa. Quis eſt in vobis de vniuerſo populo* 49.

pulo eius? ſit Deus illius cum ipſo. Aſcendat in Ieruſalem, & omnes reliqui in cunctis locis, vbicumque habitant, adiuuent eum viri de loco ſuo argento, & auro, & ſubſtantia, & pecoribus. In quo edicto tria præſertim obſeruo. Primum, vocem illam, ſeu edictum regium ad extremum vſque terræ fuiſſe tranſmiſſum. Secundum, adductum eſſe Regem, vt populum dimitteret, templúmque conſtrueret, quia agnoſcebat habere ſe à Deo Iſrael, & omnia regna mundi, & mandatum, vt templum ædificandum curaret. Tertium, curaſſe diligenter, vt ſine vlla moleſtia & reditum in patriam inſtituerent, & templi fabricam tutò, commodè, ac ſplendidè molirentur. Eò enim ſpectat illud edicti, *Et omnes reliqui in cunctis locis, vbicumque habitant adiuuent eum.* Quod Cyri edictum multò explicatiùs expreſſum eſt 1. *Eſdræ cap.6.* Vbi omnia ad templi vſum, & fabricam neceſſaria de Regiis tributis ſumi iubentur, ea ſeueritate, vt quicumque contrà aliquid moliatur, ac tentet, confeſtim rapiatur in crucem. Quod decretum deinde Darius ſtudioſè impleri voluit.

Quid Cyrus haberet in mandatis à Deo.

50. Ad hoc edictum liberalitatémque Cyri alluſum exiſtimo in his Iſaiæ verbis. Ad illud *vſque ad extremum terræ*, refero illud Cyri, *traduxit vocem in omni regno ſuo.* Quod omnia regna ſtatim eſſe dicit, *omnia regna mundi*, iuxta regulam à nobis ſæpius repetitam, per quam vniuerſale ſignum accommodatè exponitur materiæ de qua nobis ſermo. Ad extremum itaque terræ, id eſt, ad vltimos vſque fines regnorum ſuorum, quæ *omnia regna mundi* vocauit, tranſmiſit edictum. Quòd verò ſtatim additur in Iſaia. *Redemit Dominus ſeruum ſuum Iacob*, ſpectare puto ad illud Cyri, *Ipſe præcepit mihi, vt ædificarem ei domum in Ieruſalem. Quis eſt in vobis de vniuerſo populo eius? ſit Deus ipſius cum ipſo: Aſcendat in Ieruſalem.* Sanè qui præcepit Cyro, vt domum ædificaret in Ieruſalem, illíque eam indidit mentem, vt captiuos tam liberaliter dimitteret, idem populum multò magis quàm Cyrus è captiuitate liberauit. Eo enim conſilio excitauit Cyrum, euocauit è Perſide, aperuit ianuas, & vectes confregit ferreos, vt ille, quæ Iudæis erant ad reditum impedimenta ſubmoueret; quæ opera non tam fuerunt Cyri, quàm Domini in Cyro illa omnia mirabiliter adminiſtrantis. Quare Dei fuit edictum illud, potiùs quàm Cyri, & à Deo redemptus dici potuit Iſrael potiùs quàm à Cyro.

Illa verò quæ ſtatim adiungit Iſaias de facilitate reditus cum alluſione ad ea, quæ olim egreſſus ex Ægypto populus à Dei liberalitate ſuſcepit, cùm dicit, *non ſitierunt in deſerto*, &c. intuentur illam edicti partem, qua cauet Cyrus, vt omnes ſubſidio eſſent Iudæis, iuuaréntque argento, & omni ſubſtantia graui propoſito ſupplicio, ſi quis contrà fecit. Quo Cyri conſilio omnia erant Iudæis expedita, & prompta, non ad reditum ſolùm, ſed etiam ad templi, vrbiſque molitionem. Illam autem facilitatem, vt ſtatim dicemus, explicant, quæ ad extremum vſque caput pertinent. Nunc ad ea, quæ leuiter libauimus, fuſiùs explicanda redeamus.

52. m m *Redemit Dominus ſeruum ſuum Iacob.*] *Redimere*, vt vox ipſa indicat, propriè eſt impenſa pecunia aliquem è captiuitate liberare. Quia verò plerumque in captiuorum libertate intercedit pecunia, fit vt quocumque modo capti reſtituantur patriæ, *redimi* dicantur. In *Iacob* autem, ſicut in *Iſrael*, totum Iſraeliticum genus intelligitur.

53. n n *Non ſitierunt in deſerto cùm educeret eos: aquam de petra produxit eis, & ſcidit petram, & fluxerunt aquæ.*] Hæc plurimi de Eccleſia accipiunt maioríque libertate per Chriſtum obtinenda, quàm quæ è Babylone Iudæis per Cyrum obuenit. Et in his eſt Hieronymus, Haymo, Foreirus & Dionyſius, qui tamen non omnino improbant illorum ſententiam qui hîc putant ſermonem eſſe de Babylonicæ ſeruitutis exitu. Quod alij communiter ſequuntur, in quibus eſt S. Thom. Cyrillus, Procopius, & alij plures. Cùm verò non conſtet talia in reditu ex Babylone contigiſſe, qualia hîc à propheta commemorantur, figuratè hæc accipiunt, & hyperbolicè, quaſi aliquid à Dei liberalitate fuerint experti affine Ægyptiis temporibus, & longæ per deſertum peregrinationi. Cyrillus, & Procopius conditionaliter exponunt, in hunc ſenſum. Si ad ſalutem, commoditatémque remigrantis populi neceſſe fuerit petram ſcindere, & in æſtuoſa, atque ſitienti via aperire aquarum ſcaturigines, illam quoque humanitatem, & indulgentiam Iſraelitis iterum non defuturam. Quorum expoſitio ſeptuaginta interpretum tranſlationi conſentanea eſt, qui ita vertunt. *Quod ſi ſitierint, per deſertum ducet eos, aquam de petra educet eis.*

54. Egò hæc de reditu ex Babylone cum pluribus interpretor, ex quibus ad aliam maiorem libertatem mirifica aperitur via, tanquam à typo ad viuum propoſito, ad viuam, & ſpirantem veritatem. Pro cuius explicatione obſeruo, ſicut maximum periculum in *mari rubro* ſignificari ſolet, vbi demerſus eſt Pharao, vt diximus ad illud *Pſal. 67. Conuertam in profundum maris.* Et *mare idem apertum* prouerbiali ſpecie pro liberatione à maximo periculo vſurpari ſolet: vt notauimus ad illud Zachariæ *cap. 10. Et tranſiet in maris freto:* ſic etiam figura item prouerbiali beneficia maxima explicantur his beneficiis, quibus Dominus populum proſecutus eſt. Vt ergo Deus in terra ſitienti fontem produxit ex duro, atque arenti ſilice, curſúmque in terra horroris, & vaſtæ ſolitudinis ita moderatus eſt, vt non ſolùm neceſſaria prouidè, ſed etiam indulgenter iucunda præſtiterit: ſic etiam nunc eidem populo idem ſtudium, & eandem indulgentiam promittit, ita vt nihil illi in reditu, nihil in patria ad ſalutem, & otium defuturum ſit. Quocirca neceſſe non eſt, vt petra ſciſſa fuerit exulibus è Babylone redeuntibus, ſatis eſt vt pro manante petra alia beneficia larga collata fuerint. Hæc mihi magis veriſimilia. Hugo aliter exponit: ideo enim putat in reditu dici percuſſam petram vberibus manaſſe riuis, quia eos, qui ſilicis inſtar duri erant, & ad omnem miſericordiam aridi, & ſteriles, putat Gentes à religione alienas, ita emolliuit Deus, vt larga manu, & verè regia, omnia populo neceſſaria cumulatè præſtiterit.

Prouerbiũ.

In reditu ex Ægypto magna quæque beneficia intelliguntur.

55. o o *Non eſt pax impiis dicit Dominus.*] L x x. paulò aliter vertunt, *Non eſt gaudere impiis.* Sed eſt ſenſus idem: nam vt nuper docuimus, *pax* etiam lætitiam, & iucunditatem valet. Quô tamen hæc referenda ſint incertum eſt. Quidam hæc ad Chaldæos referunt, quibus ſuprà exitium minatus eſt Dominus, ſicut captiuis pollicitus ſalutem. Quare hæc exiſtimatur eorum, quæ ſuprà pluribus expoſita ſunt, breuis quædam, & apta complexio. Alij hæc ſpectare putant ad captiuos, qui hærere in exilio maluerunt, quàm in patriam reuerti. Quibus frui non licuit illa pace, id eſt, rerum abundantia, atque tranquillitate, quæ ſuprà ab Iſaia demonſtrata eſt; ita putant Hugo, & Pintus. Et hæc poſterior ſententia mihi probatur magis, quia ex captiuis non

omnes reuerſi ſunt in patriam: ſed illi tantùm, quos Domious elegit, & quorum tetigit cor, reliquis in exilio remanere permiſſis, qoi pertioaci ſtudio, aut Babylonicæ impietati adhæſerant, aut alio certè nomine indigni, qui rurſus incolerent ciuitatem ſanctam Ieruſalem. Redierunt autem exules ooo temere, & ſine coosilio, ſed cum iudicio, & electio-oe, vt oſtendimus ad illud *cap. 1. Sion in iudicio redimetur, & reducent eam in iuſtitia.* Quare *Eſdræ 1. cap.1.* egreſſi dicuntur principes Patrum de Iuda, & Beniamin, & ſacerdotes, Leuitæ: & omois cuius Dominus ſuſcitauit ſpiritum. Et *Tobiæ cap. vltimo* redituri dicuntur timentes Deum ad ædificandam domum Domini. Et ſanè ex his, qui cum Sedechia A capti ſunt, neminem ab exilio fuiſſe reuerſum plurimi ſenſerunt, vt tradit Hierooymus in illud Ezechielis *cap. 11. verſ. 17. Congregabo vos de populis.* Quorum ſeoteotiam ipſe ooo improbat. His ergo, qui ad templum, ſacráque Iudæorum redire noluerunt, qui eo nomine *impij* vocari poſſunt, pax negatur, quæ reducibus ab exilio promittitur. Hæc autem hiſtoria ſic explicata, mirè colludit cum libertate alia maiori per Chriſtum, de quo ſtatim. Quod mihi non leue argumentum eſt, vt cenſeam hæc hiſtoricè intelligenda non eſſe de tempore Euangelij, ſed tantùm typicè. *Et hic ſit finis capitis quadrageſimi octaui.*

Non omnes ex Babylone reuerſi, ſed timentes Deum.

Argumentum quadrageſimi noni capitis Iſaiæ.

PRINCIPIVM *capitis vſque ad numerum 14. de Chriſto manifeſtè, atque de Eccleſia loquitur; quæ verò à num. 14. ad finem vſque capitis traduntur, eiuſmodi ſunt, vt tam ad Eccleſiam, quàm ad captiuitatem à Babylone reſtitutam referri poſſint, neque in vtramlibet partem autores deſunt. Ego in commentariis geminam expoſitionem adhibui, alteram hiſtoricè de captiuorum reditu: alteram allegoricè de Eccleſia, quod præſertim huic vaticinio videtur eſſe propoſitum. Paraphraſim verò tantùm adduxi de captiuitate reſtituta, tum quia in hiſtoria illa plus erat difficultatis, & propoſito, atque explicato typo, promptum eſt cuilibet, quæ in eo dicta ſunt ad Eccleſiam, id eſt, ad veritatem transſcribere. In principio ergo Chriſtus deſtinatum ſe eſſe dicit humani generis, & primo quidem, ſuæ, id eſt, Iudaicæ gentis redemptorem, & vindicem. Cùm autem doleret, quòd in Iudæorum ſalute procuranda fruſtra labor videretur eſſe ſuſceptus, Pater ſtrenui laboris ſpacium laxat, & ad extremos vſque terræ fines illi gentilium cauſam, & ſalutem tradit, ex qua ſemente copioſos Filio prouentus promittit, & quanta futura ſit his, qui ad Eccleſiam acceſſerint, felicitas declarat. A numero verò 14. inducit Sionem apud Babylonios exulãtem, & mæſtam, quòd à Deo iam neglecta, atque deſtituta videatur; in qua tanquam in ſuo typo ſignificatur Eccleſia tyrannorum odiis expoſita, & illorum armis acerbè iactata: Sed Sioni libertatem promittit filiorúmque facilem, atque glorioſum reditum: & Eccleſiæ numeroſam, & illuſtrem ſobolem. His verò qui Sionem prius, deinde Eccleſiam perſecuti ſunt, horribile minatur exitium.*

CAPVT XLIX.

1 [a] AVDITE *inſulæ, & attendite populi de longè.* [b] *Dominus ab vtero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus eſt nominis mei.*

2 [c] *Et poſuit os meum quaſi gladium acutum;* [d] *in vmbra manus ſuæ protexit me;* [e] *& poſuit me ſicut ſagittam electam. In pharetra ſua abſcondit me.*

3 [f] *Et*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 HACTENVS cum Gente Iſraelitide loquutus ſum, nunc iam loquar ad vos, ô populi, qui inſulas, & extremos terrarum fines incolitis, vbicumque fueritis, aut terrarum, aut gentium. Dominus ab vtero vocauit me, deſignauítque humani generis redemptorem, mei, inquam, memor humanæ ſalutis deſtinauit vindicem. Quod munus in meo nomine conſignatum eſſe voluit.

2 Ad quod munus os mihi dedit & verba, quibus non minùs acriter pungantur animi, quàm acuto gladio vulneratur corpus. Adfuit mihi texitque manu ſua: Neque tantùm me gladium eſſe voluit, qui proxima, ſed etiam ſagittam electam, quæ remota velociter peruadere, & deſtinatò ſcopum ferire poſſit. Ergo quo promptam

me,

me,& ad manum haberet bellator Deus, in pharetra ſua me repoſuit.

3 Ac tandem, quid de meo in ſuam gloriam ſtudio ſperaret, his verbis oſtendit, dum mecum ſic agit. O Meſſia, qui ex Iſraelis ſtirpe naſciturus es, tu ſeruus mihi es; tu in mei nominis glorificationem incumbes, tu meam vbique gentium gloriam amplificabis.

4 Sic Deus ad me. Ad quem ego contrà. Laboraui pater, vt tuæ gloriæ, ac voluntati ſeruirem; atque ita laboraui, vt in ea cura vires, vitámque conſumpſerim, in vacuum tamen: quia ex longa illa duráque ſemente laborum, adeò exiguum ex mea gente retuli prouentum, vt vanè, & ſine cauſa laboraſſe videar. Sed hæc vna res dolorem meum conſolatur, quia Dominus de meo labore, atque ſtudio iudicabit. Scit enim Deus quàm ego ſtrenuè, atque fideliter in dato mihi negotio deſudauerim; quemadmodum per me non ſteterit, quominus ex Gente Iſraelitide plures ſalutem conſequuti non fuerint.

5 Nunc verò idem Dominus, qui me ab vtero ad conuertendam Iſraelitidem gentem ad ſe deſtinarat, cùm videret, gentem illam quaſi errantem gregem ad ipſius ſepta non eſſe congregandos, glorificauit me, quia & fortitudinem præbuit ad excelſum redemptionis opus: & ſpatia laxauit, ad quæ poteſtas illa ſe latè porrigeret.

6 Cùm enim videret ſtrenuum, & promptum animum ad arduum illud, & excelſum negotium, dixit. Exiguus eſt, pro tanta virtute, atque ardore animi curſus Gigantæis paſſibus in tractu, generéque Iſraelitico definitus. Ecce gentium quoque conuerſionem ad extremos vſque terræ fines tui laboris materiam eſſe volo. Has ergo cæleſti illuſtrabis luce, & eis ſalutem meam, cæleſtem nimirum, & ſpiritualem imperties.

7 Hæc dicit Dominus, qui per Cyrum ab exilio Babylonico redemit Iſrael, ad Chriſtum, cuius anima vilis, & contemptibilis à Iudæis exiſtimata eſt: & ad eius etiam familiam, & Gentem, quæ ab omnibus abominationi ducitur: quæ item cum capite ſuo Chriſto ſeruituti videtur eſſe ſubiecta. Deſpicient quidem te, ô Meſſia, Iudæi ad quos primo loco deſtinatus es: ſed Reges & Principes, quid in te ſit virtutis, maieſtatíſque cognoſcent: & ad te conſurgent, conueniéntque ſupplices, vt te adorent, agente Domino Deo Iſrael, qui te ad illud redemptionis opus elegit. Quia fidelis eſt, neque ſtudium ſuum à mercede vacuum eſſe vult.

8 Hæc itaque dicit Dominus; Licèt quoad Gentium conuerſionem attinet, ô Meſſia, exauditus non fueris in mortali ſtatu: quia in eo Gentes in ſinum tuum, & tuorum cœtum non conuenerunt; tamen in tempore acceptabili, & in die ſalutis tibi, tuíſque adero. Tunc verò licebit, vt fœdus ineas cum populo Gentili quemadmo-

3 [f] *Et dixit mihi, Seruus meus es tu Iſrael,* [g] *quia in te gloriabor.*

4 [h] *Et ego dixi: In vacuum laboraui, ſine cauſa, & vanè fortitudinem meam conſumpſi:* [i] *ergo iudicium meum cum Domino, & opus meum cum Deo meo.*

5 [k] *Et nunc hæc dicit Dominus, formans me ex vtero ſeruum ſibi, vt reducam Iacob ad eum;* [l] *& Iſrael non congregabitur.* [m] *Et glorificatus ſum in oculis Domini,* [n] *& Deus meus factus eſt fortitudo mea.*

6 *Et dixit:* [o] *Parum eſt vt ſis mihi ſeruus ad ſuſcitandas tribus Iacob, & fæces Iſrael conuertendas.* [p] *Ecce dedi te in lucem Gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ.*

7 [q] *Hæc dicit Dominus redemptor Iſrael, ſanctus eius, ad contemptibilem animam, ad abominatam Gentem, ad ſeruum dominorum.* [r] *Reges videbunt, & conſurgent principes, & adorabunt* [ſ] *propter Dominum, quia fidelis eſt, & ſanctum Iſrael, qui elegit te.*

8 [t] *Hæc dicit Dominus: In tempore placito exaudiui te, & in die ſalutis auxiliatus ſum tui,* [v] *& ſeruaui te, & dedi te in fœdus populi,* [x] *vt ſuſcitares terram, & poſſideres hæreditates diſſipatas.*

dum olim inieras cum Iſraelitico, vt excites, poſſideáſque Gentes diſſipatas priùs, & alienas; quas tibi in poſſeſſionem, & hæreditatem dabo.

9 [z] *Vt diceres his, qui vincti ſunt, Exite; & iis qui in tenebris, Reuelamini;* [z] *Super vias paſcentur, & in omnibus planis paſcua eorum.*

9 Vt annuncies, atque afferas iis, qui conſtricti ſunt ferro, libertatem; & liberam, atque iucundam lucem illis, qui in fœdo, atque tenebricoſo carcere morantur. Tunc verò vbique locorum occurrent paſcua, vbi grex ille feliciſſimus in meliori illo ſæculo ſaturetur, ſecus atque Iudæorum tempotibus, quando in vno Solymitano templo ſpiritualia paſcua, quæ ab altari ſunt, fas erat obire.

10 [aa] *Non eſurient, neque ſitient, & non percutiet eos æſtus, & Sol: quia miſerator eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit eos.*

10 Sic autem erunt à prouido, atque indulgentiſſimo paſtore omnia comparata: vt ſi grex velit paſtoris vti benignitate, neque laboret ſiti, neque famem ſentiat, neque ſolis exuratur, aut infuſcetur ardore. Quia ille idem paſcet, & reget, qui miſertus eſt eius, ducétque ad fontes, quos nunquam iugis aqua deſtituet.

11 [bb] *Et ponam omnes montes meos in viam, & ſemitæ meæ exaltabuntur.*

11 Ne verò gregis, qui vel ad Eccleſiæ ſepta congregatur, vel in eius paſcuis vagatur, & paſcitur, aut laſſentur greſſus, aut diſſoluantur vngulæ, omnia ſic complanabo, vt via ſit facilis, & aperta. Quare ſi quid arduum, & confragoſum fuerit, illud demittam: ſi quid depreſſum, atque profundum, illud exaltabo.

12 [cc] *Ecce iſti de longè veniunt, & ecce illi ab Aquilone, & mari, & iſti de terra auſtrali.*

12 Quoquo verſus reſpice, & cernes vndecumque magnos ad Eccleſiam fieri populorum conuentus. Ecce iſti procul ab Occaſu; illi ab eá maris plaga, quæ ad Aquilonem vergit: Alij ab Auſtrali regione frequentes, & curſu quàm velociſſimè citato conuolant.

13 [dd] *Laudate cæli, & exulta terra, iubilate montes laude, quia conſolatus eſt Dominus populum ſuum, & pauperum ſuorum miſerebitur.*

13 Quando ergo humanæ vocis nulla contentio tam effuſam liberalitatem ab immenſo Dei amore profectam celebrare pro dignitate non poteſt; laudate vos, cœli, immortali præconio. Tu quoque, terra, cum montibus & collibus, ſic in diuinæ bonitatis laudem incumbe, vt nulla ſit pars, in qua non reſonet illa benignitas, quæ pauperum, & afflictorum miſerta illorum dolori ſolatio atque leuamento fuit.

14 [ee] *Et dixit Sion: Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus eſt mei.*

14 Huc vſque de Eccleſia. Nunc ad Sionem redeo apud Babylonios exulantem. Quæ cùm longum ſubiiſſet, atque ærumnoſum exilium, de ſua iam libertate deſperans querebatur, clamabátque in hæc verba. En prodidit me, atque deſeruit Dominus; Deus mei curam, atque memoriam abiecit.

15 [ff] *Numquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? & ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui.*

15 Ad quam ſic Deus. Numquid mater à ſua in tenerum, & infantem filium indulgentia impetrare poterit, vt illius obliuiſcatur, & deſerat? Non ſanè, ſic neque vnquam ego obliuiſcar tui. Quòd ſi aliquando contigerit vt filij ſui mater memoriam deponat, mihi tamen de te nunquam erit obliuioni locus.

16 [gg] *Ecce in manibus meis deſcripſi te: muri tui*

16 Ecce in manibus meis expreſſam fero tui effigiem,

Digitized by Google

effigiem, ô Sion; in annulorum gemma te tuóſque deſcripſi muros, ne vnquam ante oculos meos non obuerſentur.

17 Neque eſt cur timeas aut defuturos architectos, qui Ieruſalem rediuiuam inſtaurent: aut futuros, qui illius fabricam aut impedire, aut retardare moliantur. Ecce iam accincti ſunt ſtructores, & latomi; & qui contrà aliquid videbantur poſſe moliri, longè à tuis finibus recedent.

18 Leua quoquo verſus, Sion oculos tuos, & vide qua frequentia extorres ante ciues in tuum tibi complexum reuertantur. Crede mihi iurato, ô Sion, quod ciuibus vndecumque cum gloria reuertentibus ſic ſplendidè veſtieris, & ornaberis, ſicut ſponſa ſolet in nuptiarum ſacris.

19 Ea verò multitudo erit eorum qui ad te poſtliminio redibunt, vt deſerta, & ſolitudines à cultoribus, & habitatoribus vacua, & ciuitates quæ Chaldæorum armis euerſæ ſunt, præ illorum numero non ſatis laxa futura videantur. Illi verò, qui priùs te armis abſorbuerant, & imperio longiùs à tuis finibus profligati, aut maiori autoritate deterriti longè erunt, vt aut priora meditentur conſilia, aut ſpiritus retineant antiquos.

20 Tuis auribus audies, ô Sion, verba, quæ viciſſim inter ſe loquentur illi filij, qui tibi inter exilij ſordes, atque moleſtias naſcentur: quo tempore ſterilis, & orbata videbaris. Cùm enim præ multitudine non ſit ſatis laxus ad habitandum locus, alter alteri dicet. Anguſtus eſt locus: ſpatium laxa mihi, vt minùs arctè habitare liceat.

21 Tunc dices apud te: Quis auxit me tanta, támque de improuiſo filiorum turba? Nõne ego ſterilis & iam effœta, ad alienũ ſolum deportata captiua? Quis hanc numeroſam, & nitentem ſobolem enutriuit mihi? Nonne ego iam pridem orbata, deſtituta, & ſola, quæque neque filios vſpiam me habere exiſtimabam? At iſti, qui tanta me frequentia circumdant, & ornant, vbi nam Gentium erant?

22 Hæc dicit Dominus: Ecce ego eleuata ſurſum manu, ſublato ſigno euocabo populos, & Gentes, illiſque edicam, vt expediant filios, quos procul à patria externis dominis ſeruitus alligauerat, dimittántque cum gloria. Quod ipſi mandatum, quamprimùm excipient non grauati. Quare ipſi captiuos filios adeò reducent molliter, & placidè, vt filios tuos in vlnis, & filias ſuper humeros geſtare videantur.

23 Sic autem accipient te ſtudioſè, atque auidè populi, quibus ego de tua reſtitutione mandabo, vt Reges ipſi, atque Reginæ, de officiis in te, atque humanitate certent. Qui te non aliter amplectentur, quàm nutritij, atque nutrices teneram ætatem infantis Regij, quem lactant,

ri tui coram oculis meis ſemper.

17 [hh] *Venerunt ſtructores tui deſtruentes te: & diſſipantes à te exibunt.*

18 [ii] *Leua in circuitu oculos tuos, & vide. Omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi.* [kk] *Viuo ego, dicit Dominus: quia omnibus his, velut ornamento veſtieris, & circumdabis tibi eos quaſi ſponſa.*

19 [ll] *Quia deſerta tua, & ſolitudines tuæ, & terra ruinæ tuæ nunc anguſta erunt præ habitatoribus,* [mm] *& longè fugabuntur qui abſorbebant te.*

20 [nn] *Adhuc dicent in auribus tuis filij ſterilitatis tuæ: Anguſtus eſt mihi locus, fac ſpatium mihi, vt habitem.*

21 [oo] *Et dices in corde tuo: Quis genuit mihi iſtos? Ego ſterilis, & non pariens, transmigrata, & captiua, & iſtos quis enutriuit? ego deſtituta & ſola: & illi vbi hîc erant.*

22 *Hæc dicit Dominus Deus;* [pp] *Ecce, leuabo ad gentes manum meam, & ad populos exaltabo ſignum meum, & afferent filios tuos in vlnis, & filias tuas ſuper humeros portabunt.*

23 [qq] *Et erunt reges nutritij tui, & reginæ nutrices tuæ.* [rr] *Vultu in terram demiſſo adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent.* [ſſ] *Et ſcies quia ego Dominus, ſuper quo non confundentur qui expectant eum.*

& informant. Neque deerit, quod ampliſſimi honoris maxima cenſetur eſſe commendatio: nam ſupplici vultu Gentes,& in terram demiſſo adorabunt te; & calcatum abs te puluerem exoſculabuntur. Tunc verò me Deum eſſe cognoſces, neque pudefactum iri, qui me adiutorem,& vindicem expectant.

24 ¹¹ *Numquid tolletur à forti præda? aut quod captum fuerit à robuſto ſaluum eſſe poterit?*

24 Dicebas, ô Sion, quando ſub Babylonij Regis duro tenebaris imperio. Ecquis erit qui Babylonica hæc vincula diſrũpat? qui à tanta potentia prædam extorqueat? aut quomodo quod captum eſt,tenetúrque à robuſto victore, de ſalute,ac libertate cogitare poterit?

25 *Quia hæc dicit Dominus; Equidem, & captiuas à forti tolletur: & quod ablatum fuerit à robuſto, ſaluabitur.* ¹¹ *Eos verò qui iudicauerunt te,ego iudicabo, & filios tuos ego ſaluabo.*

25 Nunc ergo audi quid Dominus dicat. Equidem efficiam ego, vt quod fortis cepit, illud vel inuitus dimittat, libertatémque conſequantur, & ſalutem, qui à robuſto in alienam regionem ablegati ſunt.

26 ¹¹ *Et cibabo hoſtes tuos carnibus ſuis: & quaſi muſto, ſanguine ſuo inebriabuntur:* ¹¹ *Et ſciet omnis caro, quia Ego Dominus ſaluans te, & redemptor tuus fortis Iacob.*

26 Et eò adducam hoſtes, à quibus tam dura,ac longa infortunia ſubiſti, vt præ animi angore,& concepta ex rerum euentu deſperatione ſuis carnibus ſe exaturent, & ſanguine inebrient. Tunc autem ex ſubito atque inſperato caſu diſcet omnis caro Deum Iacob, à quo ſalua, atque redempta fuiſti, ô Sion, verum eſſe Deum.

IN CAPVT QVADRAGESIMVM NONVM COMMENTARIVS.

1. Libertas per Cyrum, libertatis per Christum illuſtre ſymbolum.

ᵃ AVDITE *inſulæ, & attendite populi de longè.*] In Cyro Iudaicæ libertatis vindice, & populo in meliorem ſtatum reſtituto imago quædam viua oblata eſt eius libertatis, quam a vindice, & redemptore Chriſto non vna Iudæorum natio, ſed totus omnino mundus conſecutus eſt. Nunc propheta ſingulari planè,atque diuino artificio libertatem Iudæorum cum omnium Gentium libertate, Chriſtum cum Cyro, veritatem denique cum typo componit,& confert: ex qua comparatione elucet, quid ſit inter vtramque libertatem diſcriminis. Locutus fuerat præcedenti capite Chriſtus tantùm cum gente Iſraelitide; quia ad illá ſuperius vaticinium, atque libertas pertinebat: atque ideo dixit: *Audi me Iacob,quem ego voco.* Nunc eodem ingreditur modo, alloquitúrque Gentes omnes, vbicumque terrarum ſint, quia ad illos ſpectat melior alia, longéque potentior libertas. In *inſulis* autem, *populiſque procul ſummotis* Gentes intelligi alibi à nobis oſtenſum eſt.

2. Hæc de Chriſto dicta.

Porrò hæc verba eſſe Chriſti omnes fatentur pij: & res eſt adeò aperta, vt nemo qui caput hoc attentè legerit dubitare poſſit, maximè cùm quædam, quæ hîc prædicuntur in Chriſto impleta eſſe dicantur: id eſt, in eo, qui hîc loquens inducitur; vt *Actor. 13.* illud *v.6. Ecce dedi te in lucem Gentium* Et illud *v.8. In tẽpore placito exaudiui te.* Hugo his verbis contineri putat edictum Cyri: quo captiuos A omnes ab extremis vſque regnorum finibus ad libertatem vocauit: & de Cyro totum caput exponit. Et S.Thom. ait aliquos ita exiſtimaſſe; ſed multa ſunt,quæ contrà manifeſtè clamant.

Neque minùs improbabile eſt, quod aliqui putant, hæc ad Ioannem Baptiſtam pertinere, ad cuius laudes ex hoc capite plurima accõmodant, & maiorẽ in modum amplificant. Quorũ ratio grauiſſima, & penè ſola eſt, quia Eccleſia caput hoc in Ioannis ſolemniis, tam ad ſacrum Miſſæ, quàm ad horarum officium adhibet. Quæ tamen leuiſſima eſt, velatè probauimus ad illud *Zachar. 13. Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum.* Vbi oſtendimus ſæpe ab Eccleſia alienam hiſtoriam propter aliquam ſimi- B litudinem ſacris Sanctorum officiis accommodari. Et ſanè ſi ratio hæc aliquid haberet momenti, probaret etiam de Ioanne eſſe caput primum Ieremiæ: quia illud Eccleſia de Ioanne recitat in eius vigilia. 3. Non de Ioanne Baptiſta.

ᵇ *Dominus ab vtero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus eſt nominis mei.*] Iam magis incipit diſcuſſis vmbræ typicæ tenebris lux apparere; & quod in Cyro latebat, in Chriſto prodi. Ab vtero verò Deus Cyrum vocauerat nomine ſuo, de quo *c. 45. Vocaui te nomine tuo.* Sic etiam, Deus Chriſtum ab vtero, id eſt, à principio appellauit *Ieſum*, id eſt, *Seruatorem*; Quo nomine ſalutem noſtram, & libertatem conſignauit. Appellauit autem per Gabrie- 4.

lem

lem *Lucæ c.1.* cùm Virginem Mariam filio ſuo matrem eſſe voluit. Porrò *ab vtero* ſiue *a ventre*, Hebraica phraſis eſt, qua ſignificamus aliquid à principio, ſeu ab ortu factum. Et hoc modo dicitur Chriſtus de vtero matris vocatus *Ieſus*, cùm tamen ita vocatus fuerit antequam conciperetur in vtero. Sic enim de illo Lucas *cap.2. Vocatum eſt nomen eius Ieſus, quod vocatum eſt ab Angelo, priuſquam in vtero cõciperetur.* Aut certè, quemadmodũ ſcriptura quod parum à perfecto numero, aut certo loco diſtat, curare non ſolet (quare in aliquo loco factum eſſe dicit, quod non longè ab eo loco factum eſt) ſic etiam in aliquo tempore factum dicit, cùm tempus proximè abeſt, in quo fieri contigit. Qua ratione apertum eſſe mare, datum mãna, & in Sinai tradita lex fuiſſe dicuntur, quando filij Iſrael egreſſi ſunt de Ægypto, cùm tamen aliquot antè diebus eſſent egreſſi: quia exitus ille non multùm anteceſſerat. Sic etiam, quia paulò ante quàm conciperetur in Virgineo vtero, vocatus eſt *Ieſus*, ideo ab vtero matris vocatus dici potuit. Fortaſſe hoc loco illud *nominis mei*, idem eſt quod *mei*: per nomen enim, vt alibi docuimus, circumſcribitur is, cuius eſt nomen, ita, vt idem ſit, quòd *recordatus eſt mei.* Quare ſenſus eſſe videtur, neque alienus à veritate, neque ab vſu ſacræ Scripturæ: *De ventre matris meæ*, id eſt, in ipſo conceptus articulo, antequam in lucem prodirem, deſignatus ſum humani generis vindex, & redemptor. Cui ſententiæ plurimùm fauet verbũ *recordor*, quod pro rerũ, quibus accommodatur natura, aut ſupplicium ſignificat, aut beneficium illuſtre, quale hoc fuit Chriſti humanitati conceſſum, de quo toto hoc capite. Vide quæ de vſu verbi *recordor* diximus *cap.43. num.40.*

> Regula. In aliquo loco, aut tempore aliquid factũ eſſe dicitur, quod prope locũ, aut tempus illud factum eſt.

5. ^c *Et poſuit os meum quaſi gladium acutum.*] Chaldæus *verba in ore meo.* Ad hunc locum alluſum eſſe credo multis in locis Teſtamenti noui: de quo nemo dubitabit, ſi prius ſtatuerit *os* per metonymiam pro *verbis* vſurpari, vt hîc accipiunt Cyrillus & Procopius. Exempla ſunt obuia. Sufficiat nunc illud *Deuter.34. Mortuus eſt ibi Moyſes ſeruus Domini in terra Moab iubente Domino.* Hebr. *iuxta os Domini*, id eſt, *iuxta verbum Domini.* Quare non rectè cogitant, qui ex lectione Hebraica dicunt Moyſen in oſculo Domini fuiſſe mortuum. Ad hunc itaque locum alluſit Paulus *ad Epheſ.6* cùm dixit, *Et gladium ſpiritus quod eſt verbum Dei.* Et *ad Hebræos 4. Viuus eſt enim ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Hunc locum credo intuebatur Ioannes *Apoc.c.1.v.16. Et de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat.* Et *c.2.v.16. Pugnabo cũ illis in gladio oris mei.* Credo hîc ab eloquentiſſimo propheta luſum eſſe in ambiguitate vocabuli. Nam cùm Hebr. פה *pè*, Latinè *os* vox ſit ambigua quæ tam ſignificat oris rictum, ſeu labiorum clauſtra, quàm aciem gladij (vnde in ſcriptura frequens, *Percutere in ore gladij*) aptiſſimè propheta gladium cum ore coniungit, quaſi diceret; Poſuit os meum quaſi os gladij, id eſt, quaſi aciem gladij.

> Os pro verbis.
> Deut.34.
> Ad Epheſ.6.
> Ad Hebr.4.
> Apocal.1.
> Os vox ambigua.

6. Os illud Chriſti quaſi os acuti gladij reſpondet armis, quibus Deus Cyrum ad expugnandam Babylonem, captiuóſque redimendos armauit. De quibus ſuprà *cap.45.* quia reuera verba Dei arma ſunt fortia, & ad expugnandos animos quantumuis obduratos potentiſſima: de quibus Ieremias *capite 23. verſ.29. Numquid non verba mea ſunt quaſi ignis, & ſicut malleus conterens petram?* Exiſtimo autem eandem hîc eſſe ſententiam, quæ paulò poſt *cap.51. verſ.16.* Nam ſicut hîc dicitur: *Poſuit os meum, quaſi gladium acutum, in vmbra manus ſuæ protexit me.* ſic ibi *Poſui verba mea in ore tuo: & in vmbra manus meæ protexi te.* Non diſſimili metaphora vſus eſt Iſaias ſuprà *cap.11. verſ.4. Percutiet terram virga oris ſui.* Dum ergo Chriſtus dicit datum ſibi os quaſi gladium acutum, oſtendit a Patre ſibi data verba ad omne opus, vel ſtabiliendum, vel diſſoluendum grauiſſima. De aliis armis in *ſagitta* & *pharetra* ſignificatis mox dicemus.

7. ^d *In vmbra manus ſuæ protexit me.*] Hîc non nemo impropriè locutum eſſe prophetam arbitrabitur, cùm vmbram manui tribuat, tegíque ſignificet aliquem ſub illa: cùm tamen manus vmbra eiuſmodi non ſit, quæ tegere aliquem, ſeu obumbrare poſſit. Quid ſibi propheta velit, dubium non eſt, nempe à Deo Chriſtum ſpeciali quodam patrocinio fuiſſe ſuſceptum: quod ſuprà etiam dixerat *cap.42. Ego Dominus vocaui te in iuſtitia: & apprehendi manum tuam, & ſeruaui te.* De quo eſt illud *Pſal.15. A dextris eſt mihi ne commouear*, vt exponit Petrus *Actor.2.* & illud *Pſal.90. In protectione Dei cæli commorabitur.* Neque de hoc ſenſu nunc laboro, in metaphora tantùm ſimilitudinem requiro, quæ ſanè facilis non eſt. Quidam in *manu* potentiam intelligunt, & ita exponunt, diuina potentia protectum fuiſſe Chriſtum ita, vt in illum, niſi ipſe vellet, nihil poſſet creata poteſtas, ſeu calliditas. In *vmbra* verò protectionem intelligi inſuetum non eſt. Et ita hîc vertunt LXX. quaſi dicas, protectione ſeu auxilio dexteræ protexit me.

8. Mihi duæ rationes ſuccurrunt, quibus aptam putem eſſe tranſlationem, & optimè *vmbram* cum *manu* ſociari. Altera eſt, ſi per Synecdochen *manus* adhibeatur pro brachio, quod in Scriptura non rarum: vt cum manus extenta dicitur ad plagam, quod brachij proprium eſt. *Brachium* verò ſumi pro alis, durum non eſt, quia quod in homine brachium, id in volucribus eſt ala. Quare apud Latinos brachium non inuita metaphora *ala* nominatur. *vt ferre aliquid ſub alis.* Et hùc facit Horatianũ illud.

——— *Latet hircus in alis.*

> Brachium idem, quod ala.

Vt autem ſuprema pars brachij, id eſt, *humerus*, ſeu *ſcapula*, pro brachio ponitur, atque illi, quod alarum eſt proprium accommodatur, nempe *vmbra*, ſeu *obumbratio*, *Pſal.90. Scapulis ſuis obumbrabit tibi, & ſub pennis eius ſperabis.* ſic pars altera extrema & infima, id eſt, *manus* pro brachio nunc adhibetur, & illi à noſtro propheta vmbra tribuitur, & protectio.

9. Alia ratio eſt, quam tetigit Foreirus, quæque mihi non parum arridet, quia & vim habet ad ſignificandum maximam, & inchoatæ metaphoræ perquam bellè reſpondet. Vocatus fuerat ſuprà Chriſtus *gladius acutus*, qui vt viro potenti ad bellicos vſus præcipuum inſtrumentum eſt: ſic etiam Chriſtus Deo inſtrumentum maximum omnium fuit ad debellandum Babylonis, id eſt, dæmonis imperium, ſtabiliendúmque nunquam periturum Eccleſiæ regnum. Vt ergo gladius ſub manu ſiniſtra eſt, id eſt, ſuper ſiniſtrum femur, vt inde commodè eximatur è vagina à manu dextera, ſic etiam Chriſtus gladium ſe fuiſſe dicit tectum manu Dei, quia aut femori incumbens, aut lateri appenſus manu tegitur, & obumbratur. Et facit ad hanc explicationem, quòd verbum חבא *chaba*, pro quo vulgatus reddidit *protexit*, etiam ſignificat *abdere*, ſeu *abſcondere. Geneſ.3. Timui eò quòd nudus eſſem, & abſcondi me.* Alia tibi paſſim occurrent exempla. Gladius autem, id eſt, gladij capulus ſub manu bellatoris abſ-

conditus eſt. Adde quòd, vt ſtatim locus, vbi ſagitta reponitur, oſtenditur, nempe pharetra, quam vtique habet bellator Deus apud ſe ex humero ſuſpenſam, ſic etiam nunc locus videtur deſignari proprius, vbi gladius lateat; ille verò eſt, vt patet, quem tegit, & abſcondit manus ſiue è balteo ſuper femur, ſiue ex humero ad latus dependeat. Quæ explicatio optimè liberat noſtrum prophetam à tranſlatione impropria: quia gladius in quo Chriſtus intelligitur, ab vmbra manus ſiue brachij tegitur, & abſconditur. Hæc dicta ſint ad defendendum prophetam à vitio locutionis impropriæ, aut violatæ allegoriæ. Quod ſi quis dicat metaphoram eſſe tantùm in *vmbra*, non in *manu*, nihil ſanè diceret alienum ab vſu Scripturæ, aut ab his, qui in Græca, aut Latina lingua cenſentur elegantes, & lauti; qui non ſemper tranſlatam vocem cum alia coniungũt, cuius ſit propria. Et in hoc ipſo nomine habemus exempla, neque pauca, neque inelegantia. Gloriæ, nominis, & alicuius vitij, ſeu virtutis vmbram paſſim audimus, *vmbra mortis* in Scriptura ſæpius occurrit. Quare non eſt cur quiſquam hic iniuriæ damnet noſtrum prophetam, præſertim cùm vox Hebraica צל *tſel*, latius pateat, quàm Latinè *vmbra*, quæ quàm ſæpiſſime in Scriptura pro fauore, ſeu protectione ponitur.

11. *Chriſti quãta vis.*

Et poſuit me ſicut ſagittam electam, in pharetra ſua abſcondit me.] Vt hoc loco Deus inſtructus inducitur gladio, & ſagitta; ſic *Pſal. 44. Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſimè.* Et ſtatim. *Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent.* Quoniam bellator Deus per Chriſtum omnes terræ fines ſubiugaturus eſt, non ſolùm, qui propè, ſed etiam, qui procul ad vltimas terræ plagas ſubmoti ſunt. Ideo Chriſtus non ſolùm *gladius* vocatur, qui cominus, ſed etiam *ſagitta*, quæ eminus ferit, ac ſternit. Vt autem Deus Chriſti ore vſus eſt, id eſt, eius ſermone ad ſubiugandas ſibi Gentes, qui *penetrabilior eſt omni gladio ancipiti, pertingitque vſque ad diuiſionem animæ, ac ſpiritus, compagum quoque, ac medullarum,* ſic eodem vſus eſt quaſi ſagitta, quæ attingit quoque, quæ procul ſunt: quæque tanquam ad ſcopum ad corda inimicorum Regis deſtinatò vibratur. Quæ metaphoræ optimè ſignificant ad omnia debellanda vbicumque locorum ſint, vnum Chriſtum ſufficere, qui vt gladius, proxima ferire, vt ſagitta, quæ procul ſunt velociter peruadere, ac penetrare poſſit.

12. *Chriſtus ſagitta electa.*

Pro *electa* Hebr. eſt ברור *barur*, à radice, quæ non ſolùm *eligere*, ſed etiam *purificare* dicitur, & *tergere*, ſeu *nitidum reddere*. Quòd ad ſenſum pertinet, parum refert hoc ne aut illo modo accipias, quia ex vtroque apparet ſagittæ, aut bellici teli commendatio. Si *electam* legas conferri videtur Chriſtus cum aliis, quos ſagittarum inſtar ad configenda hominum corda iaculatus eſt Deus: quales fuerunt prophetæ, & Apoſtoli, & ſi quod eſt aliud quaſi telum, quod ad hominum ſalutem expromptum, & vibratum eſt. Sed illud de nitore, quia præcipuus eſt armorum ſplendor, reiiciendum non eſt.

Maxima olim cura in nitore, atque ornatu armorum. Abac. 3.

Maximæ enim curæ eſſe ſolet rei bellicæ ſtudioſis, ne quid rubiginis, aut ſqualloris armorum ſplendorem obſcuret. De profanis ſatis apud profanos ſcriptores multa. De ſacris pauca hæc accipe. *Abacuc cap. 3.* haſtæ, & ſagittis Dei lux tribuitur, & nitor eximius. *In luce ſagittarum tuarum ibunt, in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ.* Nam licèt hæc arma exiſtimentur fulgura, ac fulmina, & quæ à cœlo terrori ſunt, tamen arma dicuntur, & ab eo commendantur, quod in armis eximium eſſe ſolet. *Machab. 1. cap. 6.* is ſplendor eſſe dicitur in caſtris, quæ contra Machabæos inſtruxerat Antiochus, vt ab eo montes, per quos incederet, radiarent. *Vt refulſit ſol in clypeos aureos, & æreos, reſplenduerunt montes ab eis: & reſplenduerunt ſicut lampades ignis.* Sed & militaris artis ſtudioſis non ſolùm eſſe curæ vt gladij, atque arma acuta ſint ad vulnus, ſed etiam ad ſplendorem, & elegantiam polita, docet optimè illud Ezechielis *cap. 21. verſ. 9. Gladius, gladius exacutus eſt, & limatus: vt cadat victimas, exacutus eſt: vt ſplendeat, limatus eſt.* & ibidem *verſ. 28. Mucro, mucro euagina te ad occidendum: lima te vt interficias, & fulgeas.* Quantum verò ſtudij poſuerint olim milites in ornandis, atque illuminandis armis, atque iis, quæ ad inſtructum militarem ſpectant, diximus ad illud Zachariæ *cap. 14. verſ. 20. Quod ſuper frenum equi eſt.* Vide quæ diximus *cap. 21.* ad illud, *Arripite clypeos.* iuxta textum Hebraicum.

Ezech. 21.

Dum in Dei pharetra abſcondita ſagitta dicitur, indicatur inſtrumentum eſſe Dei, & ex eius humero pendere, ſicut gladius à latere ſiue à balteo. Quod vero Deus facturum ſe dicit per Chriſtum, idem quoque ſuo modo, atque ordine perfectum iri ait per Iudæos è captiuitate reſtitutos ad debellandos vicinos populos *Zachar. cap. 9. verſ. 13. Quoniam extendi mihi Iudam: quaſi arcum impleui Ephraim: & ſuſcitabo filios tuos Sion, ſuper filios tuos Græcia, & ponam te quaſi gladium fortium.* Eodem modo, quæ hîc de Chriſto dicta, ad viros Apoſtolicos accommodari poſſunt. Vide Hieronymum *in Epiſtola ad Principiam*, vbi Paulum *ſagittam* eſſe dicit; Et quæ nos diximus ad citatum locum ex Zacharia *cap. 9. à numero 8. ad finem vſque totius capitis.* 13.

Quòd ad myſticum ſenſum pertinet, in *pharetra* iuxta Cyrillum intelligitur Dei præſcientia in qua abſconditus erat Chriſtus, vt conuenienti tempore tanquam ſagitta electa & ad magnum opus deſtinata expromeretur. Lyra in *pharetra* Dei prouidentiam agnoſcit. Communiter alij in *pharetra* humanitatem intelligunt Chriſti, in qua latebat diuinitas, id eſt, vis ad percutiendum, & ſternendum potentiſſima; quæ ſic eſt immenſa vt nihil non attingat, ſic in omnem modum actis, ac potens, vt ſi velit, omnia momento temporis conficiat, & perdat. Ita Hieronymus, & Chryſoſtomus multis in locis, *homilia de Turture, tom. 5.* Vbi optimis exemplis declarat quantum inſit huic ſagittæ ad vulnerandum facultatis. Et *tom. etiam 5. homilia contra hæreticos:* quod etiam cenſent Procopius, Haymo, & Hugo *in hunc locum.* Perfecta verò obedientia, quam Patri ſuo præſtitit Chriſtus, optimè exprimitur in ſagitta, quam continet pharetra, quæ ex venatoris, aut bellatoris humero dependet. Illa enim facilè expromitur, facilè emittitur, incredibili velocitate fertur in quemcumque ſcopum à ſagittario deſtinetur. Huic etiam ſimiles eſſe debent, qui Apoſtolici viri partes obeunt, niſi otioſum ſibi nomen illud eſſe velint. Quare Apoſtoli dicti ſunt quaſi *miſſi*, quod ſagittarum epitheton eſt. 14.

Obedientiæ perfectæ ſymbolum.

Vir Apoſtolicus qualis.

Deinde quia in gladio, & ſagitta non ſolùm quærimus, vt acuta ſint ad inferendum vulnus, ſed etiam, vt terſa ac nitida, quò eleganter ſplendeant: in ſpirituali Dei gladio, atque ſagitta, idem etiam requiritur, vt acies, id eſt, os gladij, acuta ſit, verba grauia, & ab aliquo ſtudio, ſiue mentis ardore potenter vibrata. Sed neceſſe etiam eſt, vt ad ſermonem acrem, grauem, & ardentem, accedat quoque 15.

ſanctitatis

ſanctitatis nitor, & vitæ exemplum, vt vir Apoſtolicus lucerna ſit accenſa, non ſolùm quæ vim habeat ad vrendum, ſed etiam ſplendorem, & lucem ad illuminandum; qualem ſe præſtitit Ioannes Baptiſta, de quo *Ioannis 5. Ille erat lucerna ardens, & lucens.* Quæ ſententia ſic eſt à Patribus frequenter vſurpata, vt nihil fere apud illos ſæpius occurrat.

16. f *Et dixit mihi, Seruus meus es tu, Iſrael, quia in te gloriabor.*] Quòd, quæ hactenus de Chriſto dicta ſunt, cum ſuo ſymbolo bellè conſentiant, id eſt, cum Cyro, quem Dominus quaſi gladium ac ſagittam aſſumpſit ad deiiciendos Babylonicos faſtus, & reſtituendos exules, nemo non videt: neque puto ſibi aliud velle poſterius hoc de Chriſto vaticinium, quàm facturum Deum per Chriſtum B in redimendo mundo à dæmonis imperio, quod idem per Cyrum præſtitit in Iudæorum cauſa. Hæc autem verba, in quorum explicationem nunc deſcendimus, reſpondere videntur illis, quæ de Cyro ſuprà *cap. 44. verſ. 28. Qui dico Cyro, Paſtor meus es, & omnem voluntatem meam complebis.* Diuinæ verò voluntatis impletio Dei gloriatio eſt: quia ad Dei gloriam ſpectat, ea per ſeruos ſuos eſſe completa, quæ ipſe fieri per ſeruos velit. Cur Chriſtus *ſeruus* dici poſſit, iam ſuprà à nobis explicatum eſt *cap. 42.* ad illud, *Ecce ſeruus meus, ſuſcipiam illum.* præſertim ſecundum verſionem Septuaginta, vt ibi ſecundo loco expoſuimus.

17. Quis ſit iſte Iſrael, valde eſt obſcurum. Communiter Patres in *Iſrael* Chriſtum intelligunt, ſicut C etiam *cap. 42. verſ. 1.* vt iuxta Septuaginta tranſlationem ſeorſum explicuimus; qui ibi legunt. *Iacob puer meus, aſſumam eum: Iſrael electus meus.* Vbi ſine dubio ſermo de Chriſto eſt. Ponitur autem *Iſrael* patronymicè pro Iſraelide, id eſt, pro eo qui genus ducit ex Iſrael. In qua ſignificatione ſumitur, vt ibi etiam docuimus, *Lucæ cap. 1.* in cantico illo ſacratiſſimo diuinæ pſaltriæ, *Suſcepit Iſrael puerum ſuum.* Quomodo *Iſrael, Iacob, Daniel, Salomon* & ſimiles voces patronymicè ſumantur pro illorum poſteris, docuimus pluribus *ad cap. 42. citatum*, & fuſiùs *ad cap. 7. Actor.* Neque ratio deeſt cur hoc loco Chriſtus vocetur *Iſrael*, quia primo loco miſſus eſt, vt mox dicemus, ad oues, quæ perierant domus D Iſrael. Et vt hinc homines intelligant ex gente Iſraelitide naſciturum eſſe Meſſiam.

18. g *Quia in te gloriabor.*] Id egit Chriſtus perquam ſtudioſè, ac ſedulò, vt Pater glorificaretur ab omnibus; in quam curam intentus ad Patris ſui gloriam omnia referebat: vt ipſe de ſe affirmat *Ioan. 7. verſ. 18. & cap 17. verſ. 4. Ego te glorificaui ſuper terram.* Deinde *verſ. 6. Manifeſtaui nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi.*

19. h *Ego dixi, In vacuum laboraui: ſine cauſa, & vanè fortitudinem meam conſumpſi.*] Typus Chriſti Cyrus eò potentiæ ſuæ vires, & impetum contulit, vt populum Iſraeliticum in libertatem aſſereret, quod ſanè præſtitit fœliciter, quando expeditum E ad patriam reditum omnibus aperuit. Nihilominus plurimi, aut augurum, & pſeudoprophetarum monitis deterriti, aut regionis bonitate capti, vbi & agros habebant, & alienis ſe coniugiis implicuerant, vti noluerunt tanti Principis benignitate. Ad eum ferme modum Chriſtus miſſus primo loco fuerat ad oues, quæ perierunt domus Iſrael, vt ipſe de ſe ad alienigenam fœminam dixit *Matthæi 15. verſ. 24. Non ſum miſſus niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael.* Quod etiam Paulus docuit ex hoc eodem capite *Actor. cap. 13. verſ. 46.* Cùm ergo videret

Chriſti labor quomodo vacuus.

A Chriſtus ſe miſſum à Patre ad ſalutem eorum, ex quorum ſtirpe maternum trahebat genus (ideo enim ſuprà diximus appellari *Iſrael*) ex illorum tamen infinita propè multitudine fore pauciſſimos, qui diuinis mandatis obſecuti ſalutem tam liberaliter oblatam admitterent, dolenter clamat laborem illum fruſtra eſſe ſuſceptum, quem in ſuæ gentis conuerſione conſumpſit, ac ſi parenti diceret ſuo. Gloriam tuam, ô Pater, ex gentis meæ ſalute meo ſtudio, atque ſudore comparatam quæris: ſed proh dolor, laboraui pro eo quod debui, & in ea contra vires, vitámque conſumpſi, in vacuum tamen: quia ex larga illa, duráque ſemente laborum adeò exiguum, ac tenuem retuli prouentum, vt vanè, & B ſine cauſa laboraſſe videar. Quomodo ergo de me dicis, ô Pater, Seruus meus es tu, Iſrael, quia in te gloriabor. An verò Chriſtus, & quo ſenſu dicatur miſſus, nonniſi ad oues Iſrael, mox dicemus.

i *Ergo iudicium meum cum Domino: & opus meum cum Deo meo.*] Variè hic locus a variis accipitur, ego dupliciter exponi poſſe puto. Primò, vt bene Hieronymus, & cum eo plures alij; quòd Chriſtus cauſam ſuam diuino iudicio examinandam permiſerit, vt publico conſtet iudicio quemadmodum in dato ſibi negotio ſtrenuè ac fideliter laborauerit, vt per ſe non ſteterit, quominus Iſraelitæ ad quos præcipuè miſſus eſt, ſalutem conſecuti fuerint, vt ad vnum omnia, quæ à Patre in C mandatis habuerat, ad mortem vſque crucis cumulatè compleuerit; vt quàm veriſſimè dicere potuerit illud *Ioannis 17. Ego te glorificaui ſuper terram, opus conſummaui quod dediſti mihi, vt facerem.* Ac tandem inclinato iam ad mortem capite illud *Ioannis cap. 19. verſ. 30. Conſummatum eſt.* Quæ ratio vehementer Apoſtolici viri ſtudium alere, & animum ſolari debet, ſi quando in animorum cauſa labor longus, & durus non ſucceſſerit: iudicium enim cum Domino eſt, qui non tam, quid conſecutus labor, quàm quid ſit labori propoſitum, intuetur: & apud quem voluntas, & ſtudium, operis momentum, & inſtar habet. Vide Chryſoſtomum *homilia 12. in Ioannem* vbi de hac re copioſè, & eleganter. Et hæc mihi explicatio præ cæteris placet. D Porrò pro *opus meum* Chaldæus tranſtulit *merces operis mei.*

20. Quid Chriſtus ſpectarit in laborando.

Maxima viri Apoſtolici conſolatio.

Alia expoſitio eſt non tam, quæ Chriſtum ab omni inertiæ atque infidelitatis ſuſpicione liberet, cùm ſtrenuè peracti redemptionis negotij Deum iudicem, & teſtem habeat, quàm quæ væſano Iudæorum populo minas intentet, quòd tantum laborem inanem apud ſe, atque deſpectum eſſe voluerit. Ac ſi dicat Chriſtus futurum eſſe Deum iudicem, qui ſeuero examine expendat, quo ſint digni ſupplicio illi, apud quos tam grande beneficium, tam eximium opus, tam vile fuerit. Quod Chriſtus ipſe doluit *Lucæ cap. 19. Videns Ieruſalem fleuit ſuper eam, dicens: quia ſi cognouiſſes & tu.* Dabunt itaque E pœnas laboris fruſtra ſuſcepti violati, atque calcati ſanguinis amentes, & ſcelerati Iudæi; neque enim in diuino iudicio quicquam erit horum aut non præſens, aut impunitum. Quod etiam reputare iterum ac ſæpius debent, qui apud ſe otioſas eſſe ſinunt, & inanes diuinas voces, quæ particulæ quædam ſunt, & guttæ ſanguinis ac ſudoris Chriſti. Hic enim à diuino iudicio in quo Chriſti labor, & cauſa ſeuerè examinatur, horribile ſupplicium impendet.

21. Chriſti labor in vacuum à peccatore ſuſceptus non erit impunitus.

Tertia expoſitio eſt quæ pactum quoddam eſſe ſtatuit inter Chriſtum & Deum, ita vt Chriſtus glorifica

22. Pactū Chriſti cū Patre.

gloriſicaturus Deum ſit, quod verbis ſuperioribus indicatur, dum dicitur, *quia in te glorіabor*: Et Deus contrà, vt ſtudium illud, gratiámque compenſet, illum viciſſim glorificet; Quod Chriſtus ipſe videtur indicare voluiſſe *Ioan.cap.17. Ego te clarificaui ſuper terram; opus conſummaui, quod dediſti mihi; vt faciam: & nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipſum.* Et *Ioan 8.verſ.49. Honorifico patrem meum: & vos inhonoraſtis me ego autem non quæro gloriam meam, eſt qui quærat, & iudicet.* Quæ verba ſatis cum hoc loco colludunt, dum iudicium cum glorificatione Patris, & Chriſti gloria conſociant. Huc etiam ſpectat illud Pauli *ad Philip.2.verſ.9.* de Chriſto: *Factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum*, &c. Glorificauit illum Pater ſæpe, primùm illuſtri teſtimonio in baptiſmo, id eſt, cùm primùm aggreſſus eſt publicè Doctoris munus. Deinde in cruce, cùm toti mundo tenebras induxit, & terram magno concuſſit motu: deinde cùm mortuum cum ſplendore, & gloria ſuſcitauit. Hæc ſententia videbatur mihi non extorqueri à textu, ſed offerri, ita vt *iudicium*, quod eſt in priori hemiſtichio, pactum importet: *opus* autem, quod deinde ſubiungitur, ſignificet pacto à Chriſto fideliter eſſe ſatisfactum. Nihilominus primam ſententiam magis probo.

23. Chriſtus mādatum habuit de inſtituēdis primùm Iudęis. Matt 15.

k *Et nunc hæc dicit Dominus, formans me ex vtero ſeruum ſibi, vt reducam Iacob ad eum.*] His verbis, vt credo, continetur præceptum illud quod Chriſtus habuiſſe ſe dicit à Patre, ne cum Gentibus ageret, ſed cum ouibus, quæ perierant ex Iſrael, vt dixit verbis maximè ſignificantibus *Matth.15. Non ſum miſſus niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael.* Vbi notandum eſt illud *niſi*, quod videtur omne aliud genus excipere à Iudaico, cuius præcepti in Teſtamento nouo crebra eſt mentio, aut alluſio non obſcura, de cuius ſenſu ſtatim. Quòd autem his verbis illud contineatur mandatum, videntur non leues coniecturæ. Primùm, quia hoc vaticinium antiſtrophon eſt illi de Cyro, vt nuper dicebamus: Vt autem Cyri regnum, & poteſtas libertatem Iſraelis præcipuè intuebatur, ſic Chriſti, quem adumbrabat Cyrus, poteſtas à Patre data Iſraelis præcipuè ſaluti ſeruiebat. Deinde quia verba ipſa in eam ſententiam non veniunt grauatè; formatus enim ab vtero, id eſt, incarnatus ideo dicitur Chriſtus, *vt reducat Iacob ad eum*, nempe Deum. Item quia Deus conſolatur Chriſtum dolentem, quòd caſſum habuerit laborem, Iſraeliticæ impenſum genti, dū eius loco dicit ex Gentibus ad eum magnos futuros eſſe conuentus. Neque Chriſtus videbatur dicturus in vanum ſe laboraſſe, niſi priori loco datum ſibi negotium intellexiſſet de ſpirituali Iudæorum ſalute, quia ex Gentibus, de quibus ſtatim, magnos habuit prouentus Euangelica doctrina. Et id videtur indicare Paulus *Actor.cap.13.* quia cùm docuiſſet Iudæis primùm annunciari oportere verba Dei, ſtatim ait,

Actor.13.

Sed quia repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes: ſic enim præcepit nobis Dominus. Et præcepti locum Iudęis non ignotum oſtendens, allegat hoc Iſaiæ teſtimonium: *Poſui te in lucem Gentium, vt ſis in ſalutem vſque ad extremum terræ.* Quare, vt poſterior pars ex Iſaia ſumitur de Gentium conuerſione; ſic etiam prior, ex eodem propheta videtur eſſe ſumenda: de Iudæis nempe priori loco Euangelij doctrina inſtituendis. Accedit quòd quando de hoc agitur præcepto, ſignificatúsque quàm pauci ex Iudæis Euangelij doctrinam amplexuri ſint, ſtatim verbum adhibetur perditis, atque diſperſis ouibus accommodatum. *Et Iſrael non congregabitur*: ad quod alluſiſſe videtur Chriſtus, dum ait, *Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Iſrael*, nempe congregandas.

Nunc de mandati vi paucis pro noſtri muneris ratione; nam ea de re diſputare ad ſcholaſticum potiùs doctorem pertinet. Qua de re multa Doctores & Patres in illud *Matth.15. Non ſum miſſus*, &c. Et in illud *Matth.10. In viam Gentium ne abieritis.* Et antequam quid in ea re ſentiam expono, obſeruo id, quod probatione non eget, tribui præcipienti, ſeu agendi modum aut ordinem præſcribenti, id quod ab aliis fit. Qua ratione filij Zebedæi petiiſſe dicuntur dextram, & ſiniſtram in regno Chriſti, quia autores fuerunt matri ſuæ vt peteret: & ideo audierunt à Chriſto, *Neſcitis quid petatis.* Et Dauid *2.Regum 11.* occidiſſe traditur Vriam, quia illius cædis autor, atque ſuaſor fuit. Cui dixit Nathan, *Vriam Hethæum percuſſiſti gladio.* Et de Chriſto ſpecialis ratio eſt, cui tribuuntur, quæ ab Apoſtolis fiunt; quemadmodum capiti aſcribuntur, quæ operantur membra, vt Auguſtinus docet *lib.3.de doctrina Chriſtiana, cap.5.* & Iſidorus *lib.1.de ſummo bono, cap.25.* 24. Regula. Ea aliquis facere dicitur, quæ facienda præſcribit.

25. His ita conſtitutis exiſtimo duo mandata ſeu decreta de Iudæorum, Gentiúmque conuerſione habuiſſe Chriſtum à Patre, niſi mauis vnum appellare, in quo tamen partes ſint duæ. Alterum vt & ipſe præſens quæreret oues, quæ perierunt domus Iſrael; & idem in mortali ſtatu faciendum curaret per diſcipulos ſuos. Et ideo de ſe dixit *Matth.15. Non ſum miſſus*, &c. & id ipſum diſcipulis præcepit *Matth.10. In viam Gentium ne abieritis.* Qua in re optimè reſpondit ſymbolo, quod in Cyro præceſſit, qui in Iudæorum tantùm, aut præcipuè ſalutem incubuit. Alterum verò præceptum poſtea datum eſt de Gentium conuerſione. Nam cùm in priori mandato complendo ſterilem operam ſuam Chriſtus agnoſceret, eóque nomine doleret, clamarétque, *In vacuum laboraui*, vt eius animum ſolaretur Pater, alterum iniunxit de Gentium doctrina, in quibus excolendis futurus ſperabatur vberior fructus; & ideo ſubiecit: *Dedi te in lucem Gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ.* Hoc verò præceptum per ſe Chriſtus non obiit, ſed per diſcipulos; quorum tamen labor, & qui illorum laborem conſecutus eſt fructus, Chriſto tribuitur; quia ab ipſo imperium acceperunt docendi omnes gentes, *Marci cap.vltimo.* Quod vt præſtare poſſent, os & ſapientiā dedit, cui non poſſent aduerſarij reſiſtere. Et quemadmodum *Ioan.4.* Chriſtus dicitur baptizaſſe plures quàm Ioannes Baptiſta, tametſi ipſe non baptizaret, ſed eius diſcipuli, vt ibidem traditur; ſic Chriſtus datus hîc dicitur in lucem Gentium vſque ad extremum terræ, cùm tamen non per ſe, ſed per diſcipulos externas illas regiones, & datum ſibi illud à Patre munus obierit: quia, vt dixi, Chriſti mandatis, & vt ita loquar, Chriſti auſpiciis munus illud & loca obierunt Apoſtoli. Quod optimè vidit Paulus *Actor.13.* qui mandatum illud datum Chriſto, Apoſtolis eſſe iniunctum interpretatur. Ioan.4. Actor 13.

Sic enim Paulus ad Iudæos Euangelij lucem reſpuentes, *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei*, (ecce præceptum prius) *ſed quoniam repellitis illud & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes* (ecce poſterius mandatum,) *ſic enim præcepit nobis Dominus: Poſui te in lucem Gentium, vt ſis in ſalutem vſque ad extremum terræ.* Vide quomodo iniunctum Chriſto præceptum datum eſſe Apoſtolis Paulus affirmat: ideo nempe quia per

Apoſto

Digitized by Google

Apoſtolos illud Chriſtus impleuit.

26. Ex dictis iam apparet vis vtriuſque mandati, quod omnino iubet, vt primo loco Iudæis annuncietur Euangelium. Quod fecit Chriſtus per ſe, vt conſtat, & per diſcipulos, quibus ideo in mandatis datum eſt *Matth.*10. *In viam Gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis; ſed potius ite ad oues, quæ perierunt domus Iſrael.* Quod etiam ipſi præſtiterunt poſtquam laxatum iam fuerat præceptum illud & facultas facta Gentibus prædicandi. Paulus enim priùs ingrediebatur ſynagogas Iudæorum, deinde ad Gentes Euangelica loce luſtrandas ſe conferebat, quod fecit etiam cùm eſſet in vinculis Romæ. Non credo quòd tunc vllo teneretur præcepto: iam enim à Chriſto audierant Apoſtoli, *Docete omnes Gentes.* Sed quia eo rerum articulo ad pacem, & magis expeditum Euangelij curſum futurum exiſtimabat, ſi præcipuam curam, & primam impenderet Iudæis: ne ſuperbum illud & inquietum hominum genus deſpici ſe putans ab Euangelij præcone turbas moueret, reique Chriſtianæ impedimentum opponeret.

27. Cur verò Chriſtus *Matth.*15. dixerit ſe non eſſe miſſum niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael, vbi particula *niſi*, omne aliud hominum genus videtur excipere à Iudaico, variæ ſunt Patrum expoſitiones. Hieronymus & Beda *in hunc locum Matthæi*, & Ambroſius *in Pſalm.*43. ideo cenſent affirmare Chriſtum nonniſi ad Iudæos ſe fuiſſe miſſum, quia primo loco ad illos inſtituendos venire iuſſus eſt. Aut quòd non Chriſtus per ſe, ſed per Apoſtolos annunciaturus eſſet Gentibus Euangeliũ. Quod putant Hilarius & Auguſtinus *in Ioannem tract.*31. *&* 47. Cur autem in ea re prælati fuerint Iudæi, rationem adducit Auguſtinus ſuprà *tract.*31. quia ſolis Iudæis propter fidem Abrahæ facta fuerat promiſſio de Meſſia. Quocirca Chriſtus ſpecialem ob cauſam à Paulo miniſter fuiſſe dicitur circumciſionis *ad Roman.*15.*verſ.*8. *Dico enim Ieſum Chriſtum miniſtrum fuiſſe circumciſionis propter veritatem Dei ad confirmandas promiſſiones Patrum: Gentes autem ſuper miſericordia honorare Deum.* Id eſt, Chriſtus miniſter fuit circumciſionis, id eſt, Iudæorum ſalutem procurauit, vt verus, & fidelis inueniatur in promiſſis: Gentium autem propter miſericordiam non promiſſam, ſed oſtenſam, aut prædictam in prophetis.

Ad Rom.15.

28. Sed adhuc obſcurum eſt, an etiam eo tempore, quo Chriſtus vixit, aut ipſe, aut diſcipuli vacare potuerint Gentium inſtitutioni. Negare videtur illa particula *niſi*, qua Chriſtus videtur ſignificare ereptam ſibi facultatem Gentes inſtituendi: & illa, *In viam Gentium ne abieritis*, qua illud idem videtur interdictum Apoſtolis. Ianſenius *c.*61. *Concordiæ*, putat Chriſtum hîc locutum fuiſſe ex opinione potiùs Iudæorum, quàm ex ſua ſententia, ſicut fecit *Matt.cap.*5. *Audiſtis quia dictum eſt antiquis*, &c. Iudæi verò exiſtimabant ad ſe tantùm pertinere Meſſiam, quia generi Abraham fuerat promiſſus. Quare Chriſtus qui priùs negare viſus fuerat ſibi licere agere cum Gentibus, ex Iudæorum ſententia, Chananææ filiam poſtea, quod ſibi fas eſſe ſciebat, à Dæmonis vexatione liberauit.

29. Ego primùm exiſtimo tam Chriſto, quàm Apoſtolis cum Gentibus agere licuiſſe, ſi occaſio ſeſe offerret. Quod vt mihi perſuadeam facit, quia factum eſſe à Chriſto lego, quod Chriſtus ſignificarat ſibi fuiſſe prohibitum. Petebat Chananæa mater ſalutem filiæ ſuæ, quam malus exagitabat Dæmon: Chriſtus negare viſus eſt id ſibi licere, quia id tantùm in mandatis acceperat, vt curaret oues, quæ perierant ex Iſrael. Viſus eſt autem Chriſtus præceptum illud interpretari non ſolùm de ſpirituali, ſed etiam de corporali ſalute. Quia id negat, quod Chananæa poſtulat; poſtulabat autem ſalutem laboranti corporaliter filiæ. Erat autem mulier illa Gentilis, vt expreſſè tradit Marcus *cap.*7. Idem præſtitit Chriſtus Centurionis filio, qui vt ex Luca *capite* 7. apertè liquet, non erat Iſraelita. Et ſi Hieronymo credimus *in cap.*65. Iſaiæ, & Cyrillo *lib.*2. *in Ioannem, cap.*22. Gentilis etiam erat Regulus, cuius filium ſanauit Chriſtus, & cuius domus tota conuerſa eſt. De quo *Ioan.*4. Neque Samaritani erant ex Gente Iſraelitide, vt habes *ex* 4. *Reg. cap.*17. & Chriſtus illos apertè diſtinguit ab ouibus Iſrael *Matthæi* 10. *In ciuitates Samaritanorum ne intraueritis; ſed potiùs ite ad oues, quæ perierunt domus Iſrael:* & tamen *Ioan.*4. ex Sichem ciuitate Samaritanorum plurimos conuertit.

Christus, & diſcipuli cũ Gẽtibus agere potuerũt.

Præceptum ergo exiſtimo habuiſſe Chriſtum, aut de Chriſti doctrina hoc fuiſſe præceptum, vt primo, atque præcipuo loco haberet Iudæos, & vt doctrinæ gratia inter illos ageret, non tamen vt Gentiles reſpueret, ſi quando occaſio ferret, vt cum illis ageret, aut quando ipſe inter Iudæos moraretur, aut ſicubi in ipſos aliquo modo incurrere contingeret. Qua ratione curauit ſeruum Centurionis qui in ciuitatibus habitabat Iſraelis, & Samaritanos conuertit, quia per Samariam neceſſariò tranſiturus erat in Galilæam, quò iter inſtituerat. Ait ergo Dominus, *Non ſum miſſus niſi ad oues*, &c. id eſt, ex inſtituto, præcipuóque conſilio miſſus ſum ad oues, quæ perierunt ex Iſrael, quas mea præſentia luſtrem, & inſtituam. Neque modus iſte dicendi alienus eſt à vulgi conſuetudine, à quo ſcripturæ ſermo non abhorret. Nam ſi quiſpiam ad inſtituendos verbi gratia Iaponios à Pontifice mittatur, etiamſi in via Inſulanos alios, aut qui alterius generis in Iaponia commorantur, inſtituat, ille nihilominus verè, & ex quotidiani ſermonis vſu diceret, nonniſi in Iaponiam doctrinæ gratia ſe fuiſſe miſſum; neque contra Pontificis conſilium, & voluntatem, neque contra communem hominum exiſtimationem quicquam molitus exiſtimaretur. Quod mihi veriſimile eſt feciſſe etiam Apoſtolos, ſi quando opportuna incideret occaſio agendi cum Gentibus; modò ne in eorum viam irent, id eſt, eo conſilio in earum ciuitates ingrederentur. Qua de re egimus pluribus *in proœmio cap.*10. *Actor.* 30.

Quòd Ianſenius putat locutum eſſe Chriſtum in Chananææ cauſa non tam ex ſua ſententia, quàm ex Iudæorum opinione, ne mihi probetur facit, quia id non ſolùm ferebat, vt ille putat, falſa Iudæorum opinio, ſed etiam teſtabatur vera Pauli fides: qui primum tempus, & locum Euangelicæ prædicationis tribuit Iudæis; quale erat illud, de quo Chriſtus ad Chananæam. Sic enim ille *Actor.*13. *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei.* Et *ad Roman.* 1. *Virtus enim Dei eſt in ſalutem omni credenti, Iudæo primùm, & Græco.* Deinde quia Chriſtus cùm ex aliorum loquitur ſententia, ipſe indicat: & eo ipſo loco, quem ad ſuam ſententiam allegat Ianſenius, Chriſtus ait, *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis.* Et *eodem capite*: *Audiſtis quia dictum eſt, Diliges proximum tuum*, &c. At hîc nihil additur, quo quis exiſtimare poſſit hæc verba ex aliorum opinione dici. Neque videbatur cur Deus Iudæorum opinione vti debuerit apud fœminam non Iudæam, 31.

ſed

ſed Syrophœniſſam imperitam, & rudem rei Iudaicæ, apud quam nihil haberet momenti illa Iudæorum cogitatio. Deinde quia non adeò certum eſt in ea cogitatione fuiſſe Iudæos, vt Meſſias ad Gentes nullum eſſet habiturus acceſſum: quando apertum erat Iſaiæ teſtimonium, in quo nunc ſumus, ſicut plura alia de Meſſiæ regno in pſalmis, quæ ipſi quotidie in templo, & ſynagogis audiebant. Certè vt rem aliis non obſcuram in ſynagoga adduxit Paulus *Actor. cap. 13.* illud, *Dedi te in lucem Gentium.* Et plurima in eandem ſententiam, tanquam aliis non ignota *ad Roman. cap. 15. verſ. 8.* Neque Simeon ſynagogæ magiſter id ignorabat *Lucæ 2.* cùm ceicinit, *Lumen ad reuelationem Gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael.*

32. [l] *Et Iſrael non congregabitur.*] Grauiter hîc & meritò inuehitur Hieronymus in eos, qui dum nimiùm periti Hebraici ſermonis videri volunt, hunc locum contra Iudæorum perfidiam potentiſſimum nobis eripere conantur. Qui hîc non legunt ſicut Vulgatus habet, *Non congregabitur*, ſed *ei congregabitur*, repugnantibus omnibus ferme interpretibus, in quibus etiam ſunt Symmachus & Theodotio, (vnus Aquila Iudæorum fortaſſe volens fauere perfidiæ, aliter expoſuit) imò ipſo etiam Hebraico textu reclamante, in quo non eſt לו *lo*, id eſt *ei*, ſed לא, *lo*, id eſt *non*. Neque audiendæ ſunt Iudæorum nugæ, qui quò teſtimoniorum vim, & autoritatem infringant, multa confingunt, quæ facilè quis ſibi perſuadebit aut ab inerte ignoratione fœdè, aut ab impudenti perfidia peruersè, ac putidè profecta. Dicunt enim in aliquibus ſcripturæ locis, quædam aliter ſcribi, aliter legi: & in his numerat hunc, in quo nunc exponendo ſumus, & dicunt ſcribi quidem לא, id eſt *non*, exponendum verò לו, id eſt *ei*. Si rationem exigas, hærent: neque idoneam aliquam cauſam afferunt, cur ita ſentiant. Quid quæſo in ſacra, aut profana ſcriptura certum erit, & non propoſitum leuiſſimæ cuiuſuis cogitationi, ſi aliter legere, atque interpretari liceat, quàm poſtulat ipſa literarum fides. Eſt ergo ſenſus Iſrael, cuius ſalus Chriſto commendatur a Patre, non eſſe congregandum nempe ad Chriſtum, aut reducendum ad Deum: Quamobrem Chriſtus clamat, ſe in vacuum laboraſſe. Vbi obſerua verbum *congregare*, accommodatè dici de ouibus, quæ cùm errantes à grege ſiue à caulis diſperſæ ſunt, ac vagæ, ad ſepta, & greges à paſtore reducuntur. Ad quam ſignificationem alluſum videtur à Chriſto *Matt. 10. & 15.* dum ſe miſſum eſſe dicit à Patre (hoc vtique loco) ad oues nempe congregandas, quæ perierant, id eſt, quæ diſperſæ fuerant domus Iſrael.

Hebræorum commenta ad eludendã ſacræ ſcripturæ vim.

33. [m] *Et glorificatus ſum in oculis Domini.*] Hæc difficilia non ſunt ex dictis, Deus enim Chriſtum, cuius ſtudium, atque ſudorem parum cumulatè videbatur compenſare, exiguo, &, vt ita loquar, infelici Iudæorum prouentu, nunc glorificat alio longè vberiori ex magis amplo, atque fœcundo Gentilium ſatu, quorum in docendo curam, & negotium dat. Huc credo reſpexit Chriſtus *Ioan. 12.* qui cùm videret diſcipulorum ſtudio ad ſe deductos eſſe Gentiles dixit, *Venit hora, vt clarificetur Filius hominis.* Qui locus valde notandus, qui plurimùm facit ad teſtimonium, in quo nunc nobis opera. In vtroque verò obſeruet ſaluris animarum ſtudioſus, quàm grata ſit Chriſto animarum ſalus, quando illam apud Iſaiam glorificationem ſuam, & apud Ioannem clarificationem appellat. Quia, vt apud Zachariam diximus *cap. 6.* dum ageremus de duabus coronis, coronatur Chriſtus illis, quos à peccati ſeruitute ad ſe per pœnitentiam adducit. Vide quo ſenſu Theodoretus exponat illud *ad Hebr. 12.* *Propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem*, vbi Chriſti gaudium vocat animarum ſalutem.

Chriſti gloria eſt, & gaudiũ hominum ſalus.

Ioan. 12.

[n] *Et Deus meus factus eſt fortitudo mea*] Agnoſcit hoc loco Chriſtus vnde habeat fortitudinem, & poteſtatem ad illam, quam appellat glorificationem ſuam, nempe à Deo, qui dexteram ipſius ad tantum opus armauit poteſtate, atque virtute. Ita Dionyſius. Haymo paulò aliter, quia virtutem Dominus dedit, vt perfractis inferni repagulis, captiuiſque ex eo liberatis, à morte reſurgeret. Adamus ex his verbis ſignificari cenſet additum eſſe Chriſto animum, qui Iudaici populi anguſtiis mœrere poterat, laxatis ſuæ iuriſdictionis ſpatiis ad extremos vſque terræ fines. Hæc ſanè omnia probabilia; Verba enim Iſaiæ ad omnes hoſce ſenſus patent: neque præterea ex eis aliquid ſeſe oſtendit abſurdi. Ego ad hæc addo, mihi videri illud *&*, commodè poſſe explicari cauſaliter, quod in ſcriptura non infrequens: hoc ſenſu. Glorificatus ſum coram Domino, quia mihi & fortitudinem præbuit, ad excelſum redemptionis opus, & ſpatia laxauit, ad quæ ſeſe poteſtas illa latè porrigeret. 34.

[o] *Parum eſt, vt ſis mihi ſeruus ad ſuſcitandas tribus Iacob, & fæces Iſrael conuertendas.*] Hæc iam à nobis nuper expoſita. Significat autem Deus pro tanta Chriſti virtute, atque ardore animi exiguam eſſe materiam antea deſignatam in tractu, & genere Iſraelitico, neque ſatis apertum, ac ſpatioſum eſſe campum ad illum redemptionis curſum, quem exultans quaſi gigas ingreſſus eſt. De nomine *ſerui* dictum eſt alibi. Seruus autem hoc loco idem eſt, qui adminiſter, ſeu inſtrumentum, quale Chriſtus homo fuit ad redemptionis opus. *Fæces* autem *Iſrael* dicuntur reliquiæ, quia ſic exhauſtum erat bellis genus Iſrael, maximè poſt cladẽ acceptam à Romanis ſub Veſpaſiano, vt qui ex tot infortuniis ſuperarant Iudæi, *reliquiæ* ſeu *fæces*, quæ extremæ ſunt & in fundo ſubſident, dici poſſint. Pro *fæcibus*, Hebraic. eſt נצירי *netſure*, id eſt *reſeruati*, ſeu conſeruati, aut *ſuperſtites*, quod nos commodè *reliquias* expoſuimus. 35.

[p] *Ecce dedi te in lucem Gentium, vt ſit ſalus mea vſque ad extremum terræ.*] Hic locus illuſtriſſimus eſt de Gentium conuerſione. Quem *Actor. cap. 13.* ſatis declarauit Paulus, vbi oſtendit mandatum illud Chriſtum per Apoſtolos compleuiſſe, atque ideo de Gentium conuerſione Apoſtolos habuiſſe præceptum. Sic enim ibi Paulus: *Ecce conuertimur ad Gentes, ſic enim præcepit nobis Dominus: Poſui te in lucem gentium, vt ſis in ſalutem vſque ad extremum terræ.* Hæc Paulus iuxta verſionem Septuaginta. Vbi præceptum Chriſto datum, dari etiam Apoſtolis apertè teſtatur, qui in eam curam cooperatores Chriſto fuerunt, & adminiſtri. Nam, vt vidimus, Chriſtus doctrinæ ſuæ curſum, qui ad triennium ferme fuit, Iſraeliticæ regionis terminis definiuit. Quod præceptum adhuc etiam implent Apoſtolici inſtituti ſectatores, dum regiones ad hanc vſque ætatem nunquam exploratas, aut apertas, & luſtrant paſſibus, & illuſtrant doctrina. Quid ſit illud *ſalus mea*, ſatis explicuit Apoſtolus, dum ait iuxta Septuaginta verſionem, *Vt ſis in ſalutem*, vtique Gentium. Sed hinc elucet quàm Deo curæ, atque voluptati ſit hominum ſalus, quando illam ſuam ſibi ſalutem appellat. *Lucem* vocat doctrinam, quia Gentes Scripturæ ſacræ phraſi *in tenebris* eſſe dicũtur. 36.

Quam grata Deo ſalus hominum, quam ſuam eſſe dicit.

q Hæc

37. ¶ *Hæc dicit Dominus redemptor Iſrael, ſanctus eius ad contemptibilem animam, ad abominatam Gentem, ad ſeruum dominorum.*] Hieronymus hæc à quibuſdam referri dicit ad Gentem Iudæorum, quæ ideo abominata & contemptibilis, dominorúmque ſerua fuit, quia lucem ſibi oblatam à Chriſto non admiſit. Et quidem eò inclinare videtur ipſius Hieronymi tranſlatio, vt vides. Nihilominus idem aliter exponit in commentariis, probatque tranſlationem Theodotionis, & Aquilæ, quæ ſic habet. *Et qui deſpicit animam, qui abominationi eſt genti, qui ſeruus eſt principum.* Et de Chriſto hæc omnino putat eſſe accipienda: qui paſſionis maximè tempore contemptus fuit, ita vt à Dauide vocaretur *vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.* & ab Iſaia *deſpectus, & nouiſſimus virorum.* Abominabilia præterea iudicatus eſt a Iudæis, cùm dicebant illum non eſſe à Deo: & in Beelzebub eiicere dæmonia, & ſimilia. Et vt *hic* notauit Hieronymus, & docet Epiphanius *in Hæreſi Nazaræorum*, ter in diè Iudæi Chriſto ſub nomine Nazaræi maledicunt in Synagogis. *Seruus* præterea dicitur *dominorum*: quia non aliter à ſynagogæ principibus, & præſide Pilato tractatus eſt, quàm vile mancipium à clariſſimo ac potentiſſimo domino. In hanc Hieronymi ſententiam incumbunt plures ex interpretibus. Montanus hæc pertinere putat ad Gentem excultam Euangelio: S. Thom. ad Iſraelem è Babylone liberatum; idem Hugo, qui etiam hæc referri poſſe credit ad Cyrum, qui prius contemptibilis fuit, & in ſyluis nutritus, deinde admirabili Dei conſilio ad Regiam dignitatem promotus. Dionyſius, Lyra, Adamus illud *contemptibilem animam*, ad Chriſtum, cætera ad Eccleſiam referenda ſtatuunt. Quæ ſanè poſterior ſententia iuxta Hieronymi tranſlationem valde probabilis eſt. Ego hic paucis explicabo quid ſentiam.

38. Primùm arbitror totum hoc pertinere ad Chriſtum, vt exiſtimat Hieronymus, Cyrillus, & Procopius, Euſebius *lib. 2. demonſtr. cap. 22.* Haymo, Foreirus, Emanuel Sa, & omnino docet tranſlatio Theodotionis, & Aquilæ, vt Hieronymus refert, & probat: Immo, & Septuaginta interpretum, qui ſic reddunt. *Sanctificate eum, qui deſpicit animam ſuam, qui abominatur à Gentibus, ſeruus principum.* Ita tamen vt ſecundo loco etiam cum Chriſto intelligantur Apoſtoli, & Eccleſia, cuius caput eſt Chriſtus, in hunc ſenſum. *Hæc dicit Dominus ad Chriſtum, cuius anima vilis exiſtimata eſt, & contemptibilis: ad eius etiam familiam, & Gentem, quæ ab omnibus abominationi ducitur, quæ item cum capite ſuo Chriſto ſeruituti videtur eſſe ſubiecta.* Itaque à nullo trium membrorum Chriſtum excludo, ſed duo poſteriora Eccleſiæ, atque Apoſtolis cum Chriſto dico eſſe communia. Quomodo verò tam in Chriſtum iſta quàm in Eccleſiam conueniant, cuiuis promptum eſt cogitare. De Chriſto nuper nonnihil diximus, de Eccleſia atque Apoſtolis affirmat Chriſtus *Ioan. 15. Venit hora, vt omnis, qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo.* Et *Lucæ cap. 21. Odio eritis omnibus hominibus propter nomen meum.* Quod ſatis conſtat ex libro Actuum, vbi traditur quid paſſi fuerint in Eccleſiæ incunabulis Euangelij ſectatores. Et expertus eſt abundè Paulus cùm dixit *1. Corinth. 4. Maledicimur, perſecutionem patimur, blaſphemamur: tanquam purgamenta huius mundi facti ſumus, omnium peripſema vſque adhuc.* Hæc omnia, quæ Eccleſia patitur, & qui Chriſto per fidem, & Euangelium adhæſerunt, Chriſtus quoque pati dicitur, tanquam illorum membrorum caput. Quod ipſe confeſſus eſt *Actorum cap. 9.* Vbi ad Saulum, qui aduerſus Eccleſiam tunc naſcentem cum pontificiis literis minaces quoque ferebat ſpiritus, dixit *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Quocirca licèt de vno Chriſto hæc videantur ab Iſaia dici, non tamen remouenda ſunt ab Eccleſia, atque fidelibus, in quibus etiam vexatur Chriſtus, non ſecus atque caput in membris. Nota eſt autem illa Regula Auguſtini 3. *de doctrina Chriſtiana cap. 31.* & Iſidori *lib. 1. de ſummo bono, cap. 25.* quæ dicuntur de Chriſto in Scriptura aliquando de ipſo ſolo, qui caput eſt Eccleſiæ: aliquando de ſolo corpore, id eſt, de Eccleſia: aliquando de capite, & corpore ſimul intelligi. Et ad tertium hunc modum referenda ſunt, quæ in poſteriori parte teſtimonij dicuntur. Sicut illud de quo nuper. *Dedi te in lucem Gentium*, quod etiam de Apoſtolis exponit Paulus. *Actor. cap. 13.* Quomodo quædam dicantur de Chriſto, quæ de eius corpore myſtico ſint intelligenda, vide Salmeronem *proleg. 10. quinquag. 2. can. 40.*

Chriſtus & Apoſtoli quo loco habiti in Eccleſiæ primordiis.

Regula. Quæ de Chriſto dicuntur, interdum de ipſo ſolo, interdum de Eccleſia, & eius membris, interdū de vtriſque intelliguntur.

39. Si autem hæc ad Iſraeliticam gentem aliquo modo referenda eſſent, potiùs exiſtimarem conuenire in illam iam abiectam & ſordidam, poſtquam doctorem, & vindicem abiecit Chriſtum, præſertim poſt Romanorum tempora, quàm in eandem florentem poſt excuſſum Chaldæorum iugum: vt Hieronymus dicit, placuiſſe multis, & putat Pintus. Quia re vera ex eo tempore gens illa contemptibilis fuit, & abominabilis vſque adeò, vt Iudæorum ſordes in prouerbium apud omnes ferme Gentes abierint. Quemadmodum Iudæi dura ſubierint imperia, & intolerabilia penſitarint tributa, vide Suetonium in Domitiano *cap. 12.* Quàm tenuiſtes, & ſordida, quàm vile illorum miniſterium poëtæ quoque rident: qua de re Iuuenalis *ſatyra 2.*

Iudæorum vilis, & miſera cōditio.

——— Delubra locantur

Iudæis, quorum cophinus fænúmque ſupellex.

De miniſterio ſatis docet nomen cophini, quem portabant Iudæi ſui miniſterij inſtrumentum, & inſigne. Aut enim eo exportabant ſtercora, aut aliquid ſimile, aut ſcruta, & ignobiles merces circumferebant, puta ſulphuratas ſcandulas, quas cum fracto vitro permutarent: hoc enim vſitatum eſſe Iudæis indicat Martialis *lib. 12. epigra. 57.* Vbi etiam ab infantia ſolitos eſſe mendicare tradit.

A matre doctus nec rogare Iudæus

Nec ſulphurata lippus inſtitor merces.

Ad hanc ergo Gentem contemptibilem dicit Dominus, etiam ſi ipſa Seruatorem Chriſtum non admittat, non tamen defuturos Reges, & principes, qui libenter amplectantur, & adorent Chriſtum, eiúſque iugum humili ceruice ſubeant. Sed prior explicatio de Chriſto, eiúſque familia magis eſt ad textum, vt cuique promptum eſt animaduertere.

40. Quod ad ſingulas voces attinet, illud *redemptor Iſrael*, non tam ad Chriſtum pertinere videtur, quàm ad Deum, qui per Cyrum ab exilio Babylonico redemit, & reuocauit Iudæos. Eſtque vox exprobrantis ingrato populo, quòd auerſatus Chriſtum, qui mittendus dicitur, tam malè reſponderit redemptionis illius beneficio. *Sanctus eius*, id eſt, *Iſrael*, idem eſt Deus, qui ſæpe vocatus eſt *Sanctus Iſrael, vilis anima*, vſitatus loquendi modus, quo etiam Latini hominem nullius nominis, aut pretij ſignificant, quo per Synecdochen *anima* pro toto ponitur homine. Apud Virgilium *lib. 11. Æneid.* ſic loquitur Drances.

Nos animæ viles, inhumata, infletáque turba

Sternemur campus.

41. ſ *Reges videbunt, & conſurgent Principes: & adorabunt propter Dominum, quia fidelis eſt: & ſanctum Iſrael, qui elegit te.*] Quemadmodum pro ignobili Iudæorum populo, qui vindicem ſuum Chriſtum non eſt complexus, Reges, & principes Chriſtiana ſacra ſuſceperint, hiſtoriæ ſacræ, & Eccleſiaſticæ abundè docent; quare ab eo nunc labore abſtineo. In hunc ſenſum puto accipiendum hunc locum. Neque tamen mihi non probatur quod Hieronymus hîc, & Procopius cenſent; ſermonem hîc eſſe de extremi iudicij tempore, in quo potentes illi Reges, ac Præſides, ad quos ſeruili ſpecie, & ſeruilam in modum Chriſtus paſſionis ſuæ tempore per ludibrium & iniuriam adductus eſt, trement ante illum, & adorabunt, & proſternentur, nempe vt rei ſolent, & ſontes ante iudicem. Vocat me in eam cogitationem, & ſententiam Chriſtus ipſe optimus ſcripturarum interpres, qui cùm eo in ſtatu eſſet, de quo ſuprà, nempe tanquam ſeruus abiectus coram potente, ac ſeuero Domino: & tanquam reus coram Iudice, dixit, cùm pro ſummo imperio vrgeret vehementer Pontifex, *Verumtamen dico vobis à modo videbitis filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli.*

42. ſ *Propter Dominum quia fidelis eſt.*] Illud *propter* cauſam ſignificat non finalem, ſed efficientem; quaſi Dei fidelitas in promiſſo præſtando effecerit, vt ad huius vaticinij fidem Reges ad Eccleſiam accedant; ſiue, vt modò probabile dicebamus, ante illius thronum iudicandi tremant.

43. ſ *Hæc dicit Dominus, In tempore placito exaudiui te: & in die ſalutis auxiliatus ſum tui.*] Hic locus obſcurus eſſet, neque explicatu facilis, niſi optimum interpretem habuiſſet Paulum 2. *Corint.* 6. qui tempus hoc placitum exponit tempus Euangelij. Sic enim iuxta LXX. tranſlationem. *Ne in vacuum gratiam Dei recipiatis: ait enim tempore accepto exaudiui te: & in die ſalutis adiuui te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis.* Loquebatur autem cum Corinthiis, id eſt, cum Gentilibus, ad quos habere legationem ſe dicebat à Chriſto. Tempus ergo, quo Deus auditurus erat, id eſt, completurus Chriſti preces, & vota, & magnos Gentium conuentus, quod optabat Chriſtus, ad Eccleſiam adducturus, fuit illud, quod Chriſti mortem conſequutum eſt, & in quo tunc Paulus verſabatur. Auguſt. *lib. de vnitate Eccleſiæ cap.* 7. *tom.* 7. paulò ante medium regulam tradit, quam etiam hoc loco indicat Hieronymus; vt ſi quis locus explanatus ſit ab Apoſtolo, ſeu Euangeliſta, vel ab aliquo ex antiquis Patribus ab Eccleſia recepto, præcedentia quoque & ſequentia eiuſdem loci, quoad eius fieri poſſit, eodem eſſe referenda. Et adducit hunc locum explicatum ab Apoſtolo & tempori Euangelij ab eodem accommodatum: vbi quaſi interpres Apoſtolus inquit. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis*, id eſt, hoc eſt tempus prædictum ab Iſaia. Eodem ferme modo explicat Ambroſius *in cap.* 6. 2. *Corint. & in cap.* 4. *ad Hebræos.* Hilarius *in Pſal.* 67. Nos ergo ſecuti Auguſtini regulam, & Pauli expoſitionẽ, hæc ad beneplaciti, id eſt, Euangelij tempus referamus, & inſtar paruulorum, vt ait Hieronymus, ſuper adumbratas lineas præceptoris literas imprimamus.

Regula. Si quis locus ab auctore Canonico explicatus eſt, ei explicationi reliqua ſunt attemperãda.

44. Duo hic habemus in Iſaia & orationem, & vota Chriſti, quæ in tempore placiti exaudiuit Deus: & Deum in die ſalutis auxiliatum eſſe Chriſto. Hæc iam nos accuratiùs examinemus. Oraſſe quidem

Chriſtus orauit pro ſe.

Chriſtum ſæpe conſtat ex Euangelio, & oraſſe pro ſe omnino certum, nam paulò ante mortem in horto orauit Patrem, vt ſi fieri poſſet, tranſiret à ſe calix. Et Paulus *ad Hebr.* 5. *Qui in diebus carnis ſuæ preces, ſupplicationeſque ad eum, qui poſſet illum ſaluum facere à morte cum clamore valido, & lacrymis offerens exauditus eſt.* Orauit item pro ſe *Ioan.* 17. *Pater clarifica filium tuum.* Et *cap.* 12. *Nunc anima mea turbata eſt, & quid dicam? Pater ſaluifica me ex hac hora.* Ad Hebr. 5.

45. Oraſſe pro aliis ſatis compertum: ſed oraſſe in cruce clamore valido, de quo Paulus ſuprà, etiam pro aliis docet Athanaſius *oratione prima, & ſecunda contra Arrianos.* Nazianzenus *oratione* 4. *de Theologia.* Damaſcenus *lib.* 4. *de fide cap.* 24. Leo *ſermone* 16. *de paſſione.* Auguſt. *in Pſal.* 21. ad illud *Quare me dereliquiſti*, &c. *Quare hoc dicit niſi quia nos ibi eramus? niſi quia corpus Chriſti Eccleſia?* Idem S. Thom. Euthymius & vtraque gloſſa *in cap.* 27. *Matthæi* & latè Salmeron *tom.* 10. *tractatu* 49. Petiit itaque Chriſtus & ſui nominis exaltationem, & corporis reſurrectionem, & gloriam, & hominum ſalutem etiam cùm clamauit in cruce, dixitque, *Deus Deus meus vt quid dereliquiſti me?* Quæ proculdubio oratio eſt, eáque ſatis erat & vehemens, qualis eſt illa, quæ aliquid videtur habere admixtum querimoniæ vt *Pſal.* 43. *Exurge quare obdormis Domine?* Et *Iob* 13. *Cur faciem tuam abſcondis, & arbitraris me inimicum tuum?* Quaſi dicat, ne dormias, ne abſcondas faciem. Imò non ſolùm pro ſe, ſed etiam pro aliis oraſſe exiſtimatur *Lucæ* 23. *Et clamans voce magna Ieſus ait. Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum.* Vt putat Athanaſius *lib. de humana natura ſuſcepta ab vnigenito contra Apollinarium non procul à principio. Cùm in cruce,* inquit, *dicit, Pater in manus tuas depono ſpiritum meum: in eo omnes homines apud Patrem deponit, ac commendat per ipſum, & in ipſo viuificandos. Membra enim ſumus, & membra iſta multa vnum corpus ſunt, quod ipſum eſt Eccleſia, quemadmodum Apoſtolus Galatis ſcribit cap.* 3. *Vos omnes nonniſi vnum eſtis, in Chriſto Ieſu. Omnes igitur in ſe Deo commendat.* Hæc Athanaſius cui ſubſcribit Salmeron *proleg.* 10. *quinq.* 2. *can.* 40. *& tom.* 10. *tract.* 46. Quæ conſideratio maximè inflammare debet ſtudium viri Apoſtolici, vt in ſalutem animarum, ſeriò & conſtanter incumbat; quandoquidem ex ſententia Athanaſij, Chriſtus homines *ſuam* appellat *animam*, aut *ſpiritum*. Quod faciunt vulgares amatores, qui quos amant, *cor ſuum*, & *animam ſuam* appellant. Sanè Paulus Oneſimum *ſua* vocat *viſcera*, *Epiſtola ad Philemonem.*

Chriſtus orauit pro aliis. Pſal. 21. Matth. 27. Chriſti admirabilis charitas. Lucæ 23. Zelus animarum.

46. Nunc videndum in qua re exauditus Chriſtus, & quando. Et primùm obſeruo ex vſu non ſolùm ſacræ ſed etiam profanæ Scripturæ, *Audire* ſignificare ſæpe non tam auribus excipere, quæ dicuntur, quàm audita complere. Quo ſenſu reprehenditur Adam *Geneſ.* 3. quia vxoris ſuæ verbum audiuit, id eſt, fecit quod ſuaſit vxor. Et Chriſtus *Ioan. cap.* 7. *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit*, id eſt, complet. Tunc autem aliquid exauditum dicitur, cùm impletur opere quod rogatur. Orarat Chriſtus ante mortem ſæpe pro ſua exaltatione, & glorificatione, & pro hominum libertate, & ſalute etiam in cruce moriens, vt ex Athanaſio nuper, & aliis oſtendimus. Tunc autem videri potuit non exauditus, quia tunc non eſt impletum, quod orabat, donec ipſe poſt reſurrectionem glorificatus eſt, & exaltatus, & homines magno numero ad ſalutem, & Eccleſiam aduocati. Quam ad rem obſerua ex 47

vſu

Regula. Tunc aliquid fieri dicitur cum factum eſſe cognoſcitur, aut demonſtratur. Matth. 11.

vſu Scripturæ tunc aliquid dici fieri cum factum eſſe demonſtratur, aut cognoſcitur, vt *Geneſ.* 22. ait Deus ad Abraham. *Nūc cognoui quod timeas Deum*, id eſt, cognoſcere feci, ſeu manifeſtaui. Iuxta quam regulam explico illud *Matthæi* 11. *verſ.* 12. *A diebus Ioannis Baptiſtæ vſque nunc regnum cælorum vim patitur*, id eſt, à Ioanne prædicatum, & oſtenſum eſt cœlorum regnum vim pati, & rapi à violentis, id eſt, ab illis qui ſibi vim per pœnitentiam facerent, quam Ioannes prædicabat. Et illud *ad Hebr.* 7. de Melchiſedech. *Sine patre, ſine matre, ſine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens*, id eſt, de cuius genere, de tempore, quo ortus, & quo mortuus eſt, nil habemus ex Scriptura. Quo ſenſu *ſpurij*, ſine patre dicuntur, & his ſignantur literis, S. P. quia incertis parentibus nati ſunt, & *ignobiles*, quorum obſcurum, & ignotum genus, ſine gente eſſe dicuntur, Horatius *lib.* 2. *Satyr.* 5. *Qui quamuis periurus erit, ſine Gente.* Iuxta hæc licèt Chriſtus ſemper exauditus fuerit à Patre, quoties exaudiri voluit abſoluta, vt Theologi dicunt, voluntate, quod Chriſtus ipſe docuit cùm dixit *Ioan.* 11. *verſ.* 42. *Pater gratias ago tibi quoniam audiſti me: ego autem ſciebam, quia ſemper me audis.* Tamen quia non eo tempore quo orabat apparuit illum eſſe exauditum, quia pro eo tempore, quod orabat conſecutus non eſt, ſed alio, ideo alio tempore nempe placito exauditus dicitur. Vide quæ de verbo *recordor*, cuius eadem eſt ratio diximus *cap.* 43 *num.* 40. *& hoc cap. num.* 4. Ad illud ergo tempus Chriſtus dolere poterat, quod ad ſe pertinet, quòd contemptibilis eſſet anima: quòd abominatus: quòd dominorum ſeruus, vt modò ex Iſaia didicimus: à quibus per ſummam iniuriam, atque ludibrium in crucem agebatur. Quòd verò ad alios pertinet, quia cùm ex Iudæis poſt tot labores, poſt tam longum prædicationis curſum tam pauci inſtitutum mutauiſſent, & mores, in vacuum videbatur laboraſſe, & fortitudinem ſuam fruſtra, & ſine cauſa conſumpſiſſe. Vtrumque Deus poſt reſurrectionem præſtitit Chriſto: nam & glorificatus eſt, & Gentium copioſa multitudo ad Eccleſiam tranſlata. Quare hoc videtur eſſe tempus placitum in quo per Iſaiam Deus promittit exaudiendas eſſe Chriſti preces, & omnino id indicat Paulus 2. *Corinth.* 6. qui cùm ad Gentiles populos ſcriberet ait, illud eſſe tempus acceptabile, ſeu placitum, de quo hic Iſaias. In hunc ſenſum accipit hîc Hieronymus, & ſequuntur communiter interpretes.

Ad Hebr. 7.

48. u *Et ſeruaui te, & dedi te in fœdus populi.*] His verbis duo continentur, quæ Chriſtus orauerat, alterum pro ſe, cùm dicebat *Saluifica me. Ioan.* 12. & *Pſal.* 21. *Erue à framea Deus animam meam.* Et *Pſal.* 68. *Ne me demergat tempeſtas aquæ, neque abſorbeat me profundum.* Et *Pſal.* 15. *Nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem.* Alterum pro membrorum ſalute, id eſt, pro hominum conuerſione. Vtrumque promittit Deus præſtandum à ſe tempore placito. Illud his verbis, *& ſeruaui te*; hoc illis *& dedi te in fœdus populi*, id eſt, vt fœdus ineat cum populo Gentili, quemadmodum olim inierat cum Iudaico. Nempe vt aſſumat ſibi populum priùs alienum, eo modo, atque ſtudio, quo aſſumpſit ſibi iam olim populum Iſraeliticum, cum quo fœdus iniit quaſi coniugale ad montem Sinai. Hæc de populo Gentili accipit Hieronymus, Adamus, Haymo, Cyrillus, & Procopius *in hunc locum*, & Euſebius *lib.* 1. *demonſt. cap* 21. Et planè ita docet tranſlatio Septuaginta, qui ita vertūt. *Dedi te in teſtimonium Gentium.*

Alij in *fœdere* victimam intelligunt, qua ſancitum eſt teſtamentum; *victimam* verò Chriſtum eſſe dicunt, qua placatus eſt Pater, & reconciliatus hominibus. Quæ ſententia mihi difficilis non eſt, ſed alia magis eſt ad totius capitis conſecutionem, quæ de Gentibus hæc interpretatur.

x *Vt ſuſcitares terram, & poſſideres hæreditates diſſipatas.*] Idem arbitror hîc dici ab Iſaia, quod multò antè à Dauid *Pſal.* 2. *Poſtula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Immò ad hunc locum videtur Iſaias reſpexiſſe. Qui poſtquam contemptum eſſe dixit Chriſtum, hæreditatis etiam meminit, & eius obſeruantiæ, quam Chriſto Reges exhibuerunt. Quod etiam Dauid explicuerat. Vbi poſt Gentium fremitum, & inania conſilia contra Chriſtum, ſubdit; *Et dabo tibi Gentes hæreditatem tuam.* In *terra* verò, & *hæreditate diſſipata* Gentilem populum intelligi ſentiunt communiter interpretes antiqui Hieronymus, Cyrillus, Haymo, & cum his è recentioribus plerique. 49.

Pſal. 2.

y *Vt diceres his, qui vincti ſunt, exite: & his, qui in tenebris, reuelamini.*] Ex præcedentibus perſpicuum eſt de Gentibus hîc eſſe ſermonem, qui vincti eſſe dicuntur à dæmone ſæuiſſimo tyranno, & à principe tenebrarum in tenebricoſum, & fœtidum carcerem coniecti. Eſt autem in Scriptura frequens, vt cùm de Gentili populo incidit ſermo, *in tenebris* eſſe dicatur, quia priuatus vera doctrina, qua populus abundabat Iſraeliticus, variis errorum tenebris traducebatur, impingebátque in infinita propè, eadémque ſibi interdum contraria dæmonum ludibria. 50.

z *Super vias paſcentur, & in omnibus planis paſcua eorum.*] Ad tempus vſque gratiæ vnus erat locus in Ieruſalem, in quo fas eſſet ſacrificium offerre, in templo nempe Salomonis, quod hîc montem appellare licet. Quare ibi tantùm erant Iudæorum paſcua. Cùm verò aureum illud ſæculum affulſerit, cùm Gentes ſolutæ iam à vinculis, & à diuturnis tenebris euocatæ libertatem veram, & lucem aſpexerint, nō iam in vno Solymitano monte, id eſt, in templi adytis paſcua erunt, quibus piorum impinguentur animæ, ſed etiam in viis, & omnibus non ſolùm montibus, ſed etiam planis. Ita vt vbique gentium, atque locorum paſcua occurrant, id eſt, templa, quæ ſua vi, atque vitali paſtu exhauſtum, & deficientem ſpiritum alliciant, & exaturent. Ita ferme explicat Origenes *lib.* 1. *contra Celſum*, & Euſebius *lib.* 1. *demonſtr. cap.* 1. *&* 2. Sed Hieronymus, Cyrillus & alij in paſcuis Scripturas intelligunt, & Apoſtolicam doctrinam, & quidquid animum paſcit, confirmat, & vegetat, quæ Gentibus olim cæcis, quia omni veræ, ac ſolidæ doctrinæ luce caruerant, meliori iam ſæculo, atque ſtatu vbiuis locorum largiter occurrunt. 51.

Euangelici temporis fœlicitas.

a a *Non eſurient, neque ſitient, & non percutiet eos æſtus, & ſol: quia miſerator eorum reget eos.*] His verbis deſcribitur ab eloquentiſſimo propheta fœlicitas illa ſingularis, quæ illos excipiet, hilarabítque, qui in optimi paſtoris indulgentiam, & ſinum venire, & in vberrimis illius paſcuis morari voluerint. Sententia difficilis non eſt, & vſitata atque aperta metaphora. Illud obſeruandum, actum ſecundum, vt philoſophi loquuntur, ſumi pro primo; quod in Scriptura accidit non rarò, id eſt, ſic eſſe omnia ab optimo paſtore comparata, vt ſi grex velit, neque laboret ſiti, neque fame pereat; neque ſole exuratur, aut infuſcetur. Sicut etiam prouiſum 52.

Dei in homines fideles indulgētia, & cura.

à Deo eſt, ne quid deſit ad ſalutem, ſi modò homo parata ſibi à Domino liberalitate velit vti. Sed ſicut multi à ſalute excident, quia promptum ſibi ad ſalutem remedium admouere noluerunt: ſic etiam multi ſitient, & eſurient, æſtu vrentur, & ſole, quia à paſtoris cura, & paſcuorum amœnitate ſe ſubducent. Ad hunc locum alluſit Ioannes *Apoc. cap. 7.* qui cùm Ieruſalem triumphantem deſcriberet, ab Eccleſia à Domino inſtituta ſimilitudinē expreſſit.

53. *Suauis, & facilis virtutis via.* b b *Et ponam omnes montes meos in viam, & ſemitæ meæ exaltabuntur.*] Illud ſupererat ad paſcuorum commoditatem ſeu ad aperiendam viam his, qui ex Gentibus ad Eccleſiam vocabantur, ne quid eſſet arduum ac præceps, quod pecudes laſſaret, & frangeret; aut vngulas attereret, & diſſolueret: aut certè ſi accedere voluerit ad Eccleſiam, eorum veſtigia difficilis ac præruptus aſcenſus moraretur. Quocirca Deus quod excelſum fuerit, & inuium, in viatorum commoditatem complanabit: ſi quid demiſſum, in quo per montes, & loca confragoſa plerunque ſolent eſſe ſemitæ, id exaltabitur, ita vt per æquata, & peruia camporum æquora via ſit plana, facilis, & aperta. Hoc omnino eſt quod idem dixerat propheta *cap. 40. Omnis vallis exaltabitur, omnis mons, & collis humiliabitur.* Cyrillus accommodatè ad hanc explicationem ait, quæ ante Euāgelium ita videbantur difficilia, vt non putarentur ſuſtineri, aut adiri poſſe, illa ſic futura leuia, atque ſuauia, vt ab imbecilla ætate ſuperari poſſint. Quàm ardua Gentibus viſa olim continentia, & caſtitas? quàm difficilis iniuriarum obliuio? quàm inaudita rerum illatum deſpicientia, quas mundus fere pro Deo ſuſpicit, quæque fidelibus Euangelica doctrina commendat. At quid iam facilius? quàm plana iam & procliuis à Chriſto facta eſt illa via, quam accliuem valde, & ſcopuloſam iudicabat Gentilium mollis, & antiqua Philoſophia? Aut certè ſemitæ meliori ſæculo exaltabuntur, quia homines à terrenis curis excitati altiora deinceps meditabuntur: & quæ priùs abiecta ſerpebat humi, eadem altiùs eleuata cogitatio, & conuerſatio in cœlis erit. Sed quamuis hoc poſtremum non ſit abs re, illud tamen primum magis eſt ad textum.

54. c c *Ecce iſti de longè venient, & ecce illi ab Aquilone, & mari; & iſti de terra Auſtrali.*] Hîc quatuor deſcribuntur orbis plagæ, ex quibus ad Eccleſiam futurus eſt Gentium frequens conuentus. Aliis locis hæc omnia *Orientis*, & *Occidentis* nomine ſignificantur, vt latè docuimus ſuper Zachariam *capite* 8. ad illud, *Saluabo populū meum de terra Orientis, & de terra occaſus Solis.* Hieronymus Orientalem plagam deſignari putat in particula *de longè*; fortaſſe quia à Ieruſalem Aſia ad Orientalem plagam latè porrigitur. Qui & vocem סינים *ſinim*, pro qua Septuaginta *Perſarum* tranſtulerunt, vertit *de terra Auſtrali*: quia putant montem Sinai ad Auſtrum pertinere. Iuxta illud *Abacuc 3. Deus ab Auſtro veniet, & ſanctus de monte Pharam.* Ego hîc quartam orbis partem deſidero, nempe Occidentalem; *Mare pro parte Auſtrali.* nam *mare* in ſcriptura, pro parte Auſtrali ſumitur, vt conſtat ex multis locis, vbi mare opponitur Aquiloni. vt *Pſalm 88. Aquilonem, & mare tu creaſti.* Et *Pſalm. 106. A Solis ortu & occaſu, ab Aquilone, & mari*; vbi quatuor mondi plagæ notantur. Et eodem modo videbatur hic locus exponi poſſe. *Mare pro Occaſu.* Nihilominus recedendum non arbitror à Hieron. tranſlatione: nam aliis etiam locis in *mari* Occidentem intelligit, vt *Nu. 2. v. 18. Ioſue 18. verſ. 15. Ezechiel. 42. v. 19.* Et *Ezech. 46. v. 19.* docet hanc eſſe ſcripturæ conſuetudinem, vt pro ſitu terræ Iudææ ſemper *mare* Occidentem vocet. Idem tradit *quæſtion. Hebr. in Geneſ. cap. 13.* Cur autem modò pro Auſtro, modò pro Occaſu *mare* ſumamus, ea ratio eſt, quia mare mediterraneum quod in ſcriptura abſolutè dicitur *mare*, propter varios flexus, non ſolùm ab Auſtro, ſed etiam ab Occaſu, quà in regionem Aquilonarem influit, reſpicit Ieruſalem, à qua regiones hoc vel illo nomine compellantur.

55. Vbi Vulgatus *de terra Auſtrali*, Hebr. eſt סינים *ſinim*. Montanus hac voce Sinarum regionem ſignificari putat, propter literarum ſimilitudinem; Sed ſine dubio hîc aliquid indicatur maius. Sed neque hæc prouincia, vt ipſe putat, ad Auſtrum ſpectat: Sed neque ad Occaſum, vt hinc propoſitæ occurratur difficultati, ſed potiùs ad Ortum. Si mihi hîc aliquid tentare fas eſſet, pro סינים *ſinim*, redderem potiùs *Occaſum*; quia Sinai, ad quem hîc videtur alluſum, magis ad Occaſum ſpectat, quàm ad Auſtrum, & ideo pro Occaſu ſumi putabamus *Pſalm. 67.* ad illud, *Qui aſcendit ſuper Occaſum.* Vbi in *Occaſu* intelligi ſuſpicabamur montem Sinai, de quo ibi erat ſermo.

56. d d *Laudate cœli, & exulta terra: iubilate montes laudem: quia conſolatus eſt Dominus populum ſuum.*] Hæc verba non puto ad vaticinium pertinere; ſed eſſe prophetæ non tam prædicentis futura, quàm exhortantis, vt omnes pro tam ſingulari beneficio gratias agant Deo. Quod ita deſiderat ardenter propheta gratus, & de hominum ſalute, atque Eccleſiæ propagatione lætus, vt res etiam mutas, & inanimatas ad diuinam liberalitatem commendandam ſollicitet. Quis verò ſit hic populus, aut hi pauperes, quos conſolatus eſt Deus, non eſt difficile coniectare ex ſuperioribus. Dicuntur quidem *pauperes*, quia lucis erant atque conſilij egeni, cùm in tenebris ſederent, neque veram cœli lucem aſpicerent.

57. e e *Et dixit Sion, Dereliquit me Dominus: & Dominus oblitus eſt mei.*] Non dubium eſt, vt hîc communiter obſeruant interpretes, in *Sione* Eccleſiam adumbrari, neque nunc neceſſe habeo confirmare pluribus, quia nihil eſt in Scriptura magis obuium. Quare hæc verba Eccleſiæ putant eſſe, quæ cùm ſe premi, oppugnariſque ſentit omnibus Tyrannorum machinis, derelictam ſe putat à Domino, & eo nomine cum ipſo dolenter expoſtulat. Quam tamen ſolatur Dominus, nouiſque promiſſis confirmat & recreat. Hæc penè omnibus communia; quę etiam mihi vehementer probantur. Hieronym. hîc non totam intelligit Eccleſiam, ſed partem illam Iudæorum, quæ cùm fidelis eſſet, & diuinorum mandatorum audiens, dolebat ſe penè derelictam, cùm ad aliam religionem maxima pars Iudæorum deffluxiſſet.

58. Hæc, vt dixi, mihi probantur valde; ſed puto dici poſſe non improbabiliter, quod docent S. Thomas, Hugo, Chaldæus, & Pagninus, hæc referri ad populum Iudaicum cùm adhuc teneretur in Babylonia captiuus. Qui cùm diu traheretur exilium, deſpectū ſe putabat à Deo, eóque nomine querebatur. In quo tamen typicè, vt in proœmio cap. quadrageſimi diximus, Eccleſiæ, & primùm inſtitutæ, & poſtea vehementer amplificatę effigies proponitur. Quam ſententiam amplectitur Procopius ad illud iuxta tranſlationem Septuaginta, *Sponſus ornans.* Vbi ait ſenſum hiſtoricum eſſe de Ieruſalem renouata poſt captiuitatem. Sic enim ille, cùm egiſſet de Ieruſalem. *Verùm omiſſa hiſtoria ad primam explicationem*

tionem redeamus, id eſt, ad myſticam de Eccleſia, à qua ſententia neque Hieronymus abhorret. Nam capite ſequenti in principio coniectus credo ab ipſo continenti filo, hæc verba de terrena Ieruſalem captiua interpretatur, ſic enim ibi: *Loquitur ad populum Iudæorum ſup[er] Sion, qua prius dixerat, dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus eſt mei, putatis in ea duritia matrem [illegible] terrenam Ieruſalem eſſe proiectam?*

59 In hanc ego cogitationem adducor, & ipſo totius capitis filo, quod mirè ſeruatur non interciſum, vt conſtat. Deinde quia, vt in hoc propheta familiare eſt, propoſito typo migratio fit ad veritatem, deinde verò ad typum, id eſt, ad hiſtoriam remigratio. Præceſſit in fine capitis quadrageſimi octaui libertas populi Iudaici, in qua mirabiliter apparebat diuina prouidentia, quæ tam facilè per Cyrum & tam ſplendidè mille, quæ ſe offerebant impedimenta, ſuperauit. Quia hæc vmbra quædam erat maioris libertatis, quam à Dæmonia tyranoide oppreſſo mundo attulit Chriſtus, ſtatim ad illam erupit propheticus ardor, & ſpiritus à principio cap. quadrageſimi noni, eámque, vt vidimus, mirificè expreſſit, amplificauítque. Deinde verò ſuo more ad hiſtoriam interruptam reuertitur, agítque de eo captiuorum ſtatu, vt eſt veriſimile, in quo erat res Iudaica; cùm primùm Babylon in Cyri poteſtatem venit. Tunc enim populus ille miſerabilis, quaſi nunquam futurus eſſet libertatis compos, ſecum lugens, & deſperans dicebat, *Dereliquit me Dominus.* Iuxta vtrâque ſententiam conabor caput explicare, & de Iudæorũ captiuitate priùs, deinde de Eccleſia.

EXPLICATIO DE
Ieruſalem captiua.

¶¶ D*ixit Sion, Dereliquit me Dominus.*] Eò iam deducta erat Iudæorum captiuitas, vt deſperata libertate diceret Sion excidiſſe iam ſe ex Dei memoria, & de ſua ſalute iam prorſus actum eſſe.

60. ¶¶ *Numquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum?*] Reſpondet Dominus Sion querulę, & optima ſimilitudine explicat quàm longè abeſt, vt Iſraelis, quem ſibi in populum elegerat memoriam deponat. Vt enim mater à ſua in liberos indulgentia maximè eum ætate ſunt infantili, impetrare non poteſt, vt illos aliqua ratione deſerat, & iũ memoria, atque adeò in viſceribus perpetuò non habeat: Sic Deus populi illius non obliuiſcetur vnquam. Quòd ſi quando id contingat, apud ſe tamen obliuionem illam nullum habituram eſſe locum. Qua ſimilitudine oſtendit Deus magis ſibi charum eſſe populum, quàm teneriſsimus infans matri ſuæ. Deſerunt enim matres aliquando filios, idque non rarò pręſertim apud Gentiles, qui filios recèns natos non leuabant à terra, ſed morituros relinquebant, vt probauimus ad illud *Cantic. 8. Sub arbore malo excitaui te.* Quod vſitatum eſſe inter Amorrhæos & Cethæos indicat Ezechiel *cap. 16.* dum eam, quæ nata dicitur Amorrhæo patre, & matre Cethæa, proiectam eſſe ait in abiectionem animæ ſuæ.

61. ¶¶ *Ecce in manibus meis deſcripſi te, muri tui coram oculis meis ſemper.*] Locus hic illuſtris eſt, maximéque notatus propter inſolitũ dicendi modum, qui ſingularis cuiuſdam amoris vim & præſtantiam ſignificat. Figuratam eſſe locutionem magis eſt veriſimile: & ſi ſermo ſit de Ieruſalem poſt captiuitatem inſtauranda, eſt omnino certum. Quidam referunt ad effigies, quas habere ſolent apud ſe, qui abſentium, quos amant, recentem habere memoriam ſtudent; quæ tamen cum non geſtentur ſemper, aut ſaltem non eo loco vt ſemper occurſent oculis, Deus, vt maius aliquid ſignificet, affirmat effigiem Ieruſalem non in charta, aut tabula, vt communiter aliæ ſolent effigies, ſed in manibus ſcriptam eſſe, in quam non poſſint oculi non frequenter incurrere. Montanus metaphoram ducit ab architectis, qui dum aliquam fabricam moliuntur, eius ichnographiam antè deſcribunt, exiguóque ſpatio [illegible]am molem definiunt. Hanc verò ichnographicam ſpeciem in ſpatium illud exiguum redactam, deſcriptam eſſe dicit Dominus in manibus ſuis, ne vnquam non occurrat.

62 Ego hunc locum aliter accipio, putóque deſcriptam eſſe Ieruſalem in Domini manibus, nihil eſſe aliud quàm eius effigiem in annulo [illegible] cælatam. Quaſi dicat Dominus, vſque adeò ſibi charam, & in delicijs eſſe Ieruſalem, vt quemadmodum homines eorum, quæ amant imagines in [illegible] geſtant, vt illorum abſentium aſpectu perpetuo ſe oblectent; ſic ipſi ante oculos ſemper obuerſetur Ieruſalem, cuius memoriam gratam & iucundam habet. Porrò vſitatum eſſe vt imagines [illegible], quos veneramur, aut amamus, geſtentur in annulis, armillis, & laminis à collo pendentibus, quæ *tabula cordis* appellantur, non ſolum à Gentilibus, ſed etiam ab Hebræis facilè probari poteſt. De Gentilibus quomodo in annulis, armillis, & laminis à collo pendentibus, quæ [illegible] dicuntur, aut *cordis tabulæ*, geſtauerint Deos, aut illorum phylacteria, diximus ſatis *cap. 44.* ad illud, *Et in nomine Iſrael aſſimilabitur.* Quòd verò imagines eorum, quos amabant, occurrunt paſſim [illegible] exempla; in [illegible] ſufficiat, quod de Epicuro tradit Cicero *lib. de finibus. Eius*, inquit, *imaginem non modò in tabulis [illegible] familiares, ſed etiam in poculis, & annulis hab[ent].* Idem Plinius *lib. 35. cap. 2.* N[illegible] babile ad hanc amoris ſignificationem, [illegible] meninm ſpectare, quod dicit Dominus [illegible] *verſ. 25.* de Iechonia, *Viuo ego dicit Dominus, quia ſi fuerit Iechonias filius Ioachim R[ex] Iuda annulus in manu mea dextera, inde euellam eum*, id eſt, ſi mihi ita fuerit charus, vt eius in annulo ſignatorio imaginem ſculpſerim, euellam tamen eum. &

Imagines eorum quos in amore, aut veneratione ſunt, geſtantur in annulis, armillis, &c.

Ierem. 22.

63. Eſt autem mihi valde veriſimile, vſitatum fuiſſe ciuibus Solymitanis, vt eius ſuæ ciuitatis, & [illegible] impensè amantes, in annulis & armillis cir[illegible] ſuę ciuitatis effigiem; ſicut alij [illegible] illarum [illegible], in quibus ſe oblectant. Hoc mihi ſuadet illud *Pſalm. 136. Si oblitus fuero tui Ieruſalem, obliuioni detur dextera mea*: Vbi illud *detur*, pro futuro ſumitur familiari Hebræorum more, id eſt, *dabitur*. Sicut [illegible] quod mox ſequitur, *Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui*, id eſt, non adhæ[illegible] lingua mea faucibus meis, nunqu[am] de te ſil[illegible] [illegible] loqui potero, de te loquar. Sic ergo filij Ieruſalem, dum captiui abducer[entur] à patria, geſta[bant] tamen in annulis cælatam ſuæ ciuitatis [illegible] & ideo dicunt ſe nunquam futuros ciuitatis [illegible] mores, niſi dexteræ [illegible] [illegible] preſſum habent eius memoriale, atq[ue] [illegible] Quod ergo habuerunt in manibus Soly[mitani] [illegible] id quoque Deus habere ſe dixit, qui [illegible] quàm ciues vrbem illam amabat, [illegible] habitatorem vocat [illegible]

Pſalm. 136.

ignis eſt in Sion, & caminus eius in Ieruſalem, quod Hiſpanus dicit: *Tieñe caſa y hogar, ϛe eſta avezindado.* Hæc magna ex parte ſumpſimus *ex noſtris commentariis ſuper Cantica, ex prolegomeno nono.* Hæc mihi expoſitio placeret valdè, ſi patronū haberet; ſed ſatis illi patrocinari videntur fundamenta, quę meo iudicio leuia non ſunt. Huc præterea faciunt, quę diximus ad illud *c. 44 v. 5. Hic ſcribet manu ſua Domino.*

64. h h *Venerunt ſtructores tui: deſtruentes te, & diſſipantes à te exibunt.* Putabant Iudæi quo tempore iam ſeſe libertas oſtendebat, cuius tamen ipſi ſpem omnem abiecerant, nunquam ædificatum iri Ieruſalem; immo non defuturos, qui ſi quid eſſet à clade reliquum, illud funditus delere molirentur. Hui cogitationi Deus occurrit dum dicit adeſſe iam architectos, & latomos, qui ædificent, & foras egreſſuros qui deſtruere ac diſſipare ſtudeant Ieruſalem. Extra Ieroſalem dicuntur diſſipantes & deſtruentes, quia longè aberunt, vt ſi quid moliri ſtudeant contra Ieruſalem, aliquid tamen in illius excidium, aut detrimentum poſſint.

65. i i *Leua in circuitu oculos tuos & vide: omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi.*] Vt pluribus ſuper Zachariam oſtendimus ad illud *cap. 2. Quoniam in quatuor ventos cœli diſperſi vos.* Duæ tribus, quæ ab exilio redierunt in omnes mundi plagas alio, atque alio euentu dilapſæ ſunt, id quod optimè probat illud Ezechielis *cap. 5.* qui cum de duabus tribubus ageret Iuda, & Beniamin; illas in tres partes diſtribuit. *Tertia*, inquit, *pars peſte morietur, & fame conſumetur in medio ſui. Et tertia pars tui in gladio cadet in circuitu tuo; tertiam verò partem tuam in omnem ventum diſpergam.* Illa ergo pars tertia in omnem ventum, id eſt, in quatuor orbis plagas diſſipata eſt, quæ à Zacharia redire iubetur, & quæ nunc venturos ſollicitur ab Iſaia. Fingitur ergo Sion proſpectans confluentes ad ſe magnos vndecumque conuentus, cui talia circumſpectanti dicit Dominus, omnes illos cò ſpectare; vt Ieruſalem eatenus deſertam habitent, & compleant.

Duæ tribus in omnem ventum diſperſæ.

66. k k *Viuo ego dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento veſtieris, & circumdabis eos tibi quaſi ſponſa.*] Non minus ciuitas habitatoribus ſuis ornatur, & inſtruitur, quàm ſponſa nuptialibus deliciis. Eſt autè hæc elegans, & apta comparatio ſumpta, vt reor, ex antiqua Hebræorū conſuetudine, quam in nuptialibus ſacris obſeruabant. vt diximus *in noſtris commentariis ſuper Cantica.* Vbi ſponſa nuda, & ſpoliata inducitur acceptis plagis, & ſublato pallio: quam ornat deinde ſponſus, euehitque ad Regij vſque nominis dignitatem. Sic ergo Sion nuda erat à ciuibus, quos longè ſecum abduxerant hoſtes Babylonii, & dirutis mœnibus, & incenſo templo, & reliquis ornamentis ſpoliata omnino miſerabilis, & ſ[illegible] in modum effetata. Hanc Deus & ciuibus impl[illegible], & ſic ornauit antiquo pallio, quod bo[illegible] abſtulerat, id eſt ornamentis, quæ ante Babylonicam prædam habuit ampliſſima, ſicut ſponſus [illegible] ſolet Hebræorum ritu ſponſam ſuam, de [illegible] ornatu in *Pſalm. 44.* agitur; & fuſiùs in Cant. [illegible] vbi nos plura. De Dei iuramentis, vide infrà [illegible] ad illud, *Iurauit Dominus in dextera ſua.*

Nuptialis ritus apud Hebræos.

67. [illegible] *deſerta tua, & [illegible] tua, & terra ruinæ tuæ nunc anguſta [illegible] habitatoribus*] Propo[illegible] hic prior ſtatus [illegible] dum deſerta, & ſola, [illegible] quaſi ſepulta [illegible] deſcribitur Sion. Cui Dominus antiqua [illegible] frequentiam ita [illegible] ſpatia illam ambi[illegible] [illegible]

A lud *Zachariæ 2. Abſque muro habitabitur ciuitas.* Quod ſic expoſuimus, futuram eam ciuium frequentiam, vt *abſque muro*, id eſt, præter illud ſpatium quod murorum ambitus circumſcriberet, multi ex his, qui ab exilio redi[illegible], h[illegible] fuerint extra mœnia. Vt en[illegible] *lib.* [illegible] *antiquit. cap. 4.* Virorum præter alios imbellem, atque promiſcuam turb[illegible] fuerunt [illegible] millia millium, & ſexcenta vig[illegible] duntaxat ex tri[illegible] Iuda, & Beniamin. Quare non modò antiqua ciuitatis ſpatia impleuerunt redeuntes ab exilio Iudæi, ſed etiam ſuburbia proxima, & pagos etiam remotos. Quod apertè docuit Nehemias *cap. 11.* [illegible] eo numero, qui ab exilio rediit, decima tantùm pars habitaſſe traditur in Ieruſalem. Hæc Zacharias ſuprà, ſed aliquid amplius dicit Iſaias hoc loco, qui non tantùm affirmat non ſatis laxa futura antiquis mœnibus definita ſpatia multitudini ciuium, ſed etiam anguſta fore deſerta, & ſolitudines, & terram ruinæ, id eſt, quidquid perierat Iudæis ablatum, aut in ſolitudinem redactum à Chaldæis: illud verò fuit, quod ante Chaldæorum appulſum in terra promiſſionis habitauerunt Iudæi.

Magno numero ab exilio redierunt Iudæi.

68. Quòd verò Iudæi ab exilio reuerſi Babylonico, vltra terminos antiquos non ſolùm duarum tribuum, ſed etiam aliarum decem imperium laxauerint, quaſi deſiuiti priùa termini forent anguſti; colligitur non ſolùm ex aliis prophetis, qui eadem prædixere, ſed etiam è ſacra atque profana hiſtoria. Zacharias *cap. 2. verſ. 9.* eos, qui Iudæorum rempu-

Plura poſſederunt ab exilio reuerſi, quàm antè poſſederant.

C blicam attriuerunt, à Iudæis ſubiugandus ait, *Et erunt præda his qui ſeruiebant ſibi.* Sophonias *cap. 2.* apertè Gazæ, Aſcaloni, Azoto, & funiculo maris, id eſt, tractui maritimo; vbi Tyrus eſt, & Sidon, vaſtitatem minatur. Et ſubiicit, *Et erit funiculus maris requies paſtorum, & caula pecorum. Et erit funiculus eius qui remanſerit de domo Iuda.* Et clariùs Abdias: *Et tranſmigratio exercitus huius filiorum Iſrael, omnia Chananæorum.* (ſupple hæreditabit) *vſque ad Sareptam* (hæc ad Sidonios pertinet) *& tranſmigratio Ieruſalem, quæ ad Boſphorum eſt, poſſidebit ciuitates Auſtri.* (hæ dicuntur alibi *funiculus maris.*) Et concludit Abdias, *Et erit Domino regnum.* Quia Deus præcipua quadam ratione, in regionibus illis ſubiugatis regnaturus ſit.

69. D Secundò id conſtat ex hiſtoriis *2. Machab. cap 5. Iudas declinauit in Azotum terram alienigenarum, & diruit, &c. & cepit ſpolia ciuitatum, & reuerſus eſt in terram Iuda.* Quòd autē tunc alias quoque ciuitates ſubiugauerit, colligitur *ex l. 2. Mac. c. 10.* vbi dicitur cepiſſe Gazarā, quæ Gaza eſt, vt dicit Ioſephus Gorionis filius *li. 3. c. 23.* Et quidem Gazā in Iudæorum poteſtate fuiſſe, docet alter Ioſephus *l. 4. ant. c. 11.* Nā eam cùm aliquot poſt annos rebellaret, recepit Alexander Hircani filius, nepos Simonis Iudæ Machabæi fratris. Iamniam quoque & Ioppen, quæ ad maris funiculum pertinent, captas eſſe conſtat *lib. 2. Machab. cap. 12.* Multas quoque ciuitates habuiſſe Iudæos in Cœleſyria, totoque tractu maritimo docet Egeſippus *lib. 1. cap. 18.* cùm ſcribit illas ereptas eſſe per Pompeium à Iudæis. Pleraque ex his à nobis dicta ſunt ſuper Zachariam, ad illud *cap. 9. Accaron quaſi Iebuſæus.*

70. m m *Et longè fugabuntur, qui abſorbebant te.*] Quàm fugati fuerint, atque abſorpti, qui Ieruſalem longæ obſidionis moleſtiis, & longa fame, gladioque confecere, ſatis docuit Iſaias dum de Cyro victore, Babyloni que clade nuper vaticinatus eſt. Ve[illegible] [illegible] reduiuum templum, & renaſcen[illegible] [illegible] tem

... in vrbe ... morab... ... ...

Adhuc dicent in auribus tuis filij ſterilitatis tuæ, anguſtus eſt mihi ...] ... ſterilitatis ... qui non ſunt ... ... filij ſterilitatis tunc vocantur, quia tunc nati quando Sion de ..., & ſqualid..., vidua ... ... iudicari poterat, ... repentè numeroſa ſoboles ... orta eſt. Sicut Beniamin à matre Rachel dictus eſt *Benoni*, id eſt *filius doloris*, quia tunc illum peperit, quando dolore mortis cruciabatur.

Et dices in corde tuo, quis genuit mihi iſtos? ego ſterilis & non pariens, tranſmigrata, & captiua.] Cùm Sion videret tantam filiorum multitudinem reuerti, quantam numerat Eſdras *lib. 1. cap. 2.* admirabunda clamitura dicitur. Quis auxit me tanta, tamque de improuiſo filiorum turba? qui loquendi modus aliquid indicat magnum, inſperatum, & admirabile. Illud verò, *ego ſterilis, tranſmigrata, & captiua*, valde ſuadet, vt credam ſermonem eſſe de Ieruſalem, quia hæc bellè in illam conueniunt, in Eccleſiam verò nonniſi violenter, atque contortè.

72\. Ecce leuabo ad Gentes manum meam, & ad populos exaltabo ſignum meum: & afferent filios tuos in vlnis.] Modum oſtendit Deus, quo captiuos in ciuitatem reſtituet, ſeu, quod idem eſt, filios gignet Sioni ſterili, ac viduæ: nam per Gentes à Gentibus prædam auferet, quas ſublato ſigno tanquam Imperator ad aciem vocabit: Vocauit verò, vt nuper ab Iſaia didicimus, duce Cyro Perſicum apparatum, & vires, qui ea humanitate ſuſcepit exules, & ea liberalitate complexus eſt, vt filios Sionis, ſicut filios ſuos, in vlnis, ac ſinu reduxiſſe videretur. Vide Eſdram *lib. 1. cap. 6.* vbi latè Cyri edictum proponitur. Quàm ſplendidè, ac molliter Iudæi ab exilio redierint, diximus, *cap. 40.* ad illud *Vox clamantis in deſerto parate viam.* Deſcribitur autem glorioſus Iudæorum reditus ab Iſaia *cap. 66. verſ. 20.* & à Baruch *cap. 5.*

73\. Et erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices tuæ.] Licèt Reges ea in populum contulerint, propter quæ illius nutritij fuiſſe meritò dici potuerint, vt probat Cyri, Dariique liberalitas: quod etiam Reginas eorum vxores feciſſe non eſt creditu difficile: Nihilominus exiſtimo hæc dicta fuiſſe prouerbiali ſpecie, quaſi molliter tractandus ſit ille populus non aliter atque ſi regio ſplenderet luxu, & Regiis accumberet epulis. Qui loquendi modus ſæpe aut vſurpatus, aut indicatus eſt in Scriptura ſacra, atque profana: in qua quod eximium eſt in aliquo genere, regium appellatur. Vt de agro Aſſer *Geneſ. 49. præbebit delicias Regibus*, id eſt, iis, qui lautè, atque delicatè viuunt, qui *Reges* vocantur *Prouerb. cap. vltimo. Noli Regibus ô Lamuel, noli Regibus dare vinum.* Et conuiuium Nabal *quaſi regium* vocatur *1. Reg. 25.* Et infrà in hanc ſententiam plura dicemus ad illud *cap. 60. mamilla Regum lactaberis*, qui locus, huic valde ſimilis eſt. Et apud profanos de eo, qui fortunatus eſt, & iucundè viuit, prouerbialiter dicitur. *Equus me portat, & alit Rex.* Quare hoc dicendi modo indulgentia illa ſignificatur, & abundantia, quam populus poſt exilij ſordes, & ærumnas conſequutus eſt.

Prouerbiũ.

Rex dicitur, qui delicatè, & molliter viuit.

74\. Illud ad extremum obſeruandum, quod pluribus oſtendimus *cap. 3.* ad illud *validum, & fortem*, epitaſim eſſe maximam cùm genus maſculinum cum fœminino coniungitur, vt cùm dicitur *Eccl. 2. Feci mihi cantores, & cantatrices*, id eſt, omne muſicorum genus. Sic hoc loco in *Regibus nutritiis, & Reginis nutricibus*, ſignificatur, varium, & multiplex

A ſtudium, qu... ... ...tuum ordine impenderetur ... populo ... ... ex captiuitatis ſordibus emergenti.

... Vultu in terram ... adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent.] Hæc etiam ... ... & vereor prouerbiali figura dici videntur, ... ait Hugo, qui hoc loquendi modo ſignificari putat obſeruantiam magnam, quæ alteri exhibetur. Qua de re ... pluribus, ad illud *cap. 29. de terra loqueris*, quæ omnino vide. Et quidem vulgò cum de viro qui aliquo nomine, ac titulo eximius eſt, agitur, frequens eſt hæc commendatio, dignus eſt ille cuius veſtigia deoſculemur. Hæc mihi certa ſunt. Sed aliquid hic videre videor natum ex Perſarum

B more, quales fuerunt Cyrus & Darius, qui hic Iudæorum appellantur nutritij, nam apud eos ſeuere cautum erat vt qui cum Regibus loquuturi eſſent, prius exoſcularentur pauimentum regio calcatum veſtigio. De quibus eſt illud Martialis *lib. 10. epigr. 1.*

Quis honor Perſarũ Regibus ...

Et turpes, humiles ... ſupplicesque,

Pictorum ſola baſiate Regum.

Quòd autem Perſarum reges adorari ſint ſoliti proſtratis corporibus, docet Valerius Maximus *lib. 7. cap. 3.* & Herodotus *lib.* ., Plutarchus *in Alcibiade*, & de Cyro tradit Xenophon *lib. 8.* & Arrianus, ... quo Cælius Rodiginus *lib. 2. cap. 33.* Vt ergo propheta ſignificet Iudæos magno in honore futuros apud Perſarum Regem, illud obſeruantiæ genus attribuit, quod ſolis Perſarum Regibus ſolitum eſſet

C impendi, quaſi eodem habendi ſint loco Regum beneficio quo Reges ipſi.

Et ſcies quia ego Dominus, ſuper quo non confundentur qui expectant eum.] Plena deſperationis videbantur illa Sionis verba, cùm dicebat. *Dereliquit me Dominus & oblitus eſt mei.* Quaſi Deum incuſaret, quòd non impleſſet fidem, quam per Ieremiam obligarat *cap. 25. verſ. 11.* dum dixit poſt annos LXX. & ... ſoluendam eſſe captiuitatem, & euertendum Chaldæorum Imperium. Nunc Deus oſtendit, nunc re ipſa explorandum eſſe Sioni ... ... modum promiſſi ... à ſe fuiſſet & ... ... futurum ſit ſpes ... ... locata.

Numquid tolletur à forti præda ... ... hic 77

D vt bene S. Thom. eſt Nabuchodonoſor ... ... Iudæos apud ſe captiuos ... ... bat. Hugo Balthaſarem eſſe putat, & ita re vera ... quia ... vltimus fuit Chaldæorum Rex, & illo extincto extincta quoque fuerunt & Chaldæorum potentia, & Iudæorum exilium. Neque ideo male S. Thom. quia Chaldæorum Regibus commune nomen erat *Nabuchodonoſor*, Et illa verba Iudæis tempore Nabuchodonoſor multum erant in ore. quaſi nunquam futurum exiſtimarent, vt ab ... ... tam potente, præda, id eſt, captiuus populus eriperetur. Apparet autem hic prouerbialis ſpecies, qua ſignificatur difficultas

E in recuperando eo, quod in alterius poteſtatem venit, aut in ſuperanda difficultate, quam auget potentiorum inimica vis. Quale eſt illud tritum, *difficile eſt Herculi extorquere clauam, aut fulmen Ioui.* Non longè abeſt ab hoc prouerbio illud Amos *cap. ... Quomodo ſi eruat paſtor ... ... duo crura &c.*

Eos verò qui iudicauerunt te, ego iudicabo.] *Iudicare* hic aliquid ſeuerius, atque ſuperius ... ... cat vt patet. Qual... ... ... Chaldæi ... ... gauiſi ... erunt Ieruſalem, ... & di... ... ... auerunt. Qui ... vicem reddentium ... dicit Dominus ... ... ab hoſt... ... ... ſuperatum, & qui ... ... cæde, ærumno-

 ſam

ſa [illegible] iſa vt idem ſit poſtea de Chal[illegible] fuerit antè iudicium.

[illegible] *[illegible] carnibus ſuis, & quaſi [illegible]abuntur.* Laborant hoc loco [illegible] & Hugo, dum quærunt quomodo Bab[illegible] ſuas comederint, quo tempore de[illegible] [illegible]is. Dicunt [illegible] hoc tene[illegible] contigiſſe, [illegible] longa obſidione parentes filiorum, aut [illegible] [illegible] ſuorum carnibus paſti fuerint, ſicut accidit Iudæis Romanorum tempore. Hoc [illegible]en accidiſſe Babylonijs non conſtat, licet longam fuiſſe [illegible]bſidionem à Perſ[illegible] prodant externorum hiſt[illegible]. Accidiſſe [illegible] ideo videri potuit, quia Deus [illegible]tarus d[illegible] ur Babylonios eodem ſu[illegible]cin, [illegible] ipſi Iſrael [illegible]as iudicauerunt; ſed Babylonij [illegible] Iſraelitas adduxere, vt vrgente fame filios comederint, quod in obſidione Chaldæorum con[illegible]ſſe dolet Ieremias *Thren. 4. verſ. 10. Manus mulierum miſericordium coxerunt filios ſuos, facti ſunt [illegible] earum in contritione filiæ populi mei.* Sed quominus in hanc ſententiam abeam, facit quòd *Dan.* 5. ea nocte qua Babylon in hoſtium poteſtatem venit, conuiuium fecit Balthaſar grande optimatibus ſuis mille. Quod plane indicat non in eum ſtatum redactam eſſe ciuitatem, vt parentes ex filiorum carnibus, cibos ſibi parauerint. Neque hoc conuiuium in vna peragebatur regis domo, ſed in omnibus priuatim, atque etiam publicè, vt tradit Herodotus [illegible] & Xenophon *lib. 7.* Imò addit Xeno[illegible] propterea illum dicere à Cyro ex omnibus [illegible]ctum, quòd intelligeret Babylonios propter cō[illegible], quæ publicè, priuatimque inſtituebantur, ſomno fatigatos, vino, epuliſque oppreſſos ad vrbis defenſionem imparatos fore.

Proverbii. Mi[illegible] tres expoſitiones aliæ videntur non improbabiles. Prima eſt, diſſectam eſſe ciuitatem in factiones, [illegible] ita vt ciues inter ſe bella agitauerint inteſtina, ſicut Iudæis contigit in extrema ſuæ ciuitatis clade, qui, vt docet Ioſephus non minùs à domeſti[illegible], quàm ab externo hoſte conciſi ſunt. Et hanc [illegible] S. Thom. Et itidem contigiſſe docuimus ad illud *cap. 21. Qui incredulus eſt, infideliter agit.* Cùm autem vehemens eſt odium, explicari ſolet in Scriptura hoc dicendi genere, *vorare, aut comedere carnes alicuius,* aut *bibere ſanguinem.* Quo ſenſu dixit Iſaias *cap. 9.* cùm ageret de inteſtino, atque ciuili Iudæorum odio, *Vnuſquiſque carnem brachij ſui vorabit,* id eſt, cognati ſui. Et Paulus *ad Gal. 5.*

Ad Galat. 5. *Si autem inuicem mordetis, & comeditis, videte ne inuicem conſumamini.*

81\. Secunda explicatio eſt ſumpta (vt reor) ex alia Scripturæ phraſi, quam etiam familiarem habent nationes aliæ, quæ nimium dolorem aut angorem, & deſperationem impotentis animi exprimit his, aut non valde diſſimilibus verbis. Vbi enim quis grauiter aliquo affectu vrgetur, quod interdum accidere ſolet ad inſaniam vſque, dicitur ille doloris [illegible] patiens *comedere carnes ſuas.* In quem ſenſum [illegible]uidam interpretantur illud Iob *cap. 13. verſ. 14.* [illegible] *[illegible] carnes meas dentibus meis?* Quaſi Iob [illegible] [illegible] ſuadent, aut vrgent ad impatien[illegible] [illegible], & vehementi animi com[illegible] [illegible] carnes meas dentibus [illegible]

Ap[illegible] [illegible] *ca. 16. Commanducauerunt linguas* [illegible] Latini dicunt hyper[illegible] [illegible] indignationem [illegible] *mordere labra,* & Græci [illegible] *comedere* [illegible] eodem affectu ſignifi[illegible] [illegible] *[illegible] manus, morderſe*

[illegible] munitiſſimæ. [illegible] accidiſſe Bab[illegible] in extremo ſui ſplendoris [illegible] Quis enim dubitet eos, cùm ab [illegible] ciuitatem putabant, & illis [illegible], atque opibus, quales nulla alia ciuitas aut prouincia toto orbe pararet, maximè inopinato, cùm tota ciuitas libero atque ſecuro, vt putabat, otio, epulis atque aliis intemperantioribus voluptatibus nocturnum tempus impenderat. Quis, inquam, dubitet, eo rerum veſtigio, maximum cepiſſe animo dolorem, damnaſſe intempeſtiuum conuiuium, & importunum luxum, & in omnem angoris, & indignationis ſignificationem erupiſſe; hæc verò maxima eſt quæ carnes ſuas lacerat, aut comedit. Neque ſi id abfuit propriè in Babylonis ruina, ideo defuit ſua prophetiæ fides, nam vt alibi à nobis ſæpe oſtenſum, ſatis eſt vt in eum ſtatum res adducta fuerit Babylonica, in quo hæc fieri ſolita, aut in quo fieri debuerint.

Tertia explicatio eſt petita etiam ex communi modo loquendi, præſertim in Scriptura, in qua afflictio maxima, ea præcipuè, quæ eſt ab hoſtibus qui nimis pertinaciter obſidionem vrgent, hoc aut ſimili loquendi genere explicari ſolet; Cùm enim nihil anguſtius poſſit cogitatione fingi, quàm ſi quis eò redigatur, vt aut ſuas, aut ſuorum carnes comedat, id iam figura prouerbiali ponitur pro ſummis rerum anguſtiis. Et hoc fortaſſe voluit Deus cùm *Deut. 28.* dixit, *Obſideberis intra portas tuas in omni terra tua, quam dabit tibi Dominus Deus tuus, & comedes fructum vteri tui, & carnes filiorum tuorum, & filiarum tuarum.* Licèt enim id aliquando verè contigerit, vt ſub Rege Iſrael Ioram *4. Reg. cap. 6.* ad quem mulier, quæ ex pacto cum alia filium ſuum coxerat, comederatque, accuſationem detulit, quòd altera filium ſuum ex conuento non occidiſſet in eundem vſum. Et in obſidione ſub Nabuchodonoſor *Thren. cap. 4.* fœminæ miſericordes coxiſſe dicuntur filios, & quos enixæ fuerant, rurſus in viſcera condidiſſe. Et aliquid ſimile accidiſſe extremis Iudaicæ reipublicæ temporibus tradit Ioſephus *lib. 6. de bello cap. 21.* Tamen ſicut res aliæ inſignes, admirabiles, & raræ locum fecerunt prouerbus, (cuius rei apud profanos exemplis abundamus. Neque apud ſacros & canonicos deſunt, vt eſt illud de mari ſiccato, de victoria Madian) ſic fortaſſe res iſta admiranda, & horribilis exemplis aliquando confirmata prouerbialem aliquam ſpeciem induxit. Qualis ſine dubio fuit illa Rabſacis *Iſai. cap. 36.* ad Solymitanos, quibus imminebat obſidio. *Vt comedant ſtercora ſua, & bibant vrinam pedum ſuorum.* Sic, reor, hac dicendi figura ſignificatur anguſta aliqua, & grauis obſidio, quæ à Perſarum Rege Chaldæis impendebat. Hæc poſtrema explicatio videtur mihi non aliena: propendet tamen magis animus in duas priores. 82. Proverbii.

VV. Et ſciet omnis caro quia ego Dominus ſaluans te.] Ea erit rerum commutatio, ac viciſſitudo, vt omnes intelligant non ea, quæ hoc vaticinio continentur, humanis peracta fuiſſe conſiliis, ſed auſpice, atque autore Deo, cùm tam facilè, tam ſuo tempore, tam feliciter abſoluta fuerint, quæ ſupra omnes vires, imò ſupra omnem humanam cogitationem videbantur. 83.

Hæc explicatio de captiuitate & reditu Iudæorum mihi videtur ſatis expedita, & primùm legenti obuia; cui plurimùm fauet initium ſequentis capitis, quod ex communi Patrum ſententia de Ieruſalem captiua, & liberata intelligitur, quod 84.

bellè

bellè cum ſuperiori expoſitione conſentit. Atque A ideo in eam ego vehementer ferebar, præſertim cùm ducem haberem S. Thomam, qui omniû maximè hanc ſententiam amplectitur. Adde quòd quæ de captiuis reſtitutis, & Ieruſalem inſtaurata dicuntur hiſtoricè, typicè tamen de Eccleſia capiuntur, vt in principio cap. 4. multorum autoritate probauimus, & hic ſpecialiter Procopius docet ad illud *ſponſas ornari*. Quare hæc explicatio non omnino abhorret à communi. Sed quia video communiter Patres de Eccleſia, ex Gentium multitudine propagata hæc interpretari, ego quoque cum illis pariter ſentio. Atque adeò alteram iam expoſitionem aggrediar de Eccleſia, quam & ego ipſe magis probo, & aliis vehementer commendo.

EXPLICATIO
altera de Eccleſia.

85. ee *Dixit Sion, Dereliquit me Dominus.*] Satis exploratum eſt vel mediocriter verſato in ſacris literis, Sionem, ſeu Ieruſalem Eccleſiæ typum eſſe, atque ideò in Sione tanquam in ſuo hieroglyphico ſymbolo Eccleſiam aut intelligi aut loqui. Hieronymus & Haymo in *Sione* non Eccleſiam totam, ſed eam, quæ Iudæorum fidelium eſt, accipit, & hanc explicationem attemperat. Alij ferme omnes de Eccleſia ſine vlla adiunctione, aut definitione interpretantur, quorum nos ſententiam, & quoad eius fieri poteſt, & litera patietur, C explicationem ſequemur.

86. De Eccleſia eo quo diximus ſenſu, accipiunt ex Patribus Auguſtinus, *de vnitate Eccleſiæ c. 7.* Chryſoſtomus *lib. 1. de prouidentia*. Iuſtinus, Tertullianus. Ex interpretibus, Cyrillus, Procopius, & plerique ex iunioribus. Fuit Eccleſia in primis quaſi incunabulis à potentiſſimis tyrannis variè tentata, & vixdum nata ſæuiente perſequutione in qua Stephanus lapidibus oppreſſus interiit, ſic afflicta vt ex magna fidelium multitudine qui ad Eccleſiam acceſſerant, tantùm in Ieruſalem reliqui fuerint Apoſtoli, aliis aliò dilapſis, *Actor. cap. 8. Facta eſt autem in illa die perſecutio magna in Eccleſia, quæ erat Hieroſolymis, & omnes diſperſi ſunt per regiones Iudææ, & Samariæ, præter Apoſtolos.* D Clamabat itaque Eccleſia ſe cùm primùm videretur lucem aſpicere, à Deo fuiſſe derelictam: & multò magis deinde, cùm ab aliis, atque aliis huius mundi principibus occiderentur Apoſtoli, & martyrum ſanguine vbicumque locorum maderet terra. Huic verò querelæ ſic occurrit Deus.

Eccleſia grauiter in principio afflicta.

87. ff *Numquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum?*] Significat Deus perpetuò ſibi in mente futuram Eccleſiæ cauſam; idque optima ſimilitudine declarat. De cuius explicatione iam ſatis ſuprà à nobis dictum eſt: & adde aliquibus videri deſcriptam in Chriſti manibus eſſe Eccleſiam, quam ipſe tanquam ſponſam nuptiali ritu coëmit, ornauit, ac lauit ſanguine ſuo, de quo Paulus *ad Epheſ. 5. verſ. 25. Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea*, &c. E Dotale verò pretium in manibus ſcripſit, ne ſponſæ memoria vnquam excideret; non atramento, quod aliquando diluitur & vaneſcit, ſed ſanguine, ſed palmarum foraminibus, ſed ſtigmatis, quæ nunquam delebit æternitas. Non calamo, qui leuiter, & in ſumma depingit cute chirographi notas, ſed clauis qui altè imprimunt, & inſculpunt fœderis connubialis monumentum.

Deo Eccleſia quàm chara.

Conſeruat autem Deus illa clauorum veſtigia, id eſt, datum Eccleſiæ dotale chirographum, vt dicere perpetuò poſſit, *In manibus meis deſcripſi te: muri tui coram oculis tuis ſemper.* Cyrillus in Dei manibus eius potentiam deſignari putat; quæ non ſinent Ieruſalem, id eſt, Eccleſiæ muros vllo conuelli tempore. Sed eſt illud iucundum valde, quod idem indicat Eccleſiæ muros, id eſt, fortitudinem & potentiã in inſcriptis Dei manibus, id eſt, clauo tractis eſſe fundatas. *Chriſti paſſio* (inquit) *& pretioſa crux, & manuum ipſius affixio ſecuritas fuit & murus inacceſſus.* Erit ergo animæ dotæ ac pertinaciter ab hoſte iactatæ tutum perfugium in foraminibus petræ illius, & in cauerna maceriæ, id eſt, in eo muro, quem protector noſter Deus contra hoſtes B oppoſuit.

In Chriſti vulneribus perfugium tutum.

hh *Venerunt ſtructores tui; deſtruentes te, & diſſipantes à te exibunt.*] In *deſtruentibus* communiter numerantur illi, qui primùm inſidiati ſunt Chriſtiano nomini; quales fuerunt Phariſæi, & qui principes erant in republica Iudaica, quique illorum partibus ſtudebant aut ſeruiebant, quales fuerunt ex Gentibus Romani, qui tunc erant in Ieruſalem, aut ex Hebræis Paulus acerrimus ante conuerſionem Chriſtianorum perſequutor. Sed non hi tantùm numerandi, qui naſcentem primùm Eccleſiam opprimere aggreſſi ſunt, ſed qui quocumque modo ac tempore illam extinguere, atque obſcurare voluerunt. Quales fuerunt tyranni impij, perfidi Hæretici, ac transfugæ; illi enim exierunt ab Eccleſia, id eſt, receſſerunt longè ab ea veſanda, vel quia infirmata eſt, aut oppreſſa illorum potentia, aut quia ipſi morte mulctati, aut denique quia alio modo tentare aut oppugnare deſierunt. In *ſtructoribus* Apoſtoli intelliguntur aut Apoſtolici viri, quorum eò incumbit maximè ſtudium, vt Eccleſiam ædificent doctrina ſana, & morum ſanctitate. Quare frequens eſt apud Paulum in eo ſenſu ædificationis nomen, 1. *Cor.* 14. *Qui loquitur lingua, ſemetipſum ædificat: qui autem prophetat, Eccleſiam ædificat.* Ait itaque Dominus deſtruentes, aut non futuros, aut certè promoturos parum; venturos tamen qui valde in ædificando promoueant. Auguſtinus *de vnitate Eccleſiæ cap. 7.* hæc de regibus & Imperatoribus accipit, qui Eccleſiam ornarunt, & amplificarunt mirificè, in quam priùs hoſtili odio potentiam, & furorem armarunt. Quia verò ex eis in peccato aliqui morientur, ideo ab Eccleſia illos diſceſſuros dici putat Auguſtinus. Lege hiſtorias ſacras, & Eccleſiaſticos annales, inuenies mutatos principum animos, & viros doctrina inſignes antea oppugnatores Eccleſiæ poſtea incredibili ſtudio ad eam defendendam, & ornandam potentiæ ſuæ neruos omnes & ingenij vires contuliſſe. 88.

Ædificatio quid.

ii *Leua in circuitu oculos tuos, & vide: omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi.*] Deſertam ſe querebatur Eccleſia eo maximè tempore, quo ſæuiente Iudæorum perſequutione dilapſis aliò, atque aliò fidelibus, nuda ferme relicta fuerat Sion; quia tantùm ibi ex omnibus Apoſtoli remanſerant *Actorum cap. 8.* Siue ergo ſermo ſit de illo tempore, ſeu certè de quocumque alio, (nam ſemper Eccleſia propoſita fuit tyrannorum inſaniæ, atque ſæuitiæ; neque vnquam vel à domeſticis vel ab externis non agitata, ab his apertè, & barbarè, ab illis autem licèt occultè, & callidè; multò tamen grauiùs atque nocentiùs.) Huic Deus oſtendit hinc inde à quocumque loco in quem oculos circumferat, properare magnos Gentium concentus, & in eius ſinum tanquam 89.

tanquam

tanquã legitimos filios eſſe cooptandos. Hîc ex omniũ ferme conſenſu ſermo eſt de Gentiũ vocatione, quæ & tunc ex omnibus terræ plagis Eccleſiæ natæ ſunt (nã Apoſtolorum in omnem terrã exiuit ſonus; & inde perceptus Apoſtolici laboris vber prouectus) Et nunc etiam ex incognitis olim, & noſtra ætate primùm exploratis, & apertis regionibus noua quotidie fit acceſſio. De qua poſtea capite ſexageſimo.

90. *Magnũ Eccleſiæ ornamentum filij fideles, ſicut parentibus ingenui filij.*

kk *Viuo ego, dicit Dominus, quia omnibus his velut ornamento veſtieris, & circumdabis tibi eos quaſi ſponſa.*] *Sponſa*, vt diximus, Eccleſia eſt: ſed quo tempore nunc inducitur à propheta, in eo videtur eſſe ſtatu, in quo ſponſa alia, de qua *in lib. Canticorum*, quæ vulnerata à ciuitatis cuſtodibus, detracto pallio, ſponſum quærebat, à quo ſe derelictam arbitrabatur. Vt autem tunc à ſponſo recreata eſt, & Genialibus ornamentis exculta, ſic nunc Eccleſia accepta non minùs durè ab externo hoſte quàm ab his, qui ſe vigiles, & ciuitatis cuſtodes profitebantur, ab ſponſo accipit nuptiales delicias; & in his tot ex Gentilitate filios, à quibus non minùs ornabitur atque ſplendeſcet, quàm ſponſa, cui lautus ac liberalis ſponſus pro mundo muliebri, & nuptiarum inſtructu, omnes delicias, & opes impertitus eſt. Quanto verò ornamento matribus ſint ingenui; & bene morati filij, ſæpe clamat ſcriptura. Et Paulus filios, quos per Euangelium genuerat, coronam ſuam appellat. Notum eſt quid Lacæna fœmina reſponderit Ionicæ, quæ cùm ſibi in luxu, faſtúque ſuo ac filiarum placeret, illa contra filios aduocans ingenuos, pudicos, quíque matris honeſtam educationem vultu præ ſe ferrent, *Hi* (inquit) *ſunt ornamentum meum.*

91. *Vir Apoſtolicus quaſi pronubus Eccleſiæ.*

Hîc obſeruet, & iterum atque iterum apud ſe conſideret vir Apoſtolicus, quid ſibi à Deo negotij datum ſit, cùm miniſterium aggreſſus eſt Apoſtolorum. Illud nempe quod pronubi ac nuptiarum conciliatores, qui id curant maximè vt ſponſa pulcra ſit, & ornata, & illa tandem ſpecie, vt capere poſſit ſponſi oculos, atque animum tenere. Quot ergo animas Eccleſiæ aut recenter adiungit, quod faciunt, qui Euangelicam operam infidelibus nauant, aut eidem conciliant, dum transfugas ad eius ſinum, & vbera reducunt, aut ſanatis moribus dignos peccatores reddunt Eccleſiæ conſortio, tot quærit ornamenta, quibus Eccleſia tanquam gemmis, & monilibus excolatur. Et quidem quo Gentes, & populi magis varij ſunt moribus, aut ſtudiis, magis etiam nitet ſponſæ pulchritudo, quæ in veſtitu deaurato circumdata eſt varietate *Pſalm.* 44. Hinc etiam diſcat & horreat qui ſcandalo aliis eſt, & ab Eccleſiæ ſinu diſtrahit fideles, aut certè malo exemplo, & praua ſuaſione contaminat, quàm grauem iniuriam, & contumeliam irrogat Eccleſiæ, à qua aut pallium detrahit, aut nuptiale decus ſordidat, & lacerat.

Scandalum quàm Deo ingratum.

92. ll *Quia deſerta tua, & ſolitudines tuæ, & terra ruinæ tuæ nunc anguſta erunt præ habitatoribus.*] Hieronymus qui hæc verba tribuit illi Iudæorum parti quæ fidelis fuit, & ſe derelictam dolebat, ſic interpretatur, Anguſtam fore ſynagogam, & regionem à Iudæis priùs habitatam præ multitudine eorum, qui ad veram Sion, id eſt, ad Eccleſiam conuenient ex Gentilitate: Quare laxanda eſſe ſpatia, & habitandum deſertum & ſolitudinem, per quæ Gentium nationes intelliguntur. Simili autem metaphora in eadem omnino materia vſus eſt Zacharias *cap.* 14. in amplificandis, aut Eccleſiæ finibus, aut ſpatiis Ieruſalem, *Et reuertetur* (inquit) *omnis terra vſque ad deſertum de colle Remmon ad Auſtrum*, &c. Vide quæ ibi obſeruauimus. Sed ſi hîc Eccleſia loquatur, illámque ſine coarctatione vlla Deus conſoletur, in hanc ſententiam meo iudicio commodè explicari poteſt. Quia Eccleſia vniuerſalis eſt, in cuius amplificationem Chriſtus ad vltimos vſque terræ fines datus eſt, iuxta illud, de quo nuper, *Dedi te in lucem Gentium, vt ſis ſalus mea vſque ad extremum terræ.* Deſerta omnia, atque ſolitudines, qualis Eccleſiæ comparatione dicetur natio Gentilica, & terra ruinæ, id eſt, quæ ex Iudæa ceciderat, ad Eccleſiam pertinent, quia illi per Euangelium laxanda ſunt tam ampla, ac diſſita terrarum ſpatia. Ait igitur Deus ſpatia illa Eccleſiæ, quæ nunc deſerta ſunt, quia à Gentibus inhabitata, & quæ ruinoſa, quia aut ex illa cecidit pars infidelis Iudæorum, quæ ideo ruiſſe exiſtimari poteſt, quia Eccleſiam complexa non eſt, (quomodo excidiſſe aliquis à poſſeſſione dicitur, quam iure ſibi deberi contendebat, licèt nunquam in ea pedem poſuiſſet; aut certè qui ex fidelibus ab Eccleſia metu perſequutionum, aut aliam ob cauſam defecerunt) ſic eſſe complenda, vt locus, quantumuis laxus, præ fidelium multitudine futurus ſit anguſtus. Qui ſanè ſermo licèt hyperbolicus videri poſſit ſi de Eccleſia loquatur, tamen mirè ſignificat Eccleſiæ, atque Euãgelij fœcunditatẽ.

Quemadmodum ſi in amplo alicuius fundo pars ſit aliqua ſylueſtris, & inculta, cui nihil attulit ad ſpeciem, & vſum ars agricolarum; ſed horret potiùs ſpinis, & denſo, atque inamœno frutice. Illa pars ad fundum pertinet, licèt deſerta videatur, aut quia neglecta à Domino, aut quia ipſa non ita ſe præbet docilem, vt ita loquar, & obſequentem agricolæ. Sic etiam Gentilitas pars quædam erat Eccleſiæ, quia huius hæreditas longè erat, quàm ſynagogæ laxior. Erat tamen pars Eccleſiæ ruinoſa, aut terra ruinæ Eccleſiæ, quia eo loco habebatur, quo ruinoſa, atque deſerta domus, quam replent vrticæ, ac vepres; & vbi ſunt non hominum domicilia, ſed ferarum luſtra. Illam ergo partem excolendam eſſe dicit propheta, & ad illam laxanda Eccleſiæ ſpatia. 93.

mm *Et longè fugabuntur qui abſorbebant te.*] 94.
Quàm fuerint miſerè conciſi, & primi Eccleſiæ perſequutores, putà Herodes Agrippa, & ſynagogæ Principes, aut Zelatores deleta vrbe, & extincta ſynagoga: Et alij deinde Imperatores, qui Eccleſiæ iam adultæ, aut curſum inhibere, aut gloriam obſcurare conati ſunt, cuiuis eſt promptum videre apud autores Eccleſiaſticæ hiſtoriæ. Interim vide Bellarminum *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 17. & noſtra in Zachariam Commentaria ad illud *cap.* 14. *Tabeſcet caro vniuſcuiuſque.*

nn *Adhuc dicent in auribus tuis filij ſterilitatis tuæ, anguſtus eſt mihi locus.*] Sæpe apud hunc prophetam ſterilis vocatur Gentiliũ natio, vt infrà *c.* 54. *Lauda ſterilis quæ non paris.* Quæ eadem appellatur ibidem deſerta. *Quoniam multi filij deſertæ magis quàm eius, quæ habebat virum.* Huic verò Eccleſiæ addendus eſſe quàm ocyſſimè plurimos ex Gentilitate filios, dicit idem propheta *cap.* 66. *Numquid parturiet terra in die vna, aut parietur gens ſimul? quia parturiuit, & peperit Sion filios ſuos*, nempe in Gentilium tractu. Illa igitur terra ſterilitatis Eccleſiæ, id eſt, terra ſterilis dum Gentium ſimulacris ſeruierat, quæ tamen ad Eccleſiam pertinebat, iam iam è cœleſti ſatu, fœcundata numeroſo partu, clamabit ſibi non ſatis eſſe loci ad habitandum. 95.

oo *Et dices in corde tuo, Quis mihi genuit iſtos?* 96.

Ego

Ingenua Eccleſiæ proles.

Ego ſterilis & non pariens, transſmigrata, & captiua, & iſtos quis enutriuit?] Fuit olim Eccleſia, & eo præſertim tempore, quod hic intuebatur Iſaias, ſic agitata, atque concuſſa tyrannorum potentia, vt ſtatum habere videretur non diſſimilem illi, quem habuit Sion, id eſt, gens Solymitana apud Babylonios captiua: quo tempore meritò ſterilis vocari potuit, quia filij, ſi quos in tranſmigratione ſuſceperat, vtpote inter Gentes nati, quas iam inde à multis ſæculis impia imbuerat, ac fœdarat religio, ipſi quoque Gentilium ſordibus inquinabantur. Eccleſia ergo eo vexata modo dici poterat ſterilis, tranſmigrata, & captiua, quia hæc omnia ſtatum deſignaut eius, quæ ſub potentiorum imperio dura aliqua, atque ineluctabili ſeruitute premitur. Miratur itaque Eccleſia, cùm in eo ſtatu tot filios repentè ſuccreuiſſe videat, neque languidos, aut ſordidos, quales captiuæ, & tranſmigratæ matris eſſe oportebat; ſed nitoris eximij, ſucci plenos, & qui in delicijs, & libertate nutriti videantur. Atque ideo clamat admirabunda; Vnde mihi tanta filiorum ſylua? Quis illos mihi tam molliter enutriuit? Quis tam laute, ac liberaliter excoluit?

97. ¶ ¶ *Ecce leuabo ad gentes manum meam: & ad populos exaltabo ſignum meum*]. Oſtendit Deus vndenam tot Eccleſiæ filij, tam elegantes, & lauti; docétque id fuiſſe ſibi curæ dum ſignum eleuat, & quaſi ſummus Imperator populos ad ſua vocat caſtra. Manus autem Domini, qua populos euocat, Apoſtoli ſunt, aut Apoſtolici miniſterij ſectatores, qui tanti operis inſtrumenta ſunt: ſicut manus quæ omnium propè rerum, quæ arte atque ingenio fiunt, artifices ſunt, aut certe artificum adminiſtræ. Reges autem, vt eſt in prouerbio, longas habent manus, quia Regij miniſtri Regibus pro manibus ſunt, qui illorum cogitationi, aut imperio ſeruiunt. Niſi malis cum Hieronymo dicere, ideo tam facilè tot Gentium cœtus ad Eccleſiam aggregatos, quia Dominus tanquam artifex ſummus manum ſuam omnipotentem admouit, cui nihil eſt non ſuperabile. Signum verò crux Chriſti fuit quam vbi Deus exaltauit, aut in ea Chriſtus exaltatus eſt, innumeros ad ſe populos aſciuit, & ſub ſigno non inuitos habuit, iuxta illud *Ioan. cap. 12. verſ. 32. Ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum*. Quod etiam infrà *cap. 53. verſ. 8.* dicit Iſaias: *Generationem eius quis enarrabit? quia abſciſſus eſt de terra viuentium*. De Chriſti cruce accipiunt hunc locum Hieronymus, Cyrillus, Haymo, & complures alij. Vtitur autem hîc Deus caſtrenſi metaphora, ſéque ſimilem facit Imperatori, qui eleuato ſigno, ſeu vexillo, delectus habet militares.

98. Lex antiqua, & Gentium religio dura.

¶ ¶. ¶ ¶ *Et afferent filios tuos in vlnis, & filias tuas ſuper humeros portabũt, & erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices tuæ.*] Antiqua lex adeò grauis erat, vt iam multis videretur intolerabilis, de qua *Actor. cap. 15.* Petrus; *Quid tentatis Deum, imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum, quod neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus*. Gentilium præterea nonnullis ſic erat à Dæmone impoſita ſacrificiorum, & aliarum cæremoniarum lex, vt nullo modo ipſis videretur tolerari poſſe: Cui rei ſatis argumento eſt, quod de Moloch, & Beelphegor Sacræ indicant litteræ, quibus per ſummum cruciatum offerebantur filij, neque flere in filiorum eiulatu parentibus per nefariam illam religionem licebat. Sanè regiones ætate noſtra ab Hiſpanis apertæ ſic ferreo Dæmonum iugo durè premebantur, vt de illo abiiciendo etiam ante inuectam Euangelij lucem ſæpe cogitationem ſuſceperint. Eam rationem nunc videtur inſinuare Deus in hac tanta multitudine, tam facilè, & tam libenter aggregata: quia legem accipient, non Iudaicam, quæ primùm imbuit ſectatores ſuos circumciſionis ſanguine, & deinde onerat, ſeu veriùs opprimit infinitorum pondere mandatorum; non Gentilicam quæ duram inducit rerum importabilium neceſſitatem; ſed legem Euangelicam, quæ ſic eſt ſuauis, vt non tam portari à ſuis cultoribus, quàm ipſa contra cultores ſuos portare, atque indulgenter fouere videatur. Illud autem eſt Eccleſiæ filios, & filias in vlnis & ſuper humeros portari. In hanc penè ſententiam explicat Cyrillus qui ait, *in humeris portari*, eſſe habere fidelem, complanatam, & expeditam Euangelij viam, iuxta illud, de quo nuper: *Et ponam omnes montes meos in viam, & ſemitæ meæ exaltabuntur*. Quo ſenſu filij Iſrael per deſertum in humeris Dei portati dicuntur *Deut. 32.* quia illis in eo curſu ſublata ſunt viarum impedimenta.

¶ ¶ *Erunt Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices tuæ.*] Quid ſit à Regibus atque Reginis nutriri, explicauimus nuper in altera expoſitione, neque quicquam mutamus. Addimus tamen, in Eccleſia aliam quoque inueniri rationem; quia licèt illi teneræ adhuc, & infanti infeſti fuerint Reges, & Principes, ſed poſtea à tempore Conſtantini ſic amplexi ſunt Chriſtianam religionem, ſic ornarunt muneribus, vt de nulla alia re laborare, aut cogitare exiſtimari potuerint. Aut certè quòd putat Cyrillus, ſic Reges, aut Domini Chriſtianos accipient, fouebúntque, aut propter ſtudium pietatis, aut quia illorum modeſtia, & ſanctitate capientur, vt apud eos filiorum, aut alumnorum inſtar obtineant. Hieronymus, & Haymo, *Reges* Apoſtolos eſſe cenſent, qui Eccleſiæ principes, & nutritij fuerunt. 99. Lex Euangelica ſuauis.

Quod attinet ad geminationem illam filiorum, & filiarum, cùm dicitur, *Afferent filios tuos in vlnis, & filias tuas ſuper humeros*, & Regum, & Reginarum, qui nutritij vocantur & nutrices, non exiſtimo laborandum, cur filij in vlnis, & filiæ ſuper humeros dicantur eſſe geſtandæ. Aut quærendum an ſicut Reges Chriſtianam cauſam amplexi ſunt, promouerúntque, ſic etiam idipſum Reginæ præſtiterint, quamuis id ita accidiſſe veriſimile ſit, vt de Helena Conſtantini matre produnt Hiſtoriæ. Puto enim in hac coniunctione generis maſculini, atque fœminei epitaſim eſſe, quæ aut ſtudium ingens, aut vniuerſitatem quandam importat; vt ſuprà obſeruauimus in alia huius loci explicatione; in *filiis* enim, & *filiabus* omnes fideles intelliguntur, ſicut infrà *cap. 60. Filij tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere ſurgent*, id eſt, magna vndique ad te multitudo concurret, quia in animali omnia ſub maſculino, & fœmineo ſexu continentur. In Regibus autem, & Reginis ſignificatur magnum futurum potentiorum omnium in Chriſtiani nominis amplificationem, ſtudium, & contentionem. 100. Regula. In genere maſculino, & fœmineo vniuerſitas intelligitur.

¶ ¶ *Vultu in terram demiſſo adorabunt te.*] Quemadmodum Reges ſupplices Chriſtum Deum agnouerint, Eccleſiæque puluerem exoſculati fuerint ore prono, in eiúſque miniſteria ſacra vaſa, aliáque pretioſa inſtrumenta contulerint, Eccleſiaſtici tradunt annales. Et nos nonnihil diximus ad illud *Zachar. c. 14. Et congregabuntur diuitiæ omnium Gentium.* 101.

¶ ¶ *Et ſcies quia ego Dominus, ſuper quo non confundentur qui expectant eum.*] Magnum ſanè potentiæ ſuæ, atque diuinitatis argumentum præbuit Dominus, quando ita mutauit hominum potentiorum animos, vt & Chriſtianis, qui diuerſam, ſuæque ſectæ contrariam religionem ſequebantur, fauerent, 102.

uerent; & illam ipſi quoque aliquando complexi fuerint. Nempe quia *cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit inclinabit illud. Prouerb. cap. 21. v. 1.* Ex hac ergo Regij animi incliuatione, molli que, ac ſuaui ad Eccleſiam via, docet Deus exploratum iri Sioni, id eſt Eccleſiæ, aut animæ fideli nihil eſſe à Dei fidelitate deſperandum, cùm ſpes in Deum nemini confuſionem afferat.

103. Chriſtus à ſeruitute liberat Dæmonis, & vitiorum.

11 *Numquid tolletur à forti præda?*] Gigantæi animi eſt è leonis faucibus prædam extorquere, quod de ſe tanquam rarum aliquod inauditæ fortitudinis exemplum prædicauit Dauid 1. *Reg cap. 17. verſ. 35.* Et Amos opus eſſe docet difficile, audacíſque ac temerarij animi *cap. 3. verſ. 12. Quo modo ſi eruat paſtor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ, ſic eruentur filij Iſrael, qui habitant in Samaria.* id eſt, nullo modo eruentur. Quare qui prædam in ore contẽplaretur leonis, meritò dubitare poſſit an quiſquam futurus eſſet tam audax, qui tentare, aut tam fortunatus, & potens, qui valeret prædam illam eripere. Tenebantur animæ, quas Dominus ex Gentium errore ad Eccleſiam traduxit, quaſi præda à prædatore robuſto, voluptatibus nempe, quæ licèt blandè, ac molliter, miſerè tamen dominantur, & capiuntur ab ambitione & auaritia ſæuiſſimis belluis, quibus nemo ferme eſt qui non ſe lacerandum, & deuorandum præbeat: à Dæmone tandem potentiſſimo tenebrarum principe, qui & minis terrere, & promiſſis capere, & falſis rerum imaginibus illudere conſueuiſſet. Quis ergo ab his prædatoribus tam callidis, tam fortibus, tam antiquam, & penè propriam prædam è faucibus extraheret? Hoc tamen quod neque cogitaret, aut tentaret humana ratio, atque ſolertia, perfecturum ſe promiſit Deus, qui mundum iudicauit in cruce moriens, & eius principem eiecit foras *Ioan. cap. 12. Nunc iudicium eſt mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras: & ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum.*

104. 22 *Eos verò qui iudicauerunt te ego iudicabo: & filios tuos ego ſaluabo.*] Iudicarunt, id eſt, certarunt cum iis, qui Chriſtiana ſacra ſuſceperunt principes terræ,

A & quantum ſibi in Chriſtianorum ignominiam, & carnificinam libuit, id totum furori ſuo permiſerunt. Sed quàm pro ſuorum gloria, atque incolumitate vigilarit Deus, quàm ſeuerè impios, & truculentos mulctauerit tyrannos, & quo modo illi miſerè atque ignominioſè ceciderint, pleni ſunt Eccleſiaſtici annales, plenæ externorum hiſtoriæ, qui etiam inuiti, Chriſtianam tamen cauſam tuentur, & commendant.

22 *Cibabo hoſtes tuos carnibus ſuis, & quaſi muſto ſanguine ſuo inebriabuntur.*] Hoc eſt iudicium illorum, qui fideles opprimere, & naſcentem Eccleſiam extinguere conati ſunt. Paſti enim fuere carnibus ſuis, & ſanguine item ſuo inebriati, vel quia mutua 105. Hoſtes Eccleſiæ mutuò ſe conficiũt gladio.

B inter ſe exercuerunt odia, quæ priùs in Eccleſiam imbiberant, & ferrum Chriſtianorum imbutum ſanguine in cognata, & eodem conſpirantia viſcera diſtrinxere. Fecit Deus hoc ſæpe, vt ſui populi hoſtes, quo tempore maiori animorum æſtu, & armorum apparatu ad cædem ferebantur, conuerſo in ſeipſos ferro à ſeipſis reporterent pœnas illatæ aut interãtæ cladis. Teſtes fuere ſub Gedeone Madianitæ *Iudic. 7. verſ. 23. Miſitque Dominus gladium in omnibus caſtris, & mutua ſe cæde truncabant.* Teſtes Philiſtiim, de quibus 1. *Reg. 14. verſ. 20. Verſus fuerat gladius vniuſcuiuſque ad proximum ſuum, & cædes magna nimis.* Teſtes filij Moab, & Ammon, qui cùm bellum molirentur contra Regem Ioſaphat, ſuis ſe gladiis confecere 2. *Paral. c. 20. v. 23. In ſemet-*

C *ipſos verſi mutuis concidere vulneribus.* Hoc ipſum paſſi ſunt plurimi ex his, qui multis pòſt ſæculis in Eccleſiam bacchati ſunt, neque leuiori odio, neque minori armorum apparatu. Quomodo in ſeipſos ſæuierint, qui priùs in Eccleſiam, vt Nero, Diocletianus, Maximinus, Iulianus, docent etiam ſcriptores externi. Vide Bellarminum *tom. 1. lib. 4. cap. 17.*

Hæc poſterior explicatio mihi probatur magis, quæ de Eccleſia locũ iſtum exponit. Licèt in priorem vehementer inclinem, quæ iſta hiſtoricè de captiuo, liberatóque Iudæorum populo, typicè verò de Eccleſia inſtituta, atque amplificata interpretatur. *Hæc de capite quadrageſimo nono.*

Argumentum quinquageſimi capitis Iſaiæ.

OSTENDIT *in principio Chriſtus facile ſibi eſſe Iudæos, vel à Babylonica captiuitate, vel à diaboli ſeruitute vindicare; cùm neque facultas deſit, neque ratio vlla, ſeu iura prohibeant. De facultate probat, quia à Deo linguam accepit eruditam ad perſuadendum, & eam conſtantiam, vt nullo propoſito honoris, vitæque diſcrimine deterreatur ab incepto, qua in re ſuperiorem ſe docet eſſe Moyſi, qui impedita lingua fuit, & ſæpe datum ſibi à Domino negotium declinare voluit. Quòd verò nulla lex ab vtraque ſeruitute tam Babylonica, quàm ſpirituali populum euocare prohibeat, duabus ſimilitudinibus aptiſſimè declarat. Altera à marito ſumpta, qui cum libello repudij dimiſit vxorem; altera à parente, qui accepto pretio filios ſuos alteri mancipio dedit. Deinde quia in redimendo humano genere cum acerbo dolore grauis erat ignominia ſubeunda, oſtendit auxiliante Deo, nihil ſibi in eo rerum conflictu futurum eſſe rubori. Suo denique exemplo hortatur homines, vt in Deo confidant, neque eo auctore quicquam ſibi metuant aduerſi. Quod quia Iudæi facturi non ſunt, graue illis minatur, atque æternum ſupplicium. Porrò quia à principio, ad verſum vſque quartum de ſeruitute tam Babylonica, quàm ſpirituali intelligi vaticinium poteſt; duplicem explicationem adhibuimus. Quod à verſu quarto ad finem capitis neceſſarium non fuit, quia ibi de tempore Euangelij ſpiritualique libertate manifeſtè loquitur prophetia.*

IN CAP.

CAPVT L.

1 *HÆc dicit Dominus.* [a] *Quis eſt hic liber repudij matris veſtræ, quo dimiſi eam?* [b] *aut quis eſt creditor meus, cui vendidi vos?* [c] *Ecce in iniquitatibus veſtris venditi eſtis, & in ſceleribus veſtris dimiſi matrem veſtram.*

2 [d] *Quia veni, & non erat vir: vocaui, & non erat qui audiret.*

3 [e] *Numquid abbreuiata & paruula facta eſt manus mea, vt non poſſim redimere? aut non eſt in me virtus ad liberandum?* [f] *Ecce, in increpatione mea deſertum faciam mare, ponam flumina in ſiccum. Computreſcent piſces ſine aqua, & morientur in ſiti.*

4 [g] *Induam cœlos tenebris, & ſaccum ponam operimentum eorum.*

5 [h] *Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt ſciam ſuſtentare eum, qui laſſus eſt verbo.* [i] *Erigit manè, manè erigit mihi aurem, vt audiam quaſi magiſtrum.*

6 *Dominus Deus aperuit mihi aurem,* [k] *ego autem non contradico, retrorſum non abij.*

7 [l] *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus.* [m] *Faciem meam non auerti ab increpantibus, & conſpuentibus in me.*

8 *Dominus Deus auxiliator meus, ideo non ſum confuſus.* [n] *Ideo poſui faciem meam, vt petram duriſſimam, & ſcio quoniam non confundar.*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 LIBERTATEM vobis, ô Iudæi, tam à Babylonica, quàm ab alia maiori ſeruitute promiſi, quam quominus præſtare poſſim, neque facultas deficit, neque lex vlla prohibet. Nam neque matri veſtræ libellum repudij tradidi, qui illam à viro iterum admitti vetat, neque vos alijs accepto pretio mancipio dedi: alioqui libellum repudij coràm, aut creditorem oſtendite. Non igitur ego aut ſponſam repudiaui, aut vendidi filios, ſed ipſi vltrò dum peccatis ſe dedunt intemperanter, in aliorum poteſtatem ſe tradiderunt.

2 Hoc vos crudelium dominorum ſeruituti alligauit, quia cùm ad vos venirem, nullus ex vobis fuit, qui occurreret vltrò, imò repertus eſt nemo, qui vocatus adeſſet, aut ad vocem meam aures aduerteret.

3 Numquid exigua mihi eſt, aut debilis manus, ne poſſim afflictos, & oppreſſos ſeruare? aut ad captiuorum laxanda vincula vires infirmæ? En ego talia edam meæ potentiæ documenta in tuo reditu: qualia olim parentum tuorum memoria in egreſſu de Ægypto. Dudum enim mare mandato meo ſeuero, & graui, & fluminis alueum areſaciam, & in arenti abyſſo deficientibus aquis interibunt piſces, atque putreſcent.

4 Efficiam vt cœlum ſit nebuloſum, & triſte, illúdque tenebris obducam craſſis, non ſecus atque ſi quis in luctu ſacco ſe operiat cilicino.

5 Data mihi ſunt à Deo quæ ad hominum libertatem, & redemptionis negotium maximum habent, & neceſſarium vſum. Primùm ſoluta, & erudita lingua, qua languentes, ac deſperatos animos excitem, & confirmem ad ſpem ſalutis, & libertatis opus; erudiuit autem me Deus in ipſo diei exordio ſummo mane antelucana doctrina; qui eam mihi mentem dedit, vt ipſum in omnibus magiſtrum habeam.

6 Dominus Deus docuit me, edixítque quid à me præſtari vellet. Ego autem illius mandatum graue licèt, atque arduum libens ſuſcipio, neque propoſito vitæ diſcrimine, durum illud certamen detrectaui; aut retrorſum refugi.

7 Imò vltrò corpus meum percutiendum obtuli, & genas euulſis pilis, & detracto naturali veſtitu deturpandas. Quòd ſi quis verborum conuitio, aut ſputis violare, aut temerare faciem aggrederetur, illam neque ab ignominia verborum, neque à ſputorum ſordibus auerti.

8 Dominus Deus mihi ſemper aſtitit in illo plagarum, conuitiorúmque conflictu: quare neque fractus ſum in illa dolorum carnificina, neque confuſus, vbi tot ingruunt confuſionis cauſæ. Poſui igitur faciem meam ſicut ſaxum, quod in medio mari verberant fluctus, non tamen labefactant,

beſa˜ctāt,aut commouent : certus,quòd auxiliante Deo, nullam mihi confuſionem afferat dolor, aut ignominia.

9 Adeſt mihi, qui cauſam ſuſcipit defenſionis meæ, quique me iuſtum contra inimicorum calumnias,atque ludibria declarauit. Quis ergo obuium ſe mihi, atque aduerſatium offeret? quis ſceleris arguet? prodeat nunc in medium, ad iudicij ſeuerum examen veniamus. Qui aduerſum quicquam, aut molitur, aut cogitat: age accedat ad me,& quantum contra me valeat experiatur.

10 Ecce ſuo me præſidio tegit, atque communit Deus, quis ergo erit, qui ſceleris me conuincat,aut arguat? Quotquot de me aliquid iniquum cogitabunt, aut inurere nomini meo volent infamiæ notam, næ illi ita tabeſcent, & deficient,ſicut veſtimentum, quod tinea rodit, atque conſumit.

11 Ergo,qui Deum timet,eiúſque ſerui Chriſti vocem audit, & conſilium amplectitur: ſi in tenebris agat, & ſordibus, illúdque amplectatur viuendi genus, quod hominum ludibrio, atque iniuriis expoſitum eſt,ſperet in Domino, & illius auxilio innixus, nihil ab impiorum conſiliis experietur aduerſum.

12 Sed ecce vos omnes, ô Iudæi, vobis ipſis ruinam, & exitium aſtruitis, flammam enim accenditis,à qua circumfuſi non video quid ſperare poſſitis præter incendium. Eritis igitur in æterna caligine, & in flammis ad vrendum vehementiſſimis: quas vos ipſi veſtrorum ſcelerum vltrices accendiſtis. Numquid hæc mala,quibus eſtis conſumpti,aut ignis, cuius flammæ circumfundunt vos, à manu mea ſunt? & non potiùs ſtudio veſtro atque opera in veſtram perniciem comparata? in illis vobis ſternetur durus in ſempiternum lectulus?

9 [o] *Iuxtà eſt qui iuſtificat me: quis contradicet mihi? ſtemus ſimul, quis eſt aduerſarius meus? accedat ad me.*

10 *Ecce Dominus Deus auxiliator meus: quis eſt qui condemnet me?* [p] *Ecce omnes quaſi veſtimentum conterentur, tinea comedet eos.*

11 [q] *Quis ex vobis timens Dominum, audiens vocem ſerui ſui, qui ambulauit in tenebris, & non* [r] *eſt lumen ei? ſperet in nomine Domini,& innitatur ſuper Deum ſuum.*

12 [s] *Ecce vos omnes accendentes ignem accincti flammis:* [t] *ambulate in lumine ignis veſtri, & in flammis, quas ſuccendiſtis: de manu mea factum eſt hoc vobis, in doloribus dormietis.*

IN CAPVT QVINQVAGESIMVM COMMENTARIVS.

1. QVIS *eſt hic liber repudij matris veſtræ, quo dimiſi eam? aut quis eſt creditor meus cui vendidi vos?*] Cùm de Synagoga communi ferme autorum conſenſu ſermo ſit, eſt tamen inter eos de ſtatu Synagogæ, quem hoc ſpectat vaticinium, non leue diſſidium. Id eſt,an hîc loquatur propheta de ſynagoga repudiata ſuffectis eius loco Gentilibus, vel de Iudæis ad Babylonios relegatis:id eſt,an de captiuitate ſpirituali,vel corporali Iudæorum.De corporali putat Hieronymus,Haymo,S. Thom. Hugo:de ſpirituali Cyrillus, Procopius,Dionyſius,Adamus,Euſebius, *lib.2 demonſt.cap.*34.Quò etiam inclinant ſæpe Patres,Auguſtinus,*ſerm.* 47. *&* 106.*de tempore.* Ambroſius,*lib.*8.*in Lucam c.*1. Res ſanè dubia: quare quod in poſteriori parte præcedentis capitis feci,vt in vtramque ſententiam explicarem locũ illũm ambiguum,ſic etiam nunc mihi idem faciendũm cenſeo: & primùm de captiuitate apud Babylonios.

PRIOR EXPOSITIO de captiuitate Babylonica.

[a] QVis *eſt hic liber repudij matris veſtræ, quo dimiſi eam?*] In ſuperioris capitis extrema parte oſtenderat Deus iuxta priorem explicationem 2.
captiuum

captiuum populum ex Babylonica ſeruitute fore redimendum. Nunc id ipſum poſſe fieri docet à cauſa tam morali, quàm phyſica, vt humano loquar modo, partim remouendo id, quod moraliter, ſeu legitimè impedimento eſſe poterat, partim admonendo id, quod ad libertatem potentiſſimum eſt. Et primùm quod ad moralem, & legitimam cauſam ſpectat, ſimilitudinem ſumit ab antiqua Hebræorum conſuetudine, quibus libellus repudij permiſſus eſt. *Deut. cap.* 24 Cuius verba pro huius loci expoſitione diligenter obſeruanda ſunt. *Si acceperit homo vxorem, & habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem, ſcribet libellum repudij, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo ſua. Cúmque egreſſa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, dederítque ei libellum repudij, & dimiſerit de domo ſua, vel certe mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in vxorem.* Eius libelli formulam, qua nunc vtuntur Iudæi deſumptam ex libro præceptorũ Rabbi Moſis de Cozi, tradit Sixtus Senenſis *lib.* 2. *Bibliotheca, titulo, repudij humani libellus.*

Deut. 24.

Libellus repudij.

3. Libelli formula.

In ſexta ſabbati, in duodecima menſis Adar anno à creatione mundi quinquies milleſimo trecenteſimo ſexto, in vrbe Cremona iuxta flumium Padum in Italia. Ego Samuel Carmiu, filius Rabbi Daniel Sapharadi, ſpontaneè, & ex animo, ac citra vllam coactionem dimitto à me Rachel filiam Rabbi Ezra Panzol, & concedo ei licentiam, & poteſtatem, vt ad arbitrium ſuum abeat quocumque ei viſum fuerit, ducique poſſit ab omni viro, neque eam quiſquam prohibere præſumat. In cuius rei teſtimonium dedi ei hunc libellum repudij, & ſchedam dimiſſionis, atque ſignaculum diuortij iuxta conſtitutionem Moyſis, & Iſrael, Præſentibus teſtibus infra ſcriptis. Mardochas, Gabirol, Elia Chaphet, Manuel Pandin.

4. Conditiones libelli.

Maldonatus *in cap.* 19. *Matth. verſ.* 8. decem aſſignat conditiones, quas ex Hebræorum ſententia legitima repudij forma deſiderat. Prima, vt in ea vxori abire quò velit liberum eſſe ſignificetur. Secunda, vt libellus daretur in vxoris manum. Tertia, vt ſcriberentur ſaltem nomina duorum teſtium. Quarta, vt tam viri quàm vxoris aſcriberentur tres generationes. Quinta, vt literæ eſſent rotundæ, diſtinctæ, neque in compendium redactæ, neque inter ſe connexæ. Sexta, vt quæcumque atramenti guttula aſperſa chartæ libello autoritatem adimat. Septima, vt in libello nihil aut raſum, aut oblituratum appareat, vt omnis abſit vitij ſuſpicio. Octaua, vt charta magis eſſet longa, quàm lata. Nona, vt teſtes ſuo ſigillo ac manu chartam obſignarent. Decima, vt vir ad extremum diceret, accipe libellum repudij, & eſto à me abiecta. Forma verò quam ex Hebræorum traditionibus adducit Maldonatus, non valde diuerſa eſt ab ea, quam nuper expreſſimus à Sixto Senenſi. De forma autem quam ex præſcripto Moyſis olim ſeruauerunt Iudæi, vt bene obſeruauit Abul. *tom.* 5. *in Matth. cap.* 19. *quæſt.* 58. nihil conſtat. An verò per libellum repudij ſolutum ſit matrimonium, vel, an licitè ea ratione vxor à viro dimitti poſſit, & an plures ſint cauſæ, propter quas abire permittatur, diſputant Theologi. Ego verò id tantùm afferam, quod mearum eſt partium, & quod ad loci explicationem neceſſarium exiſtimo. Vide interim Bellarminum *tom.* 2. *lib.* 1. *de Sacramento matrimon. cap.* 17. Maldonatum, *in cap.* 19. *Matth.* S. Thom. *in additionibus ad* 3. *part. quæſt.* 67. *art.* 3.

5. Ex lege data *Deuteron.* 24. duo colligo, alterum, vxorem dimitti non poſſe niſi legitima, atque ſolemni forma, dato nempe libello repudij, ſiue diuortij, quem accipiebat vxor, vt publico teſtimonio ac fide probaret ſeſe iam eſſe ſolutam à priori viro. Alterum, vxorem repudiatam, ſi alteri nupſiſſet, & ab illo eſſet repudiata, vel illo defuncto vidua eſſet relicta, à priori viro rurſus admitti non poſſe. Hanc ego cauſam moralem appello, ſeu impedimentum morale, quo dimiſſa mulier à viro ad coniugij ſocietatem, & fidem reuocari non poſſit. Hanc ergo cauſam remouet Deus, dum ait, nunquam à ſe dimiſſam aut repudiatam matrem Iudæorum, id eſt, rempublicam aut Gentem, quæ apud Babylonios tenebatur captiua, & illis quodammodo nupſiſſe videbatur; ita vt nefas ſit illam iterum ad legitimum connubium admitti. Nam licèt idola Gentium coluerit, & ideo videatur prodita coniugali fide aliorum libidini ſuccubuiſſe, id fecit potiùs vt adultera prodita coniugali fide, quàm vt dimiſſa iam, & repudiata: id verò probat, quia oſtendi non poteſt libellus repudij; ſine quo legitimè, ac verè fieri non poterat coniugum diuortium. Quare hinc nullum impedimentum eſt, quominus reuocari poſſit ad antiquam fidem, & torum infidelis vxor. Nam licèt dimiſſa ſit à thalamo, id eſt, à templo, & ciuitate ſancta, non tamen publica, & legitima forma, quæ aditum præcludit remigrare volenti. Ita videtur indicare Paulus in hunc credo locum intentus *ad Rom.* 11. *Numquid Deus repulit populum ſuum? Abſit, nam & ego Iſraelita ſum ex ſemine Abraham de tribu Beniamin.* A ſeipſo argumentum ſumit Paulus, vt probet populum a Deo repulſum non eſſe, dato nimirum libello repudij. Quia cùm ipſe ex eodem genere natus ſit, a Deo tamen vocatus, & admiſſus eſt. Et Deus ipſe Gentem illam ſub ſponſæ allegoria à ſe relictam ad antiquam ſocietatem, & locum verbis vocat molliſſimis. *Ierem.* 3. *Vulgò dicitur ſi dimiſerit vir vxorem ſuam, & recedens ab eo duxerit virum alterum, numquid reuertetur ad eam vltra? &c. tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me dicit Dominus.* Fornicatam dicitur cum amatoribus multis, non cum viro altero legitimum habuiſſe concubitum. Atque ideo ſignificat non fuiſſe datum repudij libellum: & illam ad ſe redire iubet.

Synagoga quomodo non repudiata à Deo.

Ad Rom. 11.

Hanc credo repudij legem Hebræis fuiſſe olim prouerbialem, qua ſignificarent perpetuum diſſidium, aut ſocietatem aliqua occaſione aut offenſione ſic eſſe diſciſſam, vt nulla ſpes ſit poſtea inſtauratum iri. Id enim indicat illud *Ierem.* 3. *Vulgò dicitur.* Quod Hebræi, coruí ab arca dimiſſione ſignificant. Item Hiſpani, qui ab eadem hiſtoria dicunt *la ida del cueruo.* Sic vxor legitime repudiata prouerbialiter ponitur pro eo, qui nunquam reuertetur eò vnde repulſus eſt.

6. Prouerbiũ.

Licèt hoc argumento Dominus vtatur, vt probet nondum Iudæis à patria relegatis, & quaſi à Deo dimiſſis, repulsíſque à templo (quod thalamum appellat Moyſes *cap.* 33. *Deut verſ.* 12. in benedictione Beniamin) interclusum eſſe reditum ad templum, & libertatem: tamen ea eſt diuini pectoris benignitas, id noſtræ ſalutis ſtudium, vt repudiatos quoque quaſi per publicum, & legitimum libellum, ad torum tamen inuitet, & amplexum. Neque enim ſibi cum hominibus communem eſſe vult illam repudij legem. Docet id eodem capite Ieremias. Nam cùm Iſraeli, id eſt, decem tribubus, quæ ad idolorum thalamum dilapſæ datam ſanctè, ac legitimè ſponſo fidem violarant, libellum de-

7. Deus repudiatos etiã vocat.

diſſet repudij; poſtea tamen oratione quàm molliſſima ad ſe reuocat, & ad gratiam, & torum, à quo priùs exciderat, rurſus inuitat. Nam cùm dixiſſet *cap. 3. verſ. 8. Pro eo quod mœchata eſſet auerſatrix Iſrael, dimiſiſſem eam, & dediſſem ei libellum repudy,* &c. deinde ſubdit *verſ. 12. Vade, & clama ſermones iſtos contra Aquilonem, & dices, Reuertere auerſatrix Iſrael, ait Dominus, & non auertam faciem meam à vobis.* Sed eſt ſane valde timendus libellus iſte repudij, quem Deus ſæpius offenſus porrigere ſolet infideli atque inuerecundæ ſponſæ. Nam licèt, qua eſt Deus animi lenitate, illam iterum atque iterum ad gratiam, & ſocietatem vocet, paratuſque ſit illam ſæpius admittere, ſi oblatam benignè occaſionem illam perire nolit, tamen vbi eò obſtinationis atque miſeriæ ventum eſt, neque ſponſi voces curat inuerecunda ſponſa, neque ab adulteri lecto vult recedere, in quo habet fallaces delicias, & mortifera carnis blandimenta. Quare videmus ad Aſſyrios, & Aquilonem cum libello repudij egreſſum Iſrael: Videmus illum ad antiquam connubij ſocietatem à Ieremia vocatum iubente Domino, ab exilio tamen reuerſum, & ſponſo Deo conciliatum non videmus. Et ad finem vſque ſæculorum poſt tot ætates reuerſurum non eſſe, ab ipſo Deo in Scriptura ſacta docemur. Vide quæ diximus *c. 59.* ad illud, *Et veniet Sion redemptor.* Res planè horrenda his qui poſt concupiſcentias ſuas abeunt, hominúmque iudicia; quibus ne deſint, diuinas leges atque iudicia deſerunt, & conculcant. Quomodo decem tribus, quæ libellum acceperunt repudij, dicantur non rediiſſe, cùm tamen ex illis non pauci redierint, vt colligitur ex hoc eodem capite Ierem. *verſ.* 18. & nos docuimus pluribus *in cap. 8. Zachar. à numero* 19. vide quæ diximus ſuprà *cap.* 11. *numero* 14.

Ierem. 3.

Obſtinati animi ſtatus miſer, & eius qui Deum non audit.

8. Eſt autem optimum ſymbolum obſtinati animi, & iam à Deo derelicti vxor à marito cum libello repudij, id eſt, cum diuortij teſtimonio dimiſſa: quæ neque iam à marito regitur, aut continetur in officio, ſed ab ſe permittitur quocumque ſeu voluntas ferat, ſeu libido: vt habes in concepta repudij formula, de qua nuper. Sanè Romanis in repudianda vxore hæc erat ſolemnis, & legitima formula. *Res tuas curato, ſeu res tibi tuas habeto,* quaſi deinceps non iam viri ſui arbitratu, quàm ſuo ſeipſam, réſque ſuas moderatura ſit, id eſt, futura ſit, tanquam nauis ſine gubernaculo in medijs fluctibus, aut equus indomitus in præcipiti loco ſine fræno; aut ſaucius, & ad mortem pronus ſine medico, qui vulneri admoueat, licèt moleſtam, ſalubrē tamen medicinam, & cauterio cohibeat ſerpens carcinoma. Statum iſtum infelicem expreſſit Dauid *Pſal. 8. à verſu* 12. *Dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus ſuis.* Et Paulus *ad Roman.* 1. *Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum.* Quod ſi quis ſeipſum, non tam diuinis legibus, quàm concupiſcentijs inſtituat, moderetúrque, ſibique perſuadeat obtemperandum eſſe inordinatis animi motibus, hic timere iure optimo poteſt, ne iam à Domino repudiatus ſit, abiitéque permiſſus poſt concupiſcentias. Quomodo Deus certum peccatorum numerum ſpectet, vt tradat libellum hominē repudij, diximus *cap. 2. num.* 17. Vide Gabrielem Vazquez 1. *tom.* 1. *p. diſputat.* 97. *cap.* 5. Et quæ nos diximus *Zachar. cap. 5. num.* 23.

Libellus repudij ſymbolum obſtinati animi, & à Deo relicti.

9. [b] *Aut quis eſt creditor meus cui vendidi vos?*] Quemadmodum liber repudij, & ſolemne diuortium impedimentum eſt, quominus vxor à marito ad torum, à quo legitimè exciderat, admitti poſſit, ſic etiam alterum eſt morale item impedimentum, quod cauet, & prohibet ne pater filios à ſe venditos retrahat ab alterius dominatu. Cùm autem qui captiui erant apud Babylonios Iudæi, filij dicantur Iuda, & Beniamin, id eſt, duarum tribuum, quas ſibi Dominus ſpeciali quadam, atque præcipua ratione deſponſarat, conſtituto in illis thalamo, id eſt, templo, quod ad duas tribus pertinebat, vtpote in vtriuſque funiculo eædificatum; iidem etiam Dei filij ſeruata eadem metaphora vocari poſſunt, quia filij ſunt illius, quam ſibi ſponſam elegit, & cum ea pactum iniit coniugale ad montem Sinai. Oſtendit ergo Deus neque ad matrem reuocandam ad antiquum ordinem, & domum, neque ad filios à ſeruitute vindicandos aliquid intercedere impedimenti. Quod planè in præſenti materia idem eſt, duplici tamen allegoria ſignificatum. Nam reuera idem ſunt, & in eodem ſtatu, qui dicuntur & ſponſa, & Iudæorum mater non dimiſſa accepto libello repudij: & filij non venditi. De metaphora ſponſæ dictum eſt hactenus, nunc de altera filiorum agendum.

10. Vſitatum eſſe apud nationes alias, itémque apud Hebræos, vt hic locus indicat non obſcurè, vt filij à parentibus veneant. Quod ſuo etiam tempore frequenter fieri publica autoritate grauiter queritur Ambroſius *lib. de Tobia cap* 8. quem omnino lege. Quod plerumque fieri ſolebat cùm pater debitor ſoluendo non erat creditoribus. Quidam hîc non de filijs venditis agi putant, ſed de ſeruis, qui propter ingenium durum, & peruicax, ſeu quia minùs ſunt aut fideles, aut vtiles, à prioribus dominis vendi ſolent, & foras extrudi. Sed de filijs eſſe ſermonem textus ipſe docet: nam Deus Iudæorum matrem ſuam dixit vxorem, dum ei repudij libellum ſe dediſſe negat. Iudæos ergo filios appellat ſuos, cùm ea ea, quam vxorem nominat ſuam natos oſtendit.

Vſitatū olim filios vendi.

11. Fuit lex apud Romanos antiquiſſima ab ipſo vſque Romulo deducta, vt tradit Dionyſius Halicarnaſſæus *lib. 2. antiq. Roman.* quæ ius permittebat parentibus ita liberum in filios, vt illos à ſe pretio diſtrahere liberè, atque impunè poſſent. Quam etiam legem olim apud Athenienſes viguiſſe tradit Plutarchus in vita Solonis, a quo legem illam ſublatam eſſe dicit. Poſtea tamen à Conſtantino ſancitum eſt, ne filius perpetuò eſſet obnoxius ſeruituti, ſed vt aliquando redimi poſſit à patre, *l. 2. de patribus qui filij diſtrax. lib. 4. c. tit.* 43. E quo liquet ante hoc Conſtantini decretum filium ſemel a patre venditum, à patre reuocari non poſſe. Id quod etiam apud Hebræos in vſu fuiſſe indicat locus in quo nunc noſtra verſatur commentatio, quod intellige dummodo venditi eſſent alienigenis extra terram promiſſionis, nam qui venditi eſſent Hebræis, reuocari à parentibus, atque etiam interdum à cognatis poterant, vt habes *Exod.* 21. *& Leuitici* 25.

Filius redimi à parente poteſt.

12. Ait ergo Deus nihil obſtare quominus ipſe captiuos filios ab exilio vendicet, quando ius nullum vetat, cùm non fuerint à ſe, id eſt, à parente venditi, & ab ipſius abalienati poteſtate, creditoribus traditi mancipio. Quod etiam probat Deus, quia ipſi nullus creditor eſſe potuit, cui, vt ſolueret, neceſſarium eſſet ad extremum neceſſitatis perfugium veniri, nempe non ad bonorum, ſed ad filiorum licitationem.

13. [c] *Ecce in iniquitatibus veſtris venditi eſtis: & in*

ſceleribus

ſceleribus veſtris dimiſi matrem veſtram.] Dicebat populus ille captiuus dum grauibus premeretur incommodis *cap. præcedenti verſ.* 14. *Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus eſt mei*: cui ſuprà Dominus reſpondit maiori ſibi curæ, atque ſtudio eſſe populum illum, quàm matri infantem vteris ſui. Nunc verò oſtendit non à ſe venditos eſſe filios, aut dimiſſam matrem, ſed à ſceleribus, quibus ſe, & hæc, & illi contaminarunt. Quare non tam Deus illos, quàm ſua peccata in illam ſeruitutem, & ærumnas compegere. Hæc autem eò ſpectare credo, quò ſuperiora, nullum videlicet impedimentum eſſe morale, quominus à Deo populus apud Babylonios ex terris reſtitui poſſit in antiquam poſſeſſionem, & gloriam. Cùm enim vxor à marito non eſt legitime dimiſſa, aut filij venditi à parentibus, ſed ſuo ipſi vitio receſſerunt aliò, illa in adulteri torum, hi in alienorum dominatum reuocari poſſunt, illa à viro ad tori ſocietatem, hi à parente ad familiam, obſequiáque à liberis parenti debita. Tam ergo ſynagoga, quæ *vxor* appellatur *Dei*, quàm Iudæi, qui *Dei*, & *ſynagoga* vocantur *filij*, ſuis ſceleribus receſſerunt à Deo, propter quæ ſeipſos vltrò ſeueriſſimis Dominis vendidere, nempe Babyloniis, à quibus non ſecus atque viliſſima mancipia tractabantur. Iure itaque Deus ſua, quæ non alienarat, vendicare ſibi poteſt, cùm nondum legitimè abierint à Domini poteſtate. Quare nullum hinc oritur impedimentum morale. Quod ad mores ſpectat, & quomodo dici poſſit à Deo venditus, quámque id ſit auditu horribile, dicemos in alia explicatione, quæ eſt de Eccleſiæ temporibus. Hæc porrò quæ de cauſa morali dicta ſunt, intellige iuxta hominum conſuetudinem, cui in loquendo ſe Deus frequenter accommodat; nam quòd Deus legum autor, & Dominus eiuſmodi legibus non ſit obnoxius, certum eſt.

14. [d] *Quia veni, & non erat vir; vocaui, & non erat qui audiret.*] Hæc numerantur in ſceleribus, propter quæ captiui abducti fuerunt filij, & mater dimiſſa. Quæ prius non minùs grauiter prædixerat propheta *cap.* 28. *verſ.* 10. vbi eleganter expreſſit quemadmodum Iudæi cum ſibilo, & riſu prophetarum exceperint oracula; vbi etiam eadem minatur ſupplicia, quæ poſtea ſubierunt. Id enim importat illud *manda, remanda*, &c. vide quæ ibi diximus. Veniebat autem Deus loquens in prophetis, neque vir erat vllus, qui animum ad illa prophetarum verba ſic aduerteret, tanquam ſi in illis aliquid eſſet veritatis, ac ponderis.

Valde periculoſum eſt Deo vocanti non reſpondere.

15. [e] *Numquid abbreuiata & paruula facta eſt manus mea, vt non poſſim redimere, aut non eſt in me virtus ad liberandum?*] Hactenus dictum eſt de morali cauſa: nunc iam de phyſica. Vſu interdum venit, vt cùm nulla obſtet lex, aut religio, quominus aliquid iuſtè, ac laudabiliter fiat, abſit tamen facultas obtinendi; Ita vt quod lex concedit, & religio propter infirmitatē, aut inopiam conſequi non poſſis. Neutrum ſibi deeſſe affirmat Deus; non enim religio impedit, aut fas, vt vidimus, quia neque Deus filios à ſe pretio diſtraxit, abalienauitque, neque per libellum repudij ſponſam à ſe repulit, non iam ampliùs venturam ad amplexus, torique ſocietatem. Neque facultas abeſt; non enim parua Dei eſt, aut abbreuiata manus, id eſt, Dei vires eiuſmodi non ſunt, quibus repugnare humana poſſit induſtria, ſeu potentia.

Cauſa phyſica libertatis.

16. [f] *Ecce in increpatione mea deſertum faciam mare, ponam flumina in ſiccum, computreſcent piſces ſine*

A *aqua, & morientur in ſiti.*] Exempla adducit antiqua; quæ fuerunt illuſtria diuinæ virtutis documenta, quibus probat, facultatem ſibi non deeſſe ad illa præſtanda libertatis officia, quæ promittit. Hic porrò omnes penè conſentiunt alluſum eſſe ad antiqua tempora Hebræorum, quibus ſatis externis etiam nationibus probauit Dominus, & quantum poſſet, & quanti faceret populum ſibi ex omnibus electum. Duo hìc commemorantur diuinæ poteſtatis miracula, & ſiccatum mare rubrum, magnóque tractu à ſuis aquis fuiſſe deſertum in egreſſu ex Ægypto; & rurſus in ingreſſu terræ promiſſionis ſiccatum eſſe Iordanem. Vtroque autem loco veriſimile eſt in arido, atque ſitienti alueo periiſſe piſces, atque ibi computruiſſe, vt locus iſte B videtur innuere non obſcure. Neque ratio deeſt, aut coniectura grauis: nam neque breue tempus fuit, quo ille Hebræorum traiectus inter fluctus patuit, quia exercitus copioſus erat, & impeditus, cùm fœminarum, paruulorum, & ſenum infinita eſſet propè multitudo. Quod ad mare ſpectat rubrum certum eſt diu ſpacium illud fuiſſe diuiſum; quia poſtquam Moyſes aquas virga percuſſit, qua diuiſit mare, tota nocte dicitur vehemens, atque vrens perflaſſe ventus, & alueum ſiccauiſſe. Sed ad vigiliam matutinam per idem ſpatium ingreſſi traduntur Ægyptij *Exod.* 14. Eo ergo tempore piſces, qui relicti fuerant in humida priùs, & limoſa, deinde in C arida tranſmiſſione mortui ſunt; & ſi minùs eodem tempore, ſaltem eodem loco poſt aquarum receptum computruerunt. De Iordane minùs eſt dubitandum, quia multo ampliori ſpacio ſiccatus eſt. Nam vt traditur *Ioſue cap.* 3. pars ſuperior Iordanis ſic intumuit, vt aquæ in montis ſimilitudinem eleuatæ procul aſpicerentur, & ab eo loco quidquid erat ſpatij ad mare vſque mortuum exſiccatum eſt. *Quæ autem* (aquæ) *inferiores erant in mare ſolitudinis, quod nunc vocatur mortuum, deſcenderunt vſquequo omnino deficerent.* Quis ergo dubitet in tam longo tractu ab aquis deſerto piſces fuiſſe mortuos? Eſt qui hæc putet pertinere ad Ægyptium fluuium, quo in ſanguinem conuerſo, piſces dicuntur extabuiſſe *Exod. ca.* 7. de quo *Pſalm.* 105. *Conuertit aquas* D *eorum in ſanguinem, & occidit piſces eorum.* Ita indicat Hieronymus, & Haymno, & clariùs S. Thomas, & Hugo. Sed ſanè propheta ſiti dicit periiſſe piſces, id eſt, arente alueo; & ita ſentiunt plerique alij.

[g] *Induam cælos tenebris, & ſaccum ponam operimentum eorum.*] Aliud Deus commemorat miraculum, quo vſus eſt in liberandis Hebræis ab Ægyptiorum iugo. *Palpabiles* dicuntur illæ tenebræ, quas Dominus obduxit Ægyptio cœlo, ita vt nemo aut ſe commoueret loco, aut fratrem ſuum videret. *Exod.* 10. Tunc autem cœlum nebuloſum, & triſte, quaſi in luctu, aut funere Ægyptiorum opertum videbatur denſis, & craſſis tenebris tanquam ſacco. At ergo Deus ſi opus ſit illa eadem præſtare in li- E berando populo ex Babylonica ſeruitute, quæ præſtitit olim dum liberauit ex Ægypto, neque deeſſe ſibi animum, neque abbreuiatam eſſe manum, aut exhauſtā virtutem. Quare ſiccabit mare, & flumen; cœlis obtendet nigras nubes & craſſas: illud denique tempus Ægyptium in Babylonica clade renouabitur. 17.

[h] *Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt ſciam ſuſtentare eum, qui laſſus eſt verbo.*] Hieronymus hinc incipit librum decimum quartum commentariorum in Iſaiam: fortaſſe quia ex hoc loco deinceps apertior de Chriſto ſermo eſt. Eſt autem dubium 18.

quæ ſit iſte, cui à Deo data fuit erudita lingua. Hebræi, vt tradit Hieronymus hæc ad Iſaiam referunt, & quæ deinde ſequuntur. Quia cùm labiis eſſet pollutus, Seraphini cuiuſdam miniſterio purificatus eloquens fuit, & ita in omne diſcrimen prompto, ac confirmato animo, vt non ignominias, non plagas, non ipſam denique mortis acerbitatem horruerit, quominus audaci, atque conſtanti pectore Principibus Iudæorum occurrerit, eiſque Sodomæorum, & Gomorrhæorum nomen obiecerit. Quam ſententiam non improbat Hugo, qui tam hæc quàm ſequentia de Chriſto accipit, & de Iſaia. Sed meritò Hebræorum ſententiam repellit Hieronymus, qui id agunt vt aperta teſtimonia de Chriſto nobis eripiant. Eſt igitur ex omnium ferme Patrum ſententia ſermo de Chriſto qui dicit, habere ſe à Patre B linguam eruditam, vt oratione confirmet laſſos; quæ pars eſt non leuis eius, qui futurus eſt moderator populi, aut dux exercitus, aut tandē cœtus hominum liberos gubernaturus. Sed eſt adhuc obſcurū, quodnam tempus hæc prophetæ verba reſpiciant, Babylonicum ne, an Euangelicum? Quia res eſt dubia hunc quoque locum, quod in pluribus feci, in vtramque partem explicabo, & primùm de Babylonico ſtatu, réque Iudaica, dum adhuc eſſet ab hoſte vexata.

19. Certum eſt ad populos quocumque modo gubernandos magnam inesse vim eloquentiæ, quæ poteſt & metum incutere, & ſpem confirmare, ac tandem quod futurum ſit ex vſu perſuadere. Et in C cauſa Babylonica maximè videbatur neceſſarium oſtendere, ac ſuadere, neque eſſe impedimentum, quod retardaret reditum, neque deeſſe vires ad perficienda promiſſa; quia captiuorum plurimi iam omnino apud animum ſuum conſtituerant agendum ſibi eſſe cum Babyloniis, & in exilio prorſus eſſe moriendum, aut vano timore capti, aut falſa aliqua opinione, aut aliorum perſuaſione decepti. Quare magno vſui videbatur futurus ille ſermo, qui ex animis ea ratione inſtitutis, & affectis veterem cogitationem eximeret, & induceret nouam. At ergo Chriſtus vindex illius libertatis Babylonicæ, neque illud ſibi deeſſe linguæ ſubſidium, cùm eruditam habeat linguam à Deo, & idoneam animos excitare languentes. Expreſſit eruditæ linguæ D commoditatem Iſaias *cap. 3.* qui cùm dixiſſet defuturos eſſe Hieroſolymis, qui ciuitatem regerent, ac tuerentur, cùm validos, & robuſtos duces, & conſiliarios ab vrbe remouiſſet, defuturos quoque dixit ad extremum viros eloquij myſtici; in quibus non minus erat præſidij, quàm in aliis de quibus antea.

20. *Christi cum Moyſe comparatio.* Exiſtimo hìc alluſum eſſe ad libertatem Ægyptiam, cui non valde diſſimilis erat hæc Babylonica. Nam cùm ſuprà Deus cōmemoraſſet nonnulla, quæ in liberando populo contigerant, vt apertum mare, cœlum obductum tenebris, nunc iam eodem ſpectans meminit Moyſis, qui illius libertatis ſuaſor, & princeps fuit, cum quo Chriſtus Babylonicæ libertatis vindex ſeipſum componit. Fuerat E Moyſes impeditæ linguæ, neque eruditæ ad ſermonis promptum, & elegantem vſum: quod neque ipſe negauit *Exod. 4. Obſecro* (inquit) *Domine, non ſum eloquens ab heri, & nudiuſtertius: & ex quo loquutus es ad ſeruum tuum, impeditioris, & tardioris linguæ ſum.* Quocirca datus eſt illi ſocius, & quaſi interpres Aaron frater, qui eo erat eloquentior. Deinde, vt *ex capite 3. & 4.* liquet, ſæpe Moyſes recuſauit imperium; & retrorſus abire deſiderauit. His ergo duobus quæ in Moyſe fuerunt infirma, pa-

A rúmque idonea inſtituto, ad quod à Domino vocabatur, duo illa de ſe Chriſtus opponit: Et quòd linguam habuerit eruditam, neque indiguerit interprete, aut adminiſtro: neque præterea horruerit datum ſibi negotium, aut retrorſum abire meditatus ſit, quod tentauit non ſemel Moyſes.

[*Eriget mane mane, eriget mihi aurem, vt audiam quaſi magiſtrum.*] Oſtendit vnde nactus ſit linguam eruditam, in qua ſermo etiam eruditus continetur, qui ſanè ſine ſcientia eſſe non poteſt, vnde eloquentia hauriat, quod eruditè atque ſapienter effundat in aliorum ſinum. Vt verò ſignificet quantum ab optimo magiſtro Deo eruditionis habeat, dicit à ſommo mane doctrinam illam inchoari, id eſt, ab incarnationis momento; Sumit autem metaphoram à magiſtro ſedulo, qui dum diſcipulorum inſtitutioni inuigilat, antelucanam operam impendit ſcholæ. Quod noſtro etiam tempore faciunt nonnulli. Certè Romanis fuiſſe olim in vſu, docet Martialis *lib. 9. epigram. 70.* cuius titulus eſt *In ludi magiſtrum.* 21.

Quid tibi nobiſcum eſt, ludi ſcelerate magiſter,
Inuiſum pueris, virginibúſque, caput.
Nondum criſtati rupere ſilentia galli,
Murmure iam ſæuo, verberibúſque ſonas.
Vicini ſomnum non tota nocte rogamus;
Nam vigilare leue eſt, peruigilare graue.

Illud porrò *mane mane* geminatum, cùm explicari poſſit *ſingulis diebus ad matutinam lucem*, ſicut dicimus, *die die*, id eſt, ſingulis diebus, vt *Pſalm. 67.* vbi C Vulgatus, *die quotidie*, Hebr. eſt, *die die*, ſicut & *Pſalm. 71.* Quod idem reddidit, *tota die.* Sed eſt exemplum aptum *Ezech. c. 46. verſ. 14.* vbi eandem vocem *mane* geminatā noſter interpres ita conuertit, vt maioris explicationis gratia addiderit præpoſitionem Græcam κατὰ, quæ aliquid ſignificat aſſiduum, & ſingulis diebus, horis, vel annis fieri ſolitum, vt καθ' ἑκάστην, καθημέραν, κατ' ἐνιαυτόν, ſic autem *verſ. 13. Faciet holocauſtum quotidie Domino. ſemper mane faciet illud.* Pro *ſemper mane* Hebr. eſt בבוקר בבוקר, id eſt, *mane, mane*, ſeu *ſingulis mane. Verſu autem 14. Faciet ſacrificium ſuper eo cata mane mane.* Et *verſ. 15. & oleum cata mane mane.* Quam dicendi formam, & vim Græcæ præpoſitionis, vt puto, expreſſit Hiſpanus cùm dicit, *cada año, cada dia,* D *cada mañana*, quæ Græca omnino phraſis eſt.

22. *Manè manè, ſingulis diebus.* *Pſalm 67.* *Ezech. 46.* *Cata mane.*

Nihilominus in geminatione eiuſdem vocis hoc loco aliquid aliud latere exiſtimo, ita vt ſit epitaſis quædam non tam rei ſæpius, id eſt, ſingulis diebus repetitæ, & iterati frequenter præcepti, quàm ſtudij maturati, & diligentiæ, qua primo quoque tempore eruditus eſt Chriſtus ad opus noſtræ libertatis vocatus: ita vt *mane mane*, idem ſit quod *ſummo mane*, aut *primo quoque tempore.* In hunc ſenſum accepit ſine dubio Sophonias *cap. 1. Mane mane iudicium ſuum dabit in lucem*, id eſt, quàm ocyſſimè. vt textus ipſe docet. Et ſanè in ſacra Scriptura frequens eſt, vt *mane*, ſeu *diluculum*, pro ſumma diligentia aut feſtinatione ponatur; aut pro eo cui ex E operibus in die nihil anteuertitur: quia nihil in die priùs fit, quàm quod manè, ſiue diluculò fit. *Ierem. cap. 7. Locutus ſum ad vos mane conſurgens. Pſalm. 100. In matutino interficiebam omnes peccatores terræ.* Accedit quòd hoc loco non ita geminatur *mane*, vt ſit propriè anadiploſia, id eſt, ſpectet ad vnum idémque verbum, quale eſt *Deus Deus meus*, & *mane mane*, in prioribus exemplis; qua dicendi figura ſignificatur illa vniuerſalis rerum diſtributio. Sed *mane* priori loco poſitum ad verbum *eriget*, priori item

23. *Mane mane, id eſt, ſummo mane.* *Sophon. 1.* *Mane, pro ſtudio.* *Ierem. 7.*

nem locũ; *mane* poſteriori ad *erigit* etiam poſteriori loco poſitum refertur. In quo tamen vulgaris epitaſis non eſt, quaſi dicat Chriſtus, *mane erigit, mane, inquam, erigit mihi aurem.*

24\. [k] *Ego autem non contradico, retrorſum non abii.*] Hæc ſpectare etiam videntur ad ea, quæ de Moyſe Ægyptiæ libertatis vindice nuper dicebamus; ille enim ſæpius contradixit, dum & linguæ tarditatem cauſabatur, & ſibi à populo habendam non eſſe fidem obiiciebat. Quare retrorſum ſæpius abire voluit, & principiò ante ſuſceptam illam prouinciam, & poſtea cùm pertæſus Iudæorum, ingenia illorum, moleſtias, & faſtidia ſuſtinere non poterat. Ex quo affectu natum eſt illud *Num. 11. verſ. 12. Non poſſum ſolus ſuſtinere omnem hunc populum,* B *quia grauis eſt mihi, ſin aliter tibi videatur, obſecro vt interficias me, & inueniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis.* Sed Chriſtus neque contradixit præcepto, quod ſummo mane, id eſt, in ipſo incarnationis articulo accepit à Patre, neque, propoſita mortis acerbitate, milléque ludibriis ab ingrato, atque crudeli populo, retrorſum abiit.

25\. Hactenus dubius videtur ſenſus, & ideo à me primùm expoſitus eſt de Iudæorum cauſa, téque Babylonica; nunc hæc eadem aliter de Eccleſia, libertatéque ſpirituali explicare aggrediar: vt ſcriptoribus, & grauibus, & plurimis, qui alio atque alio modo hæc interpretabantur, obſecutus videar. Quæ ſuperſunt ex capite communiter ab aliis, & meo iudicio quàm veriſſimè de Euangelij tantùm C tempore intelliguntur, de quibus ſtatim agemus ſeorſum.

EXPLICATIO ALTERA de tempore Euangelij.

26\. [a] *QVis eſt hic liber repudij matris veſtræ, quo dimiſi eam?*] De libello repudij ſatis multa in priori explicatione. Queri hoc loco, ac dolere videntur Iudæi, quòd aduocatis ad Eccleſiam tanto numero Gentilibus repulſa, aut neglecta à Deo videatur illorum mater ſynagoga. Quorum cogitationi & querimoniæ reſpondit Deus, id non ſuæ D ſæuitiæ, aut ingenio duro, atque inexorabili adſcribendum eſſe; ſed quia ipſa tanquam infidelis ſponſa ad alienos transfugit. Suis itaque atque matris ſceleribus, annumerent, quòd tam ipſi, quàm mater tanquam alieni diutiùs accipiantur, eorúmque loco ſuffecti fuerint, qui videbantur externi. Nunquam tamen ita reiecta fuit mater ſynagoga, vt non etiam rurſus admittatur, ſi fidem iterum ſeruare velit coniugalem, vt docuit Paulus *ad Rom. 11. verſ. 1. Numquid Deus repulit populum ſuum? abſit, Nam & ego Iſraelita ſum.* Non enim ſolemni forma, vt diximus in alia explicatione, dimiſſa eſt; ita vt ſibi iam omnino ad priorem coniugem aditum E præcluſerit, quod faciebat libellus teſtis legitimi diuortij. Quocirca ſicut ſæpe Deus ante Euangelij tempus eandem ſynagogam, quæ poſt alios amatores abierat, id eſt, vana coluerat Gentium ſimulacra, vocauit, ſupplicémque rurſus non inuitus recepit. (*Ierem. 3. Tu autem fornicata es, &c. tamen reuertere ad me.* Idem ferme *Oſea cap. 2.*) Sic etiam nunc poſt tot ingrati atque infidelis animi documenta fœda, reciperet non grauatè, modò mores, & inſtitutum mutaret.

Deus non repudiauit ſynagogam, quaſi dato libello repudij.

Ad Rom. 11.

27\. Pro moribus diximus nonnihil in priori explicatione de Iudæorum ſtatu. His adde interdum homines peccatores eo eſſe gradu, vt nondum à Deo ſint dimiſſi cum libello ſuæ obſtinationis, ac reprobationis teſte. Quia licèt de ſe audire poſſint illud *Ierem. 2. A ſæculo confregiſti iugum meum, rupiſti vincula, & dixiſti, non ſeruiam: in omni enim colle ſublimi, & ſub omni ligno frondoſo, tu proſternebaris meretrix.* (Quo quid impudentius, aut quid magis inimicum honeſto coniugi?) Audit tamen quod ſtatim dicitur *cap. 3. Reuertere ad me: & ego ſuſcipiam te.* Accidit tamen vt eò ſit progreſſa hominum obſtinata perfidia, vt libellum repudij accepiſſe videatur, id eſt, vt Deus ſic abiiciat, & quaſi alienum putet illum à ſua prouidentia, atque paterna cura, ſicut vir iam ampliùs non curat vxorem, quam à ſe dato libello repudij abalienauit. Eiuſmodi ſunt qui *derelicti* vocantur à Theologis, de quibus dici poteſt illud, *qui lætantur, cùm malè fecerint,* & qui iam in ſui cordis deſideria videntur dimiſſi: neque iam habent arguentem, & vellicantem conſcientiam, quam nimirum longa peccandi conſuetudine conſopierunt. Vide quæ in alia explicatione diximus. Ad hæc plurimùm valet quod de obſtinati, & obdurati animi ſignis, & affectibus tradit Bernardus *lib. 1. ad Eugenium.* Quæ quia tanto viro digna ſunt, neque indigna, quæ memoriæ inſigantur, libuit hîc referre. *Cor durum eſt, quod nec compunctione ſcinditur, nec pietate mollitur; nec mouetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur, ingratum ad beneficium eſt, ad conſilium infidum, inuerecundum ad turpia, impauidum ad pericula: præteritorum obliuiſcens, præſentium negligens, &c. & vt in breui cuncta horribilis mali mala complectar, ipſum eſt, quod nec Deum timet, nec homines reueretur.* Hæc Bernardus. Similem formam ſpectare licet in ea, quæ cùm iam Dei, id eſt, legitimi ſponſi manum, & diſciplinam ſubire nollet, ſed ſuo ſe magis arbitratu regere, in omnem ſe luxum, & intemperantiam dedit. De qua *Ierem. cap. 3. ver. 3. Frons meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere.* Eiuſmodi erat frons illa, quam *atteritam* appellat Ezechiel *cap. 3. verſ. 7.* Et quam *æream* vocat Iſaias *cap. 48. verſ. 4.* quæ iam omnino depuduit, neque penſi habet, quid leges iubeant, quid homines de ipſa aut iudicent, aut fabulentur.

Dominus vocat eos qui videri poterant reprobati cum libello.

Obſtinati, ac duri cordis periculũ.

28\. [b] *Aut quis eſt creditor meus, cui vendidi vos?*] Viſitatum eſſe olim, & nunc etiam apud Gentes, & lege etiam, vt diximus, parentes conceſſum, vt filios ſuos in aliquo neceſſitatis articulo vendere impunè liceat. Quod etiam ex loco, quem nunc verſamus, Hebræis licuiſſe veriſimile eſt. Certè licere parentibus filios vendere, liquet *Exod. cap. 21.* de quo venditionis genere multa Abulenſis ibi. Poteſt etiam aliquis ſeipſum vendere, non ſolùm iis, qui ſunt ex genere Iſraelitico, ſed etiam alienigenis & aduenis. De prioribus habes *Leuit. 25. verſ. 39. Si paupertate compulſus vendiderit ſe tibi frater tuus non eum opprimes ſeruitute famulorum.* De poſterioribus *ibidem verſ. 47. Si inualuerit apud vos manus aduenæ, atque peregrini, & attenuatus frater tuus vendiderit ſe ei, aut cuiquam de ſtirpe eius, poſt venditionem poteſt redimi: qui voluerit ex fratribus ſuis redimet eum.* Deus igitur ait, venditos eſſe Iudæos non quidem priori modo, quo filij à patre attenuato, & inope vendi ſolent: neque enim Deus creditorem vllum habere poteſt, cui, vt ſatisfaceret, venales habuit filios, ſed poſteriori. Quia adducti ea neceſſitate, quam ſibi ipſis impoſuerunt, vendidere ſe peccatis, à quibus falſa perſuaſione deluſi aliquid leuamenti ſibi ipſis pollicebantur. Et idcirco addidit, *Ecce*

Parentibus permiſſum filios vendere.

Poteſt quis ſeipſum vendere.

in iniquitatibus veſtris venditi eſtis. Eos verò, qui ſponte libertatem ſuam mancipio aliorum imperio obligauiſſent, redimere poterant quicumque vellent ex eorum cognatione. Quod Chriſtus hoc loco facere ſe velle indicat. Quod vt commodiùs præſtet, & magis ad legis præſcriptum conſentaneè, frater eſſe voluit illorum, & conſanguineus, factus homo ex genere Dauidico, ſéque vindicem offert ab ea peccati ſeruitute, in quam ſe ipſos vltrò tradiderunt.

29. Qui peccatum facit, peccato ſe vendit. Ad Rom 6.

Cæterùm in ſacra Scriptura frequens eſt, vt is, qui peccatum admittit, peccato venditus, aut peccati ſeruus eſſe dicatur. *Ad Rom. 7. Ego autem carnalis ſum venundatus ſub peccato. Ioan. 8. verſ. 34. Qui facit peccatum ſeruus eſt peccati.* Et *ad Rom. 6. Non regnet peccatum in veſtro mortali corpore, vt obediatis concupiſcentiis eius.* Eodem ſenſu de Achab dicitur 3. *Reg. 21. Venundatus eſt vt faceret malum.* Vendiderat videlicet ſe auaritiæ, & impietati, & illis obſequutus fecit quod Domini illi violenti iuſſerant, nempe vt occideret, & poſſideret. Idem de quibuſdam Iudæis dicitur 1. *Machab. cap. 1. Et iuncti ſunt nationibus & venundati ſunt, vt facerent malum*, id eſt, ſtatuerunt, vt conſequerentur id, quod voluntas, & ambitio illis præcepiſſent, quibus ſe tanquam ſeruos addixerant, quiduis tentare. Hi tamen nondum ſunt à Domino venditi, quia illos hortatur, & crebris inſtimulat motibus, vt domum redeant, ſicut fecit cum Achab, qui ſeipſum vendiderat, dum miſit Eliam, qui illum officij, & ſceleris admoneret: & nunc cum Iudæis venditis, quos per Iſaiam admonet, & compungit.

30. Miſera conditio illius qui ſe peccato vendidit.

Grauius aliquid eſt, atque horribilius, ſi iſti iam à Deo venditi ſint: quorum ſtatus idem eſt, atque vxoris, quam Deus, dato libello repudij, à ſe dimiſit: Vt enim de illa vt pote iam aliena reducenda non laborat, quia ad ſe deinceps pertinere non putat: atque ideo illam otioſè deſidere, & conſeneſcere patitur apud illum, quicumque ſit, cuius nuptias, & thalamum expetierat: Sic etiam quia venditum à ſe, & alterius voluntati mancipatum ſeruum eſſe videt, illius aut reducendi, vt fugitiui, aut conſeruandi vt domeſtici curam abiecit. Quæ extrema calamitas, & omni humana ſeruitute durior conditio eſt. Heu quot inuenies hac ætate, quos eò adduxit aſſidua peccandi conſuetudo, & peccatorum dominatus, vt cum carnis blandimenta, aut mundi fucata ambitionis alimenta ſectantur, quieti viuunt in his ſordibus, & ſpinis, quas luxuries, aut ambitio ſubſtrauerunt: neque iam aut gehennæ metus, aut beatitudinis cæleſtia amor, aut vlla alia vis à diuina miſericordia ſollicitat, & exilire facit à turpiſſimo ſordidiſſimarum voluptatum cœno. Dicuntur autem iſti à Deo venditi, quia illos non tanquam domeſticos, ac ſuos, ſed tanquam alienos, & alterius iam alligatos imperio, ac voluntati reſpicit.

31. Horribile eſt à Deo venditũ, ſeu alienũ eſſe.

Porrò, quid impendeat mali eis, quos Dominus à ſuo quaſi iure diſtraxerit, docuit Moyſes *Deut. 32. Quomodo perſequebatur vnus mille, & duo fugarent decem millia: nonne ideo quia Dominus ſuus vendidit eos?* Quare dum Dei populus premi ſe ab hoſtibus videbat, abalienatum ſe, & proditum à Domino arbitrabatur, qui nihil haberet penſi quid ipſi ab hoſtibus, aut durum aut indignum paterentur. *Iudith cap. 7. Propter hoc vendidit nos Deus in manibus eorum.* Et *Pſal. 43. Vendidiſti populum tuum ſine pretio.* Durum ſanè eſt, & miſerabile à Domino venundari, & ab eius domo, atque conſpectu foras extrudi, quod experientia atque vſu didicerat Petrus, qui rogatus an vellet abire a Chriſti ſocietate, reſpondit. *Domine ad quem ibimus Verba vitæ æternæ habes. Ioan. 6. verſ. 68.* Et Dauid omnium ſtatuum, ac temporum varietatem expertus dixit *Pſal. 83. Elegi abiectus eſſe in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Et ante hunc Moyſes Regiis deliciis enutritus elegit magis ignominiam Chriſti, quàm venditus eſſe Ægyptiis voluptatibus, atque inflatis titulis, & expectationi ampliſſimi regni. *Ad Hebr. cap 11. Magis eligens affligi cum populo Dei* (quod eſt eſſe in domo Dei) *quam temporalis peccati habere iucunditatem.* (quod eſt venditum eſſe peccato.) O duram & verè ſeruilem conditionem eius, qui venditus eſt à Deo, & ab illius excluſus domo, aut verius, ab eius diuulſus amplexu, in quo Regum mammilla lactabatur, cuius Reges erant, nutritij & nutrices Reginæ: quique ab eo, cui nobilem, & ingenuam ſeruitutem obibat, in vlnis geſtabatur, & ſinu.

32. Vendi quid, aut emi dicitur, etiam vbi nullum intercedit pretium.

Ad extremum obſerua licèt in duobus verbis *vendo*, & *emo*, ſi illorum vim & proprietatem expendas, neceſſariò pretium intercedere debet: quia neque quis vendit, niſi pretium accipiat, neque contra emit niſi pretium impendat: tamen interdum, quoniam aliis etiam modis abalienatio fit, aut acquiſitio rerum, ita vt perinde quis rem ſibi habeat, atque ſi pretio illam ſibi quæſiſſet, aut non aliter rem à ſe abdicet, atque ſi ab aliis pecunia eſſet oblata, fit vt qui quocumque modo tradat, alienétque rem, vendere dicatur, & qui quocumque acceperit modo ſine vlla commutatione, exiſtimetur illam emiſſe. Sic Iſaias *cap. 52. Gratis venumdati eſtis.* Et *Pſal. 83. Vendidiſti populum tuum ſine pretio.* Atqui venditio propriè non eſt, quæ gratis fit, & ſine pretio. Iſaias *cap. 55. Venite, & emite abſque argento, & abſque vlla commutatione vinum, & lac.* In hunc ſenſum exponenda ſunt hæc, & ſimilia, in quibus dicitur Deus vendidiſſe aliquem hoſtibus, aut alienis; nil enim ſignificat aliud, quàm illum traditum eſſe hoſtibus, aut Deum reſpicere illum, quem vendidiſſe dicitur, tanquam alienum, & qui iam ad ſe, familiámque ſuam non pertineat, perinde atque ſi pretio accepto alieno domino datus eſſet mancipio. Sed quocumque modo accipias, ſanè horribile eſt, aliquem aut venditum, aut alienum eſſe a Deo, aut tanquam alienum, & venditum exiſtimari.

33. Grauiter puniuntur, qui Dei verba non audiũt.

[d] *Quia veni, & non erat vir: vocaui, & non erat qui audiret.*] Communiter Patres, ideo Iudæos repudiatos dicunt quia audire Chriſtum noluerunt, aut clamantem priùs, per prophetas, aut per ſe Euangelij tempore multò clariùs, atque efficaciùs inſonantem. Quod Chriſtus ipſe manifeſtè docuit, & in parabola de vinea agricolis locata. *Matth. 21.* & deinde *cap. 23.* vbi cùm egiſſet de prophetarum cæde, ſubdidit. *Ideo relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* Obſeruent hìc qui quotidie audiunt Chriſtum vocantem per eos, quos nunc habet prophetas, aut tacita quadam inſpiratione, ac motu, ne dum parui faciunt prophetarum voces, aut diuina monita, eò prouehantur miſeriæ, vt à Deo reiiciantur, vt ingrati, aut venumdentur tanquam indigni, qui in eius domo ſint, aut in eius familia cenſeantur.

34. [e] *Numquid abbreuiata & paruula facta eſt manus mea, vt non poſſim redimere? aut non eſt in me virtus ad liberandum?*] Bene ſperare iubentur Iudæi, qui ſe abiectos putabant, aut venditos à Domino.

Oſtendit

Oſtendit enim Deus neque ſibi deeſſe miſericordiam, vt velit, neque facultatem, vt poſſit à peccatorum ſeruitute redimere. Denique exhauſtam non eſſe virtutem, aut debilitatam manum illam, quæ illos olim, de graui exemit Ægyptiorum dominatu, qui typus erat eius ſeruitutis, quam à peccati tyrannide, & Dei indignatione in præſentia ſubibant.

35. f *Ecce in increpatione mea deſertum faciam mare.*] Proponit Deus quid in Ægypto fecerit priùs, vt captiuos inde in libertatem aſſereret; Quæ nos in priori expoſitione ſatis explicuimus. Neque diſſimilia aut minùs prodigioſa facturum ſe eſſe dicit, ſi id exigat Hebræorum, aut aliorum hominum ſpiritualis libertas. Quæ rerum admirabilium commemoratio eò ſpectat, vt abiecti atque deſperantes animi, qui ſe longè abeſſe putabant à ſalute, confirmarentur. Porrò in ſiccato mari, & aperto Iordane, atque ibi extinctis, & tabe putridis, & graue aliquid olentibus piſcibus ſatis aptè exprimitur, tanquam in ſymbolo, quid Chriſti doctrina, quid crux, quid tot annorum curſus in obſcuranda mundi gloria, expugnandóque principis tenebrarum regno præſtiterint. Vt autem olim Ægyptio cœlo dum in exulum libertatem incumberet palpabiles tenebras obtendit Deus; ſic etiam poſtea, dum maiori libertati, magiſque communi totius mundi efficaciſſimam, atque potentiſſimam operam dat, non vni Ægypto, ſed toti mundo tenebras obduxit.

36. h *Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt ſciamus ſuſtentare eum, qui laſſus eſt, verbo.*] Quia de Ægyptia libertate agere cœpit, vt quid poſſet, oſtenderet, adduxit illa, quæ nonniſi ab omnipotenti manu, eximiáque beneuolentia patrari poſſent, quam tamen ſibi neque infirmatam eſſe, neque abbreuiatam in præſentia dixerat. Sed quia illius libertatis præcipuum Domini inſtrumentum Moyſes fuit, cui plurimum deferebant Iudæi, & à quo iam etiam poſt tot ſæcula defuncto aliquid, quod libertatem antiquam oleret, promittebant (vt Chriſtus ipſe indicare videtur *Ioan. 5. verſ. 45. Eſt qui accuſet vos Moyſes in quo vos ſperatis.*) Cum Moyſe etiam ſeipſum comparat, ne ſibi deeſſe putent, quod in illo obeundo miniſterio à Moyſe præſtitum eſt: ſéque in redemptionis officio longè magis idoneum viri[...]m demonſtrat.

37. Duo [...]t quæ publica, eadémque ardua negotia molientem, vehementer iuuant. Alterum eſt vt linguam habeat eruditam, & graue, ac viuidum dicendi genus ad perſuadendum, vt à populo libero, ſuíque iuris illa fiant, quæ ducis, ſeu Imperatoris lacertis adminiſtrari nequeunt. Alterum eſt, vt animo ſit audaci, atque conſtanti, vt neque rerum diſcrimina horreat, neque metu fractus retrorſum abeat. Hæc duo defuere Moyſi, vt ſuprà vidimus; habuit enim impeditam linguam, atque adeò non eruditam, vt ſocius illi additus fuerit frater Aaron, qui quæ Moyſes haberet à Deo mandata ad Pharaonem, & populum exponeret. Sic autem illi viſum eſt arduum Ægyptiæ libertatis opus, vt tertiò recuſauerit imperium, vſque adeò pertinaciter, vt Deum ad indignationem adduxerit. *Exod. 4. verſ. 14. Iratus Dominus in Moyſem ait, Aaron frater tuus Leuites ſcio quòd eloquens ſit*, &c. Hæc quæ in Moyſe defuere, aut certè fuerunt maximè debilia, Chriſtus dicit ſibi eſſe ad hominum libertatem, & ſalutem grauia. Ait enim ſibi datam à Deo linguam eruditam, vt oratione poſſet languentes confirmare, & excitare ſpe, atque animo iacentes. Deinde ait ſe diuino obſequutum imperio, in quo multò grauiora quàm Moyſi proponebantur diſcrimina, retrorſum non abiiſſe, quod aliquando tentauit Moyſes. Habuiſſe autem ſe à Patre eruditam linguam, & ſermonem docet ipſe Chriſtus *Ioan. 12. verſ. 49. Qui miſit me Pater, ipſe mihi mandatum dedit quid dicam, & quid loquar*, &c. *Quæ ergo loquor, ſicut dixit mihi Pater, ſic loquor.* Et alibi. *Ego à me ipſo non loquor, & verba mea non ſunt mea: ſed eius qui miſit me.* Quomodo erudita lingua à Deo petenda, & quàm illa ſit neceſſaria, vide Gregor. in illud *Pſal. 50. Domine labia mea aperies.* Vbi in eam ſententiam copioſè, & grauiter: vbi etiam hunc Iſaiæ locum moraliter exponit. Inter alia ait. *Illius labia Deus aperit, qui non ſolùm quod loquitur, ſed etiam quãdo, & vbi, & cui loquatur attendit: Sapientia namque Dei dicit apud Iſaiam, Deus dedit mihi linguam eruditam.* Quod eſſe beneficium Dei maximum, & eius proprium cuius eſt proprium gubernare linguam. *Prouerb. cap. 16.* indicat Paulus *ad Epheſ. cap. 6.* vbi petit vt omnes inuigilent & obſecrent pro illo, *vt detur*, inquit, *mihi ſermo in apertione oris mei cum fiducia.*

l *Erigit mane, mane erigit mihi aurem, vt audiam quaſi magiſtrum: Dominus Deus aperuit mihi aurem.*] Sicut Moyſes accepit à Domino mandatum eripiendi populum ab Ægyptiorum ſeruitute, ſic Chriſtus à Patre redimendi mundum à grauiori tyrannide. His autem verbis contineri præceptum hoc, mihi pluſquam veriſimile eſt, & in eam ſententiam, aut inclinant, aut alludunt communiter interpretes. Duo in eo, cui mandatum aliquod proponitur, plerumque interueniunt, aut præcedunt. Alterum eſt, vt ad audiendum excitetur, ſeu, vt aures erigere iubeatur, is qui mandatum accipit quod voce fieri ſolet, ſeu ſono nihil fere ſignificante, ſed ad attentionem tantùm accommodato, eúque, ſi longè abeſt, cui mandatum iniungitur, claro, atque profuſo. Ita plerumque fit in Scriptura cùm aliquid magnum iubetur: & illa prior excitatio, ſeu captatio attentionis, eorum, quæ dicuntur, commendatio eſt. Sic Moyſes *Deuter. 32. Audite cæli quæ loquor.* Et Iſaias *cap. 1.* in principio prophetiæ. *Audite cæli, & auribus percipe terra.* Et *cap. præcedenti. Audite inſulæ, & attendite populi de longe.* Hoc eſt autem ad doctrinam erigere, ſeu excitare. Alterum eſt vt qui mandatum expectat, aures aperiat, quas ſi dociles habuerit, nihil præterea neceſſarium eſt. Hæc itaque, quæ communiter fiunt, quomodo in arduo redemptionis noſtræ mandato Chriſtus acceperit, optime magiſter ipſe Chriſtus docet. Primùm ait, erectas ſibi, id eſt, excitatas aures ad audiendum, quid loquatur Dominus, quæ apertæ, id eſt, dociles vocem exceperunt, quam ad animum obediendi cupidum tranſmiſere. Quæ verò vox illa fuerit; aut quæ Chriſto propoſuerit certamina, ſtatim explicabimus. Nunc expendamus ſingula.

38. *Erigit mane, mane erigit.*] Quid ſit *mane, mane*, in altera explicatione declaratum eſt. Ex geminatione conſtat præceptum illud de redimendo mundo in ipſo incarnationis principio impoſitum eſſe Chriſto: ex vſu enim Hebraicæ linguæ, geminatio nominis epitaſim habet, quare *mane mane* ſignificare videtur *primum mane*, id eſt, primum quodque tempus, atque adeò primum quodque opus, quod diei circulum inchoat. Quod indicat Paulus non obſcurè, cùm ait *ad Hebr. cap. 10. Ideo ingrediens mundum dicit, hoſtiam, & oblationem noluiſti,*

Margin notes: Lingua, & [...] neceſſ[...]ria. — Attẽtio excitatur. — 39. Præceptum Chriſto impoſitum de redimendo mundo in ipſo incarnationis principio. — Ad Heb. 10.

luiſti, corpus autem aptaſti mihi. Quod ſumpſit *ex Pſalm.39.* vbi Vulgatus legit, *aures autem perfeciſti mihi.* Illud *ingrediens* primum aliquid indicat: *Aures perficere*, idem eſt quod *mane mane*, id eſt, primo tempore decreti, aut incarnationis excitari ad audiendum præceptum de redemptione. Videtur autem Deus in hoc Iſaiæ loco reſpexiſſe pſalmum allegatum à Paulo: nam & aures vtroque loco dicuntur perfectæ, id eſt excitatæ, atque apertæ à Deo (præſertim ſi pro *perfectis*, vt habet textus Hebraicus, & vertit Hieronymus, aures legas *perforatas*, quæ idem ſunt quod *apertæ*, ſiue, vt habet Chaldæus, *foſſæ*) & mandatum prompto animo exceptum à Filio. In Pſalmo quidem cùm dicitur, *In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui.* In Iſaia verò in illis verbis, *Ego autem non contradico.* Eſſe autem vtrobique ſermonem de paſſione Chriſti, hominúmque redemptione perſpicuum eſt. Apud Iſaiam quidem liquet ex verbis, quæ proximè ſuccedunt, quòd verò ad Pſalmum attinet, explicuit optimus interpres Paulus, qui vbi Vulgatus in pſalmo, *aures autem perfeciſti mihi*, ipſe *ad Hebr.*10. intento in ſententiam animo, magis quàm in verba, quod alibi ſæpe facit, vertit, *corpus autem aptaſti mihi*, nempe ad dolorem, & mortem, & ad peragendum idoneè, atque legitimè redemptionis negotium.

Pſalm.39.

40. [k] *Dominus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico, retrorſum non abij*] *Aperire aurem* ex vſu Scripturæ, aut *reuelare aurem*, ſiue *auriculam*, manifeſtare eſt, ſeu docere; quia per aures, in quibus ſenſus eſt, diſciplinæ alicuius doctrina, ſiue mandatum ad animum tranſmittitur. Sumitur autem in hoc dicendi genere per ſynecdochen, quod antecedit auditionem pro auditione ipſa; priùs enim aperitur, ſeu reuelatur auris, quàm infundatur ſermo. Vide quæ diximus *cap.*48. ad illud, *neque tunc aperta eſt auris tua.* Aperuit Deus aures Chriſti, docuitque quidquid ad ignominiam graue, & ad dolorem acerbum ipſi ferendum eſſet in obeundo redemptionis mandato. Cúmque apertè videret, quot eſſent in eo negotio diſcrimina, quæ horreret natura, neque contradixit præcipienti Deo, neque cùm ingreſſus eſſet durum longæ mortis curriculum, ab incepto defecit, aut retrorſum refugit; ſed ad finem vſque libens, alacérque produxit, *factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis.*

41. [l] *Corpus meum dedi percutientibus, genas meas vellentibus.*] Hæc & quæ ſequuntur Hebræi Iſaiæ tribuunt: a quibus non admodum diſſentit S. Thomas, quod miratur Adamus, dum ait, *Fortè ad literam hæc paſſus eſt* (nempe Iſaias) *ſed in Chriſto plenè impletum eſt.* Clariùs Hugo, licèt magis de Chriſto putet ſumi oportere. De Chriſto omnes omnino capiunt, neque aliud videtur dici poſſe veriſimiliter. Aggreditur iam Chriſtus explicare quid in mandatis haberit à Patre, aut quid in redemptionis curſu ignominiæ ſit aut doloris. Vtriuſque ſpecimen oſtendit dum percuſſum ſibi dicit corpus, flagellis videlicet, clauis, & lancea, quod præſertim ad doloris acerbitatem pertinet, & euulſas genas, quod ad ludibrium & ignominiam ſpectat. Verbum autem *dedi*, abundè indicat quàm non grauatè Chriſtus iſta pertulerit, cùm obuium ſe dederit percutientibus, neque genas vellentium inclementiæ ſubduxerit. Porrò quanta ignominia ſit in genis fœdatis, aut violatis quocumque modo, ſiue ſputis, ſiue colaphis, ſiue pilorum euulſione, id eſt, ablato, ſiue turpato naturali genarum veſtitu,

A atque ornamento, cùm multa à multis, dum agunt de Chriſti paſſione, prædicentur, nos hic pro noſtro inſtituto pauca dicemus.

De barbæ ornamento, quanto in pretio fuerit apud antiquos, ſatis argumenti eſt, quòd dedecori ducebant longè turpiſſimo, ſi quiſquam alterius barbam manu contrectaret: Vnde ortum illud ſiue prouerbium, ſiue conuitium prouerbiali ſpecie, *barbam vellere*, de quo ſtatim. Certè apud Hiſpanos, credo etiam apud nationes alias, in quibus aliquid eſt ingenuæ diſciplinæ, grauiſſimæ ignominiæ, ac dedecoris loco ponitur, ſi quiſpiam alterum a barba capiat. Quæ res, vt omnibus vſitata, & comperta prouerbio locum fecit. Sanè non defuerunt, qui ne ab hoſte illam ignominiam ſubirent in

B acie, barbam ſibi eſſe radendam cenſuerint. Quod in ſuis militibus curaſſe Alexandrum, prodit Plutarchus *in Theſeo, & in Apophthegmatis Alexandri.* Illud prætereà maximè commendat barbæ dignitatem, quòd vt olim pueri detonſam primùm comam Diis conſecrabant, ſic primam barbæ lanuginem, & ineuntis adoleſcentiæ florem. Quod feciſſe dicitur Nero, qui quaſi maximum, & pretioſiſſimum donum detonſam barbam in aurea pixide, & pretioſiſſimis ornatam margaritis Ioui Capitolino conſecrauit, vt tradit Suetonius *in Nerone capite* 12.

42. Barbam alterius contrectare ignominioſum.

Adde quòd quemadmodum in luctu deponi ſolet quod ad ſpeciem, vel voluptatem eſt, & id aſſumitur quod luctum afferre, & mœrorem hominibus, aut in ſordibus, & ſqualłore numeratur, ſic

C quia ſordidum, & turpe eſt, & ad ignominiam graue ſpoliari barba, nationes plurimæ in luctu, & ſordibus barbam deponunt. De Ægyptiis tradit Herodotus *lib.*2. de Aſſyriis Strabo *lib.*16. & hoc ipſum facere ſolitas nationes alias barbaras, ſcribit Suetonius *in Caligula cap.*5. Quod etiam Hebræis eſſe cum aliis Gentibus commune, docet factum illud filiorum Ammon 2. *Reg.c.*10. qui cùm ignominioſè vellent à ſe dimittere legatos Dauid, quos explorandi gratia veniſſe ſuſpicabantur, dimidiam illorum raſerunt barbam. At dices dimidiam barbam eſſe detonſam ignominiæ dati, non tamen totam. Reſpondeo, ſi id fateamur, nihil eſſe cauſæ cur Dauid nuncios expectare voluerit in Iericho donec barba creſceret, quia facilè detonſo eo, quod

D ſupererat barbæ, redire honeſtè poſſent in Regis, populíque conſpectum. Deponi quoque in luctu apud Hebræos barbam, liquet *ex Leuit.cap.*21. *v.*5. vbi cùm ſermo eſſet de luctu ſuper mortuum, dicitur, *nec radent caput, nec barbam.* Loquebatur autem de ſacerdotibus, quibus edicit Deus, ne ſequuti reliquæ plebis conſuetudinem, detonſa barba, faciem ignominioſè deturpent. Quod etiam Iſaias oſtendit *cap.*15. de Moab: *In cunctis capitibus eius caluitium, & omnis barba radetur.* Et Ieremias *cap.*41. cùm habitum ſqualłidum, & lugubrem quorumdam deſcriberet Iudæorum, ait, *Venerunt viri de Sichem, & de Silo, & de Samaria octoginta viri raſi barba, & ſciſſis veſtibus, & ſqualłentes.*

43. Barba in luctu raditur.

E Grauis ſanè ignominia eſt barba nudari, quam natura hominis ornatum eſſe voluit, at id cum iniuria, & violentia fieri, in quo non minus ignominiæ ſit quàm doloris, longè grauius. Durum barbam radi, at velli audacibus furioſorum manibus, longè durius. Prouerbio locum fecit hæc ignominia. Vnde barbam vellendam eſſe à procaci turba ei obiiciebatur, qui ſtolidus haberetur, & qui proximè abeſſet à helluarum ſtupore. Horatius ſic de ſtolido.

44. Prouerbiũ.

Barbam tibi vellunt
Laſciui pueri.

Et Perſius

Idcirco ſtolidam præbet tibi vellere barbam
Iuppiter.

Hanc ignominiam paſſus eſt Chriſtus à furioſis hominibus admixtam acerbiſſimo dolori, quod, cùm optimè noſſet paterno obſequutus imperio, genas dedit vellentibus.

45. m *Faciem meam non auerti ab increpantibus & conſpuentibus.*] Confundit faciem nobilem, & ingenuam contumelioſa oratio, quæ aliquid obiicit fœdum, & indecorum, quod ſuſtinere non poteſt ingenuus pudor. Quot huius generis audierit conuitia ab iis, qui tanquam ſerpentes ſuas exacuerunt linguas, docent Euangeliſtæ, de quibus eodem, quo Iſaias, ordine ſcribit Ieremias *Thren.* 3. *Dabit percutienti ſe maxillam, ſaturabitur opprobriis.* Neque tamen ideo faciem ſuam Chriſtus, quæ maximè ab illorum verborum iniuriis patebatur, auertit. Confundit prætereà, ac fœdat faciem grauior alia contumelia, quæ ab alieno etiam ore fit, non iam contumelioſa verba, ſed ſputa ſordida iactanti, quod ita graue viſum eſt exteris, vt maximè à Cicerone commenderint cuiuſdam patientia, qui conſputatus ab alio verbum reddiderit non omnino contumelioſum. Apud Hebræos quàm fœdum ſit, atque ignominioſum faciem aliorum ſputamentis notari, docet illa lex *Deuter.* 25. quæ iubet, vt ſi quis defuncti fratris ſuſcitare ſemen noluerit, defuncti vxor illius faciem cum quadam execratione, conſputet. Hanc verò contumeliam tanquam omnium maximam extremo loco poſuit Iob *cap.* 30. *verſ.* 10. *Abominantur me, & longè fugiunt à me, & faciem meam conſpuere non verentur.* Solere ad ſputa, & putria oris eiectamenta deſpicatiſſimum locum eligi, docet illud Ariſtippi, vt refert Laertius in eius vita: nam cùm ingreſſus eſſet in ſplendidas, & lautas ædes, inſpuit in faciem illarum domini, *Non habui*, inquiens, *opportuniorem locum.*

Conſputari faciē ignominia grauis.

46. Septuaginta paulò aliter conuertunt hunc locum. *Dorſum meum dedi ad flagella, & genas meas ad alapas, & faciem meam non auerti à confuſione ſputorum.* Vbi pro *vellentibus*, vt adhibuit vulgatus, ipſi vertunt *alapas*, accommodatè ad genas, quæ palmis potiùs notari, atque fœdari ſolent, quàm depilatione. Vtrúque paſſus eſt Chriſtus, & vtrumque valet verbū מרט *marat.* Ad hunc locum videtur reſpexiſſe Chriſtus *Luc. c.* 18. cùm impleturus quæ dē ipſo priùs fuerant annunciata, dixit Apoſtolis, *Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & conſummabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt de filio hominis; tradetur enim Gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur.* Quæ facta commemorantur iuxta Septuaginta tranſlationem *Matth cap* 26. *verſ.* 67. *Tunc expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt; alij autem palmas in faciem eius dederunt.* Quantum ſit in alapis ignominiæ, diximus ſuprà ad illud *capitis* 3. *Et facies pauperum commoluis.* quod omnino vide.

47. *Dominus Deus auxiliator meus, & ideo non ſum confuſus.*] Sicut Chriſtus, vt modò dictum eſt, quæcumque loquebatur verba aſcribebat Patri, à quo habere ſe fatebatur linguam eruditam, ſic etiam nunc quidquid habet fortitudinis, atque cōſtantiæ, Parenti tribuit, quem à dextris habet auxiliatorem. Quare neque deterritum ſe dicit, aut fractum tot dolorum fluctibus, atque confuſum, vbi tot ingruunt confuſionis cauſæ. Credo alluſum hic eſſe

A ad auxilium, quod Iudaicæ captiuitatis redemptori Cyro præſtitit Deus *cap.* 45. cùm adfuit illi, molliáque reddidit, quæ ardua videbantur, nullóque modo expugnabilia. Fuit autem, vt vidimus, Cyrus Chriſti ſymbolum, eáque in liberando populo ex Babylone præſtitit typicè, quæ poſtea Chriſtus multò luculentiùs in totius mundi libertate.

n *Ideo poſui faciem meam vt petram duriſſimam: & ſcio quia non confundar.*] *Petram duriſſimam, ſilicem*, & *adamantem*, prouerbialem figuram habere ſuſpicor apud Hebræos, qua aliquid ſignificant ita intrepidum, vt nihil horreat, aut ita ad reſiſtendum potens, vt nemini cedat, aut ſuccumbat. Quod cùm ad laudem ſæpe, ad vituperationem tamen aliquando conferri ſolet: quia durum ſe præbere ad alio- 48.
B rum verba, aut ad varios caſus, qui interdum occurrunt, nonnunquam inuicti animi conſtantiam, nonnunquam obſtinatæ mentis pertinaciam indicat. Hoc poſteriori modo ſumitur *Zachar.* 7 *ver.* 12. *Aures ſuas aggrauauerunt, ne audirent, & cor ſuum poſuerunt vt adamantem.* Eodem modo *Ezech. c.* 3. *verſ.* 8. dura Iſraelis frons impudentiam deſignat. In meliorem tamen partem ſumitur dura Ezechielis facies *ibidem.* Vbi ſic Deus ad Ezechielem: *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum: vt adamantem, & ſilicem dedi faciem tuam, ne timeas eos.* Vide quæ ſuprà diximus ad illud *cap.* 48. *Et frons tua area.* Tranſlatio hæc aut à petra ſumitur, quæ eſt in medio mari, quam dum alluunt, aut verberant fluctus,
C non concutiunt, aut atterunt, ſed potiùs ad eam alliſi franguntur fluctus, abeúntque in leuiſſimam, atque vaniſſimam ſpumam. Et hoc mihi certius; aut certè ab adamante, qui iuxta ſui nominis notationem, & vt fert communis hominum exiſtimatio, tam longè eſt vt artificum ferramentis cedat, vt ipſe potiùs illa non ſolùm obtundat, ſed etiam diffringat. Eſt autem familiare, animum contra aduerſæ fortunæ impetus infractum, aut per adamantem repellentem ictus, aut per ſcopulum appulſum fluctibus ſignificari. Cùm ergo Chriſtus videret adeſſe ſibi auxiliatorem Patrem, & à dextris aſſiſtere, ne commoueretur, tantum aſſumpſit confidentiæ, atque animi, vt tali facie occurreret conuitiis, ac
D ſputis, tali pectore flagellis, & cruci, quali firmitate ſaxum ſtat in medio gurgite contra fluctus, aut adamas contra mallei, aut aliorum ferramentorum ictus. Affirmátque ſub tali auxiliatore, atque patrono Deo ſe in tam vberi confuſionis materia non confundendum. Forerius in *petra dura* chalybem agnoſcit. coniectura mihi videtur difficilis, & infirma.

Frons dura, aut facies tā conſtantiam indicat, quā impudentiā.

o *Iuxtà eſt qui iuſtificat me, quis contradicet mihi? ſtemus ſimul, quis eſt aduerſarius meus? accedat ad me. Ecce Dominus auxiliator meus, quis eſt qui condemnet me?*] Multa contulit Chriſto ad redemptionis opus auxiliator Deus, contra omnia, quæ in eo redemptionis curriculo occurrerunt diſcrimina, conſtantiam nimirum, & robur ad perferendum quidquid 49.
E dolorem afferre poterat, aut pudorem. Et vbi his perfunctus eſt caſibus, eam contulit gloriam, ſplendorem, & ornamenta, quæ inſtaurarent, cumularéntque maximè ea, quæ illi iuxta hominum æſtimationem detraxiſſe videbantur contumeliæ, & plagæ. Induxerant verbera, & claui, & alia carnificum inſtrumenta corpori ſtigmata quædam, & vulnera, à quibus ita fœdatus eſt Chriſtus, vt viſus Iſaiæ fuerit quaſi leproſus, & in quo non eſſet aſpectus: Hæc Dominus gloria ſuſcitati corporis compenſauit,

Quomodo Chriſti mors, & ignominia compenſata.

penſauit. Ignominioſè tractatus fuerat, & cum ſceleratis deputatus, habitúſque ab indocta plebe, & à ſcelerato populo iodignus hac luce: huic tameo tantæ obedientiæ, rerúmque indigniſſimarum tolerantiæ, ſoam qooque mercedem reddidit Deus, dum illum illuſtriſſimis ſignis, totóque mundo aſpectabilibus iuſtum declarat, & in quo nihil vnqnam hæſerit labis. Et id Chriſtus per prophetam oſtendit hoc loco. Facit autem huc, quod moltis pòſt ſæculis in conuentu eorum, qui contra ipſum conſilium necis inierant dixit *Ioan.8. verſ.46. Quis ex vobis arguet me de peccato?* Agit enim cũ eis, qui contradixerunt, damnauerúntque morte, iubétque vt ſi quid habent quod exprobrent, aut in iudicio opponant, illud quamprimùm edant; neque enim timet auxiliatore Deo, ſe ab inuidis, atque maleuolis accuſatoribus conuictum iri ſceleris.

50. Regula. Id facere dicimur, quod factum eſſe declaramus. *Iuxtà eſt qui iuſtificat me.*] Id eſt, adeſt mibi qui cauſam ſuſcipit defenſionis meæ, qui innocentiam meam illuſtribus ſignis teſtetur, & prædicet. *Iuſtificare* hoc loco eſt iuſtum declarare, vt ſuprà diximus ad illud *cap.5. num.23. Qui iuſtificatis impium pro muneribus.* vbi regulam tradidimus maximè obſeruandam ad vſum ſcripturæ. Cætera obſcura non ſunt. Quæ omnia ad fidelium conſolationem videtur tranſtuliſſe Paulus *ad Roman.8. Si Deus pro nobis, quis contra nos?* &c. *Quis accuſabit aduerſus electos Dei? Deus qui iuſtificat. Quis eſt qui condemnet?*

51. Porrò hæc etiam videntur ex conſilio à Chriſto fuiſſe propoſita, vt excitaret ſpem de futura libertate à peccatorum iugo, de qua hìc præcipuè ſermo eſt. Remouet enim ea quæ frangere, aut retardare poſſe iuxta hominum exiſtimationem videbantur incitatum Chriſti ſtudium de noſtra ſalute. Exiſtimaret enim aliquis, etiamſi Chriſtus facilè exorberet necis acerbitatem, conuitiorum, & ſputorum ignominiam, retardatum tamen iri ea opinione, quam in poſterorum memoria relinqueret, eùm omnes ex genere mortis, totóque iniquiſſimi iudicij ordine ſuſpicari poſſent talem illum eſſe, quale publicum Principum iudicium, & probroſa necis conditio teſtabatur. Vt ergo huic hominum cogitationi Chriſtus occurreret, prouiſum eſſe dicit à Patre auxiliatore, ne ſuum apud poſteros nomen infamia laboret; imò decretum vt omnibus Gentibus glorioſum futurum ſit, & venerabile.

52. Peccator ſibi ipſi malũ creat, vt veſtis tineam. ¶ *Ecce omnes quaſi veſtimentum conterentur, tinea comedet eos.*] Communiter hæc Patres referunt ad ſtatum illorum, qui Chriſtum tanquam ſceleris reum morte damnarunt; qui tamen, vt modò diximus, extinguere, aut obſcurare illius nomen non potuere: quia contrectabat auxiliatoris Dei ineluctabile decretum. Qui tameo ipſi noo longè poſt Chriſtum impio iudicio ſublatum, à Romanis funditus euerſi ſunt. Ita Hieron. Cyrillus, Irenęus *lib.4. cap.66.* & alij plures. Vbi obſerua quàm aptè hæc cum antecedentibus conſentiant; nam ſuprà dixerat Deus, Iudæos non ab alio quam à ſuis ſceleribus fuiſſe venundatos, id eſt, ipſos ſuæ ſeruitutis, ac necis fuiſſe autores, dum ſuæ cupiditati, atque ambitioni ſeruiunt. Idem nunc alia metaphora aptiſſimè ſignificat. Vt enim veſtimenta ac ligna ab eo plerumque exeduntur, ac pereunt, quod ex ſuis viſceribus gignunt, ac nutriunt; veſtimentum enim à tinea corroditur, & lignum à teredine; ſic etiam Iudæi qui Chriſtum proclamarunt crucia, & mortis reum, conſumpti ſunt non tam à vendente, vel prodente Chriſto; quàm à ſuis ſceleribus. Eò enim calamitatis adducti ſunt, & tunc cùm rea Iudaica Romanorum armis perire viſa eſt: & hodie ab omnibus odio, atque ludibrio habiti, dum peccatis ſtudent, obſequuntúrque, quæ in ſuis viſceribus aluerunt antè, & dum hodie obſtinato conſilio, in qua priùs fuere væſania, perſeuerant.

Hæc porrò videntur ſpeciem habere prouerbialem apud Hebræos in eam vt puto ſententiam, quam modò dixi, eùm nempe ſignificare volumus aliquem ſuis conſiliis, aut manibus petire. Qua ratione Latini dicunt, *Fabrum conſtringi compedibus, quas ipſe cuderat*, & *turdum ſibi malum parere*, quia ex eius ſtercore viſcum conficiunt aucupes, qui ipſum poſtea capiunt. Huic prouerbio ſimile eſt illud, *colubrum in ſinu fouere*, aut, *alere luporum catulos*; nam qui hæc faciunt, ab his, quos fouent, & nutriunt, perimuntur. Non aliter veſtimentum tineam gignit, à qua tandem conſumitur. Eo prouerbio videtur vſus Iob *cap. 4. verſ. 19. Qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, conſumentur velut à tinea.* Quia nimirum homines ex lutea, fictilíque materia formari intus habent, & alunt, quo conficiantur. Et de ſe ipſo Iob *cap.13. verſ.28.* quia *homo de muliere natus multis miſeriis repletus eſt*, ſtatim ſubdit: *Qui quaſi putredo conſumendus ſum, & quaſi veſtimentum quod comeditur à tinea.* Quaſi dicat habere à ſe, & intra ſe reconditum, etiamſi extrinſecus nulla afferatur vis, quæ tabeſcat & diſſoluatur aliquando. Et in hunc ſenſum accipit Hugo illud *Eccleſ.42. verſ.13. De veſtimentis procedit tinea, & à muliere iniquitas viri.* Putat enim ibi ſermonem eſſe de primo homine, qui à muliere quæ de ipſius latere producta fuerat, deceptus eſt, & quaſi à tinea corroſus, aut ſanie tabidus. Hóc ſenſu, ſicut veſtimentum à tinea perit, quæ ex ipſo naſcitur: Sic à fœmina, quæ ex viro formata, & ab ipſo ſumpta eſt, interitus & tabes aduenit viro.

53. Prouerbiũ.

Iob cap.4.

Iob cap.13.

Eccleſ.42.

Exiſtimo etiam, ne hoc omittam, in ſcriptura prouerbium à tinea in alium etiam vſum aſſumi, nam quia quod aduenit veſtimento, aut ligno vitium à tinea, ſenſim inoleſcit, tacitóque morſu, quod priùs ſolidum videbatur, & integrum, exeditur, & putreſcit, fit vt malum, quod tinea, ſiue caries inducit pro occulto damno, quod ſenſim & tacitè ſerpit, & conficit adhibeatur. *Oſea cap.5. verſ.12. Ego quaſi tinea Ephraim, & quaſi putredo domus Iuda*, id eſt, ſenſim, & quaſi per partes debilitabo & perdam. Peccatum ergo Iudæorum, dum in illorum animis conſeneſcit, id intus concluſum agit, vt vires atterat, & quod in veſtimentis facit tinea, ſenſim ad interitum deducat. Qua de re optimè Gregorius *lib.5. Moral. cap.28. & lib.11. cap.25. Tinea* (inquit) *damnum facit, & ſonitum non facit; ſic iniquorum mentes, quia damna ſua conſiderare negligunt, integritatem quaſi neſcientes perdunt.* 54. Vitium ſenſim hominem perdit. Oſeæ 5.

¶ *Quis ex vobis timens Dominum, audiens vocem ſerui ſui, qui ambulauit in tenebris, & non eſt lumen ei: ſperet in nomine Domini*, &c.] Locus hic variè exponitur à variis. Hieronymus hæc verba Chriſto tribuit, qui cum his agit, à quibus crucifixus, & cum quibus in mortali ſtatu conuerſatus eſt. *Vos* (inquit) *me flagellaſtis, vos meam faciem conſpuiſtis: ego tamen ad pœnitentiam prouoco perſecutores meos, & dico: Quis eſt inter vos qui timet Dominum, & audiat vocem ſerui, vel pueri eius, qui ambulauit in tenebris, & non erat ei lumen: qui non habuit ſpeciem, nec gloriam, ſed in ſimilitudinem carnis peccatricis ſuſcepit formam ſerui, vt peccatum in carne ſuperaret. De hoc dicitur quòd ſperet in nomine Domini, & innitatur ſuper Deum, vt quidquid humanæ fragilitatis eſt; di-* 55. Chriſtus crucifixores ad veniam vocat.

uina

nina maieſtate corroboret, atque ſuſtentet. Hæc Hieronymus.

56. S. Thom. in *ſerno* Iſaiam agnoſcit, vel quemcumque alium, per quem loquitur Deus, putátque conſilium dari ei, qui in tenebris erroris ambulauit. Haymo, Lyra, Adamus, quò etiam inclinat Procopius. hæc ita cum præcedentibus nectunt, vt nullum eſſe dicant, qui peccatorum tinea ſicut veſtimentum corroſus non ſit. Hoc ſenſu, *quis ex vobis timens Deum*, &c. Quaſi dicat, Nullus eſt, qui audiat vocem Chriſti, qui ambulauit in tenebris.

57. Alij putant exemplo Chriſti, qui in tenebris, id eſt, in ærumnoſa via, ambulauit, admonere illos, qui Deum timent, vt ſi in tenebris ambulare contingat, ſperent tamen in Domino, à quo vno ſpes illorum omnis dependeat: ſic enim fiet, vt à Deo liberali, atque propitio obtineant, quod in ſtatu, atque curriculo non diſſimili ab auxiliatore Deo Chriſtus nactus eſt. Ita penè Foreirus & Hugo.

58. Septuaginta aliter conuertunt hunc locum, vt in Bibliis nuper correctis, nam in quibuſdam codicibus, vt in Complutenſibus, mutilus eſt. *Quis eſt in vobis qui timeat Dominum? exaudiet vocem pueri eius. Qui ambulat in tenebris, & non eſt ei lux, confide in nomine Domini, & innitimini ſuper Deo.* Et iuxta hanc tranſlationem Cyrillus in proximam ſententiam inclinat.

59. Mihi in primis non diſplicet Haymonis, & Lyræ ſententia, quam ſequitur Adamus, vt hic deſignetur paucitas illorum, quibus non inſit illa tinea, de qua proximè: qui cùm audituri non ſint Chriſti verba, atque doctrinam, expertem lucis vitam habituri ſint. Quod deinde magis explicat, cùm ait. *Ecce vos omnes accendentes ignem.* Hoc ſenſu. Quis ex vobis, qui Dominum timeat, & Chriſti verba audiat? cùm tamen in tenebris ſit. Et quis eſt qui ſperet in Domino?

60. Sed placet multò magis illa ſententia, quam omnino indicant Septuaginta, & admittit facilè noſtra tranſlatio, quæ etiam placuit Cyrillo, Hugoni, atque Foreiro, ita vt Chriſtus eos, qui Deum timent, eiúſque cauſa in tenebris habitant, id eſt, in ſordibus, in vinculis, & prunis degunt expoſiti impuriſſimorum hominum iniuriis, hortetur ſuo exemplo, vt ſperent in Domino, illique innitantur. Nam vt ipſe in euulſis genis, fœdataque facie ſputorum illuuie confuſus non eſt, ſic etiam fiet, vt ipſi in tot iniuriis, ac ſordibus non confundantur, auxiliante Domino, cuius cauſa dura illa ſuſtinent certamina.

Chriſti vita, & exitus cõſolatur afflictos.

61. *Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flammis.*] His qui Deum timent, & Chriſtum audiunt, ſpem confirmat, & animum corroborat, in duro rerum aduerſarum conflictu, de quorum numero, quia pauci futuri de Iudæorum gente, ideo ex Scripturæ vſu, quæ vniuerſale ſignum apponit, vbi ex magno numero pauci eximuntur, omnes defeciſſe ait, & ſibi aſtruxiſſe malum, aut aluiſſe tineam, qua corrodantur, & intereant. Vtitur autem nunc alia metaphora, qua ſignificat Iudæos aliquid in ſuam perniciem moliri, de quorum interitu loquitur tanquam de quodam incendio, ad quod ipſi accendunt, atque coniiciunt faces, dum non ſolùm in peccatis obſtinati hærent, ſed noua veteribus accumulant peccata.

62. Pro *accincti flammis*, Hebr. eſt מאזרי זיקות *meazre zicoth*, id eſt, *cincti, ac circumdati ſcintillis.* Ac ſi dicat, Quocumque pergitis, ſcintillas diſſeminatis, quæ cùm in aridam materiam inuoluitent, quid ſperari poteſt præter incendium? Fortaſſe hoc illud idem eſt, quod de iiſdem Iudæis priùs ab Iſaia dictum fuerat *cap. 1. verſ. 31. Et erit fortitudo veſtra, vt fauilla ſtuppæ, & opus veſtrum quaſi ſcintilla.* Vide quæ ibi diximus & obſerua, ac expende quis peccatorum ſtatus, qui hoc ſymbolo optimè ab Iſaia, imò ab ipſo Chriſto deſcribitur. Vt enim in fabulis quædam finguntur monſtra, quæ flammas euomunt, vt *Æneid.* 8. Cacus, & apud alios Chimæra, ſic monſtrorum omnium maximè horribile peccator, qui per omnium ſenſuum aditus ex eo igne, quem ex gehennali incendio concepit, flammas eructat. An non ignis eſt furor, & rabies, quæ ex oculis ſcintillantibus emicat; aut ardor ille libidinis qui in deſidem, & malè ſecurum animum per oculos irrumpit? ac tandem, æſtuans, ac feruens, ebullit multa, & dictu fœda, & auditu turpia. De quo incendio Hieronymus ſic ait. *O ignis infernalis luxuria, cuius materia gula, cuius flamma ſuperbia, cuius ſcintilla praua colloquia, cuius fumus infamia, cuius cinis immunditia.* Quid reliqua commemorem? ab ore peccatoris, qui linguæ ſuæ licentiam moderari non vult, quid erumpit, niſi quod à gehennali fornace? cùm lingua ipſa ignis ſit, qui inflammat rotam natiuitatis noſtræ, inflammata à gehenna *Iacob cap. 3.* Denique in eo totus videtur eſſe peccator, vt materiam congerat ad incendium, & ignem in illam iaculetur.

Peccatorum periculum.

Luxuriæ ſigna, & damna.

63. Quia verò verbum אזר *Azar*, pro quo vulgatus *accincti*, *ligare* ſignificat, & *conſtringere*, non mihi alienum videtur neque à littera, neque à ſermonis textu, quod viſum eſt Foreiro, qui hic agnoſcit vincula, ſed ignea, quibus damnati conſtricti tenentur in gehenna. Neque Scripturæ vſus ab hoc dicendi genere abhorret, quæ vincula appellat quicquid aliquem inuitum, & cum moleſtia cohibet, Iudas *in epiſtola. Angelos, qui non ſeruauerunt ſuum principatum,* &c. *vinculis æternis ſub caligine reſeruauit.* Et 2. *Petri cap.* 2. de eiſdem Angelis. *Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* Et de Ægyptiis *Sap.* 17. *Vna catena tenebrarum omnes erant colligati.* Sic ergo ignis ille gehennalis, in quo, tanquam in carcere in æternum concluduntur impij, vocari poteſt *ignea vincula*, quæ ſibi parant, dum ignem accendunt. in quos bellè quadrat illud vulgare, *Faber quas fecit compedes ipſe geſtat.* Notat hic Hieronymus pro qualitate peccati vnumquemque ſibi dum viuit ignem parare, atque accendere; & quemadmodum in vno manentes loco, imò in vno lecto alij ſani ſunt, alij febri æſtuant ex humorum diuerſitate diuerſa ſupplicia ſentientes: ſic & ignis; qui à peccatoribus ſuccenditur, materiam in peccatis habet, qui eò vehementiùs vrit, quò maior eſt, & magis arida materia, de qua ſcriptum eſt. *Ardebit ſicut ignis iniquitas, & ſicut gramen ſiccum vorabitur incendio. Iſai. cap.* 19. iuxta L x x. tranſlationem. Idem Origenes, à quo Hieronymus videtur mutuatus *lib. 2. Periarch. cap.* 11.

Vincula nomen latè patet.

64. L x x. aliter conuertunt, & ſatis quidem ſignificanter. *Accendentes ignem, & confortantes flammam.* Idque ſatis, ad Hebraicum textum; nam אזר *azar*, etiam *corroborare* ſignificat, in quo ingens indicatur ſtudium, atque contentio. Qualem præ ſe fert, qui non ſolùm accendit ignem, ſed etiam corroborat, & excitat magis, vel addita iterum, ac ſæpius materia vel adhibito iterum, ac ſæpius flatu. Quæ tranſlatio optimè exprimit peccatoris ſtatum in ſuis flagitiis obſtinati, ſibique ipſi exitium molientis.

Impij ſibi ſupplicium parant.

65. [f] *Ambulate in lumine ignis veſtri, & in flammis, quas ſuccendiſtis.*] Superiora facem præferunt horum explicationi; neque enim aliud ſibi volunt quàm conflagraturos impios eo incendio quod ipſi iampridem in ſeipſos accendunt, & fouent. Vbi Ironicus ſermo gehennalis ignis naturam deſcribit; in quo & vis eſt ad nocendum acerrima, & ſplendor ad lucendum luridus & exiguus. Ac ſi dicat, Eritis in æterna caligine, & in flammis ad vrendum vehementiſſimis. Illud *ambulate* pro *ambulabitis* ponitur vulgato Scripturæ more, quæ imperatiuum adhibet pro futuro. A

66. [e] *De manu mea factum eſt hoc vobis.*] Hieronymus euentura hæc Iudæis obſtinatis, & incredulis putat de manu Chriſti, quia ille in extremo iudicij magni die dicturus eſt, *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum.* Hugo in *manu mea* magnum videt & furoris argumentum, & ſupplicij acerbitatem. Ad cruciandos enim aut caſtigandos eos, quos odio proſequimur graui, non alienam aduocamus manum, ſed noſtram impingimus. S. Thom. in *manu Dei* diuinam intelligit potentiam, ea qua facilè intelligitur quantum, & quàm diuturnum futurum ſit gehennale ſupplicium. Alij, qui hæc accipiunt non de gehennali igne, ſed de eo, quo Iudæorum ciuitas Romanorum tempore conflagrauit, putant incendium illud excitatum eſſe diuina manu, non tam vt affligeret, ac perderet Iudæos, B

Inferni pœnæ.

quàm vt afflictione, vt paternus exigebat amor, corrigeret, & ſanaret. Et in his eſt Haymo, & Cyrillus, Tertullianus *lib. 3. contra Marcionem cap.* 16. Hæc verò mala, quæ non fœdant animam, ſed affligunt, atque compungunt, de manu Dei prouenire ab Amos propheta didicimus *cap. 3. Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecit.*

Hæc omnia mihi difficilia non ſunt. Sed addam ego explicationem aliam à patrono quidem nodam, an à ratione, alij viderint. Satis ſuprà multis, & grauiter oſtenſum eſt, mala, de quibus erat ſermo, ſibi ipſis accerſiiſſe, atque inflaiſſe Iudæos. Quod optimè expreſſere & veſtimentum à tinea corroſum, & ignis Iudæorum excitatus, & roboratus opera. Idem nunc, credo, Deus ſignificat, aut eodem certè refert extremam capitis partem, quæ eſt quaſi breuis ſumma, atque complexio eorum, quæ pluribus, toto ferme capite perſequutus eſt. Quæ eò ſpectant, vt doceant ſuis ſibi ſceleribus Iudæos quæſiiſſe malum. Quare hoc extremum cum interrogatione lego, hoc modo, *De manu mea factũ eſt hoc vobis?* Id eſt, Numquid hæc mala, à quibus eſtis conſumpti, aut ignis, cuius flammis eſtis accincti, à manu mea ſunt? & non potiùs induſtria veſtra, atque opera, in veſtrum exitium comparata? Hæc mihi expoſitio maximè cum toto textu congruere videtur; tu, vt voles, accipe. *Hæc de capite quinquageſimo.* 67.

Argumentum quinquageſimi primi capitis Iſaiæ.

EXEMPLO *Abrahæ, & Saræ generis ſui parentum, hortatur Deus illos, qui ex Iudæorum familia honeſtè viuere ſtatuerunt, bene vt de ſuis rebus, Eccleſiæque amplificatione ſperent. Conſolabitur enim Dominus Eccleſiæ ſolitudinem, quæ ſanè in principio magna fuit, implebitque numeroſa ſobole illa loca, quæ cùm ad Eccleſiam pertinerent, deſerta tamen & abiecta cenſebantur. Cur autem illi, qui in Eccleſiæ primordiis pauci erant, & omnium opinione infirmi videbantur, confirmari debeant, ea ratio eſt, quia, qui contra ipſos aliquid meditantur hoſtile, adeò futiles, & infirmi ſunt, vt non difficiliùs à ſua tenuitate tabeſcant, quàm à tineis conſumuntur veſtimenta. Suum verò promiſſum ita futurum eſſe firmum, & ratum; vt licèt liqueſcant, & deficiant omnia, illi tamen nullo vnquam tempore defutura ſit fides. Deinde excitatus populus hac tam liberali Domini promiſſione, orat, vt ſe quamprimum ad opus redemptionis accingat. Quod Deus facturum ſe promittit; reprehenditque populi puſillum, & languentem animum. Quod ex eo prouenire affirmat: quia non conſiderat diuinæ poteſtati nil non eſſe ſubiectum. Ad extremum cùm docuiſſet grauia ſubiiſſe Iudæos infortunia, promittit eadem illa ad eorum auctores eſſe tranſcribenda.*

CAPVT LI.

1 [a] AVDITE *me, qui ſequimini, quod iuſtum eſt, & quæritis Dominum:* [b] *attendite ad petram vnde exciſi eſtis, & ad cauernam laci, de qua præciſi eſtis.*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 AVDITE me, qui timetis Deum, & ad id, quod honeſtum eſt, animum atque ſtudium adieciſtis, quique in vnum Deum intuemini, in quo ſpes veſtræ, atque conſilia nituntur. Reſpicite ad Patrem à quo tamquam è petra lapides eſtis exciſi, & ad cauernam, vnde ad Iſraëliticæ domus fabricam prodiiſtis. Et ab illis diſcite quanta ſit Dei in illos, qui ſuis mandatis adhæſere, liberalitas.

2 *Attendite*

2 Reſpi

2 Reſpicite Abraham, à quo ſati, & Saram, à qua concepti eſtis. Quia cùm vnus fuiſſet, & ſterilis, mea tamen benedictione ingens ex eo familia propagata eſt.

2 Attendite ad Abraham[c] patrem veſtrum, & ad Saram, quæ peperit vos:[c] quia vnum vocaui eum, & benedixi ei, & multiplicaui eum.

3 Sic ergo conſolabitur Deus, augebítque numeroſa ſobole Sionem tam terrenam, quam filij in captiuitatem adducti deſeruerunt, quàm Eccleſiam, quæ in Sione tanquam in imagine repræſentaratur, quæ in exordio ſterilis, & quaſi deſerta videbatur. Solitudinem autem illam ſic ornabit, atque inſtruet, vt tanquam hortus Deo auctore, ac plantatore dignus delicijs affluat, & vbi lugubris eiulatio priùs audiebatur, reſonent poſtea feſtiui cantus, gratiarum actio, atque laudantium chori.

3 [d] Conſolabitur ergo Dominus Sion, & conſolabitur omnes ruinas eius;[e] & ponet deſertum eius quaſi delicias; & ſolitudinem eius quaſi hortum Domini. Gaudium, & lætitia inuenietur in ea: gratiarum actio, & vox laudis.

4 Attendite, ô viri Iuda, & electa mihi tribus attentas aures, & animum aduerte. Quia legem ego nouam inſtituam, quæ non arctetur anguſtis terræ promiſſæ finibus, & populum tantùm circumciſum informet, ſed latè pateat ad Gentium populos, ibíque tanquam in proprio ſibi domicilio requieſcat.

4 [f] Attendite ad me popule meus, & tribus mea me audite: quia lex à me exiet, & iudicium meum in lucem populorum requieſcet.

5 Ecce non longè eſt Chriſtus, qui iuſtitiæ meæ, atque fidei ſeruiat hominibus obligatæ; méque iuſtum eſſe operibus probet. Ecce iam egreſſus eſt ille, quem ego Saluatorem elegi, hic verò, qui meum eſt brachium, legibus inſtituet, iudicabítque populos. Hinc iam me populi, & Gentes expectabunt, Gentes, inquam, & populi expectabunt me.

5 Propè eſt iuſtus meus, egreſſus eſt ſaluator meus,[g] & brachia mea populos iudicabunt.[h] Me inſulæ expectabunt, & brachium meum ſuſtinebunt.

6 Eſt autem promiſſionis huius vſque adeò rata & certa futura fides, vt potiùs diſſoluatur rerum natura, quàm mea non impleatur promiſſio. Aſpicite ergo cœlorum admirabilem in ſuo motu conſtantiam, & terræ firmitatem, & quæ in illa ſunt conſiderate. Cœli priùs vaneſcent inſtar fumi; & terra, ſicut veſtis vſu conteritur, diſſoluetur; & qui illam inhabitant, omnes ad vnum interibunt. Neque verbis meis vnquam deficiet fides: in æternum namque durabit promiſſa homini ſalus, & iuſtitia, ac fides nunquam non erunt.

6 [i] Leuate in cælum oculos veſtros, & videte ſub terra deorſum: quia cæli ſicut fumus liqueſcent: & terra ſicut veſtimentum atteretur, & habitatores eius ſicut hæc interibunt. Salus autem mea in ſempiternum erit, & iuſtitia mea non deficiet.

7 Audite me, qui iuſtitiam colitis, in quorum animis hæret inuſta lex, nihil ab hominum conuitiis, nihil ab illuſorum, & maledicorum opprobriis metuaris.

7 [k] Audite me qui ſcitis iuſtum, populus meus, lex mea in corde eorum. Nolite timere opprobrium hominum, & blaſphemias eorum ne metuatis.

8 Nam ſi cœlorum ſolida moles, & terræ firmitas quaſi fumus diſſipabuntur, & ſicut veſtis à tinea conſumentur, quid coniectari licet de illorum conditione, qui in vos conuitia, & maledicta iactauerint. Quare bono eſtote animo, illos enim conficiet repentina dies, ſicut lanam tinea, aut veſtimentum vermis; ſalus autem à me vobis promiſſa in ſempiterna ſæcula, & iuſtitia mea in omnem generationem permanebit.

8 [l] Sicut enim veſtimentum, ſic comedet eos vermis: & ſicut lanam, ſic deuorabit eos tinea. Salus autem mea in ſempiternum erit; & iuſtitia mea in generationes generationum.

9 Quando ergo, ô Chriſte, Dei omnipotẽtis inuictum brachium, abs te ſalutem, & vitã expectamus: Conſurge iam tandem, & opus arduum

9 [m] Conſurge, conſurge, induere fortitudinem brachium Domini:[n] conſurge ſicut in diebus antiquis, in generationibus ſæculorum.

culorum. [o] Numquid non tu percuſſiſti ſuperbum, vulneraſti draconem?

tua fortitudine atque conſtantia dignum aggredere. Conſurge ſicut olim parentum noſtrorum memoria, & primis familiæ noſtræ incunabulis. An ne oblitus es prodigiorum, quæ olim in tuorum cauſa potenter edidiſti? nónne tu Ægyptiorum Regis Pharaonis inflatos ſpiritus compreſſiſti, & draconem illum immanem, qui in medio fluminum ſuorum cubabat, vulneraſti?

10 *Numquid non tu ſiccaſti mare, aquam abyſſi vehementis? qui poſuiſti profundum maris viam, vt tranſirent liberati.*

10 Nónne tu es ille, qui ſiccatu mari, & aqua vehementi diuiſa, populo tuo expeditum, & facilem traiectum præbuiſti? vt quos à ſeruitute priùs, ſic etiam poſtea ab aquarum gurgite, & ab infenſa Pharaonis acie liberares?

11 [p] *Et nunc qui redempti ſunt à Domino, reuertentur, & venient in Sion laudantes, [q] & lætitia ſempiterna ſuper capita eorum: gaudium, & lætitiam tenebunt, fugiet dolor, & gemitus.*

11 Ita ſanè fiet vt petitis; nã ſicut olim apertum mare incolumes & lęti traiecerunt Hebræi, ſic etiã continget iis, qui ex Babylonica ſeruitute in patriã, aut ex antiquo errore ad Eccleſiæ ſinum adducentur. Erit namque in eorum capite corona, & vnguentum, qualibus in nuptiali pompa nouorum coniugum capita exornari ſolent, neq̃ue iam ampliùs apud illos lacrymis erit, aut dolori locus.

12 [r] *Ego ego ipſe conſolabor vos: Quis tu vt timeres ab homine mortali, & à filio hominis, qui quaſi fœnum ita areſcit?*

12 Ego dolorem veſtrum, & angorem leuabo; quod ſi in mea fide, atque tutela es, cur eris vſque adeò exigui, atque imbecillis animi, vt ab homine mortali tibi timendum putes, qui nihilo fœno conſtantior eſt, quod à Solis æſtu momento temporis deflorescit, & perit?

13 [ſ] *Et oblitus es Domini factoris tui, qui tetendit cælos, & fundauit terram: & formidaſti iugiter tota die à facie furoris eius, qui te tribulabat, & parauerat ad perdendum. [t] Vbi nunc eſt furor tribulantis?*

13 Sanè ideo times, quia immemor es Domini conditoris tui; qui cœlorum expandit immenſa ſpatia, qui terram ſtabili fundamento firmauit. Eam ob rem grauiter re exrerruit, atque concuſſit furor eius, à quo vexatus es, quique ad re perdendum animum adiecerat. Sed iam vide in quem finem euaſerint hoſtiles minæ; quò tandem abierit vexatoris tui inflammatus furor.

14 [v] *Citò veniet gradiens ad aperiendum, & non interficiet vſque ad internecionem, nec deficiet panis eius.*

14 Non diu morabitur Seruator tuus; iam iam adeſt, vt vincula diſſoluat, & aperiat carcerem, in quo tibi pereundum arbitrabare. Non ita percutiet Deus, vt interimat; neque ita fame laborare permittet, vt deficiente pane tu quoque deficias.

15 [x] *Ego autem ſum Dominus Deus tuus, qui conturbo mare, & intumeſcunt fluctus eius. Dominus exercituum nomen meum.*

15 Neque eſt cur in ſummo etiam periculo conſtitutus, de tua ſalute, & libertate deſperes. Ego enim ſum Dominus Deus tuus contra cuius imperium nulla poteſt excitari, aut increſcere tempeſtas. Cui maria obſequuntur, & venti, quæ ego cùm libet conturbo, & ſedo arbitratu meo, quique Deus dicor exercituum; cuius dexteræ nulla poteſt repugnare potentia.

16 [y] *Poſui verba mea in ore tuo, & in vmbra manus meæ protexi te, [z] vt plantes cælos, & fundes terram: [aa] & dicas ad Sion, Populus meus es tu.*

16 Ergo, ô popule mi, quem ego ad Eccleſiam adducam, vt illi inſeruias, & in eius amplificationem incumbas, noli timere aut propter tardam, & ineruditam linguam, aut propter pectus imbecillum, & tenue. Ego enim efficiam, ne verba tibi deſint ad perſuadendum; ego tibi adero, dextrámque tibi porrigam, quę te in ſum-

17 [bb] *Eleuare,*

[illegible] mo re

i mo rerum diſcrimine tueatur, vt cœlos plantes, & nouam quandam, atque cœleſtem terram: Eccleſiam dico, quæ in terra plantata inſtar obtinet cœli, & ſpiritus alit verè cœleſtes; & dicas Sioni, id eſt, Eccleſiæ, Verè tu populus es Dei.

17 Eleuare igitur, ô Ieruſalem, eleuare, atque conſurge, è tuorum peccatorum ſordibus. Satis iam ſit dum obſtinata in malitia hæres, dediſſe te longas, & acerbas pœnas. Bibiſti enim largè è calice, quem tibi Domini propinauit furor: calicem, inquam, ſoporiferum, quem ad fundum vſque, & fæces exhauſiſti.

18 O quàm acerba & dura ad hoc vſque tempus ſubiit Ieruſalem, neque in tantis rerum anguſtiis vllus eſt ex numeroſo filiorum grege, qui illi ſolatio, ac leuamento ſit, apprehenſáque manu eximat ex ærumnoſa, ac vili ſeruitute.

19 Duo tibi, eadémque grauiſſima contigerunt mala; alterum interim dum duraret obſidio, in qua ciuium plurimos, aut confecit gladius, aut extinxit fames, alterum obſidione peracta, quo tempore vaſtata eſt, exuſta, atque contrita ciuitas. Quæ igitur conſolatio animi tui ægritudinem leuabit?

20 Filij tui ſic ab hoſte victore oppreſſi, ſic abiecti ſunt, vt in plateis, viarúmque capitibus dormiant; quia nullum habent in ſua fortuna diuerticulum magis opportunum: neque ibi tuti ſunt à plagis, & iniuriis; conciduntur enim à barbara, & petulante turba nihilo mitiùs quàm à venatoribus illaqueatur oryx. Planè illos in eum ſtatum, atque ludibrium egit iuſta Dei, & ſuorum filiorum peccatis inflammata atque ardens indignatio.

21 Idcirco, ô miſella, & paupercula Ieruſalem, quam impleuit, inebriauitque, non vinum, ſed plagarum inflictus, & doloris acerbitas, audi quid iam placatus Dominus, & benignior dicat.

22 Hæc dicit Dominus, quem tu tibi Deum aduocaſti, qui iam pro te contra aduerſarios tuos dimicare conſtituit. Ecce iam abs te remouit calicem ſoporiferi veneni, quem tibi meus propinauit furor; & quem ad crapulam, & ad fundum vſque potauiſti: neque iam ex illo bibes ampliùs.

23 Calicem autem illum indignationis plenum, & furoris mei, transferam ad illos, à quibus vexata, atque depreſſa es; quíque eò progreſſi ſunt crudelitatis, & inſolentiæ, tibi vt imperarent, vt teipſam ſterneres humi, vt, quemadmodum per terram, ſic ipſi per tuorum ſtrata, atque incuruata corpora tranſirent; Neque minus barbarè fecerunt, quam arroganter imperarant; nam cùm te ad eorum imperium proſtrauiſſes, ipſi te duro planè ac barbaro veſtigio conculcarunt.

17 bb *Eleuare, eleuare, conſurge Ieruſalem,* cc *quæ bibiſti de manu Domini calicem iræ eius. Vſque ad fundum calicis ſoporis bibiſti, & potaſti vſque ad fæces.*

18 *Non eſt qui ſuſtentet eam ex omnibus filiis, quos genuit; & non eſt qui apprehendat manum eius ex omnibus filiis, quos enutriuit.*

19 dd *Duo ſunt quæ occurrerunt tibi, quis contriſtabitur ſuper te? vaſtitas, & contritio, & fames, & gladius, quis conſolabitur te?*

20 ee *Filij tui proiecti ſunt, dormierunt in capite omnium viarum,* ff *ſicut oryx illaqueatus:* gg *pleni indignatione Domini, increpatione Dei tui.*

21 hh *Idcirco audi hoc paupercula, & ebria non à vino.*

22 *Hæc dicit dominator tuus Dominus, & Deus tuus, qui pugnauit pro populo ſuo:* ii *Ecce, tuli de manu tua calicem ſoporis, fundum calicis indignationis meæ, non adiicies, vt bibas illum vltrà.*

23 *Et ponam illum in manu eorum qui te humiliauerunt,* ll *& dixerunt animæ tuæ, Incuruare vt tranſeamus, & poſuiſti vt terram corpus tuum, & quaſi viam tranſeuntibus.*

IN CAPVT QVINQVAGESIMVM PRIMVM COMMENTARIVS.

1. a AVDITE me, qui ſequimini, quod iuſtum eſt: & quæritis Dominum.] Duo hominū genera in Iudæorum etiam gente à Deo ſunt oſtenſa præcedenti capite. Alterum eorum, qui Deum timebant, ſpémque locauerant in illo. De quibus dictum eſt, *Quis ex vobis timens Dominum*. Alterum eorum, de quibus ibidem, *Omnes vos accendentes ignem*. De horum ſupplicio, atque exitu dictum eſt nuper in extrema parte capitis. Ad illos nunc iterum ſermonem conuertit Propheta, & monet quid in ſuſcepto vitæ conſilio intueri maximè expediat.

2. b *Attendite ad petram, vnde excisi eſtis: & ad cauernam laci, de qua præciſi eſtis.*] Quinam ſint intelligendi in petra, & in cauerna laci, ſatis indicat, quod mox additur; *Attendite ad Abraham patrem veſtrum, & ad Saram, quæ peperit vos.* Quo loquendi modo, vt credo, Hebræis familiari, honeſtè exprimitur res non admodū honeſta, id nimirum quod filij à patre, quod item à matre habent in conceptu, atque ortu. *Petra* vocatur Abraham, quia ex eius lumbis ac renibus, ex quibus ſeminalis materia deciditur, exciſi quoque videntur liberi, quia à virili ſemine in materno formarentur vtero. Porrò pars hæc corporis, cùm de propagādā ſobole ſermo eſt, ſæpe nominatur; & quidem de Abraham ſæpius, quàm de aliis. *Geneſ. 15. verſ. 11. Reges de lumbis tuis egredientur.* Et *ad Hebræos 7. verſ. 5.* de filiis Leui, *Et ipſi exierunt de lumbis Abrahæ.* Et *verſ. 10.* de Leui *Adhuc enim in lumbis patris erat, quando obuiauit ei Melchiſedech.* Et ſanè metaphora non videtur dura; quia renes vnde virtus illa formandi fœtus deriuatur, lapidis habet non exiguam ſimilitudinem. Plura ſi voles, Medicos conſule, quorum hoc negotium potiùs eſt, quàm Theologorum.

Abrahā cur dictus petra.

3. Sara dicitur *lacus* aut *laci cauerna*, quia eius vterus lacus quidam, aut ciſterna fuit, vnde tam copioſa filiorum ſoboles exhauſta eſt. Pro *cauerna*, Hebraicè eſt מַקֶּבֶת *makabeth*, quæ *perforationem* ſignificat, & eſt alluſio ad vocem נְקֵבָה *nekabah*, quæ *fœminam* valet, id eſt *perforatam*. Quo dicendi genere Scriptura ſacra, vt ſolet, modeſtè exprimit organa, quæ in muliebri ſexu, concipiendo, atque edendo fœtui natura prouidit. Pro *cauerna*, Septuaginta tranſtulerunt *foueam*: Symmachus *foramen*, Aquila *exciſionem*; Eodem omnes ſenſu, & tranſlatione non admodum diuerſa.

Sara cur dicta lacus

4. Cæterum metaphora petræ, ſeu lapidicinæ accommodaſſima eſt ad *filij* nomen, qui Hebr. בֵּן *Ben*, dicitur, à verbo בָּנָה *Banah*, quod eſt *ædificare*, quaſi quoddam ædificium ſit, ex patris ſatu, matriſque conceptu fabricatum, aut quaſi quidam lapis in ædificio, ſeu ſtructura familiæ. Ex quo frequens eſt in Scriptura ſacra, vt *domū ædificare*, idem ſit quod *liberos ſuſcipere*. *Exod. 1. Quia timuerunt obſtetrices Dominum, ædificauit eis domos.* Et de illo, qui non vult ſuſcitare ſemen fratris ſui, id eſt, filios ſuſcipere, qui aſcribantur fratri, dicitur *Deuter. 25. Sic fiet homini, qui non ædificat domum fratris ſui.* Et *Ruth cap. 4. Faciat Dominus hanc mulierem, quæ ingreditur domum tuam, ſicut Rachel, & Liam, quæ ædificauerunt domum Iſrael.* Ex hoc loco credo tam illuſtri & noto Iudæos prouerbiali ſpecie appellatos eſſe *lapides exciſos a petra hac*, id eſt, ortos ex Abrahami ſtirpe. Quare ſatis eſt veriſimile cùm Ioannes Baptiſta dixit *Matth. 3. Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ*; ad hunc Iſaiæ locum reſpexiſſe. Nam cùm illos alloqueretur, qui ſibi in Abrahami nomine, ac ſtirpe multùm placerent, in eóque plus ſatis confiderent, quòd lapides eſſent ex ea lapidicina deciſi; Ioannes in veros lapides, qui tunc præſentes aderant, intento digito ait ex illis lapidibus promptum eſſe Deo facere filios Abrahami; qui multò meliùs, quàm illi Iudæi lapides dici poſſent ex illa Abrahami myſtica lapidicina ſublati.

Ædificare de filiis dicitur.

Matth. 3.

5. Quidam exiſtimant hæc ad Chriſtum pertinere, non ad Abraham, Chriſtus enim *petra* dicitur, quæ paſſionis tempore grauiter concuſſa, ac perforata fuit; ex qua præciſi ſunt, qui tanquam viui lapides in Eccleſiæ fabrica conſtruuntur. Ita Procopius, Haymo, & Hieronymus in ſecunda expoſitione iuxta tranſlationem Septuaginta. Et quidem horum tranſlatio non parum fauet huic explicationi. Sic autem illi, *Inſpicite in ſolidam petram quam excidiſtis, & in foueam laci, quam fodiſtis.* Sed alij frequenter de Abrahamo, & Sara accipiunt, in quibus eſt etiam Cyrillus, qui iuxta Septuaginta verſionem locum interpretatur.

Chriſtus petra.

Superior explicatio, quæ adducta à nobis eſt priori loco, magis eſt cōmunis. & Hebraico, atque Latino textui bellè conſentiens. Sed vt quod ibi videtur indecorum, ſi modò aliquis eſt, qui ita c[illegible] ſcat, effugiamus, vide an ſub alia metaphora eadem ſententia contineri, atque explicari poſſit. Vitatum eſt in omni, vt reor lingua, vt *fons* pro gene[illegible] principio, & capite ſumatur, neque inter Hebræos inuſitatus hic loquendi modus: nam ſuprà [illegible].48. Iudæi dicuntur exiiſſe *de aquis Iuda*. Et *Pſalm. 6[illegible]. de fontibus Iſrael.* Erat autem Iſraelitis notiſſimus fons ille, qui in deſerto, atque in æſtuoſo loco exiliuit de petra *Exod. 17.* item alius, qui *Num. 21. puteus* vocatur, quique commodè *cauerna* aut *lacus* dici poteſt; quem ſuis baculis perfoderunt principes, ſcilicet Moyſes, & Aaron. Qui duo fontes cùm maximè populum laborare ſiti, producti ſunt. Priorem fontem Deus comparare videtur cum Abraham; qui non tam continuiſſe videtur, quàm effudiſſe aquas, quod agentis facultatis eſt, & ideo illum *petram* appellat. Poſteriorem cum Sara, quæ quaſi quidam lacus, ſeu puteus fuit, quæ quas aliunde collegit aquas, vtpote, quæ pati[illegible]di, ac recipiendi facultatem habebat, tandem effudit, & *cauerna laci* nominatur. Iubentur itaque Iudæi ſpectare ſui generis font[illegible] [illegible]gines vt eorum conſideratione ex[illegible]tati, me[illegible] ſua [illegible]udi[illegible] & tenuitate confidan[illegible] vt iam dicemus.

Quia vnum vocaui eum, & benedixi ei, & multiplicaui eum.] Pauci erant ſuperiores illi, de quibus nuper, [illegible] D[illegible] timerent, & vocem audirent

Deus magna præſtat inſtrumentis infirmis.

Chriſti. Quare ex infirmo, atque puſillo grege nihil magnum ſperare poſſe videbatur. Horum igitur animos parentum ſuorum commemoratione confirmat Deus, proponitque in parentibus, quæ omnem ſpem, non modò numeroſæ ſobolis; ſed omnino poſteritatis præciderent. Atque ideo puto Abrahamum *petram* vocatum eſſe, & Saram *laci cauernam*. Vt enim a petra arida, & dura ignem cõcuſſu eliceas potius, quàm aquam: item ex lacu, ſeu lapidicina, vnde excidantur ſaxa; ſic ex Abrahamo, cuius corpus iam ſenile erat, & effœtum, neque magis fœcundum, quàm ſi ex ſilice eſſet, aut pumice. Atque ideo ab Apoſtolo *emortuum* dicitur *ad Romanos cap. 4. verſ. 19.* Sicut etiam *emortua* vocatur Saræ vulua; ſic enim de Abrahamo. *Nec conſiderauit corpus ſuum emortuum, cum ferè centum eſſet annorum; & emortuam vuluam Saræ.* In *cauerna laci*, id eſt, vulua, nempe concluſa, honeſtè Deus indicare videtur Saræ ſterilem vuluam, vt putat Vatablus. Hæc quidem ſatis humanæ cogitationi omnem ſpem adimunt; ſed addit Deus aliquid aliud, dum illum vnum euocatum eſſe dicit generis auctorem Iſraelitici. In hac tamen tanta ſolitudine, atque ſterilitate Deus ſic amplificauit populum ex ſterili illa, & emortua ſtirpe propagatum, vt æquauerit ſtellas cœli, & arenas, quæ ſunt in littore maris. Hoc exemplo Deus exanimato, ac deſperanti populo perſuadet, etiam ſi exiguus ſit ſanctorum numerus, ex eo tamen naſcituram infinitam fidelium multitudinem, qua abundet, & ornetur Sion. In hanc ſententiam conſpirant omnes ferè interpretes.

8. [a] *Conſolabitur ergo Dominus Sion: & conſolabitur omnes ruinas eius.*] Obſcurum eſt an ſermo ſit hic de Sione terrena, quæ poſt Babylonici exilij ſolutionem inſtaurata eſt, & ciuibus hinc inde confluentibus impleta: an de Eccleſia cui hæc felicius & cumulatiùs contigerunt. S. Thomas de terrena Ieruſalem hæc accipit, cui ſubſcribit Hugo, neque ad eam ſententiam difficilis eſt Pintus, quam frequentes amplectuntur Hebræi. De Eccleſia ſumunt alij omnes, quibus commemorandis ſuperſedeo; quorum ſententia mihi omnino probatur. Neque obſtat, quòd propoſitus ſit Abraham, cum vxore Sara tanquam generis auctor, qui tamen non omnium pater, ſed tantùm Iſraelitarum fuit: neque quod Sioni, quæ Iudaicæ religionis caput eſt, & metropolis, hæc à Deo promiſſa eſſe videntur. Quia cum Abrahām *pater* dicatur eſſe *credentium*, & cui vel ex lapidibus Deus quotidie nouam excitat prolem, qui filij ſunt Euangelij, & fidei, hi quoque *filij* dicuntur *Abraham*. Probat hoc multis Iuſtinus dialogo contra Tryphonem, & docet apertè Paulus *ad Romanos 4.* Vbi ſic de Abraham. *Et ſignum accepit circumciſionis ſignaculum iuſtitiæ fidei, quæ eſt in præputio, vt ſit pater omnium credentium per præputium, vt reputetur illis ad iuſtitiam: & ſit pater circumciſionis, non iis tantùm, qui ſunt ex circumciſione, ſed & his, qui ſectantur veſtigia fidei, quæ eſt in præputio patris noſtri Abrahæ.* De Sion minùs eſt dubitandum, quæ cùm Eccleſiæ figura ſit, ſæpe etiam ſumitur pro Eccleſia.

Abrah. pater credentium.

9. Nihilominus mihi non videtur improbabile, hic etiam ſermonem eſſe de terrena Sion, & inſtaurata mœnibus, & antiquæ gloriæ reſtituta: quia hæc quæ mox ſubiiciuntur à propheta, Sioni conueniunt poſt Iudæorum libertatem; ita tamen vt in Sione terrena tanquam in vmbra præcipuè ſpectetur Eccleſia, quam hoc vaticinium intuetur; & cuius gloriam, & amplitudinem proponit.

[b] *Et ponet deſertum eius quaſi delicias: & ſolitudinem eius, quaſi hortum Domini: gaudium, & lætitia inuenietur in ea: gratiarum actio, & vox laudis.*] Facilè hæc ad Sionem poſt Babylonicam cladem referri poterant, cuius agros carmina prius amœnitatis, ſic peruagatus eſt hoſtilis furor, ſic in vrbe graſſatum incendium, vt ager olim cultus deſertus eſſet, & ſyluarum in morem ferus, & ſqualidus: & in ciuitate non tam antiquæ gloriæ, quàm ignis veſtigium appareret; ſic tamen affulgente libertate conuerſa eſt ciuitatis fortuna, vt in deſerto, ac ſolitudine, tanquam in paradiſo Dei delicias ſpectes: & vbi priùs nihil niſi lamenta, querimoniæ, atque eiulatus audiebantur, hunc iam reſonent feſtiui cantus; gratiarum actio, & laudantium chori. Hæc vt dixi, verè contigere Sioni reſtitutæ; ſed multò magis Eccleſiæ à Chriſto fundatæ, id eſt, veræ, ac myſticæ Sioni. In qua cùm principiò omnia eſſent tyrannorum potentia, atque furore tentata, ita vt extinguenda videretur lux, quæ tunc primùm apparebat in terris; & teneram adhuc plantam, quæ nec dum ſatis firmata radicibus innitebatur, acer perſecutionum turbo concuteret, omnia erant metus, atque perturbationis plena. Poſtea verò quanta fuerit ſucceſſu tando, quanta exultatio, quãta gloria, nemo non videt. Omnia hæc affatim oſtendunt, & probant Apoſtolorum acta, & ſacri, atque Eccleſiaſtici annales abundè teſtantur. 10.

Hæc de Eccleſia quatenus in Sion ipſius typo ſplendet, ſed non incommodè hæc accommodari poſſunt in illam Eccleſiæ partem, quæ ex Gentibus aggregata eſt, quæ deſertum dicitur Sionis, quia tunc deſerta illa quæ aliquando futura erat Eccleſiæ pars. Ita cenſent Procopius, & Haymo. Vocatur autem à noſtro propheta gentilica natio, deſerta, & ſterilis *cap. 54. Lauda ſterilis quæ non paris: decanta laudem, & hinni, quæ non pariebas: quoniam multi filij deſertæ*, &c. Quia ad tempus vſque Euangelij nullos Deo ſpirituales filios generabat, & ... dita inani ſuperſtitioni cum idolis fornicabatur: & quaſi lucus arboribus ſylueſtribus, & ſteril... denſus, & aſper latibulum erat beſtiarum. Sed poſtea exculta gentilitas Euangelio ſpiritualem, & ingenuam ſuſcepit ſobolem: & quaſi hortus Domini, id eſt, paradiſus voluptatis Gr... herbis, atque frugiferis plantis conſita, & ſpeciem habuit cœlitibus iucundam, & fructus vberes, atque mirificos. 11.

Illud *quaſi hortus Domini* dupliciter explicari poteſt. Aut enim ſumitur pro paradiſo de quo *Geneſ. 2.* qui *Domini* vocari potuit, quia in eo ornando attentior videtur fuiſſe diuina ſolertia, quique iam per antonomaſiam communi nomine *paradiſus* nominatur, cui ſimiles dicuntur horti, in quibus eximius apparet ornatus, & amœnitas, ſicut apud profanos *Heſperidum*, aut *Alcinoi horti*, ſeu *Theſſala tempe* in vberum, atque elegantiam hortorum comparationem adduci ſolent. Qualiter dici videtur de Sodomis ante incendium cœleſte, quæ *Geneſ. 13.* fuiſſe dicuntur *ſicut paradiſus Dei*. Et *Ezechiel. 36. verſ. 35. vt hortus voluptatis.* Et *Ioel cap. 2. verſ. 3. quaſi hortus voluptatis.* Vtrobique eſt Hebr. *hortus Eden.* 12.

Hortus Domini quis.

Hortus præterea *Domini* dici etiam poſſet, ſine vllo ad primum illum hortum reſpectu, quicumque hortus arte, naturáve conſpicuus: quo ſenſu *montes*, & *cedri Dei* dicuntur, in quibus aliquid eſt, quod propter ſpeciem aut altitudinem admirere. In hanc ſententiam aſſumo illud *Ezech. c. 28. ver. 13.* Ezech. 28.

de rege Tyri. *In delicijs paradiſi Dei fuiſti*, id eſt, maximis. Vtroque modo explicari poteſt locus iſte, neque mihi, quid potiùs amplectar, promptum eſt. Inclino tamen magis in poſteriorem: nempe vt hortus dicatur fœcundus, & pulcher, & Deo denique auctore, & plantatore dignus. Adducor in hanc cogitationem, quia in antiquo illo paradiſo Scriptura ſacra non docet fuiſſe gratiarum actionem, & vocem laudis, quas Deus in hoc horto futuras affirmat. Tunc verò illud *quaſi* non ſimilitudinem importat; ſed veritatem, ſicut illud *Ioan.* 1. *Gloriam quaſi vnigeniti à Patre*, hoc ſenſu, In ſolitudine illa plantabit ſibi Dominus hortum tanto artifice, ac poſſeſſore dignum, talem denique vt Deus ibi iucunde habitet, & quilibet in eo diuinam potentiam & ſolertiam agnoſcat. B

14. [f] *Attendite ad me populo meus, & tribus mea me audite: quia lex à me exiet, & iudicium meum in lucem populorum requieſcet.*] Loquitur hîc ad paucos illos, qui ex tanta Iudæorum multitudine Deum timebant, quóſque exemplo Abrahæ ad ſpem vocauerat numeroſæ prolis. Nunc quomodo amplificanda ſit illa myſtica Sion, & illius implendæ ruinæ edocet. Et quia magnum aliquid eſt, quod dicere aggreditur, eos attentos eſſe iubet ſemel, atque iterum cum geminatione eiuſdem ſententiæ. *Attendite populo meus, & tribus audite*, quæ non eſt ſine epitaſi. Dicit ergo legem aliam nouam inſtituendam eſſe ab eodem, qui per Moyſem tulerat antiquam; quæ non arctetur anguſtis finibus terræ promiſſionis, & populum tantùm circumciſum C inſtituat, ſed latè pateat ad gentium populos, neque id obiter, aut ſtrictim, ſed ita vt apud eos tanquam in propria diœceſi ac domicilio requieſcat.

15. Hæc credo nō difficilia ſunt, quæ pluribus interpretum probantur. Sunt qui putent in *populo* nationes intelligi gentilicas: in *tribu* autem Iudaicam Gentem, quod mihi nullo modo probari potuit; tum quia illud *meus*, quod cum *populo* & *tribu* coniungitur, aliquid indicat, quod Deus ſpeciali quodam conſilio ex omnibus ſibi ſelegerit, adoptaueritque; tum etiam, quia ſicut neque *gens*, in ſingulari, ſic etiam neque *populus* in eodem numero pro populo ſumitur Gentilico; Quare, vt reor, *tribus*, & *populus* pro gente Iſraelitica, *populi* verò, in quorum D lucem venturum dicitur Dei iudicium, pro externis aliis nationibus adhibentur. Hic locus anguſtè premit Iudæos, quia apertè conuincit abrogandam legem antiquam, & inducendam nouam: quo vtitur Tertullianus *lib. 4. contra Marcionem cap.* 1. Auguſtinus *de veritate Eccleſiæ*. Euſebius *lib.* 2. *de demonſtr. cap.* 34.

16. *Propè eſt iuſtus meus, egreſſus eſt ſaluator meus.*] Iuxta hanc Hieronymi tranſlationem, hæc verba videntur pertinere non ad Chriſtum, ſed ad Patrem: qui ad Eccleſiam conſtituendam, amplificandámque miſſurum ſe dicit Filium ſuum, qui in E Actis Apoſtolorū ſæpe vocatur *iuſtus* per antonomaſiam. Quem etiam *Saluatorem* appellat *ſuum*. quia per illum operatus eſt hominum ſalutem, mundúmque ſuæ ſubiecit voluntati. Qua ratione princeps ſtrenuum aliquem ducem *ſuum* appellat *debellatorem*, aut *expugnatorem*, quia debellatas, aut expugnatas vrbes Principis ſubmittit imperio. Sed iuxta veritatem Hebraicam, verſionémque ſeptuaginta, vt reliqua accommodata ſunt Chriſto, ſic etiam poſteriora hæc accommodantur non inuita. Nam pro *iuſtus meus* Hebr. eſt צדקי *ſſidki*, id eſt, *iuſtitia mea*, & pro *ſaluator meus* ישעי *iiſgi*, id eſt, A *ſalus mea*, neque admodum contrapugnat noſtra tranſlatio, quæ nonnunquam concretum adhibet pro abſtracto. Certè Hieronymus hæc eadem nomina ſtatim per abſtractum reddit cum alluſione ad hunc locum. *Salus autem mea in æternum erit: & iuſtitia mea non deficiet.* Adhibitum autem eſt præteritum pro futuro prophetarum more. Et illud *propè eſt*, coarguit vehementer Iudæos, qui cùm propè dicatur futurus iuſtus, & Saluator, & noua lex inducenda, adhuc tamen, poſt tam longum ab ea promiſſione tempus, Meſſiam expectant.

Regula. Concretum pro abſtracto ponitur.

[g] *Brachia mea populos iudicabunt.*] S. Thomas, & Hugo *brachium Dei* Cyrum eſſe putant, & Darium, per quos Deus imperium Babylonicum iudicauit & deleuit. Auguſtinus libro de eſſentia diuinitatis per *brachia* Filium, & Spiritum ſanctum intelligit. Alij Chriſti potentiam, qua populos iudicabit; aut etiam Apoſtolos, qui cum Chriſto in extremo ſæculorum articulo iudices ſedebunt. Ita Hayino. Lyra, & Pinus. Ego hîc *brachium* pro fortitudine ſumo, & Chriſti illam eſſe interpretor, qui virtute ſua vocatis ad ſe gentibus populos ſubiugauit. Ita ferme Hieronymus, Adamus, Foreirus, & alij. *Iudicare* multa in Scriptura ſignificat, ſed quocumque accipias modo, aliquid ſemper ſonat à ſuperiori poteſtate: Eſt enim idem quod iudicio, aut ſententia ſua oſtendere quid iuſtum, & honeſtum, & quid ſecus ſit. Quod optimè præſtitit Chriſtus dum ſanctionibus Euangelicis docuit quid in honeſtis, quid in turpibus numerandum ſit. Deinde *iudicare* idem eſt, quod moderari ac gubernare, qua ratione *iudices* dicuntur, qui populo præſunt; quales fuere, qui in republica Iſraelitica ante reges dominati ſunt. Quo etiam ſenſu verum eſt brachiis Chriſti iudicatos eſſe populos, id eſt, ſubactos, ita vt illum cognoſcant legiſlatorem, & Dominū. Quod dixit Chriſtus ad hunc forſaſſe locum reſpectans *Ioan. cap.* 12. *Nunc iudicium eſt mundi; nunc princeps huius mundi eijcietur foras.* Quia ſi princeps huius mundi a ſua ſede, puta Regia, depulſus eſt, ac foras eiectus, conſequēs eſt, vt regnum occupet ab antiquo poſſeſſore vacuum, qui illum deturbauit. Et hæc explicatio mihi præter cæteras probatur, quam indicat Forerius, Adamus, immò etiam Hieronymus, qui ideo putat iudicandos populos, quia Chriſto nationes creditutæ ſunt. 17.

Iudico multa ſignificat.

Ioan 12.

18. Sed vide an etiam aliter exponi poſſit hic locus ex ambigua ſignificatione verbi *iudico*, quod fauorem interdum ſignificat, & patrocinium, interdum vindictam, ſupplicium, aut aliquam actionem, quæ ex indignatione, aut offenſione naſcitur. Cùm ergo mundus duro premeretur iugo ab iniquiſſimo, atque ſæuiſſimo domino, Dominus iudicare voluit principem huius mundi, id eſt, diabolum, cum illum ex regno, quod iniuſtè occuparat, ignominioſè deiecit, & populos, id eſt, Gentilicas nationes in libertatem aſſeruit, quas in potenti dominatu durus opprimebat tyrannus. Id verò præſtitit omnipotenti dextera vindex Chriſtus, aut ſi mauis, vt alij volunt, Pater per Chriſtum, qui ſæpe in Scriptura *brachium* dicitur *Patris*.

19. [h] *Me inſulæ expectabunt, & brachium meum ſuſtinebunt.*] Hæc ex ſuperioribus nota ſunt quæ [illegible] hil ſignificant aliud, quàm à Chriſto ſperatam, paratámque omnibus Gentibus eſſe ſalutem, de quo Iacob *Geneſ.* 49. *Et ipſe erit expectatio Gentium.* Alibi à nobis dictum eſt in *inſulis* nationes d[illegible]nari Gentilicas, & quid *inſularum* nomine intelligatur. Eſt autem hic eadem ſententia duobus modis per

epexegeſim

epexegeſim explicata. *Expectare* verò & *ſuſtinere* ſyuonyma ſunt. Exempla habes multa, nunc accipe duo, *ex Pſal. 24. verſ. 3. Qui ſuſtinent te, non confundentur.* Et *verſ. 6. Te ſuſtinui tota die.*

20. i *Leuate in cœlos oculos veſtros, & videte ſub terra deorſum, quia cœli ſicut fumus liqueſcent, & terra ſicut veſtimentum atteretur: & habitatores eius ſicut hæc interibunt. Salus autem mea in ſempiternum erit, & iuſtitia non deficiet.*] Hæc verba Hieronymus, Haymo, & Lyra reſpicere exiſtimant extremum iudicij tempus, in quo futura eſt cœlorum, & terræ maxima mutatio, accommodatè ad interpretationem illorum verborum, *brachia mea populos iudicabunt.* Quæ Haymo, vt dixi, & Lyra ad illum iudicij articulum trahebant. Foreirus defuturum dicit quidquid etiam in æternum videbatur ſtabile, qualis cœlorum eſt, & terræ firmitas, priuſquam deficiat illa ſalus, quam per Chriſtum obtinebunt ij, qui Deum timent, & ab eo vnico ſuæ ſalutis auctore, ac firmamento pendent.

21. Alij exiſtimant hic tantùm agi de diuini promiſſi firmitate, quæ ſic erit ſtabilis, & rata, vt priùs vaneſcant, & intereant quæ æterna iudicantur ab hominibus, quàm fides deficiat, aut ſucceſſus non reſpondeat diuinæ promiſſioni: ita exponit S. Tho. Adamus, & Pintus. Et hoc mihi probatur maximè, quia eum veritate, & fide maxima conſpirat, & cum præcedentibus aptiſſimè connectitur; eodem omninò ſenſu, vt cum aliis docet etiam Hieronymus, quo Chriſtus dixit *Matthæi cap. 24. Cœlum & terra tranſibunt; verba autem mea non præteribunt.* Alluſiſſe autem videtur propheta *ad Pſal. 101.* Vbi eadem ferme numerantur verba. *Opera manuum tuarum ſunt cœli, ipſi peribunt, tu autem permanes, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent.* Ex quo loco, & ex eo, quem nunc verſamus, ſancti multa de cœlorum, terræque mutatione dicunt. Hieronymus *hic,* Chryſoſtomus *in cap. 7. ad Romanos* ad illud *Vanitati quippe creatura ſubiecta eſt.* Irenæus *lib. 4. cap. 6.* Ego hîc non diſputo, an aliquo tempore futurum ſit, vt extabeſcant cœli, aut terra prætereat: aut quomodo ea Scripturæ teſtimonia, quæ de eorum diſſolutione, atque interitu videntur loqui, ſint intelligenda, quia hoc opus longum eſt, & alieni negotij. Vide interim Conimbricenſes *in lib. 1. cap. 3. de cœlo q. 1.* Vbi ea de re eruditè, & copioſè. Tantùm dico id quod neceſſe eſt, maiorem firmitatem eſſe, atque conſtantiam in diuinæ promiſſionis fide, quàm in cœlorum, terræque firmamento.

22. Nihilominus arbitror adhibitam eſſe hîc à Domino hypotheticam quandam, ſeu conditionalem comparationem, qualis ex aliquorum ſententia eſt illa, de qua nuper *Matthæi 24. Cœlum, & terra tranſibunt: verba autem mea non præteribunt.* Hoc ſenſu, Si alterum horum defecturum ſit, deficient priùs cœlum, & terra, quàm meis verbis deficiat fides. Ita explicat hunc locum Ianſenius ex ſententia Euthymij; & oſtendit, & penè probat Chriſtus *Lucæ 16. Facilius eſt cœlum, & terram præterire, quàm à lege vnum iota cadere.* Cuius loci ea videtur eſſe ſententia, vt optimè ibi Ianſenius, non quòd cœlum, & terra præteritura ſint aliquando, ſed illud citiùs euenturum, quod nemo futurum putat, quàm contingat, vt inane excidat diuinum verbum: ſicut nos communiter dicere ſolemus, cùm aliquid fieri non poſſe, aut nunquam futurum ſignificamus, *citiùs cœlum ruet,* aut *priùs rerum diſſoluetur natura, quàm hoc fiat.* Qui loquendi modus vſitatiſſimus eſt non ſolùm in profanis, ſed etiam in ſacris Scriptoribus. Ex profanis Virgilius *eclog. 1.*

Diuinæ promiſſionis firmitas. Matth. 24.

Lucæ 16.

Comparatio cõditionalis.

Antè leues ergo paſcentur in æthere cerui,
Et freta deſtituent nudos in littore piſces,
Antè pererratis amborum finibus exul
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim,
Quàm noſtro illius labatur pectore vultus.

Ouidius *lib. 1. de Triſtibus eleg. 7.*

In caput altu ſuum labentur ab æquore retro
Flumina, conuerſis Solque recurret equis.
Terra feret ſtellas, cœlum ſindetur aratro,
Vnda dabit flammas, & dabit ignis aquas.

Et ſimilia occurrent paſſim apud poetas.

Ex ſacris Iſaias *cap. 54.* in eandem, vt reor, ſententiam. *Montes commouebuntur, & colles contremiſcent; miſericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non commouebitur;* Et *Pſal. 71.* qui de Chriſto eſt; certè non poteſt non eſſe de Chriſto, quem modò producam locum. *Orietur in diebus eius iuſtitia, & abundantia pacis, donec auferatur luna.* Et *Matthæi capite 5. Amen dico vobis, donec tranſeat cœlum, & terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege.* Vtriuſque autem loci & illius quem nuper *ex Luca cap. 16.* adduximus, ea ſententia eſt; tunc defuturam Chriſti iuſtitiam, ſeu legem, quando luna, cœlique deficiant, id eſt, nunquam defuturam: quia aut illa nunquam deficient, ſaltem quoad ſubſtantiam, aut quia vulgo, cuius opinioni in loquendo ſæpe ſe ſcriptor ſacer accommodat, in æternum duratura exiſtimabantur. Eſt ergo ſenſus, peritura omnia, quæ aut ſunt, aut hominum opinione exiſtimantur æterna, & quæ in ipſis continentur, quæ habitatorum nomine ſignificantur, & rerum naturam diſſolutum iri, non tamen diuinæ iuſtitiæ, aut promiſſæ ſaluti defuturam fidem. 23.

Pſal. 71.

Meminiſſe autem hîc maximè oportet id, quod nuper obſeruauimus ad illud *Prope eſt iuſtus meus, egreſſus eſt Saluator meus,* iuxta textum Hebraicum, verſionémque Septuaginta pro *iuſtus meus,* & *ſaluator meus* eſſe *iuſtitiam meam,* & *ſalutem meam,* quæ ibi à Chriſto eſſe promiſſa dicebamus. Ad illam ergo ſalutem, & iuſtitiam reſpicit hîc Chriſtus, quam ita certam, & ratam futuram affirmat, vt priùs peritura ſint omnia, quàm illius promiſſionis fides non impleatur. 24.

Vbi noſter *cœlum ſicut fumus liqueſcent,* Septuaginta vertunt, *quoniam cœlum ſicut fumus firmatum eſt.* Quod ſanè conuerterunt ſatis ſignificanter, cuius tranſlationis hæc eſt ſententia, quam non reſpuit Hieronymus: Si cœli ſtabilitatẽ, cum diuinæ promiſſionis firmitate componas, non aliam videri, quàm firmitatem fumi, qui facilè à vento diſſipatur, aut etiam, ſi ventus abſit, ſua ſponte vaneſcit; Quare quæ leuiſſima ſunt, à fumi natura capiunt ſimilitudinem, *Pſal. 36. v. 20. Quemadmodum fumus deficient.* idem *Pſal. 67. v. 3.* & *Pſal. 101. Defecerunt ſicut fumus dies mei. Sapient. 5. verſ. 15.* ſpes impij eſſe dicitur, *tanquam fumus, qui à vento diffuſus eſt.* 25.

Prouerbiũ.

26. k *Audite me, qui ſcitis iuſtum, populus meus, lex mea in corde eorum, nolite timere opprobrium hominum.*] Sententia ex dictis perſpicua eſt. Loquitur Chriſtus cum illis, qui *iuſtum,* id eſt, *iuſtitiam,* ſiue, vt Septuaginta vertunt, *iudicium* ſciunt, practicè nimirum, id eſt non inutiliter & otioſè; & ex promiſſæ iuſtitiæ, atque ſalutis firmitate bono eſſe animo iubet in medio illorum hominum conflictu, qui maledictis lacerant, & audaci, ac petulanti lingua conuitia intorquent, & minas intentant. Hæc ſpes certa his promittitur, qui iuſtitiam ſciunt, id eſt, his in

Lex Dei in corde hominum.

in quorum animis plantata eſt lex, de qua *Pſal.* 36. *Lex Dei eius in corde ipſius, & non ſupplantabuntur greſſus eius.* Lex autem Euangelica, de qua hîc propheta, in corde ſcribitur *Ierem.* 31. *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam.* Quòd ſi cordi, vt debet, lex inſederit diuina, diuinæ ſe voluntati attemperabit cor, vt de ſe ipſo fatebatur Dauid *Pſalm.* 118. *In corde meo abſcondi eloquia tua, vt non peccem tibi.* In illo *lex mea in corde eorum.* credo deſiderari relatiuum, quod apud Hebræos frequentiſſimum eſt. Vide Pagninum *lib.* 1. *inſtitutionum, cap.* 25. quare ſenſus erit: *In quorum corde lex mea.*

17. [l] *Sicut enim veſtimentum, ſic comedet eos vermis, & ſicut lanam, ſic deuorabit eos tinea: ſalus autem mea in ſempiternum erit.*] Capite quinquageſimo oſtenderat Chriſtus, quàm infirmi ſint illi, qui ipſius conſiliis ſuam opponunt audaciam, & inſidias, quandoquidem à ſe habent, quo conſumantur, & deficiant. Sicut veſtimentum ex ſe gignit, & in ſe continet tineam, à qua corroſum intereat. Idem nunc repetit, vt oſtendat iuſtis nihil eſſe metuendum ab impiorum opprobriis, & calumniis, quandoquidem illis feſtinus imminet interitus, vel à ſe ipſis, etiamſi ab aliis nulla intercedat externa vis: cùm tamen ſalus iuſtis promiſſa duratura ſit in ſempiternum. Reſpicit autem hic comparationem ſuperiorem, à qua vim accipit præſens. Si enim cœli, quorum tanta firmitas eſt, vt de illis dicatur *Pſalm.* 148. *Statuit ea in æternum, & in ſæculum ſæculi.* comparatione promiſſæ ſalutis, aut ſicut fumus liqueſcent, aut illam habebunt ſtabilitatem, quam habet fumus. & terra de qua *Eccl.* 1. *Terra autem in æternum ſtat*, ſicut veſtimentum atteruntur; quid exiſtimandum erit de imbecilla hominum natura, quæ innatam habet tabem, a qua putreſcat, & tineam à qua tacitè, & ſine ſenſu conſumatur.

Humanæ vires infirmæ & futiles.

18. [m] *Conſurge, conſurge, induere fortitudinem brachium Domini.*] Hæc verba prophetæ ſunt, aut populi expectantis Chriſti aduentum. Hîc Septuaginta inſerunt *Ieruſalem*, & legunt *conſurge, conſurge Ieruſalem.* ad quam lectionem antiqui Patres expoſitionem attemperant; ſed non eſt in Hebraico textu, atque ideo Vulgatus omiſit. Hîc non omittendum, illud *conſurge*, & quæ deinde ſequuntur verba, vt *percuſſiſti, vulneraſti, ſiccaſti*, eſſe in genere fœmineo, quia *brachium*, ad quod referuntur apud Hebræos generis eſt fœminei.

19. Suprà *cap.* 30. oſtenderat Chriſtus ſibi facile eſſe, aut captiuum populum ex Babylone, aut è Diaboli dominatu mundum eripere, idque iis prodigiis, quæ in Ægypti libertate contigerunt, confirmauerat, neque ſibi deeſſe antiquam fortitudinem, aut abbreuiatam eſſe manum, vt non poſſit poſtea ſimilia, aut maiora ſuſcipere. In hoc verò capite in eandem ſententiam aliquid dixerat etiam de brachio ſuo, id eſt, de fortitudine. Horum omnium memor, aut populus, qui ſalutem expectabat, aut illius curator, & patronus Iſaias, orat vt quamprimum Deus liberet promiſſi fidem, & edat illuſtria illa, ac prodigioſa fortitudinis argumenta, quæ vidit Ægyptus, & quæ ipſe ſtatim breui narratione complectitur. *Brachium Domini* in vocatiuo eſt, & eſt, aut Chriſtus, qui *Dei* dicitur *brachium*, aut ſumitur pro Chriſti brachio, in quo eius fortitudo atque potentia ſignificatur. *Induere* autem *fortitudinem* Hebraica phraſis eſt, quæ valet aut fortitudinis ſpeciem edere, aut aliquid ſuſcipere, aut præſtare fortiter. Quod cecinit diuina Pſaltria Maria *Lucæ* 2. *Fecit potentiam in brachio ſuo.* Aut accingere ſe ad prælіandum quod expreſſit Dauid *Pſalm.* 92. *Indutus eſt Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe.*

Antequam hinc diſcedo, operæ pretium eſſe puto ſtatuere, an hîc ſermo ſit de inſtauranda, ornandáque Ieruſalem, ita vt captiui apud Babylonios orent, vt induat Dominus fortitudinem, & debellata Chaldæorum potentia ipſos in patriam liberos reducat; An potiùs ſermo ſit populi ad Eccleſiam vocati, qui Chriſtum orat, vt quamprimum opus redemptionis aggrediatur. S. Thom. & Hugo priorem partem amplectuntur. Alij ferme omnes poſteriorem. Et in hanc ego magis inclino. Nihilominus, quod in ſimilibus ſæpe dixi, mihi videtur non improbabile, quod dicit Pintus, ſpectare quidem præcipuè Seruatoris Chriſti aduentum, & in eo libertatem à Dæmonis imperio; ſupponi tamen illi quaſi typum ſeruitutem Babylonicam, & populum ab ea reſtitutum in patriam. Sed quia, vt dixi, de ſpirituali libertate hîc ſermo eſt; ad illam conſequens explicatio referatur. 30.

[n] *Conſurge ſicut in diebus antiquis, in generationibus ſæculorum.*] De temporibus Ægyptiis loquitur vt ſtatim apparet, illa verò vocantur *antiqui dies*, ſeu *generationes ſæculorum*, quia à prodigiis Ægyptiis ad tempus Iſaiæ, ſiue ad tempus, quo hæc dici ab expectante, & inhiante populo potuerunt, aut dici finguntur, multa interceſſerunt ſæcula. Porrò certum eſt, vt alibi pluribus oſtendimus, *generationem ſæculorum* eſſe longiſſimum aliquod tempus, neque neceſſe eſt illud æternũ eſſe, quod omnium optimè locus iſte declarat. Vide quæ diximus ſuprà *cap.* 24. *num.* 10. & *c.* 32. *n.* 32. vbi oſtendimus neque vocem Hebraicam עולם *hholam*, neque Græcam αἰὼν, neque Latinam *æternum* ſignificare, quod aut principio caret, aut finem nunquam eſt habiturum. 31.

[o] *Numquid non tu percuſſiſti ſuperbum, vulneraſti draconem?*] Pharaonem intelligit propheta. qui eò elatus eſt arrogantiæ, vt ſe Deum agnoſcere negaret *Exod.* 5. *Quis eſt Dominus, vt audiam vocem eius, & dimittam Iſrael? Neſcio Dominum, & Iſrael non dimittam.* Et idem vocatur *Draco*, accommodatè ad naturam regionis, quam Nilus interfluit ingentium belluarum aquatilium ferax. Sic vocatur *Pſal.* 73. *Tu confregiſti capita draconis in aquis, dediſti eum in eſcam populis Æthiopum.* Quem locum de Pharaone communiter accipiunt interpretes. Item *Ezech. cap.* 29. *Ecce ego ad te Pharao Rex Ægypti, draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum.* 32.

Pharao draco.

Numquid non tu ſiccaſti mare, &c.] Reliqua aperta ſunt quæ præcipua prodigia proponunt, quibus Deus in Ægyptios ſuam manifeſtauit potentiam, & ſuum in Hebræos amorem & ſtudium.

[p] *Et nunc qui redempti ſunt à Domino reuertentur: & venient in Sion laudantes.*] Hîc ſubauditur ſimilitudinis nota, quaſi dicat, ſicut olim aperto mari, atque ibi Pharaone demerſo exultarunt Hebræi, & tympanis, ac ſiſtris concrepantes Deum ſuæ libertatis vindicem laudauerunt; ſic continget iis, qui aut è Babylone in patriam, aut, quod magis ad præſens vaticinium facit, ex Diaboli ſeruitute ad libertatem veram, aut ex Gentium erroribus ad Eccleſiæ fidem, & ſinum adducentur. 33.

[q] *Lætitia ſempiterna ſuper capita eorum.*] Hîc nobis explorandum quare lætitia dicatur ſuper caput futura. Foreirus ſimilitudinem trahi putat à fœminis, quæ in capite grandia onera geſtare ſolent; 34.

Cùm

Cùm enim ingens lætitia, aut gloria *pondus* dicatur, A iuxta illud Pauli 2. *Corinth.* 4. *Æternum gloriæ pondus operatur*. Et ingens ſignificatur lætitiæ pondus, ſuper caput dicitur eſſe geſtandum. Ego aliam rationem eſſe commodiorem cenſeo huius locutionis, eámque duplicem. Altera eſt quia in capite præſertim oſtendebatur exultatio, & gloria: quare in triumphis victores, in nuptiis, lautioribúſque menſis conuiuæ, tam inter Hebræos, quàm inter peregrinas alias nationes coronati internam animi lætitiam ſignificabant. Qua de re nos ſatis multa *in noſtris commentariis ſuper Cantica*; vbi etiam oſtendimus ſpargi ſolere capita pretioſis vnguentis, coronæ autem illæ, atque vnguēta *lætitia* dicuntur, aut quia animos exhilarant, aut quia hilaris B animi ſigna ſunt. Quo ſenſu *Pſalm.* 44. dicitur, *Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ*. Eſt autem

Regula. Res ſignificata pro ſigno.

vſitatum valde vt ſicut cauſa pro effectu, & ſignum pro re ſignificata, ſic etiam effectus pro cauſa, & res ſignificata pro ſigno adhibeantur. De effectu res eſt certa; de re ſignificata pro ſigno exemplum habemus proximum: nuper enim *fortitudinem* audiuimus pro armis poni ab Iſaia. *Induere fortitudinem brachium Domini*, id eſt, armis præcingere, quibus tuæ fortitudinis documenta præbeas. Et *gloria* pro gloriæ inſignibus, *Eſther cap.* 15. *verſ.* 4. *Depoſuit veſtimenta ornatus ſui, & circumdata eſt gloria ſua*, id eſt, ornamentis, quæ Regiam gloriam, & maieſtatem oſtenderent. Et *Iob c.* 19. *v.* 9. *Spoliauit me gloria mea; & abſtulit coronam de capite meo*. C Hoc idem ſæpius inuenimus in *lætitia*, quæ pro his ornamentis ſumitur, quæ præſeferunt læti animi indicia; quæ præſertim geſtantur in capite, vt ſunt vnguenta, & coronæ; nam alia non minùs gloriæ, & maieſtati, quàm lætitiæ ſeruiunt. *Eſdræ* 2. *verſ.* 8. *lætitia* pro conuiuio ponitur, & *c.* 2. *v.* 41. pro canticis & choris; *Et audita eſt lætitia Ieruſalē procul*. Pro veſte glorio-

Pſalm. 29.

ſa, & quæ lætitiam indicat *Pſalm.* 29. *verſ.* 15. *Conuertiſti planctum meum in gaudium mihi, conſcidiſti ſaccum meum, circumdediſti me lætitia*. Vbi *ſacco*, id eſt, veſti lugubri, *lætitia*, id eſt, veſtimentum lætum opponitur. Ad hunc ferme modum & figuram Hiſpani lugubrem veſtem *luctum* vocant, *ponerſe de luto* vel *traer luto*. Hia ſimilia inuenies paſſim in ſcriptura, vt infrà hoc eodem capite *increpatio*, aut *indignatio Dei* pro ſupplicio ponitur à Deo inflicto. D Ex his nō difficilè intelligitur, quomodo *lætitia* adhiberi potuerit pro corona, ſeu vnguentis, quæ in lætitia magna caput illuſtrant, ſeu irrorant. Dum ergo lætitia ſempiterna futura dicitur ſuper eorum caput, haud obſcurè ſignificatur, dies illos agendos eſſe feſtiuos, quales geniales eſſe ſolent, aut nuptiales. Ex quo etiam intelligitur, quàm hæc aptiùs conueniant in Eccleſiæ filios, quàm in ciues Ieruſalem, quia illos ſempiterna manet lætitia; hos verò non admodum diuturna.

36. Altera expoſitio eſt, quæ mihi non minùs videtur apta, ſumpta ex omnium ferme linguarum conſuetudine, in quibus *caput* pro homine ponitur. E

Caput pro perſona.

Vnde familiare eſt dicere, *tot ſunt capita; pro capitum numero; in caput ſoluere; ô pulchrum caput*; & ſexcenta alia eiuſdem generis, & exempli. Sed hoc magis vſitatum apud Hebræos, à quibus ראש *Ros*, id eſt, *caput*, pro toto homine aut animali ponitur, à quibus, vt pleraque alia ſumpſerunt Hiſpani, qui cùm vnam pecudem ſignificare volunt, *vna res* dicunt, & magis Hiſpanicè Hebraicam vocem interpretati *vna cabeça*. Exemplis id firmare neceſſe non eſt, quia exemplorum plus ſatis attulimus ſuprà *cap.* 35. A *num.* 19. Alibi à nobis dictum eſt *faciem hominis, animam hominis*; & *nomen hominis* pro homine ſumi: Sic etiam affirmamus idem omnino dicendum eſſe de *capite*. Hæc nos multis probauimus *cap.* 35. *num.* 19. vbi eadem verba adhibuit propheta, quæ nunc, quæ omnino vide. Iuxta hæc ſenſus expeditus, & facilis, & vt puto verus huius loci, *Lætitia ſempiterna erit ſuper ipſos*, id eſt, *lætitia fruentur ſempiterna*.

37. [r] *Ego, ego ipſe cōſolabor vos, quis tu, vt timeas ab homine mortali, & à filio hominis, qui quaſi fœnum ita areſcet.*] Hucvſque orat propheta, aut populus, iam Deus illius orationi reſpondens perſuadet his, qui B in ſe ſperant, nequaquam eſſe metuendum: cùm & ipſe redemptor, & conſolator futurus ſit, & lætitia, quæ ipſorum capiti paſata eſt, futura ſit æterna. At qui ipſos maledictis, aut alio quouis modo vexant, & exagitant, mortali ſunt conditione nati, & ita fragili, vt cum fœno, quod manè floret, & veſpere decidit, & areſcit, comparari poſſint. Hîc notandum, *quis tu, vt timeas*, Generis eſſe fœminei, fortaſſe ideo, quia timere ſine cauſa, muliebris eſt ingenij. Solet autem Scriptura ſacra cùm quis aliquid facit infirmum, & indignum virili pectore, atque conſtantia, genus illi tribuere muliebre (ſicut etiam ſæpe nomen attribuit, vt diximus *cap.* 3. *num.* 12.) vt 2. *Reg.* 13. *Et luxit Dauid*, vbi *luxit*, fœmineum eſt; alij *deſiderauit Dauid*, & hoc magis muliebre.

Huc vſque propheta aut populus, hinc loquitur Chriſtus.

Fœmineum genus aliquid indicat infirmum, & molle.

38. C [ſ] *Et oblitus es Domini factoris tui, qui tetendit cœlos, & fundauit terram: & formidaſti iugiter tota die à facie furoris eius.*] Oſtendit vndenam ortus ſit timor ille, quem patitur timens Deum, cùm tentari ſe videt ab aliquo incommodo, quod infligit, aut minatur vilis homuncio, & luteus, quo non citiùs fœnum defloreſcit, & perit; quia ſcilicet non conſiderat habere ſe patronum vindicem, & factorem ſuum eundem, qui omnipotente dextera tetendit cœlos, & fundauit terram, & contra omnium ſæculorum vim, & iniurias æternam dedit firmitatem. Porrò illud *&*, particula rationalis eſt, non coniunctio. *A facie furoris eius*, id eſt, hominis mortalis.

39. [t] *Vbi nunc eſt furor tribulantis?*] Credo hæc referri ad ſuperiora exēpla Ægyptiorum, quorum exitio Deus ſe potentem oſtenderat; neque ſe minùs D liberalem promiſerat, quàm fuerat eo temporis veſtigio. Ac ſi dicat, Quemadmodum periit miſerè, ac ſubitò furor tribulantis Pharaonis, ſic etiā peribit homo luteus, ac fœneus, qui vos Pharaonis inſtar incōmodis exagitat plurimis, & plura etiam minatur.

40. [u] *Citò veniet gradiens ad aperiendum: & non interficiet vſque ad internecionem: & non deficiet panis eius.*] Hic locus variè exponitur: Quidam de captiuitate Babylonica accipiunt, vt S. Thomas, Hugo, & Pagninus, quorum ego ſententiam non improbo, dummodo typicè, & præcipuè de Eccleſia intelligatur, vt bene Pintus. Frequentes alij de Eccleſia capiunt, ſed non eodem omnes ſenſu. E Quidam ad perſecutores fidelium referunt, qui mutaturi dicuntur mentem, & ad ſalutem eorum, quos priùs hoſtiliter inſectati fuerant, ſtudium, & vires collaturi. Communiter, & verè alij ferme omnes cum Hieronymo ad Chriſtum accommodant, qui opportunum afferet auxilium his, quos anguſtè premit, & extrema patat Tyrannorum rabies. Patietur enim illos tentari, non tamen ſupra vires, aut ſucceſſu vacuo; faciet enim cum tentatione prouentum, atque maturè veniet ad aperiendum, aut ſalutis, & libertatis viam, aut foueam, ſeu

carce

carcerē, in quo conſtricti tenebantur, vt textus indicat Hebraicus, & vertit Pagninus. Quod expertus eſt Petrus *Actor. cap.* 15. cùm iam in poſterum diem expectaret capitale ſupplicium; & alij Apoſtoli, ac fideles ſæpiſſimè. Neque ad internecionem ſæuit, ſed cùm videatur ad mortem cædere, vitam oſtentat, & ad ſepulchrum rapere, inde repentè extrahit: *Ipſe mortificat, & viuificat, deducit ad inferos, & reducit.* 1. *Regum* 2. Experti ſunt millies fideles ſerui, quibus tunc erat propior ſalus, quando videbatur nihil eſſe morte propius. Neque defecit vnquam panis, etiamſi putarentur in extremam paupertatem coacti; quia potentibus huius ſæculi, atque diuitibus fame, tabéque conſumptis, Dei tamen ſerui ab eius fideli liberalitate, ac prouidentia habent, quo vitam tueantur. Hoc expertus eſt Paulus cùm dicebat 2. *Corinth.* 4. *verſ.* 8. premi ſe, nunquam tamen opprimi laborum mole. *In omnibus tribulationem patimur; ſed non anguſtiamur: aporiamur; ſed non deſtituimur: perſecutionem patimur, ſed non derelinquimur: humiliamur, ſed non confundimur: deiicimur, ſed non perimus.* Quod in materia propoſita de iuſtorum victu in tempore opportuno, docet teſtis ipſe Dauid *Pſalm.* 36. *verſ.* 27. *Iunior fui, etenim ſenui, & non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem.* Valde hæc verba excitare debent languentem animum, & eò adductum, vt propius nil eſſe videatur, quàm vt pereundum ſit: cùm tunc libertas, & ſalus ſit ad fores, cùm anguſtior eſt carcer; vita propior, cùm mors imminet durior; panis paratus, cùm fames timetur, & egeſtas grauior.

Textus Hebræus paulò aliter habet, vt vertit Pagninus, & Vatablus, *Feſtinauit ligatus, vt ſolueretur, & non morietur in foueam, nec deficiet panis eius.* Sed ſenſus non eſt admodum diuerſus. Vterque enim textus perpetuas eſſe negat afflictorũ ærumnas; imò vterque promittit proximam libertatem, & otium.

41. x *Ego autem ſum Dominus Deus tuus, qui conturbo mare, &c.*] Quid mirum ſi in ipſa, vt aiunt, acie nouaculæ, cùm videtur vndecumque occluſus libertatis aditus ſpes affulgeat melioris fortunæ, & mitioris auræ, cùm ab eo promittatur cui maria obſequuntur, & venti à quibus maiora, certè magis aſpectabilia pericula obtenduntur hominibus; & qui ſit Deus exercituum, id eſt, bellator fortis, cuius dexteræ nulla poteſt repugnare potentia.

42. y *Poſui verba mea in ore tuo: & in vmbra manus meæ protexi te: vt plantes cælos, & fundes terram.*] Hæc verba plurimùm fauent illorum ſententiæ, qui cenſent ſuperiora verba Patri eſſe tribuenda, quibus Chriſtum alloquitur; quia ſimilia ſunt illis, quæ à Patre Chriſto propoſita diximus *cap.* 49. *verſ.* 2. & ita communiter accipiunt interpretes. Verumtamen, quia nos Chriſto ſuperiora aſcripſimus, hæc etiam ab eodem dicta probare tentemus. Quod credo difficile non erit, neque hæc ſententia patrono caret; ſic enim cenſet Cyrillus apertè, & ſine dubio Procopius, vt indicat illud fragmentum, quod in hunc locum reliquum habemus. S. Thomas hæc verba dicta putat ad Iſaiam, item Hugo, & inclinat Montanus. Chaldæus poſita dicit in ore prophetarum. Neque Hieronymus ad hanc ſententiam difficilis eſt, etiamſi verba hæc priùs poſita dixiſſet in ore Chriſti: nam poſtea multis docet in ore poſita fuiſſe credentium, adducítque illud *Matthæi* 10. *Nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini: non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis.* Et alia plurima loca in eandem ſententiam, quæ cuinis promptum eſt videre. Illud verò, *vt plantes cælos, & fundes terram,* etiamſi commodam aliam ſententiam non haberent, in tranſlatione Septuaginta, & Symmachi, quam non improbat Hieronymus, non nimis vrget in oppoſitum. Sic enim illi: *Ponam verba mea in ore tuo, & in vmbra manus meæ protegam te; in qua plantaui cælum, & fundaui terram.* Sed de expoſitione iuxta vulgatam ſtatim.

43. z *Poſui verba mea in ore tuo; & in vmbra manus meæ protexi te.*] Agit cum populo electo, quem priùs vt timidum arguerat, cuique dixerat adfuturum ſe conſolatorem, & patronum. Nunc docet cur ab inſectatore, ac vexatore mundo timendum non ſit, quia cùm exiguus ille bonorum numerus, qui quaſi ſemen futurus erat copioſæ ſegetis, quæ in Eccleſiæ agro ſeminari, & creſcere deberet, eò vocaretur, vt in Dei cauſam, id eſt, in Eccleſiæ fundationem incumberet, multa timere poterat, quæ ſtudium illud, & operam morarentur. In primis lingua non ſatis ad perſuadendum exculta: verborum, & ſententiarum inopia, quæ ſi abſint, ludibrio habetur, maximè inter Gentes, orator, & eius plerumque ridetur, & luditur opera. Quare mirandum non videbatur, ſi puſillus ille primus, & ruſticus grex, qui mittendus rudis ad doctos, infans ad ſtudioſos, & ad admiratores eloquentiæ, addo etiam inermis, nudus, & infirmus ad potentiſſimos, & violentiſſimos Tyrannos, & qui iam Chriſtiano nomini apertè bellum indixiſſent, horreret, ac refugeret datum ſibi negotium rei Chriſtianæ curandæ. Priori ergo difficultati occurrit Chriſtus Eccleſiæ fundator. Vt enim Moyſi cùm ad prouinciam mitteretur non admodum diſſimilem, linguam dedit elegantem, non ſuam, ſed Aaronis, quo ad Pharaonem vtebatur interprete: & Ieremiæ, cùm illum ad Gentes, & regna mitteret, obiicienti linguæ tarditatem, & infantiam, linguam expoliuit, & verbis inſtruxit *Ierem. c.* 1. *Miſit Dominus manum ſuam, & tetigit os meum: & dixit Dominus ad me, Ecce dedi verba mea in ore tuo.* Quod item Iſaiæ præſtitit *cap.* 6. purificatis carbone labiis, & addito ad magnarum rerum diſcrimina animi conſtantis ardore; ſic etiam nunc verba ponit in illorum ore, quos Euangelij præcones, & in Euangelij cauſam legatos aſciſcit. Illi verò ſunt Apoſtoli, Apoſtolicíque viri, quales fuere in Eccleſiæ primordiis, omnes penè fideles, quos Dei zelus, & ardor, & fidei propagandæ ſtudium, ad quiduis audendum, & ſubeundum inflammabat. Ita Cyrillus & Procopius indicant, & clariùs Hieronymus, dum locum hunc iuxta Septuaginta, & Symmachi tranſlationem exponit. Quod etiam admittere videntur, qui in cœlorum plantatione Eccleſiam intelligunt, de quibus ſtatim.

Qui à Deo mittuntur, multum habent ab illo ſubſidij.

Linguam Deus, & verba ſuis impertit.

44. Contra aliam difficultatem, quæ ex Tyrannorum potentia, atque ſæuitia proponebatur, armat Chriſtus infirmos fidelium animos, dum dicit ſe nunquam illorum conatibus defuturum. Illud enim eſt, *in vmbra manus meæ protexi te: Manus* autem hîc vt *cap.* 49. diximus pro ala ſumitur, aut potentia. Porrò his verbis Chriſtus ſuos ad durum Apoſtolici miniſterij negotium confirmat.

45. z *Vt plantes cælos, & fundes terram.*] Quidam in *cælis* Apoſtolos accipiunt, in quibus plantandis, id eſt eligendis, erudiendíſque Chriſtus plantaſſe quoſdam myſticos cœlos viſus eſt. Vt enim cœli in omnem mundi plagam ſolem circumferunt, id eſt, mundi lucem, expulſis inde tenebris, quæ illum obſide

obſidebant: ſic Apoſtoli ſolem mundi Chriſtum, aut, quod idem eſt Euangelij lucem in totum mundum latè diffuderunt. Certè Paulus cœlorum nomen, & munus Apoſtolis attribuit, nam quod Dauid de cœlis *Pſal.* 18. cecinit. *In omnem terram exiuit ſonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum: In ſole poſuit tabernaculum ſuum:* idem ipſum Paulus Apoſtolis aſcribit *ad Rom.ca.*10. *Fides ex auditu: auditus autem per verbum Chriſti. Sed dico, numquid non audierunt? & quidem in omnem terram exiuit ſonus eorum.* Quæ verba de Apoſtolis accipiunt S. Thomas, Chryſoſtomus, Auguſtinus, Theodoretus, Oecumenius, & ex recentioribus complures alij, licèt nonnulli veriſimiliter de cœlis ipſis loqui Paulum exiſtiment, in quibus eſt Gabriel Vaz. *in Paulum ſupra. & 1.p.diſp.*47.*cap.*7.

46. Sed vt credo veriùs, & magis ad textum conſentaneè in *cœlo plantato*, & *terra renouata*; quod idem eſſe puto, Eccleſia intelligitur, quod cenſet Hieronymus, Haymo, Dionyſius, & è recentioribus plerique, Adamus, Foreirus, Emanuel Sa, & quidem meritò; quia Eccleſia cœlorum quandam habet ſimilitudinem, & ſpeciem, his enim conſtat hominibus, quorum vita ad cœleſtium incolarum mores, & puritatem attemperari debet, & inſtitui. Et terra fundata denuo, ſeu renouata dicitur, quia cùm fideles in terra ſint, quod neceſſe eſt, dum in hoc mortali ſtatu viuunt; tamen ab eo, quòd in terram peccatum inuexit, quódque mentem fœdat, ac deprimit deorſum, abeſſe debent quàm longiſſimè. Quare ita renouabitur terra illa, vt ſuæ deinceps oblita grauitatis in cœlum feratur. Quod faciebat Paulus, qui verè affirmare potuit. *Noſtra autem conuerſatio in cœlis eſt. Ad Philippenſes* 3. Oſtenderat autem priùs quinam eſſent, qui terræ adhuc haberent naturam & molem. *Multi*, inquit, *ambulant; quos ſæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Chriſti, quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum, qui terrena ſapiunt.*

47. a a *Et dices ad Sion, Populus meus es tu.*] *Sion* hîc pro Eccleſia ponitur, quia ipſius typus eſt, id eſt, congregatio illorum, quos in ſuorum filiorum cœtum Chriſtus adnumerat. His ergo populus ille, quem nunc Chriſtus alloquitur, & confirmat dicet. *Populus meus es tu.* Illud autem meus ad Chriſtum refero: quia Sion illa myſtica Chriſti populus futurus eſt. Ac ſi dicat Chriſtus, Dices populis, & Gentibus iam non illos futuros ioanium Deorum, aut vanarum cupiditatum ſectatores, ſed meos. Quæ expoſitio minus habet difficultatis, ſi textum conſulas Hebraicum, in quo pro *& dices* eſt ולאמר *velemor*, quod Hebræorum gerundium eſt, neque magis ad vnam perſonam ſpectat quàm ad aliam. Et ita quod vulgatus accommodauit ſecundæ perſonæ, dum reddit *& dices*, Septuaginta tribuerunt tertiæ, qui ita transferunt, *& dicet Sion.* Ad verbum ſic reddo. *Ad dicendum Sion Populus meus tu*, quod ſine vlla offenſione textus Hebraici exponi poteſt. Aut, *dices nomine meo ad Sion Populus meus es tu*, aut, *ita rem adminiſtrabis, vt ego dicere poſſim ad Sion, Populus meus es tu*: aut certè, quòd populus meus, id eſt, Chriſti es.

48. b b *Eleuare, eleuare, conſurge Ieruſalem quæ bibiſti de manu Domini calicem iræ eius.*] Sunt qui hæc de Eccleſia à tyrannis afflicta, quam conſolatur Dominus, ſermonem eſſe ſtatuant, vt Pintus, & Vatablus. Piè ſanè; ſed ſunt multa, quæ in illam ſententiam difficilè trahuntur. Hæc communiter interpretes de terrena Ieruſalem accipiunt, cui optimè conueniunt, quæ in reliquo capite commentor, vt conſtabit legenti, & nos ſuis locis explicabimus. Apparet tamen in ſtatu Ieruſalem, in quo nunc illam alloquitur Chriſtus, ſtatus populi Gentilici ante Euangelij lucem, libertatémque à dæmonis imperio, qui & duris parebat dominis, & omnium conculcabatur veſtigiis. Satis enim diu bibiſſe videri potuit calicem iræ Dei, qui tam diu conſedit in tenebris, & qui dimiſſus eſt à Deo ingredi vias ſuas. *Actor.* 14. cuiúſque ignorantiæ tempus deſpexiſſe videbatur Deus *Actor.*17. Nihilominus hæc de Sione terrena cum aliis interpretabimur. ad quam propheta reuertitur, poſtquam de cœleſti Sion ad hunc vſque locum vaticinium produxerat.

Sed eſt adhuc obſcurum quod tempus Ieruſa- 49.
lem afflictæ locus iſte reſpiciat; & an de illius ſpirituali ſalute, id eſt, de conuerſione ad fidem, vel de temporaria, vel corporali, id eſt, de libertate ab ærumnoſo ſtatu ſermo ſit. Hieronymus de ſpirituali ſalute hîc agi cenſet, illi ſubſcribunt Cyrillus, Haymo, Dionyſius, Foreirus, & Adamus. Alij de temporaria interpretantur, id eſt, de captiuitate Babylonica, à qua deſidem, & mœrentem populum Dominus vocat. Ita S. Thomas, vt conſtat ex principio capitis ſequentis, & Hugo.

Mihi in primis placet, quod pleriſque interpre- 50.
tum; hæc conferri ad ſpiritualem Iudæorum ſalutem, qui cùm magis eſſent legibus exculti, quàm Gentilium populi, minùs tamen ſtudioſè ad religionem, & pietatem afficiebantur, quàm fecere ſuo tempore Gentiles; nempe quando populus Dei facti ſunt, ſicut olim ante ipſos fuerunt Iudæi. Sed eſt nobis adhuc explorandum, an ad ſanctitatem, frugémque meliorem excitentur Iudæi, poſtquam ab exercitu Romano durè, fœdéque vexati ſunt propter peccata; an quando apud Babylonios poſt cladem non diſſimilem exulabant. De tempore poſt Romanam cladem accipit Hieronymus, & qui ipſi in priori ſententia ſubſcripſere Ducuntur autem ea maximè ratione. Quia Iudæi, quos hoc articulo Deus ad ſanitatem, & officium vocat, dicuntur nullum habuiſſe filium, à quo ſubleuentur; ſed tempore Babylonicæ ſeruitutis habuerunt prophetas Danielem, & Ezechielem, & alios, qui de illorum ſalute, & libertate laborarent. Quod longè accidit ſecus poſt cladem à Romanis acceptam.

Amplector ego libenter hanc ſententiam, vt po- 51.
te valde piam, & quia à tot virorum auctoritate plurimum habet momenti; ſed, vt verum fatear, aliquid eſt, quod ad eam me difficilem habet, facitque vt in ea minùs acquieſcam. Nam ſtatim capite ſequenti, vbi de Ieruſalem pertexit vaticinium, prædicit propheta illam futuram iterum in antiqua gloria, quod poſt exilium per Romanos nunquam vidit. Deinde quia hoc ipſo capite futuros dicit pœnas eos, à quibus vexata fuit Ieruſalem, illíſque propinandum eundem calicem indignationis, quem Iudæi priùs ad fæces vſque biberant: quod in Iudæorum gratiam Romanis contigiſſe non videmus. Quare hæc ego potiùs referebam ad Iudæos, qui propter peccata fuerant in Chaldæorum ſeruitutem dati: in quos optimè conueniunt omnia, quæ in hoc, & ſequenti capite traduntur. In Romanos autem non video qui aptari poſſint, niſi admodum contortè, & durè.

Neque valde premit, quod Hieronymum mo- 52.
uit, vt hæc de Chaldæorum tempore negaret, quia nimirum prophetæ fuerunt poſt illatam à Babyloniis

lonis cladem, qui populum ſuſtentarent, & ſolarentur in exilio, non tamen poſtquam à Romanis debellati ſunt. Nam primùm obſcurum eſt, an illud *ſuſtentarent eam*, aut *apprehenderent manum eius*, ad exhortationem, aut ſuſtentationem ſpiritualem referendum ſit, quod erat præcipuum prophetarum munus; immò temporariæ ſalutis, hic loquendi modus aliquid ſonare, vel potiùs importare videtur. Deinde, vt certum ſit, & à nobis conceſſum liberaliter de ſuſtentatione agi, quæ à prophetis, & ab eis, qui Dei cauſam agunt, expectari poteſt; tamen ex vſu Scripturæ ſacræ nullus fuiſſe dicitur, qui ſuſtentet, aut manum apprehendat, quia pauciſſimi fuerunt. Vbi enim in magno numero pauci aliquid faciunt, nullus feciſſe, & vbi ex magno numero pauci non faciunt, omnes feciſſe exiſtimantur, & dicuntur, vt pluribus oſtendimus *cap.* 10. *num.* 28. Quo genere dicendi, reſpiciens credo ad hunc locum, vſus eſt Ieremias *Thren.* 1. cùm conſolatorem, aut auxiliatorem eſſe negat captiuis apud Babylonios; cùm tamen illi tunc eſſent cum exulibus, propter quos Hieronymus exiſtimat hæc aliena videri à tempore Babylonico; nempe Daniel, & Ezechiel, quos prophetaſſe, quo tempore Iudæorum exilium lamentabatur Ieremias, ſatis conſtat. Nam Daniel abductus eſt captiuus cum Ioacim anno antequam funditus euerteretur Ieruſalem, decimo nono, quare illum ætate grandem eſſe oportuit quando Ieremias lamentationes ſcripſit; neque dubium eſt, & tunc, & antè prophetaſſe: cùm adhuc puer in cauſa Suſannæ dicatur Spiritum ſanctum habuiſſe. Quòd Ezechiel prophetauerit antequam hæc ſcripſerit Ieremias, conſtat, quia de excidio extremo Ieruſalem ſæpe, & multa prædixit, cùm eſſet in Babylonia. Vt ergo ad inſtitutum redeamus, cùm Daniel, & Ezechiel in Babylonia prophetarent, quo tempore exciſa Ieruſalem, Ieremias eius ruinam lamentabatur. Nihilominus *Thren. cap.* 1. dixit *non eſt qui conſoletur eam ex omnibus charis eius*: quid nos hæremus ſi in eodem ſtatu, & de eodem tempore dicat nunc Iſaias, *non eſt qui ſuſtentet eam ex omnibus filiis, quos genuit: & non eſt qui apprehendat manum eius*, &c.

Prophetæ fuerũt tempore captiuitatis.

53. At dicet aliquis, ex hac expoſitione effici, poſtquam reſtituti fuerunt Iudæi in antiquam gloriam, non ampliùs in illorum fines irrupturos alienos; ſic enim capite ſequenti. *Non adiiciet vltrà vt pertranſeat per te incircumciſus, & immundus.* Cùm tamen, & Machabæorum tempore Græci, & poſtea Romani in Iudæorum fines irruperint, latéque vaſtauerint. Huic ego reſpondeo ex vſu Scripturæ, vt dixi *cap.* 28. *num.* 29. *non vltrà, ſæculum, æternum*, & ſimilia non ſignificare ſemper, quod nunquam non erit, ſed quod erit diuturnum, & ita hîc accidit; nam poſt ſolutum exilium diu in pace, atque otio Hieroſolymis habitarunt Iudæi.

54. Adde ad ſuperiora, quòd durum videtur admodum, creditúque difficile, fuiſſe neminem, qui poſt Romanam cladem Iudæorum ſpiritualem ſalutem non quæſierit; nam vt de Apoſtolis fateamur, ex quibus eo tempore nullus erat ſuperſtes, quicquid ſit de Ioanne Euangeliſta; at fuiſſe alios, qui Apoſtolis in miniſterio, & zelo ſucceſſerunt, quis dubitet? Certè vt ætate noſtra multi de Iudæorum conuerſione ſatagunt, & ad ſanguinem vſque, & mortem laborant; ſic etiam ſuperioribus ſæculis laboraſſe alios, nec dubitandum eſt, nec hiſtoriæ tacent Eccleſiaſticæ.

55. Ex his mihi maximè fit probabile hæc ſpectare tempus Babylonicum, monerique captiuos, vt illa flagitia iam tandem horrere atque refugere incipiant, propter quæ in exilium, & ſeruitutem dati ſunt. Quod Pinto non diſplicet, & S. Thomas, & Hugo non reſpuunt, qui de illo tempore hunc locum interpretantur, licèt alio ſenſu.

" *Quæ bibiſti de manu Domini calicem iræ eius, vſque ad fundum calicis ſoporis bibiſti, & potaſti vſque ad fæces.*] Metaphora vini, atque ebrietatis familiaris eſt inter Hebræos, quæ aut vehementem lætitiam ſignificat, aut ingentem dolorem, & perturbationem. De lætitia ſatis multa diximus ad illud *Cant. cap.* 2. *Introduxit me Rex in cellam vinariam.* Vbi oſtendimus *vinum, ebrietatem*, & quæ ad vinum pertinent, vt ſunt *cella vinaria, torcular*, & *calix*, pro ingentibus vſurpari deliciis. De dolore graui, & vehementi angore, ac perturbatione plura ſunt exempla *Ierem. cap.* 25. *verſ.* 15. *Sume calicem vini furoris huius de manu mea, & propinabis de illo cunctis Gentibus, ad quas ego mittam te. Et bibent, & turbabuntur à facie gladij, quem ego mittam inter eos.* Et *cap.* 13. dum magnam oſtenderet calamitatem, & turbationem, cùm ageret de hoc ipſo Iudæorum ſtatu, ait omnem laguenculam implendam vino, id eſt ſingulos ebrios futuros eo vino, quod ſtuporem, & dolorem inducit. *Pſal.* 74. *verſ.* 9. *Calix in manu Domini vini meri plenus mixto*, &c. *bibent omnes peccatores terræ.* Vide quæ diximus *cap.* 29. *num.* 14. ad illud *Inebriamini, & non è vino.* Vbi eadem propè adhibentur verba, quæ nunc ab Iſaia. Hinc *calix* pro paſſione ſæpe in Euangelio ponitur. Cùm autem ad fæces vſque bibiſſe dicitur Ieruſalem, oſtenditur plurimum habuiſſe doloris, & ignominiæ. Cúmque fæces non tam in calice ſint, quàm in dolio, id eſt, in vaſe amplo, atque capaci, bibiſſe dicitur Ieruſalem non in calice, vt alij plerumque bibunt, ſed de dolio, id eſt, abundè & largè. 56.

Calix pro ingẽti dolore.

Hoc vino mœroris, & perturbationis inebriata fuit Ieruſalem, quod, quia amarum erat, *abſinthium* dicitur *Thren.* 3. *Repleuit me amaritudinibus: inebriauit me abſinthio.* Quòd verò non de vino propriè, ſed metaphoricè ſermo ſit, explicat ſtatim propheta *verſ.* 21. vbi id quod in metaphora eſſe poterat integumentum remouet, dum dicit. *Audi hæc paupercula, & ebria, & non à vino.* Sicut etiam *cap.* 29. dixerat *Inebriamini, & non à vino.* 57.

De calice iræ, & ſoporis ſatis multa ad locum *cap.* 29. ſuprà, quæ omnino vide. Addendum tamen aliquid fortaſſe non alienum; & primùm obſeruandum ibi eſſe Hebr. pro *ſopore* תרדמה *tardemah*, quod *ſomnum profundum* valet. Hîc verò תרעלה *tarhhelàh*, quod *ſtuporem*, ſeu *tremorem* ſignificat, atque *ſoporem* aliquando. Septuaginta *vinum compunctionis* conuerterunt, ſicut etiam *Pſal.* 59. *Potaſti nos vino compunctionis.* Vbi Hieronymus *vino conſopiente.* De hoc vino tremoris, ſeu ſtuporis, aut compunctionis multi multa dicunt, mihi interim dum aliud occurrit, placet, quod indicat Pradus in illud Ezechielis *cap.* 23. *verſ.* 31. *Dabo calicem eius in manu tua.* Putat enim vocari calicem tremoris, ſtuporis, ſeu compunctionis, quia propinatur illis, qui compuncti ſunt, & ſolliciti, quique propter impendens mortis ſupplicium tremunt. His enim propinari vinum ſolet ea ratione conditum, ſeu medicatum, vt ſine vllo doloris ſenſu cruciatum ſeu ſupplicium ferant; Inducit enim ſtuporem, & quaſi ſomnum, in quem vſum adhiberi etiam ſolet mandragoræ ſuccus. Et quamuis vinum illud ab humanitate potiùs, quàm à ſæuitia propinetur, nihilominus 58.

Vinum damnatis porrigitur.

minus pro ſtatu ponitur infelici, & duro, quia non niſi his, qui damnati ſunt, ſiue ad mortem, ſiue ad grauem aliquem cruciatum propinari ſolet, ea figura qua ſignum pro re ſignificata ponitur. Eſſe autem in vſu apud Hebræus vt morte damnatis ante dolorum, mortiſque certamen vinum porrigeretur nobile, aromaticum, & ea arte conditum, vt corroboraret, aut ſopiret patientem contra cruciatus acerbitatem, tradit Lyra in illud Matthæi

Matth.27. *cap.27. Dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum.* Vbi hoc relatum eſſe dicit in librum quemdam, qui inſcribitur *Iudicum ordinariorum.* Ex quo licet colligere hoc à lege, ſeu conſuetudine Iudæis eſſe perſcriptum iuxta illud *Prouerb. vltimo. Date ſiceram mœrentibus, & vinum his, qui amaro ſunt animo.* Ita putant Baronius 1. *tomo annalium anno Chriſti* 34. Maldonatus *in illum locum Matthæi.* Franciſcus Suarez 4. *tomo in* 3. *partem S. Thomæ diſput.* 36. *ſectione* 3. Salmeron *tomo* 1. *tractatu* 35. Vbi dicit id Hebræos in mandatis habuiſſe. Qui etiam dicunt myrrhatum vinum, quod oblatum fuit Chriſto, cùm primùm ad patibuli locum ventum eſt, non eſſe ab inhumanitate & ſæuitia, ſed à miſericordia propinatum, vt leuior eſſet dolorum ſenſus inducto à medicato vino ſenſuum ſtupore. Et huius rei apparent aliqua in Scriptura veſtigia. Primùm illud

Prou.vlt. *Prouerb. vltimo. Date ſiceram mœrentibus.* Et *Amos*

Amos 2. *cap.2. Et vinum damnatorum bibant in domo Dei ſui.* id eſt, vinum aromaticum, & nobile. Sed hæc teſtimonia non nimis vrgent. Ad hanc fortaſſe conſue-

Zachar.12. tudinem reſpexit Zacharias *cap.12. verſ.2. Ponam Ieruſalem ſuper luminare crapulæ.* Vbi videtur ſignificare omnibus Gentibus eſſe pereundum. Hebr. eſt רעל סף *rehhel ſaph*, id eſt, *crater veneni*, ſeu *vini venenati*, aut *vini quod ſtuporem inducit.* Nam ab eadem radice ſunt רעל *rehhel*, quo ibi Zacharias, & תרעלה *tarhhelah*, quo hîc vtitur Iſaias; ita vt ſit ſenſus. Erit omnibus Gentibus Ieruſalem pro patibulo, aut alio ſimili cruciamento, quia ibi tale illis porrigetur vinum, quale bibunt illi, qui aguntur in crucem, vbi vinum illud pro morte ponitur, ſeu cruciatu, quia cruciandis aut morituris propinatur.

59. Fingitur ergo Iudæorum populus, qui ad ſalutem vocatur, ſiue in Babylonia captiuus, ſiue deleta per Romanos vrbe in extrema fortuna eò reductus, vt quaſi ad patibulum adductus, iam, iamque moriturus ſtuporis vinum aut tremoris bibiſſet: nihilque iam eſſet propius, quàm, vt ipſi eriperetur anima. Cui Deus promittit adfuturum ſe in eo rerum diſcrimine, vt calicem illum ſoporiferum, & mortis nuntium ad Iudaici nominis hoſtes tranſlaturum, vt apertiùs ſtatim *verſ.22.*

60. d d *Duo ſunt, quæ occurrerunt tibi, quis contriſtabitur ſuper te? Vaſtitas, & contritio, & fames, & gladius; quis conſolabitur te?*] Duo proponit calamitatis genera, quæ paſſus eſt populus, ſiue ab hoſte Chaldæo, ſiue à Romano. Alterum interim dum obſidio duraret, quia plerique Iudæorum tunc aut extabuerunt fame, aut ceciderunt ferro. Alterum peracta obſidione, quia vaſtata eſt, & exuſta ciuitas: & hi quos reliquos fecere ferrum, & fames, ærumnis aliis, & duro victoris exercitus dominatu contriti ſunt. Neque enim illi ſatis videbantur dediſſe pœnarum depulſi à patriæ cineribus & ruinis, niſi etiam in peregrino ſolo duris, ac continentibus premerentur incommodis. Iuxta hanc expoſitionem facilè intelligitur quomodo duo occurrerint mala, cùm tamen quatuor à propheta numerentur,

A nempe vaſtitas, & contritio; fames, & gladius; quia hæc duobus temporibus diſtinguuntur, niſi mauis duo mala ideo vocari, quia non ſolùm ciues Solymitani, ſed etiam ciuitas ipſa periere, quæ propter duo ſubiecta duo dicuntur mala, alterum *vaſtitas, & contritio*, quibus euerſa ciuitas; alterum *fames, & gladius*, quibus ſublati ciues.

e e *Filij tui proiecti ſunt: dormierunt in capite omnium viarum.*] Hæc reor ad contritionem, & vaſtitatem pertinent, licèt etiam ad gladium, & famem accommodari poſſint. Nam in obſidione is Iudæorum numerus extinctus fuit, vt proiecta cadauera, & inſepulta in viarum capitibus, & compitis, id eſt, inter hominum pedes (nam illa loca maiori hominum frequentia obiri ſolent) concul- 61.

B tentur, ſed credo potiùs pertinere, ad tranſmigrationem, ſeu exilium, nam & longa via, & barbara hominum ſæuitia plurimi, aut fame aut longo labore confecti, aut certè oppreſſi ab onere, quod humeris geſtare cogebantur, in via deficiebant, ibi putreſcebant, non aliter quàm vilia iumentorum cadauera. Aut certè id paſſi ſunt in exilio, quia propter illas, quarum meminimus cauſas in plateis, & viis mortui reperiebantur. Quid enim non credamus contigiſſe in Babylonia duabus tribubus, quod in Niniue contigit aliis decem. Iacebant enim tunc in plateis mortui, vt habes *Tobiæ cap. 1. & 2. Dormire* autem in Scriptura idem eſt quod mori.

Hæc quidem communiter alij. Sed eſt mihi ve- 62.

C riſimile non tam hîc agi de Iudæorum cadaueribus ſtratis in viis, quamuis id non improbem, quàm de victis Iudæis, ita tamen affectis, & exanguibus vt parum abſint à mortuorum ſpecie, qualem præſeferunt, qui ex morbo prolixo, & graui, aut longa fame pallorem, & maciem contraxerunt. Hi ergo iacebant in viis, quia oppreſſi pondere, quod geſtabant in humeris, defecerant, aut certè, quia illos fames ſic exhauſerat, vt pedibus ad peragendum curſum niti non poſſent. Neque ſatis ſibi in eam ſpeciem ſtrati decumberent, ſed ad hæc accedebant frequentes, & duræ prætereuntium iniuriæ, quod ſtatim declarat, dum ait, non aliter iacere in viis filios Ieruſalem, quàm oryx laqueatus, qui canum dentibus, & venatorum iaculis expoſitus eſt. Quæ

D ſimilitudo me in poſteriorem hanc ſententiam induxit, neque enim illaqueatus oryx mortuus eſt, ſed viuus, & captus, & ſine vlla fugiendi ſpe vulnus, & iniuriam venatorum expectat. Et hæc cenſet Hieronymus, qui etiam addit in illa miſera fortuna in nuda humo cubare filios Ieruſalem, quod multò ſignificantiùs expreſſit Ieremias *Threno.4. Qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora*, id eſt; qui in lectis purpureis ſeu ſtragulis dormiebant, pro deliciis habent, ſi in ſterquiliniis tutò cubare contingat, aut in ſtabulo ad iumentorum pedes.

Fortaſſe *dormire in capitibus viarum*, idem eſt quod dormire inter medios cleros, id eſt, vitam agere ſordidam, ærumnoſam, & ruſticam, vt expli-

E cuimus latè *ſuper Pſal.67.* ad illud *Si dormiatis inter medios cleros*, quæ omnino vide.

Vbi vulgatus legit. *In capite omnium viarum*, 63. Textus Hebraicus habet חוצות *chutſoth*, quod Pagninus & alij communiter *plateas* vertunt, immò & noſter interpres alibi hæc eadem verba aliter reddit. Nam *Thren.4 verſ.1.* vbi ait. *Diſperſi ſunt lapides ſanctuarij per capita omnium platearum.* Et *cap.2. verſ. 19. In capite omnium compitorum.* Eadem verba ſunt, quæ hîc apud

Iſaiam. Iuxta quam tranſlationem ſenſus eſt A ſatis aptus Iudæorum fortunæ. Filij tui, ô Ieruſalem, cùm domum non habeant, vbi cubent, in capitibus, id eſt, in angulis dormiunt omnium platearum, quæ communes ſunt miſerorum diuerticulum: vbi expoſiti ludibriis, & iniuriis otioſorum, & petulantium hominum; qui noctu obire ſolent vrbem vagi, & ludibundi, & qui nocturnis tecti tenebris quiduis ſibi licere exiſtimant: non ſecus, atque conſtricti oryges venatoribus; aut certè ſemicoctæ betæ, quæ quia inutiles, proiiciuntur, aut ſicut lagenæ fractæ, quæ, quia nulli iam vſui ſunt, ad angulum domus reiiciuntur.

64. Oryx quid. f f *Sicut oryx illaqueatus.*] Hæc ſimilitudo perſuaſit mihi vaticinium hoc eſſe, non de mortuis Iudæis in viarum capitibus: ſed de laſſis & ærumnoſis, B quocumque modo ſimilitudinem capias. Oryx, vt tradit Ariſtoteles 2. *de hiſtor. cap.* 1. eſt animal è captatum genere vnicorne, & biſulcum. Hebræorum aliqui bouem eſſe ſyluestrem putant, alij aliam quamdam, adeò res eſt incerta. Septuaginta vocem Hebraicam תוא *tò*, verterunt *betam ſemicoctam*, aut *ſemiaridam*, ab æſtu nempe, quo vigorem amiſit. Quæ ſimilitudines valde noſtram ſententiam comprobant, & Iudæorum calamitatem declarant. De oryge iam diximus, quid ſit ex Ariſtotele; quàm ferus ſit, quámque difficilè capiatur docet Oppianus *lib.* 6. *Cyneget.* vbi docet immanem eſſe belluam, & audacem, neque metuere, aut canum morſus, aut venatorum venabula; ſed eos nonnunquam interimere; neque fugere taurorum, aprorum, vrſo- C rum, pantherarum, leonúmque congreſſum, ſed cum illis audaci animo, miráque ſolertia concurrere; cum quanto autem labore, atque periculo capiatur, indicat Martialis *lib.* 13. *epigram.* 95.

Matutinarum non vltima præda ferarum
Sæuus oryx conſtat quot mihi morte canum?

Cùm igitur tanti ſtet orygis venatio, támque infenſi in illum venatorum animi, ſatis eſt veriſimile vbi in retia ſeſe induerit, neque inde ſe extricare poſſit, appeti certatim omnium telis, etiam eorum, qui mulicbri ſunt & puſillo animo.

65. Prouerbiũ. Septuaginta dum loco *orygis*, *betam ſemicoctam*, id eſt, emarcidam reddunt, alia metaphora, & alia, vt reor prouerbiali figura abiectam, iámque proximam morti ſignificant Iudæorum fortunam. Om- D nis enim herba iam deficiens, & languida propè eſt vt areſcat, & intereat. Et licèt priùs grata fuerit ad aſpectum, vbi vigorem, & ſpeciem amiſit, nihili iam ab omnibus fit, ſed conculcatur & abiicitur. Quare mortui hominis, aut iam morientis ſimilitudo ab herba ſumitur iam emarcida: item quod pulchrum antè fuerat, deinde verò à ſuo nitore, atque æſtimatione decidit, eadem herbæ iam morientis ſimilitudine exprimitur. De priori exempla ſunt apud poëtas elegantia & plurima. Virgilius de morte Euriali *lib.* 9.

Purpureus veluti cum flos ſuccíſus aratro
Langueſcit moriens: laſſove papauera collo
Demiſere caput pluuia cùm fortè grauantur. E

Catullus in carmine nuptiali non minùs eleganter eadem ſimilitudine ſignificauit quantum pereat de florum pulchritudine ac pretio, ſi flaccidi iam ſint, aut contrectati manibus.

Vt flos in ſeptis ſecretus naſcitur hortis,
Ignotus pecori nullo concuſſus aratro,
Quem mulcent auræ, firmat ſol, educat imber:
Multi illum pueri, multæ optauere puellæ.
Idem cùm tenui carptus defloruit vngue,
Nulli illum pueri, nullæ optauere puellæ.

66. Sed cùm ita ſit in herbis omnibus, vt marcidæ deſpiciantur, quo modo iam tot caſibus afflicti, & marcidi Iudæi deſpicatui erant omnibus nationibus: Tamen aliquid ſpeciale eſt in beta, quæ etiam cùm viret languida eſt, & fatua, adeò vt in prouerbium abierit, quo ſignificamus aliquid eſſe languidum, ſtolidum, & infacetum. Id Græci dicunt *lachanizare*, quod apud Suetonium *in Octauio*, Auguſtus reddidit *betizare*. Vide Eraſmum in adagio *Lachanizare*, vbi accommodata adducit exempla. Quid igitur aptiùs Iudæorum in illo ſtatu naturam, & mores notare potuit, quàm beta ſemicocta, deficiens, & marcida. Credo autem ita Septuaginta tranſtuliſſe, quia Græcè ad Græcos ſcripſerunt, quibus notum erat, & familiare prouerbium illud, quo res maximum in modum extenuabantur. Et ſanè ſemicocti dicuntur, & cauſti Iudæi in exilio Babylonico, de quibus *Thren.* 4. *verſ.* 8. *Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum: & non ſunt cogniti in plateis. Adhæſit cutis eorum oſſibus. Aruit & facta eſt quaſi lignum.* Et clariùs *cap.* 5. *verſ.* 10. *Pellis noſtra quaſi clibanus exuſta eſt a facie tempeſtatum famis.*

67. Chaldæus vertit *ſicut lagena fracta.* Quæ ſatis exprimit fortunam captiuorum, qui ſic erant deſpecti, & quaſi proiecti, ſicut futilia lagenarum fragmenta, quæ nulli vſui ſunt. Et quidem tales futuros eſſe in captiuitate Iudæos dixit priùs Iſaias *capite* 30. *verſ.* 14. *Et comminuetur, ſicut conteritur la-* C *gena figuli contritione perualida; & non inuenietur de fragmentis eius teſta, in qua portetur igniculus.*

68. Quàm grauis Dei indignatio. g g *Plens indignatione Domini, increpatione Dei tui.*] Magnum ſanè eſt quod hoc dicendi genere ſignificatur à propheta: quia non leue eſt indignationem, & furorem Domini portare, à quo nihil prouenire poteſt, quod non ſit, aut certè quod eſſe non debeat hominibus horribile. Sanè non poteſt non eſſe animo ægro, qui verè dicere de ſe poteſt illud Micheæ *cap.* 7. *verſ.* 9. *Iram Domini portabo, quoniam peccaui ei, donec cauſam meam iudicet. Plenos indignatione* vocauit Paulus peccatores, qui dum obſtinatò, & impœnitenter in peccato hærent, in pectore ſuo theſaurizant iram Dei, id eſt, implentur, *ad Roman. cap.* 2. Deſcripſit eleganter teſtis ipſe Hie- D ronymus hanc Dei indignationem in eodem populo Iudaico, cùm eſſet in eodem ſtatu, in quo nunc illũ intuetur propheta ad illud *c.* 1. *Sophoniæ. Et erit fortitudo eorum in direptionem. Videas*, inquit, *eo die quo capta eſt à Romanis & diruta Ieruſalem, venire populum lugubrem, confluere decrepitas mulierculas, & ſenes pannis, anníſque obſitos, & in corporibus, & in habitu ſuo iram Domini demonſtrantes: congregatur turba miſerorum plangere ruinas templi ſui, populum miſerum, & tamen non eſſe miſerabilem. Adhuc fletus in genis, & liuida brachia, & ſparſi crines, & miles mercedem poſtulat, vt illis flere plus liceat.* Porrò *indignatio*, & *increpatio Dei* ſumitur pro ſupplicio illo, quo affecti ſunt Iudęi proiecti, & in viarũ capitibus dormientes, illaqueati ſicut oryx, aut ſicut beta ſemico- E cta. Ea figura, qua paulò antè dicebamus ſumi rem ſignificatam pro ſigno, quomodo *fortitudo* pro armis, pro corona *lætitia* ſumitur: ſic nunc *indignatio* pro ſupplicio ponitur. *Indignatio* autem *Dei*, ſeu *ſupplicium Dei*, pro grauiſſimo ſupplicio ponitur. Percuſſus à Deo dicitur Chriſtus, & digitus Dei tetigiſſe Iob, quia vterque grauiſſimè vulneratus. Grauis itaque in Iudæis plaga ſignificatur, hoc dicendi genere.

hh *Idcirco*

69. hh *Idcirco audi hoc paupercula, & ebria, & non à vino.*] De hac ebrietate diximus nuper. Illud *paupercula*, in diminutiua forma animum declarat Dei benignius iam affectum, quemque iam propiùs cura tangat, & dolor alieni mali. Quo genere loquendi Patres vtuntur cùm paruulos filios, aut mulcent dolentes, aut illis molliter blandiuntur.

70. ii *Ecce tuli de manu tua calicem ſoporis, fundum calicis indignationis meæ, &c. & ponam illum in manu illorum, qui te humiliauerunt.*] Metaphora vt puto à conuiuiis ſumitur, in quibus vſitatum videtur apud Hebræos, vt calix circumferatur inter conuiuas. Quod colligere facilè mihi videor ex ipſius ſcripturæ loquendi modo, vbi calix multis propinatus dicitur *Ierem.25. verſ.15. Sume calicem vini furoris huius, & propinabis de eo cunctis Gentibus. Thren.4. verſ.12. Gaude, & lætare filia Edom, quæ habitas in terra Hus: ad te quoque perueniet calix, inebriaberis, atque nudaberis. Pſalm.74. verſ.9. Calix in manu Domini vini meri plenus mixto, & inclinabit ex hoc, in hoc.* Ad quam conſuetudinem reſpexiſſe videtur Chriſtus *Matth.26. verſ.28.* cùm porrecto calice diſcipulis dixit: *Bibite ex hoc omnes.* Ait ergo Deus calicem illum ſoporis, & indignationis, quo inebriata dicitur Ieruſalem, ex illius manu conuiuiali more, peruenturum quoque ad Chaldæos, qui irrogatæ iniuriæ, & offenſæ humanitatis pœnas expendent.

71. ll *Et dixerunt animæ tuæ, Incuruare, vt transeamus, & poſuiſti vt terram corpus tuum.*] Hæc inſigniter declarant quò ærumnarum atque contemptus venerint captiui Iudæi apud Babylonios, ſeu debellati à Romanis filij Ieruſalem. Nam qui victi ſunt ab hoſte maximè inſolenti, & barbaro, nihil recuſare audent, quod modò libeat voluntati, ſeu libidini dominorum. Sed illud durum & miſerabile, quòd ſe calcandos præbent aliorum pedibus; neque iuſſi incuruare ſe, vt per ſtrata ipſorum corpora victores incedant, contrà mutire, aut fortunam ſuam lamentari audent. Ad quam conſuetudinem crebræ ſunt alluſiones in ſcriptura. Primùm eò ſpectat ille loquendi modus, quo inimici ſuperati dicuntur ſcabellum pedum eorum, quibus ſubiecti ſunt. Et Ioſue *cap.10.* iuſſit, vt reor, ex vincentium conſuetudine, vt quinque Regum ſubiugatorum principes exercitus ceruices calcarent. *Ite*, inquit, *& ponite pedes ſuper colla Regum iſtorum.* Ad hanc conſuetudinem intentus Dauid *Pſalm.90.* dixit, *Super aſpidem, & baſiliſcum ambulabis; & conculcabis leonem, & draconem.* Iuſſi ergo Iudæi incuruare ſe, quod victi ſolent, & captiui, poſuerunt corpus ſuum ſicut terram, id eſt, humi ſe ſtrauerunt, & abiecerunt, vt ſicut per terram, ſic etiam per eorum corpora victores tranſirent. Porrò *animam alicuius* pro *aliquo* ſumi, iam alibi à nobis probatum eſt. Quare illud *dixerunt animæ tuæ*, nihil eſt aliud, quam *dixerunt tibi*.

Victi à victoribus ſternuntur, atque calcantur.

Hic ſtatus bellè deſcribit illorum conditionem, qui aut mundo ſeruiunt, aut ſuis cupiditatibus: quorum imperio violentiſſimo ne deſint, abiiciunt animam ſuam fœdiſſimè, ſeque à rebus viliſſimis conculcari ſinunt. Quod planè indignum nobili, atque ingenua natura eſt, quam Dominus minuit paulò minùs ab Angelis, & eiuſdem regni, ac felicitatis conſortem eſſe voluit. Exemplis hoc diſce illorum, qui cùm eſſent priùs cum poteſtate ſumma, eò tamen illorum fortuna deuoluta eſt, vt aſcenſuris equos dominis, quos priùs hoſtes habuerunt, pro ſcabello illorum pedibus ingenua olim, atque auguſta corpora ſubſtrauerint. Quod Baiacetus Turcarum princeps Tameriano, & Valerianus Imperator Sapori Perſarum Regi munus præſtitere. Neque huic diſſimile, immò longè durius, atque ignominioſius ſubierunt victi Reges, quorum ceruices ſub iugum triumphalis currus egit Seſoſtris Ægyptiorum Rex, de quo Plinius *lib.33. cap.3.* & Diodorus Siculus *l.2. c.1.* & Lucanus *lib.10.* 72.

72. Miſera ſæcularium ſeruitus.

Venit ad Occaſum mundique extrema Seſoſtris,
Qui Pharios currus Regum ceruicibus egit.

Locus hic ad rem moralem valde opportunus eſt, quem optimè tractat hic Hieronymus; qui in hoſtibus, à quibus calcatur anima, aduerſarias intelligit poteſtates, cui dicunt, incuruare, vt tranſeamus. *Adnotandum eſt*, inquit, *quòd non eam incuruauerint, nec vim fecerint vt priùs erecta inclinaretur in terram, ſed proprio arbitrio dereliquerint. Illa autem voluntate ſua poſuerit ceruices, vel dorſum, ſiue totum corpus ſuum non inuita, ſed foris iis, qui eam conculcauerint. Tale quid & in Euangelio legimus, quòd decem & octo annis Satanas incuruauerat mulierem, quam Dominus ad ſtatum priſtinum erexit. Lucæ cap.13.* In eamdem ſententiam optimè, & copioſè Greg. *homil.31. in Euangelia. Recta*, inquit, *ſtat anima cùm ſuperna deſiderat, & nequaquam flectitur ad ima, ſed maligni ſpiritus cùm hanc in ſua rectitudine ſtare conſpiciunt, per eam tranſire non poſſunt: tranſire namque eorum eſt, illi immunda deſideria ſpargere. Dicunt ergo incuruare, vt tranſeamus.* Vide tu reliqua quæ illuſtria ſunt, & tanto Doctore non indigna. *Hæc de hoc capite quinquageſimo primo.*

73. Quis à Diabolo, ſeu à tentatione calcetur.

Argumentum quinquageſimi ſecundi capitis Iſaiæ.

LIBERTATEM *promittit Deus Ieruſalem captiuæ, & in ea typicè hominum generi, quos durè premebat Dæmonis imperium; idque ea verborum figura, quæ præſentem iam, & ſplendidam libertatem deſignat. Deinde ſpeculatores inducit, qui Ieroſolymæ tam propriæ, quàm figuratæ, & myſticæ frequentes aduentare filios vndecumque clamant. Tertiò facilem eſſe docet aut Iudæorum remigrationem in patriam, aut gentium acceſſum ad Eccleſiam. Ad extremum non iam ampliùs vllo modo de Ieruſalem loquitur propheta, ſed de ſpirituali humani generis libertate: in qua procuranda quàm grauia ſint Chriſto ſubeunda, quique fructus ex eius obedientia ſequuturus, oſtendit.*

bbb 3 CAPVT

CAPVT LII.

1 [a] *CONSVRGE, cõſurge, induere fortitudine tua Sion: induere veſtimentis gloriæ tuæ, Ieruſalem,* [b] *ciuitas ſancti,* [c] *quia non adiiciet vltrà vt pertranſeat per te incircũciſus, & immundus.*

2 [d] *Excutere de puluere, conſurge, ſede Ieruſalem: ſolue vincula colli tui captiua filia Sion:*

3 *Quia hæc dicit Dominus:* [e] *Gratis venundati eſtis, & ſine argento redimemini.*

4 *Quia hæc dicit Dominus Deus:* [f] *In Aegyptum deſcendit populus meus in principio, vt colonus eſſet ibi: Et Aſſur abſque vlla cauſa calumniatus eſt eum.*

5 *Et nunquid mihi eſt hîc, dicit Dominus:* [g] *quoniam ablatus eſt populus meus gratis?* [h] *dominatores eius iniquè agunt, dicit Dominus: & iugiter tota die nomen meum* [i] *blaſphematur.*

6 [k] *Propter hoc ſciet populus meus nomen meum* [l] *in die illa: quia ego ipſe qui loquebar, ecce adſum.*

7 [m] *Quàm pulchri ſunt ſuper montes pedes annunciantis, & prædicantis pacem; annunciantis bonum, prædicantis ſalutem,* [n] *dicentis Sion, Regnabit Deus tuus.*

8 [o] *Vox ſpeculatorum tuorum: leuauerunt vocem, ſimul laudabunt;* [p] *quia oculo ad oculum videbunt, cùm conuerterit Dominus Sion.*

9 [q] *Gaudete,*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 CONSVRGE iam Sion, & excitare à puluere, in quo diu iacuiſti captiua, & excuſſo torpore te ipſam ad ſtrenuum fortitudinis negotium accinge; & quæ indumento lacero, ac vili, & tuæ fortunæ conſentaneo induebaris, nunc veſtimentum accipe glorioſum, & lautum. Quoniam non iam ampliùs dominis obſequeris Babyloniis, ſed ſancto, id eſt, Domino Deo Iſrael; neque vltrà incircumciſus, & immundus ſic Iudæorum fines inuadet, vt tui, ſicut antea, dominetur.

2 Excutere de puluere, ad quem te ipſam inuaras, & abieceras aliorum pedibus proculcandam, & ad ſolij maieſtatem aſcende. Solue iam Sion, & confringe vincula, quibus in exilio, aliorum imperio alligata ſeruiebas.

3 Quia hæc dicit Dominus: Sicut libertatem veſtram alienus nullo impenſo pretio ſibi vendicauit, ſic nullo à vobis exoluto pretio, ab ignobili ſeruitute redimemini.

4 Populus meus vix dum natus in Ægyptum deſcendit, & ibi tanquã colonus, & peregrinus habitanit: quem ego Pharaone demerſo, qui illum opprimebat, in libertatem aſſerui. Ecce Aſſur eadem nunc immanitate eumdem vexat populum.

5 Quid ergo nunc otioſus ſedeo? Quin ſtatim me ad eius libertatem accingo, cùm neque potentia deſit; neque aliter, quàm olim in illum populum animatus ſim? Qui populo dominantur meo, iniquiſſimis illos exagitant modis, ingentibus onerant tributis; quin etiam nomen meum quotidianis appetunt, laceràntque conuitiis.

6 Propterea ego, qui cum populo meo loquutus ſum, & præſtituto tempore libertatem promiſi; ecce quamprimum adero. Tunc verò populus meus cognoſcet me fidelem in promiſſis; & verbum deſinet iactare blaſphemiæ; immò præter me nullum alium colendum putabit.

7 Cùm autem me mundo Seruatorem oſtentato, tunc celeres nuncij aduentu ſuo gratiſſimo, ex montibus, vnde ſe latè in omnem partem præconia diffundant, pacem annunciabunt, prędicabunt ſalutem, & quidquid verè in bonis numerari poteſt: dicéntque Sioni: Euge Sion, quia ſublatis dominis, qui iniquiſſimo te oppreſſerunt imperio, vnus in te Dominus Deus tuus regnabit.

8 Hæc erit vox ſpeculatorum, qui læti de Sionis commutata fortuna, & ſtatu longè meliori; voces leuabunt lætitiæ, atque gratulationis plenas: quia oculis ſuis vidiſſe ſe dicent ſalutis auctorem, & quanta Sionis in gremium influent bona, quo tempore Seruator Chriſtus illam à captiuitate reſtituet.

9 Gaudete

9 Gaudete itaque, qui deſertos incolitis, ac ſolitarios terminos Ieruſalem. Laudate Dominum, illique pro ſingulari hoc beneficio gratias agite; quia redempta Ieruſalem antè captiua, electum ſibi populum conſolatus eſt.

9 [q] *Gaudete, & laudate ſimul deſerta Ieruſalem: quia conſolatus eſt Dominus populum ſuum, redemit Ieruſalem.*

10 Quia Dominus brachium ſuum armauit, & dexteram miſerorum vindicem accinxit fortitudine, quam non in vnius Iudaici populi, ſed in omnium gentium ſalutem expediuit. Quem ſuæ libertatis auctorem agnoſcent, & videbunt omnes Gentes, neque vllus erit terrarum angulus, qui partam à Domino ſalutem non videat, & agnoſcat.

10 [r] *Parauit Dominus brachium ſanctum ſuum in oculis omnium Gentium, & videbunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri.*

11 Quare, ô vos, quos dura premit immanium dominorum tyrannis; ab ea vos quantocyus eximite. Recedite à Babylone, vbi iam pridem conſenuiſtis: quia ſic erit facilis, atque expedita remigratio, vt omnia per otium ſanctè, ac legitimè adminiſtrari poſſint. Quare quotquot exulatis è genere Leuitico, quò ſacra vaſa religiosè tangere, & reducere poſſitis, ab eo, quod temerare, ac polluere ſolet, manus abſtinete: & ſi quid, quod Leuiticam mundiciem dedecet, contraxiſtis, illud quamprimum legitima purificatione detergite.

11 [s] *Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere, exite de medio eius, mundamini, qui fertis vaſa Domini.*

12 Non enim, vt ex Ægypto olim cũ tumultu, ac trepidatione exibitis, neque feſtinatò vt in fuga ſolet; ſed ſedati, ſecuri, atque rebus omnibus luculenter inſtructi. Neque verò id mirandum, cùm ille idem, qui vos ab exilio, ad ſuum ſibi ſinum congregabit, vobis dux, & auctor viæ futurus ſit.

12 [t] *Quoniam non in tumultu exibitis, nec in fuga properabitis: Præcedit enim vos Dominus, & congregabit vos Deus Iſrael.*

13 Ecce intelliget hæc, quæ vobis nunc de veſtra ſalute, ac libertate in captiuitate Babylonica, & Cyro illius vindice obſcurè prænuncio, complebitque omnia Chriſtus ſeruus meus, qui propter obedientiam in arduo redemptionis opere conſtantem, exaltabitur, extolletur, & erit ſupra omnium non ſolùm gloriam, ſed etiam cogitationem ſublimis.

13 [v] *Ecce intelliget ſeruus meus: exaltabitur, & eleuabitur, & ſublimis erit valde.*

14 Obſtupeſcent quidem plurimi, eximia illius opera, & incredibilem virtutem admirati; ſed quanta erit hominum de Chriſti virtutibus, atque prodigiis admiratio, tanta erit eiuſdem ab iiſdem hominibus ignominia: & qui ſpecioſus erat forma præ filiis hominum, talem pòſt habebit aſpectum, qualem mortalium nemo.

14 [x] *Sicut obſtupuerunt ſuper te multi:* [y] *ſic inglorius erit inter viros aſpectus eius, & forma eius inter filios hominum.*

15 Hic aſpergit Gentes multas, emundabitque multò meliùs, quàm Iudæorum ſacra emundabant pollutos. Hunc Reges ita ſuſpicient, atque venerabuntur, vt in eius conſpectu hiſcere nefas eſſe putent. Hæc porrò, quæ de Meſſia prædico, illi quoque videbunt, quibus de Meſſia nihil à prophetis nunciatum eſt, & illius contemplabuntur arcana myſteria, qui de illis eo, quo Iudæi, modo, nihil audierunt.

15 [z] *Iſte aſperget Gentes multas,* [aa] *ſuper ipſum continebunt reges os ſuum:* [bb] *quia quibus non eſt narratum de eo, viderunt: & qui non audierunt, contemplati ſunt.*

IN CAPVT QVINQVAGESIMVM SECVNDVM COMMENTARIVS.

1. [a] CONSVRGE, *conſurge: induere fortitudine tua Sion, induere veſtimentis gloriæ tua Ieruſalem, ciuitas Sancti.*] Quò ſpectet adhortatio hæc prophetica, non eſt difficile ſtatuere ex ſuperioribus, cùm caput hoc continenti textu cum ſuperiori coniungatur. Certum mihi eſt, quod pleriqueex interpretibus cenſent, vaticinium hoc eſſe de Eccleſia; cuius ſplendor, & gloria luculenter à propheta deſcribitur. Sed puto hîc etiam tanquam vmbram ſupponi ſtatum populi Iſraelitici, qui etepius ab exilio, vbi, vt nuper vidimus, abiectus & ſordidus iacebat, ſicut oryx conſtrictus, & omnibus inimicorum telis, atque iniuriis propoſitus; in patriam tamen reuerſus antiquam lautitiam, & ſplendorem recuperauit. B Neque hîc puto tam ſpectandum Romanum, quàm Babylonicum tempus, quia Romanorum tempore incircumciſus non iudicabatur, aut erat immundus: imò ex incircumciſis maxima ex parte Eccleſia fundata eſt; ſed hîc in Ieruſalem nullus ingreſſurus eſſe dicitur, niſi ex circumciſione. Dices circumciſum hic figuratè ſumi pro ſpirituali viro, & eo qui carnis curam, & blandimenta depoſuit: Fateor in ſenſu myſtico, ſed aliquid ſimile ſupponendum eſt in typo. Sanè S. Thom. Hugo, & Pagninus ab exilio Babylonico putant hîc aduocari captiuos. Pintus Emanuel Sa aduocari quidem, verumtamen in eis vocationem Iudæorum ad Eccleſiam adumbrari. Et probat Salmeron *tractatu 9. tomo 1. non longè à principio*, qui tamen ad ſententiam ſancti Thomæ difficilis non eſt. C Et hoc poſtremum mihi probatur magis, quod inter duo extrema medium eſt, neque vt conſtabit legenti quicquam habet offenſionis in capitis decurſu.

2. Meminiſſe oportet quo in ſtatu eſſent filij Sion captiui apud Chaldæos conſumpti fame, viles, vt betæ ſemicoctæ: ſordidi, & longo pœdore, atque illuuie fœdi: deinde inermes, imbecilli, & quaſi oryges in laqueo conſtricti. Hic ergo iubentur excitare ſe, & meliora, atque maiora meditari: nempe vt animos aſſumant viriles, & ſe ipſos excuſſo ſopore fortitudine accingant. Et qui priùs ſeruilem conditionem, & ignominiam paſſi amplexati fuerant ſtercora *Thren. cap.* 4. & indumentis ſuæ fortunæ conſentaneis veſtiebantur, laceris, & vilibus, ornent ſe aliis, quæ priorem deſpuant conditionem, & honeſtiorem oleant. Reddit autem rationem cur futura ſit illa morum, indumentorúmque D mutatio; quia iam ciuitas illa non Aſſyriis, aut Chaldæis, aut externis dominis, ſed ſancto, id eſt, Deo ſeruitura ſit; & in illius religione & patrocinio futura.

3. *Ieruſalem ciuitas Sancti.* [b] Cur Ieruſalem dicatur *ciuitas Sancti*, diximus ſuprà *cap.* 48. *num.* 6. & ſuper Zachariam *cap.* 8. *num.* 4. Vbi eadem eſt omnino materia, & eadem propè verborum forma. Inter alias hanc nunc cauſam accipe, quia ſtatim à captiuitate per Zorobabel, & Ieſum ſacerdotem conſtructum eſt templum, quod priùs euerſum fuerat à Chaldæis: templum A autem domus eſt Dei, & quaſi Regia ſedes. Cùm autem vnum eſſet templum Iſraelis, idque in Ieruſalem, iure ciuitas illa ciuitas Dei vocari potuit, vbi materiale Dei ſolium, & ſedes excitabatur Regia.

Hæc multò meliùs de Eccleſia prædicari poſſunt, ad quam conuenire, qui priùs dæmoni, mundo, & ſuis cupiditatibus ſeruientes vitam agebant verè ſordidam & ignobilem, conſtricti tanquam oryges, & paſſim aliorum confixi telis, ſtrati humi, vt eorum corpora, cùm liberet, hoſtes calcarent. Cùm tamen ſe Deo meliori vtique Domino ſubiicient, conſecrabúntque, iam extricare ſe poterunt à vinculis, & excitati à ſordibus veſtimenta gloriæ, atque decoris induere. 4.

B [c] *Quia non adiiciet vltrà, vt pertranſeat per te incircumciſus, & immundus.*] Sæpe Chaldæi ciuitatem ſanctam inuaſerant, conculcarántque, & ſuis ſpoliarant ornamentis, vt habes 4. *Regum cap.* 24. *verſ.* 25. nunc reſtituto populo, & inſtaurato templo dicit propheta, non iam ampliùs ipſos, aut alios incircumciſos eſſe venturos. Qui etiam *immundi* dicebantur, quia peregrina, atque immunda colebant ſacra, quibus ſe quotidie contaminabant: & quia his vtebantur cibis, quos lex iudicabat immundos, & à quibus ſeuerè circumciſum, & mundum populum deterrebat. Quare ab illorum conuictu, & menſa diligenter ſibi cauebant Iudæi, ne ipſi quoque contaminarentur. Sed dices verum eſſe Aſſyrios & Chaldæos poſt captiuitatem ſolutam non eſſe reuerſos in Ieruſalem; At C negari non poſſe rediiſſe incircumciſos, & eo nomine immundos, quia iterum occupata eſt ab Antiocho & à Romanis capta non ſemel, & templum Domini nefariis ſacrilegiis violatum. Huic obiectioni reſpondet ſatis Hebraici idiomatis conſuetudo, quæ id quod poſt longum tempus futurum eſt, non vltrà, aut nunquam eſſe futurum affirmat, vt pluribus oſtendimus *cap* 28. *num.* 29. & ita ſoluit Lyra difficultatem hanc & ſimilem aliam *cap.* 1. *Iſaiæ* ad illud *Non exercebuntur vltrà ad prælium.* Vbi duo optima adducit exempla, quæ tu vide. 5.

Quod ad Eccleſiam attinet, longè videtur difficilius, quia licèt illa ſancta ſit, non tamen omnes, qui in eius gremio, atque complexu ſunt, ſanctitatem colunt. Cùm ibi quoque, ſicut in agro in quem diligens paterfamilias optimum ſemen ſparſit, reperiantur zizania: & bonos, & malos piſces D vnum rete contineat. Multa hîc à multis dicuntur; Ego omiſſis aliis, quæ mihi parum ſatiſfaciunt, puto duobus modis occurri poſſe obiectæ difficultati. Alterum, ſi in *incircumciſo, & immundo*, principem tantùm intelligas qui toti ciuitati, aut reipublicæ præeſt: qui tranſire dicitur per ciuitatem ſuo ſubiectam imperio, iuxta Hebraicam phraſim, quæ ſummam poteſtatem ſignificare ſolet, per *ingredi & egredi, introire, & exire*; quod idem videtur eſſe, quod hoc loco *pertranſire*. Iuxta hæc ſenſus erit. Non iam amplius, ô gens quondam aliena, & viuens ſub aliorum iugo, nunc autem ad Eccleſiam vocata, 6.

domina

dominabitur in te incircumciſus, & immundus, id eſt, impius aliquis Rex, aut tyrannus, quales incircumciſi, aut immundi nomine ab Hebræis vocantur; ſed dominabitur in te Chriſtus, in quo nihil eſt immundum, nihil incircumciſum, id eſt, nihil quod circumciſionis, aut purgationis indigeat.

7\. Alter modus expediendi nodi eſt, ſi hic, non tam, quod re ipſa futurum eſt, intelligas, quàm quod eſſe in Eccleſia à Chriſto conſtituta debeat, aut quod, vt fiat, ipſa rerum natura poſtulat. Eſt enim valde vſitatum in omni ferme idiomate, & præſertim Hebraico, vt id dicatur fieri, quod aptum eſt, aut dignum vt fiat; aut quod propter rerum naturam, ſeu conſuetudinem fieri debet, vt diximus *cap.48.num.22.& cap.3.num.11.* Cùm ergo Eccleſia à Chriſto iis legibus inſtituta, iis ſacramentis locupletata, atque ornata ſit, vt qui in illa viuunt mundi omnino eſſe debeant, & circumciſi, id eſt, qui non carnis lenociniis capti, voluptatibus diffluant, aut terrena curent, ſed omnes habeant ſenſus, & animi motus mortificatos, & rationi, atque Euangelio ſubditos, ideo nullus incircumciſus, & immundus per illam ſanctam Sion tranſiturus eſſe dicitur.

Mundi eſſe debent, qui in Eccleſia ſunt.

8\. d *Excutere de puluere, conſurge, ſede Ieruſalem, ſolue vincula colli tui captiua filia Sion.*] Verba hæc fortunæ mutationem oſtendunt, non vulgarem; quia ab infima conditione ad ſummum vſque locum aſcenſus indicatur. Quid ſit *ſedere in puluere* diximus *cap.47.in principio*, nempe in ſordibus eſſe, aut luctu, quod fœminæ ærumnoſæ, ac viduæ de more faciunt. Sed hîc ego in *puluere* maius aliquid, & miſerabilius intueor. Proximè *in fine cap. 51.* vidimus ſtratos eſſe filios Sionis humi, ſuáque corpora inimicorum pedibus calcanda præbuiſſe; id puto nunc in *puluere* deſignari. Iam verò Ieruſalem, quæ ægra, atque ærumnoſa iacebat in puluere, iubetur, vt ab eo ſe & ab aliis ſordibus excutiat, & quæ iacebat priùs, iam conſurgat. Neque id ſatis eſt pro fortunæ modo, iubetur etiam, vt ſedeat in ſolio nimirum Regio; quia latè deinceps regnum ſuum in multas prouincias propagabit.

9\. Hæc tria ordine omnino conuerſo prædicta ſunt ab eodem propheta de Babylone *cap.47. ver.1.* quæ ibi Regium ſolium habuiſſe dicitur. Illam iubet Deus de ſolio deſcendere, & in puluere ſedere ignobilem, abiectam, & ſordidam. *Deſcende, ſede in puluere virgo filia Babylon, ſede in terra, non eſt ſolium filia Chaldæorum.* Quo ordine deſcendere iubetur Babylon, & ſeruilem, ac ſordidam ſubire conditionem, eodem Ieroſalem relictis ſordibus ad ſolij maieſtatẽ iubetur aſcendere. Quod accidiſſe Ieruſalem reſtitutæ ſatis ex Scriptura ſacra comperrũ eſt.

10\. De Eccleſia hæc multò cumulatiùs, ac veriùs, cuius regnum multò amplius, atque ſplendidius fuit, & prior illorum ſtatus, qui ad Eccleſiam poſtea conuenerunt, multo calamitoſior: Viuebant enim ſub imperio tyranni multò ſæuioris Chaldæorum Rege: Seruitutem ſubibant multò duriorem, ſordidiorémque ſub diaboli iugo, quàm captiui Iudæi; Inde euocati ad illum ordinem proueһuntur, in quo læti, & cũ dignitate viuant, veréque reges appellari poſſint. Et qui ſtrati humi, & terrenis curis inhiantes viliſſimorum hominum pedibus calcabantur, iidem calcatis mundi, carniſque deliciis, atque ludibriis, altiora iam atque digniora meditentur. His optimè deſcribitur infelix peccatoris ſtatus, & eiuſdem iam ad Deum conuerſi dignitas, & ſplendor.

e *Gratis venundati eſtis, & ſine argento redimemini.*] Quomodo Iudæi vltro ſe vendiderint Babylonis, neque à Deo venditi fuerint: aut etiam quo ſe modo peccator dæmoni mancipauerit, diximus ſuprà *cap.50.* ad illud, *Cui vendidi vos.* Vbi in duplici expoſitione hiſtorica, & myſtica adduximus, quæ in vtroque ſenſu adduci in hunc locum poterant. 11.
Vendidere ſe gratis Iudæi Babyloniis, quia nullo pretio à Babylonis empti, ſed tantùm bello capti: ſicut fera à venatore comprehenſa nullo pretio exiſtimatur empta, quia gratis oblata cenſetur à fortuna, aut certè ab eo capta, qui quicquid eſt in venatione laboris, ſtudio ſibi, ac voluptati ducit. Gratis etiam peccator ſe dæmoni mancipauit; quia ſi quid ab eo accepit in animæ ſuæ permutatione, aut nundinatione; id vſque adeò exiguum eſt, vt *nihil* quàm veriſſimè dici debeat, certe quàm proximè abeſt à nihilo. Cùm verò anima tanti pretij ſit, qui illam alteri tradit, quantumcumque rerum humanarum in permutatione accipiat, gratis illam vendidiſſe exiſtimari poteſt. Porrò *vendere*, aut *emere* licèt pretium ſecum innata naturæ proprietatem importent, quia in rebus ea ratione diſtrahendis nunquam non intercedit pretium, tamen *καταχρηστικῶς* vtrumque verbum ſæpe in Scriptura ſacra reperitur, pro *trado*, ſeu *accipio*, vbi nullum eſt pretium. De *vendo* habes exempla clara *Pſal. 43. Vendidiſti populum tuum ſine pretio. Iud.2. Vendidit eos in manus inimicorum ſuorum*, id eſt, tradidit veluti mancipia, quæ pretio comparantur. De *emo* non minùs apertè *1. Corinth. 6. Empti enim eſtis pretio magno.* Et *Apocal. 3. Suadeo tibi emere à me aurum ignitum.* Vide quæ dicemus poſtea *cap. 55.* ad illud *Emite & comedite.* & *cap.5.num.32.*

Vendo, & emo, etiam vbi pretium non eſt.

12\. Vtrique autem tam Iudæi venditi Babyloniis, quàm venditi homines diabolo redempti ſunt à Domino ſine argento. Iudæi quidem agente id Domino per Cyrum, qui tam longè fuit, vt ab captiuis, & ſeruis pretium libertatis exigeret, vt potiùs ad templi fabricam, & ornamentum, & vaſa reddiderit ablata à Nabuchodonoſor, & aliunde neceſſaria omnia Regia, ac liberali manu prouiderit, vt habes *Eſdra lib.1.cap.1.& 6.* At quàm gratis à Chriſto redempti fuerint homines, qui ſe gratis diabolo vendiderant, quis non videt. Quod redemptionis noſtræ pretium, quia paucis explicari non poteſt; & multis hîc pro noſtri inſtituti ratione non licet, aliis expendendum, & exaggerandum relinquo; neque pauca in hunc locum habes ab interpretibus. Vt ergo Cyrus deleto Chaldæorum imperio gratis Iudæos à ſeruitute liberos, donísque oneratos pretioſiſſimis in patriam remiſit; ſic Chriſtus tenebrarum, id eſt, diaboli regno euerſo homines in ſuum regnum exaltauit. Quemadmodum peccator quantumcumque accipiat pretij in animæ ſuæ permutatione, gratis illam vendidiſſe dicitur; quia præ animæ æſtimatione, quæcumque à mundo, aut diabolo non ſolum dari, ſed offerri vana promiſſione poſſunt, viliſſima ſunt. Sic vt venditam animam à diabolo redimat, quantumcumque laboris, & ſumptus, imò ſeſe ipſum totum impendat, flammíſque comburendum tradat, gratis redimitur: quia pro debiti magnitudine, quæ ab humana facultate impendi poſſunt, inſtar habent nihili.

13\. f *In Ægyptum deſcendit populus meus in principio, vt colonus eſſet ibi: & Aſſur abſque vlla cauſa calumniatus eſt eum. Et nunc quid mihi eſt hîc, dicit Dominus.*] Hîc varij ſunt interpretes, qui de iſto Aſſur

Aſſur non eodem modo, ac ſenſu definiunt. Caiet. *in cap. 1. Exodi* illum eſſe putat, qui durè vexauit Iſraelitas, qui *Pharao* ibi nominatur. In quam cogitationem inductus eſt, tum propter hoc Iſaiæ teſtimonium, tum quia alienum eſſe oportebat illum Regem, cui ignotus eſſet Ioſeph, cuius in Ægyptios tot extitiſſent, ac tam illuſtria merita; putat autem Aſſyrium fuiſſe. Idem placet Emanoeli Sa, neque ab horum ſententia longè abeſt Foreirus, qui in *Aſſur* Pharaonem agnoſcit, qui Iudæos in Ægypto vexauit; dici tamen exiſtimat *Aſſur*: quia ex Aſſyrij Salmanaſar, ſeu Senacherib nimis cognita, & in ſeipſis explorata ſæuitia in prouerbio erat apud Hebræos nomen *Aſſur*, quo hoſtis notabatur potens, & ferox Iudaici nominis. Adamus in *Aſſur*, Salmanaſar intellexit, aut Senacherib.

14. Communis tamen ſententia eſt hunc Aſſur eſſe Nabuchodonoſor, qui filios Iſrael eo tempore, quod nunc reſpiciebat Iſaias, duro apud ſe tenebat, & premebat imperio: qui licèt Aſſyrius non eſſet, ſed Chaldæus, *Aſſur* tamen vocatur, quia Aſſyriorum imperio ad Chaldæos tranſlato Aſſyriis quoque dominabatur. Hoc inprimis omnium ferme conſenſu conſtituto ad reliqua pergamus, & primùm de captiuia apud Babylonem.

15. Suprà vt nuper vidimus, neque id ſemel, exemplo ſumpto ex Hebræorum libertate ab Ægyptio iugo probauerat Deus ſe poſſe facilè fracta Chaldæorum potentia liberare captiuos, idque ſe facturum pollicitus fuerat. Hoc idem nunc confirmat, & repetit: ita tamen vt aliquid omittat, quod in re ſæpius iterata, & cuius memoria recens, fieri ſolet. Puto ergo hanc eſſe ſententiam & verborum ordinem: *Populus meus in Ægyptum deſcendit in ſua ferme origine, id eſt in Iacob: cum quo ſeptuaginta animæ quæ numeroſam populi ſobolem genuerunt, ingreſſa ſunt, ibi tanquam coloni & peregrini habitauit.* (Hæc propheta; Tu verò adde ad illa ea, quæ omiſſa videntur per apoſiopeſim, & textum implent conſentaneè ad ſuperiora) *Quem ego à Rege barbaro violenter oppreſſum obducto tenebris cœlo, & ſiccato mari in libertatem aſſerui. Ecce Aſſur eadem nunc immanitate eundem vexat populum. Quid ergo nunc otioſus ſedeo? quin ſtatim me ad eius libertatem accingo? cum eadem poſſim quæ Ægyptiis temporibus, neque deſit mihi voluntas, & ſtudium populi iuuandi.* Hæc explicatio facilè totum expedit caput, niſi me ipſum fallo, neque apparet quid in eo cuiquam offenſioni eſſe poſſit. Apoſiopeſim agnoſcunt hîc Lyra, Foreirus, & Adamus, licèt aliter locum interpretentur.

16. Hieronymus aliter accepit hunc locum, quem non iam ad gratiam, & fauorem Iudæorum expoſuit, quàm ad ſupplicium, & offenſionem. Sic enim ex Hieronymi ſententia loquitur Dominus: *Nihil habeo reliqui propter quod in hac regione permaneam, de qua populus meus ablatus gratis, & venditus peccatis ſuis, & quaſi oryx retis comprehenſus, vel viribus Romanorum, vel Diaboli laqueis.* Sententiam autem Hieronymi hanc eſſe puto ad pauca redactam. Cùm populus meus illis ſit moribus, quos olim apud Ægyptios in ipſo generis ſui primordio, & poſtea apud Chaldæos contraxerunt ex vicina labe contaminati, quid ego iam ampliùs Hieroſolymis maneo? cur non ad alias nationes nomen meum, & ſacra transfero?

17. Spiritualis ſenſus, & allegoricus, non eſt difficilis ex dictis, præſertim cùm ſtatuerimus Iudæorum ſtatu, dum captiui apud Babylonios agerent, ſtatum peccatorum adumbrari, & eorumdem libertatem per Cyrum, typum eſſe illorum, qui à Dæmonis laqueo per Chriſtum, in veram libertatem emerſerunt. Sic ergo Chriſtus ſecum, dum de mundi ſalute meditatur. Vt populum meum ex Ægypti tyrannide liberarem prodigiis, horribilibúſque ſignis terram, cœlúmque turbaui, quid nunc populum etiam meum longè maiorem, ex maiori etiam ſeruitute non eripio? cur patior illum quaſi conſtrictum orygem, tam diu vinculis Dæmonis illaqueatum teneri? Vbi Vulgatus *calumniatus eſt*, Hebr. eſt עשק *hhaſak*, quod *vexare* ſignificat, *opprimere*, aut *quoquo modo per iniuriam, & calumniam vim inferre.*

18. g *Quoniam ablatus eſt populus meus gratis.*] Grauiter commouet ingenuos animos, cùm aliquem vident grauibus premi incommodis: quod ſi illa perferri intelligunt ſine vllo operæ, atque moleſtiæ pretio, multò commouentur ægriùs. Ea cogitatio diuinum pectus grauiter, vt humano more loquar, vrit, & cruciat, quod tam Iudæi ſub Chaldæorum imperio, quàm reliqui alij ſub Dæmonis tyrannide dura patiantur, neque tamen moleſti laboris aliquam mercedem expectent. Hinc Deus in illam vocem erumpit: *Et nunc quid mihi eſt hîc.* Quid ego hîc moror cùm ſic meus exerceatur populus?

Miſer ſtatus eius, qui ſine vllo operæ pretio laborat.

19. h *Dominatores eius inique agunt, dicit Dominus, & iugiter tota die nomen meum blaſphematur.*] Commiſeratione adductus Chriſtus cùm videret, aut Iudæos in Babylonia, aut reliquos homines in mundo durè vexari, & ſine vllo laboris, & operæ pretio, redemptionis opus maturandum dicebat; nunc aliam rationem adducit cur idem præſtare quamprimum debeat ſumptam ex ſui nominis maieſtate, quam quotidie à Babyloniis, ſeu huius ſæculi principibus violari videbat. Quomodo autem à Babyloniis dominatoribus nomen Domini blaſphemetur primùm, vt facere in aliis inſtituimus, explorandum eſt. Non dubium mihi eſt quin, quod fecit Senacherib, cùm aciem appuliſſet prope Ieruſalem; qui contra Deum impiam atque ſacrilegam linguam exeruit *Iſaiæ cap. 37.* id quoque fecerint Chaldæi, & cùm obſiderent Ieruſalem, & cùm captiuos apud ſe tenerent Solymitanos exules. Quaſi illum Deum coluerint Iudæi qui ab ipſorum manibus liberare non poſſit ſectatores ſuos; & longè eſſe potentiores patrios Deos, quorum ipſi numine Regiones Iudaicas, & complures alias nationes ſubiugaſſent. Certè id indicat non obſcurè Baruch *cap. vltimo*, dum tam accuratè Iudæos auocat ab idolorum cultu. Neque ſanè videntur idolis ſupplicaturi fuiſſe, vt habemus ex Ieremia *capite 16.* niſi crebrò à Babyloniis audiuiſſent plus eſſe in idolis fidei, atque potentiæ, quàm in Deo Iſrael. Quia ergo nomen Domini blaſphematur, dum putatur infirmus ad ſaluandum populum ſuæ religioni conſecratum, vt hanc ignominiam à ſuo nomine depellat Deus, ſurgendum ſibi eſſe dicit, & liberato populo Gentibus oſtendendum ſibi ad ſaluandum, neque fidem, neque potentiam, aut deeſſe tunc, aut vnquam defuiſſe. Blaſphematum eſſe Dei nomen à Gentibus propter eas, quas dixi cauſas, dicit apertè Ezechiel *cap. 36.* vbi ita de Iudæis captiuis: *Ingreſſi ſunt ad Gentes ad quas introierunt, & polluerunt nomen ſanctum meum, cùm diceretur de eis, Populus Domini iſte eſt: & de terra eius egreſſi ſunt.* Vbi etiam addit, quod hîc Iſaias, ideo venturum ſe, vt ab ea nota vindicet nomen ſuum.

Deus non ſinit ſuum nomen blaſphemari.

20. Neque blaſphemiæ iſtæ, vt puto, tantùm ad

Gentes

Gentes referendæ, ſed etiam ad Iudæos; qui impia, atque blaſphema lingua querebâtur, vel quòd Deus templum ſuum deleri permiſerit; aut quòd ſe iam diu hoſtibus illudendos tradiderit. Et verò dum Gentium ſupplicarent Idolis, non poterant non in Deum, quamplurimæ intercedere blaſphemiæ. Grauis autem blaſphemiæ genus cenſeri debet vitæ turpitudo illorum, qui præter inſtituti ſanctitatem religiosè viuere debuerunt, ſi aliis morum exemplo inſtituti illius puritatem, & dignitatem non probent. Ita Paulus hunc Iſaiæ locum expoſuit *ad Roman. 2.* (Rom. 2.) *Qui in lege glorians, per præuaricationem legis Deum inhonoras: nomen enim Domini per vos blaſphematur inter Gentes, ſicut ſcriptum eſt.* Vbi nota tranſlationem Septuaginta à Paulo approbari, qui *Gentium* meminit: quod Hieronymus dixit Septuaginta addidiſſe de ſuo, cùm in textu Hebraico non ſit.

21. De Eccleſiæ tempore variè accipiunt interpretes. Hieronymus in his dominatoribus Iudæorum principes agnoſcit, qui aduerſus Saluatorem Ieſum populum concitarant, hortatique fuerant, vt Ieſum ad mortem depoſcerent, clamarêntque, *Crucifige, crucifige.* Quorum ſuaſu in ſynagogis ſuis Chriſti nomen execrantur, & deſpuunt, & ſub nomine Nazarenorum ter in die in Chriſtianos congerunt maledicta. Ita ferme Hieronymus, & ideo ab illis recedendum eſſe dicit.

22. Ego commodè mihi videor dicturus ad ſenſum allegoricum, quem hoc loco quærimus, ſi dominatores iſtos intelligamus, ex quorum dominatu vindex Chriſtus captiuum humanum genus eripuit. Hi verò ſunt mundus, de quo Chriſtus: *Ego vici mundum*: & eius princeps Diabolus, de quo idem, *Princeps huius mundi eiicietur foras.* Dum ergo iſti dominatores iniquè agunt, hominéſque falſa promiſſione lactant, atque ſeducunt, faciunt, vt illi Dei nomen blaſphement, dum illum aut durum vocant, aut illa iactant, quæ ſuadet illorum dominorum improbitas. Tunc ergo Chriſtus non iam ampliùs differendum dicit redemptionis opus, ſed illud, quàm ocyſſimè maturandum. Vbi ſpectare licet ſingularem Dei bonitatem, quæ quò magis hominum peccatis violatur, eò magis ad miſerendum, & benefaciendum inflectitur. Cæterùm tã hîc quàm ſtatim *nomen Dei* pro *Deo* ponitur, vt ſæpe in Scriptura ſacra deprehendes.

23. [k] *Propter hoc ſciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipſe qui loquebar ecce adſum.*] Optimè locum iſtum explicuit Ezechiel *c. 36.* qui omnino videtur ad Iſaiam reſpexiſſe, qui ait propter nomen ſuum vindicandum à blaſphemia, ſibi eſſe ad libertatem properandum. Si de Babylonico ſtatu vaticinium accipias, expoſitio eſt non difficilis; In illa enim die, quam Dominus Iudæorum libertati præſtituit, per Ieremiam, & prophetas alios, cùm vindex aduenerit, tunc cognoſcet populus, & Gentes intelligent fidelem eſſe Deum, & potentem ad præſtanda promiſſa.

24. De tempore Euangelij, aduentúque Chriſti ad hominum ſalutem, multò facilior eſt expoſitio; Gentes enim illæ, quæ contra Deum, quem ignorabant, impiè loquebantur, vbi ille aduenerit, & familiari congreſſu, atque conuictu ſuam mitiſſimam naturam prodiderit, ſéque oſtenderit fidelem in promiſſis, cùm impleuerit omnia, quæ per prophetas antea prædixerat, verbum deſinent iactare blaſphemiæ. De hoc tempore Baruch *cap. 3. in fine. Poſt in terris viſus eſt, &c.* & Paulus *ad Hebræos cap. 1. Multifariam, multiſque modis olim Deus loquens Patribus in prophetis, nouiſſimè diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio.*

[l] Illud *nomen meum*, idem eſt, quod *me*; quare illud *ſciet populus meus nomen meum*, idem eſt quod *ſciet me*. De quo loquendi genere pluribus egimus ad illud *Cantic. 1. Oleum effuſum nomen tuum.* Alij pro nomine ipſo capiunt, & putant tunc, cùm Chriſtus aduenerit, & pro ſeruandis hominibus illuſtria dederit ſuæ benignitatis documenta, vſque adeò gratũ, & amabile futurum eſſe Chriſti nomen, vt fideles in eo ſibi maximè placeãt, ſéque Chriſtianos vocari glorioſum eſſe ducant; etiamſi videãt in ſynagogis, & conuentibus Iudæorum, nomen illud tanquam odioſum & ignobile contemni. Ita Haymo. Quod ſanè videtur non improbabile, ſed magis videtur ad textum, ſi in *nomine* Chriſtum intelligas: ideo enim ſtatim ſubiicitur: *Quia ego ipſe qui loquebar ecce adſum*, quaſi dicat, Cognoſcet me populus meus, quia adero, viuámque inter homines factus homo. 25.

Hanc ego puto germanam huius loci ſententiam, ſed fortaſſe non improbabitur alia, quæ in *cognitione*, cultum, & venerationem intelligit, quo ſenſu dicitur *Pſalm. 90. Protegam eum, quia cognouit nomen meum.* Et *Exodi 5.* Pharao dixit, *Neſcio Dominum*, id eſt, non curo quid Dominus iubeat, neque illum timeo. *Iudic. 2. Surrexerunt alij, qui non nouerunt Dominum.* Et *1. Regum 2. Filij Heli, filij Belial neſcientes Dominum.* Ad hunc ergo modum & ſenſum dici videtur poſſe populus ſcire nomen Domini, quia illud colet, neque præter illud quicquam aliud. 26. *Cognoſco, & ſcio*, idem quod *veneror*.

Tradunt Hebræi, vt refert Pereira *in cap. 6. Exod. q. 1. num. 4.* vltimum ſacerdotem qui pronunciauit nomen Dei tetragrammatum, fuiſſe Simeonem iuſtum; poſt tempus autem illud pronunciatum eſſe negant à quoquam. Atque ideo legitimam illius nominis pronunciationem ignorari, ex eóque fieri vt deinceps Iudæorum preces inanes ſint, neque exaudiantur à Deo. Fore tamen ſperant vt cùm Meſſias aduenerit, nomen illud tetragrammatum, & ineffabile doceat, & eius pronunciationem, ídque probãt hoc Iſaiæ teſtimonio. *Propter hoc ſciet populus meus nomen meum.* Sed iſtæ meræ nugæ ſunt, & Hebræorum ſomnia, de quo vide Galatinum *lib. 2. cap. 12.* 27. Simeon iuſtus.

[m] *Quàm pulchri ſuper montes pedes annunciantis, & prædicantis pacem.*] Qui hæc de captiuitate capiunt, hanc eſſe putant huius loci ſententiam, pulchros eſſe greſſus eorum, qui facta iam à Cyro redeundi facultate, antegreſſi alios ad regionem montoſam Palæſtinæ veniant annunciantes Iudæorum reliquiis, quæ in Iudæa remanſerunt, meliùs eſſe à Deo conſultum de re Iudaica. Aut certè pulchros eorum præconum pedes eſſe, qui montes aſcendent, vnde meliùs audiri voces, & ſpectari poſſint ſigna pacis oblatæ. Ita S. Thomas, & Hugo. Pulchri autem erunt pedes, id eſt, gratus aduentus, qui in pedibus ſignificatur, eorum, qui lætum perferent nuncium. Quomodo per montes eſſent ſpeculatores diſpoſiti, vt nunciarent, quid ſcito publicè opus eſſet, & per illos feſta, atque decreta vulgarentur, diximus *cap. 40. num. 47.* 28.

Sed hæc licèt in typo de Babylonico tempore dicta videri poſſint, tamen multò meliùs de nunciis Euangelicæ pacis exponuntur, & ita Paulus *ad Roman. 10. verſ. 15.* expoſuit: Cùm enim ageret de Apoſtolis, 29. Ad Rom. 10

ſtolis. Euangeliique præconibus, addidit: *Quomodo verò prædicabunt niſi mittantur, ſicut ſcriptum eſt, Quam ſpecioſi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona.* Hieronymus hîc, quem Haymo ſequitur, *annunciantem pacem*, Chriſtum intelligit; *In montibus* verò Apoſtolos deſignari putat, quibus Chriſtus primùm impartitus eſt Euangelium, vt illud deinde per totum orbem diffunderent. Et adducit illud *Pſalm. 75. Illuminans tu mirabiliter à montibus æternis.* Sed frequentes alij de Apoſtolis, Apoſtólicíſque viris hæc interpretantur. Et docet apertè Paulus ſuprà, qui non dicit, *euangelizantis*, ſed *euangelizantium*, in numero multitudinis. Qui de his qui miſſi ſunt ad prædicandum loquebatur, vbi expreſſit, qui eſſet illius loci ſenſus. Dicuntur autē illi Euangelij præcones *ſuper montes* incedere, quia nemini occultam eſſe volunt Euangelij lucem. Vt enim qui in excelſo loco eſt, latere poteſt neminem: & Sol ipſe, qui ſublimis eſt, omnium oculis patet; ſic etiam Apoſtoli, qui à Chriſto dicuntur, *Ciuitas in monte poſita, & lux mundi*, id eſt Sol, *Matthæi 5.* non poſſunt ab omnibus non videri. Seu certè *ſuper montes* incedere dicuntur, quia nulla deterrentur locorum aſperitate, quæ in montibus ſumma eſſe ſolet, cùm ſcopulis confragoſi ſint, & conciſi ſalebris, quominus celeriter in Euangelij cauſam incumbant. Nempe illius exemplum ſecuti, qui ſimilis capræ, hinnulóque ceruorum iter arripuit durum; atque difficile redemptionis. *Saliens in montibus, tranſiliens colles.* Fortaſſe ad hunc locum alluſit Chriſtus cùm præcepit Apoſtolis, vt quæ in aure audiiſſent, ſuper tecta prædicarent; tectis enim cum montibus communis eſt altitudo atque faſtigium.

Viri Apoſtolici quales prædicatio.

30\. Cyrillus hic ſimilitudinem quandam agnoſcit, quam hunc in modum explicat. Non aliter aderit nobis Saluatoris aduentus, quàm nuncius bonus, qui poſt anguſta, ac turbida tempora pacem annunciat. Nuncius autem bonus, qualis eſt nuncius pacis, cum rebus lætiſſimis comparatur. *Prouerb. cap. 25. verſ. 25. Aqua frigida animæ ſitienti, & nuncius bonus de terra longinqua*, id eſt, ſicut aqua frigida. Et in illam alteram partem, *Quam pulchri ſunt ſuper montes*, aliam adducit ſimilitudinem ſanè bellam; ſic enim exponit: *Talis erit aduentus Meſſiæ, qualis in montibus pulchritudo veris.* Nam cùm ab hyemis aſperitate montes exuſti ſint, & horridi, affulgente vere ſtatim noua quadam ſpecie, & vernali nitore, veſtiuntur. Accepit in hunc ſenſum Cyrillus ſecutus Septuaginta tranſlationem, quæ ſic habet: *Quaſi pulchritudo in montibus, quaſi pedes euangelizantis auditionem pacis.* Nibilominus Procopius, qui rarò diſſentit à Cyrillo, licèt eandem haberet Septuaginta verſionem, adductus Pauli auctoritate de Apoſtolis explicuit, ſicut nos ſuprà.

31\. n *Dicentis Sion, Regnabit Deus tuus.*] Regnarant Chaldæi in Sione: regnarat item in mundo tenebrarum princeps: Tam ergo Sioni, quàm mundo Deus pacem, & libertatem annunciare iubet; quia vtrobique deinceps dominabitur Deus. Typicè quidem in Sione, inſtaurata vrbe, & excitato templo; verè autem, & magis ex intentione prophetæ, in Eccleſia, quam ſua excitauit, & amplificauit liberalitate.

32\. o *Vox ſpeculatorum tuorum, leuauerunt vocem, ſimul laudabunt, quia oculo ad oculum videbunt, cùm conuerterit Dominus Sion.*] Speculatores eſſe in terra Iuda qui celeriter annunciarēt quid lōgè fieret, perſuadet, & loci natura, cùm mōtoſus ſit, & aptus excitādis ſpeculatoris rurribus, & quia ſpeculatū & ſpeculatorum crebra in Scriptura ſacta mentio. Quia verò præcipua ſpecula erat pars illa editiſſima ciuitatis, quæ dicta eſt ciuitas Dauid, ideo per antonomaſiam vocata eſt *Sion*, quæ *ſpeculam* ſonat. Si hæc de reſtituta captiuitate ſumas, ſpeculatores, qui ex edito loco, quæ vndecumque ingruunt, latè proſpectant, voces dicuntur leuaturi lætitiæ, atque gratulationis plenas; cùm viderint conuerſam eſſe Sion, id eſt, Iudæos captiuos in antiquam ſibi ſedem cateruatim remigrare. Qui clamabunt non ſe id incertis vulgi nimiùm creduli rumoribus accepiſſe, ſed ſuis oculis non obſcurè, & quaſi per caliginem, ſed euidentiſſimè conſpexiſſe. *Speculatores* verò illi videntur, qui nuper dicti ſunt ſuper montem pacem annunciaturi.

De Eccleſia res eſt magis aperta, nam *ſpeculatores* vocari poſſunt Apoſtoli, Euangelij præcones, & pacis nuncij, qui quod ſuis ipſi oculis viderunt, id deinde cum voce exultationis in omnes gentes, & linguas effuderunt; non quidem titubanter, timidè, aut exanimata voce, ſed apertè, audacter, & quàm maximo potuere ſtudio, vocéque contendere. Cuius habemus documentum illuſtre in Apoſtolicis Actibus, quando primùm erupit in lucem, & quaſi theatrum totius mundi Apoſtolorum ardor. Vbi *ſpeculatores* ſe fuiſſe dicunt, & oculo ad oculum ſpectaſſe, quæ docent. *Actor. cap. 4. Non poſſumus*, inquiunt, *quæ audiuimus, & vidimus, non loqui.* Hæc eadem Ioannes multò clariùs *epiſtol. 1. cap. 1. Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ (& vita manifeſtata eſt, & vidimus & teſtamur, & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem; & apparuit nobis) quod vidimus & audiuimus, annunciamus vobis.* Quibus verbis nihil adduci potuit ſignificantius ad explicandam vim Hebraicæ phraſis, *videre oculo ad oculum*, de qua nunc paucis. 33.

p Varius eſt apud Hebræos geminationis vſus, in qua ſemper epitaſis, & magnum aliquid in aliquo genere deſignat. Hæc geminationis forma *oculo ad oculum* familiaritatem maximam, aut propinquitatem animorum ſeu locorum importat. Vt enim Hebræi dicunt *ore ad os loqui*, & *facie ad faciem videre*, quod neceſſitudinem ſignificat, quia hæc omnes internuncios, & ſequeſtros excludunt; eodem modo *oculo ad oculum videre*, maximam indicat animorum ſeu locorum coniunctionem. De loci propinquitate docet Ieremias *cap. 32. verſ. 4.* vbi cùm propheta diceret, ducendū eſſe captiuum Sedechiam, ſubiturúmque Regis Chaldæorum aſpectum, ait, *Oculi tui oculos Regis Babylonis videbunt, & os eius cum ore tuo loquetur.* Et idem reperit *cap. 34. verſ. 3.* Eundem ſenſum eſſe arbitror huius loci. Nam vbi Vulgatus, *Oculo ad oculum videbunt*, Hebr. eſt עין בעין *baein bebhaun*, quod iuxta Hebraicum idioma vertere potuiſſet, *oculo oculum videbunt*. Quia verba ſenſuum, maximè viſus apud Hebræos præpoſitionem ב, id eſt, *in* admittunt, vnde frequens in Scriptura: *Reſpice in me*, ſiue *ad me. Reſpice in faciem Chriſti tui*, & ſimilia; ſed noſter interpres quod alibi ſæpe Hebraiſmum retinuit. Eſt ergo ſenſus, Clamabunt illi, qui oculo ſuo, oculos Chriſti viderunt, & cum eo familiariter conuerſati, quo tempore piam & ſedulam operam nauabit conuertendæ Sion. 34.

Oculo ad oculū videre

Quod ad rem Grammaticam ſpectat, duo hic obſeruo 35.

obſeruo, primum illud *vox ſpeculatorum* poni hîc abſoluté, ſicut apud Hebræos ſæpe nominatiuus abſoluté ponitur: Qua de re nos pluribus ad illud *cap.40. Vox clamantis.* Secundum, illud *ad oculum* dici Hebræorum more, qui verbis *videndi* accuſatiuum adhibent cum præpoſitione *beth*, quæ idem valet, quod *in*, vel *ad*, vt nuper dicebamus.

36. ꝗ *Gaudete, & laudate ſimul deſerta Ieruſalem, quia conſolatus eſt Dominus populum ſuum, redemit Ieruſalem.*] Hæc vox eſt ſpeculatorum, qui, ſi de Ieruſalem terrena ſermo eſt, illi gratulantur, quia iam aduenit ſalus, & pax per Deum à Babylonica ſeruitute comparata, quia mœſtum populum, qui deſertæ Ieruſalem ruinas incolebat, acceſſione remigrantis populi conſulatur. Sed licet hæc typicè B in Ieruſalem inſtauratam, lætámque ea rerum viciſſitudine accommodentur, ſine dubio multò clariùs, & excellentiùs in Eccleſiam, redemptionémque mundi per Chriſti œconomiam, & ſanguinem conueniunt. Cuius expoſitionis, atque ſententiæ optimum mihi videor habere auctorem, & interpretem Simeonem iuſtum, qui locum iſtum Iſaiæ tranſtuliſſe videtur, in illud canticum, quod Lucæ 2. *Luca cap.* 2. cùm Chriſtum teneret in vlnis, & ad illud vſque aureum tempus ſpiritum produxiſſet, cygnæa tandem voce moribundus cantabat. Ibi dicitur ſpectaſſe conſolationem Iſrael; Sumpſit opinor ex hoc loco, in quo dicitur, *quia conſolatus eſt Dominus populum ſuum.* Reliqua aptare, atque com- C ponere cum cãtico Simeonis cuiuis eſt promptum.

37. ꝛ *Parauit Dominus brachium ſanctum ſuum in oculis omnium Gentium; & videbunt omnes fines terra ſalutare Dei noſtri.*] Quod Simeon *ſalutare* vocat cùm canit, *ſalutare tuum, quod paraſti ante faciem omnium populorum* id Iſaias *brachium* appellat, quia Chriſtus *brachium* dicitur *Dei.* Si ad Chriſtum referas, Chriſtus dicitur parare brachium ſuum, id eſt, accingere ſe fortitudine ad opus arduum redemptionis noſtræ. *Coram omnium oculis*, quia ad omnium ſalutem excellens illa virtus, & pietas armatur.

38. ſ *Recedite, recedite, exite inde; pollutum nolite tangere, exite de medio eius, mundamini qui fertis vaſa Domini.*] Hæc verba, ſi vlla alia totius capitis hu- D ius ad Babylonicum tempus referri poſſunt, quod teſte Hieronymo faciunt Hebræi, & ex noſtris S. Thomas, & Hugo, neque negat Foreirus, qui hîc ad Babylonem alluſum putat, dum ait. *Sic agit quaſi loqueretur cum Iudæis detentis in Babylone.* Nos vt facere inſtituimus de ſtatu Ieruſalem liberatæ, quæ typus eſt Eccleſiæ, vt bene hîc Pintus, priùs, deinde de Eccleſia locum interpretabimur. Propinquum iam eſſe, & inſtare proximè aut certiſſimum eſſe aliquid exiſtimatur, cùm loco futuri imperatiuus modus adhibetur: id nunc indicat propheta, cùm populum toties iterato imperatiuo è Babylone reuocat. Et quia libenter, immò & inuitante Cyro ſecuri, & ſine turbatione remigrabunt, hortatur vt ea E faciant in peregrino ſolo, quæ in patrio facerent, ſi quid ſacrum, ſanctè atque legitimè obire voluiſſent. Nam Leuitas priuſquam ſacra tangerent, aut ſacrum quid obirent, mundos eſſe oportebat: Cùm autem reducenda eſſent templi vaſa, quæ Nabuchodonoſor de templo ſuſtulerat, monet vt patrio more nihil tangant immundum, aut pollutum: quòd ſi tetigiſſe aliquando contigerit, iubet vt ſe priùs ex more purificent.

39. Hæc quoad typicam hiſtoriam; cui expoſitioni nihil afferri incommodi, quòd hæc verba citantur à A Paulo 2. *Corinth.6.* in alium, vt videtur, ſenſum: nam 2. Cor. 6. cùm ibi Corinthios à Gentilicis moribus, & à Gentium conſuetudine vellet abducere, ſic ad illos ſcribit. *Nolite iugum ducere cum infidelibus, quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas luci ad tenebras? quæ autem conuentio Chriſti ad Belial, aut quæ pars fideli cum infideli? Quæ autem conſenſio templi cum idolis, &c. Propter quod exite de medio eorum, & ſeparamini, dicit Dominus, & immundum ne tetigeritis* Hæc inquam huic expoſitioni nihil incommodant. Neque enim inuſitatum eſt Apoſtolo allegoricè exponere, quæ hiſtoricè, ac typicè alium habẽt ſenſum, vt de duobus filiis Abrahæ fecit *ad Galat 4. verſ. 22.* Cùm autem, qui in Babylone erant, quæ idolis & ſuperſtitionibus abundabat, aptiſſimè Gentilium mores repræſentarent, cùm Gentiles ab idolorum cultu vellet Paulus abducere, optimè ex Iſaia locum iſtum produxit, quaſi typum ad veritatem, & vmbram ad ſuum corpus aptaret.

Quòd ad ſpiritualem ſenſum attinet, Hieronymus hæc ad Apoſtolos pertinere cenſet, quos Dominus iubet exire in omnem terram, & quamprimum recedere de Ieruſalem, ne conſuetudinem ineant cum Gente polluta, & quæ aſſiduè Chriſti nomen blaſphemat. quẽ ſequitur Haymo, Cyrillus, Procopius, Dionyſius, & Adamus, Tertullianus *lib. 3. contra Marcionem.* Hi verò *vaſa templi* dicuntur, quia teſte Apoſtolo ipſi templum ſunt Spiritus ſancti 1. *Corint.* 3. & magnæ domus vaſa aurea, & argentea, 2. *ad Timoth. cap* 2. *verſ.* 20. Qualis erat Paulus, qui dictus eſt *vas electionis*, ſeu certè *vaſa* ſunt arma illa, quibus Euangelicus propugnator inſtruitur *ad Epheſ. cap. 6. Propterea accipite armaturam Dei, &c.* Alij *vaſa templi* ſacramenta exponunt, quæ ſacri myſtagogi fidelibus impertiunt. Qui quàm mundi eſſe debeant, quámque alieni à Babylonicis moribus, ipſa Sacramentorum munditres, & ſanctitas docet. Ita Dionyſius, & Adamus. Procopius *vaſa* vocat Euangelica. quæ viro Apoſtolico tradita ſunt. Gregor. 2. *p. paſt. cap.* 2. *vaſa Domini* animas vocat, quas inſtituit, & portat ſacerdos & miniſter Euangelij. *Vaſa*, inquit, *Domini ferunt, qui proximorum animas ad æterna ſacraria perducendas in ſua conuerſationis fide ſuſcipiunt. Apud ſemetipſos ergo quantum debeant mundari conſpiciant, qui ad æternitatis templum vaſa viuentia in ſinu propria ſponſionis portant.* 40.

Alij de his agi putant; qui de vana conuerſatione, impuróque vitæ genere ad Eccleſiam vocantur, in quibus ſunt Dionyſius, Cyrillus, Foreirus, Emanuel Sa: & hi aliter inſtituunt huius loci allegoricum ſenſum. Nam cùm nouum vitæ genus amplectantur, longè recedere debent ab eo, quod priùs ſuſcepere. Et hunc planè ſenſum docet Apoſtolus ſuprà, qui teſtimonium ex hoc petitum capite, non Apoſtolis, & doctoribus, ſed his, qui ad fidem vocati ſunt, Gentilibus accommodat; hi verò vaſa ſunt Domini quæ eo nomine munda eſſe oportet & ſancta. Quòd 1. *ad Theſſal.* 3. admonet Paulus. *Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra, vt ſciat vnuſquiſque veſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctificatione, & honore, non in paſſione deſiderij.* Et rurſus 2. *Corint.* 4. *Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus.* Cùm ergo hi templum Dei ſint, & diuinorum chariſmatum pretioſa vaſa, qui quoquo ſe vertant, illa ferunt, quia ferunt ſeſe, monet vt mundi ſint, & ab his abſtineant, quæ contaminare poſſunt. 41. Fideles vaſa Dei.

42. Ad extremum addo, quod Auguſtinus multis docet, *ſermone 18. de verbis Domini*, vbi ad mores exponit hunc Iſaiæ locum, docetique putat Chriſtianum hominem quomodo ſe gerere cum peccatoribus debeat. *Quid eſt, ait, tangere immundum niſi conſentire peccatis? quid autem exire, niſi facere quod pertinet ad correptionem malorum, quantum pro vniuſcuiuſque gradu atque perſona ſalua pace fieri poteſt? Diſplicuit tibi, quod quiſque peccauit, nõ tetigiſti immundum: redarguiſti, corripuiſti, monuiſti, adhibuiſti etiam, ſi res exegit, congruam, & quæ vnitatem non violet, diſciplinam, exiſti inde.* Hæc Auguſtinus.

Correctio fraterna.

43. ᵗ *Quoniam non in tumultu exibitis: neque in fuga properabitis; præcedet enim vos Dominus, & congregabit vos Deus Iſrael.*] Peregere olim Hebræi ſacra à Domino inſtituta feſtinatò, & trepidè, cùm iuſſi B ſunt excedere ab Ægypto: neque expectare potuerunt donec fermentaretur maſſa, ex qua parandus erat cibus profecturis, nec mirum, cùm inſtaret Pharao & vrgerent Ægyptij de quorum crudelitate atque odio nihil ſibi poterant non timere. Nunc verò in Babylonia, cùm magnam inuiſſent apud Principem gratiam, per quem non ſolùm licebat in patriam reuerti, ſed etiam, vt auide iter illud arriperent, vltrò ipſe inuitaret, déque rebus ad viam neceſſariis abundè, atque officiosè prouideret: exeundum inde dicit propheta, non cum feſtinatione, ac metu, ſed pacato, atque ſecuro animo. Quare ſatis fore ait quietis, atque otij vt ſe ipſos purificent, ſi quid tetigere, vnde immunditiam contraxerint, vt antiquo more iampridem intermiſſo, C ſanctè, atque legitimè ſacra vaſa ad vſum templi poſtliminio reddita contingerent. Hæc de Babylonia typicè, vt putat S. Thomas, & Hugo, nunc de Eccleſia.

44. Hieronymus & cum eo plerique eorum, quos ſuperiùs adduximus, qui ſuperiora de Apoſtolis accipiunt, egreſſuros dicunt Apoſtolos de Ieruſalem ad Gentium conuerſionem, non trepidos, atque fugientes, vt victi ſolent, ſed impauidos, atque alacres, vt qui inuidiam fregerint infenſi Iudæorum populi, & obnitentibus Synagogæ principibus; in omnium conſpectu, & locis hominum frequentia nobilitatis Chriſtum prædicauerint: Rationem verò ſtatim reddit, quia illos præcedet dux, D & protector Dominus. De quo eſt illud, *Ecce ego vobiſcum ſum.*

45. Qui verò hæc accipiunt de his, qui Gentilium ritum deteſtati Chriſtiana ſacra ſuſceperunt, illos egreſſuros aiunt, non cum trepidatione, & fuga, quod faciunt illi, qui aliquid meditantur ſurdidum, & ignobile, ſed cum lætitia, & pace, quia cur timere, & erubeſcere debeant, nihil vident. Solent enim qui conſilia meditantur ingenuo animo, atque conſtanti indigna, quóſque incepti pudet, aut de rerum exitu formidant: aliorum fugitare conſpectum, latebras quærere, & cum metu, atque feſtinatione agitare, atque moliri omnia: At lex Euangelica & fidelium cœtus, ſic erit hominum etiam alienorum opinione glorioſus, eo loco ab his, qui E vel nobilitate, vel doctrina excelluerunt, habitus, vt neminem pudeat ſe in Chriſtianorum cœtum coaptare, nemo iam Euangelium, nemo paupertatis aut crucis ignominiam erubeſcat. Cor autem hæc, tam auidè fideles ſuſcipiant, tam conſtanter, ſi quid aduerſum inciderit, aut etiam tam alacriter ſubeant, facit quòd ſtatim ſubditur. *Præcedet enim vos Dominus, & congregabit vos Deus Iſrael.*

Honeſta eſt, & glorioſa Euangelica vita.

46. ᵘ *Ecce intelliget ſeruus meus: exaltabitur, & eleuabitur & ſublimis erit valde.*] A Hinc quidam caput inchoant quinquageſimum tertium, tum quia magna fit vaticinij mutatio, tum quia aptè hæc cum conſequentibus iunguntur; & ita indicat Auguſtinus *de conſenſu Euangeliſtarum lib. 1. cap. 13. & de ciuitate lib. 18. cap. 19.* Origenes *lib. 1. contra Celſum.* Iuſtinus *contra Tryphonem.* Quod item putat Salmeron *tomo 10. tract. 9. parum à principio*, qui etiam addit ita in quibuſdam codicibus reperiri. Videtur ſanè hinc nouum inchoari vaticinium, quod meo iudicio totum eſt de Chriſto, neque quicquam iam olet Babylonicum. Quod etiam cenſet S. Thom. & Hugo, qui ſuperiora ad hunc vſque locum de Cyro capiunt. Immò, vt docet Lyra, fatentur Hebræi antiqui; & Chaldæus, cui plurimum etiam tribuunt B Hebræi, apertè hîc Meſſiam nominat. Hæc autem verba Patris ſunt, cuius hoc eſt elogium de Filio, quem *ſeruum* propter humanitatem appellat, cuius gloriam paucis verbis, ſed iis valde ſignificantibus prædicat. Exaltationis cauſam præmittit, cùm ait. *Ecce intelliget ſeruus meus*, intelliget inquam, quod hactenus dictum de mundi redemptione, Iudæorum libertate per Cyrum adumbrata: vbi *intelligere*, vt reor, pro *obedire* ſumitur. Nam quemadmodum, licèt quis millies audiat Domini ſui vocem, tamen audire negatur, niſi mandata compleat: ſic etiam intelligere ille cenſetur, qui quod dictum eſt præſertim obſcurè, & ſub ænigmate, ſuſcipit, & præſtat. Illud prius de *audire* ſatis vſitatum, & notum, vnde in Scriptura frequens, vt *audire* ſignificet opus obedientiæ. Immò vt notauimus ad illud C *cap. 30. Et os meum non interrogaſtis*, licèt quidam interrogauerint, acceperintque reſponſum, dicuntur tamen *non interrogaſſe*, quia quod reſponſum fuerat à Deo non curarunt. Quod ergo de *audire* ab omnibus, & de *interrogare* à nobis dictum eſt, idem de *intelligere* hîc dicendum eſſe cenſemus. In hanc ſignificationem accipio illud *Pſal. 118. verſ. 95. Teſtimonia tua intellexi*, id eſt, obſeruaui. Et Hebraico idiomate *intelligere* idem eſt, atque operam alicui negotio dare. *Pſal 40. Beatus qui intelligit ſuper egenum, & pauperem.* Certè apud Hiſpanos nihil magis familiare, qui dum rogant ab aliquo, quid rerum fiat, dicunt *En que ſe entiende*, vel *En que entiendes.* Et *intellectus manuum*, *Pſal. 77.* operatio D eſt, licèt aliqoid indicet aliud. Et ſanè cognitio ſeu intellectio Dei mandatorum, ſeu decretorum, iis qui animo ſunt obſequenti, & docili, qualis erat Chriſtus, ſemper erit practica, ſeu operatoria; id eſt, quæ ſtatim de explendo Dei præcepto meditatur. Quod ſanè cogitabat Dauid, dum in pſalmis ſæpe ait ſe meditari legem Dei, aut Dei teſtimonia ſuam eſſe meditationem.

Intelligo idẽ quod obedio, ſicut etiam audio.

Pſal. 40.

Hanc verò ſignificationem confirmat, quod Chriſtus ſæpe ideo exaltatus, aut eleuatus dicitur, quia Dei mandatis obediuit: his præcipuè, de quibus ſtatim, *ad Philip. 2. Factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod Deus exaltauit illum.* In hanc ſententiam videtur inclinare E Hieronymus cùm ait. *Intelliget autem, non vt verbum Dei, atque ſapientia, ſed vt ſeruus, & puer, qui cùm in forma Dei eſſet, formam ſerui dignatus eſt accipere factus obediens Patri.* Qui vt ſeruus intelligit, ſanè ideo intelligit, vt imperata præſtet. Pro *intelliget*, Hebr. eſt יַשְׂכִּיל *iaſchil*, quod Pagninus, & Tigorina vertunt, *prudenter aget.* Et ita accipiunt Cyrillus, & Salmeron *tomo 10. tract. 9.* Quod etiam vulgatus dixit de Dauid *1. Regum cap. 18. verſ. 5. Et prudenter ſe agebat.* Vbi in Hebraico textu eadem eſt vox. 47.

ˣ *Sicut*

48. x *Sicut obſtupuerunt ſuper te multi, ſic inglorius erit inter viros aſpectus eius.*] Præmittit Pater Filij gloriam ante paſſionem, quæ homines in admirationem, atque adeò in ſtuporem adduxit. Vim enim verborum eius, & ſpiritum admirati dicebant, *Nunquam ſic locutus eſt homo.* Et *Matthæi* 8. *Qualis eſt hic, quia venti, & maria obediunt ei?* Et 13. *Vnde ſapientia hæc, & virtutes? Ioann.* 7. *Quomodo hic litteras ſcit, cùm non didicerit?* Et in prodigia & miracula rurſus intenti, magnum appellabant prophetam, & mirificis eum clamoribus excipiebant. Sed vt pluma, ac vento leuiora ſunt hominum iudicia, eadem voce, qua Regem, qua prophetam, & admirabilem operum patratorem appellabant, ſeductorem poſtea, atque blaſphemum, & crucis ignominia dignum proclamarunt. Eóque rem deduxere, vt talem paulò pòſt ignominiam ſubierit, qualem antè priùs gloriam apud homines obtinuerat. Hanc puto propriam huius loci ſententiam, maximè iuxta tranſlationem vulgatæ: neque aliam eſſe puto ſi textus Hebraici veritatem accuratè diſcutias, licèt aliter non nemo ſentire videatur. Tenet Salmeron *tomo* 10. *tractatu* 9. explicans hæc verba. Quod multò magis ex capite ſequenti conſtabit. Et indicat meo iudicio non obſcurè Ioannes *cap.* 12. Qui cùm egiſſet de ſignis, quæ Chriſtus fecit, & de illuſtri quodam teſtimonio de cœlo, propter quæ obſtupuerunt Iudæi, addidit *verſ.* 37. *Cùm autem tanta ſigna feciſſet coram eis, non credebant in eum.* Deinde ſubiicit Iſaiæ teſtimonium, de quo ſtatim: *Vt ſermo Iſaiæ prophetæ impleretur, quem dixit, Domine quis credidit auditui noſtro; & brachium Domini, cui reuelatum eſt?*

49. y *Sic inglorius erit inter viros aſpectus eius.*] *Inter viros*, idem eſt quod præ viris, quia talem habuit aſpectum, qualem mortalium nemo. Vt ſpecioſus ſuit forma præ filiis hominum, ſic etiam è noſtra lepra, & tabe eam ſpeciem contraxit, vt inglorius hic dicatur ab Iſaia. Porrò *inter* comparationem indicat, ſicut etiam ſtatim *inter filios hominum.* Hebr. pro *inter* eſt מ *mi*, id eſt, *præ*, quæ apud Hebræos nota comparationis eſt.

50. Sunt qui aſpectum iſtum referant non ad tempus paſſionis, in quo Chriſti facies in leproſi modum deformata eſt, ſed in reliquam ætatem: dicunt enim Chriſtum formam aſſumpſiſſe deſpicabilem, & abiectam. Ita Clemens Alexandrinus *lib.* 6. *Stromatum, longè poſt medium. Dominus non fruſtra voluit vti vili, & humili forma corporis, ne quis ſpeciem laudans, & admirans pulchritudinem, abſiſtat ab his, quæ dicuntur.* Cui ſententiæ ſubſcribit Cyrillus *lib.* 8. *theſauri cap.* 2. explicans illud *Pſal.* 44. *Specioſus forma præ filiis hominum.* Tractauit hanc quæſtionem multis Michael de Medina *de recta in Deum fide lib.* 1. *cap.* 4. vbi cum Clemente ſentit. Sed alij omnes contrà ſentiunt; & meritò; & in Scriptura perſpicua ſunt veſtigia, quod, quia alieni negotij eſt, aliis diſcutiendum relinquo.

Chriſto deſpicabilem fuiſſe ſpeciem quidā falsò exiſtimarunt.

51. z *Iſte aſperget Gentes multas.*] Placet quod Hieronymus docet, & cum eo plures alij, alluſum hîc eſſe ad aſperſiones illas, quæ in teſtamento veteri ritè peragebantur ad illorum emundationem, qui eſſent polluti, quæ aſperſiones typus erant eius, de qua nunc Iſaias; ſed tantùm typus, & vmbra, cùm veram emundationem turpi labe fœdatis afferre non potuerint. De quibus Paulus *ad Hebræos* 9. *verſ.* 13. *Si enim ſanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis, quantò magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis?* Dum ergo dicitur aſperſurus Gentes multas, aut de eius intelligitur ſanguine (qui licet pro omnibus effuſus ſit, pro multis tamen Gentibus effuſus eſſe traditur, quia non omnes ex eo, quem potuerunt, aut debuerunt fructum percepere) quia ſanguis ille vitalis vitam attulit mortuis, & hoc videtur magis ad textum: aut ſanè quod eódem pertinet, de baptiſmo, ad quem vndecumque terrarum vocantur, & ſparguntur Gentes.

aa *Super ipſum continebunt Reges os ſuum.*] Reges hîc dicuntur non tantùm, qui regnō præſunt, & vulgò communiter dicuntur *Reges*; ſed etiam, qui prudentia, ingenio, atque doctrina valent. Quales fuerunt inter Hebræos ſcribæ, ſeu legis doctores; & inter Gentes Philoſophi. Et verò *Reges* dicuntur qui contra Chriſtum inſanos, & barbaros fremitus excitarunt, de quibus *Pſal.* 2. *Aſtiterunt Reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius.* Quòd ſi de Regibus intelligas, id eſt, de his, qui regnis, & prouinciis dominantur, verum eſt, & intellectu facile, quod hîc ab Iſaia prædicitur. Quod vt explicem, obſeruo, *continere os*, ſeu quod idem eſt *ſilere*, oriri, aut ex pudore, cùm ab altero, aut deprehenſus in culpa, aut manifeſtè conuictus nihil habes, quod honeſtè reſpondeas. Aut certè obſeruantia & metu, vt ſuprà late probauimus *cap.* 6. *num.* 19 & *Zachar. cap.* 2. ad illud *ſileat omnis caro.* Quod de ſe prædicabat Iob *cap.* 29. *verſ* 9. *Principes ceſſabant loqui, & digitum ſuperponebant ori ſuo: vocem ſuam cohibebant duces, & lingua eorum gutturi ſuo adhærebat.* Hæc quàm ſæpe contigerint in Eccleſia fundanda, & amplificanda, ſacri, atque Eccleſiaſtici annales teſtantur. Vt enim ſæpe Chriſtus obſtruxit Phariſæorum, & ſcribarum ora; ſic etiam diſcipuli fecerunt, quibus neque Iudæorum magiſtri reſpondere, vt vidimus *Act.* *cap.* 7. in Stephani cauſa, neque Gentilium philoſophi potuerunt, vt probat Pauli cauſa, qui *Actor.* 17. Athenis cum philoſophis diſputauit. Sed & principes propter obſeruantiam continuerunt os: ſic enim Chriſtum reuerebantur, ſic eius legem ſuſpiciebant, vt contrà mutire, neque auderent, neque poſſent. Facit valde ad hoc quod, vt ex Iacobi liturgia conſtat, lector cùm ſacerdos ad Miſſæ ſacrum procedebat, ſic ſupplicem ac trementem religione populum alloquebatur. *Sileat omnis mortalis, & humana caro,* &c. Exempla habes plurima, & illuſtria Imperatorum, qui ad Chriſti crucem, ad quam magno faſtidio nauſeabant, proni ac ſupplices, barbaros faſtus, & antiquam maieſtatem deponebant. 52.

Silētium ex pudore, aut obſeruantia naſcitur.

Porrò ſicut *os continere* ſeu *ſilentium*, metum atque obſeruantiam deſignat, ſic contrà *os aperire*, ſeu *in loquendo libertas & audacia*, procacem impudentiam. *Iob cap.* 16. *Aperuerunt ſuper me ora ſua. Pſal.* 108. *Quia os peccatoris, & os doloſi ſuper me apertum eſt.* 53.

bb *Quia quibus non eſt narratum de eo videbunt: & qui non audierunt intelligent*] Hæc eadem poſtea *cap.* 55. *Ecce Gentem quam neſciebas, vocabis; & Gentes, quæ te non cognouerunt, ad te current.* Oſtendit hîc propheta quàm latè diffundenda ſint Chriſti lex, & imperium, quæ non arctabuntur, aut terræ promiſſionis finibus, aut Iſraelitico genere, quod hæc, & plura alia de Meſſiæ regno atque prodigiis audierat. Dicit ergo hæc tam grandia, atque admirabilia 54.

viſuros illos quibus de Meſſia nihil à prophetis nunciatum eſt, & intellecturos tam abdita, atque illuſtria myſteria eos, qui de illis eo, qoo Iudæi modo, nihil audierunt. Quæ optima deſcriptio eſt Gentilici populi, & admirandæ Euangelij propagationis. Quæ Iudæis, neque nunc primum ab Iſaia, neque ſemel a Chriſto in Euangelijs obiecta ſunt. *Et hæc de capite quinquageſimo ſecundo.*

Argumentum quinquageſimi tertij capitis Iſaiæ.

CVM magna præmiſiſſet de Chriſti gloria capite præcedenti, & plura etiam addat ad finem huius capitis, ac tàdem quantum acerbitatis, atque ignominiæ, habitura dicatur Chriſti mors, optimè coniectat propheta paucos fore, qui his, quæ de Chriſti tam varia ſpecie, ſibique diſſimili fidem habituri ſint. Deſcribit autem Chriſti paſſionem, vſque adeò grauiter, dilucidè, atque diſertè, vt hiſtoricum potiùs videatur agere rei tranſactæ, quàm vatem futuræ. Ad finem oſtendit, quàm liberaliter Pater Chriſti merita compenſauerit, ſubdens illius Euangelio populos, & gentes, & in iis etiam impios olim, & potentes, qui ſubituri non videbantur Euangelij iugum. Vtramque partem ita tractat eleganter, & grauiter, vt facilè oſtendat, quo ſtudio ac zelo in Chriſtum animatus ſit.

CAPVT LIII.

1 [a] [b] *QVIS credidit auditui noſtro? [c] & brachium Domini cui reuelatum eſt?*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 DOMINE, quis verbis quæ nos de Meſſia annunciare iubes, fidem habebit, vt ſeſe ad Euangelium inſtitutum adiungat? Quis credet in operibus vſque adeò in ſpeciem ignobilibus ineſſe tantam gloriam? Aut cui reuelatum, in rebus, quæ tam hominum iudicio exiſtimari poſſunt infirmæ, brachium eſſe, atque fortitudinem Dei?

2 [d] [e] *Et aſcendet ſicut virgultum [f] coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti: [g] non eſt ſpecies ei neque decor. [h] Et vidimus eum, & non erat [i] aſpectus, & deſiderauimus eum.*

2 Quia ſi habitum, aut aſpectum conſideres, quo hominũ maximè capiuntur oculi, tam longè erit à Regum, & Principum apparatu, vt ſpecie potiùs humili ſit, taliſque appareat inter alios, quale virgultum tenerum, aut radix de terra ſitienti, & arida, inter ſpecioſas, atque proceras arbores. Dum enim in ſtatu mortali nobiſcum vixit, neque lautam egit, neque ſplendidam vitam; ſed anguſtam, ærumnoſam, & inopem. Quare cùm illum ea ſpecie videremus, non exiſtimauimus dignum eſſe, in quem oculos conuerteremus.

3 [k] *Deſpectum, & nouiſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem: [l] & quaſi [m] abſconditus vultus eius, & deſpectus: vnde nec reputauimus eum.*

3 Vidimus illum vſque adeò deſpicabili ſpecie, vt iudicaremus virorum extremum, ſic abiectum, & humilem, vt nihil appareret vltrà, quò progredi potuerit, quæ in humanis iudicatur paupertas, & tenuitas, quémque dolor, laſſitudo, & alia quædam incommoda, quibus humana conflictatur natura, tentarent, & affligerent. Denique eo habitu, atque aſpectu contemplati ſumus, vt ipſe iuxta hominum ſenſum verecundari debuerit, faciémque pudibundus abſcondere. Quare illum conuictu, atque congreſſu noſtro indignum putauimus.

4 [n] *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit: [o] Et nos reputauimus eum quaſi leproſum, [p] & percuſſum à Deo, & humiliatum.*

5 [q] *Ipſe*

4 Verè ille languores noſtros in ſe recepit, doloréſque ſuſtinuit, qui nobis pro peccatis ſubeundi fuerant. Nos illum putauimus ſua, non noſtra fœdatum eſſe lepra; & propter ſua merita per

ta percuſſum, & humiliatum à Deo; ſed re vera lepra noſtra,& languores noſtri ipſum deformarunt;& dolores noſtri ipſum dolere, & lachrymari fecerunt.

5 Noſtra illi peccata doloris, atque cruciatus materiam præbuere: noſtra illum flagitia vulnerarunt, noſtræ illum iniquitates attriuerunt. Super illius dorſum flagellum incidit, & pœnæ, quas nos diuino furori exoluere debuimus, & quod nobis apud Deum pacem conciliauit, effecitque ſuo liuore, vt nos non à vulneribus ſolùm, ſed etiam à liuore, quod plaga relinquit, ſanaremur.

6 Omnes nos, ſicut oues, quæ ſua ſe libidine, non paſtoris cura, atque prouidentia moderantur,ad aliena, ac noxia paſcua deflexímus, prout quemque ſua rapiebat intemperantia; quidquid autem nos ea ratione vagi peccauimus, id totum Deus Chriſti ſui humeris portandum,& expiandum impoſuit.

7 Oblatus eſt, aut ſicut agnus ad aram, aut ſicut fideiuſſor ab exactore, & creditore duro ad iudicis tribunal; non ſanè coactus, & inuitus; ſed vltrò, & libens. Neque ille rerum aſperrimarum conflictus vocem illi, aut gemitum extorſit. Sicut ouis adducetur ad cultrum, & ſicut ab agno nullus auditur clamor, cùm tondetur, ſic ille inter libera illuſorum conuitia, & plagarum crepitus inſtar muti ſilebit.

8 Cum feſtinatione magna, atque tumultu, & contra ius & fas, traditus eſt inimicorum poteſtati, & in crucem ſublatus. Quis enarrare, aut cogitatione complecti poterit, quàm numeroſa illi tam diro mortis genere ſublato naſcitura ſit ſoboles? Quia enim ſicut planta de terra abſcindendus eſt, ex eo pullulabit ingens filiorum ſylua, ſicut ex ſuccisæ arboris ſtirpe relicta, copioſa plerumque germina ſuccreſcunt. Neque verò ſibi perſuadeat quiſquam Chriſtum ſuorum ſcelerum dediſſe pœnas; quod enim pro ſe lueret, nihil habuit; eſt tamen à me propter mei populi ſcelera percuſſus.

9 Sed ille idem Dominus, qui percuſſit, illum exaltabit: Pro morte enim, quam acerbam tulit, & ignominioſam, ſubiiciet illi, adoptabítque in filios impios homines, & vitæ profligatæ, qui nullo modo amplexuri videbantur Euangelium; pro morte,inquam, & ſepultura diuites, à quibus rarò abeſſe ſolet impietas, filios adiunget. Eſt enim æquiſſimum,vt iniquos ad ſe trahat, & doloſos animos ille, qui nihil vnquam inique fecit,nihil doloſe locutus eſt.

10 Æquiſſimum præterea eſt,vt parens Deus ſic honoret Filium, quem vſque adeò acerbo mortis genere contriuit: & vbere filiorum prouentu compenſetur carnis infirmitas, quam pro hominum ſalute diuino obſecutus imperio ſuſcepit. Quare ſi mortem oppetens victimam ſe

5 [q] *Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras; attritus eſt propter ſcelera noſtra.* [r] *Diſciplina* [s] *pacis noſtræ ſuper eum;* [t] *& liuore eius ſanati ſumus.*

6 [u] *Omnes nos, quaſi oues, errauimus, vnuſquiſque in viam ſuam declinauit: & poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrûm.*

7 [x] *Oblatus eſt,* [y] *quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum.* [z] *Sicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe, obmuteſcet, & non aperiet os ſuum.*

8 [aa] *De anguſtia, & de iudicio ſublatus eſt.* [bb] *Generationem eius quis enarrabit?* [cc] *Quia abſciſſus eſt de terra viuentiũ:* [dd] *propter ſcelus populi mei* [ee] *percuſſi eum.*

9 [ff] *Et dabit impios pro ſepultura, & diuitem pro morte ſua:* [gg] *eò quòd iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore eius.*

10 [hh] *Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate:* [ii] *ſi poſuerit pro peccato animam ſuam,* [kk] *videbit ſemen longæuum,* [ll] *& voluntas Domini in manu eius dirigetur.*

11 ᵐᵐ *Pro eo, quòd laborauit anima eius, videbit, & ſaturabitur:* ⁿⁿ *In ſcientia ſua iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruus meus multos,* ᵒᵒ *& iniquitates eorum ipſe portabit.*

12 ᵖᵖ *Ideo diſpertiam ei plurimos, & fortium diuidet ſpolia,* ᑫᑫ *pro eo quòd tradidit in mortem animam ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt.* ʳʳ *Et ipſe peccata multorum tulit,* ſſ *& pro tranſgreſſoribus rogauit.*

pro peccatis immolandam tradiderit, in longa ſæcula numeroſam videbit ſobolem: & voluntas Domini, quæ eſt animarum ſalus per Chriſtum, vbique locorum proſperabitur.

11 Sudauit Chriſtus vt ſedulus agricola, ſementémque fecit duri, atque aſſidui laboris, atque ideo videbit ex eo ſtudio prouentus vberes, famémque longam ex illis ſaturabit. Iuſtificabit plurimos iuſtus ipſe, & quia ſcientia, quam è cœlo ſecum adduxit, illos inſtituet: & quia eorum iniquitates in ſeipſum exoluendas tranſcribet.

12 Ideo tam ſtrenuo bellatori, ac duci latè ſubiiciam populos, & Gentes, & ab illis qui priùs fortes habebantur, exuuias detrahet, & ſpolia victor luculenta diſtribuet. His verò à me præmiis cumulabitur, quia pro aliorum ſalute largitus eſt vitam; quia habitus in ſceleratorum numero: quia multorum in ſe peccata ſuſcepit: quia denique tam longè fuit, vt iis, à quibus dura, atque ignominioſa patiebatur, mortem optauerit; vt pro illorum ſalute moriens precatus ſit.

IN CAPVT QVINQVAGESIMVM TERTIVM COMMENTARIVS.

1. ᵃ QVIS *credidit auditui noſtro; aut brachium Domini cui reuelatum eſt?*] Hîc ſi vſquam, propheta magnus Euangeliſtam agit; ſic apertè de Chriſti morte, & noſtræ redemptionis opere vaticinatur, vt nô tam futura prædicere prophetico ſpiritu, quàm narrare præterita hiſtorico ſtylo videatur. Quare huius capitis Euangeliſtas omnes habemus interpretes, qui quæ hîc paucis complexus eſt Iſaias, illi pluribus in ſua hiſtoria perſecuti ſunt. Vnde caput hoc aureum non indigebat obſcura atque perrenui interpretis luce cùm ſatis magnam haberet ab Euangelio. Et quidem egiſſet multò prudentiùs pius interpretes, ſi ad illud non tam ſtylum, calamum, & atramentum, quàm ſilentium, meditationem, & lacrymas afferret. Precor igitur illum, cuius nunc admirabilem in obediendo conſtantiam, in tolerando patientiam, & manſuetudinem, in noſtra ſalute procuranda charitatem ardentem intuemur, vt in euoluendis redemptionis noſtræ monumentis, ſpectandiſque diuinæ œconomiæ myſteriis & cum pio dolore, ac ſenſu, quod religioſi animi eſt, & ſine errore vllo, quod boni eſt interpretis, progrediamur.

2. ᵇ *Quis credidit auditui noſtro?*] Hîc Hugo neſcio quid Babylonicum ſomniat; ſed eſt vnus Hugo qui id meditetur. Meminiſſe hic oportet, quod ſuprà notauimus ex Auguſtino, & aliis *cap.* 52. *nu.* 46. extremam partem capitis quinquageſimi ſecundi ab illo loco, *Ecce intelliget ſeruus meus,* ad hanc pertinere prophetiam. Ibi autem illuſtria quædam, &

A admiranda audiuimus de Chriſti gloria, vt quòd ſuper ipſum, os ſuũ continebunt Reges, &c. & quòd multos aſperget, mundabítque. Nunc verò cùm propoſitam habeat ante oculos ſuos eiuſdem humilitatem, & ignominiam, quam elegantiſſimè, atque grauiſſimè deſcribit, admirabundus ait, viſum iri hominibus incredibile ex ea humili, tenui, atque ignominioſa ſpecie quemquam ad tantum ſplendorem, & gloriam peruenire poſſe, aut mundari poſſe aliquem ab eo, qui tanquam leproſus immundus cenſebatur. Quis, inquit, credet his, quæ de gloria diximus Meſſiæ, qui modò, quæ à me dicenda ſunt, attentè conſideret.

Hæc mihi explicatio non videbatur aliena, quia & ipſa grauis, & quæ ſequuntur facilè cû ſequentibus componit; ſed credo hæc magis ſignificare illorum paucitatem, qui Chriſto, & Euangelio credituri ſunt: tam ex Iudæis, quàm ex Gentibus. De Iudæis docuit Ioannes *cap.* 12. *Non credebant*, inquit, *in eum, vt ſermo Iſaiæ prophetæ impleretur, quem dixit; Domine quis credidit,* &c. De Gentibus Paulus *ad Roman.* 10. *Sed non omnes obediunt Euangelio; Iſaias enim dicit: Domine quis credidit auditui noſtro?* Cauſa verò cur tam Iudæi, quàm Gentes animum habeant alienum ab Euangelio, & Chriſti nomen, & inſtitutum horreant, ea ferme redditur à Paulo 1. *Cor.* 1. *verſ.* 24. quæ nunc ab Iſaia, *Prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus autem ſtultitiam.* Deinde indicat quinam ſint illi, quibus brachium Domini reuelatum eſt, id eſt, Dei fortitudo. *Ipſis autem vocatis Iudæis, atque Græ-* 3.

B

cis

eis Chriſtum Dei virtutem, &c. *Auditus* hîc pro *ſermone* ponitur, quia eſt id. quod ab aliis auditur; ſicut *Abac.*1 *auditio* idem eſt quod *vox*.

4. ᶜ *Et brachium Domini, cui reuelatum eſt?*]Eſt hîc *brachium Domini*, aut Chriſtus, qui Patris eſt virtus, aut ipſius Chriſti fortitudo. Sed quod ad præſens attinet, parum refert, hoc ne an illo modo capias. Quia ſi priorem explicationem ſpectes, admirationis plurimum affert, ſiue dicas illum, qui talia paſſus eſt brachium, & fortitudinem eſſe Dei, aut illa, quæ fœda, atque indigna iudicat humana ſapientia, à ſingulari Chriſti fortitudine fuiſſe profecta. Vt ergo priùs propheta dixerat incredibile videri, vt qui ſtatim paſſurus dicitur, talem gloriam conſecuturus ſit apud homines, qualem antea nunciarat, ſic modò creditu difficile ſignificat, brachium Domini, id eſt, fortitudinem reuelatum iri in his, quæ ſtatim numerantur: quia illa magis ſunt infirmitatis, quàm fortitudinis argumenta. Vt autem prior interrogatio paucitatem indicat eorum, qui credent, in operibus ad ſpeciem ignobilibus eſſe gloriam, ſic interrogatio poſterior docet illorum paucitatem, qui in rebus ad ſpeciem infirmis fortitudinem eſſe ſibi perſuadeant. Si de paucitate eorum, qui credituri ſunt Euangelij, aut prophetæ verbis, aut quibus brachium Domini reuelandum eſt, quod poſterior indicabat expoſitio, hæc intelligas, res eſt non obſcura: quia ex eo quòd ignota erat illa Dei fortitudo, quæ maximè emicuit in tolerando, non facilè dociles ſe præbebunt Euangelio.

5. ᵈ *Et aſcendet ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti.*] Iam incipiunt aperiri cauſæ, cur in Chriſtum credituri videantur pauci, aut verbis propheticis pauci fidem habituri. Incipiunt autem ab eo tempore, quod Chriſtus exegit ad paſſionem vſque. In quo inter homines vixit humilis, pauper, nullis nobilitatis inſignibus, nulla, vt putabatur, maiorum ſuorum commendatione nobilis. Qui talis erat inter alios, qui aliquo in numero cenſentur hominum opinione, quale ſpectari ſolet virgultum tenerum, aut radix, ſeu heluella de terra arenoſa, ſterili, atque ſitienti inter ſpecioſas, & proceras arbores. Sed in his pauca accuratiùs examinanda.

6. ᵉ Primum illud *&*, non coniungere iſta cum præcedentibus, ſed eſſe particulam cauſalem, reddereque rationem cur pauci credituri ſint, aut cur ea, quæ dicuntur admirabilia videantur. Deinde pro *virgulto* eſſe יונק *ionec*, quod *ſugentem*, ſeu *lactentem* ſignificat. Et licèt propriè de animali dicatur, cùm tenerum eſt & maternis adhuc alitur vberibus, tamen accommodata tranſlatione pro virgulto ponitur, aut planta, quæ primùm oritur, neque dum ab altrice terra videtur erupiſſe. Quidam myſterium hîc agnoſcunt aliud in lactente plantula, & terra arenti, in qua deſignari virginem putant pauperem, & nudam ab his ornamentis, quæ mundus cenſet eſſe maxima. Ex qua prodiit Ieſus virgultum illud tenerum, aut infans lactens. Piè quidem illi, & ſatis ad plauſum, quibus non parum Septuaginta fauent, qui pro *virgulto*, *infantem* tranſtulerunt. Neque id malè cum præcedentibus conuenit, nam quis crederet lactentem puerum futurum eſſe brachium omnipotentis virtutis. Et iuxta hanc Septuaginta tranſlationem multa de infante Ieſu, multa de matre virgine meditantur interpretes.

7. Sed optimè ſpeciem, quam Chriſtus habuit in ſtatu mortali, explicat illa plantarum metaphora. Nam in Scriptura plantarum nominibus varij hominum ſtatus explicari ſolent. Nabuchodonoſoris amplitudo, & potentia arboris ad cœlos vſque ſublatæ, & in omnes mundi partes diffuſæ ſimilitudine explicata eſt. Et viri etiam potentes, atque ſublimes cedris Libani, & quercubus Baſan aſſimilantur. *Pſal.*36.*verſ.*35. *Vidi impium ſuperexaltatum & eleuatum ſicut cedros Libani.* & ſimilia paſſim. Eodem modo, qui tenui exiſtimantur, & infelici fortuna, tenuibus etiam, atque infelicibus plantis aſſimilantur. *Ierem.cap.*17.*verſ.*6. *Erit quaſi myrica in deſerto.* & idem repetit poſtea *cap.*48.*verſ.*6. Vnde ſuſpicor hæc apud Hebræos prouerbialiter aſſumi. Et *Michea* 7. alij cum ſpinis & paliuris conferuntur. Quare paupertas, atque humilitas Chriſti optimè à propheta explicatur teneri virgulti, & radicis de terra ſitienti, ac ſterili ſimilitudine. Neque credo erraret, aut diceret aliquid, quod eruditis diſpliceret, qui radicem hanc myricam eſſe diceret, quia hæc ſpeciem non habet, & in locis deſertis atque aridis naſcitur, &, vt diximus, prouerbialem habet ſpeciem, qua tenuis & miſera conditio exprimitur. Quomodo verò *radix* ſeu *ſtirps* pro eo ſumatur, quod ex radice, ſeu ſtirpe pullulat, quale eſt germen, ſeu virgultum, diximus *cap.* 11. *num.*16.

Status varij hominum, plantarū ſimilitudine explicati.

Prouerbiū.

ᶠ *Coram eo.*] Obſcurum eſt quis iſte ſit, in cuius conſpectu Chriſtus habiturus ſit virgulti, atque aridæ radicis inſtar. Dionyſius, & Hugo Deum putant; Foreirus Iſraelem; cæteri ferme interpretes omnino ſilent. Ego ſanè credo, neque Deum hîc, neque Iſraelem ſpectari, quia licèt ſenſus eſſe poſſit non inelegans, tamen illa duo non eo loco anteceſſere, vt à pronomine *eo* commodè referri poſſint. Refert autem meo iudicio Chriſtum, qui proximè præceſſit ſub brachij, virgulti, atque radicis metaphora, quod indicant Cyrillus, & Procopius, licèt alio ſenſu, atque nos explicabimus. Pro *coram eo* Hebraicè eſt לפניו *lepanau*, quod optimè exponi poteſt *quoad conſpectum*, vel *quoad faciem ſuam*, ſeu *faciem eius*. Erit itaque ſenſus, Erit ſpecie quaſi virgultum, aut, habebit ſpeciem virgulti, aut radicis de terra ſitienti, id eſt, ſic erit in ſpeciem humilis, & abiectus, ſicut virgultum, aut radix quæ in loco ſterili, atque arido naſcuntur. A quo ſenſu non omnino abhorret tranſlatio vulgatæ, quæ licèt obſcurè, indicat tamen eam ſententiam, quam modò produximus: nam nihil magis eſt coram aliquo, quàm eius facies. Niſi mauis, quod minùs eſt extortum à tranſlatione vulgatæ, *coram eo*, eo ſenſu accipere, vt Chriſtus in ſua exiſtimatione ſit perinde, atque virgultum, aut radix arida in terra ſitienti. Nam *coram ſe* aut *in conſpectu ſuo*, aut *in oculis ſuis*, vt verba ſonant Hebraica, idem valent, quod *in ſua exiſtimatione*. Vnde frequens in Scriptura ſacra *Bonus es in conſpectu meo*, id eſt, in opinione mea 1.*Reg.*26.& *Eccl.*42.*verſ.*8. *Erit probabilis in conſpectu omnium virorum*, 1.*Reg.*15.*verſ.*17. *Cùm paruulus eſſes in oculis tuis.* & 1.*Reg.*29.*verſ.*9. *Bonus es tu in oculis meis.* De *coram* exemplorum plus ſatis. Sæpe enim occurrit *Magnus coram Deo*, id eſt, quem magnum iudicat Deus. *Magnus coram principe*, & ſimilia. Quia ergo Chriſtus ita de ſe cogitabat, vt diceret, *Ego autem ſum vermis, & non homo*, ideo hîc à propheta dicitur eſſe *coram eo*, id eſt, coram ſe, & in ſua opinione, quaſi virgultum. Notum eſt autem apud Hebræos pronomen affixum *vau* eſſe pronomen, tam reciprocum, quàm ſimplex; quare 8.

Quæ ſpecies Chriſti.

Chriſti humilitas.

ram exponi poteſt *coram ſe*, quàm *coram eo*. Neque rarò Vulgatus pronomen ſimplex pro reciproco adhibet, & contrà, vt oſtendimus *cap. 25. num. 41.* Sed placet magis prior expoſitio, quia magis eum conſequentibus conuenit.

9. g *Non eſt ſpecies ei, neque decor.*] Explicat iam, in quo ſpeciem, & ſimilitudinem habuerit virgulti, aut radicis aridæ, quia ſicut illa ſpeciem habent nullam, aut venuſtatem, vt pote quæ à ſterili & arido ſolo nihil habent, quod ad ſpeciem, & pulcritudinem exugant; atque ideo, ſi non omnino mortua, non tamen procul abſunt à mortuis: Sic Chriſtus dum nobiſcum vixit, etiam ante mortem, vitam egit, non ſplendidam, ac lautam, ſed inopem, laborioſam, & eiuſmodi vt dicere potuerit, *Pauper ſum ego, & in laboribus à iuuentute mea.* Quare neque ſpeciem habuit illam aut decorem, quem homines amant, ac omni ſtudio, & contentione venantur.

10. h *Et vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſiderauimus eum.*] Locus hic obſcurus videtur, & implexus: de quo variè interpretes. Quidam hæc ad prophetam referunt, qui Chriſtum videre deſiderauit, iuxta illud *Multi prophetæ cupierunt videre quæ vos videtis*, &c. Et ſi horum eſſe dicas hæc verba, ſenſus etiam non idem apud omnes. Quidam dicunt etiamſi neque aſpectum, neque decorem haberet, tamen ab illis eſſe deſideratum, quia futurus erat ſalutis humanæ auctor, & vindex. Alij viſum quidem eſſe, ea tamen ſpecie, vt deſiderandus non videretur. Alij aliis modis, quod neceſſe eſt in rebus magnis & obſcuris. Ego breuiter dicam, quod mihi magis videtur expeditum, & facile.

11. Et primùm obſeruo vſitatū eſſe, tum apud alios, tum maximè apud auctores ſacros, vt negatio, quæ in priori mēbro præceſſit, ſubaudiatur in poſteriori. Exempla ſunt plurima, eáque perſpicua. *Prouerb. 30. verſ. 13. Non didici ſapientiam, & ſcientiam ſanctorum noui*, id eſt, neque ſcientiam. *Pſal. 142. Non auertas faciem tuam à me: & ſimilis ero deſcendentibus in lacum*, id eſt, ne ſimilis ſim. Plura exempla reperies apud Pagninum *in inſtitut. lib. 4. cap. 14.* Quod vſque adeò vſitatum eſt, vt Grammatici doceant *vau*, id eſt, coniunctionem *&*, poſt negationem, aut poſt dictionem negatiuam, non affirmare, ſed negare, quia repeti debet negatio, quæ anteceſſit. Quo dicendi genere aliquando vtuntur Latini. Notum eſt illud poëtæ,

Regula. Negatio repetenda.

Neſcia mens hominum fati, ſortiſque futuræ,
Et ſeruare modum rebus ſublata ſecundis.

Repetenda eſt particula negatiua *neſcia* hoc modo, *& neſcia ſeruare modum.* Iuxta hæc ſic locum iſtum interpretor, *Vidimus eum, & non erat aſpectus, & non deſiderauimus eum*, ſeu magis apertè, *neque deſiderauimus eum*, id eſt, ea ſpecie vidimus, vt non putaremus eſſe deſiderabilem, aut dignum, in quem oculos conuerteremus, vſque adeò aſpectu erat fœdato, humili, ac deſpicabili. Ita Salmeron *proleg. 11. quinquag. 3. cap. 41.* & Leo Caſtrus hîc.

12. Obſeruandum ſecundò, familiare eſſe Hebræis, vt id fieri dicant, aut fieri negent, quod ſiue vt fiat aptitudinem, aut meritum habet, ſiue aliquid habet, propter quod fieri neque debeat, neque poſſit. Quæ regula aliis verbis proponi, atque explicari ſolet, nempe actum ſecundum, vt dicunt Logici, vſurpari pro actu primo. Quo ſenſu dicimus, *Ego non doceo*, id eſt, non ſum doctor, aut neque poteſtatem, neque doctrinam ad docendum habeo. *Non comedo hæc*, id eſt, hæc non ſunt eiuſmodi, vt ſtomachus meus ferre poſſit. Sic Beata virgo dixit *Ego virum non cognoſco*, id eſt, mihi ipſi voto neceſſitatem impoſui, ne mihi iam liceat virum cognoſcere. Iuxta hæc ego locum ſic interpretor, *Vidimus eum, & non erat aſpectus, nec deſiderauimus eum*, id eſt, neque talem vidimus, vt aſpectus eius eſſet deſiderabilis. Loquitur autem propheta humano more, eo nimirum ſenſu, quo homines amabilem, aut deſiderabilem ſpeciem putant. Qualis non eſt illa, quæ fœdata eſt ſaliua & ſanguine, & in leproſi ſimilitudinem deformata. Hæc explicatio non diſplicet Foreiro, & ſequitur Salmeron *to. 10. tract. 9.* quam indicat tranſlatio Symmachi apud Procopium, qui ſic vertit. *Non ei forma, non dignitas, vt videamus eum: neque aſpectus, vt cuperemus eum.*

Regula. Actus ſecūdus pro actu primo.

13. i Porrò *aſpectus* hic non ſignificat, quemcumque vultum, aut faciem, ſed in qua aliquid eſt dignitatis. Nam certum eſt habuiſſe Chriſtum aſpectum aliquem, negat tamen propheta aſpectum habuiſſe nitentem, in quo faſtum præ ſe ferret, aut ſpiritus ambitioſos & regios. Ita S. Thomas, *Non erat ei*, inquit, *aſpectus magnificus, ſecundum quod dicitur, quòd ſpecies Priami digna eſt imperio.* Idem putat Procopius. Vulgo Hiſpanorum, cùm quis macro vultu eſt, & lurido, atque exangui, *desfigurado* dicitur, id eſt, ſine aſpectu. Et idem penè ſonat vox Latina *deformis*, id eſt, ſine forma, cùm tamen, qui deformis dicitur, formam habeat licèt deſpicabilem. Cùm ergo hic Chriſtus dicitur non habere aſpectum, in eo negatur aliquid eſſe aſpectabile, id eſt, quod trahat ad ſe, & capiat curioſos, & elegantes oculos. Hæc ſi de vultu accipias, & ore, tempore paſſionis, de quo præſertim hic agit Iſaias, quàm veriſſima fuerunt: quis enim ſplendor, quis nitor apud homines, qui humano iudicant ſenſu, eſſe poterat in facie liuenti colaphis, & ſanguine, ac puluere fœdata? quæ dignitas in genis euulſa barba, quæ maieſtas in ore dirarum manuum notato veſtigiis? Sed credo *aſpectum* hoc loco patere latiùs, & ſignificare, non tantùm faciem paſſionis articulo, ſed totius corporis habitum, atque ſpeciem toto vitæ tempore. Qui cùm hominum oculis nihil offerret lautum, ſplendidum, ac regium, vt qui vitam inſtituiſſet inopem, ſuóque exemplo paupertatem, & modeſtiam docere, ac commendare inſtituiſſet hominibus, qui ſublimia admirantur, atque ſuſpiciunt, deſpicabilis erat. Et quidem *aſpectus* apud Latinos cultum etiam, & habitum totius corporis ſignificat; quod Hiſpanus dicit *la apparencia*, aſpectu Græcus, barbarus, philoſophus, *Tiene talle, o apparencia de Griego, philoſopho*, &c. Ita indicat S. Thomas, & Procopius, qui hæc dicit ſpectare ad totum vitæ tempus. Cùm enim ſuperiora de Chriſti natiuitate exponeret: poſtquam huc ventum eſt, ait de Iſaia. *Cæterum poſtquam de Saluatoris natiuitate diſſeruit, eius iam in terra conuerſationem explicat.*

Non habet aſpectū cuius facies deformata eſt.

14. k *Deſpectum, & nouiſſimum virorum, virum dolorum, & ſcientē infirmitatem.*] Hîc repete verbum *vidimus*. Hæc magis declarant, quid ſit Chriſtum aſpectum non habuiſſe, nempe talem, qualem homines ſuſpicere, ac reuereri ſolent. Nam cognouerunt illum eo aſpectu, atque habitu, vt fabri filius putaretur; & nouiſſimum virorum, ita vt nihil exiſtimaretur, aut abiectius, aut indignius; & quem dolor, laſſitudo, & alia etiam incommoda, quibus humana conflictatur natura, tentarent, & affligerent. Pro *nouiſſimo virorum*, Hebr. eſt חדל *chadal*, quod *ceſſationem*, aut *deſitionem* valet; & explicat mirificè.

Chriſti humilitas, & abiectio.

mirificè Chriſti abiectionem, & humilitatem. Significat etenim in eam fuiſſe Chriſtum ſpeciem, ſeu, in eam fuiſſe humilitatem abiectum, vt nihil abiectius, ſeu humilius videri poſſit. Ita vt nihil vltrà ſit, quò progredi potuerit, quæ in humanis iudicatur paupertas, & tenuitas. Et quod Philoſophi dicũt in eo genere attigiſſe *minimum quod ſit:* adeò vt ibi ſit virorum ceſſatio, atque deſitio, id eſt, virorum ſtatus vlteriùs procedere non poſſit; alioqui viri non viri futuri ſint, ſed vermiculi, aut opprobrium hominum, & abiectio plebis, id eſt, non tam viri, quàm virorum inane quoddam ſimulacrum. Et hæc quidem etiam ante paſſionem & crucem. Quod autem hîc Iſaias prædixit, Chriſtus impleuit. Nam quid vnquam, ſi à Chriſti natiuitate exordiare, naſcendi tempore, aut loco excogitari abiectius potuit, aut minùs opportunum infanti? Quis vſque adeò ab omni fortunæ ſubſidio deſtitutus, vt non habuerit vbi caput reclinaret ſuum? Ex hoc vitæ exordio, & illuſtri hoc Iſaiæ vaticinio colliget non difficilè Chriſtiana pietas qualem habuerit Chriſtus modum vitæ ad annum trigeſimum, de quo ætatis ſpatio nihil ferme proditum eſt ab Euangeliſtis.

15. Aliter hanc vocem explicat Foreirus, qui etiam ſuperiorem expoſitionem attigit; quòd ſcilicet ideo Chriſtus dicatur *virorum ceſſatio*, quia cùm tam videretur abiectus, & humilis, nemo illum congreſſu, nemo colloquio dignaretur. Quia nimiùm homines iacturam ſe facturos eſſe ſuæ exiſtimationis arbitrabantur, ſi illum non iam ad neceſſitudinem, aut familiarem vſum, ſed etiam ad communem cum hominibus aliis conſuetudinem, aut colloquium accerſerent. Et ideo ſe Chriſtus apud Pſalmiſtam vocat opprobrium hominum, & plebis abiectionem, quod de Apoſtolis Chriſti imitatoribus ſcripſit Paulus 1. *Corinth. 4. Tanquam purgamenta huius mundi facti ſumus, omnium peripſema.* Ab huiuſmodi autem homines elegantes, & lauti abhorrere, & cum ambitioſo faſtidio nauſeare ſolent. *Ceſſatio* itaque *hominum* dicitur Chriſtus, quia homines dum illius paupertatem aſpiciunt, eius auerſantur, & refugiunt congreſſum, & ita ceſſant ab illius conſortio. Cui expoſitioni fauet aliorum tranſlatio, quæ legit *reiectum virorum*, quaſi à virorum conſortio reiectus ſit.

16. l *Et quaſi abſconditus vultus eius, & deſpectus: vnde nec reputauimus eum.*] Hieronymus hîc intelligit humano corpore diuinam potentiam eſſe celatam: item S. Thomas, indicat Auguſt *lib. 18. de ciuitate cap. 29.* Sed puto hîc aliquid ſignificari, quod etiam in humana conditione abiectum exiſtimatur, & vile, quódque homines ideò tanquam indignum reſpuere, ac faſtidire ſolent. Cyrillus, & Dionyſius futurum eſſe dicunt aſpectum eiuſmodi (in quo ſine dubio intelligunt vitæ conditionem, & modum) vt iuxta hominum ſenſum, qui de rerum momentis, neque æquè, neque ſapienter cogitant, ipſum conditionis ſuæ pudere debeat; & ideo vultus eius ſit quaſi abſconditus, quia qui in eo loco ſunt atque ſtatu, operire conſueuere præ pudore vultum, qui maximè à verecundia, atque à pudore patitur. Id planè docet Procopius, qui auerſam Chriſti faciem (ſic enim legunt Septuaginta) *confuſam* dicit. Ex quo optimè ſequitur, *vnde nec reputauimus eum.* Id eſt, ea ſpecie vidimus vt non reputaremus noſtro dignum congreſſu: neque id mirum, ac ſi dicant, cùm ipſe id de ſe præſcriberet nobis, cùm faciem ſuam, quaſi pudibundus obte-

Facies abſcondita.

A geret. Textus Hebraicus habet כְּמַסְתֵּר פָּנִים מִמֶּנּוּ *chemaſter panim mimenu*, ad verbum, *quaſi abſcondens facies à ſe*, id eſt, ſuas. Quæ verba omnino indicant noſtram ſententiam, id eſt, præ pudore velatam eſſe faciem. Quòd autem præpoſitio מ *men*, cum affixo poni ſoleat, pro affixo poſſeſſiuo, ita vt *facies à ſe* idem ſit, quod *facies ſua*, notum eſt iis, qui Hebraicè mediocriter ſciunt. Huic expoſitioni fauet tranſlatio Septuaginta, qui ſic vertunt. *Quia auerſa eſt facies eius.* Pagninus & Vatablus non tam pudorem in Chriſto ponunt, quàm in aliis, qui pudori ſibi eſſe putãt Chriſti congreſſum. Pagninus ita vertit. *Erit vt is à quo abſconderet quis faciem*, nempe contemptus. Tigurina ſiue Leo B Iudas. *Et quaſi abſcondebamus faciem ab eo*, id eſt, pudebat nos illius. Et in hanc ſententiam inclinat Adamus.

Foreirus hîc deſcriptionem putat eſſe leproſi, nam & hi operire ſolebant faciem ſuam, & quaſi abominabiles cenſebantur, viuebántque in agris ſeparati ab hominum conuictu. Satis quidem hæc ſignificanter, ſi modò verum quod de leproſis affert. Qui quidem non פָּנִים *panim*, id eſt, *faciem*, ſed שָׂפָם *ſapham*, id eſt, *labium ſuperius*, ſiue *os rectum* operiebant, vt liquet *Leuit. 13. verſ. 45.* 17.

Minùs credo improbabiliter ſentiret, qui ideo abſconditum, id eſt, velatum vultum eius diceret, vt ſe ea ratione oſtenderet, quaſi morti deſtinatum, quaſi iam inde ab ortu deuotus eſſet crucis patiC bulo, quod fuiſſe olim in vſu docuimus ſuprà *c. 22. num. 32.* Sed placet multò magis illa ſententia, quæ affirmat Chriſti aſpectum eiuſmodi eſſe, vt hominum iudicio facies obuelari debuerit. 18.

Facies velata damnatis morte.

m Hîc obiter nota *abſcondere faciem* non tantùm eſſe illam celare aut obtento velo, aut oppoſita manu, ſed etiam faciem auertere ab aliquo, quocumque modo id fiat ſiue pudoris, ſiue offenſionis gratia, infrà *cap. 54. verſ. 8. In momento indignationis abſcondi faciem meam parumper à te.* Et *Iob 13. v. 24. Cur faciem tuam abſcondis? Iſaia 59. verſ. 2. Peccata veſtra abſconderunt faciem eius* (Dei) *à vobis.* Et eius generis occurrent paſſim exempla. Quare non neceſſe eſt, vt vultus Chriſti opertus dicatur iuxta D idioma Scripturæ ſacræ, ſed ſatis eſt ſi fuerit auerſus, quia etiam homines in pudore faciem ſolent auertere, quia videri nolunt. 19.

n *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit.*] Hinc credo propheta à reliquo curſu ætatis Chriſti ad paſſionem eius vaticinium producit; quia non iam de humili Chriſti ſpecie, & conditione, ſed de plagis ipſius, & morte loquitur. Non poteſt hic locus clariùs exponi, quàm ab Iſaia propoſitus eſt: quare qui aliquid illi lucis afferre tentauerit, aut actum agere, aut luci tenebras offudiſſe videbitur. Sed illud videndum, atque examinandum, quod non parum huic loco non difficili difficultatis affert. Nam Matthæus *cap. 8. v. 15.* E poſtquam varia numerauit morborum genera, à quibus homines Chriſti opera ſanati ſunt, addidit. *Vt adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam prophetam dicentem: Ipſe infirmitates noſtras accepit, & ægrotationes noſtras portauit.* Nam iuxta hæc videtur locus hic exponendus, non de animarum morbis, id eſt, peccatis, ſed de corporis languoribus: quia illorum antecesserat curatio. Deinde videtur etiam eſſe dicendum liberaſſe quidem Chriſtum alios à languoribus, & doloribus, non tamen illos ſuper ſe poſuiſſe: quia Chriſtus neque morbis laborauit, quos ab ægrotis depulit, neque quid paſſus eſt ab obſi- 20.

deute

dente Dæmone, ſicut patiebantur plurimi, quibus ſaluti fuit, quorum exagitatio, & ſanitas, proximè præceſſerat.

21. Propter hæc & ſimilia quidam cenſent hunc Iſaiæ locum ſic exponendum, vt modò obiiciebamus de corporis morbis, neque aliquid aliud ſibi velle illud, *Verè languores ipſe tulit*, quàm ablatos eſſe à Chriſto languores; & illud, *& dolores portauit*, quàm aſportatos aut ereptos fuiſſe. Ita Foreirus *hîc*, & Caietanus *in locum Matthæi ſuprà*, neque longè abeſt Lyra ab eorum ſenſu, qui putat hîc à propheta ſignificari Chriſtum labores noſtros ſubiturum, nempe famem, ſitim, laſſitudinem, &c. quod etiam ſentit S. Thomas in hunc Iſaiæ locum. Alij cenſent duos eſſe literales ſenſus, alterum de animæ, alterum de corporis languoribus, hunc ſpectaſſe Matthæum, illum magis prophetam explicuiſſe; Ita Leo Caſtrus, & Pintus. Alij interpretes Iſaiæ communiter accipiunt de peccatis, quibus adde alios expoſitores Matthæi Chryſoſtomum, Theophylactum, Euthymium, Maldonatum, Ianſenium, & omnes ferme Patres, qui variis locis tractant hunc Iſaiæ locum.

22. Mihi quidem difficile eſt in tanta rerum varietate aliquid certum ſtatuere; neque enim negare poſſum vaticinium hoc eſſe de corporis infirmitatibus, quia id apertè docet Euangeliſta; neque de peccatis, quia id fateri penè cogunt verba prophetæ: vtrumque ergo in hoc teſtimonio videtur eſſe coniungendum. Quidam, vt dixi, duos eſſe putant literales ſenſus. Sed valde controuerſum eſt, an tales eſſe poſſint eiuſdem literæ, niſi illi in aliquo ordine, ita coniungantur, vt alter alteri ſupponatur. Quod hic qua ratione fiat non apparet: quia neque alter alterius poteſt eſſe typus, neque alterius alter videri poteſt eſſe typicus, vel hiſtoricus, vt optimè Gabriel Vazquez 1. *tomo in* 1. *p. S. Thomæ diſp.* 18. *cap.* 5.

23. Alij literalem eſſe putant ſenſum de peccatis, accommodatitium verò de corporalibus morbis, quo ſenſu cenſent adhibitum à Matthæo præſens teſtimonium. Ita Ianſenius *cap.* 28. *Concor.* & Maldonatus *in Matthæum*. Immò & Chryſoſtomus, vt citat S. Thomas *in Catena*. *Sciendum*, inquit, *quod vel hiſtoria hoc, teſtimonium adaptauit, vel oſtendit, quoniam plures ægritudines ex peccatis ſunt.* Sed ego illa verba prtiora apud Chryſoſtomum non inuenio. Dixit quidem Chryſoſtomus *hom.* 28. *ſuper Matth. Cur ergo, inquit, de morbis, aut ægrotationibus id dictum Euangeliſta in hoc loco ſcripſit? Certè, aut hiſtoricè teſtimonium propheta accepit, aut ſubaperire voluit plurimas ægrotationes ab animi peccatis originem trahere.* Ex quibus verbis potiùs videtur indicare Chryſoſtomus hiſtorico ſenſu accipiendum hunc Iſaiæ locum, de corporis morbis, accommodatitio verò de peccatis. Sed quòd ille de corporali languore accommodatitius ſenſus eſſe non poſſit, probat illa particula, *vt impleretur quod dictum eſt.* Nam vt bene docet Gabriel Vazquez ſuprà, cùm ab autore ſacro teſtimonium ex veteri producitur Teſtamẽto, cui præponitur *ſicut ſcriptum eſt*, ſiue *vt impleretur*, aut quid ſimile, locus ille accommodatitiè explicari non debet.

24. Quare dicendum puto primò, locum iſtum accipiendum eſſe, tam à propheta noſtro, quàm à Matthæo de peccatis, vt ſcholaſtici dicunt, directè, atque primariò, vt ſentiunt communiter vtriuſque ſcriptoris interpretes, exceptis, quod ego viderim, tantùm Caietano, & Foreiro. Et probant, quæ in eodem capite ſtatim ſequuntur, neque vllus, iuxta Septuaginta tranſlationem dubitare poteſt, ſic enim illi: *Iſte peccata noſtra portat, & pro nobis dolet.* Ad quem locum reſpexiſſe puto Petrum *epiſt.* 1. *cap.* 2. *Qui peccata noſtra ipſe pertulit ſuper lignum.* Secundò etiam dicendum puto, indirectè, vt aiunt, & minùs principaliter vaticinium hoc ab Iſaia tradi, & à Matthæo exponi de corporis languoribus. Aut quia illi à peccato proueniunt, ſicut etiam mors, aut quia illorum morborum plurimi propter peccata inflicti ſunt; vt Chryſoſtomus docet ſuprà, Theophylactus, Euthymius, Maldonatus, Salmeron *tomo* 10. *tractatu* 9. Quare curatio illa Chriſti peccata etiam languentium intuebatur. Seu (quod magis placet, vt docet Rupertus, Titelmanus, Maldonatus, & Gabriel Vazquez *ſuprà diſput.* 18. *cap.* 6. *numero* 14. qui dicit ita probari quibuſdam recentioribus) quia illa curatio corporis eò ſpectabat, vt animi quoque morbi ſanarentur. Nam, vt inquit Rupertus, *lib.* 7. *Opus ſuum, quod eſt animæ ægritudines ſanare, Chriſtus cœpit ab ægrotatione corporis operari: vt dum priùs illa viſibiliter curaret, medicus verus innoteſceret, & tunc demum ad curandas ægritudines animarum perueniret.* Dum verò Iſaias dixit, *Verè languores noſtros ipſe tulit*, intellexiſſe videtur ſpiritualium morborum medicinam, de qua præcipuè ſermo, à Chriſto etiam ſignificandam, & confirmandam corporalium morborum curatione; atque ideo Matthæus, iuxta prophetæ mentem optimè dixit, *vt adimpleretur quod ſcriptum eſt*, &c. quia tunc implere cœpit quando ſe idoneum animarum medicum oſtendit. Et quidem in humanis, curationis principium eſt, præoccupata medici exiſtimatio. Quis enim imperito medico ſalutis ſuæ curam permitteret? Quo conſilio honoris, & doctrinæ gradus, atque inſignia medicis tribuuntur, vt honeſto illo titulo, & nomine commendati, faciliùs in medendi opus & miniſterium incumberent. Adde, quòd ſi ad eos reſpicias, qui à Chriſto corporeæ ægritudinis ſanitatem conſecuti ſunt, eos cum ſano corpore, ægræ quoque mentis ſanitatem obtinuiſſe, communis eſt Patrum ſententia; & indicat Lucas *cap.* 8. cùm dicit ſecutas eſſe Chriſtum quaſdam mulieres, cùm per ciuitates & caſtella prædicaret, quæ curatæ fuerant à ſpiritibus malignis, & ab infirmitatibus. Quare quemadmodum qui viam aperit ad expugnandam vrbem, aut aliquod aliud conſilium init, licèt ad ſpeciem maximè ab expugnatione videatur alienum, tamen tunc oppugnare dicitur ciuitatem; ſic, quia curato corpore aditus aperiebatur ad animæ curationem, quod volebat Iſaias, optimè Matthæus ait, cùm Chriſtus corpora curaret infirmorum, impleſſe, quod prædictum fuerat ab Iſaia.

Tertiò dicendum, quemadmodum Chriſtus languores noſtros & dolores portauit, nempe quos peccator homo pro ſuis delictis, quæ ſanauit ſubire debuit; ſic etiam Chriſtum languores ipſos & dolores corporis, quos à languentibus depulit, quodammodo in ſe tranſtuliſſe ac ſubiiſſe. Non quòd cæcitatem, aut claudicationem, aut febrim ſumpſerit, & alia valetudinis incommoda, quæ ab ægris, & affectis corporibus fugauit, ſed quia aliquod doloris incrementum illi in ſtatu mortali, & paſſionis tempore, dolores noſtri, atque corporei languores attulerunt. Hanc ſententiam indicat vehementer locus Matthæi, qui de corporis languoribus ea tradit, quæ de animi morbis ex omnium ſententia prædicit Iſaias. Et docet autor quidam 25.

Marginal notes: Chriſtus quomodo lãguores corporis tuliſſe dicatur. Matth. 8. — Noſtri corporis lãguor aliquid addidit doloris Chriſti paſſioni.

dam Græcus, quem citat, non tamen nominat Ianſenius, neque eius improbat ſententiam, indicat S. Hilarius *in Catena apud S. Thomam in hunc locum Matth.* Vbi cùm ſermo eſſet de corporis incommodis, & morbis, dicit de Chriſto: *Paſſione corporis ſui ſecundùm prophetarum dicta infirmitates humanæ imbecillitatis abſorbuit.* Quam ſententiam veriſſimam exiſtimabat vir quidam ex noſtra Societate eximiæ religionis, & ſanctitatis, qui ea conſideratione adducebatur, vt ægros inuiſeret, & quocumque poſſet modo eorum angorem, & moleſtiam leuaret, quia putabat dolores illos aliquid addidiſſe moleſtiæ Chriſti paſſioni.

26. o *Et nos putauimus eum, quaſi leproſum, & percuſſum à Deo, & humiliatum.*] Ex his non obſcurè docemur Chriſtum ſuper ſe tuliſſe hominum languores, de quibus ſuprà, & non tantùm ab illis homines liberaſſe, ſed etiam in ſe deriuaſſe ex illorum debitis dolorem, atque ignominiam. Nos, inquit propheta, (qui non tam ſuo loquitur, quàm Iudæorum nomine, quibus cùm ipſi erat commune genus) putauimus eum ſua lepra, non noſtra percuſſum, & fœdatum, & à Deo propter ſua merita in eum modum humiliatum & afflictum: ſed reuera lepra noſtra, & noſtri languores ipſum deformarunt, & dolores noſtri ipſum dolere, & lachrymari fecerunt. Aut certè reputauimus eum quaſi leproſum, & odioſum Deo, atque ideo ab illo fœda plaga percuſſum; Quare ſicut omnes horrent leproſi habitum, & ab eius congreſſu refugiunt, ſic nos illum tanquam inuiſum Deo, & hominum ſocietati noxium auerſabamur. Huc facit quod de Chriſto Pater dixit ſuprà *capite* 49. *verſ.* 7. *Hæc dicit Dominus*, &c. *ad contemptibilem animam, ad abominatam gentem.* Vide quæ ibi diximus.

27. *Lepra diuinum ſupplicium.* Hîc notandum, vt alij morbi ex aliis cauſis proueniunt, ſic lepram vulgo Iudæorum exiſtimari ab irato Deo homini peccatori prouenire. Sic Maria quia in fratrem Moyſem liberiùs, atque contumelioſiùs inſiliit, lepra fœdè ac miſerabiliter penè conſumpta eſt. *Num.* 12. *verſ.* 10. Sic Ozias, quia contra legem, non tam religioſam, & piam, quàm ſacrilegam operam nauauit, ad mortem vſque Deo, hominibúſque inuiſus extabuit 4. *Regum* 15. *verſ.* 5. Et ex morbi genere amici Iob à Deo fuiſſe percuſſum coniectabant, & ipſe Iob tactum ſe diuino digito lamentabatur. Vide quæ diximus ad illud *Zachar.* 14. *verſ.* 12. *Tabeſcet caro vniuſcuiuſque.* Vbi plura adduximus exempla eorum, qui vltrici manu à Deo eiuſmodi plaga mulctati ſunt.

28. *Iudæi propter hoc Iſaiæ teſtimonium ad fidem conuerſi.* p Pro *percuſſum à Deo*, Hebr. eſt מכה אלהים *mucheh elohim*, quod valere videtur *percuſſum Deum*: neque enim in Hebr. textu vlla eſt particula præfixa *Deo*, quæ ſignificet *à*. Sed ſi illud מכה *mucheh*, ſit in ſtatu regiminis, quod videtur ſatis veriſimile, idem eſt ſenſus; valet enim *percuſſum Dei*, quaſi dicas, Vidimus percuſſum Dei ſeruum, aut illum, qui totus eſt Dei, apud ipſum, vel ab ipſo percuſſum. Sicut captiuum aut ſtigmaticum Regis dicimus illum, quem Rex cepit, & ſuo notauit ſtigmate. Addam hîc quod Payua dicit *lib.* 4. *in defenſione Tridentinæ fidei*, *lib.* 4. *non longè à principio*, plurimos ex Africanis Iudæis eiurata parentum ſuorum religione, relictis opibus, quas habuerе copioſiſſimas in patria, & loco, atque ordine, quem apud ſuos habuerunt ampliſſimum, amplexos fuiſſe Chriſtiana ſacra adductos tum toto hoc Iſaiæ capite, tum maximè hoc loco, quem nunc verſamus. Nam cùm illos ſæpius interrogaret Payua, quid eos in eo capite adeò torſerit, vt negare non potuerint vera eſſe, quæ de Chriſto Ieſu Dei Filio à Chriſtianis traduntur, illud repetebant ſemper, מכה אלהים ומענה *muchah elohim vmehhuneh*, id eſt, *Percuſſus Deus, & humiliatus.*

29. q *Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra.*] Nos quidem, inquit Iudæorum nomine propheta, Deum ab illo vſque adeò fœdè grauitérque percuſſo, propter ipſius merita pœnas illas exegiſſe arbitrabamur, ſed noſtra ille non ſua, quia nihil vnquam impium admiſit, ſcelera luebat; à noſtra ille lepra leproſus fuit; à nobis ille labem illam fœdam contraxit: nos illum attriuimus; nos illum vulnerauimus, quia noſtra illi peccata cauſam tanti doloris, tanti cruciatus materiam attulerunt. Hæc ſententia, quia grauis eſt, & hominibus maximè notanda, infigendáque penitus memoriæ, atque animo, bis hoc loco per epexegeſim repetitur. Eadem enim ſententia prioris eſt, quæ poſterioris hemiſtichij.

30. *Diſciplina pro flagello.* r *Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum: & liuore eius ſanati ſumus.*] Iterum eandem repetit ſententiam miris modis amplificatam & exornatam. Pro *diſciplina*, Hebr. eſt מוסר *muſar*, quæ vox varios habet vſus; Et vt vox eſt Eccleſiaſtica ſignificat optimum viuendi inſtitutum, quod religioſè ac piè omnes actiones, & omnia vitæ conſilia moderatur. Denominatur autem à diſcendo, & reſpectum quemdam importat ad docentem. Sed quia diſcipulus, aut quia iners, & ignauus, aut quia rudis, & indocilis, in magiſtri doctrina progreſſus aliquando, immò ſæpius non facit, niſi verberibus incitatus, aut admonitus, fit vt iam *diſciplina* pro caſtigatione, aut flagellatione, immò pro ipſo materiali flagello, & ſcutica ſumatur, ſicut vox Hebraica למד *lamed*, quæ *doctrinam* ſonat, etiam ſignificat *ſtimulum*, quia hic boum doctrina eſt, & eorum qui tarditate, aut ſtupore bobus ſunt non diſſimiles. Ita Auguſtin. *lib.* 14. *de Trinitate cap.* 1. *In his quæ pro peccatis ſuis mala vnuſquiſque patitur, vt corrigatur, dici ſolet diſciplina. Vnde illud eſt in epiſtola ad Hebræos, Quis enim eſt filius, cui non det diſciplinam pater eius. Et illud euidentius in eadem. Omnis enim ad tempus diſciplina, non gaudij videtur eſſe ſed triſtitiæ: poſtea verò fructum pacificum iis, qui per eam certarunt, reddet iuſtitiæ.* Eadem ferme repetit *ſuper Pſalm.* 118. *concione* 17. Hiſpani ſanè eandem vocem ad verbera, & caſtigationem accommodant, quibus *diſciplina*, flagellum eſt, & *diſciplinare*, idem quod verberare.

31. *Pax quid.* ſ *Pax*, vt alibi à nobis dictum, eſt quicquid pulchrũ, & pretioſum, quicquid denique in quoquo genere optabile eſt. Iuxta hãc ſignificationem, & vſum ſenſus eſt elegans, & grauis. Super illum fuit diſciplina, & flagellum, quo nobis acquiſiuit ac peperit bona illa maxima, atque mirifica, quæ *pacis* nomine ſignificantur, puta cœleſtia dona, gloriæ ſplendorem, & amplitudinem; ea denique, quæ ſapientes, & diuino inſtituti magiſterio vera iudicant bona.

32. Quòd ſi *pax* ſit, quod vulgo communiter ſonat, id eſt fœdus quoddam, quod, ſiue à natura, ſiue à conſilio, inter homines initum eſt, quo inter ſe quietè & conſentientibus animis, atque ſtudiis viuunt, optimè Chriſtus dicitur in ſe recepiſſe diſciplinam pacis noſtræ. Quia cùm peccata nos odioſos & inimicos reddidiſſent Deo, cui minimè nobiſcum ſtudia, atque animi conuenirent, Chri-

ſtua

ſtus crucem ſubiens, & ibi, vt verbo vtar Eccleſiaſtico, pro nobis diſciplinatus, Patri nos ſuo reconciliauit, & in eius gratiam, & familiaritatem adduxit. In hunc ſenſum videtur accepiſſe Petrus *epiſtola 1. cap. 2.* vbi optimè nobis totum hunc Iſaiæ locum expoſuit; qui pro *diſciplina pacis noſtræ* paraphraſticôs poſuit, *qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum* (ecce diſciplinam:) *vt peccatis mortui iuſtitiæ viuamus* (ecce pacem:) deinde perſequitur teſtimonium, *cuius liuore ſanati ſumus.*

33. Hæc ego magis probo, quia patronos habent, ſed aliam explicationem addam, non tam ſenſu, quàm verborum figura diuerſam. Vox Hebraica, pro qua Vulgatus *pacis noſtræ*, eſt שלום *ſalom*; quæ non ſolùm pacem, ſed etiam retributionem valet. Et ita legimus *Pſalm. 54. verſ. 23. Extendit manum ſuam in retribuendo*, ſiue in retributionem. Et *Pſalmo 68. verſ. 28. Fiat menſa eorum coram ipſis in laqueum, & in retributionem.* vbi Hieronymus item *retributionem* vertit. Vtroque loco eſt שלום *ſalom*. Ex hac ſignificatione pulchrũ ſenſum, & ad inſtitutum valde idoneum inuenio. *Diſciplina retributionis noſtræ ſuper eum*, id eſt, ſupplicium, quod nos retribuere, ac rependere debuimus pro peccatis noſtris, ſuper eum impoſuit Deus. Id eſt, quidquid pœnarum Deus à nobis exigere debuit pro peccatis, id ab innocenti filio Pater exegit. Ad hanc lectionem alluſiſſe videtur Paulus *ad Coloſ. cap. 2. Donans vobis omnia delicta, delens quod aduerſum nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis; & ipſum tulit de medio affigens illud cruci.* Chirographum idem eſt quod debitum, ſeu retributio, id eſt, quod pro peccatis exoluere ius cogebat diuinum. Affigere autem illud cruci, nihil aliud eſt, quàm poſuiſſe ſuper ſe.

Ad Coloſ. 2.

34. ¹ *Et liuore eius ſanati ſumus.*] Vix à ſe ipſo videtur impetrare poſſe propheta magnus vt cogitationem auertat, ſpiritum temperet, aut linguam cohibeat à ſuauiſſimo hoc, & nunquam non renouando beneficio, quo Chriſtus languores noſtros in ſe recepit, vt à noſtris nos infirmitatibus liberaret. Liuidi nos eramus, & vlceribus fœdi ab his plagis, quos animo noſtro toties iteratum ſcelus infixerat. Sed dum ille liuidus eſt ab illis vulneribus, quæ propter aliena merita paſſus eſt, id eſt conſecutus, vt nos non ſanari non ſolùm à vulneribus, ſed etiam à vulnerum liuore ac cicatricibus mundi ſimus & puri. *Liuor* hic per metonymiam pro vulnere ponitur, quia à vulnere prouenit, & eius quoddam veſtigium eſt.

35. ᵘ *Omnes nos, quaſi oues errauimus, vnuſquiſque in viam ſuam declinauit, & poſuit Dominus ſuper eum iniquitatem omnium noſtrûm.*] Alia iam metaphora eandẽ ſententiam iterat, & exaggerat. Optimè peccatores, qui à lege & voluntate Dei defecerunt, errantium ouium, quæ paſtoris neque vocem audiunt, neque veſtigia ſequuntur, ſimilitudine notantur. Qui dum ſua ſe cupiditate aut libidine non tam moderantur, quàm ſeducunt, neceſſe eſt, vt & aliis damnoſi ſint, & ſibi ipſis perniciem accerſant. Quicquid ergo peccant deuiæ, atque ſtolidæ oues, dum ſua ſe voluntate agunt, non paſtoris imperio, id totum propheta Chriſto impoſitum eſſe affirmat. Hûc videtur reſpexiſſe Chriſtus, cùm errantem ouem humeris impoſuit, & in caulam reduxit *Lucæ cap. 15.* Vbi notandum pro ouium errantium iniquitatibus, quas dixit Iſaias hîc, à Chriſto dici impoſitam eſſe errantem ouem, quaſi illa tota fuerit ex iniquitate concreta. Et ſanè mundus

A eo erat ſtatu, quando Chriſtus aduenit, vt nihil videretur, aut olere, aut ſapere præter iniquitatem, in quo nimirum, nihil eſſet ſanum à planta pedis vſque ad verticem capitis.

Septuaginta aliter conuerterunt hunc locum ſignificanter ſatis & ad explicandam vim, & acerbitatem paſſionis Chriſti grauiter, & idonee. *Et Dominus tradidit eum iniquitatibus noſtris.* Durum eſt tradi hominem dilacerandum feris, cruciandum flammis, torquendum, & luxandum equuleo, & cruci diſtendendum. Sed eſt ſanè multò durius, peccatis tradi hominem diuini honoris inflammatum ſtudio; quem non tam cruciant flammæ, candentes laminæ, cataſta, crux, & ſi quod aliud excogitauit tormenti, atque ſupplicij genus, barbaro- B rum hominum ſolers crudelitas, quàm peccati fœditas, quod diuinam voluntatem, & maieſtatem violat, & offendit. Hæc Chriſto fuere flagella, hæc ſputa, hæ alapæ, hæc crux, cætera alioqui grauiſſima præ iſtis leuiſſimi doloris pondus habuere. 36.

Chriſto à noſtris peccatis grauis dolor.

37. ˣ *Oblatus eſt, quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum.*] Metaphoram plerique interpretum ab agno petitam eſſe exiſtimant, qui ad aram ducitur immolandus; Tum quia optimè hæc ſimilitudo declarat quid Chriſtus hominum generi præſtiterit, & eius mitiſſimum ingenium, & patientiam admirabilem; tum etiam quia hæc ſimilitudo alibi ſæpe, & hoc capite non ſemel ad explicandum redemptionis noſtræ beneficium adducitur. Quod ſanè neque mihi diſplicet, eo præſertim nomine, quòd C pluribus placet. Tunc verò notandum maximè illud *voluit*, quod in victimis obſeruabant maximè antiqui. Si qua enim victima aliquo modo ſignificaret inuitam ſe ad aram, & cultrũ trahi, vt ſi ab ara profugiſſet, aut nimis eſſet reluctata, aut percuſſa ederet mugitus, triſte exiſtimabatur portentum, neque admouebatur aris; quia putabatur eiuſmodi victima ingrata eſſe Deo. Ita Macrobius *lib. 3. Saturn. cap. 5. Obſeruatum eſt à ſacrificantibus, vt ſi hoſtia quæ ad aras duceretur fuiſſet vehementiùs reluctata, oſtendiſſetque ſe inuitam altaribus admoueri, amoueretur: quia inuito Deo offerri eam putabant. Quæ verò ſtetiſſet oblata, hanc volenti numini dari exiſtimabant.* Plinius item *lib. 8. cap. 45. Hoc quoque notandum, vitulos ad aras humeris hominum allatos non fe-* D *re litare; ſicut nec claudicante, nec aliena hoſtia deos placari, nec trahente ſe ab aris.* Idem Plutarchus *lib. 8. Sympoſ. cap. 8.* obſeruatum fuiſſe dicit ab antiquis, ne victimam vllam cædant, niſi priùs indicet ſe ad aram admoueri non inuitam. De mugitu aut clamore victimarum ſunt etiam non obſcura teſtimonia, maximè apud poëtas, tu pauca hæc accipe, plura inuenies apud Briſſonium *lib. 1. formularum*, & apud Tiraquel. *in lib. 3. cap. 16. Alexandri ab Alexandro.* Ouid. *lib. 7. Metamorph.*

Victima nõ inuita.

——Mugitus victima diros
Edidit.

Silius Italicus *lib. 5.*

Nec rauco taurus ceſſauit flebile ad aras
E *Immugire ſono: preſſámque ad colla bipennem*
Incerta ceruice ferens altaria liquit.

38. Hæc itaque bellè conueniunt in Chriſtum, ſi hoc loco agnum, ſeu victimam appelles, quia non inuitus ad aram ductus eſt; ſed quia ipſe voluit, & ſe ipſum vltrò obtulit ſacrificantium cultris. Neque aperuit os ſuum agnus iſte mitiſſimus, in tanto miniſtrorum fremitu, aut cùm gladium paratum vidit, aut cùm illum iugulo recepit. Hæc, vt dixi, probabilia; Sed addam expoſitionem aliam neque

Chriſtus victima.

neque minùs ſignificantem, vt conſtabit; neque minùs ad textum, vt ipſe reor, & tute, vt ſpero, iudicabis.

39. Puto ergo ſermonem eſſe de Chriſto non ſub agni metaphora ſubiectu cultris, aut ad aram oblato; ſed de Chriſto, quaſi de fideiuſſore, qui ſeuerè iubetur pro debitore ſoluere, eóque nomine iudicio ſiſtitur. Id omnino conuincit verbũ נגש *nigas*, pro quo vulgatus reddidit *oblatus eſt*, quod ſignificat *exigere, & repetere, idque cum afflictione & moleſtia*; quia verbum illud etiam valet *affligere*. Et ſanè non aliter à fideiuſſore Chriſto, aut creditor Pater, aut eius exactores, & miniſtri debitum exegerunt. Hanc ſententiam indicant Septuaginta, qui ſic conuertunt hunc locum. *Et ipſe propter afflictionem non aperuit os ſuum.* Paulò aliter Paguinus. *Oppreſſus eſt, & afflictus eſt, & non aperuit os ſuum.* Tigurina. *Mulctatus eſt, & afflictus, nec tamen aperuit os ſuum.* Neque aliquid contra hanc explicationem obtendi poteſt à tranſlatione Vulgati; nam illud *oblatus* non minùs debitori conuenit, cùm ante iudicem, quàm agno, cùm ante aram ſiſtitur. Quo verbo vſus eſt Chriſtus *Matthæi cap.* 18. cùm ageret de Rege qui voluit rationem ponere cum ſeruis ſuis, id eſt, ab illis ſeueram exigere rationem debitorum. Cùm enim quidam ad illud iudicium adduceretur, actio illa, qua debitor ſubire cogitur creditoris, & iudicis aſpectum, hoc eodem ſignificatur verbo. *Et oblatus eſt ei vnus qui debebat ei decem millia talenta.* Quàm verò ſeuerè ſtatutum fuerit de eo, qui *oblatus* dicitur, declarat quod ſtatim ſubiicitur. *Cùm autem non haberet, vnde redderet, iuſſit eum Dominus venundari, & vxorem eius, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi.* Vide quomodo vox eadem *oblatus* ſeueram hanc, & iudicialem actionem ſignificat. Hæc explicatio probatur Cyrillo, neque diſplicet Procopio dum dicit, oblatum eſſe iudici Pilato.

Matth. 18.

40. *Quia ipſe voluit.*] Quodcumque illud ſit ad quod oblatus eſſe dicitur Chriſtus, id lubens ſuſcepit: ſiue vt tanquam agnus immolaretur, ſiue vt fideiuſſor aliorum exolueret debita. Quod quia maximè compertum eſſe oportuit, vt omnes quid Chriſti amori debeamus, intelligeremus, ideo à ſacris ſcriptoribus, dum de Chriſti cruce, & morte agunt, de amore quoque ipſius ibidem loquuntur. Paulus *ad Galat.* 2. *Dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me. Ad Epheſ.* 5. *Sicut Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſemetipſum tradidit pro ea. Apoc.* 1. *Dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo.* Pro *voluit* Hebr. eſt נענה *nahhaneh*, quod inter alia ſignificat *exaudire*: ad quam ſignificationem reſpexit Hieronymus cum reddidit *voluit*. *Exaudire* autem, & quod idem eſt, *obedire*, idem eſt quod *velle*, quia vera obedientia non tantùm exequitur, ſed etiam amat imperata. Cuius ſignum optimum eſt, ſi os non aperitur, id eſt, ſi is, qui ab alio mandatum accipit, non obganniat, aut contrà aliud, atque aliud cauſetur, aut imperium detrectet, quod quaſi onus deputat. Cùm ergo Chriſtus fidelis pro peccatore fideiuſſor, ad ſoluendum adigeretur, & creditoris miniſtri, Pontifices, Pilatus, & furioſa, ac væſana Iudæorum turba vrgerent, non ſolùm inſtanter, & amarè, ſed etiam contumelioſè, & crudeliter, ipſe tamen, qui debitum non abiuraſſet, & illud ſibi omnino exſoluendum ſtatuiſſet, neque contra creditorem vocantem, neque contra miniſtros exigentes verbum locutus eſt. Porrò quòd oblatus ſit Chriſtus, quocumque capias modo, quia ipſe voluit, idem docet Chriſtus *Ioannis ca.* 10. *Ego pono animam meam, & iterum ſumam eam; nemo tollit eam à me, ſed ego pono eam à me ipſo, & poteſtatem habeo ponendi eam*, &c.

Chriſtus voluit, & amauit paſſionem.

Vera obedientia amat imperata.

41. *Sicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum.*] Superiori clauſula, vt vidimus, non tam Chriſtus adductus videbatur ad aram tanquam agnus, quàm ad creditorem tanquam fideiuſſor, vt pro debitore ſolueret. Nunc oſtendit qualiter debitum illud tam grande reddiderit, quàm non grauatè, quàm larga & liberali manu. Et perſtat in eadem metaphora propheta; qui cùm deuias oues priùs eſſe dixiſſet, hoc eſt, totum hominum genus eſſe contaminatum, ac perditum; ipſum tamen Chriſtum agnum, immaculatum, electum dicit, qui vt legitima hoſtia, atque altari idonea immolaretur; quia præter illum nemo legitimè poterat, quia nemo ſine macula, quam ab agno lex omnino remouet. Eſt autem oblatus non inuitus, ſicut aliæ victimæ, quæ vinctæ funibus, & diu interdum eluctatæ ad aram trahuntur, & cultrum excipiunt repugnantes; ſed vltrò, quia ipſe voluit. Et ſi vis aut conatus defuiſſet externus, ipſe propter naturæ benignitatem, & ſalutis noſtræ deſiderium ſponte ad aras ſe ſiſteret, & vltro iugulum ſupponeret. Et cùm durum eſſet ſacrificij genus, & inaudita obitæ mortis acerbitas, non modo balatum non edidit ſui doloris indicem, ſed neque os aperuit, quod in dolore non admodum graui ratum, & ſingularis tolerantiæ argumentum eſt.

42. Eſt autem optimum ſymbolum eius, qui in dolore & iniuriis animum habet infractum, & longè ſuperiorem aduerſis, quem nobis proponit Iſaias in agno, quem dum crudelis tonſor non ſolùm nudat naturali velleris tegumento, ſed interdum etiã deglubit, & lacerat, ſilet tamen, neque ſibi aliquam iniuriam inferri, aut queritur, aut dolet. Tu hic expende, ac meditare quàm manſuetus ille agnus, qui abſtulit peccata mundi, crudeliter detonſus ſit, & ſpoliatus non tantùm artificiali corporis veſtitu, ſed etiam naturali pellis integumento. In quo apparent crudeliſſimæ illius tonſionis veſtigia; & mirare ſilentium illud admirabile quo pertulit ſpoliationis tam inſignem iniuriam, & doloris tam duram carnificinam.

43. *De anguſtia & de iudicio ſublatus eſt.*] Hunc locum latè expoſuimus *Actor. cap.* 8. quem Dominus diuinitus obtulit Eunucho Reginæ Candacis, à quo primùm illuſtratus, deinde à Philippo Diacono pleniùs inſtructus, ad ſalutare tandem lauacrum adductus eſt. Sed quia nihil hîc occurrit nouum, quod adiiciam, repetam eadem ferme, quæ ibi à me in idem teſtimonium allata ſunt.

Septuaginta paulò aliter legunt *In humilitate iudicium eius ſublatum eſt.* Senſus tamen videtur idem, qualis tamen ſit non eſt promptum expedire. Hieronymus hîc duas affert explicationes. Altera eſt, quòd de tribulatione, atque iudicio, ad Patrem victor aſcendit: quam probat Beda, Lyra, interlinearis, Salmeron, Gregorius. Altera eſt, quòd iudex omnium iudicij non reperit veritatem, ſed abſque culpa per ſeditionem Iudæorum, & Pilati vocem damnatus ſit. Et hæc eſt ſententia cõmunior, quæ non de Chriſti victoria loquitur, ſed de morte. Non longè ab hac expoſitione abit Foreirus, qui dicit Chriſtum ſublatum eſſe ab anguſtia, id eſt, à turba, quæ multitudine, ſtudio, atque feſtinatione ſe comprimebat, & à iudicio, id eſt, ab iis,

qui in illum ſententiam capitis tulerunt, nempe à A
Pontificum conſilio, & à Pilato.

44. Senſus idem eſt ſecundùm lectionem Septua-
ginta, ſignificatur enim Chriſti mors, ſed indicatur
iniquitas iudicij. Cùm enim ſicut agnus coram
tondente non aperiret os ſuum, neque difficilem
ſe, aut minùs obſequentem præberet impiorum
ſtudiis, ex illa tanta humilitate, atque ſilentio ani-
mos ſumpſerunt, vt & manus iniicerent non re-
pugnanti, & iudicium omne peruerterent, vt ini-
quus iudex pupillorum & viduarum iudicia pro-
dit, quia non repugnant. Sic Chriſti cauſa iniquiſſi-
mè prodita eſt, quia cum pateretur non commina-
batur. Tunc verò *in humilitate* idem eſt quod *pro-
pter humilitatem*. Id enim non rarò præpoſitio *in* B
ſignificat. *Thren. 3. Diuiſiones aquarum deduxit
oculus meus in contritione filiæ populi mei. Actor. cap. 7.
Fugit autem Moyſes in verbo iſto.* Et Paulus ſæpe.
Ego vinctus in Domino, id eſt, propter Dominum.
Sublatum eſt ergo iudicium ipſius, id eſt, contra
ius & fas damnatus eſt Chriſtus, & inimicorum
poteſtati traditus, id verò magis admirabile oſten-
dit Chriſti ſilentium, quia cùm tot vrgerent cauſæ,
illæque grauiſſimæ ad illud rumpendum, in tanta
accuſantium improbitate, atque calumnia non ma-
gis locutus eſt, quàm agnus coram tonſore ligatus,
& mutus.

45. Porrò vbi Septuaginta habent *in humilitate iu-
dicium*, Vulgatus habet, *de angustia & de iudicio*.
Huius diuerſitatis reddenda eſt nobis ratio. Hebr. C
eſt עצר *bhotſer*, quæ vox anguſtiam, clauſuram,
ſiue oppreſſionem ſignificat. Hieronymus *angu-
ſtiam* reddit optimè, neque malè Septuaginta *humi-
litatem*, quia hæc vox apud Hebræos latè patet, &
ſumitur pro qualibet oppreſſione, iniuria, ignomi-
nia. Vnde potentes humiliati dicuntur atonis, &
virgo vim paſſa, quia dedecus & ignominiam ſub-
iit. Cur autem Hieronymus, *de iudicio*, Septuaginta
verò *iudicium* legerint, ea videtur eſſe ratio, quia
ille ממשפט *mimiſpat*, legit, vt nunc in textu He-
braico; hi verò משפט *miſpat*, ſine præpoſitione.
Fieri autem aliquando ſolet, quando duæ literæ
eiuſdem, aut ſimilis figuræ concurrunt, vt altera à
feſtinante, & parum attento ſcriptore prætereatur. D
Exempla habes plurima, nunc pauca accipe. *Ad He-
bræos* 12. communiter legitur, *Propoſito ſibi gaudio*;
cùm tamen, vt ex Græcis codicibus conſtat, legen-
dum ſit, *Pro propoſito ſibi gaudio*. Et *cap. 5. ad Hebræos.
De quo nobis grandis ſermo, & interpretabilis*, pro
ininterpretabilis. *Ad Epheſ. 3. Euangelizare inueſtiga-
biles diuitias Chriſti*, pro *ininueſtigabiles*. Vt ergo
his locis præpoſitiones *in*, & *pro*, omiſſæ ſunt pro-
pter occurſum ſimilium literarum, ſic etiam præ-
poſitio מ *mi*. propter alterum מ *mi*, quod proximè
ſuccedit in משפט *miſpat*, omiſſum eſt.

Regula. Quādo duæ literæ eiuſdem aut ſimilis figuræ concurrunt, altera nonnunquam omittitur.

Ad Heb. 12.

Ad Hebr. 5.

Ad Epheſ. 3.

46. Hæc quæ hactenus; neque improbabiliter, ne-
que ſine auctoribus dicta ſunt, & eo nomine ma-
gis accepta legentibus. Addam ego tamen aliquid
nouum, & ideò timidè, quod non tam lectori per- E
ſuadeo, quàm examinandum propono. Occurrebat
mihi hoc loco *ſublatum ab angustia, & iudicio*, ſiue
in humilitate iudicium ſublatum, ſignificare occiſum
eſſe Chriſtum, non tamen vtcumque damnatum,
& extinctum, ſed ſpeciali quodam ſupplicij gene-
re, nempe actum in crucem: id verò probari poſſe
exiſtimabam, in primis, quia vox *ſublatus*, & quæ
ei reſpondent tam in Græco, quàm in Hebraico
textu, illam ſignificationem non reſpuunt. Hebr.
לקח *lukach*, quod *aſſumptum* valet, ſæpe ſignificat
ex loco humili ad excelſum, aut ex ſordido ad
ſplendidum attolli, vt *aſſumi de terra*, *aſſumi ad re-
gnum* & in altum eleuari, vt oſtendunt illa verba
Eliæ ad Eliſæum 4. *Regum cap. 2. Si videris me quan-
do tollar à te*, nimirum in altum. Vbi pro *tollar* ver-
bum eſt לקח *lakach*, & hoc ipſum ſignificat ver-
bum *aſſumo*. *Actor.* 1. cùm de Chriſti agitur aſcenſu,
aſſumptus dicitur in cœlum, item Beata virgo. De
Græca voce ἤρθη, qua vſi ſunt L x x. nihil eſt quod
probemus, Latina verò *ſublatus*, id propriè ſolùm
aut præcipuè ſignificat.

Deinde quia, ſi quod anteceſſit in hoc capite, 47.
cum conſequentibus componas, nihil videtur dici
poſſe commodius, quia quæ præcedunt in textu
non obſcurè indicant, quæ in Chriſti paſſione cru-
cem anteceſſere; quæ verò ſuccedunt, ſignificant
quàm cumulatus fructus Chriſti mortem conſecu-
turus ſit, nempe numeroſa filiorum ſoboles. Quod
Chriſtus ipſe meo iudicio confirmauit *Ioan. cap. 21.* Ioann. 21.
ad hunc reſpectans locum. *Ego ſi exaltatus fuero à
terra, omnia traham ad me ipſum. Hoc autem dicebat*,
inquit Euangeliſta, *ſignificans, qua morte eſſet moritu-
rus*.

Neque hanc explicationem reſpuit tranſlatio 48.
L x x. *iudicium eius ſublatum eſt*: Eſt enim maximè
vſitatum in Scriptura vt abſtractum ponatur pro
concreto, qua ratione Chriſtus dicitur *deſiderium
collium æternorum*, *Geneſ.* 49. & alibi *iuſtificatio, re-
demptio, reconciliatio*; pro deſiderato, iuſtificatore, re-
demptore, reconciliatore, &c. Sic etiam *iudicium*
pro iudicato ſumi poteſt; ſicut *cauſa damnata* di-
cuntur, pro his, qui in eiuſmodi cauſis damnari
ſunt. Iudicium ergo Chriſti ſublatum eſt, nempe in
crucem, quia Chriſtus iudicatus eſt dignus, qui cru-
cis ignominiam ſubiret.

b * *Generationem eius quis enarrabit?*] Multi de 49.
generatione humana locum hunc accipiunt. Ter-
tullianus aduerſus Iudæos *cap.* 13. Iuſtinus Martyr
q. 67. ad Orthodoxos. Chryſoſtomus *hom. de Ioanne
Baptiſta*, neque diſplicet Hieronymo Alij plures
de diuina, Clemens Papa *in epiſtola* 1. Cyrillus *lib. 2.
de Trinitate*, Baſilius *lib. 1. contra Eunomium*, Iuſti-
nus *in dialogo cum Tryphone*, Chryſoſtomus *homilia
1. de incomprehenſibili natura Dei*, Auguſtinus *tra-
ctatu 31 in Ioannem. & lib. 1. de ſymbolo ad catechu-
menos cap. 3.* Hieronymus, Ambroſius *lib. 1. de fide
cap. 6.* Sunt qui putant vtrique generationi conue-
nire poſſe præſentem locum, quia nomen *genera-
tionis* vtrique eſt commune, & vtraque generatio
planè admirabilis. Ita Procopius *in hunc locum*, &
Cyrillus *in Ioannem cap.* 12. in illud *Chriſtus cùm
venerit*. Idem Gagneius *in cap. 8. Actor.* & Gabriel
Vazquez 1. *tomo in 1. p. S. Thomæ diſput.* 18. *cap. 6.*
Quare ignominioſæ morti quam intuebatur pro-
pheta optimè ſubiicitur. Nam ille cùm mentem à
ſupplicio, quod per ſummum dolorem, atque ludi-
brium, ad genus illuſtriſſimum, quo Deus à Patre
genitus, & homo ſine virili congreſſu à Spiritu
ſancto conceptus eſt, conuerteret, quaſi ecſtaſim
paſſus, neque verba plura contexere valens admi-
rabundus dixit, *Generationem eius quis enarrabit?*
Quòd ſi de alterutra, aut de vtraque generatione
accipias, credo verba illa includenda parentheſi
prophetarum more, qui interdum ex vnius rei
magnitudine, abſurditate, aut paradoxo, ad alte-
rius admirationem, & compellationem rapiun-
tur: deinde ſeſe ad interrupta referunt. Sic Iſaias
ex ea ſiue ecſtaſi, ſiue parentheſi ad ſe, atque in-
terciſam narrationem rediens, perſequitur mor-
tis

tis Chriſti acerbitatem, & cauſam.

50. Hæc mihi probabiliſſima ſunt, eò vel maximè, quòd in ea incumbit plurimorum, atque grauiſſimorum Patrum conſenſus. Aliæ ſunt explicationes, quas quia parum aliis probari video, connumerare ac refellere ſuperſedeo. Addam tamen aliam, quæ mihi, & veritati, & textui maximè conſentanea viſa eſt, ita vt generatio, ſit numeroſa fidelium ſoboles, quam Chriſto, atque Eccleſiæ, atque adeò cœlo peperit iam acerba mors. Ita ſentit Lyra, Carthuſianus, & Salmeron *in cap. 8. Actuum*. Adamus verò, & Hugo Cardin. ita ſententias alias admittunt, vt iſtam non excludant. Huic explicationi fauent maximè verba, quæ à propheta ſubiiciuntur. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum*. & alia in eandem ſententiam. Neque facile eſt ſtatuere, quid ſibi velit aliud, quod proximè ſequitur, *Quia abſciſſus eſt de terra viuentium*, ſiue vt *Act. cap.* 8. Lucas. *Quoniam tolletur de terra vita eius*. Reddit enim propheta cauſam numeroſæ prolis, quia nimirum moriturus eſſet: & eadem ſæpe repetit Scriptura. Paulus *ad Philippenſes 2. Factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum*. Et Chriſtus ipſe *Ioannis 12. Et ego ſi exaltatus fuero à terra omnia traham ad me ipſum*. Et ibidem paulò antea cùm dixiſſet. *Venit hora vt clarificetur filius hominis*, id eſt, vt moriatur; addidit *Amen amen dico vobis, niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet, ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert*. Et huic explicationi fauet illorum ſententia, qui ideo ſublatum è iudicio, atque anguſtia Chriſtum eſſe dicunt, quia propter anguſtiam, & iudicium iniquum eleuatus fuit ad glorioſum nomen, id eſt, ad gloriam maximam: ad quam maximè refert plurimos ſpirituales filios genuiſſe.

Ioan. 12.

51. Neque ab hoc ſenſu abeſt vſus, aut notio nominis: *Generatio* enim pro gente ſumitur, familia, aut populo ex eadem ſtirpe propagato. Vnde ſæpe audimus in Scriptura. *Hæ ſunt generationes Adam, Noe*, &c. & *vſque ad tertiam, & quartam generationem*, & ſimilia. Et in Euangelio ſæpe audiunt de ſuo populo, & genere Iudæi, *Generatio mala, adultera, & incredula*. Quòd verò *generatio* pro filiis vſurpetur docuit apertè Moyſes *Deut. 32. verſ. 20.* vbi quod in *filiis*, & *filiabus*, id quoque per epexegeſim exprimit nomine *generationis*. *Prouocauerunt eum filij ſui, & filiæ; & ait, Abſcondam faciem meam ab eis, & conſiderabo nouiſſima eorum. Generatio enim peruerſa eſt, & infideles filij*. Huc facit quod ſuprà notauimus *cap. 3. num. 15.* actionem ſumi in Scriptura ſæpe pro termino, ſeu obiecto actionis, qua ratione *laus* pro re laudabili, & *viſio* pro ſpectro. Sic etiam *generatio* pro filiis generatis; ſicut etiam *plantatio* pro plantis; vt in Scriptura ſæpe, neque raro apud hunc prophetam *cap. 17. num. 10. Plantabis plantationem fidelem, & germen alienum ſeminabis*: Neque ſanè דור *dor*, Hebraica vox, tam natiuitatem ſignificat alicuius, qualis Chriſti hoc loco ab aliquibus eſſe dicitur, qua ab æterno Patre, & in tempore à matre genitus eſt, quàm durationem aliquam, ſeu ætatem in qua quis viuit. Hanc verò in prole ſua longam producit pater, qui in prole viuit, iuxta illud *Eccleſiaſt. 3. verſ. 4. Mortuus eſt pater eius, & quaſi non eſt mortuus; ſimilem enim reliquit poſt ſe*. Quòd ſi in hunc ſenſum *generationis* nomen accipias, ſententia difficilis non eſt. Qui vitam egit breuem, quia in anguſtia, & in ipſo ætatis flore ſublatus eſt, ille quàm diutiſſimè

Deut. 32.

Regula. Actio pro termino, ſeu obiecto.

viuet in ea ſobole, quam moriens numeroſam, & ingenuam ſuſcipiet, & ideo commodè ſubiungitur.

52. [cc] *Quia abſciſſus eſt de terra viuentium*.] Homo ſæpe cum arbore confertur, vt diximus *cap. 40. num. 74.* quæ tunc mori exiſtimatur, quando à terra euellitur, vnde trahebat ſuccum, & alimentum: & tunc omnino moritur, quia prorſus à vita deſeritur, neque quicquam ex illa generatur amplius. Quod credo vocatur lignum aridum, cui comparatur eunuchus infrà *cap. 56.* quia ſterilis eſt, & ad prolem inutilis. De qua arbore eſt illud Iob *cap. 19. verſ. 10. Deſtruxit me vndique, & pereo, & quaſi euulſæ arbori abſtulit ſpem meam*. Mori etiam creditur, quãdo ita abſcinditur, vt, decuſſo cum ramis frondibúſque trunco, marceſcat & pereat tota ſpecies, quæ in illis viſebatur; ſtirps tamen maneat in terræ ſinu, ex qua deinde pullulat nouellarum plantarum numeroſa ſylua. Atque ita fit, vt ex vna ſtirpe, quæ mortua videri poterat, quia ſub terra latens, plurimæ ſuccreſcant arbores. Ad hanc igitur naturam, non auulſæ, ſed abſciſſæ arboris reſpiciens Iſaias ait. *Quia abſciſſus eſt de terra viuentium*, id eſt, quia Chriſtus vitam illam viuere deſiit, qualem homines in terra degunt, qui corpore atque ſpiritu conſtant, ideo generationem, & ſobolem germinabit, ita copioſam, vt nemo enarrare illam, ſeu numerare poſſit. Subauditur autem hîc Hebræorum more nota ſimilitudinis in hunc ſenſum. Sicut abſciſſa arbor plurimas ex ſe parturit, & fundit nouellas plantas, & vario germine circumfunditur, ſic Chriſtus abſciſſus de terra viuentium filios innumeros, & quaſi nouella germina producet. Eadem autem certè non admodum diſſimili metaphora vſus eſt Chriſtus *Ioan. cap. 12.* cùm de ſe dixit, *Niſi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit, ipſum ſolum manet: ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert*. Chriſtus itaque aut tanquam ſtirps abſciſſa plantas multas extulit, aut tanquam mortuum, atque ſepultum frumenti granum horreum impleuit, tam militantis, quam triumphantis Eccleſiæ.

[dd] *Propter ſcelus populi mei percuſſi eum*.] Cùm ſuperiora verba, & quæ proximè ſequuntur, ad prophetam pertineant: hæc ad Patrem videntur eſſe referenda, à quo Chriſtus percuſſus fuiſſe dicitur quia vt à Iudæis percuteretur, permiſit. Quòd ſi ad Iſaiam referas, quod non videtur admodum improbabile, quia quæ circunſtant omnia, ad illum ſine dubio pertinent, illud *percuſſi* non importat Chriſto vim eſſe allatam ab Iſaia, ſed ab Iſaia declaratum ab aliis illatam eſſe vim. Eſt enim vſitatum valde in Scriptura, vt illa quis feciſſe dicatur, qui facta narrat aut futura denunciat; vt pluribus oſtendimus *cap. 6. num. 36. & cap. 43. num. 55.* Et iuxta hæc ſenſus erit. Ego Iſaias prædico, atque denuncio propter ſcelus populi mei percuſſum iri Chriſtum. Sed communiter auctores Patri aſcribunt, quorum ego ſententiæ libens, atque omnino ſubſcribo; licèt Septoaginta ita conuertant, vt hîc Pater non videatur fuiſſe locutus; ſic enim illi, *Ab iniquitatibus populi mei ductus eſt ad mortem*. à quibus parum diſcrepat tranſlatio Symmachi apud Procopium, Pagnini, Vatabli, atque Foreiri. 53.

54. [ee] Hîc obſeruo pro *eum*, Hebr. eſſe למו *lamo*, in plurali numero, ita vt ſi interpretari velis, vt communiter fit ab Hebræis, videatur dicendum eſſe *percuſſi eos* ſeu *plaga eis*. Et ita vertunt Symmachus, Theodotion, & Foreirus. Propter quod Hebræi locum hunc illuſtriſſimum, non de Meſſia, ſed

de populo Hebræorum interpretātur. Sed non poſſunt negare Rabbini לָמוֹ *lamò*, interdū ſignificare ſingulariter. Foreirus adducit quædā exempla, quæ non valde ſunt ad inſtitutum, quæ etiam adducit Salmeron *tom. 10. tract. 9. ſuper hæc verba.* Sed eſt exemplum optimum *cap. 44 verſ* 15. vbi cùm ſermo eſſet de idolo in ſingulari, quod è ligno operatus eſt artifex, ſubdit propheta: *Et curuatus eſt ante illud*, Hebr. לָמוֹ *lamò.* Autores quidam de re Grammatica dicunt aliquando ſignificare ſingulariter; in quibus ſunt Blancuchius *pagina* 168. & Rabbi Dauid citatus à Salmerone *ſuprà*, apud quem ego non inuenio; Happellius, Quinquarboreus & alij.

לָמוֹ ſingulare aliquando.

55. ff *Et dabit impios pro ſepultura, & diuitem pro morte ſua.*] Si in eo quod proximè anteceſſit, legas *percuſſit eos*, ſeu *plaga eis*, nempe Iudæis, non eſſet expoſitio difficilis: quia apertè conſtaret ſumptum à Deo fuiſſe ſupplicium, de illis, à quibus Christus damnatus fuit, & in crucem actus. Nihilominus ita ſentiunt ex autoribus multi, in quibus eſt Hieronymus, qui duas affert expoſitiones, Cyrillus, Procopius, S. Thomas, Chryſoſtomus *homilia* 52. *in cap.* 8. *Ioannis.* Tertullianus *lib.* 3. *contra Marcionem.* Euſebius *lib.* 3. *de demonſtrat. cap.* 2. Auguſtinus *lib.* 50. *homil. hom.* 36. & quidam alij ex recentioribus. Et re vera ita factum eſt: nam impij illi quique potentes viri ſunt in Christum, quia illum morti tradiderunt, traditi & ipſi ſunt vltricibus Romanorum manibus, & ab ipſis durè atque ignominiosè mulctati.

56. Vatablus aliam excogitauit expoſitionem, quam probat Foreirus, quam hîc etiam apponere libuit. Morietur, inquit, in monte Caluariæ, vbi de impiis tantùm ſupplicium ſumitur, ac mortuus deferetur à diuite Ioſepho in ſepulcrum; in quod reconderur, *Matth.* 27. Et quoad poſteriorem partem de Ioſepho, & ſepultura dicit idem Auguſtinus *lib.* 50. *homil. hom.* 36. *tom.* 10. Sed ſanè ſententia hæc ſingularis eſt, neque, ſi locum expendas, admodum probabilis, vt exponit Vatablus. Minùs diceret improbabiliter impios pro morte, & diuites, ſeu potentes pro ſepultura datos, quia impij mortem Christo moliti ſunt, diuites verò ſepulcrum adornarunt. Sed hæc minùs cum textu faciunt, quia impij cum ſepultura, diuites cum morte coniunguntur; cùm iuxta expoſitionem illam impij cum morte, diuites cum ſepultura coniungi debuiſſent.

57. Alij hæc ad vim, efficacitatémque paſſionis Christi referunt: quia ita fuit potens, ac fœcunda, vt impios moribus, & autoritate, atque opibus potentes ſtrauerit, Patríſque voluntati obſequentes reddiderit. Quare illud *dabit*, ad Christum accommodant, ita vt ipſe homines à carnis blandimentis, à mundi honoribus inani fuco ſplendentibus auocatos, Patri ſuo adoptauerit. Ita putat Hieronymus in priori expoſitione, Haymo, Dionyſius, Adamus. Quod mihi etiam probatus valde, quia bene cum conſequentibus hæret, vbi de filiorum propagatione ſermo eſt.

58. Sed mihi videtur magis expedita ſententia, ſeu potiùs ſententiæ eiuſdem explicatio (nam quocumque accipias modo idem eſt ſenſus) ſi *dabit*, ad Patrem referas, non ad Christum, qui Filio ſuo propter mortem ex obedientia ſuſceptam numeroſam dedit filiorum ſobolem: & in his eos, qui cùm vitiis eſſent diſſoluti, aut potentia, atque diuitiis ſuperbi, minùs apti videbantur ad Euangelij

A iugum, fracti tamen ſunt, & ad Eccleſiam, quam ſuo ſanguine Christus fundauit, aggregati. Sed quia illa ſuperior expoſitio de impiis atque diuitibus, qui Christum damnarunt, affecerúntque morte, communior eſt, nec minùs expedita, præſertim ſi vlla ſit habenda ratio textus Hebraici, illam ego probabilem admodum cenſeo. Atque ideo tam ad illam, quàm ad eam expoſitionem, quæ extremo loco à me producta eſt, reliqua attemperabo. Sed obſeruo priùs eoſdem eſſe, qui hoc loco *diuites* vocantur & *impij*, quia, qui mortem Christo machinati ſunt calumnioſè, atque inuidè, aut eam pro ea poteſtate, quam habebant in re publica decreuerūt, impij fuere, & diuites, ſicut etiam *mors*,
B *& ſepultura* diuerſa non ſunt. Quæ duo ſæpe in Scriptura aut per ſynonymiam, aut per epexegeſim coniunguntur. Neque referre aliquid puto, quod Vulgatus *diuitem* poſuerit in ſingulari, non *diuites*, quia ſæpe numerus ſingularis pro plurali ponitur in Scriptura, vt docet Auguſtin. *lib.* 5. *de Geneſi ad literam*, *cap.* 10. Et in plurali legunt Septuaginta, & communiter antiqui Patres, Chryſoſtomus *oratione* 3. *contra Iudæos tom.* 5. Tertullian. *aduerſus Marcionem lib.* 3. Auguſtinus *de conſenſu lib.* 1. *cap.* 31. Cyrillus, & Procopius, & alij plures.

gg *Eò quòd iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore eius.*] Rationem reddit cur impij illi, 59.
C ac diuites tradendi ſint Romanorum armis, quia nimirum ipſi innocentem Christum morti tradiderunt. Et iuxta poſteriorem explicationem, quia dignus fuit Christus innocenter paſſus, cui Deus potentes, & principes adoptaret.

hh *Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate.*] Hic locus mihi maximè perſuadet, illud *dabit impios*, aſcribendum eſſe non tam Christo, quàm Patri, qui eo honore, & ſanguinis pretioſi vbere prouentu compenſare voluit infirmitatem, quam pro hominum ſalute, diuináque gloria Christus aſſumpſit: & mortem, quam in infirmitate illa tam acerbam ſubiit. Poſt coniunctionem *&*, repete illud *eo quòd*, ex proxima clauſula, & lege, *Et eo quòd voluit conterere*, &c. Hæc priori explicationi minùs aptè conueniunt de Iudæorum ſupplicio; ni-
D ſi fortè iuxta verſionem Septuaginta, qui ita legunt, *Et Dominus vult mundare eum à plaga.* Et quidem verbum דכא *dacà*, quod per *conterere* reddidit Vulgatus, etiam ſignificat *mundare*, & ita reddidit Hieronymus *Ierem. cap.* 44. *Non ſunt mundati vſque ad diem hanc.* Et iuxta hanc Septuaginta tranſlationem Cyrillus, & Procopius dicunt Patrem, vt filij cauſam apud omnes tueretur, iuſtúmque eſſe demonſtraret, animaduertiſſe ſeuerè in eos, qui contra Filium conſilium mortis inierunt: in diuites nempe, atque impios, de quibus nuper. Alij mundatum eſſe dicunt Christum à plaga, quia excitatus eſt à mortuis, vbi ſqualorem depoſuit, quem ex plaga contraxerat; Ita Euſebius
E *lib.* 3. *de demonſtrat. cap.* 2. & Theophylactus in illud *Ioan.* 3. *Quod ſignum facis.* 60

ii *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum.*] Pergit oſtendere quantus fructus exceperit Christi mortem, quanta extiterit in illa compenſanda Patris liberalitas. *Ponere pro peccato animam ſuam* dupliciter expono, ſenſu tamen non diuerſo. Primò vt ſonant verba, id eſt, vitam impendere purgandis hominibus à peccatis. Secundò iuxta proprietatem verbi שׂם *ſam*, quod ſignificat aliquem facere, ſeu conſtituere id quod verbo ſubiicitur, vt *Poſuit me ſagittam propitiationem*, &c. 61.

Peccatum pro victima expiatoria peccata.

Senſos

Senſus eſt, Si poſuerit aut conſtituerit ſe victimam expiatoriam pro peccatis, aut quod idem eſt, ſi conſtituerit ſe peccatum. Quo ſenſu dixit Apoſtolus 2. *Corinth.* 5. *Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Eſt enim *peccatum* etiam hoſtia pro peccato, ſicut apud Latinos *piaculum*; vt ex aliis Scripturæ locis ſatis conſtat. Et facit ad poſteriorem hanc cogitationem, quod in textu Hebraico, non eſt *pro peccato*, ſed *peccatum*. Porrò *animam alicuius* poni pro *aliquo* ſatis eſt notum, & nos probauimus ſupra *cap.* 42. *num* 4. Quare recte ſic ad verbum transferes. *Si poſuerit ſe peccatum.* Ita putat Adamus, & Foreriu s, & Salmeron in illud *ad Romanos* 8. *De peccato damnauit peccatum.*

62. kk *Videbit ſemen longæuum.*] Hic eſt paſſionis fructus, hic prouentus, quem ex grano mortuo Chriſtus collegit. Alluſum videtur ad Iſaac, quem pater aræ immolandum impoſuit, ex quo ſi non mortuo, morti tamen deſtinato, & opperienti gladium, ſic propagatum eſt ſemen, vt ſtellas cœli, & terræ puluerem æquauerit. Dicitur autem *ſemen longæuum*, vt Burgenſis putat; quia Eccleſia, quæ nil eſt aliud, quàm Dei familia, & eius filiorum congregatio, non ad breue tempus duratura eſt, ſicut vanæ Gentium ſectæ quæ iam pridem defecerunt, ſed ad ſæculorum conſummationem permanebit.

63. ll *Et voluntas Domini in manu eius dirigetur.*] Voluntas Domini eſt, vt omnes ſalutem conſequantur: & id negotij datum eſt Chriſto, vt ſæpe à prophetis, imò ab ipſo Chriſto non ſemel accepimus. Quare cùm Chriſtus ad puteum Iacob Samaritanam vellet à vitæ turpitudine reuocatam ad ſalutem adducere, velle ſe facere dixit voluntatem Patris ſui. *Meus*, inquit, *cibus eſt, vt faciam voluntatem Patris mei.* Hæc itaque voluntas Dei *directa*, ſeu, vt textus habet Hebraicus, *proſperata eſt*; quia per Chriſtum ſemen illud, de quo nuper, copioſum, atque longæuum fuit; de quo ſæpe & grauiter in hoc capite. Porrò illud *in manu eius*, iuxta phraſim Hebraicam idem eſt quod *per eum*. Quo modo ſæpe dicitur *in manu prophetarum*, id eſt, per prophetas. Per Chriſtum igitur impleta, & proſperata eſt volontas Dei.

Volũtas Dei eſt ſalus hominum.

64. mm *Pro eo quod laborauit anima eius, videbit, & ſaturabitur.*] Sæpe propheta ſententiam hanc iterat, cuius ſenſus non obſcurus. Verbum עמל *hhamal*, pro quo Vulgatus *laborabit*, non quemcumque laborem denotat, ſed illum, qui cum moleſtia, ac laſſitudine ſubitur. *Anima eius* idem eſt, quod *ipſe*, vt ſæpe notauimus. Porrò cùm aliquid magnum, aut pollicemur, aut minamur, ſiue in triſti, atque infauſto, ſiue in læto & fœlici euentu, ſæpe adhibetur verbum *video*, Hebraica phraſi. Vt apud hunc prophetam *cap.* 60. *Tunc videbis & afflues.* Et *cap.* 66 *Videbis, & gaudebit cor veſtrum.* Et *cap.* 26. *Videant & confundantur.* Illud verò *ſaturabitur*, abundantiam ſignificat eorum quæ aliquis ea ſatu ſuo atque ſudore colligit: hic autem ſumitur pro fœlici atque vbere ſanctarum animarum meſſe. Ad tempus vſque mortis ſuæ eſuriebat Chriſtus, & ſitiebat grandi charitatis æſtu, neque ſatiatus eſt, quia nondum matura ſeges, ſaltem nondum adducta videbatur ad falcem, adeò vt extremum iam ſpiritum emiſſurus clamauerit *Sitio*, ſed poſt laborem longum, & difficilem, poſt diuturnam famem, & ſitim ſaturatus eſt.

Video epitaſin habet.

65. nn *Scientia ſua iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruus meus multos.*] Chriſtum *iuſtum* vocari ſatis ex Euangelio, & Actis Apoſtolicis liquet: & iuxta hoc nomen plurimis ſalutem, & iuſtitiam attulit. Hæc ſatis aperta. Illud *ſcientia ſua*, duplicem poteſt habere ſenſum, quia ſcientia actiue ſumi poteſt, & paſſiuè; actiuè quidem, ita vt Chriſtus iuſtificare dicatur ſcientia ſui, aut doctrina de ſe; id eſt, dum ſe aliis cognoſcendum præbet. Quæ cognitio eſſe non debet ſterilis, aut ſola contemplatione contenta, ſed operatoria, atque efficax. Quæ ſanè ſi vera eſt, qualis quæ docet Chriſti ſectatores, otioſa non erit. De hac cognitione vide quid Patres dicant ad illud *Ioan.* 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Sumi etiam illud *ſua* poteſt actiue, ita vt doctrina, ſeu ſcientia Chriſti ſit Euangelium, quo Dominus iuſtificauit impios, id eſt, viam aperuit ad iuſtitiam, ſeu, quod idem eſt, docuit quomodo iuſti eſſe poſſent. Et in poſteriorem hanc ſententiam plures inclinant, Hieronymus, Haymo, S. Thomas, & frequentes alij. Ad hunc locum ſpectaſſe videtur Paulus *ad Roman* 3. *verſ.* 26. *Vt ſit ipſe iuſtus & iuſtificans eum, qui eſt ex fide Ieſu Chriſti.* Et Ioannes *Epiſt.* 1. *cap.* 2. *Si ſcitis quoniam iuſtus eſt, ſcitote quoniam, & omnis qui facit iuſtitiam, ex ipſo natus eſt.* Ioan 17.

66. oo *Et iniquitates eorum ipſe portauit.*] Docet quomodo Chriſtus multos iuſtificauerit, quia, quod in illis erat iuſtitiæ contrarium, ipſe portauit, aut quia in ſe recepit peccatorum pœnas; aut quia peccata abſtulit, ſeu deleuit. Quo verò ſenſu Chriſtus dicatur peccata aliorum portaſſe, ſeu deleuiſſe, alibi à nobis dictum eſt *cap.* 43. *num.* 40. Illud *&*, non tam coniũctiue ſumi puto, quàm cauſaliter, ita vt ratio reddatur à propheta cur tam fuerit efficax, & potens Chriſti doctrina ad iuſtificandos plurimos, quia nempe ipſe portauit iniquitates illorum, quos iuſtos fecit. Ex quo factum eſt vt virtutis via multò poſtea fuerit, quam antea facilior, & peccatorum vincula non ita implexa, atque conſtricta, quàm ante Chriſti mortem; cùm ad illam ſectandam, & ad hæc declinanda, ac diſſoluenda plura habeamus à Chriſti morte ſubſidia.

67. pp *Et ideo diſpertiam ei plurimos, & fortium diuidet ſpolia.*] Hæc ad fructum paſſionis pertinent, & Chriſti gloriam. Plurimi ex interpretibus hæc Gentibus aſcribunt, quæ magno numero ex omnibus ferme mundi prouinciis ad Eccleſiam aggregatæ ſunt: quod mihi omnino dicendum videtur. Patet ergo promittit Filio ſuo pro tam conſtanti obedientia, & tam indefeſſa laborum tolerantia non iam populum vnum anguſtis Palæſtinæ finibus circumſcriptum, ſed plurimos ad vltimos orbis terminos diſſeminatos; illud enim eſt *diſpertiam*. Diuidet autem Chriſtus ſpolia fortium: quia quicquid erat egregium, aut in Regum, & Principum opibus; aut in prudentia, ingenióque ſapientium, qui Chriſti doctrinam, & fidem amplexi ſunt, id totum diuinæ gloriæ atque honori ſeruiuit. Nam Reges ornamenta omnia honoris & gloriæ, ad Dei cultum liberaliter detulere; ſapientes verò Euangelicæ veritati, ac ſimplici doctrinæ philoſophicos faſtus & inflantis ſcientiæ tumorem ſummiſere. Quemadmodum ſpolia hæc Principum ad Eccleſiæ cultum ſint tranſlata, vide, quæ latè diximus ad illud Zach. *cap* 14. *Et erit quod ſuper frænum eſt.* Hanc eſſe ſententiam nemo credo negabit. Addo tamen mihi videri tranſlationem hîc eſſe à bellatore, atque triumphante duce, qui cùm in conſertas inimicorum acies irruit, latè ſternit, ac confundit; deinde debellatis hoſtibus, & parta victoria ſecurus, &

Fructus crucis Chriſti.

per otium exuuias partitur. Hæc duo coniunxit in bellatore Dauid *Pſalm.67. Rex virtutum dilecti, dilecti, & ſpecies domus diuidere ſpolia.* Et quod hîc Pater, idem *Pſalm.2.* Filio promittit. Cùm enim præceſſiſſet hoſtium fremitus, & Regum, ac Principum coniuratio aduerſus Dominũ, & aduerſus Chriſtum eius, dixit Pater, *Poſtula à me, & dabo tibi Gẽtes hereditatem tuã*, &c. Quem locũ ſpectaſſe videtur Iſaias. Cæterùm ſpoliorum diuiſio deſcriptio videtur eſſe victoriæ: nam ille ſolet eſſe victoriæ finis, quã obtinuit ingenuus, & liberalis imperator. Sic Pharao cùm ſibi à fugiente populo victoriam promitteret, dixit *Exo.15. Perſequar, & comprehendã, diuidam ſpolia. Iudic.5.* cantabat vna ex vxoribus Siſaræ, cùm de filij mora infauſtum aliquid præſagiret ſocrus, *Forſitan nunc diuidit ſpolia.* Et *cap.9. ſuprà, Sicut exultant victores capta præda, quando diuidunt ſpolia.*

Spoliorum diuiſio pro victoria

68. In hunc ſenſum accipit hunc locum Auguſtinus *de conſenſu Euangel. lib.1. cap. 31. in fine*, dum ait in hunc Iſaiæ locum intentus. *Iam in hæreditate poſſidet multos, & fortium partitur ſpolia, cùm ea quæ Diabolus, & Dæmones poſſidebant per Eccleſiarum ſuarum fabricas, & quoſlibet neceſſarios vſus, illis expulſis, perditiſque diſtribuit.* Sic Auguſtinus. Ex quibus facilè colliget lector mediocriter attentus ſentire Auguſtinum ornamenta, & opes, quæ priùs Dæmoni, & ſceleratis ſacris ſeruiebant, ad Eccleſiarum inſtructum, & veri Dei ſacroſancta miniſteria tranſlatum iri. Contrà quàm putat Leo Caſtrus, qui docet ex ſententia Auguſtini, ex citato loco, & Euſebij *lib.3. demonſtrat. cap.2.* depulſis Dæmonibus, qui Gentibus dominabantur, prouincias inter Apoſtolos eſſe diuidendas. Cuius ſententiam alij quoque ſequuntur, quæ ſanè improbabilis mihi non eſt, ſed non eſt Auguſtini, neque Euſebij. Satis veriſimiliter, & ad textum conſentaneè cogitaret, qui diceret fortes iſtos, quorum ſpolia Chriſtus diuiſurus prædicitur, eſſe tenebrarum principes, quorum regionem euertit, & eripuit exuuias. Cui cogitationi facem videtur præferre Paulus *ad Coloſſenſ.2.* vbi cum peccatis à Chriſto portatis, atque deletis in cruce triumphum & ſpolia coniunxit, ſicut etiam nunc Iſaias: *Donans vobis omnia delicta, delens quod aduerſum vos erat chirographum decreti, quod erat contrarium vobis. Et ipſum tulit de medio affigens illud cruci, & expolians principatus, & poteſtates traduxit confidenter palàm triumphans illos in ſemetipſo.*

69. ¶¶ *Pro eo quod tradidit in mortem animam ſuam: & cum ſceleratis reputatus eſt.* Duo Chriſtus incommoda pertuliſſe videbatur, eáque grauiſſima, & quod vitæ fecerit iacturam, & (quod honeſtis, atque ingenuis multò videtur eſſe durius) etiam honoris, dum non ſolùm in crucem actus eſt, quod honeſtis aliquando contingit, qui inſontes ſæpe illud mortis genus acerbum, & ſeruile patiuntur; ſed etiam inter ſceleratos medius, tanquam illorum non ſolùm ſocius, ſed etiam princeps, & anteſignanus. His duobus ſiue incommodis, ſiue iniuriis ſuam Pater compenſationem reddidit. Nam pro anima vna multorum populorum, ac Gentium animas viuificatas largitus eſt; Pro ignominia, quam videri potuit ex ſceleratorum ſocietate traxiſſe, ſpolia Regum, atque potentium eius victoriam, atque triumphum decorarunt. Et nunc etiam, vt conſtat, quicquid in natura rerum pulchrum eſt, & pretioſum, ad eius cultum, & honorem confertur. Cur Chriſtus inter latrones crucifixus, & quomodo, vide S. Thomam *3.p. q.46. art.11.* & ibi Franciſcum Suarez, & Salmeronem *tom. 10. tract.35.* Quòd verò locus hic reſpiciat latrones illos, inter quos medius Chriſtus affixus eſt ligno, docet apertè Marcus *cap.15. verſ.28.* Et impleta eſt ſcriptura, quæ dicit: *Et cum iniquis reputatus eſt.*

70. ¶¶ *Et ipſe peccata multorum tulit.*] Vide quoties hæc iterentur à propheta, qui hîc videtur ſibi in hac crebra geminatione voluiſſe, vt & Chriſti innocentiam probet, & oſtendat quid nos illius charitati, & liberalitati debeamus: quod eſt planè infinitũ: ſicut etiam infinitæ grauitatis eſt peccatorum pondus, quod in ſe recepit. Dicitur autem *tuliſſe multorum peccata*, ſicut etiam nuper *iuſtificaſſe* dicitur *multos*: quia licèt ſufficiens, immò vſquequaque ſupereffluens pro omnibus pretium oblatum ſit, multi tamen ſuo vitio tam copioſæ redemptionis fructu ſe priuarunt. Quibus Chriſti mors perinde fuit, atque ſi nunquam pro illis eſſet oblata.

71. ¶¶ *Et pro tranſgreſſoribus rogauit.*] Impletum eſt hoc cùm Chriſtus *Lucæ cap.23.* in cruce dixit, *Pater dimitte illis, non enim ſciunt quid faciunt.* Quo bonitatis, atque inauditæ clementiæ illuſtriſſimo exemplo præluxit Apoſtolis, quibus edixit *Matth. 5. Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos: & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos, vt ſitis filij Patris veſtri.* Et ſimul nobis præſcripſit, quo animo in eos qui nobis iniurij ſunt, eſſe debeamus. *Hæc de capite quinquageſimo tertio.*

Argumentum quinquageſimi quarti capitis Iſaiæ.

ALLOQVITVR *Deus primogenitam Eccleſiam è Iudæo, atque Gentili cõgregatam, puſillam in principio, atque ſterilem; poſt verò fœcundam, amplam, atque glorioſam futuram. Iubet primùm vt ſinus explicet, atque ſpatia dilatet: quia vndecumque futurus eſt ad Eccleſiam ingens populorum conuentus. Neque ſibi iam ampliùs à vi, ſiue à confuſione metuat, quia habitura eſt ſponſum, & dominum illum, à quo creata eſt. Deinde felicitatem, quam promittit, perpetuam fore, interpoſita iuriſiurandi religione confirmat. Tandem quanto in ſplendore, & gloria, & quàm libera ab inimicorum armis, & calumniis futura ſit Eccleſia, demonſtrat.*

CAPVT

CAPVT LIV.

1 [a] LAVDA *ſterilis, quæ non paris: decanta laudem, & hinni, quæ non pariebas:* [b] *quoniam multi filij deſertæ magis, quàm eius, quæ habet virum, dicit Dominus.*

2 [c] *Dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende:* [d] *ne parcas: longos fac funiculos tuos, & clauos tuos conſolida.*

3 [e] *Ad dexteram enim, & ad læuam penetrabis: & ſemen tuum gentes hæreditabit, & ciuitates deſertas inhabitabit.*

4 [f] [g] *Noli timere, quia non confunderis, neque erubeſces: non enim te pudebit,* [h] *quia confuſionis adoleſcentiæ tuæ obliuiſceris,* [i] *& opprobrij viduitatis tuæ* [k] *non recordaberis amplius.*

5 [l] *Quia dominabitur tui, qui fecit te, Dominus exercituum nomen eius: & redemptor tuus ſanctus Iſrael, Deus omnis terræ vocabitur.*

6 [m] *Quia vt mulierem derelictam, & mærentem ſpiritu vocauit te Dominus, & vxorem ab adoleſcentia abiectam, dixit Deus tuus.*

7 [n] *Ad punctum in modico dereliqui te, & in miſerationibus magnis congregabo te.*

8 [o] *In momento indignationis abſcondi faciem meam parumper à te, & in miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui, dixit redemptor tuus Dominus.*

9 [p] *Sicut in diebus Noe iſtud mihi eſt, cui iuraui, ne inducerem aquas Noe vltrà ſupra terram; ſic iuraui, vt non iraſcar*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 EXVLTA iam, ô Eccleſia primitiua, ſterilis antea, & deſtituta filiis: gratias age Deo aſſiduas, & immortales, & quantùm potes, in eam gratulationem, & curam voce contende: Quia, quæ priùs deſerta videbatur, & vidua, pluribus abundabit filiis, quàm quæ virum habuit, & thalamo indulſit. Hoc à Domino verbum, & mandatum accipe.

2 Extende igitur, & laxa tabernaculi tui ſpatia, & ſinus: fac vt ad tentorium tuum magna fiat acceſſio: quantùm potes, in domus tuæ amplificationem incumbe: funiculos para quàm longiſſimos, quibus tabernaculi latè diſtendas vela: & ne vlla ventorum vi, aut externo pulſu conuelli poſſint, clauis quàm arctiſſimè, atque firmiſſimè conſolida.

3 Ad dexteram enim, & ſiniſtram in omnes mundi plagas felici curſu penetrabis; filij tui externos populos, & tranſmarinas Gentes ad tuum gremium adducent: habitabúntque ciuitates à multis ſæculis antè deſertas.

4 Metus igitur abs te procul abſit, quia procul etiam à te pudor aberit, atque confuſio ex antiqua fortuna: ſic enim à me magnificè ac luculenter ornaberis, vt non iam ampliùs tenuitatis illius recorderis, quam in ætate iuuenili primùm habuiſti, aut opprobrij, quod afferre potuit antiqua viduitas.

5 Non enim ampliùs eris innupta, aut vidua; habebis enim Sponſum, & Dominum illum, qui creauit te: Dominum videlicet exercituum; & quem tu redemptorem agnoſcis, qui ab Iſraele Sanctus, & Deus vocabatur, idem deinceps iam erit, & vocabitur omnis terræ Deus.

6 Hactenus eo te numero habuit Deus, vt mulierem te derelictam, ægróque mœrentem animo vocauerit. Vocauit, inquam, te Dominus vxorem ab adoleſcentia in abiectionem animæ proiectam.

7 Exiguum fuit illud tempus, & puncti inſtar, in quo derelicta videri potuiſti; ſed quando te in ſinum meum, & thalami ſocietatem adduxero, molliſſima indulgentia, & ampliſſimis donis ſolitudinem tuam, & orbitatem conſolabor.

8 Momento temporis durauit illa offenſi, atque indignati animi ſignificatio; parumper à te placidum vultum, & benignos oculos auerti; ſed ingentibus te complectar officiis; neque vlla meam in te beneuolentiam, & liberalitatem exhauriet, aut imminuet æternitas. Hæc tibi promittit, qui te redemit Dominus.

9 Tam hæc promiſſio, quam à me nunc accipis, ô Eccleſia, rata erit, & firma, quàm illa fuit, quam Noe iam olim iuramento firmaui. Et, vt

tunc interpoſita iuriſiurandi firmitate promiſi, nunquam me commiſſurum, vt vllo pòſt tempore terram aquarum inundatione delerem: ſic eadem iuriſiurandi forma polliceor, non iam ampliùs furóris in te mei habenas eſſe laxandas: neque ab iracundia mea aliquid in te profecturum aduerſum, quale in ſynagogam repudiaram, aut in Gentilitatem quamdam abiectam.

iraſcar tibi, & non [s] *increpem te.*

10 Miſericordia autem mea ſic erit in te conſtans, & firma, vt priùs contremiſcant colles, & montes in alias ſedes conuulſi emigrent, quàm pactum meum violari, aut miſericordiam abs te remoueri contingat. Hæc ait Dominus, qui ſua te miſeratione conſolatur, & fouet.

10 [t] *Montes enim commouebuntur, & colles contremiſcent; miſericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis mea non mouebitur: dixit miſerator tuus Dominus.*

11 O Eccleſia, quam amoris ergò, diminutiua formula, pauperculam appello, quam non minùs tyrannorum odia, ac potentia iactarunt, quàm Noe arcam olim diluuij tempeſtas; neque erat vlla interim conſolatio, quæ vexationem illam & ægritudinem animi leuaret: Euge, ô paupercula, & rudi hactenus materia in ſpeciem conſtructa: Iam enim ſic ſplendidè, ac luculenter ædificaberis, vt eximia quadam arte diſponantur in pauimento lapides; ſternantúrque pro fundamento ſapphiri.

11 [f] *Paupercula tempeſtate conuulſa, abſque vlla conſolatione.* [t] *Ecce ego ſternam* [v] *per ordinem lapides tuos,* [x] *& fundabo te in ſapphiris.*

12 Murorum tuorum pinnæ, & propugnaculorum eminentes coronæ è iaſpide constructæ, latè radiabunt: portæ è pretioſo, cælatóque lapide ædificabuntur. Denique in omnibus finibus nullus occurret lapis, niſi pretioſus, & illuſtris.

12 [y] *Et ponam iaſpidem propugnacula tua* [z] *& portas tuas in lapides ſculptos:* [aa] *& omnes terminos tuos in lapides deſiderabiles.*

13 Filios autem tuos ego ipſe docebo, quia non aliam accipient doctrinam, & legem, niſi quam ego illis inſpirauero: atque ideo eis omnia proſpera, atque optata contingent.

13 [bb] *Vniuerſos filios tuos* [cc] *doctos à Domino, & multitudinem pacis filiis tuis.*

14 In ſanctitare, ô Eccleſia, atque iuſtitia fundaberis: neque erit cur ab aliorum iniuſtitia, aut calumnia quidpiam deinceps formidare debeas. Timere igitur noli, quia nihil tibi continget, quod periculum tibi, aut pauorem oſtentet.

14 [dd] *Et in iuſtitia fundaberis:* [ee] [ff] *recede procul à calumnia, quia non timebis: & à pauore, quia non appropinquabit tibi.*

15 Ecce qui alienus erat religione, ac fide, ad tuam ſe fidem, & religionem adiunget: In tuum ſe ſinum, atque complexum dabit, qui longè diuerſos fines habitabat.

15 [gg] *Ecce, accola veniet, qui non erat mecum, aduena quondam tuus adiungetur tibi.*

16 Ego creaui tam, qui vas, atque inſtrumentum bellicum in fornace cudit, & ferrum, ac chalybem igne, malleóque contuſum in telum format, quàm qui ferrum in vſus bellicos informatum ad cædendum vibrat. Quare tam inſtrumentum bellicum, quàm qui eo vtitur, bellator in mea poteſtate eſt.

16 [hh] *Ecce, ego creaui fabrum ſufflantem in igne prunas,* [ii] *& proferentem vas in opus ſuum, & ego creaui interfectorem ad diſperdendum.*

17 Quare nullum telum, quod contra te excuderit, vibraueritque inimicorum dextera, ſucceſſum habebit, quem deſtinauit iaculator: neque lingua criminatrix, atque maledica periculum conflabit: quia calumnias confutabit, vincétque

17 [kk] *Omne vas, quod fictum eſt, contra te non dirigetur: & omnem linguam reſiſtentem tibi, in iudicio iudicabis:* [ll] *hæc eſt hæreditas ſeruorum Domini, & iuſtitia eorum apud me: dicit Dominus.*

cérque in iudicio cauſa melior. Quocirca non eſt, quòd à vi, vel calumnia periculum metuas. Hæc eſt ſors, & hæreditas, quæ Dei ſeruos manet; hæc præmia quæ illorum meritis, & iuſtitiæ reſpondent, qui Dei ſe tutelæ credent, & eius ſe voluntati conſecrabunt: Hæc dicit Dominus.

IN CAPVT QVINQVAGESIMVM QVARTVM COMMENTARIVS.

1. ᵃ LAVDA *ſterilis, quæ non paris, decanta laudem, & hinni quæ non pariebas.*] Poſt paſſionem Chriſti, cui Pater & Regum ſpolia, & numeroſam ſobolem promiſit, aptiſſimè vaticinium transfertur, aut producitur potiùs ad Eccleſiæ fœcunditatem; de quo nemo fere dubitat. Sed hîc primùm pauliſper hærendum eſt, atque explorandum quæ ſit ſterilis iſta, & infœcunda, cui iubet Dominus, vt exultet, atque hiniat. S. Thomas, & Hugo conſequenter ad ſuperiorem ſententiam Ieruſalem terreſtrem eſſe cenſent apud Babylonios captiuam: cui poſt facilem, & glorioſum reditum, rerum abundantiam, & filiorum ingenuam, & copioſam ſobolem promittit Deus. Quibus conſentit Pagninus, & fauet Chaldæus, qui legit *Lauda* B *Ieruſalem.* Foreirus cæleſtem Ieruſalem eſſe putat, id eſt, triumphantem Eccleſiam, adductus Pauli teſtimonio, qui in eum ſenſum videtur accepiſſe locum iſtum *ad Galat. cap.* 4. Alij Eccleſiam hic vident ex Gentibus collectam; ita Hieronymus, Haymo, Cyrillus & Procopius. Nonnulli Eccleſiam ex Iudæis, Gentibúſque congregatam; ita Adamus *hic*, S. Thomas, *in caput* 4. *ad Galat.* & ibi Salmerón, & Legionenſis.

2. Mihi veriſimilius videtur, quod poſtrema hæc ſententia ſtatuit, in *ſterili* intelligi Eccleſiam non quidem triumphantem, ſed militantem, ac viatricem, quam Iudæi, Genteſque conſtituunt. Dicitur autem *ſterilis*, ſiue quia, vt multi ex prædictis auctoribus cenſent, de primitiua Eccleſia ſermo eſt, quæ initiò ſynagogæ comparatione ſterilis videri C potuit: ſeu quia vt alij volunt ratione Gentium, quibus penè tota conſtat, quia ad illud vſque tempus donec virum habuere, legitimúmque thalamum, nullum peperit ſpiritualem filium.

3. Cùm ergo tam latè pateat Eccleſia, quam amabunt obibúntque Gentes, de quibus in ſuperiori capite illuſtria ex diuina promiſſione audiuimus, iubet Deus, vt quæ ſterilis antè fuerat, vel quia in principio tenuis, ac modica, ſeu quia magna, atque præcipua pars illius ſterilis eò vſque fuit, (notum eſt enim illud axioma philoſophorum, totum aliquod, ſeu compoſitum ab eo nomen accipere, quod in ipſo præcipuum, aut maius eſt) iam exulter propter fœcundum, ac nobile puerperium. In verbo autem *hinnio* aliquid eſt eximium, quod gaudium ſignificat, neque mediocre, neque vulgare, ſed quod homines oſtendere, atque euulgare ſolent, non exili, aut temperata voce, ſed hilari, clara, A atque immodicè profuſa, neque vllo artificio, aut numero compoſita; quaſi animus tantæ lætitiæ pondus ſuſtinere non poſſit. Eiuſmodi eſſe ſolent ruſticorum in gratulationibus, epithalamia, & triumphis, cùm exultantium equorum hinnitum imitantur. Vide quæ diximus ad illud *cap.* 24. *Hinnient de mari.*

ᵇ *Quoniam multi filij deſertæ magis quàm eius, quæ habebat virum.*] Hunc locum optimum Scripturæ interpres Paulus expoſuit *ad Galat. cap.* 4. qui in *duabus fœminis*, quas propheta obumbrauit obſcurè, Agar, & Saram intelligit; allegoricè tamen in illis duo teſtamenta, id eſt, ſynagogam, & Eccleſiam. Sed illud difficile, quomodo Sara ſterilis dicatur virum non habere, & eſſe deſerta, cùm Abrahamo nupſiſſet, & illum ſemper dum peregrinaretur habuiſſet vitæ, torique conſortem. Reſpondet S. Thomas *in cap.* 4. *ad Galatas.* *Sara deſerta fuit ab Abraham, vt hic dicitur, non per diuortium, ſed quantum ad opus carnale. Nam Abraham vacabat quidem operi carnali, non propter concupiſcentiam, ſed propter prolem ſuſcipiendam: Cùm ergo innotuit ei Saram ſterilem eſſe, deſeruit eam non frangens coniugalem torum, ſed quia non vtebatur ab eo præcipuè tempore, quo Sara introduxit ei ancillam.* Hæc S Thomas. Quòd ſi ita in eo coniugio ſe geſſit Abraham, vt S. Thomas coniectat, nam de re nihil eſt certum, quod ad generis propagationem ſpectat, perinde fuit, atque ſi Sara virum habuiſſet nullum. Sed credo ſimpliciùs dici potuiſſet Saram à viro fuiſſe deſertam, etiamſi ſemper habuerit vitæ, thalamique ſocium, neque vllo tempore ad prolem ſuſcipiendam conatus deſuiſſet (quamuis à re coniugali abſtinuiſſe Abrahamum aliquò tempore ſit penè certum *ex Geneſ. cap.* 15. *num.* 13. vbi abſurdum putat Sara dare operam voluptati in ætate adeò grandi) quia, vt diximus *cap.* 30. *num.* 5. opus quod otioſum eſt, aut inutile, cenſetur non eſſe. 4. Sara quomodo deſerta.

Sed vt Saræ, & Agar allegoriam perſequamur, ſynagoga filios genuit plurimos, ſed ſeruos, eóſque ex viro Abraham, ſed ex voluntate carnis, & ex voluntate viri: quia Agar adhuc ad generandum idonea, & viri appetens, & Abraham nondum habebat emortuum corpus; quare filij ex Agar ſuſcepti filij carnis vocari potuerunt. At Sara iam inepta erat rei coniugali, cùm deſiſſent illi fieri muliebria, & ipſa iam omnem ſpem poſteritatis abieciſſet; quod etiam acciderat viro ipſius Abrahamo. De quibus Paulus *ad Romanos* 4. *Non infirmatus eſt in fide, nec conſiderauit corpus ſuum iam emortuum,* 5. Eccleſiæ, & ſynagogæ filij.

cùm

cùm ferè iam eſſet centum annorum, & emortuam vuluam Saræ. Quare filius ex ea natus, ſuſceptus à Deo, & Dei Filius vocari potuit, potiùs quàm Abrahami: quia Deus ibi naturæ ad illud opus infirmæ impedimenta ſuſtulit, & quod ſterili facultati deerat, ipſe suppleuit. Optimè ergo Saræ filij Eccleſiæ filiis adumbrant, qui Chriſtum agnouere parentem, & in propria venientem receperunt, de quibus Ioannes *cap. 1. Quotquot autem receperunt, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis; neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Hæc breuiter de loco Pauli, qui ex hoc capite plurimum accipit lucis, ſicut eidem viciſſim non parum præbet.

6\. Quòd ſi cum Hieronymo, & aliis de Eccleſia ex Gentibus congregata capias, non difficilè hæc accommodabis ad illam ſententiam. Habuit enim ſynagoga virum, quia ad montem Sinai pactum cum Deo iniit coniugale. Et ideo ſæpe vocatur ſponſa: ſæpe reprehenditur, vt adultera: ſæpe à meretriciis ſordibus & alieno complexu ad torum legitimum reuocatur, vt habes *Ierem. cap. 3. Ezechiel. cap. 16. Oſea cap. 2.* Sed ex maritata ſynagoga, perquam pauci filij nati ſunt Deo. Gentilitas autem virum non habuit, ſed dimiſſa eſt ingredi vias ſuas *Actor. cap. 14.* & à bonis filiis infœcunda fuit. Sed poſtquam viro nupſit illi, à quo ſynagoga repudiata eſt, cœleſti ſatu ſic concepit fœliciter, vt virtute, & numero filiorum longè ſuperaret ſynagogam iam antè dudum maritatam.

7\. [c] *Dilata locum tentorij tui: & pelles tabernaculorum tuorum extende.*] Imperatiuus pro futuro ponitur, idque non ſine epitaſi. Et eſt optima metaphora, quæ & Eccleſiæ proprietatem, & eius amplitudinem oſtendit. Nam quemadmodum, qui eiuſdem ſunt familiæ, eandem etiam domum, aut idem habitant tabernaculum, ſic qui ad Eccleſiam accedunt, & ſibi ipſis contubernales ſunt, & Eccleſiæ filij. Cùm ergo deſertæ, atque olim infœcundæ, quo ſenſu nuper explicuimus, multi futuri ſint filij, quos ex nobili ſponſo ingenuos, & nobiles ſuſcipiet, iubet vt quod parentes ſolent, cùm augentur filiis, domus ſpatio laxet, quia excepturа eſt, non hoſpites, & aduenas, ſed filios quos apud ſe perpetuò retineat.

8\. [d] *Ne parcas, longos fac funiculos tuos: & clauos tuos conſolida.*] Optima tabernaculi deſcriptio, qua duo ſignificat propheta, eáque maximè obſeruanda. Alterum eſt copioſam fidelium numero futuram; alterum ad finem vſque ſæculorum duraturam Eccleſiam: Illud oſtendit funiculorum extenſio, hoc clauorum, & totius operis ſoliditas. Videtur autem Hieroſolymæ terreſtri, ſeu matris ſynagogæ Eccleſiam opponere; de qua *Thren. 2. Diſſipauit, quaſi hortum tentorium ſuum: demolitus eſt tabernaculum ſuum.* Cuius nimirum claui conſolidati non fuerant, aut altè defixi. Sed Eccleſiæ aut Ieruſalem myſticæ atque etiam cœleſtis firmitas ſignificatur, & æternitas eadẽ metaphora ſuprà c. 33. n. 20. *Oculi tui videbunt Ieruſalem habitationẽ opulentam: tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit: nec auferentur claui eius in ſempiternum: & omnes funiculi eius non rumpentur.* Vide quæ de eiuſmodi tentorio diximus ad illud *cap. 33. Laxati ſunt funiculi tui.* Huc facit quod ſuprà dicitur *cap. 49.* in eandem ſententiam: *Adhuc dicent in auribus tuis filij ſterilitatis tuæ, Anguſtus eſt mihi locus, fac ſpatium mihi, vt habitem.* Vide quæ ibi diximus. Illud *ne parcas*, Latina forma eſt, qua ſignificatur omnem adhibendum eſſe conatum, atque ſtudium, neque quicquam faciendum eſſe reliqui operæ aut induſtriæ, quaſi dicat, ne parcas labori aut ſumptui.

Eccleſiæ fecunditas, & duratio.

9\. [e] *Ad dexteram enim, & ad læuam penetrabis: & ſemen tuum gentes hæreditabit, & ciuitates deſertas inhabitabit.*] In læua, & dextera omnes mundi cardines intelliguntur ex vſu ſcripturæ, quæ his nominibus vniuerſa loca, quoquo verſus ſpectent, complecti ſolet. Quòd ſi in omnẽ partem laxanda ſunt Eccleſiæ ſpatia, neceſſe eſt vt in omnem partem ad vltimos vſque terræ fines laxentur, & intendantur myſtici tabernaculi funiculi. Quod ſi vllo, noſtro maximè tempore, impleri videmus: in quo ſuos Eccleſia fines explicuit, ad Sinas, Iaponióſque, & nouas alias prouincias, quas ad Occaſum, & Ortum hoc illuſtri ſæculo primùm explorarunt, aperueruntque fœlices, & audaces Hiſpanorum curſus. Semen, vt credo, Eccleſiæ Apoſtoli ſunt, &, qui illis deinceps ſucceſſerunt, Apoſtolici viri, & Euangelij præcones, qui alienas & deſpectas antea Gentes adiunxerunt Eccleſiæ, & vni viro Chriſto ſponſas, tanquam fideles, & ſolliciti pronubi deſponderunt. Exiſtimo autem alluſum hîc eſſe ad legitimum Abrahami ſemen, quod, vt diximus, ex Deo natum eſt, eo ſenſu, quem Paulus indicauit *ad Galat. 4.* quia illud vmbra quædam erat filiorum Eccleſiæ, & cui promiſſum eſt *Geneſ. cap. 17. verſ. 16.* idem penè quod nunc Eccleſiæ.

Eccleſiæ amplitudo.

10\. [f] *Noli timere, quia non confunderis, neque erubeſces: non enim te pudebit, quia confuſionis adoleſcentiæ tuæ obliuiſceris.*] Hæc & quæ proximè ſequuntur penè perſuaſerant mihi hiſtoricè hæc de populo apud Babylonios captiuo, allegoricè verò de Eccleſia eſſe accipienda, quia videbam nomen adoleſcentiæ non ſemel obiectum eſſe ſynagogæ, ſeu Genti Iſraeliticæ, quo ſignificabatur tempus Ægyptium, aut Ægyptio proximum. Et nomen viduitatis, quod ſtatim ſubiicitur, non bene conuenire poſſe exiſtimabam in Eccleſiam, ex Gentibus coactam: Quia cùm illa dicatur virum non habuiſſe, neque vidua vtique vocari poterat: qualis illa propriè tantùm vocatur, à qua morte diſtractus eſſet maritus, aut figuratè à qua maritus auertiſſet animum, aut ab eius domo procul, & diu receſſiſſet. Quo ſenſu Iudaica Gens vidua iure vocari potuit, quo tempore ſeptuaginta annos captiua vixit apud Babylonios, de qua Ieremias *Thren. cap. 1. Facta eſt quaſi vidua domina Gentium*: Sic enim tunc abiecta vixit, ac ſordida, vt repudiata à Deo viro ſuo videri potuerit. Hæc me in illam cogitationem adducebant; neque autores deerant quos duces in ea ſequerer ſententia: Sic enim putant S. Thomas & Hugo. Sed cùm Paulus aliam nobis hiſtoriam indicauerit, & allegoricè ſuppoſuerit, nempe hiſtoriam Agar, & Saræ, inque ea Eccleſiam, & ſynagogam, ſeu vtrumque Teſtamentum, quod perinde eſt, de quibus hîc loquitur Iſaias, ab illa alia hiſtoria temperandum, & abſtinendum duxi. Quare hæc ad primogenitam Eccleſiam, & Gentes à quibus illa præſertim fœcunda fuit, explicationem accommodo.

11\. g *Noli timere, quia non confunderis, neque erubeſces.*] Erubeſcere poterat ſynagoga, quòd toties fornicata prodiderit caſti ſponſi legitimum torum, id eſt, deſciuerit ad Iudicra Gentium ſimulacra. Erubeſcere item Gentilitas poterat, quòd tam diu impia, atque nefaria cum Idolis inierit connubia: neque cum illo ſponſo, qui vnus honeſtas, & legitimas redderet nuptias, animum haberet, & familiam

liam communem. Nunc ſponſus, qui illam à proſtibuli ſordibus ad Regij thalami dignitatem, & ex atra fuligine, mediíſque olla is ad argenteæ columbæ candorem, & munditiem, & aurei reclinatorij maieſtatem vocat, ait non eſſe cur timeat in mitiſſimo ſponſo ſeueritatem, neque quod illam prioris fortunæ recordatio deinceps pudefaciat, quia prioris conditionis ſtatum ærumnoſum, & ſordidum cõpenſabunt, obliterabúntque, & conditio mox futura nobilis, & ingenua, & quæ deinde commemorat, quæ vulgaria non ſunt.

12. h *Quia confuſionis adoleſcentiæ tuæ obliuiſceris.*] Meminiſſe oportet vaticinium hoc eſſe de Eccleſia non ſolùm è Gentibus, ſed etiam ex Iudæo populo coacta; quare ad vtrumque populum ſingula à nobis aptari oportet. De adoleſcentia populi Iudaici non eſt res, aut obſcura, aut dubia *ex Ierem. cap. 2. verſ. 2. Hæc dicit Dominus, recordatus ſum tui miſerans adoleſcentiam tuam, & charitatem deſponſationis tuæ, quando ſecuta es me in deſerto.* Quàm autem grauiter contra datam ſponſo fidem, & quàm ſæpe in ea adoleſcentia deliquerit, docet Stephanus *Actor. 7. Suſcepiſtis tabernaculum Moloch, & ſydus Dei veſtri Rempham, &c.* Et *Iere cap. 32. verſ. 29. Venient Chaldæi præliantes aduerſum vrbem hanc; & ſuccendent eam igni, & comburent eam, & domos, in quorum domatibus ſacrificabant Baal, & libabant Dijs alienis libamina ad irritandum me. Erant enim filij Iſrael, & filij Iuda iugiter facientes malum in oculis meis ab adoleſcentia ſua.* Quæ poſtea eodem capite commemorat. Et quidem vix dum myſticum illud matrimonium inierat cum ſponſo Deo, quando turpi fornicationis genere vitulo aureo thalamum, qui ſeruari caſtus vni ſponſo debuit fœdè, atque perfidioſè proſtituit. Adoleſcentia hæc tam parum caſtè peracta pudorem iure optimo afferre debuit ſynagogæ.

Synagogæ adoleſcẽtia.

13. De adoleſcentia Gentilitatis res eſt magis dubia. Adamus tẽpus illud eſſe putat, quod interceſſit inter Abrahamum & Chriſtum: quo tempore Gentilitas intemperantiùs ſe idolorum ſordibus tradebat. Foreirus tempus illud intelligit, quod primum fuit à vocatione Abrahæ. Mihi magis videtur expeditum ſi Gentium adoleſcentia dicatur ætas tota, quæ fuit ante Chriſtum; imò tota ætas quæ Gentium conuerſionem anteceſſit. Quia multarum Gentium conſuetudine receptum eſt, vt *adoleſcentes* appellentur, in quacumque fuerint ætate, qui vxores non duxerunt: & *adoleſcentulæ* dicantur innuptæ, & virgines, etiamſi grandes natu ſint: quia maxima ex parte, qui non ſe matrimonij iugo impliceuerunt, eius ætatis eſſe ſolent. Sicut etiam ſerui vocantur *pueri*, etiam ſi ætate adulta, atque etiam graui ſint, quia puerilis ætas ferendo ſeruitutis oneri magis idonea eſt. Et hoc loco res eſt mihi minùs incerta, quia vox Hebr. pro qua noſter *adoleſcentia* eſt עלומים *hhalumim*, quæ abſconſiones ſignificat, & id, quod innuptarum & virginum proprium eſt. A qua voce deducitur עלמה *hhalma*, quæ *puellam virginem* valet, vt ſuprà *cap. 7.* multis probauimus. In illa ætate Gentilitas antequam virum haberet, quot patrauerit flagitia, quàm fœda, quàm varia, non ſolùm à ſacris, ſed etiam à profanis ſcriptoribus cum riſu, atque ludibrio, atque etiam interdum cum ſtomacho, & nauſea numeratur. Quàm autem eorum conſcium animum, & iam melius rerum momenta ponderantem pudere debuerit, rei ipſius turpitudo declarat.

Gentium adoleſcẽtia.

14. i *Et opprobrij viduitatis tuæ non recordaberis.*]

A *Vidua* figuratè dicitur fœmina, quæ licèt virum habeat honeſtum, locupletem, & incolumem, ab illo tamen relicta eſt, quia vitam agit in ſolitudine & receſſu, ſicut viduam decet. Talis fuit Gens Iſraelitica, quando inter Chaldæos ad ſeptuageſimum iam annum captiua à Deo ſponſo videbatur derelicta. Quod ſtatim in principio Thren. cecinit Ieremias: *Facta eſt quaſi vidua domina Gentium.* Hæc autem Gens ad virum reuerſa ſic eſt nouis beneficiis cumulata, vt viduitatis, ac ſolitudinis antiquæ meritò obliuiſci debuerit.

De viduitate Gentium res eſt obſcurior. Hieronymus viduam Gentilitatem vocat, quia prodita naturali lege, quam pro viro habere debuit, cui B obſequeretur, ad muta Deorum ſimulacra transfugit. Foreirus, & Adamus viduam fuiſſe putant Gentilitatem toto tempore, quo maritata non fuit, per catachreſim, nam inter viduam, & innuptam præſertim ſi grandis natu ſit, maxima eſt ſimilitudo. Et hæc mihi ſententia plurimùm probatur. Puto autem hîc eſſe epexegeſim quandam, & idem nunc ſignificatum eſſe, per *viduitatem*, quod priùs per *adoleſcentiam*. Nam neutra in illo ſtatu virum habet; vtraque ſterilis eſt, quod hîc cenſeo dici viduitatis opprobrium; à quo Deus Gentilitatem vendicat, gaudetéque iubet quòd filiorum generoſam ſobolem ſuſceptura ſit. Quanto autem olim probro fuerit ἀτεκνία, & ſterilitas, ſatis ex Scriptura compertum. Ideo enim 1. *Regum cap. 1.* tam large C flebat Anna Samuelis mater, quòd eſſet infœcunda: ideo filia Iephthe virginitatem à quibuſdam ploraſſe exiſtimatur, quòd ſine liberis eſſet moritura. Denique *Exodi cap. 23. verſ. 26.* legimus: *Non erit infœcunda, nec ſterilis in terra tua.* Et idem repetitur *Deut. cap. 7. verſ. 14.* Neque aliud erat opprobrium illud, quod ſeptem mulieres apprehendentes virum vnum auferri à ſe poſtulabant *ſupra cap. 4.* 15.

k *Non recordaberis.*] Cùm aliquid diu aduerſum, & durum, ſiue etiam fœlix, & iucundum habuimus, ſi aliquid deinde contrarium adueniat, eorum aut obliuiſcimur, aut obliuiſci videmur: quia eorum, quæ præteriere memoriam præſens rerum viciſſitudo detergit. Cùm præceſſiſſent ſeptem anni fertilitatis eximiæ, tanta deinde ſecuta D eſt ſiccitas, & indigentia, *vt obliuioni tradatur omnis retro abundantia. Geneſ. 41. v. 30.* Et ibidem *verſ. 51.* Ioſephus perfunctus longæ ſeruitutis, & carceris longi ærumnis, & incommodis, cum ad gradum Regio proximum vocatus eſt, filio, quem primum in Ægypto ſuſcepit, nomen impoſuit Manaſſe, cauſámque nominis oſtendens ait: *Obliuiſci me fecit Dominus omnium laborum meorum. Prouerb. 31. verſu 6. Date ſiceram mœrentibus, &c. bibant, & obliuiſcantur egeſtatis ſuæ, & doloris ſui non recordentur amplius.* vide infrà *cap. 65. num. 33.* Cùm ergo tanta ſit futura, támque ingenua ſoboles Genti olim infœcundæ ac ſterili, obliuiſcetur poſtea antiqui opprobrij, ſiue viduitatis, ſiue adoleſcentiæ, ſeu etiam E *ἀγονίας*, quod ex filiorum deſiderio naſcebatur. 16.

Obliuiſci malorum quid.

l *Quia dominabitur tui qui fecit te.*] Hîc ego aliquid video quod ad ſponſæ dignitatem, & filiorum fœcunditatem pertinet, in verbo *dominabitur.* Nam licèt de ſententia nemo dubitare poſſit; tamen metaphora, & dicendi modus paulò eſt obſcurior, & mirè facit ad rem præſentem, quæ totam fœminam innuptam, & filiorum auidam intuetur. Pro *dominabitur*, Hebr. eſt בעל *bahhaal*, quod non ſolùm *dominari* ſignificat, ſed etiam, & magis præcipuè *maritare*, ſeu *vxorem ſibi in matrimonium accerſere.* 17.

Exempla

Exempla ſunt obuia *Malachiæ 2. verſ.11. Habuit filiam Dei alienam*, id eſt, vxorem duxit, *Deuter. 24. verſ.1.* & clariùs *cap. 21. verſ.13.* vbi Hieronymus, *Dormiéſque cum illa. Ierem.3. verſ.14.* vbi idem, *Quia ego vir veſter.* In his locis idem eſt verbum quod hìc בעל *babhal.* Et ne longiùs abeamus, *hoc ipſo capite verſ.1.* vbi Vulgatus, *Quæ habebat virum*, Hebr. eſt בעולה *bebhulah*, id eſt, *maritata*, ab eadem radice. Eſt ergo ſenſus meo iudicio certus & proprius huius loci. *Quia non iam amplius eris vidua, & innupta, ſed habebis maritum, eum qui creauit te, Dominum exercituum.* Quam ſententiam, & allegoriam confirmant, quæ mox dicuntur, quæ proculdubio ad connubiū & thalamum reſpiciunt.

18. Ab hac radice eſt בעל *babhal*, quod *maritum* ſignificat. *Exodi 21. verſ.3. & verſ.22.* quod etiam interdum vertitur *dominus*, quia eo nomine tam in ſacra, quàm in profana literatura vocatur *maritus*. De profana docet Virgilius *lib.4. Æneid.* vbi ab Iarba riuali Æneas *dominus* vocatur *Didonis*, id eſt, *maritus*.

Dominus, & Domina vocantur Coniuges.

Connubia noſtra
Reppulit, ac dominum Ænean in regna recepit.

Eodem ſenſu Lucretia de marito apud Ouidium *2. Faſtor.*

Mittenda eſt domino, iam nunc properate puellæ,
Quamprimum noſtra facta lacerna manu.

Quòd vxores *domini* vocentur, exemplorum plus ſatis. Proſerpina Plutonis vxor eius dicitur domina, *Æneid. 6.*

Hi dominam Ditis thalamo deducere adorti.

De ſacra res eſt non minùs certa. Sara ſæpe Abraham *dominum ſuum* appellat, id eſt maritum, *Geneſ.18. verſ.12.* In quo tamen nomine aliquid eſt obſeruantiæ, vt ſignificat Petrus *epiſt.1. cap.3.* Sic vxor Leuitæ *Iudic.19. verſ.26.* veniſſe dicitur domum, *Vbi manebat Dominus ſuus.* Vide Tiraquel. *lege 1. connubialiū num.14.* Bono itaque animo eſſe iubet ſterilem Gentem, quia non iam ampliùs opprobrium ſuſtinebit ſterilitatis; quia ſponſum habebit illum, qui *ſanctus Iſrael* dicitur, & *terræ Dominus*: quo patrono, & coniuge nemo erit, qui illam deſpiciat, aut non reuereatur. Nouerat hoc illa Gentilis ſponſa, quæ ad myſticas nuptias à ſuauiſſimo ſponſo Deo vocata eſt: cùm *Cantic. 8.* cecinit: *Quis mihi det te fratrem meum, &c. vt oſculer te* (id eſt, maritus mihi ſis) *& iam me nemo deſpiciat.* Vide quæ ibi diximus.

19. m *Quia vt mulierem derelictam, & mœrentem ſpiritu vocauit te Dominus, & vxorem ab adoleſcentia abiectam.*] Cùm Gens Iudaica iaceret in ſordibus captiua inter Chaldæos, & multò inquinatior idolorum cultu ad quorum aras ſæpe procubuit: & populus Gentilis impia ſuperſtitione ſordidus, & totus tetrū aliquid, & impurum olens, non eò videbantur aſpirare poſſe, vt nuptias ambirent tam ſpecioſi, tam lauti, tam liberalis ſponſi. Ait ergo propheta ad populum ſic abiectum, non ideo deſpondendum eſſe animum, & à præclara cogitatione deficiendum: Ipſe enim Dominus videt, quam ambit ſponſam eſſe derelictam, mœrentem, & abiectam, nihilominus vocat, atque ſollicitat vltrò ad ſocialem torum: vſque adeò non horret, aut auerſatur nuptias. Hîc mihi videre videor quàm veriſſimum eſſe, quod *in quodam prolegomeno ſuper Cantica* docui, & præcipuè ad illud *Cantic. 8. Sub arbore malo excitaui te.* Vbi dixi in Hebræorum nuptiis vſitatum, atque legitimum eſſe, vt ſponſa diceretur à parentibus relicta recens à partu, & proiecta in A abiectionem animæ ſuæ: vnde à ſponſo excitata eſt, & ad Regij thalami ſplendorem aſſumpta. Vide quæ nos ibi latè. Vide etiam *cap.16. Ezechiel.* quod mirè cum hoc noſtro colludit. *Ezech. c. 16.*

Hæc quomodo ad populum referantur Iudaicum euocatum ex captiuitate, vbi abiectus agebat, & mœrens, ſatis docet Ezechiel *cap.16.* Quæ omnia multò meliùs quadrant in Gentilicum, qui multò magis abiectus eſt ab adoleſcentia, id eſt, vt inquit Hieronymus citatus ab Haymone; à diebus Noe, in cuius filiis Gentilitas ſuam habuit adoleſcentiā. Hæc verò ab obſcœno puerperij ſanguine purgata non eſt, neque ſalita ſale legis, neque illi præciſus vmbilicus; ſed dimiſſa eſt ingredi vias ſuas. B Quare deſpecta dicebatur à Deo *Actor cap.17. verſu 30.* eo ſenſu, quem ibi pluribus oſtendimus. 20.

Hæc mihi viſa ſunt, neque aliena à textu, neque à metaphora, in qua in præſentia verſatur oraculum: ſed credo in eadem metaphora alium eſſe ſenſum non tamen longè à ſuperiori diuerſum. Ita vt conſoletur Deus, aut Gentem Iudæam quam tanquam viduam ſeu repudiatam reliquerat illudendam à Babyloniis, & polliceatur ſe illam vocaturum ad thalamum, vnde ignominioſè ceciderat; Et illud idem promittat Gentili populo, quem Deus iam dudum excluſiſſet domo, & tanquam repudiatum ſuas ſibi res habere iuſſiſſet. Quare commodè ad hanc cogitationem ſtatim ſubiicitur; 21.

C n *Ad punctum in modico dereliqui te: & in miſerationibus magnis congregabo te.*] In eadem perſeuerat allegoria vxoris, ſiue quæ abiecta fingitur recèns nata, ſiue quæ eiūm à viro repudiata fuiſſet priùs, rurſus ad thalami ſocietatem acceſſitur. Ex eo verò quòd ad punctum temporis, ſeu ad modicum ſpatium deſerenda dicitur ſponſa hæc, quæcumque eſt, vaticinium hoc Iudæi ſibi ipſis vendicant, & à populo Gentili remouent. Quo enim modo, inquiunt, Gentes à Deo cenſeri poſſunt ad punctum temporis derelictæ, cùm à repudij tempore ad tēpus Euangelij, in quo nuptiale pactū cum Gentibus initum eſt, duo annorum millia, aut eo circiter interceſſerint. Tantum enim ſpatij interiectum eſt à tempore, quo indicta eſt Abraha- D mo circumciſio, & eius genere à Deo in populum, & poſſeſſionem ſegregato reiecta Gentilitas, ad Chriſtum Dominum, vt chronologicæ rationes indicant. Sed ſi quis ab illis roget, quomodo hæc in Iudæorum captiuitatem conueniant, cùm non poſſint ad punctum dici, cùm ſeptuaginta annis durauerit: quo ſpatio repudiata videatur Gens Iudaica: Reſpondent totum illud tempus comparatione æternitatis modicum eſſe. Immò & qui nunc Meſſiam venturum expectant, dicúntque Iudaicum genus à Deo fuiſſe derelictum, poſtquam à Veſpaſiano exciſa fuit Ieruſalem, cùm vrgentur ab E his, qui contrà obiiciunt modicum futurum ex Iſaia tempus illud, quo derelicti, vagi, & ſordidi viuant in alienis ſedibus, cùm à Veſpaſiano, vrbiſque excidio tot anni ſint exacti: Reſpondent quicquid ſit annorum comparatione æternitatis, in quam Deus miſericordias ſuas promiſit, modicum eſſe tempus, & inſtar puncti; Sic, inquit Hieronymus, ſua ſe reſponſione compungunt Iudæi. Quibus item reſponderi poteſt, quicquid ſpatij eſt ab Abrahamo ad Chriſti vſque prædicationem, vocationémque Gentium, modicum eſſe reſpectu æternitatis; præ qua quicquid tempore aliquo definitum eſt, inſtar habet puncti, immò inſtar nihili. 22.

23. Ad hanc igitur obiectionem, quæ tam de Iudæis

captis

captiuis apud Babylonios, quàm de Gentibus oſtendi poſſet à curioſo aliquo, reſpondent omnes ferme id, quod Hieronymus, nullum ſpatium temporis, quantumcumque ſit, cum æternitate compoſitum magnum videri. Si enim definito annorum ſpatio repudiata eſt ſponſa; at infinitum eſt tempus, quo pòſt hærebit in coniugali complexu, & nuptiali gaudio. Quibus ego addo hîc à pio atque attento philoſopho coniectari poſſe quanti fieri debeant miſerationes illæ magnæ, id eſt beneficia, quæ Deus promittit iis, quos in Eccleſiæ ſinum congregabit, quando illorum comparatione tot annorum repudium, tam diuturni labores à prudentibus rerum æſtimatoribus inſtar puncti cenſentur. Sic ſanè exiſtimabat Paulus cùm dixit 2. *Corinth.* 4. *Id enim quod in præſenti eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.*

Quàti æſtimandæ Dei promiſſiones.

24. o *In momento indignationis abſcondi faciem meam parumper à te, & in miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui.*] Eadem eſt ſententia, ſed quia grauis, alta atque alia verborum forma explicatur; in hac epexegeſi intelliges quæ ſint miſerationes illæ magnæ, de quibus proximè, nempe æternæ; illarum quippe loco ponitur, *In miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui.* Vnde etiam magis liquet, cur tempus illud longum viduitatis, aut repudij modicum dicatur, & inſtar puncti. Quid ſit *faciem abſcondere*, diximus *cap.* 53. *num.* 16.

p *Sicut in diebus Noë iſtud mihi eſt, cui iuraui ne inducerem aquas Noe vltrà ſuper terram; ſic iuraui, vt non iraſcar tibi, & non increpem te.*] Miſericordiam ſuam ſempiternam vocatat: quia non continget vltrà, vt reuocatam ſponſam abiiciat; & quam ſibi de nouo copulauit ex Gentibus repudiet: aut ſuas miſerationes mutet, quaſi ſuſcepti conſilij, & impenſæ liberalitatis pœniteat. Sicut in prima ſæculorum ætate illum pœnituit hominem feciſſe, & de hominum genere delendo cogitauit. *Geneſ.* 6. *Pœnituit eum, quòd hominem feciſſet in terra, & præcauens in futurum, & tactus dolore cordis intrinſecus, Delebo, inquit hominem, quem creaui à facie terræ.* Vt ergo tunc Dominus Noë, qui cum paucis fuerat ex illo communi diluuio ſuperſtes, promiſit, firmauítque cum iuramento, & ſigno, nunquam ſe iterum immiſſurum eſſe diluuium, quo terram diſſipatet *Geneſ.* 9. *verſ.* 11. Sic etiam nunc interpoſito iureiurando confirmat nunquam futurum, vt populo ad Eccleſiam aggregato iraſcatur, eo nempe modo, quo ſynagogam repudiauit, & à ſuo complexu, thalamóque ſummouit: aut quo Gentilitatem olim abieciſſe viſus eſt. Nunquam enim continget, vt Eccleſia non placeat, neque vt illa repudiata aliam ſibi Deus eius loco ſufficiat.

25. q Hîc obſeruo illud *increpem*, aut *iraſcar* non excludere curam illam, prouidentiam, & zelum, quæ Deus in Eccleſiam habet: quia ſic grauiùs videretur in eam affectus, ſi non increparet, & corrigeret. Immò hoc ſignum eſt repudiatæ ſponſæ, & quæ à ſponſo iubetur, vt ſuas ſibi res habeat, & ſuo denique arbitratu viuat. Sicut idem ſponſus denunciauit ſynagogæ *Ezech.* 16. *verſ.* 42. *Requieſcet indignatio mea in te; & auferetur zelus meus à te, & quieſcam, nec iraſcar ampliùs.* In hac autem quæ videtur lenitas, aut obliuio, indignationis ſummæ, atque offenſionis grauiſſimum documentum eſt. Qua de re grauiter, & ſæpe loquuntur Patres. Hieronymus *in illud Ezech.* 7. *Non parcet oculus meus ſuper te, neque miſerebor. Clementiſſimus medicus inciderere cupiens putridas carnes, & carioſa vulnera adurere cauterio, non parcit, vt parcat, non miſeretur vt magis miſereatur.* Gregorius *homilia* 12. *in Ezech. Peccantes quoſque tunc conſideramus ampliùs miſeros, quando eos conſpicimus in culpa ſua ſiue flagello derelictos.* Et quidem hoc ſignum beneuolentiæ ſuæ dedit Dominus *Amos cap.* 3. *Tantummodo vos cognoui ex omnibus cognationibus terræ: idcirco viſitabo ſuper vos cunctas iniquitates veſtras.* De hoc ergo amantis Patris zelo, atque ſtudio non loquitur propheta, quod correctionem, & ſalutem ſpectat; ſed de alia increpatione, atque ira, quæ cædem minatur, & ad perdendum inhiat. Nam cùm præceſſiſſet indignatio illa Domini, quæ mundum deleuit generali aquarum inundatione, quæ ab offenſo, atque hoſtili animo profecta fuit, eò refert indignationem, & increpationem, quam ab Eccleſia remouet. In quam ſi quid ſeueriùs vnquam meditatus viſus fuerit, id agit, vt corrigat, & ſanet, quod pater in filios, aut medicus in ægrotos molitur; non vt perdat, & mactet, quod facit inimicus. Accedit quod vox Hebr. קצף *katſaph*, pro qua vulgatus *iraſcar* & גער *gahhar*, pro qua *increpem*, aliquid indicat acerbum, & minax, quod ab animo naſcitur, & æſtuanti ab ira, & de cæde, atque exitio cogitanti. Neque prætereà iracundia, atque increpatio, qualis his verbis ſignificatur, ſi ſponſam ſpectent, aliquid denunciant mitius, quàm repudium.

Grauiter tunc iraſcitur Deus, cùm nō flagellat.

Hinc apparet hæc non eſſe intelligenda de Iudæorum populo à captiuitate reſtituto, quia poſtea reiectus eſt, & cui Deus multò duriùs quàm antea ſuccenſuit, exciſa iterum vrbe, & exuſto templo, & Iudæorum nomine ſi non omnino extincto, ita tamen contempto, atque vexato, vt iam penè pro mortuo cenſeri debeat. Quare licèt in aliis multis Ieruſalem ex captiuis inſtaurata, & amplificata deinde plurimùm, typus Eccleſiæ fuerit, vt *cap.* 40. *in principio* ex plurimorum ſententia latè probauimus: quod tamen ad perpetuitatem pertinet, de qua nunc Iſaias, typus eſſe nullo modo poteſt. Neque neceſſe eſt, vt conſtat, & docent communiter Patres in typo, aut parabola, omnia prorſus debere cum veritate conſentire, ſatis eſt enim ſi in eo conueniant, cuius gratia typus aut parabola producitur. 26.

Nunc quando diluuij Noë Dominus meminit pacíſque promiſſæ, depulſique metus interpoſito iureiurando, & ſigno omnibus omnino populis aſpectabili, hîc etiam nos ſignum quæramus pacis ſempiternæ; quando de iuramento conſtat. Eſt autem ſignum magis illuſtre, ac certum, quàm Iris inter nubes effulgens; de quo ſatis perſpicuè & latè *capite præcedenti*, Chriſtus nempe ſeruator, & vindex humani generis, mortem illam & ignominiam ſubiens, quam deſcripſit propheta. Signum, inquam, neque minùs varium, dum ſputis, & ſudore, dum ſanguine toto fluenti corpore reſpergitur, dum flagris conciditur, dum liuet vibicibus, dum colaphis rubet, quàm Iris tot varia, atque illuminata coloribus. Adumbrari in arcus cæleſtis ſplendore, qui pacem terris indicat, & firmat, Chriſtum, ſuper quem fuit diſciplina pacis noſtræ, docet Gregorius *homilia* 8. *in Ezechiel. Declarat*, inquit, *cæleſtis arcus baptiſmum Chriſti, qui fit per aquam, & ignem, id eſt, Spiritum ſanctum inſtar ignis intima cordis purificantem, &c. Qui arcus in nube apparet, quia Saluatoris noſtri caro ſignatur: ſi quidem virtus eius in Dominica incarnatione, & in effuſione prædicationis* 27.

Chriſtus moriens ſignum pacis inſtar arcus cæleſtis.

Chriſti vulnera cur ſeruata.

oſtendi

oſtenditur. Auguſtinus 12. *contra Fauſtum Manichæum*, ait ita ſignificari Chriſtum per arcum, ſicut per leonem, agnum, & lapidem. Sed omnium clariſſime Rupertus explicans illud *Geneſ. cap. 6. Ego ſtatuam pactum meum vobiſcum*, poſtquam dixit id quod Gregorius ſupra, addit. *Iris quidem temporarium ſignum eſt, videlicet cum nubibus & præſente mundi ſtatu tranſiturum. At ſpiritualis iris, cuius illa corporalis vmbra eſt, æternùm manebit ante conſpectum Patris in carne filij eius, in cicatricibus vulnerum pedum, manuum, & lateris eius.*

28. Chriſtus pro nobis aduocatus. Vt autem *Geneſ. 9.* dixit Dominus Noe, *Cùm obduxero nubibus cœlum, apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei*, ſic etiam nunc dicit Eccleſiæ: B Cùm obſcurari cœlum cœperit, & à ſua offenſione aliquid durius intentari, leniendum eſſe animum, & ad miſericordiam inflectendum: cùm varius ille atque illuſtris arcus oculis ſuis apparuerit. Ideo enim vulnerum ſtigmata, atque veſtigia ſeruat in cœlo, quibus non aliter ſplendet, & radiat, quàm iris verſicolor in nubibus, vt habeat, quo & iram Patris molliat, & illum ad memoriam renouet antiqui fœderis, & obligatæ fidei per Iſaiam ſæpe in capite præcedenti, illis maximè verbis, *Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum.* Cùm itaque arcum illum cæleſtem, & diuinum, tanta varietate diſtinctum viderit Deus, fœderis ſui recordabitur, ne diſſipet terram. Qua de re ſæpe & grauiter Patres. S. Thomas *in 1. Epiſtolam Ioan. cap. 2.* ad illud. *Aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum.* Sic enim ibi, *Apud Patrem, vt iram Patris habeat placare repræſentando Patri naturam humanam cicatricibus ſignatam.* Et paulò pòſt idipſum repetit, & citat illud Bernardi *Securum habe homo ad Deum acceſſum, vbi ante Patrem filium, ante filium habes matrem: mater oſtendit filio pectus, & vbera, filius oſtendit Patri latus, & vulnera, nec vlla eſſe poteſt repulſa, vbi occurrunt tot charitatis inſignia.* Idem Cyprianus oratione de baptiſmo Chriſti. *Sacrificium*, inquit, *quod in carne obtulit, ſic in beneplacito Dei conſtat, acceptabile, & perpetua virtute conſiſtit, vt non minùs in conſpectu Patris oblatio illa ſit efficax, quàm ea die, qua de ſaucio latere ſanguis, & aqua exiuit, & ſemper reſeruata in corpore plaga ſalutis humanæ exigant pretium, & obedientia donatiuum.*

29. [r] *Montes enim commouebuntur, & colles contremiſcent: miſericordia autem mea non recedet à te.*] Hic locus eodem prorſus modo intelligendus, quo ille ſuprà *cap. 51. Quia cœli ſicut fumus liqueſcent, &c. ſalus autem mea in ſempiternum erit.* Qua dicendi ſpecie ſtabilitas ſignificatur, & firmitudo eorum quæ dicuntur. Vide omnino quæ ad illius loci explicationem adduximus. Cùm addit, *fœdus pacis mea non mouebitur*, alludit ad fœdus illud, quod Deus pepigit cum Noe de non inducendo iterum diluuio. quaſi dicat; Non minùs firmum futurum hoc pactum, quàm illud fuit.

30. Arca Noe Eccleſiæ typus. [ſ] *Paupercula, tempeſtate conuulſa, abſque vlla conſolatione.*] Videtur hìc Deus adhuc reſpicere tempora Noe, quando totum mundum generalis inundatio deleuit. Appellat credo Eccleſiam *pauperculam tempeſtate conuulſam* reſpiciens ad arcam, quæ ex tot hominum millibus cum octo tantùm animabus iactabatur fluctibus, neque portum intuebatur vllum, ad quem ex illa iactatione appelleret. Hæc porrò arca figura fuit Eccleſiæ, vt docet Petrus *epiſt. 1. cap. 3. verſ. 21. Cùm fabricaretur arca in qua pauci, id eſt, octo animæ ſaluæ factæ ſunt per aquam. Quod & vos ſimilis forma ſaluos fecit baptiſ-* A *ma.* Quæ primo tempore non minùs ferebatur durè perſecutionum procellis, quàm arca Noe circumferebatur periculosè, & variè, aquarum incrementis.

[t] *Ecce ego ſternam per ordinem lapides tuos.*] *Pauperculam* appellarat Eccleſiam, nunc illam opulentam, & ſplendidam futuram oſtendit. De qua mutata iam allegoria vt videtur nonnullis, ſeu vt apparet non improbabile, eadem adhuc continuata (in quo tamen parum momenti eſt, dummodo de ſententia conſtet, quæ, vtcumque capias, eadem ſemper eſt) ita loquitur, ac ſi nobile aliquod eſſet ædificium. Dixi eandem allegoriam videri adhuc pertexi, quia priùs Eccleſiam ex Gentili, atque Iu- B dæo promiſcuè collectam *deſertam* vocarat, & *abiectam*; nunc verò quia ad thalamum vocat, & communem domum apparatu Regio inſtructam ex nuptiali ritu, illam miris modis & pretioſis lapidibus exornat; vt nouorum coniugum genialem, & hilarem habitationem decet. Qualis ab ſponſa deſcribitur *Cant. cap. 1. Tigna domorum noſtrarum cedrina, laquearia noſtra cypreſſina.* Sed credo Eccleſiam ipſam ſignificari tanquam domum, aut ciuitatem egregiè munitam, & ſingulari arte, atque ſplendida ac pretioſa materia conſtructam, quia id potiùs contextus indicat, & ea ſimilitudine ſæpius explicatur in teſtamento nouo. Eam enim allegoriam Chriſtus ipſe Eccleſiæ auctor, & architectus oſtendit, cùm ſuper Petrum, tanquam ſuper petram ædificandam dixit Eccleſiam. Et Ioannes qui *in* C *Apocalypſi* eodem ferme modo Eccleſiam deſcribit, quo *hic* Iſaias. 31.

[u] Quinam in lapidum ordine intelligantur, obſcurum eſt, & variè hominum cogitationi propoſitum, ſed vt ab aliis abſtineam, rei ipſius natura id videtur velle, vt in ordinatis lapidibus varij fidelium ſtatus, atque ordines ſignificentur; quibus Eccleſia non aliter, atque moles aliqua, aut fabrica lapidibus conſtruitur, & conſtat. Si cuncta perſequar, quæ vel ad lapidum, qui hìc commemorantur naturam, & proprietatem ſpectant, vel ad eorum myſticam ſignificationem, longus ſim. Quæ quia obſcura ſunt, neque quid certum afferri poteſt, & tamen ab interpretibus dicuntur plurima, D à longiori diſputatione abſtinebo, & tantùm dicam, quæ ſine expoſitionis incommodo præteriri non poſſunt. 32.

Primùm vbi noſter *ſternam per ordinem lapides tuos*, omnes cum Chaldæo præter L x x. vertunt *ſternam in ſtibio lapides tuos*, id eſt, vt exponit Hieronymus, in ſimilitudinem comptæ mulieris, quæ oculos pingit ſtibio, vt pulcritudinem oſtendat ciuitatis. Qui loquendi modus ſignificat exculptos fore lapides, & affabrè cælatos ab optimo artifice, ſicut ad ſpeciem formandam fuco illinitur fœminarum ſpecies. Septuaginta pro *in ordine* ſeu *in* E *ſtibio*, *Carbunculum* vertunt, ita vt tota ciuitas ſternenda dicatur carbunculis. Quomodocunque accipias, vox Hebraica פוך *puk*, quæ variè, vt vides, ab interpretibus redditur, ſignificat in lapidibus externendis futurum eſſe ordinem, nitorem, & anaglyphen, ſeu cælaturam. Chaldæus hos lapides ſternendos dicit in pauimento, *ſternam*, inquit, *in ſtibio lapides pauimenti tui*, quod mihi videtur ſatis dici poſſe probabiliter; quia de aliorum lapidum ſitu ſtatim agitur ſeparatim. Porrò in illuſtribus, ac Regiis domibus, quæ & Baſilicæ dictæ, & maximè in templis, plurimum eſſe dignitatis, & nitoris in pauimento, & nos quotidie videmus noſtro ſæculo, 33. Eccleſiæ dignitas, & ſpecies.

lo,& quæ eſt potentium,& plus ſatis lautorum hominum inſania, videbimus quotidie cum maiori ſumptu,atque inſolentia fieri.

34. Inſterni olim pauimenta lapidibus pretioſis in eóque maximè ſpectari potentium faſtum, atque luxuriem, res eſt comperta ſatis. De Iulio Cæſare tradit Suetonius in eius vita *cap.* 47. in caſtris quoque habuiſſe eiuſmodi delicias, ſiue nugas,eáſque quocumque pergeret circumtuliſſe. Et Plinius *lib.* 37. Neronis viatoria cubicula vnionibus conſtructa queritur. Apuleius, *Pauimenta ipſa lapide pretioſo cæſim diminuto in varia picturæ genera diſcriminantur.* Quod vſitatum eſſe viris quoque minùs ſplendidis docet Martialis, qui in virum ignobilem eam ob cauſam ſatyrica inuehitur licentia *lib. epigr.*

Calcatúſque tuo ſub pede lucet onyx.

Porrò in pauimento lapidibus ſtructo, aut ſectili ebore,aut alia pretioſa materia vario optimè exprimitur Eccleſiæ dignitas, & maieſtas, quæ pedibus calcat,quod honoris, & maieſtatis cauſa geſtari ſolet à Regibus in annulis, & coronis, quæque in mundo muliebri primo loco numerant nimis lautæ,atque elegantes fœminæ.

35. Eccleſiæ fundamentum. x *Fundabo te in ſapphiris.*] De pauimento hactenus: nunc de fundamento,id eſt, de ea parte, quæ molem fundat, & ſuſtinet, aut parum extat à terra; nam ea iam communiter fundamenta dicuntur. Quod quàm ſit pretioſum & pulcrum,declarat ipſa ſapphirorum natura; qui vt ſcribit Plinius *lib.* 37. *cap.* 9. punctis collucent aureis: quorum color ſimilis eſt cœlo cùm ſerenus eſt *Exod.* 24. Hæc autem fundamenta Apoſtolos eſſe multa perſuadent. Primum quòd *Apoc.cap.*21.*fundamenta ciuitatis* dicuntur Apoſtoli. *Et murus ciuitatis habens fundamenta duodecim; & in ipſis duodecim nomina duodecim Apoſtolorum agni.* Et Paulus Apoſtolos *fundamenta* vocat Eccleſia *ad Epheſ.*2.*Superædificati ſupra fundamenta Apoſtolorum.*Ita Cyrillus & Procopius. Color autem ſapphirinus indicat qualis fuerit Apoſtolorum olim, & nunc Apoſtolicorum virorum eſſe debeat cogitatio, ac vita: ita vt ſpecies tota cæleſtis ſit, neque quicquam ſapiant, aut oleant niſi cæleſte. De quibus adducit Hieronymus illud Ariſtophanis de Socrate. *Scando aerem ſolémque deſpicio.* Sed longè meliùs Apoſtolus *ad Philip.*3.*Noſtra autem conuerſatio in cœlis eſt.*

36. y *Et ponam iaſpidem propugnacula tua.*] De iaſpide multa hîc Hieronymus, & Epiphanius *lib. de* 12. *lapidibus.* Hæc verò quòd ad colorem attinet, varia eſt,viridis,cœrulea, glauca, purpurea,pro locorum, regionúmque diuerſitate vt docet Plinius *lib.*37.*cap.*8.Ex ea dicuntur elaborata ciuitatis propugnacula. Vbi vulgatus *propugnacula tua*, Hebraicè eſt שמשותיך *ſimſothaik*, à radice quæ *ſolem* ſignificat,vnde quidam *feneſtras* interpretantur, quæ ſolares radios admittunt, & domum illuminant. Sed non minùs, aut ſignificanter, aut propriè eo nomine explicantur propugnaculorum, in quibus murorum pinnas intelligo,ſplendor, & forma;quæ non aliter lucent in Eccleſiæ mœnibus, quàm in cœlo ſol; Neque video cui rei meliùs aſſimilari poſſint illa propugnacula, quàm Soli, ſiue propter ſplendorem, ſiue etiam propter figuram; Nam veriſimile eſt ex aliis Hebræorum fabricis extrema murorum faſtigia collucentibus quibuſdam globis, ſeu ſphæris eſſe coronata, quod indicat meo

Doctor qualis. iudicio illud *Cant.* 8. *Si murus eſt, ædificemus ſuper eum propugnacula argentea.* Iſta propugnacula tam

A longè,atque altè radiantia, Hieronymus, Cyrillus, & Procopius doctores eſſe putant,qui doctrina ſua prauorum dogmatum tenebras Euangelij ſplendore diſcutiunt, & pro Eccleſia contra hoſtium vim, & inſidias propugnant.

z *Et portas tuas in lapides ſculptos.*] Puto hic hypallagen eſſe vſitatam in Scriptura,qualis eſt illa *Iudic.* 1. *verſ.*8. *Ciuitatem miſerunt in ignem*; pro *ignem miſerunt in ciuitatem.* Et 4.*Reg.*9.*Poſuit in ſtibio oculos ſuos*, id eſt, *ſtibium in oculis*, iuxta Hebraicum textum. Quare ſi ad hunc modum verba commutes, *& lapides ſculptos in portas tuas*; ſenſus erit idem ſed apertior. Pro *ſculptis* L x x. transferunt *cryſtallum.* Iuxta quam tranſlationem Cyril- Sacerdos qualis.

B lus ſanctos myſtagogos eſſe cenſet, qui etiam priùs propugnacula vocati ſunt. Nam & hi portæ ſunt illius ciuitatis myſticæ; id eſt, Eccleſiæ: quia per illos plurimi in eam ciuitatem, ſiue familiam introducuntur. Quorum vita quantum ſplendere debeat, docet natura cryſtalli quæ perſpicua eſt, & latè candicat à ſole percuſſa. Quòd ſi materiam conſideres,vnde cryſtallus concreta eſt, quæ fluida eſt,neque in ſe firmitatem habet, aut conſtantiam, (quid enim ſolidum,ac ſtabile ſperes ab aqua,quæ, vt dicit Hieronymus hîc,vehementiſſimis Alpium frigoribus, & inacceſſis Soli ſpeluncis in cryſtallum, id eſt, in lapidis duritiem concreſcit) facilè conſtat, quàm alius à ſe ipſo,id eſt, à natura molli,

C & fluida eſſe debeat, qui in ciuitatem Dei alios, aut vocat,aut admittit.

Sin verò Vulgati ſermonem aſpicias,quod omnino fieri debet, ſatis etiam *ſculpturæ* nomine exprimitur illarum portarum natura, de quibus nuper. Neque enim lapides illi rudes eſſe debent,aut impoliti; ſed ſculpti, & ad ſuum exemplar efformati. Exemplar voco Chriſtum, qui ſe oſtium eſſe dixit *Ioan.* 10. *verſ.* 9. qui etiam *lapis* vocatur *Zacharia cap.*3.*cælatus a Deo*: in quo ad viuum expreſſæ, imò in quo ſpirant veræ virtutum omnium imagines. Ad eius ergo ſimilitudinem cælari ſe, ac ſculpi non ſolùm ſinant, ſed etiam ſtudeant, qui volunt in ciuitate Domini portæ videri, alioqui quod de Phariſæis dixit Chriſtus *Matth.* 23. *neque* 38.

D *ipſi intrabunt in regnum cælorum,neque alios eò ſinent intrare.*Facit ad hanc expoſitionem tranſlatio Symmachi, qui vertit *lapides ſculpturæ*, & Aquilæ qui *lapides perforationis* ſeu *terebrationis*, in quibus imagines,aut emblemata altè inciſa deſignantur.

aa *Et omnes terminos tuos in lapides deſiderabiles.*] Similem hypallagen hîc video, & ita tranſmuto, Ponam in terminis tuis lapides deſiderabiles. Hieronymus ait nullum futurum eſſe lapidem in omnibus Eccleſiæ finibus,qui pretioſus non ſit: atque ideo qui in Eccleſia fuerit, nihil videbit, aut etiam nihil calcabit, niſi aurum, aut deſiderabilem, id eſt, pretioſum lapidem. Septuaginta pro *terminis* reddidere *muros*, ſenſu non admodum diuerſo, quo ſignificant in toto Eccleſiæ opere, nil 39. Hypallage.

E eſſe quod non à pretioſo lapide colluceat: nam de pauimento,fundamento, faſtigio, ſeu propugnaculis iam dictum erat: Reliqua omnia, quæ illis vocibus comprehenſa non fuerunt, murorum nomine ſignificantur.

Ego hîc alium ſenſum ſubodorabar magis cum vulgata tranſlatione conſentientem, qui etiam à me explicatus eſt ſuper Zachariam *cap.* 9. ad illud. *Lapides ſancti eleuabuntur ſuper terram.* Vbi ſanctos lapides, quos hîc videtur propheta vocare deſiderabiles,diximus eſſe, quaſi quædam ſigna, ſeu ter- 40.

minales lapides,quibus Deus ſicut agricolæ ſolent, ſuam poſſeſſionem definit, ab aliiſque ſeparat, & diſtinguit. Videtur autem alluſum ad lapides,ſeu titulos, quos Deus in terra promiſſionis excitari iuſſit: *Deuter. 27. Cùm transieris Iordanem in terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, eriges ingentes lapides, & calce læuigabis eos, vt poſſis in eis ſcribere omnia verba legis huius.* Quod tranſmiſſo Iordane fecit Ioſue *cap.* 8. Hæc autem videntur eſſe ſigna, de quibus *Pſalm. 64. Turbabuntur Gentes, & timebunt, qui habitant terminos à ſignis tuis.* Eſt autem veriſimile Chaldæos rerum Iudaicarum potitos abſtuliſſe illa ſigna, & lapides in quibus diuinæ legis phylacteria,ſeu monumenta continebantur, & eorum loco repoſuiſſe patriæ religionis titulos, & lapides, qui Iudæis horribiles, & execrabiles erant. Illorum ergo loco excitari dicuntur electi ac deſiderabiles lapides, qui diuinam contineant legem,& alios ſuæ religionis, & muneris admoneant. Hùc credo alluſum: & in hac hiſtoria ſignificari, quid Deus in Eccleſia præſtiturus ſit, in qua ipſe erit vnus, qui dominetur, & præſit,quaſi iam nulla futura ſint reliqua ſigna gentilicæ impietatis: Quæ in regionibus impiæ religioni deditis excitata fuiſſe Deus ipſe indicat *Leuit. 26. Non facietis vobis idolum, & ſculptile, nec titulos erigetis, neque inſignem lapidem ponetis in terra veſtra, vt adoretis eum, ego enim ſum Dominus Deus veſter.* Myſticum ſenſum horum lapidum, atque ſtructuræ, vide apud Gregorium *lib. 18. Moral. cap* 19.

41. Doctor qualis. b b *Vniuerſos filios tuos doctos à Domino: & multitudinem pacis filiis tuis*] Hîc per zeugma repetendum, *ponam*. Poſtquam de myſtagogis,& doctoribus egit propheta, quos in propugnaculis & portis deſignarat; oſtendit qua doctrina fideles excolendi ſint. Quia re vera ſi doctores tales ſe præstiterint in docendo, quales in lapidibus, aut ſplendentibus,aut cælatis expreſſimus, non tam ipſi docent, quàm Deus, qui in ipſis operatur, & viuit, atque adeò in ipſis loquitur, & docet. Erunt itaque Eccleſiæ filij à Domino docti, quia non aliam audient doctrinam, niſi quam inſpirauit Deus. Hæc quidem vera,ſed aliquid etiam altiùs intuetur propheta, vt optimus non ſolùm interpres, ſed autor Chriſtus explicuiſſe videtur *Ioan. 6. verſ. 46.* Nam cùm dixiſſet. *Nemo poteſt venire ad me niſi Pater qui miſit me traxerit eum*, ſubiecit ſtatim hoc Iſaiæ teſtimonium: *Eſt ſcriptum in prophetis, Erunt omnes docibiles Dei.* Quia nimirum Deus interno motu, & magis arcano ſermone Eccleſiæ filios ad Chriſtum adducet.

42. Ioan. 6. c c Vbi noſter interpres *doctos à Domino.* Et Chriſtus *Ioan. 6. docibiles Dei.* Hebr. eſt לִמּוּדֵי *lemude*, quod nomen eſt verbale potiùs quàm participium paſſiuum, quale eſt *paul*, in coniugatione *Cal*: vnde Chriſtus vertit *docibiles*. Hi verò ſunt, vt inquit Hieronymus, iidem, qui diſcipuli. Qui autem futuri ſint illi, explicuit hîc Hieronymus, dum in eandem ſententiam citat illud Ieremiæ *cap. 31. Dabo legem meam in mentibus eorum; & ſuper cor eorum ſcribam eam.* Magna ſanè Eccleſiæ commendatio, habere Deum magiſtrum, qui & ipſe interna luce inſtituat animos, & doctores habeat ſic inſtitutos,vt per ipſos, & in ipſis loquatur, vt de ſe Paulus prædicat *2. Corinth. 13. An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus.*

43. Sed dubitabis cur, cùm hæc verba ab vno dicta ſint Iſaia, ſic à Chriſto *Ioan. 6.* citentur, quaſi ab omnibus ſeu certè à pluribus prophetis prodita fuiſſent. Aliæ ab aliis ſolutiones adducuntur, mihi hæc probatur maximè, quæ dicit hanc ſententiam à multis prophetis eſſe repetitam; citari tamen ex omnibus vnum Iſaiam, quia & ipſe apertiùs locutus eſt, & quia magis Iudæis notus,& præcipuo loco inter prophetas habitus. Cum Iſaia verò valde colludit Ieremias *cap. 31.* de quo nuper: *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam.* &c. *& non docebit vltra vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum dicens, Cognoſce Dominum: omnes enim cognoſcent me*, &c.

His Eccleſiæ filiis,qui ad Dei præcepta,& legem animo inſitam faciles ſe, & dociles præbebunt, & omnem Dei afflatum auidè ſuſcipient, multitudinem pacis Deus promittit. Quòd ſi minùs aliquando à Deo ſibi præſtari experiuntur, ideo certè eſt, quia minùs ſe diuinis præceptis obſequentes præbent. Sic ad illos Deus ſuprà *cap. 48. verſ. 18. Vtinam attendiſſes mandata mea, facta fuiſſet ſicut flumen pax tua; & iuſtitia tua ſicut gurgites maris.* Hanc pacis multitudinem Hieronymus doctrinæ diſcipulorum attribuit, quæ,vt diximus, Dei doctrina eſt. 44.

d d *Et in iuſtitia fundaberis.*] Hieronymus futuram eſſe Eccleſiæ fundationem in iuſtitia ideo dicit: quia Eccleſia non ſolùm Iudæis,ſicut antea Synagoga,ſed etiam Gentibus patebit. Hoc verò genus quoddam videbitur eſſe iuſtitiæ, id eſt, æqualitatis, quæ nullum hominum genus aut conditionem excludit. Sed neſcio quomodo hæc expoſitio aliquid inurere Deo videtur iniuſtitiæ, cùm ad illud vſque tempus populum videatur reieciſſe Gentilicum, in quo aliquid iniuſtitiæ videtur agnoſcere illa ſententia. Mihi magis probatur, quod ab aliis communiter dicitur, licèt non eodem modo ſignificatum, nempe quòd ſanctè, & ordinatè fundanda ſit Eccleſia. Adamus hanc explicationem eſſe putat ſuperioris ſententiæ, quæ ſignificat omnia in Eccleſia iuſtè, atque ordinatè fieri. Haymo ſolidandam dicit Eccleſiam fide, ac virtutum plenitudine. Foreirus Eccleſiæ firmitatem eſſe iuſtitiam, quam habebit à Deo. Omnia eodem penè referuntur, nempe in ſanctitate, & iuſtitia fundatum, & conſeruatum iri domum illam, quam Dominus eo modo conſtruxit,qui à nobis paulò antè deſcriptus eſt. 45.

e e *Recede procul à calumnia, quia non timebis, & à pauore, quia non appropinquabit tibi.*] Quid ſperare debeat Eccleſia in iuſtitia fundata, paucis verbis, iiſque valde ipſa verborum forma ſignificantibus docet. Quidam exiſtimant in hac promiſſione conditionem eſſe ſubaudiendam accommodatè ad Eccleſiæ fundamentum, quod eſt iuſtitia, de qua nuper, hoc ſenſu. Si volueris ab iniuria ſeruari, & à potentiorum hominum violentia, recede procul ab omni calumnia, & fraude: id eſt iuſtitiam ſerua; quæ tibi ſtabile fundamentum, & monimentum erit,& ſic etiam ab omni timore recedes, à quo te ipſa iuſtitia ſecurum præſtabit. Ita Hieronymus, Cyrillus, Haymo, & Dionyſius. Quæ expoſitio eſt valde cum textu conſentiens, & patronorum autoritate ſatis munita. Sed inclino magis in aliorum ſententiam, qui putant hîc Eccleſiæ à Domino promitti ſecuritatē ab omni calumnia, & ab eo, quod ab aliorum iniuriis, aut violentia prouenire poteſt; ita vt nihil timendum ſit. Nam ſi ingruant mala, ſi conſpirent in eam hominum, dæmonúmque vires, & fraudes, premi quidem aliquando, opprimi verò nunquam poterit. Quam ſententiam omnino indicant quæ deinde ſequuntur, quibus à calumnia 46. Eccleſiæ ſecuritas.

calumnia, & vi metus remouetur. Et illam amplectuntur S. Thomas, Adamus, Foreirus, Vatablus, Montanus, & Oſorius.

47. ff Hîc duo notanda, alterum, imperatiuum *recede*, poſitum eſſe pro futuro *recedes*, quod in prophetis frequens eſt, maxime apud Iſaiam. Alterum *pauorem*, ſecundo loco (nam in illo *non appropinquabit tibi*, *pauor* ſubaudiendus) ſumi pro re, quæ pauorem alicui afferre poſſit, nempe pro armis, calumniis, inſidiis, &c. Iuxta ea quæ diximus ſuprà *cap.3. num.15. & cap.21. num.56.* nempe actionem aliquam pro eius materiâ vſurpari, vt *laudem* pro re laudabili, *timorem* pro re horribili. Hoc ergo modo *pauor* dicitur non *appropinquaturus*, quia res quæ timeri debeat, non appropinquabit; Quo B ſenſu dicitur alibi, *timorem eorum ne timueritis*, id eſt, arma ſeu minas.

48. gg *Ecce accola veniet qui non erat mecum: aduena quondam tuus adiungetur tibi.*] Duo timere poterat Eccleſia primogenita, id eſt, puſilla adhuc, neque dum aucta filiis, opibus dignitatéque potentibus, calumniam, & vim, à calumnia ſecuram eſſe Dominus iubet; quia illi, à quibus fraudes timeri poterant, & calumniæ, in Eccleſiæ complexum ſe, & fidelium ſocietatem dabunt: qui nimirum alieni quondam fuerant, & omnino animis, ſtudiiſque diuerſi. Quales fuerunt Gentiles, quibus Chriſtus crucifixus ſtultitia priùs exiſtimabatur 1. *Corint.1. ver.23.* Hîc videtur Eccleſiæ à Chriſto fundatæ Gens Iudæa à captiuitate rediens, quaſi typus ſupponi, quia plurimi alieni priùs à Iudæorum C religione, cùm viderent renouatam gloriam, & inſtauratum templum, eorum ſe ſacris, ac legibus adiunxerint, de quibus copioſè egimus in Commentariis ſuper Zachariam ad illud *cap.8. Uſquequo veniant populi.* Hæc de calumnia, de vi quod ſequitur.

49. hh *Ecce ego creaui fabrum ſufflantem in igne prunas, & proferentem vas in opus ſuum: & ego creaui interfectorem ad diſperdendum.*] Duo metum afferre poterant, quod ad vim attinet, & pauorem, bellici nimirum apparatus, & arma, qualia ſunt gladius, arcus, & quæ dicuntur vaſa bellica, quæ formant, & cudunt fabri, qui follibus excitant prunas in conflatorio, ſeu fornace, & ferrum, & chalybem con- D tundunt, & molliunt: deinde milites, ac bellatores, qui armis ab artifice elaboratis ad aliorum perniciem vtuntur; Ait ergo Deus tam fabros qui prunas accendunt follium inflatu, malleóque tundunt ignitum ferrum, quàm qui arma tractant, cædémque aliorum meditantur, à ſe eſſe creatos: quare à ſe omnes facilè diſſolui poſſe, ne quod vas bellicum formare ac vibrare queant: aut certè mutato ſtudio arma conflent, & tractent, non ad vexandam, & perdendam, ſed ornandam & defendendam Eccleſiam. Hic mihi ſenſus expeditus eſt, & ſine vllo obice ad quem literalis curſus offendat.

Nil eſt quod timeat qui ſub Dei tutela eſt.

50. Hieronymus hîc allegoricum ſeorſum adhibet, & fabrum eſſe putat Diabolum, qui habitu ſuo prunas ardere facit; & vaſa fingit, id eſt, homines E ſceleſtos inflammat, quibus tanquam ſuæ inuidiæ, & improbitatis inſtrumentis vtitur ad bonorum exitium. Quales fuerunt Simon, & Elimas, vterque magus, & alij eiuſdem ingenij, vulpes quæ vineas demoliri ſtudent. Cum Hieronymo ſentiunt Haymo, Dionyſius, & Adamus. Hos itaque dicit Do- A minùs facilè à ſe perdi, aut impediri poſſe, cùm à ſua omnipotenti dextera habeant, vt ſpirent, & viuant. Quæ res valde confirmare ac ſolari debet eos, qui in Eccleſiæ fide atque complexu ſunt: cùm illius autor, & conditor Deus, omnia aduerſariorum machinamenta & vires diſſoluere poſſit, ac perdere ſolo nutu.

ii In illo, *proferentem vas in opus ſuum*, Hypallagen eſſe puto accommodatam fabro, qui eò confert opus, & laborem, vt vas procudat, & fingat. Quare ſi ita legas, *proferentem opus ſuum in vas*, erit ſanè ſententia eadem, ſed minùs obſcura.

kk *Omne vas quod fictum eſt contra te non dirigetur: & omnem linguam reſiſtentem tibi in iudicio* B *iudicabis.*] Coniunxit hîc propheta calumniam, & vim, de quibus nos proximè. Hinc meo iudicio planè liquet veram eſſe explicationem, quam ſuprà adduximus *num.46.* de calumnia, & pauore, à qua ſecuro atque pacato animo Deus eſſe, iubet Eccleſiam. Reddit enim rationem cur à vi & armis, nihil metuendum ſit, quia nullum vas, id eſt inſtrumentum bellicum, quod faber excuderit, aut quod hoſtis vibrauerit, aut torſerit, dirigetur, id eſt, ſucceſſum habebit, quem optauerit, aut ſibi propoſuerit inimicorum rabies & calliditas; Omnia enim tela irritas habebunt petitiones ſuas. Deinde oſtendit à calumniis nihil eſſe periculi, quæ à linguis, aut periuris, aut maledicis conflari ſolent, cùm innocens alicuius nomen falſi criminis reum C iudicio vexant. Quia omnis lingua, quæ falſi aliquid obtenderit, iudicio condemnabitur: & ſuis ſe telis configet potiùs, quàm illum, quem ſceleris arguebat, inſontem. Oriuntur autem pericula, de quibus priori loco ab Imperatoribus, & Tyrannis, qui armis, & potentia formidabiles ſunt; calumniæ verò à philoſophis, & hæreticis, qui lingua valent, & fraudes & cauillos artificioſè nectunt; Sed pericula depellet maior vis & potentia, calumnias confutabit lingua melior, & eloquentia multò maior, quam adhibebit patronus innocentiæ Deus. 51.

ll *Hæc eſt hæreditas ſeruorum Domini & iuſtitia.*] Hæc ſors manet Dei ſeruos qui illius ſe fidei credent, & illius ſe voluntati conſecrabunt. Qui D tanquam viui lapides in ædificio illo nobili, de quo priùs, conſtruentur, in quo tanquam ſapphiri, & iaſpides ſplendere volent. Hæc iuſtitia eorum, quia Deus iuſtorum meritis iſta tribuit, vt à calumniis & metu defendat. Id enim meretur animus, qui, quò Deo placeat, à ſe ipſo deficit, & omnia mundi blandimenta contemnit. 52.

Septuaginta paulò aliter hæc conuertunt: *Ecce ego creaui te, non vt faber ferrarius ſufflans in igne prunas, & proferens vas in opus: ego autem creaui te non in perditionem.* Quem locum iuxta hanc tranſlationem interpretantes Hieronymus, & Cyrillus exiſtimant hîc, aliquid diſcriminis ſtatui inter opus à fabro perfectum, & Eccleſiam à Deo conſtitutam. E Vas enim quodcumque ita fingit faber, vt vbi illo ad opus mente conceptum vſus fuerit, ſtatim abiiciat, ac perdat, neque in formando vaſe, iam eius commoditatem ſpectat, quàm intuetur ſuam. Sed Deus non ſic, opus enim ſuum ornabit, cuſtodiétque ea prouidentia, ac fide, vt ab omni fraude calumniatorum, & ab omni vi armati hoſtis tueatur, ac ſeruet. *Hæc de capite quinquageſimo quarto.* 53.

Deus quid ſpectet in formatione hominum, & Eccleſiæ.

Argumentum quinquageſimi quinti capitis Iſaiæ.

CVM in fine præcedentis capitis oſtendiſſet Deus, qualis eſſet ſors, & hæreditas illorum qui legem à Domino propoſitam ſtudioſè colent; nunc ad hæreditatem illam vberem, & lætam Gentes inuitat: monétque ne ſumptus, & vires in vanarum rerum conſectatione perdant. Cum autem vitam, & omnium rerum abundantiam promiſiſſet, docet, quem in vera religione ſectanda ducem, & præceptorem intueri debeant: cui vt adhæreant monet, mutato ſuperioris vitæ conſilio; quod longè abeſt ab illo, quod à Deo eſt, & ad vitam ducit. Ad extremum fidelia, & firma ſua fore promiſſa niuis, atque imbris comparatione docet.

CAPVT LV.

1 [a] *OMNES ſitientes venite ad aquas:* [b] *& qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite;* [c] *venite, emite* [d] *abſque argento, & abſque vlla commutatione, vinum &* [e] *lac.*

2 [f] *Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem veſtrum non in ſaturitate?* [g] *Audite audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in craſſitudine anima veſtra.*

3 *Inclinate aurem veſtram, & venite ad me, audite, & viuet anima veſtra;* [h] *& feriam vobiſcum pactum ſempiternum, miſericordias Dauid fideles.*

4 [i] *Ecce, teſtem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus.*

5 [k] *Ecce, gentem quam neſciebas, vocabis: & gentes quæ te non cognouerunt, ad te current* [l] *propter Dominum Deum tuum, & ſanctum Iſrael: quia glorificauit te.*

6 [m] *Quærite*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 DOMVM ſplendidam nuper, & luculentum conſtruxi tabernaculum; nunc menſam fidelibus, & conuiuium inſtruo. Quare, ô vos, quorum explete ſitim nequeunt humana pocula, venite ad iugem, & viuentem aquam: neque vos retardet pecuniarum inopia; non enim venalis eſt menſa. Quocirca quibus argenti copia non eſt, properate, & comedite: venite, atque emite nulla impenſa pecunia, & abſque vlla permutatione vinum, & lac.

2 Quare, ſi quid eſt vobis argenti, illud non emendis panibus, ſed rebus aliis inanibus, atque futilibus impenditis? Quare vos ipſos laborando conficitis in illarum rerum comparatione, quæ famem veſtram ſatiare non poſſunt? Audite ergo me, audite, inquã, me ſeriò, atque attentè; & comedite cibum ad augendas, confirmandáſque vires opportunum, in cuius craſſitudine, atque deliciis anima veſtra exhauſta priùs, & exanimata delectabitur.

3 Audite igitur, & in meam vos fidem, atque tutelam date: audite, inquam, me, ſi modò vitæ veſtræ conſultum eſſe vultis: & feriam vobiſcum fœdus in omnem æternitatem conſtans, fœdus, inquam, quod cum Dauidis filio Chriſto pepigi, in quo fideles, & ſtabiles miſericordiæ promittuntur.

4 Ecce teſtem obligatæ fidei Chriſtum dedi, ex Dauidico genere prognatum: qui, quæ ego populo promitto, re ipſa cumulatè præſtabit: ipſum autem audite, quem ducem vobis, & magiſtrum præpono: à quo quid facto, ſcitóque opus ſit, abſque vllo errore doceamini,

5 Ecce, ô Chriſte, dux, & doctor Gentium, vocabis ad te, tuorúmque familiam, quos priùs alienos habuiſti: & Gentes quæ præcipua quadam ratione, atque doctrina inſtitutæ non fuerant; atque adeò te priùs non cognouerant, ad tuum ſinum, atque doctrinam certatim conuolabunt. Licèt enim crucis ignominiam ſubieris, ſanctus tamen Iſrael, & Dominus Deus tuus, ita te in omnium populorum conſpectu glorificabit,

cabit, vt ad te innumeram Gentium multitudinem trahas non inuitam.

6 Ergo, ô populi, ne committatis, vt tempus vobis tam opportunum ad ſalutem abeat inane. Quærite Chriſtum in Euangelij tempore, dum multis modis vobis occurrit, inuenitúrque facilè. Eius auxilium implorate, dum propè eſt, & facilè preces inuocatus exaudit.

7 Recedat impius à via, quam peccando tenuit, & vir iniquus conſilia priora, & cogitationes doloſas, & impias damnet, & abiiciat. Redeat ad Dominum pœnitendo, à quo priùs peccando deflexerat, & à Deo ſuorum ſcelerum conſequetur veniam: quia totus affluit, ac perfluit miſericordia, vt pote ad miſerandum, & ignoſcendum pronus.

8 Quòd ſi viæ veſtræ deſerendæ ſunt, & quæ ad ſalutem, & vitam deducunt, ineundæ, magna futura ſit neceſſe eſt vitæ, cogitationúmque mutatio. Neque enim viæ, atque cogitationes meæ, cum viis, atque cogitationibus veſtris vllo modo conſentiunt.

9 Quia ſicut à terra eleuati ſunt cœli, ſic viæ, atque cogitationes meæ à viis, cogitationibúſque veſtris eleuantur. Quare peccator à ſe ipſo deſerendus eſt, & tam eleuandus à priori ſtatu, quàm procul à terris eleuati ſunt cœli.

10 Quòd ſi antiquum viuendi modum deſerat peccator, miſericordia diribitur mea. Neque promiſſio hæc mea inſtar erit tonitrui, quod præter fragorem, & ſonitum nihil habet, quo terram irriget, & fœcundet: ſed erit inſtar niuis, & pluuiæ, quæ de cœlo cadunt, neque eò remigrant, ſed inebriant, grauidántque terram, vt abundè germinet, teſerátque prouentus vberes illi, à quo ſemen accepit.

11 Sic erit verbum, atque promiſſio, quod orietur ſemel ex ore meo: neque enim fide, aut ſucceſſu carebit; ſed aſſequetur id, quò illud deſtinaui: illa, inquam, verbum meum cumulatè præſtabit, quæ promiſit.

12 Quapropter ſi verbo meo obſequi volueritis, egrediemini læti è carcere, ac tenebris, & pacificè ad ea, quæ vobis in votis eſſe poterant, deducemini: Montes, & colles diuinis perſonabunt laudibus, in ingreſſu veſtro: & inter ſylueſtres frutices audietur manuum feſtiua complosio.

13 Efficiet autem verbum meum, quod imber, cùm in arentes agros è cœlo defluxerit; nam pro ſaliunca, & vrtica, abies pullulabit, & myrtus: & pro horrida, & triſti, ſpecioſa ſuccedet, & iucunda facies: tunc verò Chriſti nomen in his, qui ad Eccleſiam accedent, audietur, neque nota illa, & ſignum Chriſtiani gregis, in æternum delebitur.

6 [m] *Quærite Dominum, dum inueniri poteſt; inuocate eum dum prope eſt.*

7 [n] *Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & reuertatur ad Dominum, & miſerebitur eius, & ad Deum noſtrum: quoniam multus eſt ad ignoſcendum.*

8 [n] *Non enim cogitationes meæ cogitationes veſtræ: neque viæ veſtræ, viæ meæ, dicit Dominus.*

9 *Quia ſicut exaltantur cœli à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à viis veſtris, & cogitationes meæ à cogitationibus veſtris.*

10 [o] *Et quomodo deſcendit imber, & nix de cœlo, & illuc vltrà non reuertitur, ſed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat ſemen ſerenti, & panem comedenti.*

11 *Sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo: non reuertetur ad me vacuum, ſed faciet quæcumque volui, & proſperabitur in his, ad quæ miſi illud.*

12 [p] *Quia in lætitia egrediemini, & in pace deducemini: [q] montes, & colles [r] cantabunt coram vobis laudem, & omnia ligna regionis plaudent manu.*

13 [s] *Pro ſaliunca aſcendet abies, & pro vrtica creſcet myrtus, [t] & erit Dominus nominatus in ſignum æternum, quod non auferetur.*

IN CAPVT QVINQVAGESIMVM QVINTVM COMMENTARIVS.

1\. Menſa ſplēdida & gratis oblata.

OMNES *ſitientes venite ad aquas: & qui non habetis argentum properate, emite, & comedite.*] Præcedenti capite domum conſtruxit Deus ſplendidam, & lautam, qua melior nulla, neque reperiri, neque excogitari potuit: quæ fideles exciperet, & in qua habitaret ingenua Domini familia. Nunc alia metaphora non minùs ſignificante oſtendit quàm illa domus instructa ſit, & abundans rebus omnibus, quæ ad ſpiritualem victum, immò ad delicias, & oblectamenta deſiderari poſſunt, quæ *lactis & vini* nomine ſignificantur. Conſiderabat credo Deus, quo tempore Chriſtus Eccleſiam fundauit, immenſiſque locupletauit bonis, Iudæos vacuis ſacrificiis, & egenis elementis addictos. quæ planè cùm vmbræ eſſent arcani cuiuſdam, atque altioris ſacramenti, nihil aliud facere videbantur, quàm quod prouerbium obiicit his, qui inani ſe labore conficiunt, *vmbras ſequi.* Conſiderabat item Gentiles honorum ſiti, diuitiarum ardore, vbique terrarum æſtuantes: quare illorum dolens miſerabilem vicem, & inſaniam ad reſtinguendam ſitim vocat, & vitales epulas. Ne verò quiſquam arbitratus, ſic Deum potum, cibúmque venalem exponere, ſicut auarus caupo cibos ſuos ad ganeam pretio proſtituit, eóque nomine ad oblatam, & decantatam menſam vereretur accedere, edicit, neque argento, neque commutatione vlla opus eſſe: gratis omnibus menſam quantumuis opulentam, & ſplendidam proponi. Quo hoſpitio, atque epulo, quid poſſet excogitari commodius, & illuſtrius, nihil video: quando domus verè Regia ferculis abundat, & luculenta menſa vltrò homines non ſolùm admittit, ſed etiam inuitat.

2\. Sitis grauiter vrit, & excruciat homines, eáque optimè explicatur ardor, & ſtudium, quo quis animi ſui quietem, aut leuamentum quærit. Pro cupiditate, ac ſtudio vehementi poſuit Iob *cap.* 18. *verſ.* 9. *Exardeſcit contra eum ſitis.* & *Pſal* 41. *Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum*, &c.

Terrena omnia vana: neque animum explent.

In ſiti ergo atque ſitienti animo ingens notatur ſtudium, & cupiditas eius, qui impotenti conatu, anhelato ſpiritu aliquid inſequitur. Quo ſtudio, atque labore prorſus irrito conficiebant ſeſe fugacium rerum amatores: nam, aut impotes erant propoſiti voti, aut ſi illud vnquam obtinere contingeret, extinguere non poterat, neque leuare ſitim illam ardentem. Quicquid enim ex mundo ad externa commoda aſpirat ſtultorum ſitis, haurias, cœnoſum eſt, & odoris tetri, qualis illa aqua Ægyptia, à qua populum ſuum auocat Deus *Ieremiæ cap.* 2. *verſ.* 18. *Quid tibi vis in via Ægypti, vt bibas aquam turbidam.* Neque illud quicquid eſt turbidum, & cœnoſum ſeruatur, aut continetur diu: quia in ciſternas diſſipatas infunditur, quæ momento temporis effundunt, & perdunt, quæ illis ſeruanda, ac refrigeranda credideras. *Duo mala*, inquit Dominus, *fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt ſibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas. Ierem. ſuprà verſ.* 13. Abundabat ſanè Dauid aquis illis fugacibus, quia Rex erat armis potens, & victoriis illuſtris; ſitiebat nihilominus, clamabatque aſſiduè. *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum*: Satis ſibi illius filius Salomon ab humanis aquis ad explendum ſitientem animum præſidij quæſierat, neque in eam curam aliquid reliquerat intentatum. Plantauerat vineas piſcinas extruxerat, conflauit ſcyphos, & vrceos ad vina fundenda, ſi quomodo vrentem ſitim aliqua ratione ſedaret; & tamen poſt tot curas, poſt Regios ſumptus, poſt longum vſum earum, quæ tanto ſtudio, atque arte parauerat, clamat Eccleſiaſtes *cap.* 2. *Cùm me conuertiſſem ad vniuerſa opera, quæ fecerant manus meæ, & ad labores, in quibus fruſtra ſudaueram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi.* Miſertus ergo Deus illorum, qui inani ſe conatu, atque onere laſſabant, fontes aperit abundantes, & iuges qui explere poſſint inhiantem animum, & alia omnia mundi leuamenta fruſtra captantem. Ad hunc locum reſpexiſſe videtur Chriſtus ſæpe, & eadem dicendi forma vana hominum ſtudia, ſtultos conatus, & miſerrimum ſuum animum, explicuiſſe. *Ioan. cap.* 4. ad Samaritanam ait habere ſe fontem aquæ viuæ, quæ ſitim ſic expleat, vt nihil deinde ſitiat, & *cap.* 7. *verſ* 35. quàm grauiter noſtram doleret vicem, & quàm libenter aquam illam vitalem propinaret, oſtendit, dum ipſe clamat, & offert vltro. *Stabat Ieſus, & clamabat dicens, ſi quis ſitit, veniat ad me & bibat.* Deinde addit id, quod valde, vt reor, facit ad præſentem locum. *Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Ioann 7.

In eo loco Ioannis reſpexiſſe puto Chriſtum, tum ad alia loca Iſaiæ, de quibus ſtatim, tum ad hunc maximè, quem nunc verſamus: neque enim aliud reperio in Scriptura ſacra teſtimonium, quod citari potuerit, cùm dicitur, *ſicut dicit Scriptura.* Laborabant interpretes indagando, vbinam lateant illa flumina viuentis aquæ, quæ extura dicuntur de ventre eorum, qui in Chriſtum credent. Qui & variè accipiunt hoc Chriſti teſtimonium, & varia producunt loca, vnde petitum eſſe videri poteſt, quæ apud ſuos auctores in Ioannem videre promptum eſt. Ego illa breuiter dicam, quæ mei conſilij, atque inſtituti ſunt, quia non tam Ioannis interpretem ago, quàm Iſaiæ. 3.

Et primùm obſeruo quod à me pluribus demonſtratum eſt *cap.* 6. *num.* 39. ſacros & canonicos auctores in citandis Inſtrumenti veteris teſtimoniis, non tam numerare verba, quàm ſententiam expendere. Quare ſi ſenſum aſſequantur, & exprimant, de verbis non laborant.

Secundò hanc dicendi formam videri prouerbialem, fontem eſſe apud aliquem, cùm paratum habet apud ſe, quo ſitim expleat; aut qui ita ſitim ſemel expleuit vt non iam ampliùs ſitiat. Quod ſanè à vulgato dicendi modo non abhorret. Cùm enim aliquem, ita locupletem vocamus, vt illi nunquam pecunia deſit, habere domi ſuæ dicimus ἀργυροκοπεῖον, id eſt, *officinam, & artem cudendæ pecuniæ.* 4. Prouerbiū.

cuma. Et cùm ſignificare volumus nunquam alicui A deeſſe fundendi carminis promptam facultatem, habere apud ſe dicimus *Muſam*, & *Apollinem*: qui auctores eſſe exiſtimantur, & auſpices carminis fundendi. Non diſſimile eſt, quod vulgus putat de virga diuina, ſeu Mercurij, & annulo Gygis. Et quidem illi vulgares dicendi modi planè indicant *affluere bonis* ſeu *ſcatere*. Nam hæc verba fontem eſſe docent apud eos, qui dicuntur affluere, quia à fonte, ſeu flumine trahuntur hæ metaphoræ.

5. Tertiò offerri hic à Deo, aut aquam iugem, & non deficientem, aut eam aquam, quæ vbi ſemel hauſta fuerit, omnino exatutet ſitientem animum. Quod ex eo mihi colligere videor, quia Deus aquam, & cibum promittit, illi omnino aquæ cibóque contraria, quæ homines expetunt, & inquirunt, quæ videlicet deficiunt, & non ſatiant, & B ideo ſubditur, *quare appenditis argentum non in panibus, & laborem veſtrum non in ſaturitate*, quaſi dicat, Venite ad alias aquas, quas in ſaturitate haurietis.

6. Addo ad extremum vſitatum eſſe huic prophetæ, vt aquæ iugis metaphora rerum ſignificet abundantiam, idque nō longè ab hoc capite, cui nos operam damus: & valde accommodatè ad verba, quæ apud Ioannem ex Scriptura Chriſtus producit, vbi ſitientibus aquam iugem, & abundantem promittit *cap 41. Egeni, & pauperes quærunt aquas, & non ſunt: lingua eorum ſiti aruit. Ego Dominus exaudiam eos. Aperiam in ſupinis collibus flumina, & in medio* C *camporum fontes, ponam deſertum in ſtagna aquarum.* Et *cap. 44. Effundam aquas ſuper ſitientem, & fluenta ſuper aridam.* Item *cap. 48. Vtinam attendiſſes mandata mea, & facta fuiſſet ſicut flumen pax tua, & iuſtitia tua ſicut gurgites maris.* Sic ergo puto hoc loco cùm ad aquas vocantur homines, quas in ſaturitate bibent, ſignificari iugem, ſeu viuam aquam, quæ quaſi in eorum viſceribus ſcaturiet, qui in Chriſtum credent, eorúmque animos ad ſatietatem explebit: Illud enim eſt *bibere in ſaturitate*, ſiue ad ſaturitatem.

Beneficia Dei aquæ iugi ſimilia.

7. [b] *Et qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite.*] Non ſolùm poculum Deus promittit viuentis aquæ, ſed etiam epulum, ne quid ampliùs deſideret hominis neceſſitas. Sed dubitare hic aliquis poſſet, cur qui argentum non habet, emere iu- D beretur, aut qui conuenit emptionis nomen cum oblato gratis beneficio? Qui in *aqua* & *cibo* doctrinam intelligunt, putant hanc eſſe ſententiam: Cùm Apoſtolis præceptum eſſet, vt gratis darent, quod gratis accepiſſent, vocari omnes ad Euangelicam doctrinam, quam vſque adeò Apoſtoli habent non venalem, vt vltrò offerant, imò & cogant repugnantes: vt fideles ſerui ex vicis & ſepibus conuexerunt cæcos, & claudos ad nuptiale conuiuium. Quod ſi ita accipias, videtur ſpectaſſe Deus philoſophorum, ac ſapientum huius ſæculi conſuetudinem, qui patere diſcipulis ſcholas non ſinunt, niſi illas merces, eáque interdum non vul- E garis aperiat. Deus autem hic mercedem nullam exigit, atque adeò ſine argento offert, atque impertit cæleſtem doctrinam. Sed quia aliquid etiam laboris homo adhibere debet, eo labore cenſetur doctrinam emiſſe: neque enim pecunia tantùm aliquid emitur, ſed labore, precibus, & lachrymis: iuxta illud tritum *Nihil carius emitur, quàm quod precibus emitur*: Sed ſi quid laboris adhibueris, gratis tamen emiſſe cenſeris, quia ex tuo labore nihil ſibi commoditatis capit qui beneficium impartitur, A ſicut magiſter gratis docet, cùm nihil accipit à diſcipulo, etiamſi doctrina magno diſcipuli labore comparetur. De hoc pretio vide ſtatim præclaram Nazianzeni ſententiam.

Quæ ſolutio etiam valet quocumque modo accipias *aquam*, nam ex tuo labore nihil accreſcit commodis illius à quo beneficium accepiſti. Accedit quòd illud quicquid eſt, quod ad emendum affers, adeò eſt exiguum, ac tenue, ſi beneficij magnitudinem, & momenta penſes, vt nihili inſtar obtineat. Quocirca emis quia id affers pretij, quod venditor exigit: & gratis accipis, quia quod abs te exigitur à venditore, nihil inſtar habet. Imò ſi abs te Deus exigeret quicquid opum, & quicquid vi- B tium habes, gratis tamen exiſtimateris aquam illam bibiſſe, de qua *Sapient. 7. Quoniam omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua; & tanquam lutum æſtimabitur argentum illius.* 8

Hæc mihi viſa ſunt non importuna, ſed credo in *emite* eſſe catachreſim quandam, ſumptúmque verbum pro ſignificatione proxima, quod in omni Scriptura tam profana quàm ſacra frequentiſſimum eſt. Vide quæ diximus *cap. 52. num. 11.* ad illud *Gratis venundati eſtis.* Cùm enim plerumque, quod noſtrum facimus, eóque vtimur arbitratu noſtro, pretio comparari ſoleat, quod propriè *emere* eſt, fit, vt quidquid fit noſtrum, quocumque id acquiratur modo, emi exiſtimetur, ſiue id precibus, ſiue lachrymis, ſiue mera aliorum liberalitate poſſideamus. Vnde frequens eſt, emere aliquid labore, la- C chrymis, pudore, ſanguine, honoris iactura, & ſimilibus. Cui explicationi fauet quod Hebr. vbi vulgatus *emite*, eſt שִׁבְרוּ *ſabar*, quod *frangere* ſignificat. Quare ad verbum ſic licebit reddere, *properate, frangite, comedite.* Quaſi dicat, Properate, & quod mea liberalitate veſtrum eſt, perinde, atque ſi argento vobis emiſſetis frangite, & comedite. Feſtus ait, *emere* olim ſumptum eſſe pro *accipere*: quod ſi ita accipias, nihil eſt negotij. Sequitur autem poſt *frangite* optimè *comedite*: quia *frangere* proprium eſt panis, vt ex vſu Scripturæ ſatis conſtat; vt latè probauimus *in noſtris commentariis ſuper Acta cap. 2.* ad illud *frangentes circa domos panem.* Vbi docuimus tranſuerſis lineis ita panes ſolitos eſſe diſtingui, vt in multas buccellas diuiderentur, quæ *quadra* D dicebantur, eò quòd lineæ illæ tranſuerſim ductæ, quadrata illa ſpatia definirent, quæ vt ex Heſiodo cōſtat, & ex Ioannis Tzetzis ſuper illum commentariis, panes interdum triginta duas buccellas habuerunt. Cùm ergo panis lineis altiùs impreſſis eſſet diuiſus, nullo negotio in buccellas illas quadratas frangebatur manu, neque neceſſe erat gladium admoueri.

Emò pro accipio. 9. 10.

[c] *Venite, emite abſque argento, & abſque vlla commutatione vinum, & lac.*] Hæc geminatio epitaſim habet, ſignificationémque maximam, nempe doloris, quo Deus afficitur, cùm videt vri homines ſiti fugacium bonorum, neque illorum cupiditatem expleri vnquam poſſe rerum humanarum inani- E tate. Quare in Hebraico textu prima vox in hoc capite eſt הוֹי *hoi*, id eſt, *heu*, quæ interiectio dolentis eſt, quam adhibuere Septuaginta. Quare gemitus præceſſiſſe videtur Gentium vocationem. Aut certè ſignificationem habet amoris, & deſiderij, quo ſe Deus hominibus impertiri vult, eóſque cumulatè donis cœleſtibus implere. Quare inſtat Deus, & iterat ſæpe illud *venite*, gratiſque offert beneficium illud, pro quo ſi quiſpiam ſanguinem, vitámque rependat, vili emeret, imò nullo pretio. 11.

Quàm libèter Deus beneficiū offert.

Dixit

Dixit hoc optimè Nazianzenus *oratione* 40. *quæ eſt de baptiſmo. Cùm tibi nec labore vllo, nec opera vlla ſuſcepta res expetita compotem fieri liceat, quæ tandem ſtultitia eſt donum in aliud tempus reücere? Sitientes venite ad aquas, hortatur Iſaias, & qui non habetis argentum, ite, & emite, ac vinum nullo perſoluto pretio bibite. O ingentem benignitatis celeritatem! ô facilem contrahendi rationem! hoc bonum ſola voluntate venale tibi proponitur: cupiditatem ipſam Deus ingentis pretij loco habet. Sitit ſitiri: bibere cupientibus potum præbet: cùm ab eo beneficium petitur, beneficio afficitur. Promptus eſt, liberalis, ac munificus, iucundiùs dat, quàm alij accipiant.* Hæc Nazianzenus, quæ expendenda ſunt, quia miré Dei amorem, & liberalitatem declarant.

12. ¶ In *commutatione*, & *argento* duo ſignificantur modi quibus homines ſibi rei alicuius mancipium vendicant, in argento nempe, id eſt pecunia, vt plurimùm ſignata, aut rerum permutatione, quæ antiquis temporibus frequentiſſima fuit. Inuitat autem ad vinum, & lac, id eſt, ad delicias maximas, quæ *vini*, & *lactis* nomine ſignificantur. Quæ duo coniunxit ſponſus *Cant*. 5. in nuptiali conuiuio: *Bibi vinum meum, cum lacte meo*. Quomodo in *vino* ſumma intelligatur voluptas, & hilaritas, pluribus oſtendimus ſuper Cantica ad illud c. 2. *Introduxit me Rex in cellam vinariam*. Inde pete. Ex quo fit vt quæ vino affinia ſunt, vt *cella vinaria, ebrietas, torcularia*, ſummam importent hilaritatem. *Lac* verò pingue aliquid eſt, & quo in toto animali, nihil reperies, aut mollius, aut ſuauius: Sed eſt proprium teneræ ætatis alimentū, in qua ſunt, qui nunc ad Eccleſiæ, id eſt, ad matris vbera, & gremium vocantur. Quos etiam Petrus tanquam infantes ad lactis deſiderium inuitat 1. *Petri cap*. 2. *Quaſi modò geniti infantes lac concupiſcite*. Et Paulus infantium in fide nutritor egregius. 1. *Corinth. cap*. 3. *verſ*. 2. *Lac vobis potum dedi*. Obſeruat autem hîc Hieronymus renatis in Chriſto, id eſt, recèna luſtratis piaculari lauacro, in Eccleſiis, quæ ſunt ad Occidentem lac, & vinum porrigi: Et eſt vero ſatis ſimile conſuetudinem illam inductam fuiſſe propter hoc Iſaiæ teſtimonium, quod, vt nonnulli putant, cum recèns ad fidem conuerſis loquitur. Ita putat Nazianzenus nuper citatus, & ibi Nicetas. Sicut autem ex Tertulliano diximus in primis quaſi cunabulis Eccleſiæ porrigi ſolita neophytis butyrum, & mel, propter illud Iſaiæ *cap*. 7. de Emanuel, *Butyrum, & mel comedet*; Sic nunc in Occidenti propter hoc caput neophytis vinum porrigitur, & lac.

Neophytis olim lac & vinum porrigi ſolita.

13. ¶ Pro *lacte* Septuaginta legunt *adipem*. Intelligunt credo id quod in lacte optimum, & ſuauiſſimum eſt. Hiſpani dicunt *lanata de la leche*. Dicitur enim *adeps* figuratè id, quod in cibo etiam ſine ſanguine, ſelectiſſimum eſt, vt de frumento dicitur *Pſalm*. 147. *Adipe frumenti ſatiat te*. Et *Pſalm*. 80. *Cibauit ex adipe frumenti*. Quocumque accipias modo, promittuntur Eccleſiæ filiis lectiſſimi, ac delicatiſſimi cibi; qui verò ſint illi, facile eſt eiuſdem coniectare. Omnes penè de Euchariſtia interpretantur eum Hieronymo, & Cyrillo. Poſſunt etiam eiuſmodi cibi vocari Spiritus ſancti dona, quæ infantes animas per omnes ſpiritualis ætatis gradus, ad virilem vſque conſtantiam prouehunt. Vide Clement. Alexandrinum *lib*. 1. *Pædag. cap*. 6. Porrò in *vino*, & *lacte*, omnia ætas videtur notari ab eo quod cuilibet familiare, ac penè proprium eſt. Quia infantes lac appetunt, & illo roborantur, & adoleſcunt: vinum ſenes, quod vulgo *lac* dicitur

Eccleſiæ deliciæ.

A *ſenile*. Inter hæc autem quæ extrema ſunt in homine, quia vitam inchoant, & finiunt, reliqua, quæ media ſunt, continentur, & intelliguntur.

Chaldæus paulò aliter explicat hunc locum accommodat ad ea, quæ de aquarum ſignificatione ſuprà dicebamus, *Venite*, inquit, *& audite abſque pretio, & abſque pecunia doctrinam meliorem vino, & lacte*. Qui loquendi modus videtur habere prouerbialem ſpeciem. Quomodo vbera ſponſi dicuntur vino meliora *Cantic*. 1. 14.

B Dubitare quis non immeritò hîc poſſet, an lac poculentum hîc ſit, an eſculentum; Nam cùm ſitientes vocet propheta, ad potum vtique vocat, non ad eſcas. Et facit huc quod ſtatim de cibo agit, cùm dicit, *Quare appenditis argentum non in panibus*. Accedit quòd lac in Scriptura ſacra ſæpe pro potu ſumitur, aut re poculenta. vt *Ezechiel. cap*. 25. *Ipſi comedent fruges tuas, & ipſi bibent lac tuum*. Et 1. *Cor*. 3. *Tanquam paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam*. Neque puto Iahel *Iudic. cap*. 4. aliquid Siſaræ porrexit inſolitum, cùm ad potum lac dedit. Deinde quia *Cant*. 5. ſponſus bibiſſe ſe dicit vinum cum lacte. *Bibi vinum meum cum lacte meo*. vbi ex Hebræis aliqui, & cum illis Chaldæus, in *vino*, *rubrum*, in *lacte*, *album vinum* intelligunt. Et quidem lac eſſe multis nationibus potabile ſatis eſt compertum. Sanè Homerus Gerarum, & Scytharum, item & Nomadum quoſdam populos Galactopotas eſſe

C tradit; idem Galenus *lib*. 2. *ad Glauconem*. De Æthiopibus res eſt certa, quibus etiam hodie, vt ab illis accepi, lac, pro potu eſt. Ex his videbatur non improbabile in hoc Iſaiæ loco poculentum eſſe lac. Veruntamen placet magis ſententia ſuperior, qua ratione à me expoſita eſt. Neque rationes admodum vrgent in oppoſitum. Quia antequam vinum, & lac nominaret propheta, iam dixerat, *properate, bibite, & comedite*. Neque minùs vſitatum eſt in Scriptura ſacra, vt lac ad cibum, quàm ad potum adhibeatur. *Ad Hebr*. 5. *Facti eſtis, quibus lacte opus ſit, non ſolido cibo*. Neque ab hac ſententia abeunt Septuaginta qui vertunt *vinum*, & *adipem*.

¶ *Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem veſtrum non in ſaturitate?*] In *argento* ea in- 15.

D telliguntur, & continentur, quæ argento æſtimantur, vt ſunt operariorum ſudor, ſtudioſorum excubiæ, denique quicquid operæ, ac ſollicitudinis rebus acquirendis, & conſeruandis impenditur. Reprehenduntur ergo hominum vaſana conſilia, qui opera, atque vigilias otioſè ludunt, & pecuniam perdunt, dum illam ponunt in illis cõſectandis, quæ neque ſatiare poſſunt, neque alere, quod proprium eſt non ſimulati, & falſi, ſed veri cibi, qualis eſt panis. Ex ſcripturæ autem vſu *panis* pro quolibet ſumitur alimento, *ſaturitas* verò pro cibo ſaturante. Eſt enim ſatis in Scriptura frequens, vt effectus adhibeatur pro cauſa. Qua ratione Idola vocamus *confuſionem*, & arma *timorem*, quia illa

E ab Idolis naſcitur, hîc ab armis. Sic *ſaturitas* hîc pro pane ſiue pro cibo ſumitur, quia panis ſaturitatem inducit, ſicut *cap*. 56. *num*. 38. *ebrietas* pro vino ponitur, *Sumamus vinum, & impleamur ebrietate*. Hebraicus textus pro *non in panibus*, habet *in non panem*. Quaſi dicat petere argentum omne, quod aliis rebus impendas, præter panem; nam alia omnia acuunt potiùs famem, quàm obtundunt, inflant, non implent fameſcentem animum. Quæ ſanè cogitatio ad rem moralem grauia eſt, nam te vera, Deus qui ſolus eſt panis, qui mentes exatiat, in quem conferti vtiliter poſſunt omnia, quæ cen-

Saturitas, & ebrietas, pro cibo, & vino.

ſeri

ſeri poſſunt humaoa commoda, ſi quidpiam à Deo in alia conſilia, aut lucra deriues, perdis operam, & argentum, cui Dominus cum gemitu dicit, *Heu omnes ſitientes venite*, &c.

16. g *Audite audientes me, & comedite bonum: & delectabitur in craſſitudine anima veſtra.*] Hæc ſatis aperta ſunt. Oſtendit Dominus quid conſecuturus ſit docilis & obſequens animus, nempe delicias illas, quas ſuprà contineri diximus in *vino & lacte:* quaſque hîc *craſſitudinem* ideo appellat; quia nihil eſt guſtatu ſuauius, vel ad robur augendum efficacius. Porrò illud *audite audientes*, non quamcumque auditionem ſignificat, ſed illam importat, quæ non otioſa eſt; ſed quæ audita complet, & quæ cum auribus attentis animum quoque docilem aduertit.

17. h *Et feriam vobiſcum pactum ſempiternum: miſericordias Dauid fideles.*] Hic locus impeditus eſt valde propter tranſlationem Septuaginta quam Paulus probat *Actor.*13. qui ita vertunt: *Sancta Dauid fidelia.* Quem locum Paulus ſuprà ad probandam Chriſti reſurrectionem adducit. Quid autem ad id momenti habeat docuimus, cùm illum Actorum locum explicaremus. Vbi etiam oſtendimus quomodo eadem ſint, quæ à Septuaginta *ſancta*, & quæ à Vulgata dicuntur, *miſericordiæ Dauid.* Eſt autem mihi valde veriſimile, quod Hieronymus docet, quem ſequuntur frequenter alij, S. Thomas, Hugo, Dionyſius, Adamus. Foreirus, miſericordias illas eſſe, quas cecinit Dauid *Pſalm.* 88. cuius initium eſt, *Miſericordias Domini in æternum cantabo.* Quod pſalmi principium exiſtimo prouerbiali forma vſurpari ſolitum à Iudæis: quia in eo illuſtriſſima promiſſa, & ſui generis eximia priuilegia contineri videbant. Dicebatur autem Pſalmus ille *Miſericordia Dauid*, tum à principio pſalmi iuxta Hebræorum morem, qui libris, immò capitibus illum præfigunt titulum, quem offerunt illorum initia; cui rei argumento ſunt quinque libri legis, qui & ipſi à prima voce nomen aſſumunt, & quæ in libris præcipua ſunt, primis illius materiæ nominibus notantur. Norunt hæc, qui mediocriter Hebraicè ſciunt: Tum quia Dauidi, aut Chriſto, cuius typus eo præſertim loco erat Dauid, promiſſiones illæ factę ſunt. Sic enim *v.* 4. *Iuraui Dauid ſeruo meo.* & *v.* 36. *Semel iuraui in ſancto meo, ſi Dauid mentiar.*

Pſalm. 88.

18. Accedit quòd promiſſiones, quæ in hoc Iſaiæ loco continentur, in eo pſalmo fere omnes expreſſæ ſont, primò quia quemadmodum pactum hoc, ſeu miſericordiæ ad electos pertinent, quibus Deus gratis lac porrigit, & vinum: ſic etiam in Pſalmo miſericordiæ, & pactum ad electos ſpectant, *verſ.* 4. *Diſpoſui teſtamentum electis meis, iuraui Dauid ſeruo meo.* Quod pactum ibi *fidele* dicitur, & *ſempiternum*, præcipuè *verſ.* 29. *In æternum ſeruabo illi miſericordiam meam, & teſtamentum meum fidele ipſi.* Illa verò magna quæ electis promittuntur, per Chriſtum dicuntur eſſe conferenda, vt patet, quia ibi multa dicuntur de Chriſti regno: quod etiam vides in hoc capite.

19. Cæterùm hîc eandem eſſe puto ſententiam per epexegeſim iteratam, idem eſt enim *pactum ſempiternum*, & *miſericordiæ fideles Dauid.* Nam *fideles* idem eſt, quod *ſtabiles*, aut quæ re ipſa complebuntur; & iuxta materiæ rationem, quæ non deficient, quia promiſſiones factæ Dauid erunt à generatione in generationem. Quòd verò quæ à Vulgato dicuntur *miſericordiæ*, idem ſint quod *pactum*, perſuadet Septuaginta tranſlatio, quam Paulus probat *Actor.* 13. qui pro *miſericordiis fidelibus* vertit, *ſancta fidelia. Sancta*, pacta ſunt, quaſi *ſancita*, Græcè ὅσια, quæ ideo vocantur *ſancta*, quia ad eorum firmitatem intercedit iuriſiurandi religio. Quo etiam nomine miſericordias *pacta* dici puto, quia vt ex pſalmo toto conſtat præſertim *verſ.* 8. & 36. iuramento firmantur illa promiſſa.

Neque promiſſiones quæ in eo pſalmo leguntur ad alium pertinent, quàm ad Chriſtum, niſi fortè figuratè, ſicut etiam quæ in hoc capite continentur. Nam per Chriſtum vtrobique fidelibus, & electis multa promittuntur. Cuius ſententiæ procul dubio ſunt, quotquot in capite hoc alluſum eſſe putant ad hunc Pſalmum. Nam certum eſt miſericordias has ſeu ſancta fidelia non pertinere ad Dauid, ſed ad Chriſtum, vt præter alios docuit apertè Paulus *Actor.* 13. Idem etiam putant, qui *ſancta fidelia Actor.* 13. ſpectare dicunt ad eundem pſalmum, ij verò ſunt plurimi ex interpretibus illius operis cum Tertulliano *lib.* 3. *cap.* 20. & *lib.* 4. *c.* 1. *contra Marcionem.* 20.

Cui cogitationi nil incommodat nomen *Dauid*, quia ſicut alia parentum nomina ſine alia mutatione patronymicè ponuntur pro filiis, vt *cap.* 42. *num.* 24. latè probauimus, ſic etiam *Dauid* pro ipſius filiis adhibetur. Pro Roboam ex Salomone nepote 3. *Reg.* 12. *verſ.* 16. Et pro Chriſto non ſemel, *Ezechiel. cap.* 34. *Suſcitabo vobis paſtorem vnum ſeruum meum Dauid.* Et paulò pòſt, *Et ſeruus meus Dauid princeps in medio eorum.* Vbi omnes hæc accipiunt de Chriſto etiam Hebræi. Et iterum *cap.* 37. *verſ.* 24. *Seruus meus Dauid Rex ſuper eos, & paſtor vnus erit omnium eorum.* Et ſtatim *verſ.* 25. *Et Dauid ſeruus meus princeps eorum in perpetuum. Oſeæ cap.* 3. *verſ.* 5. *Poſt hæc reuertentur filij Iſrael, vt quærant Dominum Deum ſuum, & Dauid Regem ſuum.* Vide Auguſtin. *in lib. de octo Dulcitij quæſt. q.* 5. vbi docet Chriſtum aliquando *Dauidis* compellatione ſignificari: & communiter interpretes hoc loco Iſaiæ in *Dauide* Chriſtum deſignari cenſent. 21.

Dauid patronymicè pro eius poſteris, præſertim pro Chriſto.

i *Ecce teſtem populis dedi eum, ducem, & præceptorem Gentibus.*] Hinc iam conſtat quis ſit ille Dauid, ad quem ſpectent fideles illæ miſericordiæ, nempe ille idem, quem nuper dicebamus in *Dauide* notari. Appellatur tribus nominibus accommodatè ad ſuperiora. Promiſerat multa Deus per Chriſtum præſtanda, illorum promiſſorum certam fidem probabit Chriſtus, cùm pacta atque promiſſa complebit. Et ideo teſtem futurum eſſe dicit liberatæ nempe diuinæ fidei, de quo hîc Hieronymus: *Iſte teſtis eſt omnium, quæ Pater mundo ſpopondit, & præſtitit.* Oſtenderat antea errare longè populum Iudaicum, & Gentilicum dum ſuis quiſque rationibus, & voluptatibus ſtuder. His in *lacte, & vino* ex multorum ſententia, veram, & ſalutarem doctrinam pollicebatur: nunc *ducem & præceptorem* adhibet, à quo quid facto, ſcitóque opus ſit doceantur. Neque hoc ſolùm loco, aut à ſolo Iſaia Chriſtus appellatur *doctor*, nam id ipſum ſcripſit *cap.* 30. *verſ.* 20. *Et non faciet auolare à te vltra doctorem tuum, & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum. Ioel. c.* 2. *Filij Sion exultate*, &c. *quia dedit vobis doctorem iuſtitiæ.* Hæc verò omnia præſtat Euangelium, ſeu quod eodem ſpectat Chriſtus Euangelij conditor. Atque ipſe apertè profitetur ſe teſtem eſſe veritatis, id eſt, verè promiſſionis Dei per ipſum impletæ. *Ioan.* 18. *ad Pilatum. In hoc natus ſum vt teſtimonium perhibeam veritati. Matth. cap.* 24. *Oportet prædicari Euangelium iſtud in omni orbe, in teſtimonium* 22.

Chriſtus teſtis & magiſter.

monium cunctis Gentibus. Et in hunc ſenſum, &, vt reor, cum reſpectu ad hunc locum Iſaiæ, & ad alium non diſſimilem *cap 43. Vos teſtes mei dicit Dominus, & ſeruus meus quem elegi.* plura explicari poſſunt in nouo Teſtamento. Vide plura in hanc ſententiam ſuprà *cap. 43. num. 14.* & deinceps.

25. [k] *Ecce Gentem quam neſciebas, vocabis: & Gentes, quæ te non cognouerunt, ad te current.*] Hæc nemo negat Chriſtum ſpectare: atque adeò neque dubitare poteſt Chriſtum ſignificari nomine *Dauid.* Hìc ſine dubio Gentes intelliguntur, quæ longè aberant à Dei cognitione. Explicatur autem optimè communi hac in omni, vt reor, idiomate dicendi forma, *quam tu neſciebas*, & *quæ te ignorabat*, inter aliquos nihil eſſe conſuetudinis, aut commercij. Porrò aliter priori loco ſumitur *neſcire* atque in poſteriori. Nam cùm eiuſmodi verba *ignoro, neſcio, obliuiſcor*, & ſimilia, Deo tribuuntur, ſignificant aliquid non probari, aut certè aliquem tanquam à Deo alienum cenſeri. *Matth. 7. verſ. 23.* ad illos qui dicebant ſe in nomine Domini prophetaſſe, Chriſtus ait: *Et tunc confitebor illis, quia nunquam noui vos. 1. Corinth. 14. verſ. 38. Si quis autem ignorat, ignorabitur. Matth. 24. verſ. 10.* ad virgines fatuas, *Neſcio vos Pſalm. 17. Populus, quem non cognoui, ſeruiuit mihi.* Poſteriori verò ignorare propriè ſumitur, quia re vera Gentes Deum ignorabant; nihil enim à prophetis, nihil à lege, niſi vnus aut alter acceperant de Deo. Hæ verò acceſſerunt ad teſtem diuinæ promiſſionis, & communem præceptorem. De quibus item dictum eſt *cap. 52. Quibus non eſt narratum de eo, viderunt.*

Neſcire, idem eſt, quod non probo.

24. [l] *Propter Dominum Deum tuum, & ſanctum Iſrael, quia glorificauit te.*] Rationem reddit cur tam auido, atque frequenti concurſu Gentes antea incognitæ ad Chriſtum confluxerint. Quia licèt præceſſerit crucis ignominia, & dolorum acerbitas, tamen à Deo glorificatus eſt, & reſurrectionis ſplendore, & prodigiorum magnitudine, quibus Deus Chriſtum Filium eſſe ſuum teſtatus eſt. Ille ergo ſplendor Chriſti, quo Gentibus commendatum eſt Euangelij præconium, peregrinos populos, & Gentes antea cæcas adduxit, vt Euangelicam amplecterentur doctrinam. Porrò Deus cuius hæc ſunt verba, dum Chriſti ſe vocat Dominum, illum ſecundùm naturam noſtram conſiderat; qua ratione ſuprà illum non ſemel *ſeruum* appellarat: ſicut etiam Chriſtus Patrem appellat *Deum ſuum. Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum.* Et alibi, *Deus Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* Et *ad Epheſ. 3. Deus Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Vocatur verò Deus *Sanctus Iſrael*, quia ab Iſrael colitur.

25. [m] *Quærite Dominum dum inueniri poteſt; inuocate eum dum propè eſt.*] Hæc verba Hieronymus dici putat ab Iſaia ad ſuos populares, id eſt, ad Iudæos, quos hortatur, vt quando præſentem Chriſtum audituri non ſunt, neque Teſtamentum ſempiternum, & miſericordias fideliter accepturi, quas Gentes auidiùs ac pleniùs amplectuntur, nunc prophetarum, in quorum ore Dominus loquitur, oracula cupide arripiant, & per pœnitentiam à ſe ipſis mutati ad Deum conuertantur, dum in corpore ſunt, & datur pœnitendi locus. Hieronymum ſequitur Foreirus, & Haymo. Sed arbitror iſta latiùs patere, pertinereque omnino ad tempus Euangelij, edicique omnibus, vt tempus illud otioſum abire non ſinant: in quo Deus tam inuenitur facilè, & omnia ſunt tam ſaluti propinqua. Quod tempus crebò aliter ab Apoſtulo dici, *tempus acceptabile*, & *diem ſalutis, 2. ad Corinth. cap. 6. verſ. 2.* Et huc pertinere quoties in Teſtamento nouo dicitur *prope eſſe regnum Dei*: aut quando præſcribitur Apoſtolis, dum ad prædicandum mittuntur, vt annuncient omnibus *appropinquaſſe regnum Dei*, id eſt, veniſſe illud tempus, quando inueniri Dominus poteſt, quia propè eſt, vt hìc canit Iſaias. In quam ſententiam inclinat Cyrillus, Adamus, & Dionyſius. Chaldæus adhuc magis loquitur vniuerſaliter, & putat admoneri omnes; vt dum vita ſupereſt Deum quærant, quia ad mortem vſque aditus ad veniam patet: vbi autem quis inter viuos eſſe deſierit, fruſtrà quæret ſalutem, quam malè ſanus dum potuit contempſit. Et huc inclinat etiam Hieronymus. Ego nullam horum explicationum improbo, ſed probo magis illam, quæ hæc de tempore accipit Euangelij.

[n] *Derelinquat impius viam ſuam, &c. quia multus eſt ad ignoſcendum.*] Oſtendit quonam modo quærendus ſit Dominus, & vbi inueniendus, non quidem in viis, quas ſuis cogitationibus, atque conſiliis impius inſtruxit, illæ enim longiſſimæ abſunt, & ſeparant à Deo. Sed neceſſe eſt vt repetitis veſtigiis ad Deum bene viuendo redeant, à quo peccando receſſerunt. Cæterùm in Scriptura ſacra, *via* frequenter vſurpatur pro certo aliquo viuendi inſtituto. Dum Deus *multus* eſſe dicitur *ad ignoſcendum*, ſignificatur, quàm diuinus animus pronus ſit ad veniam, quaſi totus abundet miſericordia, beneficiiſque largiendis vſquequaque perfluat. 26.

Deus ad miſerendum pronus.

[o] *Non enim cogitationes meæ cogitationes veſtræ, neque viæ veſtræ viæ meæ, dicit Dominus.*] Quidam hìc excitari putant languentem, aut deſperantem animum peccatoris, qui cùm conſtringi ſe videat innumeris culparum laqueis, nullúmque ætatis momentum, quod non fuerit aliquo piaculo notatum, non facilè ſibi perſuadet receptum ſibi fore ad diuinam gratiam; atque ideo Dominum oſtendere, quàm longè abſit conſilium ſuum; aut cogitatio ab humana cogitatione mortalium. Homines enim læti vindictam meditantur, minas anhelant: multi, aut potiùs toti ſunt in eo, vt concisis, aut mulctatis hoſtibus, aut ſuam exaturent rabiem, aut ſuum dolorem conſolentur. At Deus longè aliter, qui hominem perire non vult: offenſus de venia cogitat, non de vindicta; ſpirat miſericordiam, & multus, imò totus eſt ad ignoſcendum. In hanc ſententiam accipit Cyrillus, S. Thomas, Foreirus, & Adamus. 27.

Dei alia conſilia, atque hominum.

Alij cenſent ideo diuerſa eſſe Domini vias, & cogitationes, quia homines facilè conſilia mutant, & ſi qua inciderit offenſio, neque datam antè fidem liberant, neque promiſſa complent. At longè aliter Deus conſtans in promiſſis quæ pollicitus eſt de ſalute mundi per Chriſtum afferenda, omnino ſuo tempore præſtabit. Ita Hieronymus, & Haymo, & inclinat Cyrillus. Qui etiam diuerſas eſſe dicunt Dei, hominúmque cogitationes, quia Dei iudicia inſcrutabilia ſunt, quæque non poteſt humana ſedulitas inueſtigare. Sic enim ab humanis eleuantur, ſicut ſupra terram eleuati ſunt cœli. 28.

Ego exiſtimabam huius loci aliam eſſe ſententiam, quam lectoris examini, atque cenſuræ committo potiùs, quàm perſuadeo. Nam cùm viderem in proxima clauſula præceſſiſſe, vias & cogitationes hominum, quas homines ipſi relinquere iubentur, & ſtatim adhiberi Dei cogitationes, & vias, 29.

Quãta mutatio fieri debeat in homine pœnitente.

facilè

facilè mihi perſuadebam, Dei cogitationes, & vias, hominum viis, atque cogitationibus opponi. Cùm autem hominum viæ impiæ ſint, & omnino perverſæ, atque ideo relinqui iubeantur, ſecundum ſanctitatem & iuſtitiam cum diuinis opponi videbantur. Quare locum iſtum ſic interpretabar. *Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & reuertatur ad Dominum; quàm ad rem magnam oportet fieri morum mutationem. Quia ſi ad Dominum redeundum, & accedendum eſt, & humanæ deponendæ cogitationes, & aſſumendæ diuinæ; longiſſimo ſpatia peccatori ſuperanda, plurima relinquenda, & peccator ipſe a ſe ipſo retexendus, & deſerendus eſt, & tam eleuandus à priori ſtatu, quàm à terris eleuati ſunt cœli.* Hæc mihi explicatio ſatis videbatur ſoluta, & quæ totum caput aptè contexeret, quam libentius ſequerer, ſi ducem haberem vllum, qui præiret; ſed vnus quem ego viderim indicat Chaldæus, qui ita vertit. *Quia non ſicut cogitatio mea, ſunt cogitationes veſtræ, neque viæ veſtræ ſunt ſicut viæ bonitatis meæ, dixit Dominus meus, quia ſicut exaltantur cœli a terra: ſic rectæ ſunt viæ meæ magis quàm viæ veſtræ.* Et huc inclinat Pintus.

30. Verbi Dei fecunditas. ° *Et quomodo deſcendit imber & nix de cœlo, & illuc vltra non reuertitur, ſed inebriat terram, &c. ſic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo: non reuertetur ad me vacuum.*] Similitudo hæc non vno modo, neque vni rei accommodari ſolet: quidam in *verbo Dei* Chriſtum intelligunt, qui verbum eſt Patris, qui miſſus eſt in mundum, neque ad Patrem reuerſus eſt, niſi ſeminata, ac grauidata terra cæleſti ſatu, & conuerſo illius ſqualore, & macie in paradiſi delicias: ſicut imber, qui vacuus non redit eò, vnde excidit, nempe attenuatus in vapores, niſi priùs terram inebriauerit. Ita Hieronymus, Haymo, Foreirus & Dionyſius.

31. Alij Euangelium hîc agnoſcunt, quod è cœlo datum eſt, & in terra mirificos produxit fructus. Quod verbum dici poteſt Dei, & ab eius egreſſum ore. Ita iidem qui ſupra auctores, quibus adde Cyrillum. Illi iidem, qui ſuprà, hæc ad diuinam promiſſionem referunt, quibus adde S. Thomam, Hugonem & Adamum.

32. Dei fidelitas. Licèt explicationes aliæ commodæ ſint, & veræ, tamen poſtremam hanc magis ad textum puto, rerúmque conſecutionem. Promiſſionem autem intelligo poſtremam de miſericordia, & venia oblata his, qui vias ſuas & cogitationes antiquas deteſtati ad Deum ſe ſe conuerterint, & aliquid iam diuinum meditari cœperint. Quam promiſſionẽ Deus futuram dicit non inanem, aut futilem, quale exempli gratia tonitru, quod fragorem habet, & horribilem ſonitum, neque præterea aliud, ſed ſicut imbrem, qui cùm molliter ſtillet, & ſine ſtrepitu, humectat tamen terram, & fœcundat. Videri poteſt Deus alluſiſſe ad illud *Prouerb. cap. 25. verſ. 14.* Vbi promiſſa grandia, quæ non implentur aſſimilat ventoſæ nubi, & vim aquarum maximam oſtentanti, à qua tamen nullus ſtillat imber. *Nubes & ventus, & pluuia non ſequentes, vir glorioſus, & promiſſa non complens.* Longè tamen ſecus nubes hæc diuinæ promiſſionis, quæ quidem pollicetur grandia liberaliter, & non minùs fideliter illa cumulatè præſtat. Si verò hæc ad promiſſa omnia referas, quæ toto capite continentur, de Chriſto atque Euangelio, & de venia verè pœnitentibus oblata, non admodum pugnauerim. Sed quòd de venia accipiam, facit continens ipſum filum orationis, quod non ſatis leniter videtur duci, niſi totum illud, quod eſt à *Quærite Dominum*, vſque ad *à cogitationibus veſtris*, hyperbato tranſilias, & parentheſi includas, quod videtur durum. Accedit, quod illa, quæ poſt longam hanc, & elegantem ſimilitudinem proximè ſubſequuntur, rationem reddunt ſimilitudinis, ſed illa eadem cum illis loquuntur, qui iubentur Dominum quærere, dum propè eſt, at his, vt conſtat, venia promittitur. Quare verbum, ſeu promiſſionem, de qua in hac ſimilitudine, de venia eſſe veriſimilius eſt.

Quod verò ad explicationem ſimilitudinis attinet, obſeruandum eſt aliquibus videri certitudinem, & veritatem promiſſorum explicari comparatione rei alicuius, quæ aliter omnino fieri non poteſt, hoc ſenſu. Tam erit certum verbum meum, quàm certum eſt imbrem, aut niuem quæ de cœlo, nempe aëreo ceciderunt, eodem vnde ſunt lapſa non reuerſura. Ita Hugo & Chaldæus. Alij ferme omnes iterandum eſſe putant per zeugma illud *vacuum*, quod in poſteriori parte ſimilitudinis expreſſum eſt. In hanc ſententiam; Sicut imber deſcendit, neque reuertitur vacuus, ſic etiam verbum meum non erit otioſum, aut inane. Porrò imber reuertitur ad aëreum cœlum, non tamen vacuus, quia reuertitur in vapores exhalatus, qui tamen non excitantur niſi è terra irrigata priùs, & quaſi ad germinum fœtus grauidata. Sed licèt hoc modo imber in cœlum redeat non inanis: tamen exiſtimo alium eſſe ſimilitudinis ſenſum, nam ex vſu Scripturæ *reuerti aliquid inane & vacuum*, nihil eſt aliud, quàm eſſe vacuum & inutile, vt diximus *cap. 45. num. 81.* Vbi dicit Dominus complendas eſſe minas, quas populo intorquet non obſequenti: vbi eodem vtitur genere loquendi. Neque exempla deſunt alia, quæ hoc ipſum confirmant *2. Regum 1. verſ. 22. Gladius Saul non eſt reuerſus inanis*, id eſt, nullam habuit irritam petitionem. Eodem ſenſu de Ionatha ibidem dicitur, *Sagitta Ionathæ nunquam redijt retrorſum.* Immò verbum *reuerti* prouerbiali ſpecie etiam ſi nihil addas, irritum conatum importat *Iſaiæ 37.* de Senacherib. *In via, qua venit, per eam reuertetur*, id eſt, nil promouebit. Hiſpanus *voluio como vino, o, por donde vino*, quod perinde eſt, atque *nihil fecit*: Sic ergo puto ſenſum eſſe, quemadmodum nubes de cœlo inanis non eſt, ſed irrigat, & fœcundat terram, ſic etiam verbum Dei fœcundat, & impinguat animos. Reuerti vacuum quid.

P *Quia in lætitia egrediemini, & in pace deducemini.*] Loquitur cum illis, quos ab impietate recedere exhortatus fuerat propoſita peccatorum venia, in quorum animis ſignificarat id effecturam diuinam promiſſionem, quod efficit cæleſtis imber in terra ſterili priùs, atque ſitienti. Nam quemadmodum illa infuſo imbre veſtitur ſtatim herbis, & quaſi reuiuiſcit, ſic afflati illo diuino ſpiritu, & pluuia cæleſti fœcundati læti egredientur, qui priùs onere oppreſſi peccatorum gemebant. *Deduci in pace* idem eſt quod locupletes, & fortunatos reddere, nam *pacis* nomine apud Hebræos continetur quicquid optabile, & fortunatum eſt. Intelliguntur autem hîc omnes, qui ad Eccleſiam vocantur, præſertim Gentiles, vt communiter omnes: vt verò nos probabile cenſebamus, hi, qui ab impietate recedere iubentur. 34.

q *Montes, & colles cantabunt coram vobis laudem: & omnia ligna regionis plaudent manu.*] Per proſopopœiam montibus laudem, & canticum, & lignis ſyluarum plauſum attribuit: qui loquendi modus vſitatus eſt, quando ingens aliqua lætitia, 35. Proſopopœia mirè affectus explicat.

atque triumphus ſiue mœror, aut luctus ſignificatur. Inter profanos De lætitia Virg. *Eclog.* 5.

Ipſi lætitia montes ad ſydera iactant
Intonſi montes, ipſæ iam carmine rupes,
Ipſa ſonant arbuſta Deus, Deus ille Menalca.

De luctu extant etiam carmina *in eadem ecloga.*

Daphni tuum Pœnos etiam ingemuiſſe leones
Interitum, monteſque feri, ſylnaque loquuntur.

Cùm ergo ſignificare propheta vellet magnam futuram eſſe lætitiam eorum, qui ab infelici ſtatu peccati ad veniam, ſiue ab idolorum cultu ad Chriſti religionem eſſent conuertendi, eodem vtitur dicendi genere. Quo etiam vſus eſt Dauid *Pſal.* 95. ad quem videtur alluſiſſe propheta in cauſa non diſſimili, nempe quando ædificabatur templū poſt B captiuitatem, in quo typicè repræſentabatur Eccleſia. *Lætentur cœli, & exultet terra, commoueatur mare & plenitudo eius, gaudebunt campi, & omnia, quæ in eis ſunt. Tunc exultabunt omnia ligna ſylnarum à facie Domini, quoniam venit.* Et huiuſmodi non pauca occurrunt exempla.

36. ¹ Cur verò ante ipſos dicantur montes cantaturi, ea fortaſſe ratio eſt, vt docuimus *cap.* 40. *num.* 47. quia in montibus, lociſque ſublimibus ſtatuebantur ſpeculatores, qui populis nunciarent & quid eſſet ad communem vſum conſtitutum, quod ſcito opus eſſet, aut quod illos ex lege, aut ex religione ſcire oporteret: vt quando eſſent Neomeniæ, aut alia feſta, quæ ex populi religione eſſent obeunda. Tum etiam vt quid eſſet lætum, aut lugubre, aut timendum ab hoſte iam iam appellente C nunciarent. Cùm autem lætiſſimum eſſet Eccleſiæ aduenire Gentes magno concurſu ad ipſius ſinum, annunciat propheta cantaturos montes laudes ante faciem proſelytorum, aut neophytorum: quia ex inſtituto Hebræorum res aurè nunciabantur ab ſpeculatore, quàm ciuitas videret. Dicuntur autem montes cantare, aut plaudere ſyluarum ligna, quia in montibus à ſpeculatoribus fit cantus, & manuum complosio præ lætitia: ea figura, qua loco attribuimus ea quæ in loco fiunt. Quæ figura in vtraque literatura tam ſacra, quàm profana frequens eſt. De profana ſumo vnum, aut alterum exemplum ab eo qui nobis duo ſuperiora ſuppeditauit Virgil *Eclog.* 2.

D *Sole ſub ardenti reſonant arbuſta cicadis.*

Et *Georg. lib.* 2.

Auia tunc reſonant auibus virgulta canoris.

Sed in ſacra non minùs frequentia, aut elegantia, quæ nobis, ne longius abeamus, ab Iſaia ſuppetunt *cap.* 44. *verſ.* 23. *Reſonate montes laudationem, ſaltus, & omne lignum eius quoniam redemit Dominus Iacob.* Et *cap.* 49. *verſ.* 13. *Iubilate montes laudem; quia conſolatus eſt Dominus populum ſuum.* Et *Pſal.* 97. *Flumina plaudent manu, ſimul montes exultabunt.*

37. ¹ *Pro ſaliunca aſcendet abies: & pro vrtica creſcet myrtus.*] Explicat admirabilem mutationem, quæ conſequetur in mundo prædicationem Euangelij, E aut in peccatoris anima conuerſionem ab impietate: & perſeuerat in eadem allegoria imbris, & terræ infœcundæ, atque aridæ. Notum eſt in deſertis, incultiſque locis, quibus parcum eſt cœlum, & æreæ naturæ, vt apparet in Libya, oriri, ſi modò aliquid ibi naſcitur, infelices, arentes, & tantùm non mortuas plantas, quales ſunt myricæ, ſaliuncæ, vrticæ, & ſi quid aliud eſt infelicium herbarum. Contrà verò in locis irriguis, aut humentibus naſci plantas ſpecioſas, & vberes. De myrto res eſt ab

Magna Euangelij tempore rerum mutatio.

A auctoribus ſæpe repetita & vſu nota, de qua Virgilius *Georg.* 2.

Littora myrtetis lætiſſima.

Et *Georgic. cap.* 4.

Et amantes littora myrtos.

Quod docuit Iſaias ſuprà *cap.* 41. *verſ.* 19. *Ponam deſertum in ſtagna aquarum: & terram inuiam in riuos aquarum. Dabo in ſolitudinem cedrum, & ſpinam, & myrtum.* De abiete eodem capite ſtatim. *Ponam in deſerto abietem, vlmum, & buxum.* Hæc terræ noua ſpecies magnā Dei liberalitatem, & cœleſtia pluuiæ efficacitatem prædicat: Qua etiam profani ſolent magnam rerum, fortunæque mutationem exprimere: ſiue illa peior fiat, ſiue in meliorem ſta- B tum aſſurgat. De infelici, & lugubri Virgilius *Ecl.* 5.

——*Poſtquam te fata tulerunt,*
Ipſa Pales agros atque ipſe reliquit Apollo.
Grandia ſæpe quibus mandauimus hordea ſulcis,
Infelix lolium, & ſteriles dominantur auenæ.
Pro molli viola, pro purpureo narciſſo
Carduus, & ſpinis ſurgit paliurus acutis.

In meliori quoque fortuna, qualis eſt illa, quam Chriſtus naſcens terris inuexit, de qua nunc Iſaias, quam neſciens idē poeta deſcripſit *Ecl.* 4. agri quoque in meliorem formam mutati aſpectū proponit.

Errantes hederas paſſim cum baccare tellus,
Mixtáque ridenti colocaſia fundet acantho.
Occidet & ſerpens, & fallax herba veneni
Occidet, Aſſyrium & vulgò naſcetur amomum.

C Sed quicumque ſint iſti frutices, aut arbores, neque enim de illarum ſignificatione quicquam eſt certum, vt hic fatetur Hieronymus; ſententia huius loci eſt pro infelicibus, ſpinoſis, & infrugiferis plantis naſcituras ſpecioſas, vtiles, & felices; id eſt, exterminatis quàm longiſſimè vitiis, naſcituras eſſe in mundo virtutes. Ita Chaldæus docet dum vim exprimit huius, ſeu prouerbij, ſeu prouerbialis formæ. *Pro impiis conſurgent iuſti, & pro peccatoribus conſurgent timentes Deum.*

Gregorius, quod paucis Chaldæus, pluribus ad mores expreſſit *lib.* 18. *Moral cap.* 12. de quauis anima iam meliora cogitanti: *Pro ſaliunca*, inquit, *in ea aſcendet abies. Dum in ſanctorum corde pro abiectione terrenæ cogitationis altitudo ſupernæ contemplationis exoritur. Vrtica verò ignea omnino natura eſt, myrtus* D *autem temperatiua fertur eſſe virtutis. Pro vrtica igitur creſcit myrtus: cùm iuſtorum mentes à prurigine, & ardore vitiorum ad cogitationum temperiem, tranquillitatémque perueniunt. dum iam terrena non appetunt, dum flammas carnis deſideriis cæleſtibus extinguunt.* Idem *lib.* 33. *Moral. cap.* 4. Huc facit quod Angelus, qui meliorem ſtatum Iudæis promittebat, inter myrteta apparuiſſe dicitur *Zacharia cap.* 1. Vide, quæ ibi diximus. 38.

¹ *Et erit Dominus nominatus in ſignum æternum, quod non auferetur.*] Dictum à nobis eſt *in commentariis ſuper Zachariam* ad illud *cap.* 9. *Lapides ſancti eleuabuntur.* in agris ab aliquo, aut recens poſſeſſis, aut ab hoſte vendicatis ſolere lapides, aut E ſigna erigi, quæ verum fundi dominum, & poſſeſſorem teſtarentur. Idem videri poteſt hoc loco ſignificatum à propheta. Nam cùm de Eccleſia à Chriſto fundata hactenus egiſſet, vt illam nunquam perituram oſtenderet, ſed futuram Dei æternam poſſeſſionem, dicit ponendum in ea æternum ſignum, & quaſi terminalem lapidem, qui apertè prædicet ſortem illam, & poſſeſſionem eſſe Dei. Hæc explicatio videtur eſſe non aliena, aut inepta præſenti loco. Sed puto aliam eſſe magis opportunam 39.

tuiam, quam vt explicem obſeruo id qood mihi plurbus oſtenſum eſt *cap.* 7. ad illud *Tantummodo innocetur nomen tuum ſuper nos.* Inuocari ſuper aliquem, vel aliquem habere nomen alterius, tune contingere quando aliquis inferior eſt, & illo nomine apertè ſeſe inferiorem eſſe profitetur. Quare oomen patris ſuper filium, & nomen viri ſuper vxorem inuocatur: quia vtrique illorum poteſtati ſubſunt, quorum nomen, & ſignum præfeferunt. Quod de maritis, & parentibus diximus, id etiam de Deo noo minùs in Scriptura frequens occurrit. *Amos cap.* 9. & citatur *Actor. cap.* 14. *Omnes Gentes ſuper quas inuocatum eſt nomen tuum. Eccl.* 36. *Miſerere plebis tuæ, ſuper quam inuocatum eſt nomen tuum.* Græce dicitur *Super populum vocatum nomine tuo.* Nemo aotem hanc vim meliùs expreſſit, quàm Iſaias *cap.* 63. *Facti ſumus*, inquit, *ſicut in principio, cùm non dominareris noſtri, neque inuocatum eſſet nomen tuum ſuper nos.* Iuxta hæc ergo dicit propheta eos, qui ad Eeeleſiam accedont, quique futuri ſunt Chriſti ſors, & hæreditas, nominandos eſſe Chriſti oomioe, ſeu quod idē eſt Chriſtū io illis eſſe

Inuocari nomen alicuius ſuper alium, quid.

A oominandum in æternum. Quia ſicut in æternum duratura eſt Eccleſia, id eſt, Chriſti poſſeſſio, ſic etiam in æternum fideles, quorum eſt cæleſte regnum, in æternum dicentur Chriſtiani, id eſt æternum habebunt ſignum, quo Chriſtum Deum, & Dominum ſuom profiteantur. Porrò *æternum* in Scriptura dici id etiam quod aliquando finem habebit, res eſt nota, & alibi a nobis pluribus probata. De ſigno crucis alij accipiunt cum Hieronymo, qui dicit eos, qui de malo commutati fuerint in bonum, inurendos eſſe crucis cauterio, quod non auferetur, qoia de præſenti conuerſatione in futuram tranſibit. Quæ ſanè magna eſt crucis commendatio: cuius ſtigmata in beatorum corporibus non delebit æternitas. Sicut in Chriſti glorioſo corpore cooſeruabuntur in æternum noſtræ redemptionis notæ. Neque incredibile eſt, pie ſaltem cogitari poteſt ipſum etiā lignum Dominicæ crucis ad cœlum quoque ſub mundi finem tranſlatom iri, quod iudicis vultum tanquam Regium vexillum antecedat, iuxta illud *Matthæi* 24. *Tunc parebit ſignum filij hominis in cœlo.*

Crux futura in beatorū corporibus.

Argumentum quinquageſimi ſexti capitis Iſaiæ.

QVIA *de Meſſiæ aduentu proximè, & eius ſeculi felicitate dixerat, nunc hortatur omnes, vt seriò ſe ad illius temporis delicias comparent. Deinde docet neminem quocumque ex genere, atque ordine ſit, modò ſanctè velit, & ex Euangelica diſciplina viuere, à Chriſti familia, templique miniſterio fore repellendum. Tandem his qui Chriſti præceptis non obſequentur, durum minatur exitium à Romanorum armis: cuius cauſam in illorum ſocordiam, atque vaeſaniam confert, qui cùm commiſſo ſibi gregi inuigilare debuiſſent; ad alia tamen omnia intemperanti, atque obſtinato conſilio ferebantur.*

CAPVT LVI.

1 HÆC *dicit Dominus,* [a] *Cuſtodite iudicium, & facite iuſtitiam: quia iuxta eſt ſalus mea vt veniat, & iuſtitia mea vt reueletur.*

2 [b] *Beatus vir, qui facit hoc, & filius hominis, qui apprehendet iſtud:* [c] *Cuſtodiens ſabbatum, ne polluat illud, cuſtodiens manus ſuas, ne faciat omne malum.*

3 [d] *Et non dicat filius aduenæ, qui adhæret Domino, dicens: Separatione diuidet me Dominus à populo ſuo:* [e] *& non dicat Eunuchus: Ecce ego lignum aridum.*

4 [f] *Quia hæc dicit Dominus Eunuchis: Qui*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 SERVATE, ô Gentes, quas ad vitam voco, iuſtitiam, quam debetis: quia ecce non procul abeſt Saluator, quem promiſi. Quo tempore manifeſtè apparebit, quàm ego ſim fidelis in promiſſo ſeruando.

2 Beatus planè vir, qui ſe ita præparat ſeruata iuſtitia, vt oblatam vltrò ſalutem abire non ſinat. Beatus iterum, & millies filius hominis, qui quæ à me prædicta, atque præcepta ſunt, ſic amplectetur, vt extorqueri ſibi nullo modo patiatur. Qui ſabbatum ita cuſtodit, vt nihil faciat, quod eius ſanctitatem dedecet: qui denique manus ab eo continet, quod pietas cauet, & religio vetat.

3 Ne dicat, qui à Iudæorum ſacris alienus eſt, cupitque iam ad Domini legem vitam inſtituere: Prohibebit me Dominus, ne in ſortem, & ſocietatem veniam populi ſui: neque dicat Eunuchus ſe lignum eſſe aridum, & inutile, atque ideo ad Eccleſiam aditū ſibi non patere, quemadmodum à templi olim arcebatur ingreſſu.

4 Sic enim Dominus ad Eunuchos; qui cu-

ſtodierit ſabbatum, & ea præſtiterit, quæ ſabbati religio requirit, voluntatique meæ fuerit obſequutus, & fœdus, quod cum hominibus ferio, ſuſceperit, tenueritque conſtanter, quicumque ille ſit, nihil habebit minus, quàm qui maximè à me olim ornati ſunt.

5 Admittam enim illos in domum meam, à qua lex illos antiqua repellebat; & intra muros meos firmo, atque ſecuro præſidio continebo. Accedétque gloria longè maior, quàm quæ parentibus ab ingenua, atque numeroſa ſobole contingit. Dabo enim illis ſempiternum nomen, quod nulla deleat ſæculorum diuturnitas, aut obſcuret obliuio.

6 Quod de Eunuchis dico, id etiam aduenis, & peregrinis promitto, ſi modò adhærere mihi voluerint, & fidele, atque legitimum obſequium præbere. Denique eodem mihi erunt ordine, & loco illi, quibus ſtudio fuerit, religioſæque curæ ſabbati mei, fœderiſque cuſtodia.

7 Adducam eos in montem ſanctum meum, vbi præcipuum mihi domicilium paraui; & in templo meo benignum me, & familiarem experientur, quos conſolabor, lætificabóque, dum eorum preces benignus audiam, & poſtulata concedam; neque reſpuam holocauſta, & victimas, quæ ad altare meum immolabunt. Domus enim mea non tantùm Iudæis, ſed omnibus populis, & Gentibus ad orationem patebit.

8 Hæc dicit Dominus, qui ad ſuam familiam aduocat, & colligit eos, quibus propter inſtituti genus, & morum ſanctitatem conuenit Iſraelis nomen. Adhuc multi ſunt, quos extra genus Iſraelis ſecundùm carnem ad Chriſtum congregem, qui ad eius familiam, & nomen pertinebunt.

9 Ad illos autem, qui Chriſti nomen inſectabuntur, & doctrinam abiicient, venient tanti ſceleris vltores Romani, qui non aliter atque ſylueſtres feræ, populum illum infelicem deuorabunt, & perdent.

10 Quòd ſi tantæ cladis, atque ruinæ cauſam quæras, hæc in grauiſſimis numerari poteſt: Quòd qui populo præſunt, & ſpeculatores, ac vigiles eſſe deberent, cæci ſunt omnes, & eorum, quæ facto opus erant, prorſus ignari. Qui cùm ſe canes eſſe putent, quibus commiſſa fuerit ciuitatis cuſtodia, tamen, aut muti ſunt, aut metu, mercedéve conſtricta lingua latrare non audent. Hi enim vana fundunt verba; quæ neque vſum illum, aut pondus habitura ſunt, cùm ipſi interea nihil habeant priùs, aut magis in votis, quàm vt ſomnos capiant, & otioſè dormiant.

11 Cùm autem id abſit ab huiuſmodi canibus, cuius cauſa ab hominibus expetuntur; illud tamen ineſt, quod in ipſis horremus, & execramur. Sunt enim ad quiduis flagitioſum

cuſtodierint ſabbata mea, & elegerint, quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum:

5 *Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, [g] & nomen melius à filiis, & filiabus, nomen ſempiternum dabo eis, quod non peribit.*

6 [h] *Et filios aduenæ, qui adhærent Domino, vt colant eum, & diligant nomen eius, vt ſint ei in ſeruos: [i] omnem cuſtodientem ſabbatum, ne polluat illud, & tenentem fœdus meum.*

7 *Adducam eos in montem ſanctum meum, [k] & lætificabo eos in domo orationis meæ. [l] Holocauſta eorum, & victimæ eorum placebunt mihi ſuper altari meo: quia [m] domus mea, domus orationis vocabitur cunctis populis.*

8 *Ait Dominus Deus, [n] qui congregat diſperſos Iſrael: Adhuc congregabo ad eum [o] congregatos eius.*

9 [p] *Omnes beſtiæ agri venite ad deuorandum, vniuerſæ beſtiæ ſaltus.*

10 [q] *Speculatores eius cæci omnes, neſcierunt vniuerſi: canes muti non valentes latrare, [r] videntes vana, [ſ] dormientes, & amantes ſomnia.*

11 [t] *Et canes impudentiſſimi neſcierunt ſaturitatem: Ipſi paſtores ignorauerunt intelligentiam: [v] Omnes in viam ſuam declinauerunt, vnuſquiſque ad auaritiam ſuam,*

ſuam, à ſummo vſque ad nouiſſimum.

audendum impudentes; adeò voraces, vt illorum ingluuies ſatiari non poſſit. Neque paſtores qui inſtar fidelis canis agere debuere ſuper gregem excubias, intellexerunt, quid eſſet gregibus futurum ex vſu: Suis ſe quiſque rationibus agit; ſua cuique voluptas ſtudio eſt. Omnes ad vnum ad lucrum, etiam iniquè captandum oculos, & animum adiecere.

12 * *Venite, ſumamus vinum, & impleamur ebrietate; † & erit ſicut hodie, ſic & cras, & multò amplius.*

12 Hi verò, qua ſunt intemperantia, & profligato pudore ſe ipſos viciſſim acuunt; & hortantur, vt vino ſe, & ebrietati totos, & omnino dedant; & ad heſternam intemperantiam, & luxum aliquid addant ampliùs in craſtinum. Denique vt in ſingulos dies maiora fiant vitiorum incrementa.

IN CAPVT QVINQVAGESIMVM SEXTVM COMMENTARIVS.

1. Iſaias Chriſti præcurſor.

a CVSTODITE *iudicium, & facite iuſtitiam; quia iuxtà eſt ſalus mea, vt veniat, & iuſtitia mea vt reueletur.*] Actum eſt de aduentu Meſſiæ, & quanta per ipſum futura ſit rerum mutatio. Nunc Iſaias tanquam alter Ioannes Baptiſta præcurſor, & præco Saluatoris viam parat, & aperit, ne quemquam oblata à Deo ſalus, & iuſtitia prætereant. Loquitur verò cum his ad quos multò pòſt Baptiſtæ ſermo factus eſt, ſeque ipſum in illo ſiſtit, aut fingit tempore, quod Chriſti faciem in terris agentis, & eius opera atque virtutes intuebitur. Quia ergo hic Apoſtolum Chriſti agit Iſaias, ſeu præcurſorem, dum Chriſti faciem præcedit, edicitque quid ad Chriſtum apto excipiendum hoſpitio fieri oporteat, eius verba ſumpſiſſe videtur præcurſor Ioannes, cùm dixit *Matth. 3. verſ. 2. Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum:* & Apoſtoli in quorum ore hæc penè verba poſuit Deus *Matth. cap. 10. Euntes autem prædicate dicentes, quia appropinquauit regnum cælorum.* Porrò *ſalus*, pro Saluatore ponitur, de quo latè ſuperiori capite. *Iuſtitia* verò poſteriori loco pro Dei promiſſione, ac fide; Cùm tamen priori loco pro integritate, ſiue ſanctitate ſumatur, quam præſtare debet homo in aduentum Dei. Ita vt hic ſit ſenſus: *Seruate vos iuſtitiam quam debetis, & ego mittam vobis quem debeo Saluatorem: & reuelabitur quam ego in promiſſis integre ſeruandis fidelis ſum.* In hanc ferme ſententiam accipiunt communiter interpretes. Ad hunc locum videtur reſpexiſſe Paulus *ad Philip. 4. Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus: Dominus prope eſt, nihil ſolliciti ſitis.* Et clariùs *ad Roman. 13. Hora eſt iam nos de ſomno ſurgere: Nunc enim propior eſt, noſtra ſalus, quàm cùm credimus, &c. Abiiciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis.*

Matth. 3.

Matth. 10.

2. b *Beatus vir, qui facit hoc: & filius hominis, qui apprehendit iſtud.*] Beatum appellat, & iure per quam optimo millies beatum qui ſe ita præparat ſeruata iuſtitia, vt ſalutem vltrò oblatam præteruehi non ſinat. Dabit enim illis aduenicns Chriſtus poteſtatem filios Dei fieri. Dixit hoc idem Dauid *Pſalm. 105. Beati qui cuſtodiunt iudicium, & faciunt iuſtitiam.* Iteratur autem hîc per epexegeſim eadem ſententia. Eſt enim idem hic *vir* & *filius hominis.* Illud verò *apprehendit*, ſtudium ingens indicat, & conſtantiam, qua quis ita conſtanter atque auidè aliquid tenet, vt extorqueri ſibi nullo modo ſinat.

c *Cuſtodiens ſabbatum, ne polluat illud; cuſtodiens manus ſuas, ne faciat omne malum.*] Simili loquendi modo vſus eſt Zacharias *cap. 14.* Vbi eodem ſenſu poſuit feſtum, aut ſolemnitatem tabernaculorum, quo hîc ab Iſaia ſabbatum. Sumitur autem hic per ſynecdochen *ſabbati cuſtodia*, ſeu *obſeruatio* pro omni legum obſeruatione, quæ ex diuino, aut poſitiuo iure proueniunt, aut quæ ex naturali fonte hauriuntur. Sed leges illæ magis expreſſæ ſunt in eo, quod continuò ſequitur: *Cuſtodiens manus ſuas, ne faciat omne malum.* Sed fortaſſe *ſabbatum* per metonymiam ponitur pro his, quæ fieri debent in ſabbato. Nam tempus vulgari ſcripturæ ſacræ, & ſcriptorum profanorum more, pro his quæ in tempore fiunt, aut in tempore continentur, vſurpatur. Iubet Dominus ſanctificari ſabbatum. Tunc verò ſanctificatur ſabbatum, quando abſtinetur à peccatis, & religioni ac pietati ſedula impenditur opera. Quare dum ſabbati commendatur cuſtodia, id videtur planè commendari, quod ſabbati decet ſanctitatem. Vt verò ſabbati religio, & ſanctitas vmbra quædam eſt ſanctitatis illius, quam nos in Eccleſia profitemur, ac ſequimur, in qua verum ſabbatum eſt, & vera requies ab omni opere, quod aliquid olet à religione vacuum, ſeu alienum: ſic etiam *cuſtodia ſabbati*, pro cuſtodia ponitur eorum quæ præcipit Deus, & quæ nos in Eccleſia piè, ac ſedulò præſtare debemus. Porrò negatio ante vniuerſale ſignum affirmationis Hebraico idiomate vniuerſaliter negat. vt, *non omnis*, idem eſt quod *nullus*, ſic modò *ne faciat omne malum*, idem eſt, atque *ne vllum faciat malum*. 3.

4. Eccleſia Gentili, atque Iudæo communis.

d *Et non dicat filius aduena, qui adhæret Domino dicens, Separatione diuidet me Dominus à populo ſuo.*] Præceperat olim Deus Hebræo populo, ne quicquam

quam cum Gentibus haberet commercij, idque ſeueriſſimo cauerat edicto, quod vſque ad Euangelij tempus ita obſeruauit religioſè, vt Samaritana mulier miraretur, quòd Iudæus homo cum alterius Gentis fœmina ſermonem haberet. *Ioan. 4. Quomodo tu Iudæus cùm ſis, bibere a me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana?* Neque diſſimulare potuerunt Iudæi antiquum Gentium ſiue odium, ſiue faſtidium, cùm iam grauiter cum Petro expoſtularunt *Actor. cap. 10.* quòd ad Cornelium Gentilem hominem diuertiſſet. Hi ergo, qui *aduenæ* dicuntur, quia non in regione nati Iudæorum, ſed aliunde acceſſiſſent, dubitare poterant, an Deus in fundanda Eccleſia eo futurus eſſet in Gentes animo, quo priùs in conſtituendo Iudæorum populo fuiſſet. Hos igitur Deus meliùs ſperare iubet docens eodem habendum eſſe loco, & ordine præputium, & circumciſionem, modò iudicia Domini cuſtodiat, & iuſtitiam faciat. Vide *Exod. cap. 34. Leuit. cap. 10. Deuter. cap. 7. & 13.* vbi prohibetur Gentium in Eccleſiam Iudæorum ingreſſus, & cum Iſraelitide Gente conſuetudo. Quod hic Iſaias, id Paulus ſæpiſſimè prædicat, vt *ad Roman. 10. Omnis qui credit in illum, non confundetur; non enim eſt diſtinctio Iudæi, ac Græci: nam idem Dominus omnium.* Et eandem ſententiam ſæpe alibi.

5\. [e] *Et non dicat Eunuchus: Ecce ego lignum aridum.*] In Eunucho non ſolùm ſpado, ſed etiam Gentilis populus intelligitur, qui ſterilis fuit bonorum operum, quæ fœtus quidam ſunt, & ſoboles animi bene conſtituti. Neque magis fœcundus fuit ad vitilem fœtum, & vitalem prolem, quàm aridus ramus ad fundendus fructus. Eadem metaphora vſus eſt propheta *cap. 54.* vbi Gentilitas *ſterilis* dicitur. *Lætare ſterilis quæ non paris.* Eſt autem alluſum ad præceptum quod legitur *Deuter. 23.* vbi neque alienigenæ, neque Eunuchi intrare permittuntur in Eccleſiam. Quæ lex, vt apparet, non ſolùm Iudæis, ſed etiam Gentibus videtur eſſe non ignota. Sic autem ibi lex: *Non intrabit Eunuchus attritis, vel amputatis teſticulis, & abſciſſo veretro in Eccleſiam Domini.* Quare non ſolùm Deus hic cum Gentibus loquitur, ſed cum illis etiam, qui cùm nati eſſent parentibus Iudæis, propter naturalem illam deformitatem arcebantur à templo. Ac ſi dicat Deus, neminem quamuincunque lege repulſum antiqua à templi ſiue ingreſſu, ſiue miniſterio, eſſe excludendum in Eccleſia noua, quam nouis legibus, & conſilijs in nouiſſimo ſæculo conſtituet Deus.

Prouerbi. 1.

6\. [f] *Quia hæc dicit Dominus Eunuchis, qui cuſtodierint ſabbata mea,* &c. *Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum.*] Hinc liquet verum eſſe, quod modò dicebamus, alluſum videri ad antiquam legem quæ ingreſſum Eunuchis in templum interdicit, & Gentibus cum Iudæis coniunctum, & connubia: illos enim in templum, id eſt, in domum Dei Euangelico tempore conſtructam, has verò in ciuitatem ſuam, id eſt, in domeſticorũ cœtum, & ſocietatem admittit. Vtriſque enim nullum iam legitimum impedimentum eripit liberum, atque expeditum aditum ad Eccleſiam.

7\. Hæc multi accipiunt de his Eunuchis, qui ſe ipſos caſtrauerunt propter regnum cœlorum, id eſt de his, qui cœlibem, cœlo nempe dignam vitam inſtituerunt. Qui cùm apud Iudæos non ita bene acciperentur, quibus ignominiæ erat, & maledicto, ſi nulla relicta prole decederent: in Eccleſia tamen altiori quodam conſilio fundata excelſum locum, & maximè ornatum promiſſis & exemplis nobilitatem obtinet. Quæ porro accommodatè ad virginum ſtatum dici poſſe, hiſtoricè verò, vt pleriſque interpretum viſum eſt, ad illos, quos antiqua Hebræorum religio à templo ſiue à ciuium conuictu reſpuebat. Quòd ſi allegoricè interpretere, quod faciunt plerique ex Patribus, locus iſte valde commendat, & amplificat vitam illam cœlibem, & caſtam, quam ſtulta hominum multitudo, & hæreticorum væſania, & intemperantia in omnem turpitudinem proiecta infelicem vocat, & arido ligno quàm ſimillimam. Nam primùm, vt dicemus ſtatim, honor longè maior accedit virginibus à morum puritate, & corporis munditia, quàm parentibus à filiorum ingenuitate, & gloria. Deinde quia virginitas, ſi modò iudicium ſeruet, & iuſtitiam faciat, ſabbatúmque eo ſenſu cuſtodiat, de quo nuper, ſterilis non erit à multiplici, atque ingenua ſobole: de qua optimè Bernardus *ſermon. 85. in Cantic.* quem omnino vide. Concipit enim à cœleſti ſponſo caſta deſideria, cogitationes puras, ſtudia excelſa, & opera tandem parit excelſis cogitationibus, & tanto denique ſponſo non indigna. De virginitatis gloria, fœcunditate, ac pulchritudine, ſæpe grauiter, & copioſè Patres. Auguſtin. *tom. 6. de ſancta virginitate per aliquot capita lib. 1.* Baſilius *de vera virgin.* Ambroſius *de inſtitutione virgin.* Bernardus, & Hieronymus ſæpe.

Virginitatis laus.

8\. Neque prætereà infelici, ac duræ conditioni obligatus dici, aut videri debet, qui quaſi prodita natura, quæ ad generis propagationem impotenti penè ſtudio rapitur, illud vitæ genus complexus eſt, quod venereis voluptatibus indixit bellum, aut à connubiali conſuetudine abſtinuit. Nam licet qui carnis blandimentis deliniri ſe, & abripi ſinunt, ſupra humanæ naturæ facultatem eſſe putent, quemquam tã potenti, atque ſeuero domino non ſuccumbere: atqui re ipſa experti ſunt adeſſe ſibi in eo conflictu Dei auxiliatricem manum, & vim longè omni carnis incendio ſuperiorem; non cedunt furenti libidinis ſtimulo, non franguntur oblata difficultate, non liqueſcunt, aut ſoluuntur fallaci carnis blandimento.

Virginitas Dei auxilio quàm non difficilis.

9\. Admirabantur olim Gentes cùm viderent tam caſtè, atque alacriter abſtinere Chriſtianos non ſolùm ab impuro, damnatóque concubitu, ſed etiam à coniugali atque legitimo; quod eſſe ſupra naturæ modum dicebat Auguſtinus, nondum expertus, quid fortitudinis haberet à Domini præſidio imbecilla caro, & ad libidinem prona. Hoc ipſum de matre Chryſoſtomi, quia ſecundas nuptias non iniuit, mirabantur omnes. Communem autem hanc fuiſſe admirationem in Eccleſiæ primordiis docet Petrus *epiſt. 1. c. 4. v. 4. In quo admirantur non concurrentibus in eandem luxuriæ confuſionem.* Quid autem, qui caſtè viuere meditantur, à Domini præſidij habeant contra igneas faces, & carnis illecebras, oſtendit quod ſtatim ſubiicitur: *Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum.* Pro *loco* Hebr. eſt יד *iad*, id eſt *manus*, quem locum, ſi ſic interpretere, vt vna ipſa Hebraica penè cogit, magna ſignificatur, & caſtitatis dignitas; & quantum præſidij habeat à diuina manu. Nam qui manum dat, auxilio eſt alteri, quòd ſi manus omnipotentis eſt, omnipotens ſit neceſſe eſt, auxilium ab ea manu porrectum. Quid ergo faſtidij aut oneris timeri poteſt, à caſtitatis ſtudio, cui adeſt auxiliatrix diuina manus? Neque ad hanc cogitationem parum fauet *murorum* nomen, quod aliquã indicat firmitatem: tuentur enim muri ab externa vi, eos,

quos

quos intra ſe amplectuntur,& mouent; quare illi, A quos intra mœnia cohibet,& prehendit omnipotẽs dextera, facilè franguntur & eludunt, quicquid foris aduenit illecebrarum, aut quicquid intus contra caſtitatem aliquid molitur. Quòd verò *manus* auxilium ſignificet,ſatis eſt notum, & tritum in vtraque literatura. Pro multis ſit nobis vnus aut alter locus *Eccle.cap.13.num.9. Humiliare Deo,& expecta manus eius.* Et 2.*Reg.14.verſ.13. Nunquid manus Ioab tecum eſt.*& ſimilia.

10. Virginitatis dignitas. Illorum dignitas, qui caſtitatem colunt præciſéque nuncium veneri remittunt, ſatis etiam oſtenditur illa dicendi formula. *Manum* enim *dare* multa ſignificat non ſolùm apud Latinos ſed apud Hebræos, quæ omnia proculdubio illis Eunuchis B Euangelicis conueniunt, qui non arte, aut hominum iniuria facti ſunt, ſed qui ſe ipſos caſtrauerunt propter regnum cœlorum. Si enim *dare manum* eſt fœdum & ſocietates inire,vt conſtat ex illo 4.*Reg.*10.*verſ.*15. *Da manum tuam.* in quem ſenſum aliqui accipiunt illud *Thren.* 5. *Ægypto dedimus manus, & Aſſyriis*: Ineunt cum Deo Euangelici iſti Eunuchi ſocietatem,& fœdus, viuúntque cum illo,ſi vlli vſpiam, valde familiariter. *Apocal.* 14. *verſ.4. Hi ſunt qui ſequuntur agnum,quocumque ierit, virgines enim ſunt.* Quòd ſi *dare manum*, ſeu *manus coniungere* eſt pactum inire connubiale ex Hebræo-

Virgo Dei ſponſa. rum ritu,vt liquet *ex Tobia cap.7.verſ.*15. nam manuum coniunctione initæ ſunt nuptiæ inter To- C biam, Sarámque Raguelis filiam. *Apprehendens* (Raguel) *dexteram filiæ ſuæ,dextræ Tobiæ tradidit,dicens, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob vobiſcum ſit, & ipſe coniungat vos.* Sanè qui vt vni Deo vacent, illiúſque voluntati ſe totos impendant,veneris vſum, & carnis lenocinia reſpuerunt, apti ſunt,quos Deus data dextera tanquam ſponſus ad thalami puriſſimi conſuetudinem vocet; quia ſponſæ vacuus ab aliis oblectamentis animus, amórque ſolidus, iure ſuo ſponſi animum ſolidum, & amorem ſibi parat,& vendicat.

11. Prouerbiũ. Porrò *lignum aridum* prouerbiali ſpecie ponitur pro re inutili, quæ neque ad aſpectum aliquid ſpecioſum habet,neque ad vſum aliquid commodum, & eximium. Quare *Eccleſiaſt.cap. 6. verſ.* 3. ſuperbo D dicitur, *Et relinquaris velut lignum aridum in eremo.* Et Chriſtus *Lucæ 23.verſ.13. Si in viridi ligno* (id eſt, pulcro & vbere) *hæc faciunt, in arido quid fiet?* Vocatur autem Eunuchus *lignum aridum*, quia non magis ab illo ſperes filiorum propagines, quàm ab arido ligno, & mortua ſtirpe ramos, & fructus. Sic Sara *Geneſ. cap. 11. aridum lignum* dicitur, aut quòd idem eſt,*planta eradicata.* Nam vbi vulgatus, *Erat autem Sarai ſterilis*,Hebr.eſt עקרה id eſt, *eradicata.* Quo nomine iam communiter appellantur ſteriles. Vocat autem Eunuchus ſe *lignum aridum*, quia ad prolem inutilis, quia indignus iudicatus, qui templo ſeruiret,&, ſi verum eſt quod Foreirus, & Montanus magis dicunt,quàm probant, quia eo E habebantur numero,quo mortui,aut qui nunquam lucem aſpexiſſent. Quare arcebantur ab omni publico miniſterio tam ſacro quàm profano, neque referebantur in cenſum, aut familias, quia inepti propagando Iſraelitico generi.

12. g *Et nomen melius à filiis,& filiabus: nomen ſempiternum dabo eis, quod non peribit.*] Cum Eunuchis adhuc ſermo eſt. Si,quod eſt non improbabile,hiſtorico ſenſu illi intelligantur, qui propriè nominantur *Eunuchi*,quique à templi arcentur miniſteriis, habentúrque ignobiles, & indigni cenſu: A omne illos conſolatur,quia ſublata cum teſtamento veteri, antiqua etiam opinione de Eunuchis, non iam ampliùs excludentur à templo,id eſt, ab Eccleſia; quæ neminem aditu prohibet, & tale conſequentur nomen cùm inductam à Chriſto religionem amplectentur, quale nullus hominum à filiorum,ſiue multitudine,ſiue præſtantia.

Commendari parentes à filiorum ſobole ſatis eſt compertum, & nos ea de re nonnihil ſuprà diximus *cap.49.num.* 87. dicíque filios, *parentum nomen,gloriam*,aut *coronam*, ſatis in Scriptura repetitum. Sic puto filios, & filias hoc loco dici *parentum nomen* hoc ſenſu. Dabo Eunuchis nomen illuſtrius filiis,& filiabus,id eſt,eo nomine, quod filij ac filiæ B parentibus apud homines conciliant. Pro *à filiis* Hebr.eſt מבנים *mibanim*, id eſt, *præ filiis*, nam מ *mem*, comparationi ſeruit; quam comparationem connotat præpoſitio *à*. Sicut de publicano *Lucæ cap.* 18. dicitur *Deſcendit hic iuſtificatus in domum ſuam ab illo*,id eſt, *præ illo Phariſæo.* Hoc verò nomen, quod à filiorum propagine trahunt parentes, æternum exiſtimatur, quia tale promittit illa, quæ hominibus exiſtimatur fore perpetua generis ſucceſſio. Quamdiu autem in poſteris durat,tam diu parentes cenſentur in viuis agere. *Eccleſiaſt.cap.*30. *Mortuus eſt pater, & quaſi non eſt mortuus, ſimilem enim reliquit ſibi poſt ſe.* Quare filij in ſacris literis vocantur *lucernæ parentum*, quia ſplendere faciunt C neque interire ſinunt illorum memoriam *Pſal.*131. *Paraui lucernam Chriſto meo*, id eſt, filium qui illius renouet,& referat imaginem.& 3.*Reg.* 11. *Vt remaneat lucerna Dauid ſeruo meo.* 2. *Paralip.* 21. *Noluit autem Dominus diſperdere domum Dauid, propter pactum quod inierat cum eo, & quia promiſerat, vt daret ei lucernam.* Quo ſenſu etiam filius *parentum* appellatur *ſcintilla*: quia vt illa magni ignis veſtigia conſeruat,ſic filius parentis nomen,& effigiem. 2.*Reg.14.verſ.*7. Sic mulier Thecuitis ad Dauid de filio ſuo, *Quærunt extinguere ſcintillam meam, quæ relicta eſt, vt non ſuperſit viro meo nomen.* Cum hoc ergo nomine, quod æternum putabatur, confert Dominus nomen, quod paratum eſt Eunuchis: ſiue his, qui propriè ſic, & communiter nominan- D tur, ſi ſabbata cuſtodierint, id eſt, ſi ad Eccleſiam ingreſſi ea præſtiterint, quæ ſabbati religio poſtulat; ſi ſanctè vixerint,ſi ab omni ſcelerum turpitudine abſtinuerint, quæ vera ſabbati Eccleſiaſtici obſeruatio eſt: Siue etiam metaphoricis Eunuchis, qui ſibi vſum legitimæ etiam veneris voto præciderunt. Quibus Dominus ſempiternum conciliabit nomen, non quale à filiorum propagatione accipiunt parentes, quod vel ſublata poſteritate, quod accidit non rarò, vel quia obſcura eſt, & ſordida poſterorum vita, interire ſolet; ſed in cœlo, quod in æternum neque peribit, neque fieri poteſt, vt obſcuretur.

Lucæ 18.

Filij parentum vita.

h *Et filios aduenæ, qui adhærent Domino, vt colant eum, & diligant nomen eius: vt ſint ei in ſeruos.*] 14. E *Aduenarum*, & *Eunuchorum* nomine illi intelliguntur omnes, quos antiqua Iudæorum religio à ciuium ſuorum congreſſu, aut à templi miniſteriis arcebat, quos Deus ab Eccleſiæ ſinu non repellit, ſi adhærere Deo, & eius nomen diligere, & profiteri voluerint. Quod eſt omnino idem, quod ſtatim ſubiicitur *vt ſint ei in ſeruos.* Vt enim alibi docuimus, nomen alicuius obſeruare, implorare, aut inuocare eius eſt, qui alterius poteſtati ſubeſt. Niſi mauis ibi *nomen eius* ſumi pro *Deo*, vulgato Scripturæ more, quod mihi magis placet. Sed eſt om-

13.

pino quocumque accipias modo ſenſus idem. Nam *adhærere alicui, colere, & diligere* illius eſt, qui alienæ voluntati ſubiecit, & alligauit ſuam; cuius rei *ſeruo* nomen, quod ſtatim ſubiicitur, interpretatio eſt.

15. ⁱ *Omnem cuſtodientem ſabbatum, ne polluat illud, & tenentem fœdus meum: adducam eos in montem ſanctum meum.*] Concludit ſuperiora, & vniuerſim docet, eum qui ſabbatum verè, ſanctéque cuſtodierit, fœdúſque, quod ipſe cum hominibus pepigit, ſeruauerit, à ſancto mõte, id eſt, ab Eccleſia, cuius mons Sion vmbra quædam eſt, non fore repellendum. Quomodo mons Sion Eccleſiæ ſit typus, diximus ſuprà *cap. 2*, ad illud *Venite aſcendamus ad montem Domini.*

16. ᵏ *Lætificabo eos in domo orationis meæ.*] Placidum ſe, ac liberalem promittit Deus his, quos priùs tanquam indecoros à ſacro repulerat templi miniſterio. Quaſi dicat, Non ſolùm me ſeuerum non agnoſcent, cùm domum, quod antè non licebat, ingredientur meam, ſed etiam ita me præbebo facilem, & propitium, vt dum ibi mecum agunt familiariter, longas ducant, & iucundas moras. Lætificabo illos quia benignus audiam, & poſtulata concedam. Illud *orationis meæ* paſſiuè ſumitur, pro domo vbi Deus oratur. Aut fortaſſe *oratio* pro *oratorio*, ſeu *templo* ponitur: quomodo apud Græcos ſæpe προσευχὴ, ſeu *proſeucha*, id eſt, *oratio*, templum eſt, aut oratorium, ſicut etiam apud Latinos *proſeucha*. Iuuenalis *Satyra 3.*

Ede vbi conſiſtas in qua te quæro proſeucha.

Oratio pro templo.

17. Immò & vox ipſa *oratio* oratorium eſt *Act. 16. verſ. 13.* *Die autem ſabbatorum egreſſi ſumus foras portas iuxta flumen vbi videbatur oratio eſſe.* Græcè προσευχὴ *proſeucha*, quomodo *cœnatio* aut *ambulatio* pro loco vbi cœnatur, aut ambulatur, adhibetur. Neque valde incommodat quod vox *domus* præceſſerit, quia hæc vox communis eſt, & constructionem ſeu ædificationem valet à verbo δέμω, quare ſæpe cum opere conſtructo iungitur, vt *Domus ſanctuarij*, *1. Paralip. 28. 10.* *Domus carceris, Iſai. cap. 42. verſ. 7.* id eſt, ſanctuarium, ſeu carcer: ſic hoc loco *domus orationis meæ*: eſt ædificatio oratorij ſeu templi, quæ templi circumſcriptio eſt. Sed facilior eſt expoſitio prior, & magis conſentanea aliis locis, vbi templum *domus orationis* vocatur.

18. ˡ *Holocauſta eorum, & victimæ eorum placebunt mihi ſuper altari meo: quia domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis.*] Non licebat alienis à religione, ac genere Iſraelitico, aut intrare in templum, aut offerre hoſtias, niſi vt hoſpites, & aduenæ, vt dicemus ſtatim *num. 21.* Quare vt tradit Ioſephus *lib. 7. de bel. cap. 4.* Imperator Titus Iudæis, qui ſuorum, & Gentilium ſanguine templum fœdauerant, impietatem ſic exprobrat. *Nónne vos ô ſceleratiſſimi cancello ſanctum locum protexiſtis? nónne literis Græcis ac noſtris inciſas tabulas conſtituiſtis, quibus ne ſepta cuiquam tranſgredi liceret edicitur? Nónne eos, qui tranſiſſent, quamuis Romanus quis eſſet, vobis necare permiſimus?* Longè accidet ſecus Euangelij tempore, neque enim excludetur vllus à templo, neque hi ſolùm qui ſunt ex tribu Leuitica altari miniſtrabunt; ſed omnibus non ſolùm templum, ſed etiam altaris adyta patebunt; quia etiam Gentibus erit ſacerdotale nomen, & miniſterium commune. Quòd ſi hìc in *holocauſtis*, & *victimis* intelligas orationes, & preces, quæ *vituli labiorum* dicuntur, & *hoſtia*, ſiue *ſacrificium laudis*, res eſt multò expeditior, quia nullius orationibus obſtruetur commune illud propitiatorium. Atque

Eccleſia omnibus patet.

ideo optimè ſubditur. *Quia domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis*: non vni Iudæorum populo, ſed cunctis Gentibus, quarum ego preces libenter pro vitulis, & arietibus accipiam. Domus enim mea domus orationis eſt, non hircorum, aut vitulorum, qui, cùm illi figuræ tantùm eſſent, & inanes vmbræ, orta iam luce, quam adumbrabant, & præſtolabantur, euanuerunt.

ᵐ *Domus mea domus orationis vocabitur.*] Hæc verba adduxit Chriſtus *Matth. 21.* Vbi cùm eieciſſet vendentes, & ementes in templo, addidit; *Scriptum eſt, Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum.* In quem locum multa Patres dolenter, & grauiter de reuerentia, quæ Deo præſtari in templo debet. Sed omnium grauiſſimè Chryſoſt. *homilia 36. in Epiſt. 1. ad Corinth.* *Quondam*, inquit, *etiam domus Eccleſiæ erant, nunc verò Eccleſia domus, immo domo qualibet profana magis: nam in domo quidem ordo ſeruari ſolet; hera thronum occupat omni cum venuſtate, famulæ tacitæ ſedentes texunt: familiarium quiſque, quod imperatum eſt, in manibus habet. Hic verò magnus tumultus*, &c. Deinde, *Alibi ne amicum quidem in quem poſt longum tempus incidiſti compellare licet* (in templo) *ſed foris iſta fiunt, & rectè quidem; neque enim tonſtrina, aut vnguentaria taberna Eccleſia eſt, aut officina forenſis, ſed locus Angelorum, locus Archangelorum, Regia Dei, cœlum ipſum. Quemadmodum igitur ſi cœlum quiſpiam in auguſtum redactum illuc inducat, etiam ſi parentem, etiamſi fratrem videas, tamen præ ſtupore non alloquare, ſic neque hic quicquam, quàm ſancta ſonare decet.* Et multò grauiùs *hom. 40. ad populum*, vbi cùm in ſimilem licentiam, & intemperantiam ſeuerè eſſet inuectus ſubiecit. *Quod fulmen non torquetur, non tantùm in iſtos, verùm & in nos, nónne mirandum? Sunt enim iſta fulmine digna. Adeſt Rex, exercitum recenſet; tu ſub illius oculis ſtas ridens, & riſum deſpicis.* Tu lege reliqua, quæ ſanè lectu ſunt quàm digniſſima. Appellat, vt vides, Chryſoſtomus templum ea hominum impietate profanatum *tonſtrinam*, *vnguentorum tabernam*, *officinam forenſem*, quæ loca obire plerumque conſueuerunt otioſi homines, nugatores, & garruli; ſed multò grauiori compellatione Chriſtus notauit templum in illos vſus à plebe leuicula, atque inuerecunda tranſlatum, dum illud vocat *ſpeluncam latronum*. Quia ibi multi prædas agunt, dum contractus ineunt iniquos, aut inſidias moliuntur fœminarum pudori, quia celari poſſe commodè putant, vt pote in loco impuris illis mercimoniis, & inſidiis minimè opportuno. Neque ſanè noſtro tempore minùs piè, atque dolenter queri poſſemus de templis ab hominum intemperie violatis, quàm Chriſtus priùs, & deinde Chryſoſtomus in ſuo. 19.

Têplis magna debetur reuerentia.

ⁿ *Qui congregat diſperſos Iſrael: adhuc congregabo ad eum congregatos eius.*] *Iſrael* hìc myſticè ſumitur pro illorum generatione, qui verè dicuntur Iſraelitæ, id eſt, qui verè Deum colunt, ipſúmque vero, & grato ſacrificio proſequuntur. Talis igitur Iſrael diſperſos habet toto orbe illos, quibus Euangelij tempore templum patebit, & acceſſus ad ea, quæ verè adyta, id eſt arcana, & inacceſſa dici poſſunt. Fortaſſe alluſum hìc eſt ad captiuitatem Babylonicam, & ita cenſent nonnulli, ſed tantùm alluſum, nam ſermo omnino de Eccleſia eſt, & communi totius mundi beneficio. Ad hunc locum, vt putat Hieronymus, reſpexit Ioannes *cap. 11. verſ. 51.* cùm ageret de Caipha prophetante, pro- 20.

phetauit *quòd Ieſus moriturus erat pro Gente* (nempe ſua) *& non tantùm pro Gente, ſed vt filios Dei qui erant diſperſi congregaret in vnum.* Qui hîc *diſperſi Iſrael*, à Ioanne *filij* dicuntur *Dei*. Huc etiam, eodem teſte Hieronymo, ſpectaſſe videtur Petrus *Epiſt.1.* (1.Petri 1.) cùm ſcripſit. *Electis aduenis diſperſionis Ponti, Galatia, Cappadocia, Aſiæ, & Bithyniæ.* Et eodem mihi ſpectaſſe etiam videtur Iacobus *cap.* 1. (Iacob.ca.1.) cùm ſcripſit duodecim tribubus quæ ſunt in diſperſione, id eſt, illis, qui etiamſi non ſint ex genere Iſraelitico, myſticè tamen Iſraelitæ ſunt, & ad duodecim tribus, id eſt, ad fidelium Iſraelitarum ſortem ſpectant.

21. (Gentes vocatæ *diſperſa*, ſeu *diſperſio*.) Porrò Gentes ad illud vſque tempus *diſperſa* dici poterant, quia quodammodo deſpectæ erant à Deo, quo ſenſu Paulus dixit *Act.cap.17.verſ.30. Et tempora quidem huius ignorantiæ deſpiciens Deus, nunc annunciat hominibus, vt omnes vbique pœnitentiam agant.* Quæ etiam *cap.14.Act.verſ.15.* dicuntur *dimiſſa ingredi vias ſuas*, id eſt, ſuo arbitratu viuere, ſuæ naturæ imperio ferri, quaſi diſperſi greges, errantéſque à certis ſui paſtoris ſeptis. Dici etiam potuerunt alio ſenſu *diſperſa* ab ouili nempe Dei, quod olim videbatur eſſe templum Hieroſolymitanum: Quia licèt in illud ingredi poſſent, vt ex ipſa templi dedicatione conſtat 3.*Reg.8.verſ.41. Alienigena, qui non eſt de populo tuo Iſrael, cùm venerit de terra longinqua, &c. & orauerit in hoc loco, tu exaudies in cælo:* tamen neque in omnem locum ingredi poterant, qui patebat Iudæis, neque tanquam in propriam, ſicut domeſtici, ſed tanquam hoſpites, & aduenæ in alienam domum. Quare *Actor.cap.11. verſ.28.* turba commota eſt in Paulum, & iniecta manus; & ſeditionis ab offenſo populo ea profertur cauſa, *quia Gentiles induxit in templum, & violauit ſanctum locum iſtum.* Ad quam legem ſeu interdictum quo tanquam hoſpites ingrediebantur Gentiles in aliquam partem Solymitani templi, alluſiſſe videtur Paulus *ad Epheſ.cap.* 2. (Ad Eph.2.) *Iam non eſtis hoſpites, & aduenæ, ſed eſtis ciues ſanctorum, & domeſtici Dei ſuperædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum.* Ac ſi dicat, Adeſt iam tempus, in quo ciues eritis non hoſpites, domeſtici non aduenæ; neque enim ab Eccleſia Dei repellemini, ſicut à templo ſuperioribus ſæculis arcebamini. Ab illa priori lege credo Gentes dicebantur *diſperſa* Hebræorum vulgo; immò *diſperſio*, qua ratione Iudæi ſæpe dicuntur *circumciſio*, aut *ſynagoga*, id eſt, *congregatio*, pro circumciſis & congregatis. Quod non obſcurè colligitur ex illo Ioannis, *cap.7.verſ.35.* (Ioan.7.) Sic enim Iudæi de Chriſto. *Quò hic iturus eſt, quia non inueniemus eum? numquid in diſperſionem Gentium iturus eſt, & docturus Gentes?* Vbi ſermonem eſſe de Gentibus putant Auguſtinus & Chryſoſtomus, & alij communiter. Pro concretis abſtracta ſumi, diximus *cap.48.num.37.*

22. º *Congregatos eius.*] Sicut Iſrael ſymbolum erat, & typus populi Dei, & ideo *diſperſi Iſrael* vocantur Gentiles, qui ſanctè, ac religioſè in Eccleſia viuent; ſic quia ſynagoga typus eſt Eccleſiæ; quæ *congregationem* ſonat, ſynagogæ filij, vmbræ ſunt filiorum Eccleſiæ. Qui *congregati* dici poſſunt à ſynagoga, quæ *congregationem*, vti dixi, ſignificat. Quare exiſtimo hic eandem eſſe ſententiam per epexegeſim iteratam. Qui congregat diſperſos Iſrael, & ſynagogæ filios. Hæc mihi veriſimilia ſunt, imò certa: Tu vide an *congregati* hic vocari poſſint, qui digni aut apti ſunt, vt congregentur, aut qui deſignati ſunt iam ad congregationem. Qua ratione præſulem, aut Regem vocamus illum, qui ad illud nomen, ſeu titulum vocatus eſt, licèt legitimè eo munere, ſeu titulo inſignitus non ſit; Cenſeri autem in Scriptura aliquid tale, quale dignum eſt, vt fiat, docuimus ſuprà *cap.48.num.22.*

23. (Quot malis afficiatur Eccleſia propter prælatorum incuriam.) ᵖ *Omnes beſtiæ agri venite ad deuorandum: vniuerſæ beſtiæ ſaltus.*] Non facile eſt ſtatuere ad quos hæc verba pertineant. Quidam ad illos putant, quibus cum præſens Iſaias loquebatur: quaſi contra illos aduocentur Chaldæi, à quibus poſtea miſerandum in modum mulctati ſunt. Ita Hugo, & Forerius, qui etiam ad Romanorum tempora hæc pertinere exiſtimant. Cyrillus inuitari putat Gentes, quæ *ferarum* nomine deſignantur ad Eccleſiæ ſplendidam, & vitalem menſam, nempe ad Euchariſtiam, cui fauet tranſlatio Septuaginta; qui ita vertunt: *Venite, & comedite.* Et quidem Gentes optimè vocari poſſunt *feræ*, & *beſtiæ ſaltus*, quia ſicut iſtæ liberè vagantur à nullo cicuratæ magiſtro. Sic Gentes ſuo arbitratu viuunt, neque legis iugum, aut ſeuerioris diſciplinæ formã ſubiere. Sed iidem poſtea de Romanorum armis hæc interpretantur, Iudæorúmque clade. Hieronymus *beſtias*, cenſet eos, qui populum vexauere Iudaicum, quocunque tempore, quales fuerunt Aſſyrij, & Chaldæi, ſed primo loco ponit Romanos, & probat ſententiam Cyrilli, qui Gentes ad Euchariſtiam vocari dixit.

24. Mihi videtur dicendum hîc eſſe, quod pleriſque placet interpretum, ſpectare hanc vaticinij partem ad illam Iudæorum ætatem, quæ cùm cæcos haberet ſpeculatores, & doctores inertes, & ignauos, ſcribas nimirum, & Phariſæos, eò adducta eſt infelicitatis, vt à Romanis extremam experiretur fortunam. Ita cenſet Hieronymus, Cyrillus, Procopius, Haymo, Adamus, Dionyſius. Cui ego ſententiæ vt ſubſcribam facit, quia hæc optimè cadunt in illa Romanorum tempora, & cum totius capitis filo bellè conſentiunt. Nam licèt hæc omnia expleta videri potuerint à Chaldæis non longè poſt Iſaiæ ætatem, non tamen minùs impletum videtur oraculum à Romanis. Et ad hæc accedit, quòd aliquantulum diſtortè ab ætate Meſſiæ, de qua proximè, ad ætatem iam multis ſæculis exactam reuocaretur oratio, quæ ratio in re coniecturali, qualem nunc verſamus, plurimum habet momenti.

25. Quòd ſi de hoc rerum articulo ſermo eſt, ſententia meo iudicio grauis eſt atque doloris plena, quæque dolenter, & cum gemitu videatur eſſe proferenda. Nam cùm priùs oſtendiſſet Deus, quæ ſors, & quæ tanta felicitas maneret illos, qui vt Meſſiam exciperent, & aureo verè ſæculo fruerentur, ſeruaturi eſſent iudicium, & iuſtitiam facturi, denique quod ſabbati religionem decerei; ac tandem videret ex Gente Iſraelitide fore admodum paucos, qui Meſſiam agnoſcerent, amplecterentúrque, nunc dolet quòd propter malè ſanam mentem, & doctorum ſuorum fraude deceptam, non ſolùm non exciperent Chriſtum, ſed etiam per ſummam ignominiam, & crudelitatem morti traderent. Edicítque quemadmodum à Romanis mulctandi ſint, non aliter atque ſi conficerentur, ac deuorarentur à feris. Sunt autem homines, quos armat ambitio, ac furor rapit, quales in Iudæorum cladem fuere Romani, crudelitate, atque ferocia beſtiis ſaltus non inferiores. Quàm autem inclementer bacchati fuerint Romani milites in Iudæorum populum, ſatis à Ioſepho, & aliis rerum Iudaicarum ſcriptoribus copioſè proditum eſt.

26. Hoc autem loco duo obſeruanda, alterum imperatiuum

peratiuum ſumi pro futuro, quod prophetis familiare eſt, præſertim cùm res eſt grauis, & expectationem mouet, atque attentionem poſtulat. Alterum, hîc deſiderari ſimilitudinis notam: ita vt ſenſus ſit, venient Romani nihilo mitiores, quàm feræ ſyluarum, deuorabúntque Iudæorum Gentem. Omnes autem beſtias appellat, quia Romani omnes vndecumque auxiliares copias ad obſidionem Ieruſalem coëgerunt ex vicinis regionibus, totáque terra promiſſionis, quam habebant ſibi aut fœderatam, aut ſubiectam, vt indicat Ioſephus *lib. 3. de bel. cap. 1.*

27. A Præclaris malis magna populo peſtis.

q *Speculatores eius cæci omnes, neſcierunt vniuerſi: canes muti non valentes latrare; videntes vana,* B *dormientes & amantes ſomnia.*] Cauſam oſtendit Solymitanæ cladis, quocumque illa tempore, ſiue Chaldæorum, ſiue Romanorum contigerit, & quidem ſtragis per Chaldæos eadem omnino ratio à Ieremia adducitur *Thren. cap. 2. verſ. 14. Prophetæ tui viderunt tibi falſa, & ſtulta; neque aperiebant iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent: viderunt autem tibi aſſumptiones falſas & eiectiones.* Sed eandem fuiſſe cauſam Chriſti tempore, & poſt enunciatum iam Euangelium ab ipſo Chriſto diſcimus: qui ſæpe Iudæorum magiſtros cæcos vocat, & cæcorum duces, quique neque ipſi intrarent, neque alios intrare paterentur in regnum cœlorum. Poſt Chriſti verò reditum ad Patrem nihilo meliores facti ſunt, vt docent ſatis Apoſtolorum C Acta: Quàm enim Apoſtolos inſectari fuerint obſtinatè, quàm ardenti odio, quàm fraudulento, iniquóque conſilio, totus ille liber affatim oſtendit. Cuius rei Paulus teſtis eſt toties, tot locis, atque temporibus à Iudæorum Principibus ad necem quæſitus.

28. Hi ergo, qui multitudini, quæ plerumque ſapientiſſima non eſt, facem ad pietatem, & optimam vitæ conſtruendæ formam præferre debuerunt, cæci erant: & eò magis miſerabiles, quia, cùm cæci eſſent, & paſſim offenderent, tamen oculos habere ſe putant pluſquam lynceus, neque egere aliorum luce. Quòd ſi aliquid in gente illa omni flagitiorum genere corruptiſſima, aut olfacerent, aut deprehenderent correctione dignum (nam D & cæci ſi quid occurrit, & frequens, & grande, in illud etiam nolentes, & ignorantes incurrunt) inſtar canum tamen, quibus obiecta offa obſtruitur os, latrare non audebant. Cúmque ipſis commiſſa eſſet magnæ illius domus Iſraeliticæ cuſtodia, atque ideo inuehi deberent in nocturnos fures, vt ignobiles tamen canes, & ad otioſorum hominum delicias nati, blandiuntur cauda, latrántque amicum potiùs quiddam, & adulatorium, quàm infeſtum & acre. Quòd ſi (vt de adulatorum ingenio optimè Plutarchus *opuſculo de diſcrimine adulatoris, & amici*) aliquando dentibus aliquem mordere velle ſe ſimulant, id ita faciunt molliter, & cautè, vt cùm dentibus videantur dominos appetere, E illis tamen neque dentes infigunt, neque vllo modo lædunt; ſed in illis morſiunculis aliquid apparet blandioris cuiuſdam adulationis, ne dicam mollioris, ac turpioris intemperantiæ.

29. Cani rabido ſimilis peccator.

Epiphanius *Hæreſi 78. in principio*, canes mutos rabidos eſſe exiſtimat: quia canes cùm adiguntur in rabiem, non latrant: & in eo furore, ac turbatione, neque domeſticos agnoſcunt, neque dominum; eodémque furore in dominum, atque in alienos rapiuntur. Eo prorſus modo Iudæorum doctores, & Phariſæi, qui vigili cuſtodia excubare

A debuerunt pro ſuorum ſalute; ad cætera ſegnes, & ſomnolenti in Chriſtum magiſtrum, & Dominum vt rabidi, & muti canes, bacchabantur. Sed eſt planè ſuperior explicatio commodior, magíſque conſentanea ad alia loca, in quibus id obiicitur Iudæorum magiſtris, quòd ad aliorum ſcelera conniueant, & caninas voces aut ſerpentinas linguas intorqueant, otioſè & inutiliter in iuſtos, & ſanctos.

In huiuſmodi magiſtros cuſtodes, & ſpeculatores, elingues tamen, & ſomnicuIoſos multa, & grauiter Patres. Vide Gregor. *in lib. 1. Reg. cap. 4.* vbi optimè expendit prælatos quoſdam dici *non valentes latrare*, non verò *nolentes*. Quia re vera dum B terrena meditantur, ſenſibúſque ad turpia prurientibus ſeruiunt, loqui non poſſunt; quia *omnis iniquitas oppilauit os ſuum*. Quis enim contra auaros latret, non ſimulatè, & vanè, cui auaritiæ ſtudium, cuius infamia in populo laborat, fauces intercluſit? Quomodo aſotus, & libidini deditus contra intemperantes, & aſotus obganniat? Huic itaque auaritia, & libido nota populo latrandi facultatem eripuit, niſi fortè quod ſæpe accidit, abiecto pudore frontem perfricuit. 30. Qui in ſcelere eſt alios arguere non poteſt.

Dicuntur etiam non latrare, vt canes fidi domus cuſtodes, qui ſæuos ſe præbent contra domeſticos, & contra illos, qui nullo modo dominis noxij ſunt, aut moleſti; mites verò in latrones, & qui dominorum inſidiantur vitæ. Aut etiam, qui im- C portuno, atque moleſto latratu turbant potiùs res, quàm ſedant, & componunt: quam caninam facundiam appellat Hieronymus *epiſt. ad Ruſticum Monachum*. Aut quæ clamores effundunt inanes, ex quibus nullum capiunt commodum aut hominum mores, aut ſtatus reipublicæ. Quemadmodum, ſi quod eſt in prouerbio, canis latratu appetat lunam, quæ à cane nihil pati, aut timere poteſt. Id eſt, in abſentes multa iactet audaci, atque fœcunda lingua, à præſentibus verò, quibus tantùm vtilis eſſe poterat illa vox, tanquam à re ſacra vocem contineat. Hos ego mutos canes appello, quantumuis clamoſos, iuxta ea, quæ diximus *cap. 59. num* 5. quia quæ inutilia ſunt, perinde cenſentur, ac ſi non eſſent. 31.

D r *Videntes vana.*] Id eſt, prophetantes, ſeu prædicentes. Nam quemadmodum prophetæ dicuntur *videntes*, & prophetia *viſio*, ſic etiam *videre*, prophetare eſt. *Vana* verò ea ſunt, quæ apud Ieremiam ſuprà falſa, & ſtulta. Dicuntur autem *vana* hæc, quia non aliter carent, aut veritate, aut rerum momentis, quàm nucleo, atque medulla nuces vacui corticis ſpecie contentæ. Seu certè *vana* vocantur, illa quæ videri poterant prophetarum oracula, quia inutilia ſunt, neque aliquid habent præter curioſam, aut veriùs otioſam rerum cognitionem, ſeu oſtentationem. Hanc autem vanitatem videtur Chriſtus obiecisſe Iudæis *Matth. 16. & Lucæ cap. 12.* qui cùm ſignorum cœleſtium, & E terræ proprietatem, & terminos noſſe ſtuderent, Scripturæ tamen, & Chriſti tempori cognoſcendo, nil nauabant operæ. *Matth. 16. Faciem cæli diiudicare noſtis, ſigna autem temporis non poteſtis ſcire.* Et clariùs *Lucæ 12. Hypocritæ, faciem cæli, & terræ noſtis probare, hoc autem tempus quomodo non probatis.* Ita putat Lyra, neque mihi diſplicet. 32.

ſ *Dormientes, & amantes ſomnia*] Hieronymus in *ſomniis* Dæmonum præſtigias, & illuſiones intelligit, quas ſtulti illi, qui videri vulgò ſtudebant ſapientes, & prophetæ, a Dæmone captabant, quibus Dæmon ipſe per quietem falſas imagines rerum 33.

obiicie

obiiciebat. Alij hæc ad otium & ignauiam referunt paſtorum, & ſpeculatorum, qui cùm non tam ſuorum cuſtodiæ, atque incolumitati, quàm ſuæ molitiæ, ac voluptati ſeruiant, id ſpectent vnum, vt molliter cubent, vt otioſè dormiant, vt eas capiant voluptates, quæ à carnis, libidiniſque blandimento ſunt. Et hoc fortaſſe verius, quia optimè cum conſequentibus hæret.

34. Qui malè præſunt canibus ſimiles. ᵗ *Canes impudentiſſimi neſcierunt ſaturitatem.*] Remouit ſuprà propheta à ſpeculatoribus, & præfectis id quod in canibus laudamus, & expetimus, nempe fidem, domus cuſtodiam, & vigiles excubias, latratúmque non minùs opportunum, & gratum domino, quàm ingratum & importunum furi. Nunc illud ſpeculatoribus attribuit, quod in cane faſtidimus, & exectamur. Canis inuerecundus eſt, & ipſo habitu oris eam præſefert impudentiam, vt prouerbio locum dederit, quo iis, qui iam omnino depuduerunt, faciem canis ineſſe dicimus. Sic apud Homerum Achillea in maledictis iactat in Agamemnonem *lib.* 1. κυνὸς ὄμματ᾽ ἔχων, id eſt, *oculos habens*, ſeu *faciem canis*, & alibi κυνῶπα, id eſt, *faciem habens caninam*. Quod etiam Hiſpanus torquet in eos, qui duta ſunt, & lata fronte, appellat enim *cara de perro*. Fortaſſe eò ſpectat Hebræorum prouerbium, quod viliſſimum quoque *caput* appellat *canis*. 2. Reg. 3. *Numquid caput canis ego ſum.*

35. Optimè autem in huiuſmodi canibus apparet C ſpecies eius, qui cum poteſtate eſt, & ſuo maximè ſtudet abdomini, ac genio. Hic enim cùm neminem ſuſpiciat, aut metuat, nihil non audet; cùm autem libidinem habeat ſeueriſſimam dominam, cuius imperio repugnare non audeat, quicquid libido imperat, ad id ſe ſtatim accingit, & per ſummas etiam difficultates aduolat. Quare iure optimo *canes* dicũtur *impudentiſſimi*, iſti ſiue Rectores, ſiue prophetæ: Tum quia hoc proprium eſt epitheton canis: tum quia impudentiam, atque intemperantiam canis imitantur. Dicuntur autem *neſcire ſaturitatem*, quia nunquam videntur expleuiſſe ingluuiem, aut libidinem, quod Hiſpanus dicit *noſe veharto*. Canes, vt ferunt, vbi grauari ciborum onere torqueri ſe vident, cùm vomitu leuati ſunt, ad ea D ſe inuerecunde referunt, quæ fœdè, & cum dolore vomuerunt. Vnde eſt illud tritum apud Hebræos, *Canis reuerſus ad vomitum*. Idem quoque faciunt iſti pluſquam canes ciuitatis præfecti, qui, vt diximus *cap.* 28. *num.* 12. in menſa vomunt, & leuato ſtomacho à ciborum onere, integri rurſus epulas inſtaurant. Ex hac ſaturitate ortum eſt, vt ſomnos canes iſti capiant, & in ſuo munere obeundo dormiant. Ex diſciplina autem paſtoritia canes ſaturi eſſe non debent; Cùm enim ſaturitatem ſomnus excipiat, fit vt quocumque loco etiam valde importuno, & cùm magis videbatur eorum cuſtodia neceſſaria, ſomnus obrepat. Hic porrò ſiue morbus, E ſiue vitium auaritia eſt, & ingluuies, ſiue aliquod aliud ſentientis animæ blandimentum, de quibus ſtatim. Ad quæ illi non tam religioſi paſtores, & duces, quàm inanes religioſorum vmbræ aſpirabant.

36. Hîc pro moribus obſerua, quàm ſtudere ſobrietati debeant, qui aliis præſunt, cùm excubare debeant, atque ſpeculari, ſi quid commiſſo ſibi gregi periculi impendeat, quod ſomno, vinóque grauati præſtare non poſſunt. Quare Eccleſiæ vigil & ſpeculator Petrus gnarus inſidias gregi ab hoſte calliſſimo parari, admonet, vt, quando aduerſarius Diabolus tanquam leo rugiens intentus prædæ cir-A cuit, quærens quem deuoret, ſobrij, & vigiles ipſius inſidias eludamus.

ᵘ *Omnes in viam ſuam declinauerunt, vnuſquiſque ad auaritiam ſuam.*] *Via* in Scriptura ſacra pro inſtituto, ac viuendi ratione ſiue conſilio ponitur. Significat autem hoc loco propheta omnes ſic ſuam inſtituiſſe vitam, ac ſi nulla tenerentur lege, ſed cuilibet pro lege fuiſſe voluntatem, ſiue libidinem ſuam. Quare ſpectares in vna Iudæorum republica plurimas omnium populorum leges, aut vnam ex multarum legum confuſione collectam. Quia quiſque vitam ſuam ita moderabatur, ſicut immoderatus affectus aliò, atque aliò obſequentem nimiùm animum rapiebat. Quare, vt inquit Hieronymus, B in illud ſæculum optimè quis conferret illud *Iudic. cap.* 17. *In diebus illis non erat Rex in Iſrael, ſed vnuſquiſque, quod ſibi rectum videbatur hoc faciebat.* Quænam autem illæ ſint viæ, ſtatim declarat, nempe pecuniarum ſtudium. *Vnuſquiſque ad auaritiam ſuam.* Ad quod legis interpretationem trahebant, ſuæque cupiditati ſeruire faciebant. Ad quos Dominus *Matth. cap.* 15. *Quare tranſgredimini mandatum Dei propter traditiones veſtras*, &c. *Vos autem dicitis, munus, quodcumque eſt ex me tibi proderit.* Et *Matthæi cap.* 23. *verſ.* 14. *Væ vobis ſcribæ & Phariſæi hypocritæ, quia comeditis domos viduarum orationes longas orantes.* Quàm verò pecuniis immoderatè ſtuduerint eo tempore Iudæorum rectores, & maC giſtri, hinc fit perſpicuum, quia nullus ferme fuit propheta, à quo in illis iſta pecuniarum cupiditas non reprehendatur, tanquam nimiùm immoderatè profuſa, & iniuſtis modis in aliorum fortunas violentes irrumpens. *Ierem. cap.* 6. *verſ.* 13. *A minore vſque ad maiorem omnes auaritiæ ſtudent: & à propheta vſque ad ſacerdotem cuncti faciunt dolum. Ezec. cap.* 22. *verſ.* 27. *Principes eius in medio illius, quaſi lupi rapientes prædam ad effundendum ſanguinem, & perdendas animas, & auarè ſectanda lucra. Michææ* 3. *Principes eius in muneribus iudicabant: & ſacerdotes eius in mercede docebant: & prophetæ eius in pecunia diuinabant.* Altera via eſt ciborum intemperantia, cui comes eſt libido: quare commode ſtatim ſubiicitur.

D ˣ *Venite ſumamus vinum; & impleamur ebrietate.*] Mimeſis eſt quæ loquentes inducit aſotos illos, & nimiùm deditos voluptuariis ſenſibus. Qui loquendi modus non eſt ſine epitaſi, quia ardens, & præceps hominum ſtudium importat. Sic autem facilis erit ſententia ſi dicas. *Et ſe ipſos viciſſim hortantur, & acuunt, vt vino ſe, & ebrietati totos, & animo tradant.* Eodem genere dicendi vſi ſunt in eadem, ſiue cupiditate, ſiue væſania; *Venite ergo & fruamur bonis, quæ ſunt: & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter: vino pretioſo, & vnguentis nos impleamus.* Porrò de hac intemperantia, vinique E immodico, atque indecoro vſu dixit eadem ferme propheta ſuprà *c.* 28. *verſ.* 7. *Sacerdos & propheta neſcierunt præ ebrietate: abſorpti ſunt à vino, errauerunt in ebrietate, neſcierunt videntem, ignorauerunt iudicium.* *Ebrietas* hîc pro vino ponitur; ſicut *ſaturitas* pro pane ac cibo, effectus nempe pro cauſa. Vide quæ diximus *cap.* 55. *num.* 15. 38.

ʸ *Et erit ſicut hodie ſic & cras, & multò amplius.*] 39. Obſtinatus animus.
Obſtinati animi verba ſunt iſta, quique ſibi omnino perſuaſit adeò in vitiis modum ponendum non eſſe, vt acriori potiùs ſtudio illis ſeruiendum ſit. Qua dicendi forma, certè non multùm diſſimili vſus eſt Roboam, cùm præciſè negauit de tributorum onere aliquid eſſe remittendum. 3. *Reg.* 12. *verſ.* 14.

verſ.14. Pater meus aggrauauit iugum veſtrum : ego autem addam iugo veſtro. Pater meus cecidit vos flagellis : ego autem cædam vos ſcorpionibus. Et Pharao *Exod.cap.5.verſ.18.* adeò erat infenſo in Hebræos animo, vt non mndò nnn leuaret eos à laterum menſura, quam impoſuerat, ſed etiam ad antiquum penſum addiderit vt ipſi ſibi ad fingendns lateres ſtipulas exquirerent. *Palea non dabuntur vobis, & reddetis conſuetum numerum laterum.* Et Iſaias ſuprà A *c.9.v.10.* cùm de nbſtinato quorundã ſtudio ageret, induxit eus eadem ſermonis figura dicentes: *Lateres ceciderunt, ſed quadris lapidibus ædificabimus, ſycomoros ſucciderunt, ſed cedrus immutabimus.* Sic etiam iſti de quibus Iſaias, ad heſternam intemperantiam, & luxum aliquid dicunt addendum eſſe in craſtinum, id eſt, in ſingulns dies maiora fore vitiorum incrementa. *Hæc de capite quinquageſimo ſexto.*

Argumentum quinquageſimi ſeptimi capitis Iſaiæ.

PRINCIPIO *agit de Chriſti morte, acerbitatis, atque ludibrij plena : deinde Iudæos, à quorum filiis poſtea occiſus eſt Chriſtus, deſertæ religionis accuſat. Qui Gentium Idolis vndecumque locorum comportatis, ſacrificia inſtituerunt, quæ magno ſtudio, atque obſeruantia peregere. Quàm verò impensè ſimulacra coluerint, ſponſæ in adulterum molliter affectæ ſimilitudine declarat. Quibus graue minatur infortunium, ex quo ab Idolorum auxilio ſperari nullum poteſt effugium. Ad extremum iis, qui piè viuere, & ſalutem ſuam diuinæ tutelæ credere voluerint, ſiue hiſtoricè apud Babylonios, ſiue typicè ſub Diaboli ſeruitute captiui teneantur, libertatem promittit.*

CAPVT LVII. / PARAPHRASIS in idem caput.

1 [a] IVSTVS *perit, & non eſt qui recogitet in corde ſuo : & viri miſericordiæ colliguntur, quia non eſt, qui intelligat,* [b] *à facie enim malitiæ collectus eſt iuſtus.*

1 HÆC tot booa, quæ paulò antè audiſtis, iuſtus Chriſtus io terram detulit: ſed canes illi voraces, & impudentes, de qnibus nuper, eum neci dederunt. Prô facinus indignum! Iuſtus perit, neque vllus eſt, qui quantum ſit in eius cæde iniquitatis, ſecum ipſe conſideret : immò illos, qui Chriſto ſacrilegas manus intulerunt, adeò facti non pœnitet, vt viros quoque ſanctos, & miſericordes, eadem mentis diritate confecerint. Malitia itaque, atque inuidia rabidorum canum occiſus eſt Chriſtus, & viri miſericordiæ ſublati.

2 [c] *Veniat pax, requieſcat in cubili ſuo, qui ambulauit in directione ſua.*

2 Pacem illi, ſolemni lugentium formâ, precor, & requiem in ſepulcro; quando tam ille fideliter, ac proſperè in hominum ſalutem, & libertatem incubuit.

3 [d] *Vos autem accedite huc filij auguratricis: ſemen adulteri, & fornicariæ.*

3 Vos autem qui Chriſtum occidiſſe videri poteſtis, cùm à veſtro genere interficiendus ſit, adeſte huc, & quid vobis opponam, pauliſper audite. Adeſte, inquam, ô ciues, qui in ea viuitis republica, quæ auguralem coluit artem, & diuinatoriam: quorum mater ad idolorum inſaniam defluxit; & cum eis, antiqua religione contempta, fornicata eſt.

4 [e] *Super quem luſiſtis? ſuper quem dilataſtis os, & eieciſtis linguam?* [f] *Numquid non vos filij ſceleſti, ſemen mendax?*

4 Quemnam eſſe putatis illum, cui per ludibrium indigniſſimis inſultaſtis modis : io quem libero, atque petulanti conuitio bacchati eſtis, plenámque veneni, ac fellis maledicam exeruiſtis linguam? Et quis neget nobilium parentum ſceleratos vos eſſe filios, & germen om‐ino mendax; qnod ex generoſa ſtirpe in fruticum inutilium luxuriam degenerauit.

5 [g] *Qui conſolamini in diis ſubter omne lignum*

5 Quos in idolorum cultum, ſeu veriùs, in idolo

Digitized by Google

idolomaniam inflammatum quoddam, atque impotens deſiderium abripit: adeò vt nullus locus, nulla frondoſæ arboris opacitas ſit, quam ſacrificiorum ergò veſtra non obeat, & frequentet impietas. Sanè ardor ille, ſeu furor væſanus eſt, qui eò vos adigit, vt paruulos, & innocentes filios iuxta torrentes in ſaxorum cauernis ad impias aras immoleris.

6 Cùm autem ego tibi forem ſors, & hæreditas: tu tamen tibi aliam hæreditatem elegiſti; non quidem in templo meo, vbi legitimè, ſed in torrentibus, vbi impiè ſacrificares idolis. Hanccine ego perfidiam impunitam eſſe patiar?

7 Super excelſum montem, vbi erecta fuerant idolorum altaria, ſacrificandi gratia aſcendiſti: Ibi cum omnium Gentium idolis meretricata es, ſtrato omnium libidini, ac proſtituto lecto.

8 Deorum autem tuorum imagines, aut phylacteria ita pro domus foribus conſtituiſti, vt ſiue ingredereris, ſiue egredereris, aut in quamcumque partem aſpiceres, in oculos incurrerent. Neque hìc ſtetit impudens libido; ſic enim frontem perfricuiſti, vt proſtituto ante oculos meos meretricio lecto, & adulterum in illo complexa, quid ego inde doloris caperem, non curares. Neque vnum ſuſcepiſti adulterum, ſed quotquot in tuum ſe lectum inferre voluerunt. In quem vſum illum valde laxaſti; & cum eis fœdus iniiſti quaſi coniugale, idque non occultè, & tecta, atque artificioſa manu, quod ſcorta etiam vulgaria plerumque faciunt; ſed in omnium oculis, & aperta manu amatores alliciens, & cum fide abiiciens ipſum quoque pudorem.

9 Ornaſti te inſtructu nuptiali, perinde atque ſi Regios oculos allicere velles. Vnguentis te fragrantibus aſperſiſti, & ad hæc varia adhibuiſti pigmenta. Cùm verò te ad impuras illas, & ſacrilegas nuptias comparaſſes, per legatos aliò atque aliò dimiſſos, amatores ex regionibus procul abs te diſſitis aduocaſti. A quibus ſic es conſtuprata, vt ad tuam ignominiam nulla videatur acceſſio fieri potuiſſe.

10 Et licèt diu, multúmque laboraueris in conuehendis, colendíſque Gentium ſimulacris; non tamen ideo à nefaria illorum obſeruantia quieſcendum eſſe tibi exiſtimaſti. Et quia, quod tanta auiditate quæſieras, inueniſti; quaſi iam neceſſaria omnia ſatis parata haberes ab idolis, nulla de re ad me ſupplex acceſſiſti.

11 Ecquid eſt eorum, quibuſcum in te furorem acuebas, quod tibi curæ, atque timori fuerit. Timendum ſanè tibi fuit, quia fefelliſti fidem, quam ſponſo integram, atque conſtantem ſeruare debueras. Quia non tantùm è thalamo, ſed etiam ex memoria, atque animo procul abieciſti, neque quid feceris, aut quid timere debueris, cogitaſti. Hunc autem ſtuporem, & audaciam

lignum frondoſum, [h] immolantes paruulos in torrentibus [i] ſubter eminentes petras.

6 [k] *In partibus torrentis pars tua, hac eſt ſors tua; & ipſis effudiſti libamen, obtuliſti ſacrificium. Numquid ſuper his non indignabor?*

7 [l] *Super montem excelſum, & ſublimem, poſuiſti cubile tuum; & illuc aſcendiſti, vt immolares hoſtias.*

8 [m] *Et poſt oſtium, & retro poſtem poſuiſti memoriale tuum: [n] quia iuxta me diſcooperuiſti, & ſuſcepiſti adulterum: [o] dilataſti cubile tuum, [p] & pepigiſti cum eis fœdus: [q] dilexiſti ſtratum eorum manu aperta.*

9 [r] *Et ornaſti te Regi vnguento, & multiplicaſti pigmenta tua. [ſ] Miſiſti legatos tuos procul, & [t] humiliata es vſque ad inferos.*

10 [v] *In multitudine via tua laboraſti: nec dixiſti, Quieſcam. [x] Vitam manus tua inueniſti: propterea non rogaſti.*

11 [y] *Pro quo ſollicita timuiſti, quia mentita es, & mei non es recordata, neque cogitaſti in corde tuo: quia ego tacens, & quaſi non videns: & mei oblita es.*

aluit ea cogitatio, quòd tibi tantum ſcelus impunitum fore tibi perſuaſeras. Nam cùm non ſtatim in tuam perfidiam animaduetterem, latere exiſtimabas oculos, ea, quibus æternum debebatur ſupplicium.

12 [a] *Ego annunciabo iuſtitiam tuam, & opera tua non proderunt tibi.*

12 Cæcum me putabas, & mutum, quia dum tu nomen meum impudenter offenderes, ego interim tacebam inſtar muti: aliquando tamen ſilentium rumpam, annunciabóque quàm longè receſſeris à iuſtitia. Neque clamante me auxilio tibi erunt deorum ſimulacra, quæ tuis tibi manibus fabricata es.

13 *Cùm clamaueris, liberent te congregati tui, & [a a] omnes eos auferet ventus, tollet aura. [b b] Qui autem fiduciam habet mei, hæreditabit terram, & poſſidebit montem ſanctum meum.*

13 Longè erunt, vt in anguſtiis tuis opem tibi, ac libertatem afferant implorati dij, quos vndecumque Gentium aſportari feciſti. Qui vſque adeò leues ſunt, vt à vento, atque aura, non ſecus atque aridæ ſtipulæ, iactentur. Longè aliter accidet his, qui ſuam mihi ſalutem, & vitam crediderunt. Illi enim promiſſam ſibi terram habitabunt, & in monte ſancto meo mecum morabuntur.

14 [c c] *Et dicam, Viam facite, præbete iter, declinate de ſemita, auferte offendicula de via populi mei.*

14 Quos ita molliter ad quietem adducam, & optatam pacem, vt omnia ſubmoueam impedimenta, dicámque quod Regij ſatellites in magni Principis ingreſſu ſolent: Agite, viam expedite: iter præbete à turba, & multitudine vacuum; cedite de ſemita: & ſi quid occurrit offenſionis populo meo, illud quamprimum amouete.

15 [d d] *Quia hæc dicit excelſus, & ſublimis habitans æternitatem: & ſanctum nomen eius, in excelſo & in ſancto habitans, & cum contrito, & humili ſpiritu; vt viuificet ſpiritum humilium, & viuificet cor contritorum.*

15 Neque hæc promiſſa exitu carebunt, & fide; ſunt enim non ab homine fallaci, & ludicris idolorum præſtigiis: ſed à Deo, qui excelſa quædam eſt, ſublimis, & æterna ſubſtantia: Cuius nomen in cœlo ſanctum eſt, & venerabile, quíque apud homines in templo habitat, & in his qui humili ſunt, & contrito corde, vt illos viuificet, & exaltet.

16 [e e] *Non enim in ſempiternum litigabo, neque vſque ad finem iraſcar: [f f] quia ſpiritus à facie mea egredietur, & flatus ego faciam.*

16 Ducam autem molli, atque expedita via, & è Babylonico exilio captiuos in Ieruſalem, & è maiori dæmonis ſeruitute homines in æternam libertatem. Quia non erit mihi cum illis perpetua diſceptatio, & immortalis ira. Cur enim ego iraſcar in ſempiternum contra illos, quibus ſpiritum, & flatum dedi, id eſt, qui à me, vt ſpirent, & viuant, habent.

17 [g g] *Propter iniquitatem auaritiæ eius iratus ſum, & percuſſi eum: [h h] abſcondi à te faciem meam, & indignatus ſum: [i i] & abiit vagus in via cordis ſui.*

17 Iratus ſum in populum meum, quem percuſſi variè, neque benignam, & placidam faciem oſtendi, quia auaritiæ, reliquíſque animi ſordibus impenſiùs indulſit. In qua animi mei indignatione, vagus, & ſolutus poſt cordis ſui affectus immoderatos, & vana deſideria defluxit.

18 [k k] *Vias eius vidi, & ſanaui eum, & reduxi eum, & reddidi conſolationes ipſi, & lugentibus eius.*

18 Vidi populum poſt ſua deſideria pernicioſis, atque auiis errantem veſtigiis, miſertus tamen, opportunam adhibui illius vulneri medicinam, reduxíque in antiqua ſepta, & eos, qui in eo populo animo erant languenti, atque ægro, conſolatus ſum.

19 [m m] *Creaui fructum labiorum pacem, [n n] pacem ei, qui longè eſt, & qui propè, dixit*

19 Ego creabo pacem tam ei, qui propè eſt Iudæo, quàm Gentili, qui longè abeſt: ſanabóque

à vulne

à vulnere, quod in ſuo quique ordine receperunt. Quæ mea benignitas, perpetuæ illis erit laudationis materia.

20 Hæc mea benignitas ad eos ſpectat, qui ægro ſunt animo, quóſque peccati pœnitet. De impiis verò alia ratio eſt. Tam enim erunt longè, vt quieti viuant, vt potiùs inſtar maris, quod perpetuis ferueт, & agitatur motibus, vitam agant perpetuo quodam malorum æſtu turbatam. Neque tamen illa turbatio, atque æſtus impiis afferent nitorem, atque munditiam, ſicut patientibus, & iuſtis: Nam his inducunt gratam quandam ſpeciem, & læuorem, ſicut lapillis, & conchis: illos verò tanquam ſordidam, & limoſam materiam in cœnum ſoluunt, quod conculcatur.

21 Hæc erit impiorum ſors; quibus edicitur à Deo nihil vnquam illis fore pacatum.

dixit Dominus: & ſanaui eum.

20 ** *Impij autem quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt:* ** *& redundant fluctus eius in conculcationem, & lutum.*

21 ** *Non eſt pax impiis, dicit Dominus Deus.*

IN CAPVT QVINQVAGESIMVM SEPTIMVM COMMENTARIVS.

1. IVSTVS *perit, & non eſt, qui recogitet in corde ſuo.*] Valde obſcurum eſt quis ſit iſte iuſtus, de cuius morte nemo cogitat, aut laborat: Hebræi teſte Hieronymo cenſent, hæc generaliter ſumi de iuſtis omnibus, qui ab impio Manaſſe occiſi ſunt eo numero, vt 4. *Reg. cap.* 21. *verſ.* 16. de illo ſcribatur. *Inſuper & ſanguinem innoxium fudit Manaſſes multum nimis, donec impleret Ieruſalem vſque ad os.* Aut certè de Iſaia, qui antonomaſticè *iuſtus* vocatur, & vt eſt Hebræorum traditio à noſtris communiter recepta; ſerra ſectus eſt lignea: de quo nos pluribus in horum commentariorum prooemio. Alij de iuſtis generaliter accipiunt, S. Thomas, Adamus hìc, & in oratione funebri Tilmani, Pintus, Emanuel Sa, cum Chaldæo: Foreirus de ſtatu Iudæorum à tempore Achaz vſque ad Chriſtum agi putat. Plures de Chriſto accipiunt, qui ſæpe tam in veteri, quàm in nouo teſtamento *iuſtus* appellatur. Ita Hieronymus, Cyrillus, Procopius, Haymo, Dionyſius, Hugo, & Lyra. Cyprianus *lib.* 2. *contra Iudæos*, Tertullianus *lib.* 3. *contra Marcionem.*

2. Gregorius longè aliter hunc explicat locum *lib.* 5. *Moral. cap.* 28. qui putat hanc eſſe cogitationem & ſenſum impiorum, qui ſe ideo otio, & voluptati tradunt, virtutíſque caſtra horrent, ac fugiunt, quia iuſtum & miſericordem vident ludibrio haberi, & miſerè à potentiori hominum ordine vexari ac tolli. Sic ibi Gregorius. *Iniqui ergo, dum ſola temporalia appetunt, & quæ bona electi in æternum maneant ſcire contemnunt, dum iuſtorum afflictionem conſpiciunt, ſed quæ ſit afflictionis retributio, non agnoſcunt, actionis ſuæ pedem in profundum porrigunt, quia à luce intelligentiæ ſponte ſua oculos claudunt.* Quo loco obiectio quædam indicari videtur, eorum, de quibus in fine præcedentis capitis; quos intemperantiæ atque ſocordiæ arguerat propheta; Qui quominus eius conſilio pareant, eam afferunt cauſam, quia iuſtos homines, & miſericordes perire videnr, neque quemquam de eorum morte dolere, aut cogitare, quaſi deſpecti ſint, & nullo apud homines loco. Contrà verò homines, qui nati videntur, vt ſuo ſibi genio indulgeant, florere inter alios & ab omnibus haberi fortunatos. Quibus propheta ſtatim reſpondet *veniat pax*, &c. Quaſi dicat, illos poſt hæc, quæ cenſentur ab hominibus infortunia, æternum habituros mortis ſolatium, & ſuorum meritorum ſuperabundans præmium. Et quidem hæc cogitatio non ſemel inuaſit ſanctorum etiam virorum conſtantes animos, quos ex ſtatu, quem in via Domini priùs elegerant, penè commouit. Dauid *Pſal.* 72. *Mei autem penè moti ſunt pedes; penè effuſi ſunt greſſus mei: quia zelaui ſuper iniquos pacem peccatorum videns.* Ieremias *cap.* 12. *Quare via impiorum proſperatur, bene eſt omnibus, qui præuaricantur; & inique agunt.* Idem ferme Iob *cap.* 21.

Iuſtorū afflictio inſipientes à virtute deterret.

Mihi primùm videtur non improbabile, hæc de iuſtis generaliter ſumi, vt cum S. Thoma alij cenſuerunt. Videtur autem propheta ideo iuſtorum mortis meminiſſe, quia proximè dixerat, neque vnum ex tanta Hebræorum multitudine fuiſſe reliquum, qui non declinauerit in viam ſuam, abieritque poſt auaritiam. *Omnes in viam ſuam declinauerunt, vnuſquiſque ad auaritiam ſuam, à ſummo vſque ad nouiſſimum.* Quaſi hoc ipſum confirmet, cùm dicat, qui ex eo numero fuerant iuſti, illos ex hominum conuictu, ac vita fuiſſe ſublatos, miratúrque quomodo nullus tantam iacturam, aut doleat, aut cogitet; cùm ſublato iuſto tolli quoque videatur ciuitatis præſidium, quod iræ diuinæ impetum ſuſpendit, & retardat. Si decem illi, qui iuſti erant apud Sodomæos non periiſſent, ſtaret forſitan ad hunc vſque diem in ſua gloria atque ſplendore Pentapolis. Sed audi aliquid in hoc genere 3.

Plurimùm intereſt ciuitatibus viros habere iuſtos.

admirabilius. Vnum tantùm virum iuſtum quærit Deus in Ieruſalem, vt vniuerſæ ignoſcat ciuitati *Ierem cap.5.verſ.1. Circuite vias Ieruſalem, & aſpicite, & conſiderate: & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem, & propitius ero ei.* De vno tantùm viro, vt litera ipſa præ ſe fert, locum hunc eſſe intelligendum, putant Hieronymus, Theodoretus, Rabanus, S. Thomas, Dionyſius, & Hugo. *Grandis*, inquit Hieronymus, *amor iuſtitiæ, vt non pro decem iuſtis, ſicut olim ad Abraham dixit Deus, liberet ciuitatem; ſed ſi inuenerit vnum in Ieruſalem, miſereatur ciuitatis.* Tempore autem Iſaiæ nullus videtur fuiſſe iuſtus in Ieruſalem, quia proximè in fine capitis præcedentis dicitur, *omnes in viam ſuam declinauerunt, vnuſquiſque ad auaritiam ſuam à ſummo vſque ad nouiſſimum.* Quare magnam imminere calamitatem præſentit propheta; cùm iuſtus, aut vnus, aut plures, qui ſingulari ſignificantur numero, pereant, & viri miſericordiæ, qui iidem ſunt, de medio tollantur.

4. Aut certè, quia proximè dixerat eos, qui ſpeculatores, & vigiles canes eſſe debuerunt, nihil curare minùs, quàm quod exigeret paſtorale munus; ſed tantùm indulgere vino, vacare ſomno, captare voluptates: in qua non paſtorũ, ſed aſotorum atque helluonũ, ſordida atque ignaua proluuie plurimum momenti allaturus videbatur, ſi quis eſſet iuſtus, zelatórque legis, qui vitæ exemplo, dicendi libertate otioſorũ hominum confutaret mollitiem, & inertiã, & inania, atque pernicioſa conſilia diſſiparet. Ideo quia fermentũ illud periit, quod corruptam illam, atque inſulſam maſſam corrigeret, neque contra perditos mores aliquid opponi poterat, à iuſtorum hominum integritate, dolet propheta mortuum eſſe iuſtum, & miratur nemini curæ eſſe, vel dolori illam iuſti iacturam.

5. Miſericors idem qui iuſtus.

In hac expoſitione non puto aliam eſſe ſententiam, poſterioris membri, ac prioris; nam *miſericors* ſæpe pro *iuſto* ponitur, & *colligi* ſeu *congregari*, idem eſt quod *mori*. De *congregor*, aut *colligor* diximus *cap.24.num.49. & cap.27.nu.35.* De *miſericorde* pro *iuſto*, aut *miſericordia* pro *iuſtitia* res eſt nota. *Matt. cap.6. Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus Pſalm.111. Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi.* Et vox חסיד *chaſid*, quæ apud Hebræos ſignificat *miſericordem*, à noſtro interprete ſæpe redditur *ſanctus. Pſalm.4. Mirificauit Dominus ſanctum ſuum.* Et *Pſalm.17. Cum ſancto ſanctus eris.* Vtroque loco eſt חסיד *chaſid*, id eſt *miſericors*.

6. Iuxta hanc ſententiam explicatos habet non difficiles, id quod proximè ſequitur, *à facie enim malitiæ collectus eſt iuſtus.* Id eſt, conſuluit Deus iuſtorum rationibus, quos ante communem, & fœdam cladem Hieroſolymæ ſuſtulit, ne teſtes ipſi patriæ, ciuiúmque ſuorum interitum viderent. Quemadmodum de Ioſia dicitur 4. *Reg. cap.22.* Cui poſt cõmemorata aliqua pij Regis merita dixit Deus, *Idcirco colligam te ad patres tuos, & colligeris ad ſepulcrum tuum in pace, vt non videant oculi tui omnia mala, quæ introducturus ſum ſuper locum iſtum.* Et Mathathias 1. *Mach.2.* infeliciter ſecum actum putabat, quòd eò vſque vitam produxiſſet ad videndam ciuitatis ruinam. *Væ mihi, vt quid natus ſum videre contritionem populi mei, & contritionẽ ciuitatis ſanctæ.* Qui loquendi modus in graui calamitate ſignificanda familiaris eſt profanis. Virgil. 1. *Æneid.*

———O terque, quaterque beati,
Quis ante ora patrum Troiæ ſub mœnibus altis
Contigit oppetere. O Danaûm fortiſſime Gentis
Tydide, me ne Iliacis occumbere campis
Non potuiſſe?

Et *lib.3. Æneid.* ſic Andromache.

O felix vna ante alias Priameia virgo,
Hoſtilem ad tumulum Troiæ ſub mœnibus altis
Iuſſa mori.

Et *lib.11.* Euander vbi filium Pallanta occiſum vidit.

—Tùque, ò ſanctiſſima coniux,
Felix morte tua, neque in hunc ſeruata dolorem.

In hac verò ſententia *malitia* pro calamitate ponitur, ſicut etiam *iniquitas* pro ſupplicio. *Eccleſ.11. verſ.29. Malitia vnius horæ obliuionem facit luxuriæ magnæ.* Et *Matth. cap.6. Sufficit diei malitia ſua*, id eſt, labor, & afflictio.

Illud verò quod ſtatim ſequitur, non minùs aptè ad hanc explicationem, *Veniat pax, requieſcat in cubili ſuo, qui ambulauit in directione ſua.* Quibus verbis videtur propheta bene precari mortuis, ſolemni, vt reor, Hebræorum formula, ſicut nos in noſtrorum funere illud ſæpius iteramus. *Requieſcat in pace.* Neque aliam eſſe puto ſententiam horum verborum: quæ familiaris eſt in Hebræorum precationibus pro mortuis, aut in eorum exequiis, vt nuper vidimus de Ioſia: *Colligeris ad ſepulcrum tuum in pace.* Quo ſenſu 3. *Reg. cap.2. verſ.6.* dixit Dauid ad Salomonem de Ioab: *Non deduces caniciem eius pacificè ad inferos*, id eſt, non patieris, vt honeſtam, atque glorioſam mortem obeat. 7.

Hæc de priori explicatione, quæ ſanè mihi valde placent. Quòd ſi cum Hieronymo & aliis hæc accipiamus, de Chriſto, qui *iuſtus* dicitur, & de Apoſtolis, qui *viri* appellari poſſunt *miſericordiæ*, expoſitio difficilis non eſt. Quam priuſquam aggredior, oſtendam quanam occaſione hæc ab Iſaia prædicta fuerint. Præcedenti capite oſtenderat propheta, amplificatáque quid ab aduentu Chriſti habitura eſſet deliciarum Gens illa, quæ iudicium faceret, & ſabbati religionem non pollueret. In extrema autem parte capitis ſignificarat, quàm longè eſſent à iudicij, ſabbatíque ſanctitate, qui ſomno ſe atque otio dederent, & quidquid liberet, id ſibi pro lege ſumerent. Iam verò populi impietatem magis exaggerat, cùm eò progreſſus dicitur, vt manus attulerit ei, à quo tantam illam ſalutem expectabat. Propter quod dignum exiſtimat, quem Deus omni ſuppliciorum acerbitate conficiat. Nunc iam ad literam, eiúſque de Chriſto ſententiam. 8.

[a] *Iuſtus perit, & non eſt qui recogitet corde: & viri miſericordiæ colliguntur.*] Expectabant iuſtos, & cum eo illa tot bona, quæ ſæpè ab Iſaia prædicta; ſed qua fuerunt væſania, ac dementia diritate Iudæi, in illum ſæuierunt, neque à ſua ceſſarunt amentia, donec tandem egerunt in crucem. Neque tamen quid egerint recogitant, aut facti pœnitet. Sed quo mentis ardore Chriſtum, eodem diſcipulos *viros* nempe *miſericordiæ* ad mortem vſque inſectati ſunt, per quos Deus illa beneficia conferre deſtinaret, quæ nuper commemorauit propheta. Quæ apud ſe excors ille, atque inſanus populus non conſiderat; neque videt ex hac face imminere ſibi incendium, quo ipſi cum ciuitate, réque publica, & templo ita deleantur, vt antiquæ gloriæ, neque tenue relinquatur veſtigium. 9.

[b] *A facie malitiæ collectus eſt iuſtus.*] Hieronymus dupliciter exponit: Aut enim ſublatum eſſe Chriſtum, ne ſui ſæculi videret mala; aut certè propter malitiam hominum, quorum ipſe peccata portabat, ad patrem ſuum victorem aſcendiſſe. Hay- 10.

mo,

mo ſublatũ eſſe dicit, id eſt, elatum à facie malitię, quia non iam amplius quicquam in illum permittetur hominum malitiæ, ſeu malitioſis hominibus. Mihi videtur multò eſſe ſimplicior ſententia Cyrilli, atque Procopij, qui dicunt iuſtum ab iniuſtis fuiſſe ſublatum. Pro qua explicatione obſeruo *faciem* ſæpe in Latina tranſlatione redundare, quæ tamen in Hebraico idiomate aliquid habet dignitatis. Quomodo dicimus *à facie gladij, à facie timoris, à facie frigoris*, id eſt, à gladio, à frigore à timore. Sic hoc loco *à facie malitiæ* nihil eſt aliud, quàm à malitia. Hoc ſenſu malitia atque inuidia Iudæorum Chriſtus occiſus eſt, & viri miſericordiæ collecti.

11. ᶜ *Veniat pax, requieſcat in cubili ſuo, qui ambulauit in directione ſua.*] Hieronymus exiſtimat hîc pacem illam optari, quam Dominus venit mittere in terram, poſt quam pacem Apoſtoli in cubili ſuo requieſcent. Sic enim ille in commentariis *requieſcent* pluraliter legit. Ego hîc puto ſolemnem eſſe, & quaſi legitimam Hebræorum precationem, qui ſtatim, atque mortuorum meminere, pacem illis, & quietem precantur. Quæ ſæpe in Scriptura ſacra cum morte, & dormitione *pax* coniungitur, *Geneſ. 15. verſ. 15.* de Abraham *Tu autem ibis ad patres tuos in pace ſepultus in ſenectute bona.* Et *Pſalm. 4. In pace in id ipſum dormiam, & requieſcam. Eccleſ. 44. Corpora ipſorum in pace ſepulta ſunt.* Et Hebræorum magiſtris legitimum penè eſt, cùm meminere Rabbinorum, quorum verba allegant, illis pacem precari, quam precationem hoc literarum compendio comprehendunt מרעה, id eſt, *Moyſes magiſter noſter, ſit ei pax.* Item hoc משעה, id eſt, *Dixit Salomon, ſit ei pax.* Quam formulam etiam habet Eccleſia in fidelium funere, in quo illud auditur frequens: *Requieſcant in pace.* Et, *Hodie ſit in pace locus tuus.* Quod etiam apud profanos vſitatum, qui non valde diſſimilia, aut inciderunt mortuorum tumulis, aut precantur ore, qualia ſunt, *molliter oſſa cubent*, & ſimilia. Pacem autem adhiberi in precationibus, ſignificareque veniam, & propitiationem docuit multis Briſſonius *lib. 1. formularum*, vbi plura ſatis exemplorum; & probat quòd ſæpe in precationibus *pax* cum *venia* coniungitur. Sic ergo puto prophetam cùm Chriſti, & Apoſtolorum mortis meminiſſet, vſitato Hebræorum more illis precari pacem, aut potiùs ſignificare pacem iam illis aduenisse; qualis excipere ſolet eos, qui ambulauerunt in directione ſua.

Pax vſitata in precatione pro mortuis.

12. ᵈ *Vos autem accedite huc filij augurattricis, ſemen adulteri, & fornicariæ.*] Hæc à nonnullis conferri putant in Iudæos illos, quos præſens intuebatur propheta. Qui *fornicariæ filij* vocari non immeritò tunc maximè poterant, quia ciuitas ſancta plena erat idolis, & templum alienæ ſuperſtitionis ſordibus pollutum. Neque meo iudicio improbabiliter: quia hi illa admiſerunt omnia, de quibus ſtatim. Sed communiter interpretes de illis Iudæis hæc accipiunt, qui in Chriſti mortem conſpirarunt: quibus, quæ deinde ſuccedunt, aptè quadrant. Sed credo quod exiſtimat Foreirus, tam de his, quàm de illis accipiendum eſſe vaticinium. Nam ſicut filij feciſſe illa dicuntur, quæ facta ſunt à parentibus: ſicut à Chriſto *Matth. 23.* occiſi traduntur prophetæ à Iudæis, quibus cum tunc loquebatur: cùm tamen illos à parentibus occiſos eſſe conſtet; ſic ab his etiam, qui aderant, Chriſtus videri ac dici potuit occiſus, quia illorum poſteri illum interemerunt. Vtrique ergo dicuntur *filij augurattricis & adulteræ*, hi quidem, qui coætanei fuerunt Iſaiæ, quia re vera diuinos habuerunt, & pythones, à quibus in dubiis oracula peterent: & coluerunt idola, & variis ſe ſuperſtitionibus contaminarunt, vt in hoc propheta ſæpe vidimus. Illi verò à quibus Chriſtus in crucem actus eſt, quia his parentibus nati ſunt, qui Gentium ſimulacris ſupplicauere. Dicitur autem idololatria *adulterium*, quia populus idololatra, qui fœdus antè cum Domino inierat coniugale, prodita connubiali fide ad idolorum cultum, id eſt, ad alienum thalamum tranſfugerat. Neque in Scriptura infrequens eſt, vt idololatria *fornicationis* nomine ſignificetur. 4. *Reg. 17. Fecerunt ſibi ſtatuas, & fornicati ſunt in eis. Ierem. 3. Mœchata eſt in lapide, & ligno.* Et in eo capite plurima habes exempla. Cùm ergo neque priores Iudæi Chriſtum occiderint, aut viros miſericordiæ, id eſt, Apoſtolos inſectati ſint, vt conſtat; neque poſteriores, qui in Chriſti tempus inciderunt, idola coluerint, aut conſuluerint augurum, aut pythonum oracula (quæ ſic horruerunt vt mortem ſibi oppetendam potiùs exiſtimarent, quam paterentur Imperatorum ſtatuam in templum induci, nedum Dæmonum, qualia fuere Gentium ſimulacra,) fit vt non de his, aut illis ſeparatim, ſed de toto Iudæorum genere hæc accipienda ſint. Vt autem extrema omnia ſubire parati fuerint Iudæi, antequam Caij Caligulæ ſtatuam in templo locari permitterent, quámque conſtantes id oblatis ferro iugulis profeſſi ſint; vide Ioſeph. *lib. 18. Ant. cap. 11. & lib. 2. de bel. cap. 9.* Qua etiam de re grauiſſimè, atque eloquentiſſimè Philo de legatione ad Caium.

13. ᵉ *Super quem luſiſtis? ſuper quem dilataſtis os, & eieciſtis linguas?*] Hæc prophetico more per futurum explicanda ſunt: quia quæ hîc prædicuntur, multis pòſt ſeculis fuerunt impleta. Quæ de Chriſto accipio cum Hieronymo, & aliis, de quibus ſuprà. Luſerunt autem Iudæi ſuper Chriſtum, cùm vellerunt barbam conſputarunt faciem, impegerunt alapas, & arundineo ſceptro, & flexis per ludibrium genibus, Regis in eo ignominioſam vmbram repræſentarunt. Dilatauerunt os, & eiecerunt linguam, cùm libero atque impudenti conuitio, in illum debacchati ſunt, cùm ſeductorem, Samaritanum, blaſphemum, & Dæmoniacum appellarunt. *Dilatare os ſuum*, eſt petulantem linguam à nullo cohibere maledicto, ſed quidquid cogitationi obtulerit inuidia, aut maledicendi libido, id immoderatè in aliorum contumeliam euomere. *Pſalm. 34. verſ. 12. Dilatauerunt ſuper me os ſuum, dixerunt euge, euge.* Verbum autem *eiicere* cum *lingua* coniunctum vim habet maximam, ſiue ad exprimendum maledicendi ſtudium, ſiue maledictorum contumeliam. *Eiicere* enim non propriè de lingua dicitur, quæ non tam eiicitur, quàm exeritur; dicitur verò de ſagitta, quæ ab arcu excuſſa grauiter ſauciat, conficitque; vnde illud *Ierem. cap. 9. verſ. 8. Sagitta vulnerans lingua eorum*; Et ibidem *verſ. 3. Extenderunt linguam ſuam, quaſi arcum.* Neque diſſimili forma vſus eſt Dauid *Pſal. 56. v. 5. Et lingua eorum gladius acutus.* Et *Pſal. 63. verſ. Exacuerunt vt gladium linguas ſuas.* Et quidem impiorum linguæ ſagittæ ſunt infectæ veneno, quæ non ſolùm pungunt, & lacerant, ſed etiam fel ſupernum in viſcera diffundunt, de quibus *Pſalmo 139. Venenum aſpidum ſub labiis eorum.*

Chriſtus ſubſannatus & illuſus.

Hæc mihi magis videntur ſimilia veri, ſed fortaſſe non hîc tam ſpectantur verba venenata, & maledica quàm geſtus quidam oris turpis, & cum contumelia luſus, quo notari ſolet amara quædam & indecora irriſione alicuius ſtupor, aut ſubſannatio, aut alia quæuis 14.

labes & turpitudo. Quod loquendi ſiue irridendi genus nullo modo cadit in nobile, aut liberale ingenium, ſed in turbam illiberalem, & ignobilem. Eiuſmodi verò ſunt ronchus, ſanna, ſibilus, ciconia, & lingua in canis ſitientis modum exerta. Quorum aliqua Perſius *Satyra* 1. breui complexus eſt.

O Iane, à tergo quem nulla ciconia pinſit,
Nec manus auriculas imitata eſt mobilis albas:
Nec lingua quantum ſitiat canis Appula tantum.

In *lingua ſitientis canis*, ſignificari puto illud idem quod propheta ſignificare vult in lingua, aut exerta immoderatè, aut impudenter eiecta. Canis etenim in æſtu vrgente ſiti linguam habet exertam; cui accidit aliquid obſcœnius à hiante rictu, & ingeminato crebriùs anhelitu. Accidiſſe autem hoc ludibrij & contumeliæ genus in Chriſti paſſione ab ignobili, & inuerecunda turba, mihi non eſt dubium, quæ aliquid etiam tentauit longè fœdius fœdata ſputis diuina facie. Quòd autem familiare eſſet Hebræis hoc conuitij genus, quod non eſt tantùm à voce, ſed etiam ab indecoro geſtu, multa Scripturæ ſacræ teſtimonia ſundent. Iſaias ſupra *cap.*37. de Senacherib, *Subſannauit te virgo filia Sion, poſt te caput mouit. Thren.*2.*verſ.*15. *Plauſerunt ſuper te manibus omnes tranſeuntes per viam, ſibilauerunt & mouerunt caput ſuum.* Quod ignominiæ genus paſſum eſſe Chriſtum cùm eſſet in cruce, docet Matthæus *cap.*27. *verſ.*39. *Prætereuntes autem blaſphemabant eum, mouentes capita ſua.*

Conuitia vſitata inter Hebræos.

15. f *Numquid non vos filij ſceleſti, ſemen mendax.*] Seuera hæc reprehenſio eſt illius Gentis, quæ in Chriſtum inſontem linguis non ſolùm petulantibus & exertis, ſed etiam ſagittarum in morem vibratis, & eiectis maledicta & contumelias intorſit. Appellatur autem *Gens mendax* & *filij ſcelerati*, quia à parentum ſuorum nobilitate, ac religione degeneres in Gentium ſuperſtitionem, & ſpurcitias declinarunt; quas deinde proponit & amplificat. Videtur autem ſumpta metaphora ex plantis & ſeminibus, quæ ex nobili ſtirpe, ſiue grano enata in ſpeciem ignobilem, & infrugiferam, & in herbas inutiles euaneſcunt; vt de ſiligine tradit Columella *lib.*2.*cap.*9. *Omne*, inquit, *triticum in loco vliginoſo poſt tertiam ſationem conuertitur in ſiliginem.* Idem de zea, & tiphe tradit Plinius *lib.* 18. *cap.* 10. Ad horum ſimilitudinem populus Iudaicus vocari potuit ſemen mendax, qui ex nobili Abrahami ſtirpe prognatus, in fruticum inutilium luxuriem degenerauit.

Filij ſicut plantæ à parente degenerant.

16. g *Qui conſolamini in diis ſubter omne lignum frondoſum, immolantes paruulos in torrentibus ſubter eminentes petras.*] Pro *conſolamini*, Heb. eſt נחמים *necha-mim*, à radice חמם, quæ ſignificat *caleſcere*, & ita vertunt Pagninus, & Vatablus *incaleſcentes*, quæ vox ardorem, ſeu furorem ſignificat in re venerea. Eſt autem metaphora à meretricibus ſumpta, quas vrit libido; *Caloris* autem nomine amorem ſupra modum intemperantem exprimi in omni ferme idiomate vſitatum eſt. Vnde amor *ignis* vocatur, & *æſtus* ſæpe cum *libidine* coniungitur, & *vri*, ſiue *ardere libidine* dicitur, qui impotenter amat. *Conſolari* ergo in Diis, quod honeſtè explicuit noſter interpres, ſeu in Deos caleſcere, aut in illos æſtuare libidine, nihil eſt aliud, quàm inflammato, atque impotenti ſtudio in illorum cultum, & obſequium ferri. Quam metaphuram magis explicuit Ierem. *cap.*2. *verſ.*20. Vbi de Iuda intemperantiſſimè in Idolorum cultum proiecta dicit: *In omni colle ſublimi, & ſub omni ligno frondoſo tu proſternebaris meretrix.* Proiecerunt autem ſeſe Iudæi in illas Gentilium ſordes vſque adò cupidè, vt nullam omiſerint ſacrificij, ſeu libaminis genus, quod non impenderint ſtupidis ſimulacrorum aris; nullum non obierint locum, qui ex Gentium ſuperſtitione ſacrificando Deo, ac ſupplicando videretur opportunus. Loca verò à Gentibus Deorum cultui ſiue conſecrata, ſiue deſignata fuere, quæ denſa ſunt arboribus. Vnde tam apud ſacros, quàm apud profanos ſcriptores in ſacris lucorum nomen frequens eſt; quos plantauere impij atque ſacrilegi Reges, ſucciderunt religioſi, ac pij. Et hos puto ſignificari *ligni frondoſi* nomine.

17. h *Immolantes paruulos in torrentibus.*] Eò progreſſa eſt Iudæorum impietas dira planè, ac barbara, vt non ſolùm agnos, & vitulos, & muta ſacrificia, ſed etiam filios ſuos, id eſt, propria viſcera Diis immolauerit alienis. Vide Ieremiam *cap.*7. *verſ.*31. & *cap.*19. *verſ.*5. *Pſal.*105. *Ezechiel.cap.*16. *v.*20. 4.*Reg.*16.*v.*1, & 17.*v.*17. & alibi ſæpe. Dicuntur verò immolaſſe in torrentibus, quia immane illud ſacrificium præcipuè peragebatur in torrente Cedron, vbi erat Moloch, in cuius honorem per ignem traiiciebantur filij; vt fecit Achaz 4.*Reg.*16. & Manaſſes ibidem *cap.*21. Quare pius Rex Ioſias vt nefariæ illi occurrere immanitati, idolum illud, & monſtrum horribile tollendum curauit. De quo 4.*Reg.*23. *verſ.*10 *Contaminauit quoque Topheth, quod eſt in conualle filij Ennon, vt nemo conſecraret filium ſuum aut filiam Moloch.* In Topheth autem torrentem eſſe Cedron nemo neſcit.

18. Aut certè in torrentibus dicuntur immolaſſe Iudæi, quia fontes & fluuij ſacri exiſtimabantur Gentilium errore Deorum religioni, vt diximus *cap.*42.*num.*52. Et hoc videtur mihi non improbabile, quia veriſimile eſt non in vno tantùm Topheth immolatos eſſe Dæmoni Iudæorum filios. Nam & hoc etiam fecere decem aliæ tribus, vt liquet 4.*Reg.*17.*verſ.*17. neque tamen illæ ſacrificium illud impium obierunt in Topheth, ſiue in torrente Cedron, quia ille Solymitanæ molis radices ſubluebat. Et in hanc cogitationem facit quod ſtatim additur.

19. Quod olim Dæmon Gentilibus, id etiam nunc regionibus vltra Oceanum inuentis perſuaſit, nēpe in fluminibus, & aqua viua aliquid eſſe diuinum, & vim piacularem ad expianda peccata, quæ arcanis quibuſdam, & dignis autore ſuo, atque architecto cæremoniis in flumina conijciunt, vt tradunt, qui regiones illas ex noſtra Societate doctrinæ gratia luſtrauere.

20. i *Subter eminentes petras.*] Si loquamur de Topheth, ſeu Cedrone, certum eſt torrentem illum eſſe, & labi ſubter eminentes petras, quia per vallē labitur profundiſſimā, habétque vtrinque præalta, atque prærupta ſaxa: de qua valle Ioſephus *lib.*15. *antiquitatum*, *cap.* 14. prodit in eam altitudinem eſſe depreſſam, vt è ſummo ſpectantium oculi vertigine laborarent. Quare qui in Topheth filios ſuos ſacrificauere Moloch, iidem ſacrificium illud impium peregere ſubter eminentes petras. Si verò non de vno Topheth accipias, ſed de aliis etiam torrentibus, vt probabile cenſebamus, ſubter eminētes petras ſacrificant, qui ad fontiū capita excitant altaria, vbi præſidere quædam numina perſuaſerat ſibi deluſa Gentilitas. Nam è radicibus ſeu deſcenſu montium erumpere ſolent plerumque fontes, præſertim in petroſa, & confragoſa regione, qualis eſt ... ferme

Ad fontes, ſpeluncas & lucos Gentilium ſacrificia.

ferme tota promiſſionis terra. Niſi mauis in illo *ſubter eminentes petras* ſpeluncas intelligi, in quibus dæmon, qui princeps eſt tenebrarum, & ſagittat in obſcuro rectos corde, frequenter colitur. Notum eſt quid de antro Trophonij, & Sibyllæ Cumææ, & adytis Apollinis fabulentur poëtæ. Quod etiam nunc dæmon obſeruat in regionibus, quæ noſtra ætate ab Hiſpanis poſt Oceanum apertæ ſunt. Vbi in ſpeluncis, & infernis locis diis verè infernis mactantur, & libantur hoſtiæ. Quæ hic ſiue de lucis, ſiue de torrentibus, ſaxíſque dicit Iſaias, quæque pro dæmonum culto à Gentibus obſeruata, atque notata diximus, complexus eſt Seneca *libr. 5. Epiſtol. 41. Si tibi occurrit vetuſtis arboribus, & ſolitam altitudinem egreſſis frequens lucus, & conſpectum cœli denſitate ramorum aliorum alios protegentium ſubmouent, illa proceritas ſylua, & ſecretum loci, & admiratio vmbra in aperto tam denſa, atque continua fidem tibi numinis facit. Et ſi quis ſpecus ſaxis penitus exeſis montem ſuſpenderit non manu factus, ſed naturalibus cauſis in tantam laxitatem excauatus, animum tuum quadam religionis ſuſpicione percutit. Magnorum fluminum capita veneramur: ſubita ex abdito vaſti amnis eruptio aras habet. Coluntur aquarum calentium fontes, & ſtagna quadam, vel opacitas, vel immenſa altitudo ſacrauit.* Hac nos de re plura diximus *cap. 42. num. 52.*

21\. [k] *In partibus torrentis pars tua hæc eſt ſors tua, & ipſis effudiſti libamen.*] Pro *partibus* Hebr. eſt חלק C *chelek*, quæ *partem*, ſeu *ſortem* ſignificat. Senſum autem aſſe puto, neque difficilem, neque obſcurum, illos, quibus Dominus ſors fuerat, & hæreditas, vt ſæpe in Scriptura repetitur, væſano prorſus, & ſtolido concilio abiecto Domino aliam ſibi hæreditatem elegiſſe, nempe in torrentibus, quibus Gentilitio ritu, quaſi dij eſſent ſacrificarent. Cùm tamen Deus templum haberet valde religioſum, & aras, quibus honor ille multò religioſiùs, & vtiliùs impendi poſſet. Hic puto per Synecdochen *torrentes* poni pro quocumque alio loco impiæ religioni deſtinato: neque enim, vt vidimus, in torrentibus ſolùm ſacrificabant, ſed in ſpeluncis, montibus, & lucis, vbi ſortem ſuam cum Gentibus locauerunt Iudæi.

22\. [l] *Super montem excelſum, & ſublimem poſuiſti D cubile tuum: & illuc aſcendiſti, vt immolares hoſtias.*] Quàm familiare fuerit Iſraelitis, cùm à vera religione defecerũt, ad montium faſtigia conſcendere, ibique aliena ſacra, & cæremonias obire, ſatis perſuadet excelſorum nomen toties in Scriptura ſacra repetitum; quæ non eſſe ſublata crimini datur, quibuſdam Regibus Iuda, qui alioqui pij, & religioſi fuiſſe dicuntur. De quibus auditur ſæpe, *Verumtamen excelſa non abſtulit, adhuc enim populus immolabat in excelſis.* Hic verò propheta propriam cum figurata locutione coniungit. Loquitur quidem propriè, cùm aſcendiſſe ait populum in excelſum locum, & illic immolaſſe victimas, quia re vera E id fecit, quod litera illa ſimpliciter ſonat: figuratè tamen, quia hanc perfidiam, & idolomaniam *adulterium* vocat, quod in Scriptura ſacra obuium. Nam ſicut fidelis anima, Deique amans *ſponſa* dicitur, ſic illa eadem alienæ iam implicata religioni, ac fidei *adultera* vocatur. Atque ideo ſub ea metaphora cubile ſuum poſuiſſe arguitur in excelſis, quaſi cum idolis meretricata, quæ ſibi in amore eſſe, ac venerationi, illa victimarum oblatione teſtabatur.

23\. [m] *Et poſt oſtium, & retro poſtem poſuiſti memoriale tuum.*] Solitos eſſe non Gentiles modò, ſed A etiam Hebræos geſtare ſecum eorum imagines, quos amarent aut colerent, docuimus *cap. 49. num. 61. & cap. 44. num. 15.* Geſtabant enim in annulis, torquibus, & bullis illorum ſiue effigies, ſiue phylacteria, vt omnia ſemper oculis nunquam exciderent è memoria. Id ergo nunc Deus exprobrat populo fornicario, obiicítque quòd vſque adeò Gentilium Deos ſtudioſè coluerit, vt omni loco illorum phylacteria habuerit propoſita: vt quamcumque in partem ſe conuerteret, in oculos incurrerent. Poſt oſtium autem & retro poſtem poſitum eſſe dicitur memoriale, id eſt, ad interiorem atque exteriorem portarum faciem, vt ſiue domo egreſſuri B ſiue ingreſſuri domum, Deos intuerentur, eorúmque fidei, atque tutelæ ſe, ſuáque omnia commendarent; quæ in Scriptura ſacra iuxta Hebræorum idioma *egreſſus*, & *ingreſſus* nomine ſignificantur. Hieronymus hic intelligi putat lares, ſeu tutelares Deos, quæ à Gentibus multis locis, & apertis, & abditis diſponebantur. Vſitatum autem eſſe in omni ferme natione, vt in ipſo limine ſigna quædam locarentur, ſiue nobilitatis, ſiue religionis, docuimus ad illud Zachariæ *cap. 12. Superliminare crapula, num. 10.* Quod apud Hebræos in vſu fuiſſe non obſcurè colligitur ex ſacris monumentis. Et vt omittam ſuperliminaria Hebræorum agni ſanguine fuiſſe notata, qui genus & religionem indicaret; in oſtiis domus inſcripta fuiſſe diuina præcepta conſtat apertè *Deut. 6. Scribes ea* (nempe præcepta) *in limine & oſtiis domus tuæ.* Sanè in porta Aquilonari templi poſitum eſſe ſimulacrum zeli, ſeu, vt alij vertunt, Baal, ſcribit Ezechiel *cap. 8. Ecce ab Aquilone porta altaris, idolum zeli in ipſo introitu.*

Hîc pro moribus obſeruá maximè expedire atque etiam à magiſtris vitæ ſpiritualis ſedulò commendari, quo noſtra omnia ſanctè, atque vtiliter adminiſtrentur, ſi Deum omni loco ac tempore præſentem, noſtráque omnia penitus obſeruantem intueamur: ad eámque rem conferre plurimùm, ſi ſignum aliquod ſeu memoriale his locis, quæ ſæpius, & familiariùs obimus, ſtatuamus, quod nobis Deum, aut aliquod eius beneficium in memoriam reducat. In quem vſum aptiſſimæ ſunt piæ D diuinorum myſteriorum imagines. Quo conſilio in viis, publicíſque ac frequentibus locis crucis imaginem fidelium pietas locat, & veneratur. 24. Dei præſentia.

[n] *Quia iuxta me diſcooperuiſti, & ſuſcepiſti adulterum.*] Mirè amplificat propheta idololatriam, 25. Peccata in tẽplo quàm grauia. ſeu idolomaniam Iudaicæ Gentis ſub adulteræ, ſeu meretricis allegoria, quæ vſque adeò inuerecundæ ac profuſæ libidinis erat, vt proſtituta amatoribus omnibus, omníque loco pudicitia, neque fidem coleret coniugalem, neque ſponſi oculos, & dolorem, aut metueret, aut curaret. Eſt autem profligati omnino pudoris, & deſpicientiæ viri maximæ præſente, atque dolente coniuge, in eodem lecto cum adultero commiſceri; qua neſcio quæ E grauior, aut inueniri aut excogitari poſſit iniuria. Hanc intulit infidelis, atque inuerecundus populus Deo, dum in eius thalamo, id eſt, templo aras extruxit Gentium ſimulacris; quod nihil aliud fuit, quàm adulterorum veſtigiis diuinum torum polluí, atque conculcari. Quod accidit tempore Achaz, ſub id nempe tempus, quo hæc ab Iſaia proponuntur. De quo *4. Reg. 16. Cúmque vidiſſet altare Damaſci, miſit Rex Achaz ad Vriam ſacerdotem exemplar eius, & ſimilitudinem iuxta omne opus eius, extruxitque Vrias ſacerdos altare iuxta omnia, quæ præceperat Rex Achaz.* Quod etiam fecit Manaſſes, de

ggg 4 quo

quo 4. *Reg.* 21. *verſ.* 4. *Extruxitque aras in domo Domini, de qua dixit Dominus, In Ieruſalem ponam nomen meum: & extruxit altaria vniuerſæ militiæ cœli in duobus atriis templi Domini.* Sed clariùs in templo diuinum idolis impenſum fuiſſe honorem, & illa in templo depicta non longè ante extremam vrbis, templique vaſtitatem docet Ezechiel *cap.* 8. Vbi depictæ in templi pariete per circuitum memorantur ſimilitudines reptilium, & animalium, & idola, quæ coluerunt Iſraelitæ. Vbi etiam fuiſſe dicuntur fœminæ, quæ amaſio Veneris Adonidi honores, & lachrymas impendebant. Quòd ſi hæc allegoricè dicuntur potiùs quàm hiſtoricè, quod fortaſſe verum eſt, certè alia ſunt multa hoc eodem capite, quæ apertè declarant exterois ſordibus Domini templum fuiſſe violatum. Sanè ſine vlla, vt apparet, allegoria dixit idem Ezechiel *cap.* 5. *verſ.* 11. *Pro eo quod ſanctum meum violaſti, in omnibus offenſionibus tuis, & in cunctis abominationibus tuis.* Sicut *ſanctum* dicitur templum, ſic *abominationes* & *offenſiones* vocantur idòla. Clariùs Ieremias *cap.* 32. *verſ.* 34. *Poſuerunt idola ſua in domo in qua inuocatum eſt nomen meum.*

26. Hæc mihi magis videntur probabilia, ſed fortaſſe ideo iuxta Deum adulterata dicitur Ieruſalem, quia in Topheth iuxta templum, id eſt, thalamum Dei ſacrificia obiuit impietatis, & turpitudinis plenadum Moloch ſacrificauit, filióſque ſuos per ignem traduxit. Quod quidem natura ſua horribile eſt, atque abominabile, & ex propinquitate loci plus quàm explicari poteſt, execrandum.

27. Quid ſit *diſcooperire* obſcurum non eſt, neque inuſitatus in Scriptura loquendi modus, nempe pudorem ſuum aliorum nudare, & proſtituere intemperantiæ. Sed fortaſſe alius eſt ſenſus non valde à ſuperiore diuerſus, ſed in quo aliquid neſcio quid indignius exprimatur. Sæpe populus ille leuis, & inconſtans ad veram religionem, falſum quoque, ac peregrinum cultum aduocare voluit, & ſimul colere Deum, & Baal, hoc eſt, cum luce tenebras, & cum iniquitate iuſtitiam ſociare. Quare illum non minùs ſeuerè, quàm nunc Iſaias, increpauit olim Elias, & longè pòſt Paulus, ille 3. *Reg cap.* 18. *verſ.* 21. hic 2. *Corinth.* 6. *verſ.* 16. Elias, *Vſque quò claudicatis in duas partes? ſi Dominus eſt Deus, ſequimini eum, ſi autem Baal, ſequimini illum.* Paulus, *Quæ participatio iuſtitiæ cum iniquitate, aut quæ ſocietas lucis ad tenebras? Quæ autem conuentio Chriſti ad Belial, aut quæ pars fideli cum infideli? Qui autem conſenſus templo Dei cum idolis?* Hoc ergo videtur ſignificare propheta, populum illum voluiſſe in eundem thalamum admittere Deum ſponſum, & adulteros Gentilium Deos, atque ita diſcooperuiſſe, id eſt, aperuiſſe lectum reducto, ſeu laxato pallio, ſub quo coniugali more in thalamo cooperiuntur coniuges, & ſub illud recepiſſe in eiuſdem tori ſocietatem adulterum, & riualem dæmonem. Huc credo ſpectat quod ſuprà *cap.* 28. *verſ.* 20. in eandem ſententiam dictum eſt. *Coanguſtatum eſt enim ſtratum, ita vt alter decidat; & pallium breue, vtrumque operire non poteſt.* Vide quæ ibi diximus, quæ in hunc locum aptiſſimè quadrant. Neque parum facit ad hanc explicationem, quod ſtatim propheta ſubdit. *Dilataſti cubile tuum*, id eſt, amplum feciſti, vt vtrumque caperet, tam ſponſum, quàm adulterum. Et hæc explicatio vehementer mihi probatur; quam probat etiam S. Thomas.

28. o *Dilataſti cubile tuum.*] Si proximæ clauſulæ poſteriorem explicationem amplectamur, ſenſus

A eſt non difficilis, quem nuper indicabamus, nempe ab infideli populo tanquam ab adultera ſponſa dilatatum eſſe thalamum, vt cum viro legitimo adulterum quoque, atque riualem admitteret. Si verò illam ſequamur explicationem, quæ putat de Deo nihil curare, aut cogitare ingratam, & infidelem ſponſam, ſed de variis Gentium idolis, quæ vndecumque acceſſit, & colit, ſenſus eſt, eò actum eſſe populum Iudaicum furoris, & amentiæ, vt nullum audierit eſſe Gentium idolum, cui non putauerit honorem eſſe deferendum diuinum. Atque ideo in montibus, vallibus & torrentibus aras extruxit, vbi varia idolorum monſtra veneratus eſt. Id verò eſt *cubile dilatare*, id eſt, extendere ad omnem ſu-

B perſtitionem, & locum. Quod faciunt meretrices, & quæ libidine pruriunt inexplebili, quæ in omni loco, quaſi in ſuo proſtibulo venalem habent pudorem, quæque nullũ amatorẽ à ſuo arcent congreſſu, imò vltrò inuitant, & ambiunt. Quod optimè explicuit Ezechiel *cap.* 16. *verſ.* 31. *Fabricaſti lupanar tuum in capite omnis viæ: & excelſum tuum feciſti in omni platea: nec factu eſt quaſi meretrix faſtidio augens pretium, ſed quaſi mulier adultera, quæ ſuper virum ſuum inducit alienum. Omnibus meretricibus dantur mercedes; tu autem dediſti mercedem cunctis amatoribus tuis*, &c. Et *Iudic. cap.* 10. connumerantur multi dij quorum ſe nefario cultui Iſraëlitæ mancipaurunt. *Seruierunt idolis Baalim, & Aſtaroth,*

C *& diis Syriæ, Sidonis, & Moab, & filiorum Ammon, & Philiſtijm, dimiſerúntque Dominum*, &c.

p *Et pepigiſti cum eis fœdus.*] Vtique coniugale. Quemadmodum populus Iſraeliticus fœdus cum Deo iniit ad montem Sinai, de quo Ezechiel *cap.* 6. *verſ.* 8. *Et ingreſſus ſum pactum tecum, ait Dominus Deus, & facta es mihi*: nempe ſponſa: Sic nunc populus idem ingreſſus eſt pactum cum idolis, & cum illis communem voluit habere thalamum, perinde, ac ſi legitima nuptiarum neceſſitudo intercederet. 29.

q *Dilexiſti ſtratum eorum manu aperta.*] Quæ non prorſus libidine pruriens frontem perfricuit, ſic ſuæ libidini ſatisfacere cupit, vt tamen pudoris ſui rationem non abiiciat. Quare tenebras amat, & 30. Manu aperta.

D latebras in quas veneream illam ignominiam conijciat: neque quicquam molitur indecorum, niſi ſimulatè, & prætenſo illi turpitudini aliquo honeſtatis velo. At populus ille ſic cum honeſtate, ac fide pudorem quoque abiecit, vt non iam occultè, non artificioſè, & callidè, & tecta manu aliquid occultè moliente, ſed apertè ſpectantibus aliis amatores ambiat, prouocet blanditiiſque, atque aliis amatoriis machinis alliciat. Totum hoc videtur explicari optimè *manu aperta*, id eſt, opere ac ſtudio non occulto, ſed quod manifeſtè præferat meretricios mores, & ingenium. Exiſtimo autem in *aperta manu* aliquid eſſe prouerbiale. Quomodo Latini dicunt *plena manu*, aut *tota manu*; ſicut contrà *occulta* aut *tecta manu* aliquid fieri dicitur, cùm

E ita res tentatur, & agitur clandeſtino conſilio; vt auctor operis prodere ſe nolit. Id ſaltem indicat prouerbium, quo nunc Hiſpanus vtitur, quando inſidioſè, & callidè aliquid ab aliquo tentari ſignificatur. *Tira la piedra y eſconde la mano.* Quaſi videri nolit aliquid feciſſe.

Fortaſſe *aperta* dicitur *manus*, quia adultera hæc ſponſa ſic ardebat illa metaphorica libidine, vt non ſolùm voce, ſed etiam ſignis, manibus nempe apertis, & expanſis amatores accerſeret. Hoc enim loquendi genere ſignificare Scriptura ſolet ardens 31.

alicuius

alicuius deſiderium, & ſtudium acerrimum, quo alterius conſortium, & ſocietatem capetit. Hoc modo clamabat Sapientia *Prouerb. cap. 1 verſ. 24. Quia vocaui, & renuiſtis; extendi manus meas, & non fuit qui aſpiceret.* Hoc ſponſus Chriſtus *Iſai. 65. verſ. 2. & ad Roman.* 10. vocabat Iſrael. *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum.* Aut certè, quia hæc ſponſa amatores ſuos, vt dixit Ezechiel ſuprà, muneribus prouocabat, apertam habuit manum, id eſt, largam, & liberalem ad largiendum, quaſi nulli parceret ſumptui, quo ſuam illam metaphoricam libidinem expleret. Quamcumque harum explicationum admittit tam Hebraica, quàm Latina vox; neque mihi promptum eſt, quam ex omnibus eligam; in primã magis inclinat animus.

32. [Iudæi idololatræ.] ʳ *Et ornaſti te Regi vnguento.*] Tranſtuliſſe videtur Hieronymus non *Regio*, ſed *Regi*, quandoquidem in commentariis inquit, illum Regem eſſe Moloch, cui populus Iudaicus ſæpius, & immanius ſacrificauit. Moloch autem Hebraicè *Regem* ſonat, vt conſtat. Vſus eſt autem metaphora rei vxoriæ, aut meretriciæ accommodata. Vt enim, quæ amaſium, vel ſponſum impotenter amant, ornant ſeſe, & pulchritudinem vndecumque acceſſunt, quò illorum oculos, atque animos capiant; ſic populus iſte nihil non tentaſſe videbatur, quò ſibi gratiam iniret à Moloch, & illi meretricis inſtar adhæreret. Et facit ad hanc cogitationem quòd *Rex* in nuptialibus ſacris vocatur ſponſus, vt pluribus oſtendimus *in noſtris commentariis ſuper Cantica.* At iniiſſe coniugale fœdus hæc adultera cum idolis dicitur *hoc eodem cap num.* 8 quare ornata dicitur perinde, atque ſi ſe ad ſponſi oculos, & legitimum thalamum compararet. Et quidem quod Hieronymus indicat in commentariis, id iam probant codices Sixtiani, qui *Regi* legunt non *Regio*; & ita planè ſuadet textus Hebraicus, qui habet למלך *lamelec*, Alij Regem intelligunt Aſſyrium, aut Ægyptium, à quibus cum auxiliaribus copiis noua etiam Deorum monſtra in terram promiſſionis ingreſſa ſunt. Ornamenta verò ſeu pigmenta quibus ad capiendos Regios animos, aduocandúmque externum auxilium vſi ſunt Iudæi, fuerunt munera, & opima merces, quæ deformibus etiam ſpeciem, amorémque conciliant. Oſtendit autem ſtatim propheta vnde peregrina ſacra, atque idola placere cœperint Iudæis; quia nimirum peregrinarum Gentium ſocietas placuit. Quod etiam dixit Dauid *Pſal. 105. Commixti ſunt inter Gentes, & didicerunt opera eorum, & ſeruierunt ſculptilibus eorum.* Quare *ornari Regi*, idem ferme eſt quod ornari dæmoni, quandoquidem inde in Iudæorum regionem illa immundorum Deorum proluuies influxit. Inclino magis in priorem explicationem; ſi modò in *Moloch* per Synecdochen alia etiam intelligas idola.

33. Si *Regium* legas, vt multi habent Latini codices, ſenſus eſt non difficilis: nam in Scriptura ſacra, & in alio quouis idiomate *Regium* pro optimo, atque lectiſſimo ſumitur, quale perſonam decet Regiam, aut quale præ deliciis, & luxu Reges ſibi præſtari volunt. Quare *Regiam menſam* pro lauta, atque ſplendida, *Regiam purpuram* pro pretioſa, & nobili, *Regium comitatum* pro numeroſo, & illuſtri paſſim audimus. *Regio* igitur *vnguento ornata* ſponſa dicitur, quia quò idolis, quæ *amatorum* nomine ſignificantur placeret, nobiliſſimum parauit vnguentum, in quo per Synecdochen illa intelliguntur ornamenta quæ oculos capiunt, & animos alliciunt.

34. ˢ *Miſiſti legatos tuos procul.*] Si de Regibus nempe Aſſyriis aut Ægyptiis hæc interpretere; ſenſus non eſt difficilis; conſtat enim auxilij gratia legatos eſſe miſſos ad Ægyptios, vt in hoc propheta ſæpe vidimus, maximè *cap. 30. & cap. 31.* & ad Aſſyrios ab Achaz eo ferme tempore, quo hæc ab Iſaia dicuntur, vt habes ſuprà *cap. 7.* Sed puto ſeruari hìc allegoriam, quam priùs induxerat propheta de meretrice, ſeu adultera, & ſenſum eſſe, quem indicat Ezechiel *cap. 16.* dum ait. *Tu autem dediſti mercedes cunctis amatoribus tuis; & dona dabas eis, vt intrarent ad te vndique ad fornicandum tecum.* Et Ieremias *cap. 31. verſ. 22. Fœmina circundabit virum.* Vbi vt multi volunt ſignificatur ſtudium, quo prurientes, & actæ libidine fœminæ viros ambiunt, ſollicitántque turpiter. Significat ergo nunc propheta miſiſſe Ieruſalem legatos, & quaſi pronubos, aut turpium amorum conciliatores, vt procul amaſios, id eſt, idola à Gentibus accerſerent, quibus cum ipſa concubitus iniret impuros, atque nefarios. Nam idola colere Hebraico idiomate *fornicari* eſt. Idem penè ſub eadem allegoria dixit Ezechiel *cap. 23. à num. 16.* Vbi nuncij miſſi dicuntur à Ieruſalem ad Chaldæos, quibus cum ad ſatietatem vſque fornicata eſt, id eſt, idolorum nefario cultu contaminata. In qua ſanè allegoria tractanda mirus eſt.

35. ᵗ *Humiliata eſt vſque ad inferos.*] Significatur, inquit Hieronymus, quàm fœdè, grauitérque ceciderit Ieruſalem verè ad inferos vſque, cùm de luce, & illuſtri caſtitatis loco in tenebras lupanaris, immò in barathrum fornicariæ ſpurcitiæ demerſa eſt; quæ explicatio placet mihi vehementer. Sed puto aliter poſſe locum iſtum accipi, eadem ſeruata metaphora: Ita vt ſenſus ſit, eò vſque fornicatam eſſe Ieruſalem, vt ad eius intemperantiam nulla videatur acceſſio fieri potuiſſe. Nam *humiliari* in Scriptura idem eſſe quod aliorum ſuccumbere libidini, notum eſt. Quare dum Virgines vim patiuntur ab aliis, *humiliari* dicuntur. *Præterea ad inferos* prouerbialiter dici exiſtimo pro *valde*, aut *ſupra modum*, quia infra inferos nihil eſt. [Prouerbiũ.] Sicut in aliis comparationibus cùm aliquid maxime amplificare volumus, terminum adhibemus, ſupra quem non eſt aliud. Vt Ionas *cap. 4. Bene iraſcor vſque mortem*, id eſt, vehementiſſimè. [Ion. 4.] & *Ioan. cap. 13.* [Ioan 13.] Chriſtus *in finem dilexit*, id eſt, quantum ſeſe amor effundere potuit, ità vt poſt illud nihil eſſet vlterius; nempe cùm ſe ipſum tradidit, vel comedendum in Euchariſtia, vel offerendum in cruce. Porrò vehementiſſimè fuiſſe Ieruſalem humiliatam eo, quem explicuimus, ſenſu, frequens eſt in Scriptura. A Chaldæis docuit Ezechiel *cap. 23. à numero 16.* grauiſſimè, & maximè ſignificanter. Ab Ægyptiis Ieremias *cap 2. verſ. 16. Filij quoque Mempheos, & Taneos conſtuprauerunt te vſque ad verticem.* Quem locum Hieronymus, S. Thomas, & Rabanus de idololatria capiunt.

36. ᵘ *In multitudine viæ tuæ laboraſti: non dixiſti, quieſcam.*] Hæc quidam referunt ad viam longam, quam ad Aſſyrios, ſeu Ægyptios ſuſceperunt Iudæi auxilij quærendi gratia; ſeu certè vt inde nouos Deos accerſerent. Sed puto continenti allegoria idem argumentum de idololâtria Iudæorum pertexi. Quaſi dicat propheta, etiam ſi diu, multúmque laborauerit in conuehendis, colendiſque duro, atque execrabili obſequio Gentium ſimulachris, non tamen ideo à nefario illo, atque intolerando cultu defeciſſe Iudæos; ſed adhuc inſanire, ferríque idoloma

idolomania in aliam, atque aliam intemperantiam. Quod non credo difficile videbitur ei, qui *via* ſignificationem, & vſum in Hebraico idiomate cognouerit. Eſt enim *via* inſtitutum, propoſitum, conſilium, aut viuendi modus; & illud denique ad quod aſpirat aliquis, aut in quo aliquis ſe exercet. Quare inſtitutum, aut profeſſio Chriſtianorum, & Gentilium *via* ſæpe dicitur *in Actibus Apoſtolorum*. Et cùm viæ Domini à viis hominum dicuntur eſſe diuerſæ *Iſaiæ cap.* 55. de conſiliis, & cogitationibus ſermo eſt, vt conſtat: *Multitudo* autem *via*, ſeu *viarum* dicitur, quia non vnam, aut alteram Gentium religionem, ſed omnes omnino vndecumque acceſſitas amplexa eſt Ieruſalem. Neque adhuc ab hac inſania ceſſat; ſed ad plures inhiat, & auidè arripit; quaſi ſumma eſſet religio nullam reſpuere religionem. Huic ſimillimum eſt illud *Prouerb. cap.* 30. *verſ.* 15. *Tria ſunt inſaturabilia, & quartum quod nunquam dicit, ſufficit.* Id eſt, poſtquam laborarunt, nunquam dicunt *quieſcam*, quorum vnum ibi numerat inexplebilis fœminarum libido. Porrò hîc ſignificatur obſtinati animi impudens pertinacia. Cùm enim in idolorum duro, atque nefario cultu laboraſſet, quia illa cogebatur ſubire, quæ nunquam ſæuiſſimus imperaret tyrannus, & quæ ſuo pondere opprimerent iumentorum dorſa, ipſa tamen Ieruſalem, adeò non horruit, aut faſtidiuit graue illud, & impurum obſequium, vt ſtatueret apud ſe nullo modo in eo multiplici captandæ nouæ religionis ſtudio eſſe quieſcendum.

37. x *Vitam manus tua inueniſti, propterea non rogaſti.*] Paulò ſuperiùs obſeruauimus Iudæos manu aperta, id eſt, non occulto artificio, ſeu ſimulatione, ſed ingenti ſtudio, & manifeſta opera quæſiiſſe adulterorum ſtratum, id eſt, ſimulacrorum aras, atque delubra. Idem nunc, vt arbitror, repetit, dicítque adulteram illam ſponſam inueniſſe, quod tanto ſtudio, támque inuerecundè venerabatur: dicítque *vitam manus tua*, quia operoſa illa manus, vt erat idolorum amans, & *εἰδωλομανής*, vitam ſibi reperiſſe arbitrabatur, aut quia inde ſibi ſperabat ſalutem & vitam. Aut certè continuata metaphora meretricis & adulteræ vitam ſuam reperiſſe dicitur, quia amatorio blandimento non ſolùm vulgares amatores, & impuri, ſed caſti & ſacri viciſſim ſe vitam, cor, & animam ſuam appellant. Vide quæ diximus *cap.* 49. *num.* 45. Accommodatè ad hanc explicationem ſtatim ſubditur: *Propterea non rogaſti*, nempe Deum: quia ex Hebræorum conſuetudine nuptialíque ritu ſponſa à viro ſuo omnia ſperabat, tam quæ ad victum, quàm quæ ad mundum muliebrem pertinebant. De mundo muliebri, inſtructúque nuptiali habemus ſatis *in Cant. cap.* 1. vbi ſpoliatam ſponſam genialibus deliciis exornat ſponſus. Et *Ezechiel. cap.* 16. vbi ſponſa nuda ad regium vſque ſplendorem à ſponſo decoratur. quò alluſum eſt *Oſeæ cap.* 2. *verſ.* 3. *Ne fortè ſpoliem eam nudam, & ſtatuam eam ſecundùm diem natiuitatis ſuæ.* De victu conſtat *ex eodem cap. Oſeæ verſ.* 8. *Et hæc neſciuit, quia ego dedi ei frumentum, & vinum, & oleum, & argentũ multiplicaui.* Quod probatur etiam *Iſai. cap.* 4. vbi ſeptem inducuntur mulieres, qui viri vnius nuptias expetunt, quóque illum magis ad ſuum votum trahant, ab ea cura liberant, quæ viris in eo nuptiali conuictu non leuior eſt, aut minùs præcipua, alendi nempe vxores, & curandi, quæ ad illarum cultum exigit patriæ conſuetudo. Atque ideo addunt, *Panem noſtrum comedemus, & veſtimentis noſtris operiemur.* Accommodatè ad hanc conſuetudinem dicit Deus ſponſam illam, quia prodiit prioribus, alias ſibi nuptias expetiuit, non rogaturam à ſe priori atque legitimo ſponſo neceſſaria, vt ſponſæ faciunt, ſed ab aliis, quos ſibi ſponſos adſciuit: qua petitione ſignificat in quorum thalamo eſſe ſtudeat, & cui fidẽ velit ſeruare coniugalem. Hæc mihi viſa eſt genuina huius loci ſentẽtia. Neque tamen non probo quod alij putant, diuitias nempe hîc intelligi, aut humana commoda, quibus cùm homines abundant, Dei obliuiſcuntur, & quaſi illius auxilio non indigeant, illum non orant. De quibus *Deuter.* 32. *verſ.* 15. *Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit, incraſſatus, impinguatus, dilatatus: dereliquit Deum factorem ſuum.* Ita Hieronymus, & cum eo plures alij.

A ſponſo in ſpõſam quis ſumptus.

38. y *Pro quo ſollicita timuiſti? quia mentita es, & mei non es recordata; neque cogitaſti in corde tuo, quia ego tacens, & quaſi non videns, & mei oblita es.*] In eadẽ adhuc verſatur nuptiarum metaphora, & addit id, quod extremum eſſe ſolet in eo, qui penitus religionem abiecit, & in profundo demerſus eſt malorum. Nempe vt cùm multa timenda ſint, nil tamen timeat; ſed in mediis periculis ſecuro ſit animo. Ait ergo ad adulteram illam ſponſam, quæ vitam ſibi inueniſſe arbitrabatur, timuiſſe nihil, cùm tamen illa admiſiſſet ſcelera, pro quibus diuinũ è cœlo ſupplicium horrere debuiſſet. Cauſámque ſtolidæ ſecuritatis reddit, quia Deus, quaſi nihil videret tacebat, differebátque in tempus aliud ſupplicij pondus. Nunc ſingula expendo: *Pro quo ſollicita timuiſti?* id eſt, quidnam eorum, quo diuinum in te furorem inflammabas, tibi terrori fuit? *quia mentita es.* Oſtendit quantam audaciam, & inuerecundiam alucrit in ſponſæ animo impunitatis opinio. Primùm *mentita es*, id eſt, fefellit fidem, quam conſtantem, & integram ſeruare debuerat; & in thalamum ſponſi, qui ab omni flagitio purus ſeruandus fuit, adulterum toties, támque inuerecundè ſuſcepit. Dederat autem fidem coniugalem, quando recèns egreſſus populus ab Ægypto dixit *Exod.* 24. *verſ.* 7. *Omnia quæ locutus eſt Dominus faciemus, & erimus obedientes.* Sed mentita eſt Gens infidelis, cùm à Deo defecit, & Gentium idolis nefariis ſeſe connubiis implicuit. *Et mei non es recordata.* Oſtendit in quo mentita fuerit ſponſa illa, quia neque ſponſi, neque fœderis quondam initi ſiue obligatæ fidei recordata eſt; ſed totum ſtudium atque cogitationem ad idolorum cultum, & obſequium traduxit: *Nec cogitaſti in corde tuo*, ſcilicet de me, aut de data fide, aut de acceptis beneficiis: vſque adeò illam væſanus in Gentium Deos amor, ſiue furor abſorbuit.

Ex Dei patientia homo magis ad peccandum audax.

Pro his itaque iniuriis ſollicita non timuit, cui ſanè, ſi aliquid eſſet reliquum pudoris aut mentis, metuendum fuit ne id pateretur quod à zelotypo ſponſo, & tam grauiter offenſo ſolet mendax & adultera ſponſa. 39. *Quia ego tacens, & quaſi non videns.* Cùm patienter, inquit ſponſus Deus, ſuſtinerem, expectarémque ſi quando ad me ſuperiorem ſtatum exoſa reuerttereris, & ideo, quaſi hæc clam me fierent tacerem, ex meo ſilentio, atque patientia, nihil exiſtimabas tibi eſſe metuendum. Vbi metus exceſſit, qui te in officio continebat, & fide, excidit quoque ex animo tuo mei memoria; *& tandem mei oblita es.* In ſumma ideo nihil times, cùm tamen multiplex impendeat timoris cauſa, ideo mentita, ideo non recordata mei, quia ego patienter tuli, neque ſtatim grauem illam iniuriam vltus ſum. Quare mea clementia, ac bonitas, quæ maximè animum

animum tuum afficere, & capere debuit, tibi ad peccandum licentiam, & audaciam dedit.

40. Hic locus aliter conuertitur, & quidem variè à variis, neque deeſt ratio in textu Hebraico, cur aliter, atque aliter conuerti potuerit, quam nunc omitto ne longus ſim. Quia qui Hebraicè ſciunt, ex ipſo textu facilè intelligent; aliis etiam ſi in ea ratione explicanda multus ſim, inutilis erit noſter labor, ſed eſt facile oſtendere optimè Vulgatum interpretem tranſtuliſſe.

Alia ſeſe mihi offerebat expoſitio, neque difficilis meo iudicio, neque aliena à textu, filóque ſermonis. Si illud: *Pro quo ſollicita timuiſti*, ad ſuperiorem clauſulam referas, quod durum non eſt, hoc ſenſu: Laboraſti in aſciſcenda, colendáque Gentium religione, neque in ea cura quieſcendum tibi exiſtimaſti; & quia quod tibi propoſueras inueniſti, ideo me non rogaſti, quem antè ſollicitè timueras, (hîc legendum *timuiſti* ſine nota interrogationis) ſed defeciſti à me ementita fidem, quam antè dederas, & omnino mei oblita es. Quia cùm ego tacerem, & videret tibi neque videns, neque humana curare, nihil à me præſidij expectandum putaſti. Neque incommodat huic expoſitioni illud: *Quia mentita es.* Cùm dicendum potiùs videatur, *Ideo mentita es.* Nam vt docuimus ſuprà *cap.* 35. *num.* 12. & fuſiùs *in commentarius Zachariæ, cap.* 10. *num.* 14. vox *quia*, non ſemper rationem reddit, ſed narrationem continuat.

41. [z] *Ego annunciabo iuſtitiam tuam, & opera tua non proderunt tibi.*] Quem tu ſilentem, & cæcum arbitrare, eundem aliquando experietis habuiſſe oculos pluſquam lynceos, & rugitum leonino magis horribilem; ac tandem à Diis, quos aut ingenti comparatas ſumptu, aut tua ipſius manu fabrefecetas, intelliges nequicquam opem eſſe implorandam. Annunciabo enim, & proferam in omnium conſpectu iniquitatem tuam, quam tu iuſtitiam eſſe putas. Neque tunc tibi proderunt dij, quos tanto tibi ſtudio quæſietas. Cùm enim ad ipſos clamaueris, ipſos quoque tuis onuſtos precibus ventus auferet, ſicut aridam ſtipulam; vſque adeò leues erunt.

42. Similia his habes ſuprà *ca.* 42. vbi Deus affirmat non iam ſibi ampliùs eſſe ſilendum, ſed locuturum aliquando, erupturúmque furoris pondus, quod iam diu contra ſui nominis contemptores antè conceperat; ſic enim ibi: *Tacui ſemper, ſilui, patiens fui, quaſi parturiens loquar.* Et *Pſalm* 49. *Hæc feciſti, & tacui, &c. arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam.*

43. Prouerbiũ. [aa] *Omnes eos auferet ventus, tollet aura.*] Prouerbiale aliquid olet hic dicendi modus, cùm enim aliquid leuiſſimum eſſe ſignificare volumus, eiuſmodi eſſe dicimus, vt rapi, aut vaneſcere à vento poſſit. Rapiuntur enim, aut diſſipantur à vento, quæ leuiſſima ſunt, atque vaniſſima, qualis eſt ſtipula, ſpuma, fumus, puluis, & quæ ab aridis herbis excuſſa eſt lanugo quædam, quæ Græcis *πάππος* appellatur. Quæ forma loquendi in Scriptura frequens. *Iſai. cap.* 17. *verſ.* 13. *Rapietur ſicut puluis montium à facie venti.* Et *Pſalm.* 1. *Tanquam puluis quem proiicit ventus à facie terræ.* Hebr. מֹץ *motz*, quod ſignificat paleam minutiſſimè contuſam, & penè in puluerem redactam. Hiſpanè *tamo.* Plura inuenies ſuprà *cap.* 5 *verſ.* 15. *Quoniam ſpes impij tanquam lanugo eſt, quæ à vento tollitur, & tanquam ſpuma gracilis, quæ à procella diſpergitur, & tãquam fumus, qui à vento diffuſus eſt.* Non plus habere ponderis dicuntur illi Dij, quos non modò ventus vehemens auferet, ſed etiam aura tollet leniter aſpirans. Chaldæus metaphoram explicuit cùm vertit, *Erunt quaſi nihilum.*

44. Hæc mihi magis certa, ſed fortaſſe aliò alluſum eſt in hac metaphora, ita tamen vt ſenſus, aut idem ſit, aut non valde diuerſus. Quæ irrita prorſus cecidere, & ſine vllo ſucceſſu, illa, aut ventis tradita, aut ablata à ventis eſſe dicuntur. Neque id à profanis ſolùm, ſed etiam à ſacris ſcriptoribus, quibus hæc dicendi forma in vſum penè prouerbialem venit. Apud profanos exemplorum plus ſatis. Græcè affert non pauca Lambinus ad illud Horatij *lib.* 1. *Ode* 26. *Tradam proteruis portare ventis.* Latina ex pluribus hæc pauca accipe. Virgil. *lib.* 10. *Æneid.* inane gaudium ſic explicat.

——— *Nec ferre videt ſua gaudia ventos.*

Et *lib.* 9. de mandatis Aſcanij, quæ ſublatis in medio curſu nuncijs non erant ad parentis aures peruentura, dicit

Multa patri portanda dabat mandata, ſed auræ
Omnia diſcerpunt, & nubibus irrita donant.

Tibullus *lib.* 1. *Eleg.* 5.

Hæc mihi fingebã, quæ nunc Eurúſque, Notúſque
Iactat odoratos vota per Armenios.

Apud ſacros locutiones iſtæ non minùs frequentes. Iob *cap.* 7. *verſ.* 26. *Et in ventum verba profertis.* Et 15. *verſ.* 2. *Nunquid reſpondebit ſapiens quaſi in ventum loquens. Ierem.* 5. *verſ.* 13. *Prophetæ fuerunt in ventum locuti. Eccleſ.* 5. *ver.* 15. *Quid ergo prodeſt ei quod laborauit in ventum.* Quaſi dicas, tam illorum verba, quàm horum opera irrita fuerunt & vana. Sic ergo & Idolorum oracula, & Iudæorum vota, & ipſa etiam idola vana fuerunt, ſicut illa, quæ ventus diſſipat eo, quem diximus, modo.

45. [bb] *Qui autem fiduciam habet mei, hæreditabit terram, & poſſidebit montem ſanctum meum.*] Confert nunc eos, qui ſperant in Domino, cum his, qui in Idolorum nugis ſpem locauerunt ſuam. Oſtenditque priores poſſeſſuros terram, quam ex omnibus populis ſuo Dominus elegit, & in monte ſancto nempe Ieruſalem ſedem ſibi ſtabilem habituros. In quo monte, vt apud hunc prophetam ſæpius audiuimus, mons cœleſtis, id eſt, beatorum ſedes ſignificatur. Plurima in hanc ſententiam habes *cap.* 40. & aliis deinde. Vbi quid Deus, & quid idola præſtare, aut poſſint, aut ſoleant, explicatur.

46. Hic S. Thomas, & Hugo putant ſermonem eſſe de Iudæis, qui captiui abducendi erant ad Babylonios, è quorum numero non omnes redierunt, ſed illi quos admiſſi ſceleris pœnituit, quíque ad Gentium idola non defecere. Quare hic in terra hæreditanda, & monte ſancto poſſidendo, terram promiſſionis, id eſt, terram Chanaan intelligunt, & ciuitatem terrenam Ieruſalem. Neque abnuunt Hieronymus, Haymo, & alij è iunioribus: ita tamen vt in eo facili, ac felici reditu, fortunæque viciſſitudine maiorem felicitatem & donum longè maius agnoſcant, nempe cœleſtem patriam, & æternam quietem. Et hoc omnino videtur mihi eſſe dicendum.

47. [cc] *Et dicam, Viam facite, præbete iter, declinate de ſemita, auferte offendicula de via populi mei.*] Elegans mimeſis, & qua in ſubiecta materia nihil dici potuit, aut ſignificantius, aut benignius. Oſtendit enim Dominus, quàm expeditè, ac ſplendidè, quàm molliter, & amanter aut reducturus ſit populum ex Babylonica ſeruitute, aut, quod ſpectabat præcipuè in hac vmbra, & ſymbolo, inducturus in cœleſtem quietem.

quietem. Nam quemadmodum lictores, qui Conſulem, aut magiſtratus alios ex more præcedunt, turbam ſubmouent obuiam, iubéntque decedere, ne impedimento ſint ſubſequenti Conſuli: Et cùm aliquis magni nominis princeps iter eſt facturus, ſtratores antecedunt viarum, qui impedimenta amoueant, interrupta compleant, ſalebras æquent, & ardua complanẽt, quod faciebat Ioannes, qui præmiſſus eſt ad parandam viam magno Principi Ieſu; Sic idem nunc obit munus Deus, qui quaſi ſe populi captiui lictorem faciat, aut ſternendæ, ſeu complanandæ viæ curatorem, ſubmouet quidquid impedimento eſſe poterit populo aut Iudaico, cùm in terrenam remigraret Ieruſalem, aut vniuerſo, id eſt, humano generi, cùm vocaretur ad cœleſtem. Illud B præſtitit ſatis cumulatè per Cyrum, & Darium, hoc per Chriſtum multò cumulatiùs, atque benigniùs, cùm pro captiuo mundo mortem ſubiit, expeditúmque reddidit ingreſſum ad beatorum æterna tabernacula. Eodem genere orationis Iſaias infrà *cap. 61. verſ. 10.*

48. " *Quia hæc dicit Dominus excelſus, & ſublimis, habitans æternitatem, & ſanctum nomen eius in excelſo: & in ſancto habitans, & cum contrito, & humili ſpiritu; vt viuificet ſpiritum humilium, & viuificet cor contritorum.*] Deſcriptio hæc eſt diuinæ maieſtatis, ex adiunctis petita, ex loco videlicet, & tempore, aut potiùs æternitate. Quam ego deſcriptionem ſic efformo: Deus eſt excelſa quædam, ſublimis, & æterna ſubſtantia. Cuius nomen in cœlo C ſanctum eſt, & venerabile, quíque apud homines in templo habitat, & in his, qui humili ſunt, & contrito corde, vt illos viuificet & exaltet. In qua deſcriptione aliquid arcanum intueor, & admirabile, dignúmque quod contrito, humilique ſpiritui ſemper præſens ſit. Nam qui excelſus eſt, & æternus, eodem loco, ac numero ponit templum, & cœlum, quo ſpiritum humilem, & contritum: in eo enim habitare dicitur non ſecus, quam in cœlo, & apud homines in templo: quæ, vt conſtat, religione complet, & cœleſtibus donis. Magna certè laus eſt ſpiritus humilis, & compuncti, vocari quoddam gratum Dei tabernaculum, aut ſedes vbi commoretur tanquam in templo, ac cœlo: Quod D nunc non primùm audimus à Domino. Nam ſæpe quàm ſtudioſè curet humilium cauſam, quàm ſit animo ad eorum preces intento, quàm ſit Deo acceptus, & gratus humilis atque contritus animus, & eiuſdem generis alia quamplurima, in Scriptura ſacra frequenter audimus. Quæ, quia frequentia ſunt, inuenirique poſſunt non difficilè, in illis repetendis non morabor. Vide Auguſtinum *in Pſalm.* 112. ad illud *In altis habitat, & humilia reſpicit.* Vbi optimè ad mores explicat hunc Iſaiæ locum. Neque ſanè mirandum ſi tam liberaliter, & amanter Dominus amplectatur humilem, quando ipſe quoque ab humili præcipuè, immò ab humili penè ſolùm honoratur. *Eccleſ. cap. 3. verſ. 21. Quanto ma-* E *gnus es humilia te in omnibus: & coram Deo inuenies gratiam. Quoniam magna potentia Dei ſolius, & ab humilibus honoratur.*

Humilitatis laus.

49. Habet hìc optimè humilitatis & contritionis naturam expreſſam. Nam dum ſpiritus humilium, & cor contritorum viuificanda dicuntur, planè indicatur contritos, & humiles eſſe mortuos, ſua ipſorum exiſtimatione. Quia illi de ſe ita demiſſè cogitant, vt ſe pro mortuis habeant, & ab aliis eo numero cenſeri, & patiant, & velint. Certè, qui verè contriti ſunt, in Scriptura paſſim *mortificati* dicun-

Humilitatis, & contritionis natura.

A tur, id eſt, qui ita vitam inſtituerunt ſuam, vt affectiones, quæ à carne ſunt, & ſanguine, non magis curent, quàm ſi mortui eſſent; immò pia quadam indignatione, dum ſubit acris, & viuida peccati pœnitentia, in ſe ita ſæuiunt vehementer, vt quidquid à carne eſt, perimere omnino velint, & ſtudeant.

" *Non enim in ſempiternum litigabo: neque vſque ad finem iraſcar.*] Eadẽ ferme ſententia eſt bis vſurpata, quod in rebus maximè notãdis fieri ſolet nonnunquam à prophetis. Significat hìc Deus iratum ſe fuiſſe Iudæis, & cum ipſis litigaſſe, vſus in eam coram adminiſtro Chaldæorum exercitu. Quod eo fecit animo, vt Gentem ad omnem impietatem B præcipitem, ad meliorem mentem reuocaret. Id verò conſecutus eſt, dum aduerſa fortuna, & ærumnoſo exilio iactat, & excoquit otioſam illam, & contaminatam Gentẽ. Nam licèt ex eo populo plurimi coluerint Chaldæorum Deos, vt alibi oſtendimus, omnémque admiſerint alienæ religionis turpitudinem, fuerunt tamen alij non pauci, quibus vexatio longa dedit intellectum: quique modò humiles dicuntur, & contriti, qui de ſe longè aliter ſentirent, quàm antea, dum proſpera vterentur fortuna, & ſuperiorem vitam deteſtati, antiqua errata dolerent acerbiùs, & pœnitentia delere tentarent. Et quidem hæc de captiuis Babylonicis accipiunt iidem, qui ſuprà, S. Thomas, & Hugo, & non- C nulli ex recentioribus, & indicat Haymo. Sed hæc ſemper intelligo typicè, & in vmbra, nam in myſtico ſenſu, quem præcipuè locus hic intuetur, alia maior ſalus, & libertas emicat. Et ita communiter accipiunt alij ferme omnes. Quare Deus oſtendit non fore ſibi immortales iras, cùm magis ſit ad miſerendum pronus, ſed aliquando ſibi ſuſcipiendam eſſe pacis ac miſericordiæ cogitationem. Quod quidem fecit cùm pro peccatoribus carnem aſſumpſit, quam in cruce ſuſpenderet, & nunc quotidie facit, cùm peccatorem tali indignum miſericordia ad vitam, & amicitiam vocat.

51. " *Quia ſpiritus à facie mea egredietur, & flatus ego faciam.*] Spiritus plura ſignificat, vt docuimus *cap. 11. n. 3.* Nunc iuxta duas huius nominis ſigni- D ficationes variæ ſunt interpretum ſententiæ. Sumitur *ſpiritus* pro furore, & ita nonnulli hanc putant huic loco ſubeſſe ſententiam. Non iraſcar in finem contra populum meum, quem captiuum abduci paſſus ſum; quia egredietur, id eſt, deſcendet à me ſpiritus, id eſt, furor quem contra illum ante conceperam. Et, quod idem eſt, flatus ego faciam, id eſt, efflabo iam tandem, & anhelabo iram, id eſt, efflato iam, & proiecto furore iraſci deſinam, & mitiora conſilia meditabor. Ita Hugo.

52. Alij *ſpiritum*, & *flatum* pro vento ſumunt, putántque metaphoram à nauigatione trahi: nam cùm priùs aut Iudæi captiui in Babylonia, aut certè peccatores, qui poſt ſuas concupiſcentias abie- E rant, reflãte vento in ſcopulos, & ſyrtes incidiſſent; aut à Charybdi, id eſt, vitiorum barathro, quo nil eſt voracius, eſſent abſorpti: poſtea tamen miniori vento, qui à Deo egreſſus eſt, & ſecundo flatu, quem inſpirauit Dominus, tranquillam magis, atque ſecuram nauigationem inſtituerunt; deductíque ſunt tandem ad ſalutis portum. Quò fortaſſe ſpectat illud *Pſalm. 142. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Et illud Pauli *ad Roman. 8. verſ. 14. Qui ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filij Dei.* Ita indicat Hugo, & ſequitur Pintus.

53. Alij in *ſpiritu* aut animam hominis intelligunt,

Aut

aut Spiritum ſanctum : in *flatu* verò animam, & vitam. Animam quidem in *ſpiritu* agnoſcunt Hieronymus, Cyrillus, & Auguſtinus ſæpe, *epiſt.* 146. *ad Conſentium*, *epiſtol.* 157. *ad Optatum*, *& de Geneſ. ad lit. lib. 7. cap.* 3. (quamuis *lib. 7. capite* 14. modò de anima accipiat, modò de Spiritu ſancto.) Quod etiam ſentit Chaldæus, & ex iunioribus Adamus, Forcirus, Pintus. Alij verò Spiritum ſanctum: Tertullianus *lib. de Anima cap.* 11. Irenæus *lib.* 5. *cap* 12. & Hieronymus non improbat, tametſi in aliam ſententiam magis inclinet: tenet omnino Haymo, & nuper Didacus Aluarez. Et iuxta poſteriorem hanc explicationem ſenſus eſt: Cùm ego datutus ſim illis, quibus animam dedi, vt pote creator, Spiritum ſanctum, cur illis iraſcar in finem, & non potiùs aliquando miſerebor.

54. Spiritus pro vita. Sed planè videtur explicatio ſoluta magis, & expedita, ſi ita accipias vt in vtroque loco, tam in *ſpiritu*, quàm in *flatu* intelligatur anima ſiue vita. De *flatu* nemo fere dubitat, & tenent etiam illi qui in *ſpiritu* Spiritum ſanctum ſignificari putant. Et quidem in ea ſignificatione ſæpe *ſpiritus*, & *flatus* coniunguntur. *Iob cap. 17. verſ.* 3. *Donec ſupereſt halitus in me* (Hieronymus in commentariis *flatus* legit) *& ſpiritus Dei in naribus meis.* vbi ex adiuncto *narium* nemo dubitat idem eſſe *halitum*, & *ſpiritum*. Et *Iſaia cap. 42. verſ.* 5. *Ego Dominus creãs cælos*, &c. *dans flatum populo, qui eſt ſuper eam, & ſpiritum calcantibus eam.* Neque nouum eſt in Scriptura vt *ſpiritus* ſumatur pro anima, qua ſpiramus, ſeu pro vita, quam ſpirando ducimus. Quod planè docet illud *Geneſ. 4. Inſpirauit in faciem eius inſpiraculum vitæ.* Et pſalterium totum ita clauditur. *Omnis ſpiritus laudet Dominum*, id eſt, omnis vita aut omnes viuentes. Erit ergo iuxta hæc ſententia facilis & ſoluta. Cur ego iraſcar in ſempiternum contra illos, quibus ſpiritum, & flatum dedi, id eſt, qui à me vt ſpirent, & viuant, habent.

55. Regula. Futuri, habitum, aut facultatem ſignificat. Hic obſeruat Adamus futurum in Scriptura indicare ſæpe non tam actum quàm facultatem, habitum, ſeu conſuetudinem aliquid agendi. Quod ſanè verum eſt; & licèt hoc multò frequentiùs accidat in tempore præſenti, vt diximus *in cap.* 13. *Alium num.* 15. & ſupra *cap. 3. num.* 11. & *cap.* 24. *num.* 10. Aliquando tamen contingit in tempore futuro *Geneſ. 20. verſ.* 9 Pro eo quod vulgatus tranſtulit. *Quæ non debuiſti facere.* Hebr. eſt, *Quæ non fient.* Vt ergo dicitur *Malach. cap.* 1. *Filius honorat patrem*, id eſt, honorare debet, aut ſolet, ſiue patris honorator eſt. Et Beata Virgo, *virum non cognoſco. Lucæ cap.* 1. cognoſcere neque ſoleo, neque poſſum. Sic etiam eodem ſenſu dicere potuiſſent *filius honorabit.* Et, *virum non cognoſcam.* Sic ergo hoc loco *ſpiritus à me egredietur*, ſiue *egreditur*, idem eſt atque ego creator ſpirituum ſum.

gg *Propter iniquitatem auaritiæ eius iratus ſum.*]

56. Quantum auaritiæ ſtuduerint omnes omnium ordinum homines Iudaici nominis, ſæpius audiuimus ab hoc propheta. In auaritia verò per Synecdochen cæteras animi ſordes intelligi indicat Hieronymus in commentariis, & apertè Lyra. Et quidem vox Hebr. בצע *betſahh*, plura ſignificat, quàm quæ *auaritiæ* nomine explicantur. Extendit enim ſe ad omnem vim, & cupiditatem. Expreſſit autem bene hæc omnia noſter interpres, dum *auaritiam* vertit: quia cùm auaritia ſit malorum omnium radix, quæque ad vim, & fraudem ſordidas hominum mentes abiiciat, & impellat, qui *auaritiam* reddidit, complexus eſt omnia, quæ auaritia gignit, & fouet.

hh *Abſcondi à te faciem meam.*] In textu Hebraico non eſt *à te faciem meam*, ſed tantùm *abſcondi*, vt etiam notauit Hieronymus, qui in commentariis ſupplet *faciem*. Neque deſunt codices vulgatæ editionis in quibus illæ voces deſiderantur, & in his Complutenſes. Sed expreſſit optimè noſter interpres vim Hebraici verbi הסתר *haſter*, quod in infinitiuo eſt, & Gerundij locum habet. Quare ad verbum ſic eſſet conuertendum. *Iratus ſum, & percuſſi eum abſcondendo.* Eſt autem in quauis lingua familiare, vt voces illæ interdum omittantur, quæ communiter, ac ſæpe aliis coniungi ſolent. Quare dicimus *lauare, mouere, ſoluere, appellere*, in quorum primo *manus*, in ſecundo *caſtra*, in duabus aliis *nauem* intelligimus. Eſt autem in idiomate Hebraico, vſúque Scripturæ nihil magis vſitatum, quàm *abſcondere faciem* ſeu *auertere*; quo ſignificamus aliquem iratum eſſe, vel offenſum: ſicut etiam *conuertere*, ſeu *oſtendere faciem*, quæ contrà benigni aut propitij animi ſignificatio eſt. Quare ſæpe Deus oratur, vt faciem oſtendat, conuertat, & illuminet; id eſt, vt faueat: ſicut etiam eodem ſenſu, ne abſcondat, aut auertat faciem. Id ergo quod latebat in verbo *abſcondo*, expreſſit vulgatus dum addidit *faciem meam*. 57. Regula. Cùm duæ voces ſæpe coniunguntur, altera nonnunquã omittitur.

ii *Et abiit vagus in via cordis ſui.*] In aliis, ſiue 58. Nullũ grauius ſupplicium quàm impunita eſſe peccata in hac vita.
offenſionibus ſiue ſuppliciis, quæ infliguntur à Deo, illud iure optimo à ſapientibus rerum æſtimatoribus cenſetur longè grauiſſimum, quando homo ſuis ſeruire cupiditatibus impunè permittitur. Qua de re grauiſſima ſunt Patrum teſtimonia, atque iudicia. Quocirca, qui bene de rebus & ſapienter iudicant, acerbè ſecum, & hoſtiliter agi putant, ſi quæ in hac vita commiſſa ſunt flagitia, impunita abeant. *In via cordis ſui abire*, nihil aliud eſt quàm ire poſt concupiſcentias ſuas. Quod aliter expreſſit Dauid *Pſal* 80. *Dimiſi eos in deſideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus ſuis.* Et Paulus *ad Roman. cap.* 1. *verſ.* 24. *Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum.*

Vbi vulgatus *vagus* Hebraicè eſt שובב *ſobab*, 59.
quod à radice שוב deduci poteſt, & à radice שבב. illa *reuerti* ſignificat, hæc *frangi*, & *conteri*. A priori radice Hieronymus reddidit *vagus*, à poſteriori in commentariis explicuit *abiit mœrens*, iuxta tranſlationem L x x. exponítque de triſtitia, quæ ex peccatorum conſideratione nata eſt, id eſt, de pœnitentia, quam egit populus peccatorum memor. Propter quam id conſecutus eſt, vt à Deo ſanaretur. Neque longè abiit Chryſoſtomus *in epiſtola ad Theodorum lapſum.* Vbi ideo ſanatum eſſe dicit Iudæorum populum, quia triſtis abiit, ſicut filij, qui ab irato parente extruduntur domo. Et quidem poſterior hæc explicatio, ſi L x x. expoſitionem intueare, aptiſſima eſt; ſed iuxta tranſlationem Vulgati placet magis ſuperior, quam tenet S. Thomas, Hugo, Foreirus, & Dionyſius.

Videtur autem hoc loco reſpexiſſe Iſaias *ad* 60.
cap. 4. Geneſ. Vbi Cain profugus, & vagus abiiſſe dicitur; poſt ſua videlicet deſideria, aut in via cordis ſui. poſtquam Deus ab illo faciem ſuam abſcondit. *Eiicies me hodie à facie terræ, & à facie tua abſcondar, & ero vagus, & profugus in terra.* Abſcondi à facie Dei idem eſſe puto per enallagen, atque Deum abſcondere faciem ſuam ab illo, quo ſenſu nuper explicuimus; id eſt, à Deo deſeri, ex quo Cain, quaſi à rectore derelictus errabat profugus,

& vagus. Quàm ſit hoc timendum, ne Deus faciem abſcondat, ſinátque aliquem errare vagum in via cordis ſui, docuit optimè Bernardus *Serm. 35. in Cant.* ad illud *cap. 1. Egredere, & abi poſt veſtigia gregum tuorum. Dura,* inquit, *& aſpera increpatio quod dicit egredere: hoc enim verbum ſerui audire ſolent à valde iraſcentibus, atque indignantibus dominis, cùm illos offenderint, exi hinc, egredere à conſpectu meo, & à domo iſta.* Et poſt multa in eam ſententiam grauiſſimè dicta addit. *Talis anima neſcio, an vel ipſam gehennam ad tempus experiri horribilius, pœnaliúſve ducat, quàm poſt ſpiritualis ſtudij huius guſtatam ſemel ſuauitatem, exire denuo ad illecebras, vel potiùs ad moleſtias, ſenſuúmque inexplebilem repetere curioſitatem.* Vide reliqua planè ſuo auctore digniſſima.

61. kk *Vias eius vidi, & ſanaui eum, & reduxi eum.*] Bene actum eſt cum populo, qui vagus abierat in via cordis ſui, & ſuo ſe arbitratu, non diuino conſilio moderabatur, quando ad finem vſque derelictus non fuit, ſed aliquando ad meliorem mentem reuocatus. Vidit enim illum Deus errantem, & præcipitem, & quotidianis offenſionibus laceratum ſanauit, & profugum reduxit. Si hæc iuxta LXX. tranſlationem interpretere, qui pro *vago, mærentem* conuertunt; &, quod multi cenſent, ſermo hîc ſit de Iudæis, qui mœrentes in Babylonem abducti ſunt captiui, in quibus ſunt Chryſoſtomus *epiſtola ad Theodorum lapſum*, S. Thomas, Foreirus, & Hugo, explicatio difficilis non eſt. Cùm enim Dominus viam populi videret, cùm in ipſo ab vrbe diſceſſu plurima paſſus eſt incommoda, atque conuiria ab hoſte victore, neque in exilio magis benignos dominos experiretur, Deus illius ſortem, & vicem miſeratus reduxit in patriam, ſanauitque plagam, quam ab hoſtili manu luculentam acceperat exciſa vrbe, & exuſto templo; & opima, atque vbere regione in ſyluam redacta.

62. Sed ſi *vagum* legas cum vulgato, accipiáſque, eo quo nos ſuprà modo, ſenſus erit. Vidiſſe Dominum errantem populum, tanquam gregem relictum à paſtorum cura, & in omne vitiorum genus præcipitem, & illius calamitatem miſeratum ad caulas reuocaſſe, quod boni, ac vigilantis paſtoris eſt; ac tandem ſanaſſe ab his plagis, quas in via cordis ſui plurimas acceperat. Ex quo diſces quemadmodum Deus ad tempus aliquos ita deſerat, vt abire permittat poſt concupiſcentias ſuas; quos denique vbi iam cognoſcere potuerunt miſerrimæ vitæ ſtatum, benignius reſpicit, ſanátque.

Hîc ego quod ſæpius dixi vtrumque reperio, & mulctatum populum Iudaicum abiiſſe vagum in alienas ſedes: & peccatorem ſuæ relictum eſſe concupiſcentiæ, quos Dominus benignior aliquando reſpexit: priùs tamen hiſtoricè, poſteriùs myſticè. Nam hîc agi de Iudæorum ſtatu multa ex his quæ ſequuntur perſuadent; in quibus tamen aliquid altiùs elucet, vt vides, quod ſpiritualem lapſum, & ſpiritualem medicinam oſtendit.

63. ll *Et reddidi conſolationes ipſi, & lugentibus eius.*] Hæc verba non obſcurè indicant ſermonem eſſe de Iudæorum Gente afflicta, & eo, quem dixi, modo à Domino deſerta. Nam peccatori, cùm vnus ſignificetur, vt conſtat, non ſatis conuenit illud, *ipſi, & lugentibus eius*; ſecus autem in populo, in quo multitudo continetur. Porrò illud *&* non tam puto clauſulas coniungere, quàm quod anteceſſerat explicare in hanc ſententiam, Reddam conſolationes populo mœrenti, & vago, id eſt, illis, qui ex eo

A populo vagi fuerunt, & qui modò lugent: quia illos vitæ intemperanter actæ pœnitet. Quod indicat Hieronymus; dum hæc promitti dicit illis, qui lugent: & adducit illud. *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur.* Quòd autem explicandi gratia adhibeatur, non coniungendi, docuimus *in cap. 7. Actuum num. 20.* Et docet latè Salmeron *proleg. 16. de coniunctionibus*, ita vt *&*, idem ſit quod *id eſt*. Ad exempla, quæ nos ibi adduximus ſumpta magna ex parte ex Salmerone, adde illud *Dan. cap. 14. verſ. 31. Dabantur eis duo corpora quotidie, & duæ oues*, pro *id eſt, duæ oues.* & *1. Reg. 18. verſ. 4.* Vbi noſter *Et miſit eos in peram paſtoralem.* Hebr. *Et poſuit eos in vaſe paſtorali, & pera*, pro *id eſt in pera.* Niſi fortè in *lugentibus* intelligas alios à gente Iu-

Regula. Et pro id eſt.

Dan. cap. 14.

1. Reg. 18.

B daica, qui amicitiæ, atque humanitatis gratia illorum caſum, atque infortunium dolebant. Quod indicat Chaldæus, qui ita vertit. *Et his qui lugebant ſuper eos.* Sed alia mihi expoſitio magis probatur.

mm *Creans fructum labiorum pacem.*] *Creo* ex vſu non ſolùm Scripturæ ſacræ, ſed etiam profanæ literaturæ non ſignificat ſolùm, id quod ex nihilo fit, ſed quod ex afflicta, & ignobili conditione, aut in amplum, & eximium, aut in longè meliorem ordinem attollitur, ſeu reſtituitur. Qua ratione Reges, & conſules creari dicuntur, quia in illum euehuntur gradum, præ quo, ille, ex quo euocati ſunt, ordo, quaſi nihil exiſtimari potuit. Sic etiam in Scriptura creati cœli noui, & terra noua dicuntur *Iſai. 62.* quia admirabili quodam modo

64. Creari dicitur quod in meliorē ſtatum adducitur.

C meliorem in ſpeciem renouabuntur. Et *Pſal. 103.* de agris hyemis aſperitate deformibus dicitur, *Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ.* Quia affulgente vere, quæ hyeme periiſſe videbantur, plantæ reuiuiſcere, & quaſi de nouo creari exiſtimantur. Sic *Pſal. 50.* poſtulat Dauid creari in ſe cor mundum, id eſt, mundari ſibi cor. Et in hunc modum occurrent alia non pauca.

Pſal. 103.

Pſal. 50.

Pax in Scriptura ſacra valet quidquid felix eſt, & optabile: quare pro abundantia, proſperáque atque iucunda fortuna, pro quiete & libertate ponitur. Eſt ergo *pax* ſi ſtatum Iudæorum conſideres, libertas à Babylonico iugo, remigratio in patriam, & ibi antiquæ hæreditatis ſecura poſſeſſio. In ſenſu

65.

D myſtico *pax* eſt maior illa libertas, quam captiuo, & perdito hominum generi Chriſti peperit aduentus. Quæ omnia creari dicuntur, quia illorum vix tenue aliquod veſtigium ſupererat.

Hæc puto difficilia non ſunt: illud obſcurum de *fructu labiorum*. Et primùm videndum, cuius ſint illa labia, quorum fructus pax eſt. Hieronymus, & Haymo *labia* putant eſſe Dei, hoc ſenſu. Creaui pacem fructum labiorum meorum, id eſt, quem ego promiſeram. S. Thomas, & Hugo labia prophetarum eſſe cenſent, ſed eſt ſenſus idem, immò, & ratio: nam prophetarum labia, Dei labia ſunt, quibus ipſe vtitur pro ſuis, ſuámque hominibus volūtatem denunciat. Alij Iudæorum eſſe exiſtimant, neque eodem explicant modo. Vatablus, & Pintus

66.

E mutandam eſſe dicunt Iudæis ſermonis materiam; qui enim prius bellum loquebantur, minas, ærumnas, & vltionem, deinde in eorum labiis nihil ſonabit, niſi pax, quies, & gratiarum actio; & huc inclinat Foreirus. Alij *pacem* eſſe credunt fructum orationis, & precum, quæ quia labiorum miniſterio exprimuntur, *labia* nominantur. Ita Hugo, Adamus, Emanuel Sa.

Ego inprimis puto *labia* hæc eſſe illorum, qui à Deo pacem, id eſt, ſingulare illius humanitatis beneficium

67. Gratiarum

Actio ſacrificium eſt Deo.

ſacrificium receperunt. Iudæorum quidem hiſtoricè, vt dixi, humani verò generis typicè. Puto etiam maximè probabile, ne dicam certum in *fructu labiorum* gratiarum actiones, & diuinas laudes ſignificari, quas perſonabunt quotidie illorum labia, qui à Deo ſingularibus officiis ornabuntur. In

Ad Heb. 13.

quam cogitationem induxit me illud Pauli *ad Hebræos 13.* Vbi fructum labiorum laudem expoſuit. Sic enim ibi. *Per ipſum ergo offeremus hoſtiam laudis, id eſt, fructum labiorum confitentium nomini eius.* Vbi obſeruo in illo *id eſt*, indicari locum alium Scripturæ, quem Apoſtolus ſpectaſſe videtur, cùm hæc diceret. Neque enim vox, quæ præceſſerat, nempe *hoſtia laudis* expoſitione egebat, neque *fructus labiorum*; ſi illa altera dicendi forma eſſet obſcurior, lucis multum afferret, cùm hæc æquè, aut etiam magis eſſet obſcura. Alluſit autem Paulus vt nonnulli volunt ad illud *Oſeæ cap. 4. Et reddemus vitulos labiorum noſtrorum.* Mihi veriſimile eſt ſpectaſſe Paulum hunc Iſaiæ locum, cui plurimum attulit lucis, dum fructum labiorum hoſtiam laudis appellat. Quod multò magis explicuit, cum ſubdit, *confitentium.* Quaſi opus ſignificaret labiorum Dominum laudantium. S. Thomas in illum locum Pauli, in hanc ſententiam explicat hoc Iſaiæ teſtimonium, & illud Oſeæ *cap. 14. vitulos labiorum.* Omnes penè expoſitores ſacrificium laudis intelligunt. Hieronymus, Cyrillus, Gregor. *in lib 1. Reg. cap. 1. ad finem.* L x x. verò, vbi noſter *vitulos labiorum*, legunt ſicut hìc vulgatus *fructus labiorum*. Vox enim Hebraica פרים *parim*, tam *vitulos*, quàm *fructus* diuerſa punctorum notatione ſignificat. Erit ergo huius loci ſententia. *Ego creaui*, id eſt, prophetarum more, *ego creabo*, id eſt, adducam, *pacem futuram populo captiuo, aut humano generi redempto, quæ ſit perpetuæ laudationis materia.* Non improbo explicationes alias, quia & aptæ ſunt, & magnorum auctorum iudicio probatæ. Sed poſtremam hanc maximè perſuadet Paulus ſuprà citatus.

68. n o *Pacem ei, qui longè eſt, & qui propè.*] Textus Hebraicus poſt *fructum labiorum*, diſtinctionem adhibuit, deinde clauſulam inchoauit à *Pacem.* Et ita videntur legiſſe L x x. qui cùm omiſiſſent in ſua tranſlatione illud *creans fructum labiorum*, adhibuerunt tamen *pacis* nomen geminatum. *Pacem ſuper pacem his, qui longè.* &c. Iuxta hanc Hebræorum diſtinctionem, tranſlationémque L x x. epitaſis eſt in iteratione nominis, quæ indicat cumulatiſſimam, & iucundiſſimam pacem: hoc ſenſu. Creaui fructum labiorum, pacem nempe affluentiſſimam, quam impertitus ſum non tantùm his, qui propè, ſed etiam iis, qui longè ſunt Sed eſt omnino ſenſus idem, quocumque modo diſtinguas, & legas. Quia, vt ſæpe diximus, actio pro actionis termino, ſeu obiecto ponitur, & *laus* non ſemel pro laudis materia. Quare cùm Deus dicitur creaſſe fructum labiorum, id eſt, laudationem, in *fructu labiorum* pacem intellexit, cui amplificandæ laus eſſet impendenda. Neque geminatio in eo modo, quo nunc communiter legimus in vulgatis codicibus, ſua deeſt epitaſis, licèt non ita vehementer ſignificans.

69. Quinam ſint iſti, qui longè, & qui propè, nunc expendendum. Quidam de Iudæis accipiunt, qui capti atque diſperſi fuerant, quidam longè apud Babylonios, alij propè apud Moabitas, & Ammonitas, aut qui habitabant in terra Iſraël (nam habitaſſe plurimos poſt communem fugam ciuium, ſtragémque ciuitatis latè docuimus apud Zacha-

A riam *cap. 7. num. 7.*) Ita putat S. Thomas, & Hugo, neque Haymo non probat. Alij communiter in his, *qui propè* Iudæos, in illis verò *qui longè* tunc erant, Gentiles agnoſcunt. Quod omnino dicendum eſſe perſuadet Paulus *ad Epheſ. 2.* Vbi ſine dubio omnium ferme conſenſu ad hunc Iſaiæ locum reſpexit. Cùm enim ad Gentiles loqueretur, docerétque per Chriſtum duos populos Gentilicum; & Iudaicum in vnum corpus coaluiſſe, ait *Et veniens* (nempe Chriſtus) *euangelizauit pacem vobis, qui longe fuiſtis, & pacem his, qui prope.* Ex quibus verbis conſtat hìc eſſe ſermonem de tempore Euangelico, & pace illa luculenta, quam Chriſtus aduoniens in orbem inuexit. Cuius etiam Apoſtolus paulò antè

B meminerat.

Nihilominus exiſtimo, de vtroque tempore, tam Babylonico, quàm Euangelico hìc eſſe ſermonem; de illo quidem hiſtoricè, & quaſi in vmbra, de hoc verò allegoricè & myſticè, quod præcipuè intuebatur propheta. Quod ſenſit Forerius. Quæ explicatio nihil adducit contra Paulum, quia nihil adimit Euangelij virtuti, ac paci: & illi confirmandæ vmbram quandam, & firmum teſtimonium præmittit. 70.

o o *Impij autem quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt.*] Hinc puto fit planum, quod nuper de lugentibus dicebamus, non omnibus, qui in mœrore, atque in exilio degebant, pacem promit- 71.

C ti, ſed tantùm lugentibus, id eſt, iis, quos in ea multitudine peccati pœnitebat. Nam in lugentibus, ſiue ſuperioris vitæ errata deteſtatis, illi intelliguntur, qui ſiue ex populo Iudaico in patriam tam pacatam, & vberem, ſiue illi, qui ex quacumque Gente in Eccleſiam conuenerunt. Alij verò, qui in vtraque Gente maluerunt impiè ſuis cupiditatibus, quàm piè diuinis obſequi conſiliis, tam longè erunt, vt quieti viuant, vt potiùs inſtar maris quod perpetuis feruet, & agitatur motibus, vitam agant perpetuo quodam malorum æſtu turbatam. Porrò æſtuantis animi motus, aut vitam ita iactatam, vt nuſquam conſiſtat, metaphora è fluctibus petita explicari ſatis notum eſt. Apud profanos occurrent paſſim exempla. Nunc vnum accipe ex

D Ouidio *in epiſtola Canaces.*

Vt mare fit tremulum, tenui cùm ſtringitur aura,
Vt quatitur trepido fraxina virga Noto:
Sic mea vibrari pallentia membra videres.

Apud ſacros habes non pauca. *Pſal. 106. Aſcendunt vſque ad cælos, & deſcendunt vſque ad abyſſos, anima eorum in malis tabeſcebat. Turbati ſunt*, &c. & Iudas *in epiſtola* vocat *fluctus feri maris deſpumantes ſuas confuſiones.* Qua de re multa, & grauiter Patres. Vide Auguſtinum *lib. 14. de Ciuitate cap. 8.*

p p *Et redundat fluctus eius in conculcationem, & lutum.*] Alia eſt iuſti, alia impij perturbatio, atque æſtus: illa quidem munditiam affert, Deóque gratiſſimum nitorem, qualis eſt auri poſt fornacis examen, aut lapillorum, ſeu concharum, quos fluctus 72.

Tribulatio aliter afficit iuſtum, aliter peccatorem.

E atterunt, reddúntque ita nitentes, ac lucidos, vt ad delicias & ornatum à potentibus, & lautis hominibus exquirantur. Sanè Cicero Scipionem, & Lælium duo Romani nominis lumina, ad Caietæ littora intentos fuiſſe dicit legendis conchis, & vmbilicis. At verò ſi fluctus iidem alluant, vbi terra eſt, & limoſa materia, lutum fit, & cœnum, non tam ad vſum, & ſpeciem, quàm, quia vile eſt, ad conculcationem, & nauſeam. Vt autem mare feruens in littore cœnum relinquit, & putrida quædam eiectamenta, quæ ad aſpectum ingrata, &

odoratu grauia ſunt. ſic quæcumque in aliorum conſpectum producit impius iactatus dolorum, & turbationum æſtu, eiuſmodi ſunt, vt non poſſint eſſe non moleſta, ac vilia; quæ optimè fluctuum redundantium limus, aut lutum vocari poſſunt. Porrò *lutum* pro re viliſſima prouerbialiter ſumi videtur *Iſaiæ cap.*10.*verſ.*6. & *Zachar.cap.*10.*num.*5.

99 *Non eſt pax impijs.*] Grauiſſimũ hoc epiphonema ſatis oſtendit quid ſpectare poſſit ſceleratus, & impius, nempe nihil eorum, quæ in *pacis* nomine contineri diximus. Dum enim in viuis agit, nihil A eſt quod ſperet præter fluctus, lutum, & conculcationem, quod ſatis re ipſa experiuntur quotidie popularis auræ, & ſæcularium rerum amatores, & aucupes, quibus nullum tempus eſt ab animi, corporiſque moleſtiis atque angoribus vacuum. Quod verò iam poſt mortem immittet ſuis dignum conſiliis, niſi perpetuò horreant, non ſolùm impij, & ſcelerati, ſed etiam ſtolidi atque amentes ſunt. De impiorum pace ſeu ſecuritate falſa; multa dicuntur à Patribus. Vide quæ nuper diximus ad illud, *Et abiit vagus.*

Argumentum quinquageſimi octaui capitis Iſaiæ.

PVTABAT *Iudæorum populus ſanctè ſe viuere, quòd impoſita à Deo vel voto concepta obiiſſet ieiunia: & ideo querebatur non impendi ſibi, quæ legum cuſtodibus eſſent promiſſa. Contra hos Dominus clamare iubet prophetam, annunciaréque, quàm vanum ſit illorum ieiunium, qui tempus illud ad contentionem, & iniuriam: non ad pietatem, & religionem ſumpſiſſe videbantur. Deinde docet quale futurum ſit illud ieiunium, quod Dominus probat, atque compenſat. Quod tunc demum illos reipſa exploraturos affirmat; cùm ea præſtiterint, quorum cauſa ieiunia, & aliæ carnis moleſtiæ inſtituta ſunt.*

CAPVT LVIII.

1 [b] CLAMA, *ne ceſſes,* [c] *quaſi tuba exalta vocem tuam,* [d] *& annuncia populo meo ſcelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.*

2 [e] *Me etenim de die in diem quærunt, & ſcire vias meas volunt:* [f] *quaſi gens quæ iuſtitiam fecerit, & iudicium Dei ſui non dereliquerit:* [g] *rogant me iudicia iuſtitiæ,* [h] *appropinquare Deo volunt.*

3 [i] *Quare ieiunauimus, & non aſpexiſti: humiliauimus animas noſtras & neſciſti?* [k] *Ecce in die ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra,* [l] *& omnes debitores veſtros repetitis.*

4 [m] *Ecce ad lites, & ad contentiones ieiunatis,* [n] *& percutitis pugno impiè.* [o] *Nolite ieiunare ſicut vſque ad hanc diem,* [p] *vt*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 CLAMA quàm potes acri atque continenti voce, quæ ad inſtar tubæ aliquid ſonat vehemens, & acutum; & populo, qui ſibi iuſtitiæ, ac pietatis laudem arrogat, eóque nomine, quòd pacem aſſecutus non ſit, mecum expoſtulat, enumeratis eius peccatis impietatem exprobra; domui inquam, Iacob, quam populum appello meum, exprobra peccata, quámque longè abſint ab omni iuſtitia, edoce.

2 A me enim quotidie ſuboffenſi quærunt, & quid in me animi atque conſilij ſit, ſcire deſiderant: cùm parum conſtanter obligatam fidem liberare videar. Quaſi ipſi iuſti ſint, & quæ à Deo accepere, mandata ſeruauerint. Abeſſe à me putant iudicia æqua, & ea de re iudicio mecum diſceptare volunt.

3 Quare, inquiunt, ieiunio corpus exhauſimus, neque tamen nos tuo dignatus es aſpectu? Et cùm ad ieiunia alias etiam corporum moleſtias adderemus, illa tamen neque probare viſus es, imò neque noſſe, cùm nullum abs te illorum fructum habeamus? Hæc illi. Sed putant ſtolidi me externa capi, atque fucata religionis ſpecie; Ad quos ego: In ieiuniis veſtris veſtrà vobis quæritur voluntas, non mea; veſtra vos commoda & priuata conſilia magis trahunt, quàm religionis ſtudium; tunc enim contrà, quàm à me præceptum eſt, iudicio vrgetis ſeuero, & inhumano debitores, qui ſoluendo non ſunt.

4 Ecce tempus ieiunio deſtinatum ſic obitis, vt non tam illud ad placandum Deum ciborum abſtinentia, quàm ad contentionem, & rixas, & inſligen

inſligendos colaphos miſerorum maxillis conceſſum eſſe videatur. Nolite ieiunare ſicut ad hanc diem, ſi vultis, vt clamor veſter, & preces, quæ de more comitantur ieiunia, audiantur in cœlo, exorentque ibi, quod precantur à Deo.

5 Numquid illud à vobis ieiunium exigo, quod nihil habet ſolidæ, atque internæ, ſed tantùm fucatæ ſanctitatis ſpeciem? Numquid vt corpus maceretis inedia, & vos ipſos externa tãtùm cæremonia affligatis? Numquid vt in circuli formam caput flexili ceruicis inclinatione curuetis, vt induti ſacco, & aſperſi cinere in ſordibus eſſe atque ſquallore ſignificetis? Numquid hoc mihi ieiunium probare vultis? Numquid hunc diem acceptum mihi fore exiſtimatis?

6 Hoc mihi ieiunium gratum, & acceptum eſt. Diſſolue pactiones, quas iniquè contraxiſti: rumpe chirographa, quibus tibi à debitore cautum eſt: neque deprimas illos, qui licèt à te legitimè debitum contraxerint, ſoluendo tamen non ſunt: liberos, & ſecuros eſſe iube eos, quibus anguſta eſt, & afflicta fortuna; onus denique, quod fractis iam viribus ſuſtinere non poſſunt, à miſerorum ceruicibus excute.

7 Neque tantùm tibi à ſcelere abſtinendum ieiunij tempore, ſed etiam pietati aliquid impendendum eſt. Quare fac vt eſurienti de cibo, peregrino de hoſpitio, & nudo de veſtimento prouideas: & ſicut carnem tuam foues, neque illam deſpicis, ſic aliorum carnem, quam habere debes pro tua, ne deſpicias.

8 Tunc verò orietur tibi, qui hactenus morabaris in tenebris, matutina lux; & ſanitas ægro animo, atque etiam debilitato corpori quantocyus adueniet, & illa iuſtitiæ pars, quæ eſt à miſericordia, antecedet te, parabitque viam ad omnem felicem exitum expeditam, facémque præferet, ne vnquam offendas: ac denique gloria Dei in Beatorum te ſocietatem admittet.

9 Cùm verò te in ieiunãdo ſic geſſeris, exaudiet te Dominus imploratus; quod in alio ieiunio ambitioſo, & crudeli expertus non es. Cùm clamaueris, ſtatim à propitio, & liberali Domino audies; En præſto ſum: tunc, inquam, adeſſe tibi ſe Dominus dicet, quando ſyngrapharum faſciculos, quæ miſerorum catena ſunt, abieceris; cùm iraſci, aut diſceptare, extentóque digito aliis terrorem & minas intendere deſieris; ac tandem verba, quæ aliis contumelioſa ſunt, & grauia, tibi verò nullo modo vtilia, longè abire iuſſeris.

10 Cùm ſeriò, atque ex animo eſurientes, & pauperes fame, atque neceſſitate leuaueris, ſplẽdebit tibi in tenebris noua lux, ſplendor, inquam, tibi orietur meridiana luce longè clarior.

11 Tunc habebis à Deo illã quietem, quam nulla turbabit temporum iniuria, aut hoſtium vis; & emerſa ex ignorantiæ atque tribula-

[p] vt audiatur in excelſo clamor veſter.

5 [q] *Numquid tale eſt ieiunium, quod elegi, per diem affligere hominem animam ſuam?* [r] *Numquid contorquere quaſi circulum caput ſuum, & ſaccum & cinerem ſternere? Numquid iſtud vocabis ieiunium, & diem acceptabilem Domino?*

6 [ſ] *Nónne hoc eſt magis ieiunium, quod elegi?* [t] *Diſſolue colligationes impietatis:* [v] *ſolue faſciculos deprimentes,* [x] *dimitte eos qui confracti ſunt liberos,* [y] *& omne onus dirumpe.*

7 [z] *Frange eſurienti panem tuum, & egenos, vagóſque induc in domum tuam: Cùm videris nudum, operi eum,* [a a] *& carnem tuam ne deſpexeris.*

8 [b b] *Tunc erumpet quaſi mane lumen tuum,* [c c] *& ſanitas tua citiùs orietur,* [d d] *& anteibit faciem tuam iuſtitia tua,* [e e] *& gloria Domini colliget te.*

9 [f f] *Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet te: clamabis, & dicet: Ecce adſum.* [g g] *Si abſtuleris de medio tui catenam,* [h h] *& deſieris extendere digitum,* [i i] *& loqui quod non prodeſt.*

10 [k k] *Cùm effuderis eſurienti animam tuam,* [l l] *& animam afflictam repleueris:* [m m] *orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt ſicut meridies.*

11 [n n] *Et requiem tibi dabit Dominus ſemper,* [o o] *& implebit ſplendoribus animam tuam,* [p p] *& oſſa tua liberabit,* [q q] *& eris*

quaſi hortus irriguus, [tt] *& ſicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ.*

tionum tenebris anima tua, ſplendoribus implebitur latè fulgentibus; & oſſa contrita, atque humiliata ſub alieno iugo, aut quæ tanquam mortua incluſa iam videbantur in tumulo, in vitam, & lucem, quaſi rediuiua reſtituentur. Eris autem tunc ſicut hortus irriguus, cui penè naturalis eſt, & propria viriditas, & ſicut fons, cui iugis aqua nunquam deficiet.

12 [ff] *Et ædificabuntur in te deſerta ſeculorum: fundamenta generationis, & generationis ſuſcitabis:* [tt] *& vocaberis ædificator ſepium, auertens ſemitas in quietē.*

12 Ædificabuntur iterum, quæ longo iam tempore collapſa, atque deſerta fuerant: & quæ multis antè ſæculis conſtruxere maiores, poſt diuturnam ruinam, & ſolitudinem rurſus inſtaurabuntur. Tunc verò plantabis vineas, & ſepe circundabis, auertes ſemitas, ne vllus viatori, ac furi aditus pateat, quò tua tibi poſſeſſione pacificè perfrui, atque quietè liceat.

13 [vv] *Si auerteris à ſabbato pedem tuum,* [xx] *facere voluntatem tuam in die ſancto meo,* [yy] *&* [ddd] *vocaueris ſabbatum delicatum, & ſanctum Domini glorioſum; & glorificaueris eum,* [zz] *dum non facis vias tuas; & non inuenitur voluntas tua,* [aaa] *vt loquaris ſermonem.*

13 Si ſabbatum ita cuſtodieris, vt non eo die pedibus plus ſpacij conficias, quàm religio permittit: & ab his abſtinueris, quæ vt in die ſancto meo audeas, tua tibi immoderata ſuadet voluntas; ſi in deliciis habeas, quod ad ſabbati religionem lex ipſa poſtulat: & ſatis tibi glorioſum eſſe ducas, ſi in ſabbato, quod ſanctum Domino, & ipſi conſecratum eſt, diuini nominis gloriæ, ac ſanctitati ſtudeas. Quod tunc feciſſe exiſtimaberis, cùm non tua te, ſed diuina moderabitur voluntas; & cùm à noxio te, atque inutili ſermone temperaueris.

14 [bbb] *Tunc delectaberis ſuper Domino,* [ccc] *& ſuſtollā te ſuper altitudines terræ, & cibabo te hæreditate Iacob patris tui. Os enim Domini locutum eſt.*

14 Tunc experiēre fidelem eſſe Deum, & in te completa eſſe diuina promiſſa delectaberis. Eleuabo etenim te in terram ſublimem, & fructuum abundantia, ac bonitate nobilem: & in ea hæreditate paſcam te, quam parenti olim tuo Iſraeli largitus ſum: nec fallet hæc promiſſio, quia non ab humano, ſed à diuino ore profecta eſt.

IN CAPVT QVINQVAGESIMVM OCTAVVM COMMENTARIVS.

1. [a] CLAMA *ne ceſſes: & quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo ſcelera eorum.*] Caput hoc difficile non eſt, modò ſtatuamus ad quod Iudæorum tempus ſpectet hic ſermo propheticus. Quidam ſpectari putant tempus, quod Chriſti antecellit aduentum, id eſt, tēpus Babylonicum, in quo Iudæi querebantur fruſtra ſibi fuiſſe ſuſcepta tot ieiunia, & opera quibus placari Deus poterat, & eſſe benignior. Ita S. Thomas ad illud *num.* 12. *Et ædificabūtur*: Et Foreirus, qui tantùm dicit poſſe hæc aptiſſimè referri ad ea tempora, quæ aduentum Domini præceſſerunt. Cui ſententiæ non parum fauet Zacharias *cap* 7. Vbi non obſcurè docet hæc pertinere ad Iudæos qui captiuitatem anteceſſere. Nam eo capite hæc omnia penè repetit, & dicit prædicta fuiſſe eorum parentibus, quibus quia au-

A dientes non fuerunt, captiui abducti ſunt & variis incommodis implicati. Ac tandem docet quænam ſint accepta Deo ieiunia, repetitque *cap.* 7. *&* 8. plurimaque hîc Iſaias.

Alij frequentes hæc ad Eccleſiam referunt, Euangelicámque tubam, quorum ego ſententiam ita probo, ac laudo, vt tamen locum eſſe putem priori. Quare commētationem huius capitis ad vtramque ſententiam attemperabo: ad priorem quidem hiſtoricè; ad poſteriorem verò allegoricè, ac myſticè, quod aliis à me locis factum eſt. 2.

In præcedenti capite non omnibus Deus pacem, libertatémque promiſerat; ſed iis, qui ex magno Iudæorum numero deteſtati vitam ſuperiorem illam ſceleratè fuiſſe traductam ingemiſcerent. Quocirca concluſit totum caput his verbis. *Non eſt pax impiis, dicit Dominus.* Quia verò Iudæi impie- 3.

tatis

tatis nomen à ſe longè abeſſe exiſtimabant, quia æternum Deo exhibebant, &, vt ipſi putabant, religioſum, & non ingratum cultum: querebantur, quòd cùm pij eſſent, lugeréntque quotidie, & animas humiliarent ſuas, atque aſſiduis ſe ieiuniis, aliiſque corporis moleſtiis macerarent, Deus tamen neque reddidiſſet pacem, neque ad eorum religioſa opera reſpexiſſet. Quæ priùs de captiuis apud Babylonios, deinde de tempore Euangelicæ prædicationis interpretor.

4. Ieiunaſſe Iudæos poſt eaciſam vrbem à Nabuchodonoſor, docet illa legatio, quæ facta eſt *Zacharia cap. 7.* Vbi quæſitum eſt, an inſtaurata vrbe producendum eſſet vltrà ieiunium voto conceptũ propter ciuitatis excidium. In quem locum multa diximus de Iudæorum ieiuniis, docuimúſque plura eo tempore obiiſſe ieiunia, quàm nunquam antea. Cùm ieiunium quarti, & ieiunium quinti, & ieiunium ſeptimi, & ieiunium decimi propter varia ciuitatis incommoda inducta fuerint, vt notauimus *ad cap. 8. Zacharia num. 37.* Cùm verò Iudæis ieiunantibus, nihilo tamen minùs protraheretur Babylonica ſeruitus, ſua illa ieiunia, & cæteras corporis, animíque moleſtias opponunt Deo, tanquam parum fideli, & grato, & ſuorum promiſſorum immemori. Quibus Deus reſpondet idem omnino, quod Zacharias *cap. 7.* fruſtra eſſe illa ieiunia ſuſcepta, quæ non tam pietatis ergo, quàm vaniſſimæ cuiuſdam oſtentationis gratia obierunt.

Iudæorum plura ieiunia poſt deletam vrbé.

5. Si hæc referas ad Euangelij tempus, eadem eſt, aut parum diuerſa ratio. Nam eo etiam tempore Iudæi à Romanis rerum dominis grauia patiebantur incommoda erepta penè libertate, & immanibus oppreſſi vectigalibus. Quòd ſi hæc ad id conferantur temporis, quod conſecutum eſt non ſolùm interitum ciuitatis, ac templi, ſed penè Iudaici nominis, multò grauiora paſſi ſunt, non ſolùm ingenuis, & liberis, ſed captiuis etiam hominibus indigniſſima. Qui tamen in vtraque fortuna, neque ieiunia, neque animarum ſuarum afflictionem omiſerunt, vt docuimus ad illud *Actor. 27.* *Eò quòd ieiunium iam præteriiſſet.* Et probat Phariſæus ille, qui inani oſtentatione venditabat bis ſe in ſabbato ieiunare ſolitum. Quod etiam nunc veteris diſciplinæ tenaciſſimi faciunt, neque meliori mente, neque ambitione minùs putida. His ergo optimè, quò ſuam fidem & promiſſa tueatur Deus, illa obiicit meritiſſimò, quæ aliis; qui non alio conſilio apud Babylonios antè ieiunarant.

6. [b] *Clama ne ceſſes.*] Hebr. *Clama in gutture, ne prohibeas, aut parcas.* L x x. *clama in fortitudine, & ne parcas*; quam tamen vim totam aſſecutus eſt, & expreſſit optimè noſter interpres. Nam verbum קרא *kara*, mitius aliquid atque languidius ſonat, nempe *vocare* ſeu *inuitare*; ſed *clamare*, vt conſtat, omnem vocis, & ſpiritus contentionem importat. *Vocare* autem ſeu *inuitare*, aut *loqui in gutture* non eſt vtcumque vocare aut loqui, ſed eniti quantum quis poteſt, ſpiritu, vocéque contendere, ſicuti aduocare ſolemus illos, qui longè ſunt, & ad quos figurata, & dearticulata vox peruenire non poteſt.

7. Aliqui vocem illam *guttur* per pleonaſmum additam eſſe cenſent Hebraico textui. Quo enim alio inſtrumento quis clamet quàm gutturis? Sed ſanè hinc meo iudicio procul abeſt pleonaſmus. Tum quia Hebraica vox קרא *kara*, *vocare* potiùs valet quàm *clamare*; neque clamoris vis, atque contentio ſatis eſſet expreſſa, niſi voci non adeò ſonanti additum eſſet gutturis nomen, in quo non

A tam formatur, aut fingitur vox, quàm ſonus acutior immoderatè, quàm longiſſimè funditur; quod per clamorem expreſſit noſter interpres. Deinde quia ex vſu Scripturæ & Hebraici ſermonis idiomate cum epitaſi non vulgari additur ſæpiſſimè inſtrumentum neceſſarium. Vbi verè epitaſis eſt, víſque orationis maior, non eſt pleonaſmo locus, qui otioſum aliquid ſonat. Exempla multa adduximus ad illud *Cant. 1. Oſculetur me oſculo oris ſui.* Qua figura dicitur ſæpe, *Voce mea clamaui. Incenderunt igne ſanctuarium.* & *Aperuit os ſuum & dixit.* & eius generis quamplurima alia.

8. [c] *Quaſi tuba.*] Hoc proprium eſt *clamare*, tubarum inſtar vocem fundere acrem quidem, & ſonantem, informem tamen, & immoderatè profuſam, qualis eſt tubarum clangor. Sed roget quis, ſi tubarum in modum vocem propheta fundit, quod munus eſt gutturis, neque diſtinguit, ac format quod proprium eſt linguæ, palati, labiorum, ac dentium adminiculo, quomodo annunciare poteſt domui Iacob peccata, quod neque guttur præſtare poteſt, neque tuba, cùm vtrumque confuſo, atque informi ſono verba non fingat, & exprimat, ſed opprimat atque confundat. Duobus modis occurri poteſt huic obiectioni, alter eſt ſumptus ex omnium penè Gentium conſuetudine, quæ cùm aliquid publicè, atque legitimè edicere, aut annunciare volunt, præmittunt ad parandam attentionem C populi tubæ clangorem, quem deinde ſequitur præconis vox. Quod inter Hebræos olim vſitatum eſſe veriſimile eſt, ex illo Oſeæ *cap. 8. In gutture tuo ſit tuba.* Et multò magis *Matth. cap. 6.* Vbi Chriſtus indicat ad excitandum populum adhiberi ſolitum tubarum cantum, idque prouerbiali figura, quæ plerumque ab eo ſumitur, quod frequenter fit: ſic enim ibi. Cùm facis eleemoſynam noli ante te tuba canere, quod hypocritæ faciunt in ſynagogis, & vicis, vt honorificentur ab omnibus. Credo hæc à præconum conſuetudine ſumi, nam illi in vicis, & compitis, & ſynagogis, id eſt, hominum conuentibus publica edicta, & merces venales hominibus euulgant.

Prouerbi.

9. Quòd ſi tuba Hebræis in illum vſum non fuit, D neque enim quicquam affirmare audeo, cùm res ſit obſcura: tamen id vſus fert communis omnium Gentium, vt cùm ad eos, qui procul abſunt, nobis aliquid negotij eſt, priùs illos voce quidem clara, & quantum fieri poteſt ſonanti excitemus, deinde noſtram illi cogitationem, aut mandata aperiamus. Hoc ergo videtur in mandatis datum eſſe Iſaiæ, vt aduocet populum, qui procul aberat, voce, quæ à gutture funditur informis, deinde eidem populo voce magis formata, & ſignificante peccata obiiciat, exprobrétque.

10. Alter modus magis expeditus & facilis, quique mihi multò probatur magis, eſt comparationem hic fieri vocis propheticæ, cum tubæ clangore, E non quidem in ſono à lingua formato, ſiue informi, ſed in ſono acuto vehementérque ad audiendum contento. Ita vt iubeat Deus prophetæ vt clamet quantum lateribus, voce, ac ſpiritu contendere potuerit.

11. [d] *Et annuncia populo meo ſcelera eorum, & domui Iacob.*] Ad hæc paratur attentio voce immoderate contenta, vt populo denuncientur, atque exprobrentur peccata. Quòd hæc ad Iudæos ſpectent, oſtendit domus Iacob, cui hæc à propheta denunciantur.

Ex hoc loco, atque aliis, quæ in eandem ſen- Qualis viri

 tentiam

Apoſtolici vox, & oratio.

tentiam occurrunt paſſim in Scriptura, colligunt Patres quàm ſollicitè, quàm aſſiduè, & grauiter debeant illi, quibus docendi negotium datum eſt, in eam curam incumbere, vt tota ſpiritus contentione clament, hominéſque, & ſui officij admoneant, & peccati arguant. Vox autem Apoſtolici viri tubæ inſtar horrificum clamare, & quaſi claſſicum inſonare potiùs debet, quàm dulce aliquid, & blandum inſuſurrare curioſis, & delicatis auribus: aut nimis molliter prurientibus indulgere leues numeros, aut muſicam harmoniam. Qua de re vide quid Patres dicant ad illud Ezechielis *Speculatorem dedi te.* Vide etiam Auguſtinum *ſerm. 67. de tempore.* Sed non omittam, quæ idem ſcribit *ſerm. 106. Non oportet, inquit, vt ſacerdotes in Eccleſia taceant, ſed audiant Dominum dicentem, clama, ne ceſſes: quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo ſcelera eorum. Clamare ergo iubentur, & vehementer clamare: ne parcas, inquit, peccatorū ſcilicet iniquitati, ne tacendo parcas: ne dum peccatoris verecundia conſulis, parum conſulas ſanitati: neve vulnera, quæ reſecare poteras clamando, reticendo in peius enutrias. Ne quem ergo vox ſacerdotis lateat, iubemur vehementer clamare; & ne fortè hoc ipſum ne ſufficeret, addit, ſicut tuba exalta vocem tuam. Scitis quia tuba non tam oblectationis eſſe ſoleat, quàm terroris; non tam delectationem præferre, quam inferre formidinem.* Vide totum ſermonem, qui inſtar tubæ concutit ſacerdotum animos, ſuique muneris, & periculi admonet. Sed nunc proh dolor, & pudor à pleriſque ſermo non tam ad arma, ſpiritualémque congreſſum cum vitiis & concupiſcentiis, quàm ad inanem voluptatem, & popularem plauſum concinnatur.

12. [e] *Me etenim de die in diem quærunt, & ſcire vias meas volunt.*] Hæc omnes penè interpretes de ſtudio Iudæorum accipiunt, quo vel ex Scripturis ſacris, quas ſingulis ſabbatis in ſynagogis legunt, vel aliis etiam modis Dei voluntatem, atque conſilia aſſiduè, &, vt ipſi putant, ſanctè, & religioſè inueſtigabant. Cùm tamen illorum mores longè ab omni ſanctitate, & religione recederent. Nam externa legis profeſſione côtenti, qua ſe Deo appropinquare, id eſt, familiares, & gratos eſſe arbitrabantur, in fœdiſſima vitia, Deíque voluntati maximè contraria audaciſſimè, atque impudentiſſimè rapiebantur. Quibus per prophetam oſtendit, quàm illis parum proſit externa illa, atque fucata ſanctitas, quam non ſatis à Deo compenſatam, immò neque ſpectatam eſſe queruntur, ac dolent. Quam ego expoſitionem, vt fas eſt, amplector, & veneror; quia & ipſa per ſe non difficilis, & illuſtrium interpretum auctoritate firmatur. Sed occurrit mihi alia, vt reor, non difficilis, neque extorta à filo, textúque capitis, quam non tam alicui perſuadeo, quàm cuilibet examinandam propono.

13. *Cap. 1. verſ. 16.* his qui ſanctè, ac iuſtè vitam inſtituiſſent, diuiníſque obſequerentur iudiciis, atque mandatis, omnia ſecunda, atque tranquilla Deus fuerat pollicitus. Cui promiſſioni ſi quando deeſſet obligata fides, argui ſe infidelitatis Deus ipſe voluit. *Lauamini*, inquit, *mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis: quieſcite agere peruersè, diſcite benefacere, quærite iudiciū, ſubuenite oppreſſo, iudicate pupillum, defendite viduam, & venite, & arguite me, dicit Dominus; ſi fuerint peccata veſtra, vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur*, &c. *ſi volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis*, &c. Sanctos ſe putabant iſti Iudæi, & mendaci opinione ſibi illa omnia ineſſe arbitrabantur, quæ à Domino tunc imperata fuerant; licèt ieiunij, animarúmque afflictionis tantùm meminerint. Quare cùm premi ſe viderent variis incommodis, & ab hoſte potentiori extrema ferme pati, & vſque adeò abeſſe, vt bona terræ comederent, quod ſuæ ſanctitati deberi putabant, vt potiùs apud hoſtes eô eſſent redacti, vt eorum pellis exuſta foret ſicut clibanus à facie tempeſtatum famis *Thren. cap. 5.* & paruulos in ſuarum matrum ſinu fames extingueret, vocabant in iudicium Deum, ſicut ipſe permiſerat, eiúſque fidem inconſtantiæ, atque leuitatis arguebant. Quam vt Deus ab omni ſuſpicione liberaret, annunciari iubet à propheta Iudæorum ſcelera, vt inde cognoſcant immeritò diuinam promiſſionem infidelitatis accuſari, cùm ipſi longè fuerint ab illis meritis, quibus ſuperior illa felicitas promiſſa fuit. Quæ merita hoc capite ſigillatim enumerat: & omnino ab ipſis violata eſſe prophetico clamore docet, & denunciat. In hanc explicationem inclinat Cyrillus, dum ait Deum à Iudæis in ius vocari. Et Dionyſius infrà ad illud, *Et appropinquare Deo volunt.* Ad poſteriorem hanc explicationem ſingula iam accommodo.

14. *Me etenim de die in diem quærunt.*] Quærunt quotidie quid ego promiſerim, vt inde me ad examen, & iudicium vocent, ſeu certè interrogant me. Nam verbum דרש *daras*, pro quo vulgatus *quærunt*, id valet quod apud Latinos *quæro*, nempe inueſtigare aut interrogare. Hîc ego in poſteriori ſignificatione ſumo, quod idem omnino aut perſuadet, aut monet interrogatio illa, de qua ſtatim; *quare ieiunauimus, & non aſpexiſti?* Quæ interrogatio cum quadam offenſione, aut accuſatione videtur facta, tanquam profecta ab illorum animis; qui cùm multa ſibi deberi putent, nihil tamen acceperint à debitore. Quam interrogationem, ſeu querelam, qui ſe iuſtos eſſe credunt, de die in diem, id eſt, ſingulis diebus ingeminant.

15. *Et ſcire vias meas volunt.*] *Viæ Dei* conſilia Dei ſunt, aut agendi formæ, quas ſcire & examinare cupiebant illi, qui facta ſua, in quibus ſibi valde placebant à Deo reſpici, aut certè non eſſe remunerata querebantur, quaſi in illis aliquid eſſet quod improbarent.

16. [f] *Quaſi Gens, quæ iuſtitiam fecerit; & iudicium Dei ſui non dereliquerit.*] Retorquet Deus crimen in Iudæos, quod in Deo hærere ipſi impia & ſacrilega cogitatione mentiebantur. Nam iniuſtum, & infidelem Deum exiſtimabant & criminabantur. Deus verò illos eſſe potiùs iniuſtos, & infideles redarguit. *Iniuſtos* quidem illis verbis. *Quaſi gens quæ iuſtitiam fecerit.* Ac ſi dicat. ipſi potiùs iniuſti ſunt, qui non fecere iuſtitiam. *Infideles* verò, quia iudicia Dei ſui dereliquerunt, quæ ſibi futura eſſe curæ ac religioni, ſolemni, atque legitima profeſſione promiſerant *Exod. cap. 19. verſ. 8.* Eſt autem ſtolidi, atque impudentis animi ea alteri obiicere, quæ à ſe ipſo depellere non poſſit. Simili ferme dicendi, aut redarguitionis formula vſus eſt Deus in eandem Gentem *Ezechiel. cap. 18. verſ. 24. Et dixiſtis Non eſt æqua via Domini. Audite ergo domus Iſrael, Nunquid via mea non eſt æqua; & non magis viæ veſtræ prauæ ſunt?* Qui locus non parum huic explicationi fauet, præſertim quia ad idem tempus ſpectat ad quod præſens Iſaiæ ſermo, nempe ad illud, quod in captiuitate Babylonica poſuerunt Iudæi.

[g] *Rogant me iudicia iuſtitiæ.*] Hinc apparet, quo ſenſu accipiendum ſit illud de quo nuper. *Me etenim de die in diem quærunt.* nempe rogant, ídque non

non ſine offenſione, ac querela, quaſi in Deo iuſta deſiderent iudicia.

17. *Appropinquo verbum iudiciale.* [h] *Et appropinquare Deo volunt.*] Vt ab aliis cõmunitet hæc vſurpentur diximus. *Appropinquare Deo,* nihil aliud eſt, quàm Deo eſſe familiarem propter vitæ ſanctitatem, atque munditiem. Quem ego ſenſum & amplector, & ſuſpicio, ſicut etiam totam ſuperiorem ſententiam. Sed puto hæc plurimùm fauere poſteriori, id eſt, noſtræ cogitationi. Nam verbum קרב *karab*, ita appropinquare ſignificat, vt non ſolùm propinquitatem indicet, quæ ab amore, ſeu cognatione, ſed illam quoque quæ ab odio, ſeu offenſione naſcitur. Neque enim ſolùm appropinquant ſibi amici, vt mutuò ſe amplexentur, aut coniunctè viuant, ſed etiam hoſtes, vt ſe mutuò ſternant conſertis manibus, & lacertis, aut ſe cominus pugnando ferro conficiant. Quo modo *Pſal.* 94. vocem קוט *kut*, vulgatus reddidit, *proximus fui generationi huic.* Paulus verò *ad Hebræos* 3. *infenſus fui*: quia vt quis alteri aut officiat, aut faueat, proximus eſſe debet. Quo ſenſu dixit Virgilius *Æneid.*

——*Nec Teucris addita Iuno*
Vſquam aberit. nempe vt aduerſetur.

Pertinere autem hoc verbum ad iudicium ipſe docuit Iſaias *cap.* 41. *verſ.* 1. *Simul ad iudicium appropinquemus.* Et *Malach.* 3. *verſ.* 5. *Accedam ad vos in iudicio, & ero teſtis velox.* Vtroque loco eſt verbum קרב *karab*, quod aliquid etiam ſignificat odioſum, & infenſum, nempe quod à bello eſt, & hoſtili manu. *Pſal.* 27. *verſ.* 2. *Dum appropriant ſuper me nocentes, vt edant carnes meas.* Communiter interpretes, *dum pugnant.* ab eadem radice eſt קרב *kerab*, quod *bellum* ſignificat. Iuxta hæc ſenſus erit. Hi legitimo volunt mecum iudicio contendere, & me manu, aut iure conſertum ad iudicium vocare. Ita penè Montanus, & planè Dionyſius, qui ſic exponit. *Iudæi Deo appropinquare volebant in foro iudiciali allegando ſuam iuſtitiam.* Quod etiam ſenſiſſe alios dicit Mercerus apud Pagninum in voce קרב *karab*, quos tamen non nominat.

18. Quod ad genus loquendi obſerua, pro *de die in diem*, Hebr. eſſe *diem diem.* Quæ geminatio diſtributionem ſonat, ac ſi dicat, *ſingulis diebus.* Deinde vbi noſter interpres, *Me etenim de die in diem quærunt.* Hebr. eſſe *& me de die*, &c. Quod optimè tranſlatum eſt à vulgato. Nam & non ſemper coniungit, ſed aliquando rationem reddit ex vſu idiomatis Hebraici, vt diximus *cap.* 23. *num.* 47.

19. [i] *Quare ieiunauimus & non aſpexiſti? humiliauimus animas noſtras, & neſciſti?*] Hæc Iudæorum querela eſt; hæc accuſationis materia, quòd Deus tam in promittendo liberalis ad eorum merita, id eſt, ad ieiunia, & animarum humilitatem non reſpexerit. Ieiunarunt autem Iudæi, vel ante captiuitatem, cùm ciuitas anguſtè premeretur à Chaldæis, vel in exilio, cùm externo illo ieiunio & afflictione placari poſſe exiſtimabant iratum Deum, & redditurum, quod piis hominum ſtudiis antè promiſerat. Vtriſque hic idoneam, dignámque reſponſionem reddit Deus per Iſaiam, & poſtea per Zachariam *cap.* 7. & 8.

20. *Aſpicere, aut ſcire idē eſt quod fauere, aut probare.* Quid ſit *Deum aliquid non aſpicere*, aut *ignorare*, diximus *cap.* 7. *Actuum, num.* 59. Nempe illa dici ignota Deo, quæ Deus non probat, neque ad alicuius deſiderium audit. Qua ratione ad fatuas virgines dixit Deus *Matth. cap.* 25. *Neſcio vos.* Et de quodam Rege Ægyptiorum dicitur, quòd *non ſciebat Ioſeph*, id eſt, nihili faciebat Ioſeph nomen, neque oblatum ab illo beneficium. Sicut contrà *ſcire*, aut *cognoſcere* eſt probare, & fauere, aut curare aliorum res. *Pſal.* 36. *Nouit Dominus viam immaculatorum.* *Amos cap.* 3. *Tantùm cognoui vos ex omnibus Gentibus terræ.* Vt autem *reſpicere* dicitur Deus illos quorum votis annuit, ſic *non reſpicere* erit, aliquorum preces, & vota contemnere.

In hac clauſula credo eandem eſſe ſententiam iteratam, tamen non ſine epitaſi. Nam ieiunium pro Hebræorum conſuetudine, & ex ea nato ſermonis idiomate variis modis exprimitur. Dicitur enim *luctus*, vel *fletus.* *Zachariæ cap.* 7. cùm legati ad ſacerdotes miſſi de ieiunio rogarent, dixerunt *Nunquid flendum eſt mihi menſe quinto.* Dicitur etiam *triſtitia*, ſicut ieiunantes dicuntur *triſtes.* *Malach* 3. Vbi Iudæi eadem ferme ſentiunt, dicúntque de Deo, quæ nunc apud Iſaiam, & eodem ferme modo à Deo reprehenduntur. *Dixiſtis*, inquit Deus, *vanus eſt qui ſeruit Deo: & quod emolumentum quia cuſtodiuimus præcepta eius, & quia ambulauimus triſtes coram Domino.* Sed frequentiùs dicitur *afflictio*, ſeu *humiliatio animarum*, ſicut hoc loco, & *Leuit. cap.* 16. vbi ieiunium expiationis indicitur. *Menſe ſeptimo, decimo die menſis affligetis animas veſtras.* Idem repetitur *ca.* 13 *num.* 29. & alibi ſæpe. Vtrumque coniunxit Dauid *Pſal.* 34. *Humiliabam in ieiunio animam meam.* Ex quibus non obſcurè conſtat quid maximè ſpectare in ieiunio debeamus, nempe vt afflicto, & per inediam macerato corpore, anima ſuo quoque modo maceretur, & langueat, deponat faſtum ambitioſum, tumorem abiciat ſuperbiæ, peccata lugeat, neque minùs abſtineat ab indebitis voluptatibus, & deliciis, quàm corpus à cibo. 21. *Ieiunij varia nomina.*

Suſpicor autem apud Hebræos olim cum ieiunio coniunctum eſſe cilicium, & cinerem, & ſi quid aliud eſt, quod corpus maceret, & affligat. Vnde fortaſſe ortum vt ieiunium dicatur *afflictio*, ſeu *humiliatio* ab adiuncta aſperitate cilicij. Quod docent omnia ferme loca, in quibus auditur in Scriptura *ieiunij* nomen. *Ionæ cap.* 3. *verſ.* 5. *Crediderunt viri Niniuitæ in Deum, & prædicauerunt ieiunium, & veſtiti ſunt ſaccis à maiori, vſque ad minorem.* Idem dicitur de ieiunio Iudith *cap.* 8. *verſ.* 6. & Eſther *cap.* 4. *verſ.* 3. & Achab 3. *Reg.* 21. In quo forma quædam videtur proponi eius ieiunij, ſeu humiliationis, quæ hoc loco videntur obiiſſe Iudæi, ſic enim ibi de humiliato Achab. *Scidit veſtimenta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam, ieiunauitque & dormiuit in ſacco, & ambulauit demiſſo capite.* Hæc verò omnia humiliationis nomine complexus eſt Dominus, cùm ibidem dixit ad Eliam. *Non vidiſti humiliatum Achab coram me?* Quæ omnia in hoc Iudæorum ieiunio inuenta eſſe ſtatim oſtenditur, quaſi hæc ſit Iudaici ieiunij vſitata forma *Nunquid contorquere quaſi circulum caput ſuum, & ſaccum, & cinerem ſternere, nunquid iſtud vocabis ieiunium.* 22. *Iudæorū ieiunium cõiunctū cum cilicio, & cinere.*

23. Obſeruandum hîc quod alibi dictum eſt à me *cap.* 42. *num.* 4. perſonam aliquam aut certè rationis experta animal ſolere in Scriptura quàm ſæpiſſimè per *animam* circumſcribi, ita vt anima hominis idem ſit quod *homo*; anima mea idem quod *ego*, ſic etiam hoc loco, *humiliauimus animas noſtras* idem eſt, quod humiliauimus nos.

24. *Voluntas propria quid.* [k] *Ecce in die ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra.*] Duas voluntates attribuit hominibus ſcriptura, alteram, quæ non tam id amat, & curat, quod carni placet, & humanam intuetur commoditatem

moditatem, quàm quod Deo gratum eſſe audit. Et hæc vocatur *Dei voluntas*; quam ſæpe commendat Paulus, neque quicquam auditur apud illum frequentiùs. Alteram quæ affectibus trahitur immoderatis, ſuóque potiùs arbitratu, ſeu libidine, quàm diuino conſilio, & voluntate ducitur; vt cùm quis auaritiæ ſtudet, ambitioni ſeruit, ad vindictam æſtuat. Et hæc *voluntas* dicitur *carnis*, ſeu *voluntas propria*, de qua Paulus *ad Epheſ. cap. 2. Aliquando conuerſati ſumus in deſiderijs carnis noſtræ facientes voluntatem carnis, & cogitationum*. Cùm ergo ieiunium voluntati carnis, quæ ad omnia pertrahit vitia, repugnare debeat, ſi modò ſanctè, ac legitimè obeundum eſt; ſicut carni contrarium eſt, quam inedia debilitat, & cilicio operit, & aſpergit cinere, ſic etiam alijs carnis affectionibus contrarium eſſe debet. Quare niſi iracundiam teneat, cohibeat auaritiam, frænet libidinem, & ambitionem moderetur, adhuc in ciborum abſtinentia voluntas carnis reperitur: quæ hîc appellatur *Voluntas veſtra*. Præſertim ſi huc ieiunium aliquid ſpectet, quod foueat potiùs vitia, quàm extinguat: vt ſi gloriam captet apud homines, aut gulæ ſubtrahat, quod impendat luxuriæ, contentioni, ac ludo. De quo ieiunio plurima, atque grauiſſima Patres. Auguſtinus hoc ieiunium, quod Iſaias commendat, ieiunium magnum, & generale vocat, *tract. 17. ſuper Ioannem. Ieiunium magnum, & generale eſt abſtinere ab iniquitatibus, & illicitis voluptatibus ſæculi, quod eſt perfectum ieiunium*. Et Leo Papa de ieiunio ſeptimi menſis, *Non in ſola abſtinentia cibi ſtat noſtri ſumma ieiunij: haud fructuosè corpori eſca ſubtrahitur, niſi mens ab iniquitate reuocetur, & ab obtrectationibus lingua cohibeatur*. Bernardus hæc eadem eleganter, & fusè *ſermon. 38. Si ſola gula peccauit, ſola ieiunet, & ſufficit; ſi verò peccauerunt & membra cætera, cur non ieiunent & ipſa? Ieiunet igitur oculus à curioſis aſpectibus & omni petulantia, vt bene humiliatus coërceatur in pœnitentia, qui malè liber vagabatur in culpa. Ieiunet auris nequiter pruriens à fabulis, & rumoribus, & quæcunque otioſa ſunt, & ad ſalutem minime pertinentia. Ieiunet lingua in detractione, & murmuratione ab inutilibus, vanis & ſcurrilibus verbis, interdum verò ob grauitatem ſilentij ab ipſis, quæ videri poterant neceſſaria. Ieiunet manus ab otioſis ſignis, & ab operibus omnibus, quæcunque non ſunt imperata. Sed & multo magis anima ipſa ieiunet à vitiis, & à propria voluntate ſua. Etenim ſine ieiunio hoc cætera à Domino reprobantur, ſicut ſcriptum eſt, quia in diebus ieiuniorum veſtrorum voluntates veſtræ inueniuntur*. Hæc Bernardus. Porrò quod hîc Iſaias dicit, *Inuenitur voluntas veſtra*. Zacharias *cap. 7.* eodem ſenſu dicit. *Cùm ieiunaretis, & plangeretis in quinto, & ſeptimo per hos ſeptuaginta annos, numquid ieiunium ieiunaſtis mihi?*

Ieiunium verum quod ſit.

25\. [l] *Et omnes debitores veſtros repetitis.*] Oſtendit iam in quo populus ille voluntati ſuæ, id eſt, voluntati carnis obſecutus fuerit, & non Domini in die ieiunij, quia nimis anguſtè, atque inhumanè debitores premit ieiunij tempore, eos nimirum, qui ſoluendo non ſunt; quorum inopiæ grauiſſimè, atque attentiſſimè Dominus conſuluit *Exod. 22. & Deuteron. 24.* vbi ſeuerè præcipit, quæ hîc à Iudæis violata fuiſſe queritur. De quibus Gloſſa hîc: *Qui repetit non habentem, Deo facit violentiam*. Quia nimirum Deus horum ſuſcipit cauſam. Ecce quomodo iſti, qui à cibis abſtinent, non abſtinent ab iniuria, atque auaritia manus.

26\. [m] *Ecce ad lites, & ad contentiones ieiunatis: & percutitis pugno impiè.*] Locus iſte ita communiter exponitur, illud ieiunium, ſic peragi à Iudæis, vt non tam diuinam flectat miſericordiam, quàm iracundiam inflammet. Quaſi enim inſtitutum eſſet ad contentionem, & lites, ſic iſti iurgium, & vim, debitorúmque repetitionem ad ieiuniorum tempus differebant. Sic communiter Patres. S. Thom. & Hugo putant ideo à Iudæis aſſumpta fuiſſe ieiunia, vt plus haberent otij ad perſequendas lites, & opprimendos debitores, pugnóque cædendos; quæ quidem probabilia ſunt.

Sed puto illud de ieiunio, atque otio aliter poſſe intelligi non incongruè, ſi nō tam ſumatur pro eo, quod nomen ipſum propriè ſignificat, ſed figuratè pro tempore ieiuniis deſtinato. Neque enim infrequens eſt in Scriptura, vt opus aliquod per metonymiam pro tempore vſurpetur, in quo opus illud exerceri ſolet: ſicut quæ in loco ſunt, pro loco ipſo per eundem tropum adhibentur. Qua ratione *meſſis* pro æſtate, *vindemia* pro autumno: & eiuſdem generis quamplurima alia, tam apud ſacros, quàm apud profanos ſcriptores obſeruamus. Et ne longiùs abeam, in hoc ipſo nomine exemplum habemus opportunum. Nam *Actor. cap. 27. ieiunium* pro menſe Septembri ponitur, quando iam nauigatio tuta non eſt: quia in eo erat ſolemne Iudæorum ieiunium in feſto expiationis. *Cùm iam non eſſet tuta nauigatio, eò quòd ieiunium iam præteriſſet*. Sic ergo puto non incommodè dici poſſe, *ieiunia* ſeu *ieiunare* ſumi pro temporibus, quæ Iudæorum religio ieiuniis deſtinauit. Et tunc ſenſus erit idem ſanè, qui ab aliis adducitur, explicatior tamen atque ſolutior, nempe, Tempus ieiuniorum eligitis ad contentiones & rixas, & ad opera illa quæ ex voluntate propria, ſeu ex voluntate carnis ſuprà naſci diximus. 27.

Quòd verò tempus illud otioſum magis ſit, vtpote, à laboribus aliis vacuum, ſatis eſt veriſimile ex ipſa ieiuniorum natura, quæ non patitur ieiunum hominem durioribus negotiis, atque laboribus operam impendere; præſertim cùm Iudæorum ieiunia ſeueriſſima fuerint, vt docet Philo *in vita Moyſis*, neque ſolui ſolita niſi adueniente nocte, vt tradit Abulenſis *in 3. lib. Reg. cap. 4. q. 6.* immò nonniſi poſt ortum ſtellæ, vt docet Hieronymus *lib. 2. contra Iouinianum*, & colligitur non obſcurè *ex Iudith cap. 6. verſ. 16.* vbi tota dies poſita dicitur in oratione, deinde *verſ. 20.* additur, *Et vocatis omnibus presbyteris ſimul expleto ieiunio refecerunt*. Certè nunc Iudæorum reliquiæ ieiunia ſua ad ortum vſque ſtellæ producunt. Quare veriſimile eſt commune tunc otium omnibus fuiſſe, vt Septuaginta indicant, qui illud Iſaiæ *cap. 1. Iniqui ſunt cœtus veſtri.* ita reddiderunt, *Ieiunium, & otium*. Vt autem homines ætate noſtra diebus profeſtis plerumque plura, atque grauiora peccant, quàm diebus aliis, in quibus duriùs laborare, atque exerceri licet: quia multam malitiam docuit, & exercuit otioſitas: ſic Iudæi abuſi otio quod induxerat illa ieiunandi conſuetudo, his ſe tradunt immoderatiùs vitiis, quæ hîc reprehenduntur à propheta. 28.

Iudæorum ieiunia ad noctē vſque producta.

[n] *Et percutitis pugno impiè.*] Hebr. pro *impiè* רשע *reſahh*, quod multa ſignificat, *impium, durū, & damnatum*, quæ vox conuenire poteſt cum pugnu, hoc ſenſu, *percutitis pugno impio*, aut ſicut eodem ſenſu vertit Hieronymus *impiè*, aut *pugno duro*, vt reddidere Pagninus, & Vatablus. Poteſt etiam eſſe nomen in accuſatiuo caſu, & ſignificare illum debitorem iam iniuſtè damnatum, ſeu oppreſſum iudicio, 29.

à quo

à quo per vim & iniuriam Iudæus ieiunus exigit vſuram, aut aliud quodcumque debitum. Et ita ſenſiſſe videntur Septuaginta dum conuertunt, *Et percutiens pugno humilem*. Dicitur autem *humilis* inferior, aut conditione, vt ſeruus, & pauper, aut cauſa, & iudicio, quia ſcilicet damnatus eſt. *Pugno* verò *percutere* idem eſſe exiſtimo, quod faciem alicuius commolere, quo ſenſu explicuimus ſuprà *cap.3.num.21. Et facies pauperum commolitis.* Vbi *faciem cædere*, prouerbiali ſpecie diximus ſignificare

Prouerbiũ. inſignem aliquam contumeliam, & iniuriam, quod hîc obſeruauit Procopius. Quare in *pugno* per ſynecdochen grauem aliquam iniuriam ſignificat Deus. Vide locum illum *cap.3.* Exiſtimo autem vſi-

B

Exactor durus Iudæus. tatum eſſe inter Iudæos, vt debitores ſuos non ſolùm iure anguſtè perſequerentur, ſed etiam manu crudeliter vexarent, vt docuit parabola *Matth.18.*

Matt.18. in qua inducitur durus, & ſeuerus exactor, qui cùm in debitorem incidiſſet, *tenens ſuffocabat eum dicens, Redde quod debes.* Parabola verò ſumi plerumque ſolet ab eo, quod frequenter accidit. Immò exiſtimo in reum, maximè cum iam eſſet damnatus ſolitos eſſe Iudæos infeſtis manibus, & impactis

Colaphi quibus impingi ſoliti. palmis eiuſmodi ludibria, atque iniurias exercere. Id imprimis indicat Chriſti cauſa, qui cùm iam haberetur pro damnato, à miniſtro Pontificis alapa percuſſus eſt *Ioan. 18. verſ.22.* & clariùs *Matth.26.*

Matth.26. *verſ.62.* Nam cùm concilium contra Chriſtum clamaſſet, *Reus eſt mortis. Tunc*, inquit, *expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt, alij autem palmas in faciem eius dederunt.* Idem etiam accidit Paulo *Actor. cap.23.* qui cùm iuſſu Ananiæ Pontificis

C

Actor. 23. alapam accepiſſet, dixit, *Contra legem iubes me percuti*, id eſt, vt videtur veriſimile, percuti iubes me nondum damnatum, immò neque auditum. Scio alias eſſe horum locorum explicationes; verùm hæc neque aliena videtur, neque parum ad noſtram coniecturam idonea.

30. o *Nolite ieiunare ſicut vſque ad hanc diem, vt audiatur in excelſo clamor veſter.*] Non prohibet Deus, aut damnat Iudæorum ieiunia, quæ obire poterant ſanctè. Immò ſanctè præteriri non poterant, vtpote a Deo indicta, aut ab ipſis varias ob cauſas religioſo voto concepta. Reprehendit ta-

D

men, quòd illa ita peragant Iudæi, vt externa tantùm ſpecie contenti multa interea temporis turpiter, & crudeliter peccent. Et ideo illis ſtatim veri ſanctique ieiunij formam præſcribit.

31. Hypocriſis. p Illud *vt audiatur in excelſo clamor veſter*, tripliciter exponitur, & quolibet modo ad rectum & veritatem accommodatè. Primùm vt explicetur quid in ieiunando ſpectet ambitioſus, & vanus Iudæorum animus: nempe vt videantur hominibus ieiunare; & inanem aucupentur vulgò ſanctitatis gloriam. Quod de hypocritis dixit Chriſtus *Matth.6. Qui exterminant facies ſuas, vt videantur hominibus ieiunantes.* Quod perinde eſt, atque ieiunium vendi-

E

tare: ſicut etiam eleemoſynam venalem proponunt hominum opinioni, cùm tubam ante ſe canere interea iubent, *ibidem*. Tunc verò ſenſus eſt. Nolite ieiunare, ita vt clamor veſter (nam cum ieiunio vt antea diximus planctus erat, & fletus) audiatur in excelſo, id eſt altè, quia altè à ieiunantibus tollebatur clamor. Ita explicant Hieronymus, & Haymo: neque diſplicet S. Thomæ; & indicat tranſlatio Septuaginta, qui ita vertunt, *Vt audiatur in clamore vox veſtra.*

32. Peccati clamor. Secundò vt hîc ſignificetur clamor, qui ad Deum clamat contra Iudæos eo modo ieiunantes; ille au-

A

tem clamor à peccatis eſt; nam peccatum *clamor* appellatur *Iſaiæ cap.5.verſ.7. Expectaui vt faceret iuſtitiam, & ecce clamor.* Præcipue verò peccatum illud dicitur *clamor*, quod vexat iniuſtè pauperem, aut illi debitam mercedem, aut negat, aut premit. Vide quæ diximus *cap.5. num.27.* quæ grauia ſunt, & ad hunc locum ſatis idonea. Ita putant Adamus, & Foreirus.

33 Ieiunium quale. Tertio modo, vt indicetur quale ſit futurum ieiunium, quod acceptum erit Deo, ita vt clamor, ſiue preces, & vota ieiunantium audiantur in excelſo, id eſt, in cœlo. Ac ſi dicat, Nolite ieiunare ſicut hactenus feciſtis, ſi vultis vt clamor veſter, qui ieiunia ex more comitatur, quod orat exoret, & obtineat à Domino. Quæ explicatio omnium mihi maximè probatur, quia magis expedita, cohærénſque cum his, quæ ſequuntur. Vbi primùm oſtendit quod ieiunium reprehendat, deinde quod probet. Ita cenſent S. Thomas, Hugo, Dionyſius, Foreirus, Pintus, & apertè docet Pagnini, atque Vatabli tranſlatio.

34. q *Numquid tale eſt ieiunium, quod elegi, per diem affligere hominem animam ſuam.*] Hic generatim ponit afflictionem, quæ cum Iudaico ieiunio ex more coniungitur; deinde ſingulatim afflictionis partes enumerat. Cæterùm *affligere animam ſuam*, vt nuper diximus, idem eſt, atque affligere ſeipſum. Quocirca, quæ ſtatim commemorantur non tam animæ, quàm corporis moleſtiæ ſunt.

35. r *Numquid contorquere, quaſi circulum caput ſuum, & ſaccum, & cinerem ſternere.*] Optima deſcriptio ieiunij Iudæorum, quod cum ſqualore quodam, qui eſt a cinere, & ſacco, & demiſſione vultus & corporis incuruatione fiebat, vt vidimus paulò ante in ieiunio Achab, qui ambulaſſe dicitur demiſſo capite. Et in ſimili ſtatu, atque ſtudio hoc idem de ſe fatetur David *Pſal.37. Afflictus ſum, & incuruatus ſum vſque in finem, tota die contriſtatus ingrediebar.* Hoc autem eſſe exiſtimo caput ſuum contorquere, quaſi circulum; vt cum Hieronymo ſentiunt alij plures. Et fauet tranſlatio Chaldaica, & nonnullæ aliæ, vt Pagnini, quæ pro *circulo* habent *iuncum*, ſeu *ſcirpum*, qui ſe perflante vento

D

flectit, & incuruat, quod propriè ſignificat vox Hebr. אגמון *agmon*, neque hæc explicatio a tranſlatione vulgata diſſentit; Dum enim ſe collum demittit & inflectit, circulum deſignat, quem licèt non abſoluat, inchoat tamen, quod ſatis eſt vt collum, & caput in circulum contorqueri dicatur.

36. Quidam putant à Iudæis circumagitari, atque rotari caput, quod doloris, & afflictionis ſignum eſſe putant. Ita Dionyſius. Sed ſanè illa circumductio, atque rotatio capitis, fanaticum aliquid potiùs indicat, quàm religioſum, quod præ ſe ferre illo corporis habitu ſtudebant Iudæi. Alij *circumducere caput* illam humiliationem eſſe credunt, quam oſtendunt monachi, qui poſtquam caput

E

priùs antrorſum inclinarunt; retrorſus inclinant. In quam ſententiam inclinant S. Thomas, & Hugo; ſed ſidem poſtea probant Hieronymi, & magis communem explicationem.

ſ *Nonne hoc eſt magis ieiunium, quod elegi.*] Iam incipit oſtendere, quale probet ieiunium. Quod etiam docuit Zacharias *cap.7.*

37. t *Diſſolue colligationes impietatis*] Dionyſius hic peccata intelligit addita peccatis, & quaſi colligata inter ſe, quæ etiam homines ligant, & impediunt. Et quidem peccata ſæpe in Scriptura dicuntur *vincula*. Sed communiter alij interpretes colligationes

nes eſſe putant ſcriptutas,ſeu cautiones debitorum, quæ aot iniquæ ſunt, & contta ius æquitatémque factæ,aut certè,quia aduerſus illos comparatæ ſunt, qoi nullo modo ſunt ſoluendo, cum quibus agendum eſſe mitiùs Deus ſæpe commendat. Iuber ergo Deus vt qui talia haber chitographa, quaſi exprompta iam, & parata in aliorum caput,illa quamprimum diſſoluat atque conſcindat. In hunc ſenſum præter omnes expoſitores huius loci tenet Ambroſius *lib.de Nabuthe, cap.* 10. & Itenæus *lib.*4. *cap.*32. Et quidem vox *colligatio* idem valet, quod *obligatio*, quæ in re forenſi idem eſt quod *Chirographum*, quo ſibi creditot à debitore cauet. Sed puto hîc intelligi cautiones iniquas, quibus fœneratores iniquas pactiones ineunt cum pauperibus, quos poſtea violenter opprimunt; Quæ ideo *colligationes impietatis* dicuntur; nam aliæ etiamſi inclementer debitum à paupere debitore repetant, iniquè tamen ſcriptæ non ſunt. Hanc ſententiam omnino ſuadent Septuaginta, de quorum tranſlatione ſtatim.

38. [u] *Solue faſciculos deprimentes.*]Eodem ſenſu hæc accipienda ſunt, quo ſuperiora, vt nonnullis placet. Ego aliquid hîc diuerſum, modicè tamen deprehendo, à quo, vt arbitror, autores alij non abhorrent: licèt non adeò diſtinctè locuti ſint. Puto ergo ſuperiori clauſula agi de pactionibus inignè contractis; in hac verò de illis, quæ licèt iuſtæ fuerint, quia ſecundùm legem,& fas; tamen quia debitores ita premuntur anguſtè paupertatis incommodis, vt ſoluendo non ſint, non poteſt iam illis vti creditor, niſi inclementer, & duriè, & contra quàm à Deo pauperum oppreſſioni cautum eſt. Quia ergo iſti ſyngrapbis, & omni forenſi inſtrumento muniti ſic vrgebant pauperes, vt ſeruire cogerent miſeram ſeruitutem, atque etiam interdum flagris in eorum corpora ſæuirent, iubet Deus, vt iſti quoque faſciculi, id eſt, chirographorum multitudo,ſoluantur, & pereant. Dicuntur autem *deprimentes faſciculi*, quia premebant nimis anguſtè debitores, ita vt eiurare bonam copiam cogerentur, & pugno percuterentur impiè, vt nuper dictum eſt; aut certè aliquam aliam ſimilem ignominiam ſubirent.

Tranſlatio Septuaginta hæc clariùs oſtendit, quæ ſic habet: *Diſſolue obligationes violentarum cautionum: dimitte confractos in remiſſione.* Vbi indicantur debita contracta legitimè, quæ tamen propter inopiam piè repeti à debitore non poſſunt. Cyprianus ad Quirinum *cap.*t. ſic legit: *Solue omnem nodum iniuſtitiæ, reſolue ſuffocationes impotentium commerciorum.*

39. Quàm miſera debitoris conditio. [x] *Dimitte eos qui confracti ſunt liberos.*] Viget Dauid, quod modò in Iudæorum ieiuniis requirebat, ne premant inclementer eos, quibus tenuis eſt virtus & anguſta fortuna, & eò redacta, vt res defecerit, & fides, nihilque ſit reliquum præter miſeram & laborantem animam. Ij verò dicuntur *confracti*, id eſt, valde fracti, vt quibus contra iniquam illam, & miſeram fortunam nihil ſit virium,& iam omnino deſperata libertas: Qui onere oppreſſi æris alieni, quaſi ſerui cenſentur, qui in publicam lucem prodire non audent, dum creditorum ſyngraphas, & ſæuitiam metuunt. Quòd ſi illos in vinculis eſſe contingat, multò magis ſerui ſunt, & bis ære oppreſſi, & quod à creditore auato contraxerunt, & quo in cuſtodia vincti, & onerati ſunt. His igitur cauet hîc Deus, dum præcipit Iudæis, ſi ſuo ieiunio ſibi ſatisfactum eſſe volunt, vt liberum ſpiritum haurire ſinant, dimittántque liberos, quibus æris alieni magnitudo libertatem eripuit.

[y] *Et omne onus diſrumpe.*] Planè debita graue onus ſunt, & importabile, quod qui ſine gemitu portare poteſt, non tam robore, atque animo præſtat, quàm ingenio eſt inſipienti, ac ſtolido. Quocirca *Prouerb.* 6. qui in ære alterius eſt, quia pro amico ſpopondit; vt diſſoluto ære, ſe quoque diſſoluat, vigilare iubetur, & nullum non mouere lapidem, quo ſe moleſtiæ eximat, atque oneri adeò graui. *Fili mi, ſi ſpoponderis pro amico tuo, defixiſti apud extraneum manum tuam: illaqueatus es verbis oris tui; & captus propriis ſermonibus. Fac ergo quod dico fili mi, & temet ipſum libera, quia incidiſti in manum proximi tui. Diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum, ne dederis ſomnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ: eruere quaſi damula de manu, & quaſi auis de manu aucupis.* Vbi, vt vides, debita, *laquens* dicuntur, & *vincula*, ſicut etiam hoc loco ab Iſaia. Et qui in alterius ære eſt, *ſine libertate* eſſe dicitur,& *ſine manibus*, quod eſt confractum eſſe, & qui libertatis indigeat. Vbi optimè debitoris ſtatus, & natura deſcribitur. Nam ille in creditoris ſui poteſtate eſt,dum apud illum manum defixam habet; neque vtcumque ligatam, ſed affixam quaſi clauis ad crucem. Quare vitam non tam agit quàm tolerat ignobilem, duram, & luctuoſam, qualem ſuſtinet qui affixus eſt cruci: qui neque ſui iuris eſt in eo ſtatu, neque à vita aliquid haber amplius, niſi vt cruciari,atque dolere poſſit. Ab hac cruce, vt hi Iudæi ieiunantes ſuos refigant creditores, liberóſque dimittant,admonet Deus, ſi velint acceptabile ſuum eſſe ieiunium. Vbi obſerua *oneris* nomen optimè cum aliis vocibus conſentire; nam faſciculi, qui modò nominantur *onus*, ſuprà *deprimentes* vocantur: qui verò in alieno ſunt ære, *confracti*. Hæc autem oneri, oneratíſque aptiſſimè conueniunt.

Porrò vox Hebr. מוטה *motah*, quæ ter in hoc capite reperitur, modò *onus* redditur, modò *catena*, modò *deprimentes*, cùm adiungitur *faſciculis*, ac ſi dicas *faſciculi oneris*, ſeu *catenæ*, qui nimirum grauant, ligántque debitores. Alij מוטה *iugum* vertunt, ſed ſenſus eſt ſemper idem, licèt orationis figura diuerſa. Quocumque modo vertas, ſatis exprimitur quid afferant moleſtiæ debitoribus illa oneroſa chirographa: quibus non aliter premuntur, quàm ſi onus ferrent importabile. 41.

Hæc hiſtoricè & literali ſenſu vera ſunt, & communia: ſed quia tropologicè hæc à quibuſdam explicantur, & ſanè grauiter, nos quoque in eundem ſenſum aliquid afferamus. Satis notum eſt ex Scripturæ ſacræ, ſanctorúmque Patrum frequenti ſermone, peccata dici aliquando *vincula*, & *onus*, & *debita*, denique illa omnia quæ hîc dirumpenda, atque ſoluenda præcipiuntur. Si quis aggrauatus hoc peccatorum onere, his conſtrictus vinculis, ieiunium obeat, aliáſque corporis, animíque moleſtias adiungat, quas *pœnitentiæ* nomine ſignificamus, ille quidem ſumpſerit eiuſmodi operam, quam Deus ita reſpiciat, ſicut hoc Iudæorum ambitioſum, & crudele ieiunium. Quare Patres dum de ieiunio diſputant, hoc inprimis curandum eſſe fidelibus docent, vt à peccatis abſtineat animus multò magis, quàm venter ab epulis. Vide Irenæum *lib.*4. *cap.*32. Chryſoſtomum *in cap.*1. *Geneſ. homil.*8. *& hom.*3. *ad populum.* & Auguſtinum, & Gregorium, Leonem, Bernardum ſuprà citatos *num*,25. Quibus adde Hieronymum *epiſt.ad Celantiam.* 42. Peccata vincula ſunt, & onus.

tiam. Quid enim prodeſt tenuari abſtinentia corpus, ſi animus intumeſcat ſuperbia? quam laudem merebimur, de pallore ieiunij, ſi inuidia ſimus liuidi? quid virtutis habet vinum non bibere, & ira atque odio inebriari? Vide etiam Ambroſium *ſermone* 33. Vbi ſimilia copiosè, & grauiter. Hunc locum de peccatorum onere deponendo, & eorum diſſoluendis vinculis, delendóque chirographo damnationis, quod in ſuum caput diabolo peccator dedit, eidémque dum peccat, legitimo contractu ſe mancipium adſcripſit, exponunt Baſilius *in aſceticis cap.* 4. *Solue animi infirmitates, & peccatorum inſolubilia vincula, quæ feciſtis cum patre peccati diabolo.* Et Hilarius *in Pſal.* 124. *Solue omne vinculum, & omnem nodum iniquitatis, nam ſi à præceptis Dei declinaueris, & his obligationibus peccatorum te colligaueris, abduceris in pœnas æternas cum operantibus iniquitatem.* Plura in hanc ſententiam occurrent apud Patres, quæ cuilibet promptum eſt inuenire.

z *Frange eſurienti panem tuum, & egenos, &c.*] 43. Eleemoſyna commendatur. Non ſolùm exigit Deus, vt ab iniuria, & violentia, reliquíſque animi vitiis ieiunemus, ſed etiam vt pietati, ac religioni aliquid impendatur operæ: ideo poſtquam vetuit, aut per iniuriam vſuras, aut per inclementiam ab inope, & cui non eſt ad exoluendum facultas, debita repetere, addit, vt eſurienti de pane, peregrinis de hoſpitio, nudis de veſtimento prouideat. Cætera obſcura non ſunt. Cur verò *frangi* dicatur panis potiùs quàm ſcindi, diximus ſatis copiosè *in noſtris commentariis ſuper Acta* ad illud *cap.* 2. *Frangentes circa domos panem.* Quod etiam apud alias nationes vſitatum oſtendimus. Certè à re maximè vſitata ſumptum eſt illud Pythagoræ ſymbolum. *Panem ne frangito.* Obſeruat hîc Haymo præcipi, vt quod gulæ, aut ventri ieiunando detrahis, id egentium neceſſitati largiatis: quod dixerat antè Gregor. *homilia* 16. *in Euangelia. Nemo ſibi abſtinentiam ſat eſſe putet; cùm per prophetam dicatur, frange eſurienti panem tuum. Illud ergo ieiunium Deus approbat, quod ad eius oculos manus eleemoſynarum leuat, quod cum proximi dilectione agitur, quod pietate conditur. Hoc ergo quod tibi ſubtrahis, alteri largire, vt vnde tua caro affligitur, inde egentis proximi caro reparetur. Hinc per prophetam Dominus dicit, Cùm ieiunatis nunquid ieiunaſtis mihi? cùm comeditis vobiſmet ipſis comeditis. Sibi enim quiſque ieiunat, ſi ea quæ ſibi ad tempus ſubtrahit, non pauperibus tribuit, ſed ſuo ventri refert.* Eadem penè *lib.* 3. *Paſtor. admon.* 20. Auguſtinus *ſermo.* 62. *de tempore* ex illo *frange eſurienti*, colligit neminem ab hoc præcepto miſericordiæ excuſari. *Dominus*, inquit, *ita hortatur, & admonet eleemoſynam fieri, vt propè nullus pauper ſit, qui ſe valeat excuſare. Sic enim ait, frange eſurienti panem tuum. Non dixit, vt integrum daret, cùm fortè pauper ille alium non haberet, ſed frange, inquit, hoc eſt dicere? etiamſi tanta paupertas tibi eſt, vt non habeas niſi vnum panem, ex ipſo tamen frange, & pauperi tribue.* Idem penè Tobias filio commendauit *cap.* 4. *Si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri ſtude.*

44. a a *Et carnem tuam ne deſpexeris.*] *Carnem* hîc aliqui pro conſanguineis ſumunt, aut qui ſi minùs ſanguine, neceſſitudine tamen, atque familia coniuncti ſunt. Quod clariùs indicant LXX. dum vertunt *domeſticos ſeminis tui ne deſpexeris.* (qui tamen hoc loco vt obſeruauit Auguſtinus *de doctrina Chriſtiana lib.* 1. *cap.* 12. non tam interpretes ſunt quàm ſcholiaſtæ) Ita putat Auguſtinus ſuprà. Chryſoſtomus *in cap.* 5. *ad Timotheum*, ad illud, *ſi quis ſuorum maximè domeſticorum.* Sed communiter alij in *carne* quemcumque hominem etiam alienum ſignificari putant: quia omnes homines ab vno prognati, & eandem ſortiti naturæ conditionem dici poſſunt *vna caro*; ſicut etiam omnes viciſſim ſe *fratres* appellant, vndecumque genus, & familiam nacti. Caro quid. Et ſanè nimis anguſtis finibus arctaretur charitas, quæ anguſtiari nuſquam debet, ſi illius officium ſanguinis, & carnis ſpatia definirent. Adde quòd non minùs, ſed nonnunquam grauiùs charitatem vrget alieni neceſſitas, quàm domeſtici, atque conſanguinei, quia grauiùs premitur, ac periculosiùs. Deinde hæc neſcio quomodo non bene conſentiunt; nam cùm reliqua latè ad omne hominum genus, & conditionem pateant, neque enim conſanguineorum tantùm nuditati, ac fami prouidetur, hoc poſtremum ad conſanguineos tantùm contrahatur. Fateor *carnem* Hebraico idiomate frequentiùs vocari eos, qui ſanguinis, ac generis communione coniuncti ſunt, vt de Ioſeph dixerunt fratres *Geneſ.* 38. *Caro noſtra eſt.* Et Dauid 2. *Reg. cap.* 19. ad viros Iuda ait, *Os meum, & caro mea vos.* In quem ſenſum accipiunt communiter interpretes illud Pauli *ad Rom.* 11. *Si quomodo ad æmulandum prouocem carnem meam, & ſaluos faciam aliquos ex illis*, nempe Iudæis.

45. Amor proximi. Fortaſſe hîc ex Hebræorum idiomate ſubaudienda eſt nota ſimilitudinis, in hunc ſenſum: *Frange eſurienti panem tuum, & egenos, vagóſque induc in domum tuam, cùm videris nudum, operi eum, & ſicut carnem tuam non deſpicis; ſic etiam illos ne deſpexeris.* Quæ charitatis commendatio, & gradus ſæpe auditur in Scriptura. *Matt.* 22. *Diliges proximum tuum ſicut teipſum.* Vt autem *nemo* ſicut dixit Apoſtolus *ad Epheſios* 5. *carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fouet eam*, id eſt paſcit cibo, fouet tecto, & veſtibus: ſic præcipit Deus vt paſcamus eſurientem, operiamus, & foueamus peregrinum, & nudum, hunc veſtimento, illum hoſpitio. Vide quæ dicemus ſtatim *num.* 52.

46. Lumen pro felicitate. b b *Tunc erumpet quaſi mane lumen tuum.*] Sicut *nox* aut *tenebræ* pro calamitate ponuntur, fortunáque ærumnoſa & lugubri, vt diximus ad illud *cap.* 34. *Tabeſcet omnis militia cœli.* Sic contrà *lumen* pro felici rerum euentu, melioríque fortuna frequenter adhibetur. Quare vt tradit Ioſephus *lib.* 12. *antiq. cap.* 11. feſtum luminum, quod à Iudæis ſolemni ritu, ac plauſu peragebatur, nomen accepit, quia poſt ſquallorem, & luctum ciuitatis affulſit ſubitò inſperata felicitas. *Vocamus*, inquit, *hanc feſtiuitatem luminum, opinor ideo, quod ex inſperato nobis illuxerit tanta felicitas.* Porrò hic loquendi modus optimè declarat ſtatum illorum qui cum Deo de ſuis meritis malè compenſatis expoſtulabant; qui in nocte videntur agere, dum illis matutinum lumen Dominus promittit, quod noctem pellit, & mœrorem, & cum die hilaritatem quoque terris inducit, quo in eo ſtatu carere ſignificantur. Tale lumen omnino oriri viſum eſt Iudæis, ſi de temporaria calamitate ſermo ſit, quando poſt exilij tenebras erupit læta, atque inſperata libertas; & tale nunc promittit Deus eis, qui præſtare volent ea, quæ modò commendantur, ex quibus illuceſcere incipit matutina lux.

47. Eleemoſynę vis maximè pro mortis agone. Hæc ad mortis caliginoſum articulum aptiſſimè accommodari poſſunt, cui eleemoſyna affulgere facit lumen; quaſi mane, aut ſtellam matutinam, de qua *Apoc. cap.* 2. Nam ſicut matutina lux, id eſt aurora, aut matutina ſtella, quæ Solem proximè ante-

greditur, non adducit diem, quia hoc proprium Solis eſt, dum in noſtrum hemiſphærium emergit; affert tamen lucis aliquid, ad quam excitatæ volucres feſtiuo cantu mundum exhilarant, & adeſſe Solem nunciant, qui in hemiſphærio, quod ſua colluſtrat luce, nil remanere ſinit nocturnæ caliginis: Sic ei, qui cum morte vicina conflictatur, quæ tenebrarum multum inducit, & mœroris, eleemoſyna, de qua hîc Iſaias, mœrorem illum moderatur, aut ſoluit, dum ad bene ſperandum excitat, & lucem affert cælеſti, atque æternæ vicinam, dum inchoatæ beatitudinis ſuauitatem oſtentat; immò guſtandam offert. Qua de re in Scriptura grauiſſima ſunt teſtimonia: & Patres de eleemoſyna luculenter agunt, & grauiter: tum ad alios vſus, ac tempora, tum maximè ad confirmandos, atque exhilarandos animos in mortis certamine.

48. [cc] *Et ſanitas tua citiùs orietur.*] In tenebris iacebat ille populus ægro animo, vt neceſſe eſt, dum tot pateret hoſtium iniuriis; atque etiam corpore, quod labore, atque inedia, aſſiduíſque moleſtiis attenuabatur. Huic non ſolùm ab eleemoſyna Deus lumen promittit libertatis, ſeu lætitiæ, ſed etiam ſanitatem, aut medicinam affecto corpori, ne quid ſuperioris incommodi reliquum ſit. Quod planè accidit poſt Babylonicam ſeruitutem: ſic enim & patriæ, & ſplendori antiquo reſtitutus eſt, vt vix videretur ab hoſte vllum accepiſſe detrimentum. Nam poſtquam libertatis lucem inſperatam aſpexit inſtaurata vrbe, atque excitato templo, quæ hoſtilis rabies, atque flamma perdiderant (quæ nos ægrum corpus Iudaici populi vocare poſſumus) antiquum locum, & ſplendorem obtinuit.

49. Si ad mores referas, quod Hieronymus facit, & alij, magna eſt miſericordiæ, atque eleemoſynæ commendatio, quæ cæcis peccatorum oculis prælucet, & viam aperit, atque oſtentat ad vitam, & quantum ſit in vitiorum ſemita periculi demonſtrat. Deinde quia voluntatem ſanat infirmam, & à peccatis ſauciam, dum miſerendo diuinam miſericordiam inflectit, vt congruum ad hæc incommoda ſubſidium præſtet.

50. Pro *ſanitate* Hebr. eſt ארכה *aruchah*, quam Hieronymus hic in commentariis *cicatricem* exponit ex ſententia Aquilæ, & aliis locis non paucis *cicatricem* vertit. Vt *Ierem. cap. 39. verſ. 17. Obducam enim cicatricem tibi.* & *cap. 33. verſ. 6.* & *cap. 8. ver. 22. Quare non eſt obducta cicatrix.* Quæ vox præciſè indicat plagam aliquam ſiue hiſtoricè ab hoſte Chaldæo, ſiue tropologicè à peccato. Nam cicatrix ſanato aduenit vulneri, cuius veſtigium eſt. Septuaginta ἰάματα vertunt, id eſt, *medicamenta*, ſeu Chirurgorum emplaſtra, quæ vlceribus adhibentur, & ita putat Rabbi Dauid, & probat Foreirus. Sed parum refert hoc ne, an illo modo capias, quia ſenſus eſt idem, & medicina *ſanitas* dici poteſt ab effectu, quia ſanitatem inducit, ſicut etiam appellatur *ſana*. Ex quo pro moribus licebit inferre, non facilè paratam à Domino medicinam ei, qui non priùs depoſita inhumanitate, atque animi duritia clemens eſſe cœperit, & miſericors.

51. Quàm verò parata ſit Dei miſericordia illi, qui in pauperes velit eſſe miſericors, docet Chryſoſtomus *homilia 55. in cap. 16. Matthæi*, vbi expendit illud *Erumpet lumen*, grauiter, & luculenter. *Non dixit*, inquit, *apparebit tibi lux, ſed ſcindetur, vt velocitatem, & copiam dantis exprimeret, vt intelligamus valde cupidum eſſe noſtræ ſalutis, quódque muneribus plenus ex largiendi feſtinatione quaſi prorumpat; cùm nihil, quod ineſtimabile Dei deſiderium poſſit prohibere. Quibus omnibus infinitam bonorum copiam paratam nobis eſſe oſtendit. Matutinum lumen, ſubitum, & repentinum ſignificat, antequam cogites te beans, vt quæ matutino tempore, antequam expectes, te excipiunt bona.* Hæc Chryſoſtomus. Cuius ſimilitudo bella eſt, nam pulcherrimæ rerum, & multiplices formæ noctu latent, ac perinde ſunt hominum oculis, ac ſi nuſquam forent, lux tamen matutina vbi primùm erupit, illas ſtatim aperit, & quaſi de nouo producit, ac propè dixerim creat: cui quàm ſimillimum eſt Dei ſtudium erga miſericordem animum.

Neque omittendum cenſeo, quod hic notauit Hieronymus, licèt non probet, quoſdam pro ἰάματα, id eſt, *medicamenta*, in tranſlatione LXX. legiſſe ἱμάτια, id eſt, *veſtimenta*. Quam lectionem admittunt Chryſoſtomus *loco nuper citato.* Tertullianus *de Reſurrectione carnis cap. 27.* Cyprianus *ſermo. de eleemoſyna in principio, & libello de oratione Dominica in fine.* Auguſtinus *ſerm. 172.* Quæ lectio planè oſtendit immiſericordem, & durum eſſe nudum, atque expoſitum omnium ignominiæ, atque ludibrio: tunc autem habiturum ſuæ ignominiæ integumentum, cùm illud ſibi à miſericordia parauerit, & quaſi coëmerit. Neque hoc videtur à ſuperioribus alienum: nam nuper dictum fuerat: *Cùm videris nudum, operi eum, & carnem tuam non deſpexeris.* Ac ſi dicas, ſi nudum operias, carnem operies tuam, illámque à nuditatis ignominia vindicabis. Cùm enim veſtimentum nudo largitus fueris, orietur tibi ſtatim indumentum, quo tuam operies nuditatem. 52.

Miſericordia veſtimentum eſt.

53. [dd] *Et anteibit ante faciem tuam iuſtitia tua.*] *Iuſtitia* ſæpe in Scriptura pro miſericordia ſumitur, vt pluribus oſtendimus in illud *Actor. 10. Et operatur iuſtitiam.* & *cap. 57. num. 5.* Eſt autem pulcra, & accommodata præcedentibus eleemoſynæ commendatio. Supra ſignificarat propheta in tenebris eſſe, id eſt in ſtatu ærumnoſo, aut captiuum populum, aut peccatorem, qui in Scriptura ſæpe vocatur *cæcus*; nunc quantum eorum cuique ſubſidij afferat eleemoſyna docet. Vt enim, qui in loco ambulat tenebricoſo, præcipiti, ac lubrico, maximum accipit beneficium ab eo, qui facem præfert, quia alioqnin aut hærendum eſſet in loco importuno, aut ſubeundus caſus; ſic iſtis, qui vias ambulant difficiles, & quibus non luxit iuſtitiæ lumen, neque ortus eſt ſol intelligentiæ *Sapien. 5.* eleemoſyna, quæ hîc appellatur *iuſtitia*, anteit ante faciem illorum aperiens & ſternens viam, & ne in vllum incurrat, & offendat lapidem prælucens. Neque valde hinc abludit illud *Eccl. 3. verſ. 34.* Vbi eleemoſyna dicitur *in tempore caſus firmamentum.*

54. Quòd ſi de mortis articulo hæc interpretere, in quo tenebrarum plerumque multum eſt, ſanè miſericordibus lux iſta promiſſa eſt in illud tempus. *Pſal. 40. Beatus qui intelligit ſuper egenum, & pauperem, in die malo liberabit eum Dominus.* Huc facit illud Tobiæ *cap. 4. Eleemoſyna ab omni peccato, & morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.* Sanè eleemoſyna firmamentum eſt in tempore caſus, & in tenebris lux, & quæ in cœlis, tanquam hoſpitatrix fida, ac ſedula domicilium parat, & eò cum dignitate triumphantem introducit. Cúmque in eam rem plurima, eáque grauiſſima dicta ſint à Patribus, quæ commemorare operis eſſet infiniti, non tamen poſſum non producere quæ de illius vi planè potentiſſima tradunt clariſſimi Eccleſiæ Doctores. Chryſoſtomus *homilia 32. in epiſt. ad Hebræos.*

Eleemoſyna ad mortis articulũ opportuna.

brant. Vincula peccatorum diſſoluit, fugat tenebras, extinguit ignem, mortificat vermem, expellit ſtridorem dentium. Huic portæ cœli aperientur, & veluti Reginæ intrante nullus ianitorum, nullus cuſtodum, qui portis aſſiſtunt audet dicere, quæ tu es? vel vnde? Sed omnes eam è regione ſuſcipiunt. Sic etiam miſericordia, regina namque eſt; vere Regina, ſimiles faciens homines Deo. Hæc Chryſoſtomus. Audi Auguſtinum *ſerm. 44. ad fratres in Eremo. Nunquam recordor me legiſſe mala morte periiſſe illum, qui libenter in hac vita opera charitatis vel pietatis voluit exercere: habet enim multos interceſſores pius homo, &c. & impoſſibile eſt vt preces multorum non exaudiantur.*

55. ee *Et gloria Domini colliget te.*] Si de captiuo populo, & apud hoſtes inglorio & ſquallido accipias, facilis expoſitio eſt, nam hi rediuiui dicuntur
B ad magnam gloriam, quæ ex vſu Scripturæ *gloria* dicitur *Dei*. Sicut montes & cedri Dei, excelſi ſunt, & pulchri: & oratio Dei illa dicitur quæ feruens eſt & attenta. Si verò de ſpiritali infortunio maioríque gloria ſermo ſit, ſenſus eſt maximè illuſtris: nam cùm eleemoſyna tanquam Regina præcedat, ad cœlum nempe beatorúmque ſedes, gloria Domini colliget miſericordem animam, & audiet illud dulce, atque diuinum verbum, *Intra in gaudium Domini tui*, quod, gloria Domini, eſt.

56. ff *Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet.*] Reſpondet ad Iudæorum querelam, qui iniquè ſecum agi putabant, cùm Deus ad eorum ieiunium, & poſtulata non reſpexiſſet. Ait igitur Deus ſe tunc ad
C illorum preces facilem & exorabilem fore, ſi ipſi præſtent, quæ nunc religioſè præſtari iubet. Et quòd antea minùs illorum votis annuerit, in cauſa fuiſſe, quòd illi earum rerum curam & ſtudium ſic abieciſſent, quaſi ad eos nulla ratione pertinerent.

57. gg *Si abſtuleris de medio tui catenam.*] Hieronymus de peccatis intelligit, quibus quaſi vinculis illigatur anima. Quæ dicendi formula crebra in Scripturis eſt. *Act. cap.* 8. ait Petrus ad Simonem magum, *in obligatione iniquitatis video te eſſe*, id eſt, in vinculis. Et *Lucæ cap.* 13. mulierem quandam vinxiſſe traditur Satanas. Eodem modo exponit Haymo, Dionyſius, & Cyrillus *lib. 7. in Ioannem cap.* 23. licèt hìc communem ſequatur expoſitio-
D nem. Sed frequentes alij in *catena* iniquas pactiones & iniuſtas ſyngraphas intelligunt, quibus auari homines, & alienorum bonorum aucupes miſerorum fortunis inſidiantur. Pro *Catena* Hebr. eſt מוטה *motah*, quæ ter, vt antea diximus *num.* 41. repetitur in hoc capite; quam tranſtulit vulgatus *deprimentes*, quando cum *faſciculis* coniunxit. Deinde *onus*, eodem ſenſu, nunc *catenam*. Ex quibus tranſlationibus variis, eodem tamen ſpectantibus, facilè colligitur propria huius loci ſententia, iuxta regulam, quam ſuprà tradidimus *cap. 6. num.* 39. Et quidem in hanc ſententiam aptè hæc cum ſuperioribus conueniunt. Nam priùs eo nomine accuſarat Dominus Iudæos, quòd iniquè, atque in-
E clementer debitores opprimerent; nunc verò ſi mores, & inſtituta mutent, meliora quàm antea ſperare iubet. Cæterùm *de medio tui*, idem eſt quod *abs te*, ſicut in materia non diſſimili diximus *cap.* 4. *num.* 12.

58. hh *Et deſieris extendere digitum.*] Variè à variis locus hic explicatur. Quidam de auaritia accipiunt, & huc inclinant Cyrillus, & Procopius, & indicat Pagninus, dum vertit *extendere digitum ad rem alienam*. Alij ſuperbum hominem, & iracundum, qui aliis comminatur malum, & aſſiduè rixatur, deſi-
A gnari putant in *extento digito*; quia hic habitus incitatum animum & iracundum præſefert; quaſi digito velit oculos effudere. Ita S. Thomas, Foreirus, & Emanuel Sa, & quidam alij. Neque hæc explicatio mihi diſplicet, quia ſicut animo immiſericordi, & duro, oppoſuit animi clementis affectum, & opus, nempe eleemoſynam, eámque vehementer commendat; ſic nunc commendare videtur pacem cum aliis, & lenitatem. Cùm enim pugno impiè percuſſiſſent miſerum, & infelicem debitorem, nunc monet, vt manum ab ea ſæuitia, atque iniuria cohibeant, digitúmque deſinant extendere, id eſt, audacem, & violentam manum, quæ in digito per Synecdochen intelligitur. In quam ego ſententiam vehementer inclino.

B Plures eò inclinant, vt putent deſignari deriſorem, & conuitiatorem. Ita Hieronymus, S. Thomas, Haymo, Dionyſius, & plures alij. Et quidem cùm digitus in aliquẽ extenditur, aliquid plerumque obiicitur, quod ruborem afferat. Et id fortaſſe indicatur *Prouerb.* 6. cùm de viro Apoſtata dicitur, *Homo Apoſtata vir inutilis, graditur ore peruerſo, annuit oculis, terit pede, digito loquitur.* Vbi videntur ſpecies aliquot ſannarum, & irriſionum oſtendi, quibus ore diſtorto, atque peruerſo, oculis obliquis, & toruè, aut malignè ſpectantibus, pedum ſupploſione, aut ea ſignificatione, qua pede ad terram alliſo, ſeu affricto ſignificamus aliquem nihili à nobis fieri, aut denique digito in aliquem mina-
C citer, aut impudenter oſtento aliquid eſſe in aliquo indicamus, cuius ipſum valde pudere debeat. Notum eſt autem in *digitis* aliquid ſignificari obſcœnius: vnde digitus medius *infamis* vocatur, & *impudicus*. Sanè Diogenes Cynicus, vt in eius vita refert Laertius, intento digito medio in Demoſthenem molle aliquod vitium hærere in illo ſignificauit. Eodem item oſtenſo digito Democritus apud Iuuenalem *Satyr.* 10. laqueum, & crucem oſtentabat, aut aliquid vilius. 59. Deriſor odioſus Deo.

—Cùm fortunæ ipſe minaci
Mandaret laqueũ, mediúmque oſtenderet vnguem.

Vide apud Suidam verbum ἀσχημαλίζειν, vbi aliam ignominiam, atque conuitium in digitis agnuſcit. Aut igitur conuitium iſtud, quod eſt in extento di-
D gito medio aliis contractis, aut aliud ſimile omnes ferme expoſitiones agnoſcunt: dum irriſionem hìc ſignificari putant.

Pro *oſtendere digitum*, L x x. vertunt χειροτονίαν quæ *electionem*, aut *ordinationem* valet. Iuxta quam lectionem variæ etiam ſunt expoſitiones. Relictis aliis placet, quod putat Cyrillus, nempe hìc intelligi ſuffragia quibus magiſtratus creantur, à quibus rarò ſolet abeſſe munerum largitio, & corruptio iuris. Quòd ſi ita cenſeas, ſanè periculoſum eſt miſcere ſe quemquam electionibus, quæ per ſuffragia fiunt, niſi ea ſit animi conſtantia, vt perrumpere poſſit impedimenta, quæ iudicia peruertunt, ſiue illa ab auaritia, ſiue ab ambitione naſcantur. 60.

ii *Et loqui quod non prodeſt.*] Hebr. און *auen*, 61.
E quod Hieronymus variè vertit, modò *idolum*, modò *inutile*, modò *iniuſtitiam*, aut *iniquitatem*. Septuaginta vertunt *verbum murmuris*. Quæ ſint illa verba quæ prodeſſe non poſſunt, non eſt coniectare difficile: ea nimirum quæ affinia ſunt illis vitiis, quæ modò Deus abeſſe longè vult à ſuo populo, quæ de inanibus voluptatibus oriuntur, de pecuniarum acquiſitione, de ambitione, de oppreſſione pauperum, de explendo animo vindictæ cupido: de his denique quæ à religione auocant, aut quæ

ad religionem nullo modo conducunt. Quæ omnia vt otioſa dicuntur, quia inutilia ſunt, ita hîc etiam dicuntur non prodeſſe. Hæc quidem vera & probata pluribus; ſed ego aliquid aliud videre hic mihi videor, quod bellè cum præcedentis clauſulæ adducta explicatione conſentit. Nam ſi און propriè *vanitas*, vt Mercerus apud Pagninum putat, & inde ad idolum ſeu iniquitatem tranſlatio fit, quia idolum, ſiue peccatum meræ nugæ ſunt, & mera vanitas, cùm *vanitas* idem ſit quod *vacuum*, aut *vacuitas*, idem omnino ſignificabit, quod *Racha*, ſeu *fatuus*. *Racha* autem inane ſonat & vacuum. Quare hîc propheta idem dici prohibet, quod Chriſtus (Matth. 5.) *Matth. cap. 5. verſ. 23. Qui autem dixerit fratri ſuo Racha, reus erit concilio*. Neque ab hac cogitatione longè abeſt Septuaginta tranſlatio, qui reddunt, *verbum murmuris*. Murmur autem eſt obſcura quædam vox, quæ oppreſſo, atque informi ſono alterius vitium, aut prodit, aut exprobrat; licèt iam pro detractione ſumatur, ſed minùs propriè. Eiuſmodi vox eſt *Racha*, quæ interiectio eſſe exiſtimatur, qua aliquem ſtolidum, aut ſtultum eſſe oſtendimus; quæ expromitur cum aliquo irriſorio, atque indecoro geſtu: Sicut quæ à Latinis dicuntur *Ronchus*, & *ſanna*. Neque Vulgata tranſlatio parum ſanet, dum vertit, *Quod non prodeſt*. Quid enim illud aliud eſt, quàm vacuum, & inane? Vt ergo vetat Deus ne quis in alium digitum extendat, id eſt, ne pugno percutiat, aut vitium petulanter obiiciat exerto parum decorè digito: Sic modò ne fratrem pudefaciat, aut procaci geſto, & oris indecoro rictu, aut orationis libero conuitio.

62. (Eleemoſyna qualis.) k k *Cùm effuderis eſurienti animam tuam.*] *Anima* pro ſtudio, deſiderio, ſeu affectu ponitur. Vnde *Pſalm. 40. Et non tradat eum in animam inimicorum eius*, id eſt, ne contingat ei, quod inimici deſiderant. In hac ſignificatione ex ſententia omnium ferme interpretum vſurpatur hîc *anima*. Neque alius eſt ſenſus, quàm qui alibi ſæpe exprimitur per has voces, *Ex toto corde tuo*, aut *ex tota anima tua*, id eſt, cùm ex animo eſurienti panem porrexeris, adductus non tam ambitioſo ſtudio, vt antè faciebas, quàm compaſſione, qua animam tuam afficit, & commouet pauperum neceſſitas. Et id omnino explicat Septuaginta tranſlatio: *Si dederis eſurienti panem ex anima tua.* Sed illud idem ſignificantiùs & magis ad textum expreſſit Vulgatus vſus Hebraico idiomate, cuius vim non ſatis aſſequitur Latina phraſis. Hebræus enim cùm impenſum ſtudium, atque ardorem, animúmque impotentem, & omnino alicui curæ, & voluptati deditum ſignificare volt, hoc fere modo frequenter explicat. Sic *Eccleſ. cap. 37. verſ. 32. Non te effundas ſuper omnem eſcam.* Id eſt, ne abdomini tuo, & gulæ te totum impendas. Et de Rubeo *Geneſ. 49. Effuſus es ſicut aqua*, id eſt, laxaſti quàm maximè potuiſti pudoris frænum, quando paternum cubile temeraſti. Et Anna Samuelis mater *1. Reg. cap. 1. Effudi animam meam coram Domino*. Et *Pſalm. 61. Effundite coram illo corda veſtra*, id eſt, toto ſpiritu, toto animi conatu in orationem incumbite. Ad hunc ergo modum *effundere animam ſuam eſurienti*, eſt magno, atque inflammato ſtudio, non ſimulatè, ſed ex animo & feriò pauperum neceſſitati ſubuenire.

63. Hîc meminiſſe oportet quod ſæpe à nobis dictum eſt, *animam alicuius* ſumi pro eo cuius eſt anima. Quare idem eſt *effundere ſe ſuper eſcam, Eccleſ. 37.* atque *effundere animam ſuam ſuper eſcam.* & hic, *effundere animam ſuam eſurienti*, & *effundere ſe*. quaſi quis vna de re ſola totus, atque feriò cogitet. Quæ ſanè res vehementer conſolari debet pios animos, qui tamen anguſtè premuntur rerũ inopia, qui cùm maximè cupiant egentibus aliis eſſe ſubſidio, non tamen effuſæ voluntati facultas ſuggerit, quod effundat. Non enim hîc ſolùm commendatur, aut laudatur panis oblatus indigenti, ſed etiam anima eidem miſericorditer impenſa. Quocirca ſi quiſquam voluntatem habeat ſubueniendi egenis ſtudio inflammatam, intentúmque animum, vt ſi quomodo poſſit aliquando ſubueniat, illi quoque præmia non deerunt, quæ miſericordiæ atque eleemoſynæ promiſſa ſunt. Qua de re optimè Auguſtin. *in Pſalm. 103. Si potes dare, da: ſi non potes, affabilem te fac. Coronat Deus intus bonitatem, vbi non inuenit facultatem. Nemo dicat, non habeo, charitas de ſacculo non erogatur.*

64. l l *Et animam afflictam repleueris.*] Hic clariùs *afflicta anima* pro homine ponitur, cuius ſaturitati nunc conſulit Deus. Ponitur autem per ſynecdochen *fames*, pro quacumque neceſſitate hominis afflicti; & *ſaturitas* ſeu *repletio animæ afflictæ* pro quocumque officio miſericordis animi: Refert enim vt minimùm illa miſericordiæ opera, de quibus nuper, quæ eſurientem reficiunt, nudum operiunt, peregrinum, & vagum hoſpitio recipiunt.

65. m m *Orietur in tenebris lux tua: & tenebræ tuæ erunt ſicut meridies.*] *Tenebras* pro aduerſitate ſumi, ſtatúque lugubri, iam à nobis ſuprà probatum eſt, & contra *lucem* pro ſecunda, ridentique fortuna. Quòd ſi *lux* euentus eſt iucundus, & felix, ſanè *magna lux* euentum deſignat iucundum, & felicem. Talis verò eſt meridiana: quia ſol propior nobis maiori nos luce complet, & illuminat. Talem Deus lucem miſericordibus promittit, quibus in rebus anguſtis, atque adeò in mortis agone, quo nihil, neque horribilius, neque magis tenebricoſum eſſe ſolet, lucem oſtentat, quæ fugatis tenebris animum exhilarat, viámque aperit, quæ eo rerum veſtigio aliis obſcura, atque impedita eſt.

66. n n *Et requiem dabit tibi Deus tuus ſemper.*] Non habebat populus ille requiem in patriis ſedibus, ſaltem diuturnam, cùm à vicinis hoſtibus aſſiduè, & durè vexaretur. Sed neque in exilio illam habuiſſe perſuadet miſer ille rerum ſtatus, qui neque ab ærumnis, neque à laboribus vnquam vacat. Et docet Ieremias *Thren. cap. 1. verſ. 3. Migrauit Iudas propter afflictionem, & multitudinem ſeruitutis, habitauit inter Gentes, neque inuenit requiem.* Et *cap. 5. verſ. 5. Ceruicibus noſtris minabamur, laſſis non dabatur requies.* Nunc verò cum iecuno omnium, quæ à prudentibus peti, atque optari poſſunt, poſſeſſione quietem, id eſt in ea felicitate conſtantiam pollicetur. Hæc verò omnia, vt principiò diximus, & hiſtoricè de Ieruſalem capta, atque exule, & myſticè de ſuperna Ieruſalem libera, atque triumphante intelligi poſſunt. Vbi ſemper fulget meridiana lux, quæ neſcit occaſum, qua fruuntur hi, qui animam ſuam effuderunt eſurienti, id eſt, qui non fucata, & ambitioſa eleemoſyna, ſed ex animo pauperum neceſſitatibus ſeruiunt. Hîc obſerua, vt alibi frequenter, ſic Deum hic de ſe in tertia perſona loqui. Vide quæ diximus *cap. 5. n. 6.*

67. o o *Et implebit ſplendoribus animam tuam.*] Eadem ſententia magis amplificata, & illuſtrata luculentiùs. Plena erat captiuorum anima malorum tenebris, & ſqualore perpetuo, illam Dominus oborta noua libertatis luce circumfudit, & exhilarauit.

uit. Sed multò magis craſſæ, atque obſcuræ tenebræ peccatoris animum obſederant, de quo illud Sapient. 5. verſ. 15. quàm veriſſimè dici potuit: *Cunctis diebus vitæ ſuæ comedit in tenebris, & in curis multis, & in ærumna, atque triſtitia.* Ab illo tamen ſqualllore atque triſtitia euocat Dominus miſericordem hominem, & ſicut antea peccatum tenebris animam inclementem, & ambitioſam impleuerat, ſic pòſt Dei benignitas eandem clementem, & non fucatè largientem ſplenduribus implebit ſempiternis.

68. Pro *ſplendoribus* Hebr. eſt בצח צחות *Betſach tſachoth*, quæ vox *ſiccitates*, aut *tempus ſiccum*, & *ſterile valet*. Et ita vertunt Chaldæus, Pagninus, & Vatablus, iuxta quam tranſlationem ſenſus eſt. Cùm aliis campus aruerit, ingrueritque fames, tunc à Deo miſericordi ſuppetet rerum omnium vbertas. Quæ promiſſio ſæpe in Scriptura miſericordi; atque liberali facta eſt. Prouerb. 3. *De primitiis omnium frugum tuarum da pauperibus, & implebuntur omnia horrea tua ſaturitate, & vino torcularia redundabunt.* Et cap. 18. *Qui dat pauperi, non indigebit; qui deſpicit deprecantem ſuſtinebit penuriam.*

69. ¶ *Et oſſa tua liberabit*] Hebræi per *oſſa* multa ſignificant tam aduerſa, quàm proſpera. Humiliata oſſa, contrita, incuruata, ſeruilem conditionem indicant, & vitam laborioſam: arida, & ſicca triſtem, & anguſtam; impinguata, aut irrigata lætam, & commodis omnibus affluentem; Quare dum liberanda eſſe dicuntur oſſa, ſtatus ſignificatur lætus, & pinguis poſt aridum, & triſtem. Omnes communiter in *oſſibus* virtutes agnoſcunt, quia hæ animum confirmant, & ſuſtinent, ſicut illa corpus. Neque inuſitatum eſt vt *oſſium* nomine firmamentum, & robur exprimatur. Sic enim omnes ferme Interpretes accipiunt illud *Thren cap.* 1. *De excelſo miſit ignem in oſſibus meis.* Vbi in *oſſibus* exprimi putant muros, & turres, & cætera ciuitatis præſidia, & munimenta. Cùm verò oſſa *liberanda* dicuntur, facilè intelligitur illa prius, aut captiua fuiſſe, aut alienæ voluntati mancipata, nempe Diaboli; nam qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati, & communi Scripturæ ſacræ ſermone, qui peccat, venalem habet animam, immò reipſa vendit. Vide quæ diximus ad illud *cap.* 50. *Cui vendidi vos.* Et c. 52. *Gratis venundati eſtis.* Vt ergo animæ dicuntur venditæ, ſic etiam virtutes, quæ ſunt ornamenta, & veluti propugnacula animarum dici aliqua ratione poſſunt capta, & vendita, quia cùm animæ cui ſeruire debuerunt, & eſſe munimento, iam nullum, aut certè nonniſi exiguum afferunt vſum, cùm vna excepta fide, atque ſpe, reliquæ charitate, id eſt, proprio ſpiritu, ac vita deficiente perſeuerent, quoad præcipuum, & ſupernaturalem ſtatum, & quia eſt illatum non tam vita, quàm vmbra quædam, atque veſtigia vitæ, alteri potiùs, quàm vero, & proprio domino ſeruire exiſtimantur. Illæ ergo virtutes, id eſt, oſſa, ac firmamenta capta priùs, atque compreſſa, libertatem poſtea conſecutæ ad Dominum redibunt; id eſt, ad animam, ſed potiùs ad Deum, cui anima ſibi ac Deo reſtituta ſeruitutem iterum ſeruire incipit illi, à quo antea fugitiua receſſerat.

70. Hæc iuxta illorum mentem, qui in *oſſibus* virtutes intelligunt. Sed mihi ſimplicior videtur eſſe ſententia ſecundùm ea quæ de oſſium vſu, ac ſignificatione diximus, nempe à ſeruitute liberandos illos, quorum humiliata, atque incuruata oſſa aliorum, ſiue imperio, ſiue libidini ſeruiterent. Quod in ſpirituali, ac myſtico ſenſu difficile non eſt; cùm illi qui peccato ſeruiunt, graui oppreſſi iugo, & onere prorſus importabili clamare poſſint cum Dauid *Pſalm.* 37. *Non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum: Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me. Miſer factus ſum, & curuatus ſum vſque in finem.* Ad quos Deus quotidie clamat: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Quod idem eſt atque illud quod nunc promittit Deus per Iſaiam: *Et oſſa tua liberabit*, incuruata nempe peccatorum onere.

Si hæc de Ieruſalem captiua apud Babylonios, ſiue ab hoſtibus oppreſſa interpretere, non eſt difficilis explicatio. Nam Iudæi capti, & alterius voluntati ſubiecti *venditi* non immeritò vocari poſſunt. Et quidem illos Deus vendidiſſe dicitur *Pſal.* 43. *Vendidiſti populum tuum ſine pretio.* Et *Iudic. capite* 1. *Vendidit eos in manibus inimicorum ſuorum.* Vbi *vendere* non propriè ſumitur, ſed figuratè, id eſt *tradidit.* Cùm ergo captiuorum oſſa ſub duro dominatu, graui premerentur, & incuruarentur onere, de quibus *Thren.* 3. *verſ.* 4. *Contriuit oſſa mea*, liberatum iri dicit Dominus oſſa illa à ſeruili pondere, cùm à tenebris, id eſt, ex Babylonico dominatu in libertatem emergent. 71.

Septuaginta legunt, *Et oſſa tua pingueſcent*, ſenſu prorſus eodem iuxta ea, quæ paulò antè diximus. Nam ſicut in aridis oſſibus, & ſine medulla macies intelligitur, & infortunata conditio, ſic contrà in oſſibus pinguibus fortuna intelligitur melior, & ſaturitas. Hic ſtatus aliter dicitur *irrigatio oſſium.* 72.

¶ *Et eris quaſi hortus irriguus.*] Felicitas inſignis, diùque duratura optima ſimilitudine declaratur. Magna ſanè eſt hortorum amœnitas, mirifica ſpecies, ſed ſi cœleſtis aqua opportuno tempore non adſit, & fontana, & quaſi propria deſit, facilè exareſcet horti viriditas, & ſi quid erat ſpecioſum & viride, continuò ſeneſcit, & moritur. Quare Deus liberati populi felicitatem cum horto comparat, cui iugis aqua deeſſe non ſolet, & ſuo tempore opportuna rigatio. Porrò hæc comparatio familiaris eſt Scripturæ ſacræ de iuſto *Pſalm.* 1. *Erit ſicut lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſum aquarum.* Et *Ierem cap.* 31. *verſ.* 12. cùm ſermo eſſet de eiuſdem populi reditu: *Eritque anima eorum quaſi hortus irriguus.* Sed hæc multò aptiùs conueniunt in peccatorem iam gratiæ reſtitutum, & vitæ. Cuius anima ſterilis erat, & infœcunda, neque aliter fœda, fœtenſque quàm Sodoma quondam ſpecioſa, & vber, ſicut paradiſus Dei, pòſt verò percuſſa de cœlo igne ſulphureo horrida, & tetra. Cùm verò mores, inſtitutùmque mutauerit, eam aſſumet ſpeciem, & nitorem, quam habet amœnus hortus, cui aqua iugis; & propria perpetuum ſuppeditat humorem. 73. Miſericordiæ laus.

Hic interim pro moribus obſerua qualia Deus bona miſericordiæ promittat. Summa nempe atque perpetua, quæ neque deſint, neque defloreſcant vnquam. Qualia habere ſolet hortus qui in pingui, atque feraci ſolo ſatus eſt, & cui aqua perennis nunquam deficit. Et quidem hæc quotidie experiuntur viri miſericordes, quibus Dominus abundè hæc ſuppeditat bona, quia ſe illorum liberalitati debitorem fatetur. *Prouerb.* 19 *verſ.* 17. *Fœneratur Domino qui miſeretur pauperis*: & ne à datis bonis, ſeu fortuna cadant, ſedulò prouidet. 74.

¶ *Et ſicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ.*] Optima ſimilitudine eleemoſynarum vim, atque naturam oſtendit, quámque Deus miſericordi attenre, 75. Eleemoſyna non ſpoliat, ſed ditat largitorem.

Vitus quomodo dicatur vendita. Thren. c. 1.

tentè atque aſſiduè prouideat. Proprium fontis eſt ſuam aquam, & quaſi ſua viſcera vltrò omnibus, qui accedere volent largiri liberaliter: neque enim vnquam ſibi concluſum tenet, quod ad hominũ vſum accepit à Deo: & ideo à fonte ad benignũ & liberalem animũ tranſlatio fit. Quare Deus fons bonitatis dicitur, & Beata virgo fons miſericordiæ. Sed quantumuis fons vbertim effundat, quod habet, & aliorum non ſolùm ſitim expleat, ſed etiam hortos irriget. & ſata, aqua tamen non deficit, quia Deus illi, vnde alij perpetuò hauriant, abundè ſuppeditat. Id omnino experti fatentur, qui aliorum neceſſitatibus ſubleuandis inuigilant. Nam vt multa quotidie exportent domo ad egenorum vſum, plura tamen accipiunt à debitore Deo, cui bona illa data ſunt fœnori, non modò rebus in pauperum neceſſitate collatis ſupplemento futura, ſed etiam incremento. Exempla occurrunt plurima in Eccleſiaſticis hiſtoriis, ſed illud illuſtre eſt in Scriptura ſacra de vidua, quæ modicum quod ſuperarat olei, Eliæ indigenti tradidit; quod in olei fontem poſtea conuerſum eſt. Quod alio loco metaphora non admodum diſſimili explicatur *Prouerb. 3. verſ. 10. Et implebuntur horrea tua ſaturitate, & vino torcularia redundabunt.* Eſt itaque eleemoſyna ſicut ſemen terræ feraci, atque vberi commiſſum, quod cùm exiguum ſit puta granum vnum, reddit non vnam tantùm ſpicam, ſed integrum aliquando manipulum. Expreſſit hoc ipſum Clemens Alexandrinus eadem ſed magis explicata ſimilitudine *lib. 3. Pædag. cap. 7. Quemadmodum*, inquit, *quicumque putei ſcaturiunt, exhauſti in priſtinam menſuram reuertuntur, ita etiam elargitio, quæ eſt bonus fons benignitatis, potum ſitientibus communicans rurſus augetur, & repletur quemadmodum ad vbera, quæ ſuguntur, aut etiam mulgentur, ſoles lac confluere.*

76. Vbi noſter, *non deficient aquæ*, Hebr. לֹא יְכַזְּבוּ *lo iecazebu*, id eſt, *non mentientur*, aut *fallent.* Dicuntur verò mendaces aquæ, quæ cùm videantur nullo tempore exhauriri poſſe, deficiunt tamen in æſtu, id eſt, quando magis indigemus potu. Huiuſmodi ſunt humana omnia, quæ exiſtimantur commoda, quæ cùm arrideant ſtultis rerum æſtimatoribus, tunc tamen deſerunt hiantes animos, cùm illis maximè opus erat. Hæ aquæ infideles nominantur *Ierem. cap. 15. verſ. 8. Facta eſt mihi quaſi mendacium aquarum infidelium.* Hæ verò dicuntur, vt communiter interpretes cum Chaldæo, quæ perennes non ſunt, & eo tempore plerumque ſiccantur, quo maximè ſitis viget, aut ſiccitas. At aquæ, quas miſericordi promittit Deus, nunquam erunt mendaces, ſed tunc exuberabunt affluentiùs, cùm malorum æſtus vehementiùs inflammat.

77. "Et ædificabuntur in te deſerta ſæculorum: fundamenta generationis, & generationis excitabis.] Hæc quemadmodum ſuperiora non minùs ad ſtatum Iudaicæ reipublicæ referri, quàm ad Euangelicam lucem poſſunt. S. Thomas, Vatablus, Iſidorus Clarius, & Foreirus, hæc de inſtauratione Ieruſalem terreſtris accipiunt: quod etiam, vt tradit hic Hieronymus, ſequuntur Hebræi, quos eo nomine durius accipit Hieronymus. Alij cum Hieronymo ſpiritualiter hæc interpretantur, licèt non eodem omnes modo. Nam Adamus, & Pintus ædificari fundamenta ſæculorum cenſent nihil eſſe aliud quàm inſtaurari, aut reuiuiſcere virtutes, quæ primis mundi temporibus, aut certè ſuperioribus ſæculis floruerunt. Eccleſiæ itaque tempore, aiunt, virtutes, à quibus deſertus videbatur mundus, efflore-ſcent, redibit innocentia Abel, obedientia Abrahæ, continentia Ioſeph, manſuetudo Dauid, & aliorum virorum illuſtria maximarum virtutum documenta, ita vt rediiſſe videantur aurea illarum Gentium iam pridem intermiſſa ſæcula. Hieronymus, Haymo, Hugo, Dionyſius, non longè diuerſa ſentiunt, putant enim inſtauranda illa ſuperioris ætatis laudabilia, quæ Iudæorum profligati mores, & væſana mens aut prodidiſſe, aut obliuione obſcuraſſe videbantur.

Ego vt hactenus inſtitui, mediam quandam ingreſſus viam, arbitror hæc ad vtraque tempora referri poſſe, ad ea nempe, quæ ſolutæ captiuitati ſucceſſerunt, in quibus rediuiuo opere excitatæ ſunt Solymitanæ ruinæ; & ad Eccleſiæ ſæcula, in quibus maior, magiſque diuturna moles excitanda eſt. Sed illa hiſtoricè, hæc myſticè. Quod etiam Montanus exiſtimauit. 78.

Neque difficile eſt aptare tam hæc, quàm quod reliquum eſt capitis, vtrique tempori. Ad quod reuocare oportet, tam vocem Hebraicam עוֹלָם *holam*, quàm Græcam αἰὼν, & Latinam *æternum*, ſeu *ſæculum* non ſemper ſignificare, aut quod principio caret aut quod finẽ habiturum non eſt. Vide quę ea de re pluribus diximus *c. 32.* ad illud *vſque in æternum.* Vbi tempus vaſtitatis Ieruſalem *æternum* dicitur, ſicut hîc *deſerta ſæculorum.* Quia longo tempore, toto nempe ſeptuaginta annorum ſpatio, deſerta iacuerant ciuitas, & templum: atque ita deſerta, vt ibi pro hominibus vulpes habitauerint, *Thren. 5.* Et eò neceſſe fuerit homines irrumpere cum ſagitta, & arcu, quaſi ad ferarum luſtra venationis gratia, ſuprà *cap. 7. verſ. 24.* Tantum verò temporis ex Scripturæ vſu *ſæcula* vocari poſſunt, ab his præcipuè, quibus propter præſentes calamitates, & miſerias, & patriæ templique deſiderium ſeptuaginta annorum ſpatia æternitatis inſtar obtinebant.

Quod verò ſtatim ſubditur, *fundamenta generationis, & generationis excitabis*, eodem modo explicari poteſt, & multò faciliùs: ſignificatur enim illa diuturnitas, qua ſtetit, eminuitque inter alias Regia illa, ac populoſa ciuitas, quæ vt conſtat *Geneſ. 14.* excitata iam erat, imò copioſa, & nobilis tempore Abraham, qui anno poſt diluuium treceteſimo natus eſſe creditur. Huic verò occurriſſe traditur poſt victoriam Melchiſedech, Rex Salem, quæ communi omnium fere ſententia Ieruſalem eſt, vt fatetur Hieronymus, & Ioſephus *lib. 1. antiq. cap. 11.* Quòd ſi eo tempore Ieruſalem erat regni ſedes, & caput, ſatis fit veriſimile multò ante illud tempus fuiſſe conſtructam. Ait ergo propheta, fundamenta generationis, & generationis, (id eſt, ciuitatem fundatam ab ætate Melchiſedech ad tempus vſque Sedechiæ, quo à Babylonijs exciſa fuit, inter quos fuerunt generationes quamplurimæ) fore excitanda, quæ tantùm ex ingenti mole, reliqua fecerant Babylonicus furor, & incendium. Hæc verò inſtaurari, atque excitari cœpta fuiſſe ſtatim ab exilio ſatis conſtat. 79.

Nunc eadem ad Eccleſiam accommodo eo ſenſu, qui à nobis ex Patribus indicatus eſt: nempe inſtauratum iri ſanctitatem antiquam, quæ poſteriorum væcordia, atque immoderata morum licentia iam pridem exoleuerat; quod Euangelij prædicatione perfectum eſt. Quòd ſi altius aliquid ſpectes, id eſt, deſertas ab Angelis in cœlo ſedes, quæ non videtur aliena cogitatio, ſententia erit, ab his, quibus illuceſcet Euangelicus ſplendor, inſtauratum iri antiquiſſimas ruinas, quas in cœlo fe- 80.

eſt

eit Angelorum tumor, & ambitio.

81. t t *Et vocaberis ædificator ſepium, auertens ſemitam in quietem.*] Suprà *cap.* 48. *num.* 22. diximus ex operibus aut meritis alicuius nomen trahi, vocarique aliquem in Scriptura nomine non ſuo, ſed quod aliquod opus, aut actio poſtulat. Quapropter hìc idem eſt *vocaberis ædificator ſepium*, & *eris ædificator ſepium*. Hæc ego, vt priora, duobus temporibus accommodo, Hieroſolymæ nempe liberatæ, & Eccleſiæ conſtructæ. Et quidem, ſi Ieruſalem vt vinea cenſeatur, ſicut *capite* 5. vocata fuit domus Iſrael; ſeruata eadem metaphora, ille ſepem, ſeu maceriem ædificabit, qui muros conſtruxerit, qui non aliter ciuitatem circumdant, ac ſepiunt, quam vineam ſepes, & maceria. Cùm verò Solymitani muri multis in locis eſſent interrupti, paterentque facilè cuique alieno, atque inimico, ille dicetur *auertens ſemitam*, qui murorum diuiſionem obſtruxerit, atque adeò ſemitas obcæcauerit, ſuſtuleritque, quæ ad illam murorum diuiſionem deducebant. Illud verò *in quietem* indicat quieturas ſemitas, id eſt, non iam ampliùs viatorum pedibus eſſe calcandas, aut certè auertendas eſſe ſemitas in quietem, quia ædificatis mœnibus, quieti erunt, & ſecuri, qui aliter, vt pote expoſiti vicinorum hoſtium iniuriæ, ac prædæ, non poterant eſſe animo à periculorum formidine vacuo.

82. Sed fortaſſe hæc meliùs accipiemus non figuratè, ſed propriè, quod credo ſibi facile perſuadebit, qui meminerit, quid nobis ſuprà *cap.* 7. *ad finem* obſeruatum ſit de vinearum ſepibus, vbi ab Hebræis diximus pretioſas vineas ſolere, aut maceria è ſaxo, aut è viua ſpinoſáque ſepe circummuniri. *Et omnes montes, qui ſarculo ſarrientur, non veniet illuc terror ſpinarum, ac veprium.* Quibus verbis ſepem, quam appellant *viuam*, circumſeribi diximus. Cùm ergo vineæ illæ apertæ eſſent, immò in ſyluarum aſperitatem efferatæ, ait Dominus venturum aliquando tempus, quando plantentur iterum vineæ, & ſepibus, ſicut antea muniantur, atque ita muniantur vt nulla viatori, ac furi ſemita ad direptionem pateat. Aut certè ne viatorum, aut ferarum pedibus impreſſæ ſemitæ viam deforment, aut apertam, & quaſi communem eſſe demonſtrẽt. Quæ potentium, & eorum, qui opinione vulgi fortunati creduntur, vineis accidere dicuntur *Pſal.* 143. *Non eſt ruina maceriæ, neque tranſitus.* Quod indicare videtur tranſlatio L x x. qui ita reddunt. *Et ſemitas in medio quieſcere facies*, id eſt, facies ne ſint iam ampliùs ſemitæ.

83. Porrò à vineis, aut hortis non rarò ſepes transfertur ad aliarum rerum cuſtodiam ſignificandam, figura, vt ita dicam, prouerbiali, ſicut etiam eadem figura Gens, aut populus *vineæ* appellatione ſignificatur. *Iſai. cap.* 5 de vinea electa, in qua populus Iſrael deſignabatur; *ſepiuit eam. Matth. cap.* 21. *verſ.* 33. *Et ſepem circumdedit ei.* Quare dum aliquid derelinquitur aliorúmque prædationi, atque iniuriæ permittitur, ſublata dicitur ſepes. Iſaias *ſuprà. Auferam ſepem eius, & erit in direptionem. Pſal.* 88. *Deſtruxiſti omnes ſepes eius.* Neque ab ſpecie prouerbiali diſſonat illud *Eccl.* 36. *verſ.* 27. *Vbi non eſt ſepes, diripietur poſſeſſio.*

84. Si hæc ad Eccleſiæ, id eſt, ad meliora tempora referantur, quod planè myſtico ſaltem ſenſu dicendum eſt, optimè Hieronymus in *ſepe* agnoſcit impedimenta, quæ à ſpirituali vinea latronem arcent, vetántque ne colubro, aut aliis beſtiis acceſſus pateat. Quod ſepimentum omni ratione, ac ſtu-

A dio nobis cuſtodiendum eſt: ne ſerpens antiquus ſe ſe intrò inſinuet. Quod qui diſſipare tentauerit, non feret impunitum. In quem illud conuenire putat, quod dicitur *Eccl.* 10. *Qui diſſipat ſepem, mordebit eum coluber.* S. Thomas *ſepem* peccati impedimentum exponit. Eodem penè modo Cyrillus, qui etiam addit peccatorem dum ſuo ſibi indulget genio, eſſe inſtar inutilis vineæ, quæ à feris conculcatur, & ſemitis notata frequentibus, & omnibus aperta, non tam vineæ, quàm viæ communis, ac regiæ ſimilitudinem obtinet. At dum excitatur à Domino peccator, ſibique ipſi inuigilare incipit, ſepem ſibi prætendit, aditúmque aliis ad nocendum præcidit. Additque ad extremum, hæc commode aptari poſſe myſtagogis, id eſt, quibus com- Concionatoris quid proprium.
B munis ſalutis animarum cura mandata eſt. Quibus id maximè curæ eſſe debet, vt muniant diligenter aliorum animos, ne peruij ſint voluptatum impreſſionibus, & ineptis nugis. Quod etiam putat Haymo, docétque quale illud eſſe debeat munimentum, nempe ex vepribus, qui compungant, non mulceant, aut oblectent auditorem nimis ad nugas, & ſtulta iſta blandimenta prurientem. Et quidem poſtrema hæc explicatio optimam continet veri concionatoris deſcriptionem. Eſt enim ædificator ſepium, qui ſpinas obtendit Dominicæ vineæ, id eſt, hominum animæ, ne belluæ eò irrumpant, aut ipſa foras exiliat, niſi priùs ſe compungat ſpinarum aculeis. Hic ſanè ſapiens ille eſt, de quo *Eccl. cap.* 12. *verſ.* 11. *Verba ſapientum ſicut ſtimuli, &*
C *quaſi claui in altum defixi.* Si alicuius ſermo non pungit, ſed oblectationem facit audientibus, iſte non eſt ſermo ſapientis: pœnitentiæ debet dolores, & vulnus infigere, vt ait Hieronymus.

u u *Si auerteris à ſabbato pedem tuum.*] *Pes* in 85.
Scriptura affectum animi ſignificat: quia affectibus mouetur animus; ſicut pedibus corpus. Quod ſi ita eſt, prohibuit Deus ne in die quem ſuo ſibi cultui Deus vendicauit, aliquid fieret, quod humana & peritura reſpiceret, id eſt, quod affectui irrationali immoderatè, ſeruiret. Quod ſtatim aliis, atque aliis modis iterat, & exponit: cùm vetat ne voluntatem ſuam quiſquam, aut vias ſuas faciat. Quæ rem eandem meo iudicio ſignificant, de quibus ſtatim. Sed fortaſſe locus hic magis propriè acci-
D piendus eſt, ita vt pes auertendus præcipiatur à ſabbato, quia in ſabbato religio cauet, ne iter habeatur, niſi ad certum ſpatium, illúdque perbreue. Communiter iter illud mille paſſuum eſſe exiſtimatur: qua de re nos pluribus ad illud *Actor. cap.* 1. *Sabbati habet iter.* Vbi aliquid amplius eſſe à lege, aut à conſuetudine permiſſum, exiſtimabamus eſſe probabile. Hìc per ſynecdochen in ſabbati cuſtodia intelligi videntur omnia, quæ ad diuinæ legis obſeruantiam pertinent.

x x *Facere voluntatem tuam in die ſancto meo.*] 86.
Explicatio eſt ſuperioris clauſulæ in priori ſenſu. Voluntas propria.
Voluntas tua ea eſt, quæ à viris ſpiritualibus *voluntas* dicitur *propria*, quæ videlicet legi membrorum
E paret, & humana ſectatur, non quæ ſuperna ſunt, & Deum intuentur. Quam abnegare Chriſtus iubet, immò illi bellum indicere prorſus implacabile. Hoc enim eſt abnegare ſeipſum, & crucem ſuam tollere, & Chriſtum ſequi. Hic repetendum per zeugma illud *ſi auerteris*, hoc ſenſu: Si auerteris à ſabbato pedem tuum; & ſi auerteris à die ſancto facere voluntatem tuam. Hic pro ſanctitate, & celebratione ſacrorum dierum obſerua, diem illum ſabbati appellari *Dei*: Quare Deus non patitur in

die ſpeciali religione ſibi conſecrato aliquid admiſceri non religioſum, quódque à voluntate propria ortum eſſe videatur.

87. *Feſtorum celebratio.* ʏʏ *Et vocaueris ſabbatum delicatum, & ſanctum Domini glorioſum.*] In ſabbato vtpote à laboribus aliis, atque moleſtiis vacuo, Iudæi deliciis, atque ambitioni intemperantiùs vacabant, quàm diebus aliis, in quibus domeſticus aut externus labor animos ad alias curas, atque cogitationes diſtrahebat. Nunc iubet Dominus vt id ſibi in deliciis eſſe ducant quod ad ſabbati religionem, & ſanctitatem lex ipſa petit: & ſatis ſibi gloriæ eſſe putent, ſi in ſabbato, quod *ſanctum* vocat *Domini*, id eſt, diuinæ gloriæ deſtinatum, diuini nominis gloriæ, ac ſanctitati ſtudeant. Vbi obſerua pro *delicata* Hebr. eſſe ענג *hhoneg*, quod ſubſtantiuum nomen eſt, & *delicium* valet, ſeu *oblectationem*, quare ſenſus eſt: *Si tam delicias ſabbatum eſſe ſtatuas.* *Sabbatum* verò per metonymiam ſumi puto pro his, quæ in ſabbato fieri iubentur. Quæ omnia vt in die ſancto, ſic etiam ſancta eſſe, & ſanctè fieri debent. Vt autem locus pro re, quæ in loco continetur, ſumitur, ſic tempus prò his, quæ in tempore fieri ſolent. Quo ſenſu ingrata ſibi eſſe dicit Dominus ſabbata, atque neomenias ſuprà *cap.* 1. quia, quæ illis diebus adducebantur ſacrificia, neque ſanctè, neque legitimè offerebantur. Non itaque dies, ſed dierum illorum indigna opera condemnat Dominus. Sic etiam nunc non ſabbata propriè, ſed figuratè *delicata*, ſiue *delicias* vocat, quia in deliciis eſſe debent animo piu illa, quæ fieri admonet illius diei ſanctitas, & religio.

Eodem modo ſanctum Domini, id eſt, ſabbatum, *glorioſum* futurum eſſe vult, quia pij animi ſatis ſibi gloriæ eſſe ducunt, quod à religione, atque obſeruantia naſcitur; neque illis diebus putant ambitioni vllum eſſe locum, quia diem totum ſibi vendicat diuina gloria; ne reliquum aliquid ſibi humana reſeruet.

88. a ʏ *Dum non facis vias tuas, & non inuenitur voluntas tua.*] Eadem eſt ſententia bis explicata cum epitaſi: quia facilè intelligitur quid Deus in ſabbato ſuas eſſe putet delicias, & gloriam; & quid homini eo tempore delicatum, & glorioſum eſſe debeat: nempe quod à propria volontate procul eſt; id enim valet *vias tuas*, & quod ſtatim explicatiùs adiungitur, *voluntas tua.* Et re vera illud eſt diem vocare *ſanctum, delicatam*, &c. quia actione ſancta, quæ teſtis animi eſt, ſanctum eſſe diem profitemur; & quia actio omnino conuenire debet cum nomine, qui diem vocat *ſanctum*, ſanctis quoque operibus, atque ſtudiis vacat.

89. a a a *Vt loquaris ſermonem.*] Alluſum puto ad illud ſuperiùs, *& loqui quod non prodeſt.* Septuaginta vertunt. *Neque loquaris verbum in ira de ore tuo.* Vulgatus ad verbum tranſtulit, nam Hebr. eſt ודבר דבר id eſt, *loqui locutionem*, ſeu *locutione*; quia accuſatiuus, ſeu ablatiuus cognatus eſt verbo. In quo genere repetitionis epitaſim agnoſco: qualis eſt illa *expectando*, ſeu *expectatione expectaui*, id eſt, auidiſſimè expectaui. *Memoria memor ero*, id eſt, in æternum non obliuiſcar. Sic puto hoc loco *loqui ſermonem*, ſeu loqui *locutionem*, aut *locutione*, ſignificare nugaces eſſe, aut garrulos Iudæos in ſabbato, ſoleréque otioſiùs, atque licentiùs in foro, & compitis de aliorum vita, & fama, vt aſſolet, detrahere, nugarique non libere modò, ſed etiam petulanter. Aut ſi hæc abſint, quod perquàm rarum eſt, ab otioſis hominibus, illud autem abeſſe non ſolet, quod de Athenienſibus traditur *Actor. cap.* 17. vt ſemper aliquid noui aut audiant aut loquantur. Id ergo vetat Dominus in ſabbato fieri, quod meo iudicio illa repetitio perſuadet, quæ in loquendo garrulitatem indicat, & intemperantiam.

b b b *Tunc delectaberis ſuper Dominum.*] Cùm hæc præſtiteris, experiere Deum eſſe fidelem, & in te completas eſſe diuinas promiſſiones delectaberis. Septuaginta paulò aliter, ſed eodem credo ſenſu. *Et eris confidens ſuper Dominum*, id eſt, intelliges quàm tuta ſit & certa ſpes in Domino locata. 90.

c c c *Et ſuſtollam te ſuper altitudines terræ: & cibabo te hæreditate Iacob Patris tui.*] Præ vicinis ſaltem regionibus altam eſſe Ieruſalem argumento eſt, quod vndecumque locorum homines in illam dicuntur aſcendere. Sed credo *altitudinem* hîc non propriè ſumi, ſed figuratè pro terræ bonitate, cui tanta ineſt vbertas, vt manare dicatur lacte, & melle. Quo ſenſu etiam interpretor illud *Deuter.* 32. *verſ.* 13. *Conſtituit eum ſuper excelſam terram, vt comederet fructus agrorum, vt ſugeret mel de petra.* Quod omnino Septuaginta indicant, qui ita vertunt, *& alenabit ſuper bona terræ.* Explicat autem ſatis apertè quænam ſit illa terræ bonitas, ſeu altitudo metaphorica, dum ſubdit. *Et cibabo te hæreditate Iacob:* nempe terra promiſſionis, quam Iacob per poſteros ſuos antè poſſederat. 91. *Deut. 32.*

Hieronymus in terræ altitudine cœleſtem intelligit Ieruſalem, de qua terra ſatis in hunc locum multa. *Terra*, inquit, *mitium, terráque viuentium non eſt deorſum, ſed ſurſum eſt. Denique ad Loth de Sodoma, & Gomorrha vallo fugientem dicitur, In monte ſaluum te fac: ad quem poſtquam peruenit, ortus eſt ei ſol in Segor. Sol* autem *exoriens in monte* aliquid deſignat lætum, & ſplendidum, quale in cœlorum altitudine affulget beatis, quos è Sodomorum incendio Dominus euocauit. Gregorius *lib.* 31. *Moral. cap.* 34. hæc de rerum humanarum deſpicientia exponit. *Hoc namque eſſe ſpeciale ſpecimen electorum ſolet, quòd ſic ſciunt præſentis vitæ iter capere, vt per ſpei certitudinem nouerint iam ſe ad alta perueniſſe: quatenus cuncta quæ præterfluunt ſub ſe eſſe videant; atque omne quod in hoc mundo eminet, amore æternitatis calcent. Hic eſt enim, quod ſequenti ſe animæ per prophetam Dominus dicit. Suſtollam te ſuper altitudines terræ: quaſi quædam namque inferiora terræ ſunt damna, cõtumelia, egeſtas, abiectio, quæ ipſi quoque amatores ſæculi, dum per lata viæ planitiem ambulant, vitando calcare non ceſſant. Altitudines autem terræ ſunt lucra rerum, blandimenta ſubditorum, diuitiarum abundantia, honor, & ſublimitas dignitatum, quæ qui per ima adhuc deſideria incedit, eo ipſo alta æſtimat, quo magna putat. At ſi ſemel cor in cœleſtibus figitur, mox quàm abiecta ſint cernitur; quæ alta videbantur.* Vide in Gregorio reliqua, quæ ſanè digna ſunt tanto Doctore. Vbi hæc eadem aquilæ ſimilitudine quæ in arduis ponit nidum ſuum, grauiter, & eleganter exprimit. 92.

Hîc non nemo dubitare poſſet, quomodo hæc tam grandia, tam illuſtria, vni ſabbatorum religioſæ cuſtodiæ promiſſa ſint: cùm alia ſint etiam religioſa feſta, in quibus neque pauciora, neque leuiora peccabantur à Iudæis. Cui facilè ſatisfaciet Scripturæ conſuetudo, quæ in ſpecie vna, aut re vna ſingulari, totum genus, aut rerum multitudinem oſtendit. Vnde *panis* pro quocumque cibo: *heri* pro tempore quocumque præterito: & *cras* pro futuro paſſim occurrunt. Et in hac materia exemplum habemus huic affine valde *Zachar. cap.* 14. 93.

Vbi

Vbi non diſſimilia Dominus promittit his, qui feſtum tabernaculorum celebrauerint, in quo haud dubiè reliqua intelliguntur feſta. Eodem modo ſuprà *cap. 56.* obſeruationem ſabbati magna propoſita mercede commendat.

94 Hæc hactenus maiori ex parte hiſtoricè à nobis expoſita ſunt de Iudæorum temporibus, de quibus apertè S. Thom. & Foreirus hunc locum intelligunt, ſed noſtro more iam, quod fecere ex interpretibus plerique alij, myſticè de Eccleſia aut etiam de beatitudine interpretemur. Sabbatum Iudæorum, vt docet Paulus *ad Hebræos cap. 4.* veræ illius quietis vmbra fuit, quam in cœlis agunt Beati. Sed quia in eo Iudæi ab aliis occupationibus feriati Deo vacabant, & præ aliis feſtis diebus ſacrum erat ac celebre, ideo temporis maximè celebris ac ſancti ſymbolum, & typus eſt, vt videntur hîc velle interpretum plerique. Docet apertè Cyrillus *lib. 3. in Ioannem cap. 34.* & hîc optimè ſabbatum verum & ſpirituale vocat otium, ſeu ceſſationem à peccando. Ab hoc autem ſabbato pedem auertere, vt Hieronymus ait, nihil eſt aliud, quàm à peccatis abſtinere. Cauet enim lex ne ſeruile aliquod opus in eo fiat; at quid ſeruile magis quàm ſubeſſe peccatis, & portare grauiſſimum illud onus, quod ad inferos vſque Angelos è cœlo deturbauit? Eodem penè modo hîc Cyrillus. *Illud*, inquit, *auerteris pedem tuum à ſabbatis, aliud nihil eſt, vt ego cenſeo, niſi, vt non agat, quæ quis voluerit, neque propriæ voluntatis ſemitas perſequatur.* Et ſtatim. *Qui ergo à Deo approbari volunt, fortiter, ac iuueniliter ſuam volunta-*A *tem oppugnare debent.* Haymo auertendum eſſe pedem ait, ne ſabbatum pedibus, id eſt, prauis operibus cóculcemus, polluamúſque. Ille enim ſanctum polluit, qui parum reuerenter ac religioſè ſanctum tractat. Quo ſenſu pollui dicitur nomen Dei ab eo, qui illud in vanum aſſumit: & locus item ſacer, ſi in eo aliqua committantur peccata, aut certa quædam opera indigna templi ſanctitate.

ddd *Et vocaueris ſabbatum delicatum*, &c.] Quæ ſuprà de Iudæorum ſabbato dicta ſunt, huc aſcribi poſſunt, & multò meliùs, ne alias ſcilicet quæramus delicias, aut gloriam, quàm præſtare illa, quæ Deus à nobis in illo nobiliſſimo ſabbato præſtari vult. Cyrillus *delicatum* ſeu *tenerum* vocari ſabbatum exiſtimat, in quo homo nihil facit, quod propria ſuggerit, aut ſuadet voluntas. *Summiſſi*, inquit, *tractabiles, & ſequaces mores tenerum Deo præſtant in ſabbato otium, & ſpiritualem ſabbatiſmum.* Qui ideo *tenerum* vocat ſabbatum, quia à tenera ceruice colitur, id eſt, obſequenti, & facili. In tenera autem, & molli ceruice obedientiam agnoſcunt tres Patres apud Theodoretum, in illud *Cant. 1. Collum tuum ſicut monilia.* Vbi dicunt ſponſæ collum adeò non eſſe durum, vt flectatur ea facilitate, qua aureum filum molliter in monilia leteſcens; quod facilè ſequitur artificis manum, neque ad vllam formam, quam deſignat artifex, repugnat. Cætera quæ de Iudæorum temporibus expoſita ſunt, ad meliora, id eſt, Euangelica tempora accommodare promptum eſt. *Hæc de capite quinquageſimo octauo.* 95.

B

Argumentum quinquageſimi noni capitis Iſaiæ.

PRINCIPIO reſpondet Deus Iudæorum tacitis ſiue cogitationibus; ſiue querelis; qui in Deo aut fidem deſiderare videbantur in promiſſis; aut ad fidem ſeruandam fortitudinem. Ad quos contrà Deus, neque ſibi contractam eſſe manum ad præſtandas, neque ſurdas aures ad audiendas preces, & vota Iudæorum; obſtare tamen illorum peccata, quæ, & numero plurima ſunt, & genere ipſo grauia: quæ ſtatim enumerat: Propter quæ propheta ſignificat magno ſuo merito grauiter afflictum eſſe populum. Deinde Deus ſua tantùm adductus miſericordia armis ſe accingit, ad miſerorum libertatem opportunis. Quibus ſalutem promittit, modò ab impietate reſipiſcant. Quod ad extremum, iubet, ne ex Iſaiæ, aut poſterorum ore in ſempiternum excidat.

CAPVT LIX.

1 [a] ECCE *non eſt abbreuiata manus Domini, vt ſaluare nequeat, neque aggrauata eſt auris eius, vt non exaudiat.*

2 [b] *Sed iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos, & Deum veſtrum,* [c] *& peccata veſtra abſconderunt faciem eius à vobis,* [d] *ne exaudiret.*

3 [f] *Manus enim veſtræ pollutæ ſunt ſanguine, & digiti veſtri iniquitate: Labia veſtra locuta ſunt mendacium, & lingua*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 SI minùs adhuc Deus exaudiuit vos, neque ad veſtras preces, aut vota reſpondit, non ideo eſt, quia debilis eſt illi, atque contracta manus, ita vt ſaluare captiuos, aut optata impartiri non poſſit: aut quia obduratæ ſint aures, & obſtructæ, ne per illas ad animum oratio penetret.

2 Peccatis hoc veſtris potiùs aſcribite, quæ inter Deum, & vos, grandem interpoſuerunt molem: diuinámque faciem, atque clementiam auerterunt, ne votis veſtris, ac precibus annueret.

3 Manus enim veſtræ, quas ſupplices in oratione leuatis, ſanguine ſtillant: & digiti veſtri multiplici ſe iniquitate polluerunt: neque à mendacio

mendacio labia, neque ab iniquitate, & dolo lingua veſtra ſe continet.

4 Nemo eſt, qui ad iudicandum iuſtitiam adhibeat, quæ cauſam expendat, & iudicium moderetur: nemo qui verè, atque incorruptè iudicet: & nihilominus in ſua illa fucata religione, vaniſſimóque ieiunio confidunt, quæ apud me inſtar obtinent nihili, & quæ de ſe ipſis arroganter loquuntur, meræ nugæ ſunt, & mera vanitas: conceperunt animo, quo modo aliis laborem, & moleſtiam exhiberent: quod tamen totum in eorum caput, atque perniciem conuerſum eſt.

5 Qui ita viuendi rationem inſtituerunt, vt ex rapina & fraude victum ſibi, atque veſtitum compararent; ſanè illis ſimiles ſunt, qui ex aſpidum ouis ſibi cibum parari, atque condiri volunt; quæ dum frangunt, in illis regulum inueniunt potiùs, quàm alimentum; & qui ex araneanum telis veſtimenta conſuunt. Nam qui ex viperinis ouis comederit, concepto viſceribus veneno peribit, neque enim in eo quicquam fouetur, aut adoleſcit præter baſiliſcum.

6 Neque meliùs ſibi de veſtimento conſuluerunt: nam telæ, quas ex fraudata pecunia texuerunt, non magis illos commodè, atque honeſtè operient, quàm filamina illa, quæ ex ſuis viſceribus aranea trahit. Opera enim illorum inutilia ſunt: quia in eorum manibus ſola apparet iniquitas.

7 Greſſus illorum eò feruntur, vt malum, & cædem moliantur: neque quidquam meditantur, aut cogitant, quod allaturum ſit aliquod operæ, atque ſtudij pretium. In eorum operibus tantùm ſpectatur, & quæritur vaſtitas, & contritio.

8 Nihil meditantur, aut quærunt, quod pacis habeat, atque concordiæ fructum. In eorum conſiliis nulla eſt iudicij, aut honeſtatis ratio: nihil non audent, quod ſit contra æquum, & fas. Elegerunt ſibi ſinuoſas ſemitas, & incuruos anfractus: quas qui ingreſſus fuerit, longè erit, vt pacis fructû, aut quod optari poſſit, conſequatur.

9 Propter hoc, ô Iudæi, conſecuti non ſumus iudicium atque iuſtitiam, quæ noſtris ieiuniis, atque animi afflictionibus deberi putabamus; propter hoc, cùm in tribulationum tenebris libertatis, & quietis lucem optaremus, adhuc tamen hæremus in tenebris; in tenebris, inquam, ambulamus, eùm ſplendorem, & lucem expectaremus.

10 Errauimus ſicut cæci: quibus quia manus pro oculis ſunt, parietes attrectant, & palpant: neque minùs in meridiana luce, quàm in nocturna caligine cæcutimus: aut magis à ſolaribus radiis illuſtramur, quàm mortui, qui iacent in ſepulcris.

11 Sic autem erit grauis, & longa lugendi materies, vt & gemitus triſtis ſit, & vehemens, qualis

gua veſtra iniquitatem fatur.

4 [g] *Non eſt, qui inuocet iuſtitiam, neque eſt qui iudicet verè:* [h] *ſed confidunt in nihilo, & loquuntur vanitates:* [i] *conceperunt laborem, & pepererunt iniquitatem.*

5 [k] *Oua aſpidum ruperunt, &* [l] *telas araneæ texuerunt:* [m] *qui comederit de ouis eorum, morietur:* [n] *& quod confotum eſt, erumpet in regulum.*

6 [o] *Telæ eorum non erunt in veſtimentum, neque operientur operibus ſuis: Opera eorum opera inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum.*

7 [p] *Pedes eorum ad malum currunt, & feſtinant, vt effundant ſanguinem innocentem: Cogitationes eorum, cogitationes inutiles: vaſtitas, & contritio in viis eorum.*

8 [q] *Viam pacis neſcierunt, &* [r] *non eſt iudicium in greſſibus eorum:* [ſ] *ſemitæ eorum incuruatæ ſunt eis.* [t] *Omnis qui calcat in eis, ignorat pacem.*

9 [v] *Propter hoc elongatum eſt iudicium à nobis, & non apprehendet nos iuſtitia;* [x] *expectauimus lucem, & ecce tenebræ: ſplendorem, & in tenebris ambulauimus.*

10 [y] *Palpauimus ſicut cæci parietem, & quaſi abſque oculis attrectauimus:* [z] *impegimus meridie quaſi in tenebris, in caliginoſis quaſi mortui.*

11 [aa] *Rugiemus quaſi vrſi omnes, & quaſi columba meditantes gememus:* [bb] *expectauimus*

ctauimus iudicium, & non eſt: ſalutem, & elongata eſt à nobis.

12 [cc] *Multiplicata ſunt enim iniquitates noſtra coram te, & pecata noſtra reſponderunt nobis.* [dd] *quia ſcelera noſtra nobiſcum,* [ee] *& iniquitates noſtras cognouimus;*

13 [ff] *Peccare, & mentiri contra Dominum: & auerſi ſumus, ne iremus poſt tergum Dei noſtri, vt loqueremur calumniam, & trangreſſionem. Concepimus, & locuti ſumus de corde verba mendacij.*

14 *Et conuerſum eſt retrorſum iudicium, & iuſtitia longè ſtetit:* [gg] *quia corruit in platea veritas, & æquitas non potuit ingredi.*

15 *Et facta eſt veritas in obliuionem: &* [hh] *qui receſſit à malo, prædæ patuit:* [ii] *& vidit Dominus, & malum apparuit in oculis eius, quia non eſt iudicium.*

16 [kk] *Et vidit quia non eſt vir: & aporiatus eſt, quia non eſt qui occurrat:* [ll] *& ſaluauit ſibi brachium ſuum,* [mm] *& iuſtitia eius ipſa confirmauit eum.*

17 [nn] *Indutus eſt iuſtitia vt lorica,* [oo] *& galea ſalutis in capite eius:* [pp] *indutus eſt veſtimentis vltionis, & opertus eſt quaſi pallio zeli.*

18 *Sicut ad vindictam quaſi ad retributionem indignationis hoſtibus ſuis, & viciſſitudinem inimicis ſuis:* [qq] *inſulis vicem reddet.*

19 [rr] *Et*

qualis vrſorum rugitus: & penè naturalis, & proprius, qualis eſt columbarum, quæ nunquam non gemunt. Expectauimus iudicium, & ſalutem propter merita, quæ putabamus maxima; ſed fruſtra expectauimus: longè enim à nobis receſſerunt.

12 Si in nobis eſſet vera ſanctitas, & non fucata religio, reſponderet vtique nobis, dediſſétque ſalutem; ſed quia vera fuerunt, & non fucata crimina, illa nobis tot infortuniis, & caſibus reſponderunt. Vrgent itaque nos, atque exagitant peccata noſtra, dum tot ærumnarum ſtimulis compungunt; & iam tandem edocti malis noſtrorum ſcelerum magnitudinẽ cognouimus,

13 Cognouimus, inquam, nos peccaſſe, neque fideliter præſtitiſſe, quæ debuimus: & à Dei mandatis, atque veſtigiis receſſiſſe, vt fraudulenter loqui, & iuſtitiæ ſemitas tranſgredi liberè poſſemus. Concepimus in animo mendacium, illúdque foras produximus fallaci lingua.

14 Iudicij, atque æquitatis ratio prorſus exoleuit; in plateis, vbi cauſæ diſceptantur publicè legitimo foro. Dolus tantùm dominatur, atque calumnia: eóque progreſſa fraus, & largitio, vt in eis nullus iam ſit æquitati, aut veritati locus.

15 Sic autem à foro, locíſque publicis profligata eſt veritas, vt illius inducta videatur obliuio. Quare rem ille quotidianis cumulat lucris, qui periuriis, atque aſtu negotia tractat: cui præda in-ſtus eſt, qui nihil molitur, niſi ſincerè, neque nonit fraudibus fraudes alias, atque verſurias obtẽdere. Neque verò latuit diuinos oculos, neque bonum illi viſum eſt, tam apertè, atque inuerecundè proditum eſſe iudicium.

16 Quæſiuit Dominus virum, qui intentum iam ad vindictam animum retardaret; & diſtrictum gladium in vagina reconderet. Cùm autem eiuſmodi occurreret nemo, animo fuit anxio, atque perplexo. Saluauit nihilominus populum patrono deſtitutum brachio ſuo, ita vt à ſua tantùm clementia habuerit, quo populum omni ſupplicio digniſſimum liberaret; & ſua illum iuſtitia confirmauit, vt in hoſtes à quibus vexatus populus fuerat, animaduerteret.

17 Ergo vt ſtratis hoſtibus, populum liberaret durè vexatum, idoneis ad id negotij armis ſe ipſum accinxit: habuit enim pro lorica iuſtitiam, & fidem, qua populum à ſe ſaluandum fore promiſit, pro galea, ſalutem captiuæ Gentis, quam expectabat illa armorum inſtructio: aſſumpſit indumenta, non quæ pacis ornamenta ſunt, ſed quæ vltionis inſignia: & pallium, ſeu chlamydem, quam zelus, & indignatio poſtulat.

18 Sic ergo munitus ad vindictam procurret, & talia hoſtibus rependet, qualia ipſi populo inflixerunt incommoda. Etiam ſi in inſulis quàm longiſſimè abſint, ibi tamen ſuorum meritorum

ritorum retributionem, & pœnarum viciſſitudinem habebunt.

19 Hoc verò ſupplicium ſic erit ſeuerum, & graue, vt omnes populos, ſiue ad orientem ſolem ſiuę ad occidentem pertineant, Dei timor inuadat: & diuinæ gloriæ ingens admiratio. Cùm exercitus, inſtar fluminis rapidi, aduenerit, quem ſpiritus Domini coget, & in ſui nominis, ac populi inimicos armabit.

19 [ff] *Et timebunt, qui ab occidente, nomen Domini: & qui ab ortu ſolis, gloriam eius:* [gg] *cùm venerit quaſi fluuius violentus,* [hh] *quem ſpiritus Domini cogit.*

20 Cùm venerit vt redimat ex Sionis filiis, eos, qui ab iniquitate animos ad pietatem traduxerunt.

20 [ii] *Et venerit Sion redemptor, & eis, qui redeunt ab iniquitate in Iacob, dicit Dominus.*

21 Hoc fœdus meum cum populo: hæc mea promiſſio, conſecuturos eſſe libertatem eos, qui ex genere Sionio impietatem execrati ſanctitatem coluerint. Tu verò ô Iſaia, curato, ne verba, quæ meus tibi dictauit ſpiritus, de tuo ore vnquam recedant; quod etiam edico poſteris, poſterorúmque filiis in ſempiternum.

21 [kk] *Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus;* [ll] *ſpiritus meus, qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, nòn recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, & de ore ſeminis ſeminis tui, dicit Dominus, amodo & vſque in ſempiternum.*

IN CAPVT QVINQVAGESIMVM NONVM COMMENTARIVS.

1\. ECCE *non eſt abbreuiata manus Domini, vt ſaluare nequeat; neque aggrauata eſt auris eius, vt non exaudiat.*] Hæc magnâ ex parte à nobis explicata ſunt *cap. 50. num. 15.* vbi eadem ferme ſunt verba. Reſpondet adhuc Dominus Iudæorum querelis, docétque quominus eorum votis, & precibus hactenus annuerit, non ex eo natum quòd ipſi defuerit ad liberandos illos ea facultas, qua ex Ægypto liberauit eorum parentes, & obnitentibus hoſtibus Chananæis in promiſſam hæreditatem introduxit: aut quòd aures aggrauatæ fuerint, id eſt, hebetes, aut ſurdæ; ſed quia in ipſis cauſa fuit, eáque non leuis, cur poſtulata impetrare non debuerint, enumerátque ſcelera quædam, quæ tranſlationibus mirè ſignificantibus explicat, & amplificat.

2\. Ad quodnam tempus iſta pertineant non laboro, quia ſpectare puto, eo quo explicui modo, ad tempus obſeſſæ ciuitatis, & captiuitatis Babylonicæ, & ad Eccleſiæ, ſeu Euangelij ſæculum; & hoc præcipuè, nam in quolibet horum temporum grauia Iudæi pertulerunt incommoda, ſed hac diſputatione prætermiſſa, quæ ex ſuperioribus definita eſt, aliò iam incumbamus.

3 [b] *Sed iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos, & Deum veſtrum.*] Humano Deus loquitur modo. Vt enim homines cùm murus, aut aliqua alia moles intercedit, neque alteri auxilij gratia manum porrigere, immò neque clamantem audire poſſunt; ſic inter peccatorem, & Deum aliquid videtur interpoſitum, quominus vota peccatoris, & preces ad illum perueniant; aut ipſe dexteram ad auxiliandum extendat. Quo ſenſu dictum eſt, *Thren. 3. verſ. 44. Oppoſuiſti nubem tibi ne tranſeat oratio.* Quibus verbis optimè peccati natura deſcribitur, quæ

Peccatũ ſeparat à Deo.

A inter Deum, & hominem, molem interponit ingentem, quæ non patitur inter illos commercium eſſe familiare. Obiicit aggerem affluentiſſimo flumini, ne aquas exuberantes, & exundare geſtientes aridam terram rigent, & fœcundam reddant. Obiicit murum, ne ſol inſidentem intus, & in ſuo quaſi regno commorantem caliginem depellat: offirmátque chaos medium, atque immenſo ſpatio diffuſum, ne qua hinc inde commeatio fiat. Denique vt inter cœlum, & infernam damnatorum cuſtodiam vaſta terræ, & aliorum elementorum moles intercedit, ſic quoque peccator à Deo ingenti diſſidet interuallo, quia licèt nondum in illum carcerem demerſus, illi tamen proximus eſt.

Quomodo Deus inuitus à peccatore recedat, & ab illo repulſus cupiat tamen redire, & dormientem excitet, & nolentem inuitet, ſæpe repetunt, & 4.
B inculcant Patres: quia id maximè languentem peccatoris animum confirmat. Vide quæ diximus *cap. 30. num. 49.* Nam licèt peccatoris impudentia id mereatur, imò id exigat peccati indignitas, & natura, ne quod à Domino beneficium recipiat, benignitas tamen Domini, quam nulla peccatorum multitudo, aut grauitas exhaurit, parata ſemper eſt vt tanto interuallo diſtantem audiat, & nouis ſemper officiis amplectatur, atque ornet.

[c] *Peccata veſtra abſconderunt faciem eius à vobis.*] Quid ſit *faciem abſcondere*, diximus *cap. 57.* 5.
ad illud *abſconde à te faciem meam*, id eſt, non attendere, neque curare ea quæ alij, aut orant, aut deſiderant. Peccata verò ideo dicuntur faciem Dei abſcondere, quia aut murum opponunt ne Deum propitium intueamur, aut nubem offundunt, vt modò ex Ieremia dicebamus in Threnis, quæ nobis diuinam eripit faciem, & prohibet ne ad Deum noſtra penetret oratio.

d *Ne*

6. [d] *Ne exaudiret.*] Vſitatum eſt in Scriptura, vt quæ nullum habent ſucceſſum, illa dicantur facta non fuiſſe. Qua ratione ſæpe dicit *non exaudiam vos*, id eſt, non concedam, quod à me petitis: & contrà *audire* idem eſt, quod ad ea, quæ poſtulata ſunt, annuere. Vide quæ diximus *capite præcedenti* ad illud: *Et non aſpexiſti*. & *cap. 43. num.* 40. de verbo *Recordor*. Cùm ergo Deus aures haberet neque ſurdas, neque ad audiendum obduratas; tamen dicitur *non audire*, quia ab illis, quæ populus ille patiebatur incommoda, non eripuit. Quod expreſſit Septuaginta tranſlatio, quæ clariùs reddidit, *vt non miſereatur*.

7. L x x. paulò aliter conuertunt. *Propter peccata veſtra auertit faciem ſuam à vobis, vt non miſereatur.* *Peccati fœditas.* Quæ ſic exponit Hieronymus. *Oſtendit quod fœtorem peccatorum, & iniquitatem eorum ferre non potuerit.* Humano nimirum ſenſu, ac modo loquitur de Domino propheta. Nam quemadmodum ſi quid terrum occurrat, & aſpectu horridum, oculos, & ſi quid, quod grauem habeat halitum, nares auertimus, ſic quia peccatum omni cœno, ac ſanie grauceolentius eſt, Dominus ab eo faciem auertit. En quibus odoramentis diabolus animam imbuit. Quàm longè aliter Deus illam afficeret! Quomodo eo ſuffiret aromate, quod iucundum odorem, & cœleſti proximum exhalaret! de quo eſt illud *Eccl* 24. *Ego quaſi ſtorax, & galbanus, & vngula, & gutta, & quaſi Libanus non inciſus vaporaui habitationem meam.* Sed vt hîc odor è cœlo deriuatus eſt, qui Dominum allicit; ſic ille diabolicus fœtor ex cœnoſa inferni proluuie, qui diuinam faciem abſcondit, & auertit. Statim autem oſtendit vnde nam effletur odor ille teter: ex manibus nempe pollutis, & viſceribus venenatis, quæ fœdum ſemper aliquid eructant, fouéntque ac rumpunt aſpidum oua; de quibus ſtatim.

8. Addit Hieronymus ibi admirandum diuinæ bonitatis argumentum. *Auertit*, inquit, *faciem ſuam ne eorum turpitudinem cerneret, & ſtatim percutere cogeretur.* *Admirabile diuinæ clementiæ ſignum.* Sicut facere interdum parentes ſolent, qui impotentes iræ, & filiorum amantes audire nolunt, aut videre filiorum errata, ne furori ſuo potiùs obſecuti, quàm filiorum charitati in illos immoderatè ſæuiant. Eodem conſilio Deus *Exod* 33. *verſ.* 3. poſt adorationem vituli dixit ad Moyſem. *Non aſcendam tecum, quia populus duræ ceruicis eſt: ne fortè diſperdam te in via.* Quæ verba non tam ex illius Gentis odio, aut offenſione, quàm ex ſingulari diuini pectoris clementia, nata ſunt, vt dicit Auguſt. *q.* 150. *in Exodum*, & Abulenſ. *in illum locum.* Nam cum illo, qui diuinis abutitur beneficiis, tunc Deus clementer agit, cùm minùs ſe gerit liberaliter. Talentum enim abſconditum quod ad negotiationem conferri debuit, ſupplicij occaſio fuit, non lucri, otioſo, atque infideli ſeruo.

[f] *Manus enim veſtræ pollutæ ſunt.*] Hæc aperta ſunt, & magna ex parte à nobis explicata *cap.* 1. *num.* 48.

9. [g] *Non eſt, qui inuocet iuſtitiam*, &c.] Sententia aperta eſt, loquendi modus paulò obſcurior. Placet Adami ſententia, qui cenſet *inuocare iuſtitiam* eſſe illam ad iudicandum ſiue ad conſilium adhibere. Qua ratione ſæpe dicimus *aduocare leges*, ſiue *ad iudicium adhibere*, cùm ſecundum leges iudicamus. Senſus autem horum verborum ſtatim explicatur magis, cùm dicitur. *Neque eſt qui iudicet verè.* Foreirus hoc poſtremum paſſiuè exponit, id eſt, nemo verè, & iuſtè iudicatur. Et fauet vox Hebr. נשפט *nispat*, quæ in coniugatione paſſiua eſt, ſed eſt ſenſus idem.

[h] *Et confidunt in nihilo.*] Quidam exponunt *in idolis*, quæ *vanitas* dicuntur, & *nihil*. Iuxta illud Pauli 1. *Cor.* 8. *verſ.* 4. *Idolum nihil eſt in mundo*, qua de re nos aliquid *cap.* 41. *num.* 45. Ita S. Thomas, Haymo, & Hugo: qui eo ipſo hæc de tempore, quod Chriſti anteceſſit aduentum interpretari videntur. Quia ſub aduentum Chriſti inter Iudæos idolum non fuit. Fuit ante Babylonicum exilium, imò vt *ex Ierem. cap.* 16. conſtat, in ipſa captiuitate idola coluerunt. 10. Alij in *nihilo* opera illa inania intelligunt, de quibus ſuprà, quæ cùm fucatam tantùm, & externam haberent ſanctitatem, nihil ſunt; cùm apud Deum id habeant gratiæ, quod ipſe nuper ſignificauit. *Opera hypocritis qualia.* Alij aliter exponunt, ſed hoc poſterius mihi magis videtur ad rem. Hebr. eſt תהו *tohu*. Quod alij *vanitatem*, ſeu *vacuitatem* tranſferunt: quam habuiſſe terra dicitur *Geneſ. cap.* 1. cùm primùm eſſet informis. Cuius ſimilitudinem referunt inania opera ſtultum ob finem ſuſcepta: in quibus præter ſpeciem vacuam ab omni pondere, & confuſum chaos, & molem quandam informem, nihil eſt quod ſpectes, aut inuenias amplius.

11. [i] *Conceperunt laborem, & pepererunt iniquitatem.*] A conceptu, & partu multæ fiunt tranſlationes ad alios ſenſus in omni ferme lingua. Quicquid in animo, & cogitatione latet, neque vnquam in aliorum oculos erupit, aut externum actum, *concipi* dicitur. Vnde illud frequens *iram*, *odium*, aut *vindictam concipi*: quæ cùm erumpunt foras, tunc fœtum animus enititur, & parit. Sic modò, quæ impij illi, contra quos hæ vibrantur propheticæ minæ, mente agitabant, ſiue ad cædem, ſiue ad rapinam, ſiue ad quamuis aliam intemperantis animi labem, *conceptus animi* vocatur: hæc verò eadem ad rem collata, & ad vſum exprompta, licèt illum nullo modo ſortita, *partus* dicuntur.

12. Nunc iam expendendum, quis ſit labor ille, ſeu dolor, qui à peccatore concipitur. *Peccatoris moleſtia.* Quidam cogitationem ipſam peccatoris laborem eſſe credunt, quo peccator ipſe ſe ipſum grauiter pungit, & excruciat: neque enim quod procul à ratione recedit, poteſt non torquere rationalem naturam. Poſtquam autem dolorem concepit, perinde atque echinus ſpinoſum fœtum, cum dolore poſtea, & nixu crudeli parturit, ac tandem parit iniquitatem. Ita Hugo, Dionyſius, Pintus, & alij. Quo ſenſu dixit Ieremias *cap.* 9. *verſ.* 5. *Vt inique agerent laborauerunt.* & *Iſaia cap.* 57. *verſ.* 10. *In multitudine viæ tuæ laboraſti.* Et quidem, vt experientia ipſa docet, conceptus fœtus dum in materno fouetur, & augeſcit vtero, moleſtias aſſiduas affert genitrici, & longa faſtidia. Neque minora afferunt illæ cogitationes, atque ſtudia, dum in animo latent, foraſque erumpere, & exilire geſtiunt. Norunt hoc ambitioſi, atque auari; norunt amatores inſani, & quos vindictæ ardor, atque ſtudium inflammat; qui dum impotenti illo æſtuant deſiderio, duriùs cruciantur, quàm quos parturientis nixus, aut viſcerum dolor exagitat.

13. Alij cenſent in quibus eſt S. Thomas, Cyrillus, Foreirus, Pintus, Emanuel Sa, laborem, ſeu dolorem à peccatore concipi contra proximum ſuum, ac tamdiu fœtum illum crudelem foueri, ac roborari in malè fœcundo animo, donec tandem foras ſe ſe effundat iniquitas. Tunc verò ſenſus eſt, Conceperunt iſti, quorum pollutæ manus, & lingua fallax, & procax, laborem, quem exhiberent aliis, dum ſuis ipſi commodis, voluptatibus, atque am-

bitioni ſeruiunt: Et quia conceptus ille, ac fœtus animorum erat iniquus, quod conſequens erat, iniquitatem pepererunt. Quam eaplicationem mihi perſuadet totus capitis textus, qui de impiorum conſiliis in aliorum fraudem loquitur. Et *Pſal.* 7. qui eiſdem ferme verbis ſimilem vim, & calumniam ſignificat; quam tamen in auctoris ſui perniciem conuerſam eſſa dicit, ſicut hîc, vt reor, facit Iſaias. *Concepit dolorem, & peperit iniquitatem: lacum aperuit, & effodit eum; & incidit in foueam quam fecit.* Quæ verba, tam apud illum, quàm apud Iſaiam, prouerbialem habent ſpeciem in eum, qui cùm aliis videatur aliquid moliri aduerſi, in ſe ipſum fraudem, & infortunium comparat. Qualia multa ſunt apud Latinos, vt illud, *Faber, quas fecit compedes, ipſe portat.* Sed in eo differt Dauid ab Iſaia, quia ille in altera parte prouerbij tranſlationem ducit à fouea, & lacu, hic ab aſpidum ouis, de quibus ſtatim. Sumitur autem hoc loco *labor* actiuè, qui nempe contra alios concipitur, & in eorum caſum deſtinatur, non quo ille afficiatur, qui laborem meditatur, & molitur in alios. Qui tamen labor in auctoris ſui caput conuertitur. Quod accidit Aman, qui crucem erexit Mardochæo, in quam ipſe ſublatus eſt *Eſther cap.* 7. Et his, qui id egerunt, vt Daniel in lacum leonum dimitteretur, *Dan. cap.* 6. & iterum cum aliis duobus pueris conijceretur in ardentem fornacem, *Dan.* 3. nam iſti in eandem foueam inciderunt, quam aliis aperuerant, & ab aſpidum ouis occiſi ſunt, quæ in ſuo ipſi confouerant ſinu.

Quæ aliis molitur peccator, in ſeipſum confert.

Prouerbiũ.

14. k *Oua aſpidum ruperunt.*] Prouerbium hoc eſt ſine dubio, quo ſignificatur malum ab auctore in ſuum caput accerſitum, qualia multa ſunt apud Latinos, & in Scriptura ſacra non pauca. Vt illud *Pſal.* 7. de quo nuper. *Prouerb. cap.* 26. *verſ.* 27. *Qui voluit lapidem reuertetur ad eum.* Et *Eccl.* 27. *verſ.* 28. quinque adducuntur prouerbia in eandem ſententiam. Hîc obſcurum eſt quid ſit *oua rumpere*, & an id in aliorum perniciem ſpectet, in quos inſtruuntur, & comparantur impiorum fraudes, vel in eorum viſcera, qui ſtultas illas & peſtilentes cogitationes imbiberunt. Quòd ad oua pertinet, multi cenſent *oua rumpere* nihil eſſe aliud, quàm fœtus edere peſtilentes, ſuóque auctori noxios; nam tunc aues pullos excludunt, cùm oua, quibus incubauerant, à fœtu rumpuntur. Metaphora, vt vides, ab eo videtur eſſe deducta, quod de partu aſpidis, ſeu viperæ nonnulli tradunt: cuius viſcera in partu rumpi dicuntur filiorum eniau. Quod etiam ſi multis exiſtimetur eſſe falſum, non tamen id huic incommodat cogitationi: nam Scriptura ſacra, vt alibi docuimus, vulgi ſe interdum opinionibus, & ſermonibus accommodat. Difficilius mihi multò eſt, quod vulgò viperini fœtus rumpere exiſtimantur parentis viſcera; at hîc propheta non catulorum meminit, ſed ouorum, quæ an vipera pariat incertum eſt. Sicut etiam exploratum non eſt, an idem ſit *vipera*, & *aſpis*. Oua viperam parere exiſtimat Plinius *lib.* 10. *cap.* 62. vbi ſic de vipera. *Terreſtrium eadem ſola intra ſe parit oua vnius coloris, & mollia, vt piſces, tertia die intra vterum catulos excludit: deinde ſingulis diebus ſingulos parit viginti fere numero. Itaque cæteri tarditatis impatientes perrumpunt latera occiſa parente.* Sed negant plures alij, & in iis Ariſtot. *lib.* 5. *hiſtor. cap. vltimo.*

15. Sed licèt oua propriè in viperis non ſint, per catachreſim tamen *oua* dici poſſunt tenues illæ membranæ, quibus inuoluti viperarum fœtus adoleſcunt in vtero, & quibus diſruptis ſimul fortaſſe cum matrum lateribus, in lucem prodeunt. Quare quocumque accipias modo, ſignificatur hac metaphora aliquem ſuis perire conſiliis, & intra ſe alere venenum, à quo conficiatur.

Quod ad ſecundum attinet, mihi dubium non eſt, hæc venena, has inſidias, & fraudes ab impiis hominibus in aliorum vitam eſſe paratas, quorum vim ipſi potiùs in ſeipſis experti ſunt. Ita putat Hieronymus, Haymo, Procopius, Dionyſius, Hugo, & probat capitis ipſius continens filum, in quo conatus fraudulentus, & impius, in caput auctoris rediiſſe dicitur. 16.

Hæc Hieronymus, Dionyſius, & Haymo, Iudæis aſcribunt qui de Chriſti morte deliberarunt impio, atque ipſis valde noxio decreto. Dicit autem Haymo, aſpidis ſimiles eſſe Iudæos, qui & ipſi venenum habent; & eo ſe miſerè, atque inopinatò perimunt. Item quia quemadmodum aſpis ad incantatorum carmina aures obturat, alteram inſerta cauda, alteram terræ vehementer appreſſam, iuxta illud *Pſal.* 57. *Sicut aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas, vt non exaudiat vocem incantantium.* Vbi illa, quæ modò diximus, tradit Auguſtinus, ſic etiam hoc ipſum non ſemel fecerunt Iudæi aduerſus Chriſti monita. Vt *Actor.* 7. contra Stephani verba. *Continuerunt aures ſuas, & impetum fecerunt vnanimiter in eum.* Et hoc fortaſſe ſpectabat Ioannes quando hoc hominum genus genimina viperarum vocabat. 17.

Alij hæc non ad Iudæorum perniciem ſpectare cenſent, ſed ad illos, qui contra Iudæos inſidias, & interitum moliuntur. Ita Cyrillus, Foteitus, & Pintus, quæ quidem expoſitio contemnenda non eſt, quia ſatis, & rerum naturæ, & textui conſentanea eſt. Textui quidem, quia quod reliquum eſt capitis, ad aliorum perniciem videtur comparatum; naturæ autem rerum, id eſt, aſpidum, quia contra hoſtes aſpides venenatæ ſunt, & ex eorum ouis, ſeu viſceribus ruptis venena videntur poſſe ſumi, quibus inficiantur ſpicula, quæ quotidie vibrentur in aliorum cædem. Viperino autem felle imbui ſolere tela frequens loquendi modus perſuadet. De Scythis Ouidius 1. *de Ponto eleg.* 2. 18.

Qui mortis ſæuo geminent vt vulnere cauſas,
Omnia vipereo ſpicula felle linunt.

Hinc credo linguam, quæ gladius, & telum in Scriptura dicitur, vocari veneno imbutam. *Pſal.* 13. *Venenum aſpidum ſub labiis eorum.* Et *Iacob ca.* 3. *verſ.* 8. lingua vocatur *inquietum malum, plena veneno mortifero.* De qua lingua locutus hîc videtur Iſaias. *Labia veſtra locuta ſunt mendacium, & lingua veſtra iniquitatem fatur.* Adde quòd hîc deſcribi videtur aſpidum partus aut ſoboles: neque enim alij oua rumpunt, quàm qui in illis continentur: ſiue illi ſint auium pulli, ſiue ſerpentum catuli. Rumpunt autem oua, cùm ex illis iam maturi in lucem excluduntur. Hi verò viperini fœtus, quod habent veneni, aliis habent, non ſibi, quibus venenum vitæ alimentum, & vita eſt; aliis autem mors. Et ideo fortaſſe Iudæi à Chriſto, & ab eius præcurſore Baptiſta genimina, ſeu progenies viperarum vocantur, id eſt, qui viperarum, aut aſpidum oua rumperunt. Verumtamen prior expoſitio magis ſoluta eſt, vt ſtatim conſtabit magis. Ita vt paratum videatur in alios malum, in auctoris tamen caput retortum. Quod ſatis videtur intelligi poſſe eo, quem explicuimus, ſenſu. Aut etiam, ſi mauis, eo, quem iam produco. Nam qui conſilium aliquod fraudulen-

tum,

tum, & noxium, aut verſat animo, aut mota confouet, ille aſpidum ouis incubare, & filios aſpidis excludere exiſtimatur. Cùm autem rumpit oua, id eſt cunctando aſpidis fœtus, id eſt, cogitationes noxias ad eam maturitatẽ producit, vt in opus erumpant, primi omnium qui proximi ſunt, & à quorum incubatione rumpuntur oua, ab aſpidum fœtu venena concipiunt.

19. Hæc magis ad aliorum ſententiam ad quam ego difficilis non ſum, ſed credo explicationem aliam non eſſe minùs ſolutam, quæ patrono quidem caret, non tamen optima coniectura. Videri enim poteſt ſignificari hic nulli futura eſſe emolumento conſilia illa inania, & cogitationes iniquas, de quibus hactenus: cùm nullum vſum allatura ſint eorum, quæ optat, & quærit humana neceſſitas. Hæc verò victus atque veſtitus nomine communi Gentium more continentur. Quod ideo mihi perſuadeo, quia ſtatim cùm de ouis agitur aſpidum, dicit propheta: *Qui comederit de ouis eorum, morietur.* Et cùm de aranearum telis, ait ex illis nullum poſſe confici veſtimentum. Quæ planè indicant illa omnia neque ad victum, neque ad veſtitum quicquam conferre. Iuxta hæc ſic ego hunc locum exponendum putabam: Qui ita rationes ſuas inſtituunt, vt ex furto rapina, fallacia, fraude, & ex his rebus, quibus hominum polluuntur manus, victum ſibi quærunt, perinde ſunt atque illi, qui ex aſpidum ouis ſibi cibum parare, atque condire volent, quaſi eſſent gallinarum oua, quæ coqui rumpunt, ſeu frangunt, vt cibos apparent, in quibus regulum inuenias potiùs, quam alimentum. Et hinc etiam conſtabit ad quos grauia iſta damna pertineant. Hanc ſententiam indicant L x x. qui ſtatim illud *Quod confotum eſt erumpet in regulum*, ſic vertunt, *Qui frangit, putridum inuenit, & in eo regulum.* Qui frangit, nempe, vt comedat.

20. [l] *Et telas aranea texuerunt.*] Hoc proculdubio prouerbium eſt, quo ſignificamus aliquid, quod magno ſtudio, atque ſollicitudine comparatum eſt, nulli tamen poſtea vſui futurum. Ex quo facilè conſtat eo ſenſu ſuperiora accipienda eſſe, quo nuper expoſuimus, nempe ex ſuo conſilio, atque labore Iudæos peperiſſe ſibi nihil præter inopiam, nuditatem, & mortem, eámque doloris, & acerbitatis plenam, qualis eſſe ſolet ab aſpidis veneno. Quod tandem, quocumque velis temporis articulo, experti ſunt Iudæi, ſiue dum obſiderentur à Babyloniis, ſiue dum poſt obſidionis incommoda in exilio ærumnoſam vitam tranſegerunt, ſeu quando poſt Chriſti aduentum ſub Veſpaſiano funditus Romanorum armis deleti ſunt. Eò ſpectabant Iudæorum conſilia, dum manus polluunt, dum ad pecuniam inhiant, dum linguam habent aſſentatricem & fallacem, vt iucundè viuant, neque aliquid ipſis ad vſum, honorem, aut voluptatem deſit. Sed tunc cùm maximè ſuis rationibus conſultum putabant, malum ſibi, & exitium accerſebant. Perierunt enim tanquam ab aſpidum morſu, vixerúntque nudi perinde atque ſi aranearum telis eſſent cooperti, quæ non tam ornant, & calfaciunt, quàm obſcurant, & conſpurcant homines.

Prouerbiũ. Inania peccatorũ conſilia.

21. Qui hæc non ad eos, qui mali exitij auctores ſunt, & architecti, ſed ad alios, quibus aut venenum miſcetur, aut intenduntur laquei, referri putant, ſicut in aſpidum ouis venenum, & mortem, ſic in aranearum telis contextos laqueos, & ad inſidias, & fraudes expanſos interpretantur: quaſi nihil aut meditentur, aut velint, niſi quod aliis fraudi, atque exitio ſit. Quod callidè faciunt araneæ, quæ otioſæ ſedent poſt labyrinthæos nexus prædam culicum, aut muſcarum captantes.

Pro re morali optimè Grego. *lib.* 15. *Moral. cap.* 8. 22.
Oua, inquit, *praua hominibus rumpere, eſt malignorum ſpirituum conſilia, quæ in eorum cordibus latent peruerſis operibus aperire. Telas quoque aranea texere eſt pro huius mundi concupiſcentia temporalia quælibet operari, quæ dum nulla ſtabilitate ſolidata ſunt, ea proculdubio ventus vitæ mortalis rapit*; Quid verò ex his ouis temerario, atque ſtolido conſilio confotis naſcatur mali, eleganter, & grauiter ſtatim ſignificatur.

23. [m] *Qui comederit de ouis eorum morietur.*] In victu, atque veſtitu omnia humana commoda ſignificantur. Quare iſta duo, tam in ſacra, quàm in profana Scriptura ſæpe coniunguntur. Hæc ſibi quærebant ſtulto planè conſilio, qui nunc à Deo inertiæ, atque ſtuporis arguuntur; Qui oua ad victum ſibi conquirunt, ſed aſpidum oua, quæ non tam alimento ſint futura, quàm exitio. Veſtimenta ſibi ex aranearum telis conſuunt, quæ cùm induerint, non tam foueri, atque operiri ſentiant, quàm fœdari, atque contaminari membra.

24. Hæc quidam non ad Iudæos referunt, qui ſuprà aſpidum oua rupiſſe coarguuntur, ſed ad alios, qui ſe Iudæorum ſocietati, atque rationibus implicuerunt, qui perituri dicuntur eo hauſto veneno, quod ipſis de venenatis aſpidum ouis propinatum eſt. Ita Hieronymus, Haymo, Cyrillus, & Procopius, & ex iunioribus alij. Adducit autem Hieronymus, & ex eo Haymo, atque Procopius exemplum Abel, qui cùm acquieuiſſet fratris ſui conſilio, quod ſecum aſpidum more in animo comprehenderat, plenum veneno, egreſſúſque eſſet in agrum fratris ſuaſu, ibi omnium hominum primus interfectus eſt. Sed credo hæc præcipuè ad Iudæos eſſe referenda, qui ex aſpidum ouis ea ratione ruptis, quam *num.* 19. *vltimo loco* tradidimus, mortem hauſerunt. Quod mihi ex eo maximè fit probabile, quia veſtimentum illud, quod ex aranearum tela conſutum eſt, ad Iudæos refertur, eodem omnino ordine atque contextu, quo nunc cibus ex viperinis ouis.

25. Nihilo tamen minùs exiſtimo hæc quoque ad illos ſpectare, qui cum Iudæis rationes, & cauſas habere communes voluerunt. Hinc tu meditare quam pernicioſa ſit improborum hominum ſocietas: qui cùm animo ſuo aſpidum oua væſano foueant, ſtolidóque conſilio, rumpántque non rarò, qui illorum ſe monitis morigeros præbuerint, dum inurbani videri recuſant, id agunt, vt eodem, quo alij, veneno ipſi quoque intereant. Plenæ ſunt exemplis Scripturæ non ſolùm profanæ, ſed etiam ſacræ eorum qui improborum conſiliis obſecuti temeritatis ſuæ pœnas exoluerunt.

Malorũ ſocietas pernicioſa.

26. [n] *Et quod confotum eſt, erumpet in regulum.*] Hic credo ſicut alibi ſæpe *&* copulatiuam non eſſe particulam, ſed rationalem, rationémque reddi, cur qui aſpidum oua ruperint, aut qui ex eis comederint, morituri ſint, quia in ouis, ex quibus aliquid ſtomacho, palatóque iucundum, atque ſalubre ſperabant, nihil inueniunt præter regulum, animal, ſi quod aliud eſt in rerum natura, nocentiſſimum. De reguli ſeu baſiliſci natura multa tradũt hiſtorici planè admirabilia. Vide quæ ſuprà diximus ad illud *ca.* 14. *De radice colubri orietur regulus:* Symmachus, & Theodotio pro *regulo, aſpidem*, vertunt. Aquila *viperam*. Sanè de nominis Hebr. צִפְעֹנִי *ephehoh*, & aliorum animalium ſignificatione res eſt obſcura;

ra; neque in multis aliquid certò definitum.

27. Si hæc quoque reſpiciant eos, qui ſe ad improborum conſortium adiunxerunt, mirificè exprimitur, quàm pernicioſa ſit conſuetudo cum his, quorum vita offenſioni aliis, atque ruinæ poteſt eſſe. Cùm enim per improbos dæmon oua ſua in ſimplicium animis relinquat, illáque homines familiaritatis, atque amicitiæ calore confoueant, breui tandem ex eo calore, ac mora regulus erumpit. Quare expedit maximè, vt ſi quando ſemen iſtud reguli in animis noſtris ſenſerimus, ne qua mora foueatur, & creſcat, illico excutiamus. Alioqui accidet quod de ignis ſcintilla traditur *Prouer. 6. verſu 27. Numquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, vt veſtimenta illius non ardeant.*

Malorum ſocietas.

28. Septuaginta paulò aliter hunc locum reddunt. *Qui de ouis eorum comedere voluerit, frangens reperiet putridum; & in ipſo regulum*; ſenſu non admodum diuerſo; quia opus illud euanidum, & ventoſum dicitur, qualia eſſe ſolent oua illa ſpecie quidem non ineleganti, at intus inania, à quibus fœtum non ſperes, quæ Græcis οὔρια, Latinis *ſubuentanea*, aut *vrina* vocantur. Sed habent præterea aliquid peius: neque enim tantùm ab omni commoditate vacua ſunt, ſed etiam alunt, continéntque venenum nocentiſſimum, immò veneni fontem, ſeu nutritorem regulum: qui non ab ore ſolùm tabem, & virus euomit, ſed vel aſpectu ſolùm per oculos vibrat. Grauiter ſanè, & verè prodit ſe hîc, quàm ſit halitus ille peſtilens, qui à prauo exemplo aliis inhalatur; & nocumentum, quod in autorem ſuum à peccato redundat.

29. Ad hunc credo locum reſpexiſſe Chriſtum, ſeu vſum prouerbio apud Hebræos vulgari, cùm *Lucæ cap. 11. verſ. 12.* dixit non daturum eſſe patrem filio ouum petenti, ſcorpionem. Quaſi diceret non daturum ouum aſpidis in quo lateat regulus, aut qui ab eo peſtilenti vi, aut nocendi facultate non longè abeſt, ſcorpius.

Lucæ c.11.

30. o *Tela eorum non erunt in veſtimentum: neque operientur operibus ſuis.*] Hinc apparet, quod ſuprà dicebamus, peccatores illos, de quibus hîc agit propheta, ex ruptis ouis & tanto labore textis aranearũ telis, nihil ſibi niſi paupertatem, & mortem peperiſſe. Cùm enim longam, & moleſtam operam in texendo poſuerint, immò quod araneæ faciũt in exẽpendis viſceribus, ea illíſque longo filo trahendo, nihil tamen habẽt quo membra tegant exanguia, & nuda, habẽt tamen quo ſordidi ſint & ſqualore horridi. Duorum membrorum eadem eſt ſententia, ſed in poſteriori magis explicata. Qua quanta in peccatoris actibus ſit futilitas oſtenditur: neque aliud ſibi volunt aranearum telæ, quàm peccatorum opera.

31. Antequam hinc emigrem, obſeruo tam in aſpidum ouis, quàm in aranearum tela ſubaudiendam eſſe ſimilitudinis formam. Hoc ſenſu, Erunt hi quaſi qui oua aſpidum, aut rumpunt fœtu calore ſuo ad maturitatem, & iuſtum incrementum producto, aut frangunt, vt ex eis ſibi cibum capiant, qui tamen in illis nil niſi venenum, & mortem inuenient. Et quaſi qui ex aranearum telis, quas magno ſuo labore texuerunt, veſtes ſtudent conſuere, quæ non ſolùm non tegunt, ſed etiam conſpurcant. Sicut in cauſa non diſſimili eadem ſupplenda eſt comparationis nota *Iob 20. verſ. 14. Panis eius in vtero illius vertetur in fel aſpidum*, id eſt, ſic torquebit, atque dirumpet viſcera, tanquam ſi aſpidum venena hauſiſſet. Et *Deuter. 32. Fel draconum*

A *vinum eorum, venenum aſpidum inſanabile*, id eſt, virtuto in eorum viſceribus id operabitur, quod fel draconis, aut aſpidum virus.

p *Pedes eorum ad malum currunt, & feſtinant vt effundant ſanguinem.* Hæc, vt inquit Hieronymus, ſumpſit Paulus *ad Romanos 3.* non ex pſalmis, licet locus ille Pauli ex variis pſalmis contextus ſit. Quia illa neque in textu Hebr. neque apud Septuaginta alibi reperiuntur. Proponit autem hîc explicatiùs, quæ ſint illa peccatorum opera, quæ inſtar obtinent telarum, quas moliuntur araneæ. 32.

q *Viã pacis neſcierunt*] *Pax* duo ſignificat, id quod cõmuniter ſonat, nempe tranquillitatem, & otium; 33.

B & ſummam præterea rerum commoditatem, atque abundantiam. Ad quamcumque ſignificationem referre velis, apta erit, grauíſque ſententia: Si ad hanc poſteriorem, ſignificabis peccatorum conſilia non ſpectare pacem, id eſt, non eſſe eiuſmodi, vt ex illis aliquid ad felicitatem, & optabilem fortunam ſperari poſſit. Si ad priorem, nihil peccatorem meditari, ac moliri, niſi ſeditiones, ac cædes, & quidquid concipere poteſt, dolus, furor, & inuidia. Et hic poſterior ſenſus magis placet, quia magis cum præcedentibus conſentit. Vbi in impiorum viis fuiſſe dicuntur *contritio, & vaſtitas*, quia id meditantur, vt vaſtent, & conterant.

r *Et non eſt iudicium in greſſibus eorum.*] Sicut *via* pro inſtituto ponitur, vitæque ratione, ac modo, 34.

C ſic etiam *greſſus* pro actuali, vt ita dicam, inſtituto viuendi, idcirco ſæpe *greſſus alicuius* pro operibus adhibetur *Iob cap. 14. Greſſus meos dinumeraſti*, id eſt, opera mea. *Pſalm. 25. Pes meus ſtetit in directo*, id eſt, rectæ viæ. Quam phraſim bellè explicat Hiſpanus cùm dicit, *Anda en malos paſos*, quod eſt idem, atque *viue mal.* Porrò *iudicium*, & pro æquitate in iudicando ſumitur, & pro ſanctitate, aut pro eo, quod quis ex officio præſtare debet. Hîc nil aliud indicari exiſtimo, quàm prauam eſſe peccatorum viam: Neque quicquam non audere, quod ſit contra æquum, & fas, præſertim in his, quæ ad ciuilem communionem, & hominum ſocietatem ſpectant, vt iudicare videntur quæ non ſubiciuntur.

Iob 14.

Pſalm. 25.

D ſ *Semitæ eorum incuruatæ ſunt eis.*] *Perſtat* in eadem metaphora, oſtendítque peccatorum greſſus obliquos eſſe, quia illorum etiam viæ flexus habent, & anfractus, qui longè abſunt ab omni rectitudine. Illud *eis* reciprocè ſumo, pro *ſibi*; quia illud *incuruatæ ſunt*, Hebr. actiuè ponitur, quaſi dicas, fecerunt ſibi curuas, & ubi quas ſemitas. Illæ verò ſunt quæ a lege declinant, & humana commoda reſpiciunt. Neque hi tantùm ſibi incuruam, atque peruerſam moliuntur viam, ſed etiam alios in eandem abducere ſtudent, quos vt conſiliorum, ſic etiam ruinæ conſcios habeant. Quare, & ipſi cæci ſunt, neque id ſatis habent ſibi, niſi etiam ſint cæcorum duces. Hi fortaſſe ſunt quos *cap. 9.* vocauit propheta *incuruantes*, & *deprauantes*, nempe 35.

E viã, quos eſſe prophetas ſtultos & fallaces ibi propheta docuit.

S. Thomas *vias incuruatas* prauas intelligit, quia quæ in alios moliebantur mala, ipſis fraudi, atque exitio fuerant. Quo ſenſu *Ierem. cap. 2. verſ. 21.* dicitur, *Quomodo conuerſa es mihi in prauum vinea aliena?* Et *Pſalm. 77. verſ. 64. Conuerſi ſunt in arcum prauum*, qui ſcilicet non illum configit ſcopum, qui deſignabatur à ſagittario, imò fractus, aut inuerſus ſagittarium ipſum ſauciat. Neque diſplicet hæc cogitatio; ſed magis ad textum videtur communis 36.

expoſitio

expoſitiô, quæ de iniqua viuendi ratione, temeratôque iudicio hæc interpretatur.

37. ſ *Omnis, qui calcat in ea, ignorat pacem.*] Quemadmodum qui viam incuruant, flectúntque à vero, & iuſto, pacem ignorant, quocumque modo pacem interprecere. Nam neque aliquid aſſequuntur, quod ipſis vſui ac voluptati futurum ſit, aut quidquid animo, aut cogitatione verſant, perturbationem, vim, & ſeditionem anhelat: Sic etiam, qui in illam viam incuruatam, & flexuoſam ingreſſus fuerit, eandem meditabitur, & eundem ex ſtulto, atque infelici conatu fructum percipiet. Sicut etiam ex ſententia Hieronymi dicebamus non ſolùm eos, qui oua ruperunt aſpidum, ſed etiam eos, qui illorum ſe ſocietati, ac ſtudiis implicuerunt eſſe mortuos.

38. u *Propter hoc elongatum eſt iudicium à nobis; & non apprehendet nos iuſtitia.*] Sicut ſuperiora Hieronymus de Iudæis intelligit, qui in Chriſti mortem toto intenti animo omne iudicium, & humanitatem peruerterunt, ſic etiam nunc hæc de illorum ſupplicio putat eſſe accipienda: qui & grauia paſſi ſunt ab hoſtibus, & cùm lux Gentilibus affulſiſſet clariſſima, ipſi in tenebris denſiſſimis penè ſepulti ſunt. Quæ eaplicatio & maximè pia eſt, & tanto doctore non indigna: quam ſequuntur etiam complures alij. Sed alij quidam hæc latiùs aſſumunt, neque ad vnum, aut alterum tempus cogunt, ſed ad omnia peccata, & tempora Iudæorum extendunt. Quòd hæc ad omnia Iudæorum tempora ſint referenda, mihi videtur maximè veriſimile, vt in ſimili cauſa dixi *cap. 58. ſtatim in principio.* Nam licèt Iudæi propter ſummum illud ſcelus, quod admiſerunt in Chriſti cæde grauiſſima paſſi fuerint. Tamen ſub hæc tempora ab Aſſyriis grauia, & non multò pòſt à Nabuchodonoſor longè grauiora pertulerunt. Neque temporibus illis ea defuerunt flagitia in Hebræorum populo, propter quæ illi talia prædicit & minatur propheta. Accedit quòd Paulus *ad Roman. 3. verſ. 15.* vbi teſtimonium ex hoc loco producit, videtur omnino oſtendere hæc non ad vnum aliquod ſæculum pertinere, quando eodem filo cum illis ſceleribus coniungit, quæ tempus omne Iudæorum reſpiciunt, vt cuilibet intelligere promptum eſt; ibi enim adducit, quod nuper ab Iſaia dictum eſt iuxta Septuaginta verſionem. *Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem, contritio, & infelicitas in viis eorum; & viam pacis non cognouerunt.*

39. Confitetur ergo nunc Iſaias Iudæorum nomine peccata, propter quæ cùm ieiunarent, affligerentque animas ſuas, à Domino exauditi non ſunt, neque conſecuti iudicium, quod de ſuis hoſtibus poſtulabant, id eſt, vindictam. Nam *iudicare* ex vſu Scripturæ, vt alio loco diximus, *vlciſci* interdum valet. Sed fortaſſe pars prior huius clauſulæ ad hoſtes Iudaici nominis, poſterior ad Iudæos ipſos referenda eſt; ita vt pars illa prior affirmet abfuiſſe vindictam ab his, qui hoſtilem in modum ſæpe, & variè Iudæos vexare; hæc neget in Iudæis fuiſſe iuſtitiam, licèt ipſi ſe iuſtos eſſe crediderint, ſuámque ſanctitatem non ſemel, neque ſine querela, atque faſtidio venditarint, cùm dicebant, *Quare ieiunauimus,* &c. Fatetur ergo illa peccata propter quæ neque audiri fuerint, quia crudeles, auari, violenti, iudiciorúmque peruerſores: neque audiri debuerint, cùm iuſtitia illa fucata fuerit, & laruata ſanctitas: quandoquidem. quæ vera eſt, atque ſyncera, cum illis vitiorum ſordibus ſimul eſſe non poteſt. Iuxta hanc cogitationem &, quæ eſt in principio poſterioris partis, coniunctiua non eſt, ſed rationalis, in hanc ſententiam: *Propter hoc ab hoſtibus noſtris vindicta ſumpta non eſt, quia in nobis non eſt inuenta iuſtitia.*

40. Licèt hæc improbabilia non ſint, tamen multò magis expeditum ſenſum eſſe puto, ſi dicamus in *iudicio elongato, & iuſtitia non apprehenſa* iteratam eſſe ſententiam eandem, quod prophetis valde familiare eſt. Quòd verò *iuſtitia* idem ſit quod *iudicium*, argumento eſt, quòd hæc duo nomina ſæpiſſimè inueniuntur coniuncta in locis vbi manifeſta eſt epexegeſis. Vt *Pſalm. 71. Deus iudicium tuum Regi da, & iuſtitiam tuam filio Regis. Iudicare populum tuum in iuſtitia, & pauperes tuos in iudicio. Amos cap. 6. verſ. 13. Qui conuertis in amaritudinem iudicium, & fructum iuſtitiæ in abſinthium.* Quod ſi ſtatuas, commodus eſt, & expeditus ſenſus, propterea Iudæos non conſecutos eſſe iudicium, & iuſtitiam, quam ſuis ieiuniis, & animi afflictionibus deberi putabant: quia, quæ videbantur religionis & ſanctitatis officia, dum his ſeruiunt, & admiſcentur vitiis, quæ modò commemorata ſunt, religionis & ſanctitatis vim, & numen amittunt. Facit ad hanc explicationem, quia eodem texto, ac filo plurimas ſpectare licet epexegeſes in toto ferme capite, vt mediocriter attento conſtabit. *Iudicium idē quod iuſtitia.*

41. z *Expectauimus lucem, & ecce tenebræ: ſplendorem, & in tenebris ambulauimus.*] Qui cum Hieronymo cenſent hæc ſpectare ad Iudæos, qui Euangelij vixere temporibus, & cædem Chriſto ſeruatori moliti ſunt, *tenebras* interpretantur cæcitatem illā, in qua nunc eſt etiam perfidus ille populus qui Meſſiam adhuc venturum expectat: cui clariſſimus Euangelij ſplendor oculos perſtrinxiſſe videtur, potiùs quàm illuſtraſſe. Sed ſi poſteriorem ſequamur explicationem, ſtatuamúſque ad omnia tempora pertinere, quibus populus ille in angore animi, atque ſqualore fuit, facilis erit explicatio, cùm ex ſuperioribus conſtet, maximè *cap. 30. num. 57.* in *tenebris* ærumnoſum tempus, & extremam fortunam deſignari. Quod etiam Gregorius docuit *lib. 5. Moral. cap. 1.* ad illud *Iob cap. 18. Nonne lux impij extinguetur.* Sub qua metaphora, ſi vſquam, hic maximè propheta grauiter, & eleganter miſerrimi populi lugubrem, & miſeram conditionem oſtendit. Dicit ergo propheta, aut dicunt per prophetam ærumnoſi Hebræi, dum ieiuniis ſeſe longis attenuarent, & aliis corporis moleſtiis conficerent, expectaſſe ſe lucem, id eſt, libertatem, atque illa commoda. quæ libertatem conſequuntur, dicíque poſſunt iure optimo lux; inueniſſe tamen ſe tenebras, id eſt, obſidionem, carcerem, exitium, in quibus nihil ſit non tenebroſum: Ita vt quamcumque ſe in partem, aut greſſu, aut cogitatione conuertant, occurſet caligo.

42. y *Palpauimus ſicut cæci parietem.*] Mirè explicat propheta tenebrarum magnitudinem, cùm illas ſimiles eſſe dicit eis, quas oculis capti patiuntur, quibus nullæ poſſunt eſſe maiores. Præbent autem manus cæcis oculorum vſum & miniſteria. Nam ſicut is, qui videndi facultatem habet, non priùs greſſum promouet, quàm ſpatia luſtret oculis, per quæ incedendum eſt, ne fœdè, & periculosè cadat: Sic cæcus cui manus eſt pro oculis, mouere ſe non audet, niſi per ſpatium priùs exploratum, & quaſi luſtratum, à palpante manu. Quòd ſi in *tenebris* miſera vitæ conditio ſignificatur, planè miſerri- *Miſera peccatoris conditio.*

miſerat Iudæorum ſtatus, quem in illa tanta caligine, ea manuum palpatio, & contrectatio deſignat. Ea, quæ pati ſe dolent, & queruntur infelices Iudæi, multò antè peccatori fuerat comminatus Deus. *Deuter.cap.28.verſ.28. Percutiat te Dominus amentia, & cæcitate, ac furore mentis; & palpes in meridie, ſicut palpare ſolet cæcus in tenebris.* Quæ loquendi forma, vt credo, prouerbialiter pro lugubri & calamitoſo ſtatu ſumitur, vt ſuadet modus ipſe loquendi ſæpius in Scriptura vſurpatus. Cui *meridies* additur, aut aliquid affine meridianæ luci. *Iob cap.5. verſ.14. Per diem incurrent tenebras, & quaſi in nocte ſic palpabunt in meridie.* Et cap.12. verſ.25. *Palpabunt quaſi in tenebris, & non in luce; & errare eos faciet quaſi ebrios.* Porrò hæc paries tum, aut contrectatio manuum, quia cæcitatis ſignum & effectus eſt, pro *cæcitate* ponitur. Et hoc ſenſu videtur accipi poſſe illud Pauli *Actor.17. verſ.27. Quærere Deum ſi fortè attrectent eum.* Vbi cæci apparet non obſcura deſcriptio. Vbi Deus oſtenditur ea ſuæ diuinitatis reliquiſſe ſigna, atque veſtigia, adeò frequentia, atque obuia, vt in ea cæci vel nolentes incurrant.

43. ² *Impegimus meridie, quaſi in tenebris, in caliginoſis, quaſi mortui.*] In Iudæos, qui Euangelicam lucem repulerunt, bellè iſta conueniunt, qui in meridie, id eſt, fulgentiſſimo vndecumque circumfuſi lumine, quod ab Scripturis emicat, & à miraculorum magnitudine, quibus Chriſtus diuinitatis ſuæ maieſtatem oſtendit, ipſi tamen in meridie cæcutiunt; neque magis ab hoc illuſtrantur lumine, quàm à Solis radiis qui in ſepulcris putreſcunt. Sed vt conſequenter ad ſuperiora hæc interpretemur, *impingere in meridie* eſt, ſic vrgeri incōmodis vt eam metaphoricam cæcitatem patiantur, qualem cæci, quibus meridies non eſt, aut lux meridiana, quia quodcumque tempus illis tenebricoſum eſt & nocturnum. Et, vt agam aliquantulò explicatiùs, ſignificat propheta vſqueadeò miſeram eſſe atque afflictam fortunam Iudæorum, vt quæ optima videri potuerint tempora; & quaſi meridiana, miſerrima ſint. Si enim tempus aliquod ſerenum eſt & lucidum, illud omnino meridianum eſt; quia ſol magis propinquus eſt nobis, & hemiſphærium noſtrum maiori complet, atque illuſtrat lumine. Illud tamen tempus, & illa tanta lux, neque diffundit animum nocturno mœrore contractum, neque magis ad vitam, voluptatémque facit, quàm ſi nuſquam terris Sol affulſiſſet.

44. Prouerbiū. Hîc ego videre mihi videor prouerbialem aliam figuram qua ſumma calamitas, & extrema fortuna explicari ſoleat: cùm id ſignificetur fore luctuoſiſſimum, quod minùs in aliquo ſtatu habet acerbitatis, & mœroris. Idque veri mihi ſimile facit Amos *cap.8.* qui eodem, vt reor, ſenſu ait, *Occidet Sol in meridie, & tenebreſcere faciam terram in die luminis: & conuertam feſtiuitates veſtras in luctum.* Porrò totam hanc ſententiam expreſſiſſe videtur Ieremias *Thren.3. verſ.6. In tenebroſis collocauit me tanquam mortuos ſempiternos.* Cùm autem tenebræ omnes triſte aliquid ſonent, atque horridum, ſed illæ in quibus mortui iacent, longè magis exiſtimantur horribiles, ac tetræ.

45. ³ *Rugiemus, quaſi vrſi omnes, & quaſi columbæ meditantes gememus.*] Hîc expoſitores mirè variant. Quidam in *vrſo*, qui præferoci natura eſt, & prouocatus impotenter ſæuit, Iudæorum genus intelligunt. Qui cùm ſe ſuáque cadere ab antiquo loco, & exiſtimatione ſenſerint, & propter Chriſti cædem ab hoſte Romano malè mulctati, ſæuiunt in Chriſtianam familiam, non ſecus atque vrſus in eum, a quo laceſſitus eſt, aut ferro violatus. In *columba* verò quæ ſtolida eſt, neque cor habet, adumbrari Iudæorum garrulitatem, qui cùm ſcripturæ verum ſenſum ignorent, tamen ſcire ſe putant, garriúntque, & puerilem in morem ſacra monumenta, atque oracula cantillant. Dicunt ergo dolituros eſſe Iudæos propter miſeram, & in ſingulos dies deteriorem fortunam, & furore ex odio, ac deſperatione concepto in Chriſtianum nomen ſæuituros atrociter. In hanc fere ſententiam Hieronymus, & Cyrillus. Eſt autem tritum, vrſum laceſſitum ad explicandum animum offenſum, & appetentem vindictæ adhiberi ſolitum. Sic enim Deus apud Oſeam *cap.13. Occurram eis quaſi vrſa raptis catulis, & diripiam interiora iecoris eorum.* Quæ ſimilitudo etiam adducitur *Prouerb.cap.17.* & *2.Reg.c.17.* quod etiam profanis vſitatum eſt. Martialis *lib. 6. Epigr.68.*

——Rabido nec perditus ore
Fumantem naſum viui tentaueris vrſi.

Et fauet huic expoſitioni, quòd fremitus, ſeu rugitus vrſi peculiari vocabulo *ſaeuitus*, ſeu *ſaeuitia* vocatur; Certè dum rugit proprio vocabulo *ſaeuire* dicitur. Refert Ælius Spartianus Antoninum Getam ſolitum eſſe has quæſtiones proponere Grammaticis, vt dicerent quibus nominibus, explicarentur ſingulorum animalium voces, velut *agni balant, vrſi ſæuiunt*, &c. Et Virgilius *lib.7.* dum in domo Circes variorum animalium voces audiri ſcribit, hoc vocabulo vrſorum fremitum declarat.

——Atque in præſepibus vrſi
Sæuire.

Et Oppianus vrſo dat ὀμῆς δ' ἀλκὴν βρυχὴν, id eſt, *rugitum horribilem.* Quia nimirum aliquid ſonat minax, & infenſum.

Alij hæc non ad furorem irritatæ, ſeu offenſæ Gentis, ſed ad dolorem ex miſera fortuna, aut animo ſcelerum conſcio referunt. Sed in hac etiam explicatione varij ſunt. S. Thomas rugitum vrſorum Iudæis attribuit, & columbarum gemitum, quia crudeles antea fuerant, ſicut vrſi, & ſicut columbæ laſciuientes. Alij meo iudicio probabiliùs atque ſimpliciùs in his nihil niſi dolorem ſignificari putant, & vehementem, qualem deſignat vrſorum rugitus, & diuturnum, qualis exprimitur columbarum gemitu, quibus gemitus eſt pro cantu, atque ideo gemitus illis familiaris eſt, imò perpetuus. Et ita ſanè contigit, ſiue hîc ſermo ſit de vrbe à Chaldæis, ſiue de eadem à Romanis obſeſſa diu, ac tandem expugnata, atque deleta. Quod in vrſorum gemitu in quo reſonet non ſolùm aliquid minax & infenſum, ſed etiam aliquid mœſtum & lugubre, indicat Horatius *in Epodo, ode 16.* 46.

Nec veſpertinus circumgemit vrſus ouile.

Cyrillus hîc de vrſarum intelligit gemitu, quæ triſtes edunt rugitus, cùm ereptos ſibi catulos eſſe ſentiūt. Quod ſi ita eſt, vt vero videtur quàm ſimillimum, aptiſſima eſt præſens ſimilitudo. Nihil habet vrſa, quod magis amet, quàm catulos ſuos, tum propter naturæ vim, quæ facit vt feræ ſuos partus ament, & pro illis ſe interdum vitæ periculis opponant; tum in vrſa ſpecialis aliqua ratio eſt, quæ fœtus edit informes, & penè mortuos, quos carnem potiùs appelles, aut concretum ſanguinem, quàm animal apta quadam membrorum conformatione compoſitum. Hos tamen tum lambendo, tum fouendo incubitu ſic animat, ac format, ſicut volucres pullos, quos ex ouis excludunt; vt tradunt Plinius, Solinus, Ælianus. Vt ergo gemit 47.

mit vrſa cùm ereptos videt eſſe catulos, quos bis penè genuerat, & tanto labore formauerat, eóque nomine amabat impotenter: Sic dolent ac rugiunt Iudæi, cùm à Ieruſalem & templo, quibus ipſis nihil erat charius, in alienas regiones violenter abducti ærumnoſam, & longam ſubeunt ſeruitutem. Neque in nomine maſculino *vrſi*, quo noſter vtitur interpres, multùm laboro, cùm videam multa nomina animalium apud Hebræos eſſe epicœna, & in maſculina terminatione fœmineum ſexum contineri. Exempla multa ſuppetunt. Ex Scriptura vnum accipe *Pſal.* 28. Vbi cùm de ceruarum partu ſermo eſſet, vt ex interpretibus plerique fatentur, tamen maſculina ibi adhibetur terminatio. *Vox Domini præparantis ceruos.* Certè in maſculino genere fœmineum concipi, ſatis notum eſt. Vide Riberam *in cap.* 11. *Oſeæ num.* 14. Quòd ſi aliquis eſt furor in vrſorum rugitu, vnde cùm vrſus rugit *ſæuire* dicitur, aliquid hìc ſpeciale oſtenditur in Iudæorum gemitu: nempe dolor pro his incommodis, quæ ſubire coguntur à patria depulſi, & antiquis ſpoliati ornamentis, in *gemente columba*: & dolor cum furore, quem contra ſe ipſos concepere, ex ſuorum ſcelerum conſcientia: qui aliter *conſcientiæ vermis* appellatur, qui in *vrſo ſæuiente* intelligitur.

Regula. In maſculino genere fœmineum continetur.

Pſal. 28.

Chaldæus hæc longè aliter accipit. Putat enim rugitum non futurum eſſe Iudæorum, qui ſuam vicem doleant; ſed inimicorum, qui non ſecus rugient, & bacchabantur in Iudæos, quàm vrſi ſolent ferro laceſſiti.

48\. [b b] *Expectauimus iudicium, & non eſt: ſalutem, & elongata eſt à nobis.*] Repetit ſententiam, quam ſuprà propoſuerat, *verſ.* 9. eandémque rationem reddit cur Iudæi in ſuis ieiuniis, atque moleſtiis exauditi non ſint. Niſi quòd hìc *ſalus* poſita eſt pro *iuſtitia*. Ex quo mihi perſuadeo verum eſſe ſenſum, quem eo loco induximus poſtremò loco, nempe *iudicium* & *iuſtitiam* ſumi pro illis officiis, ſeu præmiis, quæ ieiunantes Iudæi ſibi deberi exiſtimabant, neque ſibi à Deo reddita, duriùs querebantur.

49\. [c c] *Multiplicata ſunt enim iniquitates noſtræ coram te, & peccata noſtra reſponderunt nobis.*] En cur non exauditi: en prima labes, & vnde reliqua infortunia in peccatricem illam gentem exorta. Reſpondiſſet quidem Iudæorum ieiunio diuina liberalitas, ſi modò illud castè, legitiméque ſuſceptum; neque eſſent ab hoſte ſiue Romano, ſiue Chaldæo tam acerbè mulctati. Sed quia cum illa fucata, & vana ſanctitate peccata fuerunt & plurima & vera, reſponderunt tali ieiunio peccata, quæ inerant, non reſpondit iuſtitia quæ ab illo quàm longiſſimè aberat. Tunc verò peccata reſpondent, cùm peccatori referunt, quod commeritus eſt, ſicut iuſtitia reſpondet, & ſanctitas, quando hominis iuſti merita cæleſtibus donis, aut etiam aliquo alio beneficio compenſant. Quid *reſpondere* ſignificet, diximus ad illud *c.* 5. *Agnitio vultus eorum reſpondebit eis.* Nempe rependere aut compenſare, aut talia colligere, qualia ſeminaueris, aut impenderis. Quo ſenſu dixit Ieremias *cap.* 14. *verſ.* 7. *Si iniquitates noſtræ reſponderint nobis.* Et Iacob *Geneſ.* 30. *Reſpondebit mihi iuſtitia mea.* Nec phraſis inuſitata eſt Latinis, qui dicunt, meſſem reſpondere agricolarum ſedulitati, & mercedem labori.

50\. Si *reſpondere* ita accipias, quaſi quædam Echo ſit, quæ reſonare, & reſpondere clamanti dicitur, tanquam quædam imago vocis; optima tranſlatio eſt, & ſimilitudo non inelegans. Vt enim Echo eadem refert à ſaxis, quæ à clamante acceperat, ſic peccatis, quæ vt *capite* 5. *num.* 27. diximus, *clamores* vocantur, ſupplicium, & vaſtitas reſpondent, tanquam illorum Echo, & reflexio, aut repercuſſio meritiſſima. Crudeles fuerant in alios Iudæi, neque æquitatem in iudicando ſeruauerant. His reſpondet Echo, ſeu operum illorum imago à Chaldæis, ſiue à Romanis, à quibus omnia crudeliſſima, atque indigniſſima pertulere, qui nihilo fuerunt minùs in Iudæos ſeueri, quàm Iudæi priùs fuerant in alios.

Peccati ſupplicium.

[d d] *Quia ſcelera noſtra nobiſcum.*] Hæc vox illorum eſt, quos ſuperioris vitæ pœnitet, quóſque acerbè vexat, & lacerat peccatorum conſcientia. Qui iam vt vrſi rugiunt, & ſæuiunt in ſe ipſos, & aſſiduè gemunt ſicut columbæ. Fortaſſe hæc in alium ſenſum accipi poſſent non incommodè, ſi *ſcelera* pro ſcelerum ſupplicio ſumas, ſicut ſæpe *peccatum*, & *iniquitas*. In hanc ſententiam ſcelerum noſtrorum pœnas expendimus: vrgent nos & exagitant peccata noſtra, dum tot ærumnarum ſtimulis compungunt. 51.

Pœnitentia qualis.

[e e] *Et iniquitates noſtras cognouimus.*] Idem antea *Pſal.* 50. dixerat eodem affectu, atque animi dolore, Dauid, eiſdem penè, quibus nunc Iudæi, excitatus ſtimulis. *Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco: & peccatum meum contra me eſt ſemper.* Id eſt, ita cognoſco, horreóque peccata mea, vt illorum excutere memoriam non poſſim, quæ ante oculos meos nunquam non obuerſantur. Deinde illa connumerat propheta, dum ait; [f f] *Peccare & mentiri contra Dominum*, &c.] Quæ ſunt illa eadem, quæ paulò antè Dominus obiecit Iudæis, cùm de ſuis ieiuniis, & afflictionibus animæ ſibi blandiebantur. Cætera obſcura non ſunt, aptatíque poſſunt cuilibet mediocriter attento omnibus Iudæorum temporibus, in quibus duriùs ab hoſte iactati ſunt. 52.

[g g] *Quia corruit in platea veritas, & æquitas non potuit ingredi.*] Cùm peccata publicè, & publico in loco impunè committuntur, magnum argumentum eſt profligatæ non ſolùm virtutis, ſed etiam verecundiæ. Id verò nunc fatetur propheta ſuo contigiſſe populo, cuius in plateis, & portis, vbi cauſæ agebantur legitimo foro, vel commercia exercebantur, & nundinæ, nulla colebatur veritas; ſed in eis fraus, & dolus ita dominabantur, vt æquitati nullus eſſet locus. Quod corruptiſſimæ reipublicæ, & iam omnino deploratæ teſtimonium eſt. Sic autem puto intelligendum illud *æquitas non potuit ingredi*. Sic perfidiam, & fraudem, & omnem vim publicam, & forenſem armatam principum auctoritate, ac potentia contra æquitatem, & iuſtitiam conſpiraſſe, vt nullo modo in deliberando, aut iudicando ad conſilium, ſeu ad iudicium admittatur. Neque diſſimile valde eſt, quod de prodigioſa beſtia traditur *Apocal. cap.* 13. quæ poteſtatem emendi, atque vendendi abſtulit his, qui ipſius charactere frontem, aut dexteram manum non conſignaſſent, id eſt, vt ego nunc interpretor, ſenſu ſaltem morali, ſic eo tempore proditum iri fidem, & in rebus contrahendis æquitatem iri ſublatum, vt vendere aut emere non poſſint ſine magno rerum ſuarum diſpendio, niſi quibus ita ſit profligatus pudor, aut æquitas vilis, vt audeant ſocietatis fidem, & ius omne peruertere. Quos adeò non pudet fraudatæ pecuniæ, aut intenti doli, vt inuſti ſpurciſſimæ belluæ charactere perfidioſæ vitæ genus inuerecundum profiteantur. Et accommodatè ad hanc explicationem ſubditur; 53.

Peccata publica, & impunita profligatā eſſe virtutem arguunt.

54. h h *Et qui receſſit à malo, præda patuit.*] Vſque adeò in foro, publicíſque commerciis dolus dominatur, & iniquitas, vt ille tantùm lucrum capiat, & rem augeat ſuam, qui peritiis, & aſtu negotia tractat; quaſi ars illa quæſtuaria ſit. Quibus viri iuſti prædæ ſunt, quia neque audent, neque volunt fraudibus alias fraudes, aut verſutias obtendere, neque quicquam moliri, niſi ſyncerè, & caſtè. Quare in illos quaſi inermes, & eo pugnandi artificio nudos irruit ſycophantarum auaritia, & dolus, qui eorum fortunis per ſummam iniuriam auerſis auri ſacram famem exaturant. In quam ſententiam aptari poteſt Punicum illud prouerbium, cuius Montanus meminit. *Niſi lupus ſis luporum prædam te eſſe oportet.* Id eſt, ſi à latronibus ſpoliari non vis, latronum mores & inſtitutum teneas neceſſe eſt. Vſque adeò in terra iuris, & æquitatis inducta eſt obliuio: vſque adeò verſuta, & fallax agendi ratio mentes occupauit.

55. Dixit hoc idem Dauid *Pſal.* 10. *Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt ſagittas ſuas in pharetra, vt ſagittent in obſcuro rectos corde. In obſcuro*, inquit Dauid, id eſt, in occulto, & clandeſtinis inſidiis. Aliquid amplius dicit hîc Iſaias, dum *in plateis* ait, id eſt, publicè ſpoliari pauperem, probantibus, qui reipublicæ præſunt, legúmque, & ſanctitatis cuſtodes eſſe debuere, adeò non reclamantibus. Hîc ego aliquid video adagij ſimile: quod omnis ferme lingua adagiali vſurpat figura. De Punicis modò diximus. Hiſpanus, *Haçeos cordero comera os el lobo.* Simile eſt illud Latinorum, *Vexat cenſura columbas.* Et Martialis, *Imbelles damæ quid niſi præda ſumus?*

Prouerbiũ.

56. Hæc, vt ſæpe dixi, omnibus Iudæorum temporibus aptari poſſunt, in quibus aliquid aduerſum paſſi ſunt: nam ſemper, vt conſtat, grauia anteceſſerunt peccata, quorum ea ratione mulctari pœnas expenderunt. Qui de pœna à Romanis inflicta hæc interpretantur, in *veritate* Chriſtum intelligunt, aut Euangelicam doctrinam, quam nec intueri voluêre, neque liberè in plateas ingredi paſſi ſunt. Qui verò receſſerunt à malo, id eſt, qui Chriſtiana ſacra amplexi ſunt, fugerúntque perfidiam, quæ familiaris erat in populo, & propter potentiorum auctoritatem minùs improbabatur, prædæ patuerunt: quia bonis expoliati fuerunt à Iudæorum principibus, & ab vrbe relegati. Ad quos Paulus *ad Hebræos* 10. v. 33. *Rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis.* Quod etiam ſignificauit non obſcurè 1. *Theſſal. cap.* 2. cùm dicit, *Vos enim imitatores facti eſtis, fratres, Eccleſiarum Dei, quæ ſunt in Iudæa in Chriſto Ieſu: quia eadem paſſi eſtis & vos à contribulibus veſtris, ſicut & ipſi à Iudæis.* Similia nunc Catholici in Anglia ab hæreticis patiuntur quotidie, quia à malo receſſerunt.

Hieronymus, quem ſequitur Haymo, illud *corruit in platea veritas*, explicat ſatis ad mores accommodatè: vbi iuxta nominis notationem *plateam* ſumit pro via lata, quæ ad perditionem ducit, id eſt, pro molli ac fluxa viuendi ratione, quam, qui ſuis obſequuntur voluptatibus, ingrediuntur. In hac itaque via, quam plerumque terit magna pars hominum, neque veritas colitur, neque apparet æquitas: & ea, quæ maximè Euangelium commendat, & probat, deſpicit atque conculcat.

57. i i *Et vidit Dominus, & malum apparuit in oculis eius: quia non eſt iudicium.*] Hæc quæ contra iudicium fiunt, & æquitatem, non latent ſummi, atque æquiſſimi iudicis vigilantes, atque attentos

A oculos; quibus omnino diſplicuit illa morum iudiciorúmque peruerſitas. Neque enim probauit opera, in quibus ſibi placebat maximè populus ille ſtolidus, cùm ab operibus, quæ ipſe religioſa putabat, & pia, iudicium abeſſet.

k k *Et vidit, quia non eſt vir: & aporiatus eſt, quia non eſt qui occurrat.*] Cùm attentè Deus in Iudæorum Gentem deſpiceret, neminem inuenit, qui iure vocari poſſet *vir*. Vel quia in nullo viribus animi, atque conſtantiæ videbat argumentum, cùm omnes, dum ſuo ſibi indulgent genio, delicatis aſſueſcant & mollibus, vt putat Haymo, ſeu quia nullus erat iuſtus, ſicut Moyſes, & Samuel, nam huiuſmodi ſolùm *virorum* ſibi nomen aſciſcunt, vt 58.

Diuinæ miſericordiæ admirabile argumentũ.

B cenſet Hugo. Sed ego exiſtimo cum Hieronymo, Deum quidem habuiſſe in eo populo plurima, quæ ſuppliciis plecteret, tamen quo eſt ingenio miti, & ad miſericordiam prono, voluiſſe illorum potiùs ſaluti conſulere, quàm vindice iuſtitia perdere. Quærebat itaque Deus virum, qui intentum iam ad vindictam animum retardaret, & diſtrictum gladium in vagina recondcret. Sicut etiam in Sodomis, cognatiſque ciuitatibus decem vellet reperire viros iuſtos, qui à ciuitatibus illis, licèt omni nefaria turpitudine contaminatis, vltrices cohiberent manus. Quod etiam in caſu non diſſimili optabat apud Ezechielem *cap.* 22. apud quem, cùm ſimiles narraſſet fraudes, & calumnias ſubiicit.

C *Quæſiui de eis virum, qui interponeret ſepem, & ſtaret oppoſitus contra me pro terra, ne diſſiparem eam, & non inueni. Ierem. cap.* 5. *verſ.* 1. *Circuite vias Ieruſalem, & aſpicite, & conſiderate, & quærite in plateis, an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem, & propitius ero ei.* Imò videtur dolere Deus, quòd nullus ſit, qui diuino ſe opponat furori. *Ezechiel.* 13. *verſ.* 5. *Non aſcendiſtis ex aduerſo, neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſrael.* Quod fecerunt antea Aaron *num.* 16. *verſ.* 48. & Moyſes *Exod.* 32. & aliis locis ſæpe.

Cui expoſitioni mirè congruit quod ſequitur, *& aporiatus eſt, quia non eſt, qui occurrat. Aporior* verbum eſt Græcum deductum ab [illegible], quod *dubitare* ſignificat, *egere* aut *animo eſſe anxio, atque perplexo.* Quo etiam noſter interpres vſus eſt 2. *Corinthior.* 4. *Aporiamur, ſed non deſtituimur.* Hebr. eſt 59.

D משתומם *iſtomem*, quod aliquid ſignificantius importat; quaſi Deus deſertus ſit ab eo, quod cupiebat maximè, nempe ab homine, qui ipſi in eo ſtudio, atque ardore capiendæ vindictæ ſeſe interceſſorem opponeret. Loquitur autem humano more, quaſi quid faciat neſciat: cùm peccata clament, vindictámque expetant, atque ideo ipſe quodammodo in ipſa animaduertere cogatur: neque tamen habeat, quo ſe ab ea puniendi neceſſitate poſſit eximere. Qui loquendi modus mirè explicat, quàm Deo graue ſit peccatorem hominem punire, & quid ab eius clementia ſperare poſſit, qui Dei voluntatem aliqua ratione violauit, ſi modò habeat,

E quid iuſtitiæ ad vlciſcendum diſtrictæ poſſit obtendere. Idem ſignificarat *Geneſ.* 6. cùm id exigentibus hominum flagitiis diluuij aquis mundum obruere cogitabat. Aporiatus enim, id eſt, egens aliquo qui manus iam ad plagam intentas cohiberet, *Tactus dolore cordis intrinſecus, delebo, inquit, hominem, quem creaueram.*

l l *Et ſaluauit ſibi brachium ſuum.*] Dictum à nobis eſt *cap.* 25. *num.* 41. pronomen affixum tertiæ perſonæ interdum ſimplex, interdum eſſe reciprocum. Noſter autem interpres nonnunquam ſimplex 60.

Regula. Pronomen ſimplex pro reciproco, & contrà.

plex reddit, cùm ſit reciprocum, vt *Zachar. cap.* 12. *plangent eum*, pro *plangent ſe*, vt vertit hunc eundem locum Ioan. *Apocal.* 1. Aut reciprocum adhibet, cùm ſit pronomen ſimplex, vt *Geneſ.* 2. *Non eſt bonum hominem eſſe ſolum, faciamus ei adiutorium ſimile ſibi*, id eſt, ſimile ei. Sic puto hoc loco *ſibi* & *ſuum* ſimpliciter accipienda, potiùs quàm reciprocè. Hoc ſenſu ſaluauit eum nempe populum patrono, & vindice deſtitutum brachium eius, nempe Dei. Ita vt Deus à ſe ſolo habuerit, id eſt, à ſua clementia, quo populum quocumque ſupplicio digniſſimum à morte liberaret. In hanc ferme ſententiam Adamus, Foreirus, Hugo, Dionyſius, & plures alij. Erit autem ſententia eadem multò ſolutior, ſi cum L X X. legas *brachio ſuo*. Quaſi dicas, Deus ſe ſolo nullo adiuuante, qui pro populo illo peccatore intercederet, defendit illum. Et ita Hieronymus legit *in commentariis*. Similia habes infrà *cap.* 63. quæ magna ex parte iuxta hæc nobis explicanda ſunt. Et *in Pſal.* 97. illud *ſaluauit ſibi dextera eius*, hoc etiam idem indicare videtur, quòd nullis hominum meritis prouocatus Deus, ſed ſua tantùm adductus miſericordia ſalutem illis, libertatémque quæſierit.

61. Illud *ſaluauit ſibi* aliquid faceſſit negotij tam hoc loco, quàm *capite* 63. & *Pſalmo* 97. nam eadem vbique ratio. Quidam obſeruant verbum [Hebrew] *vaſabh*, pro quo noſter *ſaluauit*, habere poſt ſe datiuum, & nullam aliam eſſe huius loci ſententiam, quàm Chriſtum, qui in cruce mortuus fuerat, ſe ipſum ſaluaſſe, & ſuſcitaſſe in reſurrectione. Auguſtinus *ſuper Pſal.* 97. aliquid adducit ad mores grauiter, vt ſolet. *Non dixit*, inquit, *tantùm orbem terrarum ſanauit dextera eius; ſed ſanauit ei. Multi enim ſanantur ſibi, non ei: Ecce quàm multi cupiunt ſanitatem iſtam corporalem, & ab illo accipiunt, & ab illo ſanantur. Quomodo ab illo ſanantur, & non illi ſanantur? Accepta ſanitate laſciuiunt: qui ægroti caſti erant, ſanati adulteri ſunt. Qui cum ægrotarent neminem lædebant, receptis viribus inuadunt, & opprimunt innocentes.* Alij aliter accipiunt. Ego vt alia omittam, illud *ſibi* eſſe puto paragogicum quod apud Hebræos frequentiſſimum eſt. Quale eſt illud *Cant.* 1. *Si ignoras te ô pulcherrima inter mulieres, egredere.* Hebr. eſt *ſi ignoras tibi*, & *egredere tibi*. Vbi duo illi datiui ad ornatum tantùm orationis adhibentur. Et *cap.* 2. *verſ.* 10. vbi Vulgatus *ſurge*, & ſtatim, *veni*, & *verſ.* 13. iterum, *veni*. Hebr. *ſurge tibi, veni tibi.* Quomodo huiuſmodi paragogicæ voces apud Latinos, & Hiſpanos in vſu ſint, diximus ad illud *Cant.* 1. *Si ignoras te.* Sic ergo & facilis erit, & conſentanea ad Hebræorum idioma ſententia, ſi ita accipias. *Saluauit Dei brachium populum.*

Regula *Sibi*, & *tibi* paragogica.

62. Hîc maximè obſeruandum eſt, altéque meditandum, quod etiam pluribus oſtendimus ad illud *cap.* 1. *Si fuerint peccata veſtra*, &c. tunc maximè diuinam oſtendi, prouocatique clementiam, quando peccator minus habet, quo demereri ſibi Dei miſericordiam poſſit. Quot peccatis obſtrictus fuerit Iudæorum populus, Domino ipſo narrante didiciſti: cui ſupplicio ideo fuerit obnoxius, tute ipſe ex ſcelerum grauitate conіectare potes. Quando ergo populus tot erat oneratus ſceleribus, neque apparebat vllus, qui ſe interponeret, & quodammodo diuinæ auxiliaretur miſericordiæ, quæ de illius Gentis ſalute tantopere laborabat, tunc demum ſurrexit Dominus, auertitque fulmen illud, quod iam iam diuina dextera vibratura videbatur.

Non deſperandũ peccatori.

63. ᵐ ᵐ *Et iuſtitia eius ipſa confirmauit eum.*] In hoc loco valde laborant, neque admodum inter ſe ipſos conueniunt interpretes. Si *iuſtitia* pro miſericordia ſumatur, quod in Scriptura eſſe non infrequens oſtendimus *cap.* 57. *num* 5. vt conuertunt L X X. & exponit Hieronymus, ſenſus non eſſet difficilis. Aporiatus erat Dominus anxio, atque perplexo animo, cùm populi vrgeret impietas, clamarétque vindictam, neque vllus auxilio eſſet ſuæ benigniſſimæ naturæ, & ad veniam, & ad humanitatem propenſæ. Sed cùm foris auxilij nihil haberet, à ſe ipſo petiit, quo populum defenderet ab impendente clade. Iuſtitia itaque ſua, id eſt, miſericordia confirmauit Dominum, vt in ſuſcepto miſerendi conſilio pergeret, quem tot peccata, quot paulò antea commemorata ſunt, ad vindictam rapiebant.

Sed vero videtur ſimilius *iuſtitiam* hîc ſumi pro illa, quæ punitiua dicitur, aut vindicatiua, quæ pœnas videlicet exigit ab hominum erratis. Et huc ferme incumbunt omnes, quod, vt ego probem, multa perſuadent. Primùm, quia vbi in Scriptura ſimilis eſt locutio, aut armorum inſtructio, aliquid indicatur ab odio, ſeu ab offenſione natum, potiùs quàm à clementia. vt conſtat infrà *cap.* 63. vbi ſermo eſt de Idumæorum clade. Et *Sap.* 5. *Accipiet armaturam zelus illius: & armabit creaturam ad vltionem inimicorum: induet pro thorace iuſtitiam, & accipiet pro galea iudicium.* Deinde quia loco *iuſtitiæ cap.* 63. ponitur *indignatio*, in qua voce iam ambigendum non eſt de iuſtitiæ ſignificatione. Sed hoc ſtatim magis explicabitur, oſtendetúrque quomodo hîc etiam aliqua ſit miſericordia.

Sed adhuc eſt difficile ſtatuere, in quos inflammetur iſta iuſtitia, aut comparentur arma, in Iudæos ne, an in Iudaici nominis inimicos. Hieronymus in Iudæos putat, cui ſubſcribit Haymo. S. Thomas, & Hugo in populum Gentilicum, à quo grauia fuere paſſi Iudæi, hæc referri cenſent; & hoc poſterius mihi magis probatur. Sed addo hîc aliquid prædici ab offenſione, aliquid à miſericordia profectum. Fuit quidem Deus ſeuerus in Gentiles, puta Chaldæos, qui grauiter vexauere Iudæorum gentes exciſa vrbe, & exuſto templo; clemens verò in Iudæos, licèt omni indignos miſericordia, quos in patriam reſtituit, & quorum dolorem extinctis hoſtibus conſolatus eſt. Nam quicquid hoſtibus accidit incommodi, id alij in ſuo deputant lucro. Hæc ego hiſtoricè expono. In ſenſu verò myſtico quem hoc in loco præcipuum eſſe arbitror, alia ratio eſt, quæ multò magis diuinam miſericordiam aperit, & commendat. Cùm enim vrgente iuſtitia nihil haberet natura lapſa, quod opponeret, à ſe ipſo Deus ſumpſit, quo & peccatorum miſereſceret, & diaboli diſſolueret fraudes, & frangeret vires, atque potentiam. Neque hic myſticus ſenſus, aut ille alius hiſtoricus ita explicatus quicquam incommodat, quominus hæc Chriſto aptemus arma, de quibus ſtatim: quia ſi libertas ab illo Babylonico exilio, ærumnoſóque ſtatu ad ſpiritualem populi ſalutem aliqua ratione conferret, id quoque Chriſti meritis tribuendum eſt. vt de liberatione ab Ægyptia tyrannide dixit in ſua epiſtola Iudas, *verſ.* 5. atque ideo neceſſaria erat Chriſti iuſtitia, qua ſe ipſum, & ſuam clementiam confirmauit Deus, vt ab eo quoque ſtatu exules, & miſeros vindicaret.

64.

ⁿ ⁿ *Indutus eſt iuſtitia, vt lorica, & galea ſalutis in capite eius.*] Quia de captiuitate loquitur, atque de oppreſſione ſiue Iudæorum apud Babylonios, ſiue de oppreſſo mundo à diaboli tyrannide, ideo bel- 65.

latorem

latorem Dominum, & vindicem inducit ſeruata eadem allegoria, à qua ſermonem duxerat. Armauit itaque Deus ſe ad opus magnum non aliter atque ſtrenuus dux ſiue ad debellãdos hoſtes, ſiue ad tuendam arcem muniri ſolet. Hoc verò loco vtrumque præſtitit bellator hic eximius; defendit enim populum ſic affectum, vt neque à ſuis viribus præſidij aliquid haberet, neque ab aliis opportunum aliquid ſperare poſſet: Et oppugnauit hoſtes, ſiue Chaldæos intelligas, à quibus abducti Iudæi fuerant per vim, atque ludibrium; ſiue Diaboli vires, à quo captiuum tenebatur hominum genus. Nunc ſingula armorum genera perſequamur.

66. *Quæ iuſtitia Christus indutus.* *Indutus eſt iuſtitia vt lorica.*] In armis *lorica* pars illa eſt quæ pectus munit, vbi latet cor: quod cùm obiectum ſit, & aduerſum hoſtibus, maximè telis propoſitum eſt, & obnoxium plagæ. Hoc ergo pectus iuſtitia regit inſtar loricæ. Si in *iuſtitia* miſericordiam intelligas, vt nonnulli volunt, ſanè miſericordia proprium eſt munimentum, ſeu ornamentum diuini pectoris; quod totum miſericordia ſtillat: a quo ſicut nulla beneficiorũm largitas, aut inopum egeſtas miſericordiæ diuitias exhaurire, ſic nulla vis pectus illud miſericors expugnare potuit: De miſericordia accipit Haymo: neque id mihi diſplicet, immò probatur maximè. Neque obſtat, quod nuper diximus præcedenti clauſula, *iuſtitiam* videri ſumi poſſe pro ea iuſtitiæ parte, quæ ſubleuat innocentem oppreſſum, & punit violentum, & improbum. Quia cùm varios vſus in Scriptura habeat *iuſtitiæ* nomen, quid mirum ſi in diuerſis partibus diuerſa ſignificet. Et quidem hîc aliquid indicatur diuerſum, atque illic. Si tamen hîc minùs placet in *iuſtitia* miſericordiam intelligi, quod non puto; certè iuſtitia, quæ Chriſti pectus armauit, & muniit, illa eſt, qua ſibi in ſe peccatorum cauſam, & miſeriam aſſumpſit, quæ præſtare fideiuſſoris opus eſt, & iuſtitiæ pars, quæ in fide præſtanda ac liberanda cernitur. Hæc autem ita muniuit Deus, vt nihil non tentarit, eo animo, atque conſtantia, vt contra iniurias, atque ludibria poſuerit, ſicut adamantem faciem ſuam, nec auerterit à conſpuentibus faciem, neque genas ſuas à vellentibus. Alij aliter hunc locum exponunt; ſed vt ego ingenij mei fateor imbecillitatem, quid illorum plerique hîc affectant, non ſatis aſſequor: & miror partem hanc nobiliſſimam, neque parum obſcuram ab interpretum pleriſque aut fuiſſe præteritam, aut nonniſi breuiſſimè perſtrictam.

67. Illud ad extremum obſeruandum, *iuſtitiam* ſæpe pro tegumento poni, ſiue illud ſit ornamentum, ſiue munimentum corporis, vt *hoc loco. Sapient.* 5. & *ad Ephef.* 6. pro lorica, ſeu thorace, *Pſal.* 131. *Sacerdotes tui induantur iuſtitiam. Iob cap.* 9. *verſ.* 14. *Iuſtitia indutus ſum, & veſtiuit me ſicut veſtimento.* Ratio illa eſſe exiſtimatur, aut quia iuſtitia generalis quædam virtus eſt, & ideo pro ſanctitate ſæpe ſumitur; aut etiam, ſi ſpecialis ſit, patet ad plurima, vtpote, quæ ſuum cuique tribuit, & neque quemquam lædit, neque quoad fieri poteſt quemquã ab alio lædi ſinit. Sed quod ad alia loca ſpectat, hoc videtur neque improbabile, neque impeditum.

68. ◦◦ *Et galea ſalutis.*] *Salus* hîc duobus modis accipi poteſt, nempe paſſiuè hoc ſenſu. Vt capitis ſui ſaluti prouideat, & illud, ne quid aduerſum patiatur, ab hoſtili tueatur plaga: vel actiuè, vt aliis nẽpe ſaluti ſit. Si priori modo interpretere, in *galea* diuinitatem licebit intelligere, quæ caput regit, & per metonymiam pro *capite* adhiberi poteſt. Caput verò Chriſti Deus eſt 1. *Cor.* 9. *verſ.* 4. Quare illa galea tectus Seruator, & vindex Chriſtus ſalutem ſuam ab hoſte tuebitur. Et ita planè contigit: Nam licèt aduerſa multa, & mortem denique pertulerit: ita tamen hæc, quæ videri poterant incommoda, propria virtute, id eſt, ſua diuinitate ſuſcitatus inſtaurauit; vt nihil aduerſi pertuliſſe videri potuerit. Sed puto commodiùs hunc locum explicari poſſe ſecundo modo, ita vt Chriſti galea dicatur ſalutis, quia alijs ſaluti, ac libertati fuit. Et ita accipiunt S. Thomas, & Hugo. Vt autem *caput* quod primum eſt, & maximè ſublime in humano corpore, pro ſumma rerũ, & pro eo, quod in aliquo negotio præcipuum eſt, adhibetur (vnde illud tritum valde, *ad hoc caput hæc ſpectant, & hoc caput eſt in cauſa*, & ſimilia.) Sic fortaſſe hîc *caput*, & *galea*, quæ capitis integumentum eſt, pro eo ſumitur, quod ſibi propoſuit bellator Chriſtus, & quod in ſuſcepto certamine præcipuum fuit, nempe vt noſtræ conſuleret ſaluti. Quare quia id vnum ſpectabat præcipuè, à ſalute, quam intuebatur præcipuè, *Ieſus*, id eſt, *Saluator* appellari voluit.

69. Vide an huc aliquo modo faciat quod in re militari vſitatum eſſe apparet, vt ſtrenui duces qui nihil in acie meditantur ignobile, in galea quaſi in loco magis aſpectabili, gerant aut ſui generis inſignia, aut quod ſpectant, aut ſperant ſe poſſe præſtare in hoſtili congreſſu. Ex hac, vt reor, conſuetudine Virgilius olorinas plumas galeæ cygni addidit, quo ſe ex cygno ortum eſſe fatebatur *lib.* 10. *Æneid.*

Cuius olorinæ ſurgunt de vertice pennæ,
Crimen amor veſtrum, formæque inſigne paternæ.

Et de Pyrrho aliquid tradit Plutarchus non diſſimile in eius vita, qui hircinis cornibus, quæ geſtabat in galea, videri volebat natus Ammonio Ioue.

70. Quòd verò ſpem, aut cogitationem ſuam aliqui in galea ſpectandam propoſuerint, oſtendunt exempla non pauca, nunc tu vnum, aut alterum accipe. De Iberis, id eſt, de Hiſpanis tradit Diodorus Siculus *lib.* 6. *cap.* 9. pro criſtis habere palmas in galea, quaſi ſibi eo ſigno victoriam promitterent. Apud Virgilium *lib.* 7. ex communi, vt reor, militum more, Turnus, vt oſtenderet quantam ſtragem editurus eſſet in Troianorum caſtris, in ſumma galea Chimæram geſtabat incendia vomentem.

Cui triplici crinita iuba galea alta Chimæram
Suſtinet, Ætnæos efflantem faucibus ignes.

Neque alio, vt reor, conſilio, vt prodit in Mario Plutarchus, in Cimbrorum equitum galeis hiantum animalium horribiles formæ viſebantur.

71. Ad hunc morem, vt apparet, antiquiſſimum reſpexiſſe alicui videri poteſt noſter propheta, cùm Chriſto tribuit *galeam ſalutis*, id eſt, ſalutis inſignitam ſymbolo. Hoc verò ſignum crucis eſt, quo eximius iſte pluſquam heros & bellator potentiſſimus admiranda edidit ſuæ virtutis documenta. Quòd verò apud Paganos etiam *crux* habita fuerit ſalutis ſignum, venturæque vitæ, docent plurimi, iidémque non ignobiles interpretes. De Ægyptis tradit Rufinus *lib.* 2. *cap.* 29. Socrates *lib.* 5. *cap.* 17. Sozomenus *lib.* 7. *cap.* 15. Suidas, *verbo* σταυρός. De Romanis tradit S. Iſidorus *lib.* 1. *Etymolog.* vbi ait, In breuiculis, quibus militum nomina continebantur, T. notam in capite verſiculi poſitam ſuperſtitem deſignare. Θ. verò ad vniuſcuiuſque defuncti nomen ſolere apponi. Geſtari itaque videtur hoc ſignum in Chriſti galea, ſicut geſtatum à Conſtantino tradit Prudentius, cùm de illius congreſſu contra Maxentium ita canit *lib.* 1. *contra Symmachum.*

Chriſtus

Chriſtus purpureo gemmanti textus in auro
Signabat labarum: clypeorum inſignia Chriſtus
Scripſerat, ardebat ſummis crux addita criſtis.

Hæc præter morem noſtrum diximus, aut potiùs luſimus, quod in re ſeria, ſi dulcis eſt, & iucunda, nonnunquam licuit, etiam nimiùm tetricis, & ſeuetis. Si minùs ad rem, quod nolim, tamen, ſi non aliis attuliſſe, at mihi peperiſſe videbor hunc fructum, quòd hac ſpecie Chriſti ducis, & bellatoris, & hac cogitatione de noſtræ ſalutis tam inflammato ſtudio vehementer recreatus ſum.

72. Ex ea explicatione, quam paulò antea adduximus, quòd ſcilicet galea ſalutis, quam Chriſtus geſtabat, ſignificaret ſalutem impertiendam hominibus, deduci etiam poteſt quid ſibi Paulus voluerit *ad Epheſ. 6. verſ. 17.* Vbi ſine dubio ad hunc Iſaiæ locum reſpexit, cùm legitimis armis inſtruit Chriſtianum militem. *Et galeam*, inquit, *ſalutis aſſumite.* Quaſi præcipuum primóque loco ſtatuendum ſit in hac ſpirituali militia illud munimentum, & auxilium, quod à Chriſto Ieſu, id eſt, à noſtræ ſalutis autore paratum habemus. Quod idem Paulus magis expreſſit 1. *ad Theſſalon. 5. verſ. 8.* cùm de eiſdem armis ageret: *Induti loricam fidei, & charitatis, & galeam ſpem ſalutis: quoniam non poſuit nos Deus in iram, ſed in acquiſitionem ſalutis per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Vide quomodo, quam alibi galeam ſalutis dixerat, nunc vocet *ſpem ſalutis per Chriſtum.* Quam ſalutem habere nos à Chriſto ſæpe clamat Apoſtolus, & Theologorum ſcholæ. Aliis alia placent, ſed interim nobis noſtra hæc cogitatio non omnino diſplicet.

1. ad Theſſalon. 5.

73. PP *Indutus eſt veſtimentis vltionis: & opertus eſt, quaſi pallio zeli.*] Superiora ad eos pertinere videntur, quorum ſalutis cauſa Deus ſe lorica, galeáque muniebat. Hæc iam ad eos referenda exiſtimo contra quos arma comparata ſunt, id eſt, contra Chaldæos, aut hoſtes alios Iudaici nominis; aut contra communem humani generis inimicum. Id quod ſignificare videtur non obſcurè, quod reliquum eſt capitis. Nam paria ſe hoſtibus redditurum Deus dixit, vt nimirum talem in ſe ipſis experiantur plagam, qualem priùs ipſi aliis inflixerunt. Quam expoſitionem non improbant S. Thomas, & Hugo, & ex parte ſequitur Adamus. Hieronymus, Cyrillus, Procopius, Haymo, atque Dionyſius hæc omnia comparata eſſe putant contra Iudæos, quos Dominus quaſi rebelles, & ferrea ceruice iugum detrectantes hoſtilibus armis inſecutus eſt. Quorum ego ſententiam ſic amplector, vt tamen aliam improbandam non putem.

74. Porrò quæ ſint vltionis indumenta, & zeli pallium, perquam difficile explicatu eſt. Neque interpretes ita exponunt, vt curioſo lectori admodum ſatisfaciant. Fortaſſe his verbis nihil continetur aliud, niſi quædam armorum circumſcriptio: arma enim ſunt indumenta ad vltionem comparata. Et idem per quandam epexegeſim eſſe videtur, *pallium zeli*: quia zelus quod etiam vindictam, & ardorem importat, talia exigit integumenta, quæ animi dolorem, & offenſionem conſolentur, & leniant. Qualia fuerunt indumenta nempe bellica Phinees, & Mathathiæ, qui zelotes legem ferrum pium impio præuaricantium ſanguine imbuerunt. Cuius expoſitionis veſtigium aliquod mihi videre videor *Sap. 5. verſ. 18. Accipiet armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum.* Neque credo valde huic expoſitioni incommodat, quòd hîc non arma, ſed *veſtimenta*, & *pallium* nominantur. Nam etiam veſtimenta quædam militaria ſunt, quæ cùm ipſa arma non ſint, armatum tamen hominem eſſe ſignificãt. Qualia ſunt in imperatore paludamentum, in aliis chlamis, & apud Lacedæmonios & Perſas purpureus color: quale mihi videtur illud fuiſſe veſtimentum, quod hoſtili ſanguine tinxiſſe dicitur Deus *Iſai. 63.* Vbi in argumento non diſſimili ſimilia verba deprehendes. Nam cùm quæſitum eſſet: *Quis eſt iſte, qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra*, &c. Reſpondit Deus, *Aſperſus eſt ſanguis eorum ſuper veſtimenta mea, & omnia indumenta mea inquinaui, dies enim vltionis in corde meo, annus retributionis meæ venit.* Et reliqua quæ cum noſtro hoc loco mirè colludunt. Quòd ſi verbum *induo*, & *veſtio* non ſolùm togæ, ciuilique, ac communi veſti, ſed etiam *armis* frequens doctorum hominum vſus accommodat, quid cauſæ eſt, quominus ſi illa priora, non hæc etiam poſteriora indumenta nominari poſſint.

QQ *Inſulis vicem reddet.*] Suprà à nobis *cap. 41.* oſtenſum eſt, *inſularum* nomine omnes ſignificari Gentes, quæ procul ſunt à Chananæide, ſiue Iſraelitide regione; vbi etiam reddita eſt nominis illius ratio. Hieronymus qui putat hæc arma contra Iudæos eſſe parata, *inſularum* nomine deſignari cenſet Ieruſalem, neque huic ſententiæ ſectatores deſunt, quia non aliter cingenda eſt ciuitas illa hoſtium caſtris, quàm inſula fluctibus. Sed etiam ſi hæc de Iudæorum ſupplicio capias, commodè *inſularum* nomen illas ſignificat regiones, quæ remotæ ſunt à Hieroſolymis, & in quas Iudæi vagi dilapſi ſunt: nam vbiuis Gentium fuerint, illos diuina inſectabitur vltio. Sed ſi de Iudæorum hoſtibus hæc intelligas, vt volunt S. Thomas & Hugo, & nos magis arbitrabamur eſſe probabile (quia *inſularum* nomine plerumque gentiles populi deſignantur) nihil habet offenſionis, aut difficultatis explicatio. Nam qui captiuos abduxere Iudæos exciſa vrbe, & non ſolùm polluto, ſed etiam euerſo funditus templo, tametſi in inſulis agerent, id eſt, ab vrbe quàm longiſſimè, recipient tamen vicem: neque minùs à Perſis, & Medis iactabuntur, quàm ab ipſis priùs obſidione, deinde longa ſeruitute iactati fuerunt Iudæi. 75.

Quàm verò hi, qui populo Dei infenſi fuerunt, & graues, grauis pertulerint, ſatis nobis ex Scriptura ſacra compertum eſt. Nam Ægyptij ab Aſſyriis primùm ſub Sennacherib: deinde à Chaldæis ſub Nabuchodonoſor grauiſſima accepere detrimenta. Neque minore poſtea clade, vel à Chaldæis Aſſyrij, vel à Perſico exercitu Chaldæi, & qui vtriſque caſtrenſem operam nauarunt Idumæi, Moabitæ, & Ammonitæ, concuſſi ſunt. 76.

RR *Et timebunt, qui ab Occidente nomen Domini, & qui ab ortu Solis gloriam eius.*] Hæc de Iudæis accipiunt Hieronymus, Cyrillus, Procopius, & Dionyſius, qui vbique terrarum experti ſunt minacis huius vaticinij pondus. Si de Diabolo humani generis hoſte hæc accipias, vt etiam putat Hieronymus, & Adamus, & in allegorico ſenſu ſæpe nos explicuimus ſimilia, quod fieri neceſſariò debet, ſanè nulla pars in toto, quàm latè patet, orbe eſt, in quam abolita impietate, & Dæmonum cultu inducta non fuerit, futuráve ſit Chriſti religio. Tunc verò illud *timebunt*, ſi horrorem importet, qui ab offenſo naſcitur animo, ad tartareas poteſtates referendum eſt: quæ latè priùs in toto orbe dominatæ, è ſede ſua per Euangelium depulſæ ſunt. Si verò ad illos, qui excuſſo Dæmonis iugo ceruices Euangelio 77.

gelio ſubdiderunt, tunc *timebunt*, non ſignificat affectum illum ſeruilem, & ignobilem, quo in hoſtes potentiores afficimur, ſed ingenuum, & liberalem, quali in illos animamur, qui nobis in honore atque in amore ſunt. Nam *timorem* pro religione & obſeruantia ſumi, ſatis compertum eſt; & nos aliquid diximus ſuprà *cap. 8. num. 27.* & plura *in noſtris commentariis ſuper Acta Apoſtolorum.*

78. Sin autem de Iudæorum hoſtibus hæc accipias, quod cum S. Thoma & Hugone hiſtorico ſenſu & typico exiſtimamus, ab illis dicitur exigendum eſſe ſupplicium, quamcumque in partem ſpectent; ſiue illi Orientalem habitent plagam, ſiue Occidentalem: nam ab his ſæpe regionibus Iudaicum nomen oppugnatum eſt. Quòd ſi ita capias, alia erit fortaſſe ſententia, ſæpe in Scriptura repetita. Nempe vſque adeò ſeuerum ſupplicium de hoſtibus ſuis, quicumque illi ſint, ſumendum eſſe à Domino, vt omnes Gentes, ad quarum aures peruenerit, ſtupentes horreant, vt de ſupplicio Heli 1. *Reg. c. 3.* Samueli dictum eſt: *Ego facio verbum in Iſrael, quod quicumque audierit, tinniant ambæ aures eius.* Porrò *Orientis*, & *Occidentis* nomine totum orbem intelligi, multis docuimus *ſuper Zachariam.*

79. [19] *Cùm venerit quaſi fluuius violentus, quem ſpiritus Domini cogit.*] Sæpe Scriptura facta hoſtilem impetum, quique omnia populatur, & ſternit, cum fluuio ripas egreſſo, latéque exundante comparat. Iſaias *cap. 8. Adducet Dominus aquas fluminis fortes, & multas, Regem Aſſyriorum*, &c. Et Ieremias *capite 46. verſ. 7. Quis eſt iſte, qui quaſi flumen aſcendit: & velut fluuiorum intumeſcunt gurgites eius.* Exercitus ergo, quem ſecum adducet imperator ille maximus, qui veſtimentis vltionis indutus eſt, & zeli pallio, ſic irruet in hoſtes, quicumque illi ſint, iuxta varias interpretum ſententias, vt contra illius virtutem admirabilem nihil obtendi poſſit, quod incitatum illum curſum, aut impetum moretur. Quòd verò ſtatim additur, *& ſpiritus Domini cogit*, ad eandem allegoriam pertinet. Nam ſpiritu ac flatu Domini ſoluuntur è montibus niues, & nubes in aëre liqueſcunt: & quibus magnæ fiunt inundationes fluminum, & terrarum alluuiones, quæ cogunt, id eſt, colligunt illam aquarum vim, & præcipitem rapiunt. Quo etiam loquendi genere vſus eſt Dauid *Pſalm. 147.* Qui cùm priùs de niue, ac nebulis, ſeu nubibus egiſſet, ſubiecit: *Emittet verbum ſuum & liquefaciet ea; flabit ſpiritus eius, & fluent aquæ.* Theodotio, vt hîc notat Hieronymus, ſic tranſtulit. *Quaſi fluuius oppugnans ſpiritus Domini ſignatus eſt.* Aquila, *Quaſi flumen anguſtum ſpiritus Domini ſignaculum eius.* Septuaginta, *quaſi fluuius violentus in ira Domini veniet cum furore.* Quæ omnes tranſlationes, licèt non ſub eadem metaphora, vim fluminis ingentem, & præcipitem deſignant, qualis eſt fluminis, quod aquarum vim maximam collegit, eámque cohibet anguſto alueo, quæ hinc inde claudunt, & quaſi coarctant præaltæ ripæ.

80. [19] *Quem ſpiritus Domini cogit.*] Quæ in locum iſtum modò diximus, viſa ſunt mihi, neque difficilia, neque obſcura; ſed eſt alia explicatio, quam indicat Vatablus, quámque ego omnium maximè amplecterer, ſi patronum haberet, cuius ſe autoritate tueretur. Exercitus, vt nuper oſtendimus, fluminis impetu ſignificatur, aut torrentis, qui ſternit ſata læta, boum labores, diſturbat aggeres, ſyluáſque ſecum præcipites trahit. Huic exercitui inſtar fluminis rapido, præeſt ſpiritus Domini, qui illum cogit, deducitque Imperatoris inſtar ad vltionem

A inimicorum. Hunc eſſe puto ſenſum horum verborum. Quam ſententiam facilè quis cum aliis tranſlationibus conciliabit, ſi conſideret נס *nes*, *ſignum*, aut נסס *naſas*, *ſignare*, ſeu *vexillare*, voces eſſe caſtrenſes. Vbi noſter *ſpiritus Domini coget*; Et Aquila, *ſpiritus Domini ſignaculum*; Theodotio, *ſpiritus Domini ſignatus eſt*. Hebr. eſt נֹסְסָה בוֹ *noſeſah bo.* Quod aliqui à נוס *nus* deriuant, ſignificarique putant *fugauit eum.* Vt iuxta Rab. Dauid ſententiam vertit Pagninus, aut *impellet eum*, vt legit Tigurina. Sed alij interpretes à נסס *naſas* deducunt, in quorum tranſlationibus, vt vides, vox eſt aliqua, quæ à ſigno deriuatur. Erit ergo ſenſus, In illo exercitu quem Dominus ad vltionem adducet, ipſe dux erit, B aut vexillifer, qui exercitum ducat & cogat, & cuius arbitratu adminiſtrentur omnia. Quod fecit in exercitu Cyri, vt diximus *cap. 45.* ad illud, *Verè tu es Deus abſconditus*: neque credo hiſtoricè hîc aliud ſignificatur, quàm quod ibi.

Sed fortaſſe meliùs, & magis ad Vulgati tranſlationem accommodatè dixeris, illud נֹסְסָה *noſeſah*, eſſe *excitare*, ſeu *eleuare ſignum*, vt delectus habeat militares, cogátque exercitum violentum & ſtrenuum, qui tanquam fluuius pluuialibus aquis incitatus, & præceps ſternat populos, qui infenſi fuerunt aut Iſraelitico populo hiſtoricè, aut typicè populo Chriſtiano, eique Euangelicæ. Qui loquendi modus in eadem, aut certè in ſimili materia C frequens eſt. Dicitur enim Deus eleuare ſignum in nationibus ad euocandos milites ſuprà *cap. 5. verſ. 26. & cap. 11. verſ. 12. & cap. 49. verſ. 22. & cap. 62. verſ. 10.* Ad hanc autem explicationem plurimùm facit illud *coget*, quod ex vſu Latinorum ſignificat *conſcribere*, aut *congregare militares copias.* 81.

[20] *Et venerit Sion redemptor: & eis qui redeunt ab iniquitate in Iacob.*] Hæc hiſtoricè, & typicè cum S. Thoma, & Hugone de reditu, libertatéque Iudæorum interpretor, qui *Sionis* nomine deſignantur, & quos Deus euocato Perſarum exercitu, qui tanquam incitatus fluuius Babylonicos fines inundauit, in patriam reduxit. E quorum numero redierunt non omnes, ſed quorum Deus tetigit corda, & qui ad iuſtitiam animum excoluerunt ſuum: D vt pluribus oſtendimus ſuprà *cap. 1.* ad illud: *Sion in iudicio redimetur.* Quod indicant illa verba non obſcurè: *Et eis qui redeunt ab iniquitate in Iacob.* Vbi illud *&*, expoſitiuam particulam eſſe arbitror, hoc ſenſu, *Veniet Sioni redemptor, id eſt eis, qui ab iniquitate redibunt.* In hac libertate, vt millies diximus, libertas alia maior ſignificatur, quam per Chriſtum habet humanum genus à Dæmonis iugo. Quam quia illuſtri notatam, & expreſſam ſymbolo intuebantur Patres, & in qua multò emicabat magis diuina bonitas, ideo huius illuſtriſſimi loci non tam hiſtoricum quàm allegoricum ſenſum ſecuti ſunt. E Quod etiam, ſicut alibi ſæpe, fecit Paulus *ad Roman. 11. verſ. 26.* Qui vt oſtenderet non eſſe à Deo prorſus abiectum Iudæorum genus, cùm eſſet tanto in honore habita Gentilitas, hunc adduxit locum allegorico, vt apparet, ſenſu: in quo gens eadem olim inter hoſtes captiua ad priorem locum, & ordinem reuocanda dicitur. Ac ſi dicat Paulus, Vt populus antè à tenebroſo, atque ærumnoſo ſtatu ad lucem, & libertatem emerſit, ſic Iudæorum reliquias, quæ abiectæ eſſe putabantur, in fine ſæculorum Deus ad ſe conuertet. 82.

Huic loco Paulus, in ſuo allegorico, vt arbitror, ſenſu plurimum attulit lucis *ad Roman. cap. 11.* Qui cùm ad Gentiles loqueretur, qui ſibi in eo placebant 83. Ad Rom. 11

bant maximè, quòd ad Eccleſiam eſſent aſcripti, excluſis Iudæis, quos eo etiam nomine contemnebant, docet Iudæos non ita à Deo fuiſſe contemptos, vt non ipſi etiam aliquando conuertendi ſint. Cùm enim dixiſſet, *Nolo enim vos fratres ignorare myſterium hoc, vt non ſitis vobis ipſis ſapientes, quia cæcitas ex parte contigit Iſrael, donec plenitudo Gentium intraret, & ſic in omnibus Iſrael ſaluus fieret.* Quibus verbis, vt liquet, oſtendit ſub finem mundi Iudæos eſſe conuertendos. Deinde ſubiicit Iſaiæ teſtimonium, quod modò verſamus, vt omnes ferme putant interpretes, & res ipſa docet. *Sicut*, inquit, *ſcriptum eſt, Veniet ex Sion qui eripiat, & auertat impietatem à Iacob: & hoc illis à me teſtimonium, cùm abſtulero peccata eorum.* Non deſunt, qui teſtimonium iſtud ab alio Iſaiæ loco petitum eſſe cenſeant: nempe *ex capite 27. verſ. 9. Et iſte omnis fructus, vt auferatur iniquitas eius*, nempe Iacob. Sed quominus hoc mihi perſuadeam facit, quod vt bene notauit Toletus in hunc Pauli locum, hîc apud Septuaginta inueniuntur verba, quibus vtitur Paulus, in capite verò 27. longè diuerſa.

84. Ex quo Pauli loco multa licebit colligere ad expoſitionem ſaltem myſticam huius loci. Primum, hîc agi præcipuè de ſalute ſpirituali Iudæorum, qui auocandi dicuntur à peccatis.

Iudæi in fine ſæculorum conuertendi.

Secundum, illum Domini zelum armatum ad vindictam, & impetum illum tanquam exundantis fluminis, qui maximè ſpectatur in tam longa obduratione, & cæcitate Iudæorum, duraturum, donec veniat ad fidelium ſocietatem, Eccleſiæque complexum Gentium plenitudo.

85. Tertium, illud fœdus, ſeu teſtamentum, vt exponit Paulus, eſſe promiſſionem hanc de reducendo Iſraelitico populo ab impietate, aggregandóque aliquando ad Eccleſiæ ſinum.

86. Quartum, hanc ſalutem non priùs aduenturam eſſe Iudæis, aut hoc teſtamentum, ſiue fœdus implendum, quàm Chriſti Seruatoris paſſio præcedat, id enim eſt. *Cùm abſtulero peccata eorum.* Quia licèt alio modo Deus hæc auferre potuerit, immò abſtulerit à Iudæis in Babylonico exilio commorantibus, aut ab eo in patriam reſtitutis, vt de Ieſu filio Ioſedech ſcribitur *Zachar. cap. 3. verſ. 4. Ecce abſtuli à te iniquitatem tuam*; Tamen hîc de aliquo alio auferendi modo loquitur Paulus, cùm de re longè poſt Babylonicum exilium futura ſermonem faciat.

87. Hæc puto non difficilè colliguntur è Paulo, qui optimus eſt interpres Scripturæ ſacræ. Neque tamen exiſtimo alienum à veritate, & textu, quod paulò antè ex ſententia S. Thomæ, & Hugonis dicebamus, hæc hiſtorico ſenſu, ac typico ſpectare libertatem Iudæorum è Babylone, in qua apparebat maior alia eiuſdem populi libertas, vt hîc exponit Paulus. Hîc verò nobis componenda eſt, conciliandáque Pauli tranſlatio cum verſione vulgati & cum L x x. lectione, quod non vulgaris, aut exigui negotij eſt. Neque enim ab vtriſque parum recedit Pauli teſtimonium. Sic enim vulgatus. *Et veniet Sion redemptor, & eis, qui redeunt ab iniquitate in Iacob: Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus.* Sic Septuaginta. *Et veniet propter Sion qui liberet, & auertet impietatem à Iacob: & hoc erit eis à me teſtamentum, dicit Dominus.* Paulus verò. *Veniet ex Sion, qui eripiat, & auertat impietatem a Iacob; & hoc illis à me teſtamentum, cùm abſtulero peccata eorum.*

88. De Septuaginta tranſlatione nihil moror, quia parum ab Hebraico textu, & vulgata verſione differt. Obſeruandum tamen non eodem omnes modo legere L x x. verſionem. Quidam *ex Sion* legunt propter auctoritatem credo Pauli, ita Hieronymus in commentariis, & codices Complutenſes. Communiter alij *propter Sion*, Cyrillus, Procopius, Origenes in Paulum, & codices nunc à Sixto correcti. Si priori modo legas, non diſcrepat Paulus à L x x. Sed non video quomodo cum Hebraico textu conuenire poſſit; in quo *Sion* in tertio caſu ponitur, vt docet articulus ille præfixus לציון *Laſion*. Et aptè eodem ſenſu vertunt L x x *propter Sion*. Quare dum noſter conuertit, *Et veniet Sion redemptor*. *Sion* proculdubio in tertio caſu eſt.

Ego hîc à Paulo exiſtimo è duobus Iſaiæ locis vnum eſſe conflatum teſtimonium. Quod, vt in Zachariæ commentariis oſtendimus *cap. 11. n. 54.* in canonicis ſcriptoribus inuſitatum nó eſt. Quod etiam Paulus iterum fecit *ad Rom. cap. 3.* Quàm autem ſæpe dictum ſit in Scriptura exituram eſſe legem, aut ſalutem de Ieruſalem, aut de Sion, nemo non videt. Dixit ſanè hoc de lege apertè Iſaias *c. 2. Quia de Sion exibit lex.* Et de ſalute Chriſtus ad Samaritanam, quaſi aliquid etiam vulgo notiſſimum, *Ioan. cap. 4. Quia ſalus ex Iudæis.* Quòd verò ex Iſaiæ teſtimonio pars prior ſublata ſit, & alia eius loco ex Scriptura ſacra repoſita, neque incommodat cogitationi, aut inſtituto Pauli; & ad eius conſilium maximè facit. Cùm enim ibi comprimere, aut moderari vellet Gentilium ſpiritus eo nomine inſolentes, quòd deſpectis Iudæis ipſi ad Eccleſiæ complexum eſſent admiſſi, contrà obiicit Paulus ad oſtendendam huius populi dignitatem, & ex ea Gente ſalutem exiiſſe, & futurum, vt aliquando Iudæi quoque in illam Eccleſiæ communionem adſcribantur. Deinde quia nullo modo Iſaiæ peruertitur, aut mutatur ſententia, aut ex ea aliquid à Paulo detrahitur. Nam, vt mihi penè certum eſt, eadem ſententia his ab Iſaia eodem loco proponitur, nempe Iſraelem aliquando fore ſaluandum. In priori namque hemiſtichio hæc ſententia eſt, *Veniet Sioni redemptor*. Poſteriori explicat, quinam illi ſint, quibus adfutura dicitur ſalus, nempe iis, qui ex Iſraelitis ſeſe ab impietate conuertent: Illud enim *&*, vt nuper diximus, non tam copulatiuam, quàm expoſitiuam eſſe particulam arbitror. Erit itaque hic ſenſus. *Veniet Sioni redemptor, id eſt, eis qui in Iacob, Iſraelitico nempe genere conuerti voluerint.* Quare etiamſi priorem partem ex hoc Iſaiæ teſtimonio auferat Apoſtolus; nihil tamen detrahit ſententiæ; quia ſecundam partem adhibet, in qua eadem omnino ſententia eſt. 89.

Illud, *cùm abſtulero peccatum eorum*, quod neque ex Hebraico textu, neque ex L x x. tranſlatione ſumptum eſt, putat Origenes additum eſſe à Paulo auctoritate Apoſtolica. item Anſelmus, quod non improbat Toletus. Sed mihi id durum ſemper viſum eſt: quia Paulus apertè indicat hoc antiquum eſſe teſtimonium, cùm dicit *ſicut ſcriptum eſt*: neque alio filo contexit illud, *cùm abſtulero*, quàm ſuperiora. Quocirca mihi hîc quoque placet, quod de priori parte teſtimonij dixi, ex alio Scripturæ ſacræ loco poſtremam hanc partem eſſe deſumptam; ita vt teſtimonium hoc ex tribus locis compoſitum fuerit ab Apoſtolo. Neque id mirum cùm in epiſtola ad Romanos *cap. 3.* vt bene Hieronymus obſeruauit *in prologo ſuper lib. 16. in Iſaiam*, ex quinque Scripturæ ſacræ locis vnum contexuerit teſtimonium. Neque hîc Paulus, aut locum Scripturæ ſacræ citat, aut auctorem, ſed tantùm dicit, *ſicut ſcriptum eſt.* 90.

Regula. Teſtimoniũ vnũ ex multis conflatũ.

eſt. Scriptum eſt autem, quod Paulus addidit, non vno, ſed multis, iiſdémque Scripturæ locis notiſſimis. Exiſtimo autem extremam hanc partem ſumptam eſſe *ex capite 4. Iſaia*, vbi idem eſt argumentum, & ad extremum legitur, id quod nunc additum eſt ab Apoſtolo. *Et erit omnis, qui relictus fuerit in Sion, & reſiduus in Ieruſalem, ſanctus vocabitur, omnis, qui ſcriptus eſt in vita in Ieruſalem: ſi abluerit Dominus ſordes filiarum Sion.* Neque eſt quod quemquam conturbet, quòd alia dicendi figura Paulus hoc expreſſerit; quia auctores ſacri, atque canonici, ſic ſolent ex teſtamento veteri teſtimonia ſumere, vt aliquando de verbis, aut eorum figura non laborent, dummodo nihil de ſententia mutetur: vt ſacri obſeruarunt doctores, & cuilibet in Scriptura ſacra explorare promptũ eſt. Vide quæ diximus *ca. 6. n. 39.*

91. Hæc mihi viſa ſunt neque dura, neque inuſitata: Si quis tamen putet extremis his verbis voluiſſe Paulum magis explicare quod dictum eſt in eandem ſententiam ab Iſaia, vt Caietanus vult, nihil credo putabit alienum, vel à textu, vel à Pauli conſuetudine, qui vt eximius doctor, quæ aliquantulo propoſita ſunt obſcuriùs ea aut aliis verbis, aut alia dicendi figura enunciat, & explanat. Diximus illis tantùm promitti ſalutem, qui ex familia Iacob ab impietate recederent. Sic enim explicabamus illud. *Et eis, qui redeunt ab iniquitate in Iacob.* ita vt illud *&* particula eſſet quæ explicaret obſcurum, non quæ diuerſas coniungeret partes, hoc ſenſu, *Nempe*, ſeu, *id eſt, illis qui ex Iacob peccata deteſtarentur.* Hoc itaque Paulus magis explicare ſtudens poſt adductum teſtimonium addidit, *cùm abſtulero peccata eorum*, ac ſi diceret, *Hoc vobis teſtimonium: vobis, inquam, ſi tamen priùs abſtulero peccata.* Quòd ſi id volunt Origenes, Anſelmus, & Toletus, ego quoque illorum ſubſcribo ſententiæ.

92. 21 *Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus.*] Firmitatem addit promiſſioni nomen *Dominus* ſubſcriptum, quo ad extremum obſignatur prophetia. *Fœdus* autem dicitur, quo libertatem Deus, & ſalutem Sioni promittit; ſi modò ab impietate receſſerit: Siue libertas hæc ab exilio Babylonico ſit, typicè tamen, vt ſæpe diximus; ſiue, quod verius eſt, à dæmone, vt communiter expoſitores, & Patres: & indicat ſuprà non obſcurè Paulus.

Alij *fœdus* eſſe putant, quod ſtatim ſubiicitur, quòd videlicet in ſempiternum defuturus non ſit ſpiritus propheticus. Ita Hieronymus, Haymo, Foreirus: quod mihi etiam vehementer placet; ſed puto priorem ſententiam eſſe magis ſolutam.

93. 21 *Spiritus meus qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui.*] Quidam hæc verba dicta Chriſto putant à Patre: alij Eccleſiæ, cui in ſempiternum ſpiritus Domini promittitur. Plerique alij cùm Hieronymo hæc Iſaiæ tribuunt, in hunc ſenſum. Neque in te ô Iſaia, ſpiritus propheticus, qui in te eſt, vnquam deficiet, neque ex tuo ore verba recedent, quæ aut qualia à me tibi oſtenſa ſunt. Neque à tuo ſemine, id eſt, ab his, qui tibi in eo ſpiritu, ac miniſterio ſuccedent; nempe ab Apoſtolis, aut ab aliis doctoribus, quorum animos ſpiritus meus afflabit, & docebit. Qui Iſaiæ filij dici poſſunt, quomodo diſcipuli vocantur *filij*, & qui aliorum loco in aliquo gradu, atque ordine ſuffecti ſunt. Adamus errare putat eos qui hæc ad Iſaiam, ſeu Chriſtum, aut Eccleſiam referenda exiſtimant, adſcribitque illis, ad quos Iſaias hoc rerum articulo loquebatur. Mihi hæc omnia quæ Adamus minùs probat, maximè probantur, præſertim quod ad Iſaiam attinet: quia textus non difficilis eſt ad illam de Iſaia cogitationem, & communis Patrum auctoritas plurimum habere debet momenti. Proponam tamen, quæ hîc occurrunt mihi, lectori pio, vt de illis ipſe iudicet, ſuóque arbitratu, aut reiiciat, aut probet: ego enim non tam perſuadeo aut mihi, aut aliis, quàm omnibus examinandum expono.

94. Dixerat ſuprà propheta aduenturam eſſe ſalutem à Chriſto redemptore Sioni, id eſt, iis, qui ex Iſraele vitam, moréſque mutauerint. Vbi, & redemptionis meminit vtique per Chriſtum, & eorum qui redemptionis eſſent futuri participes; neque qui peccata deteſtati ab illis recederent. Hæc ergo duo commendat Dominus tam prophetæ, quàm eius poſteris, id eſt, illis, qui deinde propagandi eſſent ex ſemine Iacob in aliam, atque aliam generationem, vt non ſolùm ex eorum mente non excidant, ſed neque ex illorum ore; ſed illa & in familiari congreſſu aſſiduè verſent, habeántque quotidiano, ac penè continenti ſermone trita, & familiaria; Expedit enim maximè ad ſpem excitandam, moréſque religioſè cõformandos, noſſe redemptorem eſſe, & vindicem noſtræ ſalutis: neque quemquam conſecuturum eſſe ſalutem, qui hærere velit in peccatorum cœno. Ad quam expoſitionem nihil credo violentum, aut extortum habemus à textu. Nam *ſpiritus meus qui in te eſt*, per metonymiam pro vaticinio ponitur, id eſt, pro verbis, quæ diuinus dictauit ſpiritus prophetæ ſuo. Quo ſenſu quidam accipiunt illud Ioannis, *epiſtol. 1. cap. 4. Nolite omni ſpiritui credere*, id eſt, omni doctrinæ. Et illud *1. Cor. 14. Si orem lingua, ſpiritus meus orat.* Ita Primaſius, Gagneius, & Eraſmus. *Spiritum* ſanè pro ſermone, doctrina, ſeu reuelatione ſumi docet Eucherius *in quaſt. noui, & veteris teſtamenti in epiſtolam ad Epheſios*, & Cyrillus Alexandrinus in illud Iſaiæ *cap. 26. Peperimus ſpiritum ſalutis.* Idem ibidem Procopius, quorum verba, quæ penè eadem ſunt, nunc tibi ſubiicio. Audi Cyrillum & in eo Procopium. *Quadrare*, inquit, *poteſt hæc oratio prophetis, & ſanctis Apoſtolis, & Euangeliſtis, qui ſuperna myſtagogia ducti, ornatique miniſterio, & velut intelligibili ſemine accepto ſpiritum ſalutis in terra pepererunt, nimirum doctrinam ſpiritualem, quæ vitæ æternæ conciliatrix eſt, & procuratrix. Solet enim Scriptura diuina ſpiritum ſæpe nominare aliquorum ſcripta. Probate inquit ſpiritus, an ex Deo ſint. 1. Ioan. cap. 4.* Et ibidem, Euangelicam prædicationem ait eſſe ſpiritum illum quem Paulus dicit ſe accepiſſe *1. Corinth. cap. 2.* Et quidem in hoc loco *ſpiritum* pro verbis, ſeu doctrina ſumi, ſuadent illa, quæ mox ſubiiciuntur, quæ videntur continere, atque explicare ſuperiorem ſententiam, vſitato Hebræorum more, qui res maximè notabiles iteratò adhibent, in quibus poſterior modus prioris expoſitio eſt, in quo planè *verba* audis; & quæ in tota hac continentur clauſula dicuntur ab ore non receſſura, quod verborum eſt proprium, & penè ſolum.

Spiritus pro verbis.

95. Ex his difficile non eſt reliqua ad finem vſque capitis expedire: monet enim Dominus prophetam, vt hæc verba & mente contineat & ſæpius inculcet: quod item edicit ipſius ſemini, id eſt, poſteris, poſterorúmque filiis in longas generationes: ita vt hæc quæ nunc primùm audit Iſaias, quotidiano repetant ſermone, & cantu celebrent aſſiduo nati natorum, & qui naſcentur ab illis: quia hæc in longa ſpectant ſæculorum ſpatia. Nam & conſecuti ſunt multi à Iudæorum ſemine ſalutem primis

Eccleſiæ

Eccleſiæ Apoſtolorúmque temporibus: & deinde, vt Paulus ex multorum ſententia docet *ad Rom.* 11. ad finem ſæculorum. Hanc ſententiam, aut tenet, aut indicat Cyrillus.

96. Illud *in ſempiternum*, vt aliis in locis ſæpe, longum tempus deſignat, licèt aliquo ſpatio definitum; quale hîc eſt tempus Euangelij, aut certè quod proximè mundi conſummationem antece- A det. Illud *non recedent*, licèt in futuro ſit, tamen pro imperatiuo poſitum eſt, quod in Scriptura ſacra obuium. Ita vt non tam dicantur verba ab ore non receſſura, quàm præcipiantur, ne vllo recedant tempore à poſterorum ore. Hæc mihi maximè videntur ſolida & prompta; neque tamen ideo aliorum expoſitio non probatur. *Hac de capite quinquageſimo nono.*

Argumentum ſexageſimi capitis Iſaiæ.

QVÆ in hoc dicuntur capite, ita hiſtoricè de Hieroſolyma reſtituta accipienda ſunt, vt multò magis typicè Eccleſiam intueantur. Cuius ſingulari orationis genere eximiam gloriam, & numeroſam filiorum ſobolem commendat, & amplificat propheta. Deinde oſtendit quidquid in Regum, populorúmque deliciis, atque opibus numeratur, ad Eccleſiæ cultum, atque ſplendorem eſſe tranſcribendum: ſubdendúmque collum Eccleſiæ iugo illorum, qui contra eam hoſtiles cogitationes, & odium implacabile ſuſcepiſſe videbantur. Ad finem tandem aurei illius ſæculi felicitatem, & vtriuſque Eccleſiæ tam militantis, quàm triumphantis ſtatum declarat. In hoc autem capite, ſi vſquam alibi, diuina in Euangelico propheta eloquentia ſplendet.

CAPVT LX.

1 [a] *SVRGE, illuminare Ieruſalem, [b] quia venit lumen tuum, [c] & gloria Domini ſuper te orta eſt.*

2 [d] *Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: ſuper te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur.*

3 [e] *Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in ſplendore ortus tui.*

4 [f] *Leua in circuitu oculos tuos, & vide: omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi: [g] filij tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere ſurgent.*

5 [h] *Tunc videbis & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum, [i] quando conuerſa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi.*

6 [k] *Inundatio camelorum operiet te, [l] dromedarij Madian, & Epha: [m] omnes de*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 SVRGE iam, ô Ieruſalem, quæ ſedebas in puluere, & nouum quemdam ſplendorem intuere, quem antea denſæ circumfundebant tenebræ. Ecce iam adeſt lumen, quod optare poteras: & gloria, quam tibi Dominus, tanquam ſponſæ parauit.

2 Quia, cùm terra aliena, externíque populi craſſiſſimæ ſint immerſi caligini; in te tamen orietur Dominus, qui vera lux eſt, & gloria ipſius in te ſingulariter ſplendeſcet.

3 Ad illud lumen, quod in te fulgebit, Gentes vndecumque conuolabunt, tanquam ad pharum in portu lucentem nautæ ſalo iactati: & ad ſolem, qui in tuis orietur finibus, Reges etiam, & Principes accedent. Et in luce iam ambulabunt illi, qui priùs cæcis, fallacibúſque veſtigiis errabant in tenebris.

4 Circumſpecta quoquò verſus, ô Ieruſalem, & vide, quanta ad te ex omnibus terræ plagis Gentium multitudo concurrat. Omnes iſti quos properantes vides, tui ſunt, & in tuum ſinum vt admittantur, ſtudent: Filij tui, & filiæ tam ex proximò, quàm ex remoto loco certatim aduolabunt.

5 Cùm circumſtare videas numeroſam ſobolem, tunc exultabis gaudio: & animus quondam tuus mœrore contractus, & anguſtus, rerum viciſſitudine, dilatabitur. Quando innumera populorum multitudo, & Gẽtium diuitiæ in maris ſimilitudinem in tuum tibi ſinũ immigrauerint.

6 Ea frequentia venient ad te cameli, qui filios tuos, & opes in tuum vſum regias compor-

tent;atque ea feſtinatione properabunt, vt inſtar habeant inundantis maris. Venient ad te ex Madian,& Epha,venient ex Saba dromedarij ferentes id,quod in illis regionibus in pretio, atque in honore eſt: aurum videlicet,& thus, quæ omnia tam libenter offerent, vt ad oblata munera, vocis quoque modulationem adiungant, & diuinæ maieſtatis præconia.

7 Cedareni quoque pecus, quod apud ipſos abundè paſcitur, & Nabathæi arietes ad te congregabunt: Quæ in altari meo,in quo placari ſoleo, iugiter immolentur: quæ domus meæ gloriam oſtendant,& amplificent.

8 Quinam ſunt hi, quos neque viatum aſperitas,aut ſalebræ retardant, aut magna laſſant locorum ſpatia? Qui vt nubes volant, quas rapit vehemens ventorum impulſus; aut ſicut columbæ, quæ vrgente nimbo, in ſuos ſe nidos, quàm ocyſſimè referunt.

9 Adeò non reſpuunt oblatam lucem inſulæ, vt illam auidiſſimè expectent: paratáſque habeant ad filios tuos tranſmittendos,ô Ieruſalem, naues in Oriente, quæ onuſtæ venient argento, & auro,ad cultum Dei, quem colit Iſrael; qui te ornare,atque illuſtrare conſtituit.

10 Qui à te priùs alieni ac peregrini fuerant, in mœnium tuorum molitionem ſedulò incumbent:& Reges qui rationibus tuis priùs aduerſabantur, voluntaria, & grata deferent obſequia. Viſus tibi ſum offenſi, atque indignati animi dediſſe ſignum, cùm plagam inflixi; ſed pòſt tibi placati, ac miſerantis ſignum exhibebo, cùm te Regum,ac Principum exuuiis ornauero.

11 Tunc verò non erit cur foribus tuis vectes obiicias,aut portas claudas, quia nullus iam erit ab hoſte metus, qui clauſtra deſideret, & vectes: neque Gentium multitudo,quę ſingulis in tuum ſinum influet momentis, illas ad punctum temporis obſtrui permittet.

12 Quòd autem die ac nocte tanto ſtudio Gentes ad te concurrant, ea ratio eſt; quia quæcumque gens, aut quodcumque regnum ſeruire tibi recuſauerit, interibit: interibunt, inquam, miſerè atque omnino Gentes, quæ tibi collum ſummitere noluerint.

13 Quidquid in Libano ſpecioſum eſt, ad tuum vſum, & fabricam conferetur; nempe cedrus, & cum ea buxus,pinus, & abies: quæ loco ad cultum, & obſeruantiam meam deſtinato, quémque ego ſæpius pedibus calcare ſoleo, ornamentum afferent,& decorem.

14 Qui te priùs ſuperbè vexarunt,ac depreſſerunt, demiſſo vultu ad te, & ſupplices accedent:& impreſſa pedum veſtigia exoſculabuntur illi, qui tuo honori priùs maledica lingua detraxerant. Et tuam ſpeciem,& amplitudinē admirati dicent: Hæc verè Dei ciuitas eſt: Hæc verè Sion,in qua colitur, atque habitat ſanctus Iſrael.

15 Pro

Saba venient, aurum & thus deferentes, [n] *& laudem Domino annunciantes.*

7 [o] *Omne pecus Cedar congregabitur tibi, arietes Nabaioth miniſtrabunt tibi:* [p] *offerentur ſuper placabili altari meo,* [q] *& domum maieſtatis meæ glorificabo.*

8 [r] *Qui ſunt iſti, qui vt nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas?*

9 [ſ] *Me enim inſulæ expectant, & naues maris in principio, vt adducam filios tuos de longè: argentum eorum, & aurum eorum cum eis* [t] *nomini Domini Dei tui, & ſancto Iſrael, quia glorificauit te.*

10 [v] *Et ædificabunt filij peregrinorum muros tuos, & Reges eorum miniſtrabunt tibi:* [x] *in indignatione enim mea percuſſi te, & in recõciliatione mea miſertus ſum tui.*

11 [y] *Et aperientur portæ tuæ iugiter: die ac nocte non claudentur, vt afferatur ad te fortitudo Gentium, & reges earum adducantur.*

12 [z] *Gens enim & regnum, quod non ſeruierit tibi, peribit: & gentes ſolitudine vaſtabuntur.*

13 [aa] *Gloria Libani ad te veniet, abies, & buxus, & pinus ſimul ad ornandum locum ſanctificationis meæ, & locum pedum meorum glorificabo.*

14 [bb] *Et venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te, & adorabunt veſtigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi,* [cc] *& vocabunt te ciuitatem Domini, Sion ſancti Iſrael.*

15 [dd] *Pro*

15 [dd] *Pro eo, quòd fuiſti derelicta, & odio habita, & non erat qui per te tranſiret,* [ee] *ponam te in ſuperbiam ſeculorum, gaudinm in generationẽ, & generationem.*

15 Pro eo quòd derelicta, & contemptui, atque odio habita fuiſti, adeò vt nullus fuerit, qui in tuam ſe ſocietatem, atque familiam daret, ſiue metu, ſiue pudore deterritus, excitabo te, eóque proueham dignitatis, & lucis, vt nihil in populis habeatur admirabilius, & illuſtrius.

16 [ff] *Et ſuges lac gentium, & mamilla regum lactaberis:* [gg] *Et ſcies, quia ego Dominus ſaluans te, & redemptor tuus fortis Iacob.*

16 Quod bonum fuerit, & delicatum in Gentibus, quod in Regibus magis eximium, & illuſtre, illud ego per Reges ipſos, & populos impertiar tibi. Quare regio more, & regiis vberibus molliter, ac delicatè nutrieris. Tum autem cognoſces me Deum eſſe fortem Iacob, à quo ſalutem, & libertatem conſecuta es.

17 [hh] *Pro ære afferam aurum, & pro ferro afferam argentum, & pro lignis æs, & pro lapidibus ferrum:* [ii] *Et ponam viſitationem tuam pacem, & præpoſitos tuos iuſtitiam.*

17 Eo verò tempore nihil erit vile, nihil non ſyncerum, & purum: largiar enim aurum pro ære: ſuccedet argentum pro ferro: pro lignis æs, & ferrum pro lapidibus reponetur. Neque iam dura erit, ſicut antea, ſed pacata, & benigna viſitatio: quíque tibi præerunt, eo erunt animo, atque conſilio, vt iudicij pondus non in largitione, & gratia, ſed in æquitate, & legibus ſtatuendum putent.

18 [kk] *Non audietur vltrà iniquitas in terra tua, vaſtitas & contritio in terminis tuis,* [ll] *& occupabit ſalus muros tuos, & portas tuas laudatio.*

18 Non erit deinceps in tuis finibus ſupplicium tale, quale exigi ſolet à peccatis: non, inquam, erit in finibus tuis ſtrages, & vaſtitas, qualis aduenire ſolet ab inimico: In muris tuis, ac portis cantica non deerunt, quia victoriæ, aut noua ſemper beneficia ſuccedent, quæ laudari, ac celebrari debeant.

19 [mm] *Non erit tibi ampliùs Sol ad lucendum per diem, nec ſplendor Lunæ illuminabit te; ſed erit tibi Dominus in lucem ſempiternã, & Deus tuus in gloriam tuam.*

19 Neque lux tua erit ſicut lux Solis, qui non ſemper omnibus lucet, cùm aliò ab hominum oculis quotidie demigret: neque quaſi Lunæ ſplendor, qui & ipſe varius eſt, & menſtruis ſpatiis ab oculis eripitur. Quia Deus, qui tibi erit decus, & gloria, idem tibi pro Sole in ſempiternum lucebit.

20 [nn] *Non occidet vltrà ſol tuus, & luna tua nõ minuetur: quia erit tibi Dominus in lucem ſempiternam, & complebuntur dies luctus tui.*

20 Quare Sol tuus, qui Deus eſt, cui immutabile eſt, atque indeficiens lumen, nunquam erit occiduus: neque Lunæ tuæ vnquam deficiet, aut decreſcet ſplendor. Habebis enim non à Sole, & Luna, ſed ab eorum autore Deo ſempiternam lucem: neque iam ampliùs lachrymis indulgebis, & fletibus; quia præcidetur omnis dolendi, atque lugendi cauſa.

21 [oo] *Populus autem tuus omnes iuſti,* [pp] *in perpetuum hæreditabunt terram,* [qq] *germen plantationis meæ,* [rr] *opus manus meæ ad glorificandum.*

21 Quos habebis ciues, & filios, eoſdem etiam habebis iuſtitiæ, & ſanctitatis amatores. Quibus perpetua erit, & propria terræ poſſeſſio: quia ſicut generoſum, ac fidele germen in ea non aliena, ſed mea plantabuntur manu, vt ab eis fructum capiam laudationis, & gloriæ.

22 [ſſ] *Minimus erit in mille, & paruulus in gentem fortiſſimam:* [tt] *Ego Dominus in tempore eius ſubitò faciam iſtud.*

22 Quæ exigua erat, in numeroſam familiam & ſyluam filiorum ingentem excreſcet: & quę infirma videbatur, & tenuis, in Gentem ſtrenuam, atque robuſtam adoleſcet: Ego Dominus cùm tempus promiſſioni definitum aduenerit, quamprimum promiſſa pręſtabo.

IN CAPVT SEXAGESIMVM COMMENTARIVS.

1. a SVRGE, *illuminare Ieruſalem, quia venit lumen tuum.*] In textu Hebraico, & in eo, quem in Commentariis poſuit, & expoſuit Hieronymus, non inuenitur *Ieruſalem*. Sed hîc interpoſitum exiſtimatur ex Eccleſiæ conſuetudine, quæ in feſto Epiphaniæ ita prorſus legit. Et cùm de illa Sion hîc ſermo ſit, de qua in fine capitis præcedentis dictum eſt, *Et veniet Sion redemptor*, mirandum non eſt, ſi noſter interpres, qui aliquid interdum addit explicationis gratia, hîc quoque ne vaticinium hoc eſſet obſcurius, textui addiderit Hebraico *Ieruſalem*. Sicut fecere Septuaginta *cap.* 51. qui cùm tantùm eſſet in Hebraico codice *num.* 9. *conſurge, conſurge*, ipſi addiderunt, *Ieruſalem*.

2. De qua Ieruſalem ſcriptum fuerit vaticinium hoc illuſtriſſimum, quæri ſolet, de Ieruſalem ne terreſtri poſt vaſtitatem longam, exiliíque Babylonici ſordes inſtaurata, adductaque ad inſignem ſplendorem, & gloriam, vel de Eccleſia quam excitauit Deus, diuiniſque donis, ac cœleſti lumine ditauit, irradiauítque. Sanctus Hieronymus ſuo tempore communem indicat fuiſſe ſententiam, non Hebræorum ſolùm, ſed etiam quorundam, qui cùm religione non eſſent Hebræi, Hebræorum tamen ſententiæ nimis erant addicti, quos ipſe ſemiludæos vocat: qui exiſtimabant hæc ad terrenam Ieruſalem, Iudæorúmque dignitatem, & gloriam pertinere. Quorum ipſe meritò ſententiam damnat, totúmque vaticinium altius aliquid ſpectare dicit, & ad Eccleſiam eſſe referendum. Quòd Eccleſiam intueatur caput hoc eximium, nemo pius negare poterit; neque, quòd ſciam, vllus apertè negat. Si qui tamen ſunt, qui de terrena Ieruſalem interpretentur, in quibus eſt S. Thomas, & Hugo, ita accipiunt Ieruſalem reſtitutam, & tot ornatam è cœlo beneficiis, vt in ea tanquam in typo ſpectent, fundatam, & locupletatam Eccleſiam. Quod ſanè mihi difficile non eſt: nam vt ex multorum ſententia *in proœmio cap.* 40. diximus, Hieroſolyma poſt exilium inſtaurata, typus fuit maieſtatis, atque amplitudinis Eccleſiæ. Et quæ toto hoc capite continentur, mirè in ſtatum illum Hieroſolymæ conueniunt: imò & aliquid eſt, quod niſi valde contorqueas, in Eccleſiam accommodari non poſſit. Quòd ſi quæ contigere Iudæis, teſte Paolo 1. *Corinth. cap.* 10. contigerunt in figuris, quid quæſo durum, aut alienum exiſtimabimus, ſi tam excelſum opus, quod iam antè Deus meditabatur, & temporibus poſtea Euangelicis impleri voluit, in ſucceſſu maximè illuſtri, notóque non Iudæis ſolùm, ſed etiam alienationibus aliis adumbrare voluerit. Itaque hoc ſenſu probabilem, & veram puto expoſitionem S. Thomæ & Hugonis; ſi tamen de Eccleſia non negent hoc vaticinium, ſed eius gloriam in hoc quaſi hieroglyphico Iudæorum reditu expreſſam eſſe putent.

3. Regula. *Surge illuminare Ieruſalem.*] Propheticus eſt dicendi modus, qui imperatiuum cum epitaſi pro futuro vſurpat. Porrò illud *ſurge*, & aliæ voces ſimiles in imperatiuo Hebræis pro interiectionibus ſunt, vt *veni, venite, vide*, quæ acuunt deſides animos, & ſtudium excitant, ſicut apud Latinos *age, agedum, cedo*, & ſimilia. Quaſi ergo iam ab exilio redeant ærumnoſi Iudæi, & vndique Gentium conuentus magni fiant ad habitandam Ieruſalem, excitat propheta ciuitatem ſanctam ad iucundiſſimum illud ſpectaculum, quod iam iam poſtliminio adeſſe fingit. Sed hæc, vt dixi, typicè; nam cùm Eccleſiam præcipuè ſpectet hoc vaticinium, ad illam ſermo fit, quæ aſpicere iubetur cœleſte lumen, & frequentiam hominum admirabilem in ipſius ſinum vndique collectam.

Verba quædam pro interiectionibus.

4. Obſeruatum eſt nobis ſæpius in hoc propheta, *noctem, & tenebras*, tum apud Latinos, tum apud Hebræos, multò frequentiùs pro ægritudine animi, aut pro vitæ ſqualore, aut fortunæ incommodis adhiberi. Qualem ſtatum omnino pertulere Babylonij exules, & Eccleſia, cùm primum fundari cœpit: vix enim aliquis ſeſe Chriſto eiúſque diſcipulis aſſociabat, præter ignobilem turbam, quam corporis ægritudo, aut debilitas ad Chriſtum tanquam ad medicum adducebat. De quibus Chriſtus, *Cæci vident, claudi ambulant, pauperes euangelizantur*: ad quos ſe miſſum eſſe medicus ipſe, & Eccleſiæ fundator Chriſtus confeſſus eſt *Iſai. cap.* 61. Eiuſmodi verò homines membris quondam, aut debiles aut captos, id eſt, populi fæcem ſecutos fuiſſe Chriſtum, & Euangelium indicat, & accepti beneficij gratia, atque memoria perſuadet. Certè cùm Chriſtus prædicationis gratià caſtella, & ciuitates obiret cum diſcipulis, mulieres quædam ſequebantur, vt inquit Lucas *cap.* 8. *quæ erant curatæ à ſpiritibus malignis & infirmitatibus*. Quòd ſi quis eſſet paulò nobilior, vt cum Ieſu ageret, fugiebat lucem propter Iudæorum metum, aut iudicia, & noctem captabat, & tenebras, quibus conſuetudinem illam occultari volebat; vt de Nicodemo habes *Ioan. ca.* 3. Idcirco dum propheta canit aduentare lucem, & illuminandam eſſe Ieruſalem, procul dubio ſignificat adeſſe iam rerum viciſſitudinem, & inſtare tẽpus, quod animos diffundat, & exhilaret mœrore antea, & ſollicitudine contractos. *Surge*, vt diximus, interiectionis ſpeciem habet: Sed eſt verbum valde accommodatum Iudaici populi, aut Eccleſiæ ſtatui magis felici. Vt enim *ſedere* ſtatum ſignificat lugubrem, & ſeruilem fortunam, vt diximus *cap.* 47. *num.* 1. Sic etiam *ſurgere*, aut *ſtare*, ſtatum indicat proſperum, & lætum. Idem dicendum de verbo *illuminare*, quod tenebris opponitur, in quibus luctus, & mœror intelliguntur.

Pauperes primum Euangelium cõplexi.

5. b *Quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt.*] Quodnam ſit lumen iſtud, ex dictis liquet, nempe id quod contractum animum depulſis mœſtitiæ tenebris lætitiæ lumine perfundit, & irradiat, felicior nimirum ſtatus, qui fortunam anguſtam, & lugubrem; & filiorum multitudo, quæ antiquam ſolitudinem, & orbitatem conſolatur.

Hæc

Hæc verò quàm cumulatè acceperit Hieroſolyma reſtituta ſub Zorobabel typicè, & longè cumulatiùs Eccleſia poſt Chriſti aſcenſionem, ſatis compertum eſt: illud ex Eſdra, & Zacharia; hoc ex Apoſtolicis Actis, & Eccleſiaſticis annalibus.

6\. [c] *Gloria Domini.*] Aut hæc gloria dicitur eſſe maxima, quomodo *mons Dei*, & *cedri Dei* ſumuntur pro altiſſimis, atque pulcherrimis. Aut certè, quia Deus, vt ſponſus liberalis, & locuples Eccleſiam ſuam ſplendidiſſimis donis, & fœcunda ſobole, imò & ſeipſo luculenter ornauit. Vtramque explicationem aptam eſſe cenſeo huic loco. Imò vna videtur expoſitio, diuerſi tantùm genere diuerſa. Quòd autem *gloria* pro ſplendore, & maieſtate ſumatur, notum eſt ſatis. Vnde *gloria Libani*, & *Carmeli* dicitur horum montium ſpecies, & amœnitas. Et Salomonis ornatus Regius, & maieſtas *gloria* dicitur *Salomonis*. Cùm ergo *gloria Domini* oritura dicitur ſuper Ieruſalem, ſplendor oſtenditur maximus in quocumque dignitatis genere, qui priùs *luminis* nomine ſignificatus fuerat.

7\. Addam ad extremum vſum alium huius nominis, qui nõ ineptè fortaſſe in hunc locũ accommodari poteſt; neque vt credo, aut minùs piè, aut minùs ſignificanter *Gloria Domini*, vt putat Anſelmus in illud Pauli *ad Roman. 3. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei*, miſericordia Domini eſt. *Deus*, inquit Anſelmus, *magis, magiſque glorificatur tribuendo beneficia gratiæ ſuæ per remiſſionem delictorum, & multiplicationem virtutum.* Clariùs gloſſa ordinaria. *Gloria*, inquit, *id eſt, indulgentia & venia peccatorum.* Quam explicationem ex omnibus maximè probat Pereira. Illud præterea valde facit ad hanc cogitationem, quod Moyſes *Numeror. 14. verſ. 17. gloriam & fortitudinem Dei* illius miſericordiam eſſe dicit. Cùm enim à Deo peteret, vt populi miſereretur, & illius dimitteret peccata, inquit, *Magnificetur ergo fortitudo Domini.* Et quaſi hoc ad gloriam ſuam maximè pertineret, reſpondit Dominus. *Dimiſi iuxta verbum tuum, viuo ego, & implebitur gloriâ Domini vniuerſa terra.* In quem locum variè loquuntur interpretes, neque ego nunc aliquid definio. Oleaſter tam in litterali, quàm in morali explicatione, *gloriam Dei*, Dei miſericordiam interpretatur, in morali præſertim. *Audi quæſo*, inquit, *qua gloria vult Dominus omnem terram implere, non gloria potentiæ ſuæ, qua cuncta creauit; non ſapientiæ, qua cuncta prudentiſſime gubernat, ſed miſericordia, qua indefeſſe peccata remittit.* Iuxta hæc gloria Domini impletura dicitur Ieruſalem aut terreſtrem, aut myſticam: quia miſericordiæ ſuæ diuitiis illam ornauit Deus, dimiſſiſque peccatis vtriuſque populi tam Gentilici, quàm Iudaici, ex quibus myſtica Ieruſalem, id eſt, Eccleſia Chriſti coaluit, ad ſplendorem eximium, & dignitatem verè Regiam prouexit. Hoc poſterius videtur mihi non alienum, placet tamen magis explicatio prior.

Miſericordia, Dei gloria eſt.

Ad Rom. 3.

8\. [d] *Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: ſuper te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur.*] Ex comparatione contrariæ fortunæ multò magis emicat alicuius felicitas. Quæ comparatio in Scriptura ſacra frequens eſt. Si ſpectes quicquid extra Ieruſalem, id eſt, extra Eccleſiæ fines, atque complexum eſt, obſcura ſunt omnia, & profundiſſimæ immerſa caligini, quia principi parent tenebrarum, & cæcis errant, fallacibúſque veſtigiis. At ſuper Ieruſalem orietur lux, quæ noctem illam diuturnam excutiat: nempe Dominus, qui & ipſe lux eſt mundi, & cuius doctrina mentem illuſtrat, & irradiat: & quia ipſe in Ieruſalem docuit, & quodammodo ibi natus eſt. Sed altiori quadam ratione Eccleſiæ, cuius eſt vmbra Ieruſalem, doctrinæ ſuæ radios pleniùs diffudit, & ſuper eam multò potiùs ortus dici potuit: quia illius gloria in ea maximè conſpicitur: & cuius dona multò ſunt ampliora, quæ Eccleſiæ ab eius incunabulis ad hoc vſque tempus quotidie præſtat. Neque ab hoc officio liberali, ac paterno deficiet ad finem vſque ſæculorum.

[e] *Ambulabunt Gentes in lumine tuo: & Reges in ſplendore ortus tui.*] Prima omnium Hieroſolyma lucem vidit cæleſtem, quia in ea primùm Spiritus ſanctus viſibili ſpecie illapſus fuit in die Pentecoſtes. Ad illam verò, id eſt, ad genus Iſraeliticum, quod in Ieruſalem tanquam in eius gentis capite deſignatur, promiſſio illa facta, & ad illud Chriſtus primùm miſſus eſt; & ideo ibi prima naſcentis Eccleſiæ incunabula. Deinde verò gentes aliæ tam loco quàm religione diuerſæ ad ſplendorem illum diuinitus emicantem excitæ, antiquas exoſæ tenebras Euangelicam lucem amplexæ ſunt Venient itaque Gentes, ô Ieruſalem, ad lumen tuum, tanquam ad Pharum in portu fulgentem, quæ ſalo, nauſeaque iactatæ ex naufragio, ac tempeſtate ad littus enatare contendunt. In hac clauſula eadem eſt ſententia meo iudicio, ſed bis explicata, quare *ſplendor ortus tui* idem eſt quod *lumen tuum*. 9.

10\. Porrò illud *ortus* videtur idem eſſe, quod *Sol*, aut *oriens*. Quòd ſi ita accipias, quod ab vſu Scripturæ alienum non eſt, quæ *ortum*, aut *occaſum* pro Sole oriente atque occidente ſumit, ſenſus eſt ſatis illuſtris, quo ſignificatur in Eccleſia tantùm ortum eſſe Solem, reliquas autem nationes, quæ extrà ſunt, noctem habere perpetuam, neque emerſuras vnquam ex atra, denſáque caligine, niſi ad Solem accedant, qui vna tantùm in Eccleſia radiat. Vbi Vulgatus *in lumine*, & *in ſplendore*, Hebr. eſt præpoſitio ב *beth*, quæ non ſolùm quietem ſignificat, ſed etiam motum, ſicut præpoſitio Latina *in*. Si accuſatiuo adiungas, quod fecit Vatablus, & Foreirus, qui ita vertunt, *Venient Gentes ad lumen tuum*; ſenſus eſt facilis, quem nuper indicaui, nempe, Venient tanquam ad Pharum, qui perire nolunt hauſti fluctibus: ſeu venient ad lumen, quo illuſtrati, errare, ac cæcutire deſinant Si verò *in lumine* legas, quod potiùs reor, ſic interpretabere, qui hactenus errabant in tenebris, neque quid habebant certum, & tutum, quod ſequerentur, iam illuſtrati hoc cœleſti lumine ambulabunt ſine vllo, aut periculo, aut errore. Sanè errarant illi, offendeántque grauiſſimè, quibus cœleſte hoc lumen non affulſit, qui *Sap. 5.* de ſeipſis verè, tametſi ſerò, fatebantur. *Errauimus in via iniquitatis; & iuſtitiæ lumen non luxit nobis.*

In Eccleſia tantùm lux.

11\. [f] *Leua in circuitu oculos tuos, & vide: omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi.*] Alloquitur Ieruſalem, ſeu in illa veriùs Eccleſiam in eo ſtatu, ac rerum articulo, in quo ex omni regione maximi ad eam Gentium concurſus facti. Conſtituit autem illam in ſpecula, ſpectaréque iubet turbas hominum, qui & proximè, quaſi de ſinu prodeunt, & ex regionibus longè diſſitis adueniunt ex omni mundi plaga; ita vt quocumque ſuos conuertat oculos, occurſent numeroſi filiorum greges.

12\. [g] *Filij tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere ſurgent*] Accedent ad Ieruſalem non ſolùm hi quos Chaldæorum obſidio longa, ciuitatíſque extrema

 clades,

clades, & vaſtitas in proxima Palæſtinæ loca diſſeminauit (quos fuiſſe in magno numero docuimus apud Zachariam *cap. 7.*) ſed etiam, qui longiùs abducti ſunt in Babylonem. Sed multò veriùs magiſque copiosè accedent ad Eccleſiam ex proximis locis, id eſt, ex Iudaico genere plurimi, multò verò plures è Gentilibus, qui non tam ex latere exierunt, ſicut Iudæi, quàm ex longinquo adducti in illam domum, & familiam Eccleſiæ coaluerunt.

13. Hoc loco nonnulla à nobis obſeruanda ſunt. Primùm, vt à nobis pluribus demonſtratum eſt *cap. 3. num. 2. & cap. 43. num. 9.* quando in eadem ſpecie maſculinum genus cum fœminino coniungitur, ſignificari multitudinem, & varietatem. Quare hìc in *filiis, & filiabus* nihil aliud deſignari puto, quàm numeroſam ſobolem, quæ ex proximis, remotiſque regionibus naſcetur Eccleſiæ. Quo ſenſu dictum puto *capite 43. Affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremo terræ.* Et quoties aliquis in Scriptura dicitur *genuiſſe filios & filias*, id puto ſignificari, ab illo valde propagatum eſſe genus. In hanc ego ſententiam hunc locum accipio: neque enim facilè oſtendas, ſi aliter interpretere, cur *filiæ ex latere egreſſuræ* dicantur, *filij* verò *aliunde*. Niſi fortè in *filiabus* imbecillum, atque ignobile Iudæorum; in *filiis* verò Gentilium magis robuſtum, & acre genus intelligas. Quod in propoſitam materiam neſcio quàm accommodatè cadat, cùm è Iudæorum gente nati fuerint Apoſtoli, in quibus Eccleſia tam à Chriſto condita nihil apparuit fœmineum, & imbecillum. Erit ergo ſenſus, tam ex Iudæorum gente propè, quàm ex Gentilium procul venturos eſſe filios, & filias, id eſt, copioſam vtrinque multitudinem, quam ad vbera ſua Eccleſia mater alat, atque confirmet. Sanè *capite 43.* tam filij quàm filiæ de longinquo, & ab extremo terræ dicuntur eſſe venturi.

14. Quòd verò aliqui dicunt in *filiabus* animas intelligi infirmiores, quibus opus eſt lacte, atque adeò à materno ſinu, & vbere non diuelli, id habet difficile, quod non bellè conuenit cum rerum natura; neque enim aliter aut materno lacte nutriuntur filij, aut lateri hærent nutricis, quàm filiæ: neque illi cùm infirmi ſint, citiùs depelluntur ab vbere, quàm iſtæ. Quòd autem alij putant id ex eo natum eſſe, quod communiter inter homines vſu venit, vt filiæ cùm teneræ ſint, & infirmæ, neque ad grauioris curæ pondus idoneæ, domi ſe cum matribus contineant, neque ab earum latere vnquam diſcedant: filij verò, quia robuſtiores, & ad externarum curationum moleſtias magis apti ſunt, foras egreſſi longinquas ſuſcipiunt, obeúntque peregrinationes; id, inquam, minùs idoneè ſumi poteſt à textu: neque enim egreſſuri domo dicuntur nati domi filij, ſed alibi nati à domo ſua, id eſt, ab Eccleſia procul, ad familiam, in quam aſcribi deſiderant, de longinquo venturi. Quare mihi vehementer placet *in filiis, & filiabus* nihil præter vtriuſque populi ingentem multitudinem oſtendi.

15. Secundò obſeruandum, vbi vulgatus habet *de latere ſurgent*, in quibuſdam codicibus eſſe *de latere ſugent*, vt obſeruat Marianus Victorius, *in annot. ſuper Hierony.* vbi aliquot codices numerat, vbi *ſugent* legitur; Quibus tu Complutenſes adde: Eodem modo legunt ex interpretibus nonnulli, in quibus ſunt Foreirus, & Adamus. Imò ita videtur reddidiſſe Hieronymus, vt ex eius Commentariis in hunc locum apparet. Vox Hebraica תאמנה *teamanah*, variè à variis redditur. Quidam vertunt *confirmabuntur*, alij *nutrientur*, alij *fouebuntur*. Sed ſenſus eſt non valdè diuerſus, ſiue *ſurgent* legas, ſiue *ſugent*. Nam *ſurgere* confirmari eſt, & roborari, vt patet in plantis, quæ quò magis confirmatæ ſunt, atque robuſtæ, magis attolluntur, & ſurgunt à terra. Hoc autem robur, & incrementum infantium à lacte fit, ſicut plantarum incrementa à ſucco, quod per radices, & fibras à terra trahunt. Poſtquam autem infantes ad vbera molliter nutriti ſunt, vtilis ætatis accedit robur, atque conſtantia.

16. Quòd ſi ita accipias, & *ſurgent* idem eſſe ſtatuas, quod *nutrientur*, aut *fouebuntur*, vt infantes ſolent ex materno ſinu, ſenſus erit, filios tuos, & filias etiamſi longè veniant, nutritique fuerint materno antea, id eſt, ſylueſtri atque ferino lacte, ad tua tamen vbera, ô Eccleſia mater, inhiabunt: cuius lac rationabile, & ſine dolo, quaſi modò geniti infantes concupiſcent: eóque enutriti indulgenter, & molliter magnum capient Chriſtianæ ætatis, & roboris incrementum.

17. Septuaginta aliter conuertunt, *filiæ tuæ ſuper humeros portabuntur.* Iuxta quam lectionem Andreas quidam ab Hugone citatus putat filios Iſrael ab exilio reduces, vt pote robuſtos, & ad itineris moleſtias magis idoneos ſuis pedibus reuerſuros; filias verò, nempe Iſraelitidas fœminas, vt pote ſexum imbecillum in Gentium humeris, & lateribus eſſe portandas: & ita de latere ſurrecturæ dicuntur, illorum videlicet, quorum in reditu humeris inſederunt. Cui ſententiæ nonnihil fauere videtur, quod Iſaias *cap. 49. verſ. 22.* de eodem reditu felici, & facili ait, *Afferent filios tuos in vlnis, & filias tuas ſuper humeros portabunt.* Sed etiamſi Septuaginta lectionem amplectare, ſenſus idem eſt, qui vulgati. Nam qui vbera ſugunt, quia teneri ſunt, neque pedes habent ad ingrediendum firmos, in vlnis à nutricibus, aut pro regionum varietate in humeris geſtari ſolent.

18. [h] *Tunc videbis, & afflues, & mirabitur & dilatabitur cor tuum.*] Cùm circumſtare videas numeroſam filiorum ſobolem, ô Ieruſalem, qui ad te effuſi ex omni regione conuenient, tunc exultabis gaudio: & animus quondam tuus mœrore contractus, & anguſtus tam læta rerum viciſſitudine dilatabitur. Hìc obſeruo verbum *video* in Hebræorum idiomate habere quandam auxeſin, licèt apud Latinos ſæpe iudicari poſſit otioſum; vt oſtendimus ad illud *cap. 53. Videbit & ſaturabitur*: & adde ex *cap. 66. verſ. 14. Videbitis & gaudebit cor veſtrum.* Illud itaque *videbis* oſtendit hìc lætum aliquem rerum euentum, in quo otioſè, & cum voluptate ſpectando paſcantur oculi, & oblectentur animi. Quod perinde eſt, ac ſi dicas, *Tunc exultans afflues.* *Video cum epitaſi.*

19. [i] *Quando conuerſa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo Gentium venerit tibi.*] Vnam puto in hac clauſula eſſe ſententiam duobus modis explicatam, aut certè non admodum diuerſam. In *mari* ſicut etiam in *inſulis* Gentiles intelligi non obſcurum eſt, quia cùm terra promiſſionis magna ex parte maritimis finibus eſſet definita, quicquid vltrà erat, ad alienas à Iudaica religione pertinebat. Quia ergo maxima pars eorum, qui Chriſtiana ſacra complexi ſunt, ex marinis inſulis, aut ex tranſmarinis regionibus aduenit, quæ poſtquam ad portum appulit, quia è mari egreſſa, è mari quoque profecta vulgò exiſtimabatur, ideo multitudo maris ad Ieruſalem, id eſt, ad Eccleſiam, conuerſa fuiſſe traditur, aut conuertenda prædicitur. Seu certè quia in *mari* multitudo populorum intelligitur,

iuxta

iuxta illud *Apocal.cap.*17. *Aquæ multæ populi multi.* A ventura prædicitur maris multitudo, quia eò populi multitudo concurret.

20. *Fortitudo* autem *Gentium* vocatur, aut Regum maieſtas, quæ ſupplex accedet ad Eccleſiæ lumina, aut eorum dona, atque diuitiæ, quæ Eccleſiæ ſacris atque altari ſeruient. Quod etiam optimè atque eleganter explicuit Zacharias *cap.*14. qui quæcunque in Regum, ac Principum opibus pulcra ſunt, in Dei honorem, & cultum eſſe conſerenda prædicit. *In illa*, inquit, *die erit quod ſuper frenum equi eſt ſanctum Domino.* Vbi nos ea de re pluribus. Exiſtimo autem Iſaiam hoc loco ſpectaſſe illud *Pſal.*71. *Reges Tharſis, & inſulæ munera offerent*; nam, vt alibi B docuimus, *Tharſis* pro *mari* ſumitur.

21. Hæc omnia ſine dubio, aut ſolùm, aut præcipuè de Eccleſia accipienda ſunt, ſed ſi quis eadem quaſi in typu quærat in reſtituenda Ieruſalem, & excitando templo poſt Babylonicum exilium, inueniet hæc etiam in typo ſatis luculenter. Nam Reges & Principes Iudæis quondam infenſi in eam curam non ſolùm faciles ſe, & beneuolos, ſed etiam liberales, & munificos præbuerunt. Vide quæ diximus ad illud *Zachariæ* 6. *Et qui procul ſunt venient, & ædificabunt in templo Domini.* De Ieruſalem ſanè vt typo explicant S.Thom. & Hugo, & Andreas quidam ab Hugone citatus. Neque mihi tam videtur difficile, vt id horream, quod fecerunt in noſtra ætate nonnulli in eam cogitationem minùs æqui, C & plus ſatis ſeueri: quia Eccleſiæ dignitati nihil detrahit hæc ſententia, cùm illi hæc omnia primo loco tribuant: & quia res eſt maxima, vmbram eius præmittat in liberata, atque ornata Ieruſalem, quod in grauiſſimis quibuſcumque rebus non rarò facit Scriptura.

22. Hic ego aliam adducam explicationem, quod loci obſcuritas, non ſolùm permittit, ſed etiam iubet. Et primùm noto *mare* pro ingenti magnitudine rerum omnium, aut etiam multitudine adhiberi ſolitu[m]. *Thren.*2.*verſ.*13. *Magna eſt velut mare contritio tua.* Et exercitus Chaldæorum copioſiſſimus *mare* vocatur *Ierem.cap.*51.*verſ.*42. Secundò noto in ſimilitudinibus Hebræos omittere nonnomquam ſimilitudinis notam, nempe *ſicut*, *quemadmodum*, & ſimilia. Quare ſic explico. *Quando* D *conuerſa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo Gentium venerit tibi*, id eſt, quando Gentes ad te venient adeò multæ, vt totum mare ad te è ſuis finibus relicto alueo, ac littore confluere videatur. Quæ explicatio ideo mihi diſplicet minùs, quia deinde ad maris proprietates, & nomen alluſio fit. Et quæ tanquam in propoſitione videntur obſcuriùs obuoluta, illa deinde per partes clariùs explicantur: nimirum quæ ſit illa Gentium multitudo, quæ inſtar maris exundabit, & magno impetu confluet ad Ieruſalem, id eſt, ad Eccleſiam.

Mare multitudinem ſignificat.

23. k *Inundatio camelorum operiet te.*] *Inundatio* nomen eſt à mari petitum, quod ſatis indicat alienam E non eſſe explicationem à nobis proximè allatam: nam *inundare*, atque *operire* proprium eſt fluctuum, cùm maxima incitatione, atque impetu in aliquem locum euoluuntur. Quod loquendi genus frequens eſt in Scriptura ſacra, cùm multitudinem magno ſtudio feſtinantem ſignificare vult. *Ezechiel.cap.*26. *verſ.*3. *Ecce ego ſuper te, Tyre, & aſcendere faciam ad te Gentes multas. ſicut aſcendit mare fluctuans.* Et *Ierem.cap.*46.*verſ.*8. *Ægyptus fluminis inſtar aſcendet, & velut flumina mouebuntur fluctus eius, & dicet, Aſcendens operiam terram.* Deinde aduentum illum, quem antè prædixerat, *inundationem* vocat ſeruata eadem metaphora ſicut hic Iſaias. *Inundatione equorum eius operiet te.* A qua metaphora non abhorret Hiſpanicus ſermo, qui incitatam, motuóque ſe prementem hominum turbam vocat *olas de Gente.*

Hæc mihi difficilia non ſunt, ſed neque alienum 24. exiſtimo ab hoc loco, aut ab vſu Scripturæ ſacræ, ſi *inundatio* ſumatur pro puluere, qui ab equis ſeu camelis feſtinantibus inſtar nubis excitari ſolet, & cœlum operire. Quo dicendi genere vſus eſt Ezechiel nuper citatus. *Inundatione equorum eius operiet te puluis eorum.* Et quidem à Latinis excitatus *puluis nubis* vocatur. Virgil. *lib.*8. *Æneid.*

——— Oculiſque ſequuntur
Pulueream nubem, & fulgentes ære cateruas.

Et *vndatio* vocatur, aut *vnda pulueris*, quæ ab equorum turbis, & *fumi*, qui ab incendio ſurgit.

Mixtóque vndantem puluere fumum.

In *camelis* illæ, vt puto, regiones intelliguntur, 25. quæ camelis abundant: Eſt enim vſitatum tam ſacris, quàm profanis Scriptoribus, vt quæ familiaria ſunt, & quaſi vernacula alicui regioni, pro regionibus ipſis tanquam eorum ſymbola vſurpentur. Qua ratione Ægypti ſymbolum eſt *crocodilus*, & *calamus*, quia hos alit Ægyptius Nilus; Siciliæ *ſpica*, quia frumenti ferax; Iudææ *palma*. Sic enim hoc loco quia camelorum, ſiue dromedariorum Madianitæ abundant, illis propheta *camelos*, & *dromedarios* attribuit, tanquam propriam illorum notam, ſicut ſtatim Cedarenis *pecora*, & Sabæis *aurum*, & *thus*.

l *Dromedarij Madian, & Epha.*] Vt *cameli* & 26. *dromedarij* idem ſunt, ſic etiam *Madian* & *Epha*: quare in vtroque hemiſtichio ſententia eadem iteratò ponitur. *Sunt autem Madian, & Epha, regiones*, vt inquit Hieronymus, *trans Arabiam: omniſque prouincia appellatur Saba, vnde fuit & Saba Regina, quæ venit audire ſapientiam Salomonis.* Hæc Hieronymus. Neque ego aliquid addam, quia nihil adduci poſſe exiſtimo magis exploratum. Appellatur autem Regio illa *Madianitis* à Madian filio Abraham, & Cethuræ, *Geneſ.*25. atque etiam *Epha*, ab Epha filio Madian, qui eandem regionem, quam pater priùs, incoluit.

m *Omnes de Saba venient, aurum, & thus deferentes.*] Quæ in *Madian*, & *Epha* priùs, eadem nunc 27. ſignificari videntur nomine *Saba*. *Saba* verò vt docuit Hieronymus nomen dedit, & regioni Madianitidi, & illi, quæ dicta eſt *Epha*, ſi fortè non eadem eſt, quæ *Madian*. Videtur autem pars hæc Madianitidis, aut Arabiæ prouinciæ, id habuiſſe præcipuum, quia thuris, & aromatis feracior eſt, quàm vllus alius tractus illius regionis; imò fortaſſe quàm vlla alia regio veteribus cognita. Quare eo nomine valde etiam à profanis commendatur. Vide Strabonem *lib.*16. Theophraſtum *lib.*9.*cap.*4. Plinium *lib.*6.*cap.*28. Vbi ait Arabum clariſſimos eſſe Sabæos propter thura. Et Virgilius 1. *Georgic.* eo aromate nobiliſſimos appellat Sabæos.

India mittit ebur, molles ſua thura Sabæi.

Et iterum 2. *Georgic.* vni illi prouinciæ donum illud eximium attribuit.

——— Sola India nigrum
Fert ebenum, ſolis eſt thurea virga Sabæis.

Dicuntur igitur venturi omnes de Saba, id eſt, Sabæi portantes aurum, quod è patrio effoditur ſolo; & thus, eius regionis vernaculum prouentum. Quibus rebus id ſignificatur, quod in quolibet genere pretioſum eſt, ſiue in metallo, ſiue in aromate.

Tantùm

18. *Regina Saba vnde profecta.* Tantùm hic obſeruo quod dicit Hieronymus de Regina Saba, quòd e a eadem regione viſura Salomonem profecta ſit, docuiſſe etiam in hunc Iſaiæ locum Haymonem, & Dionyſium, item Eugubinum, *in annot. in c.10. Geneſ.* & ibidem Lipomanum *in Catena.* In quam ſententiam eſt coniectura non leuis, quia vt notauit Hieronymus *in Traditionibus ſuper Geneſ.* ad illud *cap.* 10. *Filij Chus Saba.* & ſtatim ad illud, *Filij Regma Saba.* priori loco Saba per ס *ſamech* ſcribitur, poſteriori verò per *ſchin*, Heb. ש. At illa Saba vnde Regina profecta eſt 3. *Reg. cap.* 10. cùm ש ſcribitur. Quare non eſt illa Saba, quam filij Chus incoluerunt, id eſt illa, quæ ad Æthiopiam illam pertinet, quæ trans Ægyptum eſt. Scio eſſe nonnullos qui contrà ſentiant; ſed quod putat B Hieronymus, mihi maximè probatur. Et facit pro Hieronymo quòd dona quæ attuliſſe dicitur Regina Saba, non tam gignit Saba illa Æthiopica, quàm hæc Arabica, aut Madianitica.

29. *Laudat Deũ, qui illum colit.* ᵖ *Laudem Domino annunciantes.*] Laudat Dominum, qui quocumque modo dignum illum eſſe oſtendit veneratione, & cultu. Qua ratione Sol, & Luna, & quidquid in cœlo eſt, atque in terris illuſtre, prædicare dicuntur diuinas laudes, & Dei enarrare gloriam: quia Deum ſapientiſſimum rerum opificem, & potentiſſimum tantæ, ac tam pulchræ molitionis architectum oſtendunt. Eodem modo Sabæi, & Madianitæ populi laudem annunciabunt Domino, quia auro, thure, & vario aromate, quibus onuſtos agent camelos, & dromedarios, honore dignum eſſe Dominum C profitebuntur. Niſi mauis, quod modus ipſe loquendi ſimpliciter ſonat, venturos eſſe Sabæos, & Madianitas cum hymnis, & canticis, cum nablis, & ſiſtris, ad Eccleſiam toto animi ſtudio, atque ardore in laudem intentos illius, quem Deum agnoſcunt, & cuius beneficio ex errorum tenebris ad tam illuſtrem lucem vocati ſunt. Id verò fert omnium penè Gentium conſuetudo, & Hebræorum præſertim, qui cantu, & omni inſtrumento muſico diuina beneficia confitentur, & eorum quotannis renouant memoriam.

30. ᵒ *Omne pecus Cedar congregabitur tibi: arietes Nabaioth miniſtrabunt tibi: offerentur ſuper placabili altari meo.*] Sicut Sabæos thure onerauit propheta, D quia ille eſt vernaculus Sabææ regionis prouentus, ſic etiam Cedarenos, & Nabathæos cum multo pecore venturos eſſe dicit, quia & ipſi nomades ſunt, & copioſi armentorum greges apud ipſos paſcuntur. Vt ergo priores ad aliud diuini obſequij opus thus comportant, & aurum è regione Sabæa, ſic iſti pecora quæ in altaribus iugiter immolentur, è Cedarenis, atque Nabathæis paſcuis adducent. Ex quo nonnulla coniectura, eáque non leuis ſumi poteſt, vaticinium hoc typicè intelligendum eſſe de Ieruſalem, quandoquidem in Eccleſia iam non erunt antiqua illa, atque egena victimarum ſacrificia, cùm vnum ſacrificium Chriſti, quod illa figurabant, ſatis, imò pluſquam ſatis toti mundo ſuffi- E ciat. Vt quid enim iam in Eccleſia pecus Cedar, & arietes Nabaioth offerendi ſuper placabili altari, cùm vna victima Chriſtus pro omnium peccatis propitiatio ſit.

31. Porrò, vt à filiis Abraham, & Cethuræ, regiones aliæ vocatæ ſunt *Madian*, & *Epha*, ſic etiam à filiis Iſmaelis Nabaioth, & Cedar, *Cedareni*, aut *Nabathei* populi nomen acceperunt. Hi verò paſtores ſunt, & in tabernaculis plerumque vitam degunt inopem, ruſticam, & infelicem: ita vt cùm vitam A ſibi vitalem neget Dauid, ſeipſum cum Cedarenis comparet. *Habitaui cum habitantibus Cedar.* Quòd verò *Nabaioth*, *Nabathæi* ſint, communiter exiſtimant noſtri: & fauet plurimùm, & ſitus regionis, & nominis vicinitas. Alij à Nabatha ciuitate deriuatum putant, quæ Arabiæ Petrææ olim metropolis fuit. Quod qui ita exiſtimauerit, coniectare etiam poterit ciuitatem illam à Nabaioth ædificatam eſſe, eodémque redire tandem vtramque ſententiam. Neque mirum quòd alienæ linguæ ſcriptores paululum mutauerint Hebraica, id eſt, illis valde abſona, & peregrina verba, & pro *Nabaioth*, ad Græcam ſeu Latinam formam finxiſſe *Nabathæi*; ſicut *Cedar* modò Cedreni, aut *Cedræi* ab eiſdem nominantur, populi nimirum eodem ſitu, quo Cedar. Vide Plinium *lib.* 5. *cap.* 12. vbi Cedræos cum Nabathæis coniungit. Pertinere autem has regiones ad orientem Solem docet Plinius *lib.* 6. *cap.* 28. & de Nabathæis Ouidius *lib.* 1. *Metamorph.* vbi de Euro vento orientali ait.

Eurus ad auroram, Nabathæáque regna receſſit.
Perſidáque, & radiis iuga ſubdita matutinis.

Quia verò regiones iſtæ & procul erant à Ieruſalem, & parum expolitæ ciuili diſciplina, vtpote quæ in paſcuis plurimùm, & tabernaculis agerent, (vnde à Plinio ſuprà *Scenitæ* dicuntur) neque longè à ferino ritu vitam propagarent; pro Gentibus ſumuntur, quæ ex longinqua regione, & inſtituto barbaro ad Eccleſiæ complexum, & diſciplinam C acceſſere: & quæ quidquid habebant in patrio ſolo pulchrum, & pretioſum, certatim in diuinum cultum conuexerunt. 32.

Quod ad aurum, thus, & myrrham attinet, in quibus alia etiam aromata intelliguntur, impleuerunt hoc Iſaiæ vaticinium Magi, *Matth. cap.* 2. 33.
Quòd verò Cedareni, atque Nabathæi, quod ad pecus attinet, ſuo quoque modo præſtiterint, dubitare non licet, quo tamen tempore ac modo, non facilè exploratu eſt. De Ieruſalem reſtituta non dubito, quin ad ſacrificia ex ea regione magna victimarum vis ad templum aduenerit, ſicut etiam ex pacto 4. *Reg.* 3. Regibus Iſrael Rex Moab Cedarenis, atque Nabathæis vicinus centum agnorum millia, & totidem arietum penſitabat. An verò, D quod ad Ieruſalem attinet, ea pacto Cedareni vectigales ad ſacrificia pecus attulerint, ſeu ad communeciuitatis alimentum, aut tanquam mercatores ad nundinas quæſtus gratia conuexerint, obſcurum eſt. Certè hoc poſteriori modo ad Tyrium emporium à Sabæis aromata, & à Cedarenis armenta comportari ſolita docet Ezechiel, *cap.* 27. *verſ.* 21. *Arabia & vniuerſi principes Cedar, ipſi negotiatores manus tuæ: cum agnis, & arietibus, & hædis venerunt ad te negotiatores tui: venditores Saba, & Regma, ipſi negotiatores tui cum vniuerſis primis aromatibus, & lapide pretioſo, & auro, quod propoſuerunt in mercatu tuo.*

Quod attinet ad Euangelij tempus, de quo præ- 34.
E cipuè eſt hoc vaticinium, non video quando adductæ ex Cedarenis, aut cur adduci debuerint ad Eccleſiam victimæ, cùm vna victima Chriſtus cæteras non ſolùm excluſerit, ſed etiam damnauerit. Quare figuratè hæc cum Hieronymo, & aliis accipio, ſiue de perſonis illarum regionum, quæ *arietum*, & *agnorum* nomine ſignificantur; potentes quidem, & diuites, in *arietibus*, in *agnis* verò ignobilior, atque infirmior conditio: ſeu certè quia in illis regionibus deſertis, atque incultis, nihil re pecuaria melius, atque nobilius eſt; quod nobilius apud

Genti

Gentiles in quocumque genere fuerit, id ad Eccleſiæ ornatum, Deique cultum adhibendum eſſe ſignificatur. Quod etiam Zacharias prædixit *cap.* 14. ſub alia metaphora; de qua nos paulò antea.

35. p *Offerantur ſuper placabili altari meo.*] Spiritus contritus, & humilis, Deóque in omnibus, atque ad omnia ſubiectus grata Deo victima eſt, quæ in altari placabili immolatur, id eſt, in obedientia, quæ quicquid eſt in victima, à ſe totum emancipat, & conſecrat Deo. Alij in *altari* fidem intelligunt, in qua immolatur anima, quæ nobiliſſimam partem ſuâ ſe quodammodo abdicatam abnegat, addicitque Deo in obſequium fidei. De quo altari Paulus, *captiuantes intellectum in obſequium fidei.* Huc inclinat S. Thom. Neque malè in hunc locum quadrabit; ſi altare hoc placabile Eccleſiam eſſe dicas, extra quam Deo acceptum nihil eſt, quemadmodum explicuit Haymo in illud *ad Hebræos* 13. *Habemus altare, de quo edere non habent poteſtatem, qui tabernaculo deſeruiunt.*

36. Mihi hîc præter cæteras placet Cyrilli ſententia, qui hoc dicendi genere ſignificari putat non minùs grata futura Deo Gentium, quàm Iudæorum ſacrificia, cum aliquo tamen reſpectu ad victimas, quæ ſub antiqua lege in templo offerebantur: neque enim alienis ab Hebræorum religione populis fas erat immolare hoſtias. Sic autem Cyrillus. *Cedar, & Nabaioth regiones ſunt optima, & pabuloſa, ac plurimos habẽt incolas; verùm idololatras, & errantes. Sed & hi, inquit, arietes, & oues adducent, &* C *omnia erunt accepta ſuper aram meam, etiamſi lege Moſaica licitum non fuerit alienigenis Deo hoſtias afferre, & ſi obtuliſſent acceptas illas non habebat: ſed ecce iubet Deus illa accepta eſſe in ſanctis aris. In Chriſto enim Ieſu non eſt ſeruus, neque liber, barbarus, Scytha, Græcus, & Iudæus, ſed omnia, & in omnibus Chriſtus.* Hæc Cyrillus. Sub hac ergo figura, id eſt, nomine *agnorum, & arietum*, quos iam ab altari procul Chriſtiana relegauit religio, intelliguntur ſpiritualia dona, ſeu potiùs obſequia, quæ à puro, & ſimplici fidelium animo in Eccleſiæ altari conſecrantur: quæ non minùs erunt accepta Deo, ſi à Madian, Cedar, & Nabaioth, id eſt, populis ab Iſraelitide progenie alienis, imò illi quondam infenſiſſimis hoſtibus, quàm quæ ab Iſraelitarum genere offeruntur. Por- D rò altare placabile dicitur Hebr. רצון *ratſon*; quod voluntatem, ſeu beneplacitum valet: quo genere dicendi ſignificantur grata eſſe futura ſacrificia. Septuaginta ſic vertunt: *Offerentur acceptabilia ſuper altari meo.* Tigurina, *Sacrificabunt ſuper aram, quæ mihi placet.* Vatablus, *Aſcendent ſuper in beneplacito altare meum.* Sed eſt eadem, aut parum diuerſa ſententia, modò illud *placabile* actiuè ſumas, pro *placatiuo*, quaſi altare illud Deum placaturum ſit. In quo per metonymiam victima intelligitur, quæ in altari immolatur. Neque id nouum eſt, aut inuſitatum Latinis, apud quos nomen in *bilis* terminatum aliquando ſignificat actionem; Vnum hoc exemplum accipe ex Virgilio *lib.* 10. vbi Turnus miſſurus in Pallantem haſtam, ſic illum alloquitur. E

Aſpice num mage ſit noſtrum penetrabile telum.

37. q *Et domum maieſtatis meæ glorificabo.*] Vocatum fuit olim Salomonis templum *domus gloriæ*, aut maieſtatis Dei: qui ſi vſpiam ibi maximè à populo quondam ſuo colebatur: immò in alio loco ſacrificia quædam obiri legitimè non poterant. Quare locum illum Deus miris illuſtrauit modis, & aſpectabili ſæpe commendauit ſigno. Sed multò magis Eccleſia, de qua hoc præſertim vaticiniũ in- A ducitur, domus eſt diuinæ maieſtatis. In quam magna Gentium multitudo ingreſſura dicitur, quod in antiquum templum non licebat, & dona adducenda multò plura, atque illuſtriora, quàm vnquam vidit in ſuo templo aut Salomonis ætas, aut illa ſæcula, quæ deinde poſt illum conſecuta ſunt.

r *Qui ſunt iſti qui vt nubes volant: & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas.*] Vt in principio capitis ſubieciſſe viſus eſt propheta Eccleſiæ oculis properantem ex omni mundi plaga innumerabilem Gentium multitudinem, ſic modò ipſe admirabundus propheticis oculis intuetur eodem ſtudio, ac celeritate innumeros populos ad Eccleſiæ ſinum conuolantes, atque ideo Eccleſiæ nomine ſtupore quodam correptus interrogat. *Qui ſunt iſti*, &c. In *nubibus* duo B ſpectare licet, quę myſticè explicant Euangelij vim, & fidelis animi ſtudium, atque conſtantiam. Nubes ad nos ventorum impulſu ex regionibus valde ſemmotis, imò & interdum de vltimis terræ finibus aduehuntur, tantum complexæ aëris ſpatium, ſic conſtipatæ, ac denſæ, vt cœlorum nobis eripiant aſpectum. Quod ſanè ideo tam facile præſtant, quia neque ardui montium aſcenſus, neque mediæ ſalebiæ ſublimem earum curſum, aut volatum impedire poſſunt. Hoc egere in Eccleſiæ naſcentis exordio innumerabiles fidelium greges, qui cùm altiùs ſe ſupra terrena commoda ſuſtuliſſent; nihil illorum anhelatum curſum retardare potuit: quia humana hæc, & peritura, dum cœlos aſpectant, longè infra ſe poſita meditantur. 38.

In *columbis* præter perniciem, conſtantémque volatum, quem cum nubibus videntur habere communem, aliquid amplius videre mihi videor, quod incitare maximè debuit pios animos, diuináque luce pleniùs illuſtratos. Columbæ cùm grauis & atra horret tempeſtas, vt experientia docet quotidiana, magna feſtinatione, ad colũbaria ſe, id eſt, ad feneſtras, ſeu nidos referunt ſuos, quia nimirum extrà nihil non timent. Et ideo tanquam à re nota Virgil. 2. *Æneid.* quarumdam fœminarum trepidationem, & fugam expreſſit. 39.

Præcipites atra ceu tempeſtate columbæ.

Aut fortaſſe alluſum hîc eſt ad columbam, quam veluti exploratricem ex arca emiſit Noe, quo tempore diluuij aquæ mundum totum oppleuerant *Geneſ.*8. *Quæ cùm non inueniſſet, vbi requieſceret pes eius, reuerſa eſt ad eum in arcam.* Cum magna, vt veriſimile eſt, feſtinatione, quia extra arcam vbi requieſceret, nihil erat, aut tutum aut firmum. Sic ergo Gentilium populi cœleſti iam illuſtratione docti nihil eſſe tutum in eo vitæ genere, quod antè tenuerant, didicere; cùm omnia ſi minùs inundanti diluuio, at æterni ignis incendio viderent eſſe deuota. Cúmque ab vna arca, id eſt, Eccleſia ſalutem ſibi eſſe quærendam certa fide cognoſcerent, ad eam ſe continuò corripiunt, non minori ſtudio, quàm columbæ aut quando imminentem procellam odoratæ columbaria repetunt, aut certè cùm in eo diluuio, quo omne propè animantium genus demerſum eſt, ad arcam reuertuntur: quia vident omnino aliter ſibi fore pereundum. Magna quidem pernicitas in columbarum volatu ſignificatur, ſed auget plurimùm, quòd ſimilitudo non ducitur à columba, cùm à columbariis euolat, ſed cùm è paſcuis ad nidos, ſeu feneſtras reuertuntur, vt apertè reddit Chaldæus: *Et quaſi columba quæ reuertuntur ad columbaria ſua.* Eſt enim obſeruatum ocyùs ad nidos reuolare columbas, quàm cùm è nidis 40.

dis in agtos foras prodierunt. Vel quia illas filiorũ ſuorum cura ſollicitat, vel quia extrà nihil habent à periculo vacuum, præſertim ſi tempeſtas immitis eſt, & aër turbidus. Tuoe enim ſicut è cauerna maceriæ, id eſt, è ſuo nido difficilè egreditur, ſic ad illum in ea aëris inclementia quàm ocyſſimè redit. Ex qua columbarum natura *Cantic.* 2. ſponſus euocat ſponſam ſuam, quam *columbam* appellat *ex cauerna maceriæ*, id eſt, ex feneſtra, ſeu nido ad agrum inuitat: dicens abiiſſe hyemem, receſſiſſe imbrem, & affulſiſſe iam terris, veris clementiam.

41. Qualis vir Apoſtolicus. Plurimi ex ioterpretibus ſunt, neque illi ignobiles, qui hæc de Apoſtolis, Apoſtolicíſque viris interpretantur, qui nubium inſtar in omnes mundi plagas emiſſi Euangelicæ doctrinæ pluuiam diſperſere. Et quidem hæc ſimilitudo valde declarat Apoſtolorũ, & eorum, qui Apoſtolicis ingrediũtur veſtigiis, inſtitutum. Primùm, quia ſicut nubes à terra eleuatæ ſurſum attolluntur, & à Sole concipiunt, quod largè deinde in terram effundant; Sic Apoſtolici viri terrena deſpiciunt, & ad cœleſtia aſpirant, quóque magis à terra receſſerunt; eò terræ maiora important emolumenta. Ita penè Gregor. *hom.* 18. *in Ezechiel.* & *hom.* 5. *in Euangel.* Deinde; quia ſicut è nube non ſolùm mollis ſtillat pluuia, quæ terram rigat atque fœcundat; ſed etiam emicant fulgura, vibrantur fulmina, quæ terrent, feriunt, & exanimant: Sic etiam vir Apoſtolico nomine non indignus non tantùm oratione molli ſuadet, & mulcet, ſed etiam graui, atque minaci concutit, & exagitat, quod fecit aliquando Paulus, edixítque Timotheo, quem ad Apoſtolicum munus inſtruebat, cùm 2. *ad Timoth.* 4. dixit, *Prædica verbum, inſta opportunè, importunè: argue, obſecra, increpa.* Docuit ex parte hoc eleganter Auguſtinus ad illud *Pſalm.* 96. *Illuxerunt fulgura eius orbi terræ: vidit, & commota eſt terra. Vnde*, inquit, *fulgura de nubibus? Quæ ſunt nubes Dei? Prædicatores veritatis? Vides autem in cælo nubem nebuloſam, obſcuram, & habet intus neſcio quid latens. Si coruſcet de nube, emicat ſplendor: ex eo ipſo quod contemnebas, inde exiliuit quod expaueſcas.* Adde quòd ſicut nubes à Sole liquefactæ, ſiue ab aura mitiore ſolutæ imbres largiuntur agro ſalutares; ſic etiam, qui dici meritò poſſunt Apoſtolicæ nubes, quas concepere pluuias, tunc effundunt, quando Solis ardore, aut Spiritus ſancti aura molli, atque tepenti liqueſiunt. Quibus facilè accommodes illud *Pſalm.* 147. *Emittet verbum ſuum, & liquefaciet ea: flabit ſpiritus eius, & fluent aquæ.*

42. Hanc ego explicationem tot Patrum auctoritate confirmatam, & veneror ſupplex, & libens amplector. Verùm quam nos paucis indicauimus, credo non improbabunt, qui attentum animom ad textum attulerint. Nam, vt ſatis legenti promptum eſt agnoſcere; ſuperiora de his intelligenda ſunt, qui ad Eccleſiæ complexum acceſſere, imò de his accipiunt omnes propè Doctores: Quòd verò de iiſdem populis exponenda ſint, facilè ſibi perſuadebit, qui ſtatuerit eodem ſpectare ſimilitudinem à nubibus, atque à columbis petitam: Atqui columbæ non dicuntur euolaturæ foras in apertum cœlum, ſed foris potiùs in ſuas feneſtras, & nidos redituræ. Et ita cenſent de nubibus communiter interpretes: imò & Hieronymus hîc, qui hæc de Doctoribus, & Apoſtolis exponit in illud *Iob* 26. *Qui ligat aquas in nubibus.* Et in illa verba *Pſalm.* 35. *Veritas tua vſque ad nubes.*

43. Septuaginta aliter vertunt, *Sicut columba cum pullis ſuis.* Vnde occaſionem acceperint ita conuertendi, non facilis coniectura eſt. Quòd ad ſententiam attinet, licèt alij aliter hunc locum accipiant, ego parum differre puto vtramque tranſlationem, quæ oſtendit conuentus maximos Gentilium ad Eccleſiam futuros. Redeunt enim ad feneſtras gregatim columbæ, & quæ cum pullis volant, gregatim etiam redeant neceſſe eſt. Explicat autem Septuaginta tranſlatio optimè ſtudium, & celeritatem Gentilium, qui ad Eccleſiam confluent. Nam quemadmodum cùm auiaria repentino fragore prænunciant ruinam, aues omnes cum pullis, qui modò implumes non ſunt, aliò peruici volatu demigrant: Aut quando irruente hoſte potentiori, omnes relictis domiciliis, in quibus tuta commoratio non eſt, cum liberis, & pretioſa ſupellectili ad loca magis munita præſidij gratia commeant: Sic Gentes, quaſi iam tuitura ſit parentum ſuorum vana, atque damnata ſuperſtitio, cum liberis, ac tota familia ad Eccleſiam, vnde ſolum ſe perfugium oſtentat & ſalus, commigrabunt.

9 *Me etenim inſulæ expectant, & naues maris in principio: vt adducant filios tuos de longè.*] Oſtenditur promptum, & ardens Gentium ſtudium ad excipiendam Euangelicam lucem, vertendúmque patrium ſolum, id eſt, mutandum antiquæ vitæ inſtitutum. 44. Adeò enim non reſpuent oblatam lucem, & ſalutem, vt vltrò expectent illam inſulæ, paratáſque habeant ad tranſmiſſionem naues in littore, neque aliquid reliquum ad celeritatem faciant. Quòd inſulæ, & mare pro Gentibus ſiue remotis locis vſurpentur, ſatis eſt notum, & à nobis non ſemel confirmatum.

45. Quid ſit illud *in principio*, non promptum, aut obuium explicatu eſt. Hebr. בראשנם, *Riſonah*, quod variè à Doctoribus explicatur. Adamus æterna ſæcula hîc ſignificari putat, dum ait vocari eos qui ad gloriam æterna prædeſtinatione ordinati ſunt. Aliqui putant eo concurſu, atque frequentia naues eſſe venturas onuſtas auro, quo *in principio*, Salomonis nempe tempore. Quæ expoſitio in ſententia S. Thomæ, & Hugonis, qui de reditu ex Babylonica captiuitate, inſtaurationéque Hieroſolymæ hæc hiſtoricè capiunt, non parum idonea eſt. Comparatur enim futura felicitas, cum eius temporis felicitate, quo nullum Solymitanæ reipublicæ ſplendidius fuit, & fortunatius. Hieronymus, & Haymo in *principio* intelligunt illum temporis articulum, quo primùm Gentes fidem audierint, atque complexæ fuerint: ſtatim enim, ac primùm lux affulſerit Euangelica, eo impetu atque frequentia aderunt, quo nubes agente vento, atque vrgente nimbo columbarum agmina. Foreirus ad has explicationes difficilis eſt, & aliam adducit, quæ præter ipſum nulli credo alteri probabitur. In *principio* enim iuxta vocis Hebraicæ proprietatem aliquid præcipuum intelligit, quod etiam mihi viſum eſt. Illud autem præcipuum, ſiue principium, primariam nauem, ſiue prætoriam eſſe exiſtimat. Ad naues itaque alias adiungit prætoriam, vt integra claſſis ventura dicatur ad Eccleſiam.

46. Nonnullæ ſunt aliæ interpretũ cogitationes, vt in re obſcura plerumque vſu venit; ego omiſſis aliis duas adducam, quæ minùs mihi videntur impeditæ. Et inprimis placet, quod Foreirus exiſtimat, *principium* hîc non ſignificare primum tempore, aut ordine rerum geſtarum, ſed dignitate, ita vt *principium* idem ſit, quod præcipuum, aut principatus. Quo ſenſu *Pſalm.* 109. vt multi ex interpretibus

tibus putant, neque ſine graui fundamento, *prin-*
cipium pro regno aut principatu ponitur. *Tecum*
principium in die virtutis tuæ. & 1. *Reg. cap*. 15. quæ
optima atque præcipua dicuntur ſæpe, maximè
verſ.9.eadem *verſ*.21.*initia* dicuntur, id eſt, *princi-*
pia.*Saul offerebat holocauſtum Domino de initiis præ-*
darum,*quæ tulerat ex Amalec*. Ea his ego *principium*
ad illud præcipuum,& eximium refero,quod Gen-
tes in Eccleſia amplificanda,atque exornanda lon-
gè ſupra Iudaicum populum obtinebunt. Nam illæ
ardentiori excitabuntur ſtudio, & ampliori nume-
ro conuenient:& quod apud ipſas pretioſum eſt,ac
ſplendidum, auidiùs, atque copioſiùs ad diuini cul-
tus vſum,& ſumptus conferent. Quod ſtatim ma-
gis explicat propheta,dum nauibus ex inſulis, lon-
géque diſtantibus populis aurum, atque argentum
diuino conſecratum nomini conuehendum præ-
dicit. Quam explicationem omnino indicat Se-
ptuaginta tranſlatio,qui ita vertunt. *Et naues Thar-*
ſis in primis,id eſt, præcipuè, &, vt exponit Diony-
ſius,*primò & principaliter*.

47\. Hæc explicatio mihi præter cæteras placet. Sed
addam aliam,vt arbitror,non alienam, in qua *prin-*
cipium in magis vulgari ſignificatione ſumo. Hic
ego aliquid ſubodorari videor de Magorum aduen-
tu *Matth.cap*.2.Qui *in principio*,id eſt, cum primum
natus eſt Ieſus, aut cum primum fundari cœpit Ec-
cleſia in Bethlehem,vbi ſicut Chriſtus infans iace-
bat in præſepio,ſic etiam Eccleſia in ætate infanti-
li vagiebat in cunis. Ad illum igitur in principio
conuolarunt Magi non aliter, quàm nubes delatæ
à vehementi vento, aut columbæ ab atra tempe-
ſtate ad feneſtras reductæ. Cùm autem Magi pi-
gnus eſſent, ſymbolum, & primitiæ Gentium, in
illis Gentes in principio ad Chriſtum,& Eccleſiam
tunc primùm naſcentem ex mari, atque inſulis, id
eſt,remotiſſimis locis confluxiſſe exiſtimari debent.
Quòd ſi illud *in principio* pro regione Orientali
ſumas, res eſt magis ad Magorum aduentum ac-
commodata, qui ex Oriente veniſſe dicuntur ado-
randi gratia *Matth*.2. Quòd verò *Principium* pro
Oriente ſumatur,tenent communiter Græci Patres
Geneſ.2. in illum locum *Geneſ*. 2. *Plantauerat autem Domi-*
nus Deus paradiſum voluptatis à principio. Pro *prin-*
cipio Septuaginta transferunt κατὰ τὰς ἀνατολὰς, id
eſt,ad Orientem. Quam lectionem Græci Patres,
vt dixi,ſequuntur, amplectunturque, in quibus eſt
Baſilius *homilia* 11. *in Geneſim*, & oratione in illud
Pauli *ad Theſſal* 5. *In omnibus gratias agite*. Chry-
ſoſtomus, & Theodoretus *in hunc locum*. Gregor.
in oratione Cur oremus ad Orientem conuerſi. Dama-
ſcenus *lib.4.de fide cap*.13. Neque ratio deeſt cur
Oriens pars prima ſeu principium dici debuerit;
quia vt regio præſtantiſſima eſt, & quia inde pri-
mus,& perfectiſſimus cœli motus nobis Solem, &
ſplendorem adducit. Erit ergo ſenſus iuxta hanc
poſtremam *principij* ſignificationem. Inſulæ & na-
ues,id eſt, Gentes remotæ,in Magis,qui in Oriente
ſunt, tanquam in pignore, & ſymbolo aurum, &
argentum adducent.

48\. Puto autem reſpexiſſe Iſaiam hoc loco, *ad Pſal*.
71.Vbi illa eadem paucis explicantur, quæ hic plu-
ribus expoſuit propheta. *Reges Tharſis, & inſulæ mu-*
nera offerent, Reges Arabum, & Saba dona adducent.
In *Regibus Arabum*, *& Saba* Madianitæ, Cedar, &
Nabaioth intelliguntur:in *Regibus Tharſis*, *& inſulis*
nationes aliæ magis remotæ, quæ ab Iſaia hic di-
cuntur *inſulæ & naues maris*. Quòd autem *Tharſis*
idem ſit,quod *mare*,probauimus multis *cap*.2.*n*.18.

A ᵗ *Nomini Domini Dei tui & ſancto Iſrael*.] Ante 49.
Meſſiæ tempus vile putabatur, & ſordidum Iſraelis
nomen;imò & verus Deus, quem Iſrael colebat,
nullo erat aut ſaltem exiguo in loco apud Gentes
alia religione iampridem occupatas. Quare conſo-
latur nunc propheta Ieruſalem, & in ea Eccleſiam,
quam eo ſæpe nomine adumbrat,& notat, dum ait
Deum quem antè colebat Ieruſalem, qui *ſanctus*
Iſrael nominatur,à quo tantopere horrebat,& quo-
dammodo nauſeabat Gentium ſuperſtitio, eo ha-
bendum eſſe loco apud Gentes,vt illi ſe, atque om-
nia ſua libenter offerant,benéque ſecum actum ar-
bitrentur, ſi illa Deus ad templi ſui ornamentum,
& cultum admitti patiatur. Porrò nomen Dei
B ἀντονομαστικῶς pro Deo ſumi, notum eſt, & à nobis
ſæpius probatum.

ᵘ *Et ædificabunt filij peregrinorum muros tuos: &* 50.
Reges eorum miniſtrabunt tibi.] Si de inſtauranda
Hieroſolyma cum S. Thoma, atque Hugone vati-
cinium iſtud accipias, non multùm laborabis in
explorando quomodo hæc poſt captiuitatem la-
xatam impleta fuerint in terreſtri Ieruſalem. Nam
quid Cyrus primùm, quid Darius, & Artaxerxes
opis ad murorum, templíque conſtructionem con-
tulerint, quanto ſtudio Iudæorum cauſam affli-
ctam, & oppugnatam ſuſceperint, habemus apud
Eſdram *cap*.1.6.*&* 7. Quare optimè dici potuit Ie-
ruſalem à filiis peregrinorum, id eſt, ex vſu idio-
C matis Hebraici, à peregrinis ædificatam fuiſſe, &
Reges peregrinorum illi miniſtraſſe. Hæc verò
tanquam in typo de Ieruſalem aſſumi poſſe non
eſt improbabile. Sed longè magis hæc eadem in
Eccleſiam conueniunt, ad cuius religioſum inſtru-
ctum peregrini, & qui animos habuerunt à Deo
Iſrael, & ab Eccleſia olim alieniſſimos (tanta fuit
animorum ſtudiorúmque mutatio) Regios theſau-
ros, & vires exhauſerunt. Conſule Eccleſiaſticas
hiſtorias, & occurrent Principum in Eccleſiam &
inflammata ſtudia, & eximia liberalitas, & obſer-
uantia. Sed ſi hæc ſenſu magis arcano accipias,
interpreteréque de ædificatione ſpirituali, ſanè
qui peregrini erant ab Eccleſia è Gentibus, il-
lámque obſtinato conſilio priùs oppugnabant,
conuerſo ſtudio atque doctrina à calumniis de-
D fenderunt, & alios ad Eccleſiam adducere, &
vacillantes in fide confirmare curarunt, daríſque
pro fide iugulis ſuo illuſtrarunt, & decorarunt ſan-
guine.

ˣ *In indignatione enim mea percuſſi te: & in re-* 51.
conciliatione mea miſertus ſum tui.] Hic locus non
parum fauet illorum cogitationi, qui putant iſta
non tam ad Eccleſiam, quàm ad terreſtrem Ieru-
ſalem conculcatam priùs, & exciſam, deinde reſti-
tutam,& locupletatam eſſe referenda. Neque enim
iſta ſatis cum Eccleſia conſentiunt eo maximè tem-
pore, quo ab impia Tyrannorum rabie oppugna-
batur. Licèt enim tunc percuſſa fuerit Eccleſia, ve-
hementérque iactata;at iactatio illa tanta; támque
E ſibi penè cohærens fidelium ſtrages à Dei indigna-
tione profecta non fuit, aut ab animo ſic offenſo,
vt cum Eccleſia reconciliari debuerit. Cum Iudæo-
rum tamen temporibus hæc mirè conſpirant; nam
propter peccata grauia,quæ ſæpe vno ore repetunt,
& clamant prophetæ, traditus eſt ille populus ab
indignato Deo in manus inimicorum, grauíque, &
verè hoſtili plaga percuſſus. Iuxta illud *Ierem.c*.30.
verſ.14 *Plaga inimici percuſſi te, caſtigatione crudeli*.
Sed poſtea ab eodem iam placato, miſertóque tam
ærumnoſæ conditionis in eam amplitudinem ad-

mmm ductus

ductus eſt, quam nunc propheta tam luculenter deſcribit.

52. Hieronymus fatetur ſermonem hîc eſſe de Eccleſia, quæ in populo Iudæorum captiua fuerat, atque percuſſa, quæ tamen poſtea ingreſſis in eam Gentibus reconciliata eſt. Sed etiam ſi de Eccleſia ſermo ſit à Chriſto Euangelij tempore fundata, nihilominus hæc quoque cenſeo ad Eccleſiam aptari omnia, atque omnino poſſe. Sed priùs obſeruo talia vulgo, à cuius ſermone Scriptura ſacra non abhorret, aliqua vocari, qualia plerumque contingere, aut exiſtimari ſolent. Si quid accidit hominibus, quod communiter ab animo offenſo prouenire aſſolet, illud, licèt ab amore profectum ſit, ab odio tamen, & indignatione natum dicitur. Quomodo *Ioan. cap.* 12. *Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam.* Non odit animam ſuam, id eſt, ſe, qui arctam ingreditur viam, & genium ſuum voluptatibus fraudat; odiſſe tamen dicitur, quia communiter, qui in alios inimico ſunt animo, illos laborioſæ alligant vitæ, & onere, atque inedia conficiunt. Similiter ei, qui Chriſti ſequitur veſtigia, edicitur, vt odio habeat patrem, matrem, vxorem, & filios, inſuper, & animam ſuam, *Lucæ cap.* 14. qui tamen illos non odit, ſed facit, quod plerumque fieri ex odio ſolet; quia illos relinquit, & ab illorum aſpectu, & conſuetudine, quàm longiſſimè refugit, cùm tamen illos amet, & bene cupiat. Sic ergo Deus amabat Eccleſiam, etiam cùm eam turbari ab hoſtibus, & iactari patiebatur crudeliter; indignatus tamen cenſebatur in illam, quia illa ſigna communiter exiſtimantur indignati animi. Tandem miſertus eſt, & reconciliatus Eccleſiæ, quia eam à Tyrannorum moleſtiis liberauit, ornauitque Principum ſpoliis, quod pacati, atque beneuoli animi argumentum eſt.

Regula. Tale aliquid vocatur, quale plerumque contingere, aut exiſtimari ſolet. Ioan. 12.

Luc. 14.

53. 11 *Et aperientur portæ tuæ iugiter, nocte, & die non claudentur: vt afferatur ad te fortitudo Gentium, & Reges earum adducantur.*] Magna hoc genere orationis ſignificatur capacitas, & amplitudo, quæ & neminem excludit, & quantuſcumque fiat Gentium conuentus, adhuc tamen erunt ſpatia vacua, quæ plures excipiant. Vidit hoc Eccleſia in omni ſæculorum articulo, in quibus noua ſemper filiorum ſobole augebatur: & experta eſt noſtro hoc ſæculo, in quo è tranſmarinis ſpatiis noui quotidie populi ad Eccleſiæ ſepta tranſcribuntur. Neque ſi Reges, & Gentium fortitudo ſuperiori ætate ad Eccleſiam commigrarunt, noſtra ætate ſimile defuit obſequium, & ornamentum; nam & Reges opibus atque potentia eximij hoc vitæ genus complexi ſunt, & ſi quid eſt inter Gentes olim à religione alienas præclarum, & cui fortitudinis, id eſt, diuitiarum nomen conueniat, id iam ab idolorum ſuperſtitione ad Eccleſiæ decorem, & elegantiam tranſlatum eſt. Poſſem hîc de Orientali, poſſem de Occidentali tractu multa commemorare, quæ quotidie ad nos de Gentium conuerſione perferuntur ab iis, qui ex Societate Ieſu regiones illas obeunt Euangelij gratia: quemadmodum Reges apud ſuos potentiſſimi ſceptrum, collúmque Euangelio, Chriſtique vicario Pontifici ſummiſerint: vt paſſim excitentur templa, ornentúrque ſplendidè; Sed quia hîc expoſitorem potiùs, quàm hiſtoricum agimus, aliis hæc accuratiùs, atque copioſiùs tractanda relinquimus.

54. Cyrillus his verbis ſignificari putat Eccleſiæ pacem, ſumpta ab illis ciuitatibus metaphora, quæ liberæ ſunt ab hoſtium metu: atque ideo neque ſeras obiiciunt, quæ externos arceant, neque quemquam ab ingreſſu prohibent. Contrà verò dum timetur hoſtis, aut proximè imminet, ferreas obtendunt valuas, neque vllo temporis momento intermittunt excubias. Non ſic Eccleſia eo tempore, quod prædicit Iſaias, in quam deriuabit Dominus, quaſi fluuium pacis.

Ad hunc locum ſine dubio reſpexit Ioannes *Apocal cap.* 21. cùm ageret de cœleſti Ieruſalem; ad quam hinc nonnulla tranſtulit. *Et ambulabunt Gentes in lumine eius, & Reges terræ afferent gloriam ſuam, & honorem in illam: & portæ eius non claudentur per diem: nox enim non erit illic.* Vltimis autem verbis rationem reddit, cur nihil de nocte dixerit, vt fecit Iſaias, vel quare truncatum reliquerit teſtimonium. Quia cùm Iſaias de Ieruſalem terreſtri ageret aut de Eccleſia, quæ adhuc in terra laborat, & militat, in qua aliquid noctis eſt, id eſt, tribulationis, nomen *noctis* adhibere potuit. Cùm tamen à Ieruſalem cæleſti, de qua loquitur Ioannes, nox, & tenebræ abierint, cùm æterna ibi futura ſit dies, *noctis* nomen non ſolùm non adhibendum, ſed etiam ab illa remouendum exiſtimauit. 55.

12 *Gens enim, & regnum, quod non ſeruierit tibi, peribit, & Gentes ſolitudine vaſtabuntur.*] Quòd Eccleſiæ portæ iugiter pateant, tantáque Gentium multitudo in eam quotidie influat, ea ratio eſt, quia extra Eccleſiam non eſt ſalus. Peribunt enim quotquot Eccleſia non habebit filios, quíque ad alia quàm Eccleſiæ vbera inhiabunt. Sicut in mundi inundatione ſub Noe illi tantùm fuerunt à communi interitu ſuperſtites, quos arca complexa eſt: & in ruina Iericho omnes ad vnum interierunt, quos hoſtile ferrum inuenit extra domum Rachab. Hoc idem ſub alia metaphora prædixit Zacharias *cap.* 14. Illud *ſolitudine vaſtabuntur*, emphaſim habet, id eſt, miſerè, atque omnino peribunt. 56.

13 *Gloria Libani ad te veniet, abies, & buxus, & pinus ſimul ad ornandum locum ſanctificationis meæ, & locum pedum meorum.*] Sicut de Eccleſia, quaſi de ingenti aliqua mole, aut ædificio locutus eſt, ſic etiam nunc accommodatè ad ſuperiora de ea loquitur materia, quæ ad ſpeciem, firmitatémque domus maximè idonea eſt. Et eſt apta quædam parode ad templum Solymitanum, in quod materia ſimilis, & ornamenta non diſſimilia conuecta ſunt. In *Libani gloria* cedros intelligo, quæ amœnum reddiderunt, atque conſpicuum Libanum, & indicant, quæ ſequuntur, quæ ligna item ſunt ad ædium molitionem idonea. 57.

Locus ſanctificationis templum fuit olim Solymitanum: nunc etiam in Eccleſia templa ſunt, vbi præcipua quadam religione colitur, & adoratur Deus. *Locus pedum Dei* propitiatorium erat, quod *ſcabellum pedum Domini* dicitur, quia cùm dicatur *ſedere ſuper Cherubim*, qui ſunt ſuper arcam, ſi habitum hominis ſedentis ſpectes, conſequens ſit, vt pedes eius ſint ſuper propitiatorium, id eſt, ſupra aureum operculum quod arcam tegebat. Sic enim Deus ad Moyſem *Exod.* 25. *verſ.* 22. *Loquar ad te ſuper propitiatorium, ac de medio duorum Cherubim, qui erunt ſuper arcam teſtimonij.* Et *Num.* 7. *verſ.* 89. de Moyſe. *Audiebat vocem loquentis ad ſe de propitiatorio, quod erat ſuper arcam teſtimonij inter duos Cherubim.* Et 1. *Paralip. cap* 28. *verſ.* 2. *Cogitaui, vt ædificarem domum, in qua requieſceret arca fœderis Domini, & ſcabellum pedum Dei noſtri.* Vbi illud & non coniungit, vt reor, aliquid diuerſum, ſed explicat quid ſit arca fœderis, quaſi dicat, id eſt, *ſcabellum* 58.

pedum

pedum. Quem vſum frequentem habet particula *&*, vt alibi oſtendimus.

59. Sed puto hic *locum pedum Dei* templum eſſe, quod proximè vocatum fuerat *locus ſanctificationis*. Sic enim videtur nominari *Thren.2 verſ.1. Non eſt recordatus ſcabelli pedum ſuorum in die furoris ſui.* Et ita exponunt multi ex interpretibus. Chaldæus, Maldonatus, Agellius, Theodoretus, S. Thomas, Hugo, Dionyſius, Bonauentura, & alij plures. Quod magis explicuit Deus *Ezechiel. cap. 43. verſ. 7.* Vbi de templo dicitur *locus ſolij mei, & locus veſtigiorum pedum meorum*: quia nimirum in templo diutius putabatur immorari. Vnde etiam fiebat, vt ſæpius illius pedibus calcaretur, ſicut ſcabellum ſolet. Quòd verò non ſolùm propitiatorium *ſcabellum* dicatur, docet Iſaias *cap. 66. verſ. 1. Cœlum ſedes mea, terra autem ſcabellum pedum meorum*. Ex quo loco, vt ibi oſtendemus, magis conſtabit templum *ſcabellum* vocari. Hæc vt vera fuerint in templo per Zorobabelem inſtaurato, ad quod, vt reor, hæc typicè reſpiciunt, multò tamen in Eccleſia cumulatiùs impleta ſunt: ſiue hæc ad externorum templorum apparatum, & ornamentum referas, ſiue ad ſpiritualem, & internum. Nam pro vno Solymitano templo innumera in Chriſtianorum prouinciis, id eſt, in toto propè terrarum orbe reperies, in quæ à Principibus quicquid ſpecioſum eſt, & admirabile, & congeſtum eſt olim, & nunc quoque aſſidua, & liberali manu congeritur. Si verò ad internum, id eſt, ad magis proprium, quod à filiorum ſanctitate habet Eccleſia, inuenies in ea cedrum, buxum, abietem, pinum: in quibus tanquam in ſymbolo ſignificantur eximiæ, ac ſolidæ ſanctorum virtutes, quæ latè exhalant odorem ſuauiſſimum, ſicut combuſta cedrus: neque cariem vllam patiuntur, aut vllam aliam iniuriam à tinea. Quare timendum non eſt ne tam pulcra, támque firma conſtructio aliquando ſoluatur, ac deformetur, cui Dominus firmitatem dedit; & ad alia ornamenta, quæ à ſe ipſo contulit, addidit quoque ſpeciem illam, quæ à ſanctorum ſplendore, & ſanctitate naſcitur.

60. Reges quàm ſtudioſè Eccleſiam coluerint, ornauerintque.

bb *Et venient ad te curui, filij eorum, qui humiliauerunt te; & adorabunt veſtigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi*] Hæc quoque conuenire poſſunt in templum Solymitanum poſt Babylonicum exilium. Conſtat enim Principes Iudæis quondam infenſos ſupplices cum muneribus ad illud templum veniſſe, aut certè miſiſſe munera, vt nos pluribus oſtendimus ad illud *Pſal. 67. A templo ſancto tuo quod eſt in Ieruſalem, tibi offerent Reges munera.* Sanè Eunuchus Reginæ Candacis *Actor. 8.* venit vt adoraret in Ieruſalem, quem vacuum à muneribus veniſſe veriſimile non eſt. Et Antiochus victus iam & moriturus *2. Machab. 9.* promittit ſe templum optimis donis ornaturum, & ſancta vaſa multiplicaturum. Quod etiam feciſſe Reges, & Principes externos, & in iis Seleucum Aſiæ Regem conſtat *2. Machab. cap. 3.* Quàm in idem templum munifici fuerint Cyrus, Darius, & Artaxerxes, conſtat *ex lib. 1. Eſdræ, cap. 1. 6. & 7.* De templo Solymitano hæc accipiunt S. Thomas & Hugo, ſed typicè, nam hæc etiam myſticè de Eccleſia interpretantur.

61. Hæc porrò in Eccleſiam, ad quam præſertim vaticinium ſpectat, optimè quadrant. Quis enim neſcit illorum Regum, qui contra Eccleſiam hoſtiles ſpiritus imbiberunt, nihílque ad illius interitum non tentarunt, iam tandem Eccleſiæ filios non ſolùm toto ſpiritu, ac contentione corporis & animi, ſed etiam totis regnorum ſuorum viribus, ad tuendam, amplificandámque Eccleſiæ maieſtatem incubuiſſe, ſummiſiſſéque ceruicem Eccleſiæ iugo, quam ad nullius antea imperium inflexerant: atque eò tandem Regios ſpiritus demiſiſſe, vt terram exoſcularentur diuino cultui conſecratam. Ab exemplis abſtineo, quibus abundant Eccleſiaſtici annales, & noſtro etiam ſæculo à tranſmarinis Regibus quotidie renouantur.

Porrò hic obſerua extremum obſequium, quod à victis, ſiue etiam à ſupplicibus exhiberi ſolet, per oſculum impreſſum terræ aut alicuius veſtigiis ſignificari. Vide quæ diximus ad illud *cap. 29. verſ. 4. De terra loqueris.* Et *cap. 49.* ad illud. *Et puluerem pedum tuorum lingent.* Loquitur autem hic de Eccleſia quaſi de victrice, ac domitrice Gentium, quæ hoſtes priùs repugnantes, ac detrectantes iugum, ſub iugum egit, & pedibus ſuis calcatam antea terram exoſculari compulit. 62.

cc *Et vocabunt te ciuitatem Domini Sion ſancti Iſrael.*] Vide vt crebræ alluſiones ſint ad Ieruſalem terreſtrem, in qua ſpectare iubemur ſtatum iam pacatæ, atque florentis Eccleſiæ. Quare durum nemini videri debet (licèt hîc nonnemo tragico more clamet aſpirari ex hac ſententia aliquid Iudaicũ) ſpectari in huiuſmodi ſucceſſibus deſcribendis tanquã in vmbra reditum Iudæorum ab exilio, & templi ciuitatíſque gloriam, & munerum amplitudine, & hominum frequentia nobilitatam. Ita S. Thomas & Hugo. Quia ergo deſerta ciuitas fuerat, templúmque funditus euerſum à Chaldæis, nemo ciuitatem illam, aut diceret, aut crederet eſſe Dei, cùm illam tanquam alienam hoſtium iniuriis, & incendio permiſiſſe videretur. Iam verò cùm aliquid mitius atque benignius à Dei clementia profectum, ciuitatémque ad ſplendorem eximium reſtitutam viderent, dicebant homines in illa tanta rerum viciſſitudine, Hæc verè Dei ciuitas eſt: hæc verè Sion illa antiqua, quam ſibi veluti proprium domicilium elegit ſanctus Iſrael. 63.

Sed ſanè Sion illa Solymitana obſcura quædam vmbra fuit & rudis imago ſplendentis Eccleſiæ: quam eo ſtudio, ac liberalitate complexus eſt Deus, ſic ornauit ad miraculum vſque, admirationémque Gentium, vt iam apertè fateantur domum eſſe Dei, & non iam obſcuram, & nebuloſam Sion, ſed claram, & quam verè appelles *ciuitatem Domini*.

dd *Pro eo quòd fuiſti derelicta, & odio habita, & non erat, qui per te tranſiret, ponam te in ſuperbiam ſæculorum.*] Hæc optimè conueniunt in Ieruſalem, quæ ſic ab omnibus deſerta fuit, vt nemo illam aditu, aut viſu dignaretur. De qua Ierem. *Thren. 1. verſ. 2. Omnes amici eius ſpreuerunt eam, facti ſunt ei inimici.* Et *verſ. 7. Viderunt eam hoſtes, & deriſerunt ſabbata eius.* Quòd verò per illam nemo tranſiret, docet ibidem Ieremias *verſ. 4. Viæ Sion lugent, eò quòd non ſint, qui veniant ad ſolemnitatem* Quòd verò *lugere* deſertum aliquid eſſe ſignificet; & *lugere viam*, cæcam eſſe, aut herbis obſitam, quia nullius veſtigio calcatur, & teritur, docuimus *cap. 33. n. 17.* Quomodo verò poſt hanc ſolitudinem, & vaſtitatem floruerit inter Gentes, ſatis liquet ex tota prophetia Zachariæ, maximè *ex cap. 2. & 9.* Quare non dubium quin Ieruſalem ad illam gloriam poſt ærumnoſum exilium excitata typus ſit Eccleſiæ poſt illa, quæ in ſuis incunabulis pertulerit incommoda; ad miraculum vſque amplificatæ. Quam eſſe communem Patrum, Doctorúmque ſententiam, oſtendimus *in procemio cap. 40.* 64.

Sed euueniunt hæc multò magis in Eccleſiã; quã 65.

principio impij vehementer oderant inſectabantúrque, alij periculorum metu deterriti non audebant ſeſe in ſanctorum cœtum, & ſocietatem aſcribere. Quare à Tyrannis, atque infantis Eccleſiæ vexatoribus odio habebatur noua illa viuendi forma: alios, quibus placebat Euangelicæ vitæ ratio, ne tamen, quod probabant, ſequerentur, arcebat periculorum metus: atque ita non erat, qui viam ad Eccleſiam veſtigio tereret. Sed pro hac ſolitudine, ac tenuitate Deus illam reddidit viciſſitudinem, vt nihil iam apud illos etiam, qui priùs Eccleſiam oderant, eſſet admirabilius, & illuſtrius.

66. Hieronymus hæc refert ad Eccleſiam, id eſt, ad fidelium cœtum, qui erat ante Chriſti aduentum, aut certè ante Gentium vocationem, & ingreſſum. Tunc enim perquam rari ad illum ſanctorum numerum aſcribebantur: imò ex eo numero deficiebant quotidie plurimi, tanquam fragiles atque inutiles rami, quos è ſuo ſtipite tempeſtas paulò acrior defringit; aut quia ſuccum, & alimentum à ſtirpe non trahunt, paulatim languent, & ſeneſcunt, & tandem moriuntur. In quorum loco alij inſeruntur rami, aliunde abſciſſi ex alieno trunco; nempe Gentiles, de quibus ſub eadem metaphora Paulus *ad Roman. cap. 11. Aliqui ex ramis fracti ſunt; tu autem cùm oleaſter eſſes, inſertus es in illis.* Hæc optimè Hieronymus.

67. Sed mihi videbantur hæc optimè cadere in Eccleſiam à Chriſto Euangelica lege conſtitutam ante Spiritus ſancti aduentum (Nam poſt illum licèt Eccleſia odio eſſet habita Iudæorum Principibus, & Gentium tyrannis; tamen via ad Eccleſiam non ſic erat deſerta, vt per illam tranſiret nemo, cùm ab ea Petri concione, quam à Spiritu ſancto pleniùs afflatus primùm habuit, quotidie magna fieret ad Eccleſiam acceſſio, vt *ex Actis Apoſt.* liquet.) At verò ante tempus illud toto ſpatio, quo Deus inter homines fuit, ad plenum vſque illum Spiritus ſancti illapſum, odio erat hominibus illa Eccleſia, quam ex puſillo grege Chriſtus congregarat, vſque adeò, vt Iudæorum Principes communi conſilio ſtatuerent, vt qui Chriſtum confiteretur Deum, extra ſynagogam fieret. Neque Chriſti diſcipuli pedem efferre domo propter metum Iudæorum auderent. Via autem Eccleſiæ adeò non erat trita ingredientium pedibus, vt vir inter Iudæos nobilis Nicodemus, ne inuidiam ſui ordinis ſubiret, non niſi noctu ad Eccleſiæ fundatorem Chriſtum accederet. Quare in illum temporis articulum, & rerum ſtatum optimè conuenit, quod de Eccleſia dicitur: *Pro eo quòd fuiſti derelicta, & odio habita, & non erat qui per te tranſiret.* Hęc mihi videbãtur non aliena, neque tamen ideo non placet Hieron. ſententia.

Paupetes primùm Euangelium cõplexi.

68. ‹‹ *Ponam te in ſuperbiam ſæculorum, gaudium in generationem, & generationem.*] Septuaginta paulò aliter conuertunt: *Ponam te exultationem æternam, gaudium generationum in generationibus.* Ita vt ſententia eadem iteratò redeat. Sed multò aptiùs Vulgatus, & ad textum Hebraicum, & ad eorum, quæ præceſſerunt conſecutionem. Duo præceſſere quæ eſſe poterant Eccleſiæ mœrori in ſuis incunabulis, & quòd vilis eſſet apud homines, atque odio habita, & quòd ita eſſet à ſectatoribus derelicta, vt per eius viam incederet nemo. His nunc propheta contraria ſic opponit, vt ſingulis incommodis, atque dolendi cauſis ſingula quoque commoda, atque ornamenta cumulatè reſpondeant. Ait enim Eccleſiam futuram eſſe glorioſam; ita vt in omnibus ſæculis nihil cum eius gloria, atque amplitudine conferri

A queat, neque defuturam in omni generatione lætitiam, quam ex proſpero rerum euentu in omni poſteritate capiet.

Porrò ſuperbia tã apud ſacros, quàm apud profanos ſcriptores non ſemper accipitur pro immani faſtu, inflatóque putidè, ac inſolenter animo, qui ſibi multa tribuit, præque ſe cætera contemnit omnia; ſed pro re excelſa, quámque alij propter magnitudinem admirentur, atque ſuſpiciant. De qua *Prou. 8. Mecum ſunt diuitiæ, & gloriæ, opes ſuperbæ.* Et *Iſai. cap. 61. verſ. 6. Fortitudinem Gentium comedetis, & in gloria earum ſuperbietis.* Vbi *ſuperbia* pro magnitudine, atque excellentia ſumitur. Apud profanos id multò frequentiùs. Virgilius vnus multa nobis exempla ſuppeditat. *Lib. 1. Æneid.* 69.

Superbum pro magno.

B *Hinc populum latè Regem belloque ſuperbum*
Venturum excidio Libyæ.

Et *lib. 3. Æneid.*

Barbarico veſtes auro, ſpoliiſque ſuperbi.

Vbi *ſuperbiæ* nomine aliquid inſigne, eximium, & maximum in modum illuſtre ſignificatur. Quod idem valet verbum *ſuperbio*, de quo ſtatim *cap. ſequenti.* Plinius *libro* 17. Hinc geminæ apud Menandrum, & Philomenem fabulæ *ſuperbiunt.* Et apud Claudianum *lib. 4. de Rapin.*

———*Phlegræa ſylua ſuperbit*
Exuuiis, totumque nemus victoria veſtit.

‹‹ *Suges lac Gentiũ, & mamilla Regũ lactaberis.*] 70.

Præclara allegoria docet propheta quàm larga futura ſit Dei in ſuá Eccleſiã liberalitas, quàm prona, C quàm impenſa Regũ, atque Principum ſtudia, ad illam fouendá, & ornádam: quæ omnia bellè ſignificantur nomine *mamillarum*, & *lactis*. Pro quo obſerua id, quod in Canticorum commentariis pluribus oſtendimus, à fœminis duci ſæpe metaphoras ad tenerum amorem, & mollem indulgentiam explicandam, quia ipſarum in filios amor magis tener, & indulgentia mollior. Quare Deo vbera tribuimus, & vterum, & nutricandi curam, dum eius in homines ſtudium & amorem aperire volumus. Sic ergo quia Reges ad Eccleſiam aggregati quàm molliſſimè, atque liberaliſſimè Eccleſiam fouebunt, & ornabunt, non aliter quàm matres amplectuntur, & ſuis alunt vberibus teneros infantes, D Regum mamilla, & lacte nutrienda dicitur Eccleſia, ſicut in infantili ætate filij ſolent.

Hæc quidem magis ex ſententia omnium ferme Doctorum. Sed nil credo diceret alienum, aut à præſenti loco, aut ab vſu Scripturæ ſacræ, qui hæc non de muneribus, aut ornamentis acciperet, quæ Reges, aut Imperatores iam meliori animo, atque conſilio de Regiis opibus contulerunt, ſed de aliis quibuſdam deliciis, & inuſitata quadam indulgentia, qua Deus Eccleſiam ſuam aliquo alio modo proſequetur. Quaſi dicat Deus, Complectar te, atque alam cibo ſplendido, ac delicato, quali veſcuntur Reges: quem tibi Gentes, quæ in tuum venerint ſinum, miniſtrabunt. Et primùm obſerua, quicquid eximium eſt, & quocumque in genere E pretioſum, & optabile: id *Regium* vocari, quomodo conuiuium Nabal ſplendidum, & lautum, *quaſi conuiuium Regis* appellatur. 1. *Reg. 25. verſ. 36.* & *Cant. 7.* purpura optima, *purpura* dicitur *Regis*. *Coma capitis tui ſicut purpura Regis.* Et *Iudic. 8. verſ. 18.* quidam egregia forma iuuenis dicitur fuiſſe, *quaſi filius Regis.* Et in hunc ſenſum plura occurrent exempla. Sic ergo nunc Eccleſia lactanda dicitur Regum mamilla, id eſt, cibis delicatis, ac dulcibus, quales Regiam menſam, atque delicias decent. 71.

Quidquid pretioſũ eſt *Regium* dicitur.

Hanc

Digitized by Google

Hanc poſteriorem explicationem ita probo, vt tamen communem aliam, quia pluribus placere video, præferendam exiſtimem.

72. g g *Vt ſcias quia ego Dominus ſaluans te: & redemptor tuus fortis Iacob.*] Documentum dat ſatis opportunum Dominus, vt Deum ſeeſſe probet: non ſolùm quia liberauit populum, ſiue Hebræum ab illa fortuna, à qua nullum ſeſe oſtendebat effugium, ſiue Gentilē à ſæuiſſima Dæmonis tyrannide: ſed etiam quia ad illum reuocauit gradum, quo nullus cogitari poterat illuſtrior, atque felicior. Deinde ne quis exiſtimaret mutationem illam tantam ab alio, quàm à Deo vero prouenisse (quod fecerunt quidam ex Hebræis ab Ægyptia ſeruitute liberati, dum ſtrati ante aureos vitulos impio atque ſtolido ſermone dixere *Exod.32.v.4. Hi ſunt Dij tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti*) ſeipſum certa nota deſignat, dum ſe vocat *fortem Iacob*, id eſt, illum, quem Iacob, & eius poſteri Deum agnouerunt. Quod itē nomen Deus ſibi ſuprà attribuerat *c.49.v.26. & c.30.v.29.*

73. h h *Pro ære afferam aurum, & pro ferro afferam argentum, & pro lignis æs, & pro lapidibus ferrum.*] Magna hic oſtenditur rerum mutatio, dum vilia, & ſordida cum pretioſis, & raris permutantur. Qui hæc de Hieroſolyma reſtituta capiūt, in quibus ſunt S.Thom. & Hugo, putant ſtatum illum poſt Babylonicam ſeruitutem cum ſæculo Salomonico conferri: in quo tot diuitiæ fuiſſe traduntur in Ieruſalem; vt argenti copia fuerit quaſi lapidum 2.*Par.c.9. v.27. & 3.Reg.11. v.27.* Seu quia poſt accepta illa detrimenta à Chaldæis non minor futurus erat templi renouati ſplendor, quàm fuiſſet ante Chaldæorum appulſum. Conſtat enim variis euentibus aurea vaſa, & ſcuta & alia ſacra templi ſupellectilia, & inſtrumenta, quæ conflauit Salomon in metalli longè ignobilioris materiam fuiſſe conuerſa. Nam cum Seſac Rex Ægypti omnes theſauros domus Domini compilaſſet, & in his ſcuta aurea 3.*Reg.14. verſ.26.* pro illis Roboam ærea repoſuit. Et Achaz pro æreo altari lapideum fecit: & mare æneū quod ærei boues ſuſpendebant, in pauimento locauit, id eſt, æs cōmutauit in lapidem. Quin Ezechias 4.*Reg. 18.v.26.* vt ſibi placaret Senacherib, & ſuorum libertatem, vitámque redimeret, confregit valuas templi Domini, & aureas laminas, pro quibus veriſimile eſt æreas fuiſſe repoſitas. Nunc ergo prædicit Iſaias futurum vt hæc omnia in meliorem ſtatum Regum liberalitate reducantur, imò ad ſplendorem illum, quem Salomonis ſæculo habuerunt eximium. Et re vera ita videtur contigiſſe. Nam Cyrus vaſa quæ ablata de templo fuerant à Nabuchodonoſor, de quibus 4.*Reg.cap.24.verſ.25* remiſit in Ieruſalem *Eſdræ 1.cap.1.* Et ea fuit Regum, populique liberalitas, ad inſtauranda templi detrimenta variis temporibus accepta, vt conflati potuiſſe videantur, quæ ſuperiorum temporum iniuria & inclementia ſuſtulerant.

74. *In Eccleſia veræ diuitię, & ſolida voluptas.* Hæc mihi in ſenſu typico viſa ſunt non improbabilia; ſed multò illa meliùs in Eccleſiam conueniunt, id eſt, in eos, qui cùm alieni priùs fuiſſent à religione vera, ad Eccleſiæ familiam commigrarent. Habebant populi Gentiles, & qui longè aberant à pio, & religioſo cultu, æs, ferrum, lignum, & lapides, quæ licèt aliquem habeant vſum, vilia tamen ſunt, & in quibus prudentes rerum æſtimatores non multum operę, ac ſumptus ponendum eſſe iudicant; aurum tamen, atque argentum non habebant; quod ita iam ad Eccleſiam tranſlati acceperunt à Deo, à quo nil eſt non aureum, aut argenteum, vt tamen vſum illorum, quæ *æris*, *ferri*, ac *lapidum* nomine ſignificantur, non amiſerint. Humana intelligo, & quorum homines ſtudio maximè capiuntur, puta honores, opes, & alia quæ animo ſolatio, & corpori ſubſidio ſunt. Hæc Dominus non aufert, ſed commutat, ita, vt pro ferro, atque ære aurum, & argentum largiatur, id eſt, altiores diuitias, maiora rerum pretia, puræ, ac liquidæ voluptatis, & cui nulla ſit minima moleſtia, diuturnū, atque iucundum vſum. Præ quibus cætera iis, qui rectè ſapiunt, ita viteſcunt, & ſordent, vt propter illa non putent manum eſſe vertendam. Illa tamen non omnino eripit Dominus: neque enim ignobiles ſunt apud homines qui Euangelicis ſe legibus excolunt, neque voluptatibus carent, quæ tollant, aut eleuent ſi quid eſt in rerum humanarum ſtudio neceſſario moleſtiæ, aut quod durum appareat in Euangelico iugo. At illud quicquid eſt, quod à Dei paterna, ac liberali manu datur, ita differt ab honore, ſplendore, atque deliciis, quæ in priori, id eſt, Gentilico ſtatu captabantur, ſicut differunt æs à lignis, & à lapidibus ferrum. Itaque in eo ſtatu habebunt Gentiles ſpiritualia bona, aurea nimirum, & argentea munera, quibus carebant, & quæ habuerunt priùs, humana altiori quodam modo eleuata, & minùs quàm antea moleſta poſſidebunt. Quæ cùm in omnes, qui Deo placere ſtudent, aptè conueniant, multò tamen aptiùs in religioſos viros, qui à ſe procul humana commoda, & viles mundi delicias abdicarunt.

Hæc mihi expoſitio maximè placet, ſed addam aliam, quæ an aliena ſit ab inſtituto vaticinio, alij iudicabunt. 75. Suprà propheta miſerum Iudæorum ſtatum deplorarat, dixerátque adeò à iuſtitia atque antiqua diſciplina defeciſſe, vt nihil iam eſſet ſyncerum, ac purum, ſed omnia contaminata atque peruerſa. Ita vt fucata traderentur, & adulterina pro veris, & ſuo genere viliſſima pretioſiſſimarum rerum nomen, & pondus obtinerent. *Cap.1.v.22. Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam, vinum tuum mixtum eſt aqua: Principes tui infideles, ſocij furum: omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones, pupillo non iudicant, & cauſa viduæ non ingreditur ad illos:* Nunc verò in Eccleſia, id eſt, in multo meliore republica, omnia multò adminiſtrabūtur aliter. Neque enim iam erit æs arte veteratoria fucatum, quod pro auro pendatur: neque ferrum in argenti ſpeciem mendaci lenocinio transformatum, ſed verum, ſyncerum, & purum aurum, & argentum. Et facit huc valde, quòd ſicut poſt fallacem illam auri, atque argenti ſpeciem, & vinum aqua mixtum, proponitur iniuſtitia, & iniquitas illorum, qui pecunia corrupti iura conculcant, atque peruertunt: ſic nunc vbi aurum, & argentum ſuffectum iri dicitur pro ære ac ferro; iuſtitia quoque proponitur, & æquitas, dum ſubditur, *& præpoſitos tuos iuſtitiam*, id eſt, quorum iudicium non expugnet, ac tranſuertat cupiditas.

76. i i *Et ponam viſitationem tuam pacem, & præpoſitos tuos iuſtitiam.*] *Viſitare* vox eſt communis, quæ interdum fauorem, & officium, interdum offenſionem, & calamitatem importat. Vnde *viſitare peccata*, aut *ſuper peccata*, punire eſt: *viſitare derelictum*, aut *pauperem*, fauere, aut ornare. Viſitarat priùs Deus populum Hebraicū priori modo, quando ſuis ſpoliatum ornamentis, in ſquallorem, & captiuitatem tradidit, & iuxta vulgi, id eſt, communem hominū ſenſum viſitarat Eccleſiam, quia illā durè vexari permiſit, quod vulgò homines ex animi offēſione naſci putant, vt diximus nuper ad illud

A *derelicta, & odio habita.* Nunc autem viſitaturum ſe dicit, altero tamen modo, non vt expoliet, ſed vt ornet; non vt inimicorum odio, & poteſtati permittat, ſed vt ab omni inimicorum iniuria tueatur. Quod indicat apertè *pacis* nomen quod ſtatim ſubiicitur. Viſitauit ergo Dominus & Hebræum populum liberando ab ærumnoſo ſtatu, & in longè meliorem tranſcribendo, typicè tamen, vt ſæpius obſeruauimus; & viſitauit Eccleſiam cui pacem attulit, id eſt eorum, quæ optari ſapienter poterant, abundantiam. Quod ſubditur, *& præpoſitos tuos iuſtitiam*, ſi ad Ieruſalem referas cum S. Thoma & Hugone, ſpectare videtur propheta tempus illud corruptiſſimum, quod grauiter ac dolenter deſcripſit *cap. 1. verſ. 23.* de quo nuper, & *c. 5. verſ. 23. Qui*
B *iuſtificatis impium pro muneribus.* Vbi iudicij pondus exiſtimatur in largitione potiùs quàm in æquitate, ac legibus. Cui omnino rationem in iudicando contrariam promittit, quæ iuſtitiam intuetur, neque curat munera, quæ omnia rationis & æquitatis iura peruertunt. De Eccleſia hæc multò cumulatiùs, ac meliùs intelliguntur; cui æquiſſimæ leges ſcriptæ ſunt, & illarum cuſtodes, & vindices integerrimi atque ſtudioſiſſimi dati, nempe Apoſtoli, & qui illis in paſtorali cura ſucceſſerunt, viri Apoſtolici: qui datis ſibi partibus ſtrenuè vacant, & conſtanter inuigilant.

77. k k *Non audietur vltrà iniquitas in terra tua: vaſtitas, & contritio in terminis tuis.*] Duo mala pertu-
C lerat Ieruſalem ante hæc felicia ſæcula, de quibus nunc Iſaias; Alterum à domeſticis, qui dum iniquè iudicium exercent, diuinam iram exacuunt, & vaſtitatem, & contritionem in ſe, ſuóſque aduocant: Alterum ab externis, quibus Dominus, quaſi ſuæ indignationis adminiſtris vſus in Iudæorum fines contritionem, & vaſtitatem inuexit. Ab his iam ampliùs nil eſſe metuendum affirmat propheta, quia præpoſiti, & iudices ſic erunt in iudicando iuſti, vt iuſtitia ipſa nominari poſſint; hoſtes verò quibus à Domino permiſſa fuerat vaſtandi, conterendíque poteſtas, à potentiori manu reprimentur, ne quid iam ampliùs audeant, aut ſi quid auſi fuerint, ne quid audaci ſuo conatu promoueant. Quod quidem accidit Hieroſolymæ ab exilio liberatæ, cui
D Dominus iudices præfecit amantes iuſtitiæ: & hoſtes contra ciuitatis inſtaurationem, diu multúmque luctati, nihil tamen contranitendo concuſſi ſunt.

78. Sed de Eccleſia hæc omnino accipienda, vt communiter Doctores: Si verò de Ieruſalem, tantùm in typo, quod faciunt toto hoc capite S. Thomas & Hugo. Sed eſt difficile ſtatuere quomodo iniquitas in Eccleſia aliquando fuerit, quod indicat propheta, cùm dicit in ea vlteriùs audiendam non eſſe; aut quomodo in ea dicatur non iam ampliùs futura, cùm multi non ſolùm è vulgo, atque ignobili turba, ſed etiam è Principibus, quíque primas in Eccleſia ſedes occupant, ab iniquitate, atque auari-
E tia, neque animos, neque manus abſtineant? Huic ego cogitationi dupliciter occurro, Aut enim iniquitas hæc non pertinet ad domeſticos (licèt inter illos plurimi ſunt non æquiſſimi, quíque ſua quærant, non quæ Ieſu Chriſti, & quibus non fœteat pecunia, à qua abeſſe non ſolet iniquitas) ſed ad externos qui Eccleſiam oppugnant; Quorum iniquitas licèt grauis ſit, & mille in omnem ſtaudem machinis armata, non tamen expugnabit Eccleſiam, quæ fundata eſt ſuper firmam Petram, quam tentabunt ſæpe Tyrannorum arma, irrito tamen conatu;

A neque enim contra illam proficient hilum. Seu certè quod magis reor, *iniquitas* hîc, vt alibi non rarò, pro ſupplicio ponitur, quia hoc peccati pœna nonnumquam eſt, & quod *iniquitatis* nomine ſignificatur, peccato, aut ſemper, aut plerumque imponitur. Quo ſenſu dicitur *Leuit. 5. verſ. 1. Niſi indicauerit portabit iniquitatem ſuam. Exod. 28. verſ. 38. Portabitque Aaron iniquitatem eorum*, id eſt, pœnam iniquitati debitam. Et ſupplicium Sodomæorum, & Iudæorum, quo illorum ciuitates euerſæ ſunt, *peccatum*, & *iniquitas* dicitur. *Thren. 4. Maior effecta eſt iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum, quæ ſubuerſa eſt in momento*, &c.

Sed vrget adhuc obiectio propoſita: nam ſi *ini-* 79.
B *quitas* peccati pœna eſt, præceſſiſſe vtique dicemus in Eccleſia peccata, quando etiam peccatorum anteceſſiſſe dicitur pœna: vt vox *vltrà* videtur oſtendere; quæ ſuperiori ætate factum eſſe dicit, quod poſteriori futurum negat. Hæc obiectio nil faceſſit negotij iis, qui vel mediocriter Hebraicè ſciunt. Nam vox עוד *hhod*, pro qua noſter reddidit *vltrà*, licèt plerumque aliquid deſignet futurum cum reſpectu ad id, quod anteceſſit: ſæpe tamen nil connotat, quod antè præterierit, ſed ſimpliciter pro futuro ponitur, vt probat vſitatus dicendi modus, quem Hebræi adhibent per eandem particulam עוד *hhod*, *Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur. Ionæ cap. 3. Adhuc tres dies ſunt. Geneſ. 4. Prouerb. 31. verſ. 7. Doloris ſui non recordetur ampliùs*,
C id eſt, nunquam. Ex[em]plo nunc accipe magis ad inſtitutum, vbi null[us o]mnino reſpectus ad præteritum. *Tobiæ cap. 3.* ad Saram, quæ virgo erat, vt liquet *cap. 6. verſ. 32.* dixit ancilla, *Ampliùs ex te non videamus filium*, id eſt, nunquam. Et *Ierem. cap. 22.* de filio Iuſiæ, *Non reuertetur huc ampliùs.* Et tamen neque Sara priùs filium habuerat, quia virgo, neque filius Ioſiæ priùs captiuus ductus fuerat. Et *Actor. 13.* de Chriſto, *Suſcitauit eum à mortuis ampliùs iam non reuerſurum in corruptionē.* Atqui priùs corruptionem non ſubierat. Eſt ergo ſenſus, *Non audietur vnquam in terra tua iniquitas*, id eſt, vaſtitas, & contritio.

Non vltrà, non ampliùs & ſimilia, idem quod nunquam.

Sed eſt adhuc quod obiicias, nam Eccleſia in 80.
illis quoque ſæculis, de quibus nunc Iſaias, multa paſſa eſt, & vt nos etiam experimur, aſſiduè patitur,
D & ab externis hoſtibus, qui illam non ſolùm odiis, ſed etiam armis perſequuntur, & ab his qui peregrinis doctrinis abducti, ab illa quotidie ad inimicorum caſtra transfugiunt. Huic obiectioni reſpondet propria illarum vocum ſignificatio, quæ ab Eccleſia ſuperiora illa remouet incommoda. Nam primùm *iniquitas*, non quodcumque ſignificat ſupplicium, ſed illud quod alicui quaſi peccati merces infligitur. Quare licèt Eccleſia patiatur quotidie noua, atque interdum grauiſſima incommoda, dum ex ſuo complexu plurimi ad inſtituta alia, & alienam doctrinam abducuntur, non tamen propter iniquitatem ſuam hæc ſuſtinet incommoda, quia illa ſine ruga eſt, & immaculata, & in qua nemo
E niſi ſceleratus, & amens inueniet quod puniri debeat. *Contritio* autem, & *vaſtitas*, non quamcumque iactationem, & vexationem important; ſed illam, quæ funditus aliquid delet, & excindit. Qualem pertulit Ieruſalem prius à Babyloniis, deinde verò à Romanis exciſa, & ciuitates illæ, quæ ad mare mortuum miſſo cœlitus igne perierunt. Sed Eccleſia nil vnquam patietur tale, etiamſi cum humanis viribus atque conſiliis, portæ quoque inferi ad illius vaſtit[ationem] coniurent.

l l *Et occupabit ſalus muros tuos, & portas tuas laudatio.* 81.

laudatio] *Salus* in Scriptura ſacra non ſolùm id valet, quod vox ipſa communiter ſonat, nempe incolumitatem, & liberationem ab omni corporis ægritudine, ſed etiam victoriam, felicem rerum euentum,& quicquid optari prudenter poteſt. Hîc credo *ſalutem* pro cantu poni, quo id, quod ſtrenuè,atque feliciter geſtum eſt, celebrari ſolet:quod *epinicium* dicitur. Quales ſunt Pſalmi non pauci, qui ad celebrandas Dei victorias à Dauide compoſiti;& qui compoſitus eſt à Moyſe *Exodi cap.* 15. Pharaone demerſo,& *Iudic.cap.* 15. à Debora cantatus extincto Siſara. Et quidem Canticum illud, quo Sancti Chriſti victorias in cœlo canunt, *Apoc. cap.*19.*verſ.*1.*Salus* appellatur. Vbi enim Latinus interpres,*Laus,& gloria,& virtus, Deo noſtro*;pro *laude* Græcè eſt *ευτηεία*, id eſt,*ſalus*. Et clariùs *cap.* 7. *verſ.*10.*Salus Deo noſtro,qui ſedet ſuper thronum*. Et ſanè priori loco, quidam Latini codices *ſalutem* legunt:in quibus eſt editio Complutenſis. Fauet huic cogitationi,quòd voces, quæ ſalutis coniugatæ ſeu affines ſunt,ad laudem, & triumphum adhibentur: neque tunc ſemper in propria ſignificatione ſumuntur, quia illi quibus optare videmur ſalutem, illius ſalutis capaces non ſunt. Quales ſunt iam vita functi, & qui immortales, & Dij à Gentibus exiſtimantur. Sic apud Virgilium Æneas patri iam mortuo *lib.*5.*Æneid. ſalutem* vel *ſaluere* dicit.

Salus pro victoria ſeu triumphali cantico.

Salue ſancte parens,iterum ſaluete recepti.

Nequicquam cineres,animaque,vmbraque paterna.

C

Et Herculi *lib.*8.*Æneid.*

Salue,vera Iouis proles,decus addite diuis.

Huiuſmodi occurrent paſſim apud Ethnicos exempla.Sed magis hæc vſitata ſacris Scriptoribus,apud quos voces, quæ ſalutem ſonant, ad laudem, & triumphum accommodantur. Quare apud Hebræos familiaris vox eſt in triumphali plauſu,*Oſanna*. Quod perinde eſt,ac ſi dicas,*Io victor,Io triumphe*, ſeu *viuat Rex*. Et Martyres *ſaluere* iubentur in hymnis Eccleſiaſticis, *Saluete flores Martyrum*. Et ad Beatam Virginem aſſiduè clamamus, *Salue Regina*.ad crucem,*Salue crux pretioſa*.

82. Iuxta hæc ſenſum huius loci hunc eſſe puto in muris, & portis myſticæ Ieruſalem, nunquam defutura cantica, quæ præclaras Eccleſiæ, immò Dei in Eccleſia victorias perpetuò concinant: quia ſcilicet victoriæ nunquam deerunt, quæ celebrari debeant. Ita vt eadem ſit in vtroque hemiſtichio ſententia; niſi quòd poſterius deſignat illam muri partem,in qua reſonant diuinæ laudes, & victoriarum præconia, nempe portas: quia ibi maior eſt hominum frequentia, & locus ad rerum magnarum commendationem magis illuſtris. Septuaginta pro *laudatione γλύμμα* poſuerunt, quæ vox cælaturam, ſtemma,ſeu emblema valet, aut aliquod expreſſum rei præclarè geſtæ monumentum. Quod laudationis illuſtre quoddam genus eſt, & vulgo Hiſpanorum *landa* vocatur:quod omni ætate vſitatum fuit, & omnibus penè nationibus commune;quæ in ſcutis,aut atriis ad priuatam gloriam, aut in murorum portis, locíſque frequentibus ad publicam commendationem ſtemmata deſignant.

Eccleſiæ ſemper erũt victoriæ.

D E

83. Hieronymus, & cum eo plures alij in *ſalute* Ieſum ſaluatorem intelligunt, qui iuxta ſui nominis notationem illi myſticæ ciuitati præeſt, ſalutem largitur,materiámque præbet perpetuæ laudis.Qui futurus eſſe dicitur in Ieruſalem igneus murus *Zacharia cap.*2.*verſ.*5. *Et ego ero ei,ait Dominus, murus ignis in circuitu, & in gloria ero in medio eius*. Quæ explicatio mihi dura non eſt. Sed tunc credo illud

A *&* particulam eſſe rationalem, vt alibi ſæpe, cauſámque reddere, cur vaſtitas, & contritio audienda non ſint in terminis Eccleſiæ; quia videlicet *Salus*, id eſt,*Saluator Chriſtus* muros occupabit. Quo propugnatore, ac vindice nulla intra ciuitatis mœnia calamitas irrumpet.

mm *Non erit tibi ampliùs ſol ad lucendum per diem:neque ſplendor lunæ illuminabit te*.] De Eccleſia hîc ſermo ſine dubio eſt, ſicut alia, quæ præceſſere, licèt ad cæleſtem Ieruſalem pertinere videantur, de quo poſtea omnibil.Hæc nonnulli de doctrina intelligunt,acceptáque diuinitus luce, quæ nunquam in Eccleſia deficiet; ſed abundè ſuppetet ab æterna B luce,quæ nunquam obſcurabitur,aut occidet, ſicut Solari lumini contingit ſæpe, aut lunari ſplendori. Vtraque enim aliquando minuuntur, aut deficiunt, vt contingit in eclipſi, aut quando nubes atra ſeſe ab iis aſtris oculis noſtris opponit. Atque etiamſi defectio iſta,ſeu impedimentum abſit,quotidie tamen hæc luminaria cælorum conuerſione ad alterum hemiſphærium deſerta redire ſinunt tenebras, quas antè fugauerant. Subauditur autem hîc ſimilitudinis nota vſitato Hebræorum more. Ac ſi dicas, non iam ampliùs erit lux tua, ô Eccleſia, ſicut lux ſolis, qui non ſemper nobis conſeruat, quem induxit diem,cùm aliò a noſtris oculis quotidie demigret: neque quaſi lunæ ſplendor, qui & ipſe varius eſt,& alienus, & menſtruis ſpatiis nobis eripitur;ſed erit perpetuus, ita vt nulla naturæ mutatione deficiat, aut quoquam abeat ab oculis Eccleſiæ. Et quidem vſitatu omnium penè linguarum ſermone doctrina *lux* appellatur,quia non aliter mentem illuſtrat,& irradiat,quàm ſolis ſplendor oculos. In hunc ferme modum exponit Cyrillus, Procopius & Forerius. 84.

Alij hæc videntur accipere de proſpera fortuna, ac iucunditate Eccleſiæ ex alia Solis, & Lunæ, id eſt,ſplendoris, & lucis proprietate. Nam quemadmodum *tenebræ* pro ærumnoſæ vitæ ſordibus, pro luctu atque mœrore capiuntur, vt ſæpe à nobis in hoc propheta obſeruatum eſt;ſic *lux* & *ſplendor*,pro læta, ac ſecunda fortuna adhiberi ſolent. Quare his verbis promitti exiſtimant Eccleſiæ felicem rerum, perpetuúmque curſum, ita vt nulla ſit in ea futura felicitas, quam malorum incurſiones intercidant. Longè aliter, atque felicitas hæc humana, quæ ſolis,ac lunæ ſplendore ſignificatur:quæ varia eſt,ſicut illorum aſtrorum varia, neque nobis ſemper eadem, aut perpetua lux. Nam diurna lux nocturnis interrumpitur tenebris,& ſplendor lunæ familiari inſtabilitate, ac decremento minuitur. Ita indicat Hugo, & Emanual Sa,dum dicunt agi hîc de Eccleſiæ proſperitate. Et ſanè hanc explicationem non parum iuuat,quod ſtatim additur,*& complebuntur dies luctus tui*. Quaſi poſt tempus illud durum nihil Eccleſiæ aduerſum metuendum ſit. 85.

Neque hæc expoſitio admodum videtur premi à Ioanne *Apocal.* 22. Vbi hæc verba ad cœleſtem Ieruſalem videtur tranſtuliſſe. Reſpexit enim vt pleriſque placet, & apparet mihi verum omnino, ad hunc Iſaiæ locum,cum dixit, *Non egebunt lumine lucernæ, neque lumine Solis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos*. Nam etiamſi hæc ita eſſe fateamur, non tamen cogimur in alteram explicationem abire. Cùm enim Ieruſalem terreſtris, & Eccleſia in ea figurata, typus ſint Ieruſalem cœleſtis, & triumphantis Eccleſiæ.quemadmodum alij canonici Scriptores ad typum ſpectant, cùm de veritate agunt, vt oſtendimus *cap.* 40. *num.* 2. Sic 86.

mmm 4 etiam

etiam Ioannes, cùm de cæleſti Ieruſalem ageret & beatorum gloria, in hunc Iſaiæ locum tanquam in eius ſymbolum intuebatur: vbi cæleſtis formam quamdam, & imaginem videbat. Ita Bellarminus *lib.3.de cultu ſanctorum.cap.*4.

87. Frequentes alij cum Hieronymo, hæc verba ad cæleſtem Ieruſalem accommodant, quorum ſententiæ non parum fauet modus ipſe loquendi, qui non tam in militantem quadrat, quàm in triumphantem Eccleſiam, vt promptum eſt legenti; præſertim illud. *Et complebuntur dies luctus tui.* Quod non facilè quis adaptet Eccleſiæ, quæ quòd lugeat, quamplurimas quotidie, & penè continentes cauſas habet. Immò id eſſe proprium eorum, qui ex hac Eccleſia in alteram aſpirant, ex eodem Ioanne diſcimus *Apoc.21. Abſterget Dominus omnem lachrymam ab oculis eorum: & mors vltrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltrà: quæ prima abierunt.* Neque quicquam magis in Euangelio tritum, quàm per abnegationem & crucem aperiri aditum in cœlum, & ab iis qui ſe ad beatitudinis delicias comparant, lachrymis abeſſe non debere. *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. Plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos verò contriſtabimini; ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium.* & ſimilia paſſim. Et facit valde quòd hæc verba Ioannes idem ad triumphantem Eccleſiam ſuprà tranſcripſit. Neque deeſt optima, & opportuna cauſa, cur hìc à propheta de Beatorum patria inductus ſit ſermo: nam cùm Eccleſia, quæ in terra militat, ad illam aſpiret, quæ triumphat in cœlis, quæ quodammodo ipſius pars quædam eſt; dum de priori felicitate loquitur, vt quoddam ipſius complementum adderet, poſterioris gloriam & felicitatem adiunxit. Cùm aliæ expoſitiones mihi non diſpliceant, in hanc poſtremam ego libentiùs abeo, quam etiam laudat, & probat Cyrillus, qui tamen primam auidiùs complectitur.

88. ⁿ ⁿ *Non occidet vltrà Sol tuus, & luna tua non minuetur: quia erit tibi Dominus in lucem ſempiternam.*] Ex ſupradictis ſatis perſpicuè conſtat huius loci ſenſus, nempe nunquam futuras eſſe tenebras, aut in Eccleſia, vt prima ſtatuebat explicatio, aut in Beatorum patria, quod magis probabamus; quia illa lucem non habebit, ac diem, ab hoc ſpectabili ſole, aut à luna, qui dum ſuas alternant vices, lucem addunt interdum, interdum adimunt. Sed à Deo, qui lumen habet indeficiens, & ſicut vbique eſt, ſic etiam vbique ſplendet, & irradiat. Hunc locum expreſſit Ioannes *Apoc. cap.*22. & ad cæleſtem beatitudinem tranſcripſit. Illud *non vltrà*, idem eſt quod *nunquam*, vt in ſimili diximus ſuprà *num.*79.

89. ° ° *Populus autem tuus omnes iuſti.*] Si iſta ad triumphantem referas Eccleſiam, facilè intelligitur quomodo illius populus, ſeu illius ciues iuſti ſint, cùm in illud regnum nihil intret immundum, coinquinatum, aut abominationem faciens. Sed commodè etiam in militantem Eccleſiam, iſta conueniunt, in qua iuſti habitaturi dicuntur ſuprà *cap.* 4. *verſ.*3. *Sanctus vocabitur omnis qui ſcriptus eſt in vita in Ieruſalem.* Sicut autem in Eccleſia omnes dicebantur *ſancti*, vt ex Actis pluribus in locis liquet, quia, & illorum plerique ſancti erant, & Eccleſiæ diſciplina illos ad ſanctitatem vocabat; ſic etiam, quod idem eſt, omnes dicuntur *iuſti*, quia in Eccleſia iuſtitiæ legibus excoluntur. Quòd autem nomina interdum hominibus imponantur non tam meritis, quàm vitæ inſtituto accommodata, atque ideo *boni*, aut *ſancti* dici debeant, quos vitæ ratio ad ſanctitatem inſtituit, quocumque illi ſint ingenio, aut moribus; diximus ſuprà *cap.*1.*num.*55.

ᵖ ᵖ *In perpetuum hæreditabunt terram.*] Vtrique 90.
viuentium, ſi de Beatorum patria hæc interpretere, quod faciunt plures. Si verò de Eccleſia, hæreditabunt illam in perpetuum ſancti, quia nullo artificio, aut machina ab illa pelli poſſunt, niſi volentes, cùm afflicto à tyrannis quantumcumque corpore, animo tamen in Eccleſia maneant, cui nulla vis afferri poteſt à creata potentia.

ᑫ ᑫ *Germen plantationis meæ.*] Quod exterminari 91.
à Dei hæreditate non poſſint, qui hoc loco *iuſti* vocantur, & *Eccleſiæ filij*, ideo eſt, quia illos Deus tanquam electum germen in illa plantauit. Qui verò à Deo plantati non ſunt, neque æterno prædeſtinationis conſilio in beatorum cenſum aſcripti, non habebunt perpetuam, & propriam poſſeſſionem illam, in qua pedem poſuiſſe videri poterant. De quibus eſt illud *Matth.cap.*15.*verſ.*13. *Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus, eradicabitur.* Quare plurimi ab Eccleſia transfugæ in Satanæ ſe Synagogam recipiunt, aut vitā in Eccleſia agunt Gentilicæ impietati non diſſimilem. Si ad beatitudinem hæc accommodes, res eſt omnino facilis, nam germina à Deo in illo beatorum paradiſo depacta nunquam excidentur: quia eò inimica ſecuris non aſpirat: neque marceſcent, quia vis nulla contraria eſt, quæ æternam illam viriditatem vrat, & perdat.

Septuaginta pro *germen plantationis* reddiderunt, 92.
cuſtodiens plantationem, ſenſu non admodum diuerſo: nam ſi germen eſt Dei, conſequens eſt, vt à Deo cuſtodiatur. Ex qua cuſtodia id aſſequetur germen illud, ſiue in ea, quæ militat, ſiue in ea quæ triumphat Eccleſia à Domino plantatum, vt nunquam excidat ab ea hæreditate, quam perpetuam habet.

ʳ ʳ *Opus manus meæ ad glorificandum.*] Poſtrema 93.
hæc pars ambigua eſt, quia *glorificatio*, & laudationem ſignificat, & gloriæ, id eſt, beatitudinis donum à Deo conceſſum. Quare dubium eſt, an germen illud plantatum ſit à Domino, vt illud glorificet, ac beet in illa cœleſti poſſeſſione, quam dixit illi fore perpetuam, aut vt ab eo germine Deus glorificetur, & laudetur. Mihi ſanè difficilis huiuſmodi ſolutio, quia non magis in hanc quàm in illam ſententiam propendent, & textus Hebraicus, & Latina tranſlatio: & vtraque ſententia vera eſt & facilis. Sed in poſteriorem explicationem magis inclino, quia video in illam pleroſque Doctorum incubuiſſe; quod in re ancipiti, atque obſcura apud prudentes habet momenti plurimum. Licèt non deſint aliqui qui ad beatorum glorificationem, id eſt, beatitudinem pertinere exiſtiment. Sed eorum, qui cum Hieronymo aliter ſentiunt, & maior eſt numerus, & grauior auctoritas.

ſ ſ *Minimus erit in mille, & paruulus in Gentem* 94.
fortiſſimam.] Hæc multò aptiùs in militantem Eccleſiam, quàm in triumphantem quadrant. Quare, ſi quæ proximè anteceſſere, ad triumphantem pertinent, vt magis cenſebamus veriſimile, aut parentheſi claudenda ſunt, aut ſic accipienda, vt militantis Eccleſiæ pars quædam ſit, & conſummatio. Nam beatos, qui diſcincti iam, & coronati triumphant, eiuſdem eſſe communionis cum iis, qui in acie ſunt accincti, & in agone certant, communis eſt Patrum ſententia. Iam verò ſermo propheticus qui ab Eccleſia, quæ in terris eſt paululum videbatur digreſſus, ad interrupta rediens quanta futura ſit

ſit Eccleſiæ virtus,& gloria, valde ſignificanter exponit. Fuit olim Eccleſia in ſuis incunabulis exigua,& cùm acerbè iactaretur ab humana potentia, vulgò putabatur infirma. Nunc iam illam pollicetur multitudinem, virtutem, & robur, vt familia exigua numero in millia creſcat,id eſt, in numeroſam ſobolem, & quæ infirma erat, in Gentem robuſtam, & ſtrenuam. Hunc eſſe puto germanum ſenſum: ad quem facit vox Hebraica קטן *caton*, quæ tam exiguo numero conuenit, quàm exiguæ moli. Et ſanè *minimum* in Scriptura ſacra in vtrumque adhibetur vſum:nam Bethlehem minima dicitur ciuitas,quia pauci in ea ciues, item tribus Beniamin, quia propter ſcelus admiſſum in Gabaa *Iud. cap. vltimo* ad pauciſſimos,id eſt, ad ſexcentos viros redacta eſt. Et ita verterunt L x x. ὀλιγοστός, id eſt, *pauciſſimus*. Ad eundem modum Pagninus *Parua familia erit in mille*. Tigurina *Paruus ſoboleſcet in mille*. Priori itaque loco Eccleſia exigua dicitur filiorum numero, quæ in numeroſam familiam multiplicabitur. Poſteriori verò infans,& infirma, quæ in virilem conſtantiam, & robur eximium adoleſcet. Infirma fuit olim Eccleſia,quã nemo,qui paulò eſſet audacior, non pulſabat manu, aut violabat iniuriis; ſic tamen poſtea confirmata fuit, vt hoſtibus ſuis terribilem ſe, & formidabilem præberet, ſicut caſtrorum acies ordinatam.

95. 11 *Ego Dominus in tempore eius ſubito faciam*

A *iſtud.*] Admirabile hoc videtur,neque facilè omnibus credibile,ex tanta tenuitate, atque inopia tam numeroſam ſobolem propagandam: & infirmitatem tantam in tantum enaluiſſe eſſe robur. Sed facit hoc omnibus non ſolùm credibile, ſed etiam perquam facile diuina promiſſio. Quis enim dubitet habiturum eſſe ſucceſſum id quod diuina manus attentauerit? Ait itaque Deus paſſurum quidem ſe, vt aliquandiu tyrannorum machinis appetatur, & illorum tam obſtinato furore vexetur Eccleſia; ſuo tamen tempore perfecturum, vt ſedatis fluctibus mitior adſit tempeſtas,& dies illuceſcat candidior, vbi exceſſerint atræ perſecutorum tenebræ; idque non lento paſſu, ſed feſtinato, ac celeri. Neque enim Deo magna molitio, ac mora neceſſaria B eſt ad perficiendum opus:ſubitò facit, quod factum eſſe vult. Cuius documentum habemus in Hebræorum populo priùs ab Ægyptia, deinde à Babylonica ſeruitute reſtituto. De quo hæc multi intelligenda eſſe cenſent. Nam vbi primùm exacti fuerunt anni priùs à Domino Ægyptiæ moræ definiti, aut Babylonico exilio conſtituti, obnitentibus obſtinatò Ægyptia pertinacia,& Babylonica potentia, ſubitò tamen Deus captiuum populum exoluit: & non ſolùm liberum, ſed etiam locupletem, & fortunatum reddidit, demerſo temporis momento Pharaonis exercitu, & deleto vnius noctis ſpatio imperio Chaldæorum. *Hac de capite ſexageſimo.*

Argumentum ſexageſimi primi capitis Iſaiæ.

PRINCIPIÒ *Chriſtus oſtendit à Spiritu ſancto vnctum ſe fuiſſe, atque deſtinatum ad opera, quæ ſtatim connumerat: quæ omnia ſunt à miſericordia profecta. Deinde docet, quanto ſtudio, qui priùs Eccleſiæ incunabulis inſidiati, atque aduerſati fuerant; quod apud ipſos eſſet pretioſum,& eximium; in eius ornatum, & ſpeciem collaturi ſint. Quibus pro pio illo, & liberali officio futurum ſe dicit compenſatorem largum, tam in hoc, quàm in futuro ſæculo. Ad extremum Eccleſia inducitur, quæ acceptum à Domino beneficium amplificat, illique gratias agit,& ſibi gratulatur,& gaudet.*

CAPVT LX.

1 [a] SPIRITVS *Domini ſuper me,* [b] *eo quòd vnxerit Dominus me:* [c] *ad annunciandum manſuetis miſit me,* [d] *vt mederer contritis corde,* [e] *& prædicarem captiuis indulgentiam,* [f] *& clauſis apertionem.*

2 [g] *Vt prædicarem annum placabilem Domino,* [h] *& diem vltionis Deo noſtro:* [i] *vt conſolarer omnes lugentes.*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 AVDISTIS prolixam Domini liberalitatem, & admirabilem rerum viciſſitudinem. Hanc ego fidem, quam libens obligaui, conſtanter præſtabo: quia cùm me diuinus agit ſpiritus, à quo ad illud munus vnctus,& deſignatus ſum: nempe vt læta, ac proſpera nunciarem egentibus, & animis mederer contritis,& ægris: vt captiuis dicerem, adeſſe iam redemptionis, ac libertatis tempus: & his, qui aſtricti tenebantur in vinculis, aditum patere ad liberum ſpiritum, & communem lucem.

2 Vt prædicarem tempus illud acceptum, in quo appareret placati iam animi effuſa benignitas;& his qui grauia paſſi fuerant, mutato iam ſtatu, mitior fortuna, & grata retributio, & vt miſerorum, & lugentium ærumnas, & ægritudinem conſolarer.

3 Vt largirer iis, qui lugerent in Sion, coronam pro cinere, pro luctu, & lacrymis vnguentum, quo ſe in deliciis perſunderent; pro veſte ſordida, ac lugubri, ſpirirúque mœrenti, ac languido veſtimentum, quod exultantis animi inſigne, & melioris fortunæ argumentum eſt. Et qui tunc Sioni præerunt, non erunt ſicut antea, aut muliebriter languidi, aut ad calumniam audaces, ſed iuſti, vt velint, & fortes, vt audeant recta, atque legitima præſtare. Erunt denique plantata mea manu germina, ex quibus ego quotidie colligam fructum honoris, & laudis.

4 Ædificabunt tibi fortes illi iuſtitiæ, quos duces, & præpoſitos habebis, in Gentilium finibus, quæ iam olim à ſæculo deſerta videbantur; & antiquas Iudæorum ruinas inſtaurabunt, & ciuitates iam pridem diſſipatas, & euerſas ſic excitabunt, vt nullum in perpetuum aduerſæ fortunæ caſum formident.

5 Et qui vos olim duro, atque ſeruili miniſterio premebant, eò deducentur, vt talem vobis operam præſtent, qualem à vobis priùs exigebant. Paſcent ergo alieni greges veſtros; & peregrini agris veſtris colendis operam nauabunt ruſticam, & vinearum culturæ, atque cuſtodiæ aſſiduum laborem, & vigiles excubias.

6 Vos autem eritis apud homines eo loco, quo ſacerdotes apud Hebræos: & ea in gratia apud Deum, quam habent, qui cum Principe familiariter verſantur. Quos, cùm alij compellauerint, dicent, O miniſtri Dei Iſrael. Quod apud Gentes optimum fuerit, veſtris ſeruiet vſibus: quod vos ſic ornabit luculenter, vt ſupra omnes gentes ſplendidi iudicemini, & lauti; quem honorem à me conſequemini, pro ingenti confuſione, ac pudore quibus perſuncti eſtis.

7 Illi verò, qui ſua libenter largientur, laudabunt ſortem ſuam, benéque ſecum actum exiſtimabunt, quòd illa Deus in ſacros vſus admittere voluerit. Propterea & ipſi in hoc ſæculo multò plura poſſidebunt, quàm largiti ſunt: & in futuro lætitia perfruentur ſempiterna.

8 Quid enim ego illorum tam hilarem, & effuſam liberalitatem non compenſem, cùm diligam iudicium: neque quicquam patiar muneratũ non eſſe? Et cùm ipſi tam libenter offerant, cur illa ego non gratus accipiam? qui odi, atque execror, quod quis in holocauſtum inuitus offert, quaſi ab illo per vim, & rapinam ablatum ſit? Rependam igitur mercedem illorum veram, & ſtabilem firmatam fœdere ſempiterno.

9 Erit illorum nobilis, & conſpicua poſteritas: poſteritas, inquam, illorum ſublime in populis caput attollet: Omnes enim quotquot illorum progeniem videre contigerit, facilè ex eius ſplendore ſibi perſuadebunt, Dominum in eam oculos

3 *Vt ponerem lugentibus Sion, & darem eis [k] coronam pro cinere, [l] oleum gaudij pro luctu, [m] pallium laudis pro ſpiritu mœroris: [n] & vocabuntur in ea fortes iuſtitiæ, [o] Plantatio Domini ad glorificandum.*

4 [p] *Et ædificabunt deſerta à ſæculo, & ruinas antiquas erigent, [q] & inſtaurabunt ciuitates deſertas, diſſipatas in generationem, & generationem.*

5 [r] *Et ſtabunt alieni, & paſcent pecora veſtra: & filij peregrinorum agricolæ, & vinitores veſtri erunt.*

6 [ſ] *Vos autem ſacerdotes Domini vocabimini: [t] Miniſtri Dei noſtri, dicetur vobis: [v] Fortitudinem Gentium comedetis, & in gloria earum ſuperbietis. [x] Pro confuſione veſtra duplici & rubore,*

7 [y] *Laudabunt partem ſuam: [z] propter hoc in terra ſua duplicia poſſidebunt, [aa] lætitia ſempiterna erit eis.*

8 [bb] *Quia ego Dominus diligens iudicium, & odio habens rapinã in holocauſto: [cc] Et dabo opus eorum in veritate, & fœdus perpetuum feriam eis.*

9 [dd] *Et ſcient in Gentibus ſemen eorum, & germen eorum in medio populorum: omnes qui viderint eos, cognoſcent illos, [ee] quia iſti ſunt ſemen, cui benedixit Dominus.*

10 [ff] Gau

10 [ff] *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo:* [gg] *quia induit me veſtimentis ſalutis; & indumento iuſtitiæ circumdedit me,* [hh] *quaſi ſponſum decoratum corona, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis.*

11 [ii] *Sicut enim terra profert germen ſuum, & ſicut hortus ſemen ſuum germinat: ſic Dominus Deus germinabit iuſtitiam, & laudem coram vniuerſis Gentibus.*

los habere intentos, largámque impertitum eſſe benedictionem.

10 Lætabor igitur (inquit Eccleſia) in Domino: In Deo, inquam, meo exultabit anima mea; qui me ita complexus eſt molli, ac liberali ſinu, vt triumphali me, atque nuptiali cultu veſtierit, ornaueritque indumento, quod iuſtus laborum compenſator Deus ſplendidum attribuit: talem autem mihi coronam dedit, quali ſponſus, &c. talia monilia, qualibus ſponſa in nuptialibus ſacris ornati ſolent.

11 Sicut terra quæ hyemali glacie ſterilis eſt; intepeſcente autem cœlo, repentè germinat: Sic diuina manus, atque benignitas efficiet, vt in omnium Gentium, populorúmque conſpectu fidelium cœtus opera germinet laudabilia, & iuſta.

IN CAPVT SEXAGESIMVM PRIMVM COMMENTARIVS.

1. [a] SPIRITVS *Domini ſuper me.*] Hæc diuerſa exiſtimator eſſe prophetia, ſed vtcumque illam accipias, ſiue eandem cum proxima, quod Hieronymus indicat, & magis videtur conſentaneum, ſiue diuerſam ab illa, aptiſſimè cum antecedentibus conſpirat. Nam cùm præmiſiſſet propheta admirabilem illam, ac ſubitam rerum viciſſitudinem, in qua exiguæ familiæ tam numeroſa ſoboles, & imbecillitati, ac tenuitati tantæ tantum accederet firmitatis, ac roboris: iam explicat cur illud opus tam libenter ſuſcepturus, & tam facilè perfecturus ſit: quia nempe diuinum in ſe ſpiritum habet, & ab eo ad illud munus vnctus, & deſignatus eſt.

2. Sed antequam aggredior locum hunc difficilem, in quo expediendo plurimùm laborant interpretes, tum *hic*, tum *Lucæ cap.* 4. vbi hæc verba legit in ſynagoga Chriſtus, & partim expoſuit, non poſſum non mirari Eraſmi licentiam, qui cùm in hunc incidit locum, *Lucæ cap.* 4. ait Euangeliſtam in vertendo ſecutum quidem eſſe Septuaginta editionem potiùs, quàm Hebraicum textum, ab vtriſque tamen diſſonare. Quo verbo Euangeliſtæ fidem eleuare videtur, aut certè in vertendi fide aliquid requirere. Quomodo verò nihil alienum expreſſum ſit à Luca, ſuo loco dicemus, cùm ventum erit ad id, in quo defeciſſe Lucas parum piis, & nimis audacibus ingeniis videri potuit.

3. [b] *Spiritus Domini ſuper me.*] In hoc loco neceſſariò mihi aliquantulum ponendum eſt moræ, quia & illuſtriſſimus eſt, & variè ab interpretibus tam Lucæ, quàm Iſaiæ verſatus. Sunt qui hæc Iſaiæ accommodent, quem hîc Spiritus ſanctus afflauit, vt captiuo populo apud Babylonios euangelizaret, id eſt, lætum nuncium de libertate proponeret, in quo typicè deſignari putant Chriſti aduentum in mundum, & Euangelij, iuxta ſui nominis notationem, bonum nuncium. Ita S. Thomas, qui etiam Chri-A ſto attribui hæc poſſe putat, & Hugo, & indicat Maldonatus *in c.* 4. *Luc.* dum ait agi ab Iſaia *cap.* 60. *&* 61. de tempore Euangelij, eiúſque conditione ſub figura Iſraelitici populi à captiuitate liberati: & Toletus *in cap.* 4. *Lucæ, annot.* 52. *&* 53. Quod attinet ad populum exulem, & ærumnoſum in alieno ſolo, non mihi videtur difficile: nam ſicut captiuus ſtatum infelicem adumbrat captiui mundi, ſic etiam reſtitutus ſpeciem quandam præferebat eiuſdem à Chriſto Euangelij tempore redempti: vt pluribus oſtendimus *in principio capitis* 40. Tametſi nonnulla hîc videam, quæ non facilè in populum illum ærumnoſum conueniunt, præſertim in expoſitione Lucæ ex Septuaginta verſione; qui explicationis gratia aliquid addidit, quod captiuorum pro-B prium non eſt, ſed cum aliis commune, vt quòd cæcis prædicandus eſſet viſus, niſi locutio ſit figurata. Sed quòd hîc loquatur Iſaias non puto, cùm Chriſtus ipſe de ſe prædicta fuiſſe oſtendat *Lucæ cap.* 4. Niſi hîc etiam Iſaias Chriſti typus ſit, & quod Iſaias de ſe hiſtoricè, id de ſe allegoricè Chriſtus dictum eſſe affirmet. Sed hoc valde durum eſt, & contra communem ſenſum Doctorum; neque cum fine præcedentis capitis aptè conſentit, in quo non Iſaias de ſe, ſed de ſe Chriſtus per Iſaiam loquitur.

Forerius hîc rationem reddi putat, cur Deus promiſſa ſubitò præſtiturus ſit, quod proximè dixerat *in fine capitis* 60. idque probat, quia vis, & 4.
C celeritas hac dicendi forma explicari ſolet. *Factus eſt, aut fuit Spiritus Domini, aut facta eſt manus Domini ſuper aliquem,* & ſimilia.

Fatentur hîc omnes, quod neceſſe eſt, Chriſtum loqui non ratione diuinitatis, quia ſic neque Dominum habet, neque Spiritus ſanctus eſt ſuper eum, neque illum, aut vngit, aut ad miniſterium aliquod mittit: quæ omnia hîc Chriſto à Spiritu ſancto contigiſſe legimus; ſed ratione humanitatis, ſecundùm quam illi à Spiritu ſancto iſta, aut iniungi, aut præſtari,

ſtari, neque alienum, neque indecorum eſt. Qua de re pluribus diſputare, non eſt eius, qui interpretem agit, aut qui longiùs ab inſtituto diffluere non vult. Scholaſticos conſule, nos iam, quod noſtrum eſt, agamus.

5. In hac re difficili plurimum habemus lucis à Luca, immò à Chriſto, qui *Lucæ 4.* oraculum iſtud Iſaiæ ad ſe pertinere docuit. Habemus ergo primùm non multò poſt allapſum Spiritum ſanctum ſuper Chriſtum in Iordane, veniſſe Chriſtum in ſynagogam, & ibi oſtendiſſe tunc impleta eſſe, quæ in hoc teſtimonio prædixit Iſaias. Deinde curaſſe infirmos, & ea præſtitiſſe omnia, quæ patranda à Chriſto propheta prænunciarat. Nam egreſſus à ſynagoga, in qua hunc Iſaiæ locum expoſuerat, morbos depulit, & illa perfecit, ad quæ à Spiritu ſancto vnctus & deſtinatus fuerat. Adde, quòd ſtatim poſt baptiſmum Spiritu ſancto plenus regreſſus dicitur à Iordane, & ſtatim agente eodem Spiritu in deſertum seceſſiſſe: vbi à Diabolo tentatus eſt, *Lucæ cap. 4. verſ. 1. Ieſus autem plenus Spiritu ſancto regreſſus eſt à Iordane, & agebatur à Spiritu* (nempe illo, quo plenus erat) *in deſertum*. Pòſt verò ſtatim ſynagogam ingreſſus locum iſtum expoſuit. Hæc verò plenitudo, & Spiritus ſancti impulſus, quo Chriſtus agebatur, vt iam manifeſtiùs ad humani generis medicinam incumberet, aliquid deſignat valde affine huic Iſaiæ teſtimonio, quod modò verſamus. His vtcumque poſitis dicam, quod vero magis ſimile, atque expeditum videtur.

6. Puto ergo his verbis, *Spiritus Domini ſuper me*, prædici Spiritus ſancti aduentum in ſpecie columbæ, à quo Chriſtus vnctus fuit, & impulſus, vt ea peragetet quæ ab Iſaia futura cognouimus. Quod ex eo fit mihi valde vero ſimile, quia Chriſtus *Lucæ 4.* eo tempore affirmauit eſſe completa, nempe parum poſt Spiritus ſancti deſcenſum in Iordane. Cùm enim legiſſet in ſynagoga oraculum hoc illuſtriſſimum, & his qui aderant non ignotum, vt apparet, addidit: *Quia hodie impleta eſt hæc Scriptura.* Quam ſententiam amplectitur Toletus *in Lucam*, & non obſcurè indicant, qui ex Patribus docent Chriſtum vnctum fuiſſe in Iordane à Spiritu Domini, & inde iam apertè in datas ſibi redemptoris, & medici partes incubuiſſe. Hi verò neque pauci ſunt, neque ignobiles. Athanaſius *oratione 2. contra Arrianos non longè à fine*. Hieronymus *hic*, Auguſtinus *lib. 11. de Trinitate cap 26.* Beda *in Lucam*, indicat Irenæus *lib. 3. cap. 10.* Salmeron *Tom. 4. part. 2. tract. 10.* Quod innuit Petrus *Actor. cap. 10.* dum vnctionem cum baptiſmo coniungit. *Vos ſcitis quòd factum eſt verbum per vniuerſam Iudæam, incipiens enim à Galilæa poſt baptiſmum, quod prædicauit Ioannes, Ieſum Nazareth, quomodo vnxit eum Deus Spiritu ſancto, & virtute.* Vbi obſeruo, & pondero illud *vos ſcitis*: neque enim ſcire poterant vnctum à Deo, niſi viſibili forma, & clara, atque humanæ ſimili voce Filius Dei eſſet declaratus. Quare eodem tempore Spiritus ſanctus deſcendiſſe, atque vnxiſſe Chriſtum videri poteſt, quo ſenſu dicemus ſtatim.

7. b *Eò quòd vnxerit Dominus me.*] Si dicas Chriſtum vnctum in Iordane, iuxta illorum ſententiam, quos modò citauimus, ſine offenſione vlla, & ex frequenti Scripturæ conſuetudine, ſic locum iſtum interpretabimur: non vt tunc primùm vnctus fuerit, quod vno ore negant communiter Patres (ſtatuunt enim in vtero matris vnctum eſſe Chriſtum, quia diuinitate vnctus eſt, & ibi Meſſiam, id eſt,

A Chriſtum conſtitutum, quæ vox *vnctum* ſonat) ſed quod publico teſtimonio declaratus eſt vnctus & magiſter. Id enim apertè docebant Spiritus ſanctus miſſus in columbæ ſpecie, & vox Patris à multis audita. *Hic eſt Filius meus dilectus.* Pro quo notandum eſt in Scriptura aliquid tunc dici fieri, cùm factum eſſe declaratur, vt latè docuimus *cap. 6. numero 36.* Vnxit ergo tunc Deus in Iordane Chriſtum, quia tunc ſenſibili ſigno Filium declarauit ſuum, id eſt, vnctum diuinitate.

Nihilominus, etiamſi tunc Chriſtus vnctus non fuerit, id eſt, factus Chriſtus, ſeu Meſſias, quia id habuit à diuinitate, & in ipſo matris vtero, non tamen hęc aliena ſunt à baptiſmi, & à Iordanis tem- 8.
B pore; Nam Spiritus ſanctus fuit tunc ſuper eum; quia ſicut induxit, &, vt dicit Marcus *cap. 1. verſ. 12.* expulit eum in deſertum ſtatim à baptiſmo, ſic tunc afflauit, & impulit, vt ea præſtaret manifeſtè, & quaſi ex munere ſuo, ad quæ vnctus erat, id eſt, Meſſias conſtitutus. Nempe vt curaret infirmos, & doceret: quod Chriſtus fecit paulò pòſt, vt ex eodem Lucæ capite liquet. Erit ergo ſenſus, *quia Dominus vnxit me*, id eſt, cò deſtinauit, vt euangelizarem, & mederer contritis, *ideo factus eſt ſuper me*, id eſt impulit, vt datas mihi partes quamprimum obirem, quod magis apparebit veriſimile ex his, quæ modò dicemus. Et omnino docent, qui vnctum, conſecratum, & deſtinatum exponunt ad aliquod munus, ſicut Reges & Sacerdotes ſolent ad ſuum.
C Ita Theophylactus, & probant Maldonatus, Salmeron, & Ianſenius *in Lucam*.

c *Ad annũciandum manſuetis.*] Lucas ſecutus Septuaginta, *euangelizare pauperibus*, eodem omnino ſenſu. Placet mihi valde quod nonnulli putant, hîc cauſam finalem oſtendi, cur Chriſtus miſſus, atque vnctus fuerit, nempe vt illa præſtaret, quæ hîc commemorantur, in quibus ſunt apertè Irenæus *lib. 3. cap. 10.* malè ab aliis in contrariam ſententiam adductus, Hilarius *in Pſalm. 52.* Ianſen. *cap. 54. Concor.* neque diſplicet Maldonato *in Lucam*. Tertullian. *lib. 4. contra Marcionem cap. 14.* Ambroſius, Beda, Theophylactus *in Lucam*. Quare placet admodum poſt *manſuetis* hîc, & apud Lucam poſt *pauperibus*, adhibendam eſſe diſtinctionem hoc 9.
D modo. *Eo quòd vnxerit me ad annunciandum manſuetis, miſit me, vt mederer contritis corde.* Et ita diſtinguunt multi è Latinis codicibus, quod faciunt Tertullianus, Hilarius, Beda, Theophylactus. Probat Maldonatus *in Lucam*, & Salmeron *Tom. 4. part. 2. Tract. 10.* Et omnino ita eſſe diſpungendum contendit Ianſenius *ſuprà*. Quare ſic puto locum exponi poſſe, impulſum eſſe Chriſtum à Spiritu Domini, miſſúmque vt mederetur contritis corde, &c. quia ideo vnctus, id eſt, Meſſias conſtitutus fuerat, vt illa faceret.

Pro *manſuetis*, Septuaginta tranſtulere *pauperibus*, quos Lucas ſecutus eſt. Neque refert multùm hoc ne an illo modo legas: quia vt in nomine He- 10.
E braico maxima vicinitas eſt, quia *pauperes* עניים *hhanijim*, *manſueti* verò ab eadem radice ענוים *hhanauim* appellantur, ſic in teipſa, quia pauperes, & obſcuri, quia neque audent, neque poſſunt referire violentos, aut iniurias vlciſci, etiamſi id maximè cupiant, manſueti penè neceſſariò ſunt. Qui verò fuerint iſti pauperes, vel manſueti, quibus Chriſtus euangelizaturus eſſe dicitur, incertum eſt. Ambroſius *in Lucam* genus intelligit humanum, quod erat propter peccata paupertimum. Origenes *homil. 32.* Titus Boſtrenſis, & Theophylactus Gentes eſſe

putant,

putant, quæ cùm à vera religione eſſent alienæ, non poterant non eſſe non egentiſſimæ, cùm prophetis carerent, & lege, & errarent procul à ſalutis via. Hieronymus, Haymo, Euſebius *lib.3. demonſt. cap 1. & lib 9. cap.* 10. Tertullianus *lib.4 contra Marcionem cap.* 10. Beda, & Maldonatus *in Lucam*, eos hîc deſignari putant, qui pauperes ſunt ſpiritu, & manſueti, quibus Dominus tunc euangelizauit, id eſt, bonum attulit nuncium, quando aſcendens in montem dixit, *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum: & Beati mites*, &c.

11. Sed placet magis quod Toletus, & Salmeron ſuprà cenſent, pauperes in propria ſignificatione ſumi, id eſt, eos, qui diuitiis carent, & tenui ſunt, miseráque fortuna. Quia vbi noſter interpres apud Lucam reddidit *pauperibus*, Græcè eſt πτωχοῖς, id eſt, *mendicis*, quod nomen non facilè ad alios vſus accommodes. Deinde quia *Lucæ cap.* 7. vbi alluſum eſt ad hunc Iſaiæ locum, ex omnium ſententia, oſtendit Chriſtus Ioannis diſcipulis ea ſigna, quibus facilè Ioannes, & ipſi noſſe poſſent ipſum eſſe, quem tamdiu Iudaicus populus venturum expectabat. Et inter alia iuxta Septuaginta verſionem dixit *Pauperes euangelizantur*. Sed quomodo Ioannis diſcipuli noſſe poſſent pauperes euangelizari, vt hoc ipſum ad magiſtrum referrent, niſi habitu, & cultu illi, qui eo loco *pauperes* dicuntur, ſuam tenuem, ac ſordidam conditionem præſeferrent. Erant igitur, qui propriè pauperes ſunt, quique tales vulgo etiam hominum cognoſcuntur.

12. Pauperibus cur annunciatū Euangelium. Sed obiiciet hîc nonnemo, Si Chriſtus omnium magiſter, atque redemptor vnctus, & miſſus eſt, cur pauperibus tantùm, & manſuetis allaturus dicitur Euangelium, id eſt, bonum nuncium de ſalute tot antea ſæculis expectata. Cui ego primò reſpondeo in principio Eccleſiæ ita contigiſſe: nam qui primùm ad Chriſtum acceſſere, inopes erant, & eo nomine apud alios ignobiles, & obſcuri; quales fuerunt diſcipuli, non ex alto loco, & gradu, ſed è medio vulgo, atque plebeio ordine, vt diximus *cap.60. num.*67. Ex principibus verò vix vnus, aut alter, idque longo pòſt tempore Chriſto ſe adiunxit. De quibus Paulus 1. *Corinth. cap.1. verſ.*28. *Infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia; & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non ſunt, vt ea, quæ ſunt, deſtrueret.*

13. Secundò reſpondeo ex vſu Scripturæ, cùm pauci ſunt qui aliquid fecerint, dici ſolere nullum feciſſe; ſicut etiam ſi ex magno numero pauci excipiuntur, qui non fecerint, tunc omnes exiſtimari, ac dici aliquid feciſſe. Negare ſanè non poſſumus ex nobilibus, aut aliqua nota commendatis aliquos audiſſe, probaſſéque Euangelij doctrinam, qualis fuit tota Lazari familia, & Nicodemus magiſter in Iſrael, & Ioſeph ab Arimathia nobilis decurio, & vt tradit Clemens *lib.1. Recognit. cap.9. &* 10. Beda *in Retract. in Acta Apoſt. cap* 5. Gamaliel Pauli Magiſter. Sed hi, & ſi qui fuere alij, vſque adeò fuerunt exiguo numero, vt aliorum comparatione nullus Euangeliū, aut bonum nuncium accepiſſe videatur.

Diuitum periculum. Tertiò reſpondeo, ideo euangelizatum dici pauperibus, & non diuitibus, quia licèt diuitibus etiam annunciatum Euangelium fuerit, tamen his Euangelij prædicatio nihil contulit propter animi duritiam, & voluptuarium viuendi genus, ad frugem, & mentem meliorem. Atque ideo abſolutè *pauperibus* dicitur Euangelium propoſitum; non dicitur *diuitibus*; quia illi mentem mutauerunt ad Euangelij lucem, hi obſtinato conſilio, aut offirmauerunt animos, & aggrauarunt aures contra cæleſtem doctrinam, aut nil de prima viuendi conſuetudine mutarunt. Eſt autem in Scriptura vſitatum vt pluribus oſtendimus *cap.3. num.5. & cap.30. n.5.* vt quod vtiliter factum non eſt, factum eſſe negetur; ſicut qui Dei præcepta non complet, illa cenſetur non audiiſſe, *Ioan. cap.7. Qui ex Deo eſt, verbum Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.*

Adde ad extremum diuitibus atque potentibus propter impedimenta maxima, ſic eſſe difficilem ſalutis viam, quam Euangelium aperit, dum crucem commendat, & ſui ipſorum ac rerum omnium abnegationem indicit (ad quæ omnia diuites iſti, atque potentes, tanquam ſtomachus delicatus, cum faſtidio nauſeant) vt ad illos felix hic Euangelij nuncius pertinere non videatur. Quare illorum cauſam penè deſperatam, & deploratam indicat Chriſtus. Penè deſperatam quidem, quando *Matt. cap.*19. dixit *Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum.* Deploratam verò, quando *Lucæ cap.*6. exclamauit, *Væ vobis diuitibus.* 14.

[d] *Vt mederer contritis corde.*] Lucas, *ſanare contritos corde.* In *contritis corde*, iuxta typum, & corticem nonnulli eos intelligunt, qui apud Babylonios vitam trahebant mœrentem & ægram. Ita S. Thomas, Hugo, & Toletus *in cap. 4. Lucæ, not.* 33. Neque mihi viſum eſt difficile, quia nil derogatur Euangelio, quando hæc præcipuè de ipſo intelliguntur; immò aliquid accedit dignitatis Euangelio, cùm illius, ſicut & aliorum myſteriorum nouæ legis, & Chriſti, aliqua nobilis, & illuſtris imago præmittitur. Alij eos, qui dolore, ex peccatorum recordatione concepto mœrent & anguntur. Ita Baſilius *in Pſal.* 33. Tertullianus, & Beda, Salmeron, & Toletus *ſuprà.* Ego in illorum ſententiam magis inclino, qui contritos, eos eſſe cenſent, quorum cor peccatorum ſarcina premit, & conterit. Ita Hilarius *Pſal* 52. Euthymius, Theophylactus, Maldonatus *in Lucam*, Ianſenius *in Concordia.* Quòd enim ad eos, qui propter admiſſa peccata dolent, & conteruntur, iſta non pertineant, vt bene Maldonatus, fit valde probabile. quia hîc miſer ſtatus, & malus oſtenditur eorum, quibus à Chriſto ſanitas præſtatur; prædicatur enim cæcis viſus, apertio clauſis, captiuis indulgentia; in his verò nominibus allegorico ſenſu ſtatus intelligitur illorum, qui adhuc in peccato ſunt. Sic ergo in *contritis* niſi ſtilum, & quaſi ſtatus mutetur orationis, peccatores ſignificantur. At illorum, qui iam ſe peccaſſe dolent, ſtatus eſt melior, & quibus à Chriſto iam eſt adhibita medicina. Niſi mauis contritos corde, illos eſſe, quos nuper pauperes dicebamus. Hi verò ſunt qui propter vitæ conditionem, potentiorúmque vim, & calumniam animo ſunt abiecto, atque ægro. Quorum Dominus angori medicinam attulit bono Euangelij nuncio, quod videlicet in cruce, atque patientia vitam, & gloriam ſtatuit. Huc inclinat Cyrillus. 15.

Pro *mederer* Hebr. eſt חבש *chabas*, quod non 16.
Chriſti clementia.
tam connotat medici, quàm chirurgi manum, & induſtriam. Significat enim *ligare*, aut *obuoluere* nempe vulnera; & eſt verbum quod aptè reſpondet contritioni, quæ non tam ex humorum intemperie prouenit, quàm ex vi exteriùs adhibita, quæ oſſa comminuit, aut laxat, aut diuiſa carne vulnus affligit. Hæc autem medicinæ faciendæ ratio magis commendat Meſſiæ, id eſt, vncti, atque etiam vngen

vngentis, & medentis clementiam. Quæ non tam in medico apparet, quàm in chirurgo. Ille enim quod facto opus eſt, ægroto præſcribit, neque manum admouet: hic verò incuruat ſe, vt diſpiciat, & exploret vulnera, & manum adhibet, neque ad putris, & grauiter olentis vulneris ſaniem nauſeat. Quare ab hoc potiùs, quàm à medico ſimilitudo trahitur, cùm Dei clementia commendatur. *Pſal. 146. Qui alligat contritiones eorum. Iſaiæ cap. 30. Cùm alligauerit Dominus vulnera populi ſui.* Et *Lucæ ca. 10.* charitas commendatur illius Samaritani, qui chirurgi in modum vulnera alligauit illius, qui in latrones incidit. Symmachus, & Theodotio, vt obſeruat hîc Hieronymus, quo Hebraicæ vocis vim magis exprimerent, pro *mederer*, *alligare* verterunt.

17. [e] *Et prædicarem captiuis indulgentiam.*] Si hæc de captiuis apud Babylonios typicè cum S. Thoma, Hugone, Toleto, & Maldonato capias, non eſt difficile ſtatuere quomodo hæc exponenda ſint, cùm Iſaias afflatus à Deo *hîc & cap. 45.* prædixerit, cùm Cyri meminit in eam curam, & prouinciam aſſumpti, & nunc etiam, & capite præcedenti tam diffusè repetat. Sed communiter Patres hæc de alia captiuitate longè duriore interpretantur. Tenebatur enim homo ſub poteſtate diaboli captiuus, cui ſe vltro dum mundi conſilia, & carnis blandimenta ſectatur, mancipium addixit. Quare libertas hæc, & ſalus à Chriſto eiuſmodi captiuis oblata, redemptio vocatur, quæ vox captiuorum ærumnoſum ſtatum deſignat, eorum maximè, qui ſe aliorum voluntati vendiderunt; venditioni enim redemptio, vt Logici vocant, correlatiua eſt. Pro *indulgentia* Lucas *remiſſionem* reddidit; quæ vox optimè indicat, quid indulgentia ſit, & in eundem vſum aſſumitur ab Eccleſia, quæ pœnarum, quas quis pro commiſſis debet, remiſſionem indulgentias vocat.

18. [f] *Et clauſis apertionem.*] Lucas ſuprà, & Septuaginta, *cæcis viſum*. Si ad verbum ex Hebraico transferas, ſic habet. *Et vinctis apertionem carceris.* Tranſlationes iſtæ, licèt verbis diuerſæ, in eandem tamen ſententiam conueniunt. Vulgatus propriè tranſtulit, Septuaginta, quos ſecutus eſt Lucas, figuratè. Propriè, ſiue de Babylonicis captiuis ſumas, quod faciunt S. Thomas, Hugo, & Maldonatus *in Lucam ſuprà*, ſiue de ſpirituali alia captiuitate. Nam reuera clauſi erant, & vincti apud Babylonios Iudæi, apud dominos duros, neque illis fas erat libertatis lucem intueri; quam tamen laxata captiuitate per Cyrum, quaſi aperto carcere conſecuti ſunt. Quòd ſi hi qui dura patiuntur, & ſpiritum trahunt ægrum, & luctuoſum ea Scripturæ vſu *in tenebris* eſſe dicuntur: ſanè iidem metaphora non inuita *cæci* vocari poſſunt. Atque ideo, qui libertatem illis attulit, aut in ſtatum reduxit meliorem, iiſdem reddidiſſe viſum, qualem in tenebris non habebant, exiſtimari poteſt. Aut certè captiuitatis illius miſera conditio his verbis exprimitur. Nam tunc peſſimè cùm captiuis agitur, quando in carcerem terrum, ſquallidum, & tenebricoſum includuntur, vbi neque lucem intueri neque liberum ſpiritum haurire liceat: Quales fuerunt Syracuſæ latumiæ, aut ille Meſſeniorum carcer, qui *Theſaurus* vocatur, quæ iure optimo dici *tenebræ* poſſunt. Qui ergo ſubterraneos illos ſinus, aut clauſtra ſubierunt, etiamſi videndi ſenſu non careant, cæci tamen quodammodo ſunt, quia illo tunc in tenebris vti non licet. Quare qui ex eiuſmodi clauſtris educeret, ablatum viſum, ſed videndi facultatem reſtituiſſe diceretur. Iuxta hæc non eſt cur Toletus *in hunc locum Lucæ annot. 34.* neget hæc in Babylonicam captiuitatem aptari non poſſe: cùm cætera dicat in illam typicè optimè conuenire.

19. Peccator cæcus. Eodem modo in Euangelij tempore, & ſpirituali cauſa, qui in errore verſabantur à concupiſcentia in omnem intemperantiam abducti, & à ſeueriſſimo domino diabolo poſſeſſi ſeruitutem ſubibant duram, & ignobilem, & in carcere eſſe videbantur fœdo, & tenebricoſo; & cæci errare; quia, etſi lux nõ deerat, quam ſi vellent aſpicerent, illam tamen aliis ſtudiis occupati non intuebantur. Quibus cœli, quaſi liber, complicati erant, vt *cap. 34.* diximus, id eſt, in cœlo nil minùs quàm cœleſtia contemplabantur. His ergo ex tam infelici ſtatu per Euangelium euocatis aperto carcere oblata eſt libertas, &, quod idem eſt omnino, cæcis antea oculis lux reſtituta.

20. Cæcus quaſi vinctus. Adde his quòd metaphora non admodum inuita *cæci* vocari poſſe videntur *clauſi*, aut *vincti*, quia tenebræ perinde, atque vincula homines ex ſuo moueri loco non ſinunt: quia quò inde egrediantur perſpicuum nihil habent. De quibus *Sap. 17. verſ. 2. Vinculis tenebrarum, & longæ noctis compediti.* Et *verſ. 17. Vna enim catena tenebrarum omnes erant colligati.* Et *verſ. 15. Cuſtodiebatur in carcere ſine ferro recluſus.* Ait autem Philo in vita Moyſis, Ægyptios tunc ſi qua neceſſitate compulſi mouerent ſe, cæcorum in morem palpando fuiſſe ingreſſos. Cùm ergo cæci, & qui in tenebris agunt, familiari, vt credo, Hebræorum phraſi, vocentur *vincti*, idem erit omnino, licèt non ſub eadem orationis forma, clauſis, ſeu vinctis apertionem, & cæcis viſum annunciari. Quare Lucas à textu Hebraico non recedit, neque noſter interpres ab vtroque.

21. Huc facit quòd tranſlatione non admodum diſſimili, ſicut qui cæci ſunt, aut lucem quoquo modo non vident, *vincti* dicuntur, ſic etiam hi, quorum oculis quoquo modo eſt offuſa caligo, *cæci* vocantur. De tenebris metaphoricis ſatis obuium: Peccator enim ſæpe dicitur *cæcus*. Sed hoc idem de veris, & non figuratis tenebris dicitur: ſi modò verum eſt, quod Bonauentura, Lyra, Dionyſius, & Hugo putant, Sodomitas non fuiſſe cæcitate percuſſos, ſed eorum oculis obiectas eſſe tenebras. De illis enim interpretantur illud *Sap. vltimo, Percuſſi ſunt autem cæcitate* (Ægyptij) *ſicut illi* (nempe Sodomitæ) *in foribus iuſti, cum ſubitaneis cooperti eſſent tenebris.* Maldonatus ex ſententia Rab. Dauid אסורים *aſurim*, id eſt, *clauſos*, pro cæcis ſumi cenſet, ſed locum non indicat. Ego in his libris Rabbi Dauid, qui legi permittuntur, non inuenio: Fortaſſe id notauit in commentariis, adductus hoc Iſaiæ loco, cum videret à Septuaginta ſic eſſe conuerſum.

22. Quod ad *apertionem* pro qua Lucas *viſum* habet, minus difficultatis eſt, quia apertio tam oculis conuenit, & auribus, quàm carceri. Vnde cæcus à natiuitate *Ioan. 9.* dixit *Aperuit mihi oculos.* Et *Iſaiæ cap. 35. Aperientur oculi cæcorum. Exod. 4. verſ. 11.* Vbi vulgatus *videntem & cæcum*, pro *videntem* eſt פקח *piquach*, id eſt, *apertum*. Et *cap. 23. verſ. 8.* Vbi vulgatus, *quæ etiam excæcant prudentes*, id eſt, videntes, & lynceos, Hebr. eſt פקחים *piquachim*, id eſt, *apertos*. Verbum autem aperiendi etiam accommodatur ſurdis: nam *Marci 7. verſ. 34* cùm Ieſus in ſurdi auriculas digitos immiſiſſet, dixit *ephatah*, *quod eſt aperire*, id eſt, *apertus eſto*; eſt enim Græcè in imperatiuo διανοίχθητι. Quo verbo credo etiam vteretur ſi cũ cæco ageret, & illi vellet viſum reſtituere. Optimè ergo Septuaginta, & Lucas, quod *clauſum*,

clauſum, id eſt, *non apertum* vertit vulgatus, ipſi ad hūc vſum Hebraicæ vocis ſpectātes *cæcum* tranſtulerunt. Quod verò eſt, ſiue propriè cæcū accipias, ſiue figuratè pro eo, qui in tenebris agit, id eſt, in vita ærumnoſa, aut certè in carcere tenebricoſo, & tetro.

23. Hic Lucas aliquid addit quod neque ex texto Hebraico ſumere potuit, neque ex Septuaginta tranſlatione, nempe *dimittere confractos in remiſſionem*. Propter quod Eraſmus in hunc locum Lucæ illum diſſonare dixit ab vtroque. Varia ea de re ab interpretibus Iſaiæ, & Lucæ traduntur. Foreirus putat hanc eſſe verſionem aliquam illius Iſaiæ clauſulæ, quæ ex margine ſucceſſu temporum aſſuta fuit textui; quæ ratio expediendæ difficultatis, quam in alijs ſimilibus locis nonnulli adhibent, admitti non ſolet. Alij probabilius dicunt Hebraicam phraſim plura ſignificare, quam aſſequi poſſit vno verbo, aut vno dicendi modo ſermo Latinus, aut Græcus: Quare cùm illis verbis *cæcis viſum* non explicuiſſent Septuaginta totam vim Hebraicarum vocum, addidit Lucas, qui illos etiam loci interpretem agit, quæ neque in vulgatis, neque in Septuaginta ſeniorum codicibus repetiuntur. Quæ ſane ſolutio contemnenda non eſt, quam tenet Toletus *in Lucam*. Quod probat, quia id faciunt ſæpe Scripturæ ſacræ interpretes, dum ſeorſum adhibent, & variè explicant, quod vna Latina voce, aut forma complecti non poſſunt. Exemplum poteſt eſſe תירוש *tiros*, quod cùm *liquorem* ſignificet *expreſſum*, duobus nominibus, vino nempe, & oleo exponitur. *Pſal.* 4. *A fructu frumenti vini, & olei ſui.* Et nos ſuprà optimum exemplum adduximus *cap.* 3. in voce Hebr. נטפה *netephah*, quæ *ornamentum guttatum*, ſeu *gemmatum* ſonat, cuius vim Hieronymus duobus nominibus, *torques* videlicet, & *monilia* explicuit. Idem fecere Septuaginta in voce עלץ *hhalaz*, quæ cùm motum ſignificet corporis à quocumque affectu proueniat ſiue à gaudio, ſiue a pauore, id eſt, tripudium & tremorem, vtramque vocem adhibuere ad explicandam vnam vocem Heb. *Pſal.* 2. *Exultate ei cum tremore*. Idem *Pſal.* 67. *num.* 6.

24. Sed placet magis ſententia Salmeronis, & Maldonati *in Lucam*, qui cenſent hoc loco voluiſſe Lucam explicare, quod obſcurum erat, quod faciunt ſæpe interpretes ſacri: qui quod non facilè ab alijs intelligi poſſe videut, addita de ſuo aliqua voce, ſeu etiam oratione, quæ implexa videbantur, aperiunt. Quocirca ſæpe peregrinarum vocum explicationem adhibent, vt, *Emanuel, nobiſcum Deus*. *Ephetha, quod eſt aperire*, *Talithacumi*, *id eſt*, *puella ſurge*. & ſimilia quibus abundat Scriptura ſacra. Cùm ergo illa metaphora *cæcis viſum* non ſatis apertè explicuiſſent Septuaginta, quid ſibi vellet Iſaiæ locus, ne in re tanti momenti hæreret lector, ad metaphoram, id eſt, ad vocem figuratam propria adhibuit verba, quibus multò clariùs Hebraici textus, & prophetici oraculi ſignificationem expreſſit; dum in *cæcis, & qui in tenebris agunt*, ærumnoſam conditionem, & lugubrem; in *viſu* libertatem, & melioris ſtatus lucem deſignari docet. Id enim valet *dimittere confractos in remiſſionem*.

Regula. Interpretes ſacri aliquid addunt claritatis gratia.

25. g *Vt prædicarem annum placabilem Domino.*] Lucas iuxta L x x. *Domino acceptum*. Non eſt dubium quin annus iſte, id eſt, tempus longius, quod *anni* nomine ſignificatur, tempus ſit Euangelij, & gratiæ, & ita explicat bonus interpres Paulus 2. *Corint. cap* 6. *verſ.* 2. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis*. De quo priùs Iſaias *cap.* 49. *verſ.* 8. *In tempore placito exaudiui te, & in die ſalutis auxiliatus ſum tui* Heb. רצון *raſon*, id eſt, tempus voluntatis ſeu beneplaciti, in quo mitior eſt iam animus, quàm antea, cùm offenſioni ſuccedat placatio, ac lenitas, & prona ad omnem liberalitatem benignitas. Ex hoc loquendi modo, vt docet Irenæus *lib.* 2. *cap.* 38, nonnulli ſibi perſuadent Chriſtum vno tantùm anno prædicaſſe, quorum errorem optimè ibi confutat Irenæus, qui in eo anno totum Euangelij tempus agnoſcit. Neque inuſitatum eſt, vt *annus*, imò & *dies*, aut etiam *hora* pro longiori tempore ſumatur, vt apud Zachariam docuimus ad illud *cap* 9. *Hodie quoque*. Et ne longiùs abeamus *dies retributionis*, de qua ſtatim, longius tempus deſignat, quàm quod duodecim horarum ſpatio definitur. Eſt autem mihi certum, quod multi tam apud Lucam, quàm apud Iſaiam volunt, alluſum hîc eſſe ad annum Iubilæi, qui typus quidam erat anni placabilis, ſeu beneplaciti Euangelicæ benignitatis. Nam ſicut eo anno, qui ſerui erant, in libertatē aſſerti, ignobilem, & ærumnoſam conditionem mutabant, & ad priores dominos, & poſſeſſores, quæ quocumque modo ab illis exciderant, poſſeſſiones redibant: ſic etiam captiui à Chriſto vindice è diaboli poteſtate ſibi vel potiùs Deo vero à legitimo Domino reſtituti ſunt. Vide *Leu. c.* 25. vbi de anno Iubilæi multa.

Neque deeſt in hac Iubilæi amplioris, id eſt, Euangelij denuntiatione, id quod lex in Iubilæi alterius tempore præſcribit. Nam quemadmodum annus ille denunciabatur, &, vt ita dicam, prædicabatur, erántque à principio tubæ in illum vſum deſtinatæ; ſic etiam Chriſtus magni alterius Iubilæi præco, prædicaturus hîc dicitur annum placabilem, ſeu beneplaciti, id eſt, bonum Euangelij nuncium allaturus. Quod vulgatus in tertio caſu, id Lucas, & Septuaginta in ſecūdo poſuerunt, ſed eodem ſenſu, parum enim refert Domino ne, an Domini placatum, ſiue acceptum annum dicas, quia vtroque modo ſignificatur annus in quo placatur Deus; aut quod præter alia tempora impenſiùs amat. Quod attinet ad vocem *placabilem*, quomodo actiuè ſumatur pro *placatiuo*, vide quæ diximus ad illud *cap.* 60. *Super placabili altari meo*. 26.

h *Et diem vltionis Deo noſtro.*] Hæc quidam ad Iudicij tempus vocant, in quibus eſt Irenæus *ſuprà*, Toletus, & Beda *in Lucam*, Cyrillus, & Dionyſius *hic*, neque improbat Salmeron. Qui hæc hiſtoricè de captiuitate Iudæorum exponunt, in quibus ſunt S. Thomas, & Hugo, & libertatem putant promitti captiuo populo, ſic etiam vltionem, & retributionem intendi Chaldæis, à quibus Iudæi tot, ac tam diu incommoda pertulerunt. Et quidem ita accidit, nam eodem tempore, quo laxata eſt Iudæorum captiuitas, ſublata eſt Chaldæorum libertas, & extinctum imperium. Sed hi typicè iſta de ſtatu Iudæorum; nam certum eſt hæc omnino ſpectare non tam redemptorem, & vindicem Cyrum Iudaicæ cauſæ, quàm Chriſtum noſtræ libertatis, & ſalutis auctorem. Hieronymus minas has, & vltionem non ad alios, quàm ad Iudæos ſpectare cenſet: quem ſequuntur Euſebius *lib.* 9. *demonſt. cap* 13 Haymo, & Emanuel Sa. Alij ad dæmonem, qui duro iugo ante hoc placationis tempus mundum oppreſſerat. Ita Cyrillus *in ſecunda expoſitione*, Adamus, Foreirus, Ianſenius *in concordia*. Neque diſplicet Salmeroni, & Maldonato *in Lucam*. 27.

Mihi multò magis probatur, quod ſuprà magis probant Salmeron, & Maldonatus, nihil hîc ſignificari durum, aut, quod ex odio, atque offenſione natum ſit, ſed totum hoc oraculum ſtillare 28.

Euangelica ſuauitate, atque cœleſti rore, quod indicat apertiùs vox *retributio*, quam *vltionis* loco Lucas adhibuit, quæ compenſationem aliquam importat. Eſt autem æqua compenſatio, & retributio, quaſi legitima, vt qui in tenebris fuerat, & exilio duro, ille iam liberum ducat, & vitalem ſpiritum, & lucem intueatur à qua depulſus fuerat, eo ſenſu, quem antea produximus: vt denique ſingulis incommodis, atque infortunijs, ſingula quoque commoda ex aduerſo reſpondeant. Si tamen aliquid indicatur aduerſum, placet deſignare Diabolū, qui vt ſuperatus eſt ſtatim à Chriſti Baptiſmo, ſic etiam à ſuo regno depulſus. Sicut Chaldæi à regno, vitáque exciderunt, quando affulſit Iudæorum populo libertas: qui Dæmonis in opprimendo homines genere typus fuerant. Vide quæ diximus ad illud, *Vltionem adducet retributionis, capite 35. numero 8.*

29. i *Vt conſolarer omnes lugentes: vt ponerem lugentibus Sion.*] Hæc verba non obſcurè innuunt, nihil in vltione, de qua proximè, ſignificari aduerſum; quando ſingulis incommodis, atque afflictionibus ſingula reſpondent ornamenta, & commoda. Si de ſtatu Iudæorum tanquam in ſymbolo hæc accipias, retribuit illis Deus pro lachrymis leuamentum doloris commutato in melius viuendi genere. Quòd ſi, vt eſt in omnibus ferme codicibus, præter Sixtianos legas, *vt ponerem fortitudinem lugentibus*, mutato iam ſtatu, qui priùs fortes non erant, ſiue *fortitudinem* pro diuitijs ſumas, ſiue pro corporis robore, & animi audacia, qui in priori fortuna contra tantam, támque inſolentem potentiam, neque commouere ſe audebant, neque quicquam mutire, etiãſi extrema paterentur iniuriæ, atque ignominiæ vulnera, ita erunt forte anno illo placabili, vt hoſtibus ſuis non ſolùm repugnare audeant, ſed etiam terrori ſint. Sed hæc multò meliùs impleta ſunt in ſpirituali libertate, quam attulit Chriſtus: Lugebat enim mundus oppreſſus a Diabolo, aut certè in eo erat rerum ſtatu, vt iure optimo lugere debuerit. Deterſit eorum lachrymas tamdiu deſiderata, & proclamata, oblata tamen aliquando à Chriſto vindice libertas. Infirma erat mortalium conditio, quæque facilè tentata ab hoſte illius fortitudini, ſeu veriùs illius calliditati ſuccūbebat; confortauit tamen Chriſtus illius diſſolutas manus, & genua debilia roborauit: Vt docuit ſecundus Euangelij curſus, & illorum conſtantia, qui pro religione, ac fide carnis abnegauere delicias, & tyrannorum ferro vltrò ſuppoſuere iugulum.

30. Hîc obſerua, licèt in pleriſque codicibus Latinis nomen *fortitudinis* legatur, non tamen reperiri in Hebraico textu, neque in tranſlatione Hieronymi, vt ex eius commentarijs liquet, neque nunc haberi in codicibus à Sixto correctis. Quare veriſimile eſt, aut, quod coniectat Adamus, ab aliquo indiligenti ſcriptore additum eſſe, aut, quod ego ſuſpicor, à ſcriptore plus ſatis diligente, atque arguto. Nam cùm videret verbo *ponerem*, nullum adiunctum eſſe accuſatiuum, ipſe vt illam impleret lacunam, *fortitudinem* appoſuit. Sed ſanè ille, quicumque fuit, ſi attentè Hebraicum inſpexiſſet textum, non deſideraſſet ibi accuſatiuum, quem intruderet. Nam duo illa verba *ponerem*, & *darem*, ad omnes accuſatiuos, qui poſtea ſuccedunt, non modò ſufficienter, & idoneè, ſed etiam eleganter referri poſſunt. Eſt enim, quod optimè congruit verbo *ponerem*, quod ſtatim ſuccedit, *coronam pro cinere*, & verbo *darem*, *oleum gaudij*, *pallium laudis*, &c. Quare ſi parum verbum alterum mutes, nihil hîc truncatum, aut vacuum deprehendes, quòd ſuppleas, aut impleas: hoc modo. Vt ponerem, & darem lugentibus Sion coronam pro cinere, oleum gaudij, &c. Neque ſanè cum lugentibus aptè *fortitudo* coniungitur, ſed gaudium, & illa quæ exultantis animi ſigna ſunt. Quocirca optimè *fortitudinis* nomen à Sixtianis Biblijs expunctum eſt.

k *Coronam pro cinere.*] Quemadmodum in luctu, ac mœrore, cineris inſpergi capitibus ſoleat ex Iudæorum familiari, ac penè ſolemni, ac legitimo ritu, docent obuia in ſacris literis exempla. 2. *Reg.* 13. Thamar à fratre violata caput fœdauit inſperſo cinere. Idem fecit Mardochæus *Eſther c.* 4. Idem Iudæi *Machab.* 1. *cap.* 3. *verſ.* 47. & filiæ Ieruſalem *Thren.* 2. *verſ.* 10. Immò id erat vſque adeò legitimum, vt hoc populis, cùm aliquod immineret infortunium, prophetæ edicerent, vt Ieremias *cap.* 25. *verſ.* 34. *Vlulate paſtores, & clamate, & aſpergite vos cinere optimates gregis.* Notum eſt etiam coronas adhiberi ſolitas in conuiuijs, in triumphali, ac nuptiali plauſu, in rebus denique lætis. Vt ergo in mœrore, ac luctu cinere caput operuerat Ieruſalem, ſic modò in lætitia, atque felici rerum euentu coronam promittunt, quæ illo mutatam ornet, exhilarétque fortunam. 31.

l *Oleum gaudij pro luctu.*] Quàm familiaris olim fuerit Hebræis vnguentorum vſus, in conuiuijs, & quocumque alio feſtiuo, atque geniali tempore, docuimus pluribus *in Canticis*. Quod ideo *gaudij oleum* dicitur, ſicut *oleum lætitiæ*, quia non niſi læti, aut in lætiori conuentu, qui læti videri volunt, vnguentis irrorantur. 32.

m *Pallium laudis pro ſpiritu mœroris.*] Vt certa erat lugendi forma apud Hebræos, de qua Ieremias *cap.* 22. *verſ.* 18. *Non plangent eum, væ frater, væ ſoror: non concrepabunt ei, væ domine, & væ inclyte.* Sic credo veſtes erant lugubres, quibus animi ſui dolorem & ſenſum præ ſe ferebant. Erant ſanè certa, & nota viduitatis inſignia, quæ depoſuit Thamar *Geneſ.* 38. Et Iudith *cap.* 10. De veſte autem lugubri Hebræorum agit Baruch, qui ſic ad Ieruſalem in eo ſtatu, in quo nunc ad illam Iſaias. *Exue te Ieruſalem ſtola luctus, & vexationis tua.* Vt ergo veſtes erant lugubres, & ſordidæ ad ſignificandam, aut ærumnoſæ vitæ conditionem, aut animi dolorem, ſic etiam veſtimenta erant, quæ aut animi lætitiam, aut felicem rerum euentum euulgarent: quas Baruch ſuprà *decorem, & honorem* appellat. *Et indue te*, inquit, *decore, & honore.* Et *cap.* 4. *verſ.* 20. appellat *ſtolam pacis*, id eſt proſperitatis. Promittit itaque Dominus pro ſpiritu mœroris, id eſt, pro tegumentis, quibus ſpiritus mœſtus proditur, daturum ſe veſtem lætam, qualis eſt nuptialis, & quæ epinicijs, & laudibus decãtandis aptior eſt, quam funeri efferendo, aut calamitati deplorandæ. Vt autem veſtes ferales, & lugubres ſqualidæ ſunt, & laceræ, quia illas dolor, & vehementior aliquis affectus diſcindit, atque concerpit, vt in Iob vidimus audita filiorum morte, & in Dauid in cæde Saul, & parentalibus Abner: ſic pallium laudis nitidum eſt, & varium, quale ſumpſiſſe veriſimile eſt, & filiam Iephte cùm parenti occurrit cum virginum choris; & puellas pſaltrias; quæ interfecto gigante Dauidis victoriam cantu celebrarunt. De eiuſmodi puto veſtimentis loquebatur Dauid 2. *Reg. cap.* 1. cùm in lamentatione pro Saul ad fletum vocabat filias Iſrael. *Filiæ Iſrael ſuper Saul flete, qui veſtiebat vos cocco in delicijs: qui præbebat ornamenta aurea cultui* 33. Veſtis pro luctu propria. 2.Reg.c.1.

cultus veſtri. Id eſt, qui aſſiduis victoriis exhilarabat populum, ita vt pro veſte ſordida, ac lugubri induceretur coccinis: Vel quia faciebat vt vos nitenti cultu, & lauto celebraretis victorias quas ipſe aſſiduè de vicinis hoſtibus obtinebat. Hoc verò veſtimentum ideo videtur dici *laudis*, quia ad laudes canendas adhibebatur, de quo *Pſalm*. 103. videtur egiſſe Dauid, *Confeſſionem, & decorem induiſti*, id eſt, veſtimentum decorum, & pulcrum ad confeſſionem, id eſt, ad laudem; *confeſſio* enim, vt conſtat, laus eſt.

34. n *Et vocabuntur in ea fortes iuſtitiæ.*] Sæpe propheta duo hæc in antiquo populo deſiderarat, aut enim imbelles, atque fœmineos alebant ſpiritus, [B] qui reipublicæ præerant, aut certè ſi in illis aliquid erat non muliebre, illud ad opprimendam infirmam hominum conditionem conferebant. Quales ſunt pupilli, & viduæ, & qui propter tenuitatem ſe violentorum potentiæ opponere non audent. Contra quos grauiſſima ſunt ab hoc propheta non tam querelæ, quàm fulmina: Nunc in tempore Euangelij, vt alius eſt rerum ſtatus, ſic alia erit rerum adminiſtratio, alius Principum animus, alia conſtantia, ac virtus. Erunt enim fortes, qui quod rectum eſt aggrediantur, & peragant: erunt item iuſti, qui nihil audeant non iuſtum, nihil velint, niſi quod recta ratio æquitáſque præſcribant. Quod Eccleſia in ſuis incunabulis ſatis cumulatè completum vidit, & nunc etiam in ſuis rectoribus experitur, [C] & amat. *Fortes iuſtitiæ* Hebraico idiomate iidem ſunt qui *fortes iuſti*. Vide quæ diximus *capite* 60. ad illud, *Præpoſitos tuos iuſtitiam*.

35. Septuaginta reddidere, *generationes iuſtitiæ*. Diuerſæ tranſlationis cauſa fuit duarum vocum Hebraicarum ſimilitudo אילי *ele*, & אלי *ele*, quarum hæc *fortes*, illa verò *arbores* ſignificat. Septuaginta ergo cùm priori modo legerint, vt veriſimile eſt, & ex ſequentibus verbis, quæ aliquid habent arboribus affine, coniecturam caperent, *generationes* tranſtulerunt: quæ vox viuentibus in quocumque gradu communis eſt.

36. o *Plantatio Domini ad glorificandum.*] Qui priùs vocati fuerant *fortes*, ſeu *generationes iuſtitiæ*, iidem [D] nunc *plantatio Domini* dicuntur, in quibus firmitudo deſignatur, atque conſtantia, quæ priùs per vocem *fortes* ſignificabatur. Plantatio enim, quæ à Domino fit, radices agit, neque vlla vi ventorum eradicatur, aut conuellitur. Aliam verò plantationem Chriſtus *Matth*. 15. *verſ*. 13. eradicandam eſſe dicit. Eadem ferme dixerat Iſaias *cap*. 60. *verſ*. 21. Vide quæ ibi nos diximus.

37. p *Et ædificabunt deſerta à ſeculo, & ruinas antiquas erigent.*] De Babylonicis captiuis ſi quis cum ſancto Thoma, atque Hugone capiat, facilè oſtendet quomodo hæc impleta fuerint: nam in patriam reuerſi, quæ deſerta fuerant, atque ita exciſa, vt tantùm ſupereſſent antiquæ gloriæ, atque frequentiæ [E] obſcura veſtigia, ita inſtaurarunt, vt ad antiquam ſpeciem, & magnitudinẽ reuocauerint. *Deſerta* verò *à ſeculo* dicuntur, id eſt, iam diu deſerta, à ſeptuaginta nempe annis: nam ex vſu ſcripturæ ſi magnum temporis ſpatium interiectũ eſt, intercesſiſſe dicitur *ſeculum*. Sed hæc multò magis impleta ſunt in Eccleſia, quoad illam præcipuè partem, quæ à Gentili populo congregata eſt. Gentilitas enim, quam quia nulla excolebat vera & ſana religio, deſerta erat, & velut ſyluestris humus obſita ſpinis, & à feris, id eſt, à ferini ingenij hominibus habitata, quæ *c*. 35. *deſerta* dicitur & *inuia*. Erãt præ-

[A] terea reliquiæ, & quaſi ruinæ antiquæ Eccleſiæ in populo Iudaico, quia licèt maior illius populi pars ſub aduentũ Chriſti ab auita religione degeneraret, erant tamen nonnulli, in quibus antiqua vigebat probitas, & religio, qualis fuit Simeon, & Anna, de quibus Lucas *cap*. 2. quos ruinas, & veſtigia antiquæ Eccleſiæ meritò appelles. Illæ ergo ruinæ excitatæ ſunt, quando ex eo populo multi ad nouam Eccleſiam per Euangelium fundatam acceſſere.

q *Et inſtaurabunt ciuitates deſertas, & diſſipatas in generationem, & generationem.*] Si ſermo hic eſſet de ciuitatibus euerſis ab hoſte Chaldæo, & nulla [B] ratione ſub illarum inſtaurationis typo ſpectaretur ſplendor, & incrementum Eccleſiæ, dubitare non nemo poſſet, an ciuitates iſtę dicantur hic à generatione in generationem, id eſt, longiſſimo tẽpore deſertæ fuiſſe, aut potiùs in generationem, & generationem dicantur inſtauratum iri, itavt in futurum, neque vim timeant vllam, neque ruinam priori ſimilem. Sed quia hîc Eccleſiam ſpectamus, aut ſolam, aut præcipuè, de futura potiùs quam præterita temporis duratione interpretemur neceſſe eſt. Præſertim quia modus ille loquendi magis in futurum extendit, quàm à præterito deducit durationis ſpatia. 38.

Ea hac loquendi forma nonnulli ſibi perſuadent ſermonem hîc neque in typo eſſe poſſe de Iudæo- 39. [C] rum ſtatu poſt exilium, quia illa inſtaurati populi felicitas nullo modo fuit in generationem, & generationem, cùm à Romanis exciſa fuerit tunc inſtaurata ciuitas, & ſublata gloria, immò ſublatum penè Iudæorum genus. Sed hi non vident hoc ſermonis genere deſignari non ſolùm quod perpetuum, aut æternum, ſed etiam quod diuturnum futurum eſt. Sicut etiam *æternum* in Scriptura ſacra de his rebus dicitur, quæ ſuis quoque terminis definiuntur, vt aliis in locis à nobis probatum eſt. Et ne ab hac materia, Iudæorúmque ſtatu longiùs abeamus, Iudæis quoque æterna promittitur terræ poſſeſſio, aut nunquam fore iterum pellendos, vbi è captiuitate redierint; Et tamen conſtat illis, neque perpetuam fuiſſe poſſeſſionem, quia [D] ab illa exciderunt Chaldæorum armis profligati, neque poſt exilium in ea ſemper commoratos, quia à Romanis iterum expulſi ſunt. Neque iam reuertendi ſpes vlla, aut via ſupereſt poſt tot annorum myriadas. De priori poſſeſſione *Geneſ*. 14. *verſ*. 15. *Omnem terram quam conſpicis, tibi dabo, & ſemini tuo vſque in ſempiternum*. De poſteriori poſt exilium *Amos cap*. 9. *verſ*. 15. *Et plantabo eos ſuper humum ſuam, & non euellam eos vltrà de terra ſua, quam dedi eis*. Illud *non vltrà*, idem eſt *quod nunquam*, aut *in æternum*.

r *Et ſtabunt alieni, & paſcent pecora veſtra; & filij peregrinorum agricolæ, & vinitores veſtri erunt.*] 40. [E] De reditu Iudæorum, fortunæque mutatione facilis eſt horum verborum explicatio. Quàm enim auctæ fuerint illorum opes poſt exilium, vt plures obtinuerint prouincias Machabæorum temporibus, ſatis conſtat ea eorum hiſtoria; & nos docuimus *in cap*. 9. *n*. 13. *Zach*. Et licèt in Scriptura ſacra non conſtet de omnibus, quę hîc adducuntur à propheta, quia à Machabæorum temporibus ad tempus vſque Euangelij intermiſſa fuit Iudaicarum rerum hiſtoria; tamen ſatis eſt probabiles ex ſuperatis Regionibus captiuos fuiſſe abductos quamplurimos, qui pecora paſcerẽt, & agros colerent, & ea præſtarent omnia, quæ hîc ab Iſaia prædicuntur.

nnn 3 Quod

Quod munus olim Gabaonitæ Iudæis præſtitere *Ioſue cap.9.* Sed ſi ad Eccleſiam referas, quod aut omnino, aut præcipuè fieri debet, multò magis in ea completum eſt. Sed quomodo id acciderit varia à variis afferuntur. Hieronymus quem Haymo, Adamus, Pintus, & alij plures ſequuntur, in *paſtoribus vinitoribus, & agricolis* epiſcopos intelligunt, qui ſana doctrina animos excolant, & quoſcumque alios, qui instituendis piorum animis operam nauant Apoſtolicam. Quòd verò qui ab aliis instituuntur, aut in quibus eiuſmodi ponitur opera, *agricultura* dicantur, in qua etiam continetur vinearum, & pecudum cura, probant ex Paulo 1. *Cor. cap.3. Dei agricultura eſtis, Dei ædificatio eſtis.* Quòd verò ex Gentibus id eſt, ex alienis dati ſint paſtores, & agricolæ, probant ex illo *Matth.21.* vbi Chriſtus depulſis Iudæis vineam dicit aliis eſſe tradendam agricolis. Et tandem ipſo rerum ſucceſſu Hieronymus demonſtrat. *Quotus enim quiſque*, inquit, *Eccleſiarum princeps eſt e Iudæis, & non de alienigenis, atque externarum Gentium hominibus.*

41\. Sed hæc expoſitio ſemper mihi duriuſcula viſa eſt, tum quia hîc de Eccleſia ſermo eſt propheticus, quæ non minùs è Gentili, quàm è Iudæo conſtat: quare ſi alienigenis, & peregrinorum filiis Eccleſiæ adminiſtrandæ cura committenda eſt, ſanè aduocandi eſſent ad præfecturam illam, qui nondum acceſſiſſent ad Eccleſiæ ſinum. Deinde quia ſi de Eccleſia primogenita, quæ principiò maiori ex parte ex Iudæorum Gente conflari cœpit, ſermo eſt, vt ex huius ſententiæ ſectatoribus nonnulli volunt, neſcio quàm verè dici poſſit præpoſitos eſſe illius adminiſtrationi Gentiles, cùm conſtet eos paſtores fuiſſe Apoſtolos, quos nemo dubitat fuiſſe ex Iudæorum genere. Deinde totum caput nihil continet, quod non ſonet paterni animi ſtudium, & ſingularem aliquam beneuolentiam in Iudæos: vt promptum eſt legenti; Sed quæ tanta beneuolentia eſt à Iudæis auferre, quod tanti ipſi facerent, & in illorum locum alienos, & peregrinos induci? Adde his, quod hîc de pecoribus agitur, agris, & vineis, de rebus nempe à poſſeſſore diuerſis; dum dicitur, *paſcent pecora veſtra*, id eſt, de re aliqua quæ Eccleſia non ſit, ſed Eccleſiæ poſſeſſio. Sed paſtores, & agricolæ, id eſt epiſcopi, aut Pontifices Eccleſiam paſcent, id eſt eos, qui verè Eccleſia dici poſſunt, nempe quos Euangelium peperit, & qui in Eccleſiæ ſinu ſunt. Accedit quòd ſtatim Iudæi dicuntur fore *Sacerdotes*; quod ſi ita eſt, non apparet quomodo negentur epiſcopi futuri, cùm eſſe non poſſint non ſacerdotes; & maior illis è ſacerdotio, quàm ex epiſcopatu dignitas accedat. Quare minùs mihi probari poteſt illa ſententia, quæ epiſcopos, & præpoſitos ex Gentibus aſciſcit, à Iudæorum autem genere repellit.

42\. Quare ego ſi de alienigenis paſtoribus hæc intelligenda ſint, qui ſpiritualiter paſcant Dominicum gregem, id eſt, Eccleſiæ filios, potiùs mihi perſuaderem, quod Cyrillo, atque Procopio viſum eſt, oraculum hoc eſſe de antiqui ſacerdotij tranſlatione. Nam inſtituta per Chriſtum Eccleſia, non iam ampliùs erit Aaronicum ſacerdotium, quod ex vno genere Leuitico ſumi poterat; quódque tam ſub hoc Iſaiæ tempus, quàm deinceps ad noui vſque ſacerdotij inſtitutionem, & deinceps ad vrbis excidium, ſic erat ambitione, auaritia, & omni crudelitate corruptum, vt grauia audiret quotidie ab omnibus penè prophetis & reprehenſionis conuitia & minarum terrores. In hoc propheta multa de illorum improbitate accepimus *cap.1.* in Ezechiele *cap.34.* Quæ audierint à Chriſto ſacerdotes de ſuis moribus, atque conſiliis, ſatis ex Euangelio conſtat. Hoc ergo abrogatu Leuitico ſacerdotio, alienos ab ea nimirum myſtagogia, & Aaronico ritu ſacerdotes inſtituendos prædicit: non quidem alienos à Iudæorum ſtirpe, nā Apoſtoli, & quamplurimi alij ex eadem gente ſacerdotium illud nouum inierunt: ſed inſtituto, & ritu ſacrificandi longè alieno ab eo, quod proprium antè fuerat Iudæorum populo, atque ita proprium, vt nemo ex alio genere in illud munus aſſumi potuerit. Si ea ratione accipias, & interpretere Cyrilli ſententiam, nihil alienum videtur à textu, aut à rerum euentu. Sed adhuc aliam explicationem tentabo, quæ fortaſſe alicui & textum implere, & minùs impeditum habere curſum videbitur; quæ tamen ideo mihi probatur minùs, quia patrono caret; ſed ratio, ſi qua tamen vlla eſt, quæ pondus habeat, illi patrocinabitur.

Toto hoc capite, vt vides, de Eccleſiæ felicitate ſermo eſt, cuius tādem ea futura dicitur retributio, vt pro cinere corona, pro luctu pallium laudis eſſet reddendum. Quemadmodum Babylonij quondam habuerunt Hebræos vinitores, & agricolas, immò, & aliis grauioribus, & ſordidioribus miniſteriis addictos, qui tamen poſtea eandem viciſſim operam Hæbræis præſtitere, vt indicat Zacharias *cap.2.v.9. Poſt gloriam miſit me ad Gentes, quæ ſpoliauerunt vos, &c. Et erunt præda his qui ſeruiebant ſibi*: Sic in Eccleſiæ prouinciis à maiori alienorum potentia premebantur fideles, qui ſub Stephani necem à Hieroſolymis expulſi ſunt, & longo tempore tyrannorum violentia iactati. Quorum opera in rebus difficilibus vtebantur, vt lapidiciniis, arenariis, effodiendis metallis, aliiſque eiuſmodi duris, & ſeruilibus miniſteriis; & eorum bonis per vim, & iniuriam ablatis ſuos alebant, & inſolentes faſtus, & immoderatos luxus. Nunc futura ſignificatur fortuna ita conuerſa, vt alieni fidelibus ea præſtent, quæ ab eis olim per ſummam iniuriam exegiſſent. Quod mihi videtur dici poſſe citra vllam piarum aurium, & totius capitis offenſionem. Nam qui priùs duro ſeruorum miniſterio Chriſtianæ religionis ſtudioſos, & ſectatores alligarunt (quæ miniſteria pecorum paſtione, agrorum, vinearúmque aſſiduo, atque moleſto labore ſignificantur) quique illis commodis ad vitam neceſſariis ſpoliabant, eorundem paſcent pecora, & vineas colent, id eſt, ea obibunt miniſteria ſedulò, & alacriter, quæ ex vſu fidelium futura ſunt: & ſuas ipſorum opes eorum neceſſitatibus, aut etiam honoribus impendent. Quod multis locis explicarat antea, & ſtatim multò clariùs exponit, dum ſubdit, *fortitudinem Gentium comedes*. 43.

Quam expoſitionem omnino meo iudicio conuincit, quod proximè ſequitur, quod non video quomodo cum aliis ſententiis cohærere poſſit: *Vos autem ſacerdotes Domini vocabimini.* Cuius hanc eſſe puto ſententiam. Sicut Sacerdotes neque colebant agros, quia ſortem habebant nullam inter filios Iſrael, neque alebant pecora, ſed illa omnia quæ ex agrorum ſatu, aut paſtu pecorum ſperari poterant, ab aliis tribubus non ſolùm vltrò, & liberaliter, ſed etiam neceſſariò conferebantur; ſic etiam ſine vllo ſuo labore, qui priùs vexati fuerant duro miniſterio, & victus inopia laborarant, alentur ab aliis, apud quos eo loco erunt, quo apud Hebræos Leuitici ordinis ſacerdotes. 44.

[*Vos autem ſacerdotes Domini vocabimini, miniſtri Dei noſtri.*] Hieronymus eoſdem vocat *ſacerdotes* 45.

dotes, quos antè *vinitores*, & *agricolas* ſore dixerat; quod ſanè non niſi inuitus textus admittit: nam illud *autem* aliquid aduerſum indicat ab eo quod antecesſit. Quare iuxta ea quæ modò dicebamus, exiſtimo eam felicitatem Eccleſiæ promitti cui ſeſe priùs è Iudæo atque Gentili populo principes oppoſuerant, vt illi iidem, qui Eccleſiæ olim erant infenſi, iam per Euangelium, & fidem ad illam aggregati ſuppeditent neceſſaria omnia, eóque in loco, atque honore habeant, quos priùs habuere ludibrio, quo ſacerdotes antea habebantur apud Hebræos, qui ab illis & alebantur ſplendidè, & colebantur religiosè.

46. Prouerbiū. Neque mihi difficile eſt *ſacerdotis* nomen prouerbiali ſpecie ſumi pro eo cui à cætera multitudine maxima defertur obſeruantia; & cui optima quæque ex ſacrificiis reſeruari iubentur. Quod inde videtur eſſe natum, quòd illos Deus ſanctos eſſe voluit, maximéque tori commendatos populo, graui propoſito ſupplicio ſi quis in eos contumelioſus eſſe, aut iniurius auderet. *Deut. cap.* 17. *verſ.* 12. *Qui ſuperbierit nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, & decreto iudicis, morietur homo ille.* Et *Eccl.* 7. eundem penè haberi ſacerdoti honorem præcipit, ac ſibi ipſi: certè in iiſdem locis, eiſdem pene verbis honorem vtriuſque conſignat. *In tota anima tua time Dominum, & ſacerdotes illius ſanctifica in omni virtute tua; dilige eum, qui te fecit, & miniſtros eius ne derelinquas. honora Deum ex tota anima tua, & honorifica ſacerdotes.* Deinde quia illorum victui cumulatè ab aliis prouiſum eſſe voluit, aſcribique quod in frugibus, & aliis terræ prouentibus pinguiſſimum eſt. Lege *cap.* 18. *Num. verſ.* 12. Vbi ſic Deus ad ſacerdotem Aaron *Omnem medullam olei, vini, & frumenti, quicquid offerunt primitiarum Domino, tibi dedi.* Quod etiam obſeruatum eſſe inter Gentes, vt publica cura, aut publico horreo ſacerdotes alerentur, probat Abulenſis *in cap.* 47. *Geneſ.* ex facto Ioſeph, qui cùm aliorum poſſeſſiones emeret, redderétque Ægypti Regibus vectigales, immunes reliquit ſacerdotum agros. *Præter terram*, inquit, *ſacerdotum, quæ à Rege tradita fuerat eis, quibus & ſtatuta cibaria ex horreis publicis præbebantur.* Vide etiam Abulenſ. *in cap.* 18. *Deuter. q.* 1. vbi hoc idem tradit. Neque id ſolùm apud Ægyptios ſtatutum, vt ſacerdotes publicè alerentur, eorumque poſſeſſiones ab omni ſeruitute, atque onere eſſent immunes (vt præter Scripturam ſacram *Geneſ.* 47. docent Herodotus in Euterpe, & Diodorus *lib.* 2.) ſed etiam apud nationes alias, vt tradit Ariſtot. *Politicorum lib.* 8. citatus ab Abulenſ. *in Deuteron. ſupra.* Ex his puto in vulgarem ſermonem abiiſſe, vt quibus neceſſaria omnia ſuppeterent nullo ſuo labore, ſed liberalitate, aut obſequio aliorum, apud quos primo eſſent loco, *ſacerdotes* dicerentur. Quod non negat, ſed indicat potiùs locus, quem nunc verſamus; in quo illi quibus ſecunda omnia à propheta nunciantur, non dicuntur futuri, ſed dicendi *ſacerdotes, & miniſtri Dei.* Exiſtimo autem Hebræorum more hîc ſubaudiendam eſſe ſimilitudinis notam; quaſi dicas *Vos autem tanquam ſacerdotes Domini.*

47. Qui nobiles eſſent, & principes, ſacerdotes dicti. Exod. 19. Id verò non ſolùm mihi probabile ſed penè certum facit, quòd qui in Scriptura ſacra ſacerdotes nullo modo fuerunt, ſed principes apud ſuos in ordine profano, & laico, *ſacerdotes* vocantur, aut *quaſi ſacerdotes.* Quod notauit Abulenſ. *in* 1. *lib. Paralip. cap.* 18. *in fine*, & Caietanus in illud *Exod.* 19. *Et vos eritis mihi in regnum ſacerdotale.* Et clariùs Fonſeca in marginali nota ad illum locum Caietani: Vterque ſacerdotale regnum nobile interpretantur, non ſacrum. Eodem credo modo Caietanus exponeret illud Petri *epiſt.* 1. *cap.* 2. *verſ.* 9. *Vos autem genus electum, Regale ſacerdotium, gens ſancta.* 1. Petri c. 2. Quia ſine dubio ad locum Exodi reſpexit Petrus, vt facilè ſibi perſuadebit, qui vtrumque locum attentè contulerit. Certè Caietani ratio in vtrumque locum idem habet momentum. Neque enim ſacerdotes Reges fuerūt; Et verò hæc promiſſio non tantùm tribubus Iuda, & Leui, ex quibus Reges, & ſacerdotes prodierunt, ſed omnibus omnino tribubus facta eſt. Quare in *regno*, & *ſacerdotio*, ſeu in *regno ſacerdotali*, vt eſt *Exod.* 19. aut in *Regali ſacerdotio*, vt eſt *apud Petrum*, vita intelligitur, quam alij venerentur, & ſuſpiciant: & quæ rebus omnibus, non modò ad neceſſarios vſus, ſed etiam ad dignitatem, & delicias abundet. In quam ego ſententiam vehementer inclino. Immò & ſuſpicor in eundem ſenſum explicandum eſſe illud *Apoc. ca.* 1. Apoc. 1. *verſ.* 6. *Qui dilexit nos, & lauit nos a peccatis noſtris in ſanguine ſuo, & fecit nos regnum, & ſacerdotes.* Et clariùs *cap.* 5. vbi de his ſermo eſt, qui iam cum agno exultant in cœlis; ibi enim Ioannes vidit viginti quatuor ſeniores ante agnum, qui cantabant. *Redemiſti nos Deo in ſanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & feciſti nos Deo noſtro regnum, & ſacerdotes.* Hi verò cùm ex communi Patrum ſententia ſancti ſint, qui ex teſtamento veteri Chriſti anteceſſerunt aduentum, neque ſacerdotes tunc in cœlo ſint, neque in terra fuerint, quamcumque interpretum ſententiam ſequare, (vnum aut alterum excipio) fit ſatis veriſimile in *ſacerdotibus*, & *Regibus* ab illis viginti quatuor ſenioribus illas delicias, & honores ſignificari, quas ipſi redempti, atque abluti Chriſti ſanguine conſecuti ſunt.

Quòd verò *ſacerdotes* illi in Scriptura vocentur, qui tamen abeſſent longe à ſacerdotali miniſterio, docet Abulenſ. *ſupra*, quia filij Dauid *ſacerdotes* vocantur 2. *Reg.* 8. *verſ.* 18. *Filij autem Dauid ſacerdotes erant.* Sacerdotes verò propriè nullo modo eſſe poterant, quia non ex tribu Leui, cui tantùm ad altare, & ſacerdotale miniſterium aditus patebat. Neque textus ipſe obſcurè indicat, qui poſtquam de illis egit, qui verè, & propriè erant ſacerdotes, filiis Dauid idem nomen attribuit. Quaſi diceret, eodem habitos eſſe loco, quo ſacerdotes illi, de quibus paulò antè. *Sadoc filius Achitob, & Achimelech filius Abiathar erant ſacerdotes, & Saraias ſcriba; Banaias autem filius Ioiada ſuper Cerethi, & Phelethi: filij autem Dauid ſacerdotes erant.* Quod omnino declarat Septuaginta tranſlatio, quæ pro *ſacerdotibus* reddidit *αὐλάρχαι*, id eſt, *aulæ principes.* Sed conſtat id multò magis ex 1. *Paralip. cap.* 18. *in fine*, vbi cùm eodem ordine, filóque ſermonis ſuperiora texerentur, de filiis Dauid dicitur. *Porrò filij Dauid primi ad manum Regis.* Id eſt, vt ego interpretor, qui in Regia domo familiares erant Regi, & cum illo plurimùm verſabantur. A quo loco & ordine excidiſſe videtur Abſalom, cui edixit Pater 2. *Reg.* 14. *verſ.* 24. *Reuertatur in domum ſuam, & faciem meam non videat*: id eſt, non ſit mihi, vt antea, ſacerdos, aut inter primos ad manum.

48.

2. Reg. 8.

49. Quòd verò, qui apud Reges magno eſſent, atque familiari loco, *ſacerdotes* vocentur, alia etiam probant exempla. Nam 2. *Reg.* 20. *verſ.* 26. cùm 2. Reg 20. præceſſiſſet, *Sadoc verò & Abiathar ſacerdotes*, de quibus propriè loquebatur, deinde, quaſi de re diuerſa ſermo ſit, ſubdidit, *Iram autem Iairites erat*

ſacerdos Dauid, id eſt, vt communiter Doctores, à ſecretis, ſiue à commentariis, aut apud illum princeps. Et 3. *Reg.* 4. *verſ.* 9. cùm iidem qui ſuprà ſacerdotes præceſſiſſent Sadoc, & Abiathar, ſtatim ſubiicitur. *Zabud filius Nathan ſacerdos amicus Regis*, vbi communiter Doctores principem, aut intimum exponunt, ſicut de filiis Dauid omnes penè quotquot ego videre potui.

50. Ex his mihi pluſquam veriſimile eſt *ſacerdotes* hoc loco pro illis ſumi, qui & ipſi magni ſunt, quibúſque alij operam, victum, & obſequium præſtant, ſicut Hebræi Leuitico ſacerdoti; aut qui præcipuo ſunt loco apud Regem, & illi valde familiares, quos Hiſpani dicũt *de la Camara*, vel *de la llaue dorada*. Quare ſenſus erit, in ea rerum viciſſitudine, ô filij Iſrael, quæ veſtræ fortunæ mutationem ſequetur, eritis apud homines eo loco, quo ſacerdotes apud Hebræos, & ea in gratia apud Deum, quam habent qui cum Principe aſſiduè, & familiariter verſantur. Et quemadmodum filij Dauid dicuntur ſacerdotes, & primi ad manum Regis, ſic vos ſacerdotes eritis, & primi ad manum Domini.

51. Quòd verò additur, *Miniſtri Dei noſtri*, eodem ſpectat: nam ſicut Iram & Zabud, de quibus nuper, miniſtri erant, alter Dauidis, alter Salomonis, qui faciem videbant Regiam, & qui intimam Regibus, & magnis de rebus operam præſtabant; ſic etiam hi apud Deum eodem erunt loco, & non vulgare illi obſequium impendent. Porrò vtroque loco ſubaudiendam puto ſimilitudinis notam, quaſi dicas *ſicut miniſtri*, & *ſicut ſacerdotes*, quod vſitatum, & penè familiare Hebræis eſt.

52. [t] *Miniſtri Dei noſtri dicetur vobis.*] Idem eſt, ac dicemini miniſtri. Eſt hic vſitatus dicendi modus, non ſolùm apud Hebræos, ſed etiam apud Latinos, vt verba ſumantur, ſicut Logici dicunt, materialiter, & ab hiſtorico eodem modo dicta narrentur, quo ab alia perſona dicta ſunt. Sic Chriſtus *Ioannis* 13. *Vos vocatis me Magiſter, & Domine.* Et *Ier.* 22. *verſ.* 18. *Non plangent eum, va frater, & va ſoror; non concrepabunt ei va Domine, & va inclyte.* Id eſt, cùm mecum agitis, hoc me vocatis modo, *ô Domine*, *ô Magiſter*: & in planctu ſolemni lamentatione de mortuo dicitur *ô frater*, *ô ſoror*, *ô domine*, *ô inclyte.* Sic ergo his, qui ſacerdotes futuri traduntur, dicetur ab illis, qui ipſos ſalutabunt, *ô miniſtri Dei noſtri.* Eſt itaque illud *miniſtri Dei noſtri* in vocandi caſu.

53. [u] *Fortitudinem Gentium comedetis, & in gloria eorum ſuperbietis.*] *Fortitudo* ex vſu Scripturæ pro diuitiis ponitur, & aliis vitæ ſubſidiis, atque ornamentis, vt habes *cap* 60. *verſ.* 5. *Fortitudo Gentium venerit tibi.* Et *verſ.* 11. *Et afferatur ad te fortitudo Gentium.* Et *Ezechiel. cap.* 28. *verſ.* 4. & 5. *In negotiatione mutaſti tibi fortitudinem.* Quid verò ſit *ſuperbire*, *cap.* 60. explicuimus ad illud. *Ponam te in ſuperbiam populorum.* Vbi oſtendimus hoc verbo non ſignificari tantùm tumorem, & faſtum, aut id quod futilem & inanem ambitionem ſonat, ſed excellentiam & ſplendorem, ac ſi dicat; Gentes, quæ abs te quondam alienæ fuerant, ea conferent in te meliori iam animo, quibus ſupra omnes ſplendeas, & lauta videaris.

54. [x] *Pro confuſione veſtra duplici, & rubore, laudabunt partem ſuam.*] S. Thomas, & Hugo, vt cætera, hæc quoque ad tempora accommodant Babylonica. Sanè obſcurus eſt hic locus propter ſubitam perſonarum mutationem. Nam cùm à ſecunda perſona orſus eſſet ſermo, ad tertiam euaſit. Hieronymus duplicem confuſionem paſſos fuiſſe dicit, primos, id eſt, veros Iſraëlitas, qui primùm venerunt in Eccleſiæ unum, & quòd a vera religione deerrarunt Iudæi, & quòd Gentes idolorum ſe ſordibus contaminarunt. Sed pro hac cõfuſione & mœrore ſuccedet gemina lætitia. Nam vſque adeò vterque populus auidè Chriſtiana ſacra ſuſcipiet, vt partem, quæ ſibi à Dei liberalitate contingit, amet, laudétque vſque adeò, vt nihil, aut habeat, aut deſideret potius. Hæc verò Gentium alacritas, & de tanto bono gratulatio, & gaudium compenſabunt abundè confuſionem, & ruborem, quod fideles, & ſancti ante hanc rerum viciſſitudinem paſſi ſunt. In hanc penè ſententiam Hieronymus, Haymo, Adamus, & Dionyſius. Illud *laudabunt* S. Thomas ad vicinos refert populos, qui partem, & felicitatem Apoſtolorum, & eorum, qui confuſionem illam duplicem pertulere, laudant, quia omni ex parte cumulatam eſſe vident. Hugo & Fureirus parum abeunt à Hieronymi ſententia, & putant hic eſſe metaplaſmum, id eſt, perſonarum mutationem. Cùm enim dicere clariùs potuiſſet propheta, ſi attemperaſſet ſtylum ad Latinorum morem, *Pro confuſione veſtra duplici, & rubore laudabitis partes veſtras*, iuxta patrij ſermonis idioma, quod ſæpe has permutationes adhibet *laudabunt* dixit, &, *ſuam*.

55. Hæc quidem pro loci obſcuritate acutè, & piè; ſed vt verum fatear, non video quomodo hæc à tantis auctoribus ſic explicata aptè cohæreant, & non potiùs à textu violenter trahantur. Et vt verum ſit apud Hebræos ſæpe fieri perſonarum mutationes, vt in hoc propheta non ſemel, ſed non adeò durè; & quæ deinceps ſuccedunt, non facilè eodem filo connectuntur. Quare aliquid ego hic addam nouum quidem, & ideo minùs libenter, quod an ad rem accommodatè, expendet lector.

56. Et primùm de vulgato textu nihil muto, ſed quod ſalua ipſius religione fieri poteſt, aliter diſpungo, atque alij communiter: in quo mihi videor aptam totius capitis conſecutionem aperuiſſe. Sic ergo obſcuram hanc clauſulam, & implexam diſpono. *Fortitudinem Gentium comedetis, & in gloria eorum ſuperbietis, pro confuſione veſtra duplici, & rubore.* Hac tantula diſtinctione magnæ meo iudicio diſcutiuntur tenebræ. Redditur quippe ratio ſæpius ab Iſaia producta, cur ad Eccleſiam illa Gentium medulla ſeu fortitudo ventura ſit, quia nempe priùs grauem confuſionem, & ignominiam pertulit. Iam reliqua, quàm expedito decurrant gradu ſine vlla permutatione perſonarum, aut rerum confuſione, nemo non videt. Quid ſit *confuſio duplex* diximus ſuprà *cap.* 40. ad illud *Suſcepit de manu Domini duplicia.* Eſt autem *duplex*, quod in ſuo genere magnum eſt, & vehemens.

57. [y] *Laudabunt partem ſuam.*] Hæc ad alienos refero, & filios peregrinorum, qui omnia ſua libenter Eccleſiæ religioſo cultui, & ornamento conſecrabunt; Qui bene ſecum actum eſſe ſtatuent, laudabúntque partem, id eſt, ſortem ſuam, quòd illa Deus ad ſui honorem, Eccleſiæque inſtructum, atque lautitiem admittere voluerit. Illud porrò *laudabunt*, promptum, & hilarem animum oſtendit, quo ſuis ſe bonis ſpoliabunt Gentes, quò illis ornetur & ſplendeat Eccleſia. Et quoad hanc partem idem nobiſcum ſentiunt Hieronymus, Haymo, Adamus, & alij non pauci. *Partem eorum* pro *partem ſuam* adhibuit vulgatus. Quod ſæpe facit vt diximus *cap.* 25. *num* 41. quia affixum tertiæ perſonæ apud Hebræos pronomen eſt tam ſimplex, quàm reciprocum.

[z] *Propter*

58. [z] *Propter hoc in terra ſua duplicia poſſidebunt.*] De Gentibus hic ſermo eſt, quæ Eccleſiam vehementer afflictam, & omni ornamento nudam impensè ornarunt, & conſolatæ ſunt. Et quemadmodum Eccleſiæ primogenitæ duplicem, id eſt, ingentem confuſionem aut ſuſtulerunt, aut eleuarunt, ſic ipſi duplicia, id eſt, ingentia bona in terra ſua poſſidebunt. Quæ ſit iſta terra, vbi ingens parata dicitur poſſeſſio, dubium eſt. Ego de terrena poſſeſſione capio, quam etiam in hoc ſæculo à Domino recipient, qui bona ſua, & commoda ſuo detracta genio, atque vſui Deo conſecrarunt. Quibus non ſolùm duplicia, ſed etiam centuplicia Chriſtus promittit, *Matth.cap.*19. & clariùs *Marci ca.*10.*verſ.*29. *Nemo eſt qui reliquerit domum, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me, & propter Euangelium, qui non accipiat centies tantum nunc in tempore hoc, domos, & fratres, & ſorores, & matres, & filios, & agros cum perſecutionibus, & in ſæculo futuro vitam æternam.* Videtur autem Chriſtus reſpexiſſe ad hunc Iſaiæ locum, vbi non in futuro ſolùm, ſed etiam in præſenti ſæculo præmium promittit. Scio pleriſque videri terram illam in qua duplicia promittuntur bona, eſſe beatorum patriam; quod ego non improbo: Sed puto veriſimilius, priorem hanc partem, ad hæc inferiora, atque humana commoda pertinere; poſteriorem verò, id eſt *lætitiam ſempiternam*, ad ſuperna & cæleſtia. Neque parum fauet illud *in terra ſua*, quæ inferiorem hanc regionem hominum habitationi deſtinatam videtur indicare. Ita vt *in terra ſua* idem ſit apud Iſaiam quod apud Marcum ſuprà, *nunc in tempore hoc*,

59. [a a] *Lætitia ſempiterna erit eis.*] Nempe alienis & peregrinis, quos diuini nominis amor, & obſeruantia illis nudauit ornamentis, quæ tam amabant antea, & tanto quæſierant, ac tam impenſo ſtudio. Vt enim Deus confuſionem, & ruborem ſuorum tam illuſtribus Gentium donis compenſauit: Sic Gentium tam effuſam liberalitatem, & ſtudium lætitia cumulauit ſempiterna.

60. [b b] *Quia ego Dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam in holocauſto.*] Hæc non video quomodo cum aliorum explicatione conciliari poſſint, niſi admodum contortè; in noſtra verò perquam bellè. Reddit enim hic Dominus rationem cur lætitia ſempiterna cumulet Gentes, quas ſic affecit, & inflammauit religio, ſic nudauit pietas: tum quia cùm diligat iudicium, & æquitatem, non patitur quicquam eſſe non muneratum: Deinde quia hæc dona quæ à libente populo oblata ſunt, grata habet, & accepta, quia rapinam in holocauſto odit, id eſt, id quod inuito aliquis animo, & quaſi coactus offert. Nam id quaſi per vim, & rapinam ablatum videri poteſt. Aut certè quia non vt Phariſæi, qui aliena offerunt, quæ per fraudem, & aſtum à viduis, & pauperibus extorquent, ſed ſua, ſeque ipſos vltrò atque ex animo largiuntur.

61. [c c] *Et dabo opus eorum in veritate, & fœdus perpetuum feriam eis.*] Hæc refero ad illud, *Propter hoc in terra ſua duplicia poſſidebunt: lætitia ſempiterna erit eis*, id eſt, vt nuper explicui, ad ſempiterna, & temporaria bona. In hunc ſenſum. Quia ipſi tam in me liberales fuerunt, vt ſe, ſuiſque rebus Eccleſiam ornauerint, & legibus, atque conſiliis ſubiecerint Euangelij, ego quoque liberali manu mercedem rependam, non ad exigui moram temporis, ſed quæ firma ſit, & ſtabilis, nempe in *veritate*. Veritas autem ex vi notationis Hebraicæ firmitatem ſonat. Quod declarat aliquantò magis quod mox additur de perpetuo fœdere, quo æterna ſignificatur operis impenſi merces. Et quod ad temporariam mercedem attinet, illa quoque ſtabilis erit, atque perpetua; quia ad finem vſque ſæculorum, qui humana commoda ſubiecerit Euangelio, duplicia etiam recipiet in hoc ſæculo. Hic obſerua *opus* & *laborem* & ſimilia in Scriptura ſacta ſumi pro operis aut laboris mercede, vt docuimus *cap.*32. *num.* 38. Eſt ergo ſenſus *Dabo mercedem eorum verã, & ſtabilem.*

62. [d d] *Et ſcient in Gentibus ſemen eorum, & germen eorum in medio populorum.*] Sicut *nobilis* dicitur, qui inter alios eminet, & inſigni aliqua nota a reliqua multitudine ſeparatur, qua obſcurus, atque ideo ignotus eſſe desinit; ſic etiam *ſciri*, aut *cognoſci*, eſt nobilem, & inſignem eſſe, & inter alios aliquo nomine, aut titulo conſpicuum. Quod dicendi genus inter profanos quoque vſitatum eſt, apud quos *latere*, & *ignorari* eſt ignobilem eſſe, atque vnum è turba. Vnde illud tritum, *ama neſciri*, id eſt, ne alta petas, aut caput inter alios attollere ſtudeas. Ex his facilè intelligitur quid ſit *ſciri in Gentibus*, id eſt, nobilem eſſe, & talem, quem homines norint, & quaſi aliquid ſingulare, & eximium digito demonſtrant. Iteratur autem hic eadem ſententia per epexegeſim, idem eſt enim *ſemen in Gentibus*, & *germen in medio populorum.*

63. [e e] *Quia iſti ſunt ſemen, cui benedixit Dominus.*] Sic Deus amplectetur, ornabitque pium, ac liberalem populum, vt omnes in illo videant euidentiſſima ſingularis beneuolentiæ documenta, qualia nimirum ſpectari poſſunt à Dei benedictione. Porrò ſicut in maledictione Dei grauiſſima ſignificantur incommoda, ſic in benedictione contrà bonorum omnium affluentia. *Semen* autem pro genere, aut ordine hominum ſumi, ſatis compertum eſt.

64. Hæc mihi probabiliter dici poſſe videntur, & ſine vlla offenſione, filo continenti, & facili; alia, quamuis vera ſint, quod mihi ideo perſuadeo, quia pluribus placent, ego tamen non ita intelligo, vt in eis meus acquieſcat animus: quod ideo fortaſſe eſt, quia magnorum ingeniorum acutam cogitationem, & ſublimia ſenſa non capit. Quare qui plura in aliam ſententiam volet, eius adeat auctores, qui ad manum ſunt, neque enim ego, quod illorum cogitatis adiiciam, aliquid habeo, quod magni interſit.

65. [f f] *Gaudens gaudebo in Domino: & exultabit anima mea in Deo meo.*] Hactenus Chriſtus ſe liberalem fore promittit Eccleſiæ, quam Regum medulla paſcet, & eorum deliciis ad ſuperbiam vſque ſæculorum ornabit. Nunc Eccleſia inducitur, quæ amat pronam hanc, & effuſam Domini voluntatem, & officium tantum amplexata profitetur oratione, vt ego arbitror, ſolemni, & quaſi legitima, & onerari ſe cæleſtibus donis, & exultare, quòd in Dei ſinu, atque tutela ſit. Legitimam dico hanc gratulationis formam, quia in ſimilibus rerum euentibus ſæpius vſurpari video. Exempla alia omitto, vnum tantùm, aut alterum adducam. 1. *Reg.*2. Anna Samuele nato cecinit, *Exultauit cor meum in Domino.* Abacuc *cap.*3. *Ego autem in Domino gaudebo; & exultabo in Deo Ieſu meo.* Addam tertium quod erit inſtar mille, quod cecinit diuina pſaltria *Lucæ cap.* 1. *Exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.* Hic autem loquendi modus verum, & ſerium gaudium importat, quale eſt, quod Dominus impertit ſuis. Additur enim huic exultationi, aut gratulationi Dei nomen, quod rebus aliis admirabilibus atque

Certa gratulationis forma.

atque ingentibus adiungi ſolet. Vt *Magnus coram Domino*, *Montes Dei*, *Cedri Dei*, &c.

66. Neque mihi dubium eſt ab his verbis ad finem vſque capitis canticum eſſe, qualia Iſaias multa ſuæ prophetiæ inſeruit: quod Eccleſia cantat, & aucta tam illuſtribus ornamentis, & grata tot Domini beneficiis. Quod ſuadet materia quæ apta eſt poëticis numeris, & forma verborum, quæ Hebræorum hymnis, & canticis familiaris eſt. Vt enim cuilibet animaduertere promptum eſt, quidquid reliquum eſt capitis, perpetua quadam conſtat epexegeſi, quæ eandem explicat, iterátque ſententiam. Hæc verò extra poëticos numeros rarò, in illis quàm ſæpiſſimè reperitur. In hac clauſula manifeſta epexegeſis eſt, quia in poſteriori hemiſtichio loco pronominis *ego*, quod in *gaudebo* ſubauditur, ponitur *anima mea*, qua vocum coniunctione, vt alibi à nobis dictum eſt, animal circumſcribitur, vt *anima hominis*, pro homine, *anima iumentorum*, pro iumentis.

67. g g *Quia induit me veſtimentis ſalutis, & indumento iuſtitiæ circumdedit me.*] Hîc aperta eſt epexegeſis. Significat Eccleſia quo in loco ſit apud Deum, quem tam habet liberalem, & beneuolum, eo nempe quo ſponſus habet, quam impensè amat vnicam ſponſam. Qua ſimilitudine conſtantiſſimus amor, & ardentiſſimus exprimitur. Eſt autem vſitatum in nuptialibus ſacris vt ab ſponſo ſuo accipiat ſponſa nuptiales delicias & ornamenta, vt *cap.* 1. *Canticorum* liquet, vbi nos ea de re pluribus. *Veſtimentum ſalutis*, idê eſſe exiſtimo, quod triumphale, aut nuptiale. Nam *ſalus*, vt *cap.* 60. diximus ad illud, *Occupabit muros tuos ſalus*, victoriam ſignificat, & laudem: ab illa veſtimentum hoc *triumphale*, ab hac *nuptiale* vocari poteſt. Quia ſponſa de ſe in nuptiali, & geniali pompa laudes audit à ſponſo, & ſponſa viciſſim ſponſi laudes cantu proſequitur. Aut certè *ſalus* pro pace ſumitur. Tunc verò *veſtimentum ſalutis* illud erit, quod homines in pace, atque in otio geſtant: neque enim tunc accincti ſunt gladio, onerati lorica, tecti galea, ſed lenioribus ornamentis induti, magíſque ad capiendas commoditates ex victoria, quàm ad ſubeundas belli moleſtias. Qualibus induebantur Romani pacis tempore, qui abiecta chlamide, & ſago togam aſſumebant.

68. De veſtimentis iuſtitiæ, ſi corticem ſpectemus, res eſt obſcurior. Ego hîc, quia vt in ſuperiori verſu epexegeſim eſſe arbitror, quæ ſuperiorem ſententiam continet, & explicat, ſenſum proprium odorari mihi videor. Dixerat paulò antea Deus, Ego Dominus diligens iudicium, & ideo affirmarat daturum ſe lætitiam ſempiternam his, qui ad ipſius cultum, optima quæque, imò & omnia bona ſua contulerant. Id ergo nunc Eccleſia (id eſt fideles, qui ex vtroque populo Euangelium complexi ſe, ſuáque Deo conſecrarunt, eiúſque cauſa quamplurima pertulerunt incommoda) canit ſibi à Domino abundè eſſe repenſum; & veſtimentum ſibi datum à Deo, *veſtimentum* appellat *iuſtitiæ*, quia à iuſto Domino, & merita ſpectante traditum eſt. Illud verò veſtimentum ſalutis erat, id eſt pacis, & tranquillitatis ornamentum. Dicitur ergo *indumentum pacis* ſeu *ſalutis*, quia paci ſeu quieti idoneum; *iuſtitiæ* autem, quia meritis à iuſto, & iudicij amante iudice conceſſum. In eum credo ſenſum dicitur *Pſalm.* 131. *Sacerdotes tui induantur iuſtitiam, & ſancti tui exultent.* Vbi quia ſimilis videtur epexegeſis, qui priùs dicuntur induendi iuſtitiam, eiſdem ſta- A tim dicitur exultandum, quaſi idem ſit iuſtitiæ, atque exultationis indumentum.

Neque hîc omittendum, quod Hieronymus indicat in commentariis, in *veſtimentis ſalutis* Chriſtum intelligi, qui iuxta ſui nominis notationem ſalus eſt, id enim valet *Ieſus*. Et ad hunc locum alluſum eſſe putat à Paulo, cùm *ad Galat.* 3. *verſ.* 27. ſic ad Gentes loquitur: *Quicumque enim in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Idem etiam Chriſtus veſtimentum nobis iuſtitiæ eſt, cùm illum induimus. 1. *Corinth.* 1. *verſ.* 30. *Qui factus eſt nobis ſapientia a Deo, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio.* 69.

h h *Quaſi ſponſum decoratum corona: & quaſi ſponſam ornatam monilibus.*] Sunt qui hæc verba Chriſto aſcribenda putent, qui idem ſponſus ſit, & B ſponſa, in quibus ſunt Auguſtin. *tom.* 1. *ſermon.* 1. *de eo quod Dominus interrogauit Iudæos, cuius filium dicerent eſſe Chriſtum.* Et *epiſt.* 120. *ad Honoratum*, & *lib.* 3. *de doctrina Chriſtiana cap.* 31. Origen. *in cap.* 26. *Geneſ.* Tertullian. *lib.* 4. *contra Marcionem*, *cap.* 11. Cuius rei varias afferunt cauſas, quas nos omittemus, vnam tantùm illarum attuliſſe contenti. Hæc verò grauior ex textu Hebraico videtur ſumi poſſe, quem ad verbum ſic licebit exponere, *Sicut ſponſum fecit me ſacerdotem, ſeu ſacerdotauit me corona ſeu mitra: & ſicut ſponſam ornauit me monilibus, ſeu ornamentis, nempe genialibus*, quo ferme modo vertunt Tigurina, & Pagninus. Ex ea voce *ſacerdotauit*, ſeu *ſacerdotem fecit*, Hebr. יְכַהֵן *iechaen*, nonnulla C coniectura ſumitur, vt opinemur hæc dicta fuiſſe de Chriſto, cui ſacerdotis, & ſponſi nomen perquam bellè conuenit. Sed ſane hæc coniectura non admodum premit: nam, vt paulò antè diximus, Sacerdotis nomen, non ſemper ſacrum aliquid ſonat, & cultui, cæremoniíſque ſactis deſtinatum, ſed nobile, excelſum, delicatum, quódque alij ſuſpiciunt, & admirantur. Quo ſenſu filij Dauid, & alij, quibus tam Dauid ipſe, quàm Salomon familiariter vtebantur, cùm ſacerdotes non eſſent, ſacerdotes tamen appellantur. Ait ergo Eccleſia, eo ſe ornatam modo, atque eo loco atque deliciis habitari, in quibus ſacerdotes haberi ſolent, quorum veſtis illuſtris eſt, & mirifica in eos ab aliis obſeruantia.

Hieronymus, & Haymo hæc Eccleſiæ tribuunt, 71.
D in qua tamen duos videt ſtatus, & duo hominum genera, alterum infirmum, & imperfectum, qualis eſſe ſolet in infantia, quæ mollis eſt, & tenera, neque dum ad perferendas duras Euangelij crucíſque vias ſatis confirmata. Alterum iam robuſtum, & vegetum, quem neque ardua retardent, neque aſpera debilitent, neque frangant aduerſa. Secundùm illam priorem partem in fœmineo genere Eccleſia nominatur ſponſa, quia in muliebri pectore minus eſt roboris, minus ſpiritus, & minus audaciæ. Secundùm poſteriorem ſponſus dicitur in genere virili, quia nihil in eo languidum, nihil exiguum, & imbecillum eſt. Accommodatè ad horum naturam prioribus, id eſt, virili conſtantia præditis coronam attribuit, quæ munerare ſolet robuſtorum victo- E rias; poſterioribus verò monilia; quæ magis ad infirmi ſexus delicias faciunt, quàm ad virilis animi robur, & conſtantiam. Adducítque duplicis illius, ſiue ætatis, ſiue conditionis teſtem Paulum, qui cùm eſſet incipiens & paruulus, dicíque poterat ſponſa, ornatíque monilibus, aiebat 1. *Corinth.* 13. *Cùm eſſem paruulus, loquebar vt paruulus, cogitabam vt paruulus.* Cùm autem eſſet iam grandior, atque perfectus, vocaríque maſculino genere poterat ſponſus, dicebat 1. *ad Timoth.* 4. *Bonum certamen certaui*,

certani,&c. repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ.

72\. Alij, in *ſponſo*, & *ſponſa*, quorum ſingularis, & penè propria pulcritudo eſt, & genialis plauſus, & lætitia, Eccleſiam agnoſcunt, quam Dominus ſic eſt amplexus, ſic exornauit, ſicut in nuptialibus ſacris ornari noui coniuges ſolent: quorum ea eſt elegantia, atque ſplendor, vt & ipſi cum oriente Sole, atque aurora conferantur. *Cant.6. Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulcra vt Luna, electa vt Sol*; Et contrà Solis ſplendor cum ſponſi pulcritudine, & elegantia. *Pſalm.*18. de Sole, *& ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo.* Et quidem Eccleſiam *ſponſam* dici *Chriſti* communis eſt ſententia omnium ferme, qui in Cantica commentarios ediderunt: & docet Paulus *ad Epheſ.5. verſ.25. Viri diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam.* Et v.28. *Qui ſuam vxorem diligit, ſe ipſum diligit; nemo enim vnquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit, & fouet eam, ſicut Chriſtus Eccleſiam.*

73\. Neque mihi difficile eſt ſermonem hic eſſe præcipuè de Eccleſia è Gentibus collecta, id eſt, de peregrinorum filiis, & alienis, quibus, quia tam liberali manu in Eccleſiam ornamenta ſua contulerunt, Dominus illa promiſit dona, quorum nuper meminimus. Certè ſponſam illam, de qua in Canticis, Gentilem eſſe, & ad Iſraelitticam familiam, & genus aduocatam, vt in noſtris commentariis oſtendimus, ex Patribus multi docuere. Hieronymus *epiſtol. ad Euſtochium*, S. Thom. in illud *Cantic.3. In lectulo meo.* Origenes *homil.2. & 4. in Cantica in principio.* Theodoretus in illud *cap.7. Quàm decora, & ſuauis.* Tertullian. *lib.4. contra Marcionem, cap.*11. Vbi hunc Iſaiæ locum de Eccleſia ex idololatris congregata videtur accipere.

74\. Quòd Eccleſia vtroque genere modò *ſponſus* dicatur, modò *ſponſa*, eo conſilio factum eſſe credo, vt maior Eccleſiæ pulcritudo, & dignitas exprimatur, quæ non ſatis alterutro ſignificari poſſe videbantur. Quandoquidem in ſponſa multa ſunt honeſta, ſpecioſa, & varia tam in mundo muliebri, quàm in naturali forma, quæ in ſponſo non ſunt: multa contrà in ſponſi ſiue forma, & ingenio, ſiue externo cultu atque elegantia, quæ in ſponſa, quantumuis regiè, atque eleganter inſtructa non inuenies. Ideo ſponſi, atque ſponſæ delicias atque ornamenta coniunxit, ne quid vllus in Eccleſia Dei ad dignitatem & ſpeciem requireret. Inter alia verò plurima, quæ in viris quaſi propria vt nomen ipſum docet, cognoſcimus, & experimur, quæque ſponſæ vulgares habent perquam rarò; conſtantia eſt, & robur ad perferenda, quæ dura ſunt, & moleſta, & animus alacer, & promptus ad ſuſcipienda. Quæ tamen omnia habere ſe dicit Eccleſia à Chriſti liberalitate, vt ſpecioſa ſit, quod pleræque ſponſarum habent, & fortis, quod habent non niſi pauciſſimæ; quarum procul, & de vltimis finibus pretium eſt. Hoc verò de Eccleſia canit puellarum chorus, *Cantic.6. Quæ eſt iſta quæ progreditur, quaſi aurora conſurgens; pulcra vt Luna, electa vt Sol, terribilis, vt caſtrorum acies ordinata.* Cùm explicationes aliæ non diſpliceant, in hanc poſtremam ego libentiùs inclino.

11 *Sicut enim terra profert germen ſuum, & ſicut* 75.
hortus germen ſuum germinat, ſic Dominus Deus germinabit iuſtitiam, & laudem coram vniuerſis Gentibus.] Terra ſub hyemali glacie rigente cœlo ſterilis eſt; at vbi mitior eſt aura, & iam ſub vernum tempus intepeſcens herbeſcit ager; & ſuauiſſimo florum veſtitu coopertus ridet, & quodammodo luxuriat. Deſertus priùs erat, ac ſterilis Gentium ager, vt antea dixerat non ſemel propheta; ſed vbi mitior afflauit aura, & cœleſtis imber pleniùs ſtillauit, germen protulit ſpecioſum, & varium, ita vt vniuerſæ Gentes tam ſubitam, tam admirabilem mutationem obſeruare potuerint. Fuit autem germen illud *iuſtitiæ*, & *laudis*. *Iuſtitia* quidem, quia gens, quæ priùs impiè ad idolorum altaria ſupplicabat, præcépſque in ſtulta, atque væſana conſilia ferebatur, iuſtitiam coluit, illámque auidiſſimè, conſtantiſſiméque complexa fructus edidit ex ea radice nobiliſſimos. *Laudis* verò, quia & digna laudis opera ſuſcepit, & illa geſſit, propter quæ ab vniuerſis Gentibus laudari meruerit. Eſt autem vſitatum in Scriptura ſacra, vt magna rerum abundantia ſignificari ſoleat ducta ab agrorum germine ſimilitudine, maximè ſi ſubita eſt, aut inſperata fœcunditas. Nam cùm ager paulò antea nudus appareat à naturali herbarum veſtitu, vtpote conſtrictus hyemali frigore, ſolutus poſtea tepore mitioris auræ repentè germinat, & diffundit herbas, & multitudine infinitas, & varietate viſendas. Quare ingens ille numerus filiorum Iſrael, qui breuiſſimo tempore propagatus eſt, eadem explicatur ſimilitudine *Exod. cap.1. Filij Iſrael creuerunt, & quaſi germinantes multiplicati ſunt. Iob 5. v.25. Quoniam multiplex erit ſemen tuum, & progenies tua ſicut herba terræ. Ezechiel.16. verſ.7. Multiplicatam quaſi germen agri dedi te.*

Argumentum ſexageſimi ſecundi capitis Iſaiæ.

OPTAT *primùm propheta vtriuſque Sionis tàm figuratæ, quàm propriæ libertatem; neque vnquam ſibi à precibus, & clamoribus ceſſandum dicit; donec à redemptore Chriſto ſalus adueniat. Deinde quanta futura ſit vtriuſque Sionis in illa rerum viciſſitudine felicitas declarat, hortatúrque eos, qui cum Deo agunt familiariùs; vt precibus inſtent, vrgeántque Dominum, vt expetitum illud redemptionis opus maturet. Ad extremum quàm certa futura ſit vtriuſque Sionis pax, & tranquillitas, ex eo perſuadet; quia Deus, cuius fides fallere non poteſt, id ipſum interpoſito iureiurando confirmauit.*

CAPVT

CAPVT LXII.

1[a] *PRopter Sion non tacebo, & propter Ieruſalem non quieſcam, donec egrediatur vt ſplendor iuſtus eius,*[b] *& ſaluator eius vt lampas accendatur.*

2[c] *Et videbunt Gentes iuſtum tuum, & cuncti Reges inclytum tuum:*[d] *Et vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit.*

3[e] *Et eris corona gloria in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui.*

4[f] *Non vocaberis vltrà Derelicta: & terra tua non vocabitur ampliùs Deſolata;*[g] *ſed vocaberis*[h] *Voluntas mea in ea,*[i] *& terra tua Inhabitata:*[k] *quia complacuit Domino in te: & terra tua inhabitabitur.*

5[l] *Habitabit enim iuuenis cum virgine, & habitabunt in te filij tui.*[m] *Et gaudebit ſponſus ſuper ſponſam, & gaudebit ſuper te Deus tuus.*

6[n] *Super muros tuos, Ieruſalem, conſtitui cuſtodes: tota die & tota nocte in perpetuum non tacebunt.*[o] *Qui reminiſcimini Domini ne taceatis,*

7 *Et ne detis ſilentium ei,*[p] *donec ſtabiliat, & donec ponat Ieruſalem laudem in terra.*

8[q] *Iurauit Dominus in dextera ſua, & in brachio fortitudinis ſuæ:*[r] *Si dedero triticum tuum vltrà cibum inimicis tuis: & ſi biberint filij alieni vinum tuum, in quo laboraſti.*

9 *Quia qui congregant illud, comedent, & landa-*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 QVIA valde Sionis intereſt Saluatorem aduenire, qui promiſſa, atque expectata compleat, ideo neque intermittendus, aut remittendus mihi clamor eſt, donec iuſtus adueniat, qui Solis inſtar, aut accenſæ lampadis, & tenebras expellat è mundo, & mœrentes animos exhilaret.

2 Videbunt aliquando, ô Sion, Gentes iuſtum, & Saluatorem, qui ex te, de genere Dauidico naſcetur, & omnes Reges inclytum illum Regem Regum intuebuntur, quem tuo tibi iure filium poteris appellare tuum. Et quia nouus erit ſtatus, nouum quque nomen habebis à Domino.

3 Coronaberis, ô Sion, corona ſplendenti, ſicut Regina, aut ſponſa coronari aſtolet, neque à Regno excides vnquam, aut è capite tuo diadema detrahetur; quia in manu ſeruabitur Domini, è qua vis nulla, aut calliditas eam extorquere poterit.

4 Longè alia erit appellatio deinceps, quàm quæ ad hoc vſque tempus. Non enim derelicta vocaberis, aut deſpecta: neque terra tua, aut commoratio vaſtata; Sed terra tua dicetur habitata, & frequens à numeroſo populo, & tu noua, & iucunda appellatione diceris, ciuitas quam amat, & in qua ſibi complacet Dominus. Quia hoc verè tibi à Domini benignitate continget.

5 Habitat quidem ſuauiter iuuenis cum ſibi deſponſata virgine; ſed multò ſuauiùs intra muros tuos viuent filij tui. Vitam agit iucundam ſponſus cum ſponſa; ſed longè maior erit illa voluptas, quam Dominus ex te capiet, ô Sion, quam ſibi ad puriſſimam thalami ſocietatem aſciuit.

6 Ne quid tibi, ô Sion, aduerſum, aut inopinatum accidat, ſuper muros tuos vigiles conſtitui, qui ſic ſtrenuè mandatas ſibi excubias obibunt, vt nullum tempus diei, ac noctis intermittant à vigilandi, atque clamandi cura. Vos ergo, qui noſtis, quis Deus ſit, & quid ab eius benignitate ſperare poſſitis, clamate quotidie, & aſſiduis precibus diuinam in vos miſericordiam excitate.

7 Clamate, inquam, aſſiduè, neque Deum ſilere aut quoquomodo ceſſare patiamini, donec promiſſa hæc compleat, in eúmque ſtatum adducat Ieruſalem, vt laudi aliis terræ populis, atque admirationi ſit.

8 Iurauit Dominus per dexteram fidelem, & brachium ſuum forte, non iam ampliùs fore, vt peregrini, atque hoſtes fruges perdant, aut deuorent, aut vinum bibant: quæ duto ſatu, & multiplici cultu, aut percepit, aut percipere potuit populus ſuus.

9 Nam qui ſcuetint, congregarintque frumenta,

menta, illi iidem fumentis veſcentur. Et legitimo, atque ſolemni ritu quieti, & per otium gratias agent Deo. Qui vinum expreſſerint, illud bibent in atrio ſancto meo, & pro ſingulari hoc beneficio laudes aſſiduè concinent.

10 Hæc perinde conſidero, ac ſi iam fuiſſent facta. Quare videre iam videor properantes populos; præconémque clamantem: Adeſte iam omnes: patent portæ; ingredimini: expedite; & complanate viam: eámque à lapidibus, ne quid offenſionis occurrat, expurgate: excitate ſignum: & populos vndecumque Gentium euocate.

11 Parate hæc, inquam, feſtinatò, ac ſedulò, quia iam Dominus ad extremos vſque terræ fines vocem tranſmiſit, quæ filiis Sion, vbicumque eſſent, hæc ferret mandata. Ecce, Gens Sionia, iam adeſt Saluator, quem expectas: qui ſecum tuæ libertatis pretium apportat, quíque opus ſibi à Parente datum ſic auidè ſuſcipiet, vt nunquam ab oculis dimoueat ſuis.

12 Sic autem filij Sion erunt ornati, ſic inſtituti: vt populus vocetur ſanctus, & qui Dominum habeat redemptorem. Tu autem, ô Sion, vocaberis deinceps non derelicta, atque contempta, ſed opulenta, & frequens, & ab omnibus expetita ciuitas.

laudabunt Dominum: & qui comportant illud,[f] *bibent in atriis ſanctis meis.*

10 [t] *Tranſite, tranſite per portas, præparate viam populo, planum facite iter, & eligite lapides, & eleuate ſignum ad populos.*

11 [v] *Ecce Dominus auditum fecit in extremis terræ;* [x] *dicite filiæ Sion, Ecce Saluator tuus venit,*[y] *ecce merces eius cum eo,*[z] *& opus eius coram illo.*

12 [aa] *Et vocabunt eos populus ſanctus, redempti à Domino. Tu autem vocaberis, Quæſita ciuitas, & non derelicta.*

IN CAPVT SEXAGESIMVM SECVNDVM COMMENTARIVS.

1. Expectatio Meſſiæ. [a] PROPTER *Sion non tacebo, & propter Ieruſalem non quieſcam; donec egrediatur, vt ſplendor, iuſtus eius.*] Nihil frequentius eſt in hoc propheta, quàm ſermo ſeu votum de Emanuel. Quare nonnemo ſuſpicari poſſet toties repetitam eandem cantilenam alicui futuram eſſe moleſtam. Sed quia maximè intererat Sionis, quod prophetæ votis, aut oraculis erat propoſitum, nempe vt oriretur iuſtus, qui ſaluum faceret populum tam acerbè iactatum; ſiue Iudaicum intelligas, ſiue Gentilicum, ſiue mundum à dæmone poſſeſſum, ideo propheta aſſeuerat nunquam intermittendam eſſe, aut remittendam vocem, donec iuſtum exciret, & ſeruatorem: qui non aliter adueniet mœrenti, atque laboranti mundo, quàm ſplendor Solis poſt nocturnum ſilentium, aut veris hilaritas, & amœnitas poſt hyemis frigus, atque triſtitiam.

2. Quòd in Sion, & Ieruſalem intelligatur ſanctorum cœtus, & Eccleſia, iam ſæpe à nobis dictum eſt, & à Patribus millies obſeruatum. Hæc iteratio eiuſdem ſententiæ (nam in primis verbis epexegeſis eſt, aut illa figura, quæ ἐπιμονὴ dicitur, ſeu commoratio) magnum ſtudium ſignificat, & animi conſtantiam in inſtituto ſeruando. Quod perinde eſt, ac ſi propheta diceret, Nemo mihi aut verbis perſuadebit, aut vi adiget, vt ſermonem inchoatum intermittam: nunquam enim tacebo propter Sion;

A nullo inquam tempore quieſcam propter Ieruſalem. In illo *donec* conditionalis aliqua particula ſubauditur, vt alibi ſæpiſſime, in hunc ſenſum. *Si mihi ad tempus vſque Meſſiæ vita produceretur, & halitus, quo vocem formarem, & funderem, non priùs à clamando ceſſarem, donec illum excitatum viderem, & agentem nobiſcum.* Dum verò illum egreſſurum ſpetat, atque optat ſicut ſplendorem, indicat metaphoram ſæpius vſurpatam, qua Chriſtus *Oriens* appellatur, & *Sol* qua ſignificatur totum tempus quod Seruatoris anteceſſit aduentum, noctis eſſe inſtar, quæ obſcura eſt, & frigida, quæque auidè ſpectat Orientem Solem.

Hæc magis ad aliorum mentem. Sed mihi veriſimilius eſt, vt ſtatim magis conſtabit ad illud *In perpetuum non tacebunt*, illud *non tacebo* plura ſibi 3.
B velle, quàm communiter ſonat, nempe non ceſſare, aut inertem eſſe, quod explicat verbum *non quieſcam*, quod ſtatim adiungitur. Eſt autem *taceo* vt *cap.* 7. latiùs explicui, ſecuro ſum, otioſo, aut tranquillo animo: Sed cùm reliqua non excludas, de ſermone præcipuè arbitror explicandum hunc locũ, id eſt, de oratione, atque exhortatione, quia hæc propria magis ſunt inſtituti prophetici. Qua in re non videor ab aliorum ſententia valde receſſiſſe.

[b] *Et ſaluator eius, vt lampas accendatur.*] Eadem eſt ſententia. Qui priùs dicitur *Chriſtus*, hic *ſaluator* 4.

vocatur. Vtrumque verò Christi nomen eſt. Vocatur enim *iuſtus ἀντονομαστικῶς*, vt in Euangelio & Actis Apoſtolorum ſæpe. Et *Saluator* quod ſonat Latinè id quod *Ieſus* Hebraicè.

5. [c] *Et videbunt Gentes iuſtum tuum: & cuncti Reges inclytum tuum.*] Ex Sione dicit futurum eſſe iuſtum, quem externæ videbunt Gentes, & Reges ſuſpicient; quia ex Iudæorum genere naſcetur, id eſt, de ſemine Dauidico. Nam aliter non magis Sionis, quàm aliarum Gentium dicerent.

6. [d] *Et vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit.*] Magnum eſt momentum in nomine, ſi tamen illud rebus indidit, qui rerum vim, & naturam introſpicit, & callet: quale nunc Dominus Sioni myſticæ, id eſt, Eccleſiæ dat. Prius ciuitas illa Regia, quæ Eccleſiam in typo continebat, *Sion* appellabatur, quaſi ſpecularetur, & quæreret bonum, non haberet. Dicebatur quoque *Ieruſalem*, quia, iuxta ſui nominis rationem, videbat puto longè, id eſt, ſperabat pacem tam antea ſæpe à Domino promiſſam. Illuſtria ſanè nomina, & illi temporum articulo, in quo mœrentes animos vna ſuſtentabat ſpes, accommodata. Sed quia alius erit deinde ſtatus, alia conditio, aliud quoque ſuccedet nomen inditum non ab alio, quàm ab eo, qui rerum momẽta, atque ſucceſſus nouit, de quo nomine ſtatim.

7. Sed hîc obſerua pro *nominauit* Hebr. eſſe נקב *nakab*, quod *perforare* ſignificat: ex quo aliquid non vulgare, ac leue coniectare licet. Quæ enim diu extare volumus, aut quorum memoriæ ita conſulimus, vt nullum ab ætate, aut temporum iniuriis detrimentum accipiant, in ſaxo notantur, aut in ære ſtylo ferreo, aut celte ſculpuntur in ſilice. Aut ſi perpetuas notas eſſe cupimus in materia futili, ac molli, qualis eſt humana caro, illas incidimus compunctæ, aut perforatæ carni; quales geſtant in facie coëmpta mancipia, quæ eo ſtigmate vel inuita fatentur, ſui ſe iuris non eſſe, ſed alterius alligata voluntati. Nomen igitur, de quo ſtatim, perforabit Dominus, id eſt, perforando, ſeu ſcalpendo incidet ſeu ſaxo, ſeu exaratæ fronti, aut candenti ferro inuſtæ maxillæ; quo perpetuò conſtet, à quo profectum ſit tantum illud beneficium, aut cui æternum debeat obſequium præſtari. Sanè Chriſtiani aut imprimebant Chriſti nomen compunctæ fronti, aut illam eo inurebant ſtigmate, quòd Chriſti religionem profiterentur. Vide quæ diximus ſuprà *cap.* 44. *num.* 16.

Christiani ſtigmate notati.

Porrò *nouum* pro *iucundo* ſumi docet Maldonatus in illud *Matth.* 26. *Cùm bibam illud nouum*, & ita putat *Canticum nouum*, quod in pſalmis ſæpius auditur, canticum eſſe iucundum. Quod mihi non improbatur, quæ vox in ea ſignificatione ſatis quadrat nomini, de quo facta nunc eſt promiſſio, quia iucunditatis eſt, & lætitiæ plenum.

8. [e] *Et eris corona gloria in manu Domini: & diadema Regni in manu Dei tui.*] Corona ſeu diadema, non eſt aut vſitatum, aut idoneum manus ornamentum, ſed capitis. Cur verò in manu Domini futura dicatur, non eſt explicare promptum. Quidam pleonaſmum eſſe putat in illo *in manu*, quaſi idem ſit *in manu Domini*, atque *in Domino*, in Domini nempe capite: ita Foreirus. Quod ſanè non diſpliceret, ſi aliud in Scriptura occurreret exemplum.

Hieronymus hîc, Cyrillus & Procopius cum Auguſtino, *lib. de vnitate Eccleſiæ cap.* 7. Eccleſiam, aut fideles coronam eſſe dicunt Chriſti, ita vt quicquid hoc ſit ornamenti, Chriſti ſit potiùs quàm Eccleſiæ: ſed quare eſſe dicantur in manu Domini, non omnes explicant. Et quidem filius corona dicitur eſſe patris, ſicut magiſtri diſcipulus. Neque eſt exigua commendatio fidelis Eccleſiæ, quòd eam Chriſtus ſuam ſibi coronam eſſe dicat. Quia corona ſiue ex pretioſo metallo fiat, ſiue ex flore, fragrantiſque herba contexatur, nobiliſſimam hominis partem occupat, nempe caput. Hieronymus Eccleſiam coronatam fidelium ſanctitate, & martyrum victoriis, coronam futuram eſſe dicit in manu Dei, quia Deus illam paratam habet, vt capiti imponat Chriſti triumphatoris. Et ſanè hæc non exigua fuit pars eius coronæ, quam Chriſtus acerba perfunctus morte conſecutus eſt: de qua Paulus *ad Hebr.* 2. *verſ.* 9. *Videmus Ieſum propter paſſionem mortis gloria & honore coronatum.*

Mihi aliæ nunc ſubeunt explicationes, ex illis lector quam volet eliget, ſi qua modò erit, quæ non diſpliceat. Primùm *coronam gloriæ* ſeu *diadema regni*, quod idem eſt, pro magno ſplendore, ac maieſtate ſumi obſcurum non eſt: ſicut neque *in manu* ſignificare inſtrumentum, vt probat frequens illa Scripturæ forma *Verbum factum in manu Aggæi, in manu Malachiæ*, id eſt, per Malachiam, & Aggæum: *in manu ſeruorum*, id eſt, per ſeruos, aut ſeruorum miniſterio. Iuxta hunc loquendi modum mihi videbatur locus iſte in hanc ſententiam trahi poſſe. *In manu Domini*, id eſt, per Dominum, aut Domini liberalitate, *ô Sion eris glorioſa, & diadema obtinebis Regale.* Sicut *Ezech. cap.* 16. idem Dominus dicit de Ieruſalem ſua liberalitate in regnum profeciſſe. 9.

Secundo modo videtur explicari poſſe non incommodè ſi coronam, ſeu diadema per Synecdochen pro quolibet ornamento ſumas, quod in Scriptura infrequens non eſt. Et inter profanos non parum vſitatum: apud quos ornamenta, emblemata, anaglymmata tam in vaſis quàm in ædificiis *corona* dicuntur: quo ſenſu dicitur *Machab.* 1. *cap.* 4. *Ornauerunt faciem templi coronis aureis.* Poſſet autem hîc *corona* ſumi pro manuum deliciis, quales ſunt annuli, aut armillæ, in quibus notari ſolent, aut effigies, aut nomina, aut aliqua tandem ſymbola eorum, quos amamus, vt nunquam non occurſent oculis. Quod etiam de Ieruſalem dixit Dominus ſuprà *cap.* 49. *In manibus meis deſcripſi te.* Vide quæ ibi diximus, *num.* 62. *& cap.* 44. *num.* 17. Iuxta hæc hoc dicendi modo explicatur amor, quo Deus Sion, ſeu veram, ſeu potiùs myſticam amplectitur: quando in eam illud oſtendit amoris documentum, quod ſummum in amicos exhiberi ſolet: nempe, vt cælati in annulis, aut armillis, amantium oculis præſentes ſint. 10.

Tertiò accipe explicationem, quæ planè confirmat id quod modò coniectabamus, ex eo loquendi modo, quo *nomen* dicebamus in Hebraico textu *perforatum* vocari, id eſt, inciſum perforato, aut excauato lapidi, aut æri, aut inuſtum fronti, aut alio quouis modo altiùs impreſſum, ita vt deleri aut exui nullo modo poſſit. Illius ergo durationis æternæ cauſa redditur ſatis idonea, & grauis, quia nomen illud nouum, & glorioſum, id eſt, gloria per illud nomen ſignificata, quæ nunc *corona* dicitur, *& diadema Regni, in manu Dei erit*, id eſt, in tutela, & protectione Domini, à qua eripiet, aut mouebit nemo. Quod de ouibus ſuæ cuſtodiæ creditis dixit Chriſtus, *Ioan. cap.* 10. *verſ.* 28. *Non rapiet eas quiſquam de manu mea.* In quam ſententiam inclinaut S. Thom. Adamus, & Pintus: quæ mihi om- 11.

nium

nium maximè placet. Quia quæ in manibus noſtris ſunt, tuta eſſe non poſſunt. Vnde illud prouerbiali ſpecie vulgatum, *Ponere animam ſuam in manibus ſuis*; id eſt, vitam exponere periculo. Secus *in manibus Domini*, à quibus abeſt omne periculum.

12. f *Non vocaberis vltrà derelicta, & terra tua non vocabitur amplius deſolata.*] Alluſum hîc videtur ad Hieroſolymam ab ædificiis, & ciuibus vacuam, & a Deo ipſo derelictam longo captiuitatis tempore: ſed præcipuè ſpectatur Eccleſia tanquam corpus in vmbra. Quæ ſi in ſuo principio conſideretur, exigua fuit, atque inops, ita vt verè vocari potuerit derelicta: quam non ſolùm Gentilium, ſed etiam Iudæorum principes, atque ignobilis turba deſpicatui habebant. Si verò Gentiles deſignet propheta hæc, quos maiori ex parte Eccleſia complexa eſt, non ſemel vocatur ab hoc propheta *derelicta, inuia, conculcata, & ſterilis*, & ſi quod aliud eſt nomen, quod ſordidam, & extremam fortunam euulgat. Quocunque modo hæc ſpectes, promittit Dominus nomen illud, quod ſolitudinem, & vaſtitatem ſonat, eſſe deponendum; cui ſuccedat aliud, quod omnem felicitatem ſignificet, & contineat.

13. **Regula.** *Vocari* idem quod *eſſe*.

g *Sed vocaberis voluntas mea in ea, & terra tua inhabitata.*] Quemadmodum *nomen* pro re ipſa ponitur, quæ nominatur, vt *nomen Dei* pro Deo, vt alibi pluribus oſtendimus; ſic etiam *vocari* ponitur pro *eſſe*, præſertim in nominibus impoſitis a Deo, quæ non ſolùm ſignificant, ſed etiam continent, & quaſi conſignant id, quod ſonant. Nam quæ homines inuenerunt nomina, indiderúntque ſibi, rebúſque ſuis, cùm magnum aliquid plerumque iudicent, in illo tamen ingenti ſonitu, ab omni interdum ſenſu, & pondere vacua ſunt. Longè tamen ſecus eſt in nominibus, quæ Deus inuenit, imponítque rebus. Ex quo fit, vt idem ſit vocari eiuſmodi nominibus, atque eſſe id, quod nomina important. Immò eo loquendi genere quale quidque aut fuerit, aut futurum ſit oſtenditur, cùm tamen nomen illud de ſe nunquam audierit. Et ne ab eo, quod præ manibus eſt, longiùs abeamus, de Eccleſia, ſeu de Ieruſalem ſcribitur *Ezech. 48. verſ. 35. Et nomen ciuitatis ex illa die, Dominus ibidem.* Et *Baruch cap. 5. verſ. 4. Nominabitur enim tibi nomen tuum à Deo in ſempiternum, Pax iuſtitia & honor pietatis.* At quis vnquam legit Eccleſiam, aut Ieruſalem talia vnquam habuiſſe nomina? Ad hunc ergo modum vocanda dicitur Eccleſia, *Voluntas mea in ea, & terra habitata* non quia illic notanda ſit nominibus, ſed quia ea habitura ſit ornamenta, aut Deus in illam ita futurus ſit liberalis, & propitius, vt eis meritò notari debuerit. Quomodo Chriſtus ſæpe ab hoc propheta iis vocatur nominibus, quæ nunquam habuit, quia illa geſſit, quæ nominibus illis aptè, & idoneè ſignificari poſſunt.

Ezech. 48.

Baruch c. 5.

14. h *Voluntas mea in ea.*] Hoc eſt nomen illud nouum, de quo ſuprà, ſed quo ſenſu accipiendum, non omnino promptum. Haymo, Hugo, & Dionyſius, de voluntate, vt ita dicam, paſſiua hæc accipiunt, quia nempe ciuitas illa, ſeu verius Eccleſia Dei voluntati in omnibus obſequetur. Quaſi Dei voluntas ita ſit propoſita, & grata, vt ab ea nulla declinatio futura ſit. Et iuxta hæc clamat quotidie fidelis Eccleſia. *Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra.* At Hieronymus, Cyrillus, Procopius, & Adamus, *voluntatem* actiuè ſumunt, qua Deus ſibi in Eccleſia cõplacuit. Quaſi Deus mutato iam animo, atque conſilio illam amplectatur officioſè, & beneuolè, à qua priùs videbatur alienum habuiſſe animum. A qua Dei ſine voluntate, ſiue beneplacito, id habet vera & propria, & multò magis allegorica, & myſtica Sion, vt vocari iam meritò poſſit ea, in quam Dei grata eſt, & benefica voluntas. Aut quod idem eſt, *Deo dilecta.* Et quidem eadem verborum forma amorem, & ſtudium in alium ſignificare ſolet Scriptura ſacra. *Malach. cap. 1. verſ. 10. Non eſt mihi voluntas in vobis*, id eſt, diſplicetis mihi, aut, ego vobis inſenſus ſum. Et *Prouerb. cap. 11. verſ. 20. Abominabile Domino cor prauum; & voluntas eius in his, qui ſimpliciter ambulant.* Et hæc poſterior explicatio magis videtur ad contextus orationis filum, vbi totus ſermo eſt de Ieruſalem, & Eccleſia deſerta olim, atque contempta, poſt verò admirandum in modum exornata & culta.

Malach. 1.

Prouerb. 11.

15. i *Et terra tua inhabitata.*] Hæc eſt altera pars nominis noui quod impoſitum eſt Sioni: nam quæ priùs ſic erat deſerta, vt *deſolata*, vt *derelicta* vocaretur, ſic deinceps habitabitur frequenti hominum multitudine, vt plena iam, & exuberans, aut quod idem eſt, habitata dicatur. Opponuntur autem duo hæc nomina *voluntas mea in ea*, ſeu quod idem eſt *dilecta, & habitata*, duobus aliis nominibus, quæ habuit priùs ærumnoſæ conditioni conſentanea. Vt enim olim *derelicta, & deſolata* nomen habuit, ſic modò *dilecta* dicitur, *habitata, & frequens.* Ex qua antitheſi colligo Sion *derelictam* vocari non tam à ciuibus, quàm à Dei ſpeciali quodam patrocinio, quem inſenſum ſibi priùs experta eſt, quandoquidem illi opponitur *voluntas*, & *dilectio* vtique Dei: quemadmodũ *deſolata* ex aduerſo *habitata* reſpõdet.

16. Hîc ego obſeruo pro *habitata* Hebr. eſſe בעולה *behbulah*, quam vocem aliqui *maritatã* conuertunt, Tigurina, Vatablus, & Pagninus in notatione marginali. Et quidem Hieronymus alibi eandem vocem conuertit *viro coniunctam*, aut *quæ virum habet*, ſupra *cap. 54. Quoniam multi filij deſertæ magis quam eius, quæ habet virum.* Hebr. בעולה *behbulah.* Neque ab hac tranſlatione longe abeunt Aquila qui vertit ἐσχημένη, id eſt, *habitata* ſeu *poſſeſſa*, & Symmachus, & Theodotio, qui tranſtulere συνοικουμένη, id eſt, *cohabitata*; quæ voces optimè ſponſæ, ac maritatæ conditionem oſtendunt. Hæc porrò metaphora aptiſſimè Chriſti in Eccleſiam ſtudium, & indulgentiam declarat; & mirè conſentit cum priori hemiſtichio, nempe cum *voluntas mea in ea*, quibus verbis ſponſi ſuum in ſponſas amorem explicare ſolent. Nec aliud credo ſignificauit Samſon *Iud. 14.* cùm de Tamnathæa puella dixit, *quia placuit oculis meis.* Vt ergo ſuperiora verba ſponſi ſunt molliter amantis, ſic poſteriora in coniugalem fidem, & torum bellè conueniunt; cum qua metaphora, quæ deinde ſequuntur, aptè conſentiunt. Adde quòd Eccleſia, ſicut Synagoga priùs, *ſponſa Chriſti* dicitur *ad Epheſ. cap. 5.* quæ pluris illi ſtetit, quàm Iacobo Rachel, Samſoni Tamnathæa, Dauidi Michol, qui aut duro miniſterio, aut vitæ periculo vxores ſibi coëmerunt. De Eccleſiæ cum Chriſto connubio ſic Paulus *ad Epheſ. 5. verſ. 25. Viri diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea.*

17. Ad extremum obſerua Hieronymo, Haymoni, & quibuſdam aliis videri ideo *nomen nouum* vocari, quod audit fidelium cœtus, nempe *Eccleſiam*, aut *Chriſtianum*; pro *Ieruſalem, Synagoga, & Iſrael. Chriſtiani* nomen fateor eſſe nouum, & Euangelij tempore primùm auditum, ſed *Eccleſia* nomen, quod *nouum* hic appellari putat S. Thomas, Haymo, Lyra, & Dionyſius, quomodo *nouum*

vocati debeat non video; quoniam ante ſæculum A quod hic Iſaias deſignat, iam auditum fuerat in antiqua Iudæorum congregatione, ſeu familia, vt habes millies in Teſtamento veteri, ab ipſa etiam Moyſis ætate. Deinde quia ſi duo alia, nempe *voluntas mea in ea*; & *terra habitata*; non tam nomina impoſita ſunt Sioni, aut Eccleſiæ, quàm officia à liberali, atque beneuolo Dei animo profecta, propter quæ meritò illis poſſent appellari nominibus; hæc antiquæ quoque Eccleſiæ, ſiue ſynagogæ præſtita ſunt. Nam Dei voluntas in eo populo fuit, cui ſæpe dedit *ſponſæ* nomen, & ornamenta, quæ tantæ ſponſæ dignitatem decent, vt habes *ex Ezechiel. cap.16.* Quare hoc etiam nomen antiquum B fuit, quod populus ille habuit ab egreſſu vſque de terra Ægypti.

18. Huic difficultati facit meo iudicio ſatis Scripturæ ſacræ conſuetudo, quæ *nouum* appellat, aut quod innouatur cùm antiquum eſſet, aut quod nouo aliquo, aut ſpeciali modo inſtituitur, aut completur. Sic *Ieruſalem noua* dicitur quando renouata eſt, ſic *nouus annus, noua fruges, nouus agrorum cultus*; quia hæc intermiſſa redeunt. Sic *noua bella* elegit Dominus *Iudic.cap.15.* quia licèt bellator eſſet antiquus, & alia bella plurima geſſiſſet, tamen bellandi modus nouus fuit. Vetus erat mandatum de charitate proximi, vt conſtat, tamen *mandatum* dicitur *nouum Ioan.13.* quia aut noua indictum eſt ratione, aut in eo noui aliquid eſt, nempe *ſicut ego dilexi vos*, quod C Ioannes ipſe expoſuiſſe videtur *ep.1.c.2.* vbi mandatum illud, & *vetus* appellat & *nouum*. Eandem ob cauſam infrà *cap.65. & 66. cæli* dicuntur *noui*, & *terra noua*.

Regula. *Nouum* dicitur, quod renouatur, aut nouo aliquo modo fit.

19. Ad hunc ergo modum *nouum* dicitur *nomen* Eccleſiæ datum: quia licèt Dei voluntas olim in ſynagoga fuerit, & *habitata*, ſiue *maritata* diceretur, iuxta ea quæ ſuprà adduximus; tamen quia longè maiora documenta amoris ſui in Eccleſiam edidit, & ſibi illam altiori quodam modo maritauit, aut habitari fecit à populis, & numero copioſis magis, & genere diuerſis, ideo *nomen nouum* dicitur Eccleſiæ datum, quale non eſt adepta ſynagoga. Niſi mauis *nouum* pro *iucundo* ſumi, vt putabat Maldonatus, & nos probabile dicebamus ſuprà *num.7.* D

k *Quia complacuit Domino in te: & terra tua inhabitabitur.*] Rationē reddit cur ſuperiora nomina audire de ſe Eccleſia debeat, & ſimul explicat, quid ſit illud *voluntas mea in ea*. Pro *inhabitabitur*, illi qui ſuprà *maritata* vertunt, idē hîc reddunt, *maritabitur*.

20. l *Habitabit enim iuuenis cum virgine, & habitabunt in te filij tui.*] Hic ego comparationem aliquam video familiarem Hebræis, qui cùm amplificare rem aliquam volunt, aliquid eximium in eo genere præmittunt ſine vlla ſimilitudinis nota. *Pſalmo 124. Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi ſui.* Id eſt, licet magnum ſit ciuitati præſidium à montium altitudine, & aſcenſu arduo, maius tamen eſt à Dei cuſtodia, qui ciuitatem E circuit, & munit. Et *Pſalm.143. Beatum dixerunt populum, cui hæc ſunt, beatus populus cuius Dominus Deus eius.* Ad hunc ego modum locum iſtum accipio: Suauiter viuet iuuenis cum virgine, id eſt, ſponſus cum ſponſa; ſed longè ſuauiùs intra muros tuos viuent filij tui. Quale verò filiorum futurum ſit gaudium, explicat poſteriori hemiſtichio.

Regula. Peculiaris Hebræorum comparatio

21. m *Et gaudebit ſponſus ſuper ſponſam: & gaudebit ſuper te Deus tuus.*] Magnum gaudium eſt, quod ſponſus capit, aut certè magna gaudij ſignificatio in nuptialibus, aut genialibus deliciis, adeò, vt ab A illis crebrò ducatur ſimilitudo ad explicandam lætitiæ magnitudinem. Sed longè maior erit illa voluntas, quam Dominus capiet ex Eccleſia, quam ſponſam emit, ſibique adiunxit ad ſacroſanctum, & potiſſimum thalamum. Sententia hæc non eſt difficilis. Ad cuius explicationem addo, particulam *&*, in Scriptura ſacra idem eſſe quod *præcipue*, aut *potiùs*, ſeu *magis*, vt oſtendimus *cap.7. n.27. & c.19. num.25.* Quare ſenſus erit, *Habitabit iuuenis iucundè cum virgine ſponſa, ſed iucundiùs in te ò Eccleſia habitabunt filij tui: gaudebit ſponſus ſuper ſponſam, ſed gaudebit multò magis ſuper te Deus.* Addo ſecundò videri mihi vulgatum interpretem propriè reddidiſſe, & citra metaphoram, quod Hebraicus textus B metaphoricè dixit. Pro *habitabit*, & *habitabunt*, Heb. eſt יבעל *ybhhal*, id eſt, *deſponſabit*, & *maritabit*, & יבעלו *ybhhalu*, id eſt, *deſponſabunt*, aut *nuptias inibunt*. Quare idem eſt ſenſus in vtraque clauſula, aut non valde diuerſus. *Celebrabit iuuenis nuptias cum virgine in Ieruſalem, aut in patria ſua, ſed multò potiùs atque iucundiùs filij tui in te. Gaudebit ſponſus, &c.*

Regula. *Et* idē quod *præcipuè*, aut *potiùs*.

Ex his mihi fit valde probabile agi hîc in typo 22. de Ieruſalem ab exilio renouata: nam priùs hemiſtichium vtriuſque clauſulæ non videtur poſſe ad Eccleſiam accommodari, ſed ad geniales, & nuptiales delicias quæ in libera atque pacifica republica frequentes ſunt, & valde iucundæ, quibus tamen maiores fore dicuntur, quæ in poſteriori cōtinētur hemiſtichio, quare diuerſa eſſe oportet. Licèt C autem ad vulgares, ſeu vt ita dicam ad materiales nuptias priora referri poſſint, vbiuis gentium illæ celebrentur; tamē veriſimile mihi eſt agi de nuptiis, quas poſt exilium filij Iſrael patrio ritu cum feſtiuo plauſu, & geniali pompa celebrabunt, vt Iere. docet *c.25.v.10. & c.7.v.34* & iterum *c.16.v.9.* Toto exilij tempore inter Hebræos nuptialis illa feſtiuitas conticuit. *Perdam* (inquit de captiuis) *ex eis vocem gaudij, & vocem lætitiæ, vocem ſponſi, & vocem ſponſæ, vocem molæ, & lumen lucernæ.* Quæ in nuptialibus deliciis, & epithalamiis præcipua ſunt, vt pluribus ſuper Cātica probauimus. Cùm ergo poſt exilium inſtaurata vrbe, inſtaurandi etiā eſſent nuptiales plauſus iam pridem intermiſſi, in quibus alia maior voluptas ſignificabatur, quam ſponſus Chriſtus inſtillat D Eccleſiæ, aut fideli animæ, vtrumque promittit propheta, & nuptiales delicias Hieroſolymæ; & ſpirituales, & myſticas Eccleſiæ, quas tamen dicit longè fore maiores. Aut, quod idem eſt, lætitiam promittit eximiam, quam nuptiarum nomen importat Hieroſolymæ; aliquid tamen multò maius Eccleſiæ.

Hæc mihi viſa ſunt neque impedita, neque ob- 23. ſcura; ſed tu videas in aliū ſenſum exponi poſſint, fortaſſe non difficilem. Ita vt ea ſignis, adiunctiſque rebus oſtendatur & Sioni typicè, & Eccleſiæ verè futura tranquillitas. Nam quemadmodum cùm res communis, & publica perturbata eſt, atque E afflicta, ceſſant, vt ex Ieremia vidimus, vox ſponſi, & vox ſponſæ, & chori iuuenum cum virginibus; ſic etiam plauſus nuptialis, & iuueniles chori reſtituti rempublicā eſſe quietam, & felicem oſtendunt. Et facit ad hanc cogitationem, quòd hæc dicendi formula videtur eſſe prouerbialis, qua ſignificatur, cùm hæc adſunt reipublicæ, felicitas, cùm abſunt, ſolitudo, & mœror. Probat hoc frequens Scripturæ vſus in re ſimili, qui aliquid indicat adagiale. *Ierem.c.7.v.34. c.16.v.9. c.25.v.10. cap.33.v.11. Baruch cap.2.verſ.23. Apoc.c.18.v.23* Accidit autem genialis iſta, & Hymenæa feſtiuitas ſimul cum

pace,

pace, atque otio populo Iudaico laxata per Cyrum Babylonica ſeruitute; ſed multò cumulatiùs Eccleſiæ, cui inducta pax fuit à Deo, qui in ea ſibi complacuit multò magis, quàm in reſtituta Ieruſalem.

24. Dicit ergo propheta, Erunt, ô Sion, ſiue ô Eccleſia in te nuptiales atque triumphales voces, & chori, quia Dominus ſuper te gaudebit, id eſt, complacebit ſibi in te. Tunc autem illud, *Et gaudebit ſuper te*, cauſaliter expono. Quia &, in idiomate Hebraico cauſalis eſt, vt pluribus oſtendimus *cap.* 53. *num.* 43. Vt autem in Ieruſalem reſtituti ſunt læti, & geniales dies, qui nonniſi in pacatis ciuitatibus eſſe ſolent, Sic in Eccleſiam inducta eſt tranquillitas, qualem plauſus illi, & ſolemnitates adumbrant.

25. *Eccleſiæ cuſtodia.* n *Super muros tuos Ieruſalem, conſtitui cuſtodes, tota die & nocte in perpetuum non tacebunt.*] Ex ea beneuolentia, qua Deus proſequebatur Hieroſolymam, ortum eſt, vt eius ſecuritati, quietique conſuleret. Quare in ipſis mœnibus conſtituit excubias, quæ & inſidias odorarentur hoſtiles, & de periculo ſecurum populum admonerent. Quod præſidium quicumque nacti ſunt, ſecuro ſunt, & otioſo animo: quia vident ſe, neque opprimendos neque occupandos eſſe ab hoſtibus inopinatò. Id verò ante hoc tempus vſitatum eſſe in optimis ſaltem reipublicæ Solymitanæ temporibus, id eſt, ſub Salomonis imperium, docemur *ex cap.* 3. *& cap.* 5. *Canticorum*, vbi ſponſa dicitur incidiſſe in vigiles qui ciuitatem cuſtodiebant. Illi verò vt datas ſibi partes, & ſtrenuè, & fideliter obeant, nullum tempus noctis intermittunt à vigilandi cura: illud enim eſt, vt puto, *in perpetuum non tacebunt.* Vt enim *cap.* 7. docuimus, *ſilentium* pro quiete ponitur, & *tacere* pro animo eſſe otioſo, atque quieto. Erunt itaque excubitorum perpetuæ vigiliæ: De Ieruſalem propriè mihi dubium non eſt; de figurata, id eſt, de Eccleſia multò certius. Sed qui ſint hi cuſtodes & vigiles, paulò accuratiùs explorandum.

26. S. Thomas in *Ieruſalem* gubernatores agnoſcit; in *Eccleſia* prædicatores. Cyrillus myſtagogas, id eſt ſacerdotes, & prælatos. His Foreirus addit prophetas. Sed placet quod Hieronymus cenſet, hîc nempe intelligi quicumque ſuæ fidei, atque tutelę commiſſam habẽt publicam ſalutem, ſiue illi deſtinati ſint à republica, vt ſæculare miniſterium, quale eſt principum, & gubernatorum, ſiue Eccleſiaſtico ritu, ac lege conſecrati, quales ſunt Sacerdotes, & Epiſcopi: quibus etiam Angelos addit, qui in miniſterium dati ſunt, propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis. Et quod ad Angelos, idem etiam putat Hugo, Dionyſius, immò & Bernardus *ſermone* 4. *in dedicatione Eccleſiæ, lit.* C.

27. *Prælatorum excubiæ.* Cuſtodes iſti non tacebunt, qui vel precibus ſollicitabunt auxilium diuinum, aut cohortationibus cum hominibus agent, vt depulſo peccato, quod inſtar obtinet ignis, qui ſtupeis mœnibus admouetur, quieti ſuæ, ac ſecuritati prouideant. Cùm autem *tacere*, vt alibi docuimus, quieſcere ſit, aut curam ſeponere, dum dicuntur hi murorum cuſtodes non tacituri, dicuntur planè non ceſſaturi, ſiue à ſermone doctrinæ, ſiue ab oratione, aut à quocumque alio ſtudio, quod ratio miniſterij præſcribit. Quod etiam noctu, atque interdiu præſtandum eſt. Id eſt, ſiue res aduerſæ videantur, ſiue ſecundæ. Neque enim minùs periculoſè laborat reſpublica ſecundis rerum euentibus, quàm aduerſis. Qui hic *cuſtodes*, iidem *ſpeculatores* vocantur *Iſaiæ cap.* 56. *verſ.* 2. *& Ezechiel. cap.* 3. *verſ.* 19. *& cap.* 33. *verſ.* 2. quę vox attentum ſtudium, & vigilantes oculos importat. Quod de ſe ipſo prædicat Iſaias *cap.* 21. *v.* 8. *Super ſpeculam Domini ego ſum ſtans iugiter per diem: & ſuper cuſtodiam meam ego ſum ſtans totis noctibus.*

28. o *Qui reminiſcemini Domini, ne taceatis; & ne detis ſilentium ei: donec ſtabiliat, & donec ponat Ieruſalem laudem in terra.*] Hæc ſine dubio ad cuſtodes referenda, quibus indefeſſa ſedulitas commendatur, & ſtudium ardens in publicam cauſam. Illud *reminiſcemini*, Hebr. מזכירים *mazkirim*, in coniugatione hiphil, duas videtur actiones importare, id eſt facere, vt alij recordentur Domini, quod proprium eſt muneris Apoſtolici, nempe curare, ne vnquam Dei, aut diuinorum beneficiorum memoria ex aliorum animis excidat, aut ſeneſcat. Ita exponit Foreirus, Varablus; & Adamus non improbat. Neque aliter vertunt Tigurina, & Pagninus. In quam ego expoſitionem vehementer inclino, quia alienum non eſt à Scriptura ſacra, vt verbis quę apud profanos vnam habent actionem, duas attribuat, vt in verbis *ſcio*, & *cognoſco* alibi obſeruauimus.

29. Sed alij frequentes actionem vnam attribuunt, neque in re ipſa magnum eſt diſcrimen. Monet enim propheta eos, qui norunt quis Dominus ſit, & quanta eius in ſuum populum liberalitas, ne taceant ab eius laude, ſeu veriùs à precibus, quibus à Deo exorent, quod ex vſu populi ſeu Eccleſiæ futurum ſit: & ne patiantur illum à perpetuo beneficiorum curſu ceſſare; in quam expoſitionem inclinat Hieronymus. Quæ mihi vehementer probatur; *Orari ſe vult Deus, & vrgeri.* Nam cùm Deus ad ea, quæ largiri vult, exorari ſe velit, & precibus concedere, quod donare deſiderat, admonet, vt nos ſemper oremus, & orando ipſius excitemus miſericordiam. Quemadmodum, ſi cui magni alicuius momenti cauſam committimus, in primis mandamus, ne ipſe ceſſet, neque patronos, aut iudicem ceſſare permittat, ſed conſtanti, atque improbo labore perficiat, vt vel ab inuito iudice, quod velit, extorqueat: Sic Deus hoc idem prælatis, atque cuſtodibus in mandatis dat nunc per Iſaiam, & omnibus poſtea *Lucæ cap.* 11. vbi in oratione conſtantiam, & quaſi improbitatem, id eſt, importunitatem commendat, exemplo illius, qui cùm iam in lecto cum liberis quietem caperet, media tamen nocte conſurgere coactus eſt, vt panes porrigeret amico importuno tempore iteratis precibus poſtulanti. Et *cap.* 18. vbi cùm docuiſſet oportere ſemper orare, & nunquam ab oratione deficere, exemplum adduxit iudicis, qui neque Deum timebat, neque homines reuerebatur, qui tamen vt moleſtiam effugeret, quam aſſiduitate, & importunitate precum vidua quædam mulier afferebat, illius cauſam ſuſcepit, & abſoluit. Cupit quidem Deus ſibi ab orantibus afferri vim, quam ille patitur non inuitus; Cupit vt in hunc locum poſteriorem Lucæ ait Chryſoſtomus, te rogando accipere, quod impetriri deſiderat. Quam vim attuliſſe videbatur Moyſes *Exod* 15. cui Deus quaſi coactus dixit: *Dimitte me vt iraſcatur furor meus contra eos.* Et Iacob *Geneſ.* 33. *Non dimittam te, donec benedixeris mihi*, Quæ tamen vis à lachrymis, & precibus fuit, vt colligitur ex Oſea *cap.* 14. *verſ.* 4. qui hæc de Iacob: *Inualuit ad Angelum, & confortatus eſt, fleuit, & rogauit eum.*

30. Iuxta hæc ſenſus erit, Neque vos, ô Eccleſiæ paſtores, & vigiles taceatis, id eſt, deſides ſitis, atque ignaui in publica cauſa, neque Deo detis ſilentium, id eſt, vt humano modo loquar, ſilere aut dormire, aut quoquo modo ceſſare ſinatis aſſiduè atque importunè clamando. Neque aliud aliis

præſcribit propheta, quàm quod ſibi ipſi aſſumpſit negotij. Dixit enim de ſe in principio capitis: *Propter Sion non tacebo* (id eſt, non ceſſabo) *& propter Ieruſalem non quieſcam: donec egrediatur, vt ſplendor, iuſtus eius*. Hoc idem ab aliis prophetis, & cuſtodibus exigit.

31. p *Donec ſtabiliat & donec ponat Ieruſalem laudem in terra.*] Si de Ieruſalem terreſtri hæc accipias, non eſt explicatio difficilis, nam pro remigratione ab exilio, & templi, atque vrbis vaſtatione orarunt prophetæ, vrbiſque cuſtodes, vt ex libris Eſdræ, aliorúmque prophetarum perſpicuum eſt; qui aut viderunt vrbem vaſtari, ac diripi, aut captiui cum aliis abducti ſunt. Quorum preces aut hortationes pro ſtabilienda fortuna collapſæ ciuitatis frequentes erant, & inflammatæ. Sed preces de Eccleſia, id eſt, de eius conditore atque parente Chriſto magis aſſiduæ, antiquæ, ac feruidæ fuerunt; nam Chriſtus deſiderium fuit collium æternorum, id eſt Principum, & Patriarcharum, qui Gentis Iſraeliticæ infinitam penè ſobolem propagarunt. De illo magis frequentia prophetarum vota, quæ ad vnum Meſſiam aſpirabant. Monet ergo Iſaias alios, qui ſibi in prophetico munere ſuccedent, aut qui cuſtodes erunt, & vigiles ciuitatis, aut qui ſacris præerunt, templíque cuſtodiæ, vt ſuis quique ſæculis orando, clamando, aut aliis etiam modis laborent, donec deſideratus Emanuel ponat Ieruſalem laudem in terra, id eſt, in eum adducat ſtatum, vt laudi omnibus, atque admirationi poſſit eſſe. Huc facit quod Theologorum multi docent antiquos Patres meruiſſe accelerationem incarnationis; qua de re Scholaſtici pluribus, quorum hoc eſt proprium negotium; ad quam ſententiam plurimùm facit hic Iſaiæ locus, qui vrget cuſtodes, vt exciteot Chriſtum, qui & ſalutem afferat; & Eccleſiam conſtruat atque tranquillet.

Accelerationem incarnationis Patres promeriti.

32. q *Iurauit Dominus in dextera ſua, & in brachio fortitudinis ſuæ.*] Hoc iuramentum magnam ſpem excitat libertatis, aut propagationis futuræ. ſed quid ſit, *in dextera*, ſiue *in brachio iurare*, neque facile cognitu eſt; neque idem omnibus. Hieronymus, Dionyſius, & alij in *dextera*, & *brachio* Chriſtum agnoſcunt, quia hæc duo nomina de Chriſto in Scriptura ſacra ſæpius audiuntur. Hugo deſignari hîc putat Hebræorum conſuetudinem, qui dum iuramento aliquid confirmant, ſolemni ritu dexteram ſurſum attollunt. Sic Abraham *Gen.* 14. *Leuo manum meam ad Dominum Deum excelſum.* Et Deus *Deut.* 32. *Leuabo ad cælum manum meam, vt darem eam Abraham*, id eſt, iurauit ſe daturum. Quæ explicationes ſanè uprimæ ſunt; ſed mihi placet valde ſententia Maldonati in illud *Pſalm.* 119. *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum.* Vbi indicat in iuramento execrationem aliquam contineri, quod & nos docuimus *in cap.* 8. *Zachar. num.* 26. & probat illa iurandi formula, in qua reperitur coniunctio *ſi*, quæ aliquam ſiue execrationem, ſiue imprecationem ſecum importat. *Pſalm.* 94. *Quibus iuraui in ira mea, ſi introibunt in requiem meam.* ſubaudi *ne ſim Deus*, aut *habear mendax*, aut aliquid ſimile. Hoc poſtulat ecliptica hæc iurandi, ſiue affirmandi ratio. Et ſeruus Abraham apertè id ipſum docet, qui cùm tantùm iuraſſe diceretur *Geneſ.* 24. *verſ.* 9. ipſe tamen adiunctam eſſe dicit execrationem. Dixit Abraham ibi *verſ.* 8. *Si mulier noluerit ſequi te, non teneberis iuramento.* Seruus autem hoc ipſum repetens *verſ.* 41. ait hæc fuiſſe Abrahæ verba: *Innocens eris à maledictione mea*, quia nimirum iuramento adiun-

Iuramento adiūcta execratio.

Geneſ. 24.

A gebatur execratio.

33. Cùm ergo iuramentis, aut ſemper, aut ſæpe ſocia ſit execratio, videndum eſt, quid in iuramentis Dei, quæ humano ſtylo concipiuntur, ſibi imprecetur Deus. Cùm Deus per ſemetipſum iurat, vt *ad Hebr.* 6. hoc obſcurè dicit: Haberi nolo quod ſum, nempe Deus, ſi quod dico verum non ſit, aut in promiſſis fallo. Idem dicendum quando in anima ſua iurat, vt *Amos cap.* 6. aut per animam ſuam *Ierem.* 5. Nam, vt alibi docuimus, idem eſt *anima alicuius*, & *aliquis*: *anima mea*, & *ego*; atque ideo *iurare in anima ſua*, aut *per animam ſuam*, idem eſt ac *per ſe ipſum*. Et cùm Deus in iurando dicit, *Viuo ego*, vt ſuprà *cap.* 49. *num.* 66. ſenſus hic, aut huic ſi- B milis eſſe videtur: Ne ſim aut habear ego Deus viuens, ſed ſim ſicut lignea, & mortua ſimulacra, quæ à Gentibus coluntur pro Diis, *quæ oculos habent & non vident*, &c. *neque eſt ſpiritus in ore ipſorum*. Hoc ergo loco cùm Deus per *dexteram* iurat (in qua fidelitas tanquam in proprio ſymbolo ſignificatur, vt ſatis ex humana eruditione conſtat) id videtur dicere; Infidelis habear aut promiſſi immemor, niſi promiſſis ſtetero. Cùm autem per *brachium* iurat in quo fortitudo intelligitur, & potentia, hoc ſibi imprecatus videtur; Niſi hoc compleuero, nolo quiſquam me omnipotentem, aut fortem eſſe putet, aut eum qui poſſit promiſſa præſtare.

Quæ ſententia iuramentorum Dei.

34. r *Si dedero triticum tuum vltrà cibum inimicis* C *tuis: & ſi biberint filij alieni vinum tuum in quo laboraſti. Quia qui congregabunt, illud comedent.*] Illud *ſi* obſcurat, atque ſuſpendit orationem, & aliquid indicat in ea latêre execratorium: illud nempe quod nuper adduximus, aut aliquid affine. Audierat multis antè ſæculis Iſrael, deuoraturos hoſtes, & alienos, quæ ſeminaſſent illi, qui dictis Dei minùs eſſent audientes. *Leuit.* 26. *verſ.* 16. *Fruſtra ſeretis ſementem, quæ ab hoſtibus deuorabitur.* Et de vineis *Amos cap.* 1. *verſ.* 11. *Vineas plantabis amantiſſimas, & non bibetis vinum earum.* Quam vim aut rapinã paſſos fuiſſe aliquando Iudæos indicat Iſaias *c.* 1. *v.* 7. *Regionem veſtram coram vobis alieni deuorant.* Et multò antè eadem ſubierunt incommoda ab hoſtibus variis, de quibus *Iudic.* 6. *verſ.* 3. *Cúmque ſeuiſſet* D *Iſrael, aſcendebat Madian, & Amalec, cæterique Orientalium nationum, & apud eos figentes tentoria, ſicut erant in herbis cuncta vaſtabant vſque ad introitum Gazæ, nihilque omnino ad vitam pertinens relinquebant in Iſrael.* At nunc Deus iureiurando grauiſſimo interpoſito longè diuerſa pollicetur, ea nempe commoda pacata & plena, quæ viri locupletes in pacifica republica ex ſuo labore, ac fundo capiunt. Eſt autem vſitatum in Scriptura ſacra, vt pacis & otij commoda libero ac quieto agrorum, ac vinearum vſu ſignificentur: quæ & matura, & ſuo tempore colligunt cum celeumate, atque feſtiuo cantico, E nullo ſcilicet obturbante, aut interpellante inimicorum metu. Vnde ad explicandum ſecurum, atque pacatum tempus ſæpius auditur in Scriptura, prouerbiali ſine dubio ſpecie, *eſſe ſub vite, ac ſub ficulnea ſua.* 3. *Reg. cap.* 4. *verſ.* 25. 4. *Reg.* 38. *verſ.* 31. *Michea* 4. *verſ.* 4. *Amos* 9. *verſ.* 14. *Zachar.* 3. *verſ.* 10. Hanc pacem oratione non diſſimili explicuit Iſaias ſuprà *cap.* 37. *verſ.* 13. *& cap.* 65. *verſ.* 21. Vbi ad ſignificandum ſecurum otium atque diuturnum ait, *Plantate vineas, & comedite fructus earum.* Et Ieremias *c.* 29. *verſ.* 28. *Plantate hortos & comedite fructus eorum.*

Labor inanis peccati pœna.

Prouerbiū.

35. De Ieruſalem non dubium eſt ita contigiſſe, quia pacatas habuit, imò ſubiectas vicinas regiones. De Eccleſia, cui ſub hac allegoria pax, & abundantia

promit

promittitur, minùs eſt dubitandum. Ante illa tempora ſeminabat quidem Gentilitas, & magna ex parte Iudæorum populus, prædabantur tamen alieni laborum fructus, quia dæmon ex illorum ſatu prouentus vberes in ſua condebat horrea, cùm illi porcorum potiùs alimento, quàm diuinæ menſæ cenſerentur idonei. In hunc ſenſum hæc accipit Hieronymus, quem omnino vide. Qui etiam hæc de Euchariſtiæ ſacramento accipit, in qua ſpecies ſunt panis & vini, cuius participes alieni non ſunt, ſed qui in Eccleſiæ matris amplexu viuũt, & ipſius vberibus nutriuntur, quorum hoc eſt lac Regium, & vitale.

36. *Et laudabunt Dominum.*] In conuiuiis à piis & gratis animis laudari Deum, tanquam rerum omnium largitorem, imò id fuiſſe præceptum *Deut.* 8. diximus ſuprà *cap.* 5. *à numero* 34. & id cenſeo ſignificari hoc loco, nempe liberalem futurum eſſe Dominum, & populum memorem, & gratum, qui laudando acceptum Deo referet, quòd rebus omnibus non ſolùm ad neceſſarium vſum, ſed etiam ad dignitatem & delicias abundet. Sed addo in *laude* gaudium etiam ſignificari, quia lætitia plerumque in diuinas laudes geſtit, & erumpit. Quæ laudatio ex grata beneficiorum memoria naſcitur. Vnde ortum eſt vt vox *Halleluiah*, quam in Hebraica forma adhuc ſeruat Eccleſia, non niſi in lætioribus feſtis audiatur: illa verò nihil aliud ſonat, quàm *laudate Deum.*

Gaudium cum laude coniũctum.

37. [f] *Bibent in atriis ſanctis meis.*] Præceptum erat Hebræorum Genti *Deut.* 14. *verſ.* 22. vt decimas offerrent, eiſque coram Domino, id eſt, in tabernaculo priùs, deinde in templo, quod illi ſucceſſit, veſcerentur. Quod cum gratulatione ac diuinæ liberalitatis commendatione factum eſſe, ac fieri debere, nemo credo dubitabit. Huc ergo alluſum puto, cùm dicuntur in atriis ſanctis de terræ frugibus manducaturi Iudæi: quod & fœcunditatem indicat agrorum, & pacem ciuitatum. Sic verò iacet textus ibi. *Decimam partem ſeparabis de cunctis fructibus tuis qui naſcuntur in terra per annos ſingulos, & comedes in conſpectu Domini Dei tui in loco, quem elegerit, vt in eo nomen illius inuocetur. Decimam frumenti tui, & vini, & olei,* &c. Hæc de Iudæorum republica, magiſque felici rerum ſtatu. De Eccleſia hæc multò cumulatiùs & iucundiùs; non enim hoſtes deuorabunt, quæ fideles in Eccleſia legitimè ſeminauerint. Bibent namque in atriis Domini vinum quod expreſſere in ſuæ mortificationis torculari; bibent enim in Beatorum patria, quæ *cella vinaria* dicitur, id eſt, domus deliciarum, vt *in cap.* 1. *ſuper Cantica* pluribus oſtendimus. Et quidem Pſalmus 83. qui incipit, *Quàm dilecta tabernacula tua Domine. Pro torcularibus* inſcribitur, & vinum quod in regno Patris bibitur, ſeu generatio vitis *Marci* 14. *nouum* vocatur, id eſt, iucundum, vt ſuprà diximus ad illud *nomen nouum.* Huc facit illud *Pſal.* 125. *Qui ſeminant in lachrymis, in exultatione metent.*

38. [t] *Tranſite tranſite per portas: præparate viam populo, planum facite iter, & eligite lapides, & eleuate ſignum ad populos.*] Elegans apoſtrophe ad populos, quos ad Eccleſiam vocat, & ad eos, quorum intereſt illos ad Eccleſiam accerſere. In Eccleſiæ primogenitæ infantia, de qua (vt plures è Patribus accipiunt) propheticus ſermo eſt, nondum videbatur ſatis apertus, atque expeditus acceſſus ad Eccleſiam: quia opponebat ſe vndique principum, ac tyrannorum furor armatus potentia, & ſitiens impotenter Chriſtiani cruoris. At poſt cruẽtum illud ſæculum, quod Eccleſiæ, & Chriſto tot peperit filios, tot attulit triumphos, ſecutum eſt ſæculum aliud tranquillum, in quo aditus ad Eccleſiam ſic erat apertus, vt nemo, aut vi, aut metu ingredientem repelleret. Qui verò de Eccleſiæ complexu cogitarat, vſque adeò non erat aliis odioſus, & vilis, ſicut antea, vt eo nomine nobiliori eſſet apud omnes loco, & maiori in pretio. Id ergo nunc illuſtri hac dicendi forma, & verè prophetica prædicit Iſaias, dum portas aperit, & per illas magno numero populos inducit, dum viam ſternit, aſpera complanat, & ſi quid eſt ad quod ingredientium pedes poſſint offendere, de medio ſubmouet curſu: ac tandem publicum eleuari ſignum iubet, vt populi ad nouum militiæ genus euocentur. Porrò hîc imperatiuus modus pro futuro ponitur, in quo epitaſis quædam eſt, quæ ſpiritum addit, & vim prophetico ſermoni. Vide, quæ diximus *cap.* 57. *verſ.* 14. vbi eadem penè verba occurrunt.

Hæc de Eccleſia; Si quis tamen de ſtatu Iudæo- 39.
rum, reditúque è Babylonica ſeruitute hæc interpretetur (quod facit S. Thomas & Hugo, quod typicè quidem licet, & in vmbra, vt ſæpe admonuimus) non multùm laborabit: Nam cùm mille egreſſuris ſeſe obiicerent impedimenta; quæ clauſtrorum obice, & arduo, atque aſpero viarum ingreſſu ſignificantur; illa tamen omnia ſic fuerunt per Cyrum, atque Darium ſublata, vt non ſolùm permitterentur, ſed cogerentur exire. Viam autem arduam priùs, & implexam valde, ſic habuere poſtea mollem, & decliuem, ſic facilem reditum, vt in humeris Gentium, atque vlnis portari viderentur. Sic enim *cap.* 49. *verſ.* 22. *Afferent filios tuos in vlnis: & filias tuas ſuper humeros portabunt.* Vide, quæ ibi diximus; & vt hæc quoque ad Eccleſiam dicantur eo ſenſu, quo ſuperiora.

[u] *Ecce Dominus auditum fecit in extremis terræ.*] 40.
Docet cur tanto ſtudio, atque feſtinatione præparari iubeat viam ad reditum, & in edito loco ſignum defigi. Quia nempe iam Deus ad extremum vſque terrarum vocem tranſmiſit, ad quam excitati populi, ad locum à Domino deſtinatum curſum moliuntur. Adhibet autem hoc loco præteritum pro futuro, vt velocitatem oſtendat, & curſum commeantium, & rei ipſius breuitatem, & certitudinem. Sumitur autem hæc metaphora à re militari, nam priùs buccinæ clangore excitantur milites, deinde ad militare vexillum in opportuno defixum loco cateruatim aduolant. Ait ergo auditam iam eſſe Imperatoris vocem per tubæ ſonitum delectus vocantis, quare reliquum eſſe vt, quæ ad expeditum curſum neceſſaria ſunt, quamprimum parentur. Facilè hæc intelliguntur de Gente Iudæorum in varias terræ regiones diſſeminata, quæ ab inſtaurata Ieruſalem accerſitur; ſed de Eccleſia multò meliùs, quæ in extremis orbis finibus Euangelicæ tubæ clangorem audiuit, & ad eius admonitum libens, & alacris accurrit. Quæ omnia valde conſolantur, & recreant primogenitam Eccleſiam, quæ primo tempore ſic erat à filiis inops, vt penè iudicaretur ſterilis, quemadmodum aliquando ab Iſaia vocata eſt.

[x] *Dicite filiæ Sion, Ecce Saluator tuus venit.*] Hæc 41.
fuit vox, quam Dominus perſonare fecit in vltimis terræ finibus, quòd filiæ Sion Saluator aduenerit, qui à dura, & fœda immitium dominorum tyrannide liberauit captiuum populum. Hæc non ita facilè accommodo ad Iudæos ſub Chaldæorum

 iugo.

iugo. Tametſi id faciant S. Thomas, & Hugo: quia non multùm fauent, quæ ſtatim ſequuntur; Eccleſiæ verò, quam ſonat, & deſignat filia Sioo, optimè conueniunt. Hæc verba ad cuſtodes pertinent, quos Dominus ſuper muros Ieruſalem exeubare iuſſerat, quibus edicit vt clament, dicántque filiæ Sion, aduenisſe Saluatorem. Quod adeò ſtrenuè atque fideliter Apoſtoli præſtiterunt, vt illis id vnum videatur datū eſſe negotij, vt Seruatorem Chriſtum aduenisſe nunciarent. An verò Matthæus ad hunc locum ſpectauerit, cùm ſcribit *cap.* 21. *Dicite filiæ Sion, Ecce Rex tuus venit tibi manſuetus*, &c. controuerſum eſt. Nam etiam ſi, quæ ſequuntur in Matthæo, reperiantur tantùm in Zacharia *cap.* 9. *verſ.* 33. illud tamen *Dicite filiæ Sion*, in hoc tantùm propheta deprehenditur. Tractauimus hæc eadem in noſtris commentariis ſupra Zachariam, vbi docuimus moris eſſe Euangeliſtarum, & aliis canonicæ fidei Scriptoribus, ex duobus vnum coagmentare teſtimonium, etiamſi diuerſorum auctorum ſint: quod factum hîc eſt ab Euangeliſta. Qui cùm ad vtrumque prophetam reſpexiſſet, ex vtroque libauit, contexuítque teſtimonium vnum. Vide commentaria noſtra in Zachariam *ſuprà*, & *in cap.* 11. ad illud *decorum pretium*.

42. *y Ecce merces eius cum eo, & opus eius coram illo.*] Hìc dubium eſt an merces paſſiuè ſumatur, an actiuè, id eſt, an accepturus ſit Chriſtus ſuæ obedientiæ, atque laboris mercedem, nempe mundum ſibi, aut, quod idem eſt, Eccleſiæ ſuæ ſubiectum, & aſcriptum, iuxta illud *Pſal.* 2. *Poſtula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ*; Aut certè ſecum ipſe mercedem afferat, qua muneret eos, qui & ſe ducem ſequentur, & in Eccleſiæ ſinum aggregabuntur. Priorem partem ſequitur Foreirus, ſed in poſteriorem abeunt fere omnes: qui tamen non eodem interpretantur modo. Quidam ad extremi iudicij tempus hæc pertinere exiſtimant, vt S. Thomas, Dionyſius & Hugo, quo tempore Chriſtus iuſtorum merita ſua compenſabit mercede, & peccata debito mulctabit ſupplicio. Alij abſolutè de mercede loquuntur quocumque reddenda temporis articulo. Ita Hieronymus, Adamus, Haymo. Et hoc poſterius mihi probatur maximè, neque exiſtimo hìc tantùm de æterno ſupplicio, aut æterna mercede ſermonem eſſe, vt aliqui volunt, ſed etiam de quacumque alia, quæ ceoſeri ſolet rectè factorum retributio: qualis eſt pax, ſecuritas, & quæ communi hominum ſenſu numerantur in bonis. Quæ, vt vidimus, & prædicta fuerunt Sioni tam propriæ, quàm myſticæ ab Iſaia, & à Deo præſtita, poſtquam Eccleſia, ex ſuis quaſi infantilibus annis excedens grādioris ætatis robur aſſecuta eſt. Immò mihi videtur veriſimilius nihil hic prophetam ſpectare durum, quod ab odio ſeu offenſione naſcatur, quale ſuppliciū eſt impiorum; ſed omnia mitia, atque à beneuolentia profecta, quia vnam videtur intueri Ieruſalem myſticam, aut propriam, ad quam vndecunque Gentium populos inuitat, & accerſit.

43. Addo præterea mihi videri probabilius, rerúmque articulo conſentaneum magis, ſi in *mercede* tantùm intelligas redemptionis pretium. Nam Saluator Chriſtus quaſi redemptor inducitur, qui captiuos in libertatem aſſerat; at *redemptio*, vt nominis ipſius notatio docet, ſine mercede non eſt, ac libertatis pretio. Quare bene ſperare iubetur Ieruſalem captiua ſub Chaldæorum iugo, & Gentes quas ſibi Dominus adiungit, captiuæ priùs ſub diaboli tyrannide, quia Saluator venit, qui auidè libertatem ipſorum procurabit, & redemptionis ſecum pretium, & mercedem apportat. Vide quæ diximus *cap.* 40. ad eadem verba quæ huc valde & omnino faciunt.

z Et opus eius coram illo.] Qui hæc de extremi iudicij articulo interpretantur, vt Dionyſius, & Hugo in expoſitione morali, omnes homines putant ante horridum Domini tribunal eſſe ſiſtendos, qui opus ſunt Dei, & ipſius manuum luteum figmentum. Alij ſeu mercedem pro rectè factis, ſeu pro ſceleribus ſupplicium non temere irroganda, ſed magno conſilio, atque deliberatione expenſis ad trutinam hominum meritis. Pintus *opus Dei* miſericordiam interpretatur, quæ nomen illud vindicare ſibi iure optimo poteſt, quia proprium Dei eſt miſereri, & *miſericordia eius ſuper omnia opera eius*: à qua ſuperiora beneficia nata ſunt. Atque ideo antonomaſticè *opus Domini* vocatur miſericordia. 44.

Sed placet maximè Adami ſententia, quam etiam ſequitur Emanuel Sa: qui *opus Dei* redemptionem hominum appellāt; Et verò hoc opus proprium eſt, &, vt Logici vocant, effectus adæquatus Redemptoris, aut Saluatoris, quod nomen paulò antè præceſſerat. Quaſi hoc dicat propheta, Ita opus ſuum, nempe datum ſibi à Patre redemptionis negotium auidè, ſtudioſéque ſuſcipiet, vt nunquam ab illo oculos, cogitationémque dimoueat. Vide quæ de opere Dei diximus *cap.* 5. *num.* 32. ad illud *Et opus Domini non reſpicitis*. Erit ergo ſenſus vt puto expeditus & facilis, excitari, admoneríque vtramque Sionem, ſuo quamque modo, vt excipiat iam iam venientem Saluatorem locupletem, & oneratum cæleſtibus donis, quæ Euangelij ſui ſectatoribus impertiat, aut veriùs ferentem ſecum mercedem redemptionis, de qua ſequenti capite. Id enim eſt *& merces eius cum eo*. Quique in illud opus quod de liberandis, redimendíſque captiuis à dura Babylonis, ſeu potiùs diaboli tyrannide à Patre ſuſcepit, ſic incumbet ſtrenuè, ac cupidè, vt eoràm ſemper habeat, neque vnquam de illo cogitare deſinat. Vide *cap.* 40. *num.* 52. Vbi hæc eadem verba adducit propheta, quæ nos ibi pluribus explicuimus. 45.

aa Et vocabunt eos, populus ſanctus, redempti à Domino; tu autem vocaberis, Quæſita ciuitas, & nō derelicta.] Locupletem, liberalem, & Saluatorem appellarat Dominū propheta; nunc quidā locuplete, & liberali Saluatore acceptura ſit Eccleſia, & eius filij, declarat. Filij enim vſque adeò liberam, & ſolutam ab omni ſeruitute vitam agent, ea in illorum ſtatu apparebit vitæ mundities, ea in Regiis moribus ingenuitas, vt publicè ab omnibus vel vocentur vel optimo iure vocari poſſint *populus ſanctus*, & *redempti à Domino*. Sion verò aut figurata, aut propria, ſic erit inſtructa atque ornata à locuplete ſeruatore, vt illam omnes expetant populi. & quæ priùs *deſerta* vocabatur, vel à Deo vehementer infenſo, vel à filiis in eaptiuitatem abductis, *quæſita* dicatur, & expetita ab omnibus, & ciuibus, atque opibus abundans. Videtur autem hìc rationem oſtendi cur Sion, aut Eccleſia futura ſit non derelicta, immò potiùs expetita ab omnibus, quę ad illam auidiſſimè confluent, quia videbunt eorum ſanctitatem, qui in illa viuent, & quàm ſit profuſa liberalitas eius, à quo redempti ſunt. 46.

Hic ad extremum obſeruandum, illud *eos* referri ad *populum*, quod nomen, cùm collectiuum ſit, in ſingulari numero multitudinem continet, ad quam, 47.

maximè

maximè apud Hebræos, aut adiectiuum nomen, aut verbum in plurali numero ſæpius adiungitur. Exempla habes *Matth. 15. verſ. 8.* in eodem nomine *populus*, cui additur vtrumque, & nomen, & verbum pluraliter. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me, ſine cauſa autem colunt me docentes doctrinas, & mandata hominum.* Sic ergo nunc Gentes admiratæ tantam rerum conuerſionem vocabunt eos, nempe populum, in quo multi ſunt, ſanctum moribus, & quia redemptus à Domino, omni ratione felicem.

48\. Obſeruandum item id quod diximus hoc ipſo capite ad illud, *Vocaberis voluntas mea in ea. vocari*

E. idem cenſeri in Scriptura quod *eſſe*. Quare idem eſt, *vocabunt eos, populus ſanctus, & redempti a Domino, & vocaberis quæſita ciuitas, & non derelicta*, atque *erit populus ſanctus, & in non erit derelicta.* Illud porrò *populus ſanctus, & redempti à Domino*, oratorialiter, vt credo, ponitur: ac ſi dicas, omnes populi filiorum Eccleſiæ felicitatem, & vitæ ſanctimoniam admirati dicent, hic eſt populus ſanctus, hi ſunt à Domino redempti. Similem locutionem habes *cap. 61. Miniſtri Domini dicetur vobis.* Id eſt, hac vos compellatione homines ſalutabunt, *ô miniſtri Domini. Hæc de capite ſexageſimo ſecundo.*

Argumentum ſexageſimi tertij capitis Iſaiæ.

*P*RIMVM *Iſaiæ oblata videtur victoris Chriſti, & de proſtratis hoſtibus triumphantis illuſtris ſpecies: qui viſus eſt ex inimicorum cæde cruenta retuliſſe veſtimenta. Quæ de Iudæorum libertate hiſtoricè, multò verò magis de ſpirituali hominum ſalute myſticè intelliguntur. Deinde memorem ſe fore perpetuò affirmat, laudatoremque aſſiduum eorum, quæ olim Deus in Hebræorum populum liberali contulit manu. Qui ne in eam Gentem beneficum, & clementem animum haberet, perfecit illius populi, aut ingratus animus, aut peruicax ingenium. In fine orat Deum propheta, vt talem ſe præſtet in Iudæorum populum, qui extrema patitur in exilio, qualem ſe olim in Parentes, cùm ſimilibus vrgerentur infortuniis.*

CAPVT LXIII.

1 [a] [n] *QVIS eſt iſte qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra?* [b] [o] *Iſte formoſus in ſtola ſua, gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ?* [c] [p] *Ego qui loquor iuſtitiam, & propugnator ſum ad ſaluandum.*

2 [d] *Quare ergo rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari?*

3 [e] [q] *Torcular calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum: calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira mea; & aſperſus eſt ſanguis eorum ſuper veſtimenta mea, & omnia indumenta mea inquinaui.*

4 [f] [r] *Dies enim vltionis in corde meo, annus redemptionis meæ venit.*

5 [g] *Circumſpexi, & non erat auxiliator: quæ*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 ECQVIS iſte eſt, qui de Idumæa? quis, inquam, iſte qui de Boſra Idumæorum præcipua ciuitate, veſtimenta refert rubra, atque ſtillantia ſanguine? Quis iſte qui in militari chlamyde ſplendidus, & illuſtris, Regio planè, atque triumphali ingreditur inceſſu? Ego ille ſum, qui iuſtè, & fideliter impleo, quod promiſi: qui his me veſtibus ad propugnandum accinxi, quæ ad ſalutis negotium idoneæ ſunt.

2 Quare ergo, ſi propugnator es, & triumphantis in modum, ſtolam induis gloriæ, illam maculatam affers, & rubentem ſanguine: Non aliter, atque ſi in torculari calcaſſes vuas, & earum muſto veſtem infeciſſes?

3 Sanguis, quo veſtimenta rubere vides, meus non eſt, ſed illorum, quos ego in acie ſuperaui: qui cùm multi fuerint, non tamen neceſſe fuit, ad certamen illud quemquam adhibere ſocium. Ego vnus ſtraui infenſas acies: ego calcaui non ſecus quàm in torculari calcantur racemi: quorum ego ſanguine ſic reſperſus ſum, & inquinatus, ſicut qui vuas veſtigio premunt, earum contaminantur muſto.

4 Statueram apud me, ad quem diem à vindicta ſuſpenderem victricem dexteram; ſed tempus iam aduenit retributionis, quo ſcelerum ſuorum pœnas dependerent inimici.

5 Circumſpexi in omnem partem, neque vllus

vllus fuit, qui ad illud opus redemptionis ſatis haberet virium; aut cuius ope ad tantum illud molimen indiguerim. Vt autem datum mihi negotium præſtarem, ſaluarémque populum oppreſſum ab hoſte, à brachio meo, & à potentia ſumpſi, vt poſſem, & ab indignatione, & zelo, vt vellem potentiam illam meam, & fortitudinem ad ſalutem hominum procurandam conferre.

quæſiui, & non fuit, qui adiuuaret: [h] Et ſaluauit mihi brachium meum, & [i] indignatio mea ipſa auxiliata eſt mihi.

6 Ergo illo zelo, atque indignatione ſuccenſus, conculcaui populos meæ infenſos familiæ, & grauiſſima cæde ad ebrietatem vſque mulctaui: & illorum potentiam ita colliſi, vt ad puluerem vſque depreſſerim.

6 *[k] Et conculcaui populos in furore meo, [l] & inebriaui eos in indignatione mea, [m] & detraxi in terram virtutem eorum.*

7 Accepimus ſanè à Deo plurima, eáque ampliſſima beneficia, quæ non propter merita noſtra Deus, ſed propter ſuam clementiam largitus eſt. Quorum ego memoriam nunquam deponam; neque committam, vt laudare, ac celebrare deſinam, aut quod nunc videre videor recens à Domino collatum, aut quæ iam olim præſtitit populo Iſrael; quæ plurima fuerunt, & eximia, & ab vna ipſius miſericordia profecta.

7 *[t] Miſerationum Domini recordabor, laudem Domini ſuper omnibus, quæ reddidit nobis Dominus, & ſuper multitudinem bonorum domui Iſrael, quæ largitus eſt eis ſecundùm indulgentiã ſuam, & ſecundùm multitudinem miſericordiarum ſuarum.*

8 Cùm enim opera noſtra eiuſmodi eſſent, vt magis diuinum furorem acuerent, quàm miſericordiam inflecterent; verumtamen qua Deus eſt benignitate, dixit: Licèt populus iſte ingenio ſit illiberali, dignus, & qui à me quàm longiſſimè repellatur, tamen populus meus eſt. Neque ſi ipſe filij nomine indignus, ego Patris nomen, & ſtudium deponam. Rebelles quidem fuerunt filij: neque paterni amoris, atque officij memores me ſæpe negauerunt; ſed aſſument deinceps meliorem mentem, neque me iam ampliùs negabunt. Quare illorum ſalutis vindex, atque ſeruator fuit.

8 *Et dixit; Verumtamen populus meus eſt, [x] filij non negantes: & factus eſt eis ſaluator.*

9 Cùm populus, de cuius ſalute nũc eſt ſermo, tribularetur, videbatur Deus illius dolore non commoueri, vt breuis illa vexatio in memoriam adduceret populo peccata: & ad ipſum veniæ, atque ſubſidij cauſa confugeret. Neque cùm de populi ſalute cogitauit, Angelis, qui ſtant coram ipſo, id negotij dedit, vt populum ſaluaret, ſed curam illam, & pondus in ſe ipſum recepit: Eò quòd diligeret illum, eíque, ſicut pater filiis, molliter indulgeret. Quare portauit eum in humeris, & leuauit ſublimem inter alios, à diebus antiquis, ex quo illum à cæteris in populum ſibi ſegregauit.

9 *[y] In omni tribulatione eorum non eſt tribulatus, [z] & angelus faciei eius ſaluauit eos: [?] in dilectione ſua, & in indulgentia ſua ipſe redemit eos, & portauit eos, & eleuauit eos cunctis diebus ſæculi.*

10 Cùm autem ſic eſſet ornatus populus à Deo, vſque adeò tamen illius humanitatis memor non fuit: vt potiùs diuinum animum inſtimulauerit ad iram. Afflixit enim ſpiritum Moyſis viri ſancti, quem Dominus ipſi ducem, & doctorem præpoſuerat. Quare conuerſus, quos antè paterno animo complexus fuerat, eoſdem poſtea hoſtilem in modum inſectatus debellauit.

10 *[a] Ipſi autem ad iracundiam prouocauerunt, & afflixerunt ſpiritum ſancti eius: [a] [a] & conuerſus eſt eis in inimicum, & ipſe debellauit eos.*

11 Sed non diu animus ad miſericordiam pronus

11 *Et recordatus eſt dierum ſæculi Moyſi populi*

pulſſui: [bb] *Vbi eſt qui eduxit eos de mari cum paſtoribus gregis ſui?* [cc] *Vbi eſt qui poſuit in medio eius ſpiritum ſancti ſui?*

pronus iracundiam ſeruauit; Sed recordatus dierum antiquorum, in quibus Moyſes illius ſæpe gratiam conciliauit, & iratum animum ad miſericordiam flexit, populo, quem abieciſſe videbatur, placatus eſt. Hæc olim, ô Deus, in populum tuum. Nunc quando ſimilia patimur, eadem in noſtrum genus oſtende tuæ benignitatis documenta. Vbi eſt manus illa liberalis, & potens, quæ populum cum eius ducibus, ac magiſtris de rubro mari traduxit incolumes? Vbi eſt prouidentia illa ſingularis, quæ in medio populi magiſtrum, & ducem Moyſem conſtituit; cuius ſpiritum toties ſuo afflauit ſpiritu, & diuinorum conſiliorum intelligentia compleuit?

12 [dd] *Qui eduxit ad dexteram Moyſen brachio maieſtatis ſuæ:* [ee] *qui ſcidit aquas ante eos, vt faceret ſibi nomen ſempiternum:* [ff] *qui eduxit eos per abyſſos, quaſi equum in deſerto non impingentem.* [gg] *Quaſi animal in campo deſcendens*

12 Vbi qui brachio potenti, atque excelſo Moyſem eduxit in viam dexteram, expeditam, & facilem, diuiſóque mari ſempiternum ſibi nomen quæſiuit? Eduxit enim populum per abyſſum, ſic priùs ſiccato, atque complanato alueo, vt per illum populus ea facilitate progrederetur, qua per planiciem equus, in qua nihil habet, ad quod impingat: quaſi equus, inquam, aut aliud quoduis animal, quod in campum, aut hippodromum ad curſum deſcendit.

13 [hh] *Spiritus Domini ductor eius fuit: ſic adduxiſti populum tuum, vt faceres tibi nomen gloriæ.*

13 Neque verò mirandum, ſi tanta eſſet populo in mari tranſmittendo facilitas, cùm ſpiritus Domini ducem ſe in ea traiectione præbuerit; qui populum ſuum in illo rerum articulo deduxit iucundè, ac placidè, vt inſperato, atque admirabili ſucceſſu, glorioſum ſibi nomen compararit.

14 [ii] *Attende de cælo, & vide de habitaculo ſancto tuo, & gloria tua: Vbi eſt Zelus tuus, & fortitudo tua, multitudo viſcerum tuorum, & miſerationum tuarum? Super me continuerunt ſe.*

14 Nunc, Domine, quando non leuiora parimur apud Babylonios, quàm patres noſtri olim apud Ægyptios, reſpice non iam tandem è cœlo, in quo excelſum tibi domicilium paraſti, & de noſtris ceruicibus iugum exolue, quod hoſtis impoſuit. Vbi eſt zelus ille tuus, qui iniurias populo tuo illatas, impunitas eſſe non eſt paſſus? Vbi fortitudo illa, quę demerſis Ægyptiorum copiis, ex illorum tyrannide captiuum populum exemit? Vbi animus ille miſericordiæ, & charitatis immenſæ, quem filiorum incommoda tam acerbè tangebant? Numquid hæc omnia continuerunt ſe ſe; ne iam ampliùs in noſtri generis defenſionem erumpant?

15 [ll] *Tu enim pater noſter, & Abraham neſciuit nos, & Iſrael ignorauit nos: Tu, Domine, pater noſter, redemptor noſter, à ſæculo nomen tuum.*

15 Illud te, Domine, ad noſtra vota, atque clamores inclinet, quod abs te vno ſalus pendet noſtra, neque alium patrem, aut patronum agnoſcimus. Abrahamus enim noſtri generis auctor; & Iſrael, à quo gens noſtra immensùm propagata eſt, perinde nobis ſunt, atque ſi illis eſſemus prorſus incogniti. Tu, Domine, pater noſter, atque redemptor es: quod nomen tibi non recens hominum memoria, ſed ante omnem ſæculorum memoriam dedit æternitas.

16 [mm] *Quare errare nos feciſti, Domine, de viis tuis: induraſti cor noſtrum, ne timeremus te?* [nn] *Conuertere propter ſeruos tuos,*

16 Quare deuios nos ad præceptorum tuorum ſemitas errare paſſus es? Quare emollitis cordibus noſtris ad tui nominis timorem nos

non

nõ adduxiſti? Quòd ſi minùs te merita noſtra ad miſericordiam inclinant; inclinet ſaltem parentum noſtrorum grata memoria, qui tibi fidele præſtiterunt obſequium: & quia ex ea familia ſumus, quam tute in poſſeſſionem, & hæreditatem ſegregaſti.

17 Vide, Domine, quo loco, ac ſtatu ſit tua quondam poſſeſſio. Sic etenim ab hoſte tractatur, quaſi nihil eſſet populus ſanctus tuus: templum tuo conſecratum nomini conculcatum eſt: neque meliori loco cenſetur quàm profana, à quibus non alienos, non feras vlla arcet religio.

18 Facti ſumus tanquam alieni: & ſicut in principio, antequam nos in parente noſtro Abrahamo tibi ſeligeres, & circumciſionis charactere conſignares. Quando præcipuo quodam modo non dominabaris noſtri: neque noſtræ gentis nomen tui nominis inuocatio, atque maieſtas ornabat.

tuos, tribus hæreditatis tuæ.

17 ° ° *Quaſi nihilum poſſederunt populum ſanctum tuum: hoſtes noſtri conculcauerunt ſanctificationem tuam.*

18 p p *Facti ſumus quaſi in principio, cùm non dominareris noſtri, neque inuocaretur nomen tuum ſuper nos.*

IN CAPVT SEXAGESIMVM TERTIVM COMMENTARIVS.

1. ᵃ QVIS *eſt iſte qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra?*] Nõ facilè explicatu eſt, quò ſpectet hæc prophetia, quod vbi conſtiterit, cætera credo difficilia non erunt. Patrum, interpretúmque bona pars eò conſpirat, vt ſentiat vaticinium hoc accipiendum eſſe de triumphali Chriſti Aſcenſione, neque auctorum leuis auctoritas. Dionyſius *lib. 7. cæleſt. Hierarch.* Hieronymus, Cyrillus, & Haymo. Quæ ego non poſſum non probare, quia & apta textui, & Patrum magno conſenſu firmata.

2. Alij de Gentium conuerſione capiunt, quibus extincta, ſublata, aut exauctorata idololatria, ad Eccleſiam tranſcriptis, magnum inde triumphum conſecutus eſt Chriſtus; ita Foreirus. Alij communiter de hoſtibus à Chriſto ſuperatis, quorum ipſe ſanguine aſperſus eſt, hæc interpretantur, vt Adamus. Hugo de Iudæorum, & Moabitarum cæde hiſtoricè, myſticè verò de Chriſti morte, & Aſcenſione.

3. Ego quod alibi ſæpe feci, id nunc maximè faciendum mihi eſſe video, vt priùs de hiſtorico ſenſu, deinde de myſtico totum caput exponam; quod ſine vlla, aut textus, aut veritatis offenſione fiet, & magnorum auctorum cogitata conciliabit. Et primùm obſeruo *Moab*, & *Edom* per ſynecdochen pro ſceleratiſſimi, & diuini nominis inimicis. De Moab oſtendi pluribus *cap. 25. num. 35.* vbi in *Moab* omnes impij intelliguntur, quia à Domino contendi dicuntur, ſicut paleæ in plauſtro. De *Edom* eadem, aut etiam grauior cauſa eſt; Nam ſicut *Eſau*, qui & *Edom*, ſymbolum fuit reproborum; ſic etiam, qui ex eius ſemine propagati ſunt, nempe *Idumæi*, nomen etiam tribuerunt his, quibus Dominus infenſus, & inimicus eſt. Maximè quia hi non ſolùm adfuerunt Chaldæis, dum Hieroſoly-

Moab. & Edom pro ſceleratis.

A mam oppugnarent; ſed etiam iram acuebant. De quibus eſt illud *Pſalm. 136. Memento Domine filiorum Edom in die Ieruſalem; qui dicunt, Exinanite, &c.* Et *Thren. 4. verſ. 21. Gaude & lætare filia Edom, quæ habitas in terra Hus; ad te quoque perueniet calix.*

4. Secundò obſeruo hîc repetendum eſſe id, quod ſæpe Deus de ſua fidelitate, atque iuſtitia prædicauit; de qua nonnulli Hebræorum querebantur, quia parũ fideliter videbatur præſtitiſſe, quæ tam apertè priùs, & tam prolixè promiſerat. Promiſerat autem ſternendam eſſe potentiam illorum, qui in populum ſuum hoſtiles ſpiritus imbibiſſent; à quibus eſſent non durè ſolùm, ſed etiam contumelioſè tra- B ctati; ac denique quidquid eſſet impedimenti ad gloriam, & libertatem populi antè captiui, eſſe omnino tollendum. Quæ pars extrema fuit capitis præcedentis, vbi illuſtri genere dicendi declarauit quàm facilis, & quàm glorioſa futura eſſet, & Chriſti victoria, & populi, qui in eius eſſet tutela, felicitas. *Dicite*, inquit, *filiæ Sion, Ecce Saluator tuus venit; Ecce merces eius cum eo, & opus eius corã illo, &c.*

5. Hæc itaque omnia, quæ promiſſa ſunt, fideliter eſſe completa dicit Iſaias; & illum, qui ſe ad ſalutem, aut populi ſui, aut humani generis venturum dixerat munitum galea ſalutis, & lorica iuſtitiæ, iam veniſſe dicit, & proſtratis hoſtibus ſibi glo- C riam immortalem, & ſuis ſalutem, & quietem attuliſſe. Ex his difficile non eſt hiſtoricum ſenſum texere, qui myſtico præclarè ſubſeruiet.

6. ᵃ *Quis eſt iſte qui venit de Edom, &c.*] Iam ſæpe in hoc propheta vidimus quemadmodum futuros rerum euentus nouo dicendi genere ita proponat, ac ſi præſens ipſe præſentes videret, *cap. 49. verſ. 13.* Et iterum *cap. 60. verſ. 4.* quaſi iam adeſſet ad ornandam, & implendam Sionem Gentium multitudine,

tudine, ait *Leua in circuitu oculos, & vide, omnes iſti congregati ſunt.* Et proximè *in fine cap. 62. Tranſite, tranſite per portas, præparate viam populo.* Sic hoc loco Chriſtus à propheta deſcribitur, quaſi iam ſtrauiſſet hoſtes Iudaici nominis, rediretque victor, & triumphans ad liberum iam, & pacatum populum.

7. Non eſt difficile in ſenſu hiſtorico ſtatuere quiſnam ſit iſte, cui obiecta eſt Chriſti ſpecies tinctis veſtibus de Boſra; eſt enim Iſaias, ille idem, qui ſuprà videbat Gentes ad Sionem, ſeu Eccleſiam cateruatim confluere; cuique Dominus ſæpe oſtenderat ſeipſum in datum ſibi negotium à Patre forte venturum, *cap. 61. verſ. 6. Quia ego ipſe, qui loquebar; ecce adſum.* Quem videre videtur eo habitu, ac ſpecie, quo ſtrenuum Imperatorem, qui edita ingenti inimicorum ſtrage veſtimenta retulit reſperſa non ſuo, ſed aduerſariorum ſanguine.

8. Dicitur autem venire de *Edom*, id eſt, de Idumæorum regione, & de *Boſra*, quæ ad Moabitarum imperium ſpectat: quia duæ iſtæ nationes per Synecdochen, pro omnibus etiam aliis vſurpantur, quæ Dei populum aſſiduo, & pertinaci bello tentarunt, vt bene Forerius. Puto autem ab elegantiſſimo propheta alluſum eſſe ad ſignificationem *Edom*, quod *rubrum* ſignificat, quia, vt ſtatim ſubdit, hoſtili ſanguine illius veſtimenta commaduerunt: & ad *Boſra*, quæ cùm vindemiam ſonet, aptè adiungitur *tinctis veſtibus*, nempe tanquam muſto, de torculari. Neque mihi videtur valde alienum, ſi in priori hemiſtichio Hebræorum more ſubaudias ſimilitudinis notam. Hoc ſenſu, *Quis iſte qui venit de Edom, & refert veſtimenta tincta ſanguine, perinde, ac ille qui venit de Boſra, id eſt, de torculari, ſeu vindemia muſto reſperſus.*

9. [b] *Iſte formoſus in ſtola ſua gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ.*] Hic habitus eſt, & ſpecies triumphantis Imperatoris, aut certè feliciter, & ſtrenuè dimicantis. Eſt autem ſpecies longè pulcherrima militis armis inſtructi fulgentibus, & ad militares ordines, aut numeros gradus molientis. De qua apud poetas plurima, vt de Pallante Virgilius *libro 8.*

Chriſti fortitudo.

——Ipſo agmine Pallas
In medio chlamyde, & pictis conſpectus in armis.
Qualis vbi Oceano perfuſus Lucifer vnda, &c.

Eſt autem ſtola hæc, quando de bellatore ſermo eſt, chlamys, quam miles, aut paludamentum, quod Imperator geſtat. Illud *gradiens in multitudine virtutis ſuæ*, idem eſt atque *in multa virtute ſua*, qui in ipſo videlicet inceſſu excelſum pectus, & animum intrepidum oſtentat; vt de leone dicitur *Prouerb. 30. verſ. 30. Leo fortiſſimus beſtiarum ad nullius pauebit occurſum.* Quòd enim in *multitudine virtutis* nō intelligantur militares copiæ, ipſe Chriſtus ſtatim declarat: cùm ait. *Torcular calcaui ſolus.*

10. [c] *Ego qui loquor iuſtitiam, & propugnator ſum ad ſoluendum.*] Hactenus viſio, & interrogatio prophetæ. Nunc reſpondet Chriſtus ad interrogata paucis, iiſdémque valde ſignificantibus verbis. Docet enim ſe illum eſſe, qui ſe hoc ipſum eſſe præſtiturum prolixè, & ſæpe, & nunc proximè apud hunc prophetam, & apud alios multò antè promiſerat. Eſt ergo qui iuſtitiam loquitur, id eſt, qui nihil promittat, quod non re ipſa compleat. Deinde explicat quid promiſerit, nempe miſerorum cauſam in ſe ſibi eſſe recipiendam, & pro illorum ſalute iuxta ſui nominis notationem eſſe dimicandum. Porrò illud & videtur habere vim exponendi, ac ſi dicas. *Ego ſum qui loquor, & promitto, quod fideliter præſto, nempe, qui pro ſalute populi propugno.* Non eſt neceſſe repetere, quoties à Domino hæc promiſſa fuerint; ſed addam vnum tantùm locum, in quo, quæ hic dicuntur, videntur aut iiſdem, aut non valde diuerſis verbis eſſe ſignificata *cap. 19. verſ. 20. Clamabunt ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis Saluatorem, & propugnatorem, qui liberet eos.*

Dei fidelitas.

[d] *Quare ergo rubrum eſt indumentum tuum?*] 11.
Duo hactenus rogarat propheta, quis eſſet qui glorioſus incederet in ſtola ſua veniens de Edom, & cur tinctis veſtibus veniat de Boſra. Alteri interrogationis parti reſpondit Chriſtus, cùm ſe iuſtitiæ, fidelitatíſque cuſtodem, & vindicem ſalutis appellat: cùm ad alteram de cruentis veſtibus nihil reſpondiſſet, iterat interrogationem, & ait, Quare ergo, ſi propugnator es, & triumphantis in modum, ſtolam induis gloriæ, illam rubram affers, & ſtillantem ſanguine; quod minùs aptè conuenit in victorem, & glorioſum principem? Ad quæ mox Chriſtus.

[e] *Torcular calcaui ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum.*] 12.
Sanguis, quo me cruentatum, & veſtimenta rubricata vides, non eſt meus, ſed illorum, quos ego in acie ſuperaui. Qui, cùm multi ſint, & hominum opinione potentiſſimi; non tamen neceſſe fuit quemquam mihi auxilij gratia ad illud certamen aſciſcere. Ego vnus ſtraui infenſas acies, ego calcaui, non ſecus atque in torculari calcantur vuæ; quorum ego ſanguine ſic reſperſus, & inquinatus ſum, ſicut qui pedibus vuas premunt, earum contaminantur muſto. Ex hac metaphora torcularis, & eius, qui in torculari calcat, facilè colligitur, quod modò dicebamus, nihil hoc loco, & hoc dicendi genere Chriſtum pati; ſed illos, qui Chriſti victoris pedibus calcari dicuntur. Sicut, qui in torculari vinum exprimit, vuarum ſucco, ſeu ſanguine, ſic enim *muſtum* appellatur, inficitur.

Chriſtus ad victoriā externa ope non indiguit.

Credo hic alluſum eſſe ad illam Imperatorum 13.
conſuetudinem, qui quos armis ſubiugarunt, ſterni iubent, ſéque aliorum pedibus calcandos præbere, vt diximus ad illud *cap. 51. Incuruare vt tranſeamus.* Hi verò non aliter calcantur à potentiori hoſte, quàm à vinitore racemi in torculari. Immò in vſu fuiſſe puto olim apud Hebræos, vt hoſtes victos non ſolùm ad ignominiam, & ludibrium, ſed etiam ad acerbum cruciatum conculcarent, non tantùm pedibus, quamuis hoc quoque eſſet miſerabile, ſed etiam carpentis, plauſtríſque ferrantibus, ſub quibus domiti animam agerent ægram, & infelicem. Sicut de Moab, aut Boſra, contra quos hoc clamat vaticinium, dixit idem propheta *cap. 27. verſ. 10. Triturabitur Moab ſub eo, ſicut teruntur paleæ in plauſtro: & extendet manus ſuas ſub eo, ſicut extendit natans ad natandum.* Id probat apertiùs factum Dauid *2 Reg. 12. 31. & 1. Paralip. 20. verſ. 2.* qui vt legatis ſuis illatas iniurias vlciſceretur, ſuper Ammonitas iam ferro domitos tribulas induxit dentatas, aut ferro aut acuta ſilice: quos non aliter, quàm meſſem in area contriuit, atque diſſecuit. *Populum*, inquit, *qui erat in ea* (nempe ciuitate Rabba) *eduxit, & fecit ſuper eos tribulas, & trahas, & ferrata carpenta tranſire; ita vt diſſecarentur, & contererentur.* Quod etiam feciſſe Regem Damaſci Azael, habemus ex Amos *cap. 1. verſ. 3. Eò quod triturauerint in plauſtris ferreis Galaad.* Neque aliquid ab hoc longè diuerſum feciſſe videtur Gedeon, *Iud. 8. verſ. 16.* qui ſeniores Socoth, qui laſſis militibus panem negauerunt, inter ſpinas, tribuláſque deſerti comminuit; &, vt verbum indicat Hebraicum, triturauit.

Victi à victoribus ſubſterni, atque calcari ſoliti.

14. Prouerbiũ. Cùm autem à potentiori hoſte, & grauiter inſenſo ſupplicium de inimicis ſumitur acerbum, & horribile, puto prouerbiali ſpecie dici *in torculare calcare*. Quo ſenſu ego expono illud *Thren.1.verſ.15.* (Thren. 1.) *Torcular calcauit Dominus virgini filiæ Iuda.* Quod indicat S.Thom.Hugo, Rabanus, & clariùs Theodoretus, qui ait ſæpe in Scriptura grauiſſimum ſupplicium cum torculari comparari. Quod item docet Ioannes *Apocal.cap.14.verſ.19.* (Apoc. 14.) *Miſit in lacum iræ Dei magnum, & calcatus eſt lacus.* Ad quam prouerbij figuram pertinere exiſtimo, quod tam apud Ieremiam, quam apud Ioannem ſuprà *vindemiare* pro *punire* aut *delere* ſumitur, quia eò ſpectat vindemia, vt, quæ è vite collecta ſunt, in torculari B premantur.

15. Hîc duo inſuper obſeruanda, alterum, in Scriptura vuarum ſuccum vocari *ſanguinem*; alterum in *veſtimentis tinctis* abundantiam rerum indicari; in quo nonnihil momenti eſt ad vim comparationis. De priori exemplum habes *Deut.32.14. Sanguinem vuæ biberet meraciſſimum. Eccl.50.verſ.16. Porrexit de ſanguine vuæ.* De *tingo*, ſeu *lauo* Deut.33.v.24. (Lauo, & tingo abundantiam ſignificant.) *Tinget in oleo pedem ſuum.* Et *Iob 29.verſ.6. Quando lauabam pedes meos butyro. Pſal. 67. Vt intingatur pes tuus in ſanguine.* Vtrumque coniungitur *Gen.49. verſ.11. Lauabit in vino ſtolam ſuam; & in ſanguine vuæ veſtimentum ſuum.* Iuxta hæc ſenſus erit, Magnam vim ſanguinis effundet, quo ſua tinget veſtimenta; ſicut qui ex torculari vuæ ſanguine veſti- C menta contaminant. Porrò hîc per metonymiam *torcular* pro vuis ponitur, ſicut *area* pro frumento, *cella* pro vino.

16. Dies à Deo deſtinatus peccatorum ſupplicio. [f] *Dies enim vltionis in corde meo: annus retributionis meæ venit.*] Statuerat Dominus apud ſe quàm diu permiſſurus eſſet homines peccare, ſuſtinueratque vltricem dexteram ab infereoda plaga. Venit tamen tempus retributionis, id eſt, tempus, quo pœnas dependerent ſcelerum ſuorum inimici Dei. Vide quæ diximus ſuper hæc verba, aut his proxima *cap.35.num.15.* vbi etiam ſermo eſt de Edom, & Boſra, vt diximus ibidem *num. 11.* Quòd ſi pro retributionis, legas *redemptionis*, vt habent codices Sixtiani, ſenſus eſt idem; nam idem dies, qui Chaldæis, id eſt, inimicis exitium attulit ab vltore Deo, D idem Iudæis apud ipſos captiuis, à miſericorde, & benefico attulit libertatem: immò eodem vaticinio, atque decreto conſignata ſunt, & Babylonici imperij finis, & Iudaicæ libertatis exordium. *Ierem. cap.25. Seruient omnes gentes iſtæ Regi Babylonis 70. annis. Cùm impleti fuerint 70. anni, viſitabo ſuper Regem Babylonis, &c. & ſuper terram Chaldæorum; & ponam illam in ſolitudinem ſempiternam.* Vide noſtra commentaria in Zachariam *cap. 1. numero 63.*

17. [g] *Circumſpexi, & non erat auxiliator: quæſiui, & non fuit, qui adiuuaret.*] Eadem eſt ſententia per epexegeſim iterata; reddit autem rationem, cur ſolus calcauerit torcular, id eſt, glorioſum ex debellatis hoſtibus retulerit triumphum; quòd licèt ipſius E potentiæ magna ſit commendatio, tamen ipſe vult ſuorum conſiliorum cooperatores habere, & adminiſtros. (Chriſtus ad ſalutis noſtræ opus externa ope non eguit.) Hæc communiter. Sed certè non videtur durum, ſi dicamus, hac illuſtri dicendi figura ſignificari, quod ſuprà ſimplicius, *& de Gentibus non eſt vir mecum.* Neque enim credibile apparet ſtrenuum illum bellatorem, cuius potentiæ longè eſſet impar, & inſtar nihili omnis humana virtus, auxilio ſibi quæſiuiſſe virtutem externam. Ex hoc verò dicendi genere ſatis ſignificanter oſtenditur nullum

A omnino Chriſto auxiliarem operam præſtitiſſe. Loquitur verò humano more Deus, & dicit luſtraſſe oculis ſe omnem locum, attentéque peruestigaſſe omnia, neque fuiſſe vllum, qui ad tantum opus ſatis haberet virium, vt exponit Adamus, vel cuius opera ad fœlicem eius exitum indiguerit. Quæ explicatio in ſpirituali ſenſu, id eſt, procuranda animorum ſalute, facilis eſt, & manifeſtè vera; cùm eius ſalutis procuratio, & donum ad illum pertineat, qui verè, & propriè Saluator eſt. Quod etiam ſi de re Iudaica, libertatéque à Babylonico iugo interpretere, quàm veriſſimè dicitur, Chriſtũ nullum habuiſſe auxiliatorem. Nam ſi propriè loquare, au- B xiliator ille dicitur, qui, quod alteri virium, aut facultatis deeſt ad opus perficiendum, ſuis viribus, atque ſolertia ſupplet. At Chriſto nihil omnino deerat, non ad illa ſolùm, ſed etiam ad plura, atque ad maiora [f] præſtanda. Nam licèt Cyrus adminiſter fuerit diuini conſilij, quo delere voluit Chaldæorum imperium, tamen illius opus atque conatus eiuſmodi fuit, vt qui diuino irradiati lumine rem intuebantur, quique in Cyro Deum contemplabantur abſconditum, vnius Dei opera rem totam confectam eſſe dicerent. Iſaias *cap.45.* totum Babylonicæ libertatis opus Deo aſcribit, non Cyro, qui ad id negotij nihil attulit momenti, ſed totum opus peregit Deus, qui in Cyro, & in illius caſtris erat abſconditus. *Verè*, inquit, *tu es Deus abſconditus* C (nempe in Cyro) *Deus Iſrael Saluator.* Vide, quæ ibi diximus.

[h] *Saluauit mihi brachium meum, & indignatio mea ipſa auxiliata eſt mihi.*] Circumferens quoquo 18. verſus oculos nullum reperit Deus, cui arduum illud diuinæ virtutis negotium committeret, & quem ſibi ſocium ad opus redemptionis aſſumeret; quare à ſe ipſo ſumpſit, quo & populum captiuum, & venditum redimeret, (quocumque accipias modo) & inſolentem tyrannorum, & miſerorum capiti, nimiùm contumelioſè, atque hoſtiliter inſultantem opprimeret. Sumpſit primùm à ſe omnipotentem virtutem, quæ in *brachio* ſignificatur; & zelum, qui *indignationis* nomine intelligitur, qui Zeli vis, & natura. omnipotentem dexteram ad arduum illud certa- D men armauit, adduxitque, vt miſerorum cauſam ſuſciperet, & defenderet; & violentorum ſpiritus, & potentiam frangeret. En fortaſſe ſenſu quo *Sap. cap.5.verſ.17.* Vbi cùm ſermo eſſet de iuſtorum, & oppreſſorum cauſa, quam ſuam ſibi Dominus eſſe voluit, idem propè verborum, & genus, & ordinem adhibuit. *Dextera ſua*, inquit, *reget eos, & brachio ſancto ſuo defendet illos: accipiet armaturam zelus illius.* Vide quo modo zelus accipiat, & quaſi vibret arma, quæ Deus in omnipotentiæ ſuæ armamentariis repoſuit. Duo itaque in hoſtium Dei ſtragem conuenerunt aut conſpirarunt aduerſaria, potentia Dei, quæ fuerunt tanquam vaſa bellica, & zelus ſeu indignatio, quæ illa ex diuino armamentario deprompſit: Quemadmodum, vt bellum Rex alteri E ſecundum inferat, neceſſe eſt, vt bene ſit armis, & copiis inſtructus: quod tamen nullum hoſti nocumẽtum afferet, niſi ardor accedat animi, aut alius infenſi pectoris motus acrior, qui armorum vim illam ingentem in hoſtem contorqueat. Quid enim nocerent tela in armamentario concluſa? non ſanè magis quàm gladius, quantumlibet acutus, in vagina reconditus.

Sicut *ſalus* pro re ſtrenuè atque feliciter geſta 19. ſumitur (vnde frequens *facere ſalutem*, in Scriptura, Salus, idem quod victoria, aut rem præclare gerere. pro *victoriam obtinere*, ſeu *gerere rem præclare*) ſic ... etiam

Digitized by Google

etiam *ſaluare* idem eſt quod ſalutem facere eo, quem dicimus ſenſu, id eſt, vincere aut agere proſperè. Sic ego accipio illud 1. *Reg.* 14. *verſ.* 6. quod aggreſſurus Philiſtinorum ſtationem dixit Ionathas ad armigerum. *Non eſt Domino difficile ſaluare, vel in multis, vel in paucis*, id eſt, ſalutem facere, & admirabilia edere ſuæ virtutis documenta. Et *Pſal.* 97. *v.* 1. *Quia mirabilia fecit, ſaluauit ſibi dextera eius, & brachium ſanctum eius.* Hoc verò non leui coniectura perſuadet illa vulgaris Hebræorum acclamatio in triomphis, feſtiſque pompis *Hoſanna*, id eſt, *euge* aut *io triumphe*, ſeu quod *Pſal.* 44. de Chriſto triumphatore canitur. *Intende, proſperè procede, & regna.* Datiuos verò *ſibi Pſal.* 97. & *mihi* hoc Iſaiæ loco paragogicos eſſe arbitror, quod apud Hebræos familiare eſt, vt diximus *cap.* 59. *num.* 61. hoc ſenſu, Brachium ſaluauit id eſt, ſalutem fecit. Quòd ſi paragogen iſtam non admittas, ſenſus tamen non erit diuerſus, nec difficilis, nempe, Brachium meum ſaluauit mihi, id eſt, mea mihi potentia ſalutem, id eſt, victoriam peperit. Vide quæ diximus *cap.* 60. ad illud *Occupabit ſalus muros tuos.* Vbi *ſalutem* pro victoria, & laude vſurpari diximus.

20. Quòd ſi adhuc tibi hoc durum videtur, quia minùs vſitatum, & illud *mihi* paſſiuè ſumas, quia nimirum perſona patiens eſt, & cui collata ſalus, quæ in datiuo ponitur iuxta Hebræorum idioma apud quos verbum ישׁע Latinè *ſaluo*, datiuum exigit, non erit valde diuerſa ſententia: quoniam hoc dicendi genere etiam ſignificatur victoria: Nam ſi ex conflictu quis incolumis, & ſaluus euadit, maximè ſi ſolus in confertas inimicorum copias inſilit, ex quibus egreſſus eſt tinctis alieno ſanguine veſtimentis, ſane ille ſignificat à ſe partam eſſe victoriam. Neque exemplum deeſt in eadem omnino materia ſatis idoneum; nam *Zachariæ cap.* 9. *verſ.* 9. vbi Vulgatus, *Ecce Rex tuus veniet tibi iuſtus, & ſaluator.* pro *ſaluator* Hebraice eſt in coniugatione paſſiua niphal נושׁע *noſahh*, id eſt, *ſeruatus*. Nam qui in conflictu euento ſoſpes eſt, ille victor exiſtimari ſolet.

21. i Pro *indignatio mea*, Hebraicè חמתי *chamathi*, quod *ardorem* ſeu *calorem* propriè, figuratè verò *furorem*, ſeu *indignationem* ſignificat. Quod nomen etiam zelo, qui igneæ cuiuſdam naturæ eſt, accommodari poteſt. Certè *Cant.* 8. illi lampades ignis, atque flammarum tribuuntur; nam cùm præceſſiſſet, *Dura ſicut infernus æmulatio.* Hebr. קנאה *kinah*, quæ vox *zelum* valet, vt frequentes ibi interpretes, addit *lampades eius, lampas ignis*, aut *ſcintillæ ignis*: à zelo autem nunquam abeſſe ſolet furor, & indignatio contra illos, qui ei infenſi ſunt, & noxij, de cuius ſalute zelus alicuius laborat; qui nihil eſt aliud, quàm ſollicitus, offenſus, aut irritatus amor.

k *Conculcaui populos in furore meo.*] Hic explicat metaphoram, quæ paulò videbatur obſcurior; & docet quodnam ſit illud torcular, quod calcauit ſolus, nempe populos, quos ſua virtute contriuit. Hic verò meminiſſe oportet per metonymiam *torcular* ſumi pro racemis, ex quibus in torculari ſuccus exprimitur, quare ſuperati, atque calcati populi non tam cum torculari, aut prælo, quàm cum vuis eò comportatis comparantur.

22. l *Inebriaui eos indignatione mea.*] Docuimus *capite* 51. *num.* 38. rem ſignificatam aliquando pro ſigno ſumi & *num.* 68. hoc ipſum exemplum adduximus, oſtendimúſque *indignationem* ſumi pro indignationis argumento, quale eſt ſupplicium, aut quicquid ab offenſione naſcitur. Quem locum adi, qui valde præſenti teſtimonio prælucet: ibi enim ſimili mulctati ſupplicio dicuntur *plens* eſſe *indignatione Dei*, ſicut hîc *inebriati*. Intelligitur autem hic poculum, aut calix, quæ affinia ebrietati ſunt, & pro ira ſæpius vſurpantur, atque ſupplicio. Vide quæ diximus *eodem cap.* 51. *a num.* 56. & *cap.* 29. *num.* 14.

m *Detraxi in terram virtutem eorum.*] Paulò antè diximus à victoribus victos ſterni ſolere, conculcarique ac conteri, ſicut in torculari botri, aut in area frumenta. Ad hanc conſuetudinem ſpectare arbitror præſentem locum, in quo populi indignationis poculo inebriati, detracti dicuntur, id eſt, abiecti, in terram. Quæ dicendi forma miſerrimam conditionem, & extremam fortunam hominum ſignificat. 23.

Hæc hiſtoricè, & meo iudicio quàm veriſſimè de ſtatu Iudæorum, cui Deus per Cyrum tam amanter, ac prouidè conſuluit; ſed in typo, vt ſæpius à nobis dictum eſt. Nunc verò myſticè, id eſt, de generis humani redemptione eadem explicare tentemus. Quod faciunt Patres, & expoſitores frequentes in ſpiritualem magis, quàm in hiſtoricum, id eſt, in medullam dulcem magis quàm in durum; atque aridum corticem intenti. In hoc ſenſu tractando nos erimus parciores; quia alij ferme omnes in eo plus olei, atque operæ poſuerunt, a quibus myſticus hic ſenſus commodè, & facilè peti poteſt. Vide præcipuè Hieronymum, & Cyrillum. 24. Huc vſque hiſtoria, núc allegoria.

n *Quis eſt iſte qui venit de Edom.*] Hæc plerique ſecuti Dionyſium *cap.* 7. *de cæleſt. hierarchia* ſentiunt Angelorum eſſe verba. Putant autem (licèt hoc à Dionyſio non didicerint) dicta fuiſſe, aut certè expectare tempus illud quo Chriſtus victor, & glorioſus cum triumphali pompa remigrauit in cælum; quod mihi valde probatur. Nam ſine dubio, vt in hiſtorico ſenſu diximus, hic habitus triumphantis eſt; & hæc interrogandi forma, *Quis eſt iſte?* admirationem, & ſtuporem indicat eorum, qui interrogant. Quod faciunt in Canticis ſæpe puellæ pſaltriæ, quæ ſponſæ pulchritudinem admiratæ canunt, *Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum. Cant.* 3. *verſ.* 6. & iterum *cap.* 8. *verſ.* 5. & *cap.* 6. *verſ.* 9. *Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora.* Et huiuſmodi centies tibi occurrent exempla. Eſt ergo vox iſta Angelorum, qui triumphali cantico glorioſum Chriſti aſcenſum celebrant, & artificio planè admirabili victoriæ magnitudinem, & roboris præſtantiam extollunt, & amplificant. 25.

Edom *rubrum* ſonat, & Boſra *vindemiam*, cui accommodatè ſubditur, & eidem metaphoræ conſentaneè torcularis nomen. Quare optimè his vocibus adumbratur Chriſti paſſio, nam & ibi calcauit inimicorum potentiam, & vires eliſit. Vnde ſpecioſiſſimam ſtolam humanitatis ſuæ ſic retulit inquinatam ſanguine, ſicut qui pedibus racemos calcant, vuarum muſto veſtimenta reſpergunt, ita Patres communiter. 26.

Sed obſtat, quod, vt textus ipſe neceſſariò conuincit, ſanguis ille Chriſti non eſt, ſed inimicorum; dicit enim apertè Chriſtus, *aſperſus eſt ſanguis eorum ſuper veſtimenta mea.* Hæc ſanè ratio grauis, neque ego video, quid ſuperioris ſententiæ ſectatores reſpondere poſſint, quod ſtudioſo lectori admodum ſatisfaciat. Accedit quòd ſtola Chriſti, id 27.

Google

eſt, humanitas, quo tempore hæc interrogant Angeli, non erat aſperſa ſanguine, licèt in ea Chriſtus ſeruauerit in omnem æternitatem vulnerum veſtigia; ſed hæc nihil ad muſtum, quo in torculari calcantium indumenta tinguntur. Neque ſi de Chriſti ſanguine hic eſſet ſermo, ſatis opportuna ad Angelorum interrogationem videretur Chriſti reſponſio, quæ non tam ſuam paſſionem, & mortem, quàm inimicorum ſtragem cauſam eſſe dicit.

18. Quare ego ſpiritualem ſenſum aliter inſtituo, ita vt fingatur Chriſtus (vt fieri in ſcriptura ſæpe ſolet) humano modo bellum cum ſpiritualibus hoſtibus iniiſſe, & ea reportaſſe ſigna ea ea victoria, quæ vulgares alij victores referre ſolent ex hoſtibus magno numero, & ingenti clade ſua manu conciſis. Sanguis autem ille hoſtilis adeò non fœdat victoris arma, aut chlamydem, aut quodlibet aliud militare ornamentum, vt glorioſum ſibi ducat, & ſtudio habeat illud aliorum oculis ſpectandum obiicere. In laude præcipua ponit Dauid in Saulis epicedio, ipſius clypeum imbutum fuiſſe inimicorum ſanguine, ſi vera eſt ſententia Abulenſis, qui, vt diximus *cap.* 21. *num.* 39. in eum ſenſum accipit illud 2. *Reg. cap.* 1. *Clypeus Saul quaſi non eſſet vnctus oleo.* Certè Romani gladiatores non putabant indignum notatas habere veſtes antagoniſtæ ſanguine; immò & manus, & faciem, cùm ſtudioſè id ipſum facerent, vt circumferrent ſecum victoriæ monumentum. Quod etiam feciſſe traditur Imperator Commodus auctore Lampridio, qui manus aduerſarij ſanguine madentes in facie deterſit. Exempla ſunt obuia illorum, qui in ſtemmatis, nobilitatíſque loco habent ſanguinem ab hoſte profuſum; quo notarunt patriæ nobilitatis inſignia, vt de Rege Aragoniæ N. referunt eius regni antiqui annales, qui in ſcuto ſeruari voluit deterſæ manus ab hoſtili cruore perpetua veſtigia. Neque deſunt nunc qui poſt longa ſæcula adhuc in domus præcipuo loco ſeruent veſtimenta hoſtium infecta ſanguine. Eo itaque modo Chriſtus deſcribitur triumphator de mundi, tenebrarúmque principibus, qui licèt ſanguinem non habeant, ſanguine tamen metaphorico in triumphantis chlamyde metaphoricè rubente ſubiugati à Chriſto, atque conciſi deſignantur. Neque puto id durum viſum iri ei, qui ſcripturæ conſuetudinem nouerit, & ad Chriſti aſcendentis gloriam maximè apparet opportunum; qui tanquam nobilis triumphator ſecum in cœlum attollebat prædam, quam ex immanium hoſtium manibus extorſerat. Ad hunc puto locum reſpexit *Ioan. Apocal.* 19. vbi Chriſtum triumphantem, & victorem deſcribit equo inſidentem albo, indutum veſte aſperſa cruore, calcantem torcular, & ne quid deeſſet eorum, quæ de Chriſto adducit Iſaias, *fidelem* appellat, *& veracem, qui que cum iuſtitia iudicat, & pugnat.*

19. o *Iſte formoſus in ſtola ſua gradiens, &c.*] Quod vno loco fœdum eſt, id alio loco ſolet eſſe perquam honeſtum: quia quod vno loco virtutis eſt indicium, idem alio loco animi prauè conſtituti, aut rei crudeliter geſtæ argumentum eſt. Sordidæ veſtes in luctu, & funere ingenuos decent, & principes viros; extra illum rerum articulum ſeruile, atque ignobile veſtimentum eſt: Gladius in acie latus militum non ſolùm inſtruit, ſed etiam ornat; in pacata vrbe gladium aut telum geſtare antiquis legibus ſcelus erat, & ſicariorum inſigne; In bellatore, veſtis reſperſa ſanguine honeſta eſt, militémque reddit non ſolùm nobilem, ſed etiam formoſum, & elegantem; extra illum locum ſanguinarium hominem, & inhumanum arguit; Reprehendit Dominus, tradendúmque dicit igni veſtimentum mixtum ſanguine, ſuprà *cap.* 9. *verſ.* 5. *& cap.* 1. *verſ.* 15. ideo ſibi negat placere Iudæorum ſacrificia, quia à manibus veniunt ſanguine fœdatis. Eodem etiam modo *Iere. c.* 2. *v.* 34. reprehendit Ieruſalem, quòd veſtimenta haberet ſanguine ſtillantia, *In alis tuis inuentus eſt ſanguis animarum pauperum.* Quia verò hic ſtola eſt bellatoris, triumphantíſque ducis, eáque reſperſa hoſtili cruore, formoſum reddit, atque conſpicuum Chriſtum.

Si veſtimenta Chriſti ſanguine ipſius reſperſa ſunt, vt plerique interpretum arbitrantur, hoc videtur modo non ineptè poſſe conciliari, cum eo, quod proximè ſequitur, *aſperſus eſt ſanguis eorum ſuper veſtimenta mea.* Fieri ſolet vt leuis iniuria, aut plaga graues excitet motus, cauſáque ſit vt plurimum effundatur ſanguinis, adeò vt vna ſanguinis gutta cauſet in lacum, ſicut etiam parua ſcintilla ſyluam incendit. Qui ergo leuiter ab alio percuſſus, ſitiénſque vindictæ ſanguinem oſtendens ex accepto vulnere fluentem, diceret, Tingat non meo, ſed eius ſanguine, à quo læſus ſum; ac ſi dicat. Dabit mihi pœnas effuſi ſanguinis, qui ferro me leuiter perſtrinxit; & hæc ſanguinis gutta, quę modicè tinxit me, efficiet vt aliorum ſanguine totus commadeam. Qui ita diceret, nihil credo diceret alienum à vulgi conſuetudine, ſicut is, à quo argenteus vnus, per vim aut iniuriam extortus eſt; aptè diceret cùm de vindicta cogitat, Hic argenteus locupletem me reddet, quia hoſtes ſupplicij metum multa pecunia rediment. Sic nunc Chriſtus, licèt ſuo ſit ſanguine reſperſus, aptè tamen diceret illum ſanguinem inimicorum eſſe; quia faciet vt aliorum ſanguis ſic effundatur, ſicut in torculari muſtum è racemis. Qua figura ſermonis, per metonymiam effectus pro cauſa ponitur. Et quidem, ſi ſermo eſt de Iudæorum ſtrage per Romanos, vt multi volunt, in quibus ſunt Hieronymus, & Haymo, res eſt aperta; Scimus enim quanti ſteterit Iudæis Chriſti ſanguis effuſus, & quàm illis grauis illa imprecatio fuerit: *Sanguis eius ſuper nos.* Sed eſt multò magis ad textum ſuperior expoſitio. 30.

p *Ego qui loquor iuſtitiam, & propugnator ſum ad ſaluandum.*] Hæc penè eadem de Chriſto victore Ioannes *Apocal.* 19. cui etiam attribuit veſtem aſperſam ſanguine, à quo *v.* 11. vocatur *fidelis, & verax, & qui cum iuſtitia iudicat, & pugnat,* ſicuti Chriſtum locutum eſſe diximus. Quia in reuocando Iudæorum populo, delendóque Chaldæorum imperio impleuit fideliter, quod liberaliter antè promiſerat. Sic multò ſæpius redemptorem ſe obtulerat, multíſque prædixerat modis; id verò nunc expletum oſtendit, cuiúſque rei ſanguinis notas in veſtimento producit. 31.

q *Torcular calcaui ſolus.*] Si de tempore paſſionis accipias, ſolus Chriſtus ingens illud pondus ſuſtulit, cùm etiam à Patre iam iam acturus ſpiritum, derelictum ſe clamaret. Quod multò antè prædixerat Dauid *Pſalmo* 21. Vnde Chriſtus illa verba ſumpſit, *Quare me dereliquiſti.* & *Pſalm.* 68. *Et ſuſtinui qui ſimul contriſtaretur, & non fuit; & qui conſolaretur, & non inueni.* & Zacharias *cap.* 1 *Percu-* 32.

Chriſtus in paſſione, & noſtræ ſalutis cauſa, ſolus.

tiam

tiam paſtorem, & diſpergentur oues. Si verò non tam de paſſione, quàm de ſublato tenebrarum regno, fractáque Dæmonia potentia, ac redempto mundo ſermo ſit (quod ſanè reipſa à paſſione diuerſum non eſt, crucíſque myſterio, quia & homo vetus crucifixus ibi, & inferni claustra reuulſa, & mors in ſempiternum præcipitata, & illa tandem ab expugnatore Chriſto peracta, quæ glorioſum illius triumphum, & aſcenſum in cœlum illuſtrarunt) ſolus Chriſtus opus illud abſoluit. Salus etenim hominum, quæ victo Diabolo, & iis, qui Diaboli conſiliis ſeruiebant obtenta fuit, diuinæ fuit virtutis, ad quam hominis induſtria Chriſto nihil opis attulit, aut afferre potuit, ſi facultatis humanæ virtus penſetur, eo ſenſu, quo ſuprà diximus ad liberandum ab exilio populum captiuum nullam operam contuliſſe Cyrum; in quo Deus totum opus abſoluit.

33\. Chriſtus de mundo, & diabolo victor.

ᵉ *Dies enim vltionis.*] Ad illud vſque tempus videbatur mors dominari in mundo, atque in eo Diabolus latè, atque impunè graſſari: ſed vbi venit retributionis, atque vltionis deſtinatus annus à diuino conſilio, illo nempe, in quo Deus veſtimenta ſua cruore reſperſit, extinctum eſt Diaboli, atque mortis imperium: & mundi, ad illud tempus ineluctabilis, fracta potentia. De mundo, & Diabolo dixit Chriſtus, ad hunc credo locum, vel ad alium ſimilem, de quo ſuprà, ſpectans, *Ioan.* 12. *Nunc iudicium eſt mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras.* Dixit Chriſti nomine item Oſeas *capite* 13. *verſ.* 14. *Ero mors tua, ò mors, morſus tuus ero inferne.* Idem de Chriſto cecinit Abacuc *cap.* 3. *Ante faciem eius ibit mors, egredietur Diabolus ante pedes eius.* Cætera promptum eſt cuilibet ad myſticos ſenſus deriuare: ad quos ſatis patent, quæ diximus, dum hiſtoricum texeremus, aut tractaremus corticem. Nunc ad hiſtoricum filum, quod paululum intercidimus redeamus.

Ioan. 12.

Redit ad hiſtoriã, & typum.

34\. Gratus, & humilis animus optimè ad orationẽ munitus.

ᶠ *Miſerationum Domini recordabor.*] Hactenus ſpectauerat propheta Chriſtum victorem illuſtri prælio perfunctum, quod deletis hoſtibus populum à longa atque moleſta ſeruitute liberarat. Renouauit illud inſigne beneficium aliorum memoriam, quæ prioribus ſæculis idẽ Dominus in eandem Gentem ſæpe, luculentérque contulerat; & illorum profitetur ſe nunquam non futurum eſſe memorem. Quæ ſanè, ſi vera ſunt, quod reliquum eſt capitis, non multum nobis faceſſet negotij; Cùm autem hæc eò ſpectent, vt aliquid Babylonica libertate maius à Chriſto exoret, promittit id, quod ad orationis pondus plurimùm confert, nempe animi grati memoriam, quæ valde laxat diuinum pectus, ad omne liberalitatis officium; Dum autem antiqua beneficia commemorat, ea ſupra omnia populi merita, & ab vna Dei ſingulari miſericordia profecta dicit; quod ad obtinendum, quod à Domino poſtules potentiſſimum, & quàm ſæpiſſimè à Patribus vtriuſque Teſtamenti repetitum eſt. Nouerat enim orationem humiliantis ſe penetrare cœlos, libentérque admitti, non ad aures ſolùm diuinas, ſed etiam ad animum. Contrà verò exanimatam eſſe, & languidam orationem illam, quæ ab animo inſolenti, ſibique poſtulata omnino deberi exiſtimanti naſcitur. Quæ, vt à ventoſo, atque inflato non tam pondus habet, quàm ſpeciem vacuam, vbi primùm erupit, tanquam à vento fumus, antequam ſcopum, quò deſtinatur, attingat, diſ-

A flatur, & vaneſcit. Ideo propheta, quia preces ſuas inanes excidere non vult, à ſe, populóque ſuo, cuius perſonam ſuſtinet, omne remouet meritum: & quòd ille tot fuerit ornatus beneficiis olim, & quòd hoc extremum tandem acceperit, vni refert acceptum Dei benignitati. Id enim totum ſignificat illud: *Quæ largitus eſt ſecundum indulgentiam ſuam, & ſecundum multitudinem miſericordiarum ſuarum.*

Et dixit, Veruntamen populus meus eſt, filij non negantes: & factus eſt ei ſaluator.] Multa fuerunt olim in populo Iſraelitico, quæ diuinam miſericordiam auertere, aut certè retardare potuiſſent, vt ſatis exploratum eſt his, qui illius populi in- B genium durum, & peruicax in longa peregrinatione per deſertum, & toto etiam tempore, quo populus Dei vocari potuit, obſeruarunt. Sed quæ Dei inexhauſta bonitas eſt, & ſupra omnem admirationem profuſa liberalitas, ornauit tamen populum recentibus quotidie beneficiis, neque patris nomen, aut ſtudium abiecit. Dixit enim, cùm clamarent peccata, & magis diuinum furorem acuerent, quàm miſericordiam inflecterent, id quod pater in rebellẽ filium, & parentis imperium detrectantem, *Veruntamen populus meus eſt.* Id eſt, licèt ille ingenio ſit illiberali, & dignus, qui à me quàm longiſſimè repellatur, tamen filius eſt meus, neque, ſi ipſe filij nomine indignus eſt, ego aut pa- C tris nomen aut curam deponam. 35. Dei patientia.

ᵍ *Filij non negantes.*] Hæc quomodo in Hebræum populum conuenire poſſint, non facile eſt ſtatuere; nam derelictum eſſe Deum à negante populo non ſolùm in deſerto, cùm illum longæ tæderet viæ, ſed in ipſa promiſſionis terra, millies audimus; vnum tamen, aut alterum locum producam, cui ſimiles in Scriptura alij plures occurrent. *Deuteron.* 32. Moyſes de hoc populo: *Dereliquit Deum factorem ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo.* Et *Pſalm.* 77. de tempore, quo iam ab Iſrael poſſidebatur terra. *Auerterunt ſe, & non ſeruauerunt pactum, quemadmodum patres eorum; conuerſi ſunt in arcum prauum. In iram concitauerunt in collibus ſuis, & in ſculptilibus ſuis ad æmulationem eum prouocaue- D runt.* Quidam hæc non ad omnem multitudinem referunt, ſed ad paucos qui in illa multitudine fuere non negantes. Quod aliquandò per ſynecdochen in Scriptura fieri conſtat; quomodo latrones in cruce improperaſſe dicuntur Chriſto *Matth.* 27. quia illorum alter improperauit. Et *ad Hebræos cap.* 11. ſecti, & lapidati, & leonum ora obturaſſe dicuntur prophetæ, cùm tamen ex illis vnus ſectus ſit Iſaias, lapidatus Ieremias, & vnus Daniel ora obturaſſe leonum inueniatur. Hæc quidem non improbabilia. 36.

Sed credo faciliorem aliam magíſque inſtitu- E to ſermoni accommòdatam explicationem eſſe: Quam antequam propono, obſeruo, vbi noſter interpres habet, *non negantes*, Hebr. eſſe לא ישקרו *lo ieſaqueru.* Quod verbum eſt futuri temporis, non participium: & ita omnes præter Vulgatum, per futurum conuertunt. Tigurina, *nequaquam fallent.* Vatablus, *non mentientur.* Eodem modo Pagninus. Septuaginta, *nequaquam reprobabunt.* Neque his contrarius eſt Hieronymus, qui participium adhibuit. Quòd ſi adiungas futurum tempus *erunt*, idem erit omnino ſenſus, neque enim aliud eſt, *non negabunt*, quàm, *non negantes erunt.* Et quidem Haymo, & Forerius tempus illud futurum ſupplent. Neque ab hac explicatione longè 37.

 abit

abit Hieronymus, niſi quòd conditionem adhibet in hunc ſenſum, *Si me ſpernere, & negare deſierint, ſentient Saluatorem.*

Ego ſenſum eſſe puto parum à ſuperiori diuerſum, diuerſum tamen, quem attempero ingenio parentis qui laceſſitus à filiorum intemperie, perfert tamen, & ſpe melioris frugis illius gerit ſedulam, & benignam curã; atque ad honeſtum, & tali parente non indignum cultum neceſſaria ſuppeditat. Benigni parentis erat illa vox: *Offendit me populus, veruntamen populus meus eſt*; Benigni item hæc; *Rebelles fuerunt filij, neque paterni amoris, atque officij memores me ſæpe negauerunt. Sed aſſument deinceps meliorem mentem: neque iam ampliùs me negabunt.* Solent autem Patres propter amoris abundantiam multa ſibi de filiorum ingenio, ſiue ſtudio promittere, nil non ſperare. Deus igitur, qui ſæpe humanis ſe ingeniis, atque ſenſibus accommodat, eo inducitur modo de filiis antè rebellibus deliberans, quo pater filiorum amans; quare ait. Saluabo nunc populum dignum licèt quantauis ſupplicij acerbitate, quia mihi deinceps multò, quàm antea fideliùs obſequetur. Non multò aliter Deus in vineæ parabola *Matth.* 21. Nam cùm vineam à patrefamilias locatam agricolæ ſcelerati ſibi retinuiſſent, occidiſſéntque ſeruos, qui miſſi fuerant, vt quod ad dominum vineæ pertineret, reciperent, vineam tamen non abſtulit, neque debitas exegit pœnas ab agricolis, quia futurum ſperabat, vt ingratum illum animum, & immitem deponerent ad filij conſpectum. Atque ita dixit, *Verebuntur filium meum*: ſic modò eadem ſpe Dominus dixit: *Non negabunt*, aut *filij erunt non negantes.*

38. ° *In omni tribulatione eorum non eſt tribulatus; & angelus faciei eius ſaluauit eos.*] Locum iſtum difficilem reddit varia tranſlatio, mirè enim à vulgato alij variant interpretes. Quidam enim negationem tollunt, legendúmque putant, *In omni tribulatione eorum tribulatus eſt*: Et ita Pagninus vertit, & legunt communiter Hebræi; immò hoc non improbat Hieronymus, qui tres adducit huius loci expoſitiones. Prima eſt, *In omni tribulatione ipſorum ipſe tribulatus eſt*. Secunda, *Non eſt tribulatus, vt parumper eos deſereret, & nudatos auxilio ſuo cogeret ad rogandum*. Tertia, *Nequaquam tribulauit eos, ſed è contrario cæteris perſequentibus adiutor fuit*. vbi verbum צר tſar, actiuè expoſuit: ego quidem quid ſentiam, paucis exponam.

39. Primùm duæ voces Hebraicæ ambiguam nobis reliquerunt hanc vaticinij partem, altera לא *lo*, id eſt *non*, pro qua aliqui videntur legiſſe לו *lo*, id eſt *ei*, vt notauit Hieronymus. Iuxta poſteriorem lectionem, quidam tranſtulere, *In omni tribulatione eorum ei tribulatio*, id eſt, ille tribulatus eſt. Altera vox eſt צר *tſar*, pro qua Vulgatus *tribulatus*, quæ actiuè etiam reddi poteſt *tribulauit*, vt vertit Chaldæus, & probat Hieronymus. Iuxta hæc tres expoſitiones eſſe poſſunt, quas Hieronym⁹ adduxit. Quas vbi explicuerimus, facile erit ſtatuere, quid nobis tandem ſit maximè probandum.

40. *Cur Deus poſtulata differat, & ſe durum orãtibus oſtendat.* Prima expoſitio non videtur mihi difficilis, quòd videlicet Deus ideo cum tribulatis non tribuletur, vt lachrymas exprimat, & preces; vt homines intelligant vrgente vexatione, quæ ſola interdum dat intellectum, à Deo ſolùm ſuam incolumitatem, & ſalutem pendere. Quod feciſſe dicitur aliquando Dauid, quando cum Deo piè, atque humiliter expoſtulat, quòd nihil videatur habere penſi, quid alij patiantur. *Pſalm.* 43. *verſ.* 23. *Exurge, quare*

A *obdormis Domine: exurge ne repellas in finem, quare faciem tuam auertis, obliuiſceris inopiæ noſtræ, & tribulationis noſtræ?* Quod fecit Chriſtus *Matth.* 8. qui cum excitato vehementi motu nauicula, in qua erant diſcipuli, videretur à fluctibus abſorberi; ipſe tamen dormiebat in puppi, quaſi de ſuorũ vita nihil curaret; qui tamen poſtea & mari tranquillitatem, & ſuis pacatum otium induxit.

Secunda expoſitio non negat tribulatum Chriſtum, ſed potiùs affirmat eadem tribulatione affligi, qua populus afflictus. Quæ ſententia non eſt minùs in ſcriptura frequens, quàm ſuperior. In hunc ſenſum, & affectum videtur accipi poſſe illud *capite* 52. *verſ.* 4. *Aſſur abſque vlla cauſa, calumniatus eſt eum, (nempe populum Dei) Et nunc quid mihi eſt hic?* 41. *Chriſtus eodẽ, quo ſui, dolore afficitur.*
B *dicit Dominus.* Et nonnullis placet ideo in rubo ſpinoſa planta, eáque ardenti apparuiſſe Chriſtum, vt ſignificaret vri ſe, ac pungi, quia eodem etiam tempore vrebantur, ac pungebantur Iudæi ſub ſpinoſo Ægyptiorum imperio. Sanè *Zachar. cap.* 2. tangi dicit oculi ſui pupillam ab eo, qui populum tangeret Iudaicum. Et *Iudic. cap.* 10. *verſ.* 17. de Domino dicitur, *Doluit ſuper miſeriis eorum.* Hæc verò explicatio mirè commendat diuini pectoris ſuauitatem; & eſt valde conſentanea præſenti rerum articulo. Sed illud nonnihil incommodat, quòd præcedens negatio aliquid videatur indicare contrarium; quòd ſi nihil contrafacere aliquis probaret, erit ſecundùm hanc ſententiam res tota tranſacta. Id verò
C ſic commodè videtur explicari poſſe, ſi clauſulam cum interrogatione ſumas, vt putat Emanuel Sa, & ita proferas. *In omnium tribulatione non eſt tribulatus.* Ac ſi dicat, Ita ſanè, alienis incommodis ſic eſt affectus (humano loquor modo, atque ſpiritu) ac ſi propriis ipſe incommodis laboraret. In hanc ſententiam inclinat cum Hieronymo S. Thomas, & Hugo.

Tertia expoſitio actiuè ſumit verbum צר *tſar*, exponítque *tribulauit*, ſeu *anguſtiauit*, quod non improbat Hieronymus, & Foreirus amplectitur. quod magis videtur eſſe ad rem Grammaticam, verbique ſignificationem. Tribulauit quidem Dominus populum ſuum, ita tamen tribulauit, vt qui videri poterat furor, & vexatio, fuerit potiùs fauor, & in- 42. *Qualis Dei tribulatio, & quàm non diuturna.*
D dulgentia. Adduxit ad mare rubrum clauſum, & immeabile vrgente à tergo Pharaone, deſpumante minas, & in illum toto ſpiritu terrorem, & cædem anhelante; ſed quæ tribulationis ſpeciem habuit aperto mari, atque Pharaone demerſo, tribulatio nõ fuit. Famem minabatur, & ſitim vaſta illa, & ſterilis deſerti ſolitudo; ſed Angelici alimenti ſuauitas, & aquæ de petra iugis affluentia probauit indulgentiam illam eſſe non tribulationem. Denique occurrebat paſſim occaſio, qua populus ille dicere poſſet, id quod in ſe ipſo Paulus expertus fuerat 2. *Corinth.* 4. *verſ.* 8. *Tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur.* Nam cùm nulla affulgere videretur libertatis ſpes, ſublato diuinitus hoſte recreabatur, cuius rei ſtabat recens exemplum in Aſſyrio
E deleto, & Ezechia ſaluti reſtituto.

Ex tribus hiſce lectionibus mihi maximè probatur prima, quia cum Hebraico textu omnium aptiſſimè conſentit, & quod præcipuum eſt, quia illam commendat vulgatæ tranſlationis fides. Expoſitio illa eſt, quam cum Hieronymo adducunt plures alij: quia nimirum ad modicum Deus tribulatus non eſt, vt vexatione compuncti Iudæi, ſua cognoſcerent errata, & ad ipſum venirent, atque ſubſidij cauſa confugerent. Quod cùm 43.

ab ani,

ab animo clementer affecto, & cum tribulatis ſimiliter tribulato natum ſit: Tamen Deus dicitur *non tribulatus* vulgato Scripturæ more, quæ dum ſe hominum accommodat ingenio, & vulgi ſermoni, Deo attribuit, quæ ab hominibus in ſimili rerum articulo prouenire ſolent, ſi quiſpiam illi, quem liberare à periculo, ſeu ab angore poteſt, manum non porrigat adiutricem, exiſtimant illius infortunio non commoueri, neque condolere, aut contribulari cum tribulato. Sic quia modico illo tempore ſinebat Dominus vexari populum, quem ab omni periculo liberare poterat, exiſtimabant non affici vllo doloris ſenſu. Sicut Deus dicitur ſæpe non recordari peccatorum, quando illa non punit, cùm tamen illorum memoriam nunquam deponat; quia impunitas illa ſæpe apud homines ex obliuione naſcitur. Vide plura in hanc ſententiam *cap.43.num.*40. *&* 49. *num.*4. Aut certè Deus tribulatus non eſt in aliorum tribulatione; quia paſſus non eſt, quod tribulati plerumque ſolent, nempe vt animum abiiciant, neque ſe ipſos excitent, aut contra opprimentem hoſtem, aut vrgentem fortunam. Quia Deus non fuit languenti animo, aut ſpiritu fracto, ſed forti ac ſtrenuo, & ad ſalutem afferendam ardenti. In hanc expoſitionem inclinat Pintus.

44. [x] *Et Angelus faciei eius ſaluauit eos.*] Communiter interpretes cum Hieronymo dicunt ſermonem hîc eſſe de illo Angelo, qui populum anteceſſit peregrinantem, & illi præſto fuit in omni rerum diſcrimine. De quo *Exod.*23. *Ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te, & cuſtodiat in omni via, & introducat in locum, quem præparaui.* Quòd verò per Angelos profligati fuerint, atque deleti Iſraelis hoſtes, ſatis multa ſunt in Scriptura ſacra documenta. Hæc quidem non improbo, ſed potiùs amplector, & laudo; Verùm magis mihi videtur ad totum textum, ſi dicamus non ab Angelo, ſed à Deo ſaluatum eſſe populum. Quod omnino docet tranſlatio L x x. *Non legatus, neque Angelus, ſed ipſe Dominus ſaluauit.* Quæ tranſlatio non diſplicet Hieronymo, & iuxta illam, quod neceſſe eſt, noſtræ explicationi ſubſcribit. Neque credo hæc ſententia cum vulgata tranſlatione pugnat, vt ſtatim dicemus. Adfuiſſe autem Dominum illi populo, ſpeciali quadam ratione, ita vt populus ipſe aut ſpectare potuerit, aut ſaltem à Moyſe cognoſcere, ſatis eſt exploratum, cùm Domini gloria omniũ oculis apparuerit. *Exod.*16.*v.*10. *Cúmque loqueretur Aaron ad omnem cœtum filiorum Iſrael, reſpexerunt ad ſolitudinẽ, & ecce gloria Domini apparuit in nube.* quod diuinæ protectionis teſtimonium habuerunt penè familiare. Quod cecinit Moyſes *Deut* 32. *Dominus ſolus dux eius fuit, & non erat in tribubus eorum infirmus.* Idem clariùs *Exod.*13. *verſ.* 2. Et facit valde quod *Exod* 33. Dominus dixit, nolle ſe iam ampliùs ducẽ eſſe populi, ſed in eius locũ Angelum ſuffectum iri; qui tamen Moyſis oratione placatus, idem officium, quod illatenus, præſtare perrexit. Sic autem Deus *Exod.* 33. *Mittam præcurſorem tui Angelum, & eiiciam Chananæum, &c. non enim aſcendam tecum, quia populus duræ ceruicis es.* Et *verſ.* 15. ait Moyſes. *Si non tu ipſe præcedas, ne educas nos de loco iſto.* Quàm bellè cum his conſentiat hic Iſaiæ locus, ſi de Dei ſalute intelligatur, nemo non videt.

45. Iam verò dicendum quemadmodum huic expoſitioni nihil incommodet vulgata tranſlatio. *Et Angelus faciei eius ſaluauit* ſuprà *cap* 53. *num.*10. ſatis, credo, copioſè, & diligenter probauimus negationem frequenti Scripturæ vſu in altera ſententiæ parte reperi ſolere; imò regulam eſſe Hebræorum, ſi præcedat negatio, ac deinde coniunctiu *vau*, id eſt, *&* ſuccedat, illud *&* exponendum eſſe negatiuè, ita vt idem ſit quod *non.* Quod ſi ita eſt, habemus & huius clauſulæ facilem ſenſum, quem probamus & ad ea quæ conſequuntur expeditum curſum. *Non eſt tribulatus, nec Angelus faciei eius ſaluauit.* Accedit quòd, quæ ſtatim ſuccedunt, ex omnium ferme ſententia ad Deum referuntur, *In dilectione ſua, & in indulgentia ſua, ipſe redemit eos*: ſed non video quomodo hæc ſeparari debeant ab eo, quod anteceſſit proximè, *ſaluauit eos.*

Regula. Negatio in ſec[un]do mẽbro repetenda.

46. Illud *Angelus faciei* indicat Angelos ſtare coram Domino, & diuinorum conſiliorum adminiſtros eſſe. Sed ego aliquid hîc maius ſubodoror. Conſtat ſeptem eſſe Angelos inter alios, vt apparet, præcipuos, qui ſtare dicuntur ante faciem Dei *Apocal.*4. *verſ.*4. *Gratia vobis, &c. à ſeptem ſpiritibus, qui in conſpectu throni eius ſunt.* Et idem *cap.*3. *&* 5. quorum è numero fuiſſe Raphaelem, ipſe teſtatur *Tobiæ cap.*12. *verſ.*15. *Ego ſum Raphael Angelus vnus è ſeptem, qui ſtamus ante Dominum.* Ex his ſpiritibus nemo credo dubitabit vnum eſſe Michaelem, qui ſynagogæ princeps erat, & cui populi Dei tutela credita, vt pluribus oſtendimus *in noſtris commentariis ſuper Zachariam.* Ex his hæc mihi occurrebat, vt arbitrabar, non inepta huius loci ſententia, Licèt Angelus qui præfectus erat Iſraelis cuſtodiæ, Angelus eſſet faciei, id eſt, vnus è ſeptem, qui Deo aſſiſtunt, non illi tamen ita credidi populi cauſam, vt illius curam, & ſalutem abiecerim: quare ego ipſe ſaluaui eos, & non Angelus faciei.

47. [y] *In dilectione ſua, & indulgentia ſua ipſe redemit eos, & portauit eos, & eleuauit eos cunctis diebus ſæculi.*] Hæc aperta ſunt, neque alia indigent explicatione, quàm tranſlatione L x x. *Eò quod diligeret eos, & parceret eis, ipſe redemit eos, & ſuſcepit eos, & exaltauit illos per omnes dies ſæculi.* *Sæculum* pro primis & antiquiſſimis temporibus ſumitur, quale hîc videtur eſſe tempus Abrahæ, quo primus electus eſt ille populus, & certo quodam charactere conſignatus. Aut certè Moyſis, de quo ſtatim. Videtur autem hîc *ſæculum* ſumi pro toto illo ſpatio, quod intercedit ab Abraham, ſiue à Moyſe ad tempus vſque Iſaiæ, in quo perpetua extiterunt in illum populum à Deo beneficia, etiam ſi ad modicum propter peccata Deus videatur abiecisse illum.

48. [z] *Ipſi autem ad iracundiam prouocauerunt, & afflixerunt ſpiritum ſancti eius.*] Hæc puto ad illud ſæculum ſpectare, de quo nuper, in quo populus ille egreſſus ab Ægyptio cœno in illud relabi cupiebat, clamabátque ſecum iniquè agi, quòd ab ollis carnium, ab alliis, & porris ad ſitim, & famem, reliquáque ſolitudinis incommoda eſſent abducti, Quare Deum ad iracundiam prouocauerunt, vt *ex Exodo, & lib. Num.* abundè conſtat, & *Deut. cap.*32. Is ſanctus, cuius ſpiritus afflictus eſſe traditur, à nonnullis Chriſtus eſſe exiſtimatur, qui *ſanctus* ſæpe dicitur, tum apud hunc prophetam, tum etiam ſæpe in Actis Apoſtolicis; Sed quia hic videtur ſimplex eſſe narratio eorum, quæ in illius ſæculi diebus contigere, credo ſanctum illum eſſe Moyſem, cuius ſpiritum ſic afflixit ingrati illius populi ceruix indomita, vt ad Dominum aliquando clamauerit *Num.*11. *verſ.* 12. *Non poſſum ſolus ſuſtinere omnem hunc populum, quia grauis eſt mihi, ſin aliter tibi videtur, obſecro, vt interficias me.* De quo *Pſal.* 105. *Et irritauerunt Moyſem in caſtris,*

Aaron ſanctum Domini, &c. *& vexatus eſt Moyſes propter eos, qui exacerbauerunt ſpiritum eius.* In quam ſententiam inclinant S. Thomas, Haymo, Adamus, Lyra, Emanuel Sa.

49. [a a] *Et conuerſus eſt eis in inimicum; & ipſe debellauit eos: & recordatus eſt eorum.*] Qui priùs afflictum populum ab hoſte ſeruarat indignatus quòd tot beneficiis, tam impiè atque inuerecundè reſpondiſſet, tradidit eos hoſtibus, à quibus malè mulctati, & interdum ſubacti ferro, illorum iugum ſubire compulſi ſunt. A Madianitis dico, Moabitis, Philiſtæis, Aſſyriis, & ad extremum poſt Iſaiæ ſæculum à Chaldæis. Sed non diu animus ad miſericordiam pronus in populum illum ſæuiebat, ſed vt ex libro Iudicum apertè liquet, mittebat Saluatores, qui ferreum ab Iſraelis ceruice iugum excuterent. Recordabatur enim Moyſis, & eius ſæculi, in quo populum illum magis habuit ſuis obſequentem mandatis. Dedit itaque meritis, & memoriæ tanti viri, vt populum regeret liberali manu, qui tamen longè aliter vitam inſtituerat, quàm gratum, & honeſtum deceret.

50. [b b] *Vbi eſt, qui eduxit eos de mari cum paſtoribus gregis ſui*] Viderat ſæpe propheta, vt ſæpius obſeruare potuimus, captiuum populum apud Babylonios, & quemadmodum durè, ac crudeliter tractaretur barbaro illo, & longo dominatu. Viderat quomodo per Cyrum eſſet euocandus in patriam, & ſuæ libertati atque ordini reſtituendus; immò viderat Chriſtum hoſtili madentem ſanguine, & de hoſtibus toties antè victoribus triumphalem in modum incedentem in multitudine virtutis ſuæ. Sed videbat futura propheticis oculis, completa non videbat. Cúmque noſſet orationi ac precibus ſæpe concedi, quod Deus facere inſtituiſſet (atque ideo antea non ſemel orauerat pro executione eorum, quæ futura eſſe iam antè præuiderat, vt nuper vidimus *capite 62. in principio. Propter Sion non tacebo, & propter Ieruſalem non quieſcam: donec egrediatur*, &c. vbi diximus precibus ſuis patres antiquos incarnationis accelerationem meruiſſe) orat nunc Deum, vt populi miſereatur, & pergat beneficus eſſe in populum, ſeruétque animum antiquum, & paternam beneuolentiam in eos, quos tractari videt tanquam alienos. Atque ideo antiqua commemorat prodigia, quibus animum ſuum in illam gẽtem teſtatum eſſe voluit. Et quia captiuum iam populum eſſe videt, deſertámque Sion, id videtur orare, vt vel maturet captiuorum reditum, aut mitior ſit, & honeſtior exulum captiuitas, aut quid ſimile. Nunc verò repetit propheta; quæ ab ipſo Domino ſæpius audierat, præſertim *cap. 50. verſ. 1. Numquid abbreuiata, & parua facta eſt manus mea.* & *cap. 52. verſ. 4. In Ægyptum deſcendit populus meus*, &c. Et commemoratis antiquis prodigiis hortatur, vt idem virtutis, & beneuolentiæ ſuæ recens, & antiquo ſimile documentum edat. Et primùm renouat opus illud eximium; quo è mari eduxit populum frequentem cum paſtoribus ſuis Moyſe, & Aaron. Eadem metaphora vſus eſt Dauid in eodem articulo. *Pſal. 76. In mari via tua, & ſemita tua in aquis multis. Deduxiſti ſicut oues populum tuum in manu Moyſi, & Aaron.* Huic ſimiles effudit preces *cap. 51. verſ. 10. Numquid non tu ſiccaſti mare*, &c.

51. [c c] *Vbi eſt qui poſuit in medio eius ſpiritum ſancti ſui?*] Cùm Deus Moyſem procurandæ populi libertati præfecit; conſtituítque Deum Pharaonis, haud dubiè quin illi ſpiritum indiderit rei tantæ congruentem. Primùm vt animum haberet conſtantem, & impauidum contra Regis potentiam, & minaces ſpiritus; deinde vt noſſet tantum illum populum, tam varium, tam duræ ceruicis, tam ingratum ad beneficia, tam pronum ad id, quod animo collibuiſſet, & ſapienter moderari, & ſuſtinere patienter; licèt pondus illud, vt ipſe confeſſus eſt *Numer. 11.* importabile videatur. Datus autem aut ſaltem indicatus videtur *Exodi 3. num. 12.* cùm dixit Moyſi Deus, *Ego ero tecum.* Quòd autem ſpiritus aliquis nouus datus fuerit Moyſi, oſtendit illud non obſcurè quod *eodem capite verſ. 17.* ſcribitur. *Auferam de ſpiritu tuo, tradámque eis* (nempe L x x. viris) *vt ſuſtentent tecum onus populi.* De hoc ſpiritu puto ſermonem hic eſſe, qui in medio populi eſſe dicitur, quia illis aderat, quibus commiſſa fuerat illius tanti gregis adminiſtratio.

Hæc neque obſcura ſunt, neque mihi, puto etiam & aliis, difficilia. Tu vide an alia etiam opportuna ſit explicatio, quæ ex hoc Iſaiæ loco mihi ſuauiter ſubolet. Certè bellè ſignificat qualis ſpiritus ineſſe debeat iis, qui populorum adminiſtrationi præſunt. Talis nempe, vt ſpiritum oleat Chriſti; vtpote de eius doctrina, immò de eius ſpiritu libatus. Qualem ille magnus epiſcopus, & Gentium Apoſtolus habebat, qui dicere potuit, *Chriſti bonus odor ſumus.* Sanè in eo, qui præeſt, neceſſarius eſt amor, ita vt, ſi res poſtulet, pro grege mortem oppetat, quod fecit Chriſtus: neceſſaria patientia ad perferenda longa, duráque faſtidia, quæ ſecum affert paſtoralis cura; tum prudentia quæ moderationis aliam, atque aliam formam rerum opportunitatibus attemperat. Quàm hæc Chriſtus accuratè præſtiterit, non eſt cur probemus multis, cùm Euangelium vbique clamet. Habuiſſe hæc quoque Moyſem (&, vt eſt veriſimile, L x x. viros quibus Moyſis ſpiritus communicatus eſt) ſatis conſtat. De amore gregis, probat illud *Exod. 32. verſ. 32. Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo.* De patientia & manſuetudine illius præclarum eſt elogium *Num. 12. verſ. 3. Erat Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines, qui morabantur in terra.* Denique ea fuit Moyſis aut vitæ, aut præfecturæ ratio, vt in eo Chriſti ſpectare liceret adumbratam non obſcurè, ſed viuis coloribus expreſſam imaginem, vt dixit Oecumenius in illud *Actor. 3. verſ. 22. Moyſes quidem dixit, Prophetam ſuſcitabit vobis Dominus Deus veſter de fratribus veſtris, tanquam me.* Et Euſebius *lib. 3. demonſtr. cap. 2.* latè & optimè; & nos nonnihil diximus *in 7. cap. Actuum num. 75.* Ex his mihi non videtur alienus ſenſus, ſi diceremus in gubernatore Moyſe poſuiſſe Deum ſpiritum ſancti ſui, id eſt, ſpiritum Chriſti; ſpiritum nempe obedientiæ, manſuetudinis, conſilij, patientiæ: quæ ſi defuiſſent Moyſi, non bene conſultum videretur Hebræorum populo. Sicut eum illa republica malè, atque infeliciter agitur, cui contingit ab illo præſide gubernari, cui hæc abſint; id eſt, qui ſpiritum Chriſti in gubernando non habeat.

52. *Qualis ſpiritus ineſſe debeat iis, qui præſunt.*

Moyſes Chriſti ſymbolum.

[d d] *Qui eduxit ad dexteram Moyſem brachio maieſtatis ſuæ.*] Vt *ſiniſtra* tam apud ſacros, quàm apud profanos ſcriptores pro aduerſis, atque inauſpicatis ſumuntur, quæque à via aberrantia paſſim, & grauiter offendunt. Sic contrà *dextera* auſpicatum aliquid, & fortunatũ ſonant. Quare frequens apud externos: *Dextro Hercule feci*, id eſt, fauente, *Ades nobis dexter*, id eſt, propitius veni. Et in Scriptura ſacra *dextera manus* aliquid ſignificat propitium, & benignum. Vnde iuſti in extremi iudicij articulo 53.

Dextera pro auſpicato.

futuri

futuri dicuntur ad dexteram Iudicis. Iuxta hæc Deus dicitur eduxiſſe brachio maieſtatis ſuæ Moyſem ad dexteram, id eſt, in viam certam, expeditam, & facilem, in qua nuſquam offenderet. Quod docet & nubes interdiu, & noctu columna ignis, quæ veſtigia regebant peregrini populi: neque illos in vaſta, atque inuia ſolitudine errare patiebantur.

54. e e *Qui ſcidit aquas ante eos, vt faceret ſibi nomen ſempiternum.*] Illud *vt* non puto cauſam oſtendere finalem; ſed tantùm ſermonis continuationem, ac ſi dicas. Eo modo, atque eo rerum veſtigio diuiſit mare, vt inde apud gentes fecerit ſibi nomen ſempiternum.

55. f f *Qui eduxit eos per abyſſos, quaſi equum in deſerto non impingentem.*] In maris rubri traiectu multa contigere planè mirabilia, in quibus ſpectes, & omnipotentem manum, & paterni animi teneram in filios indulgentiam. Non ſatis erat aperuiſſe pelagus, vt commodè tranſiret populus ille propè infinitus, qui magna ex parte conſtabat fœminarum, ſenum, & infantium turba; quæ licèt aperta eſſet via diuiſo mari, hærere tamen poſſet in luto, neque ad vlteriorem pelagi ripam peruenire. Deus ergo pro ſua ſingulari in filios beneuolentia ventum immiſit, qui ſiccaret alueum, ne in abyſſo priùs cœnoſa, aut hærerent pedes, aut aliquid contraherent ſordidum è limo. Neque ex hoc loco leuis coniectura ſumitur, vt ſuſpicemur ea parte diuiſum eſſe mare, qua melior eſſet, & æquabilior tranſitus; aut certè, ſi quid erat aſperum, aut depreſſum in alueo, id à Deo ſic eſſe ad æqualitatem redactum, vt ſenilis, aut infantilis ætas mollem haberent, & ſine offenſione viam. Neque id videbitur aut nouum aut mirabile ei, qui in ſpatio recèns aperti maris meminerit eo tempore germinaſſe herbas inter medios fluctus. Quod multò maius, atque admirabilius eſt, quàm viam inæqualem ac depreſſam fuiſſe complanatam. Hoc verò apertè Scriptura teſtatur *Sap. c. 19. verſ. 7. In mari rubro via ſine impedimento, & campus germinans de profundo nimio.* Scio huius loci varias à variis explicationes adduci. Quidam enim hæc figuratè ſumunt, quòd ſcilicet per viam illam Hebræi ſic molliter, & iucundè tranſierint, quaſi per amœnum campum, & vario germine vernantem. Alij ſub mari latentes eſſe ſyluas, quæ tunc apparuere, quando diuiſo mari alueus ſiccatus eſt. Cui ſententiæ fidem facit Plinius, qui *lib. 13. cap. 25.* tradit rubri maris alueum ſylueſtrem eſſe, & olei, lauríque feracem. Sed vt aliquo loco illius maris ſylueſtrem eſſe fundum fateamur, tamen ea parte, qua mare traiecerunt Hebræi, fuiſſe non puto, tum quia via illa fuiſſe dicitur ſine impedimento; atqui impedimentum non eſt exiguum à frutice, & dumo. Deinde quia per locum denſum frutice, & ſylueſtri planta non ageret equites, & currus Pharao: quî enim currerent per denſam atque implexam viam tot Ægyptiorum quadrigæ, quæ vix ſingulari homini, aut equo in ſyluis patere ſoleat. Quòd ſi Deus ita aperuit, atque conſtrauit viam, vt equus in illa non impingeret, planè fit veriſimile, nil tunc in alueo fuiſſe, quod incitatum equum, aut moraretur aut offenderet.

Mare rubrũ quomodo diuiſum.

Maris rubri alueus germinans.

Sap. 19.

56. Quàm verò illa Hebræorum traiectio plana eſſet, ac mollis, explicat propheta apta quadam ſimilitudine. Certum eſt ad equorum curſum locum eſſe debere planum, ita vt in eo nihil emineat, aut lacunoſum ſit, aut ſalebris inciſum; alioqui equeſtris curſus non fieret ſine magno equorum, equi-

A túmque periculo, quare in hippodromis ſolers adhibetur ſtudium, ne quid ſit non planum, immo ſi via ſtrata eſt ſilice, arena inſternitur, ne quid in curriculo durum ſit, quod curſum retardet, aut equorum vngulas offendat, aut diſſoluat. Nunc ergo affirmat propheta; ſic Deum populo inter medios fluctus ſtrauiſſe viam, vt per illam eum ſecurum ageret, quemadmodum per curriculum equum incitat eques, in quo nihil equus habet obuium ad quod impingat. Porrò hîc *deſertum* pro *arido* ſumo, quia deſertum, præſertim illud, in quo tot annos errarunt Hebræi, aridum erat. Quare ſenſus eſt. Duxit per abyſſos, quo modo per locum aridum agi-

B tur equus.

57. g g *Quaſi animal in campo deſcendens.*] Eandem eſſe puto ſententiam per epexegeſim iteratam, idem eſt enim equum per deſertum currere, atque animal in campo, ſiue in campum deſcendere; nam genus pro ſpecie ſumi præſertim in epexegeſi, cùm non ſemper voces inueniantur ſynonymæ, ſatis eſt notum. Quemadmodum *veſtimentum* pro ſtola *Geneſ. 49. Tinxit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ veſtimentum ſuum.* Sic hoc loco *animal* pro equo ſumitur, qui vſitato Latinorum more cùm ad certamen de velocitate venit, *in circum ſeu hippodromum deſcendere* dicitur: ſicut etiam gladiatores dicuntur *in arenam deſcendere.* Campus autem in quo currit animal, ſeu equus, planus eſt, & omni

C arte ſublatis offenſionibus expeditus ad curſum. Niſi mauis, quod nonnulli volunt, *in campum deſcendere* idem eſſe, quod viam ingredi decliuem, in qua nullus eſt aut facilis in deſcendendo labor, cùm tamen montium aſcenſus arduus ſit, & in quo ſuperando anhelandum eſt.

58. h h *Spiritus Domini ductor eius fuit.*] Quid mirum ſi populus Hebræus aut per medios fluctus incederet, aut per deſertum ingrederetur ea facilitate, qua equus per apertum, & expeditum campum, cùm à Domini ſpiritu duceretur Hieronymus in *ſpiritu* Angelum intellexit. Sed non videtur difficile ſi *ſpiritum Domini*, ipſum Dominum eſſe intelligamus, quemadmodum iuxta Hebraici ſermonis proprietatem *anima Dei* pro *Deo* ponitur, vt

D diximus *cap. 42. num. 4.* Et quidem Deus ductor fuiſſe dicitur illius populi *Deut. 32. Dominus ſolus dux eius fuit.* Et *Pſal. 29. Dux fuiſti in miſericordia populo, quem redemiſti.*

Spiritus Dei, pro Deo.

59. i i *Attende de cælo, & vide de habitaculo ſancto tuo. Vbi eſt zelus tuus, & fortitudo tua, multitudo viſcerum tuorum, & miſerationum tuarum? ſuper me continuerunt ſe.*] Argumentatur propheta, tum à natura Dei benigniſſima, tum ab eius officiis, quibus ornarat antea populum ſuum, & quando non minora tunc populus apud Babylonios ſubibat incommoda, quàm olim apud Ægyptios, orat vt zelum excitet, & dexteram omnipotentem vibret in aduerſarios: pectoríſque ad miſerendum proni re-

E cordetur: Quæ omnia Deus cùm tam liberaliter priùs oſtentarit, tam effusè impenderit; nunc tamen illa videtur apud ſe continuiſſe, ne populus ea priùs miſericordiam, & indulgentiam, & inimicus inſolens, & barbarus ſeueritatem, & ſupplicium expectaret.

Eſt qui in *multitudine viſcerum* vbera Dei intelligat iam turgentia, atque diſtenta lacte, quæ matres libenter infantibus indulgent. Quaſi queratur propheta, quòd cùm Deus abundet lacte, quo alere, & confirmare poſſit exanimatos filios, illud apud ſe premat, neque filiis clamantibus immulgeat.

gat. Eſt quidem hoc ſatis ad plauſum, parum tamen, vt ego ſuſpicor, ad textum. Pro *viſceribus*, Hebraicè eſt מעי *mehhi*, quod id potiùs valet, quod in ventre latet, quàm quod è ſinu eminet. *Viſcera* pro clementia ſumi, atque miſericordia, ſatis eſt in ſcriptura frequens. Quare in *multitudine viſcerum*, nihil aliud intelligo, quàm cor valde miſericors, aut quod ſtatim adiungitur, *multitudinem miſerationum*.

60. ll *Tu enim pater noſter es, & Abraham neſciuit nos, & Iſrael, &c.*] Memor propheta quia ſæpe Deus ſuprà docuiſſet in ſe vno ponendam eſſe ſpem, quæ nunquam fallet ſperantes in Domino; neque ſalutem petendã eſſe à parentibus quia & ipſi infirmi, & aliquando peccatores fuerunt (vide *c.43. à num.51.* vbi dicitur Abraham idola coluiſſe, & alij Iſraelitici generis fuiſſe peccatores) ipſe nunc ea ratione diuinam vrget miſericordiam, dum affirmat neminem ſe parẽtem agnoſcere præter Deum; ab illo vno ſperare omnia; neque magis pendere ab Abraham, Iſaac, & Iacob, quàm ſi illi non eſſent nati, aut, quod ad præſens inſtitutum idem eſt, quàm ſi ab Abraham, aut Iſrael cogniti non eſſent; Nam qui ab aliquo cognitus non eſt, ſanè ab eo nihil eſt, quod ſperet. Porrò *neſcire*, aut *non cognoſcere aliquem*, idem eſt, quod non curare, contemnere, aut alienum ducere, cuius rei exempla ſunt obuia.

61. mm *Quare errare nos feciſti, Domine, de viis tuis, indurasti cor noſtrum, ne timeremus te.*] Agnoſcit ſe propheta, & in ſe ipſo totum populum peccatorem, qui à viis Domini, & ab eius mandatis declinauerit, obdurauerit que cor contra Dei timorem, ne illo deterreretur à peccando. Hoc autem, ſi verborum formam ſpectes; Deo videtur totum aſcribi, qui, quaſi in errorem abduxerit, & cor indurauerit, incuſari videtur à propheta. Sed longè aliter eſt, nam ex vſu omnium ferme Gentium alicui tanquam auctori factum tribuitur, quod fieri permiſit, aut quominus fieret prohibere noluit; licèt in eo nulla ſit culpa. Exemplis id patebit familiarius. Si quiſquam eſt qui fundum negligit, eique ruſticam operam non impẽdat, atque ideo ager ille vepribus horreat, & multo frutice ſyluescat, ille efferaſſe agrum, & in ſyluam conuertiſſe dicitur. Si medicus ægroto medicinam adhibere noluit, qua illum à morbo, morteque liberaret, ſi mors accedat ægrotanti, medicum illum ægroto, quem curare noluit, mortem intuliſſe dicimus. Si dominus labentem domum à ruina non defendat, illum domus ſuæ ſubuerſorem vocamus, & huius generis ſexcenta occurrent exempla. Iuxta hunc vulgarem dicendi modum, à quo ſcriptura non abhorret, Deus feciſſe dicitur, quod fieri permiſit, aut quod, quominus fieret, omnipotenti manu non impediit. Quomodo dicitur *Exod.4.* obduraſſe cor Pharaonis, quia non emolliuit; decepiſſe prophetam *Ezechiel.14.* Et dediſſe ſpiritum mendacij in ore prophetarum. *3.Regum.cap.vltimo*; quia errare, decipi, atque mentiri permiſit, neque illorum mentes illuſtrauit. Et *ad Rom.cap.1.* tradidiſſe dicitur Deus quoſdam in reprobum ſenſum. Et *Iſaia 19.* miſcuiſſe ſpiritum ſoporis. Et *cap.29.* ſpiritum vertiginis, quia à reprobo ſenſu non compeſcuit; & mentem laborantem vertigine, aut ſopore demerſam, non ſtabiliuit, aut expergefecit. Errare itaque dicitur feciſſe Deus à viis ſuis Iudæos, quia à deuiis itineribus non abduxit, & obduraſſe cor illorum, ne timerent: quia timore ſui non emolliuit.

Regula Ille facere dicitur, qui fieri aliquid permiſit.

nn *Conuertere propter ſeruos tuos tribus hæreditatis tuæ*] Illud *conuertere*, idem eſſe puto, quod vulgò dicitur, *mutare ſtylum*, quaſi dicat. Hactenus errare feciſti, nunc ad viam reuoca: indurasti cor noſtrum, fac vt ad noua beneficia ſiue ad tui timorem remolleſcat. Proponitque id, quod apud ingenuos animos plurimum habet momenti, & quòd populus eius eſt, & ex omnibus electa poſſeſſio, cui tanquam pater, aut Dominus prouidere debeat, & quòd ipſi deinceps ſeruire deſiderent. Illud enim fortaſſe eſt, *propter ſeruos tuos*, quod indicat illud *tribus hæreditatis tuæ*, niſi malis in *ſeruis* intelligere Iſraelitici generis auctores, puta Abraham, Iſaac, Iacob, quorum nomina, & merita ſæpe Iudæi in ſuis orationibus vſurpabant, vt habes *Dan. 3. v. 35. Ne auferas miſericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum, & propter Iſaac ſeruum tuum, & propter Iacob ſanctum tuum.* & *Exod. 32. Recordare Abraham, Iſaac & Iacob ſeruos &c.* 62.

oo *Quaſi nihilum poſſederunt populum ſanctum tuum; hoſtes noſtri conculcauerunt ſanctificationem tuam.*] Pathos mouet dum Dei populum quondam magno in loco, atque in honore habitum ita ab hoſte tractari ſignificat, quaſi nihil eſſet, id eſt, minùs quàm floces, & purgamenta, minùs quàm peripſemata, aut beta ſemicocta. Addit deinde ſanctificationem, id eſt templum, regiam nimirum ſedem, quam Deus aſpectu ſuo ſæpius illuſtrarat, ab hoſte conculcari, atque eo cenſeri loco, atque ordine, quo profana, à quibus non alienos, non feras vlla arcet religio. 63.

pp *Facti ſumus quaſi in principio, cùm non dominareris noſtri, nec inuocaretur nomen tuum ſuper nos.*] Hac verborum circumſcriptione nihil aliud ſignificari puto, quàm populum à Deo quondam electum tanquam alienum cenſeri, de quo Deus nihilo magis ſit ſollicitus, quàm de aliis, quos Deus negat ſe cognouiſſe, id eſt, vt alio loco diximus, cognitionis ſuæ ſpecialis, & paternæ, ſpeciale aliquod documentum edidiſſe. *Amos cap. 3. verſ. 2. Tantummodo vos cognoui ex omnibus cognationibus terræ.* Illud *à principio* reſpicit tempus, quod anteceſſit, & vocationem Abrahæ, & populi conſignationem certo aliquo charactere, nempe circumciſionis. Quo tempore non magis Abrahæ cognatio populus dicebatur Dei, quàm gens quæcumque alia. Eo itaque loco haberi Dei populum affirmat propheta, quo tunc erat, quando in principio, id eſt, antiquiſſimis temporibus, nullo ſignu certam aliquam religionem, aut obſeruantiam profitebatur, quod ſtatim declarat dum ait, *Cùm non dominareris noſtri*, eo nempe ſenſu, quo diceretur non cognitus, vt nuper expoſuimus. Neque aliud importat, quod ſtatim dicitur. *Nec inuocaretur nomen tuum ſuper nos.* Hic enim dicendi modus ſubiectionem indicat, qualem ſubit filius, qui nomine vocatur patris, aut ſeruus, in cuius compellatione nomen ponitur domini. Sicut ſeruus Abraham, ſeruus Dauid, & apud Romanos *Marcipor, Publipor*, id eſt, Marci, aut Publij ſeruus. Hinc nomen viri inuocatur ſuper vxorem. *Iſaia 4.* fœminæ ſeptem, quæ viri vnius nuptias ambiunt, hoc ipſum ita declarant. *Inuocetur nomen tuum ſuper nos.* Vide quæ ibi diximus. Exiſtimo autem hypallagem hic eſſe in ſcriptura non infrequentem, ita vt *inuocare nomen alicuius ſuper alium*, idem ſit atque aliquem alterius nomine vocari, ſeu notari. Sicut à Caio marito vxor dicitur *Caia*, & à Salomone ſponſo, eius ſponſa *Sulamitis*, id eſt, *Salomonia* compellatur. 64.

Regula *Inuocari nomen alicuius ſuper alium*, dominatum indicat.

Hypallage.

Eccleſ. 63. tur. Id mihi colligere videor ex *Eccleſ. capite 63.* Vbi id optimè textus Græcus expreſſit; Nam vbi Vulgatus habet, *Miſerere plebi tuæ, ſuper quam inuocatum eſt nomen tuum.* Græcè dicitur, *Miſerere populi vocati nomine tuo. Hæc de capite ſexageſimo tertio.*

Argumentum ſexageſimi quarti capitis Iſaiæ.

PRINCIPIO *propheta orat, vt promiſſus mundi ſeruator, è cælo deſcendat. Cuius aduentum magna animorum conuerſio conſecutura dicitur: neque id mirum, cùm talia in terris editurus ſit Chriſtus ſuæ benignitatis documenta, qualia nulla creata cogitatio capere potuit. Hæc, quæ ad Chriſtum ſeruatorem ſpectant, claudenda ſunt parentheſi. Deinde quod mox ſequitur, cum extrema ſuperioris capitis parte coniungitur; vbi populi peccatis aſcribit Iſaias, quòd eo tempore, quod propheticis oculis intuebatur, tam diu, támque durè vexetur. Ad extremum orat propheta Dominum propoſito infelici ſtatu, in quem adducta tunc erat res Iudaica; vt mitior iam atque benignior Iudæorum incommodis occurrat.*

CAPVT LXIV.

1 [a] VTINAM *dirumperes cælos, & deſcenderes:* [b] *à facie tua* [c] *mõtes defluerent.*

2 [d] *Sicut exuſtio ignis tabeſcerent,* [e] *aquæ arderent igni, vt notum fieret nomen tuum inimicis tuis:* [f] *à facie tua gentes turbarentur.*

3 [g] *Cùm feceris mirabilia, non ſuſtinebimus.* [h] *Deſcendiſti, & à facie tua montes defluxerunt.*

4 [i] *A ſæculo non audierunt, neque auribus perceperunt: oculus non vidit, Deus, abſque te,* [k] *quæ præparaſti expectantibus te.*

5 [l] *Occurriſti lætanti, & facienti iuſtitiam:* [m] *in viis tuis recordabuntur tui:* [n] *Ecce, tu iratus es, & peccauimus:* [o] *in ipſis fuimus ſemper, & ſaluabimur.*

6 [p] *Et*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 CAPTIVVM videram, Domine, populum, & eius abs te libertatem eximia quadam ratione comparatam: maiorem nunc ſeruitutem intueor humani generis, & magis illuſtrem abs te libertatem expecto. O, vtinam diſruptis cœlorum clauſtris in terram deſcenderes; ſtatim enim, ſicut olim parentum memoria, fumarent montes, & colliquefacti defluerent.

2 Tabeſcerent, inquam, montes, non aliter atque ſi vehemens ſubiiſſent incendium; ſicut accidit monti Sinai: & aquæ iterum igne concepto inflammarentur, ſicut olim in Ægyptiorum plagis. Ita vt nominis tui vis, & maieſtas nota fieret, atque horribilis eis, qui animo a te diſſidebant hoſtili; & Gentes ante faciem tuam ita commouerentur, vt de noua viuendi ratione cogitarent.

3 Cùm admiranda edideris diuinæ virtutis documenta, nemo erit, qui beneficiorum, ac prodigiorum ponderi non ſuccumbat. Si deſcenderis, nullus erit mons, qui non liqueſcat totus, & in planiciem abeat.

4 Ea etenim facturus es, ô Chriſte, & ea paſſurus pro hominum ſalute, vt nemo à mundi primordio audierit, nemo, inquam, auribus acceperit ab omni ſæculorum memoria; neque ſpectarit oculis, abſque te, quæ in tuo aduentu his, qui te diligerent, atque expectarent, præparaſti redemptionis officia.

5 Nunc ad interrupta redeo, & ad ærumnoſum noſtræ gentis exilium. Vltro te olim offerebas, ô Domine, eis, qui iucundè, atque libenter piis ſe, ac iuſtis exercebant operibus: quia à viis tuis, in te, tuáque mandata ſemper intenti, non recedebant. Nunc quia peccatis addicti, ab illorum ſanctitate defecimus, iracundiæ tuæ atque offenſionis aculeos experimur. Fuimus

quidem

quidem ſuperioribus ſæculis ſemper in peccatis, & nihilominus ab illis infortuniis, quæ tu propter peccata nobis inflixiſti, ſaluati ſumus.

6 Nunc, Domine, quo in ſtatu ſimus, & quàm deſpecti, vide. Omnes quaſi immundi cenſemur, & Gentiles, quos nemo congreſſu, atque colloquio dignatur; omnia noſtra ſacrificia, & externæ, legaléſque cæremoniæ, atque iuſtitiæ perinde pntent, ac ſi panhus eſſet menſtruo pollutus ſanguine. Cecidimus omnes, & aruimus, quaſi frondes ab arbore deciduæ: & peccata noſtra tanquam præceps, & violentus turbo diſſiparunt nos, adegerúntque in varia, atque importuna loca.

7 Non eſt ſicut olim, qui inuocet, aut imploret te, neque orationis oppoſitu intentam ad vulnus dexteram cohibeat. Auertiſti faciem tuam à nobis, & telis, quæ tibi noſtra ſuggeſſerunt peccata, confeciſti nos.

8 Nunc, Domine, oculos ad nos miſericordes, inflecte: Tu enim parer noſter es: tua manu tanquam vas ex argilla formati ſumus: omnes nos manuum tuarum opus atque figmentum.

9 Statue iam tandem modum furori tuo; & peccatorum noſtrorum memoriam depone. En nos populus ille ſumus, quem ex omnibus Gentibus vnum elegiſti.

10 Ciuitas, in qua excitari tibi domum præcepiſti, ſyluarum in modum deſerta eſt: vaſtata eſt Sion, & nihil iam de Hieroſolymis reliquum, præter triſtes, atque informes ruinas.

11 Templum illud auguſtum, ſanctū, & quod Iudaicæ gloriæ pars erat non exigua; quod patentum noſtrorum laudibus antè perſonuit, incendio deflagrauit: quicquid nobis in v otis, atque deliciis erat, prorſus euerſum eſt.

12 Cùm hæc ita ſe habeant, continebis tuam mitiſſimam naturam, ne noſtri miſereſcat? Ceſſabis ne interim, dum nos hoſtilis vexat, & conficit iniuria? In noſtrum ne caput, & exitium tu quoque cum hoſte Chaldæo conſpirabis?

6 [p] *Et facti ſumus vt immundus omnes nos, [q] & quaſi pannus menſtruatæ vniuerſa iuſtitia noſtra:* [r] *Et cecidimus quaſi folium vniuerſi, & iniquitates noſtræ quaſi ventus abſtulerunt nos.*

7 [ſ] *Non eſt qui inuocet nomen tuum, qui conſurgat, & teneat te:* [t] *Abſcondiſti faciem tuam à nobis, & alliſiſti nos in manu iniquitatis noſtræ.*

8 [v] *Et nunc, Domine, pater noſter es tu, nos verò lutum: Et fictor noſter tu, & opera manuum tuarum omnes nos.*

9 *Ne iraſcaris, Domine, ſatis, & ne vltrà memineris iniquitatis noſtræ: Ecce, reſpice, populus tuus omnes nos.*

10 [x] *Ciuitas ſancti tui facta eſt deſerta, Sion deſerta facta eſt, Ieruſalem deſolata eſt.*

11 *Domus ſanctificationis noſtræ & gloriæ noſtræ, vbi laudauerunt te patres noſtri, facta eſt in exuſtionem ignis, & omnia deſiderabilia noſtra verſa ſunt in ruinas.*

12 *Numquid ſuper his continebis te, Domine, tacebis, & affliges nos vehementer?*

IN CAPVT SEXAGESIMVM QVARTVM COMMENTARIVS.

1\. [a] VTINAM *dirumperes cœlos, & deſcenderes; à facie tua montes defluerent.*] Hæc quidam cum præcedenti capite contexunt, putántque adhuc lamentari prophetam ſuæ gentis ærumnoſum exilium, orantéque, vt Deus faciat, quod olim in monte Sinai, vt è cœlo, quò à populo ſuo procul abiiſſe videbatur, deſcendat, à cuius conſpectu ſtatim fumarent montes, & colliquefacti defluerent, ad quod tempus non paucæ ſunt alluſinoes, vt *Iud. 15.* io

A Cantico Deboræ; & *Pſal. 67.* Ita putant Hugo, Pintus, Didacus Aluarez, & ex parte Vatablus. Alij hæc ad Chriſtum referunt, ſed non eodem modo. Lyra ſermonem eſſe cenſet de extremo Iudicio, quam ſententiam aſcribit Alexandro de Ales. Frequentes alij de primo Chriſti aduentu interpretantur, quorum ego ſententiam præter cæteras probo, amplectórque. Quam prinſquam expono, obſeruo, vſitatum eſſe, tum aliis, tum maximè huic prophetæ magno, vt à typo ſtatim ſeſe ad veritatem attollant,

& alle

& allegoricum, & myſticum ſenſum cum typico, aut hiſtorico componant, vt obſeruauimus, probauimúſque multis *cap. 45. num.* 21. Vbi exemplum habemus huic valde ſimile; Nam cùm præceſſiſſet Iudæorum libertas per Cyrum, quia in illo apparebat grauioris exilij, & maioris libertatis vmbra, in illam intentus exclamauit propheta. *Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum.* Sic ergo in præſentia; cùm vidiſſet propheta Chriſtum debellatis hoſtibus incedere triumphantem, reſperſis hoſtili ſanguine veſtimentis, oraſſetque, vt quæ oculis ſpectarat propheticis, illa re ipſa quàm ocyſſimè compleret; nunc in maiorem humani generis calamitatem intentus, orat vt redemptor veniat, & vindex publicæ cauſæ: & quid in eius aduentu futurum ſit nouum, & admirabile, eleganti, & graui dicendi forma declarat. Porrò ab his verbis ad illud *expectantibus te* interrupta videtur Iudaicæ captiuitatis hiſtoria; ad quam recurrit propheta, perſequitúrque ad finem vſque capitis. Quare hæc claudenda ſunt parentheſi; quæ verò conſequuntur ab illis verbis *occurriſti*, cum extremis verbis præcedentis capitis contexenda.

2\. ª *Vtinam dirumperes cælos.*] Huc aduocanda, quæ *cap* 45. diximus *num.* 26. ad illud *Aperiatur terra.* Vbi obſeruauimus loquendi modum in Scriptura ſacra ſumi ab eo, quod plerumque ſecundum rerum naturam euenire ſolet; quare cùm natura rerum exigat, vt ſi quando res corporata per ſolidum aliquod corpus tranſitura ſit, illud diuidatur, aut diſrumpatur, idque homines experiantur quotidie; ideo propheta ſermonem ad hominum ſenſus, ſeu opinionem attemperans optat, vt ad Seruatoris egreſſum diſrumpantur cœli; cùm tamen illud neceſſarium non ſit, quia Deus ſpiritus eſt, omnia complens & permeans, neque motu indiget, aut corporis diuiſione, vt è cœlo ad hominum libertatem veniat.

3\. Terra, & mõtes propriè olim commoti.

ᵇ *A facie tua montes defluerent: ſicut exuſtio ignis tabeſcerent.*] Ita de tempore, conuerſationéque Meſſiæ loquitur Chriſtus, vt tamen ſpectet aliquod aliud tempus, in quo appareat aliqua illius ſimilitudo. Spectat hic, vt communis eſt interpretum ſenſus, ea præſertim, quæ in Sinai contigere, quo tempore Deus deſcendiſſe de cœlo exiſtimatus eſt, & legem dediſſe populo in lapideis tabulis exaratam. Ego ad alia etiam tempora refero, in quibus ſpectare licuit, quæ hic commemorantur, nam omnia quomodo ex Sinai ad hunc locum transferri poſſint, non video. Quæ quomodo Euangelij tempore completa fuerint, dicemus ſtatim, vbi hæc primis illis populi temporibus hiſtoricè eueniſſe docuerimus. *Montes defluere* idem eſt quod commoueri, ac dirui: quod etiam valet quod ſtatim ſubditur *tabeſcere.* Illud verò contigiſſe videri potuit, ſaltem hominum opinione, cui ſe Scriptura frequenter accommodat, quando erumpente fumo, & micante, ac fulgurante cœlo mons apparebat terribilis *Exod.* 19. vbi *terribilis* Hebr. eſt חרד *charad*, quod *tremere* ſignificat, & *pauere, cum aliquo corporis motu.* Et hoc apertè tradunt *Iud. 5. verſ.* 5. *Montes fluxerunt à facie Domini Sinai, à facie Domini Dei Iſrael.* Sed puto expectari etiam hoc loco alium terræ, montiúmque concuſſum, ac motum. Nam in peregrinatione filiorum Iſrael terram eſſe commotam, & montes conuulſos mihi certum eſt. De terra habemus *Iudic. cap. 5. verſ.* 4. *Cùm exires de Seir, & tranſires per regiones Edom, terra mota eſt.* Idem Dauid *Pſal.* 67. *Terra mota eſt, etenim cæli de-* [Iud. 5.] [Pſal. 67.]

A *ſtillauerunt.* Quòd autem terra propriè mota ſit, & montes conuulſi, mihi facit pluſquam probabile Pſalmus 113. vbi terra mota dicitur, & montes exultaſſe. *A facie Domini mota eſt terra*; Et ſtatim, *Montes exultauerunt, vt arietes.* (*Exultare* autem non ſignificat lætari, ſed ex ſuo loco moueri, atque ſalire. Quo ſenſu de Charybdi dixit Virgil. *lib.* 3. [Pſal. 113.]

Exultántque vada atque æſtu miſcentur arena.)

Vt enim ibi dicitur *mare retrò fugiſſe*, & *Iordanis conuerſus retrorſum, & ex petra aquarum riui exiluiſſe* propriè, & non figuratè, ſic etiam *exultaſſe*, id eſt, conuulſos eſſe, *montes*, propriè & non figuratè dicendum eſt: cùm eodem filo, textúque ſermonis mutari non debuerit orationis figura. Et ita putat B Caietan. *in Pſal.* 113. & ibi Genebrardus, tam ex ſua quàm ex Hebræorum ſententia. Ianſenius & alij plures: & indicat non obſcurè textus Græcus, qui pro *exultauerunt*, habet ἐξίϲη, id eſt, *moti ſunt de loco.*

Puto autem tunc extabuiſſe, aut conuulſos fuiſſe montes, quando populo Iſrael, aditus primùm apertus eſt in terram promiſſionis. Nam *Numer. cap.* 21. ſcopuli inclinati dicuntur, vt tranſirent filij Iſrael. Quòd verò propriè ſit intelligenda illa ſcopulorum inclinatio, argumento eſt: quòd ibidem id ſcopulis, & torrentibus accidiſſe dicitur, quod olim mari rubro. *Sicut fecit in mari rubro, ſic faciet in torrentibus Arnon. ſcopuli torrentium inclinati ſunt.* Vt ergo propriè mare diuiſum eſt, ſic diuiſi, aut inclinati montes clauſam antè viam Iſrae- C litis aperuerunt: & ita putat Abulenſ. *in cap.* 5. *Iud. q.* 2.

ᶜ *Sicut exuſtio ignis tabeſcerent: aqua arderent igni.*] Huius incendij in Sinai non leue veſtigium. Aut enim ita accidit vt ſonat, aut ita accidiſſe exiſtimare potuerunt, qui procul admiranda illa montis prodigia intuebantur. Sanè ſigna, quæ tunc apparebant in monte, incendium ibi fuiſſe teſtabantur *Exod.* 19. *Totus autem mons Sinai fumabat, eò quòd deſcendiſſet Dominus Deus ſuper eum in igne, & aſcenderet fumus ex eo quaſi de fornace.* Eſt autem *tabeſcere*, vt *cap. 33. verſ.* 2. diximus, perire, aut ſolui, aut tabem eo modo pati, quo quælibet rerum natura poteſt. 4.

D ᵉ *Aqua arderent igni.*] Quomodo aquæ in Sinai igne efferbuerint, aut arſerint, non video, niſi dicamus tunc exarſiſſe, quando ex denſiſſima nube, quæ aquoſa eſt, dicuntur emicuiſſe fulgura, & audita eſſe tonitrua. Sed credo ad aliud tempus ſpectaſſe prophetam, nempe ad Ægyptium, in quo ignis ardor in aqua fuiſſe traditur. *Sap. c. 16. verſ.* 17. *In aqua, quæ omnia extinguit, plus ignis valebat.* Et *verſ.* 19. *In aqua ſupra virtutem ignis exardeſcebat vndique, vt iniquæ terræ nationem extermináret.* Idem repetit *cap. 20. verſ.* 19. Ad hæc puto alluſum eſſe à propheta. Nunc paucis quomodo hæc in aduentu ſuo Chriſtus allegoricè præſtiterit exploremus. 5.

6\. Quàm potens Chriſti exemplũ, & opera ad mutationẽ animorum.

E ᶠ In *montibus* principes viros, aut ſpiritus inſolentes intelligi ſatis eſt notum: quia hi ſupra reliquam turbam attolli ſe putant, ſicut excelſi montes ſupra depreſſam vallem. Hi ergo, vbi mons ille, qui ſupra montium omnium verticem ſitus eſt, ſe ad ima depreſſerit, eóque deſcenderit, vt *nouiſſimus virorum* dicatur ab Iſaia; & à Dauide *vermis & non homo, opprobrium hominum & abiectio plebis*, abiiciens (ſi quid mentis aut pudoris eſt) arrogantes animos, & ab inflato ſpiritu omnino tabeſcent. Qua de re multa dicuntur à Patribus. Ego hic breuiter agam, quia promptum eſt ab aliis petere.

7. *Aquæ* dicuntur animi, & molles & frigidi, & qui poſt carnis delicias, & reliqua intemperantis animi blandimenta ſic liqueſcunt, & defluunt, ſicut per decliuem locum feruntur aquæ. Has ergo efferueſcere faciet, vis Chriſti ignea, quæ mentes inflammat, ſicut aqua exæſtuat, ac feruet ab igne ſubiecto; & conſumpto humore, à quo animus fluxus eſt, & lubricus, ſpiritus aſſumit viriles, & conſtantes: ita vt in aqua nihil minus videas quàm aquæ naturam; quam diuinus ſpiritus exurit, & quod luteum eſt, & molle, in ferri duritiem, & firmitatē adducit.

8. [f] *A facie tua Gentes turbarentur.*] Iam explicat metaphoram, & tempus Chriſti, libertatiſque mundi, cum antiquo tempore Moyſis, & populi Iudaici libertate componit. *Gentes*, inquit, *turbarentur*, id eſt, adductæ beneficiis, vel metu coocuſſæ meliora cogitarent. Deficerent enim à ſe ipſis, vt quoad fieri poſſet retexerentur, id eſt, veterem exuerent hominem, nempe ſe ipſos, & nouum induerent. Quod eſt à ſe ipſis abire in aliam quaſi naturam, vt qui priùs fuerant de terra terreni, incipiant iam eſſe de cœlo cæleſtes.

9. [g] *Cùm feceris mirabilia, non ſuſtinebimus.*] Is erit ardor, ea vis in Chriſto cùm doctrinæ ſuæ radios vibrauerit, cùm admiranda ediderit diuinæ virtutis documenta, cùm vitæ exemplo, morúmque ſanctitate vim propè ad melioris vitæ formam hominibus attulerit, vt nemo tali doctrinæ, & tanto prodigiorum ponderi non ſuccumbat. Et quidem in gratis, & bene conſtitutis animis, aduentus Chriſti in mortali ſtatu, & quæ in eo edidit immenſæ charitatis admiranda ſigna, neceſſitatem penè induerunt eius tranſmutationis, de qua modò propheta. Spectat credo Iſaias hoc loco terrorem illum Hebræorum, qui cùm viderent fumantem montem, & micantia fulgura, & buccinarum clangorem audirent, & tonitruorum minas *Exod.* 20. *perterriti, ac pauore concuſſi ſteterunt procul dicentes Moyſi, Loquere tu nobis, & audiemus, non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur.* Terrebuntur quidem homines aduenieute Chriſto, & ad eius conſpectum fumante mundo, contrepaniéque ad clangorem cæleſtis tubæ, non tamen vt fugiant à Chriſto, ſed potiùs à ſeipſis, id eſt, à peccatis, & ſe totos ad Chriſti vocem, & ſigna conuertant.

10. [h] *Deſcendiſti, & à facie tua montes defluxerunt.*] Hic ego duos Hebraiſmos inuenio, quos vbi explicuero, nihil erit reliquum, quod præterea addam. Alter eſt ſuppleri *ſi* conditionalem particulam, quod in Scriptura non infrequens. *Deut.* 4. *Reuerteris ad Dominum Deum tuum.* Et *cap.* 30. *Tu autem reuerteris, & audies vocem Domini*, id eſt, *ſi reuerteris & audieris.* Et *Ioan.* 7. *Quæretis me, & non inuenietis*, id eſt, ſi quæſieritis. Eandem particulam ſupplet Genebr. ad illud *Pſal.* 4. *Iraſcimini, & nolite peccare*, id eſt, ſi iraſcamini, ne peccetis; id eſt, *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram.* Alterum eſt, præteritum pro futuro ſumi à prophetis, præſertim vbi rei celeritas, ſeu certitudo ſignificatur. Vtrumque coniunxit Dauid *Pſal.* 67. *verſ.* 10. vbi cùm ſermo eſſet de ſingulari Dei in ſuos prouidentia; de quibus tanquam de hæreditate quadam loquebatur, dixit. *Infirmata eſt, tu verò perfeciſti eam.* Id eſt, ſi hæreditas illa ſiti, aut aliquo alio incommodo laborauerit, tu recreabis. Ita exponit Genebr. & Rabbi Dauid. Ex his difficile non eſt ſtatuere, quid ſibi velit hic locus: nempe *ſi deſcenderes, à facie tua montes defluerent.* Eo ſenſu de quo nuper. Eſt autem repetitio ſuperioris ſententiæ, quæ familiaris eſt poeticis

Regula ſi conditionalis aliquando ſuppletur.

Pſal. 4.

Pſal. 67.

A Hebræorũ numeris; præcipuè cùm aliquid proponitur, quod altiùs hominum memoriæ hærere debeat.

11. Cum Iſaiæ ſpiritu hoc loco mirè conſpiraſſe videtur Abacuc, qui in eodem argumento eandem propè verborum figuram, & ordinem adhibuit. Sic enim *cap.* 3. *verſ.* 6. *Aſpexit & diſſoluit gentes, & contriti ſunt montes ſæculi, incuruati ſunt colles mundi.* Septuaginta pro *diſſoluit*, reddunt, *diſtabuerunt gentes.* Quem locum Auguſt. 18. *de ciuitate cap.* 32. de pœnitentibus exponit. Id enim agit pœnitentia, vt peccator etabeſcat, & à ſeipſo mutatus in alios mores, & aliam naturam transformetur. *Contritos montes, & incuruatos colles*, aut, ſicut hîc dicit Iſaias, *defluentes*, quod tantumdem valet; ideo dictos eſſe C cenſet Theodoretus, & Theophylactus, quia iam in Chriſti aduentu abolita eſt idololatria; quia Idola in montibus excelſis præcipuè colebantur. *Montes* autem per metonymiam pro his, quæ in montibus fieri ſolent, vſurpati, neque infrequens, neque obſcurum eſt.

12. [i] *A ſæculo non audierunt, neque auribus perceperunt, oculus non vidit, Deus, abſque te, quæ præparaſti expectantibus te.*] Liqueſcunt animi, & defluent antiqui mores, vbi grauis aliqua proponitur ratio, quæ non ſinit prudentem rerum æſtimatorem in antiquo hærere vitæ conſilio. Grauis eſt ad omnem animorum, & ſtudiorum mutationem Chriſti aduentus, & aſpectus ille, quem habuit tanquam leproſi, & quòd ſerui aſſumpſerit ſpeciem, vt iudi- B caretur virorum nouiſſimus: grauis prodigiorum magnitudo, grauis metus peccatori propoſitus à Chriſto, & Euangelio; Sed eſt grauis etiam cauſa ad molliendam animorum duritiem, deſerendáſque mundi, & carnis illecebras, quòd talia proponuntur Euangelicæ vitæ ſectatoribus, qualia neque videre oculus, aut auris audire, aut fingere cogitatio valeat vlla mortalium. Quæ omnia Chriſtus adueniens nobis attulit, qui & cœli ianuas aperuit, & vincula laxauit, quæ nos ab illius ingreſſu morabantur. Quare meritò adhæc intuens clamat propheta. *Vtinam dirumperes*, &c. Id ergo nunc propheta docet, iuxta communem ſententiam, quæ hæc de beatorum feliciſſima ſorte interpretatur. Neque verba ita obſcura ſunt, vt noſtram expoſi- D tionem admodum deſiderent. Eſt tamen hîc aliquid quod interpretis operam, & ſtudium requirat.

13. Adduxit hoc Iſaiæ teſtimonium Paulus 1 *ad Corinth.* 2. qui tamen (quod ſæpe faciunt ſcriptores canonici, dum teſtimonium adducunt è Teſtamento veteri) non tam numerauit verba, quàm ſententiam expreſſit. Qui verum, atque germanum ſenſum prophetæ nobis tradidit, diſcuſſitque ſi quid erat tenebrarum in Iſaia; Sic itaque Paulus. *Loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ abſcondita eſt, quam prædeſtinauit Deus ante ſæcula in gloriam noſtram: quam nemo principum huius ſæculi cognouit; ſi enim cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Sed ſicut ſcriptum eſt, quod oculus non vidit,* E *nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus iis qui diligunt illum.*

1. Corint. 2.

14. Quæ verba ſi quis attentè expendat, inueniet profectò, niſi vim ſibi, ac textui afferre velit, ſermonem eſſe de Chriſto; agit enim de ea ſapientia, quam quia principes ignorarunt, Dominum gloriæ morti tradiderunt: illa verò ſapientia, quæ in myſterio eſſe dicitur, Chriſtus eſt. Cur verò ſapientiam illam, id eſt, Chriſtum, non cognouerint, docet Paulus, quia ſcriptum eſt, vtique hoc Iſaiæ loco, *oculus non vidit*, &c. Hinc ego colligere mihi videor

de Chriſto

de Chriſto potiùs eſſe ſermonem hîc, quàm de beatorum felicitate. De quo multò minùs dubitarem, niſi intereeſſiſſet magnorum interpretum, ac Doctorum auctoritas. Inter quos eſt S. Thomas *in Paulum ſuprà*, Hieronymus, Haymo, Dionyſius *in Iſaiam*, Anſelmus *in Paulum*, Tertullianus *lib.* 1. *de reſurrectione carnis cap.* 26. Cyprianus *epiſt.* 56. ſeu *lib.* 4. *epiſt.* 6. Tenet hoc idem Gabriel Vazquez *in primam partem diſp.* 2. *c.* 1. 2. & 3. vbi ea de re multis. Quorũ ego auctoritatem ſecutus probabile admodum cẽſeo de beatorum mercede hîc agere Iſaiam.

15. Sed inclino magis in eam cogitationem, quæ de Chriſto eiúſque in terris œconomia, & conuerſatione hæc interpretatur. Quod tenent viri neque pauci, neque ignobiles. In quibus ſunt Hieronymus, Ambroſ. Chryſoſt. Theophylactus, Oecumenius, & Primaſius *in Paulum*, item Gagneius, qui in eam ſententiam adducit Græca quædam ſcholia; idem Foreirus, & Leo Caſtrus *in Iſaiam*: neque Cyrilli verba ab hac abhorrent, ſicut neque Procopij. Quare ad hãc ego ſententiam loci iſtius explicationem attempero; nam de altera, quæ hîc ſanctorum gloriam agnoſcit, ſatis multa à multis tradita ſunt.

16. Oſtenderat paulò antea propheta quanta futura eſſet in mundo rerum, mutatio in aduentu Meſſiæ, vt montes defluerent, atque tabeſcerent, & aquæ arderent igni: Id verò Chriſtus perfecturus erat, & vitæ ſanctitate, doctrinæ luce, & his operibus ab immenſa charitate profectis, qualia à ſæculo vidiſſet, aut audiſſet nemo; immò neque in hominum cogitationem cadere potuiſſent. Quis enim futurum crederet, vt Deus aſſumpta mortali carne talem toto vitæ curriculo inopiam pateretur, qualem vnquam mortalium nemo? & illam ſubiturus eſſet ſpeciem, vt virorum nouiſſimus, & leproſo ſimilis videretur? Quod ſanè, ſi nouiſſent homines, haud antiquos alerent ſpiritus. Id enim eſt, vt dicebamus, *montes defluerẽt, aut tabeſcerent*. Duo hîc peccata eſſe puto, & ignorata pluribus, & Deum eſſe illum, qui habitu inuentus eſſet vt homo, & quæ paſſurus eſſet pro ſalute mortalium. Quæ eiuſmodi fuerunt, vt ſolus, qui paſſus eſt, Chriſtus illa cognouerit. Fuêre ſanè multa, quæ ſpectarunt homines, qui reclinatum in præſepio, & affixum cruci videre potuerunt: At quis videre, aut cogitare potuit quantum afflixerit mitiſſimum ſpiritum dolor ille, quem ex peccatorum ruina miſeratio afferebat; quanto pudori fuerit honeſtiſſimo viro nudatum in cruce corpus ſpectante, & exſibilante populo. Hoc poſterius *abſque te*, id eſt, præter te, ô Chriſte. qui illa pertuliſti, nemo vidit, aut cogitauit: aut niſi te reuelante, ſicut illud priùs, quòd is, qui tunc patiebatur Deus eſſet; quod non niſi te reuelante cognouerunt aliqui; vt Paulus, qui hoc ſe cognouiſſe dicit per ſpiritum Dei. *Nobis autem*, inquit, *reuelauit Deus per ſpiritum ſuum*. Et illi quibus Chriſtum eſſe Filium Dei viui, non reuelauit caro, & ſanguis, ſed ſpiritus Patris, qui in cœlis eſt.

Admirabilia eſſe, & ſupra humanã cogitationem quæ Chriſtus habuit, ac ſubiit.

17. [k] *Quæ præparaſti expectantibus te.*] Pro *expectantibus* Paulus adhibuit *diligentes*, non tam verba quàm ſententiam ſecutus. Nam qui Chriſtum expectabant animarum Saluatorem, niſi prorſus mentem abieciſſent, non poterant illum non diligere. Expectabatur autem ea auiditate à viris, qui norant, quid haberent in Chriſto, vt iam *expectatus*, aut *expectatio* propria, quaſi nota vocaretur. Hi ergo, qui expectabant, quæ Deus in Chriſto præparaſſet, illúmque, vt inquit Paulus, diligebant, cognouerunt id, quod Iudæorum Principes ignorarunt: & quod *abſque te*, id eſt, ſine tuo numine videre potuit nemo: nempe, in mortali corpore diuinum aliquid latere. Huc vſque parentheſis, & hîc de Chriſti aduentu vaticinium finitur, deinde reditur ad interruptam hiſtoriam.

18. [l] *Occurriſti lætanti, & facienti iuſtitiam.*] Hæc cum præcedentis capitis fine connecte. Dixerat Propheta, cùm populi ſui ærumnoſam deploraret fortunam. *Facti ſumus quaſi in principio, cùm non dominareris noſtri: neque inuocaretur nomen tuum ſuper nos.* Id ergo propheta incipit iam oſtendere; & primùm, vt appareat, quàm miſera ſit in præſenti ſtatu Iudæorum conditio, adducit tẽporis illius felicitatẽ, in quo Deus videbatur dominari ſuper populũ; quando propter parentum merita, atque iuſtitiam Deus ſic erat illi populo familiaris, vt etiam non vocatus vltrò occurreret. Hanc eſſe porò huius loci ſententiam, quia antiquis illius populi temporibus, & Abrahamo ſæpius occurrebat, in quo deſignari, & certo charactere conſignari cœpit, & deinde Iacobo; & toto tempore, quo Moyſes Gentem illam moderabatur. Eo verò tempore, de quo nunc loquitur Iſaias, vſque adeò illi populo Deus non erat familiaris, vt potiùs tanquam alienum abieciſſe videretur, quaſi numquam ſuper illum nomen eius eſſet inuocatum. De quo grauiter, & dolenter Ieremias *Thren. cap.* 2. *Quomodo obtexit caligine in furore ſuo Dominus filiam Sion: proiecit de cœlo in terram inclytam Iſrael*, &c. Vide reliqua.

19. Illud *lætanti, & facienti iuſtitiam*, puto olere aliquid ex idiomate Hebraico, in quo ſæpe verbum aduerbij loco ponitur, vt pluribus docuimus *cap.* 6. *n.* 45. Et in hoc verbo *lætari*, & ſimilibus exempla nobis ſuppeditat Scriptura. *Pſal.* 59. *verſ.* 8. *Lætabor, & partibor Sichimam*, id eſt, lætanter partibor. Et *Deut.* 12. *verſ.* 18. *Lætaberis, & reficieris*, id eſt, iucundè. Sic puto exponendum præſentem locum, *Occurriſti ei, qui iucundè, & libenter iuſtitiam facit.*

Regula. Verba aduerbiorum loco.

20. [m] *In viis tuis recordabuntur tui.*] Hæc de parentibus, quibus olim Deus familiariter occurrebat. Eſt autem hæc, vt reor, ſuperioris ſententiæ explicatio. Oſtendit enim propheta quomodò antiqui illi Iudaici populi parentes, & duces iuſtitiam fecerint lætanter, & libenter; quia nimirum viarum, id eſt, mandatorum Domini non obliuiſcebantur; aut quod idem eſt, recordabantur Dei, dum ab eius præcepto numquam diſcederent. Hic porrò duo ſunt notanda quoad rem Grammaticam. Alterum eſt, *recordabuntur* poni in numero plurali, cùm præceſſiſſet in ſingulari numero *lætanti, & facienti*, quia habita ratio eſt non tam terminationis, quàm rei ea terminatione ſignificatæ. In *lætanti* per Synecdochen Patres intelliguntur, & duces, & viri ſancti populi Iſrael: Ad eos igitur reſpiciens propheta dixit, non *recordabitur*, ſed *recordabuntur*, vt exigebat non ſingularis numerus, ſed id, quod ille in ea terminatione claudebat. Alterum, illud futurum *recordabuntur* ſignificationem importare præteriti, iuxta ea quæ diximus *c.* 41. *n.* 6. vbi latè probauimus futurum tempus aliquid ſignificare præteritũ, aut etiam præſens, cùm tempus anteceſſiſſet præteritum, aut præſens. Quare cùm præceſſerit *occurriſti* in præterito, per præteritũ etiã *recordabuntur* explicari debet.

21. [n] *Ecce tu iratus es, & peccauimus.*] Omiſſo ſtatu illo, quem fortunatum habuit populus multis annis, id eſt, quo tempore vixere, quibus Deus propter iuſtitiam occurrebat, agere iam incipit de eo ſtatu, quem idem habuit populus ærumnoſum, & lugubrem, apud Babylonios. Et

A primùm cauſam adducit, cur tanta facta fuerit temporum, fortunæque mutatio. Hæc verò fuit diuinus furor illius Gentis ſceleribus irritatus: neque enim Deus tam eſſet infenſus niſi illius animum noua ſemper peccata ad iram, & vindictam inflammarent. Illud *&*, vt alibi ſæpe, non tam coniungit, quàm rationē reddit, quare idē eſt quod *quia peccauimus*. De hac ſignificatione nos pluribus *c. 23. n. 43.*

22. ° *In ipſis fuimus ſemper; & ſaluabimur.*] Hunc locum variè verſant interpretes, & exponunt. Alij interrogationis notam appungunt verbo *ſaluabimur*, in hunc ſenſum: *Numquid cùm ſemper in peccato vixerimus, ſalutem conſequemur?* Quod videntur ſenſiſſe Septuaginta qui per contrarium vertunt; nempe *errauimus*, quod, niſi interrogatiuè ſumerēt, nunquam facerent. B Alij, quia de Chriſto venturo locutus fuerat propheta, à quo vno ſperanda ſalus eſt, putant à propheta ſignificari ſaluandos quidem eſſe peccatores, non ſuis ſed Chriſti meritis. Atque ideo ſtatim ſubditur, *Facti ſumus, vt immundi omnes nos. & iuſtitia noſtra ſicut pannus*, &c. Ego, qui hæc à Chriſti aduentu ſeparo, & ſermonem eſſe puto de longo, atque ærumnoſo Iudæorum exilio, aliter hæc interpretor. Et obſeruo hîc etiam futurum *ſaluabimur*, exponendum eſſe per præteritum, quia tempus anteceſſit præteritum, vt nuper diximus, in hanc ſententiam, *Olim peccauimus, & nihilominus ſaluati ſumus.* ab iis nempe infortuniis, quæ tu propter peccata noſtra nobis inflixiſti; nunc C tamen eò redacti ſumus, vt non iam ampliùs libertatem, & ſalutem conſecuturi videamur: Ita abs te derelicti funditus periimus. Huic expoſitioni bellè conſentiunt quæ ſequuntur.

23. In textu Hebræo non eſt *fuimus*, ſed *in ipſis ſemper*. Vulgatus claritatis gratia illud adiecit. Et in *ipſis* intellexit *peccata*, quæ in verbo proximo *peccauimus* continentur. Ad verbum ſic exponi poteſt, ſi nihil ſuppleas, eodem omnino ſenſu, quem offert Vulgatus: *In viis tuis*, id eſt, præceptis tuis, *recordati ſunt tui viri*, nempe ſancti, *quibus tu occurriſti. Ecce tu iratus es nobis, quia peccauimus in ipſis*, nempe viis, id eſt, mandatis tuis, *ſemper, & tamen liberaſti nos.* Quàm ſæpe ab hoſtibus premerentur Iſraelitæ, & propter peccata dati aliis in ſeruitutem fuerint, & poſtea liberati, docet liber Iudicum, & D paucis complexus eſt Eſdras *lib. 2. cap. 9. verſ. 26. Prouocauerunt autem te ad iracundiam, & receſſerunt à te, & proiecerunt legem tuam poſt terga ſua, &c. Et dediſti eos in manus hoſtium ſuorum, & afflixerunt eos, & in tempore tribulationis ſuæ clamauerunt ad te: & tu de cælo audiſti, & ſecundùm miſerationes tuas multas dediſti eis ſaluatores, qui ſaluarent eos de manu hoſtium ſuorum. Cùmque requieuiſſent, reuerſi ſunt, vt facerent malum in conſpectu tuo, & dereliquiſti eos in manu dominorum ſuorum, & poſſederunt eos; conuerſique ſunt, & clamauerunt ad te: tu autem de cælo exaudiſti, & liberaſti eos in miſericordiis tuis multis temporibus.* Vide reliqua.

24. ᵖ *Et facti ſumus, vt immundus, omnes nos.*] Hæc E refero ad extremum illud capitis præcedētis. *Facti ſumus quaſi in principio cùm non dominareris noſtri*, id eſt, quaſi Gentiles, quos Deus ſibi in populum non elegerat. Nam Gentiles immundi vocabantur ab Hebræis, & ſcelus eſſe putabant habere cum illis aliquid commune. Quare *Ioannis* 18. *verſ.* 28. non ſunt auſi prætorium ingredi, ne Gentilium congreſſu contaminati, legitimè, & ſanctè Paſcha manducarent. Sanè ſuprà Gentiles, & incircumciſi, quaſi propria, atque legitima nota *immundi* vocantur,

A *c. 52. v. 1. Non adiiciet vltrà, vt pertranſeat per te incircumciſus, & immundus.* Eſt ergo ſenſus, *Facti ſumus quaſi alieni: ita videris obliuiſci noſtri.*

ᑫ *Quaſi pannus menſtruatæ vniuerſa iuſtitia noſtra.*] Ribera ad illud Zachariæ *cap. 13. verſ. 1. in ablutionem peccatoris, & menſtruatæ*, putat in *peccatore* Iudæum, & in *menſtruata* Gentilem deſignari; neque huic cogitationi ſua deeſt coniectura. 25. Quia cùm Iudæus circumciſione ſit purificatus, ſuo potiùs peccato polluitur, quàm communi naturæ; Vnde iuxta hominum vulgarem exiſtimationem *peccator* magis propriè dicitur. Alter *menſtruatus*, id eſt, ſordibus à natura fluentibus inquinatus, ſicut à natura habet menſtruata mulier, quo fœdè, B atque indecorè puteat, & obſoleſcat. Quod ſi ita eſt; hæc clauſula parum eſt à ſuperiore diuerſa: in vtraque enim indicatur illa immunditia, quæ eſſe in populo Gentili putabatur: & iuſtitiæ Iudæorum, id eſt cæremoniæ ac ſacrificia à lege conſtituta eo loco putabantur, quo impia, ac fœda ſacrificia Gentilium. Sed licet hæc ſatis ſint veriſimilia, nihil tamen puto ſignificari aliud hoc dicendi genere, vt puto, prouerbiali, quàm fœtere Iudæorum ſacrificia, quæ *iuſtitia* vocantur, apud Deum, & ipſum ad illam fucatam ſanctitatis ſpeciem nauſeare non aliter, quàm ad ea quæ propter fœditatem auerſantur oculi, aut propter amaritiem, & cruditatem faſtidit ſtomachus.

26. Menſtruata abominatio.

Pro *menſtruata* Heb. עדים *hhiddim*. Quod variè C varij reddunt, ſatis tamen omnes accommodatè ad explicandam fœditatem illam, quæ in Iudæorum iuſtitiis eſſe dicitur. Tigurina, & Vatablus eodem modo reddunt, illa *veſtem centonum*, hic *fruſtorum*. Rabbi Abraham *veſtem prædæ*, quia veſtis quæ è præda, nempe alicuius feræ, ſublata eſt, lacera eſt, & fœdata ſanguine illius, quem fera laniauit: Qualis videri potuit veſtis polymita Ioſeph, quam delibutam ſanguine filij Iacob ad Patrem detulerunt. Symmachus κυοώ[illegible], id eſt *veſtem parturientium*, vt docet Hieronymus; Aquila μαρτυριῶν, id eſt *teſtimoniorum*, id eſt quæ recipit ſanguinem, qui primùm à deuirginata fœmina linteo recipitur, quæ deinde à coniugis liberet calumnia, vt, communi interpretum ſententia, iubet Deus D *Deut. 22. verſ. 15. Ferent ſigna virginitatis eius.* Alij Deut. 22. *pannum de plaga*, qui & ipſe ſatis eſt ad nauſeam, cùm aliquid ſemper trahat è ſanioſo vulnere. Sed omnium optimè reddidit noſter interpres *pannum menſtruatæ*. In ſcriptura etenim ſacra abominabilis, & polluta cenſetur fœmina, dum eſt in menſtruis. De qua multa *Leuit. cap. 15. verſ. 18.* Vbi omne vas, aut veſtimentum, quod tetigerit, aut in quo ſederit menſtruata mulier, polluta cenſentur. Immò *Leuit. 20. verſ.* 18. capitis rei iudicantur, qui tempore mēſtrui ſanguinis corpora miſcuerint. *Qui coierit cum muliere in fluxu menſtruo, & reuelauerit turpitudinem eius, ipſáque aperuerit fontem ſanguinis ſui, interficientur ambo de medio populi ſui.*

E Porrò menſtruata *ſedens* appellatur, & pannus menſtruatæ *pannus ſedentis* in verſione Septuaginta, qui habent ὡς ῥάκος καθημένης. 27. Quia fœminæ, quæ fluxum illum menſtruum patiebantur, ne omnia vaſa, aut veſtimenta, quæ tangerent, polluerent, ſedebant plurimùm, neque ſe commouere audebant, aut permittebantur. Quod puto etiam ante legem Moyſi datam propter fœdam illam immunditiem honeſtis fœminis in vſu fuiſſe. Ex hac conſuetudine natum videtur commentum illud, quo *Geneſ. 31.* Rachel parentis ſui, quem interu-

tum

ſum videbat idolis inueſtigandis, ſollicitudinem eluſit: Sedit enim ſuper ſtramenta cameli, vbi idola parentis occultauerat, & dixit. *Ne iraſcatur Dominus meus, quod coram te aſſurgere nequeo: quia iuxta conſuetudinem fœminarum nunc accidit mihi.* Quàm noxius ſit, & peſtilens, menſtruus ille ſanguis, docet Plinius *lib. 7. cap. 15.* vbi multa narrat admirabilia. Fides apud ipſum ſit. Ego à me impetrare non poſſum, vt vera eſſe putē. Hoc mihi facilius hanc eſſe prouerbialē ſpeciē, de qua *Zacharia c. 13. Ezech. 36.*

Prouerbiū.

28. ſ *Cecidimus quaſi folium vniuerſi, & iniquitates noſtræ quaſi ventus abſtulerunt nos.*] Optima reſpublica, ciuibus frequens, & illorum ingenuitate, atque lautitia florens, arbori videtur quàm ſimillima, quo tempore, & frondibus veſtitur virentibus, & incuruescit multitudine, ac pondere baccarum. Quòd ſi ventus ingruat vehementior, aut intempeſtiua exurat pruina, arbor decuſſis frondibus, & ſpoliata fructibus deformis eſt, & folia, quæ in arbore aliquid videbantur habere pulchritudinis, vbi ſemel defluxere, areſcunt, & pereunt, ita vt illis nihil habeatur vilius, & abiectius. His verbis de ſe duo videtur confiteri populus, & quòd miſer ſit, non aliter ac frondes, quæ ex arbore deciduæ in ſtercus abeunt, neque quid habent, quod in ipſis aut ames, aut æſtimes: & quòd momento temporis ab antiqua gloria, atque nitore deciderint, quem habuerunt, dum in patria viuerent; quemadmodum ex arbore procera, & elegante folia perflante vento excutiuntur. Quòd verò deciderint, longéque à patria diuulſi fuerint, atque diſperſi, non Deo aſcribunt, ſed ſuis peccatis, quæ non ſecus atque acer, ac peſtilens ventus florentem illam rempublicam diſſiparunt, nudámque reliquerunt à ſiliorum frequentia, & gloria.

29. ſ *Non eſt qui inuocet nomen tuum, qui conſurgat, & teneat te.*] Habuerunt olim Iudæi, qui Deum ad vindictam, & plagam intentum cohiberent. Qualis fuit Moyſes, à quo teneri ſe, atque impediri dicebat Deus, quominus ingratum, ac peruicacem populum deleret. *Deut. 9.* ſic Deus ad Moyſem. *Dimitte me, vt conteram eum, & deleam nomen eius de ſub cælo.* Eodem ſe modo oppoſuit Aaron *Num. 16. verſ. 45.* Et iterum Moyſes *Exod. 32.* Et *Ieremiæ cap. 7. verſ. 15.* dixit Deus. *Tu ergo noli orare pro populo hoc, neque obſiſtas mihi.* Hoc verò tempus de quo nunc Iſaias, ſic erit deſertum à viris, qui ſe vltricibus Dei manibus opponerent, vt Dominus qui ad miſericordiam pronus, hoc ipſum quereretur, & requireret. Sic enim *Ezechiel. 13. verſ. 5.* *Non aſcendiſtis ex aduerſo, neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſrael.* Et *cap. 22. verſ. 30.* *Et quæſiui de eis virum, qui interponeret ſepem, & ſtaret oppoſitus contra me pro terra, ne diſſiparem eam: & non inueni.* Quomodo verum ſit non fuiſſe, qui nomen Dei inuocauerint, aut vltricem Dei dexteram cohibuerint, cùm captiuitatis tempore fuerint Ezechiel, Daniel, Eſdras, & Zacharias, diximus *cap. 10. num. 28.* Vbi oſtendimus ex vſu ſcripturæ dici neminem aliquid facere, cùm ex magno numero pauci ſunt, qui faciant. Ex hoc loco facilè intelligitur, quanti interſit viros eſſe ſanctos in republica, qui pro aliis orent, cohibeántque Dei brachium intentum ad plagam.

30. Aut fortaſſe, quod putat Lyra, his verbis ſignificatur non eſſe templum, aut ſacerdotes, qui in eo nomen inuocent Dei; aut qui pro populo intercedant, Deúmque de illius ſupplicio cogitantem retardent, & molliant. Eſſe autem id proprium ſacerdotum, oſtendit Aaron *Num. 16. verſ. 47.* qui, cùm

A ira Dei latè graſſaretur, & miſſa flamma plurimos è populo conſumeret, aſſumpto thuribulo, *cùm cucurriſſet ad mediam multitudinem, quam iam vaſtabat incendium, obtulit thymiama, & ſtans inter mortuos, ac viuentes, pro populo deprecatus eſt, & plaga ceſſauit.* Quod vt ſacerdotes faciant, ſuo ſcilicet more, in graui ciuitatis metu, atque periculo monet Ioel *cap. 2.* *Inter veſtibulum, & altare plorabunt ſacerdotes,* &c. adde reliqua. Eo autem tempore quo durauit captiuitas, nihil horum aut in euerſa ciuitate, aut exilio Babylonico fuit, vt habes *Oſeæ 3. verſ. 4.* *Dies multos ſedebunt filij Iſrael ſine Rege, & ſine principe, & ſine ſacrificio, & ſine altari, & ſine Ephod,* id eſt, ſine ſacerdote.

t *Abſcondiſti faciem tuam à nobis, & alliſiſti nos in manu iniquitatis noſtræ.*] Quid ſit *faciem abſcondere* 31.
B diximus *cap. 53. num. 16.* nempe auerſari aliquem, aut quid ille velit, aut poſcat, non curare. Sicut contrà *faciem oſtendere*, auxilium, & beneuolentiam ſignificat. Illud *in manu* Hebraiſmos eſt, & inſtrumenti nota, atque idem quod *per*. Vt *Verbum Domini in manu Aggæi*, id eſt, per Aggæum, *in manu fœminæ*, id eſt, per fœminā. Significat ergo propheta, dura pati Iudæos, non tamen ſine magno ſuo merito, neque alio telo fuiſſe confixos, quam eo, quod ipſi diuino furori miniſtrarunt. Alliſi ſunt enim in manu iniquitatis ſuæ, id eſt, propter peccata ſua; quæ vbi in aliqua republica, aut perſona dominantur, quodcumque munimentum, quantumuis ab humana ſolertia firmitatis habeat, ſtopa eſt,

Nullum firmamentum tutū vbi peccatum eſt.

C & quod intus peccatum latet, ignis ſcintilla. Quare quodcumque præſidium vbi peccata vigent, non magis firmum eſt quàm ſtupa, quæ intra ſe ignem cohibet. Dixit idem propheta ſupra, *cap. 1. in fine.* *Et erit fortitudo veſtra, vt fauilla ſtupæ, & opus veſtrum quaſi ſcintilla.* Vide quæ ibi diximus.

u *Et nunc Domine, Pater noſter es tu: nos verò lutum: & fictor noſter es tu.*] Magnum pondus adhibet orationi, & precibus, animus gratus, & officiorum memor. Magnum item animi nil ſibi tribuentis abiectio. Vtrumque propheta ducet in hac oratione, in qua Dei benignitati acceptum refert, quòd viuat, & quòd ſit, dum Deum parentem vocat, cui filius vitam debet; & fictorem, a quo lutum 32.

Orationem valde iuuat humilitas.

D habet, vt vas ſit in honorem. Porro autem in humiliando ſe, vulgarem & prouerbialem formam eſſe apud Hebræos vocare ſe *lutum*, & *figmentum*; & dum preces vrgent, & Dei clementiam ſollicitant, proponere quòd *opus ſint eius* & eo nomine debere ab illo conſeruari *Iob 10.* *Memento quæſo quòd ſicut lutum feceris me.* *Pſal. 102.* *Miſertus eſt Dominus timentibus ſe, quoniam ipſe cognouit figmentum noſtrum; recordatus eſt quoniam puluis ſumus.* Planè humiliatio magnum telum eſt in eo congreſſu, ac lucta, quæ in oratione fit. Quia Deus humilium cauſam, & protectionem ſuſcipit, *Iudith 9.* *Humilium, & manſuetorum ſemper tibi placuit deprecatio.* *Eccli. 35.* *Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit, & donec propinquet, non conſolabitur, & non diſcedet, do-*

Prouerbiū.

E *nec altiſſimus aſpiciat.*

x *Ciuitas ſancti tui facta eſt deſerta.*] Hæc ad finem vſque capitis aperta ſunt, neque quicquam continent aliud, quàm elegantem hypotypoſin vrbis, templique ſubuerſi. Illud obſeruandum *tacere*, vt *cap. 7. num. 7.* diximus, idem eſſe quod ceſſare, aut quieſcere. Quare illud *Numquid ſuper his continebis te, & tacebis?* nihil eſt aliud quam, cùm hæc ita ſe habeant, numquid ceſſabis & continebis te, quominus faueas? *Hæc de capite ſexageſimoquarto.* 33.

Argumentum ſexageſimi quinti capitis Iſaiæ.

AGIT primùm propheta de Gentium conuerſione; cauſamque reddit, cur admiſſis alienis quondam populis, Iudæorum genus abiectum ſit: Quia vocatum ſæpe, ad diuinam vocem aures obſtruxit: & idolis impendit, quod vni Deo debebatur obſequium. Deinde docet luituros eſſe poſteros (ſub tempus videlicet Babylonicum) parentum errata; & ex eorum numero fore pauciſſimos, quos Babylonicus gladius, duráque vexatio non conſumat. Iis tamen, qui reliqui erunt ex communi cæde (erunt autem illi, qui Deo placebunt) omnia promittit feliciſſima, ſicut etiam aduerſa, atque horribilia minatur illis, qui à diuina lege receſſerunt. Claudit denique totum caput explicando felicitatem illam planè mirabilem, quam habebit inſtaurata Ieruſalem: in qua adumbratur Eccleſiæ felicitas, quæ multò erit maior & illuſtrior.

CAPVT LXV.

1 [a] *QVÆSIERVNT me, qui antè non interrogabant, inuenerunt, qui non quæſierunt me: Dixi: [b] Ecce ego, ecce ego ad Gentem, quæ non inuocabat nomen meum.*

2 [c] *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona poſt cogitationes ſuas.*

3 [d] *Populus, qui ad iracundiam prouocat me ante faciem meam ſemper: [e] qui immolant in hortis, [f] & ſacrificant ſuper lateres:*

3 [g] *Qui habitant in ſepulchris: [h] & in delubris idolorum dormiunt: qui comedunt carnem ſuillam, & ius profanum in vaſis eorum.*

5 [k] *Qui dicunt: Recede à me, non appropinques mihi, quia immundus es. [l] Iſti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die.*

6 [m] *Ecce ſcriptum eſt coram me. [n] non tacebo, ſed reddam, & retribuam in ſinu eorum.*

7 *Ini*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 CVR iis, qui ex tuo genere ſunt, infenſus fuerim, ô Iſaia, neque benignas aures illorum clamoribus adhibuerim, ipſi in cauſa fuerùnt, qui toties inclamati non audiuere, toties admoniti non obtemperarunt. Longè aliter facient populi quondam alieni. Quærent enim me, qui priùs à me de rebus dubiis non rogabant oracula: & inuenient, qui priùs aliis abducti religionibus non quæſierant. Quare ſtatui ad populum, etiam Gentilicum, ſtudium cogitationémque conuertere: qui me priùs neque colebat, neque agnoſcebat Deum.

2 Clamabam enim ſæpe ad populum, neque voce tantùm, ſed etiam expanſis manibus quotidie vocabam; ipſe tamen prophetarum meorum oraculis incredulus, ſuo ſe arbitratu, atque cõſilio regebat; & ab ea quam ego bonam oſtendebam viam, aberrans, in ſua, id eſt, non bona via, gradiebatur.

3 Populus ſanè hic eſt, qui in conſpectu meo illa facit quotidie, quæ meum inſtimulant furorem: qui in montibus ſacrificat, & lucis, qui altare excitat latetitium, vbi impia peragat ſacrificia.

4 Qui veneficiorum cauſa, ad magicos vſus inter ſepulchra plurimùm morantur, qui in delubris dormiunt, vbi nocturnis ſe flagitiis contaminant: qui contrà, quàm lex cauet, carnibus veſcuntur ſuillis, & profano iuſculo.

5 Qui nihilominus tantùm de munditia, ac ſanctitate ſuperbiunt, vt alios à congreſſu, atque conuictu repellant, tanquam immundos. Hos ego in fumi inanitatem, & atrorem conuertam, quibus furor meus erit, ſicut ignis ſubiectus, & ardens tota die, qui illos in æternum fumare faciat.

6 Ecce ſcripta ſunt eorum peccata, neque vnquam non occurſabunt oculis meis. Neque ego diſſimulabo, aut quieſcam, donec illorum merita debito ſupplicio compenſem.

7 Dabunt

7 Dabunt mihi pœnas poſteri veſtri pro his, quæ vos in me ſceleratè patraſtis; inſuper parentum veſtrorum errata in caput illorum intorquebo. Qui obitis ſupes montes,& colles impiè ſacrificiis,meo nomini inſultaueruns,idolis gentium aſſentari. Et à primo vſque parentum peccato ſuo tempore filij pœnas exoluens.

8 Ea erit paucitar eosum, quor gladiur, aut fames non conficiet, vt conferri poſſit eum grano, quod in botro reliquit glacies, aut grando, quæ vehementes, & latè vinearum ſpeciem, & fructum populata eſt. Quod ex communi calamitate fuiſſe reliquum miratur agricola, edieitque aliis, ne diſſipent illud, quia à Dei benignitate relictum eſt: vt maneat aliquod diuinæ clementiæ documensum. Sic ego faciam propter ſeruos meos,ſic enim populum incredulum affligam,vt ex illo,licèt exiguæ, ſuperſint tamen aliquæ reliquiæ.

9 Granum illud in botro relictum, id eſt, & ſemen Iacob è communi excidio ſuperſtes, quia benedictum à Domino, ex tam exiguo numeso ſie augebitur, vt habitet surſus vrbem deſertam, impleatque latè segiones à Deo olim promiſſas, & ab Iſraele quàm diuiſſimè poſſeſſas.

10 Ea verò conſequetus serum abundantia, agrorúmque fœcunditas, vt quæ olim cenſebantur longè pulcherrima, vallir nempe Achor, & alia quæcumque planicies, in pecudum caulas, & armentorum cubilia computari poſſint. Erunt enim gregum paſcua ita fœcunda, ſicut campeſtres agri,& armentorum diuerticula, ſicut vallis Achor. Hæc à me habent ſibi parata, qui timuerunt,atque quæſierunt me.

11 Longè aliter euenier vobis, qui ex Iudæorum genere, prodita vera, atque auita religione ad idolorum inſaniam defeciſtis;qui immemores montis ſancti mei, in quo templum mihi, & domicilium extruxi, ad montes alios, & impias aras emigraſtis. Qui Gentilico situ,Fato,atque Fortunæ exeitaſtis altare:& in eo ſacrilegas libationes obtuliſtis.

12 Numeraui iam vor ad vnum, ſubieciíque hoſtili ferso. Ita vt nemo habiturus ſit duræ mortis effugium: quia ad clamores meos obſurduiſtis, neque ad ſermones, & monita adhibuiſtis obſequentes aures. Coram oculis meis in templo, aut non procul ab ipſo iniqua parraſtis, & quæ lege prohibita, atque damnata ſunt, vobis elegiſtis.

13 Propter hoc, quo tempore, qui voluntati meæ ſuam addixerunt,ſplendidè fuerint epulati, vos fames,& inopia conficient: quo tempote illi ſuauiter, largéque potauerint, ſitir vos vret, & extinguet.

14 Perfundet ſeruor meor grandir lætitia;vor autem interim turbabit,atque confundet pudor: in vocem ſalutis, & laudis erumpent illorum

7 *Iniquitates veſtras, & iniquitates patrum veſtrorum ſimul, dicit Dominus: [o] qui ſacrificauerunt ſuper montes,& ſuper colles exprobrauerunt mihi,& remetiar opus eorum primum in ſinu eorum.*

8 *Hæc dicit Dominus: [p] Quomodo ſi inueniatur granum in botro, & dicatur: Ne diſſipes illud, quoniam benedictio eſt: ſic faciam propter ſeruos meos, vt non diſperdam totum.*

9 [q] *Et educam de Iacob ſemen, & de Iuda poſſidentem montes meos. Et hæreditabunt eam electi mei, & ſerui mei habitabunt ibi.*

10 [r] *Et erunt campeſtria in caulas gregum, & vallis Achor in cubile armentorum populo meo,qui requiſierunt me.*

11 [r] *Et vos,qui dereliquiſtis Dominum, qui obliti eſtis montem ſanctum meum, [t] qui ponitis Fortunæ menſam, [v] & libatis ſuper eam.*

12 [x] *Numerabo vos in gladio,& omnes in cæde corruetis: [y] pro eo quòd vocaui, & non reſpondiſtis: locutus ſum, & non audiſtis:& faciebatis malum in oculis meis: & quæ nolui,elegiſtis.*

13 *Propter hoc hæc dicit Dominus Deus: Ecce, ſerui mei comedent,& vos eſurietis: Ecce, ſerui mei bibent,& vos ſitietis:*

14 *Ecce,ſerui mei lætabuntur,& vos confundemini: Ecce, ſerui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ*

dolore cordis, & præ contritione ſpiritus vlulabitis.

exultantes animi; vos autem vrgente doloris magnitudine, & acri ſpiritus vexatione rugietis.

15 [z] *Et dimittetis nomen veſtrum in iuramentum electis meis:* [aa] *Et interficiet te Dominus Deus, & ſeruos ſuos vocabit nomine alio.*

15 Is erit vobis dolor, vſque adeò ærumnoſi ſtatus miſera, atque afflicta conditio, vt nomen veſtrum odioſum, & vile ab electis meis, ad execrationem, quæ iuramento coniungitur, aſſumatur. Interficiet enim vos Dominus; ſeruos autem ſuos, quia alij erunt mores, & alia illorum conditio, alio etiam nomine longè diſſimili Dominus vocabit, felici videlicet, & læto.

16 [bb] *In quo, qui benedictus eſt ſuper terram, benedicetur in Deo amen: Et qui iurat in terra, iurabit in Deo amen:* [cc] *quia obliuioni tradita ſunt anguſtiæ priores,* [dd] *& quia abſcondita ſunt ab oculis meis.*

16 Illud verò electorum nomen ad benedictionem, & felicitatis votum adducetur; ita vt homines talia à fideli Deo ſibi concedi poſtulent: qualia electo ſibi populo largitus eſt. Quod etiam in iuramento ſanctè per Deum verum, atque fidelem concipiendo; dum à ſe malum omne deprecantur, aſſument. Quia electo ea ſuccedet bonorum abundantia, vt malorum omnium, quæ præceſſere, memoriam deterat. Sic enim longè aberunt anguſtiæ priores, vt non ab hominum ſolùm, ſed etiam à meis oculis procul abſceſſiſſe videri poſſint.

17 [ee] *Ecce enim ego creo cælos nouos, & terram nouam, & non erunt in memoria priora,* [ff] *& non aſcendent ſuper cor.*

17 Noua enim rerum ſpecies antiquam abolebit. Ecce ego creo cœlos nouos, benignos, & illuſtres pro ferreis, & obſcuris; terram nouam, fœcundam, & amœnam, pro ſterili, atque horrida: Sic denique fiet, vt priorum malorum inducatur obliuio, neque vlla de illis ampliùs in mentem cogitatio veniat.

18 [gg] *Sed gaudebitis, & exultabitis vſque in ſempiternum in his, quæ ego creo:* [hh] *Quia ecce ego creo Ieruſalem exultationem, & populum eius gaudium.*

18 In his, quæ ego ad pacem, & felicitatem veſtram inſtauro, & creo, quàm diutiſſimè ponetis ſecurum, atque iucundum otium. Ecce ego facio, vt Ieruſalem perpetuò exultet, & populus eius continenter gaudeat.

19 [ii] *Et exultabo in Ieruſalem, & gaudebo in populo meo:* [kk] *& non audietur in eo vltrà vox fletus, & vox clamoris.*

19 Tunc ego in Ieruſalem exultabo tanquam in populo, inſtauratis ſacrificiis, omnino meo: neque ampliùs in eo clamor, & vlulatus audietur.

20 [ll] *Non erit ibi ampliùs infans dierum,* [mm] *& ſenex, qui non impleat dies ſuos:* [nn] *quoniam puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit.*

20 Non erit in renouata Ieruſalem, qui in ætate graui ſpiritus habeat, & mores infantiles. Qui ætate fuerit ſenex, implebit nominis illius menſuram; neque quicquam faciet, quod maturos annos, & ſeniles dedeceat. Nam qui in ætate grandi pueri ſunt, dicique meritò poſſunt centum annorum infantes, in exilio morientur, & vt clariùs agam, & citra metaphoram, peccatorem centum annorum diuina configet maledictio.

21 [oo] *Et ædificabunt domos, & inhabitabunt: & plantabunt vineas, & comedent fructum earum.*

21 Illi, qui futuri ſunt, pauci quidem numero, electi tamen; ædificabunt domos, quas inhabitabunt quietè, conſerent vineas, quarum veſcentur fructu.

22 *Non ædificabunt, & alius habitabit: non plantabunt, & alius comedet.* [pp] *Secundum enim dies ligni, erunt dies populi mei,* [qq] *& opera manuum eorum inueterabunt.*

22 Non autem illis accidet, quod iis, qui à diuina lege ad Gentium errores declinarunt. Neque enim ita ſibi parabunt domicilia, vt in ea poſtea irrũpat alienus: neque ſic plantabunt vineas, aut fruges, vt aliorum commodis, atque vſibus ſeruiant. Erit namque iuſtorum dies, atque fortuna ſicut lignum, plantatum ſecus decurſum aquarum. Et eorum plantationes erunt diuturnæ,

23 [rr] Electi

quia

quia hoſtis non erit, qui ſuccidat, aut ſternat;neque ſenium adueniet illis immaturum.

23 Non erit electorum conatus à fructu vacuus. Neque filios generabunt deuotos ferro, vt morte rapiantur immatura: aderit enim illis diuina benedictio, atque benignitas:atque ideò eò vſque producetur illorum vita, vt & ipſi,nepotes videant,& illorum ſobolem:& cum ipſis longam ducant,atque iucundam ætatem.

23 ⁱⁱ Electi mei non laborabunt fruſtra, ᶜᶜ neque generabunt in conturbatione: ⁱⁱ quia ſemen benedictorum Domini eſt, ᵛᵛ & nepotes eorum cum eis.

24 Erunt autem illorum preces, & vota adeò non moleſta, vt illa ſæpius iterata cum voluptate audiam:non ſolùm dum mente concipiuntur, quod apud me perinde eſt,atque ſi externa voce forent expreſſa:ſed etiam cùm iterum aperta,atque ſonante voce proferuntur.

24 ˣˣ Erítque antequam clament,ego exaudiam:adhuc illis loquentibus,ego audiam.

25 Eo tempore omnia periculo vacabunt, & metu: lupus enim, & leo ſuæ naturæ prorſus obliti deſinent eſſe carniuori: lupus namque eodem cum agno pabulo veſcetur: & leo cum boue paſcetur paleis. Serpens verò ſuo nutrietur puluere, qui iam dudum illi à mundi primordio datus pro cibo. Quare in monte, quem mihi ad habitandum elegi, nullum erit hominibus à ferina,ſylueſtríque natura periculum.

25 ʸʸ Lupus, & agnus paſcentur ſimul, leo, & bos comedent paleas: ᶻᶻ & ſerpenti puluis panis eius. Non nocebunt, neque occident in omni monte ſancto meo, dicit Dominus.

IN CAPVT SEXAGESIMVM QVINTVM COMMENTARIVS.

1. ᵃ QVÆSIERVNT *me, qui antè non interrogabant, inuenerunt, qui non quæſierunt me.*] Certum eſt hic agi de Gentium vocatione, vt eſt communis interpretum ſententia;& docet Paulus *ad Rom.ca.*10. Neque littera obſcura. Illud tamen notandum; particulam *antè* in ſecundo etiam membro eſſe repetendam, hoc modo. *Qui antè non interrogabant, & qui antè non quæſierunt.* Quæ optima Gentium deſcriptio eſt, quæ cùm Deum verum ignorarent, neque illum conſulebant, cùm ſua ſibi haberent oracula: neque quærebant, cùm quid ab illo præſtari poſſet, ignorarent, & haberent præterea plurima, licèt omnino vacua, dæmonum promiſſa. Hæc verò verba ita grauia fuerunt, & moleſta Iudæis, qui patienter audire non poterant Gentes ſecum ad eandem religionis ſocietatem vocari, cùm audirent meliorem locum, certè ampliorem datum eſſe Gentilibus, vt Paulus ſuprà laudet Iſaiæ cõſtantiam, quòd hæc auſus fuerit in Iudæorum conſpectu clara, atque libera voce prædicare. *ad Rom.* 10. *verſ.*20. *Iſaias autem audet, & dicit, Inuentus ſum à non quærentibus me: palàm apparui iis, qui me non interrogabant.* Quantam verò his verbis præ ſe tulerit animi conſtantiam, diximus *in præfatione, num.* 20. ex Origene. Propter quæ verba quidam exiſtimant à Iudæis fuiſſe ſerra diſſectum.

2. ᵇ *Ecce ego, ecce ego ad Gentes, quæ non inuocabant me.*] Hæc geminatio demonſtratiuæ particulæ, magnam addit vim, & celeritatem orationi. Quæ ſpe-A ciem quandam exhibet abiturientis, aut ad alios commigrare parantis. Ac ſi dicat Deus. En videte, quemadmodum ego, vobis relictis, diſceſſum molior ad eos, à quibus hactenus ita alienus fui, vt nomen meum non inuocauerint. Ad hæc, credo, verba reſpiciebant Apoſtoli, cùm *Actor.*13. non minùs liberè, atque conſtanter dixerunt Iudæis. *Ecce conuertimur ad Gentes.*

ᶜ *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona poſt cogitationes* 3.
ſuas.] Non dubium, quin hæc ad populum Iudaicum referenda ſint, cùm id Paulus *ad Roman.* 10. apertè doceat. Poſtquam enim de Gentibus dixit *Inuentus ſum à non quærentibus me.* ſtatim ſubiecit. B *Ad Iſrael autem dicit, Tota die expandi manus meas, ad populum non credentem, ſed contradicentem mihi.* Vbi ratio videtur reddi cur Deus alienum populum accerſat: quia nimirum quem elegerat priùs, neque credulus erat diuinis oraculis, & dum ſuo ſe arbitratu, & conſilio regit, graditúrque in ſua, id eſt, in via non bona, ab illa aberrat, quam ſuis oſtendit atque perſcribit Deus. *Populus* appellatur *incredulus*, quia aut non credebat illis, quæ à Deo per prophetas dicebantur, & impudenti quadam ſubſannatione in canticum vertebat, & fabulam, prophetarum oracula, illud identidem vſurpans, *manda, remanda*, & his affinia. Aut quia licèt crederet, illa eſſe vera, non tamen illis obſequebatur; Ex vſu enim Scripturæ id negatur eſſe auditum, aut creditum, quod opere completum non eſt, aut quod effectu

Digitized by Google

A effectu caruit, vt diximus *cap. 30. num. 5.* Quàm autem incredulus fuerit ille populus, quàm dura ceruice, & peruicaci ingenio, clamant ſæpe prophetæ, qui id à ſæculo illis familiare, ac proprium eſſe exprobrant. *Ierem. 2. verſ. 10. A ſæculo confregiſti iugum &c.* *Expandere manus tota die*, nihil aliud eſſe puto, quàm ſæpe, aſſiduè, & magno ſtudio, atque conatu aliquem accerſere. Qui non ſolùm voce, ſed manibus etiam aliquem vocat, ille ſanè quanto id ſtudio faciat, ſatis ſignificat. Eodem genere loquendi vſus eſt *Prouer. 1. verſ. 14. Quia vocaui, & renuiſtis, extendi manus meas, & non fuit qui aſpiceret.* Quæ vocandi forma indicat procul abeſſe illos, qui aduocantur; quo magis ſignificatur Dei B clementia, quæ illos etiam ad ſe vocat, qui à ſe tam longè receſſerunt. *Via non bona* illa dicitur, quam quis ingreditur, dum ſuis ſe affectibus potiùs agit, quàm paret diuinis. Qui aliter dicitur, aut *ire in adinuentionibus ſuis*, *Pſal. 80.* aut *abire poſt deſideria cordis, ad Rom. cap. 1.*

Deus aſſiduè & variè peccatorem vocat.

4. d *Populus qui ad iracundiam prouocat me ante faciem meam ſemper.*] Hæc paucis videtur complexus eſſe Paulus ſuprà dum dicit *populum non credentem, & contradicentem.* Nam qui contradicit, ille alterum ad iracundiam prouocat, idque plerumque non occultè, ſed apertè, & coràm. Quàm ſæpe populus ante hoc Iſaiæ tempus Domino contradixerit, & quaſi cum illo contentioſè egerit, C dixit Moyſes *Deut. 31. verſ. 27.* qui ſic ad Iſrael. *Ego enim ſcio contentionem tuam, & ceruicem tuam duriſſimam. Adhuc viuente me, & ingrediente vobiſcum, ſemper contentioſè egiſtis contra Dominum; quantò magis cùm mortuus fuero.* Et quod idem futuri ſint aliis etiam temporibus, docet idem *v. 29. Noui enim quòd poſt mortem meam iniquè agetis, & declinabitis citò de via, quam præcepi; & occurrent vobis mala in extremo tempore, quando feceritis malum in conſpectu Domini, vt irritetis eum per opera manuum veſtrarum.* Id quod de extremo tempore prædicit Moyſes, id nunc impletum eſſe affirmat Iſaias; qui pro illo Moyſis *in conſpectu Domini*, ipſe ſuppoſuit *ante faciem meam.* Cyrillus illud *ante faciem meam* ad ſacrificia refert, quæ Iudæi in templo Solymitano peragebant in idolorum cultum, quod queritur D Deus per Ieremiam *c. 11. v. 15. Quid eſt quod populus meus in domo mea facit ſcelera multa.* Et Ezechiel *cap. 8.* multa enumerat exſecranda, quæ Iudæi in templo in Deorum inanium cultum obibant. Multa ſimilia habes *4. Reg. cap. 23.* quæ Ioſias exportari fecit è templo.

Iudæi Deo rebelles.

5. e *Qui immolant in hortis.*] Iam ſpeciatim explicat quænam ſint illa, quæ ante faciem Domini impudenter admiſſa illum prouocant ad iracundiam. Primum quòd ſecuti Gentilicos mores, in hortis ſacrificarent, quod eſſe vſitatum inter Gentes docet lucorum nomen toties in profanorum ſacris E repetitum. Quod etiam ſub adulteræ metaphora docet Ieremias *cap. 2. verſ. 20. In omni colle ſublimi, & ſub omni ligno frondoſo tu proſternebaris meretrix.* Vide quæ in hanc ſententiam latè diſſeruimus *cap. 42. à num. 52. & cap. 57.* ad illud, *Subter omne lignum frondoſum immolantes paruulos.* Et hoc puto ſibi velle hunc Iſaiæ locum, immolatos videlicet eſſe filios in hortis à parentibus Moloch, aut Belphegor.

6. f *Et ſacrificant ſuper lateres.*] Aliquod hîc ſacrificij genus eſſe puto vſitatum à Gentilibus, nobis autem ignotum. Forerius hîc ſuffimentum intelligit, quod in vaſe teſtaceo cremari ſolet ad aras, A puta thus, myrrham: pro quo iam homines diuites, & lauti argenteis vaſculis vtuntur. Sed placet multò magis quod Hieronymus docet, in *lateribus* intelligi altaria lateritia, & in his impias deſignari victimas. Præceperat Deus *Exod. 20. verſ. 24.* vt altaria è terra fierent, aut certè è lapidibus impolitis. *Altare de terra facietis mihi, & offeretis ſuper eo holocauſta, & pacifica, &c. quòd ſi altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de ſectis lapidibus; ſi enim leuaueris cultrum ſuper eo, polluetur.* Quod eo conſilio videtur eſſe præceptum, ne graue eſſet Iudæis, ſi altare eſſet è ſecto lapide, aut alia materia, quæ aliquid haberet politioris artis, illud inſtaurare, quando pollutum eſſet. Excitabatur ergo de terB ra, id eſt, de ceſpite, aut de rudi, non expolito lapide, aut de lateculo, quia aliter difficile ſolueretur pollutum altare, & magnos afferret ſumptus, dum reædificaretur. Quare non placet expoſitio Caietani, qui lateritium altare eſſe putat, quod hîc Deus excitari iubet è terra. Iuxta hanc explicationem aliena hîc, & impia ſacrificia notantur: quia non offeruntur ſupra altare de terra, aut de rudi ſaxo, ſed ſupra lateres, quod impia probabat, & exigebat, vera autem repudiabat religio. Videtur autem in nullo Hebræorum ſtatu, aut tempore licitum fuiſſe ſuper lateres ſacrificiũ offerre: Non ante templum à Salomone conſtructum, vt nuper *ex cap. 20. Exodi* C docuimus. Non in templo, quia altaria antè auro erant, aut ære veſtita: & licèt intus conſtructa ex integris, id eſt rudibus lapidibus, vt liquet *ex 1. Machab. cap. 4. à verſ. 43.* tamen laterum in altaris fabrica nulla mentio. Quare altarium lateritia fabrica aliquid olet Gentilicum, vt bene Hieronymus.

Altare non è lapide ſecto aut laterculo, ſed è terra fieri iuſſum.

Exod. 20.

g *Qui habitant in ſepulcris.*] Hîc ego puto aliquid indicari Magicum, aut Pythonicum, nam venefici, & Magi manes dicuntur euocare mortuorum, & ab illis futuros rerum euentus ſciſcitari. Quare ita ſæpe obeunt mortuorum ſepulchra, vt in illis habitare exiſtimentur. Hæc fortaſſe vera, neque minùs probabiliter aliquis diceret ſermonem quidem eſſe, de ſagis, & maleficis, alio tamen ſenſu, quibus ad rem magicam magno vſui eſſe D creduntur mortuorum cadauera è tumulis effoſſa. Quare à profanis ſagæ in tumulis habitare, aut certè iuxta tumulos commorari traduntur. Ouidius de Medea *in epiſt. Hypſiphiles.* 7.

Veneficia è mortuis.

Per tumulos errat ſparſis diſcincta capillis,
Certáque de tepidis colligit oſſa rogis.

Horatius in Epodo *od. 7.* ad Canidiam veneficam.

Nec in ſepulchris pauperum prudens anus
Nouendiales diſſipare pulueres.

De his multa Lucanus *lib. 6. Pharſal.* de ſaga.

Aſt vbi ſeruantur (cadauera) *ſaxis quibus intimus humor*
E *Ducitur, & tracta dureſcunt tabe medullæ,*
Corpora, tunc omnes auide deſæuit in artus:
Immergitque manus oculis, gaudétque gelatos
Effodiſſe orbes, & ſicca pallida rodit
Excrementa manus.

Idem Apuleius *lib. 2. Mileſ. Nec mortuorum*, inquit, *ſepulchra tuta dicuntur, ſed & combuſtis rogis reliquiæ quædam, & cadauerum præſegmina ad exitiabiles viuentium fortunas petuntur, & cantatrices anus in ipſo momento choragij funeris præpeti celeritate alienam ſepulturam anteuertunt.*

Addo ad extremum non videri alienum à textu inſtitutóque prophetæ ſi dicas, habitare in ſepulchris illos impiæ ſuperſtitionis ſectatores, & magicæ,

gicæ ſeu præſtigiatricis artis ſtudioſos: quia cum dæmone aſſidue loquuntur, illúmque in dubiis magiſtrum habent. Dæmonem verò in ſepulchris habitare, aut circa illa oberrare frequenter, communis erat non ſolùm vulgi, ſed etiam doctorum hominum opinio, vt docet Chryſoſtomus *in c.* 10. *Matth. homil.* 35. Theophylactus, & Euthymius, vterque in illud *Matth.* 8. *Occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes.* Quod eo conſilio dæmones faciunt, vt ignoranti plebi perſuadeant animas hominum mortuorum in dæmones conuerti; atque ideo corporibus, quæ in monumentis iacẽt, aſſidere. Quod olim ſibi perſuaſerunt Gentilium multi dæmonum præſtigiis, & ludificationibus decepti; & nunc ab eodem deluſi magiſtro multi ex his, qui tranſmarinas regiones incolunt, quas noſtra memoria Hiſpana felicitas aperuit. Et ideo *Matth.* 8. *&* *Marci* 5. dæmoniacos diabolus agebat ad ſepulchra, & ibi illos habitare compellebat. Hac ergo perſuaſione augures iſti, in ſepulchris habitabant; vt familiari dæmonum congreſſu fruerentur. Poterant autem in monumentis habitare non incommodè, quia illa ampla erant, excauata in ſaxo, aut lapideo, ſiue latericio opere concamerata. Cui rei argumento nobis eſſe poteſt Chriſti ſepulchrum, in quod intrare potuerunt Petrus, & Ioannes. *Ioan. cap.* 20. & tres illæ mulieres, quæ vt Chriſtum vngerent, aromata portabant. *Luc.* 24.

8. *Turpia in deorum templis peruigilia.*

h *Et in delubris idolorum dormiunt.*] Hieronymus Gentiles dicit in templis incubare ſolitos in pellibus; quas ex immolatis hoſtiis detraxerunt: vt ibi ſomnia captent, quibus de futurorum euentu doceantur, idque ſuo tempore in Æſculapij fano obſeruari tradit. In vſu autem eſſe vt in Æſculapij templo dormirent, qui illius medica indigerent ope, docet Ariſtophanes in Pluto, vbi licet ridiculè, ac iocoſe, conſuetudinem tamen antiquam declarat. Sanè in idolorum templis, admiſſa inter Gentes illa flagitia, quæ etiam in lupanaribus fœdiſſima ſunt profani docent ſcriptores. Et de Iſidis Cybeles, Cereris, & Pacis delubris affirmat Iuuenalis *Satyra* 9. vbi ſic ad hominem flagitioſum, & libidinis omnino profligatæ.

Nuper enim (vt repeto) fanum Iſidis, & Ganymedem
Pacis, & aduecta ſecreta palatia matris,
Et Cererem (nam quo non proſtat fœmina templo?)
Notior Aufidio mœchus celebrare ſolebas.

Id autem tum in his tum in aliis idolorum templis nocturni ſomni, atque quietis tempore fieri ſolitum, mihi veriſimile eſt. Quia id etiam in publicis fiebat lupanaribus, vt bene coniectat Lipſius *lib.* 1. *elector. cap.* 3. Idque probat, quia lenuniæ domus, aut vulgata, publicáque proſtibula *lucernata* dicuntur, quia lucernæ ad eorum ianuas ſuſpenduntur, quæ impuram, & petulantem iuuentutem admoneant venalem ibi eſſe pudicitiam. Vnde à Perſio *Nonaria* dicitur *meretrix*, quia ab hora nona, iam inclinata ad veſperum die, turpem illum quæſtum inſtituit. Sanè id indicat Tertul. *lib.* 2. *ad vxorem cap.* 6. *Procedit*, inquit, *de ianua laureata, & lucernata, vt de nouo conſiſtorio libidinum publicarum.* Si ergo profana illa proſtibula non niſi ſub noctem ad meretricium quæſtum parebant, ſanè templa, id eſt, ſacra, & religioſa lupanaria interdiu ad nefarium illum vſum, patuiſſe non eſt veriſimile. Quare qui flagitioſam illam operam Veneri impendunt, aptè dicuntur à propheta dormire in idolorum delubris. Hoc verò apud Babylonios eſſe

A non ſolùm vſitatum; ſed etiam legitimum, docet Herodotus qui *lib.* 1. tradit virgines Babylonias in Veneris templo commorari, & nonnumquam longo tempore. Neque priùs legitimè nuptias inire, quàm ab hoſpite virginitatem depoſuerint, eiuſque pretio Deam placari exiſtimabant, & nuptias fieri auſpicatas, & felices. Plura apud profanos inuenies de ſacris, quæ noctu fiebant, & de initiatis, in idolorum templis, peruigiliis: quæ in hanc ſententiam faciunt. Sed exiſtimo alluſum eſſe ad mores Babylonicos, de quibus modò ex Herodoto: Eſt enim veriſimile, Iudæos, qui idola apud Babylonios coluerunt, dormiiſſe in templo, ritúque
B Babylonico filias ſuas in eo nuptiarum cauſa proſtare voluiſſe. Quod præter Herodotum indicat quoque Baruch *cap.* 6. *verſ.* 24. Videntur autem hoc idem feciſſe ante hoc Babylonicum tempus, Samaritani, puto etiam & Iudæi, vt ex meretricio quæſtu aliquid conferrent in templi vſum, cultúmque religioſum. Id enim non obſcurè indicat Michæas *cap.* 1. cùm ageret enim Ieruſalem, atque Samaria. Et quidem de Samaria dicit apertè. *Omnia ſculptilia eius cõcidentur: & omnes mercedes eius comburentur igne: & omnia idola eius ponam in perditionem: quia de mercedibus meretricis congregata ſunt.* Neque improbabile mihi eſt illum Babylonicæ turpitudinis nefarium, & ſacrilegum quæſtum traxiſſe originem ab antiquiſſimis temporibus, eſſéque

Turpe lucrum abominatur Deus.

Micheæ 1.

C que communem aliis etiam Gentibus cum Babylonis. Cur enim Deus *Deut. cap.* 23. vetaret ne merces proſtibuli inferretur in templum, niſi id ad impium turpiſſimorum Deorum cultum fieri ſolitum eſſet à Gentibus?

9. i *Qui comedunt carnem ſuillam, & ius profanum in vaſis eorum.*] Superiora ad idololatriam pertinent, ad quam populus Hebræus ſic erat pronus, vt facilè ad earum Gentium ſacra defluerer, ad quas accedere contigiſſet. Nunc alia obiicit ſcelera, propter quæ Gentilem populum ad ſinum, & amplexum vocet, quia populus quondam ſuus traditæ ſibi legis religionem prodiderat: cùm illis veſcere-tur, quorum Deus Hebræis vſum interdixerat, carnibus nempe ſuillis, & his quæ ad cibum adhibere
D *Leuit.* 11. religio vetabat. Cibi autem illi *communes* dicuntur *Act.* 10. & hic *profani*, quia aliis à populo Iſraelitico, qui ſanctus putabatur, erant permiſſi. Ius autem profanum ideo dicitur in vaſis reperiri, puta ollis, ac lebetibus, quia in illis ſuillæ, aut leporinæ carnes coquebantur, aut alia, quæ Iudæo tangere nefas erat. Vbi autem carnes coquuntur profanæ, ibi neceſſe eſt ius quoque ſit profanum, quare poſterior pars nihil videtur eſſe aliud, quàm prioris explicatio.

10. k *Qui dicunt, Recede à me, non appropinques mihi, quia immundus es.*] Putidi ingenij eſt, atque iniucundi faſtidire alios, quaſi immundos, cùm ipſi ſint non minùs quàm illi ſordidi; & nauſeare ad aliorũ
E ſordes, cùm ipſi nauſeam aliis, & ſtomachum moueant. Immundi erant Iudæi, cùm non aliter atque alieni populi epulis veſcebantur profanis, neque minùs impiè Idolis ſupplicabant, & nefaria litabant ſacrificia; quàm qui nunquam à Deo receperant legitimum ſacrificandi ritum. Arcebant tamen à ſuo conuictu Gentiles, ne aliquid ab eorum congreſſu ſordidum traherent. Quod fecere poſtea hypocritæ illi, qui cum bona mente pudorem quoque depoſuere. Qui cùm in Chriſti cauſa multa eáque quàm grauiſſima peccauiſſent, ingredi tamen prætorium noluerunt, ne Gentilium conſuetudine

tudine contaminati minùs legitimè paſchalia ſacrificia comederent.

11. Prouerbiū. [l] *Iſti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die*] *Fumus*, vt alibi à nobis dictum eſt, pro re leuiſſima prouerbialiter ponitur. Quare hi, qui cùm nihili ſint, & Gentilium ſordibus prorſus inquinati, alios tamen à ſe tanquam immundos abigunt, diſſipandos eſſe dicit Deus à ſuo furore, non aliter

Fumus. & fumare quid. quàm fumus à vento diſflatur. Quod verò ſequitur *ignis ardens tota die*, accommodatè ad priorem partem, hanc videtur habere ſententiam. In illis nihil eſſe præter ignem, à quo tota die fumus erumpat: ſicut ab humida materia, cui ignis ſupponitur. Nam ſicut ab illa quotidie attolluntur fumi exundantis ingentes globi, qui præterquam quòd futiles ſunt, & moleſti, quia ſpiritus præcludunt, odorémque habent tetrum, & iniucundum, ſunt etiam aſpectu horridi: ſic etiam ab his ex illo igne quo intus ardent, nihil eructat præter moleſtum, & fœtentem fumum. Niſi mauis ſic locum iſtum accipere, vt Deus ſubiectis furoris ſui flammis populum iſtum inſolentem, & vanum fumare faciat, id eſt, ardere adhibendo ignis naturale ſignum pro ipſo igne. Quæ metaphora optimè explicat graue, & à vehementi animi ardore profectum ſupplicium. Qua vſus eſt *Pſal.17.verſ.9. Aſcendit fumus in ira eius: & ignis à facie eius exarſit.* & *Pſal.103. v.32. Qui tangit montes, & fumigant.* & iterum *Pſal.143. verſ.5. Tange montes & fumigabunt.* Et Iſaias ſuprà *cap.34.verſ.9 Nocte, & die non extinguetur: in ſempiternum aſcendet fumus eius.* Sed obſeruandum hic Hebræorum more deſiderari relatiuum; in hunc modum. Iſti fumus erunt in furore meo, qui furor illis erit ignis ardens tota die, qui illos in æternum fumare faciat. Idem penè Iſaias *c.30. Flatus Domini ſuccendens eam*, id eſt, fumigare faciens.

12. Inferni ſupplicium. Alij frequentes de æterno ſupplicio hæc interpretantur, in quo ſic torquebuntur vaniſſimi iſti, atque impuriſſimi homines, vt à furore Domini in ſempiternum cremeniur, & fument, aut nil aliud ſint, quàm ignis & fumos. Hoc idem videtur eodem ſpiritu Dominus, & in eundem populū dixiſſe, *Deut.32.v.22.* Cùm enim egiſſet de illius idolomania, & minatus eſſet id, quod nunc lamētatur Iſaias, ſubdit *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad inferni nouiſſima.* Neque mihi difficile videtur ſi ſententiam eandem bis expoſitam eſſe exiſtimemus; ita vt idem ſit *fumus* per metonymiam, quod *ignis*, quia eius naturale ſignum eſt: & per zeugma repetatur verbum *erunt*, quod erat in priori membro; in hunc modum. Iſti erunt fumus in furore meo, erunt ignis ardens tota die. Hæc poſtrema explicatio ita mihi probatur, vt tamen aliæ non improbentur, maximè quæ ſecundo loco poſita eſt.

13. Peccata noſtra ſemper ante oculos Dei obuerſantur. [m] *Ecce ſcriptum eſt coram me.*] Accommodatè ad hominum ſenſum & conſuetudinem dicit Dominus, quæ nunc exprobrat impio populo, ſcripta eſſe, neque vnquam non obuerſari ante ſuos oculos. A quo autem illa ſcripta fuerint, non dicit, ſed ſiue à Deo ſiue à populo peccatore ſcripta dicantur, ſenſus non videtur diuerſus admodum: quia tantùm videtur Deus ſignificare velle, nunquam ſibi illorum ſcelerum deponendam eſſe memoriam. Quòd enim Deus ſcribat, quæ peccator deliquit, indicat Iob *ca.13.verſ.26. Scribis enim contra*

Peccata tam à Deo, quàm à peccatore ſcribuntur. *me amaritudines, & conſumere me vis peccatis adoleſcentiæ meæ. Amaritudines* enim pro *peccatis* ſumuntur in ſcriptura non rarò. *Oſee 12. verſ.14. Ad iracundiam me prouocauit Ephraim, in amaritudinibus ſuis.* Et *Act.8.* Petrus ad Simonem. *In felle amaritudinis, & colligatione iniquitatis video te eſſe.* Quòd peccator ſua inſcribat peccata, docet nomen Chirographi, quo peccator debitorem ſe fatetur pœnæ æternæ. Vide quæ ex Origene diximus *c.43. n.42.* Quocumque accipias modo, res planè horribilis, ſic eſſe peccata noſtra ſcripta, vt nunquam non occurſent diuinis oculis: ſic inciſa aliè ſtylo ferreo in vngue adamantino, vt ab vno tantùm Deo expungi, ac deleri poſſint. Videtur hic Iſaias ſpectaſſe illud Moyſis *Deut.32. Nónne hæc abſcondita ſunt apud me, & ſignata in theſauris meis? Mea eſt vltio, & ego retribuam.*

[n] *Non tacebo, ſed reddam & retribuam in ſinu eorum iniquitates veſtras.*] Loquebatur Iſaias hæc ad illos, qui centum ferme annos anteceſſere tempus illud quo ipſorum poſteri exciſa patria, & exuſto templo in captiuitatem abducti ſunt: in quorum caput conferenda dicit illa ſupplicia, quæ parentum, & maiorum ſuorum peccata merebantur. 14. Filij quomodo parentū peccata luāt. Similia ſæpe audimus in ſcriptura, quæ luituros dicit eſſe filios parentum errata. Quomodo verò id ſit intelligendum, docent Scholaſtici. Vide S. Thomam 1.2. *q.87. ar.8.* & ibi interpretes. & P. Vaſquez *diſp.133. cap.1.* Interim accipe rationem illam quam Chriſtus indicat *Matth.23.verſ.32. Implete menſuram Patrum veſtrorum.* Matth.23. Peccauerunt quidem, & qui tunc in viuis erant, quando hæc ab Iſaia denunciabantur, & qui iam antè vita functi fuerant, nondum tamen illam impleuerant peccatorum menſuram, ad quam Deus ſtatuerat vrbe, ac templo deletis, Gentem illam diu, atque ærumnoſo exilio mulctare. Impleta ergo ab impia, atque infelice poſteritate peccatorum menſura, quam ad ſummum ferè vſque parentes impleuerant, dederunt filij pœnas, quæ tam ſuis, quàm parentum peccatis, debebantur.

Illud *non tacebo*, reſpicit illud *cap.42. verſ.14.* 15. *Tacui, ſemper ſilui, patiens fui quaſi parturiens loquar.* Quaſi dicat, Rumpam tunc ſilentium diu ſeruatum, id eſt, non quieſcam, ſicut antea feci. *Silentium* enim, vt alibi diximus, quietem ſignificat. *Sinus* licèt ſemper illam veſtimenti partem ſignificet, quæ pectus tegit, aliquando tamen laciniam valet, id eſt, illas veſtimentorum partes, quæ à cingulo ad pedes vſque defluunt. Hiſpanè *la falda.* Virgil.1. *Æneid. de Venere.*

Nuda genu, nodóque ſinus collecta fluentes.

Neque videtur alienum à conſuetudine, ſi hîc *ſinum* in ſecunda ſignificatione capias, quia merces, aut alia, quæ pro pecunia, aut opera locata retribuuntur, in laciniam excipi, atque ibi portari conſueuerunt. Certè menſura illa conferta, & coagitata, & ſupereffluens, quæ danda dicitur in ſinum *Luca 6*, non optimè cadit in ſinum, prout pectoris tegumentum importat. Sed quia altis in locis merces, ſeu retributio ſæpe cum ſinu coniungitur; vbi opportuna non eſt de lacinia explicatio; neque id valet vox Hebræa חֵיק *chek*, ideo de pectoris integumento capio, in quo tutiùs, ac propiùs ſeruatur illa retributio.

[o] *Qui ſacrificauerunt ſuper montes, & ſuper colles exprobrauerunt mihi.*] Quomodo Gentes, & ad earum imitationem Iudæi in montibus, & collibus ſacrificauerint, diximus iam antea; exprobraſſe 16. autem Deo, etiam ſi diuina hæc abeſſet auctoritas, ſatis eſt veriſimile. Quia dum idolis aras in montibus excitant, & illis ſupplicant, quis dubitet

tunc

tunc ab illis de Deo multa dici, quæ diuinam auctoritatem non deceret. Vt quòd infidelis eſſet in promiſſis, quòd parum de ſuorum incolumitate ſollicitus, quos alienis expoliandos tradiderit: ac tandem idolorum benignitati, atque potentiæ tribuerint, quod vero Deo acceptum referre debuiſſent. Vt illud quod ante vitulos aureos *Exodi* 32. *verſ.*4. cecinerunt Hebræi. *Hi ſunt dij tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Ægypti.*

17. ᵖ *Quomodo ſi inuenitatur granum in botro, & dicatur, ne diſſipes illud, quoniam benedictio eſt; ſic faciam propter ſeruos meos, vt non diſperdam totum.*] Aliquid hîc aut vulgare, aut prouerbiale ſuboleo, vt & modus ipſe dicendi ſignificat, qui non longè abeſt a prouerbio; & id quod præmittitur, *& dicatur*, quod tritum vulgo ſermonem deſignat. Credo autem hîc paucitatem ſignificari cum admiratione quadam, quaſi in graui, & communi calamitate admirabile iudicetur aliquid effugere potuiſſe infortunium commune. Quàm pauci futuri ſint, quos in obſidione longa, & tanta Chaldæorum oppreſſione, aut gladius non confecit, aut fames, & tabes non abſumpſit, declarat ſimilitudo à botro petita, in quo ex multis granis vnum tantùm reliquum fecit, aut glacies, aut grando. Tunc credo ab Hebræis dici ſolitum illam eſſe Dei benedictionem; quare non decere, aut non expedire diſſipare, ac legere illud diuinæ benignitatis monumentum, qui ita vineam, aut botrum afflixit, vt non totum abſtulerit. Sic, inquit Deus, propter ſeruos meos, nempe Abraham, Iacob, & Dauid, relinquam aliquos, id eſt, exiguum ſemen, vt dixit Iſaias *cap.*1. *num.*9. ne totum deleatur Iudæorum genus, ex quo poſtea naſciturus eſt Chriſtus Abrahamo promiſſus.

18. ᑫ *Et educam de Iacob ſemen, & de Iuda poſſidentem montes meos.*] Granum illud quod in botro, aut vite relictum eſt; quia benedictum à Domino, & ſemen illud, cui *Iſaia* 61. benedixit Dominus, ex tam exiguo numero ſic augebuntur, vt habitent rurſos vrbem deſertam, impleántque latè regiones à Deo olim promiſſas, & ab Iſraele quàm diutiſſimè poſſeſſas. Quod ſanè ita fuit; nam ab illis, qui in captiuitatem abducti non ſunt, ſed in fines Iſraeliticos variè diſperſi, & ab eis, qui ab exilio Babylonico in patriam remigrarunt, (quos ſi cum reliqua multitudine conferas, inſtar erunt grani vnius in botro relicti) iterum habitata fuit ſors Iſrael. Immò poſt captiuitatem Iudæi in patrios fines reſtituti, multò plura obtinuerunt, quàm antea poſſederant, vt docuimus *cap.*49.*num.*68. Vide quæ diximus *cap.*24.*num.*13. *Quia hæc erunt in medio terræ: in medio populorum, quomodo ſi paucæ oliuæ, quæ remanſerunt, excutiantur ex olea: & racemi cùm fuerit finita vindemia. Hi leuabunt vocem, atque laudabunt*, &c.

19. ʳ *Et erunt campeſtria in caulas gregum, & vallis Achor in cubile armentorum populo meo, qui requiſierunt me.*] Quàm miſera, atque ærumnoſa fortuna expectet Gentem illam impiam, & ſuperbam, quæ idolorum ſe ſordibus polluet, hactenus oſtendit propheta: Nunc iam felicem illorum ſortem commendat, qui à vera religione, & quaſi à coniugali fide non receſſerunt, quibus omnia promittit felicia, & plena: vſque adeò, vt quæ hominibus diuitibus, & lautis olim fuerunt deliciæ, illa aut aeua illis ſimilia paſcant eorum greges. Quia videlicet quæ olim fuerunt armentorum paſcua (vt pote, quæ nondum ſatis apta ferendis frugibus, aut plantandis hortis, quia in montoſis, atque ſylueſtribus locis) ſic erunt amœno, atque vernanti ſolo, vt cum locis campeſtribus, & irriguis, aut enim valle Achor, quæ omnium putabatur ad vſum fertiliſſima, & ad aſpectum pulcherrima, comparari poſſint. Hîc verò ſubaudienda eſt nota ſimilitudinis, quod apud Hebræos nimis familiare. Erunt caulæ ſeu paſcua gregum fœcunda, ac pinguia, ſicut campeſtres agri; & armentorum diuerticula, ſicut vallis Achor.

Quàm Deus in ſuos liberalis.

Quid ſit vallis Achor, & quomodo idem quod vineæ Engaddi, aut Baalhamon, quæ fuerunt in locis totius Palæſtinæ maximè frugifera, ac pulchris, diximus *in Cantica*, ad illud *cap.*1. *In vineis Engaddi.* Et *cap.* 8. ad illud *Vinea fuit dilecto in ea quæ habet populos.*

20. ˢ *Et vos qui dereliquiſtis Dominum, qui obliti eſtis montem ſanctum meum.*] Opponit fœlici ſanctorum ſorti calamitatem, quæ ab offenſo Deo imminet peccatoribus, & idololatris, famem, ſitim, gladium, & ſi quid in malis numeratur: rationémque reddit, cur illo ſupplicio mulctandi ſint, quia illa nempe admiſerunt flagitia, quibus ſe ad idolorum ſacra transfugiſſe teſtabantur, quæ nos ſtatim ſuo ordine perſequemur. Primum eſt, quòd montem Dei, id eſt, templum in monte Moria exædificatum deſeruerint, vbi Deo ſanctè, atque legitimè offerebantur hoſtiæ, & ad montes alios religionis, aut impietatis gratia conſcenderint, in quibus ſacrilegæ excitabantur aræ: & ſordidæ immolabantur, & execrandæ victimæ, de quibus ſuper. *Qui ſacrificauerunt ſuper montes.*

21. ᵗ *Qui ponitis fortunæ menſam.*] Pro *fortuna* Heb. eſt גד *gad*, quæ aliquid fortunatum ſonat. Quare Lia cùm natus eſt ex ancilla Zelpha filius *Gen.* 30. *verſ.*11. dixit *Feliciter, & idcirco vocauit nomen eius Gad.* Septuaginta tranſtulerunt τῷ δαίμονι, quod etiam *fœlicitatem* ſonat. Cur fortunæ, ſeu fœlicitati menſa ſtrata dicatur, obſcurum eſt. Hieronymus in hunc locum. *Eſt in cunctis vrbibus, & maxime in Ægypto, & in Alexandria idololatriæ vetus conſuetudo, vt vltimo die anni, & menſis eorum, qui extremus eſt, ponant menſam refertam varij generis epulis, & poculum muſto mixtum vel præteriti anni, vel futuri fertilitatem auſpicantes. Hoc autem faciebant Iſraelitæ omnium ſimulacrorum portenta venerantes.* Quòd idolis, aut in idolorum templis ſternerentur menſæ, vt puto idolis ipſi antè conſecratæ, non obſcurè indicant ſacræ litteræ. Nam *Danielis* 14. menſa quotidie ſternebatur Bel Chaldæorum Deo; cui impendebantur per dies ſingulos ſimilæ artabæ duodecim, & oues quadraginta, viníque amphoræ ſex. Quòd verò in templo ad idolorum menſam idolothyta comederent impiæ ſuperſtitionis aſſeclæ, indicat Paulus *ad Corinth. epiſt.*1. *cap.*8. *verſ.* 10. vbi quoſdam accuſat quòd in idolio, id eſt, in templo idolorum, ad menſam recumbant. *Iudic. cap.* 9. *verſ.*27. in fano Dei Barith inter epulas, & pocula maledicebant Abimelech Sichimitæ, & Phil. *lib. de plantatione Noe*, cauſas adducit cur in templis antiqui conuiuia peregerint.

Idolis ſtrata menſa.

22. Hæc mihi videntur probabilia; ſed neque abs re fortaſſe ille cogitaret, qui diceret *menſam* hîc pro *altari* ſumi. Quomodo videtur ſumpſiſſe *Malach. cap.*1. *Offertis ſuper altare meũ panem pollutum; & dicitis In quo polluimus te?* Statim verò ſubiicit. *In eo quòd dicitis, Menſa Domini deſpecta eſt.* Vbi quod priori loco *altare*, poſteriori *menſa* nominatur. Et clariùs aliquanto poſtea, *Et vos polluiſtis illud in eo*

*Menſa idem quod altare. Malach.*1.

quod dicitis, Menſa Domini contaminata eſt: Et quod ſuperponitur, contemptibile eſt, cum igne, qui illud deuorat. Vbi apertè de altari holocauſti ſermo eſt, neque alio ſenſu dixit Paulus 1. *ad Corinth.* 10. *Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum.* Ita putat Salmeron in hunc Pauli locum, qui in hunc ſenſum accipit in Iſaia *fortunæ menſam.* A

1. Cor. 10.

23. u *Et libatis ſuper eam.*] Pro *ſuper eam* Hebr. eſt לְמְנִי *lemini*, quod variè exponunt iam noſtri quàm Rabbini. Quid ſit libare ſuper menſam obſcurum non eſt, nempe offerre in menſa, aut in altari Diis, ſtato, atque ſolemni ritu pocula, aut aliud libationis genus. Quod Ioui, ac bonæ fortunæ in menſis offerri ſolitum docet Athenæus *lib.* 15. *cap.* 20. vbi auctores citat antiquos. Vide etiam Eraſmum in adagio *Bonæ fortunæ*, itē in adagio *Seruatori Ioui.* vbi exemplorum ſatis. Hac itaque menſa fatebantur Iudæi ſe mores, & animos habere Gentilicos, quando Gentilium ritu boni omnis ergo fortunæ, ac Ioui poculum libabant. B

24. Pro *ſuper eam*, vt diximus, Hebr. eſt לְמְנִי *lemini*, de quo variæ ſunt interpretum explicationes, & ſententiæ. Ego inprimis vulgatam amplector, vt debeo; ſed ex aliis illa minùs diſplicet, quæ מְנִי *mini*, *numerum* eſſe putat, à verbo מָנָה *manah*, quod eſt *numerare*. Quare לְמְנִי *lemini*, ſignificabit *ad numerum*. Quam ſententiam ideo minùs improbo, quia ſtatim videtur ad illam ab elegantiſſimo propheta facta quædam parode, dum ait: Ad numerum omnes eſſe gladio conficiendos, ſicuti ipſi ad numerum libant. Fortaſſe alluſum eſt ad Gentium conſuetudinem, quæ in poculis tot cyathos bibebant, quot erant litteræ in illius nomine, cui bene precabantur, aut cui grati videri cupiebant: ſeu certè ad quædam antiqua ſacra in Annæ Perennæ memoriam inſtituta, in quibus ſibi deluſi vana ſuperſtitione Gentiles perſuaſerant æquandos ſibi eſſe ætatis annos cum poculis, quæ in ea celebritate hauſiſſent. De quibus *lib.* 3. *Faſtor.* C

Sole tamen, vinóque calent, annóſque precantur,
Quot ſumunt cyathos, ad numerúmque bibunt.
Inuenies illic, qui Neſtoris ebibat annos.
Quæ ſit per calices facta Sibylla ſuos.

His ergo denunciare propheta videri poteſt; ſuperſtitioſos illos cyathos non addituros aliquid ad vitæ ſpatia, ſed potiùs detracturos. Neque enim ipſi numerabunt annos, ſed potiùs ipſos numerabit gladius, quos ad vnum omnes interficiet. Hæc in re dubia videntur dici poſſe non abs re. D

25. x *Numerabo vos in gladio, & omnes in cæde corruetis.*] Si לְמְנִי *lemini*, vt modò dicebamus, ſignificat *ad numerum*, nihil eſt quod præterea addamus ad ſuperiora, in quibus eſt paronomaſia non inelegans. Sed accommodatè ad tranſlationem vulgatæ puto in vtraque parte clauſulæ eandem eſſe ſententiam, quæ docet omnes impiæ religionis ſectatores ad vnum eſſe perimendos. Qui manu numerat, putà pecunias, aut quid ſimile, manus tangit. Qui numerat gladio, tangit vtique gladio, qui cùm hoſtilis ſit, & ab vltore vibratus concidit eos, quos ea ratione numerando percurrit. Porrò hic *gladius* per Synecdochen poſitus eſt, pro quouis inſtrumento mortifero, qualis eſt fames, peſtis, & ſi quid aliud eſt ſaluti, vitæque contrarium. E

26. y *Pro eo quod vocaui, & non reſpondiſtis*, &c.] Iterat cauſas propter quas Deus in væſanum illum populum deſæuiat, oſtendítque quid ſit futurum diſcriminis inter eos, qui ſe diuinis præceptis obſequentes præbuerunt, & alios, qui alia omnia ſecuti à vera religione ad inanem, & impiam defecere. Illis fœlicitatem, abundantiam, & iucunditatem promittit, his contrà inopiam, tabem, vlulatum, & infortunij genus omne prædicit, & minatur. Cætera obſcura non ſunt.

z *Et dimittetis nomen veſtrum in iuramentum electis meis.*] Iuramentis coniungi plerumque execratio ſolet, vt diximus *cap.* 62. *num.* 32. quæ à rebus diris, & magnoperè odioſis, & execrabilibus ſumitur. Qualia in profanis ſunt illa, quorum euentus in Ibin optat, & precatur Ouidius, & in ſacris incēdium Sodomorum, interitus Datan, & Cores. Talem ergo dicit futuram eſſe conditionem eorum, quibus per prophetam Deus vitæ turpitudinem exprobrat, vt illorum nomen in iuramentis nempe execratoriis aſſumant electi. Ac ſi dicant, cùm ſibi fidem haberi volunt, Contingat mihi quod Iudæis, qui idolis ſupplicarunt: audiam de me, quod perfidi & ſcelerati Iudæi. Hoc ipſum docuimus in illud Zachariæ *cap.* 8. *Et erit ſicut eratis maledictio in Gentibus.* Vbi oſtendit Zacharias, qui poſt Babylonicum exilium ſuam ſcripſit prophetiam, nomen Iudæorum illorum, quos diuinus perculit furor, fuiſſe execrabile, adductúmque eſſe à Gentibus in execrationem, ſicut Myſorum calamitas, aut Herculis ærumnæ. Dixit idem quod nunc Iſaias, Ieremias *c.* 4. *Et dabo eos in vexationem, afflictionémque omnibus regnis terræ: in opprobrium, & in parabolam, & in prouerbium, & maledictionem vniuerſis locis, ad quæ eieci eos.* Et *cap.* 42. *Eritis in iuſiurandum, & in ſtuporem, & maledictionem, & opprobrium.* Et *cap.* 29. cùm ageret de Achab, & Sedechia. *Ecce*, inquit, *ego tradam eos in manus Nabuchodonoſor Regis Babylonis, & percutiet eos in oculis veſtris, & aſſumetur ex eis maledictio omni tranſmigrationi Iuda, quæ eſt in Babylone dicentium: Ponat te Dominus ſicut Sedechiam, & ſicut Achab.* 27.

Cum iuramento execratio coniuncta.

Iudæi in prouerbium, & maledictū.

Prouerbiū.

Septuaginta paulò aliter. *Relinquetis nomen veſtrum in ſaturitatem electis meis.* Id eſt, Ea erit vitæ veſtræ conditio, vt electis meis pudori, aut faſtidio ſit, ita vt non niſi cum nauſea nomen veſtrum audiant. Vtraque tranſlatio ſatis ſignificat ignominiam, & ſordes nominis olim honeſti, poſtea verò ignobilis, & odioſi Iudæorum.

aa *Et interficiet te Dominus Deus; & ſeruos ſuos vocabit nomine alio.*] *Vocari aliquo nomine*, ex Scripturæ conſuetudine interdum valet ſic aliquem vitam ſuam inſtituere, aut ſic affici ſiue ſua, ſiue aliorum hominum induſtria, vt eo nomine non immeritò compellari poſſit. Vnde in Scriptura idem eſt *vocari* & *eſſe*. Qua ratione de Ieruſalem propter ornamenta illa, quibus à Deo poſt exilij ſordes cumulata eſt, dicitur *cap.* 62. *verſ.* 4. *Vocabitur voluntas mea in ea.* Vide quæ ibi diximus. Cùm autem ea Dominus commemorauerit vel flagitia, vel ſupplicia populi, propter quæ nomen obtinere potuerit *miſeri*, & *ærumnoſi*, & *execrabilis*, nunc ait propheta Dei ſeruos longè aliter a Domino eſſe ſuſcipiendos, & ornandos, ita vt alio nomine longè diſſimili vocari poſſint, Nempe *dilecti*, aut *in quibus Dei voluntas eſt*, aut *in quibus Deus ſibi complacuit.* Vide quæ diximus ad illud *cap.* 62. *Vocabitur nomen nouum.* Si ad teſtamentum referas nouum, quod profectò in ſenſu myſtico debet, nomen nouum illud videtur fuiſſe, vt Hieronymus putat, quo Chriſti ſectatores primùm Antiochiæ conſignati ſunt; vbi vt habes *Actor.* 11. primùm vocati ſunt *Chriſtiani.* Sed de ſenſu myſtico huius capitis alibi dictum eſt. 28.

29. Dei in ſuos amor, & liberalitas. bb *In quo, qui benedictus eſt ſuper terram, benedicetur in Deo Amen, & qui iurat in terra, iurabit in Deo Amen.*] Locus iſte valde difficilis eſt, in cuius explicationem varia ab interpretibus adducuntur. Ego aliis omiſſis, quod ſentio, breuiter expediam. Diximus nuper in iuramentum nempe execratorium adhibendum eſſe illorum nomen, qui idola coluerunt, diuina fide, ac religione prodita: ita vt in iuramento electi illud adiiciant; *ſi fallo*, aut *ſi mentior, talia mihi eueniant, qualia Iudaeis, qui relicto, vel contempto Deo ad idola transfugerunt.* Nunc verò contraria de electis, fidelibúſque ſeruis prædicit, adducendum nempe illorum nomen, quodcumque ſit ſiue *dilectus*, ſiue *Chriſtianus* in benedictione, in hunc, aut ſimilem modum. *Ita me Deus amet*, aut *Ita mihi benefaciat Deus, ſicut amauit, aut benefecit dilectis ſuis, aut Chriſtianis*, &c. Aut certè cùm alteri, aut benedicimus, aut bene precamur; ſicut nouæ nuptæ in benedictionibus bene precantium Rachelis, & Liæ nomen audiebant. *Ruth. cap. 4.* Vtrumque videtur complexus Iſaias, idque non obſcurè, benedictionem quidem, cùm dixit. *In quo qui benedictus ſuper terram benedicetur.* Iuramentum verò cùm ſtatim addit. *Et qui iurat in terra, iurabit in Deo.* Eſt autem in poſteriori parte repetendum illud *in quo*, quod erat in priori hoc modo. *Et in quo qui iurat*, &c.

30. Nunc quæ in textu videntur nonnihil implexa, ſic digero, atque ordino, *In quo nomine in benedictionibus interpoſito; benedictus erit ille, qui in Domino amen benedicetur.* Nam qui inani, ac falſa idolorum benedictione benedicitur, ille ſicut neque veri Dei nomen audit, ſic etiam neque audiet, dum benedicitur, amabile illud electorum nomen. *In quo etiam electorum nomine iurabit in terra, ille qui in Deo Amen iurauit.* Non verò qui in iureiurando interponet execrabile idolorum nomen. Hæc mihi valde videntur ad textum; Et eſt antitheſis familiaris huic prophetæ, & ſuperioris quæ huc vſque producitur, continuatio.

31. De ſignificatione *Amen*, & quo vſu ac ſenſu de Deo dicatur, diximus *cap. 25. num. 2. & num. 6.* Neque quid in præſenti addam nouum occurrit. Illud obſeruo, commendari in hac fidelis populi fœlicitate, & iuramenti ſeu benedictionis legitima, atque fideli forma, id, quod Iudæorum nonnulli in dubium, & ſuſpicionem vocabant; nempe Deum deſerto populo, & exuſto templo parum promiſſi ſui memorem videri. De quo multis *cap. 58. num. 12.* Vt ergo conſtabit omnibus in electis fidelis meritorum compenſatio, ſic in illis ornandis Dei fidelitas. Quare vtrumque erit in benedictione aut iuramento ſolemne. Ac ſi dicant. *Contingat mihi id quod Deo dilectis ab ipſo Deo Amen, id eſt, veritatis, vel fidelitatis, ſeu à vero Deo, & fideli datum eſt*; aut *Largiatur tibi Deus veritatis, & fidelitatis, id quod largitus eſt dilecto ſibi populo.*

32. Aliæ explicationes ſunt plurimæ quas apud ſuos auctores promptum eſt videre. Illam non omittam, quæ magis eſt communis, quæ hîc accipit de tempore Eccleſiæ, quod fœcundum fore dicitur, vt ſtatim explicatur, & ſanctum. In quo nemo iam per Iouem, aut Iunonem iurabit, in quibus nihil eſt veritatis, ac fidei; ſed in Deo Amen, id eſt, in Deo qui fidelis eſt, & verax, qui neque decipiet, aut mentietur, neque ipſe à quoquam falli poteſt. Neque benedicetur in nomine Abraham, aut Iacob, ſed in nomine Dei Amen, id eſt, fidelis; qui præſtare poterit, quod benedictionis nomen importat.

A cc *Quia obliuioni tradita ſunt anguſtiæ priores.*] 33. Obliuionis nomen cum epitaſi.
Optimè hîc Hieronymus, *Obliuiſcentur priſtina mala non obliuione memoriæ, ſed bonorum ſucceſſione, iuxta id, quod ſcriptum eſt, In die bona obliuio malorum.* Et ſanè ita comparatum eſt, vt quæcumque mutatio grauia in quamcumque partem, obliuionem inducat ſtatus prioris. De mutatione ad ſtatum infœlicem *Eccl. 11. verſ. 29. Malitia hora obliuionem facit luxuriæ magnæ.* Et *Geneſ. 41. verſ. 30.* Cùm præceſſiſſet ſeptem annorum incredibilis abundantia, deinde ea dicitur veniſſe ſterilitas frumenti, *vt obliuioni tradatur cuncta retrò abundantia.* Et *eodem cap. verſ. 51.* cùm eductus eſſet iam è carcere Ioſeph, & gradum Regio proximum conſecutus, filium quem proximum in ea fortuna ſuſcepit, vocauit *Manaſſes, dicens, Obliuiſci me fecit Deus omnium laborum meorum.* Eadem dixit Iſaias *cap. 43. verſ. 18. Ne memineritis priora*, &c. Vide quæ diximus *c. 54.* ad illud *Confuſionem adoleſcentiæ tuæ obliuiſceris.* Magna hîc igitur Deus promittit iuſtis, & electis, quorum nomen in benedictionibus interponent dum dixerit: quando præterita incommoda, quæ in hac vita non leuia patiuntur iuſti, obliteranda, & opprimenda dicit bonorum aduentu. Hæc verò in Ieruſalem reſtituta experti ſunt Iudæi, ſed multò magis beati, vbi poſt huius vitæ quotidianas moleſtias ad cœleſtem patriam traducentur.

dd *Quia abſcondita ſunt ab oculis noſtris.*] Quod 34. Abſconditū pro longè poſito.
C longè eſt à nobis, id abſconditum eſſe dicitur. Vnde quia tempus quod longè ante nos fuit, aut quod à nobis longè poſtea conſequetur, quod *ſæculum* vocatur, aut *æternitas*, עולם *hholam* dicitur, à verbo עלם *hhalam*, quod *abſcondere* ſignificat, quaſi à noſtris oculis abſconditum. Ait ergo propheta, priores anguſtias, ſic ab electo populo procul abfuturas, vt neque illas iam amplius intueri, aut quod maioris fœlicitatis argumentum eſt, neque recordari poſſint. Aut certè hîc alia ſpectatur metaphora, quæ eandem ſententiam non minùs ſignificanter continet. Nam quemadmodum murus interpoſitus aliquid ab oculis noſtris eripit, & ab eo, quod vltra eſt munit, & defendit; ſic Deus, qui murus, & antemurale eſt electis ſuis; qui in
D ipſius habitant adiutorio, & in eius protectione commorantur, defendet illos ab anguſtiis prioribus, eáſque ab eorum oculis ita ſubducet, vt non modò illas non patiantur, ſed neque videant.

ee *Ecce enim creo cœlos nouos, & terram nouam: & non erunt in memoria priora.*] *Cœlorum, & terræ* 35. Creo pro renouo, aut in meliorem ſtatum adduco.
nomine rerum vniuerſitatem ſignificari ſatis eſt notum. Vnde ſæpe Deus dicitur cœli terræque conditor, id eſt, omnium rerum. Quare hîc prouerbiali ſpecie cœli, terræque creatione, ſeu reformatione, omnia eſſe reformanda ſignificari puto, quaſi noua futura ſit vniuerſi ſpecies. Quomodo *Pſal. 103.* affulgente vere poſt hyemis aſperitatem creari dicuntur plantæ quæ temporis inclementia mortuæ videbantur: & terræ facies renouari. *Auferes ſpiritum eorum, & deficient*, &c. *emittes ſpiritum* Pſal. 103.
E *tuum, & creabuntur; & renouabis faciem terræ.* Iactabatur ante tempus illud lætum, & fœlix ita durè ac miserè populus electus, de quo nunc Iſaias, vt omnia illi viderentur aduerſa: cœlum obſcurum, & nubilum, quod contraheret ſemper, nunquam exhilararet, & diffunderet mœrentem animum: terra ſterilis, & arida, ex qua non maior ſperari prouentus poterat, quàm è pumice, & ſaxo. Neque id mirum, cùm cœlum illis eſſet ferreum, à quo ignis, & fulmina vibrabantur, non largus, & benignus im-

bei. In his ſignificabatur ærumnoſa, atque afflicta electorũ cõditio, quibus Deus ſub metaphora cœlorum nouorum, & terræ item nouæ (quæ ſic erunt benigna, atque propitia, vt cœlorum antea inclementium, & terræ ſterilis, & infauſtæ memoria deponatur) omnem rerum abundantiam, & ingentem voluptatem promittit. Quomodo verò prouerbiali ſpecie cœli obſcurari, & ſtellæ cadentes, & ſimilia pro calamitate, & mœrore ſumantur, oſtendimus pluribus *cap. 34. num. 5.* quæ omnino vide.

36. Scio à pluribus de beatorum patria hæc explicari, vbi longè aliam experientur vitæ conditionem iuſti, quos hic iactauit dura vitæ rerúmque conditio. Quod ego quoque ſentio, amplectórque, imò exiſtimo in hoc præcipuè intentam eſſe prophetiam; ſed typicè quod alibi ſæpe ex plurimorum ſententia diximus, intelligenda etiam de captiuitate reſtituta non dubito. Quod credo meorum iudicabit, qui attentiùs caput totum explorauerit: in quo vt ſuis locis dicemus, nonnulla ſunt, quæ in beatorum patriam conuenire non poſſunt. Ex hoc loco adducuntur Iudæi, vt ait Finus *lib. 7. oppoſ. 19.* vt credant Meſſiam nondum aduenisse; quia cœli noui, & terra noua creata non ſunt, cùm terræ, ac cælorum ſpecies eadem ſit, quæ olim ab initio. Sed quàm illi tota terra, ac toto errent cœlo, ſatis apparet ex dictis.

37. ff *Et non aſcendet ſupra cor.*] Sententia eadem, aut non valde diſſimilis ſuperiora illa tempora anguſta, & dura, quæ non ampliùs dicuntur futura in hominum memoria, illa eodem ſenſu dicuntur non aſcenſura ſuper cor, quia de illis non iam ampliùs homines cogitabunt. Eodem ſenſu dixit Ieremias *cap. 3. verſ. 6. Non dicent vltrà arca teſtamenti Domini: nec aſcendet ſuper cor, nec recordabuntur illius.*

38. gg *Sed gaudebitis & exultabitis in ſempiternum in his quæ ego creo.*] In creatione, vt diximus, noui cœli, ac terræ item nouæ, indicari diximus magnam fortunæ viciſſitudinem. Quare in his quæ creata dicuntur, id eſt, in bonis non ſolùm reſtitutis, ſed etiam amplificatis gaudium, & exultationem Deus in ſempiternum promittit, id eſt, in longum tempus; id enim interdum ex ſcripturæ conſuetudine *ſempiternum* valet.

39. hh *Quia ecce ego creo Ieruſalem exultationem, & populum eius gaudium.*] Abſtractum pro concreto, vt Logici loquuntur, ſæpe in Scriptura ſacra ponitur, vt *iuſtitia* pro *iuſto*, ſic hoc loco *exultationem*, & *gaudium*, pro *exultante* atque *gaudente* ſumo, quaſi dicat Deus. Creo Ieruſalem exultantem, & gaudentem, id eſt, faciam vt quæ in mœrore fuerat, alacri ſit, & exultanti animo. Hic verò obſerua ex ſcripturæ vſu *creare* non ſemper eſſe aliquid è nihilo producere, ſed aliquando in ſpeciem meliorem adducere, quæ collapſa videbantur, aut ruinæ proxima. Quemadmodum *Pſal. 103.* creari dicuntur plantæ, cùm vernali clementia nouo foliorum veſtitu, & ramorum propagine luxuriant. Et *Pſal. 50.* cùm cor à peccatorum labe mundatur, *creari* etiam dicitur, id eſt, ad priorem ſtatum pulchritudinémque reſtitui. *Cor mundum crea in me Deus.* Sic nunc creata dicitur Ieruſalem gaudens & exultans; quia longè meliorem ſtatum nacta eſt, quàm cùm ſederet lugens, & ſordida.

40. ii *Et exultabo in Ieruſalem, & gaudebo in populo meo.*] *Cap. 52. verſ. 3.* cùm iterum ſermo eſſet de hoc ipſo tempore Ieruſalem, illius commendatur iuſtitia, & ſanctitas, adeò vt *ciuitas ſancta* appelletur, quia videlicet reſtituto templo, quod à Chaldæis priùs exciſum fuerat, antiqua domus Deo, & ſedes quaſi Regia reſtituta fuit. Inſtaurans ergo ſacrificia, & moribus ciuium ad meliorem mentem, & frugem mutatis; exultat Dominus in Ieruſalem tanquam in populo iam omnino ſuo.

kk *Et non audietur in ea vltrà vox fletus, & vox clamoris.*] Quomodo *non vltrà* & ſimilia, non ſemper negant aliquid aliquando futurum, ſed affirment aliquid futurum eſſe diuturnum; diximus *cap. 28. num. 29. & cap. 60. num. 79.* Nam certum eſt poſt libertatem populi, inſtauratúmque templum auditum eſſe clamorem, & fletum non ſolùm Romanorum, ſed etiam Machabæorum tempore. Dicuntur tamen non vltrà futura fletus, & clamor, quia pax à Deo promiſſa, & rerum abundantia, de quibus nunc propheta, diuturna fuerunt. 41.

ll *Non erit ibi ampliùs infans dierum.*] Hic locus valde difficilis eſt, neque facile cum ſuperioribus contexitur. Ego hæc primùm ad fœlicitatem eius populi pertinere puto, in quo Dominus dicit ſibi eſſe exultandum. Eſt enim maximum ciuitatum ornamentum ciuium prudentia, & ſenilis maturitas; ſicut contrà ſtupor, & leuitas ciuium dedecori eſt & pudori patriæ: non aliter ac filij parentibus ſunt ignominiæ aut gloriæ. Fuerunt priùs in Ieruſalẽ in ſenili ætate infantilea mores. Quare *Prou. cap. 1.* ſapientia in plateis, & in portis vbi ſenum conuentus eſt, clamat. *Vſquequo paruuli diligitis infantiam?* Quaſi dicat, Quid vos capite cano, & rugata facie puerilia capturis nugamenta? Hoc itaque hominum genus ſtolidum, & ignobile, *infantile* vocat propheta, abfuturúmque dicit ab inſtaurata, & bene conſtituta ciuitate. *Infans dierum*, vt opinor, ſenex eſt; quaſi dicas, Non erit ibi homo dierum, nempe multorum, qui tanquam infans ſit animi ſtupore, & morum leuitate. *Dies* verò in numero multitudinis, etiam ſi nihil addas, puta multos aut ſimile aliquid, tempus diuturnum ſignificant. Quomodo *Dani. cap. 10. verſ. 14. Quia adhuc viſio in dies*, nempe multos. Quòd ibi ſubaudiendum ſit adiectiuum *multos*, perſuadet quòd vbicumque ſignari iubetur propheta, *multum* additur, aut aliquid affine; quo ſignificatur longum tempus eſſe complendum, puta centum annorum. Et *Ioſue cap. 13. verſ. 1.* vbi vulgatus, *Et Ioſue iam longæuo, & perſenilis ætatis*, Heb. eſt. *Venit in dies.* Et ſtatim *v. 2.* vbi noſter, *Ego ſenui, & progreſſioris ætatis ſum*, Heb. *Ego veni in dies*, nempe multos. Hiſpanus certè Hebraico, vt puto, idiomate, dum oſtendere vult multos tranſiſſe dies, ait, *Dias ha, hombre de dias, hombre en dias*, id eſt, ſenex. *Infans* itaque *dierum* idem eſt, qui ſtatim appellatur *puer centum annorum.* 42.

Dies multitudinem ſignificat in plurali.

mm *Et ſenex qui non impleat dies ſuos.*] Eadem videtur eſſe ſententia, nempe in Ieruſalem à Deo in meliorem formam redacta nullum eſſe futurum, qui cùm multorum dierum ſit, ſpiritus tamen habeat, & cogitationes pueriles; aut qui ſenili ætate grauis non impleat dies, id eſt, faciat ea, quæ tot illos dies, & grandem ætatem dedeceant. *Implere* autem eſt aut muneri, aut expectationi, aut nomini ſuo ſatisfacere. Ille munus implet, qui id præſtat quod exigit magiſtratus, quem gerit, aut perſona quam ſuſtinet. De nomine Ouid. *lib. 1. de Ponto, elegia ad Maximum.* 43.

Maxime, qui tanti menſuram nominis imples.

Sic nunc impleri annos, vel ſenectutem ſuam, nihil aliud eſſe arbitror, quàm facere id, quod anni ſeniles, aut ætas grandis poſtulat.

Alij

44. Alij cenſent aut Ieruſalem reſtitutæ, aut Eccleſiæ promitti longam filiorum ætatem accommodatè ad vtrumque ſenſum, tam hiſtoricum de illa, quàm myſticum de hac. Quæ mihi ſententia valde olim probabatur, adducebarque, vt ita eſſe exiſtimarem; Nam de Ieruſalem terrena, quæ armis Chaldæorum euerſa fuit, pueri allidebãtur ad ſaxa, vt ex *pſal.* 136. non obſcurè colligitur. Nam cùm Dauid talia prædixiſſet paſſuros eſſe Babylonios, qualia ipſi Iudæis intuliſſent mala, ſtatim adiecit illorum paruulos allidendos ad petram. *Filia Babylonis, miſera, beatus qui retribuet tibi retributionem, quam retribuiſti nobis. Beatus qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram.* Item in matrum ſuarum ſinu fame confecti exhalabant animas *Thren.cap.verſ.1. Effuſum eſt in terra iecur meum ſuper contritionem filiæ populi mei, cùm deficeret paruulus, & lactens in plateis oppidi: Matribus ſuis dixerunt, Vbi eſt triticum, & vinum, cùm deficerent quaſi vulnerati in plateis ciuitatis, cùm exhalarent animas ſuas in ſinu matrum ſuarum.* Illi ergo immaturæ infantium cædi ætas diuturna promittitur; quaſi nullus futurus ſit infans dierum, qui videlicet in diebus infantilibus moriatur: Sed omnis infans annos impleat ſeniles, nempe ætatem vnam, aut ſæculum, quod centum annis conſtare exiſtimatur. Et idem additur *puer centum annorum morietur*, id eſt, puer non priùs morietur, quàm ætatem impleuerit ſenilem. Et quidem poſtremum hoc de puero centum annorum in laudem ſomi ſentiunt multi, & apertè Foreirus, & indicat S. Hieronymus, & Cyrillus. Ad quam ſententiam facit quòd hoc idem de eodem Iudæorum tempore prædixit Zacharias *cap.8. verſ. 4. Adhuc habitabunt ſenex, & anus in plateis Ieruſalem, & viri baculi in manu eius præ multitudine dierum. Et plateæ ciuitatis complebuntur infantibus*, &c.

45. Hæc poſterior ſententia, vt dixi, mihi antea probabatur, ſed nunc, cùm attentiùs totum caput intueor, animum in illam inclinare non poſſum. Video enim contorqueri multa, alia duriùs ſuppleri, quædam in illam ſententiam violenter trahi. Quæ in re coniecturali adeò non faciunt, vt ſententiam aliquam funditus euertant. Quomodo enim quis neget, aut in ciuitate felici non eſſe infantes, cum id maximè ad eius felicitatem, & frequentiam pertineat. Neque in ſenſu myſtico, video quomodo in Eccleſiam hæc aptè conueniant. Quis enim dubitet in illa non eſſe, qui lacte indigeant, quique ſtomachum habeant ad ſolidam, atque aridam eſcam parum idoneum, quique in vlnis portari, & quodammodo in ſinu, atque vtero geſtari debeant, donec formetur in ipſis Chriſtus? Sanè Paulus id ſe feciſſe dicit 1. *Corinth. 3. Tanquam paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi.* Et qui recèns ad Eccleſiam adiungitur, Neophytus vocatur: quaſi tunc primùm in Eccleſia natus. Quod iam de Ieruſalem hiſtoricè, quàm de Eccleſia myſticè dixit Zacharias *cap.* 8. *ſuprà* vbi nos hac de re nonnihil.

46. Hieronymus, Haymo, & cum illis complures alij hæc ad Ieruſalem triumphantem, beatámque patriam referunt, in qua neque vllus erit infans dierum, quia omnes venient in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti: omnes enim reſurgent ea ætate, qua reſurrexit Chriſtus. Neque ſenex erit vllus, quia licèt ætatem illam floreſcentem, & robuſtam tranſgreſſus fuerit, ad illam tamen in reſurrectione recurret. Hæc quidem vera ſunt. Sed ſanè durè admodum trahuntur ad textum. Nam licèt illud de infante dierum difficile non ſit; at quod de ſene dicitur, quòd dies ſuos impleturus ſit; non video quàm aptè in illam explicationem aptari queat. Implere etenim ſenem dies ſuos, non eſt ad ætatem, vnde iam exceſſerat, reuocari, ſed potiùs ad vlteriorem progredi. Deinde quia illud *non amplius* tam in ſene, quàm in infante, ſatis indicat in ea patria, aut ordine, de quo ſermo eſt, aliquando fuiſſe aut infantem dierum, aut ſenem, qui non impleuerit annos ſuos, quandoquidem non iam amplius ibi tales fore dicuntur. At quis hoc in cœlo vnquam fuiſſe putet? Scio *non amplius* aliquando non ſpectare præterita, ſed ſimpliciter ſignificare idem quod *ſemper*, vt diximus *cap.*60. ad illud, *Non audietur vltra.* Veruntamen id perquam rarum eſt, neque explicatio ad id accommodari debet, quod ſemel, aut iterum reperitur, niſi res ipſa cogat. Quare prima explicatio magis mihi videtur expedita, & cum his quæ ſtatim ſuccedunt, magis conſentanea.

nn *Quoniam puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit.*] Totum hoc caput continenti penè conſtat antitheſi. Quare bone ſenibus cordatis, & ſapientibus ſtolidos, & infantili ingenio præditos opponit: Illos in familiari Dei cuſtodia, atque adeò in eius ſinu futuros eſſe dicit; Hos verò morituros tanquam Dei maledictione deuotos. Morientur tamen ſi hiſtoriam ſpectes, rémque Babylonicam, in exilio: neque inde in patrium ſolum, quod æquè charum videbatur, ac vita, tanquam ex morte ad vitam reuocabuntur. Sanè qui in exilio erant *mortui* dicuntur *Ezech.*37. *a num.* 11. *Ecce ego aperiam tumulos veſtros, & educam vos de ſepulchris, populus meus, & educam vos in terram Iſrael.* 47.

Qui ergo in Ieruſalem reuerſuri non ſunt, *morituri* dicuntur, id eſt, in exilio manſuri tanquam in ſepulchris, futurique maledicti, quia inimici Dei, neque vnquam patrium ſolum, aut auitam gloriã aſpecturi. Quòd autem non omnes redierint, ſed quorum Dominus tetigit cor, & qui apud idololatras antiquam religionem non abiecere, docuimus ſuprà *cap.* 1. *num.*67. illa tu vide. Qui vocari iure optimo poſſunt *pueri centum annorum*, quia in ea ætate, quam propter annos, & rugas maturitas decebat ſenilis, infantium retinebant ingenium, & leuitatem. 48.

Puer centum annorum.] Prouerbialiter dici puto de ſene fatuo, qui priùs vocatus fuit *infans dierum*. Neque id apud Hebræos ſolùm, vt docet hic locus, & communis interpretum conſenſus, ſed etiam apud profanos: Apud quos illi vocabantur *pueri centum annorum*, qui ætate iam grandi, tamen puerorum in morem mollia tractabant, neque à domeſtica vmbra, ſeu otio, quaſi pueri à materno gremio recedebant. Ita Ioannes Tzetzes, dum explicat illud Heſiodi *lib.* 1. *oper. & dier.* Vbi prouerbium eſſe indicat. 49. Prouerbiũ.

ἀλλ' ἑκατὸν μὲν παῖς ἔτεα παρὰ μητέρι κεδνῇ
ἐτρέφετ' ἀτάλλων μέγα νήπιος ᾧ ἐνὶ οἴκῳ.

Quæ ſic Latinè.

Sed centum quidem annis puer apud matrem ſedulam
Nutriebatur, creſcens valde rudis domi ſuæ.

Si hæc Eccleſiæ myſticè, aut cœleſti Ieruſalem accommodes, non erit difficile. In cœlum quidem puer centum annorum, id eſt peccator, vt ſtatim exprimitur, non ingreditur: In Eccleſia verò licèt peccatores fuerint, hodiéque ſint centum anno- 50.

rum, id eſt, qui iam dio in ſuis peccatis inueterarunt:(neque enim ab Eccleſia recedit, qui in illam ſemel ingreſſus eſt, niſi abiurata fide, quam fuerat in baptiſmo profeſſus) dicuntur tamen pueri centum annorum non futuri, quia illud Eccleſiæ inſtitutum non decēt infantiles nugæ in ætate graui. Eſt autem vſitatum in ſcriptura, vt aliquid tale dicatur eſſe futurum, quale æquum eſt, vt ſit. Quomodo olim Chriſtiani dicebantur *ſancti*, quia ſanctitas Chriſtianum nomen decebat. Vide quæ diximus *cap.* 48. *num.* 25. Quam ſit timenda ætas productior, quæ tamen ſuperiorem vitam non emendat, ſed ſemper infantilia meditatur, & tandem ad maledictionum culmen excreſcit, vide Gregor. *lib.* 17. *Moral. cap.* 4.

51. Sanctorum fructuoſus labor.

°° *Et ædificabunt domos, & inhabitabunt: & plantabunt vineas, & comedent fructus earum. Non ædificabūt, & alius habitabit,* &c]Perſtat in antitheſi, & oſtendit quàm longè alia futura ſit ſors paucorum, id eſt, electorum, ab illorum ſorte qui quoniam vacua, & ſtulta conſilia ſecuti ſunt, *pueri* dicuntur *centum annorum.* Illi ædificabunt, plantabúntque, non aliis, ſed ſibi, quibus ſuorum operum labor, & induſtria ſeruiat; iſti non ſibi, ſed aliis, qui in alienos labores, & poſſeſſiones irrumpant. Experti ſunt hæc exules in patriam Deo auſpice reuerſi, qui ſecurum otium habuerunt ſub vite, & ficu, ſicut Deus ſæpe promiſerat: quibus nihil attulerunt mali hoſtiles inſidiæ. At peccatores tam in vrbe ante captiuitatem, quàm captiui apud Babylonios ita ſeminabant, vt alij meterent; ita laborabant, vt ad illos para nulla ſuorum laborum perueniret. De vtroque diximus *cap.* 62. ad illud. *Si dedero triticum tuum vltra cibum inimicis tuis.* Quæ tu vide: neque enim opus eſt eadem ſæpius repetere.

52. ᵖᵖ *Secundùm enim dies ligni erunt dies populi mei.*] Septuaginta hæc, vt puto, paraphraſticè conuerterunt. *Secundùm dies ligni vitæ erunt dies populi mei.* Neque enim in textu Hebraico eſt *vitæ.* His verbis ſignificari electorum vitæ æternitatem nonnulli putant. Nam ſicut, quod calor in homine conſumebat interior, id reficiebat, & quaſi reponebat fructus ligni vitæ (vnde viridis ſemper floret & robuſta ætas hominum in ſtatu integro:) ſic electorum vitæ, ab eo quod habuit nitorem, & ſpeciem, nihil auferet, aut imminuet æternitas. Quæ explicatio non diſplicet Hieronymo, Haymoni, Lyrano, Adamo, & quibuſdam aliis.

53. Cyrillus non ad æternitatem hæc putat referenda, ſed ad ſanctitatem, quia tales erunt hi, quibus tam larga à Deo promittit Iſaias, quales fuere parentes noſtri, quo tempore illis veſci permiſſum eſt de ligno vitæ: & quales fuiſſent, niſi peccatum, & vitæ ligno, & paradiſo voluptatis marcorem, & tabem attuliſſet. Addo ego aliquid etiam amplius Cyrilli ſententiæ, tales futuros electos ſiue vitæ ſanctitate, ſiue commodorum omnium abondantia, ſiue proſpero rerum ſucceſſu, quales fuerunt ligni vitæ tempore parentes primi. Quæ dicta ſunt hyperbolicè, ſicut alia plurima in ſcriptura.

54. Prouerbiū. Hæc mihi difficilia non ſunt, ſed magis puto dici conſentaneè ad textum, ſi hæc ad illud Pſalmi primi referatur, de viro iuſto, & timente Deum. *Et erit tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſum aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo, & folia eius non defluent.* (Pſal. 1.) Eſt autem mihi valde veriſimile partem illam Pſalmi, aut prouer-

A bialem Hebræis fuiſſe, aut certè valde familiarem. Ad illam enim ſine dubio reſpexit Ieremias *cap.* 17. *verſ.* 8 & Ezechiel *cap.* 47. *verſ.* 12. Tum quia ſententia grauis, & apta prouerbio; tum quia in ipſo pſalmorum exordio, quare vulgo etiam Hebræorum ignotam fuiſſe non exiſtimo. Accedit quòd quemadmodum toto hoc capite propheta iuſtum cum iniuſto, & huius infelicem, & damnatam ſortem cum illius felicitate componit; ſic etiam in hoc pſalmo Dauid ſperantem in Domino cum ligno confert in locis irriguis, & ſecus aquarum decurſum plantato, cuius læta eſt & perpetua viriditas, peccatorem autem, qui cogitationem ſuam ad terrenæ vanitatis ſtudium abiecit, cum puluere, B quem ventus iactat, atque diſpergit.

Diem autem pro felici rerum euentu, aut pro vitæ ſplendore, conditionéve ſtatus eleganti, & proſpera in ſcriptura ſumi penè mihi certum eſt. In quem ſenſum Hieronymus, S. Thomas, Hugo, Rabanus, Dionyſius, & Lyra ſumunt illud *Ieremiæ* 17. *verſ.* 17. *Diem hominis non deſideraui*, id eſt, hominum ſplendorem, & felicitatem. Idem fortaſſe ſignificat illud 1. *Corinth.* 4. *verſ.* 3. *Mihi autem pro minimo eſt, vt à vobis iudicer aut ab humano die.* Quaſi neget Apoſtolus ſibi eſſe curæ, quid homines, qui prudentiæ habent, & iudicij opinionem, ſentiant. Certè *diem* pro poteſtate ſumi, aut eo rerum articulo in quo ſe dignitas, & maieſtas prodant, multa in ſcriptura confirmant. Sic iudicij magni C dies, *dies* dicitur *Domini*, *Lucæ cap.* 17. *num.* 24. & altitudo diei, quam timere ſe dicit Dauid *Pſal.* 55. potentia eſt illorum, qui tunc armis, & auctoritate præſtabant, à quibus ipſe vehementer vexabatur.

55. Dies pro felicitate. — Ierem. 17. — 1. Cor. 4. — Pſal. 55.

56. Iuxta hæc ſenſum eſſe puto, virum iuſtum habiturum eſſe dies ligni illius de quo *Pſal.* 1. id eſt, illius conditionem futuram eſſe felicem; ita vt ſplendor, aut viror non marceſcat: neque quidquam ab aduerſaria poteſtate patiatur aut contrarium, aut triſte. In quam ego cogitationem adducor, quia ſi tantùm de æternitate, aut dierum longitudine, quam in *ligno vitæ* plerique inueniunt, eſſet comparatio, parum illa videbatur idonea ad explicandam felicitatem, quam Dominus hic iuſto promittit. D Proximè anteceſſerat, *Ædificabunt domos, & habitabunt, & plantabunt vineas, & comedent fructus earum*, &c. Hæc quomodo à ligno vitæ ſumi poſſint non video; optimè verò à ligno Dauidico, ex quo folia dicuntur non defluxura, & proſperatum iri, quemcumque lignum illud fructum produxerit: id enim valet illud. *Et omnia quæcumque faciet proſperabuntur*, quod non ad *iuſtum* refero, ſed ad *lignum*, vt manifeſtè videtur indicare textus ipſe tam Latinus quàm Hebraicus. Niſi malis longum eſſe, atque obſcurum hyperbaton, quod ſine cauſa dicendum non eſt, neque in principio pſalterij admodum opportunum. Ita putat Chaldæus, qui vertit. *Et quod germinauerit graneſcet, & proficiet*; Et ita ſentit Caietanus. Neque eſt contra communem E interpretum ſenſum, nam quod arboris proprium eſt, id in ea comparatione ad iuſtum traducitur.

57. ᑫᑫ *Et opera manuum eorum inueterabunt.*] Hæc ſic diſpungenda, vt *inueterabunt* ſeparetur ab *electi mei*, ita vt illa pars clauſulam præcedētem definiat, hæc conſequentem inchoet: quemadmodum Septuaginta diſtinxēre, & nūc codices Sixtiani. Communiter antea duæ iſtæ voces coniungebantur ſenſu quidem non diuerſo, ſed magis obſcuro. Explicat autem propheta, quod priùs promiſerat,

ædifica

ædificabunt domos, & habitabunt, &c. *& ſecundùm dies ligni*; nunc ædificationes, & plantationes, quæ *opera manuum* dicuntur, docet futura eſſe diuturna, quia neque ab hoſtibus excidentur, aut occupabuntur, neque immaturo ſenio à ſua vbertate, & viriditate cadent.

ꝛꝛ *Electi mei non laborabunt fruſtrà.*] Non erit electorum conatus à fructu vacuus. Si quid plantauerint radices aget altas, neque alieni decerpent fructus: ſi quid ædificauerint, in illud non irrumpent extranei.

58. ſſ *Neque generabunt in conturbatione.*] Miſerorum eſt, & infelicium nihil habere à periculo, ſeu metu liberum: quare eorum vita laboris eſt, & perturbationis plena: neque ſomnum ducunt ſine tumultu, neque vllam aut naturæ, aut voluptati dant operam, ſine conturbatione. Nunc Deus illa promittit, quæ quietum indicant, & ſedatum animum. Vt enim poſt Babylonicum exilium ſecurum otiũ agere Iudæi ſub vite, aut ficu, ſic etiam reliqua naturæ opera otiosè, ac ſine metu exercere potuerunt. Hæc puto non aliena à textu; ſed aliò inclinat animus, neque credo ſine fundamento. Ante captiuitatem cùm obſideretur ciuitas à Chaldæis, & in ipſo poſtea exilio ſæuitum eſſe duriùs, & inclementiùs in infantilem prolem ab hoſte infenſo, atque inſolente ſatis eſt notum. De tempore obſidionis docet Ieremias *Thren. 2. verſ. 12.* vbi fame paruulos extabuiſſe lamentatur. *Cùm deficeret paruulus, & lactens in plateis oppidi, matribus ſuis dixerunt, Vbi eſt triticum, & vinum, cùm deficerent quaſi* C *vulneratiin plateis ciuitatis, cùm exhalarent animas in ſinu matrum ſuarum.* Quòd verò hoſtes ipſi infantes aut confecerint ferro, aut alliſerint ſaxo, docet Dauid *Pſal. 136.* vbi cùm talia prædiceret Babylonis, qualia ab ipſis paſſi ſunt Iudæi, addit. *Beatus qui tenebit, & allidet paruulos tuos ad petram.* Hæc verò, aut non valde diſſimilia contigerunt in exilio Iudæorum infirmæ ſoboli, *Thren. 5. verſ. 13. Pueri in ligno corruerunt.* Nunc Dominus promittit conuertendam eſſe fortunam, filióſque non eſſe generandos, vt immatura morte pereant cum maximo parentum dolore; ſed eorum vitam eò eſſe producendam, vt & ipſi, nepotes, & poſterorum ſobolem videant, & cum ipſis longam ducant, atque iucundam ætatem. Ita Forerius, & Vatablus: neque longè abit S. Thom. qui ait filios non eſſe generandos in ſeruitutem hoſtium. Hoc omnino indicat L x x. tranſlatio, qui ita verterunt, *in maledictionem.* Quaſi filij antea nati eſſent ad cædem, ignominiam, & ludibrium. Quod ſignificat Hebr. vox בהלה *bahalah*, quæ *feſtinationem*, aut *præcipitationem* valet; aut etiam vt reddiderunt L x x. & probat Hieronymus, *maledictionem.* Quaſi filij ideo dicantur geniti, vt ſtatim pereant. Cui expoſitioni valde fauet ל *lamed*, nomini præfixum, quæ datiui nota eſt, aut per accuſatiuum explicandum indicat id, quod in ablatiuo locauit vulgatus, hoc modo. *Neque generabunt in perturbationem*, aut *perturbationi.* Neque contra facit editio vulgata, ſi *conturbatio*, vt Hieronymus in commentariis probat, maledictio eſt. Nam qui aliquid in conturbatione, ſeu maledictione generat, illud vtique generat ludibrio, atque ignominiæ, atque adeò ferro, aut laqueo deuotum.

59. tt *Quia ſemen benedictorum Domini eſt.*] Hæc valde confirmant quæ nos in poſtrema explicatione diximus, nempe electorum prolem fore non infelicem, aut maledictam: quia ab illis ſuſcepta,

Filij felix parentum poſſeſſio.

A quibus Dominus benedixit. Eſt autem, aut prima, aut in primis parentum benedictio in ſobole aut numeroſa, aut felici: quòd ſi à parentibus aliquo modo abſit, vulgo hominum non exiſtimantur à Domino benedicti; Quare ſicut in benedictionibus optatur filiorum felix, & numeroſa ſoboles, ſic in maledictionibus aut ſterilitas, aut immaturus, & acerbus filiorum interitus denunciatur. *Geneſ. 49. verſ. 25.* de Ioſeph *Omnipotens benedicet tibi*, &c. *benedictionibus uberum, & vuluæ.* De maledictionibus *Oſea 9. verſ. 14. Da eis Domine, quid dabis eis? Da eis vuluam ſine liberis, & vbera arentia.*

uu *Et nepotes eorum cum eis.*] Illud *eis* referri potest ſiue ad parẽtes, qui benedicti dicuntur à Domino, ſiue ad filios, qui dicuntur generandi non in B conturbatione. Neque textus, tam Latinus, quàm Hebraicus in alterutram partem magis propendet; neque ſenſus eſt diuerſus, quocumque accipias modo. Si ad parentes referas, ſenſus eſt, nepotes parentum, qui à Domino benedicti ſunt, erunt etiam cum parentibus benedicti, atque ideo, ſicut parentes, longos agent atque felices dies. Si ad filios, illi vſque adeò dicuntur fore felices, vt non ſolùm non extinguantur in infantia, aut in ætatis flore, ſed etiam filios gignant, ex illíſque ad multas vſque generationes nepotes, quibuſcum & diu viuant, & iucundam tranſigant ſenectutem. 60.

Hæc multò meliùs intelliguntur, & complentur in Eccleſia, cuius expreſſam imaginem in libero, & meliori Iudæorum ſtatu ſpectare licet. Nam ſi iuxta priorem expoſitionem hunc locum accipias, non generabunt ſpiritualem prolem in conturbatione, qui hominum ſaluti Euangelicam operam impendent; ſed audacter, & liberè, & ſine vlla perturbatione: cùm illi qui contrà ſtare conſueuerant, rei Chriſtianæ ſtudeant potiùs, quàm illam oppugnent. Sanè Paulus genitam eſſe dicit per Euangelium ſpiritualem ſobolem *1. Corinth. 4. In Chriſto Ieſu per Euangelium meum ego vos genui.* Et *ad Galat. 4. Filioli mei quos iterum parturio, donec formetur in vobis Chriſtus.* 61.

Iuxta poſteriorem explicationem multò meliùs. Nam ad tempus vſque Euangelij, filij *in conturbatione*, id eſt, ad ignominiam, & gladium quodammodo nati videbantur; priùs enim ſeruitutem ſubi- D bant, quàm lucem aſpicerent: At vbi in Eccleſia naſci, aut in Chriſto renaſci cœperunt, meliùs eorum libertati, atque ſaluti conſultum eſt. Quos Dominus iam agnoſcit ſuos, & tanquam benedictum ſemen, & mitiùs amplectitur, & indulgentiùs fouet. Plura in hanc ſententiam vide apud Hieronymum, & Cyrillum, quæ quia aperta ſunt, & ab omnibus ferme interpretibus abundè tractata, omittere poſſe videor ſine vllo expoſitionis incommodo. 62.

xx *Eritque antequam clament, ego exaudiam adhuc illis loquentibus ego audiam.*] Explicatur beneuoli animi ſingulare ſtudium: qui ſic eſt in aliorum cauſam intentus, vt non ſolùm vocem, aut orationem audiat, ſed latentes animi, atque ſilentes mo- E tus. Quod eodem propè modo ſignificauit Dauid *Pſal. 9. Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus: præparationem cordis eorum audiuit auris tua.* Certè audiiſſe Dominum tacitam Moyſis cogitationem; eáque ſe vehementer vrgeri ipſe teſtatur *Exodi 32. verſ. 10.* qui adhuc ſilente Moyſe dixit, *Dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos.* Sed eſt hîc aliquid, in quo nonnemo fortaſſe in oratore maximo artem, & ordinem requirat. Nam cùm præceſſiſſet, *Antequam clament, ego exaudiam,* 63.

Deus ad beneficia pronus, & velox.

decreſcit plurimùm in eo quod ſequitur oratio, *adhuc eis loquentibus*, &c. eſt enim multò minus audire, ſeu annuere precibus, quàm audire ſeu annuere ſilenti animorum affectui. Sed eſt quid reſpondeamus pro magno propheta, atque oratore in omnem partem eximio. Magnæ beneuolentiæ eſt, & indulgentiæ ſingularis argumentum, ſi quiſpiam eaſdem preces iterum, ac ſæpius non ſolùm ſine moleſtia, ſed etiam cum voluptate audiat. Quomodo pater infantiles filioli ineptias, iteratas ſæpius cum riſu accipit, eaſdémque vt ſæpius iteret, inuitat, & rogat. Deo qui penitus omnia videt, perinde nota ſunt occulti animi motus, & cogitationes, atque ſi hæc eadem verbis eſſent expreſſa. Quare dum ſermones audit, nihil noui audit, atque adeò ſæpius rem eandem accipit, quod ſine faſtidio homines facere non ſolent. Ait ergo Deus ſibi moleſtas non fore electorum preces, cùm verbis exprimentur: licèt iam ante illas, non minùs accepiſſet apertè, cùm tacita cogitatione in animo inſtruebantur. Iuxta illud *Matth. 6. verſ. 8. Scit enim Pater veſter quod opus ſit verbis antequam petatis.* Quaſi dicat, Audiam iterum, atque iterum, & ſiue rogatus, ſiue non rogatus, ſemper adero.

64. Portò ſingularis eſt beneuolentiæ, & animi benigni præuidere alterius neceſſitatem, occurreréque cum adiutrice manu nullis vocatum precibus. Quod feciſſe olim Deum in Teſtamento veteri multa probant, eáque illuſtria documenta. Nihil orarat, aut cogitarat de victu Elias, & iam Dominus coruis præceperat, vt in torrente Carith illi neceſſaria præſtarent *3. Reg. 17. verſ. 13.* ad quem ita Deus. *Abſcondere in torrente Carith, qui eſt contra Iordanem; & de torrente bibes, coruiſque præcepi, vt paſcant te ibi.* Et iterum *verſ. 9. Surge, & vade in Sarepta Sidoniorum, & manebis ibi, præcepi enim ibi mulieri viduæ, vt paſcat te.* Sed hoc & multò ſæpius, & longè cumulatiùs præſtitit in teſtamento nouo; dum multa hominum millia ad ſatietatem paſcit, & dum Apoſtolorum victui, quos ſine ſacculo, & pera ad prædicandum miſit, omnia neceſſaria ita prouidit abundanter, vt illis nihil vnquam defuerit *Luca 12. v. 25.* Et id omnibus omnino ſæculis fideles, vt Eccleſiaſtici teſtantur annales, experti ſunt.

65. 25 *Lupus, & agnus paſcentur ſimul: & leo, & bos, comedent paleas.*] Hic locus explicatus à nobis antea *cap. 11. à num. 10.* Vbi eadem ferme verba ſunt: vbi oſtenditur, & rerum diuerſarum mira concordia, & inter res natura ſua peſtilentes, & noxias maxima ſecuritas. Quod hic addam, nihil eſt noui; illa conſule.

66. 25 *Serpenti puluis panis eius.*] Meminit quoque ſerpentis Iſaias *cap. 11.* ſenſu tamen diuerſo. *Delectabitur infans ab vbere ſuper foramine aſpidis, & in cauerna reguli,* &c. Cur verò ſerpenti puluis dicatur fore cibus, alij alia dicunt: Mihi dici poſſe videtur maximè ad literam, & textum, nihil à ſerpente timendum eſſe pericoli, ſicut neque à leone, & lupo. De his etenim omnibus ſtatim dicetur, *Non nocebunt, neque occident in omni monte ſancto meo.* Cuius ratio ea eſt, quia duæ illæ belluæ, de quibus priùs, lupus, & leo carniuoræ ſunt, quorum homines iure timere poterant dentes, & vngues, ſed ab illis, quo ſenſu diximus ſuprà *cap. 11.* timendum eſt nihil; neque enim iam carnibus veſcentur, ſicut antea, ſed mutata natura ſylueſtri, & fera in manſuetam, & cicurem, comedent, aut paleas inſtar bouis, aut illis paſcentur herbis quibus agni. De ſerpente verò, qui carnibus etiam veſcitur, & hominum inſidiatur calcaneo, minùs eſt aut dubitandum, aut metuendum, quia præter carnes alium habet cibum, nempe puluerem, de quo *Geneſ. 3. Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* Quare carnis iam oblitus, & ferinæ naturæ, ad ſuum ſe cibum, & alimentum conuertet: neque quicquam deinceps præter puluerem meditabitur. Senſus itaque eſt, Leones, lupi, atque ſerpentes, in quibus omne ferarum genus continetur, non nocebunt in monte ſancto Dei; quia lupus, & leo in boum, & agnorum paſcuis herba, & paleis, ſerpens autem ſolo paſcetur puluere.

67. Hæc Patres in allegorico ſenſu longè aliter explicant, & ſanè ad mores aptiſſimè, dicunt enim ſerpentes in illos inuehi, & eorum ſe carnibus explere, qui puluis ſunt, id eſt qui terrena ſapiunt, & illa toto animo, atque ſtudio captant. Cùm enim humi ſerpat coluber, neque ſe altiùs attollat *Gen. 3. Super pectus tuum gradieris*, in illos tantùm incurrit, qui in terra ambulant, & puluerem vertunt. Vide Hieronymum *in hunc locum*, & Chryſoſtomum, qui in hanc ſententiam multa, & eleganter tractat *tomo 1.* in illud *Pſalm. 96. Dominus regnauit, exultet terra. Hæc de capite ſexageſimo quinto.*

Diabolus potens in eos, qui terrena ſapiunt.

Argumentum ſexageſimi ſexti capitis Iſaiæ.

REPREHENDIT *Dominus Iudæos, qui in ſuo ſibi templo, & fucata tantùm religione placebant: quorum ſacrificia, ac libamenta omnia ingrata ſibi eſſe dicit, ac moleſta. Quibus horribile minatur ſupplicium, quia vocati non reſponderunt, ſuóque arbitratu ſe potiùs, quàm diuino conſilio moderati ſunt. Deinde ſub parturientis metaphora docet magnos omnium ordinum conuentus ad Eccleſiam futuros; quibus omnia ſecunda, & Regias delicias pollicetur. Contraria verò minatur his qui à vera religione deficiunt; audéntque illa, quæ ne vllo modo fiant à Iudæo, lex & religio cauent. Denique cum reſpectu ad antiquam Iudæorum ſynagogam, oſtendit quàm latè patere debeant Eccleſiæ fines, & quanta futura ſit illius tam in prole fœcunditas; quàm in omnium rerum adminiſtratione felicitas.*

CAPVT

CAPVT LXVI.

1 [a] HÆc dicit Dominus, *Cælum ſedes mea, terra autem ſcabellum pedum meorum.* [b] *Quæ eſt iſta domus, quam ædificabitis mihi? & quis eſt iſte locus quietis meæ?*

2 *Omnia hæc manus mea fecit, & facta ſunt vniuerſa iſta, dicit Dominus:* [c] *Ad quem autem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos?*

3 [d] *Qui immolat bouem, quaſi qui interficiat virum:* [e] *Qui mactat pecus, quaſi qui excerebret canem:* [f] *Qui offert oblationem, quaſi qui ſanguinem ſuillum offerat:* [g] *Qui recordatur thuris, quaſi qui benedicat idolo.* [h] *Hæc omnia elegerunt in viis ſuis, & in abominationibus ſuis anima eorum delectata eſt.*

4 [i] *Vnde & ego eligam illuſiones eorum: & quæ timebant, adducam eis:* [k] *quia vocaui & non erat qui reſponderet: locutus ſum, & non audierunt: feceruntque malum in oculis meis, & quæ nolui elegerunt.*

5 [l] [n] *Audite verbum Domini, qui tremitis ad verbum eius:* [o] *Dixerunt fratres veſtri odientes vos, & abiicientes propter nomen meum,* [p] *Glorificetur Dominus,* [q] *& videbimus in lætitia veſtra;* [r] *ipſi autem confundentur.*

6 [m] *Vox*

PARAPHRASIS in idem caput.

1 OMNIA vobis tuta, atque ſecunda promittitis, ô Iudæi, quia apud vos templum eſt Salomonium, in quo me tanquam in cuſtodia clauſum arbitramini. Atqui immenſus ſum, & nihil non impleo. Cœlum mihi ſedes eſt, & terra ſcabellum meis ſubſtratum pedibus. Quare quæ tanta eſt iſta domus, quam conſtruxiſtis? aut locus hic exiguus; vt in eo ego quietem agam; & in quo mea anguſtetur, & claudatur immenſitas?

2 Neque eſt, cur vobis de hac tanta templi mole placeatis, quia vt omnia à me facta ſunt, quæ nuper audiiſtis; ſic etiam templum illud manuum mearum opus eſt. Quòd ſi gratiam à me inire, & domum quieti meæ accommodatam excitare vultis; eam offeret humiliatus, & contritus animus opportunam, & gratam. Ad quem enim placatum, & beneuolum animum conuertam, niſi ad humilem, & afflictum ſpiritum, quique ſermones meos cum timore, ac reuerentia ſuſcipit.

3 Alia omnia, vbi hæc abſunt, quo loco apud me ſint, à me ipſo diſcite. Qui bouem mactat, is mihi altare non tam bouino, quàm humano ſanguine cruentat; qui iugulat pecus, quaſi qui ad aram offerat excerebratum canem: libamenta alia ſuilli cruoris loco numero. Qui thus cremat, & ſuffimenta alia, idem feciſſe mihi videtur, quod qui ſacrificat, & benedicit idolis. Hac ſe fucata religione decipiunt; his ſe ſacrificiis oblectant: his operam, & ſtudium impendunt Iudæi.

4 Quare ſicut illi vanis, & ludicris ſacrificiis illudebant potiùs, quàm honorabant me: ſic ego viciſſim illorum rationibus, & conſiliis illudam: atque in illa inducam infortunia, quæ & ipſi horrebant vehementer, & à ſe quàm longiſſimè abfore ſibi perſuaſerant. Quia ad vocem meam obturarunt aures: neque meis præceptis obtemperarunt: & ſpectante me nequiter egerunt, & quæ ego prohibueram, atque damnaueram, amplexati ſunt.

5 Ad vos nunc ſermonem conuerto, ô pauperculi, qui verba mea trementes auditis. Fratres veſtri ſuæ religionis opinione vehementer inflati, quique dum nomen meum oderunt, & vexant, animo à vobis atque ſtudio diſſident, dixerunt ſuis meritis nihil non arrogantes. Glorioſè aget in noſtra cauſa Deus, edétque admirabilia ſuæ fortitudinis documenta, ſpectans ad illa ſacrificia, quæ in templo quotidie in eius honorem immolamus. Et videbimus lætitiam veſtram ex ſecundo rerum exitu efferueſcentem. Hæc illi ſuis ſibi meritis, & fucatæ religioni blandiri. Sed longè aliter atque ſperarant, eueniet. Spoliati enim omnibus ornamẽtis, exciſo templo, atque

vrbe,

vrbe,confundentur potiùs ab igoominia, quàm ſplendeſceor à gloria.

6 Audire iam videor clamorem turbati, atque concurſantis populi, qui & ſua coſilia damnat, & externa ſubſidia fruſtra quærit. Clamorem item ſacerdotum, qui in templo diuinum implorant auxilium; ſed inter hos clamores, & vlulatus audire quoque videor Domini vocem, qui auxilium negat: rependitque quod inimicorum ſuorum obſtinata perfidia merebatur.

7 Nulla fœmina partum enititur, niſi parturiat priùs,longáſque perferat moleſtias, dum fœtus formatur, & nutricatur in vtero; Sed populus ille ſtolidus peperiſſe iam ſe maſculum putat, id eſt, victoriam, & rerum fœlicem euentum, cùm tamen fœtum illum priùs ferendis legitimè faſtidiis non formauerit, maturaueritque.

8 Monſtri planè ſimile,ſi ager vno die, & excipiat ſemen, & effundat fruges; & vno die fœmina concipiat in vtero, & enitatur maſculum. At hoc mihi difficile non eſt, cùm vim habeam fœcuoditatis infinitæ. Quare efficiam, vt orbata quondam liberis Sioo, vno die, atque inſperato partu,eóque numeroſo augeatur.

9 Numquid ad procreandam,gigoendámque prolem fœcunditas mihi non erit, qui aliis, vt generare poſſint, ac parere,fœcunditatem,ac facultatem tribuo? Hæc vox Dei tui eſt, ô Sion.

10 Quare qui pij eſtis,quibúſque ſtudio eſt,& chara Hieroſolymæ ſalus, lætamini cum ea,& eius felicitati gratulamini. Communem cum illa lætitiam capite, quibus eius dolor, & luctus luctui priùs, atque dolori fuit.

11 Cur autem exultare debeatis, ea ratio eſt, quia ex eius vberibus, quæ ſuauitatis, & conſolationis abundant,ad ſatietatem vſque haurietis: & ex eius multiplici gloria, atque deliciis oon exigua pars in veſtrum honorem, & voluptatem deriuabitur.

12 Quanta verò futura ſit multimoda gloria Ieruſalem, & rerum abundantia, ab ipſo Deo accipite,qui ſic loquitur de Ieruſalem. Ecce ego quidquid apud Gentes glorioſum eſt, paciſque vſum,& commoditatem habet, inſtar exundantis fluminis in illius ſinum deriuabo. Ibi autem Gentes ſic accipient vos luculenter, & molliter, ſicut matres ſolent teneros iofantes, quos blando fouent in ſinu, blandiuntur in gremio, & per vbera viſcera noo ſolùm patienter,ſed etiam alacriter immulgent.

13 Quomodo mater permulcet, & ſolatur infantem, in eóque dulci quodam blandimeoto deliciatur; Sic ego ex animo veſtro mœrorem detergam, & in Hieroſolymæ complexu cooſolabor.

14 Ingens tunc animis veſtris oborietur lætitiæ magnitudo: & qui priùs eo eratis loco, vt cenſeri

6 [m] *Vox populi de ciuitate, vox de templo, vox Domini reddentis retributionem inimicis ſuis.*

7 [t] *Antequam parturiret, peperit: antequam veniret partus eius, peperit maſculum.*

8 [x] [y] *Quis audiuit vnquam tale? & quis vidit huic ſimile? Numquid parturiet terra in die vna? aut parietur gens ſimul, [z] quia parturiuit, & peperit Sion filios ſuos?*

9 [z] *Numquid ego, qui alios parere facio, ipſe non pariam, dicit Dominus? Si ego qui generationem cæteris tribuo, ſterilis ero, ait Dominus Deus tuus?*

10 [aa] *Lætamini cum Ieruſalem, & exultate in ea omnes, qui diligitis eam: Gaudete cum ea gaudio vniuerſi, qui lugetis ſuper eam.*

11 [bb] *Vt ſugatis, & repleamini ab vbere conſolationis eius: vt mulgeatis, & deliciis affluatis ab omnimoda gloria eius.*

12 *Quia hæc dicit Dominus: [cc] Ecce ego declinabo ſuper eam quaſi fluuium pacis, & quaſi torrentem inundantem gloriam Gentium, quam ſugetis: [dd] ad vbera portabimini, & ſuper genua blandientur vobis.*

13 *Quo modo ſi cui mater blandiatur, ita ego conſolabor vos, & in Ieruſalem conſolabimini.*

14 [ee] *Videbitis, & gaudebit cor veſtrum, [ff] & oſſa veſtra quaſi herba germinabunt,*

buut, [gg] *& cognoſcetur manus Domini ſeruis eius*, [hh] *& indignabitur inimicis ſuis.*

15 [ii] *Quia ecce Dominus in igne veniet, & quaſi turbo quadrigæ eius : reddere in indignatione furorem ſuum, & increpationem ſuam in flamma ignis.*

16 *Quia in igne Dominus diiudicabit, & in gladio ſuo ad omnem carnem*, [kk] *& multiplicabuntur interfecti à Domino,*

17 [ll] *Qui ſanctificabantur, & mundos ſe putabant in hortis* [mm] *poſt ianuam intrinſecus*, [nn] *qui comedebant carnem ſuillam, & abominationem, & murem:* [oo] *ſimul conſumentur, dicit Dominus.*

18 [pp] *Ego autem opera eorum, & cogitationes eorum, venio*, [qq] *vt congregem cum omnibus Gentibus & linguis :* [rr] *& venient, & videbunt gloriam meam.*

19 [ſſ] *Et ponam in eis ſignum*, [tt] *& mittam ex eis qui ſaluati fuerint, ad Gentes in mare in Aphricam, & Lydiam* [xx] *tendentes ſagittam: in Italiam, & Græciam, ad inſulas longè, ad eos, qui non audierunt de me*, [yy] *& non viderunt gloriam meam. Et annunciabunt gloriam meam Gentibus.*

20 [zz] *Et adducent omnes fratres veſtros de cunctis Gentibus donum Domino*, [aa] *in equis, & in quadrigis, & in lecticis, & in mulis, & in carrucis ad montem ſanctum meum Ieruſalem, dicit Dominus*, [aaa] *quomodo ſi inferant filij Iſrael munus*

cenſeri poſſetis inter mortuos, eò deducemini ſplendoris, & gloriæ, vt ad vitam, & lucem reuocati videamini. Oſſa etenim veſtra quaſi in ſepulchris arida, ſic efflorеſcent; ſicut infuſo rore marcentes herbæ. Eo verò tempore ſerui Dei tam liberalem, & verè paternam ipſius manum eſſe cognoſcent, quàm ſeueram, & duram contra eos, quos animo proſequetur hoſtili.

15 Ecce enim bellator Deus quadrigis inuehitur ad turbinis modum incitatis, ex quibus in hoſtes igneos intorquet globos. In hoſtes euomet furoris ſui, atque indignationis flammam; & inſtar ignis illos increpabit, & perdet.

16 Pugnabit Dominus cum hoſtibus, neque vno tantùm congredietur modo : iaculabitur enim in illos ardentes faces ; & gladium in eorum viſcera diſtringet. Neque exiguus erit illorum numerus, quos vltor Deus igne, ferróque proſternet.

17 Cadent tunc diuina confecti dextera, qui in hortis, & lucis impia ſuperſtitione mundari ſe, ac ſanctificari exiſtimabant; cui impuræ expiationi quo liberiùs vacarent, occluſis foribus omnes teſtes, & arbitros arcebant. Qui carnes ad menſam adhibebant ſuillas, item & glires, & quidquid Iudæorum abominetur religio ; Hi omnes cum alijs diuini nominis hoſtibus ſimul interibunt, dicit Dominus.

18 Illi in ſeceſſu, & intra ianuas impio ſe ritu, & cibo prohibito contaminant; ſed ego, cuius oculos nihil latere poteſt, non ſolùm eorum opera, ſed etiam cogitata peruideo. Pertæſus itaque Iudæorum inſaniam, eorum loco alienum mihi populum adiungam. Congregabo igitur omnes Gentes, & linguas : quæ multò ſtudioſiùs vocem meam excipient, quàm Iudæi: quibúſque ego gloriam meam ſpectandam, atque perfruendam, oſtendam.

19 Excitabo ergo militarem in modum ſigna, tanquam Imperator ſummus ; delectúſque cogam ad ſpiritualem militiam à Gentili populo. Quare ex eis, qui è Iudæorum Gente ſalutem per me conſecuti fuerint, in omnem quoquo verſus regionem legatos extrudam, qui ad ſacram illam militiam delectus conſcribant. Hi verò mandatum meum auidè complexi, tranſmarina ſpatia latè percurrent, puta Africam, & Lydiam ſagittandi peritas; Italiam, & Græciam, & inſulas longè diſſitas à Palæſtino cœlo : ad illos euocandos ſub ſigna mea, qui neque priùs audiuerunt de me; neque illa ſpectarunt, quæ in Iudæorum cauſa glorioſè geſta ſunt à me.

20 Hi verò legati ardenter in datas ſibi partes intenti, adducent gratum Deo munus ex omni loco Gentiles factos iam vobis (ô viri trementes ſermones meos), religionis, & inſtituti communione fratres. Adducent, inquam, non tumultuanter, ac durè ſuis pedibus per prærupta,

pta, ac ſenticoſa loca; ſed placidè, ac molliter ad montem ſanctum meum in equis, & rhedis, in lecticis, mulis, atque carrucis; eo prorſus modo, eáque mundicia, qua in vaſe puro, atque pretioſo munus ad domum Domini defertur à filijs Iſrael.

nus in vaſe mundo in domum Domini.

21 Populum autem Gentilicum eo loco, atque eo honore habebo, vt ex eo non ſecus, atque ex Leuitico genere Sacerdotes mihi, atque Leuitas aſſumam.

21 [bbb] *Et aſſumam ex eis in Sacerdotes, & Leuitas, dicit Dominus:*

22 Sicut cœli à me nouo quodam ſplendore renouati, neque ſicut priùs obſcuri, & nubili, & ſicut terra non ſterilis, & horrida ab hyemali glacie, ſed à verno tempore renouata; ſic ſtabit coram me (ô viri qui ſermones meos tremitis) ſemen illorum, qui quoniam Iſraelitæ erunt, non carnis propagatione, ſed morum ſanctitate; ſemen quoque veſtrum vocari, & nomen vobiſcum habere commune exiſtimari poſſunt.

22 [ccc] *Quia ſicut cœli noui, & terra noua, quæ ego facio ſtare coram me, dicit Dominus: ſic ſtabit ſemen veſtrum, & nomen veſtrum.*

23 Illo verò ſæculo planè aureo longè alia inſtituetur ſacrificandi ratio, quàm priùs in Synagoga, quæ certis diebus, certa ſacrifitia, & per certas perſonas offerebat. At illud tempus, quod Gentes à ſacerdotali munere non repellet, non expectabit menſis initium, aut ſabbatum, vt offeratur munus; ſed ſinguli dies Neomeniæ erunt, & ſabbata; quæ non certis ſpatiis, ſed perpetuo, ac continenti tractu ſibi ſuccedent, in quibus omnis tam Iudaica, quàm Gentilica caro adorabit in templo, & in eo ſacris operabitur.

23 [ddd] *Et erit menſis ex menſe, & ſabbatum, ex ſabbato:* [eee] *Veniet omnis caro, vt adoret coram facie mea, dicit Dominus.*

24 Tunc autem, qui in eodem mecum loco morabuntur, egreſſi (per cogitationem videlicet, atque proſpectum) ex tuto, atque ſuperiore loco contemplabuntur, quanta quotidie, & quàm funeſta graſſetur cædes in eos, qui alieni ſunt à meo complexu, & Dæmonis expoſiti ludibriis. Quorum cadauera æternis vermium carpentur morſibus; neque, qui illorum excruciat corpora, extinguetur ignis; & cùm ſupra quàm credi poteſt, dura patiantur, atque horribilia, nemo tamen, aut videndo animum explebit, aut tam ærumnoſæ conditionis miſerebitur.

24 [fff] *Et egredientur, & videbunt cadauera virorum, qui præuaricati ſunt in me:* [ggg] *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur:* [hhh] *& erunt* [iii] *vſque ad ſatietatem viſionis omni carni.*

IN CAPVT SEXAGESIMVM SEXTVM COMMENTARIVS.

1 HÆc *dicit Dominus, Cœlum ſedes mea, terra autem ſcabellum pedum meorum.*] Reſpondet principio prophetiæ, illius finis, & ad priores minas poſtremas has adiungit, quæ aut eædem ſunt, aut certè non valde diſſimiles. In primo capite ſeuerè reprehendit Iudæos, quòd externa tantùm religione, & ſacrificiorum A vmbra contenti, vera religione, & ſanctitate prodita, manus replerent rapina, & ſanguine; neque quicquam putarent ab offenſo Deo ſibi eſſe metuendum: quia templum habebant, & ſacrificia quibus aſſiduè vacabant. Quàm autem hæc parum proſint, ſi abſint illa, quæ à puro corde, & interna ſanctitate naſcuntur, graui inprimis, & maximè ſignificanti orationis genere declarat. Et primùm quod

Digitized by Google

quod ad templum attinet, docet ſe in eo non contineri tanquam in loco, vt Iudæorum quorundam ſtupor ſibi ea eo perſuaſiſſe videbatur, quia multa ſacrificia non alio loco, quàm in Solymitano templo obiri poterant: atque ideo, quia apud ſe ſolum habitare Deum exiſtimabant, omnia ſibi tuta, ac proſpera promittebant. Atque idcirco illis multùm erat in ore, *Templum Domini. Ierem.* 7. (vbi hoc idem à Iudæis requirit Deus, vt ad externum cultum internam religionem adiungant) *Bonas facite vias veſtras, & ſtudia veſtra, & habitabo vobiſcum in loco iſto. Nolite confidere in verbis mendacij dicentes, Templum Domini, templum Domini, templum Domini eſt.* Hæc Stephanus *Actor.* 7. obiecit Iudæis, qui in ſuo ſibi templo multùm placebant, ibíque Deum quaſi concluſum eſſe arbitrabantur. *Salomon*, inquit, *ædificauit illi domum; ſed non excelſus in manu factis habitat, ſicut propheta dicit. Cœlum mihi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum. Quam domum ædificabitis mihi, dicit Dominus, aut quis locus requietionis meæ?* Quo loco optimè nobis aperuit Stephanus ſenſum huius loci: nempe non ſic Deum coli, aut habitare in templo, vt alia deſerat. Et ideo ait aſſidere in cœlo Deum tanquam in throno, in terra verò tota quaſi in ſcabello pedibus ſubſtrato: Hoc idem dixit Chriſtus ad hunc puto locum ſpectans *Matth.* 5. *verſ.* 35. *Ego autem dico vobis non iurare omnino neque per cœlum, quia thronus Dei eſt, neque per terram, quia ſcabellum eſt pedum eius.* Ratio verò cur cœlum *thronus*, & terra *ſcabellum* dicatur, ea eſt, quia vt *ſuper cap. ſeptimum Actorum* iterum diximus, ſicut in Regio throno maieſtas principis ſplendet magis, & ibi eum ſpectamus, & veneramur præcipuè, licèt ille etiam in ſcabello ſit; ſic quia diuina maieſtas, & virtus maximè ſpectatur in cœlo, ibi ſedes eius eſſe dicitur. Item quia thronus ornari ſolet eximio cultu, vt de throno Salomonis conſtat 3. *Reg.* & de aureo reclinatorio *Cant.* 3. ſcabellum non item, ſic cœlum collucet maximè ſyderibus varium, & tota ſpecie gratiſſimum eſt; terra verò licèt ornata pulchrè, vt tanti Regis ſcabellum decebat, nihil tamen ad cœlorum venuſtatem, & formam.

Deus vbique, & non ſolùm in templo.

Matth. 5.

2\. [b] *Quæ eſt iſta domus quam ædificabitis mihi, aut quis iſte locus quietis meæ? Omnia hæc*, &c.] Cum irriſione quadam videntur hæc eſſe proferenda, quaſi viliſſima deſignentur, & admodum anguſta, quæ ampliſſima, atque auguſtiſſima putabant Iudæi; & præ quibus cætera contemnebant omnia. Quod indicant duo illa pronomina *iſta*, & *iſte*, quæ contemni ſignificant illa, quibus adiunguntur. Duo verò hîc ſignificat, & anguſtum eſſe locum, vt illum capiat, atque contineat, qui cœlum & terram complet; & vilem, quantumcunque artis atque materiæ in ipſo colluceat, cùm terra omnis, in qua tanta ineſt rerum pulchritudo, thronus non ſit; ſed ſcabellum Domini ſuppoſitum veſtigiis. Deinde, vt in eo templo ſumma eſſent omnia, non tamen illa hominum eſſe, à quibus quod in illam fabricam collatum eſt, exiguum eſt, & tenue. Illa enim quæ hominum induſtria digeſta ſunt, & in illam figuram, & ordinem conformata; à Deo creata fuerunt, à quo habent ſplendorem illum, & ſpeciem, quæ in Solymitani templi fabrica colluceat. Id enim ſine dubio ſibi vult, quod ſtatim ſubijcitur. *Omnia hæc manus mea fecit, & facta ſunt vniuerſa iſta.* Quæ repetitio Epitaſin habet, additque vim maximã affirmationi, perinde atque ſi dicat Deus. *Omnia hæc manus mea fecit; Omnia hæc, inquam facta ſunt à me.*

3\. [c] *Ad quem autem reſpiciam niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos?*] Oſtendit Deus quid potiſſimum probet, & in quod eius oculi maximè intenti ſint. Non quidem in templum arte, & materia eximium, non in ſacrificia, de quibus ſtatim, ad quæ Deus tanquam ad fœdum, & tetrum aliquid nauſeat; Sed in eum in quo vera eſt, & non fucata, aut ſimulata ſanctitas; in illum nempe, non quem inflat vana de ſuis meritis, atque virtutibus cogitatio, quíque omnia ſibi deberi ſomniat, ſed qui ſua opinione pauperculus, & abiectus eſt; quem afficit ægrè, & conterit peccatorum memoria: qui Dei ſermones cum timore audit, non cum ſanna, & ſibilo; quod faciebant Iudæi, qui prophetarum oracula vertebant in carmina, iterabantque illud quaſi familiare commentum, *Manda, remanda*, &c. Quemadmodum Deus non minùs aut libentet, aut anguſte in humilium, & contritorum animis regnet, quàm in cœlo & templis, diximus ad illud *cap.* 57. *verſ.* 15. *Quia hæc dicit excelſus, & ſublimis habitans æternitatem, & ſanctum nomen eius in excelſo; & in ſancto habitans, & cum contrito, & humili ſpiritu.* Vide locum. Huc ſpectat illud *Pſal.* 50 *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus; cor contritum, & humiliatum, Deus non deſpicies.*

Humilis, & contritus animus templũ Dei.

4\. [d] *Qui immolat bouem, quaſi qui interficiat virum.*] Similitudinibus, miré ſignificantibus, reique propoſitæ valde accommodatis explicat Deus, quo loco, atque ordine habeat illa Iudæorum ſacrificia, quæ in odorem ſuauitatis ex templo aſcendere putabantur. Et quod vno verbo obſcurè complexus eſt Iſaias *cap.* 1. dum de ſacrificiis dixit. *Incenſum abominatio eſt mihi*, & de Iudæorum feſtis, *facta ſunt mihi moleſta, laboraui ſuſtinens*, id nunc multis prophetа, & apertè declarat: dum comparat cum externa ſanctitate ſacrificiíque ritè, non tamen rectè à Iudæis obitis, ea quæ non poſſunt eſſe Deo non moleſta. Nam qui ad aram bouem immolat, perinde facit atque ille, qui non pie bouem, ſed impiè atque crudeliter hominem mactat, eiuſque ſanguine ſacroſanctum imbuit, & fœdat altare.

Quæ vana, & Deo moleſta ſacrificia.

5\. [e] *Qui mactat pecus, quaſi qui excerebrat canem.*] *Canis* pro re ſumitur execrabili, & fœda, prouerbiali ſine dubio ſpecie, propter animalis impudentiam, & odorem tetrum. Quare 2. *Reg. cap.* 1. *verſ.* 8. Abner cùm vellet ſordidam, & vilem conditionem exprimere ait. *Nunquid caput canis ego ſum?* Et 1. *Reg.* 24. *verſ.* 11. *Quem perſequeris Rex Iſrael, canem mortuum?* Mactati ergo arietes, aut agni ab impuris Iudæorum manibus, id olebant Deo, quod canis aut excerebratus, aut excoriatus, qui nauſeam mouet, & ſtomachum ciet, adeò gratus non eſt. Certè Deus eodem loco ponit pretium canis, & mercedem proſtibuli, quia, vt Hieronymus notauit, vtrumque animal pronum eſt ad libidinem. De quibus *Deut.* 23. *verſ.* 18. *Non offeres mercedem proſtibuli, neque pretium canis in domo Domini Dei tui. Quicquid illud eſt, quod voueris, quia abominatio eſt vtrumque apud Dominum.* Quòd ſi pretium canis Deo abominatio eſt, erit ſanè multò magis canis ipſe, aut eius excerebratum caput.

Prouerbiũ.

6\. [f] *Qui offert oblationem quaſi ſanguinem ſuillum offerat.*] Pro *oblatione* Hebr. מנחה *minchah*, quæ latè patet, & ſignificat quidquid ex farre, ſeu frumento fit, vt placentæ, & ſimilia: & aliquando ſacrificia illa etiam cruenta. Hic puto de oblationibus aliis, ſeu libationibus agi, quæ ſine ſanguine ſunt, neque tam ad ſuffimenta pertinent, quàm ad cibum; nam de ſacrificiis aliis actum antè fuerat,

de thure, & ſuffimento ſtatim. Illas ergo libationes, atque oblationes cum ſanguine comparat ſuillo, qui fœdus eſt, & reprobatus, ſicut etiam porcus reprobatur *Leuit. cap. 11. verſ. 9*

7. [g] *Qui recordatur thuris, quaſi qui benedicat idolo.*] *Recordor*, & quæ eiuſdem ſunt ſignificationis, non tantùm animum memorem ſignificat, ſed quod ex ea naſcitur memoria. Quare vt diximus *cap. 45. num. 40. & 49. num. 4.* pro opere ſumitur, quod facit is, qui ſui muneris, aut alicuius negotij recordatur. Quare Deus peccatorum memor dicitur, cùm illa punit, & eorum immemor cùm parcit, ſeu impunita relinquit: & pauperis recordatur, cùm eius miſeretur, & ſimilia paſſim. Quare *recordari thuris* nihil eſt aliud, quàm libare thus, in quo odoramenta alia continentur. Hoc verò, cùm ab impuro, atque ambitioſo libatur, ſic accipit Deus, quaſi ſi quis idolo benedicat, & honorem illi impendat diuinum. Quæ ſanè mira amplificatio eſt, cùm eodem ordine ponat Deus idololatriæ culpam cum munere ab impuris, & ſceleratis manibus oblato. Porrò *idolo benedicere*, idem eſt atque idolo ſacrificare: quia ſacrificia cum laude, & gratiarum actione fiunt. Quare qui eo modo thus offert in altari Domini, idem omnino facit, atque ſi illud idem ſacrificaret idolis.

Dixit hoc idem naturali rationis lumine illuſtratus Seneca *lib. 1 de beneficiis cap. 6.* qui non tam penſandam putat beneficij, aut muneris magnitudinem, quàm largientis animum. A quo munus habet vt magnum, aut exiguum ſit; vt gratum, aut ſecus accedat ad alterius animum. *Animus eſt qui parua extollit; ſordida illuſtrat magna, & in pretio habita dehoneſtat. Ipſa, quæ appetuntur, neutram naturam habent, nec boni, nec mali. Id refert quò illa rector animus impellat, à quo forma datur rebus.* Deinde addit idem propè, quod nunc Iſaias. *Sicut nec in victimis quidem, licèt opimæ ſint auróque præfulgeant, Deorum eſt honor, ſed rectà, ac pia voluntate venerantium. Itaque boni farre, ac fictili religioſi ſunt; mali rurſus non effugiunt impietatem, quamuis aras ſanguine multo cruentauerint.* Oſtendit ſtatim *cap. 8. & 9.* quomodo à paupere gratæ poſſint immolari victimæ, & munera offerri ſplendida, & grandia; illum tu vide.

[h] *Hæc omnia elegerunt in viis ſuis: & in abominationibus ſuis anima eorum delectata eſt.*] *Via* iuxta Hebraicum idioma pro conſilio ſumitur, aut inſtituto. Quare ſenſus eſt Iudæos in ea ſiue viuendi, ſiue ſacrificandi ratione ſibi placuiſſe, & in his quas Dominus abominationes eſſe ſtatuit, & inanitates, fuiſſe delectatos; ac ſi aliquid eſſet intaminatum, & purum.

Supplicium his, qui vanis Deum ſacrificiis placari putant.

8. [i] *Vnde & ego eligam illuſiones eorum: & quæ timebant adducam eis.*] Qui vana pro ſolidis, & ludicra, atque fucata pro veris, atque ſynceris offert, ille illuſor potiùs quam beneficus, aut officioſus vocari poteſt. Eiuſmodi ſanè ſunt vt latè probauimus *cap. 1. à num. 36.* Qui cùm animum habeant à Deo alienum, nihilque minus in ſacrificando quàm de religione cogitent, bene ſe de Deo, ac religione mereri putant. Qui nempe manus habent ſanguine, atque rapina plenas, totique in eo ſunt, vt principem locum, & ordinem inter ſuos obtineant. His ergo Dominus dicit paria ſe illis, & illuſore animo digna redditurum. Vt enim illi illuſiones elegerunt, id eſt, ludicra atque inania ſacrificia, quibus non tam ſe coli, quàm illud putabat, ſic ipſe quoque illuſiones eliget, actiuas nempe, quibus illudat væſano populo; atque in ea tandem inducat infortunia, quæ ille horrebat animo, & magno opere, atque ſtudio refugiebat. Datus eſt enim in opprobrium, & rapinam gentibus, deiectus ab eo loco, atque ordine, quem ſibi fore perpetuum blandiebatur: vt de Chaldæorum Romanorúmque temporibus perſpicuum eſt.

Quid impedeat mali his, qui vocantem Deũ non audiũt.

9. [k] *Quia vocaui, & non erat qui reſponderet; locutus ſum, & non audierunt, feceruntque malum in oculis meis: & quæ nolui elegerunt.*] Rationem affert propheta propter quam illuſoribus illis illuſiones impendeant, & infortunia, repetitque paucis ea, quæ pluribus ſæpe Iudæis exprobrarat: Quæ totidem ferme verbis complexus eſt *cap. 65. num. 11.* Quomodo Iudæi malum in Dei oculis admiſerint, diximus ad illud *cap. 57. Iuxta me diſcooperuiſti.* Illud *quæ nolui elegerunt*, abominationes illas ſpectat, de quibus nuper. *Hæc omnia elegerunt in viis ſuis, & in abominationibus ſuis anima eorum delectata eſt*; nempe ea, quæ Deus perinde habet, atque ſuillum ſanguinem, aut excerebratum canem.

10. [l] *Audite verbum Domini, qui tremitis ad verbum eius.*] Iam nunc ſermo conuertitur ad illos ad quos ſe Deus reſpecturum dixerat paulò antè, potiùs quàm ad domum ſibi à Salomone conſtructam. *Ad quem reſpiciam, niſi ad pauperculum*, &c. *& trementem ſermones meos?* His verò longè alium ſtatum, ac ſortem promittit, de qua pluribus poſtea. Eſt autem locus iſte valde difficilis, in quo aut contexendo, aut amplificando, cùm varij ab autoribus afferantur modi, nullus eſt qui attento, atque curioſo lectori omnino ſatisfaciat. Præmittam priùs præcipuas ſententias, quas nobiliores interpretes probauere; Deinde, quid mihi præterea videatur non improbabile, producam.

Deum glorificat, qui patienter ſuſtinet.

11. Hieronymus hæc verba, *Audite verbum Domini*, cum ſequentibus, Deo aſcribit. Qui monet viros Euangelij ſectatores, vt pro maledictis, & iniuriis beneficia rependant, & precationem: illud enim eſt *glorificetur Dominus.* Qui tunc maximè glorificari dicitur, cùm diſcipulos habet, & aſſeclas ſic dociles ad Euangelicam normam, & diſciplinam, vt aliorum ferociam ſua frangant patientia, & maxilla vna colapho percuſſa, alteram rurſus ad ſimilem, aut etiam duriorem alapam conuertant; Adducitque ibi teſtimonia non pauca, in quibus glorificari dicitur Deus, in iuſtis ſeruorum ſuorum operibus. Idem Cyrillus ſentit, atque Procopius.

12. Alij illud *glorificetur* ad Iudæos referunt, qui cum irriſione quadam dicunt religioſis, & ad diuinum verbum trementibus, nihil eſſe commodi in laude, aut glorificatione diuina. Quaſi dicant. *Glorificate Deum ò vaſana capita, & in eius laudem, & cultum opes veſtras, & vires omnes impendite quaſi ab eo magni aliquid expectetis, cùm potiùs veſtrum hoc ſtudium futurum ſit ab omni prorſus commoditate vacuum.* Ita S. Thom. Forerius, & Hugo. Alij Iudæis hæc tribuunt, ſed in alium ſenſum, & ad Euangelicum tempus: Tunc, inquiunt, credemus, quando glorificetur Dominus: id eſt, gloriam ſuam oſtenderit; aut reſurgendo, aut alio quouis modo. Sic Haymo, Adamus, Pintus.

13. Ego hæc ita probo, vt in eis omnino non acquieſcam: neque duas alias explicationes quas iam adducam, putem improbabiles. Et primùm obſeruo illud *dixerunt fratres veſtri odientes*, referri poſſe ſiue ad id, quod præceſſit, *Audite verbum Domini qui tremitis.* Ita vt hæc verba ſint non Dei, aut prophetæ, ſed Iudæorum, qui irriſoria quadam figura dicunt viris verba trementibus, ex Dei obedientia,

atque

atque ex tremore nihil poſſe commoditatis capi, atque adeò tenuè monent, vt neque Dei promiſſa curent, neque illius minis moueantur. Quod faciebant ipſi quando ad diuina oracula, & propheticas minas obſtrepebant illo familiari ſiue cantico, ſiue conuitio, *Manda, remanda: expecta, reexpecta &c.* Qua loquendi figura vſa fuit vxor Iob *cap. 2, verſ. 9. Adhuc tu permanes in ſimplicitate tua: benedic Deo, & morere.* id eſt, Si in benedicendo Deo perſeueres nihil aſſequeris, præter duram, & ignobilem mortem. Hanc ſententiam videntur probare Hieronymus, Cyrillus, Procopius, qui illud *glorificetur* Deo attribuunt. Neque enim aliud eſt quod aſcribant Iudæis, qui tamen hîc aliquid dicuntur eſſe locuti. Et Haymo, qui cum *Audite verbum*, coniungit, *dixerunt fratres veſtri.*

14. In hac verò ſententia illud etiam *glorificetur Dominus, & videbimus in lætitia veſtra*, ironicè exponendum eſt hoc modo. *Glorificate Deum, & videbimus lætitiam veſtram, aut triumphum.* ac ſi dicat, Nequaquam ob hac glorificatione vobis lætitia adueniet; ſed potiùs dolor atque confuſio. Cui commodè ſtatim Deus aut propheta ſuggerit. *Ipſi autem confundentur.* Quaſi dicat, Suo id ſibi capiti capiti illuſores Iudæi, non veſtro. Secundùm hanc explicationem reliqua ſic interpretor, neque contortè, vt opinor, neque parum ſignificanter.

15. m *Vox populi de ciuitate, vox de templo, vox Domini reddentis retributionem inimicis ſuis.*] Quomodo confundendi ſunt, quàm citò, quàm grauiter Iudæi, nouo dicendi genere declarat, quibus maximè ſignificatur perturbatio, atque confuſio ab inſperato inimicorum appulſu, & ciuili motu. *Vox*, inquit, *de ciuitate.* ac ſi dicat. Audire iam videor clamorem perturbati populi, eiulatum muliebrem, concurſationes, ſtuporémque ſollicitæ plebis, quæ & ſua conſilia damnat, & externa ſubſidia fruſtra quærit. *Vox de templo* aut Dei qui vocibus in templo ab ambitioſo, & inani ſacrificio fruſtra prolatis in templo quoque reſpondet, neque ſibi illa probari ſacrificia, neque à templo aliquid ſperandum eſſe præſidij; quia inde iam Dominus aliò, id eſt, ad hoſtes egreditur, quibus ſe ducem ad ciuium ſtragem, & vrbis exitium dabit. Quod docet Ioſephus *lib. 7. de bello cap. 12.* Qui imminenti iam templi, atque vrbis ruine auditas eſſe dicit voces. *Feſto*, inquit, *die, quam Pentecoſtem vocant, nocte ſacerdotes interiorem templum more ſuo ad diuinas res celebrandas ingreſſi, primùm quidem motum, quemdámque ſtrepitum ſenſerunt, poſtea verò ſubitam vocem audierunt, qua diceret, Migremus hinc.* Aut certè vox illa ſacerdotum erat, qui in templo precibus, votiſque de more diuinam iram euertere, & Deũ reddere propitium ſtudebant. Quod in grauibus reipublicæ caſibus facere conſueuiſſe docet Ioel *c. 2. v. 17.* vbi in ſimile tempus, & infortunium inducit ſacerdotes inducit in templo plorantes, & dicentes. *Parce Domine, parce populo tuo: & ne des hæreditatem tuam in opprobrium. Vox Domini reddentis vicem inimicis*, id eſt, Dominus ipſe aut euocabit hoſtes contra Ieruſalẽ, aut illos tanquam imperator ad cædem hominũm, & ciuitatis interitum hortabitur. Quod etiam feciſſe dicitur *Ioel. cap. 2. verſ. 11. Et Dominus dedit vocem ſuam ante faciem exercitus ſui, quia multa ſunt nimis caſtra eius.*

16. Quæ deinde ſequuntur, non iam ad ſtultos Iudæos referenda, qui aut nõ curabant veram ſanctitatem; aut illam in ſe ambitioſa quadam aſſentatione mirabantur: ſed ad viros Dei timentes, eo-

A rúmque familiam ſanctam, quam breui, & facili in numeroſam ſobolem augendam eſſe affirmat, ſumpta metaphora à muliere, quæ facili nixu, & ſine puerperij dolore filios peperit. Quæ ſanè connexio difficilis non eſt, vt magis ſuo loco conſtabit. Hæc ſententia eodem conſtare poteſt modo, ſiue illud *audite verbum Domini, qui tremitis.* Deo, aut prophetæ tribuas, ſiue Iudæis ſtultis, & illuſoribus, modò in illo *glorificetur* ironiam agnoſcas.

Altera expoſitio, quam ſuprà diximus non videri difficilem (quod plerique ſtatuunt) illud *audite verbum*, Deo tribuit, aut prophetæ, qui docent quàm ſint vana, & ſtuporis plena illorum 17.
B verba, quæ dum ſibi omnis in ſacrificiis, & templo, atque in ſua fucata religione placent, victoriam ſibi de hoſtibus promittunt; & exitus in omni conatu felices. Et in illo *glorificetur* nihil eſſe putat ironicum, ſed propriè exponit, in eam, quam mox adducemus ſententiam. Iuxta hæc nunc iam ſingula interpretemur.

n *Audite verbum Domini qui tremitis.*] Cùm paulò antea ſignificaſſet Deus quàm parum ſibi forent grata ſacrificia illa, quæ ab ambitione, & falſi, & mendaci ſanctitatis fuco naſcerentur; nunc admonet viros, in quibus tanquam in proprio atque legitimo tabernaculo dulcem trahit, atque diuturnam moram, ne credant illorum verbis, qui ſuis ſacrificiis, & meritis deberi omnia exiſtimant.

C o *Dixerunt fratres veſtri odientes vos, & abiicientes propter nomen meum.*] Fratres ſe mutuò compellabant Iudæi, quantumuis eſſent, aut moribus, aut inſtituto diuerſi, quia ab iiſdem prognati parentibus. Quare Paulus Iudæos qui non modò complexi non fuerant Euangelium, ſed etiam illud vehementer horrebant, & oppugnabant, *fratres* appellat. Hi ergo oderunt diuerſos mores, & ingenium eorum, qui Dei tremebãt verbum, vitámque ſuam ad illius diſciplinam cõponebant; id enim eſt *abiicientes propter nomen meum*, id eſt, propter me.

p *Glorificetur Dominus, & videbimus in lætitia veſtra.*] In *lætitia*, aut felici rerum euentu, laudem 18.
& gratiarum actionem contineri diximus *cap. 62. nu. 36.* quia ſolemne erat Iudæis gratias agere Deo:
D cùm aliquid contigiſſet ex voto. Ex quo fiebat, vt per metonymiam *laus* pro re feliciter geſta ſumeretur, aut beneficio cui impendenda laus eſſet; aut gratiarum actio. Vnde in Scriptura frequens *laus* ſiue *laudatio* pro re laudabili. *Pſ. 9. verſ. 15. Vt annuntiem omnes laudationes tuas.* id eſt, opera egregia, & laudabilia, & *Pſ. 72. v. vltimo. Vt annunciem omnes prædicationes tuas*, id eſt, facta prædicabilia. *Pſal. 105. verſ. 3. Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes eius.* & ſimilia paſſim. Iuxta hæc *glorificari Dominum*, erit illum in populum ſuum ſic fore liberalem, & munificum, aut illa editurum debellatis hoſtibus ſuæ benignitatis documenta, vt à
E populo illo perpetuò glorificandus ſit. Dicunt ergo ſtolidi, & ſua fucata religione inflati Iudæi, qui, que ſuis meritis, & officiis nihil à Deo toties ſibi obligato negari poſſe ſibi blandiebantur. *Glorificetur Dominus*, id eſt, glorificabitur in noſtra cauſa, cui tanquam pater, & dux noſter conſulet, ſpectans ad illa ſacrificia, quæ in templo quotidie in eius honorem, & cultum immolamus. Ponitur autem imperatiuus pro futuro, prophetico more. Et ſanè in textu Hebraico, vbi noſter *glorificetur*, eſt יכבד in futuro, id eſt, *glorificabitur*.

q *Et videbimus in lætitia veſtra.*] Coniunctio &, ſæpe apud Hebræos rationalis eſt, vt docuimus 19.

cap. 23. *num.* 43. quare non incommodè quis ſic exponeret, *Glorificabitur à nobis Deus, quia videbimus lætitiam veſtram*, id eſt, ea vobis præſtita beneficia, propter quæ exultare debeatis. Sed credo in magis communi, atque vulgata ſignificatione, accipiendam eſſe conſtructionem illam, in hanc ſententiam. Glorificabitur quidem Deus, id eſt opera erga vos eder illuſtria, propter quæ à nobis laudari in æternum debeat; & nos lætitiam veſtram videbimus ex ſecundo atque optato rerum exitu profectam. Porrò verba ſenſuum apud Hebræos adiunguntur caſui qui ante ſe habet *beth*, id eſt, *in*. De verbis viſus exempla ſunt plurima, vt *reſpice in me: reſpice in faciem Chriſti tui*, id eſt, *me* vel *Chriſti faciem*. Sic nunc, *videbimus in lætitia*, nihil eſt aliud, quàm *videbimus lætitiam*.

20. ʳ *Ipſi autem confundentur.*] Promittebant ſibi omnia ſecunda plus ſatis inflati ſua religione Iudæi, ſed quia Deus abominationes cenſebat, quæ illi ſacrificia vocabant, ipſi confundentur ſpoliati opibus, & gloria exciſo templo, atque vrbe, ex perturbatione atque ſtrage, de quibus ſuprà ad illud *Vox populi de ciuitate*, &c. *num.* 15. quibus nihil eſt quod addam. Quæ ſequuntur, quomodo cum ſuperioribus contexantur, non facile eſt explorare. Nos ea ad tres expoſitiones, quas attulimus, attemperare tentabimus. Adſit vtinam conatibus Deus.

21. ſ *Antequam parturiret peperit: antequam veniret partus eius peperit maſculum.*] Iuxta primam, & ſecundam explicationem vna eſt, & eadem expoſitio, eáque omnibus ferme interpretibus communis. Quidam hæc, quæ ſtatim ad magnam vſque partem capitis ſuccedunt, pertinere putant ad illorum conſolationem, qui Dei tremunt verba, & in quos diuini oculi dicuntur intenti. Neque hoc ſanè abs re, aut à prophetæ conſuetudine, qui vt *c.* 1. *num.* 65. *& cap.* 19. *num.* 22. diximus, duris læta ſubiungit. Audiuimus quæ Dominus mala minatus ſit illuſoribus Iudæis, qui & diuina promiſſa non curabant, neque à minacibus prophetarum oraculis quicquam timebant. Nunc ad pios, Deique timentes vocem, & imperium conuerſo vaticinio, illorum votis omnia fauſta, atque expedita promittit. Quia verò non facile eſt quenquam ex tenui, atque afflicta fortuna ſubitò ad magnum nomen, & ordinem aſcendere, quod euenturum prædicit his, quibus petulanti, atque irriſorio ſermone inſultant ambirioſi Iudæi, id eſſe ſibi perquam facile docet Deus à ſua liberali, atque fœcunda potentia. Quod etiam docuerat *Eccli. cap.* 11. *verſ.* 23. vbi ſibi nullam eſſe moram neceſſariam affirmat, vt ad opes, & gloriam, humilem, & egenum promoueat. *Facile eſt in oculis Dei ſubito honeſtare pauperem.* Hoc verò loco idem ſignificat prouerbiali vt reor ſpecie; ſumpta metaphora à fœmina, quæ ſine vlla puerperij moleſtia enixa eſt maſculum, illum nempe fœtum, quem homines maximè deſiderant, vtpote robuſtum, quique poſtea futurus ſit decus, & columen familiæ. Quod in humanis Deus rarum eſſe oſtendit, dum ait. *Quis audiuit vnquam tale?* At ſibi eſſe non difficile à minorum comparatione probat. *Numquid ego, qui alios parere facio*, &c.

Deo facile eſt ſubitò honeſtare pauperem.

Prouerbiū.

22. Porrò illud *parturire* non tantùm pertinere puto ad illum temporis articulum, quo fœmina in nixu eſt, & periculoſo puerperij certamine, quamquam ea præcipuè verbi ſignificatio, ſed etiam ad totum tempus, quo propter fœtum in vtero concluſum laborat, patitúrque longa illa

A faſtidia, quæ ſunt prægnantibus familiaria; ſine quibus perquam rarò partus contingit. Sanè decem menſium moleſtiam ſuſtuliſſe dicit Virgilius Salonini matrem *Eclog.* 4.

Matri longa decem tulerunt faſtidia menſes.

Et Hieronymus puerperium ſiue parturitionem populi Iſraelitici totum illud tempus eſſe dicit, quod complexa fuit ætas Abraham, Iſaac, & Iacob, & duodecim patriarcharum, à quibus Iſraelis familia propagata eſt. Et verbum חול *chul*, pro quo noſter *parturiet*, plura ſignificat, vt *expectare anxiè, & cum ſollicitudine*, aut *quouis modo dolere*. Id indicat non obſcurè illud *numquid parturiet terra vna die?* Ac ſi dicat, Terræ parturitio plus ſibi vnius B diei ſpatio deſiderat, at illa periculoſa, & extrema parturitio vno die breuior plerumque eſt. Aliam igitur parturitionem longiorem ſpectat hic locus. Quare iuxta hanc metaphoram parere maſculum antequam quis parturiat, nihil eſt aliud quàm ſine labore, & longa mora habere ſucceſſum inſperatum, & felicem.

Quàm verò id Eccleſiæ, de qua, vt communiter interpretes, ſermo eſt, quamque hoſtiliter oderant, & auerſabantur Iudæi, fœliciter acciderit, & ſubitò, docent & Apoſtolorum Acta, in quibus vna Petri concione conuerſa dicuntur circiter tria hominum millia, *cap.* 2. & iterum *cap.* 4. quinque millia, partu ita facili, ac ſubito, vt ſine parturitione C peperiſſe videretur Eccleſia. Peperit autem maſculum, non infirmam, aut languidam prolem, ſed conſtantem, & robuſtam, & ad omnia ſiue fortunæ, ſiue naturæ impedimenta ſtrenuam, & audacem, vt docent tot martyrum millia, qui alacri ſtudio ceruices, & pectus obiulere ferro; neque pauciori numero confeſſores, qui Chriſti crucem, & mortificationis pondus ita ſubiere libenter, vt nunquam depoſuerint; ita ſuſtulere conſtanter, vt nunquam ſuccubuerint. 23.

Eccleſiæ felix, & robuſta ſoboles.

ᵗ *Quis audiuit vnquam tale, aut quis vidit huic ſimile; numquid parturiet terra in die vna, aut parietur gens ſimul.*] Rerum natura hoc fert vt neque vno die animal parturiat, quo ſenſu nuper expoſuimus (id eſt, concipiat fœtum, & eò vſque in vtero D foueat, & augeat, donec ad iuſtam magnitudinem perductus lucem aſpiciat: cùm multis antea menſibus fingi à formatrice virtute, & augeri ſoleat: aut in herbis, aut plantis; quæ diu parturire ſolent, quod vno poſtea, aut altero die pariunt, aut fundunt) aut tota gens, id eſt, magna, & numeroſa proles vno naſcatur die. Sed quod naturæ vis, quæ motu indiget, & temporum ſpatiis, perficere non potuit, id fecit auctor naturæ Deus; omnique vi, atque naturæ ordine ſuperior. Quare ſtatim addit. 24.

ᵘ *Quia parturiuit, & peperit Sion filios ſuos.*] 25.
E Sion Eccleſiæ typus eſt, quæ peperiſſe dicitur filios ſuos vno nempe die, quod ſuprà dixerat ſimili prodigio. Neque id mirum, cùm à cœleſti ſatu conceperit, & obſtetricante Domino fœliciter enixa fuerit, quod antè conceperat.

Sed Reges quomodo paulò ante dicitur Eccleſia peperiſſe, antequam parturiret, nunc verò parturiſſe fertur priùs, deinde peperiſſe. Hoc mihi in hac expoſitione viſum eſt difficile; eſt tamen quod reſpondeam iuxta ea, quæ dicebamus de ſignificatione verbi *parturio*; quod non ſolum nixum ad partum valet, qui breui fit tempore, ſed etiam illa faſtidia, quæ perferunt prægnantes quamdiu fœtus fingitur, & maturatur in vtero. Sanè illa longa

faſtidia.

faſtidia non pertulit Eccleſia, cui copioſa ſoboles momento temporis data eſt; at tulit aliquam moleſtiam, quia vigebant Euangelij hoſtes, & rem Chriſtianam aduocatis vndecunque viribus oppugnabant. Hæc autem in hac metaphorica locutione parturitio quædam eſt, quæ partum antegreditur.

26\. x *Numquid ego, qui alios parere facio, ipſe non pariam, dicit Dominus.*] Probat Deus ſibi facile eſſe vno die tot filios gignere. Cum enim ipſe rebus aliis dederit vim, facultatémque gignendi, & temporis momento nouo induat herbarum germine agrum priùs ſterilem macie, & ſquallore marcidum, quique habitare facit ſterilem in domo, matrē filiorum lætātem, cur ipſe ſterilis cenſebitur, & infœcundus. Simili argumento vſus eſt *Pſal. 93. verſ.9. Qui plantauit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum non conſiderat?*

27\. Iuxta tertiam explicationem non puto difficilè poſſe accommodari hæc poſtrema. *Antequam parturiret*, &c. Quaſi Deus irrideat ſtultos Iudæos, quòd ſuis ſacrificiis, in quibus ſola ſpectabatur fucata ſanctitas, tantum arrogarent, vt ſibi de hoſtibus victoriam promitterent, & illos rerum exitus, propter quos perpetuò Deus eſſet glorificandus. Horum ergo ſpem vanam eſſe dicit, atque præproperam, cùm victoriam ſpectent, atque optent non maturam, aut non ſatis ad illam curas ſuas, atque ſtudia diſponant. Quaſi dicat Deus, Nemo fructus ſpectet ex agro niſi priùs in eo excolendo, aut ſubigendo ſudauerit: Nulla fœmina partum ſibi naſciturum ſperat, niſi longas moleſtias in fœtu, quem in vtero geſtat fouendo, atque nutricando pertulerit; Atqui populus iſte antequam parturiat, id eſt, antequam ſubeat ea, quæ partum antecedunt, iam ſibi de nato maſculo blanditur. *Parturire* autem in hac ſententia eſt diuinam ſibi beneuolentiam promereri religione non fucata, atque euanida, ſed ſolida, & ſynceta. At ea offerre ſacrificia, quæ neque admittat, neque probet Deus, qualia Iudæorum erant, perinde eſt, atque obtuliſſe nihil, atque adeò nunquam parturiiſſe. Fortaſſe ad hunc locum alluſit Chriſtus *Ioannis 16. Mulier cum parit, triſtitiam habet, quia venit hora eius; cùm autem peperit puerum, iam non meminit preſſuræ propter gaudium: quia natus eſt homo in mundo.* Huiuſmodi ſunt aliquot prouerbiales locutiones tam in ſcriptura ſacra, quàm apud profanos; vt eſt illa Helenæ ad Paridem apud Ouidium.

Sed nimiùm properas, & adhuc tua meſſis in herba eſt.

Et illud.

Capra nondum peperit, & iam hœdus ludit domi.

28\. y *Quis audiuit vnquam tale; aut quis vidit vnquam ſimile? numquid parturiet terra in die vna, &c.*] Monſtri planè ſimile, ſi aut ager vno die excipiat ſemen, & fundat fruges, aut fœmina die vno concipiat in vtero, & enitatur maſculum. Hoc omnino ſibi aut arrogabant, aut expectabant Iudæi. Qui nihil ſibi non pollicebantur, cùm tamen neque diem vnum ſumpſiſſent idoneum ad formandum aut maturandum illum fœtum. Illum verò partum numeroſum eſſe apparet, quando tota gens ſimul orituta dicitur, id eſt, aut ventura ex Babylonico exilio, aut ex communi aliqua clade liberanda.

29\. z *Quia parturiuit, & peperit Sion filios ſuos*] Hæc alicui minùs aptè videbuntur accommodari poſſe ad poſtremam hanc explicationem. Sed nihil hîc ego durum, aut contortum inuenio. Et antequam hæc cum ſuperioribus cōnectere aggredior, obſeruo primùm vſitatum eſſe prophetis non ſolùm cùm vmbra quædam apparet Euangelicæ lucis, ab illa ad hanc illico gradum facere, vt oſtendimus *cap. 2. num.* 1. ſed etiam ſi quid contrarium appareat. Ex multis duo accipe exempla. *Zacharia c.9.n.9.* egerat de victoria contra Tyrum, & Aſcalonem, &c. vbi potentia, & opes, & apparatus ſuperbi deſcribebantur. Statim contraria omnia in Chriſto triumphatore propoſuit *Ecce Rex tuus veniet, &c. pauper, & aſcendens ſuper aſinum.* Ac ſi dicat, Longè alius erit habitus, atque aſpectus Chriſti, qui pauper ingredietur, inſidens aſinæ, & tamen quadrigas, & acies inimicorum proſternet. Et *cap.* 13. cùm de falſis prophetis ageret, quos eo nomine parentes confixerunt, atque plagarunt, ad verum prophetam Chriſtum à parente plagatum, atque confixum vaticinium traduxit; dum ait. *Framea ſuſcitare ſuper paſtorem meum*, &c. Sic ergo nunc cùm oſtendiſſet à natura vi fieri non poſſe, vt vno die terra parturiret, id eſt, ad fruges fundendas diſponeret, aut etiam vno die fœmina fœtum ederet maturum; nunc docet id à ſe fieri poſſe non difficilè, cùm vim habet fœcunditatis infinitæ; & aliud ſit gratiæ opus, aliud naturæ.

Regula. Ex re contraria, quæ in teſtamento veteri adducitur, ad Euangelij tēpus gradus fit.

30\. Obſeruo ſecundò, illud *Quia*, quod expoſitioni huic poſtremæ officere videbatur, non eſſe particulam rationalem, ſed aut redundare, quod apud Hebræus eſſe in vſu docet Euthymius ad illud *Pſal.9. Quoniam laudatur peccator.* Exempla inuenies non pauca apud Salmeronem *prolegomeno 16. pag.* 414. aut coniungere extrema, quod eſſe frequens in ſcriptura docuimus ſuprà *cap. 35. num.* 12. *& Zacharia cap.* 10. *num.* 14. Aut, quod potiùs reor, magiſque ad noſtrum inſtitutum, eſſe particulam aduerſatiuam, id eſt, *veruntamen, at vero* &c. Quod eſſe in ſcriptura familiare exemplis conſtabit. Ex multis pauca hæc accipe *Pſal. 36. verſ. 20.* cùm dixiſſet Dauid de iuſtis. *Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis ſaturabuntur.* de peccatoribus ſubdit. *Quia peccatores peribunt*, id eſt, veruntamen peccatores, &c. *Pſal. 13. num. 6.* cùm dixiſſet de peccatoribus. *Trepidauerunt timore, vbi non erat timor.* de iuſtis ex aduerſo addit. *Quoniam Dominus in generatione iuſta eſt*, id eſt, *at verò. Pſal. 43 v.* 21. iuſti, cum nomine Dauid. *Et non receſſit retrò cor noſtrum*, &c. *Quoniam humiliaſti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos vmbra mortis*, id eſt, Cùm iuſti eſſemus, veruntamen humiliaſti nos. Idem *Ieremia cap. 48. verſ. 45.* Erit ergo ſenſus ſatis, vt apparet, expeditus, non poſſe ſine longa parturitione germinare terram, aut fœminam ſubolem eniti maſculam; veruntamen poſſe Deum Sioni antequam parturiret, numeroſum filiorum largiri gregem. Cætera quæ ſequuntur explicata ſunt paulò ſuperiùs; & in omnem ſententiam aptè conueniunt.

Regula. *Quia* ſæpe in ſcriptura redundat.

Regula *Quia* particula aduerſatiua.

Pſal. 36.

Pſal. 13.

Pſal. 43.

31\. a a *Lætamini cum Ieruſalem, & exultate in ea omnes, qui diligitis eam: gaudete cum ea gaudio vniuerſi, qui lugetis ſuper eam.*] Hæc in typo dicta ſunt de Ieruſalem apud Chaldæos exulante, quæ tamen moltò magis ad Eccleſiam ſpectant, vt eſt frequens interpretum ſententia. Sed quod ad typum attinet, obſeruandum eſt quod *cap. 1. num. 67.* docuimus, ab exilio rediiſſe non omnes, ſed viros iuſtos, atque timentes Deum. Ad ea quæ in eam ſententiam confirmandam adduximus, adde illud *Ierem. cap. 24.* vbi in duobus calathis, quorum alter ficus habebat valde bonas, alter valde malas; duo

conſtitui hominum genera, qui aut in patriam reducendi erant, aut in exilio relinquendi. Hi verò, quibus lætitiam Dominus promittit, illi ſunt, qui caſum lugent Ieruſalem, id eſt, qui pij ſunt, neque in Babylonia aut pacatum ſibi, aut iucundum conſtituere cupiunt domicilium.

32. In Eccleſiam hæc multò magis atque faciliùs quadrant, cuius tenuitatem, & infantiam lugebant in principio, qui è Iudæorum gente primùm collecti; illam vndique principum armis, atque conſilijs oppugnari videbant. Hi ergo lætari iubentur, quia non multò pòſt magni ad Eccleſiam fient è Gentili populo conuentus, à quibus non ſolùm augeatur, ſed etiam tueretur fidelium congregatio.

B

33. Regula. *Vt* non ſemper cauſam finalem indicat, ſed aliquando conſecutionem.

b b *Vt ſugatis, & repleamini ab vberibus conſolationis eius.*] *Vt* non ſemper cauſam denotat finalem, vt benè Cyrillus *lib. 9. in Ioannem cap.* 10. & Damaſcenus *lib. 4. cap.* 20. ſed conſecutionem quandam & euentum. Vnde in ſcriptura frequens, *Vt adimpleretur quod dictum per prophetas.* Neque enim ideo aliquid factum, vt vera eſſet prophetarum fides, cùm potiùs ideo prædicta à prophetis, quia ſic eſſent aliquando euentura. Aliæ ſunt locutiones complures, in quibus *vt* nullo poteſt modo finem notare, vt *Rom. 5. Lex ſubintrauit, vt abundaret delictum. Ioan.* 11. *In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident, videant, & qui vident, caci fiant.* Hoc poſterius quis non videat, quàm longè abeſt à finali cauſa? Hoc ergo loco, illud *vt ſugatis* non puto rationem habere finis, cùm non homines cómodè exultare dicantur, vt ſugant, ſed potiùs quia ſugent, & replebuntur, ad lætitiam, & exultationem vocantur. Aut ergo *vt* continuat orationem, quod ſæpe facit in hanc ſententiam. Lætamini, & exultate, qui lugetis ſuper Ieruſalem, vt pote qui ſugetis, & replebimini. Vel certè illud *vt* rationem reddit cur gaudere, atque exultare debeant, quia ſcilicet ad ſatietatem vſque ſugent ex vberibus conſolationis. Et facit quod Heb. למען *lemahhan*, pro qua vulgatus reddidit *vt*, aliquando idem valet quod *propterea quod.* quæ vim efficientem aliquando deſignat, & non ſolùm finalem.

Deut. 3. *Deut. 3. verſ. 26. Iratúſque eſt mihi Dominus propter vos.* id eſt, Vos in cauſa fuiſtis vt mihi Dominus iraſcatur. Accedit quòd Heb vbi noſter habet *ſugatis, & repleamini*, futurum adhibet *ſugetis, & replebimini.* Iuxta hæc ſenſus erit *Exultate quia ſugetis*, &c. Quod ſi faueret aliquantulum vox Heb. למען, in particula *vt* aliquid ego eximium, & excellẽs agnoſcerem, quod illa particula deſignari ſolet; quæ cum admiratione quadã ſignificat *quomodo, quàtopere, quem in modum* Quomodo Cicero pro Milone dixit, *Vt me contempſit? vt pro nihilo habuit?* id eſt, quàm impudenter, & quàm ſuperbè. Et Virgilius *Vt vidi vt perij?* Sic nunc *Vt ſugetis?* id eſt, quàm abundanter, quàm iucundè. Quod minùs erit difficile, ſi, vt eſt in textu Heb. legas, *ſugetis & replebimini.*

34. Hæc mihi videbantur non difficilia, ſed quia particula *vt*, quam vulgatus reddidit, paulò durior eſt ad vtramlibet explicationem; & quæ ab aliis communiter affertur, non eſt admodum expedita, vide an dici poſſit cum S. Thoma, hæc non pertinere aut ad Iudæos ab exilio reduces, aut ad fideles, qui in ipſo ſtatim exordio Euangelij fidem amplexi ſunt, ſed ad alienos à religione, & fide. Nam Iudæi in patriam reſtituti iam lætabantur, & ſugebant vbera conſolationis. Et Eccleſiæ primogeniti filij plenis alebantur vberibus, & inter

A ignominias, & vulnera mirifico exultabant gaudio. Quare Deus iubet alios, qui illa carebant voluptate, atque vſu, quò eiſdem perfruantur delicijs, vt cum Ieruſalem exultante ipſi collætentur, qui etiam cum ægra, & lachrymante ipſi quoque collachrymati fuerant. Quo dicendi modo alieni ad Eccleſiæ ſinum inuitati videntur. Quo enim modo lætarentur Eccleſiæ bonis, ſi illorum animos occuparet aliena, & peregrina religio? Eodem autem pertinet, & lugere cum mœrente, & cum lætante exultare: quia vtrumque ab animo prouenit beneuolo. Fidelis enim animi eſt lugere, cùm Eccleſia mœret, & exultare cum Eccleſia triumphat. Quare in communi hac exultatione, & luctu communis quoque vitæ ſocietas, atque religio ſignificatur, ad quam vocantur illi, ad quos præſens hoc ſpectat vaticinium. Ad quod facit nonnihil quod ſtatim ſubdit. *Et delicijs affluatis ab omnimoda gloria eius.* Illud *eius* aliquid indicat alienum ab his, qui exultare iubentur. Quare cùm Eccleſia ſeu Ieruſalem nihil ſit aliud quàm ipſa fidelium congregatio, aliquid indicari videtur in *lætantibus* ab Eccleſia diuerſum, quod modò ex S. Thomæ ſententia probabile cenſebamus. Nihilominus propendet magis animus in priorem ſententiam quæ ad primogenitos Eccleſiæ filios, puta Apoſtolos, & eos qui Apoſtolicis vixere temporibus, vaticinium refert, & in particula *vt* cauſam

C agnoſcit cur gaudere debeant, aut mirificum aliquem exultandi modum. Porrò omnimoda gloria vocatur ea, qua fruentur in Eccleſiæ ſinu fideles animi. Quia Deus in illorum ſinum inſtillabit cœleſtem dulcedinem, & Gentium opes ad Eccleſiæ inſtructum, & ornamentum conuertet. Ita vt in Eccleſia, vel ad internam ſuauitatem, vel ad cultum externum nihil deſideres.

c c *Ecce ego declinabo ſuper eam quaſi fluuium pacis, & quaſi torrentem inundantem gloriam Gentium quam ſugetis.*] Hæc Aug. *lib.* 20 *cap.* 21. *de ciuitate Dei ad finem vſque capitis* ad extremum iudicij tempus, Beatorum gloriam, & damnatorum ſupplicium pertinere exiſtimat. Illum tu vide, qui locum 35. Eccleſiæ opes, & ornamenta.

D explicat eleganter, & grauiter. Explicat propheta quæ ſit illa omnimoda gloria, de qua nuper, quæ etiam Gentium opes continet, & humana commoda. Quomodo Gentium gloriam, atque delicias Deus ad Eccleſiæ vſum, & ornamenta tranſtulerit, dicit ſæpe propheta & de Ieruſalem typicè, & de Eccleſia verè, *cap. 60. Suges lac gentium, & mamilla Regum lactaberis.* Vide quæ ibi diximus. Seruat autem propheta metaphoram a qua ductus fuerat ſermo ſuperior parturientis, & puerperæ. Porrò in *fluuio* ſeu *torrente* abundantiam ſignificari maximam, iam ſæpe vidimus, & obſeruauimus apud hunc prophetam.

d d *Ad vbera portabimini, & ſuper genua blandientur vobis.*] Hic apertè de Gentium ſtudio 36.

E maternáque indulgentia in Eccleſiæ filios ſermo eſt, quos non aliter accipient Gentilium principes, quàm matres ſolent teneros infantes, quos molli fouent in ſinu, blandiuntur in gremio, & per vbera viſcera non ſolùm patienter ſed etiam alacriter immulgent. Eſt autem in ſcriptura frequens, vt cùm molle aliquid, & tenerum ſignificare vult, metaphoram ſumat à matribus, quarum in teneram prolem impenſior eſt, & mollior indulgentia. Quare ſicut hic Gentibus vbera tribuuntur, & lac; ſic etiam ſupra *cap* 46. Deo vterus, & vulua. Et ſponſo *Cant.* 1. vbera item dantur. Quemadmodum

dum, autem Perſarum Reges Iudæos in patriam officioſè, immò & delicioſè reſtituerint, quaſi in Regum humeris, & vlnis, diximus *cap* 40.*num.* 18. Quam verò pleniùs hæc eadem præſtiterit Eccleſiæ Deus, diximus ibidem *num.* 57.

ee *Videbitis, & gaudebit cor veſtrum.*] Quemadmodum verbum *video* aliquid eximium ſignificat; ſiue cùm aliquid lætum, ſiue cùm acerbum, & lugubre proponitur, diximus *cap.* 6.*n.* 18. inde pete.

37. ff *Oſſa veſtra quaſi herba germinabunt.*] Qui in exilio ſunt, pro mortuis cenſentur, quia à matre, id eſt, ab vrbe ſic auulſi videntur, ſicut ramus, qui à radice ſeu trunco reuulſus ſtatim areſcit, & moritur. Quare Iudæi qui in exilio agebant Babylonico, *in ſepulcris eſſe* dicuntur, & *oſſa* vocantur *arida Ezechi.* 37. Quæ exponens Deus ait ad prophetam. *Fili hominis, oſſa hæc* (nempe arida, ſiccáque vehementer) *vniuerſa domus Iſrael eſt. Ipſi dicunt Aruerunt oſſa noſtra, & periit ſpes noſtra, & abſciſſi ſumus. Propterea vaticinare, & dices ad eos. Hæc dicit Dominus Deus Ecce ego aperiam tumulos veſtros, & educam vos de ſepulcris veſtris, populus meus, & educam vos in terram Iſrael.* Vide quomodo exilium appelletur *ſepulcrum*, & exules *mortui*, & *oſſa iam arentia.* Cùm autem oſſa arida arido ligno, à quo nullus iam ſperatur fructus, ſimilia ſint: id quod virenti ligno proprium eſt, & argumentum vitæ, id arentibus oſſibus, ad vitam tamen reuocatis, per translationem attribuit. Atque ideo dicit, oſſa illa rediuiua, iterum flores, & fructus germinatura, habituráque rurſus nitorem illum, ac ſpeciem, quam iam omnino amiſiſſe videbantur. Quòd hæc contigerint Iudæis in Babylone captiuis, docet præſens Ezechielis teſtimonium: De Eccleſia docet Paulus, qui ſe ſuóſque, id eſt, primos Eccleſiæ filios, ſic ait fuiſſe ludibrio aliis, ita iactatos continenter, & duriè, vt hominum opinione pro mortuis iure cenſeri potuerint. *Ad Corinth.* 1. *cap* 4. *Eſurimus, & ſitimus, nudi ſumus, & colaphis cædimur, &c. blaſphemamur, & obſecramus: tanquam purgamenta huius mundi facti ſumus, omnium peripſema vſque adhuc.* Et 2. *Cor.* 6. *verſ.* 9. *Quaſi morientes, & ecce viuimus.* Sed quàm, & Iudæi in exilio penè mortui germinauerint: & Eccleſia quæ non longè à mortua videri poterat, effloruerit noua Gentilium, & illuſtri ſobole, paulò ante diximus, neque aliquid occurrit aliud, quod addi aut debeat, aut poſſit.

38. Illud vnum obſeruo, prouerbiali ſpecie dici *oſſa arida* aut ſimilia, cùm ſignificare volumus aliquem in ſtatu eſſe ærumnoſo, & lugubri, aut in mœrore & luctu. Sicut contrà *oſſa germinantia* aut *florida*; pro iucundo ſpiritu, & ſtatu felici. Iuxta illud *Prouerb.* 17. *verſ.* 22. *Animus gaudens ætatem floridam facit: ſpiritus triſtis exiccat oſſa.* Quare Dauid cùm in luctu eſſet, & afflicta fortuna, ait *Pſal.* 10. *Oſſa mea ſicut cremium aruerunt.* Et Iob *cap.* 30. *Oſſa mea aruerunt.* Vt ergo mœſtitia atque angor exurit, & exiccat oſſa, ſic lætitia irrigat, impinguat, & virere facit, vt modò dicebamus. Et idem dicitur de timore Dei, atque iuſtitia *Prouerb.* 3. *verſ.* 3. *Time Deum, & recede à malo: ſanctitas quippe erit vmbilico tuo, & irrigatio oſſium tuorum.*

39. gg *Et cognoſcetur manus Domini ſeruis eius.*] Verbum *cognoſco* fauorem plerumque ſignificat, & paternam curam. 1. *Paralip.* 17. *verſ.* 18. *Quid vltrà addere poteſt Dauid, cùm ita glorificaueris ſeruum tuum, & cognoueris eum.* Et *Amos* 3. *verſ.* 2. *Tantummodo vos cognoui ex omnibus cognationibus terræ, idcirco viſitabo ſuper vos omnes iniquitates veſtras. Oſea cap.* 13. *verſ.* 5. *Ego cognoui te in deſerto, & terra ſolitudinis*, id eſt, paui te. Chaldæus, *Ego tribui vobis neceſſaria in deſerto.* Iuxta hæc ſententia obſcura non eſt. Tunc ſerui Dei illi nempe, qui Dei tremebant verba, & quaſi arentia oſſa reputabantur, experientur Dei manum liberalem, mitem, & verè paternam.

Marginal notes: Exules habentur pro mortuis. — Ezech. 37. — Prouerbiũ. — Cognoſco, fauorem indicat.

hh *Et indignabitur inimicis ſuis.*] Huc vſque de 40.
ſanctorum felicitate, quorum Dominus cauſam ita ſuſcipiet, & curam, vt non ſit in filios matrum, aut ſedulitas maior, aut indulgentia mollior. Quæ parentheſi cenſentur eſſe concludenda: quia nunc contexi videtur filum, quod hactenus videbatur interciſum *a num.* 7. ſeu, vt veriſimile putamus, à *num.* 8. & ad illos redire vaticiniorum minas, contra quos priùs inſtitutum fuerat. Neque certum eſt, quinam ſint iſti inimici, ad quos deinceps ſpectant prophetiæ iſtæ, atque terrificæ minæ. Varij variè ſentiunt: ego puto generaliter ad omnes pertinere, qui & Dei populo priùs, & Eccleſiæ poſtea infenſi fuerunt; ſiue hi Chaldæi ſint, ſiue illuſores, qui non minùs noxij fuerunt patriæ ſuæ, quàm hoſtes Chaldæi; ſeu qui naſcentem Eccleſiam, aut iam etiam adultam hoſtilibus odiis, atque armis inſectati ſunt. Aut etiam quod Patrum plerique ſentiunt, omnes ſcelerati, quos Dominus in extremi iudicij tempore æternis alligabit tormentis. Neque enim, quæ dicuntur omnia in eo quod reliquum eſt capitis; alicui horum ſeorſum accommodari poſſunt. Quare ad omnes aliquid, & ad nullum omnia, vt ſuis conſtabit locis, referemus.

ii *Quia ecce Dominus in igne veniet, & quaſi* 41.
turbo quadrigæ eius, reddere in indignatione furorem ſuum, & increpationẽ ſuam in flãma ignis] Hæc communiter ad omnes hoſtes ſpectãt, in quos Dei grauis futura dicitur indignatio. Hæc verò explicatur, tum à celeritate, & impetu, quæ notantur in *turbine*, tum ab acerbitate, atque cruciatu, quæ deſignat *flamma.* Deſcribitur autem Deus tanquam bellator potens, & vindictæ appetens, qui quadrigis inuehitur, ex quibus in hoſtes igneos iaculatur globos, furoréмque totum præceps ipſe, atque inflammatus euomit. Neque tamen ideo gladij obliuiſcetur, vt igne, ferróque obuium quidque proſternat, & vaſtet. Hæc obſcura non ſunt, quæque ad quodlibet tempus, ſiue Iudaicum ſiue Euangelicum, ſiue ſæculorum omnium extremum non difficilè accommodes. Dixit hæc penè eadem in eodem propè argumento Dauid *Pſal.* 49. *Ignis in conſpectu eius exardeſcet, & in circuitu eius tempeſtas valida.*

kk *Et multiplicabũtur interfecti à Domino.*] Id eſt, multi erunt quos Dominus interficiet. Conſolatur puſillum, & exiguum gregem, qui horrebat copioſam & audacem hoſtium multitudinem, dum ſic multitudinem illam tantam effugere non poſſe vltrices illas faces, quas iaculatur Deus.

ll *Qui ſanctificabantur, & mundos ſe putabant in* 42.
hortis.] Hæc ad Iudæos pertinent, quorum ſuperſtitionem, & conſilia deſcribit; quos ſimul cum aliis diuini nominis hoſtibus cruciandos, & extingendos dicit. Alludit credo ad illa ſuperiora, quibus Iudæis externam tantùm ſanctitatem, atque munditiem ſtudio eſſe dixerat. Vt autem Gentes tunc ſe putabant eſſe mundas, & à labe puras; ſi ſe aquis purificarent viuis, id eſt, fluuialibus, ſiue fontanis: aut ſi huius copia non eſſet, quæcumque alia: ſic etiam Iudæi in hortis, & lucis, locíſque ſyluestribus, vbi Gentium ritu nefario idola colebantur, aqua à ſe eluebant, quicquid ſordium è ſcelere

Marginal note: Aquæ Gẽtes à peccatis ſe expiari putabant.

contraxerant; quaſi peccati labes in corpore exteriùs,& non potiùs interiùs in animo hæreret. Hinc credo orta eſt illa frequens ablutio manuum, quam quia minùs ſæpe adhibuerunt Apoſtoli, apud magiſtrum Chriſtum. violatæ antiquæ traditionis accuſati ſunt. Hinc hydriæ ad manum aquæ plenæ; quibus crebrò ſe ex more purificabant Iudæi. vt habes *Ioan.cap.*2. Ab his credo hoc ipſum accepere Mahometani, qui totum corpus ſæpe lauant, eóque luſtrationis genere mundos ſe eſſe putant. Sane illud diabolicum planè commentum fuiſſe Gentibus familiare;multa teſtantur. Vide Macrobium *lib.3.Saturn.cap.*1. & Tiraquellum *de nobilitate cap.* 31. *a num.* 588. vbi hæc multis confirmat teſtimoniis. Et primùm quòd ſe a periuriis,& cæde aquarum luſtratione purgarent; docet Tertullianus *lib.de Baptiſmo cap.*5. *Aquis*,inquit,*tinguntur,idque ſe in regenerationem, & impunitatem periuriorum ſuorum agere præſumunt. Item penes veteres quiſquis ſe homicidio infecerat,purgatrice aqua ſe expiabat.* Lactantius *lib.5.cap.*21. in eo errore fuiſſe dicit Gentiles vt aqua fluuiali omnes animi ſordes expiari crederent, puróſque ſe ad ſacrificandum accedere, ſi corpus aqua priùs abluerent. *Flagitiis omnibus inquinati veniunt ad precandum: & ſe piè ſacrificaſſe opinantur, ſi cutem lauerint: tanquam libidines intra pectus incluſas vlli amnes abluant, aut vlla maria purificent.* A profanis multa habes exempla. De cæde eſt illud Æneæ apud Virgil. *lib.2.Æneid.*

Tu genitor cape ſacra manu,patrioſque penates:
Me bello ex tanto digreſſum, & cæde recenti
Attrectare nefas,donec me flumine viuo
Abluero.

De Venere eſt illud Perſij *ſatyra* 2.

———*Tyberino in gurgite mergis*
Mane caput bis, terque, & noctē in flumine purgas.

Id eſt, ſordes ex nocturna Venere contractas. Quem errorem ſic etiam noſtro tẽpore perſuaſit diabolus vltramarinis regionibus ab Hiſpanis nuper apertis, vt in flumina quædam certa ſuas exonerent culpas, de quibus nihil tã ampliùs aut curent, aut cogitent.

43. mm *Poſt ianuam intrinſecus.*] Secedebant Iudæi,in hortos & condenſam ſyluam, vbi ſine arbitris atque cenſoribus tutò poſſent obire Gentilium ſacra, ſéque piaculorum luſtratione mundare. Quod etiam quia ſæpe in hortis, & lucis, aut commodè, aut ſine periculo facere non poterant; faciebant domi; non tamen palam in atrio; ſed in penitiori domo, in latebris,& ſeceſſu clauſis ianuis, ne vllus in nefaria illa ſacra importunus irrumperet.

44. Glires ad menſam adhibiti. nn *Qui comedebant carnem ſuillam, & abominationem, & murem.*] Hæc planè ad Iudæos ſpectant, neque enim aliis interdicta eſt ſuilla caro, & mures ſeu glires,& quæ communi Hebræorum vocabulo *abominationes* dicuntur; quæ per Synecdochen in *mure*, & *ſue* hoc loco comprehenſa ſunt. Ponuntur autem hîc certa,& definita crimina pro innumeris aliis, quibus illa ſtulta Iudæorum pars, ſe perditè implicuerat. Pro *mure* Hebr. eſt עכבר *hhacbar*, quam vocem etiam *glirem* ſignificare docet Hieronymus, Haymo, Hugo, & S. Thomas, à quo abſtinere iubentur Hebræi *Leuit.*11.*verſ.*29. Adhiberi autem ad menſam, immò in deliciis haberi tradit Plinius *lib.8.cap.*52. Vbi ait lege cenſoria glires ademptos eſſe Romanorum menſis, non aliter atque conchylia, aut ex alio orbe conuectas aues: immò pro glirium ſagina inſtituta fuiſſe viuaria, quæ Varro *gliraria* vocat, eorúmque formam, & fabricam præſcribit *lib.3 de re ruſt.cap.*15. Sanè Martialis inter Xenia, id eſt, hoſpitalia munera recenſet *lib.*13.*diſticho* 59. cuius titulus eſt *Glires.*

Tota mihi dormitur hyems, nec pinguior illo
Tempore ſum, quo me nil niſi ſomnus alit.

Quod etiã nũc in pretio,& in deliciis haberi docet Matthiolus *l.2.in Dioſcoridem c.*63. & Ioannes Bruyerinus *in libro de re cibaria*, vbi de gliribus multa.

Sed fortaſſe non tam hîc eſt de gliribus ſermo, quàm de his qui vulgi familiari ſermone vocantur *mures*, qui infeſti ſunt domibus,& omnibus odioſi; nam in eam ſignificationem adhibetur vox Hebraica עכבר *hhacbar*, vt 1. *Regum* 6. neque, vt eſt communis Patrum, interpretúmque ſententia, aurei mures, quos Philiſtæi remiſerunt cum arca, alij ſunt à muribus domeſticis; niſi fortaſſe dicas עכבר *hhacbar*, nomen eſſe commune, continerẽque ſub ſe *ſoricem*, & *glirem*, quod mihi improbabile non eſt. 45.

oo *Simul conſumentur.*] Nempe cum aliis diuini nominis hoſtibus, de quibus poſtea.

pp *Ego autem opera eorum, & cogitationes eorum.*] 46.
Hîc adhibenda diſpunctio,& vt obſeruauit optimè Foreirus, aliquid per apoſiopeſin ſubaudiendum. Vt *ego malè perdam*, aut *ſeuere mulctabo*, & ſimilia. Septuaginta ſuppleuerũt *noui*, vt legit Hieronymus, aut, vt alij volũt, *ſcio*. Chaldæus *manifeſta ſunt*, quaſi dicat, Ipſi in hortis,& intra ianuã Gentilico ſe ritu purificant, & carnibus veſcũtur ſuillis: & ego cuius oculos nihil latere poteſt, non ſolùm eorũ opera, ſed etiã cogitata peruideo. Quæ explicatio expeditũ reddit eorũ, quæ conſequũtur, ordinẽ, & curſum.

qq *Venio, vt congregem cum omnibus Gentibus, & linguis.*] Vbi actum eſt de mulctandis, reprobandíſque Iudæis, qui inani ſuperſtitione decepti diuinam legem contempſere, agit iam de Gentium conuerſione, quas pro Iudæis in populum ſibi,& in Eccleſiæ ſinum aduocauit. Hæc credo propria eſt huius loci ſententia, quam Foreirus tenet. Neque iuxta textum Hebraicum, aut verſionem L x x. quicquam eſt mihi dubium, qui ita vertunt. *Venio congregare omnes Gentes, & linguas, & venient, & videbunt gloriam meam.* Quomodo legunt Auguſt. *lib.* 20. *de ciuitate Dei c.*21. Cyprianus *lib. de teſtim. contra Iudæos, teſtimonio* 22. Et eodem penè modo vertunt Pagninus & Foreirus, Tigurina, & Chaldæus. 47.

48. Iuxta hæc nemini credo difficilis erit hæc expoſitio. Sed eſt aliquid nobis negotij à verſione vulgata, quæ minùs fauet huic ſiue tranſlationi ſiue ſententiæ. Neque enim tráſfert, *vt congregem omnes Gentes*, ſed, *vt congregem cum omnibus Gentibus.* Sed eſt quid reſpondeam pro explicatione, quæ mihi videtur, vt dixi, facilis, & prompta. Nam aut Deus ad illos loquitur, qui ipſius ſermones tremunt, & legem obſeruant, vt agere inſtituerat ſuprà *num.*5. *Audite verbum Domini, qui tremitis ad verbum eius.* Quod ſuadet non parum efficaciter, quòd ſtatim *verſ.* 20. cum his iiſdem videtur eſſe ſermo, cùm dicitur, *Adducent omnes fratres veſtros.* Vtique qui eodem vobiſcum ſtudio Deum ſequentur. Et tunc ſenſus erit. Omitto Iudæos illuſores,& hypocritas, qui ſuis ſceleribus fucum ſanctitatis obtendunt, cùm tamen in ſeceſſu, & latebris carnes ſuillas comedant,& quæ abominantur lex,& Religio: & venio, vt vos, ó viri, diuinæ legis cultores, congregem ad Eccleſiam, cum omnibus Gentibus, & linguis, quæ abiecto, & reprobato populo ſuccedent. Aut certè ſimpliciùs Deus venire dicitur cum Gentibus,& linguis ex omni terrarum plaga conuocatis, vt illas Iudæorum loco ſuffectas in Eccleſiam cooptet,& populum ſibi electum, & ſacerdotalẽ conſtituat.

ſtituat. Sic puto conſtabit ſenſus, quem aliter ego aſſequi non poſſum, neque cum conſequentibus componere:& verſio vulgata, quæ nullo modo deſerenda eſt, cum Hebraico textu, & cum L x x, tranſlatione conciliabitur. Cur verò Septuaginta, & alij verterint *Gentes, & linguas*, vulgata verò *cum Gentibus*, ea ratio eſt, quia את quæ eſt in Hebraico textu: accuſatiui nota eſt, & idem etiam valet quod præpoſitio *cū*: L x x. ergo in priori ſumpſerunt ſignificatione: in poſteriori Hieronymus.

49. ¹¹ *Et venient, & videbunt gloriam meam.*] Hoc loco, qui iſta de extremo iudicij tempore interpretantur, beatorúmque ſorte, in *gloria* æternam felicitatem, clarámque Dei viſioně intelligunt, vt Hieron. & Auguſt. ſuprà, & cum illis cōplures alij. Sed quominus hæc probè facit, quia ſtatim *num. ſequenti* ad illos dicuntur mittendi eſſe legati, qui Dei gloriam non viderunt. Vbi ſine dubio de Beatorum felicitate ſermo non eſt, vt conſtat, & tenent Hieronymus, Haymo, & communiter alij. Non eſt autem veriſimile in eadem penè clauſula, eodem certè ſermonis filo mutatam fuiſſe ſignificationem. Puto ergo *gloriam Dei* eſſe Eccleſiam, in qua Chriſtus præeſt, & regnat eo maximè tempore, de quo nuper, quando Regum mamilla lactabatur, & delicijs affluebat ab omnimoda gloria.

50. Serui Dei ſignati. ¹¹ *Et ponam in eis ſignum.*] Quodnam futurum ſit ſignum iſtud, ſiue ſymbolum, incertum eſt. Hieronymus ſignum redemptionis eſſe putat, nempe *Tau*, quod apud Ezechielem lugentium frontibus impreſſum eſt. Seu † crucis ſignum, quod cum S. Thoma putant alij. Sanè fidelium manibus inurenda eſſe ſtigmata quædam, quæ Deum eſſe illorum Dominum declararent, immò initio Eccleſiæ frontibus inuſtam eſſe crucem, diximus *cap. 44. num. 16.*

Hæc fortaſſe vera, ſed aliæ duæ explicationes occurrunt, quæ non omnino mihi diſplicent, quas tu expende, & de illis, vt videbitur, ſtatue.

51. Imperatoris nomen ſæpe ſibi Deus aſſumit, aut in aſſerendo populo captiuo ex Babylonica ſeruitute, aut liberando hominum genere ex diaboli tyrannide. Eſt autem Imperatoris proprium, excitare ſignum nempe bellicum, & vndecumque delectus habere militares. Audimus autem in hoc propheta ſæpe de Chriſto. *Eleuabit ſignum in nationibus: ponet ſignum in montibus*, &c. Quare cùm hic agendi dicantur maximi Gentilium conuentus, non incongruè dicitur *in eis* nempe Gentibus, ſeu *inter Gentes* eleuandum eſſe ſignum, ſeu vexillum, ad quod ſalutò recipiant illi, qui in optimi Imperatoris caſtris mereri volent. Qua dicendi figura ſignificat Deus nullum à ſuis caſtris atque ſtipendiis excluſum iri.

52. Poſſeſſionē ſuam ſibi conſignat Deus. Aliam accipe non credo minùs veriſimilem explicationem. *Signum ponere in aliquo*, eſt illud ſibi quaſi terminali lapide vendicare; ita vt qui notam illam viderit, facilè coniiciat, quis illius verbi gratia fundi ſit poſſeſſor, & dominus. Quod faciunt agricolæ, & paſtores, dum à vicinis agris agros ſuos, & paſcua ſua ab alienis terminali aliquo ſigno diſcriminant. Quomodo Deus templum ſuum poſuit in medio terræ, nempe promiſſionis, vt oſtenderet tractum illum, nempe Iſraeliticum, ad ſe pertinere. Sic poſt populum ab exilio reſtitutum, cùm toto exilij tempore alieni poſſeſſores viderentur in illum Domini fundū irrupiſſe, deiecíſſéque ſigna, quæ Deus ibi priùs conſtituerat; excitauit iterum ſigna; ſéque iterum in eam poſſeſſionem veniſſe teſtatus eſt. Et cùm Ægyptus Euangelio ſubiicienda dicitur, in ea excitāda dicuntur ſigna quaſi vindiciæ Euangelicæ poſſeſſionis, vt diximus *cap. 19. n. 27.* Vide quæ

A ſuprà *cap. 54. n. 40.* & quæ copioſiùs diximus *Zacharia cap. 9. n. 72.* Hæc videntur typicè referri poſſe ad Ieruſalem reſtitutam, vt putat S. Thomas, & Hugo, in cuius terminis Deus ſuprà excitauit quæ poſſeſſor alienus antè deiecerat. Sed multò hæc meliùs, & magis ex inſtituto vaticinij Eccleſiá reſpiciunt, in qua Chriſtus bonus agricola quaſi in ſuo fundo, & ſeminat larga, & liberali manu, & colligit prouētus felices: & tanquā bonus paſtor certa habet, & deſtinata paſcua, intra quæ cohibet nimis fortunatū gregē: neque extrà aberrare aut vagari vult. In his autē paſcuis ſigna ſunt, tēpla videlicet, & altaria, aut etiā alia magis occulta, quibus Chriſtus gregem familiari ſigno, & certo quodam charactere conſignat.

¹¹ *Et mittam ex eis, qui ſaluati fuerint ad Gētes in* 53.
B *mare, & in Africam.*] Per ſe Chriſtus priùs aggregauit Apoſtolos, & puſillū gregē, quē primùm amplexa eſt primogenita Eccleſia: qui ſaluati dicūtur à cōmuni fermè totius orbis ſiue inūdatione, ſiue incēdio. Hos verò poſtea in omnes terræ plagas diſſeminauit: quas hic per Synecdochē certarū prouinciarū nominibus comprehēdit. Quàm verò latè regiones, nō ſolùm vicinas, & ciuili quadā diſciplina excultas: ſed etiā remotas, & barbaras Apoſtoli primùm, deinde Apoſtolici doctores obierint, tradunt, & Apoſt. Acta, & Eccleſ. annales. Quæ tu cōſule. De his prouinciis, & de illorū nominibus latè hic Hier. quid ego addam nihil habeo; planè res eſt obſcura.

Ad eos qui nō audierunt de me.] Quæ verba omnino indicant diuerſū genus à Iuda: cùm à Iudæi ſæpe, & diu de Deo multa audierunt, & multifariam. 54.

¹¹ *Et non viderunt gloriam meam.*] Hæc, vt vides, non ſpectant Beatorum gloriam, quia non illam Iudæi viderant, à quibus hoc loco ſecernuntur Gentiles. Sed aut illa, quæ glorioſè egit Deus, dum liberaret populum ex Ægyptio iugo, & exactis antiquis habitatoribus in terram promiſſionis induceret, vel quæ in Solymitano templo quotidie in eius honorem, & cultum glorioſè fiebant.

¹¹ *Tendentes ſagittas.*] Hæc non nemo refert ad Apoſtolos, aut ad alios fideles Euangelij miniſtros, qui cùm in Chriſti cauſam, animorúmque ſalutem incumbunt, armati ingrediūtur, verbo namq; Dei; quod ſagittarū inſtar ex bene curuato arcu deſtinato vibrant in corda inimicorū Regis. Ad quod facit quòd eoſdem Zacharias *c. 9.* ſimiles vocet lapidibus excuſſis à funda, & ibidem arcui, ex quo Deus ſagittas eiaculatur. Vide quæ in eam ſententiā latè diximus ibidē *n. 81.* Sed placet magis quod Hieronymus putat, & cū eo cōplures alij, qui non tradūt Apoſtolis ſagittas, & arcū, ſed illis nationibus ad quas ſunt profecturi, quorū armis atque barbarie in omnē crudelitatē inimicis nō retardabuntur, quominus alacriter, & ſedulò in datas ſibi partes incumbant. 55.

¹¹ *Et adducet omnes fratres veſtros de cunctis Gentibus donum Domino.*] Hinc fit veriſimile ſermonem eſſe ad illos, qui verba tremunt Dei, de quibus ſuprà *verſ. 5.* Illorum enim iſti dicuntur fratres; quia licèt genere, imò toto mundo diuerſi, in eandem tamen ſocietatem, & fidem coaluerunt. Quomodo qui Iſraelis ſanctitatem imitantur, *Iſraelita* vocantur, & ex lapidibus excitari poſſe dicuntur Abrahæ filij. Gentes autem ad Dominum conuerſæ magnum vocantur donum oblatum Deo. Quæ ſanè ratio excitare debet, & accendere Apoſtolici viri animum, quandoquidem munus offerre Deo nullum poteſt gratius, quàm animam à Gentium erroribus, aut à peccatorum ſordibus ereptā. Qua de re multa, & grauiter Patres. Vide Gregor. *in Ezechiel. hom. 12.* cuius illa verba maximè notanda. 56. Magnum ſacrificium zelus animarum.

notanda. *Nullum omnipotenti Deo tale eſt ſacrificium, quale eſt Zelus animarum.* Vide etiam Chryſoſtomum *oratione 3. contra Iudæos*, vbi docet gratius Deo offerre munus, qui animam à peccato liberat, quam qui templum illi conſtruit, & dedicat Solymitano clarius, & illuſtrius. *Vnicum*, inquit, *templum diruit Deus Hieroſolymis, & innumerabilia erexit illo longe venerabiliora. Vos*, inquit, *templum eſtis Dei viuentis.* Et infrà. *Nam etiam ſi pecuniæ vim immenſam dinumerauerit aliquis, nihil ſimile præſtiterit ei, quod præſtat is, qui ſeruat animam.* Deinde. *Hæc eſt maior eleemoſyna, quam decem millia talentorum, quàm hic mundus vniuerſus, quantus quantus vndique patet oculis: ſi quidem homo eſt toto mundo pretioſior.*

57. z z *In equis, & in quadrigis, &c. ad montem ſanctum meum Ieruſalem.*] *Ieruſalem* typum eſſe Eccleſiæ iam ſæpe a nobis explicatum, & probatum eſt. Hoc porrò dicendi genere explicatur ſingularis illa cura, & indulgentia verè paterna, qua Deus fideles animas, vel ad Eccleſiam adducet, vel in ea conſeruabit, quibus ſuprà aut Regiam mamillam, & ab omnimoda gloria delicias promiſerat. Vt enim Hebræum populum in humeris, & ſinu per locum horroris, & vaſtæ ſolitudinis ad quietem inuexit, & abundantiam promiſſæ terræ, & iterum ex Babylonica ſeruitute, in Regum humeris in patrias ſedes, & antiquam gloriam reuocauit (quem reditum ſedatum, & mollem iiſdem penè verbis expreſſit ſuprà *capite 49. verſu 22. Ecce leuabo ad Gentes manum meam; & ad populos exaltabo ſignum meum, & afferent filios tuos in vlnis, & filias tuas ſuper humeros portabunt.* Quo loco, & toto etiam capite multa diximus in hanc ſententiam, quæ huc non incommodè transferri potuiſſent, ſed facile eſt locum illum adire.) Sic nunc adducendum eſſe Gentilicum populum molli, ac pacato curſu ad myſticam Ieruſalem, id eſt, ad Eccleſiam prædicit. Perinde atque illi qui licèt viam ingrediantur arduam, ſcopuloſam, & denſam, ſi tamen in carrucis, ac lecticis vehantur, difficultatem viæ, atque moleſtiam non ſentiunt. Eſt quidem Euangelij via difficilis, & arcta, qualis illa à Chriſto vocatur, quæ ducit ad vitam; habet paſſim obuiam, immò, & familiarem crucem, qua ſe Chriſti ſectatores armant, atque conſignant; Sed qui ad ſæculi curas, & blandimenta non diffluit, à quibus omnia ſunt aſpera, inacceſſa, & horribilia, in lectica vehitur, quæ ab omni viatum moleſtia, & difficultate liberat. Vt optimè norunt, qui ſæcularibus cogitationibus, & curis, carniſque fallacibus oblectamentis ſeriò, atque ex animo renunciarunt. Qua de re ſæpe, & copiosè Patres, quorum teſtimoniis referendis, ne te morer, abſtineo. Vide Bernardum *in ſermone Ecce nos reliquimus omnia*. Et *in Pſal. Qui habitat. in proœmio*. Et *ſermone 1. in dedicatione Eccleſiæ*. Caſſianum *collatione vltima cap. 25.* Et Hieronymum Plati, qui in eam ſententiam multa collegit *libro 3. de bono ſtatu religioſi, à capite præſertim 13.*

Via vitæ, & Euangelij quomodo mollis.

58. a a a *Quomodo ſi inferant filij Iſrael munus in vaſe mundo in domum Domini.*] Quàm munda eſſent omnia quæ inducebantur in templum, quæcumque illa eſſent, ſiue victimæ, ſiue libamenta, ſiue certè illi ſacerdotes, ac miniſtri, quorum offerebantur manu, ſeu miniſterio, probant tot phialæ argenteæ, atque aureæ, tot ſcyphi, & mortariola, pro ſacro quotidianóque miniſterio, tot labra, & balnea pro ſacerdotum, ac Leuitarum, aut etiam pro victimarum munditie. Sanè ſuprà *cap. 52.* remigraturis è Babylone edicitur, vt mundent ſe, ac purificent antequam ſacra templi vaſa contingant. *Polluta nolite tangere; mundamini qui fertis vaſa Domini.* Vt ergo munera illa ſolemnia, atque legitima, ſiue alia quæ extra hunc ordinem pro ſua pietate, atque arbitratu adducebant Iudæi, quibus præceptum erat *Exod. 23. verſ. 15. Non apparebis in conſpectu meo vacuus.* mundis offerebantur vaſculis, & ipſa, vt par erat, munda erant, atque in ſuo quæque genere pretioſa: Sic mundos, ſibique pretioſos, & gratos fore dicit Gentiles, quos Apoſtoli, Doctores, & fideles Euangelicæ prædicationis miniſtri ad Eccleſiam adducent. Quæ ratio ſtimulos adhibere debet ingentes iis qui proximorum ſtudent ſaluti, cùm ſacrificium offerant quotidie, quale Dominus & emit impenſo ſanguine, & æterna muneratione compenſat.

Quanta in ſacro miniſterio mundities.

b b b *Et aſſumam ex eis in Sacerdotes, & Leuitas.*] Olim dum templum ſtaret Salomonium Iudæorúmque religio, non admittebantur ad ſacra templi miniſteria, imò neque ad templi ſacram, & interiorem partem, qui non eſſent è genere Iudaico, & quod ad ordinem attinet ſacerdotalem, & Leuiticum, qui non eſſent à Leui propagati. Quomodo olim Gentes à Iudæorum ſacris, imò, & conuictu, atque congreſſu eſſent ſeparatæ, & deinde Euangelij tempore in idem cum his coaptati corpus, & eiuſdem gradus, atque ordinis participes, diximus pluribus *cap. 56. num. 4. ad num. 7.* Quibus nihil eſt quod addam. Porrò hîc ſubauditur ſimilitudinis nota, quaſi dicas. Vt olim, qui communione inter ſe Leuitici ſanguinis coniungebantur, ad ſacrum admittebantur miniſterium, ſic, quia in Eccleſia tam qui ex Iudaico, quàm qui ex Gentilico ſanguine prognati ſunt, Chriſti ſanguinem participant, & eo nomine videri poſſunt pluſquam fratres, ex Gentibus quoque ſacerdotes aſſumentur, & Leuitæ; ſicut olim in antiquis, & exoletis Iudæorum ſacris ſumebantur, ex genere Leui. 59.

c c c *Quia ſicut cœli noui, & terra noua, quæ ego facio ſtare coram me, dicit Dominus meus, ſic ſtabit ſemen veſtrum, & nomen veſtrum.*] Quomodo *nouum* dicatur, quod aliqua ratione renouatum eſt, aut in meliorem aliquam ſpeciem redactum, diximus *cap. 61. num. 18.* Quo ſenſu dicantur *cœli noui*, & *terra noua* diximus ad illud *cap. 65. Ecce ego creo cælos nouos, & terram nouam.* Vbi in *cœlo nouo*, id eſt ſereno, & puro, & ſyderibus illuſtri, atque conſpicuo, non obſcuro, & nubilo, fortunam lætam, & proſperam ſignificari diximus. Idem omnino eſt in *terra noua*, id eſt renouata vernali tempore, quæ hyemali glacie horrida, & mortua videbatur. Vt ergo cœli noui, id eſt ſereni grati ſunt, & terræ verna ſpecies iucundiſſima, ſic erunt ſacerdotes ex Gentibus aſſumpti in Eccleſia Dei; aut quod affine eſt, illi qui in Dei templum à viris Apoſtolicis adducentur, tanquam pretioſum donum in vaſe mundo. *Semen*, & *nomen* eorum ſunt, quibus cum loquebatur, quos ſuprà vocarat *trementes verbum Dei.* Semen verò dicuntur illorum Iudæorum, quia filij Abrahæ, non quidem ſecundùm carnem, ſed ſecundùm fidem, morúmque ſanctitatem. Dicuntur verò idem habere nomen, quia viri ſunt Iſraelitæ, quique à Paulo *ad Gal. 6. verſ. 16.* dicuntur *Iſrael Dei. Pax ſuper illos, & ſuper Iſrael Dei.* Hæc mihi ſententia oblata videtur à texto, non extorta. Neque tamen ideo non probo, 60.

Pulcra Eccleſiæ facies.

Eccleſiæ ſtabilitas. laudóque illorum cogitationem, qui hac dicendi forma putant ſacerdotium nouæ legis transferendum, aut mutandum non eſſe: ſicut mutatum eſt, & tranſitum antiquum Aaronicum. Nam ſicut cœli, & terra poſt multas ſæculorum myriadas noua ſemper ſunt, obeuntque ſuas perpetuò ſtatas, atque conſtantes vices. Sic etiam Euangelicæ œconomiæ ſacerdotium ſemper erit nouum, neque vllum vnquam aliud illi ſuccedet. Ita cum Hieronymo cenſent frequentes alij.

61. ddd *Et erit menſis ex menſe, & ſabbatum ex ſabbato.*] Alluſum eſſe puto ad tempus Babylonici exilij, vbi intermiſſa ſunt illa ſacra, ac ſolemnitates, quæ ſtatutis tẽporibus in Solymitano templo peragebantur: quæ tamen cum reſtituto populo, ipſa quoque inſtaurata ac reſtituta sũt. Sed hæc ſine dubio de Eccleſia ſunt, in qua ſolẽnitates, & ſacrificia magis erunt frequentia, ac ſancta quàm in antiquo templo. Porrò hîc puto notam ſubaudiri ſimilitudinis in hunc ſenſum. Sicut olim in templo ſingulis ſabbatis, ac menſibus Iudæi certis operabantur ſacris: ſic in Eccleſia quæ tam Iudæo, quàm Gentili patet, certa, atque ſolemnia ſuis temporibus inſtaurabuntur ſacrificia. In *menſibus* Neomenias intelligo, ſeu Calendas, nam ineunte menſe certa peragebantur ſacra, de quibus *Num. cap. 28.*

62. Hæc mihi non improbabilia ſunt, magis tamen propendeo in illorum ſententiam, qui differentiam ſtatuunt inter ſynagogæ olim, & nunc Eccleſiæ conſtituta ſacrificia. Nam in antiqua lege definitis temporibus ſacrificia quædam ſolemni ritu inſtituebantur; Vt in Azymis, Pentecoſte, Neomenijs, & ſabbatis. At in Eccleſia quotidie offertur ſacrificium illud auguſtum, & viuum, quod antiquæ adumbrabant victimæ. Ait ergo Dominus, In Eccleſia non expectabitur menſis initium, aut ſabbatum, vt offeratur munus, ſed ſinguli dies Neomeniæ erunt, & ſabbata, quæ non interiecto tempore certis ſpatijs, ſed perpetuo, ac continenti tractu ſibi ſuccedant. Porrò illud *menſis ex menſe, & ſabbatum ex ſabbato*, nihil aliud eſſe puto, quàm perpetuam quandam, ſibíque cohærentem Neomeniarum, ſabbatorúmque ſucceſſionem; ita vt ex menſe, id eſt, Neomenia, ſtatim alia ſuccedat Neomenia; Et ex ſabbato aliud ſabbatum: neque tempus ſit vllum importunum ſacrificio.

63. eee *Veniet omnis caro, vt adoret coram facie mea.*] Dixerat omnibus diebus offerendam eſſe victimam in Eccleſia; nunc addit id ab omnibus eſſe præſtandum. Quod non admittebat Iudæorum antiqua religio; neque enim ab omnibus, neque omnibus diebus omnia peragebãtur ſacra. Secus erit in Eccleſia, in qua omnes adorabunt, & in omni tẽpore, prout cuiuſque natura tulerit, & modus. *Omnis caro* ab alijs ſæpe, & ab hoc propheta non ſemel per Synecdochen pro omni homine ſumitur. Vt, *Videbit omnis caro ſalutare Dei.* Sunt enim communia vocabula accõmodatè ad rerum, ſermoniſque naturam, & ordinem particulariter interdum exponenda, vt non ſemel à nobis dictum eſt.

64. fff *Et egredientur, & videbunt cadauera virorum, qui præuaricati ſunt in me.*] Felix ille cœtus, quem ſibi ex Gentili, ſiue ex Iudaico populo Deus in Eccleſiam congregauit; egredietur, nempe cogitatione, ex Eccleſia, id eſt, ex ſtatione tuta; & extra videbit, quanta quotidie, & quàm funeſta cædes graſſetur in alienis, id eſt in eis, qui extra Eccleſiam expoſiti ſunt, & dæmonis ludibrio, & fraudibus; & Domini gladio. Quemadmodum, qui cùm

A in domo ſint tuti ab iniuria, & armis, quibus alij ſe extra domum mutuò conficiunt, caput extra per feneſtram exerunt, vt quid foris fiat, ſecuri proſpectent. Hæc puto vera, & magis ad aliorum mentem; ſed non puto conſectaret, aut diceret abs re; qui hæc ad illos pertinere exiſtimaret, de quibus in principio capitis, qui externa ſanctitate contenti in receſſu, & latebris carnibus veſcebantur ſuillis, & in cibum, & menſas murem, & abominationem omnem adhibebant. Hi enim ſibi ſalutem pollicebantur, & pacem, quibus tamen Deus ignominiam minabatur, & cædẽ. Ait ergo egreſſuros viros Dei verbum trementes, viſuróſque ſtrata illorum cadauera, qui ſe à cæde, & ſanguine tutos fore cenſe-
B bant. Cui expoſitioni fauet, quòd cadauera illorum eſſe dicuntur, qui à Deo præuaricati ſunt, id eſt, qui cùm legem veram, & religionem profiterentur, ad Deorum tamen impietatem, & impurum cultum defluxerunt. Sed in priorem ſententiam magis inclino.

ggg *Vermis eorum non morietur.*] Non vulgatem, aut temporariam mortem fore ſignificat, ſed æternam, idque certa nota, & argumento declarat. Nam cadauera, quæ vulgari, & communi cæde corruerunt, ſoluuntur citò, & liqueſcunt in ſaniem, & vermes, qui ex illis generantur, & ex ipſis paſcuntur, vbi materia atque alimentum deſinit, ipſi quoque pereunt, & deficiunt. Quare qui perituros eſſe dixerit vermes, qui cadauer corrodunt, idem
C etiam cadauer periturum affirmauerit. Dum ergo propheta in æternum duraturos eſſe aſſerit vermes, in æternum corrodendum, atque excruciandum cadauer eſſe dicit. Agit igitur hîc de æterno reproborum ſupplicio, quorum non ſolùm animæ, ſed etiã corpora ſempiternis ſunt deuota ſupplicijs. Ad hũc credo locum reſpexit Iudith *cap. 16.* Quæ cùm egiſſet de Aſſyriorum cæde, qui duce Holoferne in Iſraeliticos fines irruperant, eorúmque mortem non temporariam ſolùm, ſed æternam fore ſignificaret, dixit. *Dabit Dominus ignes, & vermes in carnes eorum, vt vrantur, & ſentiant vſque in ſempiternum.* Et *Eccleſ. cap. 7. verſ. 19. Vindicta carnis impij ignis, & vermis.* Neque verò vllo modo dubitare licet, his verbis explicari gehennale ſupplicium, quando id
D expreſsè Chriſtus docuit *Marci cap. 9. verſ. 43. Bonum eſt tibi claudum introire in vitam æternam, quàm duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem, vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* — 65. *Æternum inferni ſupplicium.*

Quærit Serarius *in cap. 16. Iudith q. 2.* an ſicut ignis quo cruciantur reproborum animæ, propriè dicitur, & non metaphoricè, vt eſt cõmunis Theologorum ſententia, ſic etiam vermis propriè in inferno futurus ſit, qui corrodat, & torqueat eorum corpora: Qui partem affirmantem admittit pareóſque aduocat ſuæ ſententiæ Anſelmum in Elucidario, & Guilhelmum Pariſienſem, & ex Maldonato Chryſoſtomum, & Theophylactum: ſanè
E non improbat Haymo *in hunc locum.* Indicat Cyrillus Alexandrinus *in oratione de exitu animæ*, vbi fœdum, & olentem vermem appellat, quæ aliquid proprium notant, quod non cadit in conſcientiæ morſum. Docet non obſcurè Baſilius *in pſalmũ 33.* vbi cùm ageret de damnatorum pœnis, ait. *Deinde vermium genus venenũ immittens, ac carnem vorans inexplebiliter edens, neque vnquã ſaturitatem ſentiens, intolerabiles dolores corroſione ipſa infigens.* Et apertè Innocentius III. *l. de contẽptu mundi. Vindicta carnis impij vermis, & ignis: vterque duplex, interior, & exterior.* — 66. *Vermis propriè in inferno.*

terior: Interior qui rodit, & vrit cor; Exterior, qui rodit, & vrit corpus; Dabit Dominus ignē, & vermes in carnes eorum, vt vrantur, & ſentiant vſque in ſempiternū. Ego in hac controuerſia nil deſinio, quia rationes quas adducit Serarius, non infirmæ videntur; & ſtat contrà omnium penè interpretum, & ſcholaſticorum auctoritas. Sed, vt communem ſententiam amplector ſic etiam poſteriorem non improbo.

67. Conſcientiæ vermis quid & quam crudelis eius morſus.

Communiter interpretes in *vermibus* conſciētiæ angorē, ſeu morſum intelligunt; qui, vt bene Chryſoſtomus ad Theodorum lapſum, non minùs exagitat, & cruciat damnatorū animas, quàm quodlibet aliud gehennale flagellū. Eſt autem metaphora valde ad internum illum angorem exprimendum accommodata, vt bene hîc Hieron. qui in eam ſententiam adducit illud *Prou. 25. v. 20.* ſub ubelo, *Sicut tinea veſtimento, & vermis ligno, ita triſtitia viri nocet cordi.* Certè ſeuera aliqua, & triſti cogitatione, ſeu acerba peccatorum memoria homines cruciari, ipſi quoque non admodū diſſimili metaphora expreſſerunt in ſuis fabulis profani, dum Prometheum alligarunt Caucaſo, impoſuerúntque aquilā, quæ viſcera aſſiduo carperet morſu; & Tityum, cuius exta vultur ita laceraret; vt renaſcente quotidie iecore æternum haberet pabulum. Innocentius ſuprà *l. 3. c. 1.* triplicem conſtituit vermem, aut triplicem torquendi formam. *Vermis*, inquit, *conſcientiæ tripliciter lacerabit, affliget memoria, ſera turbabit pœnitentia, torquebit anguſtia. Venient enim in cogitatione peccatorū ſuorum timidi, & traducent illos ex aduerſo iniquitates eorum dicentes. Quid profuit nobis ſuperbia? Et iactantia diuitiarum quid contulit nobis? Tranſierunt illa omnia tanquam vmbra, & ſicut nauis, quæ pertranſit fluctuātem aquam, cuius, cùm præterierit non eſt inuenire veſtigium. Sic & nos nati continuo deſiuimus eſſe. Virtutis quidem ſignum nullum valemus oſtendere; ſed in malignitate noſtra conſumpti ſumus. Cum ingēti turbatione recogitabunt, quæ cum nimia delectatione geſſerūt; vt ſtimulo memoria pungat ad pœnam, quos aculeus nequitiæ ſtimulauit ad culpam.*

68. Graue eſt cō ſolatorem in dolore non habere, grauiſſimū tunc ab aliis ſubſannari.

hhh *Et erunt vſque ad ſatietatem viſionis omni carni.*] Extremus dolor, & omnium miſerrima conditio exiſtimatur, cùm quis ita ſit miſer, vt tamen nulli ſit miſerabilis, ita crucietur, & doleat, vt ad miſerationem, & dolorem neminem commoueat; imò potiùs dum ipſe torquetur, & plorat, alij ipſius dolorem ridendo, aut ſubſannando augeant. Quam miſeriam Ouidius in ſuo Archilochio carmine in Ibin, prudens extremo loco poſuit.

Siſque miſer ſemper, nec ſis miſerabilis vlli;
Gaudeat aduerſis fœmina, virque tuis.
Accedat lachrymis odium, dignúſque puteris,
Vt mala cum tuleris plurima, plura feras.

Et in ſacris plura ſunt teſtimonia eorum, qui ideo dolebant, querebantúrque grauiter, quod neminem ipſorum dolor, aut miſeratio tangeret; immò alij in ſuis lachrymis, & gemitu triumpharent. Iob *capite* 30. queritur quòd in ſuum dolorem inſultent alij. Idem de ſua Ieruſalem lamentatur Ieremias *Thren. 1. Depoſita eſt vehementer non habens conſolatorem.* Idem Dauid de ſe *Pſal. 34.* cùm dixiſſet *Congregata ſunt ſuper me flagella,* addidit. *Subſannauerunt me ſubſannatione.* Et de Chriſto *Pſal. 68. Suſtinui qui ſimul contriſtaretur, & non fuit; & qui cōſolaretur, & non inueni.* Neque poſtremo loco ponendum eſt, quòd poſt corpus flagellorum inflictu contuſum, & lacerum, Chriſtus illudebatur à ſtolida, & petulante turba: & dum confixus clauis penderet è ligno, moueri contra ſe irriſorum capita videbat, iactarique contumelioſè à prætereunte viatore *Vah qui deſtruis templum.*

69. Nemo vnquā damnatorum miſerebitur.

Hæc quæ vel ad exiguum tempus perferre moleſtum eſt, in æternum ſuſtinebunt, quos ſuorum ſcelerum impuritas æternis alligabit ſuppliciis. Neque enim vnquam conſolatorem habebunt vllum, qui ipſorum leuet faſtidia longa; atque immenſum acerbitatis pondus. Immò nullus erit naturæ intelligentis ordo, qui in illorum clamores, & lachrymas non inſultet. Inſultabunt ipſi inter ſe damnati, qui vt proximi ſunt & loco, & ſuppliciorum ordine, ita à ſe ipſis maximè ſtudiis, & animo diſſidebunt. Inſultabunt dæmones, &, vt capere illorum ſtatus, atque conditio poteſt, exultabunt, ſicut exultant victores capta præda. Inſultabunt ſancti, quos neque vllus iam dolor poteſt afficere, neque cauſa deerit cur in illorum cruciatibus exultare debeant, de quibus *Pſal. 51. Videbunt iuſti, & timebunt, & ſuper eum ridebunt, & dicent. Ecce homo, qui non poſuit Deum adiutorem ſuum.* Et *Pſal. 57. Lætabitur iuſtus cùm viderit vindictam; manus ſuas lauabit in ſanguine peccatorum.* Quid plura? ridebit, ſubſannabitque Deus ipſe, qui toties illos, támque benignè, ac ſedulò ad ſalutem vocauerat. *Prouerb. 1. Quia vocaui, & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret: deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cùm vobis id, quod timebatis, aduenerit.*

70. *Satietas, & ſaturitas* pro abundantia.

Porrò hîc obſeruanda duo. Alterum, verbum *video* aliquid indicare in ſuo ordine, atque genere magnum, vt pluribus oſtendimus *capite* 60. *numero* 18. *&* 53. *numero* 64. Alterum, *ſatietatem, ſaturitatem*, & ſimilia ſignificare abundantiam. Quare, vt opinor, *ſatietas viſionis*, idem eſt quod, *videbit, & ſaturabitur videndo*, nempe cum voluptate, damnatorum pœnas. Quia quandiu volent videbunt, quia pœnarum nullus erit finis: & quantùm volent, quia, & varietas maxima, & incredibilis erit tormentorum acerbitas. Coniunxit hæc duo propheta *capite* 52. cùm ageret de Chriſto. *Pro eo quod laborauit anima eius, videbit, & ſaturabitur*; id eſt, cum voluptate deſiderium ſuum explebit. Huic ſententiæ valde concinit Chaldaica tranſlatio. *Et erunt impij iudicati in gehennam, donec dicant ſuper eos iuſti, ſatis vidimus.*

iii Alij *ſatietatem viſionis* ſic interpretantur; tam fœda, tam putrida, ac tabida futura eſſe damnatorum cadauera, aut ſordida atque turpia illorum ſupplicia; vt omnibus nauſeam moueant; neque vllus ſit, qui illa ſpectare poſſit ſine faſtidio. Cui expoſitioni fauet tranſlatio Tigurina, quæ ita legit, *& erunt faſtidio omni carni.* Sed placet explicatio ſuperior, cui nihil officit nomen *faſtidium*. nam qui damnatorum ſupplicia viderint, adeò non commouentur illorum lachrymis, vt potiùs illos cum faſtidio, ac ſibilo repellant. 71.

Ad extremum addo hæc videri à Deo ad iuſtorum conſolationem eſſe propoſita, de quorum gloria atque felicitate paulò antè plurima. Nam cùm hi ab alienis, id eſt, ab his qui extra Eccleſiam ſunt, aut ab his, qui in Eccleſia ita viuunt intemperanter, ac liberè, vt mites, Deique trementes verbum deglubant, & lacerent, multa patiantur; à quibus trucidantur, vruntur, & eorum cadauera ignominioſè proiecta & tabeſcunt in ſaniem, & vermes generant, paſcúntque: ſolatur illos, dum ait, & irrogatæ iniuriæ, & illatæ cædis 72.

illos

illos pœnas daturos eſſe grauiſſimas. Non enim illorum mors vnius erit horæ, ſiue diei, qualis martyrum fuit; ſed æterna; non ignis ad momentum vret, conſumétque mortale corpus, ſed eiuſmodi erit, vt nunquam extinguatur, & in corpus iam immortale in ſempiternum ſæuiat; non vermibus ſcatebit cadauer ex quo gignuntur ad ſpatium breue (vt martyribus accidit, quorum corpora iam diu paſcunt vermes, quàm diu carnis materia ſuppetit, quæ citò conſumitur) ſed eorum acutos ſentient, & æternos morſus. Conſolabitur quidem iuſtos inter dolorum quantumuis horribilem excarnificinam, & Deus præſens, & duri certaminis propoſita corona; at miſeri quid poſt dura illa, & longa cruciamenta ſpectent, nihil habent, & pro amico, & benigno conſolatore habebunt miſeri, ſed non iam ampliùs vlli miſerabiles, qui ipſorum gemitibus oblectentur, & lachrymis inſultent.

Hîc propheta magnus finem facit illuſtriſſimi, & nunquam ſatis aut laudati, aut explorati vaticinij. Hîc ego quoque finem facio, poſtquam in eo elucidando annos ferme quinque conſumpſi.

A Quid longo ac penè continenti ſtudio conſecutus fuerim, iudicabunt alij. Illud quàm veriſſimè affirmare audeo, nihil à me prætermiſſum, quod ad obſcura maximè loca illuſtranda, aut neceſſarium, aut opportunum fore exiſtimarem. Quidquid verò eſt, quod hoc infelici fortaſſe, pio tamen conatu conſecutus ſum, quod ſanè pertenue, atque exiguum eſt; id ad diuinam gloriam, quam vnam in ſcribendo ſemper ſpectaui, totum ex animo, atque omnino refero. Si quid verò à me in longo hoc opere, quod nolim, peccatum eſt, ſi quid ſcriptum, quod vel leuiter ab Eccleſiæ ſenſu, cui ego me totum, & ſcripta, dicta, cogitatáque ſubmitto, receſſerit; id pro non ſcri-
B pto, dicto, cogitatóque haberi volo. Errare enim humanæ infirmitatis eſt, at erroris eſſe tenacem peruerſi eſt, & inſipientis, ne dicam impudentis ingenij. Quod ego vt in aliis indignor, & auerſor; ſic etiam in me ipſo deteſtor, & horreo. Quare non ſolùm Eccleſiæ, quod neceſſe eſt, ſed etiam doctorum hominum cenſuræ, quidquid à me ſcriptum, ſeu dictum eſt, etiam atque etiam ſubiectum eſſe volo.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

Google

INDEX RERVM, ET VERBORVM, QVÆ IN HIS COMMENTARIIS CONTINENTVR.

Prior numerus caput: poſterior numerum, qui eſt ad marginem; P. Proœmium operis indicat.

A.

A, Aliquando negat. 10.45.
Ab, idem quod propter. 1.67.
Ab anima vſque ad carnem. 10.15.
A ſummitate cœli. 13.11.
Abraham Hebræorum pater. 43.50.
Abrahā exiſtimatur idola aliquando coluiſſe. 43.51.
Abraham cur dictus petra. 51.2.
Cur dictus pater credentium. 51.8.
Vocatus prius Ram. 15.2.
Singularis Dei prouidentia cum illo. 41.5.
Vocatus eſt iuſtus. 41.5.
Reges vicit. 41.7.
Non fuit Rex. 41.7.
Abſconditus idem quod longè poſitus. 65.34.
Achaz impius. P.5.
Achaz, de eius funere Hebræorum fabula. 38.24.
Actus ſecundus pro primo. 53.12.
Adhuc, tam rem futuram, quàm præteritam ſignificat. 7.19.
Ædifico de filiis, & familia. 51.4.
Ægyptus quos coluerit Deos. 2.27.
Ægyptus expugnata à Nabuchodonoſor. 13.19.
Eius natura, & mores. 7.60.
A Nili expectatione deluſa. 19.9.
Lacunæ ibi, & viuaria piſcium. 19.13.
Ventura dicitur ad Eccleſiam. 19.21.
Poſt Tyrum vaſtata. 23.19.
Ætatis proprietas pro annorum numero. 7.57.
Æthiopia duplex. 37.10.
Iudæis infenſa. 18.29.
Plicatiles eius naues. 18.31.
Æternum, non ſemper, quod fine caret, ſed interdū longum tēpus ſignificat. 23.29. & 24.10. & 32.32.
Afflictio pro ieiunio. 1.43.
Ala pro auxilio. 18.4.
Ala pro exercitu. 8.22.
Allegoria nititur hiſtoria. 13.24.
Alma, virginem ſignificat. 7.24.
Alma aliquid ſignificat ſupra Bethulah. 7.26.
Altare è terra fieri iuſſum. 65.6.
Altare menſa vocatur. 65.22.
Alter ad alterum, quid. 34.26.
Ambroſius quid ſenſerit de Iſaia. P.13.
Amen, quid ſignificet. 25.2.
Amen, non eſt nomen Dei. 25.6.
Ammon cur ita vocatus. 15.1.
Ammon dictus Benammi. ibid.
Amor proximi. 58.45.
Amos Iſaiæ Pater quis. P.4.
Amphibulia in Scripturis vſitata. 14.29.
Ancillarum grauis, & vſitata ignominia à nuditate. 3.28.
Ancillarum ignominia à caluitio. 3.27. ibid. 55.
Angelus pro legato. 18.16.
Angulus pro principe. 19.17. & 30.56.
Annulus, in eo & armillis cælabantur eorum ſigna, qui in amore, aut qui in honore ſunt. 44.17. & 49.62.
Anima pro eo ſumitur, cuius eſt anima. 42.4.
Animus cadit iis, contra quos Deus pugnat. 13.14.
Antecedens loco relatiui. 5.5.
Antecedens omittitur cum epitaſi. 3.56. 21.16.
Apertum dicitur, quod impedimentum non affert. 45.31.
Apoſtoli quid boni attulerint. 1.29.
Suis manibus laborabant. 32.12.
Quando cum gentibus agere potuerunt. 49.19.
Quo loco habiti in principio Eccleſiæ. 49.38.
Apoſtolici viri qualis ſermo. 11.7. & 52.29. & 24.50.
Qualis eius zelus. 24.34.
Quid in auditore generare debeat. 26.54.
Eius ſymbolum gladius, & ſagitta. 49.14. & ibid. 15.
Quid illum maximè conſolari debeat cùm exiguus eſt fructus ex magno labore. 49.21.
Eſt Eccleſiæ pronubus. 49.91.
Qualis eius vox & ſermo. 58.11. & 60.41.
Interdum, etiam ſi maximè cupiat, à docendo recedere non permittitur. 30.48.
Appropinquo, verbum eſt iudiciale. 58.17.
Aqua pedum, & aqua capitis quid. 36.7.
Aquæ alicubi non communes. 37.17.
De aqua quomodo à Deo prouiſū in deſerto. 41.35.
Aqua pro maximo periculo ſumitur. 43.4.
Aqua ſe gentes à peccatis purgabant. 66.42.
Aqua bis educta in deſerto. 51.6.
Aquila quomodo renouetur. 40.90.
Arabia quid ſignificet. 21.65.
Aranearum telæ. 51.20.
Ariel quid. 29.1.
Armorum ſplendor ſtudiosè quæſitus. 21.19.
Aſpicere, aut ſcire, idem quod probare, aut fauere. 58.20.

Aſpidum

Aſpidum oua. 59.14.
Aſſyrius, eius natura & mores. 7.60.
Ignem ante ſe præfert. 14.17.& 33.26.
In Iſraeliticos fines ſæpe irrupit. 32.26.
Auaritia, quid. 23.17.
Cor aufert. 46.26.
Auguſtinum deterruit obſcuritas Iſaiæ. P.13.
Auguſtini de Scripturæ elegantia. P.13.
Aures quas aperit Deus. 48.21.
Aures quas aperit diabolus. ibid.
Azymorum vltimus dies collecta, & cœtus dicitur, 1.43.

B

Babylon mons caliginoſus. 13.2.
Babylonis rex cur vocatus Lucifer. 24.17.
Babylonis reges adorari ſoliti, tamquam dij. 14.26.
Eius horti penſiles. 13.4.
Quomodo, & quando vaſtata. 13.24.
A variis euerſa. 13.25.
Eius ſtrages, & vaſtitas typus iudicij extremi. 13.16.
Eius nauigatio. 43.22.
A quo condita. 47.5.
Baculus epithetum panis & cibi. 3.3.
Baculus arundineus. 36.4.
Balthaſar, prædicitur eius ruina. 14.12.
Comparatur Lucifero. ibid.
Inſepultus iacuit, & ignobilis. 14.8.
Baptizatis dabatur olim, mel, & lac. 7.51.
Baptizatis in Oriente dabatur lac, & vinum. 55.12.
In Baptiſmo abluebatur à Iudæis naturalis fœtor, 3.5.
Barba, eius contrectatio ignominioſa. 50.42.
Barbam vellere quid. 54.44.
In luctu deponitur. 50.34.
Magno in pretio habita. 50.42.
Beatorum gaudium purum. 25.33.
Eorum æterna gloria. 26.2.
Eorum para gloriæ non trahi opinionibus variis. 26.6.
Bel ſeu Belus quis. 46.1.
Bellum ſacrum ſeu ſanctificatum. 13.5.
Benammi nomen Ammon. 15.1.
Beniamin in eamdem tribum cum Iuda computatur. 48.2.
Benignitas Dei. 7.45.
Beneficium diuinum, eius non deponenda memoria. 1.41.& 5.34.& 38.26.
Beneficia diuina in æternum conſignata in teſtimonium obſtinati peccatoris. 30.14.
Homo ſe totum diuinis beneficiis debet. 42.61.
Beneficiorum Dei monumenta publica. 48.25.
Dei beneficia inſtar fontis. 55.6.
Beneficia noſtra ſunt aliorum mala. 25.1.
Beneficia libertatem eripiunt. 42.60.
Beta ſemicocta, prouerbium. 51.56.
Bonum pro malo reddendum. 42.16.
Bonum verbum quid. 39.5.
Brachium idem quod ala. 49.8.
Brachium idem, quod ramus, & frater. 9.39.
Buxus apta ſcribendo. 30.16.

C

Cæcus quaſi vinctus, & claudus. 61.20.& 35.10.
Calamus quid. 43.36.
Calamus quaſſatus, prouerbium. 41.20.
Calia pro graui dolore. 51.56.
Caluitium, ſeruile ſignum. 3.27.
Caluitium in luctu. 3.55.

Caluitium præſertim in fronte. 3.51.
Cantus prouocat ad libidinem. 23.18.
Cantu euulgantur merces. 23.4.
Cantus ad menſam adhibetur. 24.17.
Canticum in triumpho beatorum. 27.11.
Caput alicuius pro aliquo. 35.19.
Caput mouere eſt ſubſannare. 37.11.
Caput, & cauda. 9.32.& 19.19.
Captiuitas Babylonica, non omnes ex ea redierunt, ſed quorum Dominus tetigit cor. 48.55.
In captiuitate fuerunt Prophetæ. 51.52.
Carmelus pro loco vbere. 16.27.
Carnes deuorare. 49.80.
Caro quid. 58.44.
Cataractes quid. 24.39.
Catena pro catenatis. 42.65.
Cauda cur dicantur falſi prophetæ. 9.33.
Cedar quid. 60.30.
Columba quid. 16.28.
Cethim quid. 2.32.
Chaldæi quàm fortes. 5.58.
Chaldæorum caſtra ignis antecedit. 14.17.& 33.26.
Chaldæi inſepulti, quando capta Babylon. 30.79.
Chaldæorum vires infirmæ. 40.40.
Chaldæi aſtrologiæ, atque diuinationi dediti. 47.22.
Chananæorum pauor ad ingreſſum filiorum Iſrael. 17.8.
Chirographum peccatoris. 43.42.

Chriſtus.

Chriſtus vt naſceretur non periit funditus regnum Iudæorum. 1.28.
Hymnum cecinit cum Apoſtolis. 5.26.
Eius myſteria abſcondita. 6.15.
Chriſti laus. 6.17.
Chriſti victoria ſine tumultu. 9.18.
Chriſti exemplum quid poſſit. 9.19.& 11.13.& 64.6.
Chriſti regnum, & gubernatio. 11.4.22.44.
Chriſti ſermo verus, & acer. 11.6.
Chriſti iuſtitia, & fidelitas. 11.8.
Chriſtus imperator, & dux. 11.17.
Chriſti ſepultura. 11.18.
Chriſti gloria poſt mortem. ibid.& 40.52.
Chriſto crux glorioſa. 11.19.
Chriſtus in cruce calcauit hominum ſuperbiam. a 5.38.
Chriſtus quomodo triſtis. 42.18.
Chriſti fortitudo, atque conſtantia. 42.26.63.1.
Chriſtus teſtis fidelis. 43.15.
Chriſti redemptio. 43.38.
Chriſti quanta vis, & poteſtas. 49.11.
Chriſtus ſagitta electa. 49.12.
Chriſti labor quo ſenſu vacuus. 49.19.
Chriſtus quid ſpectarit in laborando. 49.20.
Chriſti pactum cum Patre. 49.22.
An agere potuerit cum Gentibus. 49.29.
Chriſti gloria eſt hominum ſalus. 49.33.
Chriſtus quo loco habitus in primordiis Eccleſiæ. 49.38.
Chriſtus quantùm amat homines. 49.45.
Chriſtus orauit pro ſe. 49.44.
Chriſtus orauit pro aliis. 49.45.
In Chriſti vulneribus magnum perfugium. 49.87.
Chriſtus liberat à ſeruitute dæmonis & vitiorum. 49.103.
Chriſti cum Moyſe comparatio. 50.20.
Chriſtus in inſtanti incarnationis præceptum habuit de redimendo mundo. 50.39.

Chriſti mors quomodo compenſata. 50.49.
Chriſtus ad veniam vocat eos, à quibus paſſus eſt. 50.55.
Chriſti vita,& mors conſolatur afflictos. 50.60.
Chriſtus quomodo petra. 51.5.
Chriſti deſpicabilem eſſe formam quidam falsò dixerunt. 52.46.
Chriſti in corpore cur ſeruata vulnera. 54.27.& 28.
Chriſti ſpecies. 53.8.
Chriſti humilitas. 53.8.& 14.
Chriſtus quomodo corporis languores tulit. 53.24.
Chriſto corporis noſtri languores aliquid doloris attulerunt. 53.25.
Chriſtum noſtra peccata grauiter cruciarunt. 53.36.
Chriſtus victima voluntaria. 53.38.& 40.
Chriſti patientia & ſilentium. 53.40.
Chriſtus agnus. 53.41.
Chriſtus moriens ſignum pacis. 54.28.
Chriſtus pro nobis aduocatus. 54.29.
Chriſtus teſtis,& magiſter. 55.22.
Chriſtus ſubſannatus & illuſus. 57.4.
Chriſtus qua iuſtitia indutus. 59.66.
Chriſti expectatio. 62.1.
Chriſtus aliorum ope ad redemptionis opus non indiguit. 63.12.
Chriſtus ſolus in noſtræ ſalutis cauſa. 63.52.
Chriſtus eodem,quo ſui filij,dolore afficitur. 63.41.
Chriſti ſymbolum Moyſes. 63.52.
Quæ Chriſtus habuit, ac ſubiit, ſupra humanam cogitationem ſunt. 64.16.
Chriſtus mandatum habuit vt priùs Iudæis prædicaret. 49.23.
Chriſti miſericordia. 61.16.
Chriſtiani hominis ſcientia. 5.37.
Chriſtianus geſtabat in fronte profeſſionis ſuæ ſignum. 44.16.& 62.7.
Chriſtianorum conſtantia in fidei profeſſione. 44.23.
Cilicia olim ampla prouincia. 2.23.
Ciuitas ſolis,quæ eſt & Helìopolis. 19.24.
Clamor pro ira. 42.8.
Clamor pro peccatis. 5.27.& 58.22.
Clamantia in cœlum peccata. 5.27.
Clauis regni ſymbolum. 9.21.& 22.43.
Clypeus vngi ſolitus. 21.39.
Cœlum, eius obſcuritate magna calamitas exprimitur. 34.5.
In cœlum aſcendere,prouerbium. 14.20.
Cœli ſpecies. 40.76.
Cœli ſummitas, aut extremitas, aut cardines cœli pro vltima parte terræ. 13.11.
Cognoſco,idem,quod veneror. 52.26.
Cognoſco,idem quod faueo. 66.39.
Colaphus vſitata & grauis contumelia. 5.21.
Colaphus quibus impingi ſolitus. 58.29.
Ad collum vſque,prouerbium. 8.22.
Collum vſque,prouerbium. 7.21.
Collecta,ſeu cœtus vltimus dies Azymorum,& tabernaculorum. 1.43.
Colubri radix. 14.46.
Comparatio quædam propria Hebræorum. 62.20.
Comparatio conditionalis. 51.22.
Compunctio pro abſtinentia. 29.15.
Concionator,vnde illi orta audacia ad nugas. 17.31.
Concionatori graue,& periculoſum eſt, nugatoria dicere,& illa ab auditore captari. 27.32.
Concionatoris qualis vox,& ſermo. 40.34.& 58.11.
Concionatoris quid proprium. 58.84.
Confeſſionis vis. 43.47.
Congregor idem quod morior. 24.49.& 27.35.
Conſilia ſua peccatoribus noxia. 43.22.
Concretum pro abſtracto. 1.43.& 55.16.
Conternans quid. 15.18.
Contritionis natura. 57.49.
Contritus,Dei templum. 66.5.
Conuitia vſitata inter Hebræos. 17.14.
Conuitium proprium Moabitarum. 15.7.
Cor ſcrutatur Deus. 11.15.
Ad cor loqui. 40.10.
Cor ſuper ponere. 47.18.
Correctio fraterna. 52.42.
Correctio ſi abſit extrêmum malum. 5.25.
Cornu locus excelſus. 5.6.
Coſymbus quid. 4.50.
Creo,idem quod renouo,aut in melius muto. 4.15. & 57.64.& 65.55.
Crepuſculum metaphoricum quid. 21.24.
Cribro,pro concutio,& affligo. 30.65.
Crux ſuperbiam damnat. 25.38.
Crucis fructus. 53.67.
Crux futura in beatorum corporibus. 55.39.
Cymbalum pro eo, quod ſibi valde placet, & immoderatè laudat. 18.4.
Cymbalum alarum pro inani auxilio, & maximè cantato. ibid.
Cyrus cur dictus Chriſtus. 45.2.
Cyrus quos theſauros inuenerit. 44.8.
Cyrus cur vocatus mulus. 44.13.& 21.46.
Cyrus quomodo templum ædificauerit. 44.48.

D.

Damaſcus,cum Damaſco quædam sribus Iſrael captæ. 17.4.
Damaſco euerſa nulli è Syris conuerſi. 17.5.
Dauid pro Chriſto. 42.24. & 55.21.
Debitoris miſera conditio. 58.39.
Decem tribus, ex illis multi ab exilio redierunt. 11.24.
Defectus proximorum ferendi. 42.15.
Deriſor odioſus Deo. 58.59.
Deſperandum non eſt peccatori. 42.14.
Deus,cùm iraſcitur,miſeretur. 1.68. 26.19 & 10.3.
Fidelis in promiſſis. 16.70 & 25.32.& 42.37.& 25.52.& 37.8.& 55.32.& 63.2.
Dei humanitas & clementia. 1.50.& 44.45.
Quomodo delectetur dum punit malos. 1.59.
Quomodo dum punit doleat. 1.60.& 42.50.
In Deo eſt clementia & ira. 2.30.
Dei prouidentia. 5.13.& 10.12.& 37.8.
Deo ſe totum debet homo. 5.15.
Dei iudicium æquum & mite. 5.21.
Diuini beneficij numquam deponenda memoria. 5.34.
Deus cur varia ſpecie appareat. 6.2.
Deus elingues facit & quando. 6.21.
Deus miniſtris ſuis adeſt. 6.32.
Deus dux,& auctor victoriæ. 7.2.
Dei clementia nullo noſtro merito inclinatur. 7.45 & 43.33.
Deus ſolus colendus,& timendus. 8.27.
Aſſumit impios,vt inſtrumentum iuſtitiæ. 10.9.
Deus clemens,etiam dum minatur. 10.5.
Dei in ſuos prouidentia. 10.12.
Cordium ſcrutator. 11.5.
Dei cognitio,& meditatio potentiſſima. 11.15.
Deo felices ſucceſſus tribuendi. 14.52.
Deus hoſtes ſuos ſuis ipſorum manibus ſternit. 19.7.

Dux

Dux fuit Chaldæorum contra Ieruſalem. 22.9.
Dei potentia & fidelitas. 25.52.
Deus ſedulò, & citò quærendus. 26.13.
Deo omnia referenda, à quo profecta. 26.32.
Deus ad veniam pronus, ad pœnam tardus. 27.16. & 28.44. & 30.60. & 55.26.
Dei clementia, Dei fortitudo eſt. 27.18.
Deo dolet plaga, quam infligit amico. 27.21.
Deus ſolus amari vult. 28.41.
Dei obliuio multorum peccatorum cauſa. 29.22.
Quomodo compenſat vacua opera peccatoris. 29.20.
Dei miſericordia & patientia. 30.6.
Deus exaltatur miſerando. 30.18. & 48.23.
Deus minatur vt admoneat. 30.19.
Dei indignatio. 30.61. & 51.68.
Dei cognitio & timor magnus theſaurus. 33.10.
Deus tunc occurrit, quando grauior vrget calamitas. 33.19.
Labor à Deo impoſitus ſuauis eſt, quia ab æterno labore liberat. 33.25.
Familiaritas cum Deo non otioſa. 33.26.
Dei admirabilis prouidentia, & fidelitas in ſuos. 37.8.
Deus tunc magis præſens cùm anguſtiùs vrgemur. 37.9.
Deo offenſo omne humanum præſidiō infirmum. 37.22.
Deo quomodo ad animā aperiendus aditus. 40.35.
Dei omnipotentia. 40.59.
Dei conſilia inſcrutabilia. 40.65.
Dei comparatione omnia nihil ſunt. 40.64. ibi. 70.
Dei cultus. 44.66.
Dei nulla exprimi poteſt effigies. 40.67.
Dat vires ſperantibus in ſe. 40.85.
Dei mira patientia in ſuſtinendo peccatore. 42.11.
Deo ſoli debetur gloria. 42.41.
Deus diu cohibet iram ſed tandem euomit. 42.50.
Deus cùm gemit duriorem minatur plagam. ibid.
Deus glorificatur, cùm quis eius vtitur beneficiis. 43.28.
Liberalis in ſubditos. 43.32.
Ad liberalitatem non prouocatus officiis. 43.33.
Deus recordari dicitur cùm punit aut miſeretur. 43.40.
Deus ſeuerus vindex peccatorum. 43.56.
Deo nihil difficile. 44.32.
Dei non ſcrutanda conſilia. 44.41.
Deus magna præſtat per infirma inſtrumēta. 44.54.
Deus inſtrumentis interdum vtitur indignis. 44.58.
Deo tribuenda, quæ bene ab iis, qui præſunt fiunt. ibid.
Felix ſucceſſus eorum ad quæ Deus vocat. 44.62.
A Deo quid ſperare iuſtus debeat. 46.14.
Deus dulciùs afficitur in ſuos, quàm mater in filios. 46.15. ibid. 16.
Contra Dei conſilia vanus omnis conatus. 47.30.
Deo glorioſum eſt miſereri, & parcere. 48.23.
Deus vtilia docet non ludicra, & inania. 48.45.
Deus etiam repudiatos vocat. 50.7. & 50.27.
Deus quomodo repudiauit Synagogam. 50.26.
Deus magna præſtat è tenui principio. 51.7.
Dei promiſſio magni facienda. 54.23.
Deus tunc grauiter iraſcitur, cùm non flagellat. 54.26.
Dei liberalitas. 65.29. ibid. 29. & 55.2.
Dei beneficia aquæ iugi ſimilia. 55.6.
Dei beneficia libenter oblata. 55.11.
Dei alia conſilia, atque hominum. 55.27.
Dei fidelitas. 55.32. & 63.7.
Dei præſentia. 72.24. & 47.25.
Dei patientia. 63.35.
Cur poſtulata differt, & ſe durum orantibus oſtendit. 63.40.
Aſſiduè, & variè peccatorem vocat. 65.4.
Deus vbique, & non ſolùm in templo. 66.1.
Deus ad beneficia pronus, & velox. 65.63.
Deo facile ſubitò honeſtare pauperem. 66.21.
Dextera eſſe à dextris patrocinantis eſt. 44.4.
Dextrum idem, quod auſpicatum. 63.53.
Diabolus; eius quod ſymbolum. 2.26.
Diabolus dictus piloſus. 53.27.
Diabolus, quos calcat. 51.73.
Diabolus potens in eos, qui terrena ambiunt. 65.67.
Dimidum dierum quid. 38.27.
Dies, in plurali pro longo tempore. 65.42.
Dies, pro felicitate. 65.55.
Dies, pro iis quæ in die fiunt. 9.16.
Dies, coniuncta cum annis nihil aliquando addit ad momentum. 32.23.
Dierum plenus quid. 38.30.
Diſtributio quomodo ab Hebræis ſignificata. 6.5.
Diuites quanto in periculo. 61.13.
Doctor qualis. 54.36. & 5.26.
Doctrina, vt pluuia, doctor, vt nubes. 5.16.
Dominus, & domina, nomina coniugum. 54.18.
Domus ſuperbæ alienorum ſunt. 25.9.
Donec, non ſemper tempus excludit. 42.19.
Dracones alati. 14.47.
Duæ tribus Iſrael variæ diſperſæ. 43.8. & 49.65.
Duplex pro magno ac copioſo. 40.15.

E.

EBrietas pro perturbatione, & errore. 29.14.
Ebrietas pro vino. 55.15. & 56.28.
Eccleſia, quantus ad eam concurſus. 2.4.
Eccleſiæ typus Ieruſalem reſtituta. 40.1.
Eccleſiæ cum Ieruſalem comparatio. 40.3.
Eccleſia grauiter in principio afflicta. 49.86.
Eccleſia Deo grata & chara. 49.87.
Eccleſiæ ornamentum fideles. 49.90.
Eccleſiæ proles ingenua. 49.96.
Eccleſiæ hoſtes quomodo mulctati. 49.105.
Qui in Eccleſia ſunt mundi eſſe debent. 52.7. & 66.58.
Eccleſiæ filij. 54.5.
Eccleſiæ fœcunditas & duratio. 54.8.
Eccleſiæ amplitudo. 54.9.
Eccleſiæ typus arca Noe. 54.29.
Eccleſiæ dignitas, & ſpecies. 54.34.
Eccleſiæ ſecuritas. 54.46.
Eccleſiæ fundamentum. 54.35.
Eccleſiæ deliciæ. 55.13.
Eccleſiæ Iudæo & gentili communis. 56.4.
Eccleſia omnibus patet. 56.17.
Solùm in Eccleſia lux. 60.10.
Eccleſiam reges ornarunt. 60.60.
In Eccleſia ſemper erunt victoriæ. 60.82.
Eccleſiæ cuſtodia. 62.25.
Eccleſiæ felix & robuſta ſoboles. 66.25.
Eccleſiæ opes & ornamenta. 66.35.
Eccleſiæ pulchra facies. 66.60.
Eccleſiæ ſtabilitas. 66.60.
Edom ſiue Idumæa, ſtrages. 34.18.
Edom ſiue Eſau, pro ſceleratis. 63.2.
Eleemoſyna commendatur. 58.43.
Eleemoſynæ vis maxima in morte. 58.47.

Eleemoſyna qualis. 58.62.
Eleemoſyna non ſpoliat ſed ditat largientem. 58.75.
Elimelec, quòd ſolem ſtare fecerit Iudæorum traditio. 38.23.
Emanuel non filius Iſaiæ. 7.35.
Emanuel non filius Achaz. 7.34.
Emo, pro accipio. 55.9.
Enim, quem habeat vſum. 2.11.
Ephraim pro decem tribubus. 28.1.
Epitaſis in comparatione. 7.27.
Epitaſis in antecedente omiſſo. 3.56.
Epitaſis in coniunctione generis maſculini & fœminini. 3.1.
Epitaſis in ſynonymis. 29.12.
Eſau, vide Edom.
Et, idem quod præcipuè aut potiùs. 7.27. & 19.25. & 62.21.
Et, idem, quod etiam. 24.47.
Et, particula expoſitiua, pro id eſt. 57.63.
Exercitus comparatur ſaltui. 10.14.
Exercitus comparatur torrenti, ac fluuio. 8.18.
Euangelium quomodo adulteretur. 1.58.
Euangelij dignitas. 2.6.
Euangelium quæ dura ſunt, emollit. 11.14.
Euangelij cum antiqua lege comparatio. 27.38.
Euangelij vis. 55.37.
Euangelium annunciatum pauperibus. 61.12.
Euangelica vita honeſta. 52.45.
Examen peccatorum. 43.46.
Exemplum potentium pernicioſum. 5.51.
Exules cenſentur pro mortuis. 66.37.
Ezechias Chriſti typus. 32.3.
Ezechias, quid ſcripſerit. 38.67.

F.

FAcies combuſta quid. 13.15.
Facies pudore rubet. 13.15.
Facies orbis. 14.37.
Facies velatur in damnatis morte. 22.32.& 53.18.
Facies dura aliquando laudabilis. 48.13.& 50.48.
Facies abſcondita quid. 53.16.
Faciem commolere. 3.21.& 58.29.
Fames & ſiccitas peccati pœna. 5.52.3.3.
Feſtorum obſeruatio. 58.87.
Fidele quid. 22.50.
Filius olei quid. 5.7.
Filios, & filias gignere, quid. 43.9.
Filij à patre vendi poſſunt. 50.10.ib. 28.
Poſſunt etiam à parentibus redimi. 50.15.
In filiis viuunt parentes. 56.15.
Filij à parentum virtute degeneres. 57.15.
Filij parentum peccata quomodo luant. 65.14.
Filij parentum pulchra poſſeſſio. 65.59.
Firmamentum panis epithetoo. 3.3.
Fluuij diis ſacri. 42.52.
Fœmina, ab ea vocabula ſumuntur ad ſignificandos teneros affectus. 46.11.
Fœminæ turpe caluitium. 47.6.
Fœmineum genus, infirmum, & molle ſignificat. 51.38.
Fœta dicitur etiam, quæ peperit. 40.58.
Fontes diis gentium ſacri. 42.52.
Fontem eſſe apud aliquem, prouerbium. 55.4.
Frons dura quid. 50.48.& 48.13.
Frons ærea. 48.12.
Fumus pro ira. 42.16.
Fumus pro re leuiſſima. 65.11.
Funus, in eo tubæ. 16.29.
Funereæ tubæ quales. ibid.

G.

GAlilæa duplex. 9.8.
Cur trans Iordanem dicta. 9.9.
Gallum aſportari, prouerbium. 22.28.
Gallus, natura ſuperbus. 22.30.
Gedeonis victoria ſymbolum victoriæ Chriſti. 9.16.
Gaudium beatorum purum. 25.33.
Gaudium beatorum æternum. 27.13.
Gehenna quid. 30.75.
Genus maſculinum, & fœmininum ſimul cum epitaſi. 43.9.
Geometria vnde nata. 18.16.
Gentes, quomodo Chriſtus, & eius diſcipuli cum eis agere potuerint. 49.29.
Gentium religio dura. 49.98.
Gentium adoleſcentia. 54.13.
Gigantes fuerunt olim. 26.34.
Gigantum moles quanta. ibid.
Gigantum variæ appellationes. 26.35.
Gigantes cur dicti mortui. 26.37.
Gith quid. 28.49.
Glires olim ad menſam adhibiti. 66.44.
Gloria cæleſtis pura, & æterna, terrena, momentanea. 26.64.
Gloriæ cæleſtis pax, & felicitas. 33.41.
Gloria uni debetur Deo. 42.41.
Goliath, Orphæ filius creditus ab Hebræis. 26.35.
Græca hiſtoria quando primùm fidem habuit. P. 11.
Gratiarum actio ſacrificium eſt Deo. 57.67.
Gratiarum actio poſt cibum. 5.36.
Gratias agendi certa forma. 61.65.
Gratus & humilis optimè ad orationem paratus. 63.34.
Gratulatio vſitata in omni natione. 14.52.39.2.

H.

Hebræorum fabulæ.

DE Sedechia, & cerua. 2.16.& 22.14.
Quòd Rabſaces Iſaiæ filius. 36.2.
De funere Achaz. 38.24.
De epiſtolis per ſubterraneos meatus tranſmiſſis in fiſcella ſcirpea. 18.12.
De rotis Pharaonis adhuc impreſſis in mari rubro. 38.26.
Quòd Ruth fuerit de genere regio. 16.10.
Quòd Orpha mater fuerit Goliath. 26.35.
Quòd Elimelech ſtare fecerit ſolem. 38.23.
Quòd Simeon vltimus ineffabile Dei nomen pronunciauerit. 52.27.
Quòd exhumatus fuerit Nabuchodonoſor. 14.31.
De aquilæ ſenectute renouata. 40.91.
Hiſtoria quando fidem habere cœperit. P.
Hiſtoria quando fidem habuit. P.11.
Hiſtoria non ſemper ſeruat ordinem temporum. 1.7.
Hiſtoria ſæpe aliquid ſignificat myſticum. 32.46.
Homo reddit pro beneficio iniuriam. 1.12.
Homo minùs gratus quàm bruta. 1.13.
Hominum ſtupor. 16.15.
Homo mollis fœmina vocatur. 3.22.
Homo ſe totum debet Deo. 5.15.
Homo ad cæleſtium contemplationem natus 5.51.
Homo inſtar fœni. 40.43.
Ab homine nihil ſperandum. 45.75.
Homo cur à Deo creatus. 54.53.

Hordeum

Hordeum in Palæſtina quale. 30.54.
Hoſtis ignorans conſilium exequitur Dei. 13.8.
Hoſtium etiam infortunium dolendum. 21.25.
Humana omnia infirmia. 52.27.
Humilitas, qui magis à Deo illuſtratur, humiliùs de ſe cogitat. 38.62.
Humilitas viam Domino parat. 40.42.
Humilitatis laus. 57.48.
Humilitatis natura. 53.49.
Humilitas orationem adiuuat. 64.32.& 63.34.
Humilis Deo templum eſt. 66.3.
Humiliatio præcedit magna beneficia. 48.9.
Hyperbole in Scriptura vſitata. 13.25.& 23.29.
Hypocrita quis. 33.27.& 43.31.& 58.31.
Hypocrita Deo moleſtus. 43.39.
Hypocritæ opus quale. 59.10.

I

IDolorum ambigua reſponſa. 8.39.& 41.43.& 45.69.
Idolum nihil eſt. 41.45.
Idolorum materia & vanitas. 44.25.
Idolorum oracula ex locis obſcuris. 45.69.
Idolorum oracula ceſſarunt Euangelij tẽpore.46.2.
Idola portabantur gentilium humeris. 46.7.
Idola à gentibus geſtabantur in via. 46.8.
Idumæa, vide Edom.
Idumæi Romanorum origo falsò putata. 21.58.
Ieiunia Iudæorum plura poſt aduentum Chaldæorum. 58.4.
Ieiunij varia nomina. 58.21.
Ieiunia Iudæorum coniuncta cum cilicio. 58.22.
Ieiunia Iudæorum ad noctem vſque producta. 58.28.
Ieiunium verum quod. 58.24.16.13.
Iemini idem, qui Beniaminita, aut filius Beniamin. 7.5.55.2.
Ieruſalem pro duabus tribubus. 1.10.
Ieruſalem quanta clades. 1.26.
Ieruſalem vocatur vinea. 1.27.
Ieruſalem cur vocata vallis. 22.1.
Ieruſalem cur vocata terra viſionis. 22.2.
Ieruſalem vocata ciuitas ſancta. 48.6.
Item ciuitas ſancti. 52.1.
Ieruſalem non minùs impia, quàm Sodoma. 1.32.
Ignis pro maxima purificatione, 4.13.
Ignis quos reges præcedat. 14.17.& 33.26.
Ignis Gehennæ qualis. 33.28.
Ignis pro maximo periculo. 43.4.
Imago geſtatur in annulis. 49.62.44.15.
Impij acerba reprehenſio, 1.17.
Impiorum opus otioſum & vacuum. 1.44.
Impius ſibi ſupplicium parat. 50.64.
Incarnationis accelerationem meruerunt patres. 62.31.
Inutilia cenſentur, ac ſi non eſſent. 23.15.
Inaures cõtra incantamẽta primùm adbibitæ.3.39.
Incuruans, & deprauans ſeu refrænans quis.9.32.& 19.19.
Infernus. 24.34.24.47.
Inferni æternitas. 24.53.
In inferno nullum pœnarum leuamentum. 25.40.
Infernalium pœnarum materia. 24.15.& 27.12.& 30.86.
Inferni pœna ſemper noua. 30.83.
Inferni pœnam ſibi impius parat. 50.64.
Qualis inferni pœna. 65.12.66.65.
Nemo eorum, qui in inferno patiuntur, miſerebitur, immò potiùs omnes inſultabunt. 66.65.
Inconſtantia propoſiti. 5.20.
Ingredi, & egredi ſummam poteſtatem ſignificat. 24.43.
Inſtrumentum Dei etiam, qui Dei conſiliorum ignarus. 13.8.
In egreſſu & ingreſſu omnia continentur. 37.23.
Intelligo idem quod obedio, & operor. 52.46.
Ioannes Baptiſta quare loquitur in deſerto. 40.34.
Ira Dei grauis. 51.68.
Ironica permiſſio. 44.41.
Iſaias Propheta magnus. P.1.& cap.48.num.41.
Iſaias Euangeliſta, & Apoſtolus quomodo. P.2.
De Chriſto multa dixit. P.3.
Iſaiæ genus. P.4.
Iſaiæ mors. P.5.
Iſaias occiſus à Manaſſe, P.6.
Quo genere mortis. P.8.& 10.
Quo tempore vixit. P.11.
Iſaiæ mira eloquentia. P.13.
Iſaias omnia nomina prophetarum impleuit. 1.3.
Magnæ obedientiæ exemplar. 1.3.
Iſaiæ quando datus ſpiritus propheticus. 6.29.
Inter Iſaiam & Moyſem comparatio. 6.33.
Iſaiæ vxor, quo ſenſu dicitur prophetiſſa. 8.4.& ibid.12.
Iſaias & filij ſuis nominibus portendunt. 8.37.
De Iſaiæ filio Rabbinorum nugæ. 17.2.
Iſaiæ quid falsò impoſitum ab Hebræo quodam. 40.38.
Iſaiæ Pater non fuit Amos propheta. 37.2.
Iſaias Chriſti præcurſor. 56.1.
Iſaias, an omnino nudus ambulauerit. 20.8.
Iſaiæ filij dati in portentum. 8.34.
Iſaiæ obſcuritas deterruit Auguſtinum. P.
De Iſaia quid ſenſerit Ambroſius. P.
Eius filij fuerunt typus Apoſtolorum. 8.35.
Iſaiæ filij quomodo portendant. 8.36.
Iſaiæ filij quid portendant. 8.37.
Iſrael, id eſt, decem tribus, ex eo pauci fidem amplexi ſunt. 10.19.
Iſrael variè vexatus ſub Achaz. 10.18.
Captus ſimul cum Damaſco. 17.4.
Malè vexatus ab Aſſyrio. 17.5.
Iſrael pro ſeruo Dei fideli. 44.13.
Iudæa omnium regnorum vberrima. 5.10.
Iudæi, illorum ſtatus miſer. 1.22.
Ex Iudæis iuſti ab exilio reuerſi. 1.66.
Iudæis cur Deus infenſus. 2.12.
Iudæi in cauernis latere ſoliti. 2.16.
Aliarum gentium idola coluerunt. 2.27.
Iudæi vocati fœtentes. 3.50.
Iudæi quota hora cibum ſumerent. 5.31.
In conuiuiis cantabant, & gratias agebant. 5.35.
Iudæorum qualis luctus. 7.61.
Exciſa vrbe variè diſperſi. 11.33.
Cum Iudæis nulli ex aliis tribubus redierunt. 11.14.
A Parentibus degeneres. 30.10.
Iudæi ab exilio reuerſi cum gloria. 40.18.
Iudæi, quæ in reditu beneficia habuerunt à Deo. 43.29.
Iudæorum vilis, & miſera conditio. 49.39.
Iudæorum nuptialis ritus. 49.66.
Iudæorum magnus numerus ab exilio rediit. 49.67.
Plura poſſederunt ab exilio reuerſi quàm antea. 49.68.
Iudæi idola coluerunt. 57.32.
Iudæorum plura ieiunia poſt aduentum Chaldæorum. 58.4.
Iudæi in fine ſæculorum conuertendi. 59.84.

Dati ſunt in maledictum,& prouerbium. 65.27.
Iudæis primùm Euangelium prædicandum. 49.23.
Iudæus durus & crudelis exactor. 58.29.
Iudicum melior gubernatio,quàm regum. 1.65.
Iudicum nomen latè patet. 40.73.
Iudico,multa ſignificat. 51.17.
Iudicium,idem,quod iuſtitia. 59.40.
Iudicium finale,eius deſcriptio. 24.1.& deinceps.
In iudicio finali nulla acceptio perſonarum. 24.5.
Ibi non proderit fucata ſanctitas. 24.8.
Iudicij locus Ieruſalem. 24.21.
Quanta ibi iuſtorum exultatio. 24.24.
De iudicio ſæpe agendum. 24.30.
Quæ in iudicio peccatoris anguſtiæ. 24.36.
Iudicij dies terribilis. 26.66.
Iugum ferreum. 10.42.
Iugum ab oleo computreſcere quid. 10.38.
Iuramentum,quod Deo familiare. 45.82.
Iuramentorum Dei quæ ſententia. 62.33.
Iuramento plerumque adiuncta execratio.62.32.& 65.27.
Iuſtus ſalicibus ſimilis. 44.11.
Iuſti afflictio inſipientes à virtute deterret. 57.2.
Iuſti quàm vtiles ciuitatibus. 57.3.
Iuſtus idem,qui miſericors. 57.5.
Iuſtorum froctuoſus labor. 65.51.
Iuſtitia pro mercede operis iuſti. 48.49.
Iuſtitia pro miſericordia. 57.5.
Iuſtitia,idem quod iudicium. 59.4.

L

Labia polluta quid. 6.23.
Labruſca. 5.17.
Labori ſuccedit lætitia , & quies. 24. 25. vide verbum meſſes.
Labor manus peccati pœna. 62.34.
Lac multis pro pot . 55.14.
Lac.& mel Neophytis data in baptiſmo. 7.51.
Lac,& vinum Neophytis in Oriente data. 55.12.
Lactatio infantium triennalis. 7.56.
Lacrymas ſtupor,aut dolor prohibet. 21.17.
Lacrymarum fontes ſiccantur. 21.18.
Lætitia in collectione frugum. 16.27.vide verbum meſſes.
Lætitia ſolida in cœlo,ſecus atque in terra. 25.23.
Lætitia ſæpe cum gaudio coniungitur. 62.36.
Lagunculam confringere,prouerbium. 10.50.
Laqueus pro vinctis. 42.65.
Lateres rari in Paleſtina. 16.23.
Lateres ceciderunt.&c. prouerbium. 9.26.
Laus Dei eſt eius obſequium,& cultus. 60.19.
Lepra ſupplicium à Deo. 53.27.
Leuiathan quid. 27.3.
Lex Euangelica ſuauis. 49.99.& 66.57.
Lex ſignata quid. 8.29.
Lex Dei in cordibus. 51.26.
Lex antiqua dura. 49.98.
Liber qua olim forma. 34.7.
Libellus repudij. 50.2.
Libelli formula. 50.3.
Libelli conditiones. 50.4.
Liber vitæ. 4.10.& 11.
Libidinis nefariæ vſus olim frequens. 2.12.
Lignum aridum,prouerbium. 56.5.ibid.12.
Linea formidoloſa,ſeu formido,quid. 24.37.
Lingere puluerem. 43.74.
Lingua concionatoris qualis. 6.27.
A lingua variæ tranſlationes. 11.30.
Lingua in duce & gubernatore neceſſaria. 50.27.
Lupus Deorum ſacrificiis deſtinatus. 57.2.
Luctus pro funere. 21.19.
Lugendi formula. 15.14.
Luget,& languet,id eſt,ſterilis,& deſertus eſt. 33.17.
Lucifer quid. 14.14.
Lumborum dolor quid. 21.20.
Luna menſes inchoat,& metitur. 47.31.
Lunula quid. 3.31.
Lux pro felicitate. 58.46.
Luxuria cor aufert. 46.26.
Luxuriæ ſigna,& damna. 50.62.
Luxus gehennalis incendij materia. 24.15.
Luxus ad idololatriam inducit. 42.54.

M

Mem ם littera clauſa in medio dictionis. 9.24.
Mem præpoſitio Hebraica aliquando negat. 23.3.& 10.45.
Machabæi varias gentes ſubiugarunt. 11.28.
Malitia pro ſupplicio,aut labore. 40.12.
Malum quid. 44.18.
Malus nauis in vertice montis prouerbium. 30.35.
Mammotrepti qui diu lactantur. 7.56.
Manaſſes impius. P.6.& 7.
Manaſſes occidit Iſaiam. P.6.
Manus militum inſcriptæ. 44.16.
Manus aperta quid. 57.30.
Manus illotæ in ſacrificiis exectabiles. 1.47.
Mando verbum militare. 23.28.
Mane,mane,id eſt,quotidie. 50.22.
Mane,mane , id eſt , multo mane. 50.23.
Mare pro auſtrali plaga. 49.54.
Mare pro occaſu. ibid.
Mare rubrum diuiſum. 63.55.
Eius aluens germinans. ibid.
MARIÆ Virginis canticum. 42.23.
Mariæ laus. 44.29.
Mariæ virginale clauſtrum , quo ſenſu dici poſſit reſeratum. 44.31.
Meditationis materia quæ. 5.33.
Medium,aut in medio,idē,quod inter aut in. 4.12.
Mel,& lac datum olim Neophytis. 7.51.
Memoria beneficiorum non deponenda. 5.34.
Menſa idem,quod altare. 65.22.
Menſa idolis inſterni ſolita. 65.21.
Menſtruatæ ſumma abominatio. 64.26.
In meridie impingere,prouerbium. 59.44.
Meritorum compenſatio. 27.12.
Meretrix aliquid honeſtum interdum ſonat. 1.53. & 23.39.
Meretrix vnde pro re turpi. 23.45.
Merodach commune nomen Regum Babylonis. 14.13.& 39.2.
Meſſes,& vindemia pro lætitia.9.13.& 16.27.& 24. 15.
Meſſes & vindemia omnium fructuum collectionem valent. 18.23.& 23.10.
Meſſias fideiuſſor. 38.45.
Meſſiam Iudæi veniſſe negant propter quædam Iſaiæ loca quæ illis nihil fauent.
Meſſiā dicunt non veniſſe in nouiſſimis diebus. 2.2.
Et montes ſupra alios montes non aſcendiſſe. 2.3.
Quòd ad Chriſtum non venerint omnes gētes. 2.4.
Quòd non ceſſarint bella. 2.9.
Quòd non habitet lupus cum agno 11.15.
Metalepſis. 3.3.
Militum inſcriptæ manus. 44.16.
Militia,in ea quid ſpectari debeat. 13.7.
Militia pro labore. 40.12.

Militia à certo ætatis tempore incipit & deſinit. 16.33.
Militia cœli quid. 24.45.
Migma, quid 30.54.
Miniſtri Dei etiam, qui mali ſunt. 10.3.
Miniſtri Dei etiam dum ignorant ſe Dei eſſe miniſtros. 13.8.
Miniſtri Dei errant, dum ſua quærunt non quæ Dei ſunt. ibid.
Bono animo eſſe debent dum à Deo vocantur illique obſequuntur. 20.6.
Miſericordia Dei. 30.36. ibid.38. & 30.49.
Miſericordia laus Dei. 48.24.
Miſericordia pro iuſtitia. 57.5.
Miſericordiæ laus. 58.73.
Miſericordiæ Dei ſignum admirabile. 59. 8. & 59.58.
Miſericordia Dei gloria eſt. 60.7.
Miſer mortuo ſimilis. 32.34.
Moabitæ cur ita vocati. 15.1.
Moabitarum conuitium. 15.7.
Moabitarum quæ regio. 25.2. & 15.26.
Moabitæ nihil paſſi à Senacherib. 25.6.
Quod conuitium in Moabitas iactari ſolitum. 15.7.
A Moabitis quando pulſi Iudæi. 16.16.
Moab pro ſcelerato. 25.35. & 63.2.
Modeſtiæ commendatio. 6.12.
Molo, contumeliam ſonat. 3.2. & 47.5.
Molo, ſeruile miniſterium indicat. 47.5.
Mons, in montibus olim ſacrificatum. 2.3.
Mons regum ſymbolum. 24.5. & 42.52.
Ex montibus publica edicta promulgari ſolita. 40.47.
Mors amata peccatori, læta iuſto. 24.16.
Mors quàm non timenda iuſto. 26.65.
Mortis memoria, atque præſentia grauis. 38.49.
Mors ſomnus quidam eſt. 38.58.
Mors, quæ ignobilis. 22.6.
Ad mortem bona opera differre ſtulti eſt. 5.12.
Moyſes Chriſti ſymbolum. 63.52.
Moyſis & Iſaiæ comparatio. 6.33.
Mulieris nomen ignauis, & mollibus datum. 3.22.
Mulierum leuicularum ſigna atque ornamenta. cap.3. à num.23.
Mulierum harum ſupplicia. 3.50.
Mundus quomodo in fine mundi vaſtandus. 24.44.
Mundi curis qui vacat, ſtultus eſt. 5.43.
Munus vnde habet, vt magnum ſit, & gratum. 66.7.
Munus ſplendidum & magnum quomodo poſſit offerre pauper. ibid.
Muſica in Iudæorum conuiuiis. 5.35. & 24.17.
Muſica in funere. 16.29.
Muſica inſtrumenta varia pro variis animi affectibus. 16.30.
Vide verbum Cantus.
Myſteria diuina noſtrum captum ſuperant. 6.10.

N.

NAbaioth quid. 60.31.
Nabò quid. 46.2.
Nabuchodonoſor, de eius ſepulchro fabula. 14.31.
Nabuchodonoſor Tyrum expugnat. 23.19.
Item Ægyptum. ibid.
Eius à Deo compenſatur labor. ibid.
Nabuchodonoſor ad Hiſpaniam non videtur veniſſe. 23.16.
Naſus pro ira. 2.30.
Naſi ornamentum. 3.41.
Naues ex papyro ſeu materia paluſtri. 18.7.
Naues tabellariæ. 18.11.
Naues plicatiles. 18.32.
Negatio repetenda. 53.10.
Neomeniæ cur inſtitutæ. 1.41.
Neruus ferreus. 48.12.
Neſcio, idem quod non probo. 55.23. & 58.20.
Nidum quaſi comprehendere, prouerbium. 20.9.
Nilus omnia præſtat Ægyptiis. 23.10.
Nomen ſuum blaſphemari ægrè fert Deus. 52.19.
Nomen inuocari ſuper aliquem quid. 55.39.
Nomen accipit tota prouincia à loco primùm, aut maximè explorato. 2.19.
Item ab exploratore. 2.20.
Nomina propria compoſita aliquando priorem partem compoſitionis amittunt. 7.5.
Nomina quædam prophetantia. 7.5. & 8.17.
Nomen ſeruatur, quod res paulò ante habuit. 37.13.
Nominis impoſitio ſuperioris poteſtatis eſt. 40.79. & 63.64.
Nomine ſuo quemquam vocari beneuolentiæ eſt. 43.3.
Nominatiuus abſolutè ſæpe ponitur. 33.49. & 51.16.
Non vltrà, non ampliùs, longum tempus ſignificant. 23.29. & 60.79.
Non vltrà, non ampliùs, aliquando ſignificant id, quod minùs frequenter quàm antea fit. 2.9.
Nouum, quod renouatum eſt, aut nouo modo factum. 62.18.
Nubes, nebula, caligo ad Dei maieſtatem pertinét. 6.18.
Nubes roris. 18.20.
Nudus quid. 20.8.
Captiui ad ignominiam nudi. 20.12.
Numerus ſaluandorum exiguus. 24.14. ibid.22.

O.

OBedientia docetur à brutis. 1.35.
Obedientiæ illuſtre exemplum in Iſaia. 20.6.
Obedientia inuitat Deum, vt clariùs loquatur. 32.4.
Obedientia vera victima. 43.34.
Obedientia Deum intuetur qui in ſuperiore loquitur. 44.59.
Obedientiæ felices ſucceſſus. 44.62.
Obedientia qualis. 48.12.
Obedientiæ ſymbolum. 49.14.
Obſtinati animi vox. 5.50. & 56.39.
Obſtinatis Deus infenſus. 22.21.
Obſtinati & duri cordis periculum. 50.33.
Obliuio malorum quid. 54.16.
Obliuionis nomen cum epitaſi. 65.35.
Oblatio è turpi lucro abominabilis. 65.8.
Obumbratio vox nuptialis. 4.17.
Oculus animi index. 10.7.
Oculum parcere, quid. 13.23.
Oculo ad oculum videre, quid. 52.34.
Odij & ſæuitiæ ſignum & effectus. 23.22.
Olei proprietates & tranſlationes. 10.38.
Oleum ferrum emollit. 10.42.
A facie olei quid. 10.38.
Opera impiorum inania. 1.44.
Opera impiorum Deo moleſta. 1.45.
Quomodo ſine mercede. 52.18.
Quomodo compenſentur à Deo. 29.20.

Operariis ſuis Deus ſubſidium præbet. 51.43.
Operariis ſuis Deus linguam dat,& verba. ibid.
Opus pro mercede. 32.38.
Oppida multa compoſita ex dictione Beth. 15.9.
Oppida ex fontibus & aquis nomioata. 55.23
Oracula Idolorum ambigua,& obſcura. 41.43.
Oratio non miuùs in proſperis, quàm in aduerſis neceſſaria. 33.6.
Oratio ad felices exitus potens. 41.51.
Orari ſe volt Deus & vrgeri. 62.19.
Orationem valde iouat homilitas. 64.32.
Oratio peccatoris qualis. 1.46.
Oratio pro templo. 56.16.
Ornamenta, libidinis faces. 3.36.
Orphæ fabula apud Hebræos. 26.35.
Oryx quid. 61.64.
Os pro verbis. 49.1.
Os vox ambigua. ibid.
Oua aſpidum rumpere,prouerbium. 59.14.
Ozias leproſus, & cur. 6.1.

P.

Pagsous quis & vnde dictus. 42.45.
Panis epitheta, baculos, virga, firmamentum. 3.3.
Papyrus quid. 18.7.
Papyri vſus. 19.10.
Parabola quid. 14.2.
Pater de Domioo,& magiſtro dicitur. 9.13.
Parentum ſapientia aut felicitas non debent inflare filios,aut ſecuros reddere. 18.15.
Parentes filios vendere poſſunt. 50.10.
Parentes poſſuot filios redimere. 50.11. ibid.13.
Patientia Dei. 30.36.
Patientia Dei non abutendum. 1.45.
Patiens Deum glorificat. 65.10.
Pauper quomodo offerre poſſit magoum & gratum munus. 66.7.
Pauperes primùm Euangelium complexi. 6.4. & 60.67.
Pauperibus euangelizatum. 61.12.
Paupertas benignum purgatorium. 48.18.
Pax quid. 44.18. & 53.31.
Pacis deſcriptio. 2.9.
Pax quomodo tempore Euangelij. 2.9.
Pacis nomen frequens in precatiooe pro mortuis. 57.11.
Paxillus quid. 22.48.
Peccatom graue pondus. 1.16. & 38.61.
Peccatorum menſura. ibid.
Peccati pœna fames & ſiccitas. 1.52.
Peccatum vbi eſt,oullum tutum præſidium. 1.71.
Peccati grauitatem minuit neceſſitas, & vis. 2.13.
Peccatorum memoria vtilis. 5.10.
Peccatum dicitur clamor. 5.27. & 58.32.
Peccata quædam dicta clamantia. 5.27.
Peccatorum ſupplicium. 5.49.59.50.
Peccatorum damna. 25.28.
Peccata ſæpius iterata mortem, & ſupplicium accelerant. 28.46.
Peccatum graue telom contra Deum. 43.37.
Peccati dimiſſi uon deponenda memoria. 43.43.
Peccatis tradi, durum ſupplicium. 53.36.
Peccatum pro ſacrificio. 53.61.
Peccata in hac vita oon puniri grauiſſimi ſupplicij genus. 57.58.
Peccata vincula ſunt,& onus. 58.43.
Peccata ſeparant à Deo. 59.3.
Peccati fœditas. 59.7.
Peccati poodus grauius videtur homini poſtquam à peccato liber eſt. 38.61.
Peccata publica, & impuoita virtutem profligatam oſtenduot. 59.53.
Peccatum vbi eſt, oihil eſt tutum. 64.31.
Peccata à peccatore ſcribuotur. 65.13.
Item à Deo. ibid.
Peccata parentum quomodo filij luant. 65.14.
Peccator,eius labor moleſtus & vacuus. 26.52.
Peccatoris iniuria,& rourbanitas. 5.22.
Difficilem texit funem. 5.48.
Iuſtè deprimitur. 5.44.
Abutitur diuioa miſericordia. 26.45.
Peccator ſtimulis eruditur. 26.48.
Peccatoris obſtinata audacia. 28.29.
Talia accipit à Deo qualia ipſe dedit. 29.20.
Peccatoris vana ſcientia. 29.20.
Sua conſulta abſcondita putat eſſe Deo. 29.22.
Peccator cæcus,claudus, & mutus. 35.10.
Peccatori grauius videtur peccati pondus poſtquam liber eſt à peccato. 38.61.
Peccatoris animus deſerto ſimilis. 40.35.
Peccatoris futilis eſt potentia,& gloria. 40.74.
Peccator ſibi malum eooſuit. 50.51.ibid.64.
Peccatoris periculum. 50.62.
Peccator cani rabido ſimilis. 56.29.
Peccator ex Dei patientia magis ad peccandum audax. 57.38.
Peccatoris onus. 59.12.
Quæ in alios molitor in ipſum recidunt. 59.13.
Peccatoris vana conſilia. 59.20.
Peccatoris miſera cooditio. 59.42.
Peccatori non deſperandum. 59.62.
Perſarum reges omnium fluuiorum aquam & omnium prouinciarum glebam aliquam apud ſe habent. 14.18.
Perſarum regem ignis præcedit. 14.17. & 33.26. & 47.28.
Perſæ eum Chaldæis contra Ieruſalem. 22.10.
Perſarum inſigne aquila. 46.29.
Perſarũ regibus quis honor impẽdi ſolitus. 49.71.
Peapto calceameoto. 41.13.
Pes obſcœnom aliquid honeſtè ſignificat. 6.21.
Pharaoois demerſi adhuc in mari rubro veſtigia. 38.26.
Pharao vocatus draco. 51.32.
Piſcatoribus linteum amiculum familiare. 20.8.
Plaotæ optimæ deſcriptio. 37.31.
Plantæ variæ hominum ſtatus ſignificant. 53.7.
Plantæ ſæpe degenerant. 57.15.
Plenus dierum quis. 38.30.
Pluuia in terra promiſſioois. 33.31.
Pœnitentiæ fructus. 26.47.
Pœnitentiæ vis. 1.52.
Pœnitentia qualis. 55.29.& 59.51.
Porteotum io ſigois, & nominibus. 8.36.
Potentes pauperes opprimunt. 24.14.
Potentes à Deo opprimuntur. 24.16.
Præſidium omoe infirmum offenſo Deo. 37.22. & 1.71.
Prælatus malus valde noxius Eccleſiæ. 56.27.
Prælati incuria valde pernicioſa. 56.23.
Qui malè præeſt canibus ſimilis. 56.34.
Si in ſcelere eſt,alios arguere non poteſt. 56.30.
Prælati ſpiritus qualis. 63.52.
Quomodo tractare ſubditos debeat. 46.18.
Prælati excubiæ quales. 62.27.
Præparo,idem quod fundo,aut firmo. 2.3.
Principum peccata populo valde ooxia. 6.1.

Prioceps

Princeps quaſi lex,& forma populi. 7.4.
Magnis piſcibus ſimilis. 27.2.
Principis tyrannica poteſtas. 27.4.
Principes cùm maximè florẽt opprimuntur à Deo. 27.6.
Qualis princeps,tales eius miniſtri. 32.18.
Principibus commendari pauperes. 32.19.
Primum in fructibus maximè expetitur. 28.8.
Primogenitus qui in aliquo genere princeps. 14.48.
Pronomen ſimplex pro reciproco,& contrà. 59.60.
Prophetia multa habet nomina. 1.1.& 8.11.
Prophetia dicitur viſio, etiamſi nullam obiectam habeat ſpeciem. 1.5.
Prophetiæ in luco publico ſeruatæ. 34.24.
Prophetæ ſignis aliquando loquuntur. 20.5.
Prophetarum inſigne ſaccus. 20.6.
Prophetæ ſæpe vident futura. 48.41.
Prophetæ ſpeculatores. 21.43.ibid.49.
Prophetæ falſi cur cauda vocati. 9.33.
Prophetici ſpiritus vis. 6.29.
Propheriſſa vxor Iſaiæ quo ſenſu. 8.4.ibid.11.
Propoſiti leuitas. 5.20.
Proſopopœiæ magna vis. 55.35.

Prouerbia, & prouerbiales figuræ.

Spiritus in naribus. 2.30.
Faciem commolere, ſeu alapis cædere. 3.21.58.29.
Labruſca pro vuis. 5.17.
Vſque ad collum. 7.21.
Lateres ceciderunt,&c. 9.26.
Caput,& cauda,incuruans, & deprauans, ramus & iuncus. 9.32.& 19.19.
Inueni quaſi nidum. 10.9.
Ab anima vſque ad carnem. 10.15.
Confringere laguncułam. 10.50.
A ſummitate cœli. 13.11.
In cœlum aſcendam. 14.20.
Scopare,ſeu puluerem verrere. 14.39.
De radice colubri orietur regulus. 14.46.
Vitula conternans. 15.18.
Sicut qui ſpicas legit. 17.5.
Veſpere,& mane. 17.41.
Cymbalum alarum. 18.4.
Sicut nubes roris. 18.20.
Sicut turbo ab Auſtro. 21.7.
Qui incredulus eſt,infideliter agit. 21.14.
Tritura mea. 21.55.
Sicut aſportatur gallus gallinaceus. 22.28.
Paxillus. 22.49.
Anni Dauid. 23.37.
Quomodo ſi paucæ oliuæ. 24.23.
Gigantes pro mortuis. 26.37.
Ros lucis. 26.63.
Sola vexatio intellectum dabit. 28.40.
Non in ſerois ſaturabitur Gith. 28.51.
Conuertetur Libanus in Carmel. 29.26.& 32.35.
Quaſi malus nauis in vertice montis. 30.35.
Torrens inundans. 30.64.
Concipietis ardorem,& parietis ſtipulam. 33.21.
Claudi diripient rapinas. 33.47.
Baculus arundineus. 36.4.
Et comedant ſtercora ſua. 36.7.
Venerunt filij vſque ad partum. 37.4.
Reducam te in viam per quam veniſti. 37.26.
Quaſi tabernaculum paſtorum. 38.37.
De mane vſque ad veſperam. 38.39.
Plauſtrum triturans. 41.34.
Calamus quaſſatus,& linum fumigans. 42.10.
Sicut parturiens loquar. 42.50.
Quaſi linum extinguitur. 43.24.
Exitus ab Ægypto. 43.24.& 48.54.
Neruus ferreus,ceruix,& frons ærea. 48.12.
Erunt reges nutritij tui. 49.73.
Puluerem lingere. 43.74.
Deuorare carnes ſuas. 49.80.ibid.81.& 82.
Libellus repudij. 50.6.
Barbam vellere. 50.44.
Tinea comedet eos. 50.53.
Sicut fumus. 51.25.
Oryx illaqueatus. 51.65.
Beta ſemicocta. 51.65.
Radix de terra ſitienti. 53.7.
Lignum aridum. 56.5.ibid.12.
Vſque ad inferos. 57.35.
Ventus auferet. 57.43.
Quaſi tuba. 58.8.
Oua aſpidum rumpere. 59.14.
Telæ arancarum. 59.20.
Impingere in meridie. 59.44.
Qui receſſit à malo prædæ patuit. 59.55.
Torcular calcare. 63.14.
Pannus menſtruatæ. 64.27.
Lutum nos,tu fictor. 64.32.
Fumus. 65.11.
Iudæus. 65.27.
Puer centum annorum. 65.48.
Tanquam lignum. 65.54.
Canis. 66.5.
Antequam parturiret peperit. 66.21.
Oſſa arida. 66.38.
Quaſi temporaneum. 28.8.
Auellamus ad nos. 7.11.
Huc vſque aduerbialia.
Prouidentia Dei. 10.12.
Prouidentia Dei admirabilis in ſuorum cuſtodia. 37.8.
Pſeudoprophetæ pernicioſi. 3.19.
Puluerem verrere,prouerbium. 14.39.
Puluerem lingere,prouerbium. 43.74.

Q.

QVaſi,non ſemper ſimilitudinis nota. 13.13.
Quia,aliquando non cauſalis. 35.12.
Quia,ſæpe redundat. 66.10.
Quia, aliquando particula aduerſatiua. 66.30.
Quomodo, admirationi, & dolori ſeruit. 1.33.& 14.2.

R.

RAbbinorum commenta ad illudenda ſcripturæ teſtimonia. 49.32.
Rachel cur furata Idola. 46.8.
Radix, pro virga,aut pro eo quod è radice naſcitur. 11.16.
Radix,pro filiis. ibid.
Radix de terra ſitienti. 53.7.
De radice colubri regulus, prouerbium. 14.46.
Rabſaces ab Hebræis exiſtimatus filius Iſaiæ. 36.2.
Recordor idem quod bene, aut malè facio alicui. 43.40.& 49.4.
Regum quid maximè proprium. 40.73.
Regum gubernatio minùs æqua quàm Iudicum. 1.65.
Reguli vis nocentiſſima. ibid.
Regium dicitur quicquid eximium. 60.71.
Rex ſponſi nomen. 57.32.

Repen

Digitized by Google

Repentinum quod inexpectatum, etiam ſi multo antea prædictum. 48.22.
Repudiata vxor ſymbolum obſtinati. 50.7.
Repudiatos Domious vocat. 50.7.
Repudiata quomodo ſynagoga. 50.5.
Religioſi ruina miſerabilis. 5.19.
Religioſi Typus. 6.14.
Religioſos cur confundi debeat à ſecularibus. 23.18.
Quid ſperandum de illo, qui malè viuit. 26.22.
Religioſi olim ſigna geſtabant eius quem colebaor. 44.14.ibid.16.& 57.
Reſpondeo, pro, compenſo. 59.49.
Reſurrectio. 26.57.
Reſurrectio in eadem carne. 26.58.
Reſurrectio eſt à Deo. 26.61.
Retributio. 3.16.
Retrorſum caſus cur periculoſus & timendus. 28.26.
Reuerentia debetur Deo. 6.11. ibid.20.
Reuerti vacuum. 55.33.
Rbinochorura. 27.34.
Romanos de Idumæorum genere putant Hebræi. 21.58.
Ros lucis quid. 26.63.
Runcina quid. 44.28.
Ruth, de eius genere fabula Hebræorum. 16.20.

S.

Sacerdos qnalis. 54.37.
Sacerdos magno ſemper in honore. 61.46.
Sacerdotes dicebantur principes, & nobiles, etſi non eſſent ad ſacra deſtinati. 61.47.
Saccus prophetarum inſigne. 20.6.
Saccus ſumptus in luctu. 37.1.
Sacrificia quæ, & cur Deo ingrata. 1.35.ibid.37. & 38.& 43.35.
Quæ ſacrificia inania. ibid.& 65.8.& 66.4.
Sacrificium à manibus illotis execrabile. 1.48.
Sacrificia antiqua quarum rerum ſigna. ibid.
Quid in ſacrificiis Deus ſpectet. ibid.
Sacrificiorum locus in montibus. 2.3.
Sacrificia Gentilium in montibus, lucis, & ſubter pettas. 57.20.
Sæcularia abducunt cogitationem à Deo. 26.33.
Sæcularibus qui vacat, miſerè ſeruit. 51.72.
Saluo, idem quod vinco, aut glorioſè ago. 63.19.
Salus hominum eſt voluntas Dei. 53.63.
Salus, pro victoria ſeu triumphali cantico. 60.81.
Samia vaſa. 45.36.
Samia teſta pro ſilice. 45.37.
Samia teſta pro cultro circumciſionis. ibid.
Sanctus dicitur, qui ex inſtituto ſanctus eſſe debet. 4.9.
Sancti ſunt vaſa Dei. 52.41.
Sanctifico idem qood ſanctum oſtendo. 8.27.
Sanctifico, idem quod deſtino. 13.6.
Sanguis, pro peccato. 1.47.
Sapienti ſi anferatur ſapientia, graue ſupplicium. 29.21.
Sapiens huius mundi quid timere debeat. 33.36.
Sara cur dicta lacos. 51.3.
Sara quomodo deſerta. 54.4.
Satietas, pro abundantia. 66.70.
Satietas pro cibo. 55.15.
Scandalum graue peccatum & Deo moleſtiſſimum. 46.15.& 49.91.
Scientia hominis Chriſtiani. 5.37.
Scientia rerum ſæcularium ſtultitia eſt. 5.43.
Scientia peccatorum vana. 29.20.
Scientia ſi à ſapientibus populi auferatur, graue ſupplicium. 29.21.
Scientia quibuſdam pernicioſa. 47.23.
Scio, pro veneror. 52.26.
Scopare, ſeu puluerem vertere, prouerbium. 14.39.
Scripturæ ſacræ quanta eloquentia. P. in fine.
Sedecbias, de eo Hebræorum fabula. 2.16.& 22.14.
Sedere lugentium eſt. 3.57.47.1.
Segor multa habuit nomina. 15. 17.
Senacherib non idem qui Salmanaſſar. 20.2.
Senacherib tres annos conſumpſit in debellandis Ægypto & Æthiopia. 20.13.
Tantùm fortunatus in his, ad quæ miſſus fuit à Deo. 10.6.
Senacherib hiſtoria ſcripta à profanis. 37.37.
Cur à filiis occiſus. 37.38.
Senacherib cur cum aliis non occiſus ab angelo. 37.39.
Seps vina. 7.66.
Septuaginta interpretes, cur ex Hebraico textu aliquid mutent, aut omittant. 42.22.
Sepulchrum commune Iudæorum. 5.41.
Sepulchrum ignobile Balthaſaris. 14.8.
Sepulcbrum, ærumnoſum ſtatum deſignat. 32.34.
In Sepulchris dæmones habitare crediti. 65.7.
Seraphin qoi. 6.7.
Seruorum vſitata, & grauis ignominia à nuditate. 3.28.
Item à caluitio. ibid. 27.& 55.
Seruorum fidelium ſtigmata, & ſigna. 44.12.& 13. item 66.50.
Si pro quando. 4.12.
Si conditionalis aliquando ſuppletur. 64.10.
Sibilare quid. 7.60.
Signorum quot genera. 7.38.
Signi quæ proprietas. 7.39.
Signum, & factum, pro reſponſo. 41.20.
Signa in poſſeſſionibus terminalia. 66.52.
Siloë quæ eius natura & ſignificatio. 8.15.
Silentium, pro timore & ſubiectione. 6.19.
Silentium, pro qoiete. 7.7.& 52.52.
Silere & elingues homines facit conſpectus Dei. 6.22.
Silentium modò triſte aliquid, modò lætum ſignificat. 14.4.
Silentium, pro ſeruitute, & ſtupore. 23.8.
Silentij nomine turpia ſignificantur. 25.37.
Simeon delere voluit ex Iſaia virginis nomen. 7.25.
Simeonis canticum. 52.27.
De Simeone Hebræorum fabnla. 52.27.
Sindon piſcatorum inſigne. 20.8.
Sobna quis. 22.12.
Societas malorum pernicioſa. 6.24.& 59.25.& 27.
Sol, & luna quomodo in fine ſæculorum mutanda. 24.54.
Sol pro lætitia. 30.57.
Speluncæ & latebræ in Iudæa. 2.16.
Spes in Deo qnanta. 26.9.& 30.43.& 40.84.ibid. 85.& 48.25.
Ad ſpem vocat Deus poſt minas. 28.33.
Spina quid. 41.38.
Spiritus ſanctus, eius vis. 4.13.
Spiritus Dei pro Deo. 63.58.
Spiritus quid. 11.3.
Spiritus tranſiens & permanens. 11.3.
Spiritus in naribus. 2.30.
Spiritus pro ira. 2.32.

Spiritus

Spiritus pro quocumque motu. 17.7.
Spiritus pro vita. 44.7.& 57.54.
Spiritus ardoris. 4.13.
Spiritus vertiginis. 19.18.
Spiritus timoris. 11.3.
Spoliorum diuiſio pro victoria. 53.67.
Sponſus tegit, & obumbrat ſponſam. 4.14. ibid. 17.
Sponſi in ſponſam liberalitas. 57.37.
Sponſæ varia nomina. 5.5.
Spuere in faciem graue dedecus. 50.45.
Stercora ſua comedere quid. 36.7.
Sterilitas opprobrium Iudæis. 4.4.
Stipulam parere, prouerbium. 33.21.
Stirps, pro germine, aut filio. 21.16.
Stylus quid. 8.1.
Suum eſſe, aut fieri alicui, idem quod nubere. 46.5.
Super, idem quod iuxta aut prope.
Superbus vanè gloriatur. 10.10.
Superbus dignus qui decipiatur, & cadat. 19.14.
Damnatus à Chriſto in cruce. 25.38.
Superbus pro magno, atque inclyto. 60.69.
Supplicium peccatorum omnibus vtile. 26.14.
Supplicium peccatoribus optandum in hac vita. ibid. 16.
Supplicio non affici peccatorem in hac vita ſummæ offenſionis argumentum. 26.18.
Supplicium grauius his, qui plura acceperunt. 28.47.
Supplicium accõmodatum meritis. 57.25.& 47.21.
Sylua, in ea obſcuritas & horror. 32.30.
Synagoga quo ſenſu non repudiata. 50.5.
Synagogæ adoleſcentia. 54.12.
Synagogæ filij. 54.5.

T.

TAbernacula ad iter ferri ſolita. 24.44.
Tabernacula circumferunt paſtores. 38.57.
Tabernaculorũ dies dicitur collecta & cœtus. 1.43.
Tabeſco quid. 33.2.
Tabulæ ad ſcribendum ex qua materia. 30.16.
Tabulæ in templis ſuſpenſæ monumenta ſunt accepti beneficij. 38.25.
Tecta plana nõ faſtigiata in Palæſtina. 51.11.& 22.5.
Templum dicitur thalamus. 4.18.
Templo magna debetur reuerentia. 56.19.
Peccata in templo grauiora. 57.55.
Templa Deorum proſtibula. 65.8.
Tempus definitum aut dolori, aut voluptati. 63.16.
Tenebræ pro mœrore & miſeria. 30.57.
Tepiditas Deo grauis. 41.16.
Terga cæduntur ſeruis. 47.7.
Terra, & montes olim in deſerto propriè commoti. 64.3.
Terra promiſſionis, in ea pluuia valde neceſſaria. 5.26.
Terra promiſſionis tempore captiuitatis deſerta & inculta. 45.68.
Tharſis quid. 2.18. ibid. 19. 12.& 23.26.
Timor religioſus cultus. 8.27.
Timor pro Deo. ibid.& 33.34.
Timoris ſpiritus. 11.4.
Timor recoperat cor. 46.26.
Tingo, & lauo abundantiam indicant. 63.55.
Topher, quid. 30.75.
Tophet commune ſepulchrum. 30.78.
In Tophet deletus exercitus Senacherib. 30.76.
Torcular calcare quid. 63.14.
Triſtis omnia putat amara. 34.6.
Turbo ab Auſtro. 21.7.
Tyrus, eius ſitus. 23.1.
Tyrus vocata mare. 23.12.
Tyri coloniæ quæ. 23.15.
Tyri antiquitas. 23.21.
Tyrus regina coronata. 23.23.
Tyrus in regione Chanaan. 23.28.
Tyrus redit ab exilio cum Iudæis. 23.35.
Tyrus expugnata à Nabuchodonoſor. 23.39.
Tribulationis finis. 1.11.5.14.& 25.
Tribulatur aliter iuſtus, aliter peccator. 21.54. ibid. 57.& 25.20.
Tribulatio à Deo. 25.13.& 33.24.
Tribulatio, eius vtilitas. 26.16.& 48.17.
Tribulatio interdum magis vtilis quàm lenitas Dei. 26.47.
Tribulatio murmuris quid. 26.48.
Tribulatio à Deo qualis, & quàm non diuturna. 63.42.
Tribulatio aliter iuſtum afficit, aliter peccatorem. 57.72.
Tranſitus ab vna perſona ad aliam. 5.68.
Tubæ funereæ. 16.30.
Tumulus quid. 25.8.
Turpitudo ſilentij nomine ſignificatur. 23.37.
Turris pro principe. 30.56.

V.

VAs pro omni inſtrumento. 13.22.
Vaſtitatis deſcriptio. 7.63.47.33.
Vbera pro filiis. 32.57.
Vendi filij à parentibus poſſunt. 50.10. ibid. 28.
Vendere ſe ipſum aliquis poteſt. 50.28.
Vendere ſe peccato quid. 50.29.
Venditum eſſe peccato ſumma miſeria. 50.30.
Vendi à Deo horribile eſt. 50.31.
Vendi quomodo quid dicatur, vbi nullum eſt pretium. 50.52.& 52.11.& 55.9.
Veneficia è mortuis. 65.7.
Vectis quid. 43.20.
Verbum Dei incarnatum; eius Symbolum. 6.28.
Verbum Dei qui contemnit grauiter punitur. 28.19.& 28.20. ibid. 15.& 50.7.& 50.33.
Verbi Dei quis capax. 28.15.
Verbi Dei fœcunditas. 55.30.
Vermis propriè in inferno. 66.66.
Vermis conſcientiæ quid. 66.67.
Veſpere & mane, pro breui ſpatio. 17.14.
Veſtis in luctu peculiaris. 61.33.
Veſtes in dolore lacerantur. 36.8.
Veſtis in lætitia peculiaris. 61.33.
Vexatio vtilis. 28.40.
Victi à victoribus calcati. 51.71.& 63.13.
Victimam, quæ accedebat ad aram inuita, improbabat Gentilium religio. 53.37.
Victima quæ grata Deo. ibid.
Victima reluctans, & inuita, non eſt grata Deo. 53.37.
Victoriæ auctor Deus. 7.1.
Video eum epitaſi. 47.24.
Vincula, multa ſignificant. 50.63.
Vinculum colligatum, quid. 25.26.
Vindemia lætitiam ſignificat. 9.13.
Vindemia pro prædatione. 32.25.
Vindemio, idem quod vaſto. 1.28.
Vineæ metaphora Dei ſtudium in ſuos oſtendit. 5.3.& deinceps.
Vinea Sorec quid. 5.14.
Vinea perpetuam operam deſiderat. 29.25.
Vinea vocatus populus Iſrael. 5.6.
Vinum deſæcatum quid. 24.22.

Vinum rubrum nobile in Palæſtina. 27.51.
Vinum cor aufert. 46.26.
Vinum dabatur morte damnatis. 51.58.
Vir, idem quod quicumque. 34.26.ibid.33.
Virgæ tranſitus quid. 30.71.
Virgo, eius quanta eſſe debeat puritas. 7.30.
Virginis ſucceſſus. 7.31.
Virgo dicitur etiam de corrupta. 37.12.
Virgo Dei ſponſa. 56.10.
Virginitatis laus. 56.7.
Virginitatis dignitas. ibid.10.
Virginitatis cuſtodia facilis Dei auxilio. ibid.8.
Virtus quomodo dicatur vendita. 58.69.
Vitæ humanæ terminus ſeptuaginta anni. 23.36.
Vitæ breuitas. 38.37.
Vita cur optabilis. 38.63.
Vitula conternans. 15.18.
Vitium ſenſim ſerpit. 50.54.
Vngi quid. 21.39.
Vngitur clypeus. ibid.
Vnicornis, idem qui Rhinoceros. 34.14.
Vnus, & vnus, quid. 27.37.
Vocatio; Deo vocanti non reſpondere quàm periculoſum. 50.7.ibid.14.
Quid mali impendeat his, qui vocati non reſpondent. 66.8.ibid.9.
Vocor idem quod ſum. 62.13.
Voluntas propria nutrimentum ignis inferni. 30.86.
Voluntas propria quid. 38.24.& 58.86.
Voluntaria victima grata Deo. 43.37.
Voluptas non niſi in cœlo ſuam habet maturitatem. 18.12.
Voluptas huius mundi æterni ſupplicij materia. 24.15.& 34.19.
Quæ ad voluptatem audiuntur, valde noxia. 30.18.
Vomitus in menſa vſitatus olim. 28.12.
Vox animarum & manium exilis & obſcura. 29.10.
Vox clamantis & ſimilia abſolutè poſita. 40.17.
Vox alicuius dicitur, qui nūcius eſt, aut præco. 40.52.
Vt, non ſemper cauſam finalem indicat, ſed aliquando conſequutionem. 66.32.
Vterus pro exordio vitæ. 44.3.
Vulnera Chriſti ſignum pacis. 54.28.
Signa vulnerum Chriſti cur ſeruata in cœlo. 54.29.
Vxor à viris nomen ſumit. c.ij.5.
Vxor à viro alimentum accipit & cibum. 4.

Z.

Zabulon & Nephthalim primi Euangelium accepere. 9.1.
Primi ab Aſſyriis vexati. 9.2.
Zabulon, & Nephthalim olim ignobiles. ibid. 4.
Zabulon, & Nephthalim cur glorioſi. 9.5.
Zelus animarum Deo gratiſſimus. 24.27.ibid.34. 66.36.
Zeli vis, & natura. 63.18.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google